THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM
COMPLECTENS

SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,

IN QUIBUS

VETERUM HEBRÆORUM MORES,

LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:

OPUS

Ad illuſtrationem utriuſque Teſtamenti, & ad Philologiam ſacram, & profanam utiliſſimum, maximeque neceſſarium.

VOLUMEN SECUNDUM.

AUTORE

BLASIO UGOLINO.



VENETIIS

MDCCXLIV.

APUD JOANNEM GABRIELEM HERTHZ.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



PROSPERO
CARDINALI COLUMNÆ
DE SCIARRA

BLASIUS UGOLINUS
FELICITATEM.

MIRARI *profecto non debes*, Eminentissime Princeps, *quod* Antiquitates Sacras, *jamdiu frustra omnibus votis expectatas, in publicam lucem a me tuo nomini inscriptas prodire videas, quo mea in Te pietas, & singularis observantia illustri aliquo Tibi pate-*

te-

teret argumento, si memineris nullum abs Te prætermissum esse vel officii, vel humanitatis genus, quo de me egregie, atque optime mererere. Accedit præterea illud, quod cum Patavii per biennium, qui dies in omni vita lætissimi, pulcherrimque illuxisse mihi visi sunt, a Cel. Viro Dominico Lazzarino *bonas artes edoceremur, tantum me consilio & exemplo excitaveris, ut plane siqua profecerim, Tibi debeam universa: Sæpe etiam* Lazzarinus *tuam in literarum studiis diligentiam extollebat, quo meam excitaret, mihique monstrabat eam viam, qua Tu me vel natu minor longo intervallo præcesseras, qua si pergerem, affirmabat fore, ut me amplissima præmia, & immortalis gloria consequerentur. Commemorabat quotidie genus, clarissimarum urbium imperio, opibus, rerum gestarum amplitudine, præsertim bellica laude, qua Tui reliquos reliquarum Gentium imperatores maxime præstitere, longe nobilissimum, Regiis sæpe affinitatibus illustratum, derivatumque Roma, tamquam ex fonte trans Alpes, a quo amplissima Regna, & Gentes potentissimæ regerentur; recensebat clarissima Tuorum imperia, & bella vel Italica, vel Africana, vel Turcica, vel Germanica, vel Pannonica, non alienis, sed suis auspiciis ductuque a Tuis pari virtute, ac felicitate suscepta, confectaque, quibus totius Christianæ Reipublicæ salus & incolumitas vel*

pro-

propugnata , vel plane confirmata ſit : MARTINUM *V. Pontificem in primis celebrabat , cujus ſapientia , auſpiciiſque diuturno Schiſmate , quo pene tota Europa conflagrarat , exſtincto , ſublatoque , pax , quæ fere deſperata erat , Eccleſiæ àliquando reſtituta ſit. Quæ cum mihi quotidie commemoraret , incredibili quadam Tui admiratione coripiebatur , quod tanta eſſes temperantia & humanitate , ut qui reliquos domeſtica gloria , & opibus antecelleres , modeſtia & facilitate par infimis viderere . Admirabatur præter cætera ſingulare ingenium , egregiam indolem , miramque in bonarum artium ſtudiis curam & diligentiam ; quibus adeo commovebatur , ut omnia ſumma & præclara de Te ſibi diceret polliceri. Utinam illi , qui pro ſui ingenii præſtantia immortalitate dignus erat , diutius vivere contigiſſet ! quanta nunc voluptate , lætitiaque perfunderetur , ſi Te videret poſt tantas dignitates pari prudentia , & integritate partas , ac geſtas , omnium ordinum , præſertim bonorum gratulatione ſacra Purpura inſignitum ,* BENEDICTI *XIV. Pontificis , cui parem ſapientia , pietate , doctrina , neque noſtra , neque ſuperior ulla vidit ætas , gratia & exiſtimatione florentem , intereſſe gravioribus conſiliis , quibus univerſa Eccleſia regitur , ac procuratur ! Non dubito , qua fuit in me benevolentia , & charitate , quin Tibi , haſce* Antiquitates *etiam atque etiam ,*

qua

qua præ cæteris pollebat eloquentia , commendaret ; quamquam sua sanctitate , præstantia , utilitate , quibus reliquas reliquarum Gentium antecellunt , Tibi satis superque commendatum iri confidimus . Quæ si tibi , qui cæteros doctrina & sapientia præstas , minime improbabuntur , uberrimum mihi videbor studiorum meorum , & decennalis operæ fructum percepisse . Vale .



BLA-



BLASIUS UGOLINUS LECTORI.

Cum Apologiarum editionem, quibus ab impiis Ethnicorum, *Marshami*, & *Spenceri* oppugnationibus *Antiquitates Sacræ* propugnantur, cœptam a nobis ab Tractatu cl. *Joannis Meyeri de Temporibus sacris*, & *Festis diebus Hebræorum*, in cl. *Georgii Casparis Kirchmajeri exercitatione ad C. C. Taciti Histor. lib. V. de rebus moribusque Judæorum* absolverimus, ratio ac distributio Operis postulabat, ut Opuscula, quibus Antiquitates Hebræorum generaliter illustrantur, edenda susciperemus. Celeberrimi *Relandi Antiquitatibus Sacris*, nunc primum a nobis amplissimis commentariis, qui totum hoc volumen pene comprehendunt, illustratis, principem deberi locum nemo est, qui non fateatur; Tanta enim eruditione refertæ illæ sunt, ut cæteris merito præferendæ esse videantur. Quæ me difficultates ab his illustrandis sæpe deterruerint, ex eo conjici potest, quod mihi cl. Autor omnes fere fontes præcluserit, a quibus Philologi omnes rivulos suos derivare consuevere; Quamquam non mediocrem apud eruditum Lectorem gratiam inire posse sperabamus, si ea monumenta, quæ nondum translata, a *Relando* passim indicantur, latina civitate donata, ederemus, tamen (quo gratiores hæ notæ redderentur) adeunda alia loca mihi esse censui, pleraque, quod sciam, nulli adhuc adita, & antea nunquam ex Hebraico latine reddita, omnia *Relandinis* autoritate comparanda, multa vero vetustate etiam præferenda. Quæ si Philologis minime improbata esse sentiemus, e quinque & viginti voluminibus, quæ edenda sunt, duodecim fere a nobis producentur, quæ novis vel versionibus, vel notis, vel commentariis, vel dissertationibus, vel tractatibus, vel ineditis Opusculis præ reliquis commendentur, ut videamur Autoris, quam Collectoris fungi munere maluisse. Quod una tantum in notis latina loca adduxerimus, ea causa fuit, quod *Mechilta*, *Siphra*, *Siphri*, *Pesikta*, *Tosaphta*, & *Maimonidis* opuscula, unde fere omnia excerpsimus, vetustissima & (si unum *Maimoni-*

monidem excipias) intacta adhuc sacræ Philologiæ promtuaria, cum textu Hebræo, nunc primum latina interpretatione, & notis perpetuis illustrata integra suis locis, edenda mihi sint.

Incredibili studio, & diligentia data opera est, ut editio ab omni labe prodiret emundata; Nulla præsertim prætermissa cura est in emendandis duobus cl. *Wormii* libris, quos innumeris scatere erroribus in epistola secundo libro præmissa Autor ipse non diffitetur. *Tandem* (inquit) *benevolum Lectorem rogatum impensius venio, velit peccanti non una saltem vice Typothethæ ignoscere, aut, quod res est, dicam, mihimetipsi potius, qui multis, & continuis laboribus præpeditus non potui nisi aliena manu, eaque non admodum oculata hujusmodi erratis mederi, unde non mirum si tot sordibus hic liber scateat, ut vel ipsum Augiæ stabulum longo post se intervallo relinquat.* Pauca, quæ Tipographorum incuria in hæc opuscula irrepsere, menda in fine voluminis emendata deprehendes.

INDEX

Operum, quæ in hoc volumine continentur.



CHRI-



CHRISTIANI WORMII
WILHELMI FILII
DE
CORRUPTIS
ANTIQUITATUM
HEBRÆARUM
APUD
TACITUM ET MARTIALEM
VESTIGIIS
LIBRI DUO.

BENEVOLO LECTORI
Salutem.

QUÆ de Theopompo & Theodecte, Ariſtea & Phalereo ante memorata refert Joſephus libro Antiquitatum 12. capite 2. commode in omnes fere Ethnicos quadrare poſſunt; Theopompus quippe mentis, Theodectes oculorum uſu privatus dicitur, ambo quia nonnulla de ſacris voluminibus delibata ſuis commentariis intexuiſſent. Sane quoties de Judæorum inſtitutis loquuntur Ethnici, ita quidem loquuntur, ac ſi illis nec oculorum nec ſenſuum uſus conſtaret integer. Adeo quidem perverſe rem tractant, ut ne minimum ſinceritatis documentum

apud eos appareat. Attamen velut iſtic in fimeto fuiſſe tamen granum aliquod, quod quærentem Gallum delectaret, accepimus, ita quoque particula jucunditatis non minima in hoc Augiæ ſtabulo latitat, non enim omnia de nihilo ſunt, quæ contemtum lectoris mereri videntur. Hercle ſæpenumero quidem mihi contigit, ut cum ea legerem, quæ ad vitam recte probeque inſtituendam vel a Platone vel ab Ariſtotele vel a Tullio vel ab Epicteto tradita ſunt, mihi viderer ex aliquibus Chriſtianorum ſcriptis normam pietatis capere. Simile quidem evenit, quotieſcunque fabulas aut de Deis Deabuſque, aut de aliis tranſmutationibus partim a Liberali, partim a Naſone Hyginove congeſtas perluſtro, habent quippe & illæ (quamvis ab Arnobio libro 4. *quiſquiliæ & phaleratæ nugæ* vocantur) quod legentem valde afficiat. Hinc Tertullianus Apolog. c. 47. *Unde hæc oro vos*, inquit, *Philoſophis aut Poetis tam conſimilia? non niſi de noſtris ſacramentis. Si de noſtris ſacramentis ut de prioribus; ergo fideliora ſunt noſtra, magiſque credenda, quorum imagines quoque fidem inveniunt. Si de ſuis ſenſibus; jam ergo ſacramenta noſtra imagines poſteriorum habebuntur: quod rerum forma non ſuſtinet: nunquam enim corpus umbra, aut veritatem imago præcedit*. Sic Gentiles in ipſis ineptiis multa ſæpe ſcitu minime indigna tractant, & nihil minus agunt quam quod agere pleriſque videntur. Sed eſt, ut ſtylum vertam, & Gentilium in tradendis ſeriis ineptias perpendam, in quibus grandiores ſæpe quam in ipſis fabulis nugas ſerunt, ſi quippe de Judæorum origine ipſis dicendum eſt, Damaſcum ille accerſit, hic Ægyptum, Æthiopiam iſte, alius aliquis neſcio quos Solymos gentem quidem Homeri carminibus celebratam, ſed Piſidiæ verius, quam Judææ accolam. Sic quoque cum de Judaica Religione mentionem injiciunt, aut Bacchum & Saturnum, aut Suem & Aſinum Divino apud eos honore fungi memorant. Quæ omnia quamvis caſſa nuce leviora ſunt, juvat tamen inquirere, quam ob cauſam hæc olim pro fide dignis habita ſunt: ſic ubi Deus Judæorum Aſinus iis dicitur, non credibile videbitur tam aſininæ ſtoliditatis fuiſſe Ethnicos, ut figmentum hoc ſine omni reſpectu ad alia aut geſta aut inſtituta apud eos natum fuerit. Triplex enim eſt hujus calumniæ cauſa, primum quidem inquiunt Moſen aſinorum ductu ſitientes Iſraelitas ad aquas deduxiſſe, non aliam certe ob cauſam, quam quia (advertente id l. 3. miſcell. Fullero) Ana cum paſceret aſinos patris ſui in deſerto, את הימים inveniſſe Geneſ. 36. dicitur. Quod vocabulum Hieronymus Quæſt. Hebr. in Geneſin *aquas calidas*, Vulgata verſio *aquarum congregationem vertit*. Sed pergunt impudenter dicendo cultum a Judæis aſinum, cujus cauſam egregie tradidit Bochartus, ſcilicet conſuluiſſe Iſraelitæ פי יהוה *Os Dei* ſæpius in Sacra Scriptura leguntur, quod eo modo *Pieo* pronunciatum, Ægyptiaca vox eſt, quæ interpretatur ὁ ὄνος dicente Nomenclatore ibno-Cabari a Kirchero edito p. 166. Ne vero aliquid huic calumniæ deeſſe videatur, ultimo addunt inventum quoque in Judæorum ſanctuario aſini caput, idque Divi-

no cultui ab Iſraelitis conſecratum. Age percurramus omnia in Tabernaculo recondita viſuri, an aliquam cum aſinino capite alant ſimilitudinem, an vero aliquod ſit quod impudentiſſimo Apionis mendacio occaſionem dare potuit. Arcam quidem & thuribula in ſanctuario fuiſſe non ignoramus, ſed nec illa nec quæ in arca reconditæ fuerunt tabulæ aſininum quid præ ſe tulerunt. Nihil virgæ Aaronis nihil Cherubinis palmis immixtis cum Aſino commune. Reſtat igitur urna mannæ, quæ, velit nolit, originem impudentiſſimæ fabulæ aperiet. Scilicet eodem vocabulo & urna & aſinus dicitur nec ſolis niſi apicibus diſcriminantur, Urna חמר Chomer Aſinus חמר Chamor dicitur, quæ puncta ſæpius inter ſe ut 1. Sam. 16. v. 20. commutantur. Dicitur quippe ibi Iſa ſumſiſſe חמור Panis, & lagenam vini, quod ita vertunt 70. καὶ ἔλαβεν Ἰεσσαὶ γόμορ ἄρτων, καὶ ἀσκὸν οἴνου, *& ſumpſit Jeſſe Chomer panis & utrem vini*. Diverſiſſima habet Complutenſis: καὶ ἔλαβον Ἰεσσαὶ ὄνον, καὶ ἐπίθηκεν αὐτῷ γόμορ ἄρτ͂ *& accepit Jeſſe aſinum & impoſuit ipſi Chomer panum*. Quæ & alia Kimchium moverunt ut dubius inter utrumque hærere maluerit quam aliquid pro certo ſtatuere hinc: חמור לחם, inquit, חמור טעון לחם ונאד מלא יין וכתי טעון חמרא בלחם וים מן צבור חומר חמורתי חמרים חמרים: *Aſinum panis & utrem vini* i. e. *aſinum Onuſtum pane, utrem vinoplenum - - - ſunt tamen qui interpretantur, quaſi eſſet Chomer ſive acervus*. Si igitur tantopere tam Chriſtiani quam Judæi dubitant utrum per aſinum an per urnam hæc interpretanda, quid mirum ſi eadem dubitatione decepti Ethnici id in deteriorem ſenſum torſerint, & cum audierint Chomer in arca inventum, id ſtatim de aſino interpretati ſunt cum revera de urna intelligi deberet. Quæ demum calumnia pleraque Ethnicorum ſcripta invaſit, etiamſi non omnia, quæ ab hodiernis Criticis adducuntur, gentilium loca de aſino agunt: corrupit quippe hunc locum Petronii:

Et cœli ſummas advocet auriculas.

olim Woſſius ſcribens pro *cœli*, *cilli*: idque non aliam ob cauſam quam ut id de aſino interpretaretur, quod revera ad cœlum pertinet. Nihil enim aliud hic intendit Petronius, quam morem jurandi per cœlum, quem ut familiarem iis temporibus ſæpius in Phariſæis taxat Chriſtus; etenim advocare cœli aures nihil aliud eſt quam jubere cœlum ut audiat, id eſt jurare per cœlum. Quod ſi vero crediderunt gentes cœlum olim a Judæis cultum id non aliunde eſt, quam quia inter nomina Divina quoque שמים *Cœlum* numeratur. Hæc & ſimilia loca bene multa quoniam apud profanos Scriptores animadvertimus, Tacitum quidem & Martialem elegimus, ut examinare poſſemus & libere imo abſque omni præjudicio excutere quæ apud eos de Judæis dicta occurrunt. Verum, antequam id a nobis animadverſum eſt, excrevit præter opinionem, id quod prima vice breviſſime tractare inſtitueramus, hinc coacti præter opinionem ſumus primum hunc librum inſtar ſpeciminis, publico ſiſtere quem

 mox

mox alter de Æthiopia , Solymis , Syris , &c. excipiet ; isti vero duo libri non nisi Prodromi titulum merentur , cum longe jucundiora subsequentes 4. tractent, quos quidem, nisi tædiosum specimen hocce Lectori fuisse animadvertemus , suo tempore in lucem producemus , aperietur ibi amplissimus de variis materiis disserendi campus , præprimis de Martialis Anchialo , quod novo modo explicamus , & Juvenalis *cophino fœnoque* similiter diversa ratione illustrato . Huic vero primo libro est ut indulgeat B. L. & cogitet , sicubi erratum sit , paratos nos esse id, quocumque & modo & tempore monitum fuerit , corrigere ; nihil enim frequentius apud homines & præsertim juvenes est, quam labi : quapropter si labentem me aliquando benignitate sua sublevare dignetur Benevolus Lector , animum addet publicandi sequentia , quæ collecta partim , partim hinc inde dispersa non nisi limam exspectant . Sin vero nauseam hæc ipsa leviuscula nunc quidem præmissa creare percipiamus , seponenda sunt reliqua cum blattis tineisque perpetuo luctatura.





LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Quod sit loco proœmii.

Linguæ Hebrææ præstantia, de ea Rabbinorum testimonia, frustra a Morino Samaritanæ postponitur; quod probant cum Ephodeo Cabbalistæ. Gentilium multiplex error. Instituti ratio & methodus. Schildius corrigitur. Tertullianus & Lactantius ab eo male adducuntur. *Chrestus* a gentibus Salvator noster per ignorantiam, non vero ignominiam dictus. Χρηστὸς significat Optimus suavis, &c.; id probant Lucianus, Theophilus, Tertullianus, Justinus Martyr. Christus ab Alexandro Severo colitur, a Tiberio Apotheosi dignus judicatur. Primi qui vocem Χρηστὸς usurparunt, Æschylus, Euripides, Theocritus. Nullus unquam *Christus* dictus, sed multi *Chresti*, ut Phocion aliique: η & ι ab antiquis eodem fere modo pronuntiatum. *Chrestus*, *Christus* scriptum est. Christiani & Judæi nusquam promiscue sumpti. Petavii & Lipsii error. Nihil probat locus Svetonii. Nihil Arriani. Et Græci & Judæi, baptizari soliti. Necessitas baptismi apud Judæos: ejus institutio ab Aben-Ezra & Lightfooto: Jacobo Patriarchæ adscribitur. Nihil probat Locus Ulpiani. Judæi a Gentibus pro superstitiosis habiti.

AUt me amor suscepti negotii fallit, aut nulli unquam linguæ majori cum fructu opera impenditur quam Hebrææ matri reliquarum omnium sanctissimæ, quæ authorem solum & immediatum agnoscit Deum, a quo creata, instituta, & inter dona alia primo homini tradita. Admodum pulchre in hunc sensum liber Cosri [1] הלשון חאלהים הברואה אשר למדה האלהים לאדם ושמה על לשונו ובלבבו היא מבלי עפק השלימה מכל הלשונות והנאותה לקרואיה יותר מכולם. quod ita vertit Buxtorfius. *Lingua Divina creata, quam Deus docuit Adamum, quamque posuit super linguam ejus & in cor ejus, est sine dubio perfectissima omnium linguarum & maxime conveniens cum rebus vocatis & denominatis ejus.* Accurate vocatur lingua hæc creata, quod ea sola consensui immediato Divinæque institutioni originem debeat, quam proinde nulli alii linguæ acceptam refert, id quod nec potuit præterire commentatorem eximium R. Jehudam Muscatum, cui locum hunc hac glossa illustrare placuit [2] קראה ברואה כי איננה מוסכמת מבשר ודם כיתר הלשנות *Vocat eam creatam quia non est instituta a carne & sanguine ut reliquæ linguæ*. Sola inquam hæc lingua est quæ sancta vocari meretur, quæque inter omnes alias eminet, velut inter ignes luna minores. Nec hujus quidem instituti ratio postulat, ut multa de ejus præstantia disseramus, præsertim cum vereamur, ne idem nobis accidat quod alicui quondam Herculem laudaturo, cui obviam Diogenes factus: quis inquit, unquam vituperavit? Quis perfectissimam hanc linguam unquam vituperavit? Quis eam aliis postposuit præter Waltonum, Wossium, Morinum, aliosque quos quidem hac in parte R. P. Literariæ scandala haud immerito dixeris. Abeunt hercle tam a Masore-

[1] 4. 25.

[2] In comment. ad hunc locum.

ſoretharum quam reliquorum Rabbinorum eruditis & bene fundatis ſententiis, quorum unicus ſaltem procedat, & inſtar omnium loquatur. Is autem eſto *Ephodeus* non inſcitus Hebraicæ antiquitatis ſcrutator, qui ita de Hebræis ſcriptoribus [1] הנה ראיתי למפרשי התרה כלם שהסכימו על כי הלשון הוא הנברא והמוסכם עליו מהבורא ית הוא הלשון העבריה נקרא בלשון הנבאים יהודית *Ecce vidi interpretes legis omnes conſentientes in hoc, quod lingua illa creata & a conſenſu DEI profecta ſit lingua. Hebræa Prophetarum lingua dicta Judaica.* Non in proprio *Ephodei* cerebro ficta hæc ſunt, ſed a celeberrimorum Rabbinorum ſcriptis depromta, nec aliud voluere Cabbaliſtæ, cum per Gematriam probavere convenire inter ſeſe שפת אחת *labium unum* [2] & לשון הקדש *lingua ſancta*. Etenim literæ שפתאחת conficiunt 794. ut לשונהקדש 795. Cui ergo unitas ſuperflua? Per hanc deſignari volunt unitatem Auctoris Dei Opt. Max. & unitatem ac perfectionem linguæ.

[1] Cap. 3.

[2] Gen. 11.

Verum enim vero ſi diutius quam fas eſt in hiſce moramur, non eſt ut coctam bis cramben recoquamus, aut Iliada ſcribere poſt Homerum aggrediamur. Notiſſimum eruditis credimus, tot voluptatibus ſcatere hanc linguam ut illiciis ſuis vel nolentes ad ſe trahat. Quid? quod ſine ejus ope hallucinantur quotquot aut Theologiæ operam dederunt, aut Philologiæ hiſtoriæve conſecrare ſe conſtituerunt. Habeat ſuas ſibi Latium paludes, retineat Græcia rivulos: ipſiſſimos fontes ſolam extra Palæſtinam fruſtra quæſieris; dulcem illa tibi propinat ambroſiam, cum alibi nil fere niſi fæces invenias. Videatur ſaltem, quanta cum ignorantia de inſtitutis Judæorum locuti ſint Ethnici, hoſpites omnino in linguæ hujus notitia; hariolantur ubique in ſcriptis ſuis, & ſæpius gerras ſiculas cupido lectori objiciunt. Aperietur nobis in præſenti ſchediaſmate ampliſſimus hac de re diſſerendi campus, ubi *de Antiquitatum Hebræarum corruptis apud Tacitum & Martialem veſtigiis* agere conſtituimus. Animus quidem erat univerſa, quæ apud Scriptores tam Græcos quam Latinos hac de re loca obſervavimus, recenſere, explicare, reſtituere, & in errorum cauſas, quoties opus foret, inquirere; ſed abſterruit fere nos a propoſito rei difficultas & prolixitas, cum ultra 600. loca illuſtrata, emendataque in ſchedis hac illac diſperſis habeamus, licet minimam ſcriptorum partem hactenus percucurrerimus. Verum ne labaſceret penitus hoc propoſitum, haſce commentationes loco ſpeciminis alicujus publico exponere conſtituimus, eundem ſecuturi ordinem, quem olim præ aliis elegeramus. Primo enim in *Taciti* & *Martialis* ſententiam de origine Judæorum & nomine inquiremus, dein ordine ſecundum Decalogum proceſſuri videbimus, quid contra 1. 2. 3. &c. præcepta dictum ſit, mox quæ contra ſacramenta eorum, & ultimo quæ contra promiſcua inſtituta, examinabimus. Per quæ omnia operam dabimus optimorum interpretum mentem ſequi, licet veniam ſubmiſſe petamus, ſi in plurimis ab eorum ſententiis receſſerimus, quoniam in aliena verba cum jactura veritatis jurare genius nobis noſter haud facile conceſſerit. Obſtupuimus ſæpius quoties doctiſſimorum virorum inſcitas opiniones circa hujuſmodi loca animadvertimus, cum tantum ſæpius monſtri aluerint, ut textum Auctorum obſcuriorem quidem reddiderint at nihilo clariorem. Antequam ad perſequendum inſtitutum noſtrum accingimur, unicum ſaltem Svetonii locum examinabimus, quantopere hallucinati ſint interpretes viſuri, is autem ita ſe habet [3] JUDÆOS *impulſore* CHRESTO *tumultuantes Roma expulit*. Ad quæ Schildius & cum eo fere omnes: *Impulſore* CHRESTO *Tertullianus & Lactantius docent Chriſtum Salvatorem noſtrum mutato i in e Chreſtum homines impios appellare ſolitos per* CONTUMELIAM. Nihil minus in animo habuere Gentiles, quam contumelia Salvatorem noſtrum hac appellatione hoc nomine (CHRESTUS) afficere. Citat quidem Tertullianum & Lactantium Schildius, impertinenter ſatis, licet in hoc prudenter, quod loca non adducat, cum ſimile nihil hactenus mihi apud eos obſervare licuerit. In promtu ſunt quæcunque hoc de nomine apud eos ſe offerunt: ita enim Tertullianus [4] *Si nominis odium eſt, quis nominis reatus? Quæ accuſatio vocabulorum? Niſi aut barbarum ſonat aliqua vox, aut infauſtum aut maledicum aut impudicum; ſed & cum perperam Chreſtianus pronunciatur a vobis (nam nec nominis certa eſt notitia penes vos) de ſuavitate vel benignitate eſt compoſitum: oditur itaque in hominibus innocuis nomen innocuum.* Sed exinde num ſententiam ſuam ſtabilire queat Schildius, non video. Nunquam in æternum negaverimus Chriſtum a Gentibus *Chreſtum* eſſe dictum; ſed dictum id eſſe per ignominiam illud demum eſt, quod probatione indigere arbitramur; & tantum abeſt, ut Tertullianus ſimile quid voluerit, ut potius ſententiæ noſtræ magnum addiderit ſtabilimentum. Aperte enim nominat

[3] In cap. Tiber. Claud. 25.

[4] In Apologetico.

minat

minat ignorantiam, verumque nomen nesciri innuit: at de blasphemia ne *gry* quidem, uti nec Lactantius, cui [1] exponenda hujus nominis (*Christus*) est ratio, propter ignorantiam eorum, qui *Chrestum* eum immutata litera solent dicere. Pulchre & erudite Lactantius, sed nihil ad mentem Schildii: hic blasphemiæ, ille ignorantiæ miseros Gentiles insimulat. Inquiramus in originem sensumque vocis *Chrestus:* docuit nos Tertullianus eam esse de suavitate & benignitate compositam [2] & scimus eam plerumque apud Græcos æquipollere vocabulo Latino: *Optimus*. Quis suavem? Quis benignum? Quis optimum vocet, quem contumeliis prosequi gestit? fallitur valde in opinione sua Schildius, primum enim a Græcia profectam esse hanc appellationem in confesso est; unde Lucianus in Dialogo Philopatris [3] εἰ τύχοι γε Χρηστὸς ἐν ἔθνεσιν, *fuit & Christus inter gentes;* at num credamus veram hujus vocabuli significationem ignorasse Lucianum? Injurii sane in ipsum erimus, præsertim si quæ in eodem habet Dialogo [4], ponderemus, ita enim ibi introducitur Chritias loquens:

Τίς πόθεν εἷς ἀνδρῶν πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες

Χρηστὸς γὰρ ἂν εἴης ἀπόγε τοῦ σχήματος, ἦν δὲ ἐγώ: ὀλίγοι γε χρηστοὶ ὥσπερ βλέπω πανταχοῦ. Quod ita vertit Burdelotius: *Quisnam hominum, aut unde es, quæ patria quive penates sunt tibi? Nam Chrestus* (i. e. Christianus) *appares esse ex habitu. Tum ego: Pauci Chresti* (i. e. frugi) *sunt, prout semper video.* En quam salse deridet Christianos Lucianus propter nominis, ut ipsi videtur, præstantiam; en quam pulchre sensum vocabuli exprimit, quem quoque animadvertisse Patres in confesso est, ita enim Theophilus [5]: *Nihil æque in votis habeo, quam ut sim* εὔχρηστος; *tu vero sentis id de Deo quod* ἄχρηστος. Vides quam aperte alludit ad errorem Gentium qui Chrestianus dixere, non Christianus; id quod post innumeros alios observat Georgius Ambianates [6], nec sane aliud vult Tertulianus [7]: Sed &, inquiens, *perperam pronunciatur a vobis; nam Chrestianus de suavitate & benignitate est compositum.* Pulchre Tertulianus! at adhuc pulchrius Justinus Martyr [8] ἐκ τοῦ κατηγορουμένου ἡμῶν ὀνόματος χρηστότατοι ὑπάρχομεν *secundum adjectum nobis nomen optimi sumus* (& paulo post [9]) Κρηστιανοὶ γὰρ εἶναι κατηγορούμεθα τὸ δὲ Χριστὸν μισεῖσθαι οὐ δίκαιον. *Chrestiani esse dicimur, & tamen Christum odisse injustum est.* Apertissime hic ipso ex nomine Gentiles convincere laborat, dum enim optimos nos esse per

[1] de V. Sapientia lib. 4. c. 7.
[2] vid. supra.
[3] p. mihi 1124.
[4] p. m. 1126.
[5] l. 1. ad Autolycum.
[6] Tertull. rediviv. Tom. 2. p. 64.
[7] Apolog. adv. gent.
[8] Apolog. 2. p. 42.
[9] Ibidem.

nomen *Chrestus* innuebant, monstrat bonitatem cum odio Christi ut summi boni non posse consistere. Quis ulterius in media luce cæcutiat? Quis Gentiles blasphemiam Christo hac appellatione intendisse asserat? Cum contrarium demonstrent partim allata testimonia, partim Historicorum fides. Quis nescit Alexandrum Severum in larario suo inter Divos Principes & animas sanctiores juxta Abrahamum, Orpheum & Apollonium coluisse Christum miseranda potius, quam ridenda superstitione, ut loqui amat Orosius [10]. Et ipse Tiberius Deum esse proclamandum censuit obstante senatus suffragio, quo indigebat coæternus Patri Deus, ceu scribit Eusebius [11]. Verum hæc a me minime eo sensu prolata, ac si negem blasphematum a Gentibus *Christum*; longe aliud evincit sola Juliani Historia, sed nihil aliud volo quam *Christum* dictum esse *Chrestum* ea tempestate, qua inter Deos est relatus; & inde argumentum deduco firmissimum, factum hoc calumniæ non debere adscribi, sed puræ putæ ignorantiæ. At dicat jam aliquis: unde hæc ignorantia? Fateor alicujus momenti esse hanc quæstionem, quæ cum a nemine hactenus (me scio) tacta ne dicam tractata, meretur quidem, ut examinetur accuratius. Rationem dabo, si non apodicticam, saltem vero simillimam, ea vero petitur ab Hebraismo vocabuli Χριστὸς ea significatione sumti & personæ applicati, qui vocem a proprio sensu adeo abalienavit, ut eam Græcia pro sua non agnoverit, atque eapropter similem apud se ipsam quæsierit. Antiquissimus apud quem vocem Χριστὸς invenio, est Æschylus, ita ille [12].

οὐκ ἦν ἀλέξημ' οὐδὲν οὐδὲ βρώσιμον
οὐ χριστὸν οὐδὲ πιστὸν

Non erat pharmacum aliquod neque esculentum

Neque unguentum neque liquidum

Sic Euripides [13] Πότερα δὲ χριστὸν, ἢ ποτὸν τὸ φάρμακον *unguentum, an pharmacum potulentum*, & Theocritus [14] Scholiastes Aristophanis [15], Scholiastes Æschyli [16], aliique. Nusquam vero personam Χριστὸν dictum (licet non sine attentione quæsiero) hactenus mihi reperire licuit; at multos *Chrestos*; ut enim seponam Philosophum *Chrestum* (de quo Philostratus) recte observat Alexander ab Alexandro [17] *Chrestos* eos dici solitos, qui bonitate præ cœteris excelluerunt; inde quoque ob insignem vitæ probitatem titulum hunc sibi meruit Phocion, atque hinc est, quod Ethnici adnimadvertentes nos Salvatoris nostri insignem misericordiam nunquam non deprædicantes, crediderint

usita-

[10] l. 7. c. 11.
[11] l. 2. c. 2.
[12] in Prometheo vincto.
[13] in Hippol. v.516.
[14] Idyll. 11.
[15] in Archarnanes.
[16] ad locum Promethei vincti.
[17] genial dier. l. 2. c. 12. p. 124.

usitato eum decoratum encomio & *Chrestum* vocitatum. Accedit huic pronunciatum olim eodem fere modo η & ι. imo unum sæpius loco alterius scriptum, prout liquet ex antiqua inscriptione, quam Diodoro & Plutarcho ante memoratam adducit Kirkerus [1] ΙcΙc ΕΓΩ ΕΙΜΙ ΠΑΝ ΤΟ ΓΕΓΟΝΟΣ ΚΑΙ ΩΝ ΚΑΙ ΕΣΟΜΕΝΟΝ ΚΑΙ ΤΟΝ ΕΜΟΝ ΠΕΠΛΟΝ ΟΥΔΕΙΣ ΘΝΙΤΩΝ ΑΠΕΚΑΛΥΨΕΝ: vides hic ΘΝΙΤΩΝ pro ΘΝΗΤΩΝ, manifestissimo indicio Ι sæpius pro Η usurpatum. Nec acquiescam ante quam vocem CHRESTUS ab Antiquis CHRISTUS scriptam probaverim, notus est locus ille Capitolini [2] *Omnes qui libere fabulabantur, Chrestologum Pertinacem vocabant, quod bene loqueretur & male faceret*: habet hic Palatinus codex *Christologum*, more (ut erudite notat Salmasius) [3] scribendi illa ætate consueto; sic Dioclitianus pro Diocletianus, Apologiticum pro Apologeticum, energima pro energema, peripsima pro peripsema. γλήχων aut γλίχων, δημήτελος aut διμίτελος. sic quoque in Codice 4. Evangeliorum Basileensi Matth. 11. v. 30. pro Χρηστὸς scribi Χειστὸς erudite notat Wetstenius. Hanc vero sententiam ut eo magis stabiliamus, non abs re credimus fore, si produxerimus duas regulas, quæ in grammatica Basilii M. operibus adjecta reperiuntur, & ita se habent: Τὰ διὰ τȣ̃ ιστος ὀξύτονα ἔιτε προπαροξύτονα διὰ τȣ̃ ι γράφεται, ὀξύτονα μὲν ὃιον πιστὸς, Χριστὸς, πλὴν τȣ̃ χρηστὸς, ἡστὸς, στηστὸς. στειστὸς δὲ κόσμος γυναικεῖος, ὀστειόμενος, δίφθογγον. προπαροξύτονα δὲ ὃιον κάλλιστος, βέλτιστος καὶ τὰ ὅμια· πλὴν τȣ̃ ἔυχρηστος, ἄχρηστος, ἅτινα διὰ τȣ̃ Η γράφονται· ἔυπειστος δὲ κ̀ δύσπειστος δίφθογγον. *Desinentia in* ιστος *acutum in ultima vel antepenultima habentia per i sunt scribenda ut* πιστὸς χειστὸς. *Excipe* χρηστὸς *per* η *&* στειστὸς *per diphtongum exaranda: acutum in antepenultima ferunt* κάλλιστος βέλτιστος, *exceptis* ἔυχρηστος ἄχρηστος *quæ* η *in medio habent, &* ἔυπειστος *ac* δύσπειστος *quæ diphthongum postulant*. Deinde πᾶσα λέξις ἀπὸ τῆς χρι συλλαβῆς ἀρχομένη διὰ τȣ̃ Ι γράφεται ὃιον χριστὸς, πλὴν τȣ̃ Χρηστός ὁ ἀγαθὸς. *Omnis vox a incipiens per* ι *scribitur ut* Χριστὸς, *præter* Χρηστὸς *per* η *bonus*. Quam manifeste Χρηστὸς a Χρι incipere & in ιστος terminari dicitur, ob solam quippe pronunciationem. Nam si per η pronunciari id deberet, non hercle excepisset id ab iis quæ ιστος sonant. Liquet igitur similem fere enunciationem fuisse vocum harum Χριστὸς & Χρηστὸς, , adeo quidem ut facillimo negotio confundi potuerint inprimis ab ethnico Messiæ penitus ignaro. Liquet præterea ipsos Christum nostrum Chrestum scripsisse, quod tamen perinde ac Christum enunciarunt; & quidem ita, ut differentiam fere nullam Christiani cum ipsis loquentes potuerint observare; id quod gentes in errore admodum confirmavit, cum nunquam emendati, quod ab iis pronunciabatur scribendum quoque esse crediderint. Sed apage cum istis, satis diu in hisce morati sumus; & quidni cum Clemente Alexandrino [4] concludimus: ὁι ἐις Χριστὸν πεπιστευκότες Χρηστόι τε ἐισὶ τε κ̀ λέγονται. *Credentes in Christum, Chresti tam sunt quam dicuntur?*

Hactenus primam interpretum hallucinationem circa præsentem locum animadvertimus, restat ut adhuc aliam audiamus; is autem suo se indicio veluti sorex prodit, ubi ita commentatur Schildius: *sic Christianos appellatos frustra negant, docet hic locus & Arrianus* [5] Meliorem exspectassem explicationem a viro citra omnem controversiam eruditissimo Samuele Pitisco, cujus splendidas in Svetonium notas una cum authore ipso multo suspectu veneror, sed unam ille cum reliquis fovet sententiam. Ignoscat mihi vir Illustris, si nunquam animo meo persuadere potuerim, Judæos & Christianos a gentibus confusos. Nullum apud auctores (quos legi hactenus) locum reperi, qui id mihi persuaderet, sane id certissime affirmare ausim, non magis Arrianum loco a Schildio citato de Christianis loqui quam de Sauromatis, Scythis &c. Tres præter alios loci sunt quos haud aliter ac Medusæum caput objicere solent contrariæ sententiæ patroni, unus est Svetonianus noster, alter iste Arriani, tertius exstat apud Ulpianum: singulos examinabimus, & quidem agmen ducet hic Svetonii [6]: *Judæos impulsore Chresto Roma tumultuantes expulit*, Quis re accuratius expensa dicat Christianos impulsore Christo tumultuatos? Quando tumultus iste accidit? Utrum ante an post conversionem? non post, sed ante vel in ipsa conversione, quæ per se incredulis tumultus nomine venire potuit, atqui tum impulsor Salvator noster audiit, qui tamen pacis evangelium ubique prædicavit. Non equidem ignoro dicturum hic aliquem hujusmodi convertendos re non amplius Judæos fuisse, at quæro an tales καρδιογνώστας gentilium Historicos credat, ut Judæos conversionem meditantes ab aliis dignoscerent, ut suo quosque nomine insignirent. Objiciat porro severum illud diploma quo cautum a Tiberio ne noceant Judæis Romani, quodque a Josepho descriptum [7]. Sed cum conditiones, sub quibus hoc diploma datum, a Ju-

[1] in Oedip. Tom. p. 152.

[2] in Pertinace.

[3] ad locum in Pert. Capitolini.

[4] Strom. 1. p. 268.

[5] l. 2. c. 9.

[6] in Claudio c. 25.

[7] lib. 19. cap. 4.

Judæis violatas memoret Oroſius [1], non mirum ſi eapropter puniti ſint, & in odium Romanorum incurrerint; at vice verſa, cultum a Tiberio Criſtum aut ſaltem dignum Divino honore habitum antea diximus, qui ergo tanto Chriſtianos odio proſequeretur? Neutiquam Chriſtianos hic intelligendos crediderim, prout nec in loco Arriani, qui ita ſe habet [2] Τί ὑποκρίνῃ Ἰουδαῖος ὢν Ἕλληνας, οὐχ' ὁρᾷς, πῶς ἕκαστος λέγεται Ἰουδαῖος, πῶς Σύρος, πῶς Αἰγύπτιος, καὶ ὅταν τινὰ ἐπαμφοτερίζοντα ἴδωμεν, εἰώθαμεν λέγειν, οὐκ ἐστὶν Ἰουδαῖος, ἀλλ' ὑποκρίνεται ὅταν δὲ ἀναλάβῃ τὸ πάθος τὸ τοῦ βεβαμμένου καὶ ᾑρημένου τότε καὶ ἐστὶ καὶ λέγεται Ἰουδαῖος. *Quam ob cauſam Græcum ſimulas cum ſis Judæus? annon vides quare unusquiſque dicitur Judæus, quare Syrus, quare Ægyptius? at quando conſpicimus aliquem incertarum partium, Judæus non eſt, dicere ſolemus, ſed ſimul ac affectum induit baptizati & inter ſectatores adſciti, eſt & revera dicitur Judæus.* Incidit olim in hunc locum Vir Clariſſimus Dionyſius Petavius, qui confuſos hic cum Judæis Chriſtianos autumat: ita enim ille [3]: *cum circumciſio proprius ſit Judaiſmi character, magnaque Chriſtianorum pars e Judæis erat, crediderunt, Gentiles Judæos omnes & circumciſos & baptizatos eſſe debere;* nec multum accuratius Lipſius [4] τοῦ βεβαμμένου, *qui ergo baptizati præter Chriſtianos?* Valde miror Lipſium Dæmonium illud hominis, & in antiquitatibus adeo verſatum putaſſe neminem niſi Chriſtianum baptizari ſolitum, cum tam apud Græcos quam Judæos baptiſmus ſit notiſſimus. Græcis eum fuiſſe familiarem docebit Tertullianus [5] & Norinus [6]; Judæis quantopere placuerit, exinde liquet, quod ſine eo nullos Proſelytos (nam de iis hic Arrianus loquitur) Synedrium majus receperit. Non eſt ut de cœremoniis iſtis, quibus in Judæorum Gentiles numerum recipiebantur, diſſeramus operoſius. Loquatur tribus aut quatuor verbis Maimonides [7]: *Tribus rebus Iſraelitæ ingrediuntur fœdus, circumciſione, baptiſmo & Korban: eodem modo ſi Gentilis vel Chriſtianus ad fœdus admitti voluerit, & hoſpitari ſub alis Majeſtatis Divinæ, & propterea receperit in ſe jugum legis, neceſſe habet, ut circumcidatur, baptizetur, & offerat* Korban: *ſi fœmina eſt, baptiſmus, & Korban ſufficiunt.* Inſtituta hic ſimpliciter recenſet, neceſſitatem eorum probat alibi [8] גר שמל ולא טבל או טבל ולא שמל אינו גר עד שימול ויטבל *Proſelytus, qui circumciditur nec tamen baptizatur, aut qui baptizatur, nec circumciditur, nequaquam Proſelytus eſt habendus, antequam & circumcidatur, & baptizetur.* Imo circumciſus & non baptizatus, referente Chriſtiano Gerſone, pro Samaritano habebatur. En verba Arriani recte explicata! en neceſſitatem baptiſmi apud Judæos! & quidem tantam, ut ſine eo neminem, aliquos vero ſine circumciſione acceptatos legamus; ſi enim [9] quis antea circumciſus eſſet, quamvis iſta circumciſio illegitima apud eos habebatur, tamen non impediebat, quo minus Proſelytus evaderet, modo baptiſmi particeps fieret. Probet hæc Rambam [10] ניכרת הגיד אין מילתו מעכבת מל התגייר וסהיליה בטבילה &c. *Abſciſſum ei forte erat antea membrum virile, id non obſtabat, quo minus Proſelytus fieret, ſufficiebat in ſpecie ſolus baptiſmus.* Tritiſſimum inſuper illud axioma אין גר עד יטבול *non eſt Proſelytus quis uſque quo baptizetur;* & diſputatur in Talmude Babylonico [11]: *Proſelytus, qui baptizatur, & non circumciditur, quid de eo? Rabbi Joſua dicit: ecce ille eſt Proſelytus, nam ſic reperimus de ancillis, quæ baptizatæ ſunt & non circumciſæ; at ſapientes dicunt, baptizatur, & non circumciditur, aut circumciditur, & non baptizatur, non eſt Proſelytus uſquedum circumcidatur, & baptizetur.* Imo, ſi Abenezræ, aut potius Ligthfooto Abenezram citanti credimus, a Jacobo primum hic baptizandi ritus introductus eſt; en ipſiſſima Lightfooti verba [12]: *Primum ejus uſum in hunc finem ego Patriarchæ Jacobo adſcriberem Sichemitidas puellas, alioſque, qui jam apud eum verſati erant, Ethnicos in familiam Eccleſiamque ſuam cooptanti. Dixit Jacobus Familiæ ſuæ omnibuſque, qui cum eo erant: amovete a vobis Deos alienos, & mundamini, & mutate veſtimenta veſtra* [13]. *Quid ſibi velit vox iſta* והטהרו & mundamini, *optime interpretatur Abenezra* שירחצו הגוף *nempe lotionem corporis vel baptiſmum, quod vel ſuadet ipſa ratio.* Hactenus Lightfootus, qui an recte conjecerit, videant eruditi: nos & hæc & parallelismum, quem inter baptiſmum Proſelytiſmi & Chriſti [14] inſtituit, cum grano ſalis omnino accipienda una cum magno harum Antiquitatum ſtatore Pfeifero [15] credimus. Eat nunc Petavius & cum Lipſio baptizari Judæos contra omnem veritatis ſpeciem neget, niſi malit Tertulliano Judæos quovis die baptizari probanti [16] minerval perſolvere, & ſimul fateri de Judæis, non Chriſtianis hic Arrianum loqui, uti & Ulpianum [17], qui ultimo reſtat ſolus, ut audiatur. Ita ergo ille: *Eis, qui Judaicam ſuperſtitionem ſequuntur, D. D. Verus & Antoninus honores adipiſci permiſerunt.*

[1] lib. 7. hiſt.
[2] l. 2. c. 9.
[3] ad Themiſt. Orat. 12.
[4] ad Annal. Tacit. lib. 5.
[5] adv. Hæret. c. 40.
[6] in Sinagog. l. 4.
[7] Hilc. Iſſ. 13. n. 1. 4. 5.
[8] Shule Aruch. lib. Jor. Dea c. 268.
[9] p. 243.
[10] Shul. Ar. 2. J. D 268.
[11] Jevam fol. 46. a.
[12] oper. Tom. 2. p. 265. col. 2.
[13] Gen. 35. 2.
[14] p. 268. 169.
[15] Spec. Antiqu. c. I. p. 5.
[16] libr. de decurionibus.
[17] in libr. 13. annal. Tacit.

Nescio qua fronte Judæos hic pro Christianis poni asserere audeat Camerarius, ne unicam quidem adducens rationem præter solam Lipsii conjecturam, qui [1] *Pomponiam Græcinam superstitionis externæ ream, Judaismi accusatam* dicit; *seu, ut tunc confundebant, Christianismi*. Sed cum evulsum radicitus sit, quod rationis fundamentum jecerat Lipsius, locus iste Arriani ruit quoque sponte asserto; & sane non admodum saevisse Christianis Antoninum, nisi forsan sub finem imperii, loquitur effusus tot innocentium Martyrum sanguis. Quis præter Antoninum, Papam Telesphorum, cum sedisset annos 12. corona Papali, mulctavit ac iterum martyrio coronavit? Quis Januarium plumbatis occidi, Felicem & Philippum fustibus ad necem cædi, Sylvanum præcipitio interimi, Alexandrum, Vitalem & Martialem omnes ob solam religionem Christianam capite truncari permisit [2]? Quis matrem horum septem, toties jam martyrium passam, quoties unum e filiis occisum viderat, internecioni dedit? Solus Antoninus [3] veritus ne ab immani Antiocho [4] tyrannide superaretur: quem seniorem demum & simul saniorem factum ab omni immanitatis suspicione non facile absolverim, licet edictum ejus memoret Eusebius [5] hanc fere in sententiam: ***Si quisquam posthac negotium Christianis qua Christianis facessere perrexerit, is, qui defertur, ab accusatione sit liber, etiamsi talis esse deprehenditur; at delator capite plectatur***. Ut enim taceam peremptos a sociis Antonino Philosopho & Vero, Polycarpum [6] Justinum [7] Attalum [8] Anicetum [9] Blandinam, [10]: causa hujus constitutionis ab Eusebio [11] additur: *quia ipsi mortem vitæ præferunt*, & eapropter deleri non possunt; quæ sane admodum mihi crudelis videtur, & ad removendam immensæ tyrannidis suspicionem omnino inepta; nam vita aliquem donare, cui mori voluptas est, non major misericordia quam interimere eum, cui vita cordi: novit hoc olim Seneca Tragicus [12] qui ita Electram & Ægysthum introducit colloquentes:

Electr. *concede mortem*, Ægyst. *si recusares, darem*:

Rudis est tyrannus, morte qui pœnam exigit.

Electr. *mortem aliquid ultra est?* Ægyst. *Vita, si cupias mori*.

& alibi [13] *occidere est vetare cupientem mori*. Sed sit vel ita: mutavit postea mentem Antoninus; Christianos interfici, & injuria affici vetuit; quænam causa? cur in una constitutione eos Christianos, in altera Judæos vocaret? Posset forsitan adhuc aliquis dubium movere, quod dicatur hic Judaica superstitio, & superstitio sit quasi superstitum cultus, qui a gentibus Christianis adscriptus, Judæis non item; de iis enim Festus [14] Paulum monet esse quosdam, qui eum περὶ τῆς ἰδίας δεισιδαιμονίας *convenire cuperent*; at de his Tacitus [15] *Judæi mente sola unumque Numen intelligunt*. Sed nihil omnino hæc ad rem faciunt. Nam, ut taceam, in Concilio Aurelianensi quarto vetari Judæos, ne ad Judaicam superstitionem Christianos adducant, quod videre est in Tomo Conciliorum 11. p. 627. quis nescit multa de Mosis, Bacchi aliorumque cultu Judæis a Tacito, Plutarcho cœterisque affictа? quis nescit credidisse Gentes metum quendam Judæorum sacris immixtum, & arbitratas sine coactione aliqua tot cœremonias observari non posse? At secundum Maximum Tyrium, & Plutarchum [16] in eo differunt pietas & superstitio, quod hæc metu alatur, illa secus. Ita Tyrius ὁ εὐσεβὴς ἔρχεται πρὸς Θεὸν ἄνευ δέους, ὁ δεισιδαίμων μετὰ πολλοῦ δέους. *Pius venit ad Deum sine metu, at superstitiosus cum ingenti metu*. Ita Plutarchus: ὁ ἄθεος οὐκ οἴεται εἶναι Θεοὺς, ὁ δεισιδαίμων οὐ βούλεται. *Atheus non credit esse Deos, at superstitiosus non optat*. At de Judæis Juvenalis: *Judaicum ediscunt & servant ac metuunt jus*. Sed manum de tabula, satis diu præfati sumus, est ut rem ipsam aggrediamur.

[1] in libr. 13. annal. Tacit.
[2] Osiandr. in Hist. Eccl. cent. 2. lib. 2. c. 3.
[3] August. de civ. Dei.
[4] Mach. 7.
[5] lib. 4.
[6] Irenæus lib. 3. c. 3.
[7] libr. 4. cap. 6. & 10. Eusebius.
[8] Niceph. libr. 4. c. 17.
[9] Eusеb. lib. 5. c. 24.
[10] Euseb. l. 4.
[11] ibidem.
[12] Agamemn. act. 5. scen. 3.
[13] Thebaid. act. 1.
[14] Actor. 25. 19.
[15] Histor. lib. 5.
[16] apud Hammond. in tractat of superstition. p. 108.



CAPUT

CAPUT SECUNDUM

Taciti error & incogitantia. Appellatio Filii Dei non denotat Angelos, nec Magnates, sed populum Dei sanctamque Sethi propaginem. Filii in S. S. sæpius ponuntur pro Discipulis, ut filii Prophetarum. Populus Dei vel ab ipso Deo vel Adamo edoctus. Hebræi ab Heber dicti, quo tempore linguarum confusio accidit. Abenezræ sententia. Abravanelis sententia de nominis Pelegi origine laudatur. τῶν 70. error. Eusebii error. Seldeni fluctuatio. Characis de nomine Hebræorum sententia. Israelitæ dicti ab Israel, quod nomen gentilibus notum, Abrahamo applicatum. Dicitur quasi dominans cum Deo, non quasi videns Deum; quod bene probant Glassius & Hieronymus. Judæum nomen non nisi longe post tempora Roboami ortum. 12. Tribus conjunctim nunquam Judæi dicti. Ingens hac de re Eusebii error. Sententia nostra probatur auctoritate Sanhedrin & Josephi. Ambrosii palpabilis error.

NUlla unquam conjectura assequi possum, quid in animo habuerit Tacitus, ubi primas Judæorum sedes & appellationis originem describere aggressus est, cum antiquitatis hujus plane ignarus nullis suffultus præsidiis non potuerit non summis in tenebris cœcutire. Sane si tacuisset, & hasce affanias æterna nocte damnasset, melius ipsum existimationi suæ consuluisse crederem. Apparebit propediem non levis oculatissimi cœtera scriptoris ἀβλεψία quem ad modum sibi ipsi contradicat, & quæ nuper asseruit, iterum neget, adeo quidem ut eum omni opera nihil agere haud immerito diceres. Atque illud est, quod luci jam exponere decrevimus, ubi in antecessum nomina genti Hebrææ ab ipsis mundi incunabulis imposita examinaverimus; hæc enim nisi præmiserimus, vix nos a sequentibus φλυαρίαις expediemus, adeo intricata, adeo obscura, adeo nullius momenti sunt, ut ipsum Auctorem, quod scripsit, intellexisse non credam.

Primus, quo ipsos in Sacra Scriptura insignitos invenio, titulus est בני אלהים * [1] *filii Dei*: cujus appellationis originem ut eruerent, multi frustra desudaverunt. Sane, quicquid demum e loco Jobi [2] eruant Lactantius, Irenæus, aliique, nihil proficiunt, dum Angelos hic intelligunt, qui idem ut crederet animo suo persuadere potuit: etenim ejusdem furfuris, hoc est, ac Rabbinorum aliud, Adamum 130 annos seorsim ab Eva vixisse, Diabolos vero venisse ad eum, quibuscum consueverit, & Diabolos genuerit, & quatuor mulieres fuisse matres, Sheddim sive Diabolorum, Lilith, Naamah, Ogereth, & Malath. Onkelos & Uzielides hiç vertunt *filios Magnatum*, accipientes vocem eo sensu quo Exod. 28. [3] accipitur. At aliam longe fovemus sententiam, & cum Christianorum plerisque filios Dei esse hic populum Dei & sanctam Sethi propaginem contendimus. Sin appellationis hujus causam sciolus aliquis sollicitus quærat, ea sane in promptu est: dicti ita sunt, quia de vero veri Dei cultu vel ab ipso Deo immediate vel ab Adamo edocti. Quid magis obvium in Sacra Scriptura, quam בני נביאים *filii Prophetarum* pro discipulis Prophetarum, ita quoque בני אלהים *filii Dei* pro discipulis Dei? quod siquis eos a Deo immediate edoctos non crediderit; neque id adeo stricte urgemus, sed omnino putamus præceptorem eos habuisse Adamum, ante a Deo absque omni controversia oretenus informatum, ut jam Seth dicitur Pater filiorum Heberi, quia Heberum ipsum informaverat, postea Pontificem factum, quæ nos expressius & luculentius postea [4], ita quoque Deus dicitur Pater Filiorum Adami, quia Adamum ipsum antea informaverat.

Post hunc titulum antiquissimum fuisse HEBRÆUS certum est, quem syncera vitæ integritate alios longe præcellens *Heberus* toti populo imposuit; etenim tam gentem, quam linguam de ejus nomine dici justum erat, cujus industriæ debebatur, quod lingua illa primigenia sarta tecta in confusione servabatur, quæ accidit anno mundi 1677. Diluvii 100. vel 101. nisi fallitur Abenezra ita scribens [5] והפלגה היתה נראת משקול הדעת כי אחר מאה שנה אחר המבול היתה ונקרא פלג כי בעת הולדו נפלגה הארץ: Vertente illustri Buxtorfio, *videtur ex æquilibrio rationis, quod* 100. *annos post diluvium divisio facta, & Peleg ita dictus, quod tempore nativitatis ejus terra divisa fuerit*. Ista quidem de tempore nativitatis Peleg & confusionis linguarum Abenezræ verba ad-

[1] Gen. 6. v. 2.

[2] Jobi. 2. v. 1.

[3] vers. 22.

[4] lib. 2.

[5] Comment. in cap. 11. Genes.

(*) Justinus Irenæus, aliique vetustiores Ecclesiastici Scriptores opinionem suam ex Græco textu, ubi olim legebatur: *Videntes Angeli Dei filias hominum pulchras esse* . . . hauserunt. Unde excusandi sunt, non injuriis appetendi Scriptores alioquin de ecclesia optime meriti. Nicolaus de Nourri in apparatu ad Bibliotecham maximam SS. PP. tomo 2. §. 17. & Maldonatus Fraț. de Angelis cap. 17. uberrime de hac re disserunt.

admodum approbamus ; at cum dicit Peleg ita dictum, quod tempore nativitatis ejus terra diviſa fuerit, ſententiam Abrabanelis longe præferimus, qui [1] caſu impoſitum Pelego nomen ait, ſed poſtea, cum fieret diviſio terræ, homines id accepiſſe pro omine, ac ſi Divina inſpiratione in futuræ jam jam rei ſignum id accidiſſet ; & exemplum addit Jacobi, qui ita in nativitate vocatus, quia fratrem calcibus percuſſit, tamen ab Eſavo benedictionem ſe ejus fraude amiſiſſe videnre dictum [2] : *vere vocatum nomen ejus Jacob, quia bis me decepit*. Licet enim longe aliter hic opinari Talmudicos ut Avoda Sara [3] Pirke R. Eliezer [4] Juchaſin [5] Seder Olam [6] haud ignoremus, tamen hanc noſtram multis ſtatuminare rationibus in proclivi eſſet, ſi id inſtituti & temporis ratio permitteret. Perinde nobis erit, utrum his in minutiis nobiſcum conveniant alii, necne, modo abſurda ſatis deponatur ſententia, quæ ortum, ni fallor, 70. Interpretibus debet, qui reſpicientes ad illud Joſuæ 2. [7] *ego tuli Patrem veſtrum* מעבר, id eſt, *ex trans fluvium*, Abrahamum primum hoc titulo inſignitum [8] περάτην in verſione ſua vocarunt, contradicentibus Targumim, quæ [9] עבראה dicto huic loco addunt : hæc, inquam, τῶν 70. ſententia poſtea fautores haud paucos invenit, quos inter eminet Euſebius, ἔνθεν, inquiens, ἔρχεται τῶν Ἑβραίων προσωνυμία, Ἑβραῖοι γὰρ οἱ περάται, ἑρμηνεύονται, διὰ περάσαντος Εὐφράτην Ἀβραάμ, καὶ οὐχ᾽ ὡς οἴονταί τινες ἀπὸ Ἑβέρ. *Hinc nominis Hebræorum origo : Hebræi enim* περάται *exponuntur ab eo, quod Euphraten tranſiit Abraham, minime vero ab Hebero, ut nonnulli exiſtimant* *. Nos nec Euſebium, nec 70. hac in parte moramur, quorum errores numero fere innumeros propediem dabimus ; ſed magis Joſepho credimus, aliiſque, quorum *de meliore luto finxit præcordia Titan*, & impenſe nobis gratulamur, magnum Seldenum [10], licet in contrariam propendeat ſententiam, aſſenſum tamen ei, ut fatetur ipſe, præbere non auſum fuiſſe. Eant, qui ſecus autumant, & a vetuſtiſſimo ſcriptore Charace diſcant, Hebræos ἀπὸ τοῦ Ἀβράβωνος dictos : ita autem ille apud Stephanum, περὶ πόλεων [11] Ἑβραῖοι οὕτως Ἰουδαῖοι ἀπὸ Ἀβράβωνος ὥς φησὶ Χάραξ. *Hebræi iidem qui Judæi ab Abrabone, ut dicit Charax*. Utrum Heberum, an Abrahamum denotet corruptus iſte Abrabon, nos ignoramus ; nec id ſcire nos multum juvat, præſertim cum utrumque ab antiquorum quibuſdam acceptatum doceat nos Auguſtinus [12] : *Non fruſtra Heber primus nominatus eſt e progenie veniente de Sem, & prælatus eſt etiam filiis, cum ſit quintus nepos, niſi quia verum eſt, quod traditur, ex illo Hebræos dictos, tanquam Heberæos, cum & alia poſſit eſſe opinio, ut ex Abraham tanquam Abrahæi dicti eſſe videantur*. Perinde nobis erit, quemcunque demum per Abrabonem intellexerit Charax, dummodo probavimus antiquos ſciviſſe Hebræos non ab actu aliquo aut tranſitione denominatos. Sed tranſeant hæc, nos ad ſequentem titulum.

Is autem ex glorioſa Jacobi cum Deo pugna originem traxit ; etenim poſteri ejus *Iſraelitæ*, ipſe *Iſrael* dictus, notum ſatis Gentilibus nomen, licet ſæpius Abrahamo, quam Jacobo applicatum. Tradidit quippe ex Phænicum annalibus Porphyrius [13], Regem Phænicium vetuſtiſſimum *Iſrabel* nominatum, unicum, quem ex Anobreta ſuſceperat, filium Regio decoratum faſtu ſuper aram immolaſſe : quis non videt futili Gentilium Theologia Iſraelem dictum, qui Iſraelis Avus ? Ipſum nomen Iſrael dicitur quaſi *prævalens*, ſive *dominans cum Deo*, ut bene obſervant Leuſdenius [14] & Dietericus [15] : quod quidem ipſo e contextu tam clarum eſt, ut mirer, quid Auguſtino [16], Didymo [17] apud Hieronymum [18] Caſſiano [19] una cum Philone Nazianzeno, Hilario, Proſpero, aliiſque in mentem venerit, cum dictum volunt eum tanquam *Vir videns Dominum* **, quibus omnibus ſolum opponimus Glaſſium [20] cauſam hujus appellationis erudite reddentem, & quidem his verbis : *Jacobo ſuperadditum Iſraelis nomen legitur* Gen. 32. v. 28. *quod nomen compoſitum eſt ex* שרה *principem eſſe, &* אל *Deus fortis. Ratio denominationis in ipſo textu additur : Quia* שרית

[1] comment. in Geneſ. 10. 24.
[2] Gen. 27. 36.
[3] cap. 1. fol. 18. col.
[4] cap. 24.
[5] fol. 8. col. 1.
[6] cap. 1.
[7] verſ. 4.
[8] Gen. 14.
[9] ad locum Gen. 14.
[10] in proleg. ad Synt. c. 2. p. m. 14.
[11] p. 115.
[12] de Civ. Dei. l. 16. c. 3.
[13] Euſeb. præpar. 1. & 9.
[14] Onomaſt. p. in 159.
[15] Antiqu. Sacr. in V. T. p. m. 236.
[16] l. 16. de Civ. Dei c. 13. 39.
[17] l. 2. de Spir. S.
[18] tern. q. fol. 200.
[19] l. 7. de Inc. f. 34.
[20] Gram. ſacr. l. 4. tract. p. 834.

(*) Trhaſonica Vormii verba expendere præſtat. Septuaginta Interpretibus & Euſebio innumeros adſcribit errores, oſcitantiæ, & ignaviæ hic, & alibi accuſat Vormius, & non modo Euſebium, ſed Sanctiſſimos etiam Eccleſiæ Patres imperitos paſſim appellitat. Viro tamen docto & honeſto decet ſuam agere cauſſam non dicteriis, atque ſophiſticis argutiunculis, ſed validis, probabilibuſque argumentis, quod raro ac ferme numquam facit Vormius.

(**) Quæ ſunt, ait Janſenius, præcipuæ hujus nominis rationes Etimologicæ ; una ut derivetur ab *Iſc raah* & *el* quaſi *vir videns Deum*, & hæc eſt communis antiquorum Patrum Orig. Baſilii. Nazianz. Chryſo. Auguſt. & aliorum, ita ut Hieronymus in Trad. Hæbr. dicat eſſe omnium ſermone detritam. Et juxta illos dicendum *Scin* ejus nominis eſſe mutatum in *Sin*. Alteram derivant alii ab *Iſc raah* & *ele*, ſignificat *Princeps cum Deo*, quæ ſententia D. Hieronymo placuit, quodvis primam in cap. 44. Iſa laudet, & approbet. Si Vormius doctrinam Hieronymi admiretur, imitetur quæſo pietatem, & modeſtiam. S. Auguſt. lib. 16. cap. 39. de Civit. Dei, adire juvat, ubi ſatis appoſitam reddit rationem, cur Angelus hoc nomen Iſrael Jacob impoſuerit.

שרית *ut principem te gessisti pugnando cum Deo & hominibus prævaluisti*. Sed quid de hoc plura? Placet cum Hieronymo [1] concludere: *Proprie juxta Hebræos & literarum fidem Israel rectus Dei dicitur; Vir autem videns Deum non in elementis, sed in sono vocis est.*

[1] In Es. 44.

Post longum temporis intervallum scissus est contrarias in partes Populus, & Tribus Juda suam sibi seorsim habere Rempublicam cœpit, quæ, cum supremo Numini non displiceret, de solo Judæ nomine dicta est בית יהודה i.e. *Domus Judæ*, nunquam vero duodecim Tribus in universum *Judæi* dicti sunt, nec adhuc dicuntur nisi Judæ Tribus sola, & qui illi se adjunxerunt, Benjamitæ & Levitæ: id quod nos argumentis firmissimis jam jam probare satagemus. Nil moramur auctoritatem Eusebii, qui [2] hæc verba profert: παραδείγματι δὲ καταδέξη τὸ εἰρημένον. ὡς γὰρ ἐπὶ τῶν Ῥωμαίων ἀρχῆς οἱ μὲν κατ' ἔθνος ἐπίτροποί τε καὶ ἡγούμενοι ἔπαρχοί τε καὶ στρατοπεδάρχαι, οἵ τε πάντων ἀνωτάτω βασιλεῖς, οὐ πάντες ἐκ τῶν Ῥωμαίων ὁρμῶνται πόλεως, οὐδ' ἀπὸ Ῥήμου καὶ Ῥωμύλου σπορᾶς, ἀλλ' ἐκ μυρίων ἄλλοθεν ἐθνῶν, ὅμως δὲ οἱ πάντες βασιλεῖς τε, καὶ οἱ μετ' αὐτοὺς ἄρχοντες, καὶ ἡγούμενοι τὴν Ῥωμαίων ἐπιγράφονται προσηγορίαν, Ῥωμαίων τε τὸ κράτος ἐπωνόμασαι, καὶ ταύτης ἐξῆπται τῆς ἐπωνυμίας. Οὕτω περὶ τῶν καθ' Ἑβραίους χρὴ νοεῖν πραγμάτων. μιᾶς μὲν καθόλου τῆς τοῦ Ἰούδα φυλῆς κατὰ τοῦ παντὸς ἔθνους ἐπιπεφημισμένης, τῶν δὲ κατὰ μέρους ἡγουμένων καὶ Βασιλέων ἐκ διαφόρων καθισαμένων φυλῶν, καθόλου δ' τῇ τοῦ Ἰούδα τιμωμένων προσηγορίᾳ. *Exemplo facile percipies, quod diximus. Quemadmodum enim in Romano imperio gentium singularum Moderatores Rectoresque & Præsides, castrorumque præfecti, quique omnibus illis majores sunt, Reges, haud quidem omnes urbe Roma, neque Remi Romulique satu, sed ex innumeris alii aliunde gentibus orti sunt, & tamen tam Reges revera cuncti, quam qui post illos sunt, Præfecti Ducesque appellati sunt Romani, visque & potestas Romanorum dicitur, atque ex hoc nomine pendet: ita de Hebræorum rebus existimandum est, quasi una quidem Tribus Judæa illustre suum nomen toti genti impertiverit, particulatim vero Duces ac Reges creati ex diversis Tribubus sunt, qui tamen ex communi illa Judæorum appellatione honorem acceperint.* Quantopere hic deliret Eusebius, dudum declaravit Vir stupendæ eruditionis Petrus Cunæus [3]; quapropter in examinandis hisce nugis nolumus morari diutius, sed saltem nominis & appellationis *Judæus* originem luci exponere. Et primum quidem fatemur Tribui Judæ accessisse Levitas Benjaminitasque, cum scissum Israelitarum regnum divisumque fuit: deinde non negamus nomen Levitarum Benjamitarumque fere postea obliteratum fuisse, ipsosque ut pauciores tenuioresque solum pro accessione esse habitos. Recta hæc veraque esse facile concedimus, sed, qui ad reliquas decem Tribus pertineant, non videmus: videant, quibus commentum placuit; nam quod solum Judæorum nomen notum jam sit, & Israelitarum jam diu exsoleverit, non alii causæ adscribendum arbitror, quam quia decem Tribus vi Salmanassaris abductæ nunquam Patriæ solum iterum salutaverunt, sed inter Parthos, Æthiopas, Colchos atque Indos dispersæ graves defectionis pœnas dederunt (*). Non suffecerit mihi hoc dixisse, nisi dilucidis veterum testimoniis rem ita se habere probavero: digna sunt tractatus Talmudici Sanhedrin [4] verba, quæ hic inserantur, prout apud Raymundum Martini [5] exstant: עשרה השבטים אין להן חלק לעולם הבא ראין עתידין לחזור שן ריתשם יהוה מעל אדם תם ונו בער לם הזה רישליכם אל ארץ אחרת לעולם הבא ביום הזה מה היום הזה הולך ואינו חוזר אף הן הולכין ראינן חוזרין: דברי ר עקיבא ר אליעזר אומר מה היום מאפיל ובאיר אף הן כשם שאפלה להן עתידין לאור להן *Decem Tribus non habent partem in sæculo futuro, nec sunt unquam reversuræ, sicut dictum est: Et evellet eos Deus desuper terra sua in ira, & in furore, & in indignatione sua, scilicet in sæculo isto, & projiciet eos ad terram in sæculo scilicet futuro sicut dies ista. Quemadmodum dies ista vadens est; sic isti euntes, & nunquam revertentes. Verba hæc sunt R. Akiba, R. Eliezer dicit, quomodo dies illa obtenebrescit, deinde illucescit: ita & ipsi, quemadmodum obtenebrescet eis, sic futuri sunt ex iis, quibus illucescat.* Quod si obscuri quid prima fronte hic locus præ se ferre videtur, pensabit id omne effatum Flavianum, quod tam clarum est, quam quod clarissimum [6] ὁ δὲ πᾶς λαὸς τῶν Ἰσραηλιτῶν κατὰ χώραν. ἔμεινε, διό καὶ δύο φυλὰς εἶναι συμβέβηκεν ἐπί τε τῆς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης Ῥωμαίοις ὑπακουούσας. αἱ δὲ δέκα φυλαὶ πέραν εἰσὶν Εὐφράτου ἕως δεῦρο μυριάδες ἄπειροι, καὶ ἀριθμῷ γνωσθῆναι μὴ δυνάμεναι. *Reliquus vero omnis populus Israelitarum in sedibus suis remansit, quare tam in Asia, quam in Europa, duas duntaxat Tribus in obsequio Romanorum esse contigit; at reliquæ*

de-

[2] lib. 8. demonstr. Evang. demonstr. 1.

[3] Lib. 1. c. 9. & 10

[4] c. 5.

[5] part. 2. cap. 1. pag. 209.

(*) Quam inanis sit Vormii sententia de Judæorum nomine Vittius ostendit lib. de 10. Tribubus Israel cap. 7. §§. 7. ubi multis, iisque optimis rationibus probat 12. Israel Tribus post captivitatem indiscriminatim Judæos appellari cepisse. Hunc Vittii tractatum habebit lector tom. Thesauri nostri.

decem Tribus etiam hoc tempore trans Euphratem adhuc degunt, quorum sunt infinitæ myriades, plane ut propter numerorum multitudinem nosci haud queant. Apertissime hic dicit mansisse Israelitas in eis sedibus, in quas a Salmanassare dudum erant deportati, & fluvium Euphratem, quem semel transierant, semper eos coercuisse, atque hinc Romanos non nisi solos Judæos (quæ appellatio, ut supra diximus, includit Levitas & Benjamitas) ad obsequium egisse. Atque confutatum jam satis Eusebium arbitramur, cui errorem suum eo condonamus facilius, quo gravius Patrum plerique hac in parte errarunt. Sane, quamvis Eusebio parum hac in parte sanior Antissiodorensis Episcopus Remigius, tamen æque intolerabilis ejus est opinio, cum omnes duodecim Tribus Judæos dictos autumat, licet non nisi post factam secessionem, ita autem verba ejus jacent [1] *Jonas dicit: Hebræus sum, non Judæus sum, quo nomine appellari cœperunt, ex quo decem Tribus a duabus divisæ*. Verum nullus (quod scio) Patrum adeo pueriliter hallucinatus est, ac Ambrosius, cujus proinde verba [2] recitare placet, recitare autem est refutare: *Judæi primum appellari cœperunt a Juda Maccabæo, qui libertatem suæ genti asseruit, cum a Græcis adigerentur in servitutem*. *

[1] ad caput 2. Jonæ.

[2] in comment. ad 1. c. Rom.

(*) Mirum quam diligens Vormius in colligendis perfidiæ suæ testimoniis. Verba, quæ Ambrosii nomine citat Vormius, extant in Comment. ad cap. 1. ad Rom. quæ quidem Commentaria omnium eruditorum judicio Ambrosii non sunt. Vormius igitur crassioris inscitiæ, aut doli mali merito hic arguendus. Vides admonitionem huic Commentario præfixam in Ambr. operibus postremæ editionis RR. Benedict. S. Maur.



G. F

CA-

CAPUT TERTIUM.

DIonis Cassii ingenuitas. Taciti sextuplex error. Judæos vult e Creta ortos. Se ipsum refutat? Unde ejus error? Error 70. Interpretum. Menochius corrigitur. Error Talmudistarum. Hieronymus quam ridicule 70. excuset. Theodoreti error. Unde Taciti error? Quando & cur Judæi nomen immutarunt? Ratio, cur Tacitus erravit? Urbes quædam Cretenses a Judæis conditæ. Quis Steph: Ithan. Cretenses & Spartani fratres. Judæi & Spartani fratres. Sparton Judæus. Grotii error. Idumæi Græcis dicti Edones. Edones, Odones, Odomantes, Edonii, unus populus. Idumæi & Edones cur circumcisi? Alliorum apud Græcos contemptus. Judæi Alliis delectantur, uti & Edones. Edones se ipsos Judæos fatentur. Edonii sunt Idumæi non Judæi, cur? Judæi non peregrinantur. Cur Idumæi se Judæos dixerint? Edones sunt Lacedæmonii & Traces. Cur Religio Græcis θρησκεία dicta? Cadmus, Cananitæ. Cur Cananitæ Cadmonitæ dicti? Cur Cadmi uxor Harmonia? Cur frater Phoenix & Edom idem. Phœnix est ruber, de quo multa testimonia. Cananitæ & Idumæi ab antiquis confusi. Idumæi Lacedæmonis incolæ. Unde Lacedæmonii, unde Spartani dicti? Lacedæmonii se Judæos fatentur. Græcis Hebrææ literæ in bello Trojano usitatæ. Probatur fuse Minoem esse Mosen, & Rhadamantum Aaronem. Augustinus ad profanorum Scriptorum lectionem suos Auditores adhortatur. Divina nomina ad se traxere Græci. Unde nomen ἥλιος? Unde Eliun? Cur is dicitur Genitor cœli & terræ? Unde Ei templo Delphico inscriptum? Unde Il vel El? Unde Eloeim? Unde Sabazius? Unde ἴα ἴε ἢ ἐλελευία & ἴακχε? Unde Ieo: Iao non ex Jehovah. Apud Macrobium significat Bacchum. Jehovah Græcis diceretur ἰεύα, prout quoque dictus est. Unde Jovis? Unde Jupiter? Per Δία antiqui Dei essentiam intellexerunt. Dictum Pauli novo modo explicatum. Ut jurabatur per יהוה a Judæis, ita a Græcis per tetragrammaton. Omnia cognomina Jovis Hebraica. Ut Olympius, Cassius, Hammon, Stercoreus, Sabazius. Octavii & Arnobii scite dicta de Polytheothete. Quod Jupiter sit Moses fuse probatur. Saturnus ab antiquis Il dictus vel El. Quid Eloeim. Omnes Dii unus Deus. Quod Moses sit Saturnus, fuse probatur. Ignem perpetuo ardentem imitati sunt Græci. Quid Græcorum ἑςία & Romanorum Vesta. Gentes oves, boves, capras obtulerunt. Judæi sacrificia non nisi in templo obtulerunt, uti Græci. Parallelismus inter intentionem Judæorum & Græcorum in sacrificiis.

ABsoluto hoc discursu satis quidem prolixo, summopere vero necessario, ad Tacitum nostrum pergimus, qui utinam ingenuitatem a Dione Cocceio s. Cassio didicisset: suam quippe ille rotunde satis fatetur ignorantiam: ἥ τε, inquiens, χώρα Ἰουδαία, καὶ αὐτοὶ Ἰουδαῖοι ὀνομάζονται, ἡ δὲ ἐπίκλησις αὕτη ἐκείνοις μὲν οὐκ οἶδα ὅθεν ἤρξατο γίνεσθαι. *Regio Judæa, gens ipsa Judæi appellantur: id autem cognomenti unde initium ceperit, haud scio* [1]: sed altius sapere Tacitus voluit; ita enim, ut tandem verba ejus audiamus, initio libri 5. differit [2]: *Judæos Creta Insula profugos novissima Libyæ insedisse memorant, qua tempestate Saturnus vi Jovis pulsus cesserit Regnis. Argumentum e nomine petitur celebrem in Creta Idam montem, accolas Idæos, aucto in barbarum cognomento, Judæos vocitari* (quasi Idæos). *Quidam, regnante Iside, exundantem per Ægyptum multitudinem, Ducibus Hierosolymo & Juda, proximas in terras exoneratam. Plerique Æthiopum prolem, quos Rege Cepheo metus, atque odium mutare sedes perpulerit. Sunt qui tradunt Assyrios convenas, indigum agrorum populum, parte Ægypti potitos, ac mox proprias urbes, Hebræasque terras & propiora Syriæ coluisse. Clara alii Judæorum initia: Solymos carminibus Homeri celebratam gentem, conditæ urbi Hierosolymam nomen e suo fecisse. Plurimi Auctores consentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Regem Occhorim, adito Hammonis oraculo purgare regnum, & id genus hominum, ut invisum Diis, alias in terras avehere jussum.* Sex diversissimas sententias recenset Tacitus, quarum singulas sigillatim examinabimus & simul exanimabimus; nam nihil hæ tricæ præ se ferunt, nisi quod uno difflari potest spiritu. Profugos eos & quidem a Creta dicit, nomenque ab accolis Idæis sortitos, aucto nomine, idque fugiente Saturno contigisse. Non animadvertit oculatissimus cœtera Scriptor adductum a se ipso, quo confutaretur, dum Saturni fugam memorat. Etenim, quam antiqua sit hæc traditio, nemo non novit, cum tamen nuper demonstravimus Judæum nomen nisi post deportationem per Salmanassarem factam ne notum quidem fuisse: atqui deportatio ista, regnante (nisi fallor) Romæ Numa Pompilio, contigit. O ma-

[1] l. 36. c. 37.

[2] pag. 590.

O male rebus suis attentum Numam, qui commentitios Egeriæ concubitus tam sollicite finxit, cum fugientem è regno suo Saturnum, Judice Tacito, potuerit consulere! Sed hunc errorem satis alioquin gravem Tacito libentissime condonamus, cum tam luculenta ejus apud Veteres reperimus vestigia, ut non mirum paulo eum corruptiorem factum ad Gentes dimanasse. Nota est ista Palestinæ regio כרית & incolæ כרתי dicti toties in Sacra S. nominati, ut apud Ezechielem [1] הנני נוטא ידי על פלשתים והכרתי את-כרתים. *Ecce ego extendens manum meam super Philisthæos, & succidere faciam τὲς Chrethim*. Et apud Zophoniam [2] הוי ישבי חבל הים גוי כרתים: *Væ habitantibus ad tractum maris genti Chrethim*. Hic 70. Interpretes, nescio qua ratione moti verterunt in Ezechiele [3] quidem: Ἰδὲ ἐγὼ ἐκτείνω τὴν Χεῖρά με ἐπὶ τὲς ἀλλοφύλες, ϗ ἐξολοθρεύσω Κρητὰς: *Ecce ego extendo manum meam super alienigenas & devastabo Cretenses*. In Zophonia [4] vero, Καὶ οἱ κατοικῦντες τὸ χόνισμα τῆς θαλάσσης Πάροικοι Κρητ͂, ϗ ἔσαι Κρήτη νομὴ ποιμνίων: *Væ habitantes funiculum maris advenæ Cretensium, & erit Creta pascuum gregum*. Syrus hic: *Væ habitanti in tractu maritimo populo Cretensi, & Creta erit locus pascuus gregibus pecudum*. Et Arabs: *Væ habitatores oræ maritimæ advenæ Cretensium, fietque Creta pascuum gregibus*. Unde hic error? unde tanta & tam vesana hallucinatio? Sane Menochius eos dictos ab insula Creta *Chrethi* vult, quia vetustissimus Rex Minos eo, scilicet in Palæstinam, coloniam deduxerit: & paucis interjectis: [5] *si dicamus eos a Cretensibus duxisse originem, consequenter etiam est, ut inde nomen habuerint, nec admodum inter se distant voces* Κρῆτες *& Chrethi, præsertim cum videamus in nominibus propriis non parvum incidere imperiti vulgi longa usurpatione discrimen*. Miror adeo nullius momenti verba Virum alioquin non male de R. P. Literaria meritum proferre, & tam ficulneo fundamento superstruere ne probabilem quidem sententiam. Etenim siquis eo insaniæ procederet, ut Cretensium advenas Palæstinam incolere concederet, nonne in confesso nomina Proselytorum statim a conversione mutari, eosque confestim Judæos dici? Novit id olim Dio Cassius [6] φέρει δὲ ϗ ἐπὶ τὲς ἄλλες ἀνθρώπες, ὅσοι τὰ νομικὰ αὐτ͂, καίπερ ἀλλοεθνεῖς ὄντες, ζηλῦσι. *Quin & alii homines, qui secundum eorum instituta vivunt, id (nomen Judæum) gerunt quanquam alienigenæ*. Quid autem 70. moverit, nescio, ut in media luce cœcuirent, eorum quippe interpretatio non majoris momenti est, quam ista Rabbinorum, & inter illos רשי [7] apud Opitium [8] ובניהו בן יהוידע על הכרתי ועל הפלתי תירג׳ יונתן ובנהו בן יהוידע ממנא על קשתיא ועל קלעיא ורבותנו אמרו כרתי ופלתי אורים ותומים: *Et Bnajhu filius Jehojada super Chrethi & super Plethi, Targum Jonathan: Bnajhu filius Jehojada Præfectus erat super sagittarios & fundibularios. At Rabbini nostri dicunt Chrethi & Plethi esse Urim & Thumim*. Æque crassum est hoc Rabbinorum, ac illud τ͂ 70. non magis enim Chreti Urim, quam Cretenses denotant. Quis enim diceret כרתי esse Cretenses, cum sacra S. eos Philistæos aperte doceat, ut post alios erudite probat Bochartus? [9] * Quam tamen τ͂ 70. defensionem valde miror in se suscepisse, cum id tam frigide agat, ut miraculum sit Virum omnem cœteroquin laudem supergressum adeo se ipsum exuisse: en expressissima ejus verba: [10] *Neque puto 70. Interpretes in tanta luce cœcutivisse, & ad Cretenses e Creta Insula voluisse referri loca Scripturæ, quæ pertinere ad Philistæos luce meridiana clarius est, tantum sonum Hebrææ vocis Græcâ simili exprimunt*. Facillime magno Viro hunc errorem condonabo, præsertim cum paulo post [11] sibi ipsi contradicat. *Sed &*, inquiens, 70. *Seniores tanquam recepto errore abrepti in Sophonia, quem citavimus pro* גוי כרתים *gente Cerethæorum, vertunt* παροίκες Κρητ͂, *Advenas Cretensium, ac si e Creta putaverint eos migrasse in Palæstinam*. Quod si retractet hic Bochartus, quæ nuperrime dixit, bene facit, tantum quippe abest, ut 70. sonum saltem voluerint exprimere, ut per has voces ipsos Cretenses voluerint significare, id quod nobis ex universo Patrum vetustiorum consensu probare in proclivi esset. Quam se non torquet Hieronymus, ut τ͂ 70. versionem explicet, quam retinere aut præconceptis opinionibus fascinatus, aut a Magistro suo Judæo persuasus in animo habuit? agnovit errorem, & miro eum modo diluere aggressus est, en ipsissima ejus verba [12] *Ubi nos transtulimus gens perditorum illi dixere* πάροικοι Κρητῶν i. e. *advenæ Cretensium, & quod Hebraice scriptum est* גוי כרתים, *pro* גוי *id est gente legerunt* גר *i. e. advena, & pro* כרתים, *quod*

* Valde sane miror Vormii pertinaciam qui Bochartum 70. defendentem citat, argumenta vero quibus Bochartus utitur ad defendendam vel excusandam versionem 70. astu prætermittit. Expendat quæso lector Bocharti gravissima momenta & judicet jure an injuria Vormius ita agat in Eusebium & 70. Interpretes.

[1] c. 25. v. 16.
[2] c. II. v. 5.
[3] c. 25. v. 16.
[4] c. 25. v. 16.
[5] de R. P. Hebr. c. 10. Q. 111.
[6] lib. 36. c. 37.
[7] ad loc. 2. S. 8. 18.
[8] Apud Opit. dissert. de Chreti &c. libr. 2.
[9] Canaan c. 15. p. 458
[10] Canaan p. 458.
[11] in eadem pagina.
[12] Tom. 5. edit. Parif. 1643. p. 213.

quod dicitur perditorum, nomen Cretæ Insulæ putarunt. Rursum ubi nos diximus: & erit funiculus maris greges Pastorum, scribitur in 70. Καὶ ἔςαι Κρήτη νομὴ ποιμνίων ϗ μάνδρα προβάτων. *i. e. erit Creta pascuum gregum & ovile pecorum. Igitur spiritualibus spiritualia comparantes, & vulgatæ editionis cœptam semel terentes, semitam quærimus, an alibi in Sacra Scriptura nomen Cretæ legimus, & ni fallor, illud in promptu est*[1] *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri, testimonium hoc verum est, qui fluctuant & circumferuntur omni vento doctrinæ in deceptione hominum, in versutia erroris, isti cum debuerint in terra confessionis, hoc est in terra habitare Judeæ, voluerunt magis advenæ esse Cretensium, qui diversis maris fluctibus hinc inde tunduntur, & sunt juxta Apostolum, quasi cymbalum & quia advenæ sunt Cretensium, ideo sermo Dei, id est comminatio fit ad eos - - - ejicientur de Creta, & perdentur de pristinis habitationibus, & illa regio, quæ prius gentem perditorum continebat, incipiet esse ovile Christi.* Hactenus Hieronymus, qui (si juxta Bochartum nihil aliud quam sonum exprimere voluissent 70) illud facillime animadvertisset, & non tanto studio errorem (quem ipse ut ἑβραικώτατος perspicue vidit) mollire studuisset. Certe Patrum aliqui parum in hebraicis versati, hoc τῶν 70 errore abduci se passi sunt, ut idem suis in scriptis prodiderint. Præsto ex multis unicus esto Theodoretus[2] Παρόικους, inquiens, δὲ Κρητῶν ἀποίκους τέθεικε ὡς ἐν παραθαλαττίοις γὰρ πόλεσιν εἰκὸς τινὰς ἀπὸ Κρήτης ἀφίκεσθαι ϗ κατοικῆσαι ϗ Χαναὰν τοίνυν ϗ χοίνισμα θαλάττης, ϗ Κρήτην, ϗ παροίκους Κρητῶν τὰ παραθαλάττια τῆς Παλαιςίνης ὠνόμασε χωρία. i. e. *Advenas autem Cretensium dixit Colonos, verisimile est enim eo quosdam, ut in maritimis urbibus e Creta venisse, ibique consedisse, itaque & Canaan funiculum maris, & Cretam, & advenas Cretensium loca maritima Palæstinæ appellavit.* * Ecce quomodo conjicere soleant Patres de rebus hujusmodi, quotquot sanctæ linguæ operam non dederunt: quod si tale quid illis Christianis accidere potuit, quis miretur Tacito Gentili idem factum esse, cujus erroris sola hæc scaturigo est, quod partim כרית Palestinæ Regio & כרתים Philistæorum nomen ad Cretam & Cretenses alludat, partim Judæorum, uti & Christianorum quidam colonias a Creta in Palæstinam deductas crediderunt? & cum satis constet famam eundo crescere, ita quoque Tacitus non contentus futili eorum opinione, qui partem saltem Palæstinæ incoli a Cretensibus dixerunt, omnes Judæos a Creta profectos memoriæ prodidit, hoc præterea nixus argumento, quod nomen Judæus ab Idæo non multum abludat, sed saltem auctum & leviter mutatum esse videatur. Non sane de nihilo est, quod de mutato nomine innuit; notum quippe satis docere Thalmudicos[3] tria movere Deum, ut sententiam suam mutet, quam super hominibus decrevit, nempe צדקה צעקה שינוי השם ושינוי מעשה i. e. *Eleemosyna, exclamatio, mutatio nominum, & mutatio operum.* Hæc inquam, adeo efficacia crediderunt, ut omne malum, quo suos Deus invisere cogitavit, averruncarent. De tribus mediis nihil hic attingere nostrum erit, sed saltem paucula de mutatione nominis ex eruditissimo Menassæ Ben-Israel, tractatu de termino vitæ adscribere, ita autem ille[4] *tertium remedium est mutatio nominis. Hoc Hebræis familiare est, ut mutent nomen, quando in summo vitæ periculo sunt constituti, idque in Synagoga solet fieri cum singulari quadam cœremonia, & novum plerumque nomen est, quod adhibetur* חיים *vitæ. Ratio, quæ eos movet ut hoc agant, hæc est; nam inquiunt, quamvis mutatio nominis nihil immutet de substantia rei, nihilominus tamen aliquam variationem efficit, quatenus unusquisque ex nomine cognoscitur. Hic proinde ea mutatione nominis volunt significare animi affectum, & propositum mutandæ & emendandæ vitæ, quæ prius talis erat, ut indigni essent, quam ob rem a Deo exaudirentur. Accedit illud, quod dicunt mutato nomine mutari aliquando fortunam, uti in exemplo Abrahæ patet; nam cum ante diceretur Abram, non tanta rerum copia abundabat, quam ex inde auctus fuit, postquam Abraham vocatus fuit. Quid? quod existens* אברם *erat solus* אב ארם *Pater Mesopotamiæ: verum ubi* אברהם *factus est, fuit* אב המן *i. e. Pater nationum mundi.* En verba Menassæ! en traditionem Thalmudicam! unicam literam nomini Abraham insitam, tantam ipsi fortunarum mutationem attulisse: hinc quid mirum, si quoque crediderit Tacitus

[1] Ad Tit. 1.

[2] In loco Zophon. 2. v. 5.

[3] Guem. Rosch hasschana.

[4] Lib. 2. Sect. 8.

* Bona verba quæso Vormi. Magnum extat discrimen inter Patres de Judæis differentes, & Tacitum de eadem gente pueriliter balbutientem. Nam Patres dum Divinas interpretantur Scripturas recta, & sana docent; nec historica facta divinitus revelata unquam inficiantur. Tacitus vero ex profanis lutulentisque hominum commentariis suas narratiunculas conglomerat; ideoque semper labefactare conatur ea, quæ in Mosaicis libris narrantur. Qui plura desiderat, legat dissertationem Kirchimeieri, quæ extat in 1. tom. Thesauri nostri, ubi de Tacito multa inveniet non contemnenda.

citus auctum esse nomen una litera & de Idæo factum, Judæus, idque ut expiaretur adversa ipsis (juxta ejus sententiam) hactenus fortuna, & ne in fugam postea adigerentur.

Hactenus causas tradidimus, quæ Tacitum in tam crassos deduxere errores; nunc aliam rem aggrediemur, & intercedere consanguinitatem aliquam Judæos inter & Cretenses liquido demonstrabimus, ambos ab Abraha ortos rationibus, ut putamus, haud frivolis daturi, nihil moturi de traditionibus antiquissimis attestantibus, urbes quasdam Creticas a Phœnicibus esse conditas, qualis est illa Stephani, περὶ πόλεων [1] Ἰτανὸς πόλις ἐν Κρήτῃ, ἀπὸ Ἰτανοῦ Φοίνικος. i. e. *Itanus urbs Cretæ ab Itano Phœnice*. Quænam hæc sit urbs apud Herodotum & Ptolomæum facile discitur; sed, qualis iste Phœnix fuerit disquirere, hoc opus, hic labor est. Sane si ego Hebraice scriberem Itan, hoc modo procederem איתן quod ex S. Bibliis nomen notissimum, quem, si penes Stephanum fides, urbem in Creta condidisse, Insulamque inhabitasse crederem, atque inde forsan Minois Conjux Diodoro [2] vocatur איתונה *Itona*, quod proinde per ערנא *antiqua* male reddit (ob pronunciationis scilicet diversitatem) Huetius, [3] sed ἐν παρόδῳ hæcce solidiora paramus, modo in antecessum, Lectorem de fraternitate Cretensium & Spartanorum monuerimus, quam notam satis aliqua rerum Græcarum notitia imbutis arbitramur, docebit Strabo [4] sciendi cupidum Cydoniam, Lyctum Gortinam, aliasque Creticas urbes Spartanis originem debere, imo ipsos Cretenses Sparta se oriundos promulgasse certum est, non invitis Lacedæmoniis, quorum existimationi haud parum ipsa hac re probabile accesisse, & veluti Spartanis sua se debere cunabula lubenter profitebantur Cretenses. Ita etiam Cretensibus suas deberi leges, vel ingratiis suis, profiteri coacti sunt Spartani; ipsum enim Lycurgum abiisse in Cretam, indeque suas avexisse leges proditum est, quod haud parva similitudo inter utriusque populi mores confirmavit. Hæc de fraternitate Cretensium & Spartanorum diligenter observari velimus, cum postea dicendis multum lucis fœnerabuntur; etenim si Spartanos Judæorum fratres docuerimus, idem quoque de Cretensibus judicium futurum necessario sequitur, quod ut eo fiat commodius procedat Arius Lacedæmoniorum Rex, qui (forsitan tum temporis in Creta degens, eo enim eum suppetias Gortiniis latum ivisse author est Plutarchus) literas Oniæ Judæorum Pontifici misit hunc fere in sensum [5] Εὑρέθη ἐν γραφῇ τινι περὶ τῶν Σπαρτιατῶν καὶ Ἰουδαίων ὅτι εἰσὶν ἀδελφοὶ, καὶ ὅτι εἰσὶν ἐκ γένους Ἀβραάμ. *Inventum est in Scriptura quadam de Judæis & Spartanis, quod sint fratres, & quod sint ex genere Abrahami*. Quam quoque epistolam, licet sublesta fide, * quod bene animadvertit Huetius [6], recenset Josephus [7]. Sæpius sane suspensum me habuere hæ Arii literæ & reputavi multoties, cum dubie tantum scriptum sit εὑρέθη, anne e fabuloso aliquo scripto hoc, quantum est, desumptum totum sit, & forsitan ex ipsis Claudii Iolai commentariis, quos citat Stephanus περὶ πόλεων [8] Ἰουδαία ὡς Κλαύδιος Ἰόλαος ἀπὸ Ἰουδαίου Σπάρτωνος ἐκ Θήβης μετὰ Διονύσου ἐστρατευκότος i. e. *Judæa secundum Claudium Iolaum, a Judæo Spartone dicta est, qui Thebis cum Baccho militiæ operam dedit*. Sed cum expresse hic Abrahamum nominatum esse animadverterem, omnes ejusmodi conjecturas procul abjeci, remque ipsam penitius inspicere cœpi. Sane displicet, quicquid de antiquis Pelasgis, & eorum ab Hebræo פלגי derivatione commentatur Grotius, cum varia sint, quæ sententiæ ejus contrariantur, quæque hic a nobis, brevitatis ergo, consulto omittuntur [9]. Aliud ad stabiliendam hanc affinitatem omnino quærendum est, quod ut fiat, attentos Lectorum animos nobis pollicemur, nam ab ipsa rem origine repetere cogitamus. Sciendum igitur dari Idumæos legitimos Judæorum fratres, quo titulo num. 20. [10] insigniuntur, in universa propemodum Græcia, præcipue vero Thessalia, Peloponneso, Thracia &c. imo incolas horum locorum fuisse principio Idumæos perspicue dabimus. Quærat eos aliquis & facillime inveniet, si saltem attendat eos, Hebraice scribi אדמם & eorum Patrem אדם *Edom*, quod nomen expressuri olim Græci more solito μ in ν mutarunt, sic ocymum ὤκυμον, אדום in Ἤδων converterunt, אדמם in Ἠδωνοὶ Ἠδῶνες & Ἠδῶναι, prout promiscue scribitur apud Thucydidem, & Tzetzem [11] interdum tamen in hac ipsa ap-

[1] In voce Ἴτανος.

[2] Libr. 4. 5.

[3] Demonstrat. Evangel. Prop. 4. C. 8.

[4] Lib. 10.

[5] 1. Machab. 2. 21.

[6] Propf. 4. c. 8. pag. 173.

[7] Antiq. libr. 13. 9.

[8] P. 148. in voce Ἰουδαία.

[9] Comment. in 1.Machab. 12.

[10] V. 14.

[11] Libro 2. & ad verf. 419. Alex. Lycophron.

* Splendide mentitur Vormius dum Huetium de Arii epistola dubitantem profert. Quam falsa sint hæc, colligere potest lector ex ipso Huetio perque 4. cap. 8. n. 10. Neque ex tali figmento quidquam lucratur Vormius adversus Macchabeorum libros. Nam etiamsi erravisset Arius in suorum spartarum origine investiganda, non inde tamen sequitur libri Auctorem Canonicum, vel minimum a veritate descivisse in describendo ea, quæ egit, aut scripsit Arius. Nam qui factum narrat non mentitur; etiamsi ipsum factum mendosum falsumque esset.

appellatione mutarunt ἠ in ὠ, ut apud Stephanum περὶ πόλεων [1] Ὠδῶνες, interdum ipsum m, non mutatum retinuere, ut apud Herodotum [2] Ὠδόμαντες interdum Ὀδόμαντες: quamquam enim videantur ibi distingui Ἤδωναι & Ὀδόμαντες, tamen id non fit aliam ob causam, quam quia idem populus diversa habuit domicilia, & ea propter unum eorum nomen hoc, alterum illo loco habitantibus tributum fuerit, quamvis revera eadem sint nomina, id quod Lectorem (ni eo attentior sit) facili negotio potest confundere, atque suo hæc illustrabit exemplo Tzetzes [3] Ἠδωνοὶ, inquiens καὶ Ἠδῶνες Θρακῶν ἔθνη, ἀλλὰ οἱ μὲν Ἠδῶνες περὶ θάλασσαν οἰκοῦσιν; Ἠδωνοὶ δὲ τὴν μεσογαίαν, *Edonii & Edones gentes sunt Thraciæ, sed Edones maritimam regionem; Edonii vero mediterranea incolunt*. Ut jam Edones & Edonios, sic Edones & Odomantes unum revera populum sola distinguit habitatio. Hosce vero sive Edones, sive Edonios, sive Odomantes Idumæos esse, suadet, ut antea dixi, etymologia, suadet vivendi ratio utrisque simillima. Circumcisos olim Idumæos quis nescit, cum id observare debuerint, & ut ab Esavo Patre edocti, & ut a Davide iterum informati, ceu probat Josephus [4], Ἰδουμαίους ὑποχειρίους ποιησάμενος, ἐπέτρεψεν αὐτοῖς μένειν ἐν τῇ χώρᾳ, εἰ περιτέμνειν τε τὰ αἰδοῖα καὶ τοῖς Ἰουδαίοις νόμοις χρῆσθαι θέλοιεν, *& omnes Idumæos subjugasse; iis permisisse vero in regione permanere, modo circumcisionem permitterent una cum cæteris ritibus Judaicis?* At Edones eodem signaculo obsignatos eodem modo initiatos docet nos Aristophanes [5] τίς τῶν Ὀδομάντων τὸ πέος ἀποτεθρίακεν. *Quis Odomantum pudenda circumcidit?* Ad quæ Scholiastes ἀποτεθρίακεν ἀνέτιλλε, κυρίως δὲ ἀπεφύλλισε συκῆς. Θρία γὰρ τὰ φύλλα; ἐλιαίνοντο δὲ καὶ ἀπετίλλοντο οἱ Θρᾷκες τὰ αἰδοῖα, καὶ ἀποτετυρμένα εἶχον αὐτά. *Evulsit, & proprie folia ficus detraxit*. θρία *enim sunt ficus folia. Detraxerunt autem pudenda sua Thraces, & habuerunt ea retracta & abscissa*. Id quod etiam movit Aristophanem, ut eodem istos opprobrio oneraret, quo Judæos soliti sunt Gentiles, cum eos ἀπεψωλημένους *Apellas circumcisos* vocat, & eo ipso morem eorum præputia ponendi indigitat. Præter hæc, cibum Edonum, vivendique rationem fuisse Græcis contrariam, at contra Judæis simillimam demonstrabimus. Quis nescit ciborum omnium abjectissima fuisse apud Græcos allia & despicatissimæ vel plebi nauseam moventia? unde Antiphanes apud Athenæum [6] οὐδὲς κρέως παρόντος ἐσθίει θύμον, i. e. *cœpis præsenti carne nemo vescitur*. Salse hic allii vilitas ab Antisthene describitur; nec minus lepide a Cario apud Aristophanem [7] qui pauperrimi, & simul tenacissimi Heri sui miseros sodales alloquens, Ω, inquit, πολλὰ δὲ τῷ δεσπότῃ ταὐτὸν θύμον φάγοντες; *O quam multas cum hero cœpas edistis:* quod Scholiasten quoque movit, ut allium miserorum esse cibum his verbis indigitaret. ἀντὶ τοῦ τῆς αὐτῆς πενίας μετέχοντος. Plura de contemptu allii apud Græcos non vacat dicere: ipse Antiphanes [8] ne quidem eos, qui Pythagorizant, allium amare prodidit. At quanto in pretio fuerit apud Judæos, norunt qui non omnia ignorant. Sane de testimoniis S. Scripturæ Israelitas manna alliis post posuisse clare loquentibus nihil moneam, sed novisse id quoque prophanos demonstrabit Herodotus, [9] Pyramidum exstructores 1600. talenta in alliis consumpsisse inquiens. Quinam vero hic Pyramidum structores intelligantur, ex Josepho [10] facile discitur, si saltem attendatur ad verba ejus, quibus Israelitas ad hujusmodi servilia & ad erectiones Pyramidum coactos asserit. Hanc vero alliorum aviditatem hæreditario quodam jure accepisse Edonios certum est, unde eos ἐσκοροδισμένους non sine ludo Aristophanes vocat, ad quæ ὅτι ἀρέσκονται σκορόδοις, *quod delectentur alliis* prudens Scholiastes observat. Sed ut verum fatear, non ipsa etymologia, non circumcisio, non victus similitudo me movent, ut Edonios eosdem cum Idumæis faciam: alia longe validior balista est, quæ hanc mihi confessionem extorquet, propria scilicet eorum confessio, qua apud Aristophanem [11] φασὶ ἑαυτοὺς εἶναι Ἰουδαίους *dicunt se esse Judæos*. At rogat jam aliquis quidni *Edonios Judæos* potius quam Idumæos facis, cum id, & institutorum ratio, & ipsissima eorum confessio suadeat? Fateor hæc veri quidem speciem habere, at mihi non tam verisimilia quam vera adducere volupe est; etenim nulla cognatio nominum Edonii & Judæi: at quod Edonii & ארמים iidem sint quoad nomen, satis superque demonstratum, & sit vel ita, nihil hæc impediant; quis credat Judæos patrium deseruisse solum, & exteras terras incoluisse, aperte contradicentibus Rabbinis, imo dicente Rambam quisquis extra terram illam moratur, æque reus est, ac qui colit stellas, & planetas, attestanteque Raschi [12] noluerunt Patriarchæ & præprimis Jacobus extra terram Sanctam sepeliri שאין מתי חוצה לארץ חיין אלא בצער גלגול *quia extra terram illam mortui non reviviscunt, nisi moleste per revolutiones?*

[1] In voce Ὠδῶνες.
[2] Lib. 7. 112.
[3] Ad vers. 419. Alex. Lycoph.
[4] Libr. 13. cap. 7.
[5] Acharnan. act. 1. scen. 4.
[6] Deipnos. libr. 2. c. 19.
[7] in Pluto actor. 2. Scen. 1.
[8] Apud Athen. Deipen. libr. 2. c. 19.
[9] Libr. 2. c. 19.
[10] Antiqu. lib. 2. c. 6.
[11] Arharnan 1. Scen. act. 4.
[12] In Gen. 27. 29.

Et sane omni jure Idumæos se vocare Judæos posse nullo negotio liquebit, si saltem Josephum evolvere licuerit; apertissima enim hæc sunt ejus verba [1] Οἱ δὲ πόθῳ τῆς πατρίου γῆς καὶ περιτομὴν, καὶ τὴν ἄλλην τοῦ βίου δίαιταν ὑπέμειναν τὴν αὐτὴν Ἰουδαίοις ποιήσασθαι, κἀκείνοις αὐτοῖς χρόνος ὑπῆρχεν ὥστε εἶναι τὸ λοιπὸν Ἰουδαίοις. *Illi autem patriæ desiderio & amore, & circumcisionem, & reliquam juxta ritus Judaicos vivendi formulam admiserunt, atque eo tempore Judæi habiti sunt.* Satis aperte & dilucide explicat Josephus, non mores solum Judæorum, sed & nomen assumpsisse Idumæos: & non est quod miretur aliquis hoc ab iis factum, cum omnibus id fieri dudum animadverterit Dio Cassius [2] φέρει δὲ καὶ ἐπὶ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους, ὅσοι τὰ νόμιμα αὐτῶν καίπερ ἀλλοεθνεῖς ὄντες ζηλοῦσι, *alii etiam homines, qui secundum eorum mores vivunt id nomen gerunt, scilicet alienigenæ.* Nil mirum igitur Edones, qui Idumæi erant, Judæos se dicere, cum id, salvis Judæorum placitis, facere possent. Restat jam solum, ut probemus Edones Lacædemonios esse, id quod actu non erit difficile. Incoluisse Edones Thraciam certissimum est, &, ut putamus, absque omni controversia: testatur hoc, & locum habitationis disertissime præ cœteris exprimit Apollodorus [3] *Lycurgus Dryantis filius, Rex Edonorum, qui amnem strymonem incolunt*, & paulo post [4] *quod ut Edonii acceperunt ipsum in Pangæum montem deduxere.* Quis jam in geographicis adeo hospes, ut strymonem amnem & montem Pangæum in Thracia sitos nesciat? docent hæc vero præter Apollodorum Herodotus [5] Thucydides [6] Tzetzes [7]; Jam vero omnia, quæ de Peloponnesi originibus traduntur ad Thraciam revocanda esse, dudum observavit, & probavit Salmasius, [8] atque hinc religionem a Thracum diligentia θρησκείαν dictam non male conjicit Etymologicum magnum [9] & confirmat Suidas [10] τὸ τιμᾶν τὸν Θεὸν θρησκεύειν ἐκάλεσεν ὡς Θρᾳκικῆς οὔσης τῆς εὑρέσεως *venerari Deum thracizare dictum, quasi a Thracibus esset inventum.* Sed hisce conjecturis nihil probare cupimus, at mox peculiari ratione Lacedemonios Edonios, id est, Idumæos esse, demonstrabimus. Quærat vero aliquis unde Idumæi in Peloponnesum? quamvis possem ipsorum affinitatem Esavo adscribere, & testem citare Eutychium Alexandrinum ita differentem: [11] *Et duxit Esau e filiabus Canaam fœminam nomine Ada, filiam Elon Hittæi, unde illa inter ipsos progenies*; libet tamen sequi Idumæos Græciam intrantes & ipsissima τῶν Ἑλλήνων monumenta examinare. Præstat

[1] Antiqu. libr. 13. c. 17.
[2] Lib. 38. p. 37.
[3] De Orig. Deor. libr. 3. m. p. 7.
[4] Ibidem.
[5] Lib. 5. 16.
[6] Lib. 2.
[7] Ad Alex. Lycopr. v. 4. 19.
[8] De Hellen. p. 323.
[9] In voce θρησκεία.
[10] In voce θρᾷξ.
[11] Edit. Oxon. pag. 81.

ea propter decantatum illum Phœnicum Ducem Cadmum arcessere: at Cadmum proprium nomen fuisse mihi non credibile, placet cum Dikinsone [12] appellativum facere, & cum Magno Bocharto [13] Cananitas intelligere, Cananitas, inquam, non Cananitam; nam ad Orientalium morem attendo, qui integrum populum sæpe unius nomine exprimunt, sic Assur pro Assyrii, Juda pro Judæi, Israel pro Israelitæ &c. & sic per consequentiam Cadmus pro Cadmoneis qui nominantur Gen. 15. & quos Magnus Bochartus [14] eosdem cum Hevæis facit, eosque eapropter Cadmonim vocatos observat, quia in libro Judicum [15] dicuntur incoluisse montem Hermonem in parte Palæstinæ maxime orientali situm, unde quoque in Psalmo 89. [16] pro orientali sumitur, & quoniam ex hoc monte Hermone Josu. 11. [17] oriundi esse dicuntur, hinc nata fabula de Hermione Cadmi uxore, ut vult Dionysius [18] Τύμβον ὃν ἁρμονίης Κάδμοιό τε φήμις ἐνίσπει & Nicande [19] Σιδονίης Κάδμοιο θεμείλιον ἁρμονίης τε

Tumba quam Cadmi dixerunt Harmoniæque

Sidonii Cadmi monumentum hoc Harmoniæque

Hinc profani Scriptores Cadmum & Hermionem conjuges faciunt ob eam, quam dixi, rationem; quod vero eos serpentes occidisse narrent, id exinde quia pristinum nomen Hevæos rejecerunt, cum, חויא observante incomparabili Bocharto, [20] sit serpens lingua Syrorum. Cadmus autem id est Cadmonitæ adjunctos sibi habuere Idumæos, quod nos ex ipsa antiquitate probare satagemus. Cadmus fratrem habuisse dicitur Phœnicem, apprime! Quid si iste Phœnix ipsissimus Edom sit? Sane quod eadem sint nomina, non dubito, nec quod eædem personæ. אדום rubrum significare cuivis lingua Hebræa notitia leviter saltem tincto notissimum, propter quem Edomum ים סוף dictum a Græcis ἐρυθρὰ θάλασσα. Sane Phœnix rubrum quoque significat; nam φοίνικος & φοίνιος idem quod latinum sanguineus & ruber, denotare optime tradit Salmasius [21] imo vetus Poeta apud Hesychium, φοίνικος ὅπλον ipse interpretatur ἐρυθρόν, & Svidas φοινίξω βάπτω αἱμάσσω πυῤῥόω ἀπὸ τοῦ φόνου ἢ ἀπὸ τοῦ φοίνικος ὅτι πυῤῥός, a Phœnice, quia rufus, in quo tamen Svidæ non crediderim, cum potius, ut a φυλάσσω φύλαξ & χαράσσω χάραξ, sic a φοινίξω φοῖνιξ, non vero vice versa derivavero. Sed quicquid id sit, ad rem certe Strabo [22] διότι Φοίνικες ὅτι καὶ ἡ θάλαττα ἐρυθρά, *ea propter Phœnices vocantur, quia & ma-*

re

[12] Delph. Phœnic. c. 12.
[13] Chanaan. p. 486.
[14] Chanaan.
[15] Cap. 3. v. 3.
[16] v. 13.
[17] v. 3.
[18] In lib. de situ orbis.
[19] In Theriacis.
[20] Canaan cap. 19.
[21] Exerc. Plinian. in Solin.
[22] Libr. 1. Geograph.

re rubrum . Cur hæc diceret , nisi sciret eos ab Idumæis maris rubri accolis ortos ? Et sane cum mare Erythræum ita ab Edomo dici omnes accurati Philologi concedant , Erythram Græcorum eundem esse cum Edomo sequitur : quibus observatis ad Dionysium Periegetem appellamus , cujus proinde verbis totum hunc discursum finio [1] Φοίνικες τῶν δ' ἀνδρῶν γενεῆς οἱ ἐρυθραῖοι δὲ γεγάασιν, *Phænices sunt ex eorum genere qui Erythræi*, id est, ut antea diximus, Idumæi; nam Erythra & Edom idem ; Constat igitur Cadmum , id est Cadmonitas & Phoenicem, id est Phœnicios sive Idumæos socios fuisse & simul Græciam petiisse, quiæ eorum conjunctio adeo arcta fuit, ut ipse Cadmus pro Phœnice id est Cananæi pro Idumæis haberi cœperint . Id sane multis ex Authoribus liquet, & præprimis ex Thebaicis istis Anonymi apud Dikinsonem [2]

Ὥς δὲ Παλαιστίνης μὲν ἀπὸ χθονὸς ἔλθεν Ἀχαιοῖς
Ἰδμοσύνη φοῖνιξ δὲ μὲν Ἕλλαδι Κάδμος ὀπάσσε
Θρεφθεὶς ἐν λογίοισι Παλαιστίνης περάτεσσι.
Sic Palæstina a terra venit Achivis.
Scientia , Phœnix vero hanc Græciæ Cadmus præbuit
Educatus eruditis in Palæstinæ finibus.

En quam aperte hic Cadmus dicitur Phœnix, & quidem educatus in Palæstinæ finibus . Manifestissimo indicio Gentiles scivisse Cadmonios petentes Coloniam in Græcia fuisse mixtos Phœnicibus, id est Idumæis , atque hinc est quod, ut nuper diximus , Cadmum Phœnicem multi prodiderint , ut Tacitus , [3] Zenodotus , [4] Clemens Alexandrinus [5] . Probavimus Idumæos Cananitis mixtos petiisse Græciam ; restat jam ut eos Lacedæmoniam præ reliquis amasse, atque incoluisse demonstremus. Age igitur, præsto sint duo ista nomina , quibus præ cœteris hic populus insigniri solitus est. Lacedemonii & Spartani , unde Lacedæmonii ? sane si probabilibus hic conjecturis uti licet , Lacædemonios Cadmonitarum coloniam crediderim, & ea propter dictos לקדמני Cadmonim cum præfixo ל : ne vero non socii Cadmonitarum Idumæi nullum prorsus apud hanc Gentem sui relinquerent vestigium , placuit quoque locum eorum de nomine vocare, & Spartam dicere; Spartos enim Cadmi socios dictos probat præ cœteris in Scholiis ad Euripidem [6] Androtion [7] διὰ τὸ ἀκολουθήσαντας αὐτῷ ἐκ Φοινίκης Κάδμῳ σποράδην οἰκῆσαι , *Sparti dicti , quia sequuti Cadmum ex Phœnicia varia loca sparsim occuparunt*. Longe alia nominis ratio visa est Amphilocho. διὰ τὸ ἐπεσπάρθαι τοῖς οἰκοῦσιν ἐν Θήβαις *quia dispersi sunt inter Thebanos incolas*. Quid igitur credibilius , quam a sociis , (quos Idumæos fuisse antea dictum) Cadmi Spartis Spartam dictam ? at ne semper conjecturis niti videamur , en ad Authoritatem Stephani περὶ πόλεων appellimus [8] Σπάρτη, Λακωνικὸν χωρίον ἀπὸ τῶν μετὰ Κάδμου Σπαρτῶν , περὶ ὧν Τιμαγόρας φησὶν ἐκπεσόντας δ' αὐτοὺς εἰς τὴν Λακωνικὴν Σπάρτην , ἀφ' ἑαυτῶν ὀνομάσαι. *Sparta urbs Laconica a Spartis Cadmi sociis , de quibus Timagoras ait , eos petiisse Spartam Laconicam & a se ipso denominasse* . En quam aperte confitetur Timagoras fundatam a Cadmi sociis Spartam, cujus quoque vestigia apud eos adhuc dum inveniuntur , cum, probante Pausania [9] in comitio quodam Vario dicto, inter præstantissima antiquitatis monumenta proferant Cadmi & sociorum , ut authorum gentis suæ insignia! Probavimus jam Lacones Judæorum progeniem, probavimus Cretenses Laconum fratres , & sic Judæorum sobolem : quapropter veniam submisse petimus, si in re adeo intricata dilucide satis agere non licuerit. Nihil profecto apud Græcos tot involutum fabulis, ac hæc Cadmi historia: alii quippe Ægyptium eum faciunt, ut Eusebius, [10] alii Phœnicem, ut Plutarchus, [11] alii regis filium volunt, ut Eusebius ibidem: alii coquum , ut Athenæus [12] . Sane si non sufficerent , quæ ad probandam sententiam nostram adduximus, probaremus libenter , quas advexit Cadmus literas mere Hebræas fuisse, quæ, quando abolitæ fuerint , asserere non audemus ; eas vero usque ad belli Trojani tempora in usu fuisse ex Dicty colligitur, qui ita : *Singuli in tabellis , quas ad delegendum belli principem , qui cuique videretur, acceperant , Punicis literis nomen Agamemnonis designant*. Sufficere quidem hæc possent , ad declarandum Taciti & τῶν 70. errorem , quorum ille totam Judæam e Creta ortam vult ; hi vero partem saltem aliquam . Verum enim vero dilucidius adhuc agere constituimus & demonstrare Judices in Creta decantatissimos , & in Deorum numerum redactos Minoem & Rhadamanthum nusquam in rerum natura fuisse ; fabulas vero eorum non esse nisi corrupta historiæ Mosis & Aaronis vestigia , & deinde probare tam Saturnum, quam Jovem (de quibus hic Tacitus) non esse alium quam solum Mosen , & omnia eorum gesta ad solam Mosis vitam referri debere . Sane si post Tatianum , Clementem Alexandrinum , Justinum Martyrem , Nazianzenum, Eusebium , Josephum , operose hic traderemus

[1] De sit. orbis.

[2] Delph. Phœnic. pag. 144.

[3] lib. 11.

[4] De Zenone apud Laertium.

[5] Libro 1. Strom.

[6] Phænifs.

[7] v. 674.

[8] In voce Σπάρτη.

[9] In laconic.

[10] Chronic. libr. 11.

[11] Quæst. sympos. 12.

[12] Lib. 4. Deipnos.

mus quam varie Gentilium Theologia ab historia Judaica sit conflata, actum ageremus, & Homeri recoqueremus Iliada. Non obstitit hac in parte cacozeliæ Diabolicæ ingens Judæorum in vulgandis sacris suis tenacitas, cujus tantum abest eos ut puduerit, ut longe potius mirum in modum ea se jactare haud dubitaverint, quid? quod cum antea declaratum sit Judæorum sobolem Cretenses esse, non mirum si una cum cunabulis Palæstinæ quoque sacra sua debeant. At ad ipsum jam Minoa nos conferamus, visuri quantam cum Mose conformitatem alat: sane comparationem inter eos dudum instituerunt Josephus, [1] & Strabo [2] Minois mater Phœnissa, Mosis parentes Palæstini. Minois leges antiquissimas vult Plato [3] ita & Mosis. Vacavisse Cretenses cœremoniis divinisque mysteriis sub Minoe, proditum est, uti Judæos sub Mose. Idæos & Judæos a Gentibus confusos nuper probatum. Minoi socios adjungunt Scriptores Profani Ideos; Mosis Judæos Sacri. Dii omnes a Creta profecti dicuntur, omnem mythologiam ab Historia Mosaica profectam certissimum. Minos unicum fratrem habuit, habuit & unicum Moses. Minos leges dedit non a se ipso, sed a Deo profectas; leges Mosaicæ non Mosi sed Deo originem debent. Leges in Ida monte Minos accepit; accepit & in monte Moses. Habuit leges suas in tabulis descriptas Minos; habuit & Moses. Libere cum Deo loquutus Minos creditur, uti & Moses. Minoem ϑαλασσοκρατῆσαι prodidit Aristoteles; Moses mare rubrum dicto audiens habuit. Dixisse jus fingitur Minos in rebus tantum obscuris, quarum spissa erat & operosa dijudicatio; ita quoque ex Jethronis consilio non nisi majoris momenti causas egit Moses. Latrocinia Minos exercuisse dicitur; Mosen Ægyptios ante exitum spoliasse constat. Pasiphaes adulterium cum tauro, Israelitarum idololatriam cum vitulo aureo denotat, cum idololatriam fornicationis nomine in sacra Scriptura sæpius venire certum sit. Hisce viri illustrissimi conjecturis nostras subsequentes addere visum est. Jovis filium quidam Minoem faciunt, at eos corripit Homerus [4]

- - τε Μίνως - - *Ipseque Minos*
Ἐννέωρος βασίλευε Διὸς μεγάλου ὀαριστής
Discipulus Jovis nonum hic regnavit in annum.

ita quoque Dei discipulum Mosen haud immerito dixeris, cum semper ab eo eruditus fuerit, tam de iis, quæ coram Pharaone loqueretur, quam quæ ad Tabernaculi erectionem pertinebant. Furtivo partu editus dicitur Minos, uti quoque Moses, qui, quam furtim editus sit, & educatus, e Sacra Scriptura notissimum. Minoem Cretæ hospitem volunt Antiqui, in qua tamen juxta omnium fere sententiam natus est & educatus. Ita quoque Moses natus quidem in Ægypto; attamen revera hospes ibi una cum Israelitis omnibus fuit. Minoem aliquando a suscepta Regni administratione prohibitum, fidei faciendæ ergo se a Diis regnum accepisse, & quicquid voto peteret, ea propter eventurum affirmasse ait Apollodorus; [5] Mosen quoque removere aliquando conati sunt Corah, Dathan & Abiram, cumque illis universus fere populus; at ille regnum se a Deo impetrasse probaturus, signum edi fecit, & quale voluit, assequutus est. Minos serpentem Glaucum filium suum devoraturum occidit, at adveniens Draco alius medicinam attulit, qua defunctum jam filium in vitam revocavit, ut tradit Appollodorus, [6] unde hæc orta est fabula nisi e sola Mosis historia? Notum est serpentes igneos sauciasse lethaliter Israelitas; at erexit alium Moses serpentem, quo viso sanabantur morti jam proximi, ita quidem, ut hic quoque serpens serpentino mederetur morsui. Latuisse matrem Minois, at tandem repertam esse scribit Appollodorus [7]. Latuit initio Mosis mater, sed tandem, adveniente Pharaonis filia, se ipsam prodidit. Minos obtinere se quicquid a Deo petiit, putavit; Moses nullius unquam rei repulsam tulit. Minos natum ex incesto concubitu Minotaurum Labyrintho includi, ibique enecari curavit; Moses, populum, qui cum vitulo aureo fornicatus erat, & cœtera mala patraverat, eremo coercuit. Minos vivus in campos descendisse Elysios creditur; Mosis sepulchrum nemo unquam invenire potuit. Liquet jam primum Cretensium Legislatorem Minoem non fuisse alium quam ipsum Mosen: quod eo ut fiat clarius, dabimus jam Rhadamanthum fuisse fratrem Mosis Aaronem, id quod a nemine antea animadversum credimus. Minoem & Rhadamanthum fratres fuisse omnes produnt Mythologi, Mosen & Aaronem omnes Sacri Scriptores. Rhadamantus Minoe fuit antiquior; nam & didicisse a Rhadamantho Minoem fabulatur Ephorus: ubicunque tamen apud Veteres recensentur, Minos tam dignitate quam ordine prior. Aaron quoque Mose senior, licet semper in S. S. Mosen Aaroni prælatum vides. Temperantissimus hominum fingebatur Rhadamanthus, unde Theognis.

Οὐδ᾽ εἰ σωφροσύνην μὲν ἔχεις Ῥαδαμάνθυος αὐτοῦ.
Non si temperantiam habes ipsius Rhadamanthi.

Aaron

[1] Libr. 2. c. Apionem.
[2] Geograph. libr. 16.
[3] In Minoe.
[4] Odyss. 5.
[5] De Orig. Deor. libr. 3. p. 53.
[6] Ibidem.
[7] Libr. 3. p. 52.

Aaron fuit (uti quoque Moſes) temperantiſſimus, & hominum fere omnium mitiſſimus. Rhadamanthi officium erat, hominum peccata audire & pœnas eis juſtas infligere, id quod indigitat Virgilius [1]

Caſtigatque, auditque dolos, ſubigitque fateri.

Nec aliter Aaron debuit audire homines, delicta confitentes, debuit judicare de lepra, peccatis &c. pœnaſque juſtas infligere. Minos ſæpe dicitur cum Deo collocutus, ut apud Homerum [2] & Maximum Tyrium; [3] at nunquam Rhadamantho hoc accidit, ita Aaronem, *nonne & mihi ſimiliter apparuit Dominus* dicentem, objurgat Deus dicens [4]. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar, at non talis ſervus meus Moſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt, ore enim ad os loquor ei, & non per ænigmata & figuras*. Rhadamanthum, non item Minoem, virgam tenuiſſe cum judicaret, ſcribit Plato [5]; quare non niſi Aaronis virgam intelligi crederem. Peſſime Philo [6] Græcis Moſen magiſtris uſum dicit, cum id reclamet tam hiſtoriæ, quam ipſi antiquitati; literas enim Hebræas ante bellum Trojanum ipſis Græcis in uſu fuiſſe nuper probavimus, & Græcorum nomen tempore Moſis ne natum quidem: vellem ego ſimpliciter convertere, & Græcos Moſe magiſtro uſos dicere. Omnes eorum Dii unicum fere Moſen reſpiciunt, & nihil eorum præ ſe ferunt fabulæ, niſi quod ad Moſaicam referri poſſe hiſtoriam dudum demonſtravit P. D. Huetius [7]. Atque hinc eſt, quod ad lectionem Profanorum Authorum Auditores ſuos adhortaturus Auguſtinus, teſte Ruizio [8] dicere ſit ſolitus; *Si qua contraria Sacris Literis in Gentilium ſcriptis inveniantur, ſi falſiſſima, vel ex ſacris refutata, vel etiam ex vero David, diſce extorquere de manibus hoſtium gladium, & Goliathi ſuperbiſſimi caput mucrone truncare*. Pulchre Auguſtinus, nullum enim argumentum ad convincendos Gentiles fortius datur, quam ex ipſorum ſcriptis petitum, quæ propter admixtas vanitates non debent rejici.

Nemo igitur culpet fœcundi flumina Nili
Peſtifero fœtu, quod Crocodilon alat.

Ait Zoroaſtri Nepos C. A. date mihi ſplendidius & fortius adverſus Ethnicos argumentum, quam cum demonſtratur omnem Deorum hiſtoriam a Sacris Bibliis eſſe profectam: quod quidem facili negotio præſtari poteſt: nullum fere eſt Divinum nomen, quod non ad ſua profani Idola traxerunt. Nonne עליון Græci verterunt in ſuum? ἥλιον Phœnices vero retinuere integrum, & teſte Sanchoniatone [9] vel potius Philone Byblio, narrant Deum quendam Eljun dictum ex uxore ſua Βήρυθ genuiſſe cœlum & terram. Quis tam obeſi naris? ut ipſiſſimum Dei nomen non animadvertat? cum aperte dicitur ἤλιουν καλούμενος ὕψιστος: quod autem additur eum genuiſſe cœlum & terram, id non aliunde oritur quam ex male intellecto Geneſ. 14. [10] אל עליון קונה שמים וארץ *Deus Elion genitor cœli & terræ*, ita puto ab iis per errorem verſum eſſe cum קנה ſæpius generare ſit, ut Zachar 17. [11] & Prov. 8. [12] Nonne illud אהיה per τὸ εἶ Templi Delphici foribus inſcriptum expreſſerunt, de quo integer a Plutarcho conſcriptus tractatus circumfertur, & cujus ſenſum apprime reddit Ammonius [13] dum id eſſe dicit αὐτοτελῆ τοῦ Θεοῦ προσαγόρευσιν καὶ προσφώνησιν, id eſt *ipſam ſibi ſufficientem Dei appellationem?* & paulo poſt non ſine ſale ait: *Deus unumquemque his verbis*, Γνῶθι σεαυτὸν *noſce te ipſum ſalutat, quod non aliud eſt, quam* χαῖρε *ſalve. Nos autem viciſſim reſpondentes Ei* εἶ *id eſt es dicimus, veram, certam, ſolamque ſoli Deo appellationem, qua eſſe dicitur, attribuentes*. Accurate hic Ammonius & noſtræ convenienter ſententiæ, nam non mirum eſt Græcos mutaſſe primam futuri אהיה in ſecundam præſentis, cum אהיה habeat alluſionem ad εἶ, & Græci tam ipſum Dei nomen intactum, quam ejus ſignificationem intemeratam voluerint tradere. Sane reſpiciunt adducta modo Ammonii verba ipſiſſimum illud אהיה אשר אהיה quod homini nulli, dicente ipſo Ammonio, convenit, cum omnes nos ut accurate Ovidius. [14] *Nec quod fuimuſque ſumuſque cras erimus* - - . Nonne אל quoque in ſuum alii converterunt Eleleum? quo nomine Bacchus apud Ovidium [15] inſignitur, *Nyctelelcus Eleleuſque parens*. Alii, ut Phœnices, in ſuum Ηλ, quo nomine Saturnum indigitat Sanchoniathon [16] & ulterius declarat Damaſcius [17]. Et ne aliquod ex Divinis eſſet nominibus, quod Profanis eorum non inſerviret cœremoniis אלהים in ſuum transformarunt Eloeim Ἐλωείμ, aperte Philo Byblius [18] Οἱ δὲ σύμμαχοι Ἴλου τοῦ Κρόνου Ἐλωεὶμ ἐπεκλήθησαν, ὡς ἂν Κρόνιοι, *commilitones Saturni* Ἐλωεὶμ *dicebantur videlicet Saturni*. צבאת in Sabazium Jovem degeneravit, quod ipſi Jovis cultores agnoverunt, cum peregrinam hanc appellationem declarant. Ipſe hercle id confeſſus eſt Cicero [19] dum dicit Sabazium & alios

[1] Æneid. 1. v. 16.
[2] Od. verſ. 3.
[3] Diſſ. 22.
[4] Num. 12. v. 6.
[5] In Gorgia. v. 6.
[6] In Gorgia.
[7] In vita Moſis.
[8] Demonſtr. Evang. prop. 4. c. 3.
[9] p. 182.
[10] Apud Euſebium.
[11] v. 19.
[12] v. 5.
[13] v. 22.
[14] Apud Plutarch. in tractat de Ei.
[15] Metamorph.
[16] Metamorph. 4.
[17] Apud Euſ.
[18] Apud Photium in Bibl.
[19] Vide Euſebium.

alios quosdam peregrinos Deos judicatos apud Aristophanem civitate debere ejici, & id quoque non negavit subsannatorum princeps Lucianus [1] cum Momum introducit quærentem: Ὦ ζεῦ ὁ Σαβάζιος πόθεν. In vicem τοῦ יה successit ἴα ἴε ἴη ἴακχος; nam cum Græci τὸ יה more Hebræorum non potuerunt exprimere, more linguæ familiaris id factum est, quod luculenter satis testatur Hesychius [2] ἴα τὸν Θεὸν σημαίνει παρ' Ἑβραίοις: *ἴα Deum significat apud Hæbreos*, quod postea in ἴη degeneravit attestante Eusthathio [3] τὸ δαιμόνιον ἵλεον ἠξίουν εἶναι ἐπιφωνοῦντες ἴη ἴη *Deum sibi propitium petentes exclamabant* ἴη ἴη, id quod demum in ἴη vel ἴε transformatum, ut testatur Plutarchus ἐλελεῦ ἴε ἴε, ἀναφωνεῖν οἱ παιανίζοντες εἰώθασι, *solent ii, qui Pæana canunt, exclamare* ἐλελεῦ ἴε ἴε; hoc enim tam ἐλελεῦ ἴα quam ἐλεμεῦ ἴακχε originem non aliunde habet, quam ex Hebræorum הללוי יה ut bene observat Heinsius [4] & ex eo describit Dikinson [5] hoc vero ἴα demum ω assumpto, ἰάω dictum est, quod aperte innuit Diodorus Siculus [6] παρὰ δὲ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν Ἰάω ἐπικαλούμενον Θεὸν προσποιήσασθαι τοὺς νόμους αὐτῷ διδόναι. *Apud Phœnices Mosen finxisse Deum illum qui Iao appellatur leges ipsi tradidisse*; hoc enim ad τὸ יה respicere nemo non videt, adeo quidem, ut valde miror, quid nonnullos moverit, qui nomen hoc (scilicet Ἰάω) a τὸ יהוה, deductum putant; nam ut taceam propius id longe ad יה quam יהוה accedere, futile id argumentum est, quod afferunt ex Appollinis Clarii Oraculo apud Macrobium, [7] quod tale est.

> Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον Θεὸν ἔμμεν Ἰάω
>
> Χείματι μέν τ' Ἀΐδην Δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο
>
> Ἠέλιον δὲ θέρευς, μετοπώρου δ' ἁβρὸν Ἰάω.
>
> *Cunctorum summus Divorum habeatur Iao*
>
> *Hic hyeme est Pluto cum ver est Jupiter idem*
>
> *Cumque æstas sol est, cum Autumnus mollis* Ἰάω.

Aperte enim hic Bachus intelligitur, qui a plerisque Gentilium non solum ἁβρὸν, idest mollis, sed εἴνιος dictus est. Miror igitur fascinatos hisce verbis Eruditos credidisse Appollinem hoc nomen יהוה denotare & id pro supremo Numine honorare. Nolo tamen inficias ire יהוה ab Ethnicis pronunciatum; ut enim per Adonidem & Adonæum ארני & ארן indigitarunt, ita quoque יהוה fuisse Græcorum cordatioribus notum certissimum. Nolo jam hic recensere quæ de Jabe, Jevo &c. partim bene, partim secus tradiderunt Fullerus [8] & Erpenius, [9] sed paucissimis saltem tradere, Græcos veram τοῦ יהוה pronunciationem probe tenuisse, sane quod ἄῤῥητον καὶ ἀειδῆ Judæorum Numen vocet Dio Cassius [10] quod ἀνεκφώνετον Patrum aliqui [11] id cum Photio [12] ideo factum non dixerim, quod non nisi a solo Sacerdote, idque in anno semel pronunciatum fuerit, sed potius Theodoti Scholiastæ assentior [13].

> *Dic ubi terra levem cœli superemi-net arcem,*
>
> *Et te posse Dei tetragrammaton anno fari.*

Fatemur id ineffabile quod a nullo nisi linguæ Hebrææ perito, recte exprimi queat, id quod innuit Scholiastes [14] *fatemur id ineffabile, non quod nullus id fari vel dicere possit, sed quia ad plenum id nemo potest exponere, cum sit nomen super omne nomen.* Apprime Scholiastes; nam Græcis si pronuntiaretur, non adeo bene succederet, cum literis, quæ ה & ו & י exacte exprimant, careant; ita igitur ipsis procedendum foret ἰεουά, quod quam belle succedat, nemo non videt. Attamen, quicquid sit, probandum est, eos scivisse Dei nomen ita esse efferendum, testem cito Eusebium [15] Τῶν ἑπτὰ φωνηέντων τὴν ἐπὶ τὸ αὐτὸ σύνθεσιν μιᾶς τινος ἀποῤῥήτου προσηγορίας περιέχειν φασὶν ἐκφώνησιν ἣν διὰ τεσσάρων στοιχείων παῖδες Ἑβραίων σημειούμενοι ἐπὶ τῆς ἀνωτάτω τοῦ Θεοῦ δυνάμεως κατατάττουσιν, ἄλεκτόν τι τοῖς πολλοῖς καὶ ἀπόῤῥητον τοῦτ' εἶναι παῖς παρὰ πατρὸς εἰληφότες. Καὶ τὸ παρ' Ἕλλησι δὲ σοφῶν οὐκ οἶδ' ὁπόθεν τὶς τοῦτο μαθὼν ἠνίξατο, ὧδέ πη δι' ἐπῶν φήσας:

> Ἑπτά με φωνήεντα Θεὸν μέγαν ἄφθιτον αἰνεῖ
>
> Γράμματα, τὸν πάντων ἀκάματον πατέρα
>
> Εἰμὶ δ' ἐγὼ πάντων χέλυς ἄφθιτος ἥτε λυρώδη
>
> Ἡρμοσάμην δίνης οὐρανίοιο μέλη.

Septem vocales in unum idemque nomen conflatæ ineffabiles & arcanæ cujusdam appellationis (ut ferunt) enunciationem complectuntur. Quod quidem nomen quatuor literis notatum Hebræorum natio supremæ Dei potentiæ assignat; idque filii a Patribus acceptum, ejusmodi quid existimabant, ut in vulgus edendum esse non putarent, sed pro arcano habendum. Quin etiam aliquis eorum, qui Sophi, hoc est, Sapientes apud Græcos perhibentur, haud scio unde edoctus, hoc ipsum occulte significavit versibus in hunc fere modum id elocutus.

> *Me septem celebrant elementa vocalia magnum*
>
> *Æternumque Deum, Perpetuumque Patrem.*

Ille

[1] In Concilio Deorum.
[2] In voce ἴα.
[3] Ad Odyss. γ.
[4] Aristarch. sacr. c. 1.
[5] Delph. Phœnic. c. 6.
[6] Bibl. hist. libr. 1.
[7] Saturnal. lib. 1. c. 18.
[8] In Miscellaneis.
[9] In Orat. de Jehova.
[10] P. 69.
[11] Cyrillus Athenagoras.
[12] Epist. 162. p. 218.
[13] In Eclog. 3. v. 213.
[14] Ad Matt.
[15] Evang. præp. lib. 11. pag. 399. c. 11.

Ille ego sum Mundi Chelys incorrupta suaves
Quæ motus cœli tempero sola modos.

En quam plausibiliter hic agitur! Omnes enim 7. vocales voci יהוה Græcæ virtualiter insunt, fuitque tempus, quo omnes Græcorum vocales ad eam ipsam vocem constituendam essentialiter concurrerunt. Credibile quippe admodum antiquam fuisse apud Græcos hanc notitiam circa τὸ יהוה; at ante Simonidis Melici tempora longas vocales ἠ & ὠ, a brevibus distinctas non fuisse docent nos Plato [1] & Svidas: [2] unde haud difficulter concedendum omnes in scriptione simul adfuisse vocales, & quidem hoc modo ιε, η, ο, ω, υα. Quoniam vero de Jove jamjam agere cogitamus, non abs re fore credimus, si paucis Jovis nomen a יהוה ortum esse probabimus. Sane casum ejus rectum olim Jovis fuisse concedunt Ennius, Varro, Hyginus, aliique; id vero nominis debere Hebræis originem agnoscit Romanorum doctissimus Varro [3] qui expresse dicit Jovem esse Hebræorum Deum, id quod post eum bene dixit, & probavit Marinus [4]. Ut igitur Jovis a יהוה, ita quoque Jupiter ab יה quod est contractum a יהוה apertissime Agellius [5] *Jovem Latini Veteres a juvando appellavere, eundemque, alio vocabulo juncto, Patrem dixere, jam quod est in elisis, aut immutatis quibusdam literis Jupiter, id plenum atque integrum est Jovis Pater, sic & Neptunus Pater conjuncte dictus est, & Saturnus Pater, & Janus Pater, & Mars Pater*. Ex his Agellii discitur unde terminatio Pater: at Ju ab Hebræo יה quodque in Ju degeneravit, nuper tradidimus; recte igitur יהוה *Pater* juxta Agellium fit contractum יה *Pater*. Hercle ut יהוה sic & ζεὺς & essentia, & vita dictus est, & Græci per suum Δία verum Jehova sine dubio colere voluerunt, id quod optime colligere licet ex dicto Paulino [6] Ὡς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, quo nomine Aratus intelligi in confesso est; ita enim ille: ἐκ Δίος ἀρχώμεθα; & paulo post τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν: per Δία hic creatorem intelligi luculenter satis ipse Arati Interpres loquitur Ἄρατος κατὰ τὴν κοινὴν δόξαν εἴρηκε τοῦ Δίος τ' ὄνομα ὡς ἂν τῶν ὄντων βάσιν *Aratus secundum communem opinionem Jovis nomen expressit ut entium fundamentum*. Non rejicit hoc nomen Apostolus, neque Jovem cum veteribus Ecclesiæ Patribus, & vitiosum quidem & adulterum ex ipsorum sententia fuisse docet, quemadmodum nec, utrum fabulosus, an naturalis intelligatur, cum Interpretibus quærit, sed potius attendit ad veram significationem τοῦ Δίος, qui quoque a sanioribus Græcis solus vere Deus est habitus, unde Aristophanes eum, Θεὸν κατ' ἐξοχὴν vocat [7] & Valerius Soranus apud Augustinum [8]

Progenitor Genitrixque Deum, Deus unus, & omnes
Jupiter omnipotens Regum Rex, ipse Deusque

Et si liceat mihi hic paulo altius, quam a reliquis factum est Interpretibus, progredi, demonstrandum mihi erit Paulum cum singulari judicio adhibuisse hanc Phrasin ἐν αὐτῷ ζῶμεν, & aliquid eum intendisse, quod hactenus in obscuro fuit. Non loquor jam de Parallelismo inter hunc versum & versus hosce ζῶμεν δὲ ἐν αὐτῷ θνητοὶ τὲ κινούμεθα τὲ ἐσμέν, verum solummodo dicam Paulum ex ipsa appellatione τοῦ Ζεὺς voluisse Græcos erroris arguere: hinc illud ἐν αὐτῷ ζῶμεν, quod adducit, quodque ab iis refutari non poterat, ut nomine τοῦ Ζεὺς indigitatum, id quod aperte profitetur Aristoteles [9] καλοῦσι δὲ τὸν Θεὸν καὶ Ζῆνα καὶ Δία παραλλήλως χρώμενοι τοῖς ὀνόμασι, ὡς καὶ εἰ λέγομεν δι' ὃν ζῶμεν: en ipsam fere Aristotelis Phrasin, qua naturam & nomen Δίος explicat ab Apostolo adhibitam! unde non male Clemens Alexandrinus ad ista Petri verba τὸν Θεὸν σέβεσθε μὴ κατὰ τοὺς Ἕλληνας, *hunc Deum timete, non sicut Græci*, observat: μὴ τοίνυν φησὶ οὐκ εἶπεν Θεὸν οἱ Ἕλληνες, ἀλλὰ μὴ κατὰ τοὺς Ἕλληνας τὸν τρόπον τῆς σεβήσεως ὑπαλλάττων τοῦ Θεοῦ, οὐ δὲ ἄλλον καταγγέλλων. *Non igitur: ne veneramini Deum quem Græci, sed sicut Græci, modum cultus immutavit, non alium Deum prædicavit*. Ex quibus Clementis verbis satis liquet eum credidisse Δία Græcorum eundem cum יהוה Hebræorum, quibus Patris in antiquitatibus versatissimi verbis, si bene, id est, cum grano salis explicantur, non ausim hac in parte contradicere. Hercle quemadmodum יהוה ab Antiquis tetragrammaton dictum est, quia quatuor constabat literis, ita quoties per summum Jovem (qui Græcis Ζεὺς) jurandum erat, hoc modo proponebatur formula: οὐ μὰ τὸν ἀμετέρα ψυχὴν παραδόντα τετρακτὺν. *Non per tetragrammaton quod animæ nostræ fontem dedit* παγὰν ἀενάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν, *in quo perennis naturæ sive æternitatis fundamenta sunt*, hoc est, *non per Universi Creatorem*. Nolo jam numerum Pythagoricum ut inconvenientem huc trahere; sat fuerit enim mihi probasse Antiquos suum ΖΕΥΣ cum יהוה confudisse. Hæc quidem omnia eo fient clariora, quo certius probabimus omnia JO-

[1] In Cratylo. De consf. 22.
[2] In voce Simonides.
[3] Apud Augustinum.
[4] In Arca Noe.
[5] Noctium libr. 5. c. 12.
[6] Act. 17. v. 28.
[7] In Pluto Act. 1. Scen. 1.
[8] c. 9. de Civ. Dei.
[9] In libro de mundo cap. 2.

VIS cognomina Phœniciæ sua debere incunabula. Eminet inter illa OLYMPIUS, quo frequentius nihil in scriptis Gentilium occurrit: unde vero illud, nisi ab ipsissimo Dei nomine שמים, quo ipsum sæpius Deum denotari obvium est, ut Dan. 4. [1] Matth. 28. [2] Luc. 15. [3] *Pater peccavi εἰς τ̃ ὀυρανὸν*, ubi adeo se torquent Patres ignari hujus, ut nihil supra, * φλυαρᾶ nugatur, garrit Ambrosius [4] explicans id per cœlestia Spiritus Dona, & Augustinus per sublimitatem Patris: quicquid sit, non adeo absurdum est Cœlum poni pro DEO, cum ipse Claudianus [5] *quis jam post talia segnis Ambigit, aut nolit cœlo parere vocanti?* Et notus sane Pœnorum Baalsamen Hebr. בעל שמים de quo optime Augustinus [6] Baal videntur punice dicere Dominum, unde Baalsamen est de quo Xiphilinus [7], ὁ Ζεὺς ὁ Βῆλος ὀνομαζόμενος καὶ ἐν τῇ Ἀπαμείᾳ τῆς Συρίας τιμώμενος, ὁ ἐστὶ παρὰ Φοίνιξι κύριος ὀυρανᾶ Ζεὺς δὲ παρ' Ἕλλησι, *Jupiter Belus vocatus, & in Apamea Syriæ adoratus, Phœniciis est Cœli Dominus, Græcis vero Jupiter*. Quam significanter rem exprimit Xiphilinus! & fere in verba Sanchoniatonis jurat; ita enim ille τᾶτον Θεὸν ἐνόμιζον μόνον ὀυρανᾶ κύριον Βεελσάμην καλᾶντες ὅ ἐστὶ παρὰ Φοίνιξι κύριος ὀυρανᾶ, *hunc Deum solum putant cœli Dominum Baalsamen vocantes, qui est apud Phœnices Cœli Dominus*. Celebratus quoque olim JUPITER Cassius, cujus Delubrum fuisse prope lacum Serbonidem proditum est, & quidem in monte Syris, Kazi dicto, id est Terminali, Syriam quippe, & Ægyptum determinante, ut loquitur Herodotus [8] ἀπὸ Κασίε ὄρεος, τᾶ οὐρίζοντος Ἀιγύπτου τε καὶ Συρίαν, *a monte Kazio Syriam & Ægyptum discernente*. Hunc vero Jovem ab isto monte קצי dictum verosimillimum, præsertim cum id mihi ejus statua arguere videtur, quam graphice fatis describit Achilles Tatius [9] προβέβληται δὲ τὴν χεῖρα καὶ ῥοιὰν ἔχει ἐπ' αὐτῇ, τῆς δὲ ῥοιᾶς ὁ λόγος μυστικός, *habet extensam manum & in ea malum punicum; mali autem punici ratio mystica est*. Quam hic rationem? quid mysterii indigitat Tatius? Bene hæc omnia expediit Bochartus, dum probat Incolarum hujus loci Capthoreorum symbolum fuisse כפתור id est *malum punicum*, quod malum manu tenuit Jupiter significans se ortum e Palæstina duxisse, ejusdemque fines tutaturum Hammonem Jovem de cujus cultu Lucanus:

Quamvis Æthiopum populis Arabumque beatis
Gentibus atque Indis unus sit Jupiter Hammon.

[10] Dudum est ex quo Orienti originem debere ab Eruditis animadversum est, sane admodum probabiliter agit Bochartus [11] id vocabulum a minimo Noæ filio CHAMO deducens, qui Ægyptiace Ham & Am, sive Amon dictus est: quod ultimum amplectitur Herodotus [12] Ἀμᾶν Ἀιγύπτιοι γὰρ καλέεσι τ̃ Δία *Amun Ægyptii vocant Jovem*, & significantius Plutarchus [13] ἔτι δὲ τ̃ πολλῶν νομιζόντων ἴδιον παρ' Ἀιγυπτίοις ὄνομα τᾶ Διὸς εἶναι τ̃ Ἀμᾶν, ὁ παράγοντες ἡμεῖς Ἄμμονα λέγομεν. *Insuper autem cum plerique sentiant, proprium apud Ægyptios Jovis nomen esse Amun quo vocabulo exinde deducto Hammonem dicimus*. Unde Jupiter Μυώδης apud Plinium [14] Μύαγρος & Ἀπόμυιος, cui teste Clemente Alexandrino θύεσιν ἠλεῖοι [15] nisi a בעל זבוב τᾶ Ἀκκάρων Θεᾶ, ut vocatur a Nazianzeno [16] & de quo Philastrius: *Muscam, in civitate Accaron dicta, colunt?* Unde Jupiter Stercoreus, de quo Pseudo-Orpheus: Ζεῦ κύδιστε μέγιστε Θεῶν εἰλυμένε κόπρῳ *Jupiter Stercoree Deorum maxime stercore obvolute* & Elias Cretensis [17] *Jupiter ille, est in omni stercore*, nisi a decantatissimo בעל זבול? Unde Sabazius Jupiter, nisi, ut antea dictum, a Sabaoth? Hunc in modum omnia fere cognomina Phœniciæ originem debent, quæ recensere vetat brevitas, cum numerus eorum fere sit innumerus; unde Minucius vel potius Octavius exclamat: *tot Jovis monstra sunt, quot nomina*: & Arnobius [18] *date nobis Mercurium, sed unum, date Jovem, sed unum; nam esse tres Joves, aut Apollines quatuor nunquam facietis fidem, etiamsi testem ipsum citetis Jovem aut Pythium constituatis authorem*: & paulo post [19] *cum a Doctoribus omnes nostris insinuatum acceperimus, in declinationibus Deorum plurativos numeros non esse, quod essent Dei singuli, nec communiter ire per plurimos unius hominis proprietas quiret, immemores vos facti & puerilium disciplinarum recordatione composita, & vocabulis eisdem communes subditis Deos, & cum sitis alias in eorum numero restrictiores, multiplices eos rursus cognominum societate fecistis*. Sed quicquid demum sit, nos unico Jovi attribuemus, quæcunque de

[1] v. 26.
[2] v. 25.
[3] v. 18.
[4] Libr. de 4. Evang. c. 33.
[5] De bello Getzeo.
[6] In Judices quæst. 26.
[7] In Caracalla.
[8] Lib. 3.
[9] De amoribus Clitoph. & Leucipp.
[10] De bell. Pharsal. lib. 3. 1.
[11] Canaan Cap. 1.
[12] In Euterpe.
[13] In tractat. de Iside.
[14] Orat. Seliteut. 2.
[15] Not. ad Nazianz. Orat, 2.
[16] Libr. 9. p. 138.
[17] Ibid. & 134.
[18] De Situ Orbis.
[19] Geograph. libr. 13.

* Ipsius Ambrosii sententiam hic ponere lubet, ut inde Vormii ingenium pernoscat Lector optimus. In verba illa Luc. 15. 16. peccavi in Cælum, & coram te ita loquit. S. Pater: non utique elementum exprimitur, sed peccato animæ cælestia significantur Dona Spiritus imminuta; vel quia ab illius gremio matris Hierusalem, quæ in Cœlis est non oportuit deviari. Hierusalem Cælestis nonne Deus ipse est cum Angelis, & Sanctis suis? Suffundatur igitur Vormius pudore, & reverentia adversus Sanctos Ecclesiæ Patres, & maledicere desinat eos, qui in Ecclesia Magistri, & fidei vindices extiterunt.

de innumeris alioquin tradita, eumque Mosen fuisse perspicue dabimus. Natus in Creta Jupiter fingitur, unde Dionysius Periergetes [1] Κρήτη τιμήεσσα Διὸς μεγάλοιο τιθήνη *Creta Jovis magni nutrix veneranda*. Hauserunt scilicet notitiam Græci de regione Palæstina, כרית de qua sufficienter jam actum; cumque a Palæstina tota profecta sit Jovis fabula, illi eum in Creta finxerunt natum. Recens jam natus Deus a matre occultatur, ne a Patre occideretur, partim ob pactum cum Titanibus, quo omnes occidere filios promiserat, partim quia ipsi prædictum erat, illum a Regno per ipsum esse pellendum. Absconditum a matre Mosen nemo ignorat, idque ob pactum cum Ægyptiis, quo omnes occidere filios promiserat; postea vero Pharaoni etiam a Magis prædictum est ipsum a Mose pellendum, quod apud Flavium discimus. Militasse olim Jovem pro Diis adversus Gigantes proditum est, & duxisse exercitum ingentem eorum, qui in patria ejus exulabant. Exercitum duxit Moses Israelitarum in Ægypto, eorum tamen patria exulantium; quod vero pro Diis pugnaverit, jam jam demonstrabimus. Jupiter invitasse dicitur ad fœdus Arimos dictos, quos, cum ipsi illuderent, probe compescuit: quid sibi hæc velint paucis declarandum: Τὺς Σύρυς, inquit Strabo [2] Α'είμυς δέχονται, ὓς νῦν Α'είμυς λέγυσιν, *Arimorum nomine Syros intelligunt, quos nunc* Α'είμυς, *vocant*, & paulo post, οἱ Ε'λληνες Α'ραμαίυς ἐκάλυν Σύρυς ἢ Α'είμυς, *Syros Græci Aramæos vocant, aut Arimos*, quorum situm Homerus quidem describit, sed minus accurate: ἐν Α'είμοις ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνὰς, *in Arimis, ubi Typhæi esse dicunt cubilia*

Χώρῳ ἐνὶ δρυόεντι Ὕδης ἐν πίονι δήμῳ,
In agro querceto

Hydes inter opimum populum: quod corrigere aggressus est Dikinson scribendo pro δρυόεντι Ὕδης δρυόεντ' Ι'ὕδης. Quicquid sit sane Arimos hosce, quos nuper Syros fuisse docuere Antiqui, Anachæorum reliquias Amorrhæos fuisse crediderim, quod plurimis probat nuper citatus Dikinson [3]. Hos vero Amorrhæos cum de libero transitu sollicitavit Moses, repulsam tulit, id quod non inultum, ut ex Sacra Scriptura discimus, prætermisit. Quod vero isti Amorrhæi in Simias dicuntur a Poetis immutati, id non aliunde est, quam quia Græci priscum Amorrhæorum nomen in Arimos converterunt τὺς δὲ πιθήκυς φασὶ παρὰ τοῖς Τυῤῥηνοῖς Α'είμυς καλεῖσθαι, ait Strabo [4] quam appellationem ab Hebræo si licet deducere, notissimum חרום, simum denotare, [5] ubi Onkelos addit [6] חרים חרם prout editiones variant. Postea Saturnus veritus, ne a Jove regno pelleretur ei insidias struere cœpit, quod resciscens Jupiter eum in Tartarum dejicit. Sane cavit quoque Pharao sibi valde a Mose & Israelitis, sed tandem in profundissimum mare, quod sæpe τάρταρος ab Antiquis dictum, dejicitur. Quod virilia Patri absciderit Jupiter, non aliunde quam quia Ægyptios patriam suam incolentes circumcisionem docuit Moses. Fugato jam Saturno Apollinem victoriam Jovis ad citharam cecinisse proditum est, id quod Deos omnes mire commovit, uti istis Tibulli versibus innuitur:

Sed nitidus, pulcherque veni, nunc indue vestem
Purpuream, longas nunc bene necte comas.
Qualem te memorant Saturno rege fugato
Victoris laudes tunc cecinisse Jovis.

Pharaone scilicet devicto & submersis Ægyptiis, Aaron, Maria & reliqui eam cantarunt victoriam, quæ cantatio Exod. 15. & alibi describitur. Celebrem Jovis pro Deis contra Gigantes pugnam ex Oriente profectam, non est quod dubitemus: Gigantes Cananitas, Anachæos, Amorrhæosve fuisse certissimum, cum quibus multa Israelitis prælia: Μυθολογῦνται δὲ γιγάντας γηγενεῖς γεγονέναι διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῦ κατὰ τὸ σῶμα μεγέθυς. *Fabulantur Gigantes esse terrigenas secundum hyperbolem corporeæ magnitudinis*, ait Diodorus Siculus [7] in cujus verba jurat Basilius Magnus [8] Γίγας ὁ φυσικῇ δυνάμει καὶ τόνῳ σωματικῷ κεκρημένος. *Gigas physica naturali potentia & corporea tensione præcellens*: quo ipsissimo modo: eos, cum quibus res ipsis erat, describunt Exploratores Num. 13. [9] *vidimus ibi Gigantes filios Anach de genere Gigantum, & eramus in oculis nostris sicut locustæ, & sic eramus in oculis eorum*, ad quam Gigantum magnitudinem false profecto alludit Juvenalis [10]

Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero
Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.

Hi ergo Gigantes, cum quibus res Jovi, fuere Anacæi; Dei vero, qui Jovem adjutum ivere, Israelitæ. At dicas: quare Israelitæ Dei vocantur? est autem ut attendas ad appellationem, quæ populo Dei in Sacra Scriptura sæpius tribuitur, בני אלהים *filii Dei*, quam appellationem una cum multis aliis Phœniciis phrasibus retinuere Græci, & Israelitis ipsis dedere, ut jam Ε'λλήνων παῖδας

[1] De Situ Orbis.
[2] Geograph. libr. 13.
[3] Delph. Phœnic. cap. 2.
[4] Libro Geograph.
[5] Lev. 21. v. 18.
[6] Ed. Basil. ad Lev. 21. v. 18.
[7] Biblioth. Libr. 4. p. 159.
[8] p. 368.
[9] Num. 13. v. 33.
[10] Satyra 15. p. 69.

δας ipsos Græcos vertunt, Μεσικῶν παῖδας ipsos Musicos, γραμματικῶν παῖδας ipsos Grammaticos, ita quoque vernaculum morem retinentes Θεῶν παῖδας ipsos Deos Θεὺς vocarunt, qui Θεοὶ cum ex Ægypto venisse dicuntur, manifestissime nostram roborant sententiam, cum Israelitæ ex Ægypto egressi sunt, & non nisi post egressum pugnarunt. Hi aliquando contra Jovem insurrexisse dicuntur, imo ipsum ob Tyrannidem regno voluisse per vim abdicare, indicatur a Poetis. Ita quoque ipsi Israelitæ, ipsi Deorum filii, vel ut Gentilibus placet, ipsi Dii sæpius contra Mosen insurrexere, imo aliquando Chore, Dathan, & Abirom supremam ipsi potentiam ob imaginariam tyrannidem voluere eripere. Subacto demum Oriente, hisce fatigatus malis Jupiter, Reges aliquot instituit, quos Citharam, & Phœbeja tractasse prodit in hymnis Homerus; ita 70. populo præfecit Moses, qui prophetasse, id est, Sacram Scripturam explicuisse, Deum laudasse & cantasse dicuntur. Jupiter populo suo optimas leges dedisse dicitur, uti & Moses. Primum Scriptorem Gentiles omnes Jovem agnoscunt, & ante eum nihil unquam ab aliquo scriptum autumant: id nos de Mose quoque certissime affirmamus; nam, quæ afferri solent de Statuis Sethidarum, aut Enochi libro, ea sane cassa nuce leviora sunt, quicquid contendit Sacerdos ille Venetus Johannes Augustinus Panthæus in libro, anno 1530. edito, quem miro titulo VOARHCHADUMIAM inscripsit. Miror tamen adeo placuisse Patribus * hanc de Enochi libro fabulam, & præprimis Tertulliano, cujus solius verba hic inserere placet: ita autem ille [1] *scio Scripturam Henoch, quæ hunc ordinem Angelis dedit, non recipi a quibusdam, quia nec in armarium Judaicum admittitur. Opinor, non putaverunt illam ante Cataclysmum editam, post eum casum Orbis omnium abolitorem, salvam esse potuisse: Si ista ratio est, recordentur pronepotem ipsius Henoch fuisse superstitem Cataclysmi Noe, qui utique domestico nomine & hæreditaria traditione audierat, & meminerat de proavi sui apud Deum gratia & de omnibus prædicatis ejus, cum Henoch filio suo Methusalæ nihil aliud mandaverit, quam, ut notitiam eorum posteris suis traderet. Igitur sine dubio potuit Noe in prædicationis delegatione successisse, vel qui, & alias non tacuisset tam de Dei conservatoris sui dispositione, quam de ipsa domus suæ gloria. Hæc si non tam expedite haberet, illud quoque assertionem Scripturæ illius tueretur. Potuit abolefactam eam violentia Cataclysmi in spiritu rursus informare, quemadmodum & Hierosolymis Babylonica expugnatione deletis, omne instrumentum Judaicæ literaturæ per Esdram constat restauratum. Sed cum Henochi eadem Scriptura etiam de Domino prædicat, a nobis quidem nihil omnino rejiciendum est, quod pertinet ad nos, & legimus omnem Scripturam ædificationi habilem divinitus inspirari. A Judæis potest jam videri propterea rejecta, sicut & cætera fere, quæ Christum sonant.* Quam absurde hic inferat & conjiciat Tertullianus, facile videt, qui aliquid videt, & simul ipsum scripti fragmentum inspiciat, unde quoque Augustinus Tertulliano longe sanior: *illa*, inquit, *quæ sub nomine Henochi proferuntur, recte a prudentibus judicantur non ipsius esse credenda, sicut multa, quæ sub nominibus Prophetarum, & recentiora sub nominibus Apostolorum ab Hæreticis proferuntur.* Quamvis Jupiter innumeros habuisse fratres dicitur, tamen omnes præter duos interempti, & nullam ea propter hæreditatem sortiti sunt: innumeros secum ex Ægypto eduxit Moses, at præter solos duos Calebum puto, & Josuam, omnes in Deserto necati', & promissa terra ne quidem conspecta. Montes incoluisse Jovem fingitur, inde eum precipue in Olympo degisse ait Pindarus.

Α'λλὰ ὦ κρόνιε παῖ Ῥέας
Ἕδος ὀλύμπε νέμων
Sed Saturniæ filius Rheæ
Solum incolens Olympi.

Ita quoque Mosen degisse in montibus, Sacræ sæpius prodidere literæ. Tandem nihil certi de Jovis morte liquet, mortuum eum non volunt, nec vivum tamen in cœlos sublatum: Cretenses tamen sepulchrum ejus monstrant, sed ea propter mendacii, a Callimacho arguuntur; ita autem ille [2] Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται καὶ γὰρ τάφον ὦ ἄνα σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο, σὺ δ' ὀ θάνες ἐσσὶ γὰρ αἰεί

Cretes mendaces semper Rex alme sepulchrum
Erexere tuum, tu vivis semper, & usque es.

Scilicet Mosen quidem defunctum certo liquet, at ubi sepultus sit, nemini ha-

cte-

[1] De habit. mulierum c. 3.

[2] In hymnis.

* Quibus Patribus Henoch liber placuerit cur Vormius non dicat. Placuit ne quæso omnibus multis vel admodum paucis. Non omnibus nec multis cum Hieron. Aguft. Epiphan. Chrysost. Orig. & alii innumeri inter fabulas hunc librum rejiciunt. Valde igitur pauci fuere qui librum Henoch ut divinum habuerint, & hi quidem, nec primi subsellii Scriptores sunt. Et Vormius impudenti calamo Patres indefinite in jus vocat.

ctenus cognitum fuit. Vides quam pleraque Jovis ex Mosaica orta sint historia. Possem quidem plurima de ejus mutationibus addere, quæ pleræque Phœniciæ originem debent, prout illa, quando dicitur in Arietem mutatus, quod sane non aliunde ortum dudum observavit ὁ πάνυ Bochartus [1] quam quia אל ipsissimum DEI nomen & איל *aries* Paronyma, & in plurali uterque habeat אלים. Sed cum brevitatis amore teneamur, omnia ista abrumpimus. At heus fere Jovi detraxissem cornua, pulchre apud Minutium [2] Octavius: cum Hammon dicitur habere cornua. Si non naturæ saltem arti debet Moses, ut cornua habeat. *Qui interrogatur an cornua habeat, non est tam stultus ut frontem tentet*, ait Seneca. Hercle si reviviseret Moses, vereor ne hæc ipsi dica impingeretur, cum adeo semper in picturis cornutus appareat, ut qui Mosen sine cornibus pingit, fere suo se excidisse putet præmio. Verum enim vero non adeo novus hic est error, ut heri vel nudius tertius natus sit, quid? quod in Schola Judæorum notissimum est, figuram quippe nummi alicujus, qui Mosen cornu arietino ornatum exhibuit, dant Seldenus [3] & Hottingerus [4] imo מדרש איכה ad verba illa *amputavit Deus in furore suo omne cornu Israelis*, addit Deum quoque amputasse כרנו של משה דכתיב כי קרן עור פניו *Cornu Mosis*, uti scriptum est, *quod radiarit cornu splendoris faciei ejus*; Imo ipsissimum hoc Mosis cornu variis memorabile est fabulis: vide tractatum Debarim Raba, ubi traditur Mosen de anima sua contendentem cum Sammaele mortis principe, ipsum suo percussisse baculo, & nominato Schem hamphorash ipsi, ut a se fugeret, imperasse: Sammaeli vero adhuc imperium detractanti cornu suum impegisse, & eo pacto oculos ejus excœcasse. Apparet jam quod Moses a suis asseclis cornutus creditus fuerit, qui error, cum quod ab amphibolia τοῦ כרן ortus sit nemo ignoret, nolumus de eo hic operosius disserere.

Jovis fabulam e Mosaica desumptam historia, jam hercle non amplius ambigo: quid si probem eidem sua Saturnum debere cunabula, qui quamvis Jovis statuitur Genitor, tamen cum illo in iisdem reptavit serperastris? Agnovisse Saturnum fuisse Phœnicium Antiquos primo demonstrandum, quo in proposito multum nos adjuvabit Scriptor antiquissimus Sanchoniathon, qui primum cœli filium Ἶλον τὸν καὶ κρόνον, *Ilum sive Saturnum fuisse* scribit. Corrigo & pro Ιλ scribo Ηλ conjectura non admodum improbabili, siquidem ita olim scriptum testatur Damascius apud Photium [5] Φοίνικες καὶ Σύροι τὸν Κρόνον ἦλ ἐπονομάζουσιν: *Phœnices, & Syri Saturnum* Ηλ *vocant*. Ita scilicet Hebraicum אל exprimunt Græci manifesto indicio se agnoscere furtum suum; quoties enim Κρόνον eundem cum אל faciunt, manifeste produnt, eum esse τοῦ אל juniorem, & ea propter nomen ab eo mutuatum. Est adhuc eam in rem memorabilis alius apud Sanchoniathonem locus, qui priorem lectionem τοῦ Ιλ videtur destruere: Οἱ δὲ σύμμαχοι τοῦ Ἴλου inquit, τοῦ Κρόνου Ἐλοείμ ἐπεκλήθησαν, ὡς ἂν Κρόνιοι, *commilitones vero Ili sive Saturni Eloeim* (אלהים) *dicebantur*. Si enim dicitur hic Ιλ, ego scribendum fore credo Iloeim, non Eloeim. Quicquid demum id sit, sufficit, dum Saturnus se ipse a Phœnicia ortum prodit; nos vero fabulam ejus Mosaicæ historiæ rudera esse probabimus. At ne hoc ipsum miretur aliquis, quod Jovem, & Saturnum, juxta errorem Gentium Patrem, & Filium adeo conjunctos faciamus, ut alter alteri dicere potuerit: —— mutato nomine de te fabula narratur: probandum in antecessum est Antiquorum cordatissimis id suboluisse. Quam pulchre at prolixe Macrobius [6] Apollinem, Janum, Liberum, Martem, Mercurium, Æsculapium, Serapin facit unum omnes, eundemque, & apud Justinum Martyrem expresse [7] Orpheus.

Εἷς Ζεὺς εἷς Ἅδης εἷς Ἥλιος εἷς Διόνυσος
Εἷς Θεὸς ἐν πάντεσσι.

Unus Jupiter, Unus Pluto, Unus Sol,
Unus Bacchus,
Unus Deus in omnibus.

Atque hinc est quod admodum accurate Varro ad unum Jovem totam reliquorum Deorum catervam retulerit, & quidem hisce verbis [8].

Jupiter omnipotens Regum, rerumque, Deumque
Progenitor, Genitrixque Deum, Deus unus, & omnis.

Age igitur, progredere Saturne larvamque tuam sepone, ipsissimus Moses futurus. Saturnum cum a סתר deducunt nonnulli, non adeo ineptiunt, sed ratio, quam addunt, quod in Italia latuerit, ridicula est: sincerior hæc, quod Moses infans diu latuerit, & occultatus fuerit, id quod Sacræ produnt Literæ, Ὠκεανοῦ παῖς Κρόνος apud Platonem statuitur, [9] quia scilicet Moses in mare projectus, ibi a Pharaonis filia inventus, & educatus fuerit. Γαίης τε βλάστημα *Terræ progenies* Orpheo audit Saturnus. Quid in Sacra Scriptura denotat איש האדמה *vir terræ*? notissimum credimus, nempe Pastorem & Agri-

[1] Hierozoic. part. 2. 63.

[2] Pag. 195.

[3] Libr. 3. c. 1.

[4] De nummis p. 136.

[5] Cod. 24. 2.

[6] Saturn. 1. c. 18. 19.

[7] P. 392.

[8] Apud August. de Civit. Dei libr. 4. c 11.

Agricolam [1] atqui talium filius fuit Moses, prout videre est Genes. 46. [2]. Ita quoque quando Rhea Saturni uxor dicitur, non aliud indigitatur, quam sumpsisse sibi Mosen uxorem Pastoris filiam, quæ & ipsa oves pascebat; nam Ῥέαν nihil aliud arbitramur, quam per anagrammatismum transformatam ἔραν idest terram, quod quoque indigitat Ovidius dicens [3].

Stat vi terra sua, vi stando, Vesta vocatur.

Vesta enim & Rhea una, eademque est, quod indicat appellatio utrisque competens μεγάλη μήτηρ. Nec tamen Pastorem solummodo voluere Antiqui Saturnum, sed & Bellatorem strenuum; adversus Titanes enim bellum gessisse legitur: sic quoque Moses ἄριστος στρατηγός, καὶ ἡγεμὼν ἄριστος Josepho audit, & adversus Gigantes belligeravit. Og enim de genere Gigantum [4]; Titanum enim nomen ab Hebraica טיט, quod lutum denotat, quasi diceres πηλογόνους, quo titulo Gigantes indigitat Callimachus [5]. Aurea ætas Saturni fuit; Jovis argentea, tandem ænea & ferrea; felicissime sub Mose vivebant Israelitæ, secus sub Judicibus & Regibus. Sub Saturno æqualia fuisse omnia proditum, nullum esurientem, sitientem nullum, obvia vero omnibus alimenta; unde Tibullus:

Ipsæ mella dabant quercus, largeque ferebant:
Obvia securis libera lactis oves.

Respiciunt hæc, promissiones per Mosen factas, de terra lacte & melle fluente, & præterea manna illo, quod omnibus fuit æquale, sive paulum, sive multum collegerant. Genitalia Parenti abscidisse dicitur Saturnus Apollonio [6] non aliam ob causam, quam, quia Moses Patriæ suæ Incolas, id est Ægyptios Circumcisionem docuit. Saturni ara cereis accensis olim colebatur; mandaverat enim Moses lumen semper in altari Jehovæ adesse debere. Regnasse olim in Ægypto Saturnum, quidam prodidere: vide, Natalem Comitem [7] scilicet Mosen in Ægypto Israelitis præfuisse nemo ignorat. Παγγενέτωρ καὶ γενάρχης καὶ Θεῶν πατὴρ Orpheo audit Saturnus, & uxor ejus μήτηρ μὲν τε Θεῶν, non aliam ob causam, quam quia a Mose tota Deorum Historia derivata est, & ab uxore ejus Sephora tota Dearum, probante id Huetio [8]. Hæc cum ita sint, cum vetustissimi Græcorum Dii Jupiter & Saturnus iidem sint, ac Moses, quis non iis idem dicat, ac olim Soloni Ægyptius Sacerdos [9] Ὦ ἀεὶ παῖδες ἐστὲ, γέρων δὲ Ἑλλήνων οὐδεὶς ἐστίν. Νέοι ἐστὲ τὰς ψυχὰς πάντες, οὐδεμίαν γὰρ ἐν αὐταῖς δι' ἀρχαίαν ἀκοὴν παλαιὰν δόξαν, οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδέν. *O semper pueri estis, senex Græcorum nullus est. Juvenes estis animis omnes; nullam enim ex antiqua eruditione Veterum sententiam in ipsis habetis, nec ullam disciplinam vetustate canam?* Hisce absolutis vidimus Tacitum maximi erroris convictum, dum demonstravimus Cretenses, quos Judæorum Patres dixerat, feram esse eorum progeniem, & quos tantopere crepat, ipseque Tacitus adducit Saturnum, Jovemque, esse Ducem Israelitarum Mosen. Fatemur conjecturis ad istam veritatem indagandam usos nos esse, sed cum in re tam antiqua aliud haberi non potest, est ut nobis benevolus Lector ignoscat. Deberemus quidem, si proposito nostro exacte fieret satis, aliquid de cæremoniis Judæorum ad Græcos derivatis agere: sed cum brevitate magistro nusquam non uti cogitamus, nihil ea de re adducere animus est, at unicam saltem attingere materiam, & intentionem Gentilium ibi eandem fuisse, ac Judæorum probare. Id autem in sacrificiis præstare cogitamus, ubi Lectorem in antecessum monuerimus nihil nos ipso de sacrificandi more acturos, cum id tot excellentissimos viros antea exercuerit, & quidem haud immerito, cum adeo vel adiaphoras cæremonias imitati sunt Græci, ut nihil supra. Sane non ipsum sacratissimum ignem in altari spirantem intactum omisere, sed potius sub gravi pœna sanxere, referente Plutarcho [10] ut πῦρ ἄσβεστον idest *ignis inextinctus* in altari semper foveretur, quem ignem, teste Ovidio, Vestam vocaverunt. *Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam* Græcis vero ἑστία audiebat, quod testabitur Cicero [11]. Nam Vestæ nomen a Græcis; ea est enim, quæ illis ἑστία dicitur. Unde vero istud ἑστία deductum autumas, nisi ab Hebraico אשיה *ignis* Jehovæ, quem accendi sibi Deus voluit, & quotidie a Sacerdotibus, & Aarone ali? Sed non conjecturis meis benevolum Lectorem diutius volo obtundere, sed potius ipsa Divina mandata cum Grajorum placitis conferre. Ubi igitur Deus מן הבקר ומן הצאן *ex bobus, ovibus, & capris* (nam tam ovem, quam capram צאן indigitat) sacrificari sibi jubet, ita quoque Achilles apud Homerum 3. ista conjungit hisce quidem verbis [12].

Εἴτ' ἄρ ὅγ εὐχωλῆς ἐπιπέμφεται, εἴτ' ἑκατόμβης
Αἴκεν πῶς ἀρνῶν κνίσσης, αἰγῶν τε τελέων
Βούλεται ἀντιάσας ἡμῖν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι.

Habuere sua quoque Græci Holocausta

[1] Gen. 9. v. 10.
[2] Gen. 46. v. 4. & 6.
[3] Fast. 5. 29.
[4] Deut. 3. 11.
[5] Hymn. in Jovem.
[6] Argon libr. 4.
[7] Mytholog. pag. 124.
[8] Demonstr. Evangel. propos. 4. c. 10.
[9] Apud Platonem in Timæo.
[10] In Numa.
[11] Libr. 2. de Nat. Deor. p. 309.
[12] Init. Iliados.

sta εἰώθειν ἐγὼ ὑμῖν θύεσθαι καὶ ὡλοκαυτεῖν *solebam ego vobis sacrificare, & Holocausta offerre*, inquit apud Xenophontem Phliasius vates Euclides [1], in quibus offerebatur taurus, vel vacca אשר לא עלה עליה על *super quam non ascenderat jugum* [2], qualem quoque Palladi promittit Diomedes [3]

Σοὶ δ' αὖ ἐγὼ ῥέξω βῦν ἦνιν εὐρυμέτωπον: *tibi vicissim ego offeram vaccam anniculam latæ frontis*, ἀδμήτην, ἣν ὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ: *indomitam, quam nondum sub jugum quisque duxerit*: & quæ erat תמים, quam vocem 70. [4] per τέλειον exponunt, quæ ipsissima supra ab Achille retinebatur —— ἀγῶν τε τελείων? Omnes hæ victimæ olim ad Tabernaculi ostium (ubi Altare erat) sistebantur, quod Levit. 17. 3. sub pœna mortis jubetur, id quod a Prophanis simili rigore observabàtur. Testis procede Plato [5] ἔςω νόμος ὅδε τοῖς ξύμπασι κείμενος ἁπλῶς. ἱερὰ μηδὲ εἷς ἐν ἰδίαις οἰκίαις ἐκτήσθω θυεῖν δ' ὅταν ἐπὶ νοῦν ἴῃ τινὶ, πρὸς τὰ δημόσια ἴτω θύσων. *Lex ista sit omnibus absolute posita, ut nemo in privatis ædibus sacella habeat; cum vero quis sacrificare voluerit, ad publica templa se conferat*. Nudandum pelle Holocaustum, & frustatim concidendum indicat Dominus; unde Dionysius Halicarnasseus [6] οἱ δὲ πίπτοντος ὑπετίθεσαν τὰς σφαγίδας, καὶ μετὰ τοῦτο δέροντες τε καὶ μελίσαντες. *Illi vero cadentis victimæ jugulo cultros mactatorios subjecere, deinde illam excoriantes & membratim dissecantes*: & *Apollonius* [7]

> Τοὺς δ' ἕταροι σφάζον τε θοῶς δεῖρόν τε βοείας
> Κόπτον δαίτρευόν τε καὶ ἱερὰ μῆρ' ἐτάμοντο
> *Hos boves socii celeriter jugularunt, pellesque exemerunt,*
> *Secuerunt, diviseruntque, & sacras coxas inciderunt.*

Quæ verba quoties reputamus, coxas olim apud Ethnicos sacras fuisse observamus, idque alio quodam Homeri dicto confirmari videtur:

> Μηρούς τ' ἐξέταμον, κατά τε κνίσῃ ἐκάλυψαν
> Δίπτυχα ποιήσαντες ἐπ' αὐτῶν δ' ὠμοθέτησαν
> *Coxas secuerunt, & adipe cooperuerunt*
> *Bifariam facientes, ipsis autem cruda imposuerunt.*

Quæ Homeri, si cum Odyss. γ. [8] & Iliad β. [9] conferantur, satis superque demonstrabunt, declarabuntque quod nuper dictum est, nempe coxas olim Ethnicis fuisse sacras: unde vero istam coxarum apud Græcos reverentiam ortam credis, nisi a sola Jacobi Historia, in cujus memoriam ab esu nervi contractionis, qui est in pala femoris, olim Judæi abstinuerunt? hæc quippe æmulati sunt Gentiles, qui suis in sacrificiis femora hostiarum & coxas adolere maluerunt, quam comedere, licet alioquin in profanis epulis μηρὰ περισπούδαστα fuerint, id est *magnopere expetita, nec nisi optimis quibusque porrigi solita*, ceu loqui amat Eustathius. Quæ omnia nemo confirmat melius, quam Eubulus Comicus:

> Αὐτοῖς δὲ τοῖς Θεοῖσι τὴν κέρκον μόνην
> Καὶ μηρὸν ὥσπερ παιδερασταῖς θύετε.
> *Diis quippe caudam consecratis, & femur*
> *Tanquam scelestis, nempe pædiconibus.*

En coxarum sanctitatem juxta Homerum, & consecrationem juxta Eubulum! [10] Quamnam vero hujus observationis causam ipsi Gentiles dixere, διὰ τὸ συντελεῖν τοῖς ζώοις εἰς βάδισίν τε, καὶ εἰς γένεσιν τῇ προέσει τοῦ σπέρματος, *quod conferant ad animalium tum incessum, tum generationem ejectione seminis*; quæ ratio utraque magnam cum Sacra Scriptura spirat convenientiam, ubi luxatione coxæ claudicans incessisse Jacob dicitur, & soboles ejus de coxa egressa memoratur. Sed cum hæc extra rhombum sint omnia, revertimur ad sacrificantes Gentiles, ubi ante omnia se offerunt Ritus ante Sacrificium observati. Nolumus hic de ablutione, aut excalceatione Sacerdotum dicere, sed illos saltem expendere ritus, qui ad ipsa immolanda pertinebant, qualis fuit impositio manuum, quam Hebræis usitatam fuisse probare non opus est, cum id vulgo notum sit. Quod vero ad Gentes illa dimanaverit, probasse se putat Brentius [11] respiciens ad consuetudinem Gentilium, qui, quod superis Diis destinabatur, sursum elevabant, quod inferis vero, deprimebant deorsum: hanc Brentii observationem confirmat, illud Virgilii [12]

> *Et summas carpens media inter cornua setas*
> *Ignibus imposuit sacris libamina prima.*

Confirmat nata exinde imprecandi formula εἰς τὴν αὐτοῦ κεφαλὴν, & illud Cœli fere simile: *quod eorum capiti sit*. Præcationes & suspiria victimis olim a Judæis præmissa ignorare nemo potest, nisi hospes omnino in S. Literis: at idem a Græcis receptum non scite minus, quam eleganter docet Jamblichus [13] *ipsa precatio interdum præmittitur, ut præcursor quasi viam ante sacrificii faciem præparans atque nuncians*. Quibus non absimilia tradidit Plato [14]: *Tradat*, inquiens, *Sacerdotibus victimam, quibus cura sacrorum commissa est*, συνευξάσθω δὲ αὐτὸς, καὶ ὃς ἂν

[1] Libr. 7. Cyropædias.
[2] Num. 19. v. 2.
[3] Apud Homer. Iliad. κ.
[4] Ad Exod. 12. v. 5.
[5] De legibus lib. 10.
[6] Libr. 7.
[7] Argon. lib. 1.
[8] Vers. 456.
[9] Vers. 423.
[10] Odyss. ϑ.
[11] P. 367.
[12] 6. Æneid.
[13] Libr. 5. cap. 21.
[14] x de LL.

ἂν ἐθέλῃ μετ' αὐτοῦ συνεύξασθαι : *oret autem ipse cum Sacerdotibus , & quicunque volet una orare* . Hisce gentium cæremoniis probe perspectis quis miretur, si ipsum quoque sacrificandi morem ad se traxerunt? sic quemadmodum Judæi post absolutum jam peractumque sacrificium sanguinem circa Altare jubente Deo [1] spargebant , ita Sacrificulus Luciano audit [2] τὸ αἷμα τῷ βωμῷ περιχέων *sanguinem aræ circumfundens* . Unde Virgilius.

- - - tepidumque cruorem

Excipiunt pateris - - -

quæ pateræ, quod obiter moneo , Græcis dicebantur αἱμνία . Reliqua Sacrificiorum instituta ad Gentiles pervenisse , proclive mihi hic foret demonstrare, nisi traditum id in antecessum esset a Fabricio Pfannero , Spencero , Outramo , aliisque , quorum scrinia hic compilare mihi non est animus. Demonstrandum saltem est (idque ne promissis non stare videar) gentes quando sacrificarunt eandem ac Judæos intentionem habuisse . Noverunt hercle Græcorum cordatiores hujusmodi victimas per se Deo non placere: expressit hoc olim elegantissime Locrensium legislator Zaleucus [3] Ἔχειν δὲ καὶ τὴν ψυχὴν καθαρὰν πάσης κακίας, ὡς τῶν Θεῶν οὐ χαιρόντων τῶν πονηρῶν θυσίαις τε καὶ δαπάναις τε καὶ καλαῖς ἐπιτηδεύσεσι. *Animam vero ab omni malitia expurgatam habere sicut Deorum non gaudentium malorum victimis sed justis suorum & bonis moribus* . Unde Socrates referente Xenophonte [4] Θυσίας δὲ θύων μικρὰς ἀπὸ μικρῶν, οὐδὲν ἡγεῖτο μειοῦσθαι τῶν ἀπὸ πολλῶν καὶ μεγάλων πολλὰ καὶ μεγάλα θυόντων. Unde maxime significanter Plato [5] Οὐ γὰρ τοιοῦτόν ἐστι τὸ τῶν Θεῶν, ὥστε ὑπὸ δώρων παράγεσθαι, οἷον κακὸν τοκιστήν. *Non enim hoc Deorum est, gaudere ex donis ut malus fænerator* . Hæc gentium placita adeo manifeste , quod volumus evincunt , ut clarior dari vix queat demonstratio. Si autem quærere pergas : quare ergo sacrificarunt gentes ? rationes eorum adeo Judaicis similes invenies, ut nihil supra. Quapropter, ut audiatur pars utraque, in scenam primo loco procedat Abrabanel [6] ואמנם תכלית זבח השלמים יתבאר אחר שתדע שהשלמים היו באים אם לזבח תודה ואם בנדר ובנדבה כמו שיתבאר בפרשת צו ועניין שני המינים האלה הוא שפעמים היו מקריבים שלמם לתת הודאה לשם יתברך על מה שגמלם ברחמיו וכרב חסדיו ועל הטובה שהיטיב עמהם אם בירושת הארץ ונחלתם ואם בשאר הניסים ועל זה מר אם על תודה יקריבנו והוא המין האחד והמין השני שהוא בנדר ובנדבה עניינו הפלה לשם שיחנם ויברכם בתבואותיהם ועניניהם בעתיד ויריק עליהם ברכה עד בלי די הנה אם כן היה המין הראשון הוראה על העבר והמין השני תפלה על העתיד : *Jam sacrificiorum salutarium, qui finis erat, intelligetur, simul atque illa vel Eucharistica vel votiva fuisse noris , quemadmodum in particula* צו *docebimus*. *Cujus duplicis generis ea ratio fuit , quod Nostrates sacra salutaria eo nonnunquam animo fecerint , ut Deo pro summa clementia ejus , maximaque in se benevolentia , omnibusque denique beneficiis (sive ea in terræ hæreditate & possessione cernerentur , sive aliis gestis mirabilibus) gratias agerent, quo de genere illud dicitur (Lev. 7. 12.) Atque hoc quidem primum genus fuit . Alterum autem quod votivum fuit aut voluntarium , rationem habuit sacrarum precum, quibus Deum orabant , ut sibi in posterum clemens esse vellet , ut proventus suos , aliaque omnia prosperaret , ut suppeditaret ea , quæ ad vitam sufficerent . Quæ cum ita sint, hinc intelligimus primum genus gratiarum rationem habuisse pro beneficiis ante acceptis actarum , alterum precum pro expetitis.* [7] Similem Græcorum mentem fuisse haud obscure indicat Porphyrius [8] τριῶν ἕνεκα θυτέον τοῖς Θεοῖς , ἢ γὰρ διὰ τιμὴν , ἢ διὰ χάριν, ἢ διὰ χρείαν τῶν ἀγαθῶν. *Tribus de causis sacrificamus Deo , aut propter honorem , aut ut gratias agamus , aut ut bona ab iis impetremus*. Et paulo post adhuc significantius : Τιμῶμεν δὲ τοὺς Θεοὺς , ἢ κακῶν μὲν ἀποτροπὴν, ἀγαθῶν δὲ παρασκευὴν ἡμῖν γενέσθαι ζητοῦντες , ἢ προπεπονθότες εὖ , ἢ ἵνα τύχωμεν ὠφελείας τινὸς &c. Καὶ γὰρ ἃ θύομεν , τούτων τινὸς ἕνεκα θύομεν. *Deos autem colimus vel petentes, ut mala avertant, & suppeditent bona , vel quod jam antea commodi aliquid ab iis percepimus , vel ut posthac consequamur, vel eos denique propter solam naturæ præstantiam honorantes. Ita ut si animalium primitias Diis solvere oporteat , eas de harum causarum aliqua sacrificare debeamus. Quæcunque enim immolamus , eis de causis immolamus* . Hisce prælibatis quis non animadvertit insignem inter Abrabanelem, & Porphyrium convenientiam, adeo quidem ut non mirum sit omnia sacrificiorum genera ad gentes devenisse? Piaculares olim Judæos habuisse victimas testatur R. Isaac Ben Arama איך שהיה שחטא בנפשו בשונו או במזיד הוא מעביר את חטאו ממנו ונותנו על ראש קרבנו רכפר עליו ולטעם זה כללו שעם בוידיים חטאתי עויתי פשעתי כמו שנראה מוידויים כהן גדל ביום הכיפורים אף על פר החטא אשר של *Quoties quis imprudens vel quidem prudens peccat, transfert a se peccata sua , conjicitque in victimæ suæ caput , eoque pertinent confessiones istæ: peccavi , temere feci , rebellis fui , sicut ex Pontificis confessionibus juxta piacularem juvencum suum editis die expiationis liquet*.

[1] Lev. 9. v. 12. Lev. 1. 5.

[2] Libr. de sacrificiis.

[3] Apud Diodorum Siculum l. 12.

[4] Memorabil. libr. 1. p. 722.

[5] De Alcibiad. pag. 42.

[6] In præfattione ad Leviticum.

[7] Versio hæc Outrami est non admodum accurata.

[8] De abstin. libr. 2. 24.

Quas

Quas rationes apud Græcos fuisse usitatas; omnes fere loquuntur Historici, idquod uno fere verbo indigitat vetus Poeta:

Cum sis ipse nocens, moritur cur victima pro te?

Et sane formula, quam in hujusmodi victimis usitatam refert Svidas, tota est ex Hebraismo desumpta, ita autem ille: [1] οὕτως ἐπέλεγον τῷ κατ' ἐνιαυτὸν συνέχοντι τ̃ κακῶν: περίψημα ἡμῶν γένου, ἤτοι σωτηρία καὶ ἀπολύτρωσις. *Ei, qui malis averruncandis quotannis destinatus erat, sic imprecabantur: sis* περίψημα *nostrum id est salus & redemptio*. Moses Ægyptius formulam Judæorum fere eandem refert: hæc sit פריוך *id est redemptio*, scilicet mea. Ignoscat nobis benevolus Lector, si inseramus hic, quæ de crematione sacrificiorum apud gentes non sine stupore olim observavimus. Primum enim animadvertimus per traditiones id ad eos dimanasse, quod de Aaronis sacrificio Lev. 6. & de similibus aliis 1. Paralip. 22. 26. 1. Reg. 18. 38. refertur, ubi scilicet ignis ad cremanda sacrificia cœlitus descendisse legitur. Aperte enim Horatius [2]

Dum flamma sine thura liquescere limine sacro

Persuadere cupit, credat Judæus Apella,

Non ego - - - - -

Ibi enim credere hæc Judæos jubet, tanquam eos, qui similia dicerent, & sine igne admoto consumi sacrificia putarent. Deinde nequissimus mysteriorum Divinorum æmulator Satanas similia ostentare prodigia haud veritus est, ut scilicet eo facilius miseros Idololatras suis deceptum iret præstigiis: ita de Zaleuco immolante proditum est, quod cum Jovi sacrificaret, ligna aris insecta ultro sine omni ignis adminiculo flammam conceperint. Hinc quoque Servius ad ista Virgilii [3] - - *Quia fœdera fulmine sanxit*, ita commentatur: *apud majores ara non incendebatur, sed ignem Divinum precibus eliciebant, qui incendebat victimas*. Ex quibus Servii verbis nescio an explicare possum, quare Jupiter dictus est Elicius, scilicet quia ignem ex hujusmodi sacrificiis elicere creditus est. Hæc vero Servii verba dilucido confirmat exemplo Solinus [4]: *Nec longe*, inquiens, *collis inde Vulcanius, in quo qui Divinæ rei operantur, ligna vitea super aras struunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem, cum prosicies intulerunt, si adest Deus, si sacra probantur, sarmenta licet viridia sponte concipiunt, &, nullo inflagrante halitu, ab ipso Numine fit accendium*. Valde insignis dubitandi causa Salmasio est [5], anne hic montem hunc, forsitan fictum, Vulcanium cum Sallentinorum Egnatia more suo confundat, de qua idem fere mutatis saltem verbis scribit Plinius [6]: *in Sallentino oppido Egnatia ligno imposito in saxum quoddam ibi sacrum protinus flammam existere*. Sed, quicquid id sit, ad remotissimos Indos hæc narratio penetravit, adeo quidem, ut eos ob eandem rem multi celebraverint Historici. Unicum produco testem Ammianum, qui *Brachmanes*, inquit, *ignem cœlitus lapsum ferunt, si justum est credi, sempiternis apud se foculis custodiri*. Quæ ultima Ammiani verba ansam mihi dant demonstrandi, ut apud Judæos olim, ita & apud Græcos ignem inexstinctum esse servatum. Diximus nuper aliquid ea de re, cum ἑστίαν ab אשיה descendere demonstravimus: sed tot præterea hujus rei apud profanos reperiuntur vestigia, ut nihil supra; veluti enim nuper de ἑστίᾳ diximus, ita quoque celebre illud Persarum Idolum Urichasda non est nisi Hebraicæ originis, & nihil nisi futilem cultorum πυρολατρείαν indicat, id quod denotat ipsum vocabulum, quod me judice dicitur quasi אור חסיד *ignis sanctus*. Sed sive approbationem hæc mereantur, sive secus, illud certissimum est, quod mos servandi ignem perpetuum cœlesti similem apud Ægyptios secundum veteres, & inprimis Diodorum natus sit, & ad alias gentes propagatus, unde de Cappadocibus Strabo [7] ἐστὶ πυραιθεῖα, σηκοί τινες ἀξιόλογοι, ἐν δὲ τούτοις μέσοις βωμός, ἐν ᾧ πολλή τε σποδὸς, καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ Μάγοι: *sunt Pyrathea, sacella quædam modica, & in eis mediis ara, in qua cinis multus, & ignem inexstinctum Magi servant*. Id officium Romæ demandatum est Vestalibus; unde Dionysio [8] audiunt αἱ τὸ ἀθάνατον πῦρ διαφυλάττουσαι παρθένοι: *immortalem ignem custodientes virgines*. Sed quamvis viribus omnibus omni opera iste custodiebatur ignis, tamen exstinctum eum apud Judæos tempore captivitatis Babylonicæ non pauci consentiunt, unde ergo restitutus? Non nisi ope Divina cœlitus missus. Sic apertissime Dionysius: *Maxime si ignis exstinguatur, quod formidolosissimum Romanis habetur, quacunque tandem causa acciderit*. Hinc quoque velut olim filia Sacerdotis corrupta igni destinabatur, & in cinerem redigenda erat [9]; ita quoque vitiata Sacerdos Vestalis viva terram subire cogebatur. Attamen apud Delphos templo a Medis incenso, Romæ tum Mithridatici, tum civilis belli temporibus, Athenis imperante Aristone exstinctus hic ignis fertur memorante Plutarcho [10]. Unde ergo resarciendus? *Dicunt*, ait idem

[1] In voce περίψημα

[2] lib. 1. Satyr. 5. p. m. 237.

[3] Æneid. 12.

[4] Cap. 5. Polyhist. p. 20.

[5] Pag. 127.

[6] L. 11. c. 117.

[7] Lib. 6

[8] Antiqu

[9] Liv. 21. v. 9.

[10] in Numa.

[1] *ſi forte quandoque ignis deficiat, nequaquam debere ex alio igne accipi, ſed novum & peregrinum elici oportere*. Hæc igitur de igne ſatis dicta ſint: antequam vero clamamus ilicet, eſt ut addamus aliquid de Judæorum Mincha, ſive frugum oblatione, quem vetuſtiſſimis temporibus in uſu fuiſſe, docet nos rerum Divinarum ſcientiſſimus Plato [2] Θύματά τε οὐκ ἦν τοῖς Θεοῖς ζῶα· πέλανοι δὲ καὶ μέλιτι καρποὶ δεδευμένοι, καὶ τοιαῦτα ἄλλα ἁγνὰ θύματα. *Neque enim animalia Diis immolabantur, ſed liba & fructus melle imbuti & alia hujuſmodi pura ſacrificia*. Unde in eandem rem teſtem producere poſſum Pauſaniam: [3] *In veſtibulo Jovis ſupremi ara eſt, ad quam victimas non cædunt, ſed liba duntaxat apponunt*, Hoc Græcorum more Romanos quoque imbuit Numa, *qui* juxta Plinium [4] *Deos fruge colere, & mola ſalſa ſupplicare inſtituit*. Quid ſit mola, diſcere a Feſto cupio: *Mola eſt far toſtum, & ſale ſparſum*. Apprime! ut olim Deus condiendum ſale omne ſacrificium juſſit, ita quoque olim apud Græcos ſaliebantur ſacrificia juxta Platonem noſtrum, quod omnino traditione hauſtum videtur, cum alioquin tanta ſalis apud Græcos fuerit abjectio, ut viliſſimum ſervum ἁλώνητον ἀνδράποδον *ſale comparatum mancipium* dixerint; quam quoque ob cauſam ſordidiſſimo Antinoo parcimoniam ſuam objiciens Homerus [5] οὐδ', inquit, ἅλα δοίης, *ne ſal quidem dares*. Hiſce omnibus poſtpoſitis ſale tamen olim Græcis miſcebantur ſacrificia, non aliam (ni fallor) ob cauſam, quam quia peculiare Dei ea de re mandatum ad eos neſcio qua via pervenerat. Sic apud Virgilium Sinon [6]

> *Jamque dies infanda aderat mihi ſacra parari*
> *Et ſalſæ fruges*.

Quæ apprime explicans Servius *ſalſæ fruges*, inquit, *ſal & far, quod dicitur mola ſalſa, qua & frons victimæ & foci adſpergebantur & cultri*. Ex hiſce enim colligo ſalita quoque olim animalium ſacrificia, quod non adeo obvium eſt, cum certum ſit ſalem tantum ab initio ad libam pertinuiſſe, unde quoque Ovidius. [7]

> *Ante Deos homini quod conciliare valebat*
> *Far erat, & puri lucida mica ſalis*.

Sic Gentes Sacrificia Judæorum ad ſe transferunt, ſic quoque metaphoricam ſacrificii ſignificationem imitati ſunt: exemplum addo, cum Gregorius Nyſſenus [8] Ἐν ταύτῃ τῇ σκηνῇ θυσία τῆς αἰνέσεως, καὶ θυμίαμα τῆς προσευχῆς, ἐν τῷ ὄρθρῳ καὶ τῇ ἑσπέρᾳ ἐνεργουμένη διὰ παντὸς καθορᾶται. *In hoc tabernaculo, & laudis victima & Suffitus precum mane ac veſperi offerri ſemper conſpicitur*. Sic ſane eam ſignificationem retinens Bacchus apud Homerum exclamat: Ἐμοί τι θύωσι τινὲς αἷμα, κύστιν, μὴ καρδίαν μηδ' ἐπιπόλαιον. *Sacrificant mihi quidam ſanguinem & veſicam, cordis autem ne ſuperficiem quidem*. Sed, ilicet, ſatis jam de Græcis actum eſt, ad alteram Taciti ſententiam pergimus, quæ Judæos eorumque ſacra ab Ægypto accerſit.

[1] Ibidem.
[2] Lib. 6. de legibus.
[3] Lib. 1. de Atticis.
[4] Lib. 18. c. 2.
[5] Iliad. 17. v. 454.
[6] 2. Æneid.
[7] Faſtor. 1.
[8] De vita Moſis.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

ANTIQUI Judæos Ægyptiorum prolem credidere, ut Celsus. Cujus error refutatur a Flavio. Hujus calumniæ causæ. Judæi propter lepram expulsi crediti. Historicorum ea de re discrepantia. Quis & qualis fuerit Bocchoris; Error Justini, Diodori, Manethonis, Lysimachi. Ejus causa. Lusus Apionis & Helladii. Quare Ægyptii dicunt Judæos per seditionem egressos. Quare dicunt eos nil memorabile gessisse. Chrysostomi, Spenceri, & Marshami crassus error. Spencerus refutatur. Leges Cæremoniales fuere typicæ. Sacrificia typica. Sacrificarunt Cain, Abel, & ipse Adam. Porphyrii ea de re judicium. Non e solo Naturæ instinctu sacrificatum. Contraria Spenceri opinio e propriis dissentientium principiis refutata. Eusebii, & Athanasii eam in rem verba. Non omnes gentes sacrificarunt. Providum Pompilii factum. Witzii Ægyptiaca. Primum, secundum, & tertium Spenceri argumentum refutantur. Patres ante Mosen non omnino expertes fuere legis Cæremonialis. Galeni de Scriptis Trismegisti judicium. Ægyptii sua a Judæis habuere, non contra. Græci Judæam potius adiere quam Ægyptum. Ægyptus vetustioribus Philosophis plane inaccessa. Orphei duo. Orphica ipsum Mosen aperte citant. Orpheus Musæi discipulus. Moses Numenio Musæus dictus. Mirabilis Orphei locus. Cur Moses dicitur Lunæ filius, expenditur. Celsus Orpheum Sacram Scripturam legisse putat. Homerus cum Judæis in Ægypto locutus. Eodem modo ac Moses creationem descripsit secundum Justinum Martyrem. Quædam ex Esaia deprompsit ex mente Clementis Alexandrini. Quare Dei Humanam induere formam Homero dicuntur. Totam de Polyphemo fabulam Homerus e Bibliis deprompsit. Cur Iris Homero dicitur Angelus? Cur Adonidi Venus jungitur? Adonis ἥλιος Venus Aphrodite vooabula sunt pure Hebraica. Venus vir creditus. Quid est fugere Adonidem in Acherontem? Lapsus Protoplastorum qui ab Homero descriptus? Jacobi Scala ab Homero expressa. Homerus augurium in oriente didicit. Chalcas Homericus Josephum imitatur. Historiam de inescatis Israelitis in Ægypto expilavit Homerus. Solonem Ægyptum, non nisi propter degentes ibi Judæos, petiisse testatur Plato. Qui quoque multa eum Judæis debere prodit. Athenarum nomen Hebraicum. Solon multas leges ab Hebræis mutuatus, ut illam de furum pœna, de conjugio inter agnatos, de suscitatione seminis, de non maledicendo surdo, de abrogando luctu immodico, de pœna deprehensæ adulteræ, de venditione servorum, de purgatione, de puerperis, de aris, de Synedriis. Solonis leges ad Romanos derivatæ. Pythagoras usus Præceptore Syro. Locutus cum Prophetis. Primus Philosophus. Quis Jamblichi Mochus? Pythagoram expilasse Judæos testatur Hermippus. Pythagoras ab Ambrosio Judæus statuitur. Jonsius refutatur. Judæi a Græcis ante Aristotelem sæpius nominati, & ab ipso Homero. Cum Syro locutus Aristoteles, teste Laertio. Judæos, eodem teste, Calanorum pronepotes credidit. Judæorum de Pythagora traditiones. Græcorum infidelitas in enarrandis gestis probatur exemplo Theopompi admodum memorabili. Luci a Patriarchis cultui Divino destinati. Quare? A Græcis vocati Παράδεισοι. Lucos habere lege olim tenebantur Romani. Eorum violatio quam graviter olim punita. Druydes unde? Tansana apud Tacitum, quid & unde? Luci tandem a Deo interdicti. Quare? Sal exosum Ægyptiis omnibus, a Deo addi jubetur sacrificiis. Canis Ægyptiis honoratus, Deo despicatissimus. Pontificis introitum in Sancta Sanctorum æmulati sunt Ethnici. Paschatis celebrationem imitati sunt Ægyptii teste Epiphanio, Arabes observante Tudelensi, Mengreliæ in Colchide incolæ referente Tavernier. Quivis septimus dies gentibus Sabbathum dictus. Gentiles Sabbathum æmulati. Lucernæ Sabbathinæ a Romanis accensæ. Discrimen habuere gentes inter opera Sabbatho licita & illicita. Ut Pharisæis, ita Ethnicis licuit bovem, qui in puteum deciderat, Sabbatho extrahere. Osiris, Orus, Apis, Sarapis, Thammuz unus & idem. Ægyptiorum Deos fuisse homines ex ipsis Ægyptiorum monumentis demonstratur. Quare hoc tam diu celatum? Innotuit tamen Alexandro Magno. Osiris Palestinus ab Ægyptiis dictus. Plutarchi locus novo modo explicatus. Osiris unde? Unde Apis? Unde Sarapis? De origine vocis Sarapis diversæ sententiæ. Ægyptus nullas traditiones Abrahamo vetustiores habet. Descriptio creationis, quam adserunt Ægyptii, cum confusione linguarum coincidit. Fabula Osiridis fluxit e Josephi, & Mosis historia. Suboluit id Firmico. Moses Josepho coævus ab antiquis creditus. De Mose inter Deos relato testimonium Syncelli. Quod Osiris originem habeat e Josephi & Mosis historia prolixe demonstratur.

HActenus de prima Taciti sententia, sequitur jam altera nihilo priore probabilior, cum Judæos credat, *regante Iside exundantem per Ægyptum multitudinem proximas in terras exoneratam*. Constans hæc veterum fere omnium conjectura fuit, Hebræos originem suam una cum institutis debere Ægyptiis, id quod iis objicere olim Celsus haud veritus fuit, dum apud Origenem [1] *Judæos fuisse Ægyptiorum fugitivos*, inquit, *& nihil unquam memorabile gessisse*, quam Gentilium incogitantiam, & ἀβλεψίαν considerans Flavius haud sine ratione queritur [2]: βυλόμενοι δ' Αἰγυπτίοις τινὲς χαρίζεσθαι, παρατρέπειν ἐπεχείρησαν, τὴν ἀλήθειαν, ὔτε τὴν εἰς Αἴγυπτον ἄφιξιν, ὡς ἐγένετο, τῶν ἡμετέρων προγόνων ὁμολογῦντες, ὔτε τὴν ἔξοδον ἀληθεύοντες. *Quidam in gratiam Ægyptiorum veritatem instituerunt pervertere, neque adventum peregrinorum nostrorum in terram Ægypti confitentes, neque egressum incorrupte tradentes*. Recte suspicatur Flavius summam Ægyptiorum potentiam in causa fuisse, quare tot absurdis fabulis fidem habuerint Gentiles, & ea in scripta sua illata ad seram transmiserint posteritatem. Quid quod salvis Ægyptiorum placitis, res se aliter habere non potuit, cum se hominum antiquissimos, & αὐτόχθονας, ac proinde etiam Judæorum patres dixerint. Miratus sum sæpius Damascium in vita Isidori Philosophi apud Photium [3] tam audacter asserentem nihil eum legisse unquam, nihil novisse, qui ignoret, quod Αἰγύπτιοι παλαίτατοι ἄνθρωποι εἰσὶν. Scilicet hæc traditio adeo priscorum Historicorum libros occupavit, ut tam Diodori Siculi, quam Plutarchi scripta ea sint refertissima: adeo potens & valida est ad violandam veritatem secunda Populi alicujus fortuna, ut sæpius progenitores suos pro filiis, & gnatis vendiderit. Hanc sane hypocrisin apud Celsum bene olim animadvertit Origenes [4], *Celsus*, inquiens, *non æquus examinator Ægyptiorum, Hebræorumque controversiæ, sed præoccupatus illecebris Ægyptiacis maluit credere hostium oppressoribus*. Vera hæc esse ab Origene dicta, quivis facile videt, si saltem ad ipsissima Celsi verba attenderit; expresse enim ille: [5] *Ægyptiorum partem olim fuisse Hebræos dicit, & in Palæstinam discessisse, indeque natam coloniam, quæ nunc Judæus dicitur*: nec aliter olim sensit Strabo [6] ὔτων, inquiens, δ' ὄντων μεγάδων, ἡ κρατῦστα μάλιστα φήμη τῶν περὶ τὸ Ἱερὸν, τὸ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις πιστευομένων, Αἰγυπτίυς ἀποφαίνει τὺς προγόνυς τῶν νῦν Ἰυδαίων λεγομένων: *cum tamen sint convenæ, fama, quæ plurimum obtinet de iis, quæ de templo Hierosolymitano jactata fidem inveniunt, perhibet ab Ægyptiis fuisse prognatos eos, qui nunc Judæi appellantur*. Hisce omnibus φλυαρίαις egregie obviam ivit Josephus in tribus libris, quos contra Apionem inscribit omnigenæ eruditionis refertissimos, quo etiam benevolum Lectorem ablegatum volumus. Quam argute inquit διὰ τὶ Ἀιγυπτίυς ὄντας, ὄντως Ἰυδαίυς καλεῖς, εἰ δὲ ξενόι, διὰ τὶ πόθεν ὐ λέγεις. *Si Ægyptii sunt, cur Judæos vocas? si peregrini, cur non unde exprimis?* Nec huic solum fabulæ accurate satisfacit Flavius, sed etiam vesanæ hypothesi, quam quoque amplectitur Tacitus ultimo dicens, *orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Regem Bocchorim adito Hammonis oraculo remedium petentem purgare regnum, & id genus homines avehere jussum*. Sic crescunt eundo fabulæ: in hoc non terminatur eorum calumniandi amor, quod Ægyptiorum fugitivos dicant, quin etiam causam fugæ addiderunt, nempe lepram. Illud tamen probe observandum, quod adeo de tempore hujus fugæ inter se discrepent Historici, ut nihil supra; etenim Mendesius Sacerdos Ptolomæus [7] id regnante Amasi contigisse dicit: at Tacitus noster regnante Bocchori, qua quidem in re haud multum nos torquebimus; perinde enim nobis est, utrum Amasi, an Bocchori regnante id factum fuisse dicatur: utrum Bocchoris, an Ochoris apud Tacitum scribendum sit; quod si quis tamen ejus prosopographiam scire aveat, adeat Diodorum Siculum [8], qui ita: Βόκχορις τῷ μὲν σώματι παντελῶς εὐκαταφρόνητος, ἀγχινόιᾳ δὲ καὶ φρονήσει πολὺ διαφέρων τῶν προβασιλευόντων. *Bocchoris corpore quidem exili & despecto, sed ingenio & prudentia omnes ante se regnantes vincens*. Sed extra aleam hæc omnia, nec ad ipsum revertimur exitum, de quo ita post multos alios Justinus [9]. *Sed Ægyptii, cum scabiem & vitiliginem paterentur, responso moniti omnes ægros, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt*. Et Justino longe antiquior [10] Diodorus Siculus: κατὰ τὴν Ἄιγυπτον τὸ παλαιὸν λοιμικῆς περιστάσεως γενομένης ἀνέπεμπον οἱ πολλοὶ τὴν αἰτίαν τῶν κακῶν ἐπὶ τὸ δαιμόνιον. Πολλῶν γὰρ καὶ ἀλλοδαπῶν κατοικύντων ξενῶν, καὶ διηλλαγμένοις ἔθεσι χρωμένων περὶ τὸ ἱερὸν, καὶ τὰς θυσίας καταλελύσθαι συνέβαινε παρ' αὐτοῖς τὰς πατρίυς τῶν Θεῶν τιμάς. Καὶ οἱ τῆς χώρας ἐγγενεῖς ὑπέλαβον, ἐὰν μὴ τὺς ἀλλοφύλυς μεταστήσωνται, κρίσιν ὐχ ἕξεσθαι τῶν κακῶν. *In Ægypto lue pestifera quondam exorta, plerique mali causam ad offensam Numinis referebant. Cum enim promiscuæ colluvio-*

[1] Tom. 2. p. 465.
[2] lib. 1. c. Apionem.
[3] Codice 1027.
[4] Contra Cels. p. 416.
[5] Apud Orig. p. 446.
[6] Lib. 16. p. 125.
[7] Apud Tatianum p. 148.
[8] Bibl. hist. lib. 1. p. 59.
[9] Lib. 36. p. 413.
[10] Bibl. Hist. libr. 40.

luvionis advenæ ibi habitarent, ac peregrinis ritibus in sacrorum ministeriis & immolationibus uterentur, evenit, ut aviti Deorum honores apud eos exsolescerent. Hinc suspicio indigenis regionis illius injecta, nisi alienigenas submoverent, fore ut malis nunquam exonerarentur. Quid discriminis inter hasce duas Justini scilicet, & Diodori narrationes sit, Lector ipse facile animadvertet: altera statuit Ægyptios pepulisse leprosos; altera statuit ipsos Ægyptios sacrorum suorum contemptores abegisse. Ambæ sane in ipsa Ægypto natæ a scriptoribus Ægyptiis primum propagatæ sunt, a Manethone scilicet, & Apione, Μανεθὼν, inquit Josephus [1] λόγους ἀπιθάνους παρέβαλεν, ἀναμίξαι βουλόμενος ἡμῖν Αἰγυπτίων πλῆθος λεπρῶν καὶ ἐπὶ ἄλλοις ἀῤῥωστήμασιν, ὥς φησι, φυγεῖν ἐκ τῆς Αἰγύπτου καταγνωσθέντων. *Manethon incredibilia verba contra Judæos inservit, volens permiscere nobis plebem Ægyptiorum, leprosorum, aliorumque languentium, qui, sicut ait, abominatione & fuga ab Ægypto delapsi sunt.* Similem ibi fabulam nectit Lysimachus, quam referre hic tædet, cum nihil fere nisi idem mutatis verbis referat: adeo in absurdissima fabula omnes consentiunt, cujus primum inventæ caussam fuisse arbitror, quod noverint Gentiles Judæos admodum fuisse lepræ obnoxios, quæ Syros quoque ut plurimum & Ægyptios infestabat; vitiligines enim psorasque & tetra ulcera jam olim illis gentibus velut proprias pestes a summis Medicorum adscripta, uno nomine Moses lepram appellavit, quam Judaicæ genti hæreditariam pestilentiam adeo mirati sunt Gentiles, ut ipsos Hebræos sacra sua exinde denominasse crediderint, ita sane Sabbathum a Sabbo dictum fingit Apion, quæ vox δηλοῖ παρ᾽ Αἰγυπτίοις τὸ βουβῶνος ἄλγος [2] & quod adhuc absurdius est, Helladius apud Photium [3] dicit, Mosen alpha vocari, quia ἀλφοῖς, *vitiliginibus*, corpus ejus maculatum fuerit. Ita leprosos sibi Judæos omnes imaginati sunt Gentiles: quare vero per seditionem eos egressos dicant, non adeo obscurum est. Notum quippe e Sacra Scriptura, quot plagis coacti sunt Ægyptii, in confesso est, valde sibi ab eis cavisse Pharaonem, cum dicat: *Israelitæ robustiores nobis sunt, quare callido consilio id agamus, ne augescant, neve hostibus se nostris, orto bello adjungant, aut ipsi arma in nos capessant.* Tale sibi nunquam non metuebat Pharao, cum Ægyptiorum plebs sellu-

[1] C. Apion. p. 1052.

[2] Lib. 2. c. Apion.

[3] Codice 279.

lariis artibus dedita sub umbra urbium intra mœnia desideret, & officia virilis sexus pervertens lanam telamque tractaret, timuit valde homines gnavos, fortes & laboribus adsuetos. Hinc dicente Cunæo odium illud, quod in Sacra Scriptura inter Pastores & Ægyptios memoratur; nam qui caussam ejus a superstitione quadam arcessunt, næ nugas ferunt, non advertentes ipsum Pharaonem innumeras pecudum greges aluisse (etenim proclives illi suopte ingenio ad mollitiem nunquam non abominati sunt Pastores) (quales quoque fuere Israelitæ) actuosos quidem illos, sed ignaviam eorum semper sollicitam tenentes, & jam motus grandes cientes, jam Reges sibi creantes, id quod Romanos quoque cogitasse crediderim, cum Ægypto facile reliqua in fide retenta validiori præsidio munierint, ubi id genus hominum degebat. Inde etiam Celsus Judæos nihil unquam memorabile gessisse; nam pastorem agere bella, gerere id apud Ægyptios memorabile non audit, sed artes & inventa nova publico dare illud demum est, quod laudem mereri, atque memoriam putant, quod tamen vice versa Judæis odiosissimum: illi quippe solam æstimantes agriculturam sua se obscuritate extulerunt, arbitrati diutissime (ut ait Flavius) incorruptissimos mores se servasse, quod in mediterraneis locis habitaverint; aditu ad se nullo peregrinis ac mercatoribus concesso ἀγαθὴν χώραν νεμόμενοι ταύτην ἐκπονοῦμεν *terram fertilem incolumus, eam subigimus*, ait Flavius; hinc quoque fluit, quod ab Ethnicis objicitur, τὸ μὴ καινῶν εὑρετὰς ἔργων παρέχειν *neminem in ea gente auctorem novorum operum exstitisse*. Pulchrum enim & laude dignum non existimant invenire ea, quæ exercere postea illiberale est, prout loqui amat Cunæus [4]. Atque inde est, quod, cum Judæi nullas artes, nulla invenire curaverint exercitia, partim Græci, partim Ægyptii sacrorum ejus gentis inventores se jactent. Quid quod adeo diffusa demum pestilens hæc sententia est, ut Christianorum quoque Patrum animos occupaverit: agmen hac in parte ducit Chrysostomus [5] qui μὴ, inquit, τοίνυν ἀνάξιον, εἶναι νομίσῃς Θεοῦ τὸ δι᾽ ἀστέρος αὐτοὺς καλέσαι ἐπεὶ οὕτω καὶ τὰ Ἰουδαϊκὰ πάντα διαβαλεῖς, καὶ θυσίας καὶ τοὺς καθαρμοὺς, καὶ τὰς νεομηνίας, καὶ τὴν κιβωτὸν, καὶ τὸν ναὸν δὲ αὐτόν. Καὶ γὰρ ἐξ Ἑλληνικῆς ταῦτα παχύτητος ἔλαβε τὴν ἀρχήν. * *Ne opineris Deo indignum, quod Magi per stellam vocentur;*

[4] L. 1. de R. P. Hebr.

[5] Homil. 6. in Matth.

* Chrysostomum in ea non fuisse, quam putat Vormius, sententia tam certum est, ut nihil supra. Sanctissimi Doctoris verba, quæ Hom. 40. in cap. 17. Genes. extant, fidem faciunt, cum ibi data opera, & ex instituto agit de circumcisione, origine, & disciplina Judaicorum rituum. *Ut igitur* ait *ne gentibus se commiscerent, circumcisionem signi gratia justo præcepit, & inquit, hoc est testamentum, quod servabis in-*

tur ; ſimili enim modo omnes Judæorum cæremonias, *omneſque ritus*, *& ſacrificia*, *& purificationes*, *& neomenias*, *& arcam*, *templumque ipſum reprobabis: ſiquidem hæc omnia a Gentium vanitate originem traxere*. En quam apertiſſime omnes ritus ſacros ab Ægyptiis ortos vult Chryſoſtomus raro exemplo, ſimili hactenus apud Patres mihi non obſervato, nec fere apud novitios, niſi Marſhamum, Spencerumque excipias ; Spencerum, inquam, magni nominis & immenſæ famæ virum, qui an plagii incuſari queat, & Chriſtophori Caſtri compilator audire, prout cenſet vir ſummæ eruditionis Carpzowius, judicent alii ; hanc enim controverſiam meam facere mihi non eſt in animo. Non leve certamen inter nationes fuit de inventione Legum : Dracones, Græci, Solones, Locros, Saleucos, Lycurgos, & quæcunque iis vetuſtiora nomina jactitant, quos tamen omnes Legum Magiſtros inter diſcipulorum cathedras plorare jubet Moſes, cum ab eo didicerint quicquid boni legibus eorum immixtum eſt : at Iſraelitarum leges ab eorum placitis profectas nemo, re accuratius expenſa, facile aſſeruerit. De Idololatria id quidem non negaverim; ea enim in re Iſraelitas agnoviſſe pro Magiſtris Ægyptios non negaverim: ſed potius acuta Saliani verba mea fecerim ; ita enim ille [1] *Ægyptii quaſi Parentes Idololatriæ atque Doctores adorabant Apim ſeu Serapim bovem*, *Iſraelitæ ceu Diſcipuli adorabant vitulum*. Sed de abſurda Spenceri ſententia lubet verba eruditiſſimi & ſumma laude digni Stephani Morini ſubjungere : ſcripſerat quippe illi olim Regni Galliarum Secretarius Juſtellus parare Spencerum editionem commentariorum ſuorum de legibus Hebræorum, cui epiſtolæ rotunde hunc in modum reſpondet Morinus : *Nugas agat Anglus cum ſuis ſomniis de Judæorum cæremoniis ex Ægypto oriundis, quia nihil antiquius Lege Moſaica*, *nihilque verius quam Deum authorem illius eſſe*. Quæ Morini verba, ut cedro digna, ita nihil falſi præ ſe ferunt, quod jam jam manifeſtius fiet, ubi demonſtraverimus, quam breviſſime, quam nihil Spenceriana argumenta probent, quotque abſurditates ſententia ejus præ ſe ferat. Hercle πρῶτον, quo utitur, ψεῦδος, & cui omnia ſua poſtea ſuperſtruxit paradoxa, eſt, quod ſtatuat legem cæremonialem datam eſſe propter Iſraelitarum σκληροκαρδίαν, & ſolum in Idololatriæ remedium, non vero fuiſſe eam typicam, aut habuiſſe eam reſpectum ad Chriſtum ceu antitypum. Illud autem eſt quod nos negamus, & pernegamus, cumque id a Magiſtro Grotio didicerit, non miramur, quod adeo illi pertinaciter inhæreat. Sane pleraque inſtituta Moſaica typi rationem præ ſe ferentia ἐκεῖνοις τύποι συνέβαινον *illis typi facta ſunt*, *nobis vero in admonitionem* εἰς οὓς τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατήντησαν *in quos fines ſæculorum devenere*, quod quoque in cauſa fuit, cur pleraque inſtituta legis dicantur σκιὰν ἔχοντα τῶν μελλόντων οὐκ αὐτὴν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων *umbram habentia futurorum bonorum*, *non ipſum Iconem*; *hinc omnia ad tentorium ſacrum pertinentia*, *Deique juſſu facta faciendorum deinceps in cœleſti tabernaculo menſura*. [2] Quibus probe obſervatis, adeo ſolidum exinde naſcitur argumentum, ut, vel per ſe ſolum refutandæ ſententiæ Spencerianæ ſufficiat. Quod ſi enim ſacrificia typum Chriſti præ ſe tulerunt (ut revera eſt ; ita enim explico dictum Ap. 13. 8. ubi Chriſtus dicitur ἐσφαγμένος, ab initio mundi ſubintelligo in ſacrificiis, in typo antitypus.) unde egentium ruditate originem trahere potuerunt, niſi Gentes Diaboli inſtinctu (in ſacrificiis) actos, egiſſe aliquid dicas, quod poſtea ſanctiſſimi Redemptoris ſatisfactionem typice repræſentaret? Deinde non video, qui ſacrificia ex Idololatria orta dici poſſint, cum & Cain & Abel, antequam mundum Idololatria infecerat, ſacrificaverunt, & Noachus Arcam relinquens, cujus ſacrificii odor adeo gratus Domino fuit, ut jurarit, nunquam ſe deinde mundum aquis perditurum. Imo, quod majus eſt, ipſiſſimus Adam, qui ipſum Deum immediate præceptorem habuit, a Rabbinorum doctiſſimis ſacrificaſſe dicitur, id quod ex loco quodam Pſalmorum eruere ſatagunt : Hinc oblatum dicunt taurum, unicum tantum in fronte cornu habentem, ceu videre eſt in guemara holin, quod ita explicant Rabbini, ac cornu ſignificet finem ſacrificii, cognitionem ſcilicet primæ cauſæ unicæ ac ſimplicis ; hinc colligi poteſt, Rabbinos ſciviſſe ſacrificium Adami jam tum fuiſſe typicum, & per ſe Deo non placuiſſe, nec aliter ſentire videtur acerrimus Religionis Chriſtianæ oſor, & deriſor naſutiſſimus Porphyrius, qui ita non ſine ſale diſſerit:

Τίς

[1] Tom. 1. anno mundi 245.

[2] Ad Hebr. 9.

ter me & vos - - - - Deinde ut doceat, *& illos & omnes nos*, *quare hoc* injunxit, & quod non alterius cujuſpiam gratia, quam ut eſſet aſſignatus, & ſibi ſegregatus populus. Et paucis interpoſitis. *Ita & miſericors Dominus circumciſionis ſignum carni eorum indidit*, *quaſi pedibus vinculum quoddam*, *ut domeſticum habentes ſignum*, *non ultra doctrina eorum opus habeant*. Expendant quæſo, & ad veritatis trutinam appendant Sancti Doctoris verba illi omnes, qui cum Meyero Vitcio, & Vormio opinantur Chryſoſtomum Spenceri ſententiæ favere, & noſcant nil tam alienum a mente Chryſoſtomi eſſe quam Spenceri, ac Marſahmi figmenta.

Τὶς ὁ δὲ μωρὸς καὶ λίαν ἀνειμένως
Ἔυπιςος δ᾽ ἀνδρῶν ὅςις ἐλπίζει Θεὺς,
Ὀςῶν ἀσάρκων καὶ χολῆς πυρȣμένης
Ἃ καὶ κυσὶν πέινωσιν ȣ̉χὶ βρώσιμα
Καιρῶν ἀπαρχῆ, καὶ γέρας λαχεῖν τόδε
Τȣ́των τοῖσι τε δρῶσιν ἐκτίνειν χαρίν
Κ᾽ ἂν πειρᾶται κ᾽ ἂν λῃςαὶ καὶ τύραννοι δὴ
Τύχωσιν ὄντες.

Quis gente in hominum tam ſupine credulus
Aut ſtultus adeo qui Deos exiſtimet,
Seu bilis uſtæ, ſeu crudorum oſſium,
Projecta, quæ vix tangit eſuriens canis,
Gaudere donis, idque honori ducere
Facientibuſque gratiam reponere
Licet Tyranni Immanes Piratæ licet,
Licet latrones rapto viventes ſient.

Ibi enim Porphyrius innuit, neceſſario aliquid ſubfuiſſe ſacrificiis, per quæ Deo placuerunt, cum per ſe minime gentium id præſtare potuerint. Quicquid ſit, ſi ſacrificavit Adam, utique non Gentium ruditati originem debuere ſacrificia, ſed potius ipſi Deo, cum Adamum in omnibus ad cultum divinum pertinentibus, a Deo edoctum conſtet: abſurdum quippe eſt, hic iterum cum Spencero dicere, Adamum e ſolo naturæ inſtinctu ſacrificaſſe; licet enim integram conſentientium farraginem recenſeat clariſſimus Outram [1], non poteſt tamen ei ſententiæ tuto aſſenſus præberi; vix enim crediderim agere me aliquid in fide poſſe nullo præcepto divino adductum, vel idem eſſe, ex fide agere, & ex ratione, vel fidem ullam eſſe, quæ non reſpiceret tam præceptum, quam promiſſum. Unde non video qui ſe extricare queant Spencerus, Grotius, aliique qui ſacrificia ad ſolum naturæ jus referunt: quid enim eſt jus naturæ? Ea in re a Grotio informabimur, cum ille validus ſit, & argutus ſententiæ Spencerianæ patronus: *Jus*, inquit, [2] *naturale eſt immutabile, ut ne quidem a Deo mutari queat*. Heus, heus mi Spencere, mi Groti! Quod ſi jus naturæ eſt immutabile, quod ſi ſacrificia ſunt e jure naturæ, nonne neceſſario ſequitur, illa nulli non homini, nullo non tempore eſſe obſervanda? quod autem ex jure naturæ agimus, & quidem recte agimus, id quoque Deo imperante agimus, cum Lex naturæ ſit maxime divina, & ea ipſa, quæ Gentes, reddet ἀναπολογήτȣς. Et cedo quid hac opinione abſurdius? etenim ſi adeo immutabilia ſunt ſacrificia, ut ne a Deo quidem mutari queant, nonne invicte inde ſequitur, in hunc ipſum diem continuanda ea eſſe, non ſpiritualia tantum, & euchariſtica, ſed hilaſtica, ſed externa hircorum & ovium, quo quid abſurdius? Quæ cum ita ſint, non poſſum non, quin exoſculer Euſebii verba, quæ ita jacent [3] Τȣ̃τον δὲ τὸν λογισμὸν ἡγȣ̃μαι ἔιναι, ȣ̉ τὸν τυχόντα, ȣ̉δ᾽ ἀνθρωπίνως κεκινημένον, κατὰ θέιαν δὲ ἐπίνοιαν ὑποβεβλημένον, *ad id faciendum non fortuito conſilio, nec humano motu aut ratione, ſed Divinitus ſuggeſta cogitatione eo inductos fuiſſe, exiſtimo*, quæ non adeo clara dilucidius adhuc habet Athanaſius apud Leidekerum. [4] ἃ γȣ̃ν Μωσῆς ἐδίδασκε, τᾶυτ᾽ Ἀβραὰμ ἐφύλαττεν, ἃ δὲ Ἀβραὰμ ἐφύλαττε τᾶυτα Νῶε, καὶ Ἔνοχ ἐγίνωσκον. Διακρίνοντες καθαρὰ, καὶ ἐυάρεςοι γενομένοι τῷ Θεῷ. Καὶ γὰρ Ἄβελ ȣ̃τως ἐμαρτύρησεν ἐπιςάμενος, τᾶυτα ἅπερ ἦν μαθῶν ἀπὸ τȣ̃ Ἀδὰμ, καὶ ἀυτȣ̃ μαθόντος ἀπὸ Κυρίȣ. *Quæ enim docuit Moſes, eadem ab Abrahamo obſervata ſunt, quæ porro obſervavit Abraham, eadem Noe, & Henoch agnoverunt, diſtinguentes munda & immunda, & gratioſi apud Deum fuerunt. Abel quoque hujus rei teſtis eſt habendus, qui ea, quæ ab Adam acceperat, obtulit Deo, Adam autem magiſterio Dei inſtructus fuit*. Sed ſit vel ita (pono, quod nec a me, nec ab ullo alio ſalva veritate concedi poteſt) profecta ſunt a ſolo naturæ ductu ſacrificia, quidni? omnes omnino gentes ſacrificaverunt? nonne a Julio Cæſare diſcimus [5] quod nec Druydas Germani habuerint, nec ſacrificiis ſtuduerint? Nonne idem apud Americanorum pleroſque ab adventantibus Columbo, Veſputio, aliiſque obſervatum? Quæ omnia probe conſiderans Numa Pompilius, cum, referente Livio, [6] putaret Deorum metum ſine aliquo miraculo deſcendere ad homines non poſſe, ſimulat cum Dea Egeria congreſſus ſibi nocturnos eſſe, ejuſque ſe monitu quæ acceptiſſima Deis eſſent, ſacra inſtituere. Scilicet noverat probe Numa non inveniri ab homine poſſe ſacrificia, aut ab ejus authoritate pendere; ergo, ut eo ſanctius ejus evaderet propoſitum, immortales Deos pro authoribus vendidit. Quid quod minime ſententiæ noſtræ, quod e Bibliis adfert dictum Spencerus, obſtat, quando ſcilicet hircorum ſe ſanguine delectari negat Deus? hoc enim non alium in finem a Propheta dictum, quam ut probet puras puta victimas per ſe eſſe inutiles, doceatque non ea ſola delectare Dominum, & eo ipſo perſtringat eos, qui abſque omni fide immolabant; nec poſſum mihi temperare, quin adferam ſagaciſſimi conciliatoris Menaſſæ Ben Iſrael, in hanc rem verba [7]: *Prophetæ di-*

[1] De ſacrific. libr. 1. cap. 1.

[2] De jure belli & pacis libro 1. pag. 4.

[3] Libro 1. c. 10.

[4] Vis Veritatis lib. 1. p. 186.

[5] De bello Gallico libro 6.

[6] Libro 1. c. 19.

[7] Conciliator p. 138.

dicentes non gratum esse Deo sacrificium respiciunt ad oblationem pro peccatis, quatenus præstat non peccare, at contra, quæ dicuntur grata esse, sunt manifestationis, seu gratiarum actionis.

Ad hæc ergo jam dicta, si attendat benevolus Lector & observet, primum sacrificia non esse ex puro Naturæ instinctu orta, dein Adamum & Abelem primos fuisse Sacrificatores, non vero (ceu credit Spencerus) rudes, & non politas gentes, dein ea fuisse typum Christi, ultimo primariam eorum caussam non *σκληροκαρδίαν* Judæorum fuisse. Sequitur infallibiliter, naturam non posse dictare aliquid, quod est typicum, & illud, quod est typicum, non posse originem debere gentium peccatis, aut conjecturis e Diaboli cacozelia profectis. Sed plura paramus ad refutanda Spenceri paradoxa, vidimus non ita pridem commentantem ea de re Witzium; [1] cujus plagiarii cum audire nolumus, ne hilum quidem aut jam protulimus, aut mox proferemus, nisi quod ab eo, aut non tactum, aut nimis perfunctorie tractatum. Natum enim ex tempore fere hunc fœtum Viro clarissimo credimus, cujus reliqua scripta adeo demorsos sapiunt ungues, ut nihil perfectius a literato orbe exspectari queat. Quod si ipsissima Spenceri argumenta examinare cui volupe fuerit, videbit, quam levia sint & cassa fere nuce abjectiora: agmen inter ea ducit e dictis Biblicis Deut. 4. 7. 8. Act. 13. 18. Exod. 23. 25. Gal. 4. 3. Quæ sane adeo impertinentia sunt, ut noluerim verba adducere, certissimus, ut, si Lectori placuerit evolvere ea, miretur protinus ea a Spencero adducta, quæ nisi valde torta & a genuino sensu abducta ad ejus mentem nihil faciunt. Secundum argumentum e veterum testimoniis, partim bona fide, partim secus recensitis derivat, notum vero Lectori multitudinem errantium non parere errori patrocinium, præsertim tali, qui directe contra sacram Scripturam agit. Quid autem paucula hæc testimonia ad integram farraginem, quam pro contraria sententia adducunt Seldenus, Grotius, Huetius, & eorum demum exscriptor Witzius? ad quos viros nunquam sine honore nominandos Lectorem sciendi avidum remittimus. Tertium Spenceri argumentum e rituum per se infirmitate & inutilitate deductum in eo præcipue fundatur, quod per 2000. annos sine illis Patriarchæ vixerint: Respondemus concedendo ritus Mosaicos per se fuisse infirmos & inutiles, omnem vero ab antitypo suo mutuatos esse decorem, atque ita explicandum est, quod de Judæorum sagacioribus adfert Spencerus, qui cessatura tempore Messiæ Sacrificia docuere: suboluit quippe illis typica hæc esse, quæ omnino præsenti antitypo cessant. Quod vero dicit Spencerus per 2000. annos vixisse Patres sine hujusmodi cæremoniis, id gratis omnino asserit: nam & sacrificavit Abel, & primitias obtulit Cain, & munda ab immundis animalibus distinxit Noe, & præputium posuit Abraham, & decimas Melchisedecho obtulit. Tertium argumentum desumit ex affinitate Hebrææ, & Ægyptiacæ religionis: regerimus primo non adeo similia sibi esse Ægyptiorum & Hebræorum dogmata, ac quidem sibi imaginantur Origenes & Spencerus, nam plane nihili sunt, quæ de Sanctissima Trinitate ex Mercurio Trismegisto adferuntur, cum quæcunque demum ex ejus scriptis supersunt, hodie mere supposititia sint, & nil nisi siculas gerras præ se ferentia: suboluit id pridem sagacissimo Galeno, cum *εὔδηλον*, inquit, *ὅτι λῆρος ἐστὶ καὶ πλάσματα τοῦ συντέντος*. *Manifestum est nugas esse & figmentum ejus, qui librum composuit*. Et sane quæcunque de isto Ægyptii Mercurio finxere, non ad aliam rem pertinent, quam Mosis vitam, quod dudum probavit miraculum hominis Huetius, & ex eo descripsit Witzius. At sit vel ita: magna Judæos inter & Ægyptios est convenientia. Nonne credibilius id a Judæis hausisse Ægyptios, quam vice versa? Nullum hodie dabis institutum, quod ante Abrahami ævum in Ægypto viguit: at certum est e Sacra Scriptura Abrahamum in Ægypto degisse per annum fere, & quod excedit: quidni ergo Abramum docuisse dicam Ægyptios Judæorum instituta præprimis, cum non nisi 280. propterea anni effluxerant, ex quo post diluvium inhabitari cœpta est. Et sepono ista omnia, nec tamen video Ægyptios unquam adeo sapientes fuisse, ut ex illis tam ornatæ, tam dispositæ derivarentur leges. Quod si quærerem, quam præ aliis Ægyptiorum sapientiam jactitent profani Scriptores, responderetur, ni fallor, Astrologicam; eam enim Ægyptiis debere originem, & valde ab iis cultam tradunt historicorum plurimi: at quam infantes in cœlestium motuum observatione fuerint Ægyptii, Chaldæique fere omnes, nemo in his sacris mediocriter versatus ignorare potest. En quam motuum cœlestium periti! stellarum in occidentem motum non deprehenderant, ideo octavam sphæram primum mobile opinabantur, Solem cœterosque planetas in excentricis moveri nesciebant. Hinc ab uno

[1] In libro quem Ægyptiaca inscribit.

æqui-

æquinoctio ad alterum spatium æquale definiebant, idque non ex speciali observatione, sed ex solstitiorum computatione. [1] Hanc Ægyptiorum inscitiam considerans vetustissimus Orphicorum Author, non potuit non, quin eos præ Abrahamo contemneret, quem solum fere Astrologum vocare dignatus est, & quidem apud Clementem Alexandrinum [2] & Eusebium [3] hisce verbis:

Οὐ γὰρ κέν τὶς ἴδοι θνητῶν μερόπων κραίνοντα
Εἰ μὴ μουνογενὴς τὶς ἀπόρρωξ φύλου ἄνωθεν
Χαλδαίων. ἴδρις γὰρ ἔην ἄστροιο πορείης
Καὶ σφαίρης, κίνημ' ἀμφὶ χθόνα ὡς περιτέλλει
Κυκλοτερὲς, ἐν ἴσῳ τε μετὰ σφέτερον κνώδακα.

Nemo illum novit mortalia cuncta regentem:
Unicus ille nisi Chaldæo sanguine cretus.
Norat enim Solis qua se astrum lege rotaret,
Et circum terram magnus se volveret orbis
Æqualisque teresque intus sita circumplectens.

Quærat aliquis, unde scis hic Abrahamum intelligi? Regero aliter se rem habere non posse, cum & apud Eusebium dicat Eupolemus: Ὃν δὴ καὶ τὴν ἀστρολογίαν, καὶ τὴν Καλδαϊκὴν εὑρεῖν. *Hunc repertorem fuisse & scientiæ sideralis, & disciplinæ insuper Chaldaicæ*, & nomen μουνογενὴς insuper apprime Abrahamo conveniat, cum expresse Deus Esaiæ 51. [4] dicat כי-אחד קרתיו *quoniam unum vocavi eum*, quæ considerans Apostolus [5] sic de eo inquit, Διὸ καὶ ἀφ' ἑνὸς ἐγεννήθησαν, *propter quod & ab uno orti sunt*. Merito igitur titulus μουνογενὴς Abrahamo tribuitur, quamvis a Deo tantum אחד dicebatur, non vero יחיד: fuit tamen unus, si non ratione ὁμογόνων, saltem ratione ἀπογόνων. Sed satis de hisce.

Unicum saltem e residuis Spenceri argumentis audiamus, quod exinde sumit, quia Græcos erudiendos Ægyptum, non Palæstinam adiisse proditum est; putat enim Veteres adiisse Ægyptum tanquam celeberrimam sapientiæ non Divinæ minus, quam humanæ (verba hæc Spenceri sunt) Scholam, eosque, si Judæos Ægyptiorum Doctores scivissent, ipsam sine dubio Palæstinam petiisse. At quid si probaverimus Græcos fere omnes Judæam adiisse, aut Judæos in ipsa Ægypto consuluisse? Nolo hic minimam particulam ex iis, quæ Seldenus, Grotius, Huetius, Witzius hanc in rem memoriæ prodidere scius exscribere. Citat varios sibi consentientes authores Spencerus, quos inter palmam meretur Diodorus Siculus; ipse igitur Spenceri patronus Diodorus materiam nobis dabit contra Spencerum disserendi. Primum igitur observandum est, non adeo frequenter petitam a Græcis Ægyptum, ac sibi imaginati sunt hactenus viri eruditissimi; adeo quippe inhospitalis fuit hæc terra, ut nihil supra; unde quoque manavit notissima de immani Busiridis tyrannide traditio, qui neminem admisit hospitem, sed crudelissimo mortis genere omnes enecavit, unde Virgilius [6].

Quis aut Eurysthea durum,
Aut illaudati nescit Busiridis aram?

Hæc vero intolerabilis admodum crudelitas usque ad Psammetichi tempora duravit, de quo ita Diodorus Siculus [7]; Καθόλου δὲ πρῶτος τῶν κατ' Αἴγυπτον βασιλέων ἀνέῳξε τοῖς ἄλλοις ἔθνεσι τὰ κατὰ τὴν ἄλλην χώραν ἐμπόρια, καὶ πολλὴν ἀσφάλειαν τοῖς καταπλέουσι ξενοῖς παρείχετο. Οἱ μὲν γὰρ πρὸ τούτου δυναστεύσαντες ἀνεπίβατον τοῖς ξενοῖς ἐποίουν τὴν Αἴγυπτον, τοὺς μὲν φονεύοντες, τοὺς γὰρ καταδουλούμενοι τῶν καταπλεόντων. *Primus certe omnium Ægyptiorum Regum Gentibus aliis peregrinæ Religionis emporia patefecit, magnamque navigationibus exterorum securitatem præstitit. Nam rerum ante ipsum potiti inaccessam peregrinis Ægyptum faciebant, appulsos vel servitute vel morte mulctantes.* Quæ si ita sunt, patet utique Græcorum vetustioribus, qui ante Psammetichum vixerunt, non inhabitatam fuisse, vel visitatam Ægyptum, cum aditus ipsis minime patuerit; unde frustra sibi patrocinium apud Siculum nostrum quærit Spencerus. Non tamen negandum quædam proferre Diodorum Siculum Spencerianæ consona sententiæ, quæ tamen probe & recte excussa omnem veritatis speciem amittent; ita autem Siculus: [8] Ὁμῶς ἔσπευσαν εἰς αὐτὴν παραβαλεῖν, τῶν μὲν ἀρχαιοτάτων Ὀρφεὺς, καὶ ὁ ποιητὴς Ὅμηρος, τῶν δὲ μεταγενεστέρων Σόλων, καὶ Πυθαγόρας. *Proficisci illuc ex antiquis festinaverunt Orpheus, & Homerus Poeta; e recentioribus Solon, & Pythagoras.* Sed quoniam Græcos sua e Judæis mutuatos demonstrare promisimus, opera danda est, ut ex cana antiquitate probetur, tam Orpheum, & Homerum, quam Solonem, & Pythagoram fuisse Judæorum discipulos, eosque in Ægypto consuluisse. Ad Orpheum igitur quod attinet, partim intelligo veterem illum fabulosum, tot nugis obscuratum, cujus gesta ad Davidem dudum retulit Ursinus [9], ad Mosen vero longe probabilius Huetius, [10] partim recentiorem eorum carminum auctorem, quæ cana vetustas appellavit Orphica

[1] Vide Johannem Morinum in epistola ad Vendelinum.

[2] Stromatum libro 2.

[3] Præpar. Evang. lib. 3.

[4] Esaiæ 51. v. 2.

[5] Bibliothecæ historicæ libro 1. pag. 61.

[6] Libro 7. Georgicorum.

[7] Bibliothecæ Historicæ l. 1. p. 61.

[8] Bibl. Hist. lib. 1. p. 63.

[9] Analect. p. 219. libr. 4.

[10] Demonst. Evangel. Propos. 4. c. 8.

phica, non quod ab Orpheo essent composita, sed quod ab Orpheo tradita continerent. Et inde est, quod duos olim Orpheos, fabulosum scilicet, & hunc carminum auctorem prodiderint Graeci, quos hic quidem confudisse Diodorum certissimus sum, & quorum alius alium integris undecim γενεαῖς, notante Eustathio, [1] antecessit. Noster vero Orphicorum Author, qui saltem post excidium Trojæ floruisse videtur, quicquid demum objiciat Huetius, Homero tamen omnino recentior, adeo manifestis indiciis Mosaicis se usum scriptis prodit, ut sæpius ad Mosen in carminibus suis appellet: en quam rotunde apud Eusebium inquiat, [2]

> Ὡς λόγος ἀρχαίων, ὡς ὑδογενὴς διέταξεν
> Ἐκ θεόθεν γνώμαισι λαβὼν κατὰ δίπλακα θεσμόν.
> *Ut veterum fama est, ut jussit flumine natus*
> *Dona Dei tabulas geminas qui sensibus hausit.*

Citari hic Mosen, sine omni controversia est; nam extractus ex aquis Moses solus lapideas accepit tabulas, & quid multis ea de re opus sit, cum adeo constans veterum sit sententia, quod Orpheus Μουσαίου μαθητὴς sit, ut ipsi fere coæva sit Orpheo? quod vero per Μουσαῖον Moses intelligatur; id in confesso est; ita quippe a Numenio multoties in scriptis ejus effertur: exempli gratia, cum Numenius [3] Musæum vocat Judæorum Ducem, virum Dei precibus exorandi scientissimum, & calamitatum Ægypti auctorem. Quæ cum ita sint, quod scilicet Orpheus (id est Orphicorum auctor) Mosis se discipulum passim prodat, & Mosaicis se usum scriptis sæpius confiteatur, quid demum mirum, si multa se sobria in scriptis ejus offerant? Sæpius miratus sum, quam rotunde interdum profiteatur, & corrigat suum errorem, ut in istis [4].

> Φθέγξομαι, οἷς θέμις ἐστί, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι
> Πάντες, ὁμῶς· σὺ δ' ἄκουε φαεσφόρου ἔκγονε Μήνης
> Μουσαῖε, ἐξερέω γὰρ ἀληθέα, μηδέ σε τὰ πρὶν
> Ἐν στήθεσσι φανέντα φίλης αἰῶνος ἀμέρσῃ;
> Εἰς δὲ λόγον θεῖον βλέψας τούτῳ προσέδρευε
> Ἰθύνων κραδίης νοερὸν κύτος. εὖ δ' ἐπίβαινε
> Ἀτραπιτοῦ, μοῦνον δ' ἐσόρα κόσμοιο ἄνακτα:
> Εἷς ἔστ' αὐτοτελής. ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται,
> Ἐν δ' αὐτοῖς αὐτὸς περινίσσεται. οὐδέ τις αὐτὸν
> Εἰσοράᾳ θνητῶν, αὐτὸς δέ γε πάντας ὁρᾶται.
> *Solis canto piis, omnes procul este profani,*
> *Tu Musæe audi Luna prognate silenti*
> *Vera tibi pandam, mihi quæ prius insita menti.*
> *Adhæsere, bonæ spoliat nos munere vitæ*
> *Respectans verbum divinum huic totus inhære,*
> *Pectoris hoc mentem sacri gressumque gubernat*
> *Incedens recta, Regemque hunc orbis adora,*
> *Unicus est, per se existens, qui cuncta creavit,*
> *Inque his ipse exstat, nulli e mortalibus unquam*
> *Lumine conspectus, mortales conspicit omnes.*

Quam sane hic & pure Deum describit Orpheus! imo fere juxta mentem sanioris Theologiæ, unde quoque verbum divinum a se lectum scribit, & Auditores suos ad id legendum hortatur, imo profanos omnes ut ut præconceptis opinionibus occupatos ab hoc sermone arcet. Musæum præterea alloquitur, quem Mosen fuisse nuper probavimus; nihil vero obstat, quod e Luna prognatus hic dicatur, cum illustris Huetius [5] ea propter id factum asserit, quod Moses a Madianitide ad Hæbreos servitio liberandos prodierit: atqui Madianitæ Luna se satos gloriati sunt, imo Lunam adorantes eam כבר sua lingua vocarunt, teste Euthymio Zigabeno [6] Προσκυνοῦντες τε Φωσφόρῳ ἄστρῳ καὶ τῇ Σελήνῃ, ἣν δὲ καὶ χάβαρ τῇ ἑαυτῶν ἐπονομάζουσι γλώττῃ, δηλοῖ δὲ ἡ λέξις αὐτὴ τὴν μεγάλην. *Adorantes Phosphorum & Lunam, quam Cabar sua lingua vocarunt: Cabar autem Magnam interpretantur.* Quid mirum ergo si Madianitidis incolæ Lunæ se nepotes dixerint, & ab iis ad liberandos Israelitas prodierit Moses? quod Gentiles rem totam pervertentes illum Lunæ serum nepotem crediderint, & ea propter demum a Luna natum dixerint; haud aliter ac se ab Abrahamo natos gloriabantur Pronepotes Judæi, cui eorum sententiæ forsitan majus exinde robur additum, quod Moses in Scripturis sæpius vocetur כבר id est *magnus*, *Dux magnus & insignis* (conjectura hæc saltem est) & illi vocarunt Lunam כבר: ergo credidere Lunæ, & Mosis nomen confusum, sed ἐν παρόδῳ hæcce. Quoniam enim de Or-

[1] Iliados α.

[2] Præpar. Evang. libro 3. c. 12.

[3] Apud Justinum Martyrem p. 15.

[4] Apud Justinum Martyrem p. 15.

[5] Demonstr. Evang. Propos. 4. C. 8. pag. 183.

[6] In Panoplia.

Orpheo agimus, eſt ut ipſum adeamus Siculum, & demonſtremus, quæ ille Græciæ intuliſſe dicitur, omnino eſſe Hebraicæ originis: Poſtquam igitur Orpheus Diodoro dicitur Poeſi & Melodia Græcorum præſtantiſſimus, ſtatim additur illum tuliſſe ſecum, & invexiſſe in Græciam τῶ μυςικῶν τελετῶ τὰ πλεῖϛα, καὶ τὰ περὶ τὴν ἑαυτȢ πλάνην ὀργιαζόμενα, καὶ τὴν τῶ ἐν ἅδȣ μυθολογίαν: *Myſteriorum perfectorum plurima, Bacchi Orgia, & Inferni mythologiam.*

Quæ omnia non dubitamus, quin e Palæſtina petierit Orpheus. Orgia Bacchi primum ſe offerunt, cum non poſſit non ipſe Bacchus eſſe Moſes, id quod lubentiſſime demonſtraremus, niſi omni ex parte id feciſſet Huetius, adeo quidem ut poſt ejus meſſem ne ſicilimenta quidem nobis ſuperſint demetenda, idem quoque de Silenis Bacchi affinibus noſtrum eſt judicium, quos cum ex Ægypto deducere laborat Marshamus, næ non advertit ipſos olim Græcos ipſi contradixiſſe; quando enim Pauſanias [1] dicit: θνητὸν δὲ εἶναι τὸ γένος τῶ Σιληνῶν, εἰκάσαι τὶς ἂν μάλιϛα ἐπὶ τοῖς τάφοις αὐτῶν. ἐν γὰρ τῇ Ἑβραίων χώρᾳ ΣιληνȢ μνῆμα, *mortale vero eſſe Silenorum genus, maxime ex eorum ſepulchris liquet; eſt enim in Hebræorum loco Sileni monumentum*, luculenter noſtræ aſſenſum præbet ſententiæ; ut enim a ſepulchris ad Silenorum mortalitatem argumentatur, ita cum eos apud Hebræos ſepultos memorat, inferre licet eos in Palæſtina vixiſſe, atque ſic Græciam agnoviſſe Judæos homines pro Silenis. Sed nobis, nec de Bacchi, nec Silenorum perſona agendum eſt, ipſa ſaltem examinanda ſunt Orgia, quæ, ne aliquid detur Siculo, Spencerove, origine Hebræa eſſet demonſtrandum. Age igitur procedant omnia Orgiorum myſteria, & dum nomina ſua vere Hebræa produnt, fateantur ortum ſe Palæſtinæ debere, ipſum Bacchi nomen Græcum Ἴακχος revera a τῷ יה eſt, cum antea ſatis, ut putamus, demonſtratum a nobis ſit id a Græcis per ἰάω redditum, quod vero Ἴακχος vocatus ſit, aliquando Ἰάω, luculenter loquitur Clarius Apollo, cui audit ἁβρὸν Ἰάω, quæ cum conſidero, deprehendiſſe me puto, cur in honorem Bacchi celebratum a Judæis Sabbathum memoret Plutarchus; cum enim Siculus prodidit Moſen τὸν Θεὸν ἰάω legum ſuarum auctorem feciſſe, & Apollo Bacchum eo ipſo inſigniverit titulo, quid mirum ſi Apollinis verba cum Diodori Græcorum reliquorum traditione confundens Plutarchus id Baccho tribuerit, quod ſoli vero Deo debebatur? Ipſa vero ὄργια unde nomen ſuum deſumpſerunt niſi ab eadem re, unde Bacchus? is quippe ita dictus eſt a τῷ בכה *ululare*; quod poſt alios bene obſervavit Heinſius: ſic quoque Orgia ab initio non fuiſſe feſtum, certiſſime mihi perſuaſum habeo, ſed ipſius Bacchi nomen, qui forſan ערג יה *clamans Deus*, id eſt *flens*, *ululans* (nam ערג proprie de ululatu cervorum, quos canes perſequuntur, ſumitur) dictus eſt: ſin vero prætendat aliquis omnia auctorum teſtimonia contra nos agere, obtinebimus tamen id: Orgia *clamorem Divinum* ſignificaſſe. Celebrata olim in Orgiis convivia Mazonas vocata innuit Atheneus [2] ἐν ἅπασι τοῖς δείπνοις, inquiens (μάλιϛα λεγομένοις μάζωσι) τȢτο γὰρ ἔτι καὶ νῦν ἡ διονυσιακὴ σύνοδος ἔχει τὤνομα. *In omnibus porro cœnis* (*ſed in iis potiſſimum quas Mazonas vocant*) *hac enim appellatione vocatur adhuc conventus artificum Dionyſiacorum.* Apprime & eleganter! מצון quipqe *cibus obſonium* apud Hebræos ſignificat, eapropter idem nomen retentum a Græcis, Bacchiciſque applicatum conviviis, nec ſane aliud ipſi volunt Græci, cum id a μάζα derivant; dari enim peculiares placentulas apud Hebræos, quas מצאח vocant, nemo ignorat. Nec forſan aliquid minus vero ſimile dicam, ſi θαλίας ſuas Palæſtinæ debere Homerum dixerim, cum feſtum Tabernaculorum, ad cujus exemplum inſtituta Orgia, dicatur חגא דבטלאי & ipſe Benhadad aliquando בטטלאי cænaſſe dicitur. Sed ad Orgia ipſa revertimur, ubi celebre id Bacchantium epiphonema ſe offert: Εὐοῖ Σαβοῖ ὕης ἄττης ἄττης ὕης.

Conſulantur Bochartus Dikinſon, aliique & facile liquebit non eſſe hanc inconditam cantilenam niſi pure Hebraicam. Prima vox εὐοῖ interpretem olim nacta eſt Clementem Alexandrinum, patrem ut Græcæ literaturæ peritiſſimum, ita Hebraicæ infantiſſimum, qui ita [3] Ἀνεϛεμμένοι τοῖς ὄφεσιν ἐπολολύζοντες Εὐάν, Εὐάν ἐκείνην, δι' ἣν ἡ πλάνη παρηκολȢθησε, καὶ σημεῖον Ὀργίων βακχικῶν ὄφις ἐϛὶ τετελεσμένος. Αὐτίκα γȢν κατὰ τὴν ἀκριβῆ τῶν Ἑβραίων φωνὴν, τὸ ὄνομα τȢ Εὐία διασυνόμενον ἑρμηνεύεται ὄφις ἡ θήλεια. *Coronati ſerpentibus ululantes Evam, Evam illam, per quam error eſt conſecutus, & ſignum Bacchicorum Orgiorum eſt ſerpens myſteriis initiatus. Jam vero, ſi accurate vox ſpectetur Hebraica, nomen Hevia exponitur ſerpens fœmina.* Ludatne hic an ſerio agat Clemens, haud facile dixerim, cum nihil penitus Orgiis Bacchicis cum lapſu Protoplaſtorum & Evæ ad ſerpentem alloquio commune ſit. Quæ cum ita ſint luben-

[1] In Libro Eliacorum Poſteriori qui eſt Græciæ ſextus.

[2] Deipnoſ. libr. 4. c. 13. p. 149.

[3] In Protreptico pag. 7.

lubenter Bocharto assentimur deducenti hanc vocem ab exclamatione Salomonæa אבוי vino immorantibus applicata [1] Quod vero ad sequentem vocem Σαβοῖ attinet, illam ex Hebræo סבא, quod 70. οἰνοφλυγεῖν vertunt, ortam credo; unde nomen ortum סבא *sicera*, *vinum*. Conjecturam hanc suo stabilire assensu videtur Hesychius, qui Σαβάζειν βακχεύειν, & Σάβος βακχεῖον reddit. Sequentia ἄττης ἄττης ὕης videntur esse fere æquivalentia orta ab Hebræo אתה אש & הוא אש quod ipsissimo Deo tribuitur. [2] Hactenus Orgia Bacchica Palæstinæ deberi demonstravimus, restat, ut idem in mythologia de Inferis tentemus. Non equidem dissimulo huic nostræ sententiæ multum contrariari Diodorum, qui [3] Orpheum dicit τὰς καὶ τῶν ἀσεβῶν ἐν ᾅδου τιμωρίας, καὶ τοὺς τῶν εὐσεβῶν λειμῶνας, καὶ τὰς παρὰ τοῖς πολλοῖς εἰδωλοποιίας παρεισαγαγεῖν μιμησάμενον τὰ περὶ τὰς ταφὰς τὰς κατ' Αἴγυπτον, *dum impiorum pœnas apud inferos & piorum prata, & pervulgatas spectrorum opiniones introduxit funebres Ægyptiorum ritus imitatum fuisse*. Sed si recte excutiantur ista omnia, facile liquebit quantopere erravit tam Diodorus, quam Diodori ambasiator Marshamus. Utinam superesset hodie Protagoræ liber περὶ τῶν ἐν ᾅδου Laertio [4] memoratus, ex quo multa in hanc rem depromi potuissent: quoniam vero hunc nobis thesaurum temporum eripuit injuria, age evolvamus reliqua Gentilium scripta, & ex illis quicquid nostram sublevare sententiam queat, excerpamus. Æternitatem suppliciorum infernalium toties in Scriptura inculcatam agnoscere videntur Gentiles, & inter eos Plato [5] τούτους δὲ ἡ προσήκουσα μοῖρα ῥίπτει εἰς τὸν τάρταρον ὅθεν οὔποτε ἐκβαίνουσιν: *hos conveniens sors mergit in Tartarum unde nunquam egrediuntur*, & Lucianus [6] οὐ γὰρ θέμις ἀνελθεῖν τινὰ τῶν ἅπαξ διαπλευσάντων τὴν λίμνην, καὶ ἐς τὸ εἴσω τοῦ στομίου προελθόντων. *Neque enim reverti fas est quemquam, qui semel paludem transmiserit atque intra specus hiatum descenderit*. Igne cruciandos esse damnatos Sacra Scriptura prodit, uti & Gentes; sic enim Plutarchus [7] ᾅδου τινὲς ἀνοίγονται πύλαι βαθεῖαι, καὶ ποταμοὶ πυρὸς ὁμοῦ καὶ στυγὸς ἀπόρρωγες ἀνακεντοῦνται, καὶ σκότος ἐφήπλωται. *Orci quædam portæ aperiuntur, & fluvii simul ignis stygisque panduntur rivi, tenebræque obducuntur*. Meminit hic quoque tenebrarum Plutarchus, ne scilicet qua esset traditionum Judaicarum quam non ad se traherent Græci; ut enim Christus [8] infernum σκότος τὸ ἐξώτερον vocat, ita Sophocles. [9]

Ἔνθεν τὸν ἄπειρον ἐρεύγονται σκότον
Σκληροὶ δνοφερᾶς νυκτὸς ποταμοί.

Ubi immensas ructant tenebras
Duri umbrosæ noctis fluvii.

Abyssum esse infernum, prout eum coram divite Epulone [10] describit Abraham, agnovere quoque Gentiles, ut testatur Coryphæus horum omnium Plato [11] Πλέω δὲ, inquiens καὶ ἀδικώτερα μεταπεσόντα εἰς βάθος, τὰ τε κάτω λεγόμενα τῶν τόπων ὅσα ᾅδη τε καὶ τὰ τούτων ἐχόμενα τῶν ὀνομάτων ἐπονομάζονται, &c. *Quæ magis atque atrocius peccaverunt animæ, decidunt in profundum, & in regionem inferiorem delabuntur, inferorum vocabulo similibusque nominibus appellatam*. Habituros esse damnatos in consortio suo Dæmones, agnovisse olim Gentiles certus sum, nisi me fallit Plato, qui adfuisse Ardiæo ἄνδρας ἀγρίους καὶ διαπύρους inquit [12] per quos intelligi Dæmones non dubito. Hæc Gentilium placita si Lector benevolus examinare velit, vix inventurum fidem Marshamum credo, qui doctrinam hanc ab Ægypto accersit. Sed ne nimis prolixi simus, dictum jam esto satis de Orpheo. At quidni unicum ex Origene [13] addimus, quod scilicet ejuratus & insensissimus Christiani Nominis hostis Celsus non potuerit recte intelligere, qui hæc ad Orpheum notitia pervenire? quapropter subsannator turgidus eum ὁμολογουμένως θείῳ κεχρημένον πνεύματι *haud dubie sancto afflatum spiritu* affirmavit. Sequitur apud Siculum Homerus, quem solum fere coluere Græci, quem humanis præferre ingeniis ausus est Plinius, quem πολυπράγμονα Antigonus, multiscium & omnium peritum Apulejus, Patrem liberalium disciplinarum Tertullianus haud sine ratione vocavit, ille, inquam, Homerus plurima (ne dicam omnia) sua ex Oriente deprompsit, quod, ne gratis id dixisse videamur, probare allaborabimus; nolumus quidem Antiquorum opinioni, quod in Ægypto fuerit, hic contradictum ire (licet ob datas ante rationes non per omnia eam admittimus) sed id eo tempore factum dicimus, cum πάλιν ᾤκουν Ἑβραῖοι τὴν Αἴγυπτον *rursus inhabitarent Hebræi Ægyptum*, prout loqui amat Eusebius, & hinc liquet non propter incolas, sed advenas petitam ab Homero Ægyptum, id quod scripta ejus demonstrant luculentissime, integros sæpe Sacræ Scripturæ locos referentia. Suboluit id olim Justino Martyri, qui cum multa de eo dixerat, subsistit tamen his verbis: [14] Καὶ τοῦ χάειν τοῦτο γέγονε μνήμη νυνί, ἵνα δέξωμεν τὸν ποιητὴν καὶ τῆς ἀπὸ τῆς θείας τῶν προφητῶν ἱστορίας πολλὰ εἰς τὴν ἑαυτοῦ μεταβαλόντα ποίησιν. Καὶ πρῶτον τῆς κόσμου ποιείας ἀπὸ Μωϋσέως τὴν εἰρημένην ἀρχήν. οὕτω γὰρ Μωϋσῆς γέγραφεν. ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν εἶτα, Ἥλιον καὶ Σελήνην

καὶ

[1] Proverb. 23. v. 29. 30.
[2] Deut. 4. v. 24.
[3] Libro 1. Bibl. p. 61.
[4] In Protagora p. 665.
[5] De Republica libro 10.
[6] Dial. Mort. &c.
[7] De audiendis Poetis p. 17.
[8] Matth. 12. v. 13. 25. 30.
[9] Apud Plutarchum de laud. Poet. p. 17.
[10] Lucæ 12.
[11] De Legibus lib. 10. pag. 11.
[12] De R. P. libr. 10. p. 9
[13] Libr. 1. Bibl. Hist.
[14] Pag. 122. in cohortatione ad Græcos.

ϗ ἀςέρας: ταῦτα γὰρ ἐν Αἰγύπτῳ μαθὼν, καὶ τοῖς ὑπὸ αὐτοῦ ἐν τῇ τοῦ κόσμου γενέσει γραφεῖσιν ἀρεσθεὶς, ἐν τῇ τοῦ Ἀχιλλέως ἀσπίδι τὸν Ἡφαίςον ὥσπερ εἰκόνα τινὰ τῆς κοσμοποιΐας κατασκευάσαι παρασκεύασεν οὕτω γὰρ γέγραφεν:

Ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ' ἐν δ' οὐρανὸν ἐν δὲ θάλασσαν
Ἐν δὲ τὰ τείρεα πάντα τάτ' οὐρανὸς ἐςεφάνωται.

Id eſt *Cujus autem rei gratia hæc modo illata eſt mentio, ut oſtendamus permulta eſſe a Poeta ex divinis quoque Prophetarum libris in opus ſuum relata, ac primum conditi mundi a Moſe operi ſuo præmiſſum initium; nam Moſes ita ſcripſit: in principio Deus fecit cœlum & terram, deinde Solem & Lunam & Stellas. Hæc ſane in Ægypto didicit, & ſcriptis ejuſmodi in creatione mundi delectatus, ut Vulcanus in Achillis clypeo velut imaginem quamdam mundi creationis exprimeret, inſtituit; ſic enim ſcripſit:*

Hic cœlum effinxit terram pelaguſque profundum,
Aſtraque queis magni diſtincta eſt regio cœli,
Et Solem indefeſſum & pleno ſidere Lunam.

Animadvertit illum ipſum parallelismum Clemens Alexandrinus [1] qui alium inſuper addit inter Homeri, & Eſaiæ locum, hiſce quidem verbis. [2] Ὅμηρος δὲ οὐκ ὀκνεῖ ἐν κατάρας μέρει θέσθαι τό:

Ἀλλ' ὑμεῖς, μὲν πάντες ὕδωρ ϗ γαῖα γένοισθε.

Καθάπερ Ἡσαΐας ϗ καταπατήσατε αὐτοὺς λέγων ὡς πηλόν. *Homerus autem non veretur ponere loco execrationis:*

Omnes in terram ſubito redeatis & undam.

Ut Eſaias dicit & conculcare ipſos ſicut lutum. Hactenus Clemens. Quod ſi ita parallelismum inter Homeri & Scripturæ verba inſtituere quis aggrederetur, utique innumera inveniret ſcitu non indigna: nobis vero ſufficit Patrum ea de re adduxiſſe ſententiam, cum Juſtini Martyris hanc obſervationem noſtram facere nolimus, ne in cenſoriam ab aliis notam incurramus. Submiſſe tamen precamur, ut liceat nobis hic paulatim morari, & abſtruſa quædam Homerica ex Judæa orta demonſtrare. Sic totam de Polyphemo fabulam laciniam eſſe Hiſtoriæ Samſonis a non nemine pridem demonſtratum eſt. Simile eſt illud, quando Homerus dicit Deos peregrinorum habitu urbes circumire, & hominum facta explorare his verbis [3]

Καὶ τε Θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι
Παντοῖοι τελέθοντες, ἐπιςρωφῶσι πόληας
Ἀνθρώπων ὕβριν τε ϗ εὐνομίην ἐφορῶντες.

Nam & Dii hoſpitibus ſimiles peregrinis
Verſantes ſe in omnes formas verſantur per civitates.
Hominum bene & male facta inſpicientes

Hoc enim ex iſto, quod Abrahamo accidit, ortum eſſe certiſſimus ſum, quando ſcilicet Angeli humana forma induti coram ipſo apparuere, & voluere deinceps pergere Sodomam improbitatem incolarum viſuri. Sed hem! quoniam de Diis loquimur, offert ſe, quam Deorum nuncium nunquam non ſcribit Homerus, Iris, prout Iliados θ Ἶρις ἄγγελος ἦλθεν, & perpetuo deinceps, cum nunquam fere occurrat Iris, niſi cum hoc epitheto Θεῶν ἄγγελος, unde vero iſtud? fruſtra ſunt, quotquot hic aut εἴρω aut ἔρις arceſſunt; cum ab Oriente ſola ejus ratio haberi poſſit. Iris, dempta terminatione, Chaldaice ſcriptum עיר denotat Angelum, unde quoque Scholion ad Danielem Ἀντὶ τοῦ εἰρ οἱ Ο ἄγγελον ἡρμήνευσαν, *pro voce* עיר *Angelum* 70. *interpretati ſunt*: unde melius & convenientius Iridi epitheton addere non potuit Homerus, quam id quod ejus exprimet ſignificationem nempe Ἄγγελος. Quod Venerem & Adonidem ſemper comites & nonnunquam conjuges faciat Homerus, non niſi ex Hebraiſmo explicari poteſt. Quis eſt Adonis? Non alius quam Sol. Eam in rem argumenta Macrobii repetere tædet, cum ipſum id nomen indicet; nam ſi quis rem ipſam accuratius penſitet, percipiet quod Ἄδωνις & Ἥλιος vocabula ſint ἰσοδυναμοῦντα ambo ab Oriente profecta, ambo Solem denotantia, qui variis modis adoratus eſt, & ab adoratione cognominatus: jam enim Solem colentes exclamavere ארני ארני *Domine mi, Domine mi*, & tunc dictus eſt Adonis: jam iterum אלי אלי *Deus mi, Deus mi*, & tum Ἥλιος eſt vocatus; cum ergo Adonis probatur eſſe Sol, quid mirum ſi ei jungatur Venus planeta Solis σύνδρομος? Illa ipſa vero Venus tam quoad Latinum quam Græcum nomen Hebræa eſt: venuſtas & gratia Hebraicæ הן Græce ſcriptum ἕν, quod more aliorum vocabulorum (ἕσπερα *veſpera*) latine redactum Ven, & addita terminatione maſculina Venus: ne vero miretur quis terminationem hic maſculinam, ſciendum eſt Venerem teſtibus Grammaticis a Virgilio Deum dici, & ab Antiquis barbatam fuiſſe cultam. Græcum vero nomen

[1] Stromatum lib. 5. p. 436.
[2] Libro 5. pag. 435.
[3] Odyſſ. ρ p. 525.

men ἀφροδίτην ἐκ τȣ̃ ἄφρȣ id est ſpuma maris derivari crediderim, cum vetuſtiſſimus mos apud Judæos Idololatria corruptos fuerit, ſtellas orientes, ſeu (ut tum loquebantur) ex mari prodeuntes adorare; etenim e mari prodire, & oriri, unam habent ſignificationem apud Veteres, ita quoque ipſe Sol, ipſe, inquam, Adonis apud Homerum φεύγειν εἰς ἀχέροντα *fugere in Acherontem dicitur:* quid autem illud eſt, niſi occidere, cum אחרון apud Hebræos de occidente uſurpetur, & mare occidentis Moſi dicatur ים אחרון? Quam vero accurate lapſum Protoplaſtorum deſcribat noſter, operæ eſſet pretium aliquanto plenius cognoſcere, ſi id chartæ hujus anguſtia permitteret. Sane ſi ulla debetur Juſtino Martyri fides, ne locum quidem, in quo hic lapſus contigit, intactum reliquit: καὶ τȣ̃ παραδείσȣ, inquit Beatus Martyr in cohortatione ad Gentes, εἰκόνα τὸν Ἀλκινόȣ κῆπον σώζειν πεποίηκεν, ἀειθαλῆ τε αὐτὸν καὶ καρπῶν πλήρη διὰ τȣ̃ ἐκείνȣ ἐπιδεικνύς. *Deinde ut Paradiſi effigiem Alcinoi horti conſervarent, fecit, ſemper illum florentem & frugum ubertate ſcatentem per imaginem proponens.* Hiſce verbis ſubjungit, quæ in Odyſſ. η. v. 112. & ſeq. habentur, & demum concludit: ταῦτα τὰ ῥήματα ȣ̓ φανερὰν καὶ τρανῆ μίμησιν τ̃ ὑπὸ τȣ̃ πρώτȣ προφήτȣ Μωϋσέως περὶ τȣ̃ παραδείσȣ λεχθέντων δηλοῖ. *Carmina hæc annon claram & perfectam a Principe Propheta Moſe de Paradiſo dictorum verborum referunt imitationem?* Quod vero ad ipſum attinet lapſum, luculenter ſatis ſignificat Homerus per mulierem totam in homines calamitatem propagatam eſſe; hinc Iliad. τ. v. 91.

> Πρέσβα Διὸς θυγάτηρ, Ἄτη ἣ πάντας ἀᾶται
> Οὐλομένη
> *Filia prima Jovis quæque omnes perdidit Ate*
> *Pernicioſa*

Alio vero in loco dum Jovem, quem ipſe ſapientiſſimum vocat, ab uxore Junone deceptum memorat, nihil vult aliud quam Adamum ab Eva valde deluſum. Quid ſi ad turrim Babylonicam digitum intendimus? videtur illam expreſſiſſe Homerus; quæ conjectura ne apud nos videatur nata aderit Juſtinus Martyr: εἰ δέ τις, inquiens, καὶ εἰς τὴν τȣ̃ πύργȣ ποίησιν ἀφορᾷν ἐθέλοι, δι᾽ ἧς οἱ τότε τηνικαῦτα ἄνδρες τὴν εἰς ȣ̓ρανὸν ἄνοδον δύνασθαι κατασκευάζειν ἑαυτοῖς ᾤοντο, εὑρήσει καὶ ταύτην ἱκανὴν δι᾽ ἀλληγορίας μίμησιν ὑπὸ τȣ̃ ποιητȣ̃ διὰ τ̃ Ὤτȣ καὶ Ἐφιάλτȣ γινομένην: ȣ̃τω γὰρ ὁ ποιητὴς περὶ αὐτῶν ἔφη:

> Οἳ ῥα καὶ ἀθανάτοισιν ἀπειλήτην ἐν Ὀλύμπῳ
> Φυλόπιδα στήσειν πολυάϊκος πολέμοιο
> Ὄσσαν ἐπ᾽ Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν αὐτὰρ ἐπ᾽ Ὄσσῃ
> Πήλιον εἰνοσίφυλλον, ἵν᾽ ȣ̓ρανὸς ἀμβατὸς εἴη.

Quod ſi quis ad ſtructuram etiam turris oculos convertat, per quam ſe ætatis ejus homines aſcenſum in cœlum ſibi parare poſſe putaverunt, inveniet & hujus, per allegoriam, locupletem æmulationem a Poeta in Oto & Ephialte expreſſam; ad hunc nam ille modum de eis memorat:

> *Qui bello conferre pedem cœleſtibus oris*
> *Ipſis cum Divis auſu voluere minaci*
> *Suntque adeo conati Oſſam ſuper addere Olympo,*
> *Pelion atque Oſſæ, aſcenſum ſibi ad aſtra parantes.*

Exoſculamur hæc Juſtini verba exquiſitiſſimam diligentiam redolentia, quæ cum noſtram conjecturam valde ſtabiliant, nihil omnino iis addere decrevimus. Memorat porro Iliados θ catenam Jovis a cœlo in terram porrectam, indigitans (niſi cum Fabritio fallimur) ſcalam Jacobi in libro Geneſeos deſcriptam. Sed (ut illud ſaltem hoc loco addam) augurium quoque ab Hebræis didiciſſe videtur Homerus, & quidem a Patriarcha Joſepho. Viderat olim Pharaonis Piſtor aves ad caput ſuum advolantes, quod ſomnium, ubi Joſepho relatum fuit, mortem ſibi id portendiſſe animadvertit infelix Piſtor. En ſimilia apud Homerum [1]

> - - - τὼ δ᾽ αἰετὼ εὐρύοπα Ζεὺς
> Ὑψόθεν ἐκ κορυφῆς ὄρεος προέηκε πέτεσθαι.
> Ἐς δ᾽ ἰδέτην πάντων κεφαλὰς ὄσσοντο δ᾽ ὄλεθρον
> Δρυψαμένω δ᾽ ὀνύχεσσι παρειὰς - - -
> - - - *huic autem aquilas late videns Jupiter*
> *Ex alto, a vertice montis compulit volare:*
> *Aſpexerunt autem omnia capita portendebatque mortem*
> *Laniantes unguibus maxillas* - - -

In quo hunc avium circa capita volatum portendere mortem indigitat Homerus a Joſepho, vel ſcriptis Moſis, edoctus: modum autem, quo colligit id Halitherus Maſtorides, ob prolixitatem recenſere nolumus: verba ejus ſequuntur proxime, ad quæ benevolum Lectorem remittimus. Nec alium habuiſſe Magiſtrum videtur Chalchas; ut enim Joſephus ſomnium Pharaonis 7. vaccas pingues a 7. macilentis devoratas, & totidem ariſtas repræſentans per ſeptem annorum famem interpretatur, ita Chalcas

8.

[1] Odiſſ. β pag. 36. 38.

8. pullos una cum matre ab aquila devoratos, 9. annorum obſidionem portendere Iliad. β dicit, & quidem hiſce verbis:

Ὡς οὗτος κατὰ τέκν' ἔφαγε ςρυθοῖο καὶ αὐτήν
Ὀκτὼ, ἀτὰρ μήτηρ ἐνάτη ἦν, ἣ τέκε τέκνα,
Ὡς ἡμεῖς τοσσαῦτ' ἔτεα πτολεμίξομεν αὖθι.

Ut hic filios devoravit paſſeris, & ipſam,
Octo, ſed mater nona erat, quæ peperit filios,
Sic nos tot annos bellabimus hic.

Ineſcatos olim delitiis Ægyptiacis Iſraelitas, & dulcia appetentes allia, nemo ignorat, quorum exemplum in ſociis ſuis expreſſit Homerus, quos Lotho ineſcatos reditus in Patriam oblitos eſſe dicit his verbis.

Τῶν δὲ ὅςις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν
Οὐκ ἔτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν ἐ δὲ νεέσθαι

Horum autem quicunque Lothum comediſſet æque ac mel ſuavem.
Non jam renunciare rurſum volebat, neque redire.

At plura de Homero addere nolumus. Sequitur in Diodori Bibliotheca Solon celebris ille Athenienſium legislator, quem Ægyptum iviſſe, non quidem inficias ierim; ſed quid in Ægypto egerit, quoque id tempore contigerit, optime expedit Euſebius [1] Σόλωνα δὲ καὶ αὐτὸν τῶν ἑπτὰ Σοφῶν, ὃν δὴ καὶ λόγος Ἀθηναῖος νομοθετῆσαι, Αἰγυπτίοις ὁμοίως φησὶν ὁ Πλάτων προσεσχηκέναι, ὁπηνίκα πάλιν ᾤκουν Ἑβραῖοι τὴν Αἴγυπτον. *Jam Solonem unum item e 7. illis Sapientibus, quem Athenienſibus leges tuliſſe fama communis eſt, Ægyptum petiiſſe, quo tempore Ægyptum rurſus incolebant Judæi, teſtis eſt Plato.* Extorſit igitur Platoni veritas hanc confeſſionem, quod Solon Iſraelitarum in Ægypto degentium tempore eo profectus ſit, horum quippe, non Ægyptiorum, eruditio ſalivam Soloni movit, eumque ad viſitandam Ægyptum pertulit, ubi adeo Hæbreorum myſteriis ſe immiſcuit, ut multa eorum vocabula græce expreſſerit. Teſtem eam in rem citabo Platonem, cujus locus [2] ita ſe habet: τὸ δ' ἔτι βραχὺ πρὸ τοῦ λόγου δεῖ δηλῶσαι, μὴ πολλάκις ἀκούοντες, Ἑλληνικὰ βαρβάρων ἀνδρῶν ὀνόματα θαυμάζητε: τὸ γὰρ αἴτιον αὐτῶν πεύσεσθε. Σόλων ἐπινοῶν εἰς τὴν αὐτοῦ ποίησιν καταχρήσασθαι τῷ λόγῳ, διαπυνθανόμενος τὴν τῶν ὀνομάτων δύναμιν, εὗρε τούς τε Αἰγυπτίους, τοὺς πρώτους ἐκείνους αὐτὰ γράψαντας, εἰς τὴν αὐτῶν φωνὴν μετενηνοχότας, αὐτός τε αὖ πάλιν ἑκάστου τὴν διάνοιαν ὀνόματος ἀναλαμβάνων εἰς τὴν ἡμετέραν ἄγων φωνὴν ἀπεγράφετο. *Illud in hujus ſermonis limine dicendum vobis ne miremini, ſi Græca ſæpe audiatis virorum barbarorum nomina. Cauſam jam intelligetis. Cum Solon carminibus ſuis inſerere hanc narrationem vellet, vim ipſam ſignificationemque nominum perſcrutatus, reperit Ægyptiorum primos, qui de rebus ipſis ſcripſerant, in ſuam ea linguam tranſtuliſſe; ipſe vero percepta unius cujuſque ſignificatione, ea ipſa noſtro veſtiit ſermone.* Videtis quantopere delectatus ſit libris, quos in Ægypto invenit Solon (lege ſcilicet Moſaica) nam ſane eam ſuis in legibus non occulte expreſſit, ſed maniſeſtiſſime ſæpius prodidit, adeo quidem, ut haud pauca ejus dentur veſtigia. Quoniam vero ea de re paululum diſſerere cogitamus, haud abs re fore credimus, ſi in anteceſſum probaverimus ipſum Athenarum nomen a Judæa profectum. Dicunt omnes fere Græci Minervæ id debere originem, quam pro voluntate ſua quilibet modo Ἀθήνην & Ἀθάναν, modo Ἀθηναίαν & Ἀθηνᾶν ſcribit: in ejus vero nominis derivatione indicanda vanam Grajorum ſtultitiam ſæpius riſimus, modo eam ἀπὸ τοῦ ἀθρεῖν, quod cuncta videat, modo a θῶ privatio, id eſt, θηλάζω, (quaſi nullius uber ſugens a Patre ſine Matre genita) arceſſunt. Longe prudentius hic faciunt, qui Hebraicam linguam in ſubſidium vocant, quid aliud indigitat nata e cerebro Jovis Minerva, quam verbum Dei ab ipſo Deo profectum, & ipſo dictante conſcriptum? illud vero verbum תנה *vocatum*, & præfixo ה התנה *hathena*, quod græce ſcriptum dempta adſpiratione ἀθῆνα locum Athenarum denominationi ortæ ſcilicet, conſenſu omnium, a Minervæ nomine, dedit. Quicquid demum illud ſit, nos hic non tam de Athenienſis nominis quam legum Solonis origine agere conſtituimus, quam a Palæſtina non ſine ratione deducimus, dum tanta ſit inter Solonis & Moſis leges convenientia, ut totam Hæbreorum legem a Solone perlectam non dubitemus. Obſervavit id unico in exemplo illuſtris Grotius [3] de furum pœna: omnes fures a Moſe, aut quintuplici redditione, aut alio modo mulctantur, ſolus vero fur nocturnus occidi permittitur, ſimili ſane ratione Solon mulctatis reliquis furibus, ſolum nocturnum morti adjudicavit. Sed hanc rem longe plura illuſtrare poſſunt exempla. Moſes olim filias Iſraelitarum jubet agnatis ſuis nubere, orta primum hac controverſia & mota e filiabus Zelaphadi, ad quas tota parentum pertinebat hæreditas; legem eam ad ſuas quoque traxit Solon, & ceu recitat

Sopa-

[1] Libro 10. pag. 421.

[2] In Chritia.

[3] De jure belli libr. 2. cap. 1. 12.

Sopater, ita exscripsit : τῇ ἐπικλήρῳ ἐπιδικαζέσθω ὁ ἀγχιστεὺς , *illi , ad quam tota pertinet hæreditas , nubat cognatus* . Fratrem unum orbi & demortui fratris semen suscitaturum, id est, viduam ejus ducturum voluit olim Moses, voluit & Solon, unde Terentius:

Lex est ut orbæ qui sint genere proximæ ,
Iis nubant , & illos ducere eadem hæc lex jubet .

ad quæ verba Donatus : *orba proximo nubat , orbam proximus ducat Lex Attica est* . Moses surdo maledicere vetuit ; tam surdo quam mortuo maledicta ingerere prohibuit Solon . Immodicum propter mortuos luctum , cæsuras carnis, & plura id genus a profanis derivata ejici a populo Dei voluit Moses ; Solon non sine summa severitate luctui prædefinit limites , præficas ejicit , & corpora eam ob rem sauciari non permittit , teste Emmio [1] . Adulteros ipsissimo in actu deprehensos confodi jubet Moses ; mœchos in scortatione inventos trucidare deprehendentibus permisit Solon. Moses vendi animam ex Israele gravi comminatione addita interdixit ; ne filii, filiæ , servi , aut servæ Atheniensium vendantur , sub mortis pœna inhibet Solon . Agnum anniculum integrum & perfectum in sacrificiis mactari voluit Moses ; nullum agnum anno juniorem Diis offerendum statuit Solon , jubetque præterea ut sit ὀφελὴς ὁλόκληρος καὶ ἐντελὴς . Moses omnem, qui cadaver tetigerat , immundum pronunciat, & aqua mundari jubet; Solon mandat Atheniensibus , ut , elato mortuo , purgandi causa lavent, testante Aristophanis scholiaste . [2] Moses immundas vult puerperas, & tangentes eas purgare se jubet , ipsas vero templo arcet , ad puerperas ut ut immundas, accedere quemquam Solon vetat , eosque qui secus fecissent , altaribus prohibet , confirmante prius Chrysostomo [3] posterius Euripide [4] . Destinatam immolandis victimis aram pro foribus Tabernaculi posuit Moses , sanctioribus in interiori collocatis ; Solon relictis in adytis signis , altaria ipso in templi vestibulo collocari curavit. *In sacrificiis tuis offeres sal* , ait Dominus per Mosen [5] sic Plinius asseverat nulla sacra sine sale confici, [6] quod quoque a Solone teste Plutarcho [7] Atheniensibus injunctum . Possem his quam plurima addere, nisi brevitatis hoc vetaret studium : scio quod meam hanc sententiam suo benevolus Lector facile adjuvet suffragio , præsertim si ipsi considerare placeat Magistratus Atheniensium , Judæorumque Synedria , quibus collatis tanta institutorum

[1] Græc. Antiqu. part. 3. p. 69.
[2] Nub.
[3] hom.13. In Epist.ad Ephes .
[4] In Iphigenia .
[5] Levit. 1. v. 13.
[6] libro 31. pag. 7.
[7] In vita Solonis .

apparebit concordia , ut protinus exclamandum sit sine Sacræ Scripturæ notitia publicare ea Solonem non potuisse . Quod si quis ea scire desiderat , adeat elaboratissimum Guilielmi Postelli de Magistratu Atheniensium tractatum , eumque cum Bibliis conferat , cœterisque Judæorum vetustissimis traditionibus , verumque nos dixisse illico deprehendet , nobis vero ea de re differendi brevi forsan dabitur occasio . Quicquid demum sit , adeo mutuatus est Hæbreorum instituta suppresso tamen nomine Solon , ut plagiariis eum accensere ferme haud vererer , putaremque eum melius regessisse quæstioni apud Ciceronem olim propositæ [8] cur nullum supplicium constituisset in eos , qui patres necabant ? si dixisset , quia eam in Israelitarum legibus non invenio ; hanc enim & alias id genus leges in constitutionibus populi Israelitici non adeo expresse positas sicco quoque pede præteriit Solon . Quæ cum ita sint , quis miretur Gentes tot conformia Judæis instituta habuisse , præprimis Romanos , cum ad Gentes , plerasque Solonis quoque leges pervenerint ? testatur illud de Romanis Livius [9] *missi sunt legati Athenas Sp. Posthumius Albus , A. Manlius , P. Sulpicius Camerinus , jussique inclitas Solonis leges describere* . Quam eorum partem fideliter ab illis administratam deinde comperimus , cum leges in tabulis , prout a Solone mandatum secum duxerint , ut hoc addam illam in tabulis describendi leges consuetudinem a Mosaicis quoque tabulis derivatam . Sufficiant hæc de Solone dicta , restat apud Diodorum Siculum solus Pythagoras , de quo cum tot apud Seldenum , aliosque eo recentiores occurrunt , nolumus hic nisi paucissima , saltem ut promissis nostris stemus , inserere : illud vero in antecessum observandum duximus , quod non sine ratione Homerum , Solonem , Pythagoram conjungat Diodorus , sed quia primus unusquisque sua in arte habitus fuit; ut enim Homerus primus Poeta , Solon primus Legislator (Draconis enim vita non nisi fabula) ita quoque primus Pythagoras Philosophus attestante id Eusebio [10] ὀψὲ δὲ τὲ καὶ μᾶλλον τοῖς χρόνοις ὑποβεβηκότες οἱ Ἕλληνες φιλόσοφοι διαπρέπσαι μνημονεύονται, ὧν Πυθαγόρας πρῶτος Φερεκύδȣ γνώριμος ὃ φιλοσοφίαν ἀνεύρων ὄνομα . *Horum princeps ille Pythagoras Pherecydis ante discipulus , a quo Philosophiæ nomen inventum est* . Addit vero postea Eusebius [11] , & quidem sane ac sobrie , serius in Græcia Philosophorum viguisse nomen , quam pronunciatum esse . Quapropter cum nos quoque Homerum , Solonem , Pythagoram

Prin-

[8] In Oratione pro S. A. Amerino .
[9] libro 3. cap. 31.
[10] l. 5.
[11] Ibidem p. 470.

Principes Poetarum, Legislatorum, Philosophorum, omnia sua Palæstinæ debere probavimus, idem quoque de successoribus eorum fere in verba jurantibus judicium esto; Pythagoram vero nostrum, ut ad eum redeamus, Judæis olim usum Præceptoribus, non est quod dubitemus. Affirmare id videtur Eusebius [1] Καὶ τὸν Φερεκύδην δὲ Σύρον ἀναγράφουσιν, ὃν μαθητεῦσαι τὸν Πυθαγόραν φασὶν, οὐ μόνον δὲ τούτῳ συγγένεσθαι ὁ Πυθαγόρας λέγεται, διατρίψαι δὲ καὶ παρὰ τοῖς Περσῶν Μάγοις, καὶ τοῖς Αἰγυπτίων δὲ Προφήταις μαθητεῦσαι, καθ' ὃν χρόνον Ἑβραίων οἱ μὲν ἐπ' Αἰγύπτου, οἱ δ' ἐπὶ Βαβυλῶνος φαίνονται τὴν μετοικίαν πεποιημένοι. *Quin etiam ipsum quoque Pherecydem, cui Pythagoram dedisse operam ferunt, Syrum fuisse proditum est. Quanquam non eo tantum doctore usum fuisse Pythagoram tradunt, sed etiam cum Magis apud Persas, cum Prophetis apud Ægyptios consuetudinem habuisse, quo quidem tempore partim in Ægyptum, partim Babylonem Hebræos migrasse liquet.* Bene Eusebius indicat Pythagoram non tantum usum præceptore Syriaco, sed congressum quoque cum Judæis in Ægypto degentibus, quod quidem ejus effatum confirmat Jamblichus [2] ἐνταῦθα δὲ συμβαλὼν τοῖς τε Μώχου φυσιολόγου προφήταις ἀπογόνοις, καὶ τοῖς ἄλλοις καὶ Φοινικοῖς ἱεροφάνταις *illic cum prophetis Mochi Physiologi successoribus aliisque etiam & Phœniciis sacerdotibus congressus.* Historici Phœnicii Mochi, qui res patrias conscripsit, meminerunt, Athenæus [3] Josephus [4] per quem Mosen intelligi neutiquam dubitamus, cum Hebraicum משה Græce scriptum Μώσχος, levissima mutatione in Μῶχος degenerare potuit, quam quidem nostram sententiam scilicet cum Mosis successoribus congressum Pythagoram non leviter corroborat illud Hermippi apud Josephum [5] ταῦτα δὲ ἔπραττε καὶ ἔλεγε τὰς Ἰουδαίων καὶ Θρακῶν δόξας καὶ μεταφέρων εἰς ἑαυτόν: ἀληθῶς γὰρ ὁ ἀνὴρ ἐκεῖνος πολλὰ τῶν παρὰ Ἰουδαίοις νομίμων εἰς τὴν αὐτοῦ μετήνεγκε φιλοσοφίαν. *Hæc faciebat, & dicebat Judæorum & Thracum opiniones imitans, & sibi vendicans. Vere enim vir ille multa Judæorum instituta in suam transtulit Philosophiam.* Possemus æque hic parallelismum inter Pythagorica & Mosaica instituere, ac nuper inter Solonis leges, sed cum præstitum id sit, a Grotio [6] Huetio [7] Seldeno [8] Wendelino [9] nolumus ea de re verbulum addere. Ipsum quidem Pythagoram multi Syrum faciunt, ut Jamblichus [10] Eusebius [11] Clemens Alexandrinus [12] & præ omnibus * Ambrosius, qui [13] ita: *nam cum ex populo Judaico, ut plerique arbitrantur, genus duxerit, ex ejus quoque disciplina derivavit magisterii præcepta.* Sed satis de Pythagora, præsertim cum ea, quæ hic adduximus, maximam partem ab aliis pridem observata sint. Male igitur Lactantius [14] *unde equidem soleo mirari, quod cum Pythagoras amore veritatis incensus ad Ægyptios, Magos, & Persas usque migrasset, ad Judæos tamen non accesserit.* Quam nollem hisce superaddere Aristotelem (cum observatio de ejus & Judæi cujusdam colloquio toties a novitiis scriptoribus sit adducta, ut nauseam parere facili negotio posset) nisi mihi id extorqueret Jonsius insigne illud Clearchi testimonium, in dubium vocans, imo plane rejiciens, & fabulis accensens; [15] at qua fronte, quo jure videant Eruditi. Sex quidem utitur argumentis non indignis, quibus respondeatur. Primum exinde petitum est, quod liber iste Clearchi περὶ ὕπνου a nemine præter Josephum citari credat, sed vellem adderet Cl. Author Eusebium libro 9. c. 5. Præparationis Evangelicæ, & Clementem Alexandrinum Stromatum libro 1. Quos diversos legisse, & citare codices certissimum, & ex citationis varietate clarissimum est: hinc Clemens inquit: Κλέαρχος ὁ περιπατητικὸς εἰδέναι φησί τινα Ἰουδαῖον, ὃς Ἀριστοτέλει συνεγένετο. *Clearchus Peripateticus Judæum se novisse dicit, qui cum Aristotele fuit conversatus.* Quæ verba apud Josephum, aut Eusebium frustra quæsita non credibile est addidisse de suo Clementem, sed potius invenisse in citato περὶ ὕπνου libro. Et quæso cur eliminat hunc librum Jonsius? An quia periit? Ergone temporum injuriæ aliam & graviorem superaddere licet injuriam? An quia soli meminerunt Josephus, Eusebius, & Clemens, qui, quales, & quanti Viri? Ergone ejiciendus e numero librorum Aristotelicorum soli memoratus Athenæo περὶ τῶν ἐν τῷ ὑγρῷ? quod tamen a nemine hactenus factum scimus. Secundum argumentum in eo fundatur, quod Hyperochidem soli Josepho memoratum autumet, qua quidem in re ipsi haud multum contradixerim, cum nec apud alios id nominis

* Vormius Sanctorum Patrum iniquus arbiter suo more nugatur. Duo hic refert Ambrosius, & quod Pithagoras ex Judæis suum duxerit genus; & quod ex ejusdem Gentis emonumentis suæ philosophiæ dogmata ac præcepta traxerit. Circa Pithagoræ propaginem nihil prorsus scrutatur aut definit Ambrosius; nam ait, *ut plerique arbitrantur*: aliorum ergo sententiam tantum prodit, quid vero ipse sentiat non dicit. Pithagoram vero ex Hebræis multa delibasse est ferme omnium cum Antiquorum tum recentiorum Scriptorum sententia. Hoc argumentum scite tractatur a Francisco Collio in parte prima sui op. de animabus Paganorum.

[1] Ibidem p. 470.
[2] In vita Pythagoræ lib. 1. c. 2.
[3] Deipnosoph. lib. 3.
[4] Lib. 1. c. Apionem.
[5] C. Apionem libro 2.
[6] P. 338. de Veritate Rel. Christ.
[7] Demonstr. Evang. Propos. 4. c. 2.
[8] Syntagm. 2. c. 1
[9] In dissertatione de τετράχθυ.
[10] Libr. 1. c. 2. de vita Pythagoræ.
[11] Præpar. Evang. libr 10. c. 4.
[12] Strom. 2.
[13] L. 1. Ep. 6.
[14] De V. Sapientia. c. 2.
[15] Histor. Philos. l. 1. cap. 18.

a me observatum sit, sed an exinde testimonii falsitas demonstrari queat, vix ac ne vix quidem crediderim. Tertio instat Jonsius vocem σχολαστικὸς σχολὴ, &c. in hoc Clearchi testimonio usurpatam ætatem Aristotele longe inferiorem sapere. Sed, ut pace viri clarissimi id dixerim, hæc ejus observatio valde falsa est; nam (ut taceam observationem Laertii memorantem Theopompum usurpasse in Epistola quadam vocem σχολαστικὸν, & licet id de Jonsio ut insolens adduci hoc vocabulum, tamen negari non potest, id iis temporibus fuisse notum) certum est apud ipsum Aristotelem vocem σχολὴ non adeo ignotam esse: sic libro 5. aperte inquit καὶ μήτε σχολὰς μήτε ἄλλους ἐπιτρέπειν γίνεσθαι σχολαστικοὺς μελέτας: sic Plutarchus quoque libro 5. de audiend: Clearchum nostrum, & Xenocratem συσχολάστας vocat, cum tamen valde credibile sit, Virum Judiciosissimum non alio Clearchum insignire titulo, quam quem ipse Clearchus, si revixisset, potuisset intelligere. Quarto voces Ἰουδαία Ἰουδαῖος Ἱερουσαλὴμ taxat Jonsius in testimonio Clearchi, & tanquam isto sæculo indigna, & quæ apud omnes coævos Aristoteli scriptores frustra quærerentur: sed hem Jonsi iterum impingis! considerandus omnino hic est Hecatæus Aristotelis revera σύγχρονος, quem cum Alexandro Magno nutritum & cum Ptolomæo Lagi commoratum testatur Flavius l. 1. c. Apionem: ille vero Ἑκαταῖος ὁ Ἀβδηρίτης, ἀνὴρ φιλόσοφος ἅμα, καὶ περὶ τὰς πράξεις ἱκανώτατος, ἰδίαν βίβλον ἀνέθηκε τῇ περὶ Ἰουδαίων ἱστορίᾳ, πλεῖστα περὶ αὐτῶν διέξεισιν. *Hecatæus Abderita vir Philosophus atque idem ad res agendas valde idoneus, singularem librum destinavit Historiæ Judaicæ, in quo multa de iis prodit*, testante Eusebio l. 9. Præpar. Evang. Καὶ Ἑκαταίου τοῦ ἱστορικοῦ φέρεται περὶ Ἰουδαίων βιβλίον, *& Hecatæi Historici circumfertur de Judæis liber*, inquit Origenes libro 1. c. Celsum, quem librum lectum a se olim indigitat Herennius Philo. Is Hecatæus præterea expresse tam Judæos, quam Hierosolymam nominat ἔστι γὰρ, inquiens, p. 1409. ap. Joseph., τῶν Ἰουδαίων τὰ μὲν πολλὰ ὀχυρώματα κατὰ τὴν χώραν καὶ κῶμαι. μία δὲ πόλις ὀχυρὰ πεντήκοντα μάλιστα σταδίων τὴν περίμετρον, ἣν οἰκοῦσι ἀνθρώπων περὶ δώδεκα μυριάδες, καλοῦσι δ' αὐτὴν Ἱεροσόλυμα. *Sunt autem Judæorum & aliæ quidem multæ per provincias munitiones, atque vici. Una vero civitas munitissima habens præcipue circuitum 50. stadiorum in qua commorantur hominum circa 150. millia nomine Hierosolyma.* Vides nominatam Aristotelis tempore Hierosolymam? Cujus postea nomen adeo familiariter usurpatum est, ut nihil supra: en Petronium in Catalectis.

Exemptus populo Graja migrabit ab urbe.

Sic enim revera scribendum est, non *Grajam migrabit ad urbem*, ut vult Hadrianides, multo minus *Gratam*, *Sanctam*, ut volunt alii. Hanc vero male per Neapolin explicat Douza; revera enim Hierosolyma intelligitur, quam Grajam urbem exinde dictam colligo, quod Veteres omnes constanter crediderint id nominis origine Græcum esse. Præsto sit, & verba mea confirmet Lysimachus, qui Judæos dicit ἐλθεῖν εἰς τὴν νῦν Ἰουδαίαν προσαγορευομένην. κτίσαντας δὲ πόλιν ἐλθεῖν ἐνταῦθα κατοικεῖν. τὸ δὲ ἄστυ τοῦτο Ἱερόσυλα, ἀπὸ τῆς ἐκείνων διαθέσεως ὠνομάσθαι: ὕστερον δὲ αὐτοὺς ἐπικρατήσαντας χρόνῳ διαλλάξαι τὴν ὀνομασίαν πρὸς τὸ ὀνειδίζεσθαι καὶ τήν τε πόλιν Ἱεροσόλυμα προσαγορεύεσθαι. *Venisse in eam quæ nunc Judæa dicitur, conditaque civitate ibi habitasse; urbem vero* ἱερόσυλα *ex re nominatam, aliquanto autem post jam auctis viribus mutasse nomen vitandi probri causa, & urbem Hierosolymam vocasse.* Sed ista ἐν παρόδῳ: post Hecatæum suo merito adducendus est Berosus ἀνὴρ Βαβυλώνιος, ἱερεὺς τοῦ παρ' αὐτοῖς Βήλου, κατ' Ἀλέξανδρον γινόμενος, *Vir Babylonius, Sacerdos Beli, qui ætate Alexandri vixit.* Qui historiam suam emisit Philadelphi temporibus, cujus anno 6. regnare cœpit Antiochus Σωτὴρ; anno autem 22. Antiochus Θεὸς, quorum alterutri attestante Eusebio & Tatiano historiam suam dedicavit. Is vero Berosus tam αἰχμαλώτους Ἰουδαίων, quam multa alia de Judæis tam apud Josephum & Eusebium, quam Clementem & Origenem memorat. Post Berosum Manethon τῶν ἐν Αἰγύπτῳ μιαρῶν ἱερῶν ἀρχιερεὺς μετὰ Βηροσσὸν γενόμενος dicente Syncello, *Judæos* dicit *in terra, quæ nunc Judæa vocatur, civitatem ædificasse, eamque Hierosolymam vocasse.* Et nonne Sanchoniathon & ejus interpres Philo Byblius, nonne Polemon, Mnaseas, Agatharchides, nonne Plato tam Ἰουδαίους quam Ἰουδαίαν sæpius mentionem injiciunt? & quod magis Parens horum omnium Homerus Ἰούδης πίονα δῆμον ex erudita viri docti conjectura dicitur nominasse. Quinto loco putat Jonsius vix fidem hoc mereri testimonium, cum ab Antiquorum nemine præter Josephum, Clementem, & Eusebium confirmatum sit. Nonne injurius tantis viris est hac in parte Jonsius, qui eorum verba & antiquissima testimonia recenti suppositiæque chronologiæ postponit, cujus non tamen verba profert, quæ ut iis responderetur necessario adferenda erant? Utque ea saltem omit-

omittam, Ariſtotelem cum Mago quodam Syro collocutum refert Laertius [1] φησὶ δὲ Ἀριστοτέλης Μάγον τινὰ ἐλθόντα ἐκ Συρίας εἰς Ἀθήνας τά τε ἄλλα καταγνῶναι τοῦ Σωκράτης, καὶ δὲ βίαιον ἔσεσθαι τὴν τελευτὴν αὐτῷ. *Refert Ariſtoteles Magum quemdam ex Syria profectum Athenas Socratem pluribus in rebus reprehendiſſe, violentamque illi mortem prædixiſſe.* Alteraque pars Charchei teſtimonii ſimile fundamentum apud eumdem Laertium invenit [2] Κλέαρχος ὁ Σολεὺς ἐν τῷ περὶ παιδείας, καὶ τοὺς γυμνοσοφίστας ἀπογόνους εἶναι τῶν Μάγων φησὶν, ἔνιοι δὲ καὶ τοὺς Ἰουδαίους ἐκ τούτων εἶναι. *Clearchus Solenſis in tractatu de diſciplina Gymnoſophiſtas nepotes Magorum eſſe dicit, quidam etiam Judæos ex illis eſſe dicunt.* Quibus Antiquorum teſtimoniis licet claris per ſe & luculentis antiquiſſimas Judæorum traditiones fabulis nonnihil deformatas addere libet, quæ Ariſtotelem referente Seldeno [3] tradunt, jam moribundum diſcipulos ſuos & pœnæ ac præmii rationem docuiſſe, & ſecutum hac in parte Semi poſteros id eſt Judæos, a quibus edoctus, monituſque a Simone Juſto Pontifice priſtinas mutavit ſententias. *In univerſum quibus ante ſenſerat contra legem, & doctrinam Hebræorum, & in hominem deinde plane alium migraſſe.* Ut taceam Rabbi Sem Tob ipſam Ariſtotelis confeſſionem hanc in rem citare [4]. Sexto producit Jonſius Chronologiam vitæ Ariſtotelis, & exinde probare ſatagit nunquam peragratam ab Ariſtotele Aſiam, ſed ad Chronologiam illam ſuppoſititiam nihil aliud regerimus, quam non poſſe eam contradicere auctoritatibus Ammonii, Solini, Quæſtionum Babylonicarum Auctoris, aſſerentibus profectum cum Alexandro Ariſtotelem: & quid credibilius, quam eum, qui non Diſcipulo tantum ſuo, ſed & Sobrino Calliſtheni, auctore Laertio, hanc profectionem tantopere commendavit, magno ſuo & ſimul dilecto diſcipulo Alexandro indiſſolubiles junxiſſe manus? Quid? Quod teſtatur id exquiſita ejus animalium Hiſtoria, quæ ſæpius animalia iſta ſibi viſa memorat, quæ non extra Aſiam reperiuntur. Hactenus dicta ſi quis concedat, & præconceptas ſeponat opiniones, Spencerum Philoſophos cum ſolis Ægyptiis, non vero Judæis locutos dixiſſe fruſtra, niſi me fallunt omnia, concedet, nec mirabitur Græcorum antiquiſſimos Hiſtoriam Moſaicam in Saturni, Joviſque fabulam, prout nuper monſtratum convertiſſe, cum multa a Judæis edocti ea ſæpius, ut in Græcia facta, iterum narraverint; rarum enim eis & inſolitum hujuſmodi non fuit plagium, cum ſæpe, quæ ab hac perſona in hac regione facta ſint, ad aliam perſonam, aliamque regionem traxerint. Lubet eam in rem ipſiſſima Prophyrii apud Euſebium [5] verba exemplum hujuſmodi plagii pulcre repræſentantia proferre: Ἄνδρωνος ἐν τῷ τρίποδι περὶ Πυθαγόρου τοῦ φιλοσόφου τὰ περὶ τὰς προῤῥήσεις ἱστορηκότος εἰπόντος τε ὡς διψήσας ποτὲ ἐν Μεταποντίῳ καὶ ἔκ τινος φρέατος ἀνιμήσας, καὶ πίων, προεῖπεν, ὡς εἰς τρίτην ἡμέραν ἔσοιτο σεισμός, καὶ ἕτερά τινα τούτοις ἐπαγαγὼν, ἐπιλέγει. Ταῦτ' οὖν τοῦ Ἄνδρωνος περὶ Πυθαγόρου ἱστορηκότος πάντα ὑφείλετο Θεόπομπος. Εἰ μὲν περὶ Πυθαγόρου λέγων, τάχα ἂν καὶ ἕτεροι ἠπίσταντο περὶ αὐτοῦ καὶ ἔλεγον, ταῦτα καὶ αὐτὸς ἂν εἶπον. νῦν δὲ τὴν κλοπὴν δήλην πεποίηκεν ἡ τοῦ ὀνόματος μετάθεσις τοῖς μὲν γὰρ πράγμασι κέχρηται τοῖς αὐτοῖς ἕτερον δ' ὄνομα μετενήνοχε. Φερεκύδην γὰρ τὸν Σύριον πεποίηκε ταῦτα προλέγοντα. οὐ μόνον δὲ τούτῳ τῷ ὀνόματι ἀποκρύπτει τὴν κλοπὴν, ἀλλὰ καὶ τόπων μετατίθησι. Τό τε γὰρ περὶ τῆς προῤῥήσεως τοῦ σεισμοῦ ἐν Μεταποντίῳ ὑπ' Ἄνδρωνος ῥηθὲν, ἐν Συρίᾳ εἰρῆσθαι φησὶν ὁ Θεόπομπος. *Andron in tripode de Pythagora Philoſopho, ejuſque prædictionibus loquens, dicit quod Metaponti aliquando ſitiens e puteo aquam hauſerit, eaque pota prædixiſſet, poſt triduum fore terræ motum, aliaque ejuſmodi addit. Hæc itaque de Pythagora, quæ tradit Andron, Theopompus ſuffuratus eſt, qui ſi idem de Pythagora dixiſſet, confeſtim dixiſſent reliqui: idem & ille inquit: aperte autem furem ſe prodit mutando nomina rebus ſervatis. Fingit enim Pherecydem Syrum ita prædixiſſe, neque tamen hoc ſolo nomine fraudem ſuam occultare vult, ſed & loci nomen immutat. Quæ enim de prædictione terræ motus Metaponti acciderunt juxta Andronem, eadem in Syria contigiſſe tradit Theopompus.* En inſigne impoſturæ Græcanicæ exemplum! quod integrum recenſere non aliam ob rem placuit, quam ut in lucem prodiret Veterum in recenſendis hiſtoriis fides; etenim ſi ita in rebus non ita pridem factis Pythagoram cum Pherecyde, Metapontum cum Syria ſcii volenteſque confundunt, quid mirum ſi in eruendis antiquitatibus Jovem, Saturnumve cum Moſe, Ægyptum aut Palæſtinam cum Græcia miſcent? quod quoque tam manifeſte (ceu nuper probavimus) factum eſt, ut cum Porphyrio audeamus dicere, aperte fures ſe Græcos prodere, quod mutent nomen rebus ſervatis, & porro ſi ipſum nomen Moſis retinuiſſent, exclamarent confeſtim omnes ταῦτα καὶ αὐτὸς ἂν εἶπον. Vicimus igitur contra Spencerum, Græcos Philoſophos tam adiiſſe Judæam, quam cum Judæis locutos: ne vero allatæ demonſtrationi aliquid deeſſe videa-

[1] De vitis Philoſ. libro 2.

[2] In præfatione.

[3] De Jure Nat. C. 14.

[4] In Ethica Ariſtotelica.

[5] Præpar. Evang. libro 10.

deatur, animus est institutum sumere ante datam Legem usurpatum, idque quo modo ad Gentes devenerit tradere, ut cognoscat saltem Spencerus causam parallelismi sacras inter & profanas cœremonias cacozeliæ deberi Diabolicæ, non vero mandato alicui divino. Vetustissimus igitur Lucorum usus erit, cui hac in parte operæ nonnihil impendemus. Haud equidem ignoramus habere nos adversarium ea quoque in parte Spencerum, utpote qui absolute inficias it Patriarchas, Sanctosque Dei viros unquam in lucis sacrificasse, vel plantasse eum in finem lucos, ut Divino cultui inservirent. At quoniam apertissima eam in rem Sacræ Scripturæ sunt verba, piaculum nobis erit ab illis recedere. Nonne habitasse dicitur Abraham באלוני ממרא *in quercetis Mamre?* quod quidem Patres in unum fere omnes suis approbant suffragiis, traduntque unam inter reliquas eminuisse quercum, sub qua ipse cœnavit, & sacrificavit Abraham quam vel Constantini Magni tempore superfuisse tradunt Hieronymus [1] & Zozomenus [2]. Nonne sub quercu Schecemetana aram posuit ille Abraham, & sacra Deo obtulit, quam præcipue ob causam idem lucus Josvæ 24. audit מקדש יהוה *Sanctuarium Dei*, sub quo ipsum stetisse Tabernaculum perantiqua traditio est? Quid quod in Bersabe lucum plantasse legitur noster Abraham? quem vero in finem? Ut invocaret ibi nomen Domini & eo longe junior Gideon Deum pariter sub quercu Ephraitica excepit. Quæ exempla satis, superque evidentia, luculenter, ni fallor, evincunt Patriarchas pro sacris habuisse lucos, & querceta, quicquid demum agat Spencerus Dictator ea in parte, omnia quidem asserens, sed nihil probans. Quod si vero quæreret aliquis, quid in causa esset, cur præ reliquis lucos sacri elegere Patriarchæ, ego putaverim annixos eos imitari ea in parte Protoplastos, & tale Deo habitaculum facere, quale ipsis antea fecerat; posuisse enim Deum hominem liquet in amplissimo & spatiosissimo horto, verius luco dixerim, cum satis pateat densissimas adfuisse arbores, & quidem copiose, quoniam locum reddidere obscurum, sub quo primi se Parentes occultavere: quapropter Adam huic loco adsuetus, & e Paradiso post lapsum ejectus plantare similes lucos instituit, quæ deinde consuetudo ad Sethum, Enochum, Noachum, eorumque serum nepotem Abrahamum pervenit. Stabilire videtur hanc sententiam appellatio ista, qua frequenter lucos suos Græci insigniunt παράδεισος, ea quippe ratione cognomines horto Edenis redduntur, & sic ipso nomine originem suam haud obscure declarant; ἐπεὶ, inquit Plutarchus, [3] δὲ εἰς σταθμὸν κατέβη βασιλικὸν παραδείσους ἔχοντα θαυμαστοὺς, *deinde ad diversorium quoddam regium descenderunt mirabiles habens Paradisos*, id est lucos; & paulo post [4] ἐπέτρεψε τοῖς στρατιώταις ἐκ τοῦ παραδείσου ξυλίζεσθαι *concessit militibus, ut ex lucis* (Paradisis) *arbores cæderent*, imo in Symposiacis quæstionibus sæpius τοὺς ἐν Βαβυλῶνι παραδείσους *lucos Babylonicos* [5] nominat. Sic Agellius noctium libro 3. *Vivaria*, inquit, *quæ nunc vulgus appellat, sunt, quos παραδείσους Græci dicunt*, & sane nostras observationes adauget Gregorius Nyssenus, qui Homilia 9. in canticum τὸ κατάφυτον, inquit, καὶ συνηρεφὲς τοῖς δένδροις ἄλσος παράδεισον εἴωθε καλεῖν ἡ συνήθεια. *Nemus plantatum, & frequens arboribus consuetudo Paradisum vocare solet*. Sic quoque Olympiodorus in caput 1. Ecclesiastæ commentatur: παράδεισος ὁ δένδροις διαφόροις καταπεφυτευμένος. Ex quibus omnibus certissime liquet Græcos lucos suos vocasse Paradisos: quam ob rem? non sane ob aliam, quam quia luci a Sanctis Patriarchis ad Græcos derivati, & primum quidem a Patribus ad imitandum Paradisi habitaculum adhibiti, unde quoque non credo vocabulum hoc παράδεισος esse origine Græcum, sed postea forsitan ob frequentem usum civitate donatum, quam tamen conjecturam non adferrem, nisi assensum mihi præberet Julius Pollux, cujus verba ita jacent [6] Οἱ δὲ παράδεισοι, βαρβαρικὸν εἶναι δοκοῦν τοὔνομα, ἥκει καὶ κατὰ συνήθειαν εἰς χρῆσιν Ἑλληνικὴν ὡς καὶ ἄλλα πολλά. *Paradisi autem videtur esse nomen barbarum, transiit autem juxta consuetudinem in Græcum usum, uti & multa alia*. Usus autem ille lucorum apud Patriarchas non innoxius tantum, sed & Deo gratus per Diabolicam demum cacozeliam ad Gentes transiit. Nec male conjicit Pollux; Hortum enim illum amœnissimum, in quo Deus conditum nuper hominem posuit, Paradisum vocatum testantur præter Scripturam Sacram Patrum fere cordatissimi. Lubet eam in rem elegantissima licet paulo prolixiora Basilii Magni in Homilia 30. verba proferre: Ὥσπερ τὸν ἄνθρωπον ἐξαιρέτου τῆς πλάσεως παρὰ τὰ λοιπὰ ζῶα ἠξίωσεν ὁ Θεὸς, οὕτω δὲ τὸ ἐνδιαίτημα τοῦ ἀνθρώπου τῆς ἰδίας αὐτοῦ χειρὸς ἔργον ἐποίησε, τόπον ὑπερφέροντα τῆς ὅλης κτίσεως, θαυμαστὸν τῷ κάλλει, ἐν περιόπτῳ κείμενον, ἀνεπισκότητον διὰ ὕψος, πάσαις ταῖς τῶν ἄστρων ἀνατολαῖς καταλαμπόμενον, πεφωτισμένον πάντοθεν, τὴν ἐκ τῶν ὡρῶν εὐκρασίαν ἡδίστην ἔχον-

[1] De locis Hebraicis.
[2] Lib. 2. cap. tertio Hist. Eccles.
[3] In Artaxerxe 1872.
[4] Ibidem 1873.
[5] Quæst. Symposiac. Probl. 11.
[6] Onomastici libro 9. c. 3.

ἔχοντα, ἀεὶ διαυγεστάτῳ περιλαμπόμενον. Ἐκεῖ οὖν ἐφύτευσεν ὁ Θεὸς τὸν παράδεισον, ὅπου οὐκ ἀνεμωνβία, οὐκ ὡρῶν ἀμετρίαι, οὐ χάλαζα, οὐ πρηστῆρες, οὐ λαίλαπες, οὐ σκηπτοί, οὐ χειμερινὴ πῆξις, οὐκ ὑγρότης ἦρος, οὐ θερινὴ πύρωσις, οὐ φθινοπωρινὴ ξηρότης, ἀλλ' εὔκρατος καὶ εἰρηνικὴ συμφωνία τῶν ὡρῶν πρὸς ἀλλήλας ἑκάστης αὐτῷ ἰδίᾳ κάλλει κεκοσμημένης, καὶ μὴ ἐπιβουλευομένης παρὰ τῆς γείτονος, οὔτε τοῖς ἠρινοῖς κάλλεσι τοὺς θέρους λυμαινομένου, οὔτε τῶν θερινῶν, ἢ τῶν μετοπορινῶν καρπῶν καταῤῥυομένων ὑπὸ τοῦ γήρος. *Quemadmodum hominem a cæteris animantibus diſcreta, ac ſingulari formatione dignatus eſt Deus, ita etiam homini apparavit, ſuaque condidit manu peramœnam ac deliciis omnifariam affluentem manſionem, locum utique omnem exſuperantem creaturam, viſenda pulchritudine ſuſpiciendum & amabilem, locum dico præluſtrem & ſpectatu digniſſimum, & qui ob ſitus celſitudinem nulla ſui parte ullas admittit tenebras, nulla tenebreſcit caligine, quippe quem exorientum ſiderum ſplendor irradiat, & undique ſuo lumine circumfundit. Retinet hic peramœnam & jucundiſſimam veris temperiem lucidiſſimo colluſtratus, & ſplendifluo aere. Illic igitur plantavit Deus Paradiſum, ubi nulla eſſet vis ventorum, nulla tempeſtatum intemperies, nulla grando, nulla fulmina, nullæ procellæ ac turbines, non contorta ac violenta fulmina, non hyemalis glacies, non veris humiditas, nec æſtatis exæſtuatio, nec autumni ſiccitas, ſed temperata & conveniens inter ſe temporum conſonantia; ſingulo quoque horum adornato propria amænitate, cum nec præcedens a ſequente quicquam inſidiarum metuere poſſet, dum neque verno decori ſubſequens æſtus noceret, neque æſtivi vel autumnales fructus præ ſenio defluerent.* Illa Beatiſſimi Patris verba ineffabilem amœnitatem præ ſe ferentia ſatis indicant ejus mentem de Paradiſi ſitu & plantatione, quem hic adinſtar luci elegantiſſimi deſcripſit. Nec deſunt in ſcriptis veterum præclara hercle, licet aliquantum fabulis deformata, monumenta, quæ id nobis perſuadeant: producatur primum in ſcenam numerata olim inter minorum Gentium Deas Helena, & tam operoſe Homero deſcripta, quam in lucis fuiſſe cultam non dubito, cum ipſum nomen aliquid lucis ſimile præ ſe ferat: Chaldæis quippe Ilana arborem denotat, & אלה tam quercum, quam quercetum ſignificat; inde Helenæ nomen, quæ in ſylva, vel luco nata dicitur a matre Leda. Quid autem Leda niſi לידה partus? Poſtea ſacratum Helenæ lucum legimus, id eſt luco lucum (nam Helenam denotare lucum nuper diximus) Hinc Platanus apud Theocritum Helenæ ſacrata illam olim præ ſe tulit inſcriptionem:

Σέβου μ' Ἑλένας φυτὸν εἰμί.

Venerare me Helenæ plantata ſum.

Primus, ad quem Cadmus, poſt Orientale ſuum iter, devenit locus Lucus fuit: unde hæc pateant, mox liquebit. Nominatum locum Aſcram accepimus, ob natales Heſiodi ſatis celebre nomen: non eſt autem Aſchra aliud, quam אשרה *lucus*, qualem ſuis interdicit per Ezechielem Dominus, & qualem cum plantarent Romani, *lucum ſe conculcare* teſte Tomaſino dixerunt. Iſta vero ſuperſtitio apud omnes fere Gentes invenitur, ſic Lithuanos lucos totos Divino proſequi honore teſtatur Æneas Sylvius: de Ægyptiis ſimile adfert Strabo, qui circa Abudon oppidum in Thebaidis parte extrema Ægyptiorum Acanthorum lucum fuiſſe ſacrum Apollini tradit. Quid quod æque Lucis ineſſe Sylvanos & Faunos, ac cœlo reliquos Deos ab Antiquis creditum eſt? quare non male Hieronymus *Gentilis*, inquit, *hic error omnes provincias occupavit, ut ad capita fontium, lucoſque amœniſſimos victimas immolarent*. Bene & prudenter Hieronymus; hinc enim Dictynnæ Lucus apud Liberalem, Dianæ apud Dictyn, cui præterea omnem omnino lucum conſecrarunt, quia dicente Catullo: *montium Domina Sylvarumque virentium, ſaltuumque reconditorum, omniumque ſonantium;* hinc Ditis Lucus apud Frontinum, Apollinis & Muſarum in Boetia Paracephiſſia, Saitidis Minervæ in Argolica, Jovis Ceraunii in Laconica, Dianæ Venatricis in Attica, Neptuni in Phocide, Jovis Aphlyſtii in Achaja, Hammonis in Ægypto, Phrixi in Colchide, Palladis apud Pindarum. Hinc quoque, & Tacitus noſter legem Romanis poſitam memorat; *Lucos in agris habento* [1] qui proinde Luci æque ſancti apud Gentes olim audiebant, ac ipſiſſima templa, quam quidem in rem Livium citare teſtem lubet ita ſcribentem [2] *lucus ea religione & eo jure ſanctus, quo ſunt templa, nec ſane aliter ſe res habere potuit, cum æque olim in lucis ac templis, adoratus cultus & ſacrificiis placatus ſit Deus*. Hinc quoque hujuſmodi Lucis ineſſe numen aliquod certiſſime creditum eſt, id quod apertiſſime probat Ovidius. [3]

Stat vetus & multos incidua ſylva per annos:
Credibile eſt illi Numen ineſſe loco.

Et Seneca [4] *Si tibi occurrit vetuſtis arboribus & ſolitam altitudinem egreſſis frequens lucus, & conſpectum cœli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſubmovens, illa proceritas ſylvæ & ſecretum loci, & admiratio umbræ in aperto tam denſæ atque continuæ, fidem tibi Numinis facit.*

[1] Annal. libro 12. c. 9.

[2] libr. 35. c. 22.

[3] Libr. 3. Eleg. 1.

[4] Epiſt. 41.

cit. Et tam Ovidio, quam Seneca ea in parte audacior Plinius *: Lucos atque in iis ſilentia ipſa adoramus* [1] Hi vero Luci adeo intacti relicti, ut piaculum commiſerit, quiſquis unicam ſaltem arborem cœderet; hinc Clodio infenſiſſimus Cicero majus, quod ei objiceret, crimen non habuit, quam hujuſmodi Lucorum profanationem: audite invectivam ejus [2] *Vos Albani Tumuli atque Luci, vos inquam, imploro atque obteſtor, voſque Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum populi Romani ſociæ & æquales, quas ille præceps amentia, cœſis proſtratiſque ſanctiſſimis Lucis, ſubſtructionum inſanis motibus oppreſſerat*. Quam bacchatur hic in Clodium Cicero! quod tamen non mirum, cum adeo in Luci ſui violatorem Eriſichtonem ſæviſſe olim Ceres fingitur. Adeo quippe iſta Lucorum religio pleroſque Gentilium pervaſerat, ut ſine eis vivere quaſi non potuerint, quam quoque ob rem violatores eorum eo gravius puniti ſunt. Habuere ſuos Germani Lucos referente Tacito [3] Habuere ſuos Angli, quod teſtatur Sacerdotum appellatio Druydes, quos quidem a vocabulo δρῦς quercum ſignificante admodum probabiliter deducit Dikinſon [4] ſimul probans ſub lucis & quercetis antiquo ſacrificaſſe *:* qua in re ipſa ei adſtipulatur veritas, cum Druydes alio vocabulo vocentur Σαρωνίδες, atteſtante Diodoro, [5] at Σαρωνίδες monente Heſychio ſunt quercus, adeo quidem ut ſive Saronides ſive Druydes dixeris, tamen ad querceta & lucos reſpexeris. Quid quod habuere ſuos quoque Gothi noſtri Lucos? unde Adamus Bremenſis [6] *Lucus ille, inquit, tam ſacer eſt Gentilibus, ut ſingulæ arbores ejus ex morte vel tabo immolatorum Divinæ eſſe credantur ;* cujus luci adhuc ſupereſſe reliquias, vult Loccenius [7] dicitque eum in Olai Petri manuſcripto Sveciæ Chronico Odenslund. Quo Gothorum inſtituto probe conſiderato, medemur vexatiſſimo Taciti loco, qui Germanorum quemdam Deum Tanfana dictum memorat; hæc enim appellatio nihil aliud ſignificat, quam Luci Dominum aut Patronum, obſervante id laudato Loccenio [8] Than quippe Abietem denotat, ex quo arborum genere plantatos olim lucos, ſatis indicat locus iſte Livii: [9] *Lucus ibi frequenti ſylva, & proceris abietis arboribus ſeptus ;* Fana vero, vel Fan lingua Gotho-Teutonica ſignificat Dominum, unde in cantico Mariæ lingua antiquiſſima conſcripto ſequentia exſtant [10] *Miki leid ſai Vvala meima Fan, id eſt ; Magnificat anima mea Dominum*, quod luculentiſſime confirmat in tractatu de nuptiis Philologiæ & Mercurii Martianus Capella. [11] *Qui habitant Sylvas, nemora, lucos, lacus, fontes, ac fluvios appellantur Panes, Fones, Fauni* &c. Quæ hactenus dicta luculentiſſime produnt, Taciti, Tanſana Gothicum eſſe vocabulum, nec ſignificare aliud, quam apud Romanos ſolet Sylvanus, Sylvæ, arborumque Lucive Patronus. Sed quicquid id ſit clarum ſatis Lucos ab initio a Patriarchis fuiſſe adhibitos, ut ſacrificia in eis Deo offerrent poſtea vero a Gentibus ad profanos uſus tractos, unde adeo demum Deo diſplicuere, ut ſub ſeveriſſima eos pœna aboleverit, *non plantabis tibi*, inquiens, [12] *lucum, ullamve arborem juxta altare Domini*. Quæ vero hujus præcepti ratio pulchre indigitat Maimonides [13] מפני שהיה זה דוך עז נוט עיז איל נות וגו *quoniam ritus is erat idololatricus, arbores nempe juxta altaria ſua conſerendi, ut ibi conveniret populus, Ideo Deus lucum plantandi licentiam Iſraelitis denegavit*. Rectiſſime hic innuit Maimon non aliam ob cauſam prohibitos a Deo lucos, quam quia Idololatriam redolebat: adeo Deus cum Idolis commune nihil habere voluit, ut ritum antea uſitatum, & quidem per ſe etiamnum innocuum aboleverit, ne ſcilicet eodem modo ac Idola coleretur. Tantum igitur abeſt, ut propter σκληροκαρδίαν Iſraelitarum in legem ſuam Idololatricas inducere cœremonias ipſe voluerit, ut ne quidem ullo modo toleraverit. Ægyptiorum præprimis ſacra ipſi admodum inviſa erant, ſecus quam autumat Spencerus, quod nos vel integra exemplorum centuria probare poſſemus, ſi temporis ratio illud permitteret. Sic, cum a Sale Ægyptiorum Sacerdotes nimium quantum atteſtante Plutarcho abhorruerint, Deus vice verſa, omnes Sale condiri victimas voluit: & viciſſim cum ſummo olim in pretio apud Ægyptios fuere canes, dicente Plutarcho; [14] Πάλαι μὲν τὰς μεγίςας ἐν Αἰγύπτῳ τιμὰς ὁ κύων ἔχεν, *olim ſummos in Ægypto honores canis habuit*, at vice verſa apud populum Dei deſpicatiſſimi fuere: hinc toties nominatum in lege canis pretium, & Scortatores Idololatræque canibus comparati, quæ omnia conſiderans Tacitus probare conatur Leges Judæorum Ægyptiis eſſe contrarias, & in eorum contemptum datas, quod ejus propoſitum, quoniam libro tertio examinabimus, nolumus ea de re plura hic diſſerere. Placet tamen ultimo loco adhuc unico Spenceri argumento occurrere, quando dicit, non pauca fuiſſe legis inſtituta, Paſchatis nimirum celebrationem, Pontificis unius introitum in adyta, Sabbathorum ferias, anni Jubilæi, & Sabbathici cultum, quorum nec volam nec veſtigium apud Anti-

[1] Lib. 12. cap. 1.

[2] In Oratione pro Milone num. 86.

[3] De ſit. German. c. 38.

[4] De Origine Druydum. pag. 189.

[5] Lib. 5.

[6] In deſcriptione Scandinaviæ.

[7] Pag. 39. antiqua Gothic.

[8] Ibidem pag. 40.

[9] Lib. 14. cap. 3.

[10] Edit. Lugdun. Batav.

[11] Lib. 2. pag. 41.

[12] Deut. 16. 21.

[13] Avod. Sar cap. 6.

[14] In Oſirid. p. 368.

tiquos invenire licet. Regerimus ad hæc non valere consequentiam, quia non omnia Judæorum sacra ad Gentes derivata, ergo nulla; alioquin Spencero libenter concedenti omnes Ægyptiorum cœremonias ad Judæos non devenisse idem objicere possemus; ergo omnino nulla. Sed quicquid demum illud sit, monitum humanissime Spencerum volumus, ne tam dictatorie asserat, nullam volam, nullum horum rituum apud Gentes inveniri vestigium; certissimi enim sumus cum cura scrutanti apparitura ei omnia. Nobis quidem id de omnibus quidem affirmare, at hac vice non probare licet, quædam aliis relinquantur. Primo quidem Pascha ad ipsos devenisse Ægyptios, dudum probavit illustris Seldenus, Ægyptios quotannis arbores minio velut alexeterio illinere solitos fuisse tradens, idque ex depravato traditionis sacræ de Hebræorum superliminaribus sanguine illitis intellectu manasse summa cum veritatis specie autumat, quam observationem quoniam olim ab Epiphanio animadversam cernimus, haud abs re credimus fore, si ejus hic verba adduxerimus, ἐν τῷ, inquit hæresi 19. p. 39. καιρῷ ὅτε τὸ Πάσχα ἐγένετο ἐκεῖσε, (ἀρχὴ δὲ αὕτη γίνεται τοῦ ἔαρος, ὅτε ἡ πρώτη ἰσημερία) ἐκ μίλτεως λαμβάνουσι πάντες Αἰγύπτιοι καὶ χρίουσι μὲν τὰ πρόβατα, χρίουσι δὲ καὶ τὰ δένδρα, τὰς συκᾶς, καὶ τὰ ἄλλα, φημίζοντες, καὶ λέγοντες, ὅτι τὸ πῦρ ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ κατέφλεξέ ποτε τὴν οἰκουμένην, τὸ δὲ σχῆμα τοῦ αἵματος τὸ πυρωπὸν ἀλεξητήριόν ἐστι τῆς τοσαύτης πληγῆς καὶ τοιαύτης. *Quo tempore Pascha illic celebratum fuit (id autem est ineunte vere ad æquinoctium) Ægyptii omnes rubrica oves, & arbores, & ficus, & alia ejusmodi inficiunt dicentes, illo die totum mundum conflagrasse; & speciem sanguinis esse amuletum igneum istius calamitatis*. Hæc verba Epiphanii satis aperte demonstrant ejus hac de re mentem, ex qua firmissimum nascitur adversus Spencerum argumentum, cum ipse [1] fateatur ægre credi Circumcisionem, Sabbathum, festumque Paschatos origini Ægyptiacæ tribuenda esse; si enim Paschatos & Circumcisionis (quod ultimum notissimum est) cœremonias habuere Ægyptii, & Judæi ab Ægyptiis non habuere, quod ipse fatetur Spencerus, sequitur infallibiliter contrarium nempe suum a Judæis habuisse Ægyptios. Secundo observat Beniamin Tudelensis habuisse suum quoque Pascha Arabes; postquam enim dixerat mactare Principem camelum, mactatumque una cum subditis consumere (ad exemplum Israelitarum, ubi aut ipse Sacerdos, aut Pater familias agnum mactabat, tota vero familia consumebat) postquam dixerat finita cœna Regem in fluminis ripa spatiari, (ad memoriam nempe Israelitarum per mare rubrum euntium) subjungit: וזה פסחם *& hoc illorum Pascha est*. [2] Tertio dudum est ex quo observavit illustrissimus Johannes Baptista Tavernier, & ex eo recensuit Vir nunquam sine honore nominandus, cui multa quidem me debere fateor, Stephanus Morinus, adhuc in Mengrelia Colchidis regione observari festum cum Judæorum Paschate magnam præ se ferens convenientiam. [3] Dicta hæc de Paschate sufficiant. Quod vero ad Pontificis introitum in Sancta Sanctorum attinet, certum est eum quoque ad Gentes pervenisse. Etenim primum quidem multa a Sacerdotibus Hebræis mutuati sunt Ethnici: hinc tot ordines nati sunt Ægyptiis secundum Chœremonem apud Porphyrium libro 4. 6. quales sunt προφῆται, ἱεροστολισταὶ, ἱερογραμματεῖς, πρόλογοι, παστοφόροι, νεωκόροι &c. Omnibus vero hisce præfectus unicus erat, isque, omnino ad mentem Judæorum revera summus erat. Hinc Herodotus l. 2. c. 35. εἷς ἐστὶν ἀρχιερεὺς, ἐπεὰν δέ τις ἀποθάνῃ, τούτου ὁ παῖς ἀντικατίσταται. *Unus est summus Sacerdos, & si quis moritur, succedit filius*. En convenientiam cum Hebræis! Quod si vero vestitum videre nobis placeret, adhuc plura occurrerent memoranda, en quid Apulejus l. 2. Metam: *Linteis amiculis intectum Prophetam Ægyptium introducit, pedesque palmeis baxeis indutum & adusque deraso capite*, quæ omnia quod ad imitationem Judæorum facta sint vel talpa videt. Ipsa vero templorum structura perquam Judæis similis est apud Ægyptios, nisi Straboni omnis deroganda sit fides, qui libro 17. ita: Τῆς δὲ κατασκευῆς τῶν ἱερῶν ἡ διάθεσις τοιαύτη: κατὰ τὴν εἰσβολὴν τὴν εἰς τὸ τέμενος, λιθόστρωτόν ἐστιν ἔδαφος. πλάτος μὲν ὅσον πλεθριαῖον, ἢ καὶ ἔλαττον, μῆκος δὲ καὶ τριπλάσιον καὶ τετραπλάσιον, ἔστιν ὅπου καὶ μεῖζον. Καλεῖται δὲ δρόμος τοῦτο. Καὶ πρόπυλον μέγα, εἶτ' ἄλλο προελθόντι πρόπυλον, εἶτ' ἄλλο. μετὰ δὲ τὰ προπύλαια ὁ νεὼς πρόναον ἔχων μέγαν, καὶ ἀξιόλογον, τὸν δὲ σηκὸν σύμμετρον, ξόανον δ' οὐδὲν, ἢ οὐκ ἀνθρωπόμορφον, ἀλλὰ τῶν ἀλόγων ζώων τινός. *Templorum structura talis est: in ingressu fani est pavimentum, latitudine quidem jugeri aut paulo minus, longitudine vero tripla quadruplave, & quibusdam in locis etiam magis, atqui hoc quidem domus dicitur. Postea vestibulum ingens, & ubi processeris aliud vestibulum, rursumque aliud. Post vestibula est templum, quod ingens atrium habet, ac memoratu dignum,*

&

[1] Libro Differt. 1. c. 2. pag. 13.

[2] Itinerarii p. 60.

[3] Ibidem.

& delubrum mediocre, ſimulacrum vero aut nullum aut non ad hominis, ſed beſtiæ alicujus formam effictum. Viden? Templum Ægyptiorum (ne aliquid a Judæis non mutuaretur) ex quatuor conſtitiſſe partibus, quales ſunt: λιτόςρωτον, προπύλαιον, πρόναον, & ipſe ναός. Sed deveniendum tandem eſt ad ipſum Sacerdotis in Sancta Sanctorum introitum. Ποντίφικες ἱερέων οἱ διαφανέςατοι *Pontifices ſacerdotum eminentiſſimi*, ut loqui amat Dionyſius libr. 1. antiq. pag. 30. ſoli intrabant etiam apud Græcos ſanctiſſimum in templis, & adhuc ſummorum Sacerdotum proprium erat Religionis arcana cognoſcere. Hinc accurate Meurſius: *Myſtæ in Sacrarii tantum veſtibulo conſiſtebant, Epoptæ intra ipſum adytum admittebantur*. Unde quoque Svidas accurate οἱ τὰ μυςήεια παραλαμβάνοντες λέγονται ἐν ἀρχῇ μὲν Μύςαι, μετ᾽ ἐνιαυτὸν δὲ Ἐπόπται, καὶ Ἔφοροι: *Myſteria accipientes dicuntur initio quidem Myſtæ, poſtea vero Epoptæ & Ephori*. Et ſane melius nemo totum hoc negotium explicat, quam Seneca, *ecce*, inquiens, *ne Epoptis quidem atque in adyta jam admiſſis omnia revelantur, ſed adſervabantur quædam non cuiquam adſpicienda præter ipſi ſacrorum Præfecto*. Hæc conſiderans Tertullianus adverſ. Valent. c. 1. *Tota*, inquit, *in adytis Divinitas, tota ſuſpiria Epoptarum, &c.* quibus verbis rotunde ſatis noſtræ adſtipulatur ſententiæ, uti & Gregorius Nazianzenus, qui Oratione περὶ ἁγίων φωτῶν: αἰσχύνομαι ποιεῖν τὴν ἀσχημοσύνην τῶν μυςηείων. οἶδεν Ἔλευσις, καὶ οἱ τῶν σιωπωμένων, καὶ σιωπῆς ὄντων ἀξίων ἐπόπται. *Pudet me ex myſteriis turpitudinem efficere. Scit Eleuſis hoc & rerum, de quibus ſiletur, quæque ſane ſilentio dignæ ſunt, ſpectatores*. Quid? quod efformatum quoque olim apud Romanos ita legimus Capitolium, ut, teſte Julio Cæſare l. 3. in ſecretiorem locum nemini præter Sacerdotem adire fas fuerit, quem quidem locum χωρίον ἄβατον τοῦ ἱεροῦ, καὶ ἀψαυςούμενον, καὶ ἀθέατον, καὶ ἀνάκτορον, *templi locum inacceſſum illibatum, inviſum, ac palatium appellat* Julius Pollux; Sed de hiſce ſatis. Reſtat Sabbathum, de quo tot apud Gentilium antiquiores occurrunt, ut miror idne Spencero obſervatum, qui nec volam ejus dari nec veſtigium autumat [1].

Sane etiam ipſum Sabbathi vocabulum adeo in Gentilium uſum tranſiit, ut unumquemque ſeptimum diem eo nomine indigitaverint: unde Svetonius [2] de Diogene Cynico loquens *diſputare*, inquit, *Sabbathis ſolitus*, id eſt ſeptimis diebus, ceu obſervat Seldenus [3] qui tamen in ſiniſtrum ſenſum varia Auctorum de Sabbathis dicta vertere nititur, non admodum, ut mihi quidem videtur, feliciter. Hercle Clemens Alexandrinus vir præ reliquis Patribus in ſcriptis Gentilium verſatiſſimus, ἀλλὰ, inquit, [4] τὴν ἑβδόμην ἱερὰν οὐ μόνον οἱ Ἑβραῖοι, ἀλλὰ καὶ οἱ Ἕλληνες ἴσασι. *Septimum vero diem ſacrum eſſe non Hæbrei modo, ſed & Græci ſciunt*; quibus Patris doctiſſimi verbis non auſim hac in parte contradictum ire, cum præſertim tot ejus rei apud Gentiles occurrant veſtigia, ut nihil ſupra. Videantur, ſi placet, Lucianus [5] Catullus, prout a Scaligero eſt emendatus, [6] Cenſorinus, [7] Ariſtobolus apud Euſebium, [8] Homerus, [9] Heſiodus [10] quæ, aliaque longe plura conſiderans Tertullianus [11] ita Gentes non ſine bile alloquitur: *Die Solis lætitiæ indulgemus alia longe ratione quam Religione Solis, ſecundo loco ab iis ſumus quidem Saturni otio & victui decernunt, exorbitantes & ipſi a more Judaico, quem ignorant*: & alio in loco [12] *haud longe a Saturno & Sabbathis veſtris ſumus*. Non ſine ratione Gentes hac parte Judaizantes vocat Tertullianus, cum in obſervatione Sabbathi magis quam in ulla alia re Judæos æmulati ſint: etenim nec ab ipſis Sabbathinis lucernis famoſiſſimo Sabbathi Judaici charactere abſtinuerunt, *accendere*, inquit Seneca [13] *aliquem lucernam Sabbathis prohibeamus, quoniam nec lumine Dii egent, & ne homines quidem delectantur fuligine*, ad quæ verba ita commentatur verſatiſſimus in antiquitate Lipſius: *ut apparet, paulatim Judaici ritus invaluerunt, & Sabbathi diem ea ſuperſtitione coluerunt*. Deinde ut in enumerandis operibus, quæ Sabbatho lex permiſit, magnum Judæi delectum habuere, ita quoque non ſine ſuperſtitione idem obſervavere Gentiles, ceu videre eſt apud Columellam: [14] *Feriis ritus majorum etiam illa permittit: Far pinſere, faces incidere, candelas ſebare, vineam conductam colere, piſcinas, lacus, foſſas veteres, tergere & purgare, prata ſicilire, ſtercora æquare, fœnum in tabulato componere, fructus Oliveti conductos cogere, mala, pyra, ficus pandere, caſeum facere, arbores ſerendi cauſa collo vel mulo clitellario adferre, ſed juncto advehere non permittitur, nec apportata ſerere, neque terram aperire, neque arborem collucare, ſed ne ſementem quidem adminiſtrare, niſi prius catulo feceris, nec fœnum ſecare, aut vehere, ac ne vindemiam quidem cogi per religiones Pontificum feriis licet, nec oves tondere, niſi prius catulo feceris. Defrutum quoque facere, & defrutare vinum licet. Pellibus oves veſtiri non licet. In horto quicquid olerum cauſa facias, omne li-*

[1] Proleg. in Syntag. c. 3.

[2] In Tiberio c. 32.

[3] De Jure Naturæ libro 3. c. 16.

[4] Stromat. 2.

[5] In Pſeudologiſta.

[6] Libro 1. Eleg. 3.

[7] De die natali c. 11

[8] Prop. Evang. lib. 13.

[9] Apud Euſebium lib. 13. c. 12

[10] Ibidem.

[11] Ad nationes.

[12] Epiſt. 95.

[13] De re ruſtica lib. 2. cap. 2.

[14] Apolog. c. 16.

licet. Feriis publicis hominem mortuum sepelire non licet, Marcus Portius Cato equis, mulis, asinis nullas esse ferias dixit. Idemque boves permittit conjungere lignorum & frumentorum advehendorum causa. Nos apud Pontifices legimus feriis tantum denicalibus mulos jungere non licere, cæteris licere. En verba Columellæ, quæ licet multa Judaicis contraria institutis habeant, luculenter tamen probant æque rerum, quas in Sabbatho fieri licebat, delectum apud Gentes fuisse ac apud Judæos. Attamen traditionum Pharisaicarum ea de re aliquas quoque ad Gentiles pervenisse valde probabile est, quando enim Christus Pharisæis dicit, [1] Τινὸς ὑμῶν βοῦς εἰς φρέαρ ἐμπεσεῖται, καὶ οὐκ εὐθέως, ἀνασπάσει αὐτὸν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου, tunc Schævola apud Macrobium [2] idem mutatis saltem verbis dicit: *Si bos in specum decidisset, cumque Paterfamilias adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluere.* Hæc qui considerat, nescio an velit cum Spencero concludere Sabbathi nec volam nec vestigium apud Gentes inveniri. Nos vero istud Philonis ultimo addimus [3] ἑορτὴ γὰρ οὐ μιᾶς πόλεως ἢ χώρας ἐστὶν, ἀλλὰ τοῦ παντὸς, ἣν κυρίως ἄξιον καὶ μόνην πάνδημον ὀνομάζειν, καὶ τοῦ κόσμου γενέσιον.

Hisce prælibatis simili modo hunc discursum de Ægyptiorum sacris finimus, ac nuperrime superiorem de Græcis, nempe demonstrando famosissima eorum Idola Apin, Sarapin, Orum ab Hebræis esse profecta, & partim e Mosis, partim Josephi vita desumpta; ipsissimum Osirin, quem Plutarchus, quem Diodorus, quem Lucianus, quem ipse Spencerus legislatorem Ægyptiorum antiquissimum dicit, eundem esse cum Api, Sarapi, Oro id est, partim Josepho, partim Mose perspicue dandum est. Osirin ea propter, & Apin eundem probat ipse Plutarchus [4] εὔμορφον εἰκόνα χρὴ νομίζειν τῆς Ὀσίριδος ψυχῆς τὸν Ἆπιν, & luculentius Strabo [5] ἔχει δὲ ἱερὰ πόπε τοῦ Ἄπιδος ὁ αὐτὸς καὶ Ὄσιρις. *Habet etiam templa Apidis nimirum, qui idem est, ac Osiris*, & ipsissimi Sacerdotes Ægyptii rotundo ore fatentur [6] εἰς τὸ αὐτὸ συμπεπλέχθαι καὶ τὸν Ἆπιν καὶ Ὄσιριν, *in idem recidere Osirin & Apin*. Apin vero & Sarapin probabiliter eundem facit Kircheris [7] *Legimus Apin ipsum primum fuisse, qui in Ægypto Deus sit vocatus, & Sarapis cognominatus*. Sarapin eundem cum Api bene facit nuper laudatus Plutarchus [8] Βέλτιον δὲ τὸν Ὄσιριν εἰς ταυτὸ συνάγειν τῷ Διονύσῳ τῷ δὲ Ὀσίριδι Σάραπιν *Præstat igitur Osirim eundem facere cum Dionyso, & cum Osiri Sarapin*. Nolo jam adducere, quæ prolixe hanc in rem disputant Macrobius [9] & Sanchoniatonis

[1] Matth. 18.
[2] Libro 1. c. 16.
[3] Libro de opificio mundi.
[4] In tract. de Iside.
[5] Lib. 17.
[6] In tract. de Iside. p. 362.
[7] Oedip. Ægyptiac. Tom. 1. S. c. 10.
[8] In tract. de Iside.
[9] L. 1.

interpres Philo Byblius; [10] Orum, & Osirin unum eundemque esse demonstrant nuper laudati Macrobius [11] & Eusebius [12]; Osirim præterea & Thammuz eundem fuisse non dubito, cum Osiris attestante Plutarcho [13] ipsis Ægyptiis dictus sit Ammuz (unde quoque Ægyptiorum Jupiter Ammon) Ammuz vero & Thammuz unum & eundem esse, nec nisi sola T litera vel ת differre certissime persuasus sum: hunc vero sive Osirin, sive Apin, sive Sarapin, sive Orum, sive Thammuz non fuisse alium, quam Josephum Mosenve liquido demonstrandum est, ubi antea necessaria cognitu præmiserimus. Non quidem ignotum arbitramur tradidisse Ægyptios ipsos Deos suos antea fuisse homines, quod & ipse olim agnovit Plutarchus [14] *melius ergo faciunt, qui quæ de Typhone, Iside, & Osiri de narrantur, neque Deorum, neque hominum, sed magnorum Dæmonum eventa sentiunt*, id est, *Heroum*. Dæmones enim olim vocati sunt Heroes, ceu exemplo est Pythagoras [15] τοὺς δὲ καταχθονίους σέβε δαίμονας, *terrestres vero venerare Dæmones*. Atque hinc est, quod Phylo Byblius [16] Αἰγύπτιοι, inquit, Θεοὺς ἐνόμιζον μεγίστους τοὺς τὰ πρὸς τὴν βιωτικὴν χρείαν εὑρόντας, ἢ καὶ κατά τι εὐποιήσαντας τὰ ἔθνη ἐνεργέτας τε τούτους καὶ πολλῶν αἰτίους ἀγαθῶν ἡγούμενοι ὡς Θεοὺς προσεκύνουν, *in maximorum Deorum loco eos omnes habuerunt, qui res ad vitam necessarias invenissent, quique beneficium aliquod in genus humanum, contulissent, eos nimirum, quos sibi plurimorum auctores bonorum esse persuaserunt, divinis affecerunt honoribus*. Sane ipsissima Sanchaniathonis verba pulcherrima argumentatione confirmat Plutarchus [17] ἱστοροῦσι γὰρ, inquit, Αἰγύπτιοι τὸν μὲν Ἑρμῆν τῷ σώματι γένεσθαι γαλιάγκωνα, τὸν δὲ Τυφῶνα τῇ χροιᾷ πυῤῥὸν, λευκὸν τε τὸν Ἄρην, καὶ μελάγχρουν τὸν Ὄσιριν, ὡς τῇ φύσει γεγονότας ἀνθρώπους. *Narrant Ægyptii Mercurium corpore breviorem, Typhonem rufum, Martem candidiorem, Osirin denique nigriorem fuisse, quippe qui natura homines exstitissent*. Quibus elegantissimis Plutarchi verbis bene observatis, non possum non cum Eusebio exclamare: [18] ὅγε τοι ἀληθὴς λόγος βοᾷ, καὶ κέκραγε, μόνον οὐχὶ φωνὴν ἀφιεὶς θνητοὺς ἄνδρας μαρτυρῶν γεγονέναι τοὺς δηλουμένους, *veritas per se ipsa loquitur, & fere summa voce clamat eos, de quibus loquimur, viros quosdam mortales fuisse*. Id cum ipsos minime latuerit Ægyptios, observante Augustino [19] constitutum est de Sarapi, ut quisquis eum hominem fuisse dixisset, capitalem penderet pœnam: quapropter in omnibus templis, ubi colebatur Isis, & Sarapis, simulacrum juxta eos erat digito labiis

[10] Apud Eusebium Præpar. libr. 1.
[11] Saturn. lib. 1.
[12] L. 3.
[13] In tract. de Iside p. 360.
[14] In tractatu de Iside.
[15] In aureis carminibus.
[16] L. 1. Præpar. Evang. cap. 9.
[17] In Tractatu de Iside.
[18] Præpar. Evang. lib. 5.
[19] De civitate Dei libro 18. c. 5.

impresso silentium imperans, quod non aliam ob rem factum esse tradidit Varro, quam ut homines eos fuisse taceretur. Quicquid demum ea de re ab Ægyptiis statutum & sancitum fuit, non potuit coercere insignem invictissimi Macedonis Alexandri Magni curiositatem; illum enim insigni volumine ad matrem suam scripsisse metu suæ potestatis proditum sibi ab Ægyptiis Sacerdotibus ingens de Diis Hominibus secretum, dudum memoravit apud Minucium Felicem Octavius: quam quidem rem mutatis pauculis circumstantiis, & addito in majorem certitudinem Sacerdotis nomine, narrat Augustinus [1] *Nunquid & Leon ille Sacerdos Ægyptius, Poeta vel Academicus fuit qui Macedoni Alexandro diversam quidem e Græcorum opinione istorum Deorum originem, verum tamen ita prodit, ut eos homines fuisse declaret?* Hisce paulo obscurior Tertullianus: [2] *Cedo jam de vestro, quod Ægyptii narrant, & Alexander digerit & mater ea tempestate legit*, ad quæ ejus verba notat Rigaltius: *hæc de Alexandro Polyhistore, cujus fuisse videntur de rebus Phrygiorum, & Ægyptiorum ad matrem suam commentarii, unde hæc desumpsit.* An bene conjiciat Rigaltius mihi licitum non est decidere; videant Eruditi, id saltem scio, valde repugnare circumstantias a Minutio, & Augustino nuper auditas, & alio adhuc modo ab Athenagora [3] narratas; nec enim Polyhistor ille fuit Macedo, nec tantæ potestatis, ut tam abstrusam Ægyptiis narrationem per vim extorqueret, nec scio, unde habeat Rigaltius Alexandrum Polyhistorem commentarios suos Matri inscripsisse. Nolo plura ea de re disputare, cum satis liqueat Numina hæc fuisse homines, quoniam aperte apud Diodorum Siculum ipsi Ægyptii dicant Deos suos esse [4] ὑπάρξαντας μὲν θνητὰς διὰ δὲ σύνεσιν καὶ κοινὴν ἀνθρώπων ἐυεργεσίαν τετυχηκότας τῆς ἀθανασίας, *natura quidem mortales, sed mentis solertia erga homines universos ad immortalitatem evectos.* Quod vero Phœnicii seu Judæi fuerint, ex ipsis Ægyptiorum antiquitatibus probabimus, solum eam in rem testem provocaturi Plutarchum, cujus verba ita jacent [5] τινὲς δὲ τὸν μὲν παῖδα καλεῖσθαι Παλαιστινὸν καὶ τὴν πόλιν ἐπώνυμον ἀπ' αὐτοῦ γένεσθαι κτιθεῖσαν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. *Alicui puero nomen fuisse Palæstino & ab eo conditam urbem ei cognominem.* En quam prope ad sententiam nostram accedat Plutarchus, qui Palæstinum Osirin vocat, non aliam ob causam, quam quia Palæstinæ sua debuit incunabula, id quod imposita ipsi nomina luculentissime probare videntur; sunt ea Osiris, Apis, Sarapis, quibus si Ægyptiam terminationem is demas, remanent Osir, Ap, Sarap. Sane si ulla mihi conjiciendi venia detur, dictum Osir volo ab Hebraica voce per omnia simili עזר *benefactor Evergeta*, quæ derivatio longius petita nauseom forsan movebit delicatulis: sed ignoscant mihi, si eam a reliquorum sententia diversissimam primus hic invexero, cum mederi cogitem vexatissimo Plutarchi loco [6] ubi antiquissimus Scriptor Hermæus Osirin vocabulum barbarum dicit, & interpretatur Evergetam, quem locum considerans Seldenus [7] ejus se interpretationis fundamentum nescire inquit. Sane nisi res se ita habet, nisi vocem barbaram a Judæa repetere licet, nec ego ullum hujus nominis vestigium apud alios invenire possum: quid vero mirum, si puer Palæstinus, ut antea declaratus est, nomen quoque Hebræum habuerit? AP ab Hebræo אב derivatum esse, non est quod dubites, cum Josephus (quem Apim, seu Osirin esse mox demonstrandum) Pater Patriæ teste tam Sacra Scriptura, quam Patribus olim cognominatus sit. Unde vero Sarap, non adeo certum est: male id ut Osirapis, dictum volunt Clemens Alexandrinus [8] & Cyrillus; [9] pejus a Sairei voce Ægyptia deducit Plutarchus; [10] pessime a Σορὸς *loculus & Apis* Nymphodorus [11] & Warro. [12] An rem acu tetigerit Huetius, nescio, qui considerato Ptolomæi Lagidæ somnio, ubi viderat Sarapin igne multo in cœlum attolli, dictum eum sic esse vult a שרף *incendere*. Quicquid demum sit, esse hunc Osirin sive Sarapin origine Hebræum satis declaratum arbitramur, fabulam autem ejus partim e Mosis, partim Josephi Historia desumptam esse, nullus ambigo, cum id antiquorum multi, & ipsa, quod caput est, res ratioque suadeant. Etenim, quod primo loco observandum est, nulla traditionum Ægyptiarum Abrahamo antiquior esse potest, cum ipsam rerum creationem, ut e Diodoro Siculo liquet, ita describant [13] Τῆς φωνῆς δ' ἀσήμου καὶ συγκεχυμένης οὔσης ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον διαρθροῦν τὰς λέξεις, καὶ πρὸς ἀλλήλους τιθέντας, σύμβολα περὶ ἑκάστου τῶν ὑποκειμένων γνώριμον σφήσιν αὐτοῖς ποιῆσαι τῆς περὶ πάντων ἑρμηνείαν. Τοιούτων δὲ συστημάτων γενομένων καθ' ἅπασαν τὴν οἰκουμένην, οὐχ' ὁμόφωνον πάντας ἔχειν διάλεκτον ἑκάστων ὡς ἔτυχε συνταξάντων τὰς λέξεις. Διὸ καὶ παντοίους τε ὑπάρξαι χαρακτῆρος διαλέκτων, καὶ τὰ πρῶτα συστήματα τῶν ἁπάντων ἐθνῶν. *Voce autem confusa & nihil adhuc significante, pedetentim verba articulatim pronunciando, & signis unamquamque rem subjectam notando, elocutionem tandem rerum omnium sibi notam fecere. Sed cum per totum*

[1] Lib. 1. c. 5. de consens. Evan.
[2] De Pallio.
[3] Apolog. p. 35.
[4] Bibl. hist. l. 1. p. 12.
[5] In tract. de Iside.
[6] Ibidem
[7] De diis Syris. Syntn. p. 150.
[8] Protrept.
[9] Libro 1. c. Julian.
[10] de Iside.
[11] Apud Clem. Strom. 1.
[12] Apud Aug. l. 18. de civ. Dei.
[13] l. c. 8.

tum orbem hujuſmodi cœtus coirent, & quique, ut ſors dabat, verba connecterent, non eadem omnes loquela utebantur. Ideoque variæ, omniſque generis linguarum formæ extiterunt, & primæ illæ congregationes univerſis originem nationibus dedere. Intendi hic linguarum confuſionem vel talpa videt, cujus tempore quoniam habitari cœpit Ægyptus, non miror, quod creatos tum primum homines dicant, cum primos apud ſe creatos ſemper gloriari ſoleant. Quod vero a creatione (id eſt ut nuper dictum linguarum confuſione) aliquot annorum millia effluxerint, in quibus, quæ facta ſunt nocte & tenebris dudum obruta, dicant Ægyptii, id non alio modo interpretamur, quam omnes ante Moſen res in Ægypto factas prorſus latere. Notandum autem 100. annos Judaicos plus quam Chiliada annorum Ægypti vetuſtiſſimorum efficere. Quod vero nos unam fabulam e duarum diverſiſſimarum Perſonarum, quarum alteram altera aliquot ſæculis anteceſſit, vita derivamus, id non adeo abſurdum eſt, dum Antiquorum ſuffragio nitatur, qui tamen, ne aliquid antiquius Moſe habere viderentur, Moſi eum coætaneum fecerunt. Teſtabitur id Chæremon ſtatuens ἡγεῖσθαι αὐτῶν Μώϋσιν τέ ϗ Ἰώσηφον *duxiſſe eos* (Iſraelitas) *Joſephum & Moſen*, quam ob rem Flavius τῷ δὲ Μωΰσῃ τὸν ϗ Ἰώσηφον ὁ χαιρήμων ὡς ἐν ταυτῷ χρόνῳ συνεξεληλασμένον προστέθεικεν τὸν πρὸ Μώυσεως τέσσαρσι γενεαῖς ἐτελευτηκότα. *Moſi vero & Joſephum quaſi eodem tempore ſimul expulſum jungit Chæremon, & quidem quatuor ætatibus ante eum defunctum*, quam deinde ſententiam amplectuntur Trogus Pompejus, & ejus Epitomator Juſtinus. Non vero heri aut nudius tertius nata eſt eorum ſententia, qui Joſephum in Oſiride cultum putaverunt. Integram Patrum farraginem adducere poſſem, niſi ſolus ſufficeret Maternus, qui ita: *Joſeph, qui ob pudicitiam in carcerem miſſus, ereptus poſt interpretationem ſomnii, fuit particeps regni; nam ſeptem annorum collectis & ſervatis frugibus, alterius ſeptennii egeſtatem manus providentia mitigavit. Huic poſt mortem Ægyptii Patrio Gentis ſuæ inſtituto templa fecerunt, &, ut juſtam diſpenſationis gratiam poſteritas perſolveret, quo modio eſurientibus & ementibus frumenta diviſerat, capiti is ſuperpoſitus eſt. Nomen etiam ut ſanctius coleretur, ex primo Auctore generis accepit; nam quia Saræ pronepos erat, ex qua nonagenaria Abraham indultu Dei ſuſceperat filium, Sarapis dictus eſt, Græco ſermone* Σαρᾶς ἀπὸ. Apage cum iſto Σαρᾶς ἀπὸ, quod affert Firmicus, nobis ſuffecerit probaſſe, quod Julius Firmicus Maternus una cum Patrum plurimis fecerit Joſephum eundem cum Sarapi, quod quoque haud obſcure indicant Ruffinus [1] & Svidas [2]. Quod vero Gentes antiquiſſimæ crediderint Sarapin, ſive Apin eundem fuiſſe cum Moſe jam probandum eſt, id quod pro me præſtabit Syncellus [3] ὁ Μόσχος, inquiens, Θεοποιηθεὶς Ἄπις ἐκλήθη *Moſcus in Deorum numerum relatus Apis vocatus eſt*. Quis ille Moſcus ſit, facile liquet. Græci enim nomen משה addita conſueta terminatione ος non potuerunt aptius, quam per Μόσχος reddere: optime vero hæc cum Chronologia conveniunt; Apidem enim Moſi coævum fuiſſe dudum animadvertit Polemon [4]. Hiſce conſideratis, quæro a Spencero, ſi legiſlatores Ægyptiorum (tales enim ſemper audiunt Oſiris, Apis, Sarapis) fuerint Judæi, & quidem ipſe Moſes, cujus vitam Joſephi hiſtoria corruptam narrant, quoties aliquid de Oſiride narrant. Quid abſurdius fingi, quid inconvenientius dici potuit, quam Moſen tradidiſſe eas leges, quæ antea ab Oſiride, id eſt, ipſo Moſe datæ erant? Etenim ſi nulla Ægyptiorum lex eſt, etiam ex iis, quas recenſet Spencerus, quæ Apide ſit recentior, quod volunt omnia Ægytiorum monumenta & ipſiſſimus innuit Spencerus, ſequitur nullam Ægyptiorum legem, etiam ex iis, quas recenſet Spencerus, Moſe eſſe antiquiorem, cum Moſes ſit Apis, quod jam probatum eſt, & adhuc ſolidius probandum. Dicunt Ægyptii ſtatim a nato Oſiride auditam eſſe vocem ὡς ἁπάντων κύριος εἰς φῶς προέλθῃ *quod omnium Dominus in lucem venerit*, atteſtante Plutarcho [5] quod non aliunde ortum, quam a vaticinio Prophetæ Ægyptii prædicentis apud Flavium Moſen κύριον ἁπάντων ϗ Αἰγύπτου βασιλέα. Sic quoque Patrem Oſiridos Solem Plutarchus ibidem facit, non aliam ob cauſam, quam quia Joſephus in ſomnio de Sole, Luna &c. per Solem interpretatus eſt Parentem ſuum. De Oſiride ſene narratur, quod in mare projectus fuerit, cum tamen Moſi juveni id contigit. Alio vero modo narratur projectum eum infantem in Nilum; ſediſſe vero Iſidem ad fontem & demiſſam, & lacrimoſam, a Regina vero Ægypti adſcitam, & nutriendo Puerulo, quem fluvio jam exemerat, præfectam [6] Quæ narratio quam belle in Moſen quadret, indicare non opus eſt, cum ipſa ſe indicet. Ubi autem expoſitus fingitur Oſiris? Si ulla Plutarcho fides contigit id διὰ τοῦ Ταιντικοῦ στόματος, ὃ διὰ τοῦτο μισητὸν ἐστὶ νῦν, ϗ κατάπλυστον ὀνομάζειν Αἰγυπτίους. *Per oſtium Taniticum quod etiamnum hodie*

[1] Hiſt. Eccleſ.

[2] In voce Σάραπις.

[3] Chronolog.

[4] Apud Joſephum

[5] In Tract. de Oſiride p. 355.

[6] Ibidem p. 357.

die execrandum, deteſtandumque ab Ægyptiis habetur. Apprime hercle! nam expoſitum eodem in loco Moſen certiſſimum eſt, cum tempore nativitatis Moſaicæ, revera aula Pharaonis Tani fuerit, quicquid objiciat auctoritatem Flacci, Nonni, Joſephi, aliorumque prætendens Sant-Amantius. Revera enim Memphis (ubi ſcilicet hanc aulam collocat) ad tempora Moſe longe poſteriora rejici debet, Tanim vero extitiſſe ante Moſen nullus dubito, cum omnem dubitationis ſpeciem tollat ipſe Moſes, qui Numer. 13. Hebronem, quam incolebat Abraham, 7. ſaltem annis Tanis Ægyptiaca antiquiorem facit: at Memphim ipſis recentiorem Thebis exinde colligo, quod Diodorus dicat: ἤρξατο ταπεινοῦσθαι μὲν τὰ περὶ τὰς Θήβας, αὔξεσθαι δὲ τὰ περὶ Μέμφιν. *Thebæ obſcurari & minui cœpere, Memphis vero augeri*. At clarius hæc illuſtrari queunt: patrata a Moſe miracula ea in Ægypti parte certum eſt, ubi pluere ſoleat, id enim ſatis indicat dictum Exod. 9. v. 18. at num hæc in Memphide contingant? ἀχείμαντον *imbribus deſtitutam* Memphidem vocat Bacchylides apud Athenæum lib. 1. *carentem Sithonia nive* Horatius lib. 3. Od. 26. & לא יורדשם מטר ולא קרח ולא שלג לא ראו בעולם *Eo nec pluvia unquam deſcendit, nec pruna, aut nix unquam apparuere*, ait Tudelenſis p. 116. Hinc tanquam magnum φάσμα pluviam in ſuperiori Ægypto memorat l. 3. Herodotus. At ſecus ſe res habuit in inferiori (ubi Tanis erat) ἔτι τοίνυν καὶ τὰ κάτω τῆς Αἰγύπτου λαμπρῶς πολλάκις ὕεται. *Quin etiam ſæpe & multum in Ægypto inferiori pluit*, ait in Oratione Ægyptiaca Ariſtides: *pluit largiſſime & ſæpe* & *largiſſima depluit pluvia*, ait de Medic. Ægypt. l. 1. Proſper Alpinus. At cui uſui tot afferimus cum apertiſſime Svidas: *Tanis eſt nomen loci, in quo regia Pharaonis*; unde quoque Iſidorus Origin. lib. 15. *Tanis* inquit *Ægypti caput, ubi erat Pharao, & ubi Moſes omnia, de quibus in Exodo, miracula edidit*. Et Theodoretus: *Tane ſtabat regio Pharaonis*. Hiſque omnibus earum rerum peritior Hieronymus: *In agro Tanitico, ubi erat Rex Ægypti, ubi erat equitatus, ubi Jannes & Jambres erant*. Liquet igitur expoſitum eodem in loco Moſen, quo Oſiris dicitur: quod vero arcam, in qua exponebatur, maris æſtu ſenſim Biblon Phœniciæ oppidum delatam dicat Lucianus libro de Dea Syra, paucis explicabimus. Papyraceam arundinem denotare hanc vocem βύβλος, nemo eſt in Græcis mediocriter verſatus, qui negare auſit; veriſſimum igitur eſt Moſen recens natum natando ſenſim εἰς τὴν βύβλον perveniſſe: verum Græci, cum per papyraceum explicari arundinetum deberet, oppidum Phœniciæ interpretati ſunt. Ex ſimili mala interpretatione orta eſt de Oſiridis, & Canis ſocietate fabula, notus quippe eſt ſocius Moſis Calebus, qui Hebraice כלב, quod nomen canem quoque denotat. Oſiris, obſervante in animadverſionibus Euſebianis Scaligero, [1] Deus Ægyptiorum fuit, non Patrius, ſed peregrinus; Moſes, quem Pharaoni in Deum poſuerat Deus, non Ægyptius erat, ſed peregrinus. Non mirum, quod Apin, & Sarapin per bovem expreſſerunt Ægyptii, cum Joſephus propter frumenti diviſionem inter Deos ſit relatus, & τοῖς εὑροῦσι τὴν τοῦ σίτου καρπὸν συνεργῆσαι μάλιστα πρὸς τοῦτον σπόρον καὶ τὰς κοινὰς ἁπάντων ὠφελείας dicat Diodorus, [2] quam ob rem Minutius quoque, qui frumentum Melianum aſſibus in modios æſtimatum plebi diviſerat, aurato bove donatus legitur apud Livium [3] Diodorus [4] vocatur Oſiris πολυόφθαλμος, quia ſcilicet Joſephus ſagax erat futura videndi. Oſiridi juſſi acclamare Ægyptii μέγας εὐεργέτης, referente Plutarcho, prout etiam Joſepho a Pharaone acclamare juſſi ſunt Ægyptii. Anguem populo ſuo inſidiantem occidiſſe dicitur Oſiridis, Ogum enecavit olim Moſes, quem ut belle ad ſerpentem referat Dikinſon [5] videat Lector. Aſino olim per Ægyptum vectum eſſe Oſirin referunt Plutarchus, & Diodorus, ad imitationem Moſis, prout deſcribitur Exod. 4. v. 20. Πυριπατόρος & ignigena dictus olim Oſiris, propter viſum Moſi in rubo ignem. A Nymphis olim educatum Oſirin accepimus, recte! quid enim νύμφαι, niſi aqua, in quibus natus & educatus Moſes? Columnæ ſymbolo expreſſum olim liquet Oſirin, unde eſt quod περικιόνιος audiat, quod ſane ex ſola igneæ columnæ hiſtoria profectum eſt. Ῥηξίχθων nominatur in Orphicis Oſiris, quia terram concuſſiſſe ignemque ex ea elicuiſſe dicitur. Oſirin, cum templum conderet, nullam Dei imaginem intuliſſe proditum eſt, veluti Moſes imagines a templis arcuit. Oſiridem olim γιγαντολέτην dixerunt Veteres propter devicta per Moſen *Monſtra filiorum Enach de genere giganteo*. Liberaſſe patriam a ſervitute, & in rei monumentum urbem condidiſſe Diodoro L. 4. Oſiris dicitur, quia Moſes populares ſuos ab Ægyptiaca ſervitute in priſtinam vindicavit libertatem. Oſiridi Miſi nomen, ut eſt in Orphicis, quod non multum a Moſe differt. Educatus in Nyſa monte Arabico Oſiris, qui, ſi Siculis annalibus credendum, ipſiſſima Sina eſt,

[1] Ibidem p. 357.

[2] Nu. 1730.

[3] Bibl. hiſtor. lib. 1.

[4] Lib. 4.

[5] Lib. 1.

ad quam accepiſſe legem & promulgaſſe Moſen notiſſimum eſt. Sic cum Bacchæ cujuſdam virga in terram projecta ſerpentis inſtar repere viſa eſt, digitus ad virgam Moſis in ſerpentem transformatam intenditur. Oſiridis chorum lucem uſurpaſſe dixerunt Veteres cœteris caligine obrutis, non aliam ob cauſam, quam quia Iſraelitis id in Ægypto factum Antiqui cognoverint. Ab Indis victor Oſiris veniſſe dicitur, non aliam ob cauſam, quam quia Moſes Ægyptios deviciſſe, uti quoque revera ſe res habuit, creditus eſt; tam enim Æthiopia, quam contermina illi Ægyptus cum India Antiquis confuſa. Bimater Oſiris dicitur non aliam ob cauſam, quam quia Moſes duas matres habuit, naturalem quidem Jochabed, adſcititiam vero Thermuthen Pharaonis filiam. Muſicæ operam dediſſe Oſiris fertur, & duxiſſe ſecum ſaltatores quidem & cantores Satyros, ipſaſque etiam Muſas, unde Diodorus eum in Caſtris circumtuliſſe Muſicos, Arrianus vero Muſicam intuliſſe eum Deorum ſacris memorat. Moſes quippe ſæpe ipſis in caſtris, tympanis, & citharis laudes Deo cecinit. Cornutus fingitur Oſiris, de Moſis cornibus actum ſatis antea. A Fratre peremptus Oſiris dicitur, ſed tamen revixiſſe; Fratres Joſephum interimere voluerunt, ſed fruſtra. Alii a fera dilaniatum Oſirin produnt, ut Sariſbarienſis [1] & Apollodorus [2]. Quod inanem Sarapidis tumulum memoret inter multos alios Minucius, [3] non aliam fit ob cauſam, quam quia Joſephi oſſa ex Ægypto deportata, & tumulus inanis relictus. Quod Amaſius Veneris vocatus ſit Oſiris, eapropter eſt, quia Potipharis uxor Joſephum deperibat. De ſacris Oſiridis Lactantius: [4] *Iſidis ſacra ſunt quatenus filium vel perdiderit, vel invenerit; nam ſacerdotes ejus lamentantur, & pectora tandunt, deinde puer producitur quaſi inventus, & in lætitiam luctus mutatur*. Unde hæc ſacra niſi a Joſepho, quo invento gaviſus valde eſt Jacobus? at, viſo ipſo, præ gaudio lacrimatus eſt. Hiſce obſervatis apparet non male ad Oſiridis fabulam retuliſſe Joſephi hiſtoriam Firmicum, quod mirum ſane non eſt, cum Joſephi uxor filia fuerit Sacerdotis Heliopolitani, ſacrorumque per totam Ægyptum Præfecti, cujus maxima ſane in rebus hujuſmodi auctoritas. Quoniam vero Oſirin dixerunt veteres Ægyptii omnium Deorum hiſtoriam in ſe continere, operæ forſitan pretium erit, pauciſſima ea de re ex eorum ſcriptis delibare. Neque enim tanta fuit Ægyptiorum πολυθεότης, quanta fuit Deorum πολυωνυμίας. Hinc Diodorus Siculus [5] Τὸν Ὄσιριν, inquit, ἁ μὲν Σάραπιν, οἱ δὲ Πλούτωνα, οἱ δὲ Ἄμμωνα, τινὲς δὲ Δία, πολλοὶ δὲ Πᾶνα νενομίκασι. *Oſirin quidam Sarapin, alii Bacchum, alii Plutonem, alii Hammonem, nonnulli Jovem, multi Pana eſse exiſtimant*. Sic Nonnus ſimilem inflat tibiam canendo [6]:

> Βῆλος ἐπ' εὐφράταο, Λίβυς κεκλημένος Ἄμμων,
> Ἆπις ἔφυς Νειλῶος, Ἄραψ Κρόνος, Ἀσσύριος Ζεύς.
> *Belus Euphratenſis, Libycus vocatus Hammon,*
> *Apis es Niliacus, Arabs Saturnus, Aſſyrius Jupiter*:

Et ſane omnia Ægyptiorum myſteria Palæſtinæ originem debere facili negotio demonſtrari poteſt; quid enim non tentavit in Mercurio & Mercurii columnis Huetius? [7] non ſolum fabulam Mercurii ab oriente deducit, ſed ipſiſſima quoque nomina, primum quidem reſpiciens ad appellationem Ægyptiacam Taaut, quam a voce Hebraica תהו in primo Geneſeos capite nominato deducit, inſiſtens, ni fallor, veſtigiis illuſtris Scaligeri, qui in notis ad fragmenta eandem amplectitur ſententiam. Et ſane egregiæ huic obſervationi non leve pondus addit Artapani confeſſio, qui rotundo ſatis ore ita apud Euſebium in præparatione Evangelica loquitur: διὰ ταῦτα οὖν τὸν Μώυσον ὑπὸ τῶν ὄχλων ἀγαπηθῆναι, καὶ ὑπὸ τῶν Ἱερέων ἰσοθέου τιμῆς καταξιωθέντα προσαγορευθῆναι Ἑρμῆν, διὰ τὴν τῶν ἱερῶν γραμμάτων ἑρμηνείαν. *Quibus rebus non ſolum populi honorem ſibi procuravit, verum etiam parem Superis honorem a Sacerdotibus, qui* Ἑρμῆν *illum, hoc eſt Mercurium, ſive interpretem, ob ſacrarum literarum* ἑρμηνείαν id eſt *interpretationem appellarunt, facile impetravit*. Sed ſuffecerit nobis de Mercurio hoc Artapani teſtimonium: plura qui deſiderat, adeat elaboratiſſimum illuſtriſſimi P. D. Huetii tractatum, qui *demonſtratio Evangelica* inſcribitur, qui (quamvis demonſtrative non agat, ſed potius hypothetice, & eapropter demonſtrationis titulum non mereatur) vigilatas tamen noctes, & indefeſſam redolet induſtriam. Hinc vereor, ne judicioſiſſimo Huetio ſumma fiat injuria, quoniam audio eum alicubi in Germania ab erudito Viro Atheiſmi inſimulari. Multa in ipſo ſunt, quæ Heterodoxiæ eum deditum probant, nihil omnino quod Atheiſmi, niſi Auguſtinum vis Atheum, qui tale alicubi opus exoptavit, quale publico nunc ſtitit meliori omnino encomio dignus Huetius. Sed heus! quo me amor Huetii rapit? Ejus quidem ego apologiam hic ſcribere

non

[1] De nugis curialium 4. p. 16.
[2] lib. 3. pag. 194.
[3] pag. 165.
[4] lib. 1. c. 2.
[5] Bibl. hiſt. lib. 1. p. 15.
[6] Dionyſiac. lib. 40. v. 397.
[7] Propoſ. 4. c. 4.

non instituì, dabunt tamen forsitan, qui illustrissimi viri existimationem omni opera defendent, si quando id eis extorquet hostis Huetii, cujus scriptum intra privatos hactenus delitescere parietes credimus. At de Ægyptiis hic plura addere non decrevimus, nisi unicum monitum: vanum esse incomparabilis Boccharti metum, qui Ægyptios Mosen ut Deum olim coluisse non credit, cum tantis ipsos incommodis affecisset; etenim ut taceam, quod istic dicit Ausonius:

Primus in orbe Deos fecit timor - - -

certum est adeo æstimatum ab Ægyptiis Mosen, ut non solum eum apud se natum, & Heliopoliten persuadere aliis voluerint, verum etiam divinis honoribus affecerint. Taceo quæ istic dixit Artapanus, taceo, quæ istic Syncellus ὁ Μόσχος θεοποιηθεὶς Ἄπις ἐκλήθη, certissimo tamen id persuadent Græcorum fabulæ, quæ Deos ab Ægypto adversus Gigantes venisse asseverant, quæ a nobis ante explicata, repetere nolumus. Sed satis de Ægyptiis, adeunda demum tertia Taciti de Æthiopibus sententia, & simili modo ac priores tractanda.



CHRI-



CHRISTIANI WORMII
WILHELMI FILII
DE
CORRUPTIS
ANTIQUITATUM
HEBRÆARUM
APUD
TACITUM ET MARTIALEM
VESTIGIIS
LIBER SECUNDUS.

BENEVOLO LECTORI
Salutem.

NUnquam Augustum liberos suos Senatui comendasse accepimus nisi addita hac cautela: *si merebuntur*, nec ego hunc ingenii mei fœtum, hanc laboriosæ juventutis prolem alia ratione benevolentiæ tuæ acceptam esse vellem nisi *si merebitur*, quam quod expectatione tardius enixus fuerim, ne miretis; etenim ut cymbula in tranquillo mari vix ac ne vix quidem promovebitur nisi liberæ remigum manus suum facere officium poterunt, & aura, licet solito tranquillior, adspiret: ita studia mea tarda hodie & omnino ignava sunt, quod manus variis

& pe-

& pene tædiosis laboribus districtæ, stilo minus feliciter uti possint. Vincam tamen omnes molestias, & vel Herculeo nisu amovere difficultates, circa antiquitatum investigationem, obvias allaborabo, modo de tua, humanissime Lector, benevolentia certior esse possim, cui, has studiorum primitias antequam promo, solemni Veterum ritu, hoc præloquio libatum eo, precatus ne pauca quæ omnino hic in limine mihi dicenda audire dedigneris.

Primum vides citatum in hoc libro inter varios suspectæ fidei authores Sanchoniathonem, quem quod scriptis suis exploserint Ursinus & Dodwellus minime ignoro, sed nondum me rationibus eorum convictum esse lubens fateor; quapropter fidei ejus nihil detrahere audeo, partim quod suam sanctissimis Patribus, apud quos tanquam genuinus citatur, authoritatem sartam tectam majori religione conservari optarem, partim quod rationes habeam valde prægnantes, quas hac vice depromere chartæ hujus angustia vetat, cum alia tamen occasione extorqueri mihi eas facile patiar. Desinant tandem aliquando hodierni Christiani veteribus Christianis illudere, & eorum credulitatem sugillare, nisi forte hanc unicuique sobrie sentienti confessionem extorquere satagant, Christianam religionem infensiores nunquam hostes habuisse quam superstites hodie Christianos, quorum insatiabilis sæviendi in propria viscera lubido, eo quidem usque progressa, ut vix ullum de Christo aut vaticinium, aut testimonium se offerat, quod non argumentis næ invalidis labefactare & evertere, interpretamentis næ ludicris enervare & eludere allaborant. Quid illustrius Josephi testimonio? At quotus quisque est cui id non spurium & adulterinum videtur? Quid sincerius plerisque eorum quæ supersunt Sibyllarum carminibus? at neminem fere invenies qui non id honori sibi duxerit, si pias Patrum fraudes, innocuos ingeniorum lusus ea vocaverit. Verum quid pietati cum fraude? Quid mendacio cum veritate? An fraude & mendaciis veritatis Evangelicæ hostes expugnandi? Et an mentitos an fraude usos Patres existimas cum inter præcipua Christianæ Religionis argumenta carmina Sibyllarum habuerint? Tædet pluribus ea de re hic dicere, præsertim cum animus ferat læsam Patrum authoritate promto ad eorum obsequia calamo propediem vindicare.

Secundo vides vindicata hinc inde multa Historicorum loca, quæ suspecta plerique hactenus Commentatores habuerunt, non aliam certe ob causam, quam quod non statim ab iis intelligi potuerunt. Suppetit mihi, quo id demonstrem, insignis aliquis Svetonii locus in vitæ Flavii Vespasiani capite 4. p. 462. *Judæi rebellarunt cæsoque præposito Legatum insuper Syria, rapta* AQUILA, *fugaverunt*. Alii quidem hic cæsum Syriæ legatum utpote Gessim Florum negant, cum tamen expresse Josephus in vita sua p. 1000. scribat: Ὁ δ' ἐπελθὼν καὶ συμβαλὼν μάχῃ ἐνικήθη, πολλῶν τῶν μετ' αὐτοῦ πεσόντων καὶ γίνεται τοῦ Γεσσίου πταῖσμα συμφορὰ τοῦ παντὸς ἡμῶν ἔθνους. *Ille vero reversus in prælio victus est, multis una cum illo cadentibus, & facta est Gessii cædes omnis nostræ Gentis pernicies.*

Aqui-

Aquilam vero Romanorum raptam esse gratis dicere Svetonium plerique asserunt, licet, si res probe examinetur, summa ipsi fiat injuria, *rapta Aquila suppetias tulisse Florum* asserit, id est diu postquam rapta esset aquila eum advenisse. At quomodo raptam vult Aquilam Svetonius? An in prælio? minime, sed respicit ad ἀετὸν χρύσεον μέγαν *Aquilam auream magnam*, quam in signum Romani Imperii super majorem templi partem suspendi curaverat Herodes, hanc enim non sine ingenti tumultu plebs judaica dejecit, ut memorat Josephus libro Antiq. Judaic. 17. & de Bello Judaic. 1.

Tertio non raro hic animadvertes statuere me Gentiles amphibolia vocum Hebræarum deceptos multa fabulis suis ludicra inseruisse, ut cum Jovem in arietem mutant, tripodas oraculo Dodonæo addunt & id genus alia. At dicas: an ergo Hebræos codices ipsi inspexerunt an locutos Hebraice Judæos intelligere potuerunt? Regero: ex frequenti cum Phœnicibus, quorum sermo Hebræus, commercio linguæ Hebreæ assuefacti, haud mirum si sacra aliquot, ut ipsi putabant, vocabula retinuerint, cumque ipsi omnia non intelligere potuerunt consulebant obvios quoscunque, id, quod confirmare poterunt verba Augustini, quæ ita se habent in notis ad Epist. Cor. *cum alter alteri dixisset: Salus, quæsivit ab eo qui & latine nosset & punice, quid est salus?* Hac enim ratione alter, quamvis ipse non intelligeret Hebraica, ab alio tamen tam hebraice quam latine sciente informari potuit. Exemplum hujus rei dabo ut res eo clarior evadat: habetur locus in Juvenalis Satyra sexta libri 2. qui crucem criticis non semel duntaxat fixit:

> *Interpres Legum Solymarum & magna Sacerdos*
> *Arboris, & summi fida internuncia cœli.*

Nescio quot modis hæc explicare conantur Interpretes, alii lucum Egeriæ sacrum, cujus mentionem injicit libro 1. Livius, Judæis mercede conductum ajunt, atque hanc Romanorum avaritiam plus quam sordidam, atrociori stylo retundere Juvenalem arbitrantur; nonnulli non Judæos hic innui volunt sed Christianos, edicto Domitiani, urbe pulsos & sylvas inhabitare coactos: alii ad nemus Aricinum se conferunt & nescio quam allusionem ad Dodonæas sacerdotes crepant, quam ne quidem ipsi intelligunt; nec desunt qui respici ad Sacra Judæorum in lucis peracta credunt, temporum ordinem pervertentes ut ea Judæos facere rati, quæ legibus eorum omnino contraria. Verum ut, quod sentio dicam, ab erroris hujus fonte toto, quod ajunt, cœlo singuli aberrant, quem, nisi in Palæstina quæris, vix alibi invenies; age vero viam monstrabo & originem hujus rei, quam possum, brevissime pandam: כהן אלה Sacerdos Dei juxta genuinam vocabulorum naturam denotat, cum vero אלה *quercus* etiam vocetur, nata exinde & Gentibus oblata fingendi occasio, eo quidem usque ut כהן אלה *Sacerdotem arboris* dixerint, cum tamen sacerdos Dei audire deberet, nec divelli se ab

 hac

hac opinione paſſi ſunt, cum crediderint ipſi Numina adeſſe & loqui in hujuſmodi lucis ſylviſque unde Ovidius :

Stat vetus & multos incædua Sylva per annos.
Credibile eſt illi Numen ineſſe loco.

Quod nec aliunde ortum arbitror quam quia דביר *lucum & adytum* denotat, cum tamen ſit a radice דבר loqui ; inde enim lucos vocales & Numina in Sylvis præſentia crediderunt. Hanc opinionem apud Judæos quoque invaluiſſe rati, quod multa fando inaudierant de arbore ſcientiæ boni & mali ; etenim cum arboris beneficio diſcere Judæos potuiſſe quæ bona & mala crediderint, decepti more ſolito eruditas & Doctores, imo futura vaticinatas fingere arbores non dubitarunt. Quod vero additur:

Summi fida internuncia Cœli.

Ideo dicitur quia שמים tam Deum, quam Cœlum exprimere poteſt, eſſe enim id inter nomina Divina nemo ignorat. Quarto, cum plurima nomina in ſacris Gentilium obvia Palæſtinæ & Hebraiſmo vindicamus, ne putet benevolus Lector adferri ea quæ proprio in cerebro nata nullum cum ipſa veritate commercium habent ; etenim ſi vel ſola Romanorum vocabula apud Claſſicos authores ubique obvia examinare liberet, pateſceret utique quamplurima eorum a radicibus hebræis pullulaſſe. Libet in hujus aſſertionis eo majorem evidentiam, per aliquot Alphabeti literas exſpatiari & aſſertionis noſtræ certitudinem evincere. *Abacus* ita, niſi fallor, dicitur ab אבך, pro quo uſitatum eſt התאבך, *elevari* quod rem elevatam denotet ad notandum in eo aliquid. *Abare* Auſonii Epiſt. 1. manifeſte a Syrorum אבא id quod etiam Hieronymus comment. ad Gal. 4. notavit. *Ac.* ab אך. *Acerra* per proſtheſin a חרר quod ſcilicet in ea accendantur odores. *Ad ab* עד quod eadem omnino ſignificatione Deuter. 4. v. 30. habetur. *Adamus* a דיאמה a דים *durare*. *Adeps* a Chaldaico אטפש quod *impinguare* ſignificat. *Adorea* ab אדר *magnificentia*. *Æmidus* quod idem ac *ſanguine tumidus* dicente Feſto a דמא *ſanguis*. *Æſtus* ab אש *ignis*. *Æther* ab אדיר *illuſtris*. *Africus* ab עפר *pulvis* ; pulverulentus enim iſte ventus ob nimiam ſiccitatem. *Ager* ab אגר *colligere*. *Ach* ab אח idem denotante Ezech. 21. v. 5. *Ajo* ab היה *fuit* quod optima *illa* affirmandi ſit ratio, unde Auſonius Eidyllio 9.

Eſt & non cuncti monoſyllaba nota frequentant.
His demptis nihil eſt hominum quod ſermo volutet.

Albus a לבן quod idem omnino denotat. *Alma* quæ vox ſæpius pro ſancta accipitur ab עלמה *puella*. *Aloe* ab אהלות *Altus* ab עלק *aſcendit*. *Amarus* a מרר *amareſcere*. *Amo* a חמר *deſiderare*. *Anaglypta* Vaſa in aſperitatem excuſa definiente Plinio libro hiſt. natur. 33. cap. 11. a גלף *inſculpere*. *Arceo* ab ערק quod

inſe-

insequi fugare denotat. *Ardeo* a חרר *ardere*. *Assum* ab אש *ignis*, *Asylum* ab אשל *Silva*; sylvas enim fuisse *asyla*, *multa* quidem evincunt, unde Virgilius libro 8. Æneidos:

> *Hinc lucum ingentem quem Romulus acer asylum*
> *Rettulit*. - - - -

& Livius libro 35. *Lucus ea religione & eo jure sacer quo sunt templa, quæ Græci asyla appellant*. *Attamino* a טמא *immundum esse*. *Avere* ab אוה *desiderium*. *Avis* ab עפה *volans*. *Aura* ab אור *lucere*. *Axilla* ab אצילה quod idem omnino denotat. *Babæ* ab אבוי. *Bajulo* a פעל *operatus est*. *Balsamum* quasi בעלשמן *Dominus odoris*, quod inter omnia aromata gratissimum semper odorem spiret. *Baptismus* a טבע *immersit*. *Baratrum* τόπος βαθὺς ὅπου οἱ κακοῦργοι ἐνεβάλλοντο καὶ οἱ ἐπὶ θανάτῳ. *Locus profundus, in quem malefici injiciebantur* dicente Suida a באר *beer puteus* & אתר *lacus* inde etiam Græcis βέρεθρον dicitur. *Basaltes* marmor ferrum & colore & duritie referens, dicente Plinio libro 36. cap. 7. a ברזל *ferrum*. *Basilica* a בעל *dominari*: *Basis* a בסה quod a בסס *calcare*. *Bdellium* quod memorant Plautus Curcul. act. 1. scen. 2.

> *Nam omnium unguentorum odor præ tuo nausea est*.
> *Tu cinnamomum, tu mihi stacte, tu rosa*.
> *Tu crocum & casia es tu bdellium*.

Marcellus Empiricus:

> *Crocon atque bdellium*.

Isidorus Brixianus, alii, a ברלח quod gen. 2. v. 12. occurrit. *Bela oves*, teste Varrone libro 11. cap. 1. a יובל truncato capite. *Bibo* a פי *os*. *Bruta* de qua Plinius: *petunt igitur in Helimæos arborem brutam cupresso fusæ similem, eam albidis ramis, jucundi odoris accensam & cum miraculo historiis Claudii Cæsaris prædicatam*, a ברות quod recte *cupressum* interpretatur Hieronymus. *Bursa* a בשר per Metathesin. *Butubata, Nævius pro nugatoriis posuit, hoc est nullius dignationis*, ait Festus, quasi ביטו בטיח *futilia effutiens*. *Byssus* a בוץ quod eadem significatione legitur 2. Paralip. 2. *Cadmea terra quæ in æs conjiciuntur ut fiat orichalcum* dicente Festo. A קדם *Oriens*; e Cypro enim eruuntur, Cyprus vero ad Orientem. *Cædo* a כתת quod idem notat. *Calamitas* a קמל *excidere* per Metathesin. *Calvus* a כלף *decorticare*. *Camelus* a גמל quod idem penitus significat. *Camera* a קמר *claasit*. *Canna* a קנה *arundo* inde etiam *cano*, quod canna seu calamo canerent antiqui; inde Virgilius:

> *Sylvestrem tenui Musam meditaris avena*.

Canon a כן *rectus* *Cardo* quod vocabulum a Dea Carna seu canit Ovidius 6. Fast.

> *Prima dies tibi Carna datur Dea cardinis hæc est*.

a קרן *cornu angulus*. Plura, quæ in promptu ſunt his addere brevitatis ſtudium interdicit.

Tandem Benevolum Lectorem rogatum impenſius venio, velit peccanti non una ſaltem vice Typothetæ ignoſcere, aut, ut quod res eſt dicam, mihi metipſi potius, qui multis & continuis laboribus præpeditus, non potui niſi aliena manu, eaque non admodum oculata hujuſmodi erratis mederi, unde non mirum ſi tot ſordibus hic liber ſcateat, ut vel ipſum Augiæ ſtabulum longo poſt ſe intervallo relinquat. Secuturos hujus Commentarii libros non niſi poſt annos aliquot in publicum emittere fert animus: attamen otio meo abuti videar, ſciat Benevolus Lector totum me jam occupari in conſcribendis notis ad R. Sabathai Strimeri Bibliothecam Rabbinicam, שפתי ישנים inſcriptam, quam Latinitate non ita pridem a me donatam orbis eruditi judicio propediem ſubjicere conſtitui. Interea vero pignoris loco ad humanitatis tuæ aram, benevole Lector meſſem hanc forte nimis ſterilem adveho, quam in horreum librorum, qui quotidie eduntur, lucupletiſſimum condas, imo ad aream opportune depromptam lectionis tuæ tribulo tritures & excutias, judicii tui vanno ventiles & purges, ut inſpicias ſerio & cenſeas librum hunc luce & uſu publico dignumne, an indignum.





LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

ÆThiopia maxime fabulis obnoxia. Augustinus Æthiopas unum saltem habere oculum dicit, quod de Regibus eorum Solinus & Plinius affirmant, Herodotus negat. Solinus Æthiopas quatuor oculos habere dicit, ἡλίου τράπεζα. Æthiopia ab Antiquis describitur, ut hodie Utopica R. P. Pauci ex Antiquis in Æthiopiam profecti, cum opprobrio id iis verteretur, unde male audiit Theophilus. II. Instituti ratio. Taciti verba. Æthiopes Autochthones secundum Diodorum & Stephanum. Primi homines. Quare? III. Certamen inter Ægyptios & Æthiopas de Antiquitate. Ægyptus ex aggesto Æthiopiæ limo nata secundum Siculum, Herodotum, Strabonem. Falluntur Æthiopes, quod Scriptura Sacra, Locorum situs, testimonia Festi, Herodoti, Melæ demonstrant. IV. Æthiopes ultimi hominum secundum Periegetem & Homerum. Homero cavillantur Aristarchus & Crates, excusat eum Strabo. Æthiopia fines terræ dicente Apione, Eustathio & Pindaro. Quare primi & ultimi dicuntur Æthiopes? Ultra Æthiopiam mare navibus non obvium juxta Scylacem Caryandenum & Sataspem. Geographorum imprudentiam ridet Plutarchus. Iberi simul ultimi & primi dicti.

I.

NUllus unquam populus tantis locum mendaciis fecit ac Æthiopes, de quibus adeo mira narrantur tot tantisque fabulis infecta, ut si forte Scriptores de rebus Æthiopicis consulueris, falli te, & variis fabularum technis detineri haud immerito credas. Sane si justa animi trutina affanias istas examinares, quæ ubique fere de Æthiopibus, & eorum regione, moribusque se offerunt, tot sibi ipsis contraria minimeque congrua animadverteres, ut Gentilium nugæ, si vel aliunde non cognitæ, suis se hic indiciis non aliter ac sorices proderent. Unde nihil magis mirari soleo, quam potuisse hæc mendacia eruditissimis olim Scriptoribus imponere, & tot causari incommoda, ut absurdum alterum alteri e regione quasi oppositum fuerit. Libet hic in limine unum alterumve afferre, quibus tanquam fulcris dicta modo inniti oporteat.

* Nescio quid Beatissimum Patrem Augustinum acerrimum cœtera ineptiarum osorem movere potuerit, ut vidisse se Æthiopum gregem, quibus unus saltem in fronte oculus fuerit, affirmet; ut enim taceam, quæ prolixe ea de re disputat

[1] &

* Doleo sane valde vices tuas Vormii qui in medio eruditionis lumine (ut ipse ait) natus, ita cæcutis ut nec Augustini opera dignoscere valeas. Sermones ad Frat. in Eremo vel ipsi in eruditione Ecclesiastica Tyrones non esse Augustini probe sciunt. Præter Baronium & Bellarminum Cardinales, ita de ejusmodi Sermonibus Lovarienses Theologi loquuntur. *Satis constat sub Divi August. nomine a quodam semilatino exercitii causa conscriptos esse, Aliquando intermiscet verba August. Cæsarii Gregorii &c. Lipsius ex phrasibus & dictionibus quibusdam suspicatur Auctorem fuisse Galloflandum.* Mirari tamen subit quomodo Vormius ad manum semper habens postremam operum August. editionem per Benedic. P.P. egregie illustratam censuram operum in appendicem rejectorum non viderit? Vidit sane bonus ille vir sed semper infensus Patrum Opera, doctrinamque servat. Quid igitur dicendum de Vormio nisi mala mens, malus animus?

[1] & prudenter examinat, vel si mavis, exanimat Majolus: [2] expressissima hæc sane ejus sunt verba [3] *Ego jam Episcopus Hipponensis eram, & cum quibusdam servis Christi ad Æthiopiam perrexi, ut iis sanctum Christi Evangelium prædicarem. Vidimus in inferioribus Æthiopiæ partibus homines unum oculum tantum in fronte habentes*, quæ verba sanctissimo Patri excidisse valde doleo; quamvis enim de Rege eorum idem antea prodiderit Solinus [4] & ante eum forte Plinius [5] (nisi de Agriophagis Solinum, de Nigritis vero Plinium loqui credideris) Herodotus tamen acerrimus fabularum hostis [6] ἀριμάσπους, inquit, vocari ἄνδρας μουνοφθάλμους *viros monoculos*, sed addita hac cautela: πείθομαι δὲ οὐδὲ τοῦτο, ὅπως μουνόφθαλμοι ἄνδρες φύονται ἔχοντες τὴν ἄλλην φύσιν ὁμοίην τοῖσι ἄλλοισι ἀνθρώποισι. *quod nec ipsum crediderim viros nasci unoculos, reliquam naturam habentes aliis parem*. At spretis illis, ludit tamen, quod nuper diximus, Augustinus: quanto vero aliter Solinus [7] *qui Maritimos*, inquit, *Æthiopas quaternos oculos dicunt habere?* En qua ratione Augustinus unum Æthiopibus oculum demat, duos vero addat Solinus, adeo quidem ut nec ipsis in fabulis consentiant insana mentiendi prurigine tacti.

Hec & hujus generis alia adeo me affecerunt, ut Ludolfo nunquam mihi sine præconio nominando, per omnia assentiar, cum quæcunque de Æthiopia leguntur, accipi de Utopia posse scite alicubi, [8] sed vere scripserit, quod quidem unico si probemus exemplo, rem Lectori minime ingratam facturos nos arbitramur. Quid notius quam quod de Reipublicæ Æthiopicæ deliciis narrari solet? ubi, scilicet non unius saltem generis scitamenta præsto erunt, sed qualescunque demum generis delicias volueris tam assas, quam coctas, quæ quidem ludrica ab otiosis capitibus ficta, nec nisi risui jocisque dicata, apud Æthiopicorum Scriptores tanquam verissima, & vel ipso ex tripode profecta invenies. Ut fidem dictis meis faciam, en Herodotum qualem quantumque Historicum! [9] λειμών ἐστι ἐν τῷ προαστείῳ ἐπίπλεος κρεῶν ἑφθῶν πάντων τῶν τετραπόδων ἐς τὸν τοὺς μὲν νύκτας ἐπιτηδεύοντας τιθέναι τὰ κρέα τοὺς ἐν τέλει ἑκάστους ἐόντας τῶν ἀστῶν, τὰς δὲ ἡμέρας δαίνυσθαι προσιόντα τὸν βουλόμενον, *est in suburbanis pratum omnium quadrupedum assa carne refertum, quam per noctem singuli civium & Magistratus properant ponere, ad eamdem, ubi illuxit, cuilibet licet accedere*. En quod de hac Magistratus liberalitate fabulose (ni fallor) narrat Herodotus. Crassioribus tamen fabulis infectum pessima fide repetit Solinus [10] *locus apud eos est* (Ἡλίου τράπεζα) *opiparis epulis semper refertus, quibus indiscretim omnes vescuntur; nam & Divinitus eas augeri ferunt:* a quo non multum abludit Mela [11] *est locus apparatis epulis semper refertus, & quibuslibet vesci volentibus licet, quæ passim apposita sunt, affirmant innasci subinde divinitus*. Quæ omnia quam belle in mores Utopicos quadrent, quivis, vel me tacente, facile perceperit.

[1] Lib. 16. c. 8. de civ. Dei.
[2] Dierum canicular. coll. 2.
[3] In sermone 37. ad fratrem eremo.
[4] Polyhistoris cap. 30.
[5] Historiæ naturalis lib. 5.
[6] Thaliæ cap. 116.
[7] Polyhistoris c. 30.
[8] In Procemio ad cōmetarium suum N. 1.
[9] Thaliæ c. 18.
[10] Polyhistoris c. 30.
[11] De situ orbis lib. 3. cap. 9.

Semper de regionibus dissitis, quas aditus non frequentavit, narrari mira assolent, imo interdum fide omnino indigna; fabularum enim aliam fore causam ægre crediderim, quam quia Æthiopia ab Antiquorum penitus nemine frequentata, Diodorum tamen Siculum, Hannonem, aliosque fortasse exceptos vellem; etenim prioribus sæculis opprobrio fere cui vertebatur, si Æthiopicam quando regionem inviseret studio rerum exterarum ductus. Documentum hujus rei non sane contemnendum perhibebit Eudoxius, Euzojusve apud Philostorgium [12] qui Theophilo admodum infensus, & ultionem meditatus grandius, ipsi quod objiceret, crimen non habuit, quam diutinam apud Æthiopas moram, etiamsi ipsa morum Theophili innocentia commendabilem, quam quoque mira ipsi ratione exprobravit: Αἰθίοπα αὐτὸν ἐξυβρίζων ὥσπερ οὐκ εὐσεβείας καὶ πίστεως τῶν ἀγώνων ὄντων, ἀλλὰ χρωμάτων ἐκλογῆς, καὶ γένους, *Æthiopem eum per contumeliam nominans quasi certamina ejus non pietatis fideique forent sed Colonum Gentisque delectus*. Verum non est, ut multis me hic torqueam, cum præfari saltem hactenus voluerim, adeoque quæ modo dicta ipsi proposito meo non adeo erunt proficua.

II. Hisce igitur omissis, quoniam mentem Taciti circa Græcorum, & Ægyptiorum sacra priori libro expendimus, postulare jam ordo videtur, ut haud absimili ratione nonnulla de sacris Æthiopum delibemus. Demonstrandum quippe primo ipsos Judæos erroneæ hujus opinionis ansam dedisse, &, si non aperte, saltem occulte suis ea in scriptis subindicasse, quæ Gentiles præconceptis opinionibus fascinati suis postea in scriptis, aliquantum licet aucta posteritati reliquerunt: pergendum mox ad ipsos Æthiopas, quorum originem non nisi Judæis deberi, claris argumentis, & quæ utramque facient paginam, ut spero, evincendum, quæ omnia mira Judæos inter, & Æthiopas, tam quoad ritus, quam sacra reliqua conformitas excipiet. Est igitur, ut Taciti nostri verba, quæ sub

[12] Historiæ Ecclesiasticæ l. 9. pag. 12. edit. Gothofredi.

sub examen cadent, in medium proferamus, cum ita se habeant: [1] *Plerique* (Judæos dicunt) *Æthiopum prolem, quos metus atque odium regnante Cepheo mutare sedes pepulerit*. Rectissime Tacitus de plerisque id affirmat; at non de omnibus, cum non omnes æque deridendis erroribus abrepti fuerint, at sane Historicorum plurimi Æthiopas hominum omnium primos, & per consequentiam Judæorum Parentes prodiderunt, quam aperte & prompte illi sententiæ subscribit Diodorus Siculus [2]! φασὶν ὅτι μὲν γὰρ οὐκ ἐπήλυδες ἐλθόντες, ἀλλ' ἐγγενεῖς ὄντες τῆς χώρας δικαίως αὐτόχθονες ὀνομάζονται, *dicunt quod non peregrini advenæ, sed indigenæ loci exsistentes merito* AUTOCHTHONES *vocitentur*: quæ omnia apertius adhuc fatetur, & operosius diducit Stephanus Byzantinus περὶ πόλεων [3] τὴν γὰρ Αἰθιοπίαν γῆν πρώτην φασὶ παγῆναι, *ferunt Regionem Æthiopiam primum excultam*, quibus varia subjungit eodem facientia, ad quæ postea fortasse nobis deveniendum: ea vero ipsa apertius alio in loco declarat citatus nuper Diodorus Αἰθίοπας, inquiens, τοίνυν ἱστοροῦσι πρώτους ἀνθρώπων ἁπάντων γεγονέναι, καὶ τὰς ἀποδείξεις τούτων ἐμφανεῖς εἶναι [4] *Æthiopes primos universorum mortalium extitisse perhibent, ac manifestissimas hujus rei demonstrationes esse*. Cujus quidem furfuris longe plura coacervare testimonia nobis in proclivi foret, nisi ubique ea obvia crederemus, insigni tam chartæ quam tempori parcendi studio ducti. Hujus vero stolidissimæ opinionis patrocinia, quæ in proclivi esse jactitant, si examinemus, uno facile spiritu difflari poterunt. Adducit ea, & copiose, pro more suo, recenset Diodorus Siculus [5] ὅτι δὲ τοὺς ὑπὸ τὴν μεσημβρίαν οἰκοῦντας πιθανόν ἐστι πρώτους ὑπὸ τῆς γῆς ἐζωογονῆσθαι προφανὲς ὑπάρχει ἅπασι, τῆς γὰρ περὶ τὸν ἥλιον θερμασίας ἀναξηραινούσης τὴν γῆν ὑγρὰν οὖσαν, ἅμα δὲ κατὰ τὴν τῶν ὅλων γένεσιν καὶ ζωογονούσης, εἰκὸς εἶναι τὸν ἐγγυτάτω τόπον ὄντα τοῦ ἡλίου, πρῶτον ἐνεγκεῖν φύσεις ἐμψύχους. *Quod autem meridianam habitantes plagam credibile sit primum a terra in vitales auras progenitos fuisse, cunctis est perspicuum; nam cum Solis calor terram prius humidam exsiccaret, eique in primo rerum ortu vitam impertiret, consentaneum esse dicunt locum Soli proximum primum naturas animatas produxisse*. Has vero affanias operosius hic refutare nostri fore instituti non credimus, partim cum Auctorum sententias hoc capite recitare quidem, sed non refutare (nisi forte coacti) constituimus, partim ne Physicum potius, quam Philologum agere videamur. Dolemus vero ingenuam temporum eorum simplicitatem, quod fungorum fere instar generari homines persuadere sibi potuerint, etiamsi nullum omnino animal, imo nullam sine semine herbam generari, notius hodie sit quam quod notissimum.

III. Illud vero est, quod præterire nulla ratione possumus, non leve olim Ægyptios inter Æthiopasque certamen de antiquitate fuisse, cujus quidem causas & nutrimenta nemo Antiquorum melius tradit, quam Diodorus Siculus, cujus igitur verba nobis revera instar omnium futura credimus: ita ergo ille: [6] φασὶ δὲ καὶ τοὺς Αἰγυπτίους ἀποίκους ἑαυτῶν ὑπάρχειν, Ὀσίριδος ἡγησαμένου τῆς ἀποικίας. Καθόλου γὰρ τὴν νῦν οὖσαν Αἴγυπτον λέγουσιν οὐ χώραν ἀλλὰ θάλατταν γεγονέναι κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς τοῦ κόσμου σύστασιν, ὕστερον μέντοι τοῦ Νείλου κατὰ τὰς ἀναβάσεις τὴν ἐκ τῆς Αἰθιοπίας ἰλὺν καταφέροντος ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον προσχωσθῆναι, ὅτι δ' ἐστὶν αὐτῶν ἡ χώρα πᾶσα ποταμόχωστος ἐναργεστάτην ἔχειν ἀπόδειξιν τὴν γενομένην κατὰ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Νείλου. *Ægyptii suam quoque coloniam esse affirmant ab Osiride deductam, imo Ægyptum, quæ nunc est, non continentis partem sed mare a prima mundi constitutione fuisse, quæ a Nilo postmodum ex Æthiopia limum per inundationis tempus deferente, ita paulatim est aggesta. Quod vero fluminis aggestu exstiterit ea tellus, manifestissimis circa ostia Nili indiciis deprehenditur*. Si quid hac in re conjicere licet ex Herodoto, sententiam hanc suam hausisse Diodorum persuasum habeo, cui, si non omni, saltem aliqua ex parte adstipulatur Strabo [7] Ὥστε εἰκότως ὑπὸ τοῦ Ἡροδότου καὶ τὴν ὅλην Αἴγυπτον τοῦ ποταμοῦ δῶρον λέγεσθαι, κἂν εἰ μή τι τὴν ὅλην τήν γε ὑπὸ τῷ Δέλτα τὴν κάτω χώραν προσαγορευομένην. *Ut non injuria Herodotus totam Ægyptum fluvii donum dixerit, &c. si non totam, illam saltem, quæ infra Delta sita inferior Ægyptus nominatur*. Hisce Antiquorum placitis ad rectum rectæ rationis perpendiculum revocatis, patebit facile Veterum sententia, non Ægyptios saltem Æthiopum esse coloniam, sed Ægyptum quoque ipsam donum esse (ceu dicere amant) Æthiopiæ: quæ eorum placita ne amplectamur, faciunt expressissima Sacri Spiritus verba, quæ aperte satis dicunt מצרים genuisse לודים Lud enim tanquam primum Æthiopum Parentem lubenter agnoscimus, edocti utpote ab excellentissimo Bocharto: an vero post paululum temporis aliquot coloniæ accesserint, postea docebimus.

Ipse vero locorum situs Æthiopibus, me tacente, aperte contradicit; etenim cum arcam in Armeniæ montibus substitisse, & primos inde homines egressos no-

[1] Historiam l.5. c. 2.

[2] Bibliothecæ Historicæ lib. 5. p. 143.

[3] In voce Αἰθιόπια.

[4] Bibliothecæ Historicæ l. 3. p. 143.

[5] Bibliothecæ Historicæ lib. 3. p. 144.

[6] Lib. 3. p. 144.

[7] Geographiæ l. 1. p. 30.

novimus, patescit utique facile primos homines inde profectos ad regiones Austri, & per Assyriam, Babyloniam, Syriam, Ægyptum tandem in Æthiopiam devenisse, adeo quidem ut ipsissimus locorum situs rem se ita habere luculentis omnino indiciis demonstret, nisi homines primo per Ægyptum in Æthiopiam profectos credas, & deinde in Ægyptum ante peragratam reversos, quod rerum ordo non patitur; nos vero contrario modo evenisse omnino persuasi sumus. Neque est ut operose ea de re hic disputemus, cum producere Veterum loca facillime possimus, quæ sententiæ nostræ non leve forsitan stabilimentum addere poterunt; etenim si vel maxime tacerem auctoritatem Festi, qui apertissime *Æthiopas Ægyptinos* vocat [1] non aliam certe ob causam, quam quia Ægyptiis se origenem debere fateri omnino cogebantur, esset tamen quod in Herodoto sententiæ meæ patrocinium quærerem; apertissime enim [2] dicit: τέτων δὲ ἐτοικισθέντων ἐς τὺς Αἰθίοπας, ἡμερώτεροι γεγόνασι Αἰθίοπες ἤθεα μαθόντες Αἰγύπτια. *Æthyopes his colonis inter se collatis, facti sunt mansuetiores moribus Ægyptiacis imbuti*. Etenim si Æthiopes non ante coloniam ab Ægypto deductam mansuetiores facti, vix credibile eos bonos mores Ægyptios tanquam natos docuisse, quos postquam obliti eorum forte fuerant, iterum ab Ægyptiis didicerunt. De quibusdam Æthiopum eadem cum nobis sentit Pomponius Mela [3]: *Quidam*, inquiens, *Æthyopum, quia ex Ægypto advenere dicti Automolæ*, ultimum forte vocabulum accuratius postea pensitabimus, licet id ex Herodoto [4] desumpsisse Melam certissimi simus.

[1] De significatione verborum in voce Æthiopes.

[2] Euterp. p. 101. lin. 21.

[3] De situ orbis l. 3. p. 96.

[4] Euterp. c. 30.

IV. Dictis vero hactenus non nemo objicere fortasse poterit, rem se ita habere non posse, nec convenire inter se ea ratione Veterum dicta, cum Æthiopes ubique fere in eorum scriptis hominum extremi dicantur, sitque contra naturæ ordinem extremos eos dicere, qui primi omnium creati, cum iste demum locus revera primus haberi mereatur, in quo Protoplastos fuisse indubitato constat; jam vero nihil fere pluribus confirmari testimoniis poterit, quam ista de Æthiopibus extremis sententia, unde quoque Æthiopia ab Herodoto, Halicarnasseo dicitur οἰκεομένων ἐσχάτη *terrarum habitatarum ultima*, [5] a quibus non adeo dissentire mihi videtur Dionysius Periegetes [6].

> Βόσκοντ' ἠπείροιο πανύστατοι Αἰθιοπῆες
> Αὐτῷ ἐπ' Ὠκεανῷ πυμάτης παρὰ Τέμπεα Κέρνης.

In secessibus autem pascuntur continentis omnium extremi Æthiopes, ipsum ad Oceanum ultima prope Tempe Cernes & his omnibus antiquior Homerus [7].

> Αἰθίοπες οἱ διχθὰ δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν.

Æthiopes bifariam divisi ultimi hominum.

qui versus a Stephano [8] citatus mirum quantas olim turbas suscitavit. Aristarchus hercle, & Crates, & si quis alius forte post illos Grammaticus Homerum summæ hic inscitiæ reum peragere non veriti sunt, quem tamen omni adhibita opera liberare aggreditur Strabo [9] ἡ αὐτὴ, inquiens ἁμαρτία καὶ περὶ τοῦ ἀγνοεῖν τὸν ἰσθμὸν τὸν μεταξὺ τοῦ Αἰγυπτίου πελάγους καὶ τοῦ Ἀραβίου κόλπου, καὶ περὶ τοῦ ψευδῶς λέγεσθαι: Αἰθίοπες, οἱ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν. καὶ γὰρ τοῦτο ἐκείνου λέγοντος καλῶς ἐπιτιμῶσιν οἱ ὕστεροι οὐκ εὖ. τοσοῦτον γὰρ δεῖ τοῦτ' ἀληθὲς εἶναι τὸ ἀγνοεῖν Ὅμηρον τὸν ἰσθμὸν τοῦτον, ὥστε ἐκεῖνον μὲν φημὶ μὴ εἰδέναι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀποφαίνεσθαι ἄντικρυς, τοὺς δὲ γραμματικοὺς μηδὲ λέγοντος ἐκείνου αἰσθάνεσθαι, ἀπὸ Ἀριστάρχου καὶ Κράτητος ἀρξαμένους τῶν κορυφαίων ἐν τῇ ἐπιστήμῃ ταύτῃ. εἰπόντος γὰρ τοῦ ποιητοῦ Αἰθίοπες, &c. περὶ ἐπιφερομένου ἔπους διαφέρονται. ὁ μὲν Ἀρίσταρχος γράφων. Οἱ μὲν δυσομένου ὑπερίονος οἱ δὲ ἀνιόντος. Ὁ δὲ Κράτης: ἠμὲν δυσομένου ὑπερίονος ἠδ' ἀνιόντος. οὐδὲν διαφέρον πρὸς τὴν ἑκατέρου ὑπόθεσιν οὕτως ἢ ἐκείνως γράφειν. *Iidem errores quod ignotum Homero ajunt fuisse Isthmum, qui inter mare Ægyptium est, ac sinum Arabicum, ac falsum esse illud: Æthiopes qui bifariam divisi sunt, ultimi hominum. Nam cum recte hoc Homerus dixerit, posteri injuria reprehendunt; tantum enim abest, ut vere dicatur, ignotum fuisse Homero Isthmum illum, ut affirmem non notum modo ei fuisse illum, sed & diserte commemoratum. Grammaticos autem verba ipsius non intellexisse, ab Aristarcho & Cratete ut præstantissimis hac scientia sumpto initio. Nam de eo, qui sequitur, Poetæ versu dissentiunt ipsi; Aristarchus enim scribit: Partibus hi qua Sol cadit, & qua tollitur, illi; at Crates: Partibus & qua Sol cadit, & qua tollitur ortus, cum quidem ad institutum utriusque nihil intersit utro modo legatur*. Sequentia apud Strabonem ob nimiam prolixitatem exscribere nolumus; si vero cui volupe fuerit ea accuratius pensitare, prædictum locum adeat, legatque, quali Homerum ratione excuset, & quomodo temerariam Grammaticorum audaciam retundat.

[5] Thaliæ c. 114.

[6] Periegeseos v. 217. 218. 219.

[7] Odysseæ α. v. 23.

[8] In voce Αἰθίοπια περὶ πόλεων

[9] Geographiæ lib. 1. p. 30.

Nostrum vero erit mederi hisce Antiquo-

quorum dictis, ſententiam illorum explicare, & mentem a recentiorum hypotheſi diverſiſſimam oſtendere. Notandum igitur, cum Veteres fines terræ, vel populos ultimos nominant, nihil eos intendere aliud, quam Gentem mari accolam, terramve maritimam; quæ ne gratis dixiſſe videar, teſtem advoco Euſtathium, qui [1] Gentem mari accolam, omneſque terras ſalo vicinas ἐχάτας olim ab Antiquis dicta obſervat, cui accedere poterit Grammaticus Apion ab eodem Euſtathio ad teſtimonium vocatus, cum in illum Homeri verſum [2]:

Α'λλά σ' ἐς Η'λύσιον πεδίον ϰ̀ πείρατα γαίης.

In Elyſium campum & fines terræ.

Πείρατα γαίης ὁ Ποιητὴς ἐνταῦτα φησὶν, ὐ τὰ πρὸς Ὠ'κέανον, ἀλλὰ τὰ ἐκεῖ πρὸς τὴν κατὰ Νεῖλον θαλάσσην, κατὰ ϰ̀ Α'ισχύλος εἰπὼν, ἐςὶ πόλις Κάνωβος ἐχάτη χθονός. Πᾶσα γὰρ ἀγχίαλος ἐχάτη χθονος. *Fines terræ Poeta dicit hic, non quæ ſunt ad Oceanum, ſed quæ adjacent mari Nilo proximo, unde Æſchylus: eſt urbs Canobus ultima terræ; eſt enim omnis ora maritima ultima.* Quid aptius? quid noſtræ ſententiæ convenientius dici potuit? Ne vero Apionis ſolius, vel Euſtathii auctoritate niti videamur, age: aliam forte regionem ſimiles ob cauſas extremam dixiſſe Veteres animadvertemus: ſit vero illa, Gades, ubi τέρμονα τῆς γῆς collocat Strabo, *terræ habitatæ terminos* [3] & ϰαὶ γῆς ϰαὶ θαλάττης πέρατα *tam terræ quam maris terminos* [4] Poſidonius, non aliam ſane ob cauſam, quam quia mari clauditur, & quidem tali, ut dicere non vereatur Pindarus [5]

τὸ πόρσω
δ' ἐςὶ σοφοῖς ἄβατον,
κἀσόφοις, ὑμὲν διώξω.
κεινὸς εἴην.

Quod ultra eas eſt ſapientibus pariter ac inſipientibus inacceſſum, itaque non proſequar, nam vanus eſſem. Quæ quidem ſi recte expendantur, non adeo obſcura erit, me judice, Veterum de extremitate terræ ſententia; ubicunque enim Gentem maris accolam deſcribunt, terrarum eam ultimam faciunt. Quid? quod revera adſit τὸ τῆς οἰκυμένης πέρας, ubi mare incipit; quam primum enim deſinit continens, & aquis alluitur, terra habitari non poterit, terra vero, quæ habitari non poteſt, fruſtra οἰκυμένη vocatur.

Verum enim vero ultra Æthiopiam fuiſſe mare, & quidem, ſi habenda antiquis Geographis fides, omnino inacceſſum multis evinci exemplis poterit: unde Scylax Caryandenus communem Geographorum morem imitatus, cum ad Æthiopicum mare perveniret, cujus nullam omnino notitiam habebat, inglorium ratus ſuam libere ignorantiam profiteri, & eapropter innumera fere abſurda effinxit [6] τῆς Κέρνης δὲ νήσυ τὰ ἐπέκεινα ὐκ ἔτι ἐςὶ πλωτὰ διὰ βραχύτητα θαλάττης, ϰ̀ πηλὸν ϰ̀ φύκος, ἐςὶ δὲ τὸ φύκος τῆς δοχμῆς τὸ πλάτος ϰ̀ ἄνωθεν ὀξὺ ὥςε κεντεῖν. *Quæ ſunt ultra Cernen inſulam non amplius navigabilia ſunt propter brevitatem maris & cænum & algam; eſt vero hæc alga palmi latitudine, ſuperne in acutum deſinens, adeo ut pungat.* Similia fingere apud Veteres non adeo inſolens arbitror, unde etiam Sataſpes, cum pœnam dare, & totam Africam claſſe circumnavigare juberetur, ubi ad Libyam & Æthiopicum mare pervenerat, feſſus diutina navigatione revertitur, & percunctanti Regi feſtinati nimis reditus cauſam reſpondet [7] τὸ πλοῖον τὸ πόρσω ὐ δυνατὸν ἔτι ἐιναι προβαίνειν, ἀλλὰ ἐνίχεσθαι, *quod navigium ulterius progredi non poſſet ſed retineretur.* At cum ejuſmodi furfuris plura ſæpius apud Geographos ſint obvia, rem omnino acu tetigiſſe viſus mihi Plutarchus, cum dicat [8] ἐν ταῖς Γεωγραφίαις οἱ Ι'ςορικοὶ τὰ διαφεύγοντα τὴν γνῶσιν αὐτῶν τοῖς ἐσχάτοις μέρεσι τῶν πινάκων πιεζῦντες ἐνίοις παραγράφυσιν ὅτι τα δ' ἐπέκεινα θῖνες ἄνυδροι, ϰ̀ θηριώδεις, ἢ πέλαγος πέπηγος. *In Geographiis Hiſtorici effugientia notitiam eorum ultimis partibus librorum prementes quibuſdam circumſcribunt, quod quæ ultra ſint littora aqua carentia, & effera, aut lutum tenebricoſum, aut mare concretum.* Veriſſime Plurarchus. Clarum jam, & ipſa meridiana luce clarius credo, qua ratione intelligendi ſunt Veteres, ſicubi extremos hominum Æthiopas dicant; quod enim Æthiopes maris viciniam incoluerint, adeo apud Geographorum pleroſque conſtat, ut longam teſtimoniorum farraginem hic congerere opus non fuerit, niſi oleum ſimul & operam perdere velimus.

Hiſce igitur probe intellectis nihil omnino ſibi contrariantur Veteres, cum Æthiopas hominum interdum primos, interdum ultimos dicunt; hæc enim inter ſe conciliari facile poterunt, etiamſi pugnare inter ſe prima fortaſſe fronte videri imperitis queant. Confirmari hæc alio facile exemplo poterunt; etenim Claudianus: [9]

Hoſtis ad extremos aciem mittebat Iberos.

at alibi [10]

Et a primis Ganges horrebat Iberis

Quæ nullam omnino contradictionem, quod bene obſervat Excellentiſſimus Bochartus, [11] involvunt.

[1] In verſum odyſſeæ α. 23.

[2] Odyſſeæ δ. v. 563.

[3] Geographiæ l. 3. p. 169.

[4] P. 170. apud Strabonem.

[5] Olymp. 3.

[6] Peripli pag. 51.

[7] Melpomene c. 43.

[8] In Theſeo.

[9] L. 3. in laudem Stilichonis v. 43.

[10] L. I. in Rufinum.

[11] Phaleg. l. 3. c. 7.

CAPUT SECUNDUM.

I. Quare Æthiopes Judæorum Parentes dicuntur, disquiritur. Moses Rex Æthiopiæ a Rabbinis dictus, uti & a Freculpho, Josepho, Appollinario & ספר דברי הימים &c. II. Æthiopes pulcherrimos sibi Reges eligunt, mos bellandi Æthiopicus, incantationes serpentum apud Æthiopes, Ægyptios, Græcos, Romanos, Serpentes volatiles. III. Quare Veteres duas Mosi uxores assignant Æthiopissam, & Arabem? כושים non Æthiopes, significatio vocis כהן. Quinam a Veteribus Alpha dicti, Moses a Besantino & Philemæo Alpha dictus. Cur Æthiopes a matre denominantur? Unde Alpha Græcorum secundum sententiam Ammonii. IV. Pollionis verba. Primi homines cum Diis conversabant. Moses Dei familiaris dictus. V. Moses a Veteribus Josepho coævus dictus, ab aliis Josephi filius, a nonnullis Isaaci filius. VI. Judæi se ipsos Æthiopes dicunt juxta Rabbi Eliezerem. VII. Judæos etiamnum degere & regnare in Æthiopia ex Benjamine Tudelensi probatur, quod negat L'Empereur, affirmant Tellezius, Owiedus. Relationes annuæ Jesuitarum, ut & Rabbi Petachias, & Rabbi Abraham Perizol. Judæus Dunawas res Æthiopiæ in Synaxariis Græcorum dicitur, cujus meminit Alcoranus, Homeritæ & Æthiopes a Gentibus confusi.

I.

Superiori capite veram & genuinam Taciti sententiam de Æthiopibus ex collatione cum antiquorum placitis tantum illustravimus, nunc vero potissimam causam aperiemus, quare hanc sententiam tanquam reliquis omnibus magis probabilem amplectatur, & omni adhibita opera videbimus, an simile quid in Judæorum Scriptis reperiatur, quo sententiam suam tanta absurditate horridam roborare Tacitus potuerit. Primum igitur offert se nobis antiquissima Judæorum traditio, Mosen quondam contra Æthiopas bellum gessisse, & Regis eorum jam ad incitas fere redacti aut filiam aut uxorem in matrimonium duxisse: quam si ipsissimis eorum verbis enarratam mavultis, en eximii Cabalistæ Rabbi Jitzkak Lorjiensis prolixa, spinosa & „ non ita intellectu facilia hic apponam integra verba.[1] Præmittenda sunt quæ „ habentur in libro singulari, qui vo- „ catur vita Mosis Magistri nostri, su- „ per quo pax, quod nempe Mosche „ profectus sit in Æthiopiam, ibique re- „ gnarit annos 40., inque uxorem ac- „ ceperit ipsam conjugem Regis Æthio- „ pici per sponsalia more Judaico, de- „ inde tamen gladium posuerit inter se „ & illam, nec unquam eam tetigerit, ubi „ quæstio oritur, quo modo sibi despon- „ saverat mulierem Æthiopissam, &, „ quia eandem desponsaverat, cur non „ tetigerit eam? Res autem ex iis pa- „ tet, quæ supra [2] diximus; quænam „ scilicet natura fuerit gemellæ illius „ superfluæ, ubi diximus, quod illa fue- „ rit de notione cerebrorum status adul- „ ti, ubi simul diximus, quod omnes „ istæ notiones etiam sint in cerebro „ minorennitatis, unde patet quod sicut „ notio Zipporæ est in cerebris status „ adulti, sic eadem notio animæ fuerit „ in cerebris minorennitatis, & hæc my- „ stice intelliguntur per mulierem illam „ Æthiopissam supra dictam. Jam vero „ notum est, quod cerebra minorenni- „ tatis omnia sint Judicia perfecta de „ nominibus Elohim, & in specie notio- „ nes fœmininæ sub tempore minoren- „ nitatis. Jam vero dictum est de ju- „ diciis, quod duo sint illorum genera „ nimirum masculina, quæ sunt nume- „ ro 325., & judicia fœminina 280. jux- „ ta numerum מנצפך, quæ sunt literæ „ duplices, ista autem Æthiopissa est re- „ gnum de notione Patris, suntque ju- „ dicia masculina, quorum numerus שכה „ 325., & cum voce simul annumerata „ 326., qui est numerus כוש Æthiops. „ Ubi color quoque nigredinis indicat „ eam fuisse de genere judiciorum rigo- „ rosorum minorennitatis, unde patet, „ quod duas gemellas superfluas habue- „ rit Mosche, unam Æthiopissam illam „ de notione minorennitatis, & alteram „ Zipporam de notione status adulti, „ quam deinde duxit, cumque ea concu- „ buit. Quapropter nomen Zippora si- „ gnificat avem puram, quia nempe „ mundatior erat a judiciis, quam ob „ causam cum hac, quæ status adulti „ erat, copulam exercuit, liberosque de „ ea genuit. Cum Æthiopissa, quia ad „ judicia perfecta minorrennitatis perti- „ nebat, copulari nolebat, nec ex illa „ generare liberos, nihilominus tamen „ uxor ejus erat, quia eam desponsave- „ rat more Hebræorum. Miriam ergo „ & Aaron hoc ipsum nesciverunt, pu- „ tantes Moysen in hoc errasse, quod „ sibi desponsaverit uxorem Æthiopis- „ sam, cum turpe esset viro tali despon- „ sare sibi mulierem Æthiopissam. Præ- „ ser-

[1] De revolutionibus animarum pag. 367. videatur Cabalæ denudatæ tom. 2.

[2] Cap. 27.

„ ſertim quod audierant, quod Eldath „ & Medath vaticinati eſſent in caſtris. „ Id quod ſic interpretantur Magiſtri no„ ſtri b. m. illos vaticinatos eſſe Moy„ ſen moriturum, nec intraturum in „ terram Jitzrael, introductionem vero „ inſtituendam per Jehoſchuah. Cum igi„ tur Aaron & Miriam vaticinium hoc „ audirent, nec ſcirent cauſam, quare „ moriendum ſit Moyſi, nec conceden„ dus ipſi introitus in terram ſanctam, „ quoniam peccatum illud ad petram „ nondum factum erat, quod cauſa erat „ mortis ejus; Aaron autem & Miriam „ putabant ſe intraturos in terram Jitz„ rael: unde loquebantur de Moyſe pu„ tantes cauſam mortis ejus eſſe mulie„ rem illam Æthiopiſſam, quam uxo„ rem duxerat. Verba hæc prolixiſſima adducere integra non aliam quidem ob cauſam libuit, quam ut Benevolus Lector examinare & ex illis ipſa Rabbinorum dogmata elicere ipſe poſſit, modo digna ea judicet, quæ ter quater, imo vel decies legat, relegatque; etenim probe mihi ipſe conſcius, quanto mihi conſtiterit labore, antequam corticem frangere, nucleum eſſe potuerim. Videbitur autem exinde crediſſe Rabbinos, non duxiſſe ſaltem Æthiopiſſam, ſed regno quoque Æthiopico per aliquantum temporis præfuiſſe Moſen, quæ ad Gentiles derivata non miror quod tam portentoſæ impoſterum fabulæ feneſtram aperuerint: verum enim vero lubet rem iſtam paulo accuratius examinare; præſertim cum talia non apud Judæos ſolum, ſed primitivos quoque Eccleſiæ Patres reperire liceat.

Docebit hæc Lexovienſis Epiſcopus Freculphus, qui [1] *Moſes*, inquit, *a Filia Regis Æthiopum adamatus eſt, quæ dum vim amoris ferre nequiret per fideles miniſtros nuptias ejus expetivit, quod Moſes minime denegans, ſub ea ſcilicet conditione, ut fœderati cives ſe manibus ejus traderent, quod per conſilium prædictæ puellæ quamprimum impletum eſt, eamque Moſes, celebratis nuptiis, ſuo copulavit matrimonio*. Et ſimilem omni fere ex parte Judaicæ Freculphi narrationem, quamvis Cabaliſta ea de uxore, Freculphus de filia Regis narravit, qui abſque dubio totam hanc hiſtoriam Flavio Joſepho debet, cujus verba ita ſe habent [2] Θάρβις θυγάτηρ ἦν τοῦ Αἰθιόπων βασιλέως, αὕτη τὸν Μωϋσῆν πλησίον τοῖς τείχεσι προσάγοντα τὸν στρατιὸν καὶ μαχόμενον, γενναίως ἀποσκοποῦσα, καὶ τῆς ἐπινοίας τῶν ἐγχειρηστέων θαυμάζουσα, καὶ τοῖς τε Αἰγυπτίοις αἴτιον ἀπεγνωσκῶσιν ἤδη τὴν ἐλευθερίαν τῆς εὐπραγίας ὑπολαμβάνουσα, καὶ τοῖς Αἰθίοψιν αὐχοῦσιν ἐπὶ τοῖς ὑπ᾽ αὐτῶν κατορθωμένοις τὸν περὶ τῶν ὅλων κίνδυνον εἰς ἔρωτα δεινὸν ὤλισθεν αὐτοῦ, καὶ αὔξοντος τοῦ πάθους πέμπει πρὸς αὐτὸν τῶν οἰκετῶν τοὺς πιστοτάτους διαλεγομένη περὶ γάμου, προσδεξαμένου δὲ τὸν λόγον ἐπὶ τῷ παραδοῦναι τὴν πόλιν καὶ ποιησαμένου πίστεις ἐνόρκους ἦ μὲν ἄξεσθαι γυναῖκα καὶ κρατήσαντα τῆς πόλεως μὴ παραβήσεσθαι τὰς συνθήκας, φθάνει τὸ ἔργον τοὺς λόγους. *Erat Æthiopum Regi filia nomine Tharbis, hæc Moſen mœnibus exercitum admoventem & egregie dimicantem conſpicata, virtutemque viri admirata, qui & Ægyptiorum fortunam labantem in integrum reſtituiſſet, & Æthiopas modo victores in extremum periculum adduxiſſet, vehementi ejus amore eſt correpta, quo in dies creſcente, mittit ad eum e ſervis fidiſſimos conjugium ſuum offerens: aſſenſit ille hac conditione jurejurando confirmata, poſt urbem ſibi traditam ducturum ſe illam uxorem, ac mox dicta factum ſequitur*. Quæ Joſephi exſcribit, & cum erronea Apollinarii ſententia confert Theodoretus [3]: Ἰώσηπος μὲν εἶπεν, ὡς ἡνίκα τοῦτο ἐν τοῖς βασιλείοις ἐτρέφετο στρατηγὸς εἰς τὸν κατὰ τῶν Αἰθιόπων χειροτονηθεὶς πόλεμον, εἶτα νικήσας ἠγάγετο τοῦ βασιλέως ἐκείνου τὴν θυγατέρα. καὶ Ἀπολλινάριος μῦθον ἀνέπλασε πολλῷ μυθωδέστερον τούτου. ἔφη γὰρ μετὰ τὴν Σεπφώραν ἄλλην αὐτὸν Αἰθιόπισσαν γῆμαι, ἵνα, φησὶ, γένηται τύπος τοῦ δεσπότου Χριστοῦ, ὃς μετὰ τὴν Ἰσραηλίτιν τὴν ἐξ ἐθνῶν Ἐκκλησίαν ἐμνήστευσεν, ἀλλὰ καὶ Σεπφώρα ἀλλόφυλος ἦν. τὸ τοίνυν πλάττειν μύθους οὐ τοῦ θείου πνεύματος, ἀλλὰ τοῦ ἐναντίου. *Joſephus, quidem ait Moſen, cum in Regia educaretur in bello contra Æthiopas ducem creatum eſſe, partaque victoria Regis illius filiam duxiſſe, Apollinarius autem fabulam cudit multo fabuloſiorem. Ait enim poſt Sephoram cum duxiſſe aliam Æthiopiſſam, ut eſſet, inquit, figura Domini Chriſti, qui poſt Iſraeliticam Eccleſiam ex Gentibus deſponſavit, atque Sephora etiam erat extranea, non eſt igitur Divini Spiritus fabulas fingere, ſed contrarii*. En quam late opinio hæc dominetur! en quantas fixerit radices, quarum ſurculi non in Judæorum ſaltem ſcriptis, ſed Patrum etiam ſcriniis imo Gentilium fabulis pullularunt! Teſtes ſane citamus plurimos, & plures longe producere, atque publico ſiſtere poſſemus, niſi brevitate magiſtra nunquam non uti in animo eſſet. Quoniam vero R. Jitzkak Lorienſem ſua ſe libro Rabbinico debere percepimus, operæ fortaſſe pretium fuerit aliquali cura inquirere, an tale jam ſcriptum detur, & num ſua optima fide retulerit Lorienſis.

[1] Chronicorum To. 1. l. 2. quod eſt Bibl. Patrum Tom. 6.

[2] Antiquitatum Hebræarum lib. 2.

[3] Quæſt. 22. in numeros operum Tom. 1. p. 152.

ſis. Animadverto igitur ſcriptum a Gilberto Gaulmyn editum cum hac inſcriptione, ספר דברי הימים של משה רבינו ע״ה: in quo inſigne teſtimonium huc apprime faciens deprehendi, quod ea propter integrum exſcribere, & penitius examinare conſultum fore & e re mea crediderim: ita ergo ſe habet [1]: ויהי בהיו המצור אל כוש ברח משה ממצרים ויבא אל מחנה ניקנוס מלך כוש ומשה בן שלשים שנה בבואו אל מחנה ניקנוס הצרים על כוש והימים אשר צר ניקנוס על כוש תשע שנים. ויהי משה הולך ובא עמהם וימצא חן בעיניה ויאהבוהו המלך וכל השרים וכל חיל המלחמה כי הוא הולך וגדל. וגוי קומתו רמותה לתמר ויאהבהו המלך מאד וישימהו שר צברת וישבו שם ימים רבים עד שחלה המלך ניקנוס וימת· ויאמרו עבדיו מה נעשה אם נעלה מעל העיר ירדפו אחרינו והבריתו את שמינו ועתה טוב לנו למו במצור משוב לארצנו כשוב העם הנכלמים· ויועצו יהדיו להמליך עליהם את משה למלך כי אין כמוהו בעם ויעשו כן ויתנו לו לאשה הגבירה אשת ניקנוס· ויזכור משה את ברית האלהים ולא קרב אליה וישם חרב בינו לבינה ולא חטא עמה· ויהי ביום השלישי למלכו ויאמרו לו עבדיו הבה לנו עצה ודבר מה נעשה כי תשע שנים לא ראינו נשינו ובנינו ואנו מתאוים לראותם· ויאמר להם משה אם תשמעו בקולי תצליחו ותשובו אל כתיכם לשלום· ויאמרו לו כול אשר תצונו נעשה· ויאמר להם ההרה לכו וקחו לכם מאפרוחי החסידה כל אחד ואחד מכם וילכי מהרה ויעשו כן· ויאמר להם למדם לצוד ציד כדרך בני הנץ ויעשו כן ויאמור להם ורכבו איש על סוסיו ולבשו השריונות וקחו איש כלי מלחמתו ובאו אחרי מין הצד אשר הנחשים שם ובעת אשר יצאו הנחשים השליבו עליהם אפרוחי החסידה ויאכלום ונקה העיר ויעשו כן· ויקרבו אל העיר ויכוח לפי תרב וכראות בלעם בן בעור כי נגדה העיר עונן וניחש ופרח באויר האו ובניו וינוסו אל מיצרים אל פרעה וישבו עמו וישובו איש לביתר· וכראות העם כי המלך הושיעם ובעצתו הטובה נכבשה העיר ויאהבהו מאר וירא משה את אלוהיו ולא סר מחוקות אבותיו אברהם יצחק ויעקב ימין ושמאל והימים אשר מלד משה על כוש ארבעים שנה· ויהי היום והוא יושב על כסאו והגבירה ישבת אצלו ותאמר הגבירה לשרים ראו המלך אשר המלכתם עליכם זה ארבעי שנה לא קרב אלי ועתה שימו אליכם מלך בן ארוניכם ניקנוס כי לו· משפת המלוכה ולא תמליכו עליכם איש נברי· ויאמרו כל שרי החיילים למשה בעינינו טוב אתה מאר אך כל עם המרינות יועצים להמליך עליהם בן ארוניהם ועתה קה לך עושר ונכסים ולך מעמנו ושוב אל מקומך לשלם: *Dum hæc geruntur Moſes Ægypto profugus Necani Regis Æthiopum caſtra pervenit, annum agebat decimum tertium, eximia ſurgentis in modum palmæ ſtatura conſpicuus, adeoque Regi ac Proceribus ſtatim unice charus, Regi præcipue, qui exercitus Ducem elegit, id muneris Moſes obivit uſque dum Necanus morbo diem obiit. Tum collectos in unum Duces, quid facto opus, animo reputare; omnibus placuit ab obſidione non ceſſandum, a qua ſi deſinerent, egreſſi cives fugientes copias inſecuti eas delerent, perire, quam abjecta vilique fuga recedere viſum eſt: aſſumptus paribus ſententiis in Regem Moſes, cui & conceſſa Necani uxor, quam tamen fœderis Domini memor non attigit, ſed medio interpoſito enſe non peccavit. Tertio poſt inaugurationem die Proceres Moſen de obſidione interrogant, quæ novem jam annos duraverat uxorum pignorumque cariſſimo aſpectu viduitatis. Moſes obſequentibus omnia proſpera promiſerat, illi nihil renuere. Igitur inquit ciconiarum pullos vobis parate, dictum, factum, rurſus illis imperavit, prædam inter volandum accipitrariæ adinſtar eos docerent, quod & illi non ſegniter inſecuti ſunt, tandem omnes loricis armatos, equos conſcendere, ac ſe ducem ſequi jubet, eam in partem, quam ſerpentes tutabantur, quibus obviis ciconias immitterent, quæ illos occiderent, cibumque haberent. Res imperata, res acta, itaque civitatem ingreſſi ferro vaſtam fecerunt, quod ſpectaculum oculis arbitratus Balaam filius Beor, procuratis devotionibus, per aerem avolans in Ægyptum cum filiis ad Pharaonem fugit, Moſes omnibus, qui ejus conſilio captam urbem novarant, cariſſimus vivebat, Dei metuens, ac avitæ Religionis, ac mandatorum Abrahami, Iſaaci & Jacobi pertinax, a quibus per quadraginta, quos regnavit, annos nullo prorſus modo receſſit. Elapſo hoc temporis ſpatio atque illo in ſolio ſedente, Regina Regni Proceres ſic allocuta eſt. Ille quem vobis Regem elegiſtis, cui me propriam dicaſtis, per hos quadraginta annos ne quidem me tetigit, itaque Necani felicis memoriæ filium potius, quam alienigenam in regno de more collocate. His omnes aſſenſi Moſen ita compellant: Nos magni te facimus, verum omnes provinciæ Regis Filium percupiunt: acceptis igitur divitiis atque opibus diſcede, & revertere in patriam feliciter.*

[1] pag. ז & ח verſio, quam addimus Gaulmyni eſt, in qua nonnunquam ſententias potius exprimit quã verba, & ſæpe minus feliciter.

II. At dicat jam fortaſſe aliquis, ſit vel ita, animadverterunt hæc apud Judæos Gentilium Hiſtorici, ſed quomodo fidem illis habere ulla ratione potuerunt? lapides enim eos, quibus plena hæc fabulis eſſe non ſuboluerit, jurares, ſed bona verba ſodes! Fateor fabulis ſæpius infectam hanc narrationem, at talibus ut fidem facillimo iis negotio Græci habere potuerint, præſertim in antiquitatibus

tibus Æthiopicis, aliarumve Gentium non adeo hospites: etenim cum Mosis jam tum electi formam adeo commendant, respiciunt, ni fallor, ad morem Æthiopum, qui semper ut ἔθος ἄξιον τυραννίδος eligere sibi possint satagunt, quod quidem multis roborare exemplis nobis in proclivi foret, nisi rei lippis notæ ac tonsoribus diutius inhærere, vix fore aliud, quam bonas horas perdere crederemus.

Quotus vero quisque est, qui ante per verba nuper adducta morem bellandi Æthiopicum describi non agnoscit? consimili enim ratione Syenen prægrandi fovea circumvallasse, & Nilum simul in eam coegisse legitur Hydaspes apud Heliodorum [1]. De serpentum vero incantatione res notissima: congregabant illi serpentes unum in locum, undequoque apud Judæos audit חבר שמצרף נחשי למקם אחד *Qui serpentes & scorpiones unum in locum congregat*, cui septem proinde nec plures ἀποτροπαίους καὶ φυξίους, septem מחברים חיוין & אסרים adesse nunquam non in præsidium nugabantur, tales μάγους ὄφεων in toto fere Oriente, Æthiopia vero præsertim fuisse memora ἐν βαβυλωνικοῖς Jamblichus; Spitillus vero [2] *puer*, inquit, *festi tempore coronatus, altera manu telo instructa, altera vipera viva dependente, posito in loco quodam ornatissimo sedem occupat*: & de Æthiopibus Cadamustus [3] *sunt etiam fascinatores eximii, id est incantatores fascinant inprimis serpentes*. Nec Græcos artis hujus ignaros adeo fuisse dixerim cum contrarium plane ex Apollonio probare liceat, cujus verba ita se habent [4]

- - - αὐτὰρ ὅ γ᾽ ἤδε
Ὀίμῃ θελγόμενος δολιχὴν ἀνελύετ᾽ ἄκανθαν

Hujus igitur cantu deliniti longa spina relaxata est; & si quam Tzetzi fidem debemus, nec artis hujus ignarus omnino putandus erit Orpheus, qui ictam a Serpente Eurydicen non aliam ob causam ab Inferis revocasse dicitur, quam quia: [5]

- - - ἀπὸ ὄφεως αὐτὴν τῷ ὄντι δεδηγμένην
Καὶ κινδυνεύσαν θανεῖν, ταῖς ἐπῳδαῖς, αἷς οἶδε
Καὶ ἀγχινοίᾳ, μούσῃ τε, καὶ πολυμαθείᾳ
Αὐτὴν ἐζωοποίησεν - - -

Ab angue ipsam revera morsam, & de vita periclitantem, incantationibus, quas noverat, & solertia & Musa, & multa doctrina ad vitam revocavit. Reperiuntur quoque hujus scientiæ vestigia apud Romanos, unde Ovidius [6]

Carmine dissiliunt abruptis faucibus angues

Et Tibullus [7]

Cantus & iratæ detinet anguis iter.

Clarius vero Silius Italicus [8]:

Nec non serpentes diro exarmare veneno
Doctus Atyr, tactuque graves sopire Chelydros.

Illud vero reliquis præ cœteris omnino incredibile videri poterit, quod de ciconiis narratur, eorum volatu, & quomodo serpentes occiderint, sed confirmabit id illustri satis testimonio illustrius Hesychius, qui κατ᾽ οὓς δὲ χρόνους, inquit [9] καὶ δρακόντων πλεῖστα γένη ἐπεφοίτησεν τῇ πόλει ὡς τοὺς οἰκοῦντας αὐτὴν διαφθείρεσθαι, οὓς δὴ τῆς τῶν καλουμένοιο πελαργῶν ἐπιφορᾷ διεχρήσαντο ποσιδῶνος εὐεργήσαντος. *Secundum illa tempora plurima Draconum genera itabant circa civitatem, ut incolæ ejus corrumperentur, illi vero utebantur objectu ciconiarum*. Sed dicat jam aliquis, sit vel ita; sed quomodo ad capiendos serpentes aucupio opus erit, cum repere quidem soleant, at volare non item? imo vero volatiles in Ægypto ac Æthiopia serpentes dari testis erit omni exceptione major Herodotus [10] λόγος δέ ἐστι ἅμα τῷ ἔαρι πτερωτοὺς ὄφις ἐκ τῆς Ἀραβίας πέτεσθαι ἐπ᾽ Αἴγυπτον, τὰς δ᾽ ἴβις τὰς ὄρνιθας ἀπαντώσας ἐς τὴν ἐσβολὴν ταύτης τῆς χώρης οὐ παριέναι τοὺς ὄφις, ἀλλὰ κατακτείνειν. *Fertur ex Arabia serpentes alatos ineunte statim vere in Ægyptum volare, sed iis ad ingressum planitiei occurrentes aves ibides non permittere, sed eos interimere*. Quæ quidem omnia fidem apud Græcos Romanosque facile invenerunt, cum similia non saltem apud se ipsos animadverterint, sed & alios observarint: quapropter ne mireris, quod tam faciles dictæ narrationi aures præbuerint Mosen Æthiopicum revera Regem fuisse arbitrati.

III. Sed quoniam fabulas nunquam fere narrare consuevimus, nisi simul origines earum aperire aggrediamur, credimus omnino teneri nos, ut eandem hic methodum sequamur, & quæ nobis visa fuerint, edoceamus. Observandum igitur primo loco volumus, constanter credidisse Veteres Sephoram Mosis uxorem fuisse Ætiopissam. Judæorum tot ea de re dicta invenio, ut numerus eorum haud ita facile iniri queat; e Patribus vero unus sit instar omnium Augustinus [11] *at vero Moysis de ista Æthiopissa conjuge duplex est Magistrorum sententia*: fontes adeat, plura qui cupit; sed cur ita sentiant, vis causam? Inveterato quodam errore abrepti Judæi, crediderunt vocabulo כוש denotari Æthiopem, cum tamen nul-

[1] Æthiopicorum l. 9.
[2] In Collectaneis.
[3] Argonauticorum l. 4. v. 147.
[4] Tzetzes Chiliade 2. Hist. 54.
[5] Amorum l. 1. Eleg. 1.
[6] Elegia 9.
[7] De bello Punico l. 1. v. 411.
[8] In Historia & antiquit. Constant.
[9] Euterpe c. 75.
[10] De mirabil. don. S. S. op. Tom. 1. p. 75.
[11] Cap. 29. v. 10.

nulla se ratione res ita habere possit, quod quidem si aliud nihil probare posset, sufficientissimum foret illud apud Ezechielem [1] *Desolabo terram Ægypti* ממגדל סונה עד-גבול כוש *a turri Syenes ad terminum Chus*. Notum enim, quod Syenes ἡ μὲν ἐπὶ τῶν ὅρων τῆς Αἰθιοπίας καὶ τῆς Αἰγύπτου, *illa quidem urbs sit in Æthiopiæ & Ægypti finibus*, dicente Strabone; [2] juxta Stephanum vero [3] πόλις Αἰγύπτου καὶ Αἰθιοπίας, *urbs Ægypti & Æthiopiæ*. Jam a Syene incipit Deus, quæ Æthiopiam terminat: quomodo ergo כוש, quam finem ponit, esse potest Æthiopia, cum debeat Syenæ e regione opponi? regio ergo erit Ægyptum ab altera parte terminans, quæ vero illa præter Arabiam? Quam per כוש denotari constanter affirmo, sed plura qui desiderat, Bochartum adeat, qui hanc rem copiosius diducit [4] & qui eum, ut in omnibus, ita hoc etiam sequitur Commentator nuperus Johannes Clericus. [5] Probato jam quod Veteres plerique perperam כוש Æthiopiam reddiderint, oculos verto ad Sacram Scripturam, ubi Mosis uxor alicubi [6] כושית *Cushitis* dicitur, alibi vero [7] quod fuerit ממריאן *ex Madian*: Madian vero, dicente Ptolomeo [8] sita sit in Arabia, & quidem maris rubri littore; cum igitur כושית, uti revera debebant, per Arabissam interpretari se posse crediderint, natum exinde figmentum: Mosen habuisse duas uxores, alteram, dicente Scriptura, ex Madian vel Arabia, alteram itidem juxta Sacram Scripturam כושית, quod ipsi præconceptis opinionibus fascinati per Æthiopissam verterunt. Hinc duæ Mosis apud Veteres uxores, altera ex Arabia, altera ex Æthiopia. Animadvertit quidem olim has difficultates, sed vix, ut oportet, expedit Rupertus Abbas [9] *Sed quid opus est Æthiopissam cur uxorem duxerit extra præsentem scripturam? Nam cum Jethro filiam uxorem duxerit Sacerdotis Madian, terra autem Madian vicina sit terræ Æthiopum, recte intelligitur, quod pro eo, quod dicerent Uxorem Madianitidem, dixerint uxorem Æthiopissam, sicut se habet amaritudo rixantium, ut semper e vicinio rapiat, quod valeat ad augendum contemptum*. Sed ista Ruperti non curo, aperui jam fontem erroris & scaturiginem: cur vero Regis filiam istam Æthiopissam dixerint paucis accipite. Vocari in Sacra Scriptura Jethro כהן [10] clarissime patet, istud vero vocabulum Sacerdotem primario denotare non equidem ignoro, sed sæpius etiam significat aliquem Regi a secretis consiliis imo haud raro ipsum quoque Principem: sic enim cum filii Davidis dicuntur [11] כהנים expresse addit Targum [12] רבין *Principes*, & cum dicitur a Davide [13] אתא כהן לעולם *tu Sacerdos in æternum* Targum [14] vertit מתמני לרבא *constitutus Princeps*. Quid igitur obstat, quominus istud כהן sumere pro Principe Græci potuerint? Nec sane res se aliter habere poterit; cum enim [15] Jethro dicitur כהן מירין *Cohen Midian*, Targum explicat רבא, cumque alibi occurrat יתרו כהן מדין *Jethro, Cohen Madian* [16] habet Targum רבא במדין *Princeps in Madian*. Quamvis enim Aben-Ezra [17] postquam asseruit hunc fuisse כהן לשם *sacerdotem altissimi* dixerit כהן, ubique in Sacra Scriptura significare ministrum Dei vel idolorum, & quidem his verbis: וכל כהן שבמקרא משרת הוא לשם או לעז; aliud tamen evincunt testimonia supra allata, aliud Anquelos & Raschi, quorum hic per רב *Principem* vertit, iste per אונוס quod *Dominum*. Quæ cum ita sint, quid mirum si כהן Græci per Principem aut Regem interpretati ut istic Ezechielus Tragædus [18]

Λιβύη μὲν ἡ γῆ πᾶσα κλήζεται ξένε
Οἰκοῦσι δ' αὐτὴν φῦλα παντοίων γενῶν
Αἰθίοπες ἄνδρες μέλανες. Ἄρχων δὲ ἐστὶ γῆς
Εἷς καὶ Τύραννος καὶ Στρατηλάτης μόνος.

Libya quidem hæc terra omnis vocatur hospes, incolunt vero illam tribus omnium generum, Æthiopes viri nigri. Imperator vero est terræ, unus Tyrannus & belligerator solus (hæc de Jethrone ultima dicuntur) dixerint Mosen duxisse Regis filiam uxorem.

IV. Sed dicat jam aliquis, sit vel ita, victas veritati manus dare cogimur, at de Mose si crediderint Veteres eum duxisse uxorem Regis Æthiopici filiam, exinde tamen non sequeretur omnes Judæos origine esse Æthiopas. An ergo Moses pro omnium Judæorum Patre habitus fuit? Dabo sane rationes non frivolas & validiores longe daturus ero, quando lucem videbunt, quæ de vita Mosis ab Ethnicis descripta dudum commentatus fui. Primum igitur observandum volo, Alpha eum ab Antiquis vocatum, qui primus erat aut artis alicujus inventor, aut Populi Pater: sic cum se ipsum Christus Alpha & Omega vocat [19]; rectissime interpretatur Arethas Cæsariensis [20] illum τὴν ἀρχὴν *principium esse*, Clemens Alexandrinus Ὁ Κύριος εἴρηται α καὶ ω ἀρχὴ καὶ τέλος, *Dominus dicitur Alpha & Omega principium & finis*: qua quidem in significatione idem apud Profanos occurrere docebit Martialis: [21]

- - - *Alpha penulatorum*
Quem grex togatus sequitur & capillatus.

&

[1] Cap. 29. v. 10.
[2] Geographiæ l. 17. p. 817.
[3] περὶ πόλεων in voce Syene.
[4] Phaleg. l. 4. c. 1.
[5] In comment. in Genesin passim.
[6] Exodi 3.
[7] Exodi 16.
[8] L. 6. c. 7.
[9] Comment. in Num. l. 1. Tom. 1. Operum pag. 269.
[10] Exodi 1. v. 13.
[11] 2. Samuelis 8.
[12] Ad eum locum.
[13] Psalmo 110.
[14] In eundem locum.
[15] Gen. 2. 13.
[16] Gen. 3. v. 1.
[17] Ad Exodū commentatus.
[18] Apud Eusebium præparat. Evang. l. 9. c. 28.
[19] Apocal. c. 1. v. 6. c. 21. v. 6.
[20] Commentario in Apocalypsin.
[21] L. 3. Epigr. 51.

& alibi [1]

Quod Alpha dixi Codre penulatorum
Te , nuper aliqua cum jocarer in
Charta ,
Si forte bilem movit hic tibi verſus,
Dicas beta licebit me togatorum.

Conſimili fere ratione Erathoſthenem dictum βῆτα τ̃ φιλοσοφȣ́ντων accepimus . Certiſſimum igitur Alpha denotare primum : at Moſen Alpha olim a Græcis dictum evincet Helladius Beſantinous [2] cujus operis fragmenta ſervavit nobis Photius, [3] edidit, & notis illuſtravit Meurſius; [4] is vero aperte φλυαρεῖ τ̃ Μωσῆν Ἄλφα καλεῖσθαι , διότι ἀλφοῖς τὸ σῶμα κατάστικτον ἦν: *nugatur Moſen Alpha vocari, quod corpus erat* ἀλφοῖς, id eſt , vitiliginibus diſtinctum. Neve unica nos Beſantinoi auctoritate niti credideris , en Philemæum Hephæſtionis [5] qui Μωσῆς , φησὶν , ὁ τ̃ Ἑβραίων νομοθέτης Ἄλφα ἐκαλεῖτο, *Moſes dicit Hebræorum legislator Alpha vocatur*. Nugas Beſantinoi de ἀλφοῖς alii loco reſervamus , ex hiſce vero adductis varia concludimus . 1. Moſen Alpha dictum a Græcis . 2. Græcos Latinoſque Alpha interpretatos per primum. 3. Moſen Alpha Judæorum eos credidiſſe primum Judæorum id eſt Parentem Judæorum vel Auctorem . 4. Per conſequentiam eos crediſſe Moſen Parentem Judæorum nupſiſſe Æthiopiſſæ , & procreaſſe Judæos . 5. Judæos eſſe Æthiopum progeniem , & ex Æthiopiſſa natos. Neve ultimum neget aliquis, quod matrem ſaltem ex Æthiopia , non patrem advocaverint, en auctoritatem Solini , [6] qui de Æthiopibus locutus: *matres* , inquit , *recognoſcunt Paterni nominis nulla reverentia* . Conſentiunt hic Herodotus , Mela , Plinius.

Interroget vero aliquis, unde putes Moſen Alpha dictum ? age , ſententiam meam circa ea quoque aperiam , qua , ſi placet , utatur benevolus Lector, & acquieſcat ; ſi vero meliorem noverit , candidus nobis eam impertiatur . Fando fortaſſe Græci inaudierant Moſen אלוף יהודה Aluph id eſt Ducem Judæorum appellatum (ſic enim revera ſe res habet) iſtud vero אלוף diverſiſſima ratione interpretati Ἄλφα eum dixerunt non aliam certe ob cauſam , quam quia ſuum Ἄλφα ab Hebræo אלוף derivatum ſemper crediderunt, id, quod Ammonius [7] apud Plutarchum [8] luculentiſſime probabit : Κάδμον φασὶ τὸ Ἄλφα πάντων προτάξαι , διὰ τὸ Φοίνικας ȣ̔́τω καλεῖν τ̃ βȣ̃ν , ȣ̓ δεύτερον, ȣ̓δὲ τρίτον (ὥσπερ Ἡσίοδος) ἀλλὰ πρῶτον τίθεσθαι τ̃ ἀναγκαίων. *Cadmum dicunt ideo Alpha primum literarum poſuiſſe , quod bos ita Phœnicum lingua dicitur , quem non ſecundum, aut, (ut Heſiodus) tertium , ſed primum inter res neceſſarias æſtimant* . Appoſite Ammonius ; Hebræi enim אלף bovem dicunt , quod ab אלוף, unde Græci אלוף יהודה commodius vertere ſe non poſſe arbitrati ſunt , quam per Ἄλφα Ἰȣδαίων .

VI. Sed alio fortaſſe modo aggredi rem potero , & Moſen primum Judæorum habitum demonſtrare. Referenda igitur hic aurea digniſſima cedro Trebelli Pollionis [9] verba : *Doctiſſimi Mathematicorum 120. annos homini ad vivendum datos autumant, idque amplius addunt Moſen ſolum , ut Judæorum libri loquuntur, Dei familiarem, 125. annos vixiſſe , cumque quereretur juvenem ſe mori , reſponſum ei ab incerto ferunt Numine , neminem plus eſſe victurum* . Illuſtre hoc teſtimonium integro , pro dignitate , commentario illuſtrare hic non vacat , alibi [10] vero id præſtitimus , at exſcribemus jam non niſi huc facientia , quod ſcilicet dicatur *ſolus Dei familiaris*. Judæorum ſcripta citat Pollio, & forſan ad Philonem reſpicit, qui ita: [11] ϗ̀ θαυμαστὸν ἴσως ȣ̓δὲν εἰ γὰρ κατὰ τὴν παροιμίαν κοινὰ τὰ τ̃ φίλων, φίλος δὲ ὁ προφήτης ἀνείρηται Θεȣ̃ , κατὰ τὸ ἀκόλȣθον, μετέχοι ἂν αὐτȣ̃ ϗ̀ τῆς κτήσεως καθ᾽ ὅ χρειῶδες. *Nec mirum , quandoquidem juxta proverbium amicorum omnia ſunt communia , amicus autem Dei Propheta dicitur , unde conſequitur , ut Divinæ poſſeſſionis uſum habeat* . Jam vero notiſſimum crediſſe veteres, Deos non niſi, in aurea ætate vixdum creatis hominibus , humana forma indutos familiariter valde uſos; unde Homerus : [12]

Καὶ τε Θεοὶ ξείνοισι ἐοικότες , ἀλλοδαποῖσι
Παντοῖοι τελέθοντες , ἐπιστρωφῶσι πόληας.

Nam & Dii hoſpitibus ſimiles peregrinis, verſantes ſe in omnes formas verſantur per civitates . Hiſce igitur permoti Veteres , cum Moſen Diis familiariter uti fando forte inaudierant , non mirum , ſi eum primos inter homines habuerunt.

V. Sed ut maxime demum evidentem obſervationem addam , pervolvenda mihi Gentilium ſcripta , rimanda ſcrinia , & examinanda ejus nativitas , qua quidem ratione animadverto , illos Moſi Parentes juxta erroneas eorum opiniones tributos , qui primi fere Judæorum ſalutari merentur . Illud vero admodum in Cyrillo Alexandrino demiror , quod σεσίγηται , inquiat , ἐν τοῖς ἱεροῖς γράμμασιν ὁ Μωυσέως Πατήρ. *Tacetur in Sacris Literis Moſis Pater* [13] At quanto altius hic ſapiunt Gentiles , quorum ſententias recenſere hic conſtituimus? obſervandum eapropter crediſſe illos Judam fuiſſe primum Judæorum Parentem, cui non nomen

[1] L.2.Epi.26.
[2] In Chreſtomathia.
[3] Codice .
[4] Ultrajecti 1686. opus Poſthumum.
[5] Novæ hiſtoriæ l.5.
[6] Polyhiſtoris c. 30.
[7] Collocutus cũ Protogone.
[8] Sympoſiac. lib. 9. Quæſt.3.
[9] In Divo Claudio c. 1.
[10] De vita Moſis ab Ethnicis deſcripta.
[11] De vita Moſis pag. 626.
[12] Odyſſ. ρ. p.525.
[13] De vita Moſis.

men ſaltem, ſed & originem debuerint: affirmet id Tacitus meus [1] qui cum prima ſe Judæorum incunabula deſcripturum promittit, *exundantem eos per Ægyptum multitudinem* dicit, *Ducibus Hieroſolymo & Juda proximas in terras exoneratam*, cui adſtipulari videtur Juſtinus: [2] *omnes ex nomine Judæ Judæos appellarit, colique memoriam ejus juſſit*. Clarum vero ſatis, ut arbitror, Judæ eos progeniem creditos; videndum igitur, quam ſerus juxta ſententiam eorum a Juda nepos fuerit. Primum igitur Juſtinus [3] Joſephum Judæ fratrem facit natu minimum, ejuſque filium Moſen, quæ licet admodum falſa, ipſam tamen antiquitatem olent; etenim Chœremon Ægyptius Dionyſii Alexandrini, qui ſub Nerone floruit, Præceptor, & ſic Trogo, cujus epitomen exhibet Juſtinus, aut σύγχρονος, aut paulo ſaltem junior, Joſepho coævum facit, cum dicat [4] ἡγεῖσθαι αὐτῶν Μωϋσῆν τε καὶ Ἰώσηπον, *Moſen & Joſephum*, ubi Moſen Joſepho priorem dicit, etiamſi recte ſtatuat Flavius [5] eum πρὸ Μωϋσέως τέσσαρσι γενεαῖς ἐπελθόντα *quatuor ætatibus Joſephum ante Moſen mortuum*. Quod ſi igitur crediderint eum ipſi Judæ, cui ortum juxta eorum ſententiam debebant Judæi, coævum, quid mirum, ſi ipſius cognationem cum Æthiopibus toti attribuerint populo? Sed ſi demonſtrem eum a nonnullis Judæ avunculum creditum, nonne ea tum adducta credetis, quæ utramque hic facient paginam? ut igitur nihil intactum relinquam, adeundus mihi erit Demetrius, qui aperte dicit ἀπὸ τοῦ Ἰσαὰκ Μωϋσῆν εἶναι, *ab Iſaaco Moſen eſſe*, ſed filum hic abrumpere cogor, ne modo dicam, quæ ad alium verius locum pertinent [6].

VI. Verum enim vero alia fortaſſe & magis prægnantia argumenta eum apud Ethnicos errorem cauſata; etenim diffiteri non poſſum, animadvertiſſe me Judæos ſe ipſos ſæpius vocare Æthiopes. Confirmabit id Rabbi Eliezer, cujus verba Hebræa (propter defectum authentici exemplaris) adſcribere non poſſum, recenſebo vero, prout a Worſtio latinitate, ſed infeliciter ſunt donata [7] *Et locuta eſt Miriam & Aaron contra Moſen propter uxorem Cusbit, ſeu Æthiopiſſam, quam duxerat, quia Æthiopiſſa erat. Quid Æthiops? Varius eſt cute ſua, ita quoque Zippora varia erat bonis ſuis operibus. Rabbi Tachna inquit Iſraelitæ quoque vocantur Æthiopes, ſic dicitur: nonne ſicut filia Æthiopum es mihi? Quid Æthiops? is magis mutatur, quam omnes creaturæ mundi: ſic Iſraelitæ magis mutarunt bona ſua opera, quam omnes Gentes mundi, unde appellantur Æthiopes. Scriptura quædam inquit, & dixit Ebed Melech Æthiops, at quomodo erat ſervus Dei Æthiops? nonne erat Baruch filius Neriæ? ſed quia Æthiops immutat cutem ſuam, ſic quoque Baruch filius Neriæ varius erat in bonis ſuis operibus præ reliquis hominibus, & dixit Joab ad Æthiopem: abi, nuntia Regi, quomodo erat Æthiops, nonne erat filius Jemini? ſed ut Æthiops magis varius eſt, quam omnes creaturæ, ſic quoque filius Jemini mutabilior erat in bonis ſuis operibus & moribus, quam omnes Iſraelitæ*. Vides, quam operoſe hic, licet contortis valde argumentis probetur Judæos Æthiopas eſſe? quod cum ipſi myſtice ſaltem intellexerint, Gentiles vero ſecundum literam, non mirum, ſi ea ſuis in ſcriptis expreſſerint. Huc accedit frequentiſſimum Judaicis in ſcriptis adagium אתה מין הכושי *tu ex Æthiopibus* (ita enim omnes Judæi כוש vertunt) quæ quidem omnia in præconcepta illos opinione valde confirmarunt.

VII. Accedit ultimo repertos olim fuiſſe & etiamnum forte reperiri ipſa in Æthiopia haud ſpernendum Judæorum numerum, quod apertiſſime demonſtrabit Rabbi Benjamin Tudelenſis, [8] cujus verba ita ſe habent: ובה הרים גדולים ושם מישראל הרבא ואין עליהם עול גוים ולהם ערי ומגדלים בראשי ההרי ויורדי לארץ המעטום הנקראת לוביא היא ממשלת אדום והם הלבי אשר בארץ לוביא ונלחמי עמהם היהודי ולוקחין שלל ובזה ועולין אל ההרים ואין אדם יכול להלחם עמהם. *Hic magni montes plurimi Iſraelitæ, nulli Gentium jugo ſubditi, ſed urbes atque turres in montium jugis incolentes in regionem Hammoatum deſcendunt, quæ Lybia dicitur, & Edomeorum ditio eſt, ipſique ſunt Libyes Libyam inhabitantes, atque Judæi bella cum iis gerunt, ſpolia ac prædam reportantes, poſteaque in montes aſcendunt, nec quiſquam eos bello aggredi poteſt*. Negat equidem hæc omnia, & Tudelenſi fidem non adhibet L' Empereur [9], qui ſingulari eum ſtratagemate uſum præterea dicit, dum loca ante nominavit, Eden & Telaſſar, quorum ſitus non adeo cognitus. Sed fateor, nullam omnino Tudelenſi fidem habuiſſem, niſi extorſiſſet id mihi auctor, qui unus revera inſtar omnium erit αὐτόπτης Tellezius, cujus verba [10] ab Hiſpanico in Latinum perilluſtrem Ludolfum tranſlata [11] libet hic exſcribere: *Judæi poſſederunt olim amplas & magnas regiones fere totum regnum Dembeæ & provincias Vagatam atque* Sum-

[1] Hiſtoriarum l.5.c.2

[2] Libro 36. cap. 1. linea 10.

[3] Libro 36. cap. 1. linea 10.

[4] L.1.c.Apionem.

[5] L.1.c.Apionem.

[6] פרקי c. 53.p.148.

[7] Amos 9. v.6.

[8] Itinerarii p.112.

[9] In notis ad itinerarium pag. 217.

[10] L. 5. c. 15.p.31.

[11] Comment. Æthiop. l. 1. N. 101. c. 14.

Summenam, ſed ab Habeſſinis tandem ejecti ſunt. In Summena tamen fortiter ſe defenderunt adjuti maxima altitudine & aſperitate montium. Quæ quidem ſuffragio ſuo adjuvare videtur Andreas Oviedus [1] *juga montium, quæ Judæi poſſident cum multis aliis regionibus a Chriſtianis ablatis, neque Rex illis potiri poteſt ob juga aſpera & exiguas illius copias*. Quid? Quod An. 1607. 1608. bellicos eos & Regi valde formidabiles fuiſſe referat ex fide annuarum relationum ſupra cum honore nominatus Ludolfus? [2] Sed omnia hæc nova ſunt; dixeris an ex Antiquis? nullum habes præter Tudelenſem ſubleſtæ fidei. Imo vero habeo par Rabbinorum, cui fidem haud ita facile denegaveris; alter Rabbi Petachias, qui ante 500. fere annos vixit, cujus verba [3] præſto erunt: בארץ בבל יותר מששים ריבוא יהודים וכן בארץ כוש. *In terra Babel degunt ultra ſexaginta myriades Judæorum, ſic & in Æthiopia*: alter Rabbi Abraham Perizol in orchos olam [4] cujus verba legere ipſe benevolus Lector poterit; quo enim ea hic exſcribamus, brevitatis ſtudium vetat.

Sepoſitis igitur tantiſper hiſce, nihil illuſtrius hujus rei teſtimonium credimus, quam quod petitur a rege Homeritarum Dunavaſo origine & proſapia Judæo, de quo in Synaxariis Græcorum, ad diem 24. Octobris, quando memoria τȣ͂ ἁγίȣ μεγαλομάρτυρος Ἀρέθα celebratur, ſequentia habentur: ȣ̂τος ἦ πρῶτος τῆς πόλεως Νεγρὰς εἰς τ̃ Αἰθιόπιαν τὰς δὲ Ὁμηρίτας κάτποιος Ἑβραῖος Δȣναὰν: *ille erat Princeps urbis Negræ in Æthiopia regnante apud Homeritas quodam Hebræo Dunaan*, quem tam trucem & ſævum fuiſſe perhibetur, ut Judaiſmum non ſuſcepturos ignitam in foveam præcipites dare haud veritus fuerit, unde in Alcorano [5] apud Ludolfum [6] author *foveæ quæ ignem habet*, vocatur, quod ejus regnum etiamſi aliquot poſt Taciti mortem ſæculis tum demum incidiſſe haud ignoremus, credibile tamen ante ea tempora admodum prævaluiſſe Judæos, cum alioquin regno admoveri haud ita facile potuerit: ſed dicat jam aliquis, de Homeritis loqueris? hoſne ergo cum Æthiopibus confundis meliora ab excellentiſſimo Ludolfo edoctus? minime gentium huic tam craſſo errori non ſuccumbo; at viro huic, quem ſummo hercle ſuſpectu veneror, minerval me debere lubens profiteor; etenim ante lectos eruditiſſimos ejus in hiſtoriam Æthiopicam commentarios, innumera Gentilium loca, quæ de Homeritis egerant, intelligere nunquam potui, ſed notum ſatis eruditis, qui Gentiles cum Æthiopibus Homeritas confundere ſolent, quod aperte ſatis indicat Stephanus [7] Ὁμηρῖται ἔθνος Αἰθιόπων, *Homeritæ gens Æthiopum* Μαρκιανὸς ἐν περίπλῳ, *Marcianus in periplo l.* 1. quamvis enim mala fide citatur Marcianus, apparet tamen luculenter qualis Stephani mens fuerit.

[1] Commentarii Æthiopici l. 1. N. 102. 9.

[2] Ibidem.

[3] Sibbut folio 3.

[4] C. 9. 10. 15. 24.

[5] Surata 85.

[6] loco citato.

[7] περὶ πόλεων in voce Ὁμηρῖται.

CAPUT TERTIUM.

I. NOMEN Æthiopiæ non origine Græcum. Error auctoris Etymologici magni, minus accurate ex αἴθω derivatur, quamvis Æthiops a Catullo uſtus per errorem dicitur. II. Æthiops Hebræum vocabulum apud Bedam & Ambroſium. Allegoricæ vocabuli Æthiops expoſitiones, a Rhemigio, Hieronymo, Beda. Æthiopis occurſus malum omen apud antiquos, quod videtur ex Floro, Juvenali, Spartiano. Æthiopes dicuntur Dæmones apud Anaſtaſium Sinaitam, Cyrillum Alexandrinum, Petrum Pictavienſem, Petrum Damianum, Johannem Moſcum. Æthiopes Dæmones albos eſſe dicunt. III. Æthiopia unde dicta? Joppen ab Æthiopia derivat Stephanus. Significatio particulæ את, Etymologicum magnum. Joppe civitas ante diluvium condita dicente Plinio & Mela. IV. Andromedam apud Æthiopes expoſitam probant Apollodorus, Ovidius, Stephanus, Lucianus, Scholiaſtes Germanici. Andromeda ad Joppen expoſitam docent Stephanus, Pauſanias, Strabo, Plinius, Solinus, Mela. Voces in οψ terminatas Græcas eſſe negavit Hypſicrates, quem falſi arguit Stephanus. Æthiopiam in Palæſtina collocat Strabo.

I.

ATque tum demum propoſiti noſtri ordo jubet, ad Æthiopiam nos conferamus, monſtremuſque eam non ſaltem nomen ſuum, ſed & omnes fere incolas Palæſtinæ debere. Ut igitur paucis rem difficillimam expediamus, primo minime credimus admitti poſſe Græcam nominis Æthiopia, vel Αἰθιόπια, Æthiops, vel Αἴθιοψ originem, præſertim cum nullius fere valoris ſint, quæ ab hodiernis Criticis Philologiſve afferri ſolent rationes; etenim, ut reliquos taceam, afferenda mihi receptiſſima, quam amplecti omnes equidem ſolent: eam vero profert Author Etymologici magni, cum dicat derivari id ab αἴθω quod eſt καίω & οψ *facies*, ſed hæc nullius omnino

no pretii mihi videntur; etenim quam postea adfert explicatio, nulla ratione, ista ex derivatione fluere poterit, dicit quippe quasi diceres ὁ κεκαυμένην ἔχων τ̃ πρόσοψιν, *ustam faciem habens*, quæ proinde non video (prout myops in talibus semper esse soleo) qui ex prædictis ulla sequi ratione possint; etenim si αἴθω sumitur pro καίω, utique Αἴθιοψ potius erit *urentem habens faciem*; hinc si spuria hæc derivatio fidem unquam mereri debeat, αἴθω utique positum, me judice, erit pro αἴθομαι, quod est καίομαι: quæ quam belle succedant, quivis facile viderit; etiamsi enim dari talia exempla non negaverim, torta tamen valde erunt Græcæque linguæ genio plane contraria. Præterea percipere vix possum, unde istud; (si ex αἴθω derivetur, nec enim similem unquam derivationem obviam habui, etiamsi dari talem apud probatos linguæ Græcæ Authores haud absolute negaverim, licet valde dubitem) vocandus igitur foret Αἴθοψ, si Græciæ originem deberet, non Αἴθιοψ: & si percurrere Veterum scripta libeat, videbimus utique sæpissime obvium istud vocabulum, sane Αἴθοψ οἶνος, & Αἴθοψ χροιὰ apud Eustathium occurrit, & Homerus [1] tam κάπνον, quam καλλὸν vocat Αἴθοπα: unde videmus diu in usu fuisse vocabulum Αἴθοψ, quod prædicta ratione derivatum non negamus. Nos igitur minime tam lyncei, ut videre possimus, cur priscum Αἴθοψ abrogarent, ut succederet ejus in locum Αἴθιοψ; vocabulum Grajis quidem Musis omnino invitis natum, si nihil significaret aliud, quam vulgatum illud epitheton: *niger* vel *ustus facie*: sed reponat fortasse aliquis Αἴθιοψ sæpius pro nigro poni, ut Αἰθίοπι χρωτὶ [2] *nigro colore*, & Æthiopas quoque olim dictos ustos, tostos, unde Catullus [3]

Illi sunt comites, fusci quos India torret.

Regero, facile admitto ista omnia, licet aliter explicari posset istud Anthologiæ scilicet per colorem *Æthiopem*, id est *Æthiopibus proprium*, sed illa vix antea orta crediderim, quam invaluerat apud Antiquos erronea illa de nominis Æthiopum origine sententia, quæ late adeo tum demum in recentium scriptis dominata.

II. Hisce igitur probe pensitatis concludo: nomen *Æthiops* non esse Græcæ originis sed Hebrææ: ne vero hæc tanquam meo in cerebro nata a sciolis quibusdam traducantur, demonstrabo suboluisse dudum Antiquis originem vocis hujus a Palæstina petendam: ecce igitur præsto erit Scriptor Venerabilis, Venerabilem Bedam puto, qui in singulari opere, quod *vocabulorum Hebræorum interpretatio* inscribitur [4] apertissime inter voces Hebræas refert Æthiopiam, dicitque *eam denotare tenebras*. Neque Beda id solum sentit, sed Ambrosius quoque, qui simili ratione hanc vocem Hebræam faciens *Æthiopia*, inquit, *abjecta & vilis latina interpretatione sonat*. Quid autem abjectius nostro corpore, quod etiam nigrum est quibusdam tenebris peccatorum? Hæc igitur sententiam nostram apprime confirmant, fuisse scilicet eos olim, quibus cognitum probe & perspectum genuinam vocabuli *Æthiops* derivationem e Palæstina esse petendam: quod vero tot absurdas de suo interpretationes addiderint, non est cur mireris, cum apud Primitivos Ecclesiæ Patres pleraque ob nimium allegoriarum studium corrupta esse animadvertimus, & sane tot de nomine Æthiopum allusiones occurrunt, ut nihil fere supra. *Per Æthiopes intelliguntur moribus denigrati*, inquit Rhemigius Antissiodorensis [5] cui subscribere videtur Arnobius [6] sic, *Æthiopes esse cessabitis & pristinus vobis candor restituetur*; ait Beda Venerabilis [7] & *Æthiopia nigredinem vel tenebras significat, quæ specialiter in Idolorum culturis adhibentur*; [8] cui Hieronymum ἑβραϊκότατον assentiri valde mehercle miror: *Nos* ait, [9] *quando Ætiopes fuimus vitiis & peccatis, quoniam nos nigros fecerunt*. Et sane mirandum; nunquam fere de Æthiopibus, nisi allegorice loqui Hieronymum, sic nigredinem eorum per animæ nigredinem explicat; [10] Mosis conjugium cum Æthiopissa (ut putat) per vocationem gentium [11] quibus similia plena omnium fere Patrum scripta haud sine admiratione animadvertimus. Et inde ortum credimus quod pro inauspicato omine occursus Æthiopis olim habitus fuerit (detur venia, si paulisper digrediamur) quod apertissime indicat Florus, qui [12] cum varia Bruto portenta obvia recenset, *& in aciem*, inquit, *prodeuntibus obvius Æthiops nimis aperte ferale signum fuit*. Quibus quidem similia Juvenalis habet, cum Æthiops apud eum vocatur [13] *nunquam tibi mane videndus*, vel ut alio in loco [14]

. . . . nigri manus ossea Mauri,
Et cui per mediam nolis occurrere noctem.

ad quæ prudens Scholiastes animadvertit digitum intendi in Veterum superstitionem, qua scilicet ferale omen Æthiops habebatur. Et sane docet id quoque in vita Severi Imperatoris Ælius Spartianus [15] *volvens*, inquit, *animo quid ominis sibi occurreret, Æthiops quidam e numero milita-*

[1] Odysseæ ξ.
[2] Vide Anthologiam Epigram. Græc.
[3] Scriptum hoc operū Tom.8.insertum.
[4] In Psal. 67. pagin. 180.
[5] In Psal. 67.p.180.
[6] In Psal. 83.p.43.
[7] Allegoricæ in Job.l. 2. operum Tomo 4. p.553.
[8] Ibidem.
[9] In Psal. 86.p.109.
[10] Commentario in Amos c.9. p.124. Operum Tom.5.
[11] Comm. in Zophoniam c. 1. operum tomo 5. pag. 206.
[12] Florus libro 4.c.7.
[13] Satyra 6.v.600.
[14] Satyra 5.v.54.
[15] Histor. Augustin. Scriptur. Tom. 1. p. 637.

litari claræ inter Scurras famæ & celebratorum ſemper jocorum cum corona e cupreſſu facta ipſi occurrit, quem cum ille iratus removeri ab oculis præcepiſſet, & coloris ejus tactus omine & coronæ, dixiſſe illi dicitur joci cauſa: Totum fuiſti, totum viciſti; jam Deus eſto Imperator. Notandum vellem per phraſim *Deus eſto* non intelligi aliud, quam *morieris*. Imperatores quippe Dei non fiebant niſi mortui; unde ſalſe Veſpaſianus in agone jam conſtitutus: *ut puto*, inquit, *Deus fio*; vides quod hic dicatur omine coloris; color enim inauſpicatus erat, non ipſe Æthiops; poſſem largam exemplorum meſſem adhuc proferre, niſi id ante me præſtitiſſent, Brodæus [1] & Turnebus; [2] ſed ſicco id pede præterire non audeo, quod ſingulari admodum ratione pro Dæmonibus interdum ſumantur Æthiopes, quod obſervavit primo Barthius [3] & probavit id hiſtoria quadam latronis ſub Mauritio Principe converſi, quæ habetur apud Anaſtaſium Sinaitam, [4] ubi vox Æthiops ea quidem ſignificatione ter occurrit. Sed plura longe exempla ad manum habeo: quid apertius quam iſtud Cyrilli Alexandrini [5] τότε παραλαμβάνουσιν αὐτὴν οἱ Αἰθίοπες ἐκεῖνοι δαίμονες, *Æthiopes illi Dæmones?* & alibi [6] θεωρεῖν τοὺς φοβεροὺς, καὶ ἀγρίους, καὶ ἀπηνεῖς καὶ ἀτιθάσους δαίμονας ὡς Αἰθίοπας ζοφώδεις παρισταμένους. *Videre terribiles & feroces & immites & immiſericordes & indomitos Dæmones tanquam atros Æthiopas adſtantes*: ita Petrus quoque Pictavienſis:

> *Qui nos inſtrueret, qui nos in agone doceret*
> *Artibus Æthiopes vincere poſſe ſacris.*

Et Petrus Damianus: [7] *Ecce duo teterrimi ac truces vultus Æthiopes tanquam Leones rugientes eum invadunt, rapaci ferocitate eripiunt, de corpore violenter ejiciunt*. Conferatur Pratum ſpirituale Johannis Moſchi [8] ubi eodem ſenſu pluſquam ſemel obvia. Hæc igitur omnia Heſychium [9], ni fallor, commoverunt, ut Dæmones νοητοὺς Αἰθίοπας *Spirituales Dæmones* vocaret; quæ non aliam certe ob cauſam in Patrum & Gentilium ſcriptis invaluit, quam quia nigri fuerant Æthiopes, unde omen coloris tot abſurditates poſt ſe traxit: ſed ulti ſane ſe egregie ſunt Æthiopes, eos quippe Dæmones albos fingere dixit Ludolfo Abba Gregorius Æthiops Amharenſis.

III. Sed e diverticulo in viam mihi redeundum; quoniam igitur Græcam derivationem reſpuit vocabulum Æthiops, Hebræa preſto erit אתיופי, vel terminatione Syriaca אתיופי: antequam vero illam ſtabiliamus, adſtruenda nobis erit iſta

[1] Libro 4. Miſcelaneorum c. 1.
[2] Miſcell. l. 15. c. 24.
[3] Miſcellaneorum l. 17. c. 17. pag. 741.
[4] In Pſal. 6.
[5] De anima hominis impii, ſi tamen hoc Cyrilli ſit.
[6] De anima p. 405.
[7] Ad Deſiderium.
[8] Cap. 66.
[9] Cent. 1. ad Theodulum numer. 23.

particulæ את ſignificatio, cum rarius fortaſſe occurrere ſoleat. At nihil melius quam Sacra Scriptura id ſtabilire poterit, ubi ſequentia leguntur יעמדו אתכם *ſtabunt apud te* [10] וישבו אתו לארץ & *conſederunt apud illum in terra* [11] לא ילין אתי העם *non pernoctabit apud populum* [12] ſic quoque hic אתיופי *apud Joppen*; ut vero probemus fuiſſe apud Antiquos, quibus aliqua Joppen inter & Æthiopiam affinitas ſuboluit, prodibit in conſpectum Stephanus περὶ πόλεων qui ita [13] λέγεται καὶ Ἰοππία διὰ τοῦ ι ἴσως ἐκ τοῦ Αἰθιοπία, *dicitur & Joppia per i forte ab Æthiopia derivatur*, quæ ſane perquam luculenter probant crediidiſſe Stephanum Joppen ab Æthiopia derivari; etenim quamvis dicat eruditiſſimus Berkelius [14] hæc vel ſyllabam eſſe vocis Αἰθίοπια vel alluſionem quamdam; attamen ipſa meridiana luce clarius contrarium patet, cum aperte addat καὶ ἴσως ἐκ τοῦ Αἰθιοπία, & advertendum deinde non ſolius me Stephani authoritate niti. Quid? qnod ſuffragetur quoque mihi auctor Etymologici magni, Ἰόππη, inquiens, πόλις Παλαιστίνης, εἴρηται ὥσπερεὶ Αἰθιόπη τις οὖσα, *Joppe civitas Palæſtinæ dicitur quaſi Æthiops aliqua eſſet* (civitas) quæ ſane adeo clara ſunt, ut, qui adhuc caligaret, talpam crederem. Liceat mihi igitur per Antiquos hæc eorum verba convertere, & dicere longe potius Æthiopiam a Joppe derivari, quam vice verſa, præſertim cum illud ſuis ipſi ſcriptis occulte ſtabilire videantur. Sed objicietur mihi forſitan, Æthiopas ab Antiquis tam ſenes creditos, & Joppen civitatem eſſe non niſi novam, nudius tertius fortaſſe exſtructam: age, ad ipſa Gentilium ſcripta provoco, e quibus niſi contrarium demonſtrem, fruſtra omnia dixiſſe videbor. Prodeat Plinius, qui eam civitatum fere antiquiſſimam credidit [15] *Joppe Phœnicum antiquior terrarum inundatione ut ferunt*, & qui eum nunquam non ſequi ſolet Solinus. [16] Deinde Joppe antiquiſſimum oppidum utpote ante inundationem terrarum conditum, & anteceſſor horum Mela [17] *& Joppe ante diluvium ut ferunt condita*, quibus Græcorum teſtimonia addere poſſem, niſi brevitatis ſtudioſus præterire ea conſultius omnino ducerem.

IV. Verum enim vero ut videat ſaltem benevolus Lector, nihil me hic, niſi quæ perſpicuis Veterum teſtimoniis probari poterunt dixiſſe: age, proferam quæ circa eam rem apud Veteres ex ſedula inquiſitione obſervarim, atque evidentiſſimis, ut opinor, teſtimoniis probatum dabo, nihil certius quam *Æthiopiam* Joppæ originem debere; idque dictis Anti-

[10] Jobi 2. v. 13.
[11] N. 1. v. 5.
[12] 1. Sam. 17. v. 8.
[13] In voce Joppe.
[14] In notis ad Stephanum pag. 419.
[15] Hiſtoriæ naturalis l. 5. c. 13.
[16] In Polyhiſtore.
[17] De ſitu orbis l. 1. c. 11.

quorum certissimis constare, adeo quidem, ut mirer valde, qui hæc tam diu eruditos latere potuerint. Recurro igitur ad notissimam de Cepheo Andromedæ Parente, & Andromeda Ceto exposita fabulam, quæ constantissima Historicorum fide tanquam apud Æthiopas gesta refertur: si vero in Joppe ea facta demonstraverim, fluit utique exinde Joppen esse Æthiopiæ regionem; at si eam in Palæstina a veteribus quoque Geographis collocari demonstratum fuerit, utique negari vix poterit, quin Æthiopia ibi, ubi Joppe, id est, in Palæstina a veteribus Geographiæ Scriptoribus posita fuerit. Age audendum aliquid, rem difficillimam, ne ex congestis Antiquorum dictis confusio oriatur, ordine aggrediamur. Andromedam vero apud Æthiopas fuisse expositam ex Apollodori verbis luce meridiana clarius liquet, qui παραγενόμενος, inquit, [1] εἰς τὴν Αἰθιοπίαν ἧς ἐβασίλευε Κηφεὺς, εὗρε τὴν τούτου θυγατέρα Ἀνδρομέδαν παρακειμένην βορὰν θαλασσίῳ κήτει. *Profectus vero in Æthiopiam, cui imperavit Cepheus, invenit filiam ejus expositam Ceto maritimo*, unde Ovidius quoque: [2]

Andromedam Perseus nigris portavit ab Indis

Unde quoque Κηφῆνας ἀφ' οὗ appellari Αἰθίοπας arbitratur Stephanus περὶ πόλεων [3] nec aliter Lucianus [4] Tritonem introducit Nereidibus sequentia narrantem: ἐπεὶ δὲ κατὰ τὴν ταύτην Αἰθιοπίαν ἐγένετο, ἤδη προσγεῖος πετόμενος ὁρᾷ τὴν Ἀνδρομέδαν προσκειμένην. *Porro vero ubi circa hanc Æthiopiam venisset, terræ jam propinquior aliquanto volans, vidit Andromedam expositam*, alibi [5] Ἀργολικῷ μύθῳ ἀναμέμικται πάθος Αἰθιοπικὸν, ὁ Περσεὺς τὸ κῆτος φονεύει, καὶ τὴν Ἀνδρομέδαν καθαιρεῖ. *Argolicæ fabulæ intermixtum est malum illud Æthiopicum, Perseus videlicet monstrum illud marinum interficit, & Andromedam deponit*. Quæ omnia considerans Scholiastes Germanici, *Cepheus*, inquit, *sicuti Euripides scribit, Æthiopum Rex Andromedæ Pater*. Nec fallitur Scholiastes, licet incassum citet Euripidem, cum nullum causæ nostræ subsidium, me quidem scio, apud eum reperiatur. Quid? Quod ne ipse quidem Ovidius, qui hanc fabulam more suo, id est, prolixe deduxit, hæc apud Æthiopas gesta unquam negaverit? ita vero ejus se verba habent [6]:

Æthiopum populos Cepheia conspicit arva
Illic immeritam maternæ pendere linguæ
Andromedam pœnas injustus jusserat Ammon.

[1] In Bibliotheca.
[2] Metam 15.
[3] In voce Ἰόπη.
[4] In Marinorũ Dialogis.
[5] περὶ οὐδίκου operum Tomo 1. p. 808.
[6] Metamorphos. l. 4. v. 668.

Quæ quidem omnia satis aperte loquuntur liberationem hanc Andromedæ juxta Antiquorum sententiam in Æthiopia contigisse: at ordo & nostra nos promissa jam jubent, ut omnia hæc circa Joppen facta luculentis Antiquorum testimoniis evincamus. Quid vero clarius istis Stephani verbis, quibus Cepheum Joppæ imperitasse significatur? [7] ἐκλήθη δὲ ἀπὸ Ἰόπης τῆς Αἰόλου θυγατρὸς τῆς γυναικὸς Κηφέως τοῦ κτίσαντος καὶ βασιλεύσαντος, *vocabatur a Joppe Æoli filia uxore Cephei, qui urbem condidit, ibique imperium exercuit*. At clarissimum est, & vel cœcis obvium est, quod Pausanias habet [8] ξανθὸν δὲ ὕδωρ οὐδέν τι ἀποδέον, τὴν χρόαν αἵματος Ἑβραίων ἡ γῆ παρέχεται πρὸς Ἰόππῃ πόλει θαλάσσῃ μὲν ἐγγυτάτῃ τὸ ὕδωρ ἐστὶ λόγον δὲ ἐς τὴν πηγὴν λέγουσιν, ἐν ταύτῃ Περσέα ἀνελόντα τὸ κῆτος, ᾧ τὴν παῖδα προκεῖσθαι τοῦ Κηφέως, ἐνταῦθα τὸ αἷμα ἀπονίψασθαι. *Rutila vero prope ad sanguinis colorem aqua per Hebræorum terram non longe a mari agro Joppæ urbis finitimo, labens visitur, Perseum interempto Ceto, cui Cephei filia fuerat exposita, in eo fonte cruorem abluisse, vulgavit indigenarum sermo*. Quæ omnia auctoritate sua confirmat maxima omnino fide dignus Strabo, [9] ἐντεῦθεν δὲ μυθεύουσί τινες τῆς Ἀνδρομέδας ἐκτεθῆναι τῷ κήτει, *ibi quoque fabulantur Andreomedam Ceto expositam*, scilicet in Joppe: nec est, ut apud Græcos solum te ejusmodi inventurum credas, scatent quoque iis, & diffluunt Latinorum commentarii, unde quoque Plinius: [10] *Belluæ, cui exposita dicebatur Andromeda, ossa Romam apportata ex oppido Judææ Joppe ostendit inter reliqua miracula in ædilitate sua M. Scaurus*, & quæ fidem hujus loci confirmabunt alibi habet [11] *Joppe Phœnicum - - - insidet collem præjacentem saxum, in quo vinculorum Andromedæ vestigia ostendunt*, nec non [12] *in Phœnicio deinde mari est ante Joppen Paria tota oppidum, in quo objectam belluæ Andromedam ferunt*. Nec quicquam ab iis ea quidem in parte dissentit Solinus, qui cuncta sua fere Plinio debet: *Joppe - - - id oppidum saxum ostentat, quod vinculorum Andromedæ vestigia adhuc retinet:* [13] quam quidem sententiam eo illustriorem ut reddat Mela, non dubitat alia in eo certius rei testimonium adferre, quæ quidem ita se habent: [14] *est Joppe ante diluvium ut ferunt condita, ubi Cephea regnasse eo signo affirmant, quod titulum ejus fratrisque Phinei veteres quædam aræ cum religione plurima retinent, quin etiam rei celebratæ carminibus ac fabulis, servataeque a Perseo Andromedæ clarum vestigium belluæ marinæ ossa immania ostentant*.

[7] In voce Joppæ.
[8] In Messenicis sive Græciæ libro 4.
[9] Geographiæ libro 17.
[10] Libro 9. c. 5. Historię naturalis.
[11] Historiæ nat. l. 5. c. 13.
[12] Libro 5. c. 31. Hist. nat.
[13] Polyhistoris c. 34.
[14] De situ orbis libro 1. c. 11.

Hisce igitur adductis evicisse nos putamus ea, quæ antea diximus, nempe Æthiopes nomen sortitos a Joppe, & quidem dictos quasi Populum אתיופי; terminationem enim illa οψ Græci more suo, ut aliis vocabulis, ita huic etiam addiderunt, sed hem! vereor, ne Hypsicrates Grammaticus, *cujus libri sane nobiles sunt super his, quæ a Græcis accepta sunt*, ut loqui amat Gellius [1] surgat iterum & dicat, eliminanda esse e Græcia, quæ in οψ desinunt vocabula, & ὡς ἐδὲν εἰς όψ λέγει παρ' Ὁμήρῳ εἰ μὴ τὸ Καλαύροψ [2] *quod nullum vocabulum in οψ inveniatur apud Homerum nisi Kalaurops*. Sed censuram ejus hic minime quidem curamus, cum observaverit dudum Stephanus περὶ πόλεων [3] ὅτι ἐκ ἀληθὴς τῦ Ὑψικράτε λόγος, εἰσὶ γὰρ καὶ τὸ όψ καὶ τὸ μέροψ, *quod non vera sit Hypsicratis sententia, sunt enim* όψ & μέροψ, & inveniantur præterea dictum apud Homerum νώροψ [4] οἴνοψ [5] αἴθοψ [6] Αἴθιοψ [7].

Sed dictis his omnibus exclamet fortasse aliquis: non valet ista consequentia, operam & oleum perdidisti; vix enim in Palæstinam Æthiopiam translaturum crediderim, sed bona verba! ista ego minime propria auctoritate, sed antiquissimis Veterum testimoniis nixura volo: & quoniam timidus valde in eliciendis hujusmodi consequentiis esse soleo, appello ad Pausaniam [8] qui Αἰθιόπιαν ἐν τῇ Ἑβραίων γῇ collocat, appello ad auctoritatem Strabonis, quæ sola mihi instar omnium erit, qui falsi osor, veri amasius, & Geographiæ admodum peritus merito suo audit; is autem ita: [9] εἰσὶ δὲ οἱ καὶ τὴν Αἰθιοπίαν εἰς τὴν καθ' ἡμᾶς Φοινίκην μετάγυσι, καὶ περὶ τὴν Ἀνδρομέδαν ἐν Ἰόπῃ συμβῆναι φασὶν, ἐ δήπε καθ' ἄγνοιαν τοπικὴν καὶ τέτων λεγμένων, ἀλλὰ ἐν μύθε μᾶλλον σχήματι. *Sunt qui Æthiopiam in Phœniciam nostram transferunt, & quæ de Andromeda in Joppe evenisse dicuntur, non sane propter ignorantiam locorum & eorum quæ dicuntur, sed fabulæ potius prætextu*. Vides, quam aperte eadem nobiscum sentiat Strabo, dum agnoscit eos, qui, quæ de Andromeda narrantur, circa Joppen contigisse dicunt, Æthiopiam in Palæstinam transferre, idque ἐ δήπε καθ' ἄγνοιαν τοπικὴν καὶ τέτων λεγομένων, quæ salva sane veritate dicere potuit amantissimus veri Strabo, agnovit utique Joppen, & pro Judææ urbe habuit Solinus, Hebræam vocat Pausanias, unde omnia consulto facta vel coacti agnoscimus.

[1] Noctium l. 16. c. 12.
[2] Stephanus in voce Αἴθιοψ.
[3] ibidem,
[4] Iliados β. ε. ν. π.
[5] Odysseæ φ.
[6] Iliados δ.
[7] in libro Messenicorum, qui Græciæ quartus.
[8] passim.
[9] Geograph. l. 1. p. 14.

CAPUT QUARTUM.

I. Fabulis cur usi fuerint Antiqui, tradunt Synesius, Gorgias, Theagenes: fabulis non omnes fidem adhibuerunt, quod probant Palæphati verba: variis modis explicantur fabulæ. II. Joppe cur pulchra? cur Æoli filia dicta expeditur: Andromedæ fabula quid? Andromeda cur fœmina? Cur nomen Græcum? Venus Amathunthia barbata. Andromeda navi vecta. Quare Phœnix dicta? Andromedæ expositione sedatur malum. Cur petræ alligata? Quid Hammon? Non Cham. Significat absconditum. Ægyptiace Thamun. Quis Perseus? Perseus Deus. Quid Pegasus? Quid Gorgon?

Sed urgebit fortasse Lector φιλαληθής, ut demonstrem gestum esse quid ad Joppen, quod Ethnici, quibus nihil magis in usu, quam fabulis veritatem inficere, potuerint more suo torquere, & fabuloso isto de Andromeda & Cepheo ænigmate obscurare. Fateor non esse muneris mei, ut hoc in me suscipiam, partim cum fabulæ ab Æthnicis effictæ ipsam nullo modo veritatem corrumpere possint, partim cum lubricam esse hanc semitam non ignorem, a nullo utpote in antecessum tritam, sed spretis tamen hisce rem aggrediar, quamvis me cineres igni doloso superpositos calcaturum non ignorem. In antecessum vero monendus mihi lector, ne historias, quæ vere olim contigerunt, transformari fere & tot ludicris infici potuisse miretur: non alia enim causa id a Veteribus factum, quam quia τὸ ῥᾷστον καταγελάσεται ὁ δῆμος. δεῖται γὰρ τερατείας, *facillimum* (intellectu) *ridet plebs, opus enim ei narratione fabulosa*, dicente Synesio; [10] hæc enim præcipue in causa fuerunt, cur mythicæ Theologiæ adeo invigilare Veteres voluerint, unde quoque Gorgias usu fabularum in memoriam sibi revocato dixisse perhibetur: [11] ὁ τε ἀπατήσας δικαιότερος τῦ μὴ ἀπατήσαντος, καὶ ὁ ἀπατηθεὶς σοφώτερος τῦ μὴ ἀπατηθέντος, *qui fefellit justior est, quam qui non fefellit, & qui illusus est sapientior, quam qui non illusus*. Scilicet vere Chariclíæ suæ & apposite inquit Theagenes [12] καλὸν τὸ ψεῦδος, ὅταν ὠφελῦν τὺς λέγοντας, μηδὲν καταβλάπτῃ τὺς ἀκύοντας. *Pulchrum est mendacium, cum Auctori utile & audienti non obsit*.

Absit tamen, ut credamus Veterum omnes fabulis hisce fidem habuisse, minime

[10] de laude calvitii.
[11] vide Plutarchum in Gorgia.
[12] vide Heliodorum in æthiopicis.

nime gentium: quid? multi equidem fidem iis omnino denegarunt, alii aliquam ſaltem habuerunt, ſed aliter quam narrantur, omnino eveniſſe crediderunt. Pulcherrima hanc in rem ſunt Palæphati verba, quæ apud nos legantur, ita ille: [1] γενόμενα δὲ τινά οἱ ποιηταὶ, καὶ λογογράφοι παρέτρεψαν εἰς τὸ ἀπιςότερον, καὶ θαυμασιώτερον τȣ̃ θαυμάζειν ἕνεκα τȣ̀ς ἀνθρώπȣς: ἐγὼ δὲ γινώσκω, ὅτι ȣ̓ δύναται τὰ τοιȣ̃τα εἶναι, οἷα καὶ λέγεται, τȣ̃το δὲ καὶ διείληφα, ὅτι εἰ μὴ ἐγένετο, ȣ̓κ ἂν ἐλέγετο, *facta autem quædam Poetæ & fabulatores ad incredibilia & miranda magis perverterunt, ejus ergo ut homines obſtupeſcerent. Equidem ſentio, talia minime eſſe poſſe, qualia circumferuntur, hoc autem collegi, quod ſi minus facta eſſent, non item narrarentur.* Apprime Palæphatus! unde quoque eos fabulas recte interpretari, & quidem ſolos agnoſco, qui referunt eos ad τὰ γενόμενα, quamvis non negem ſua laude non excidere Natalem Comitem [2] qui ad Ethicam Herbartum [3] qui ad rem navalem, Tollium [4] qui ad Medica fabulas retulit; omnium tamen conatus irritos eſſe doleo, præ Heinſii, [5] Woſſii, [6] Dikinſohnii, [7] Bocharti, [8] Stillingfleethi, [9] Huetii laboribus [10] quibus ea quidem in parte nihil limatius, nihil laude dignius orbem eruditum hactenus vidiſſe crediderim.

II. Sed ut ipſam fabulam demum tanquam Oedipus aggrediar, monendum mihi aliquid in anteceſſum erit de civitate Joppe, quæ dicente Stephano ἐκλήθη δὲ ἀπὸ Ἰόππης τῆς Αἰόλȣ θυγατρὸς, *vocata eſt a Joppe Æoli filia* [11] Illam vero Joppen tanquam pulcherrimam deſcribunt Gentiles, cujus forma omnibus numeris abſoluta, qua quidem in parte non ita multum a veritate abludunt; oritur enim יפו vel יופי a radice יפה *pulcher fuit*, unde alicubi dicitur [12] יפת תאר יפת מראה *pulchra forma, pulchra aſpectu* & יופי ſane ſignificat pulchritudinem ac elegantiam. Quod vero Æoli præciſe filiam Joppen dicant, non aliunde putaverim, quam quia Ἰόππης ut ἐπιθαλασσιδίȣ πόλεως [13] *maritimæ civitatis* ſemper meminerint Gentiles, at tales infeſtari ventis aſſolent; Æolus vero ventorum Deus credebatur, etiamſi dicente Palæphato: [14] ἄνθρωπος fuerit ἀςρόλογος qui prædicere potuerit τȣ̀ς χρόνȣς, καθ' ȣ̃ς ἐπιτολαὶ τινὲς ἀνέμων γενήσονται *tempora quibus certi quidam venti adſpirarent*; inde enim ventorum filia, quia maximum ventis imperium in eam conceſſum fuerat, quæ loca dicere alioquin Αἰόλȣ νήσȣς ſoliti fuerant Gentiles, unde nihil novi, quod filiam eam Æoli dixerint, præſertim cum a pulchritudine eam ſic dictam noſſent, quæ fœminino quidem ſexui in laudem cedere præcipue ſolet. Paucis igitur ſententiam meam ut aperiam, nihil quidem hoc eſſe aliud volo, quam corrupta eorum veſtigia, quæ Jonæ quondam circa Joppen accidiſſe memorant, quæ ne gratis dixiſſe videar, probabo ſingula & claris omnino documentis dabo, quanta inter utriuſque facti apud Ethnicos, & in Sacra Scriptura deſcriptionem intercedat affinitas: at dicat jam aliquis, nonne ſexus obſtat? Virum Jonam fuiſſe nemo ignorat, at Andromeda tanquam fœmina ubique in Gentium ſcriptis ſiſtitur: fateor, ſed vix illa aliunde quam quia terminatio nominis יונה fœminina, quæ ſola commovit Mythologos, ut fœminam eum facerent; nec illud adeo apud Antiquos inſolens; ſola enim maſculina nominis VENUS terminatio Virgilium commovit, ut Deum eam, dicentibus Grammaticis, dixerit & Cyprios, ut dicente Macrobio [15] *ſignum ejus barbatum, ſed veſte muliebri colerent*, unde Servius [16] *eſt etiam in Cypro ſimulachrum barbatæ Veneris*, & incertus auctor [17] apud Heſychium [18]: Ἀφρόδιτος, Θεόφραςος μὲν ἑρμαφρόδιτόν φησιν· ὁ δὲ τὰ περὶ Ἀμαθȣ̃ντα γεγραφεὺς, πωγωνίαν ἄνδρα τὴν Θεὸν ἐσχηματίσθαι λέγει. *Aphroditus. Theophraſtus quidem Hermaphroditum dicit, is vero qui de rebus Amathuntis ſcripſit Deam viri ſpecie barbati effinctam tradit.* Nihil ergo obſtat ſexus, illud vero fortaſſe mirum, quod nomen Andromedæ ſit Græcum (dicitur enim ab ἀνήρ & μέδω, quaſi viri curam gerens) cum tamen Cepheus & Perſeus ſint peregrina: ſed ſi rem penitius introſpicias, nihil utique hic alienum occurrit; יון enim denotat Græcum יונים Ἴωνες vel Græci, unde cum Jonam Græcum ex nomine falſo putaverint Veteres, quibus talia ex nominibus ſumpta valde placuerunt, Græcum quoque nomen ipſi addiderunt, ut Andromede dicta fuerit: dicitur vero quaſi virorum curam gerens, quod nuper ſubindicavi, quæ apprime in Jonam quadrant, qui, ut Ninivitarum curam gereret emiſſus, hanc in ſe Spartam vel invitus ſuſcipere coactus fuit. Punitam ob contemptum Numinis Andromedam memorat Ovidius: [19] ſic quoque Jonas non aliam equidem ob cauſam Ceto expoſitus, quam quia mandatum Dei contempſerat, & ſuam voluntatem Divinæ antetulerat. Andromedam navi vectam fuiſſe, licet contra aliorum relationes, Conon [20] apud Photium [21] fatetur, dicens quidem, quod νηὶ ἀνωλοφύρατο *navi aveheretur*: ſic Jonas quoque, ſed navi iſti nomen *Cetus* fuiſ-

ſe

[1] περὶ ἀπιςῶν p. 4.
[2] In Mythologia.
[3] In arcanis gentiũ detectis.
[5] In fortuitis.
[4] In Ariſtarcho.
[6] De Idololatria.
[7] In Delphis.
[8] In Phaleg & Chanaan.
[9] In Originibus.
[10] In Demonſtratione.
[11] In voce in Ἰόπη.
[12] Gen. 29. v. 17.
[13] Vide Cononem apud Photium codice 186.
[14] περὶ ἀπιςῶν p. 47.
[15] Saturnalium lib. 3. c. 8.
[16] Ad Æneidos librum 2.
[17] De rebus Amathuntes.
[18] In voce Ἀφρόδιτος.
[19] Metamorphoſeos libr. 4.
[20] In Narrationibus.
[21] In Bibliotheca codice 186.

ſe dicit, Κῆτος δὲ αὐτὴ ἐκαλεῖτο ἢ μίμησιν ἔχουσα τοῦ ζώου, ἢ καὶ κατὰ τύχην, *Cetus enim illa vocabatur aut imaginem ejus habens, aut ſecundum ſortem*, quod condonandum ipſi facile credimus, cum Jonas navi primo vectus, dein a Ceto in terram deportatus, ut proinde navis inſtar ipſi fuerit. Andromeda vero Cephei filia, Cepheus vero Phœnix (quod poſtea demonſtrabimus [1]) credebatur, non aliam ob cauſam, quam quia Jonas origine Hebræus: Hebræi enim & Phœnices ab Antiquis confuſi, id quod ſæpius diximus. Antequam expoſita fuerat, dicitur Cepheus conſuluiſſe oraculum, qua ratione a malo iſto liberaretur, quod regionem ejus infeſtabat, & omnia fere jam perdiderat, nullum vero aliud remedium oblatum ipſi fuit, quam ut Ceto Andromedam exponeret: ſic poſtquam navæ jacturam fere omnium fecerant, ſortem jecerunt, quæ cum in Jonam cecidiſſet, faſſus ipſe, non ſedatum ante iſtam calamitatem iri, quam in mare projectus fuiſſet: at in mare projici Veteres dixerunt, Ceto exponi, cum Ceti & id genus alia degere in mari ſoleant, & Jonas præſertim a Ceto devoratus fuerit; at cum Perſeus Andromedam vidiſſe dicitur [2] - - *ad duras religatam bracchia cautes*; Gentiles ad ipſam Jonæ confeſſionem reſpexiſſe putaverim; etenim in ipſo fere mortis agone conſtitutus, dixiſſe dicitur לקצבי הרים ירדתי *ad inciſiones montium deſcendi*; hæc enim ab ipſis ſecundum literam explicata cum perveniſſent, non mirum, quod Andromedam cauti alligatam finxerint, cum alioquin Jonam dicere ea potuiſſe vix crediderint: ut vero iſtic Andromedam interrogat Perſeus [3] dicens

Pande requirenti nomen terræque tuumque

iſta iſtic [4] nautæ Jonam: מה מלאכתך מה ארצך *Quodnam negotium tuum? quæ terra tua?* cujus juſſu Andromeda expoſita fuerit, ſi quærat aliquis, regerit Ovidius [5] - - *injuſtus juſſerat Hammon*, per quem ipſum Deum intelligi, nullus dubito: quanquam enim vulgari opinione abreptus, & Bocharti argumentis perſuaſus Chamum eo nomine indigitari antea crediderim, alia tamen me monere, quæ poſtea legi, potuerunt, præſertim cum meliora ab ipſis Ægyptiorum Sacerdotibus edoctus fuerim; ipſe enim Chæremon ὁ Αἰγύπτιος ἱερογραμματεὺς, *Ægyptius ſacer ſcriba* dicente Tzetze [6] cujus meminit præterea Theodoretus [7] meminere Porphyrius, [8] Joſephus, [9] Origines [10] & quem niſi me fallunt omnia,

[1] Sequenti capite.
[2] Metamorphoſeos libr. 4. verſu 671. & 672.
[3] Jonæ 2. v. 8.
[4] Metamorphoſeos libr. 4. verſu 679.
[5] Jonæ 1. v. 8.
[6] Chiliad. 5. Hiſtoria 8.
[7] In Therapeuticis ſermone 3.
[8] Libro 4. de abſtinentia.
[9] l. 1. c. Apionem.
[10] l. 1. contra Celſum

Charimandrum peſſima depravatione vocat Seneca [11] ille, inquam, ita apud Plutarchum [12] τῶν πολλῶν νομιζόντων ἴδιον παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Διὸς εἶναι τὸ Ἀμοῦν, (ὃ παράγοντες ἡμεῖς Ἄμμωνα λέγομεν) Μανεθὼς μὲν ὁ Σεβεννίτης τὸ κεκρυμμένον οἴεται, τὴν κρύψιν ὑπὸ ταύτης δηλοῦσθαι τῆς φωνῆς, *cum plerique opinentur peculiare Jovis nomen eſſe apud Ægyptios Amun, quod nos in noſtram traducentes linguam Ammona vocamus, Manethon tamen Sebennita exiſtimat id nomen ſignificare abſconditum, eaque voce occultationem deſignare*, quæ ſane verba temere rejicienda non exiſtimo, præſertim cum eandem omnino ſententiam foverit Abderita Hecatæus, & Plato [13] apertiſſime memoret Jovis Lybici nomen, non Ammon, ſed Θαμοῦν eſſe & per aphæreſin Ἀμοῦν. Age igitur, ut doceam Manethonem, Hecatæum & Chœremonem non erraſſe, interpretari vocem iſtam Θαμοῦν aggrediar; eſt vero origine omnino Hebræa, & quidem טמון latine *occultatus* quod eſt Participium Paul a radice טמן *Jupiter*. Igitur Hammon, id eſt יהיה טמון Deus ἄῤῥητος Jonam exponi juſſit: projecta jam Andromeda miſere ejulaſſe, opemque cum lachrimis invocaſſe memoratur, dicente Conone [14] apud Photium [15] non aliter ac Jonas jam a Ceto devoratus, & ſane memorandum quod tunc temporis quoque in navi Ceto vocata fuiſſe a Conone dicitur Andromeda. Adfuit tunc Perſeus. Quis ille? Jovis ajunt Filius: ſed ipſum ego Deum hunc credo, & ſane video quoque Perſeum ab eis inter Deos relatum, cum cultum eum Argis memoret Sidonius & Περσέα ἐπ' ἰσχύει inter Deos relatum dicat Athenagoras. [16] [17] Quod vero de Pegaſo, quo uſus eſſe Perſeus dicitur, memoriæ proditur, fabuloſum eſſe Antiquis dudum ſuboluit: etenim Palæphatus Theoni [18] Euſtathio [19] Svidæ [20] Tzetzi [21] citatus, imo a Plutarcho [22] & Athenæo [23] καινὸς vocatus, aperte inquit [24]: ἐμοὶ δὲ ἵππον οὐδέποτε δοκεῖ δύνασθαι ἵπτασθαι, οὐδ' εἰ πάντα τὰ πτηνῶν πτερὰ λάβῃ - - Ὄνομα δὲ ἦν τῷ πλοίῳ Πήγασος, ὡς καὶ νῦν ἕκαστον τῶν πλοίων ὄνομα ἔχει. μᾶλλον δὲ δοκεῖ πλοίῳ ἢ ἵππῳ ὄνομα εἶναι Πήγασος. *Mihi autem videtur equum minime poſſe volare, etiamſi omnium avium pennis indueretur - - Navi autem nomen erat Pegaſus, ut & ſingulæ navium proprium habent nunc vocabulum, & conſentaneum navi potius, quam equo Pegaſi nomen fuiſſe*. Quæ ſatis evincunt ſapientiorem fuiſſe Palæphatum, quam ut hiſce nugis fidem haberet; non vero mirum: quod Deo navis opem tribuerint, cum non niſi minimam in Deos reverentiam præ ſe unquam tulerint. Hinc quo-

[11] Natural. quæſt. libro ult. c. 5.
[12] De Iſide.
[13] In Phedro.
[14] In narrationibus.
[15] Codice 106.
[16] Carmine 9.
[17] In legatione pro Chriſtianus pag. 34 A.
[18] Capite περὶ ἀνασκευῆς.
[19] In Iliados α. κ. Odiſſeæ λ.
[20] In voce παλαίφατος
[21] Chiliad. 1. Hiſt. 20.
[22] De Iſide.
[23] Deipnoſ.
[24] περὶ ἀπίστων.

quoque Hammonem injuſtum vocare non dubitat Ovidius. Præterea quæ de Gorgone afferuntur, cujus aſpectu omnes in lapidem ſubito converſi, quo etiam conſilio uſus præcipue dicitur Perſeus, ὅς πείθηται ἐκ λίθε γένεσθαι ἄνθρωπον, ἢ ἐξ ἀνθρώπων λίθκς, εὐήθης ἐςί. *Qui vero credit hominem ex lapide, aut viciſſim lapidem ex homine poſſe fieri, næ ille inſulſus*, dicente non me ſed Palæphato. Audierant vero Æthnici tanto oppreſſos metu fuiſſe nautas, ut tanto præ metu obduruerint, ſtatim ergo dixerunt eos lapides factos: unde quoque Gorgon non aliud quam גראגן *immittens terrorem*; etiamſi enim ultima vox גן hodie apud Arabas ſaltem, Hebræos non item, in uſu ſit, fuiſſe tamen olim & inter innumera alia, quæ eſſe dudum deſierunt, periiſſe non dubito. Vides quam pleraque conveniant; has vero conjecturas noſtras, abſit, ut cuiquam velimus obtrudere; ſunt enim a Juvene profectæ, qui nondum ſcripta Veterum omnia, ut oportet, percurrere potuit, & errori eapropter maxime obnoxius.

CAPUT QUINTUM.

I. Æthiopum cum Hebræis affinitas, Cepheus Æthiopum Rex Phœnicis filius, juxta Heſiodum, &c. Phineus Phœnicis filius Cephei frater. Æthiopes in Erythia juxta Periegetem, ſed Heſperii juxta Marcianum, ejus conciliatio cum reliquis II. Geryonis fabula unde? Græci Jonim, Jones. Palæphati verba. Græci, Æthiopes, Pœnices Erythiæ incolæ. Hercules Erythiam miſſus Græcos, eam inhabitaſſe fabulæ dicunt. III. Phœnices in Erythia, unde nomen ſortita? quod probatur teſtimoniis Plinii, Strabonis, Solini, Melæ, Periegetæ. IV. Unde Aphrodiſias dicta? Oves in Erythia, Aſtarte Aphrodite, Juno Erythiæ Domina. Quis Beliſama? Quæ Belthes? V. Æthiopes Erythiam incolunt, quod probant Marcianus, Stephanus, Græcorum fabulæ. Æthiopes arcubus utuntur. Quid Miſicaſtæ? Æthiophum phialæ & pocula.

HAc igitur ratione rem difficillimam, ut ſpero, confecimus, ad alias eapropter demonſtrationes progredimur, per quas confirmanda nobis Æthiopum cum Hebræis affinitas. Sane Euripides [1] citante Hygino [2] Cepheum Regem Æthiopum Phœnicis filium facit; Conon [3] vero apud Photium [4] apertiſſime dicit: Κηφέως βασιλείαν μετονομασθῆναι μὲν ὕστερον Φοινίκην, *Cephei regnum nuncupatum poſtea Phœnicem*, & eum θυγατέρα δῦναι μὲν Φοίνικι *filiam dediſſe Phœnici*: quod ſi tam arcta Æthiopas inter & Phœnices ſit affinitas, quod ſi Æthiopia vocata ſit Phœnice (Æthiopia enim verum Cephei regnum, etiamſi Syriam afferre videtur Conon, non opus fortaſſe majori evidentia erit; quales enim, & qui ſint Φοίνικες ſuperiori libro patefecimus) apertiſſime enim ita Hygini verba ſonant [5]: *Hunc Euripides cum cæteris, Phœnicis filium, Æthiopum Regem eſſe demonſtravit, Andromedæ Patrem, quam Ceto expoſitam notiſſimæ hiſtoriæ dixerunt*: nec ab illa quidem ſententia abludere mihi videtur Heſiodus [6] apud Scholiaſtem Apollonii, [7] qui etiamſi Cepheum non nominet, eadem tamen de fratre ejus Phineo affirmat, quod verba ejus teſtantur, quæ hunc præcipue in modum ſonant: ὡς δὲ Ἡσίοδος φησὶν Φοίνικος τῦ Ἀγήνορος, *ut Heſiodus dicit Phœnicis Agenoris (filius)*. Nec ſolus hanc fovit ſententiam Heſiodus. Quid? Quod Pherecydem, Antimachum, & Aſclepiadem eamdem habuiſſe mentem non dubito, cum expreſſiſſimis id verbis paulo poſt indigitet Apollonii Scholiaſtes, ὁμοίως, inquit, καὶ Ἀσκληπιάδης, καὶ Ἀντίμαχος, καὶ Φερεκύδης φησὶν, *ſimiliter & Aſclepiades, & Antimachus, & Pherecydes dicunt*, quæ quidem omnia adeo clare affirmant Cepheum fuiſſe Phœnicem, ut poſſe aliquem tanta in luce cœcutire minime crediderim; fratrem enim Cephei eſſe Phineum clariſſime hæc Ovidii [8] indigitant, ubi Cepheus furentem Phineum alloquitur, &

Quid facis exclamat? quæ te Germane furentem
Mens agit in facinus?

Sed cum res ita ſe habeat, non futurum abs re credimus, ſi ſcripta Veterum ſedulo excutiamus, an dentur Phœnicum apud Æthiopas veſtigia cum cura ſcrutaturi. Sane Dionyſius Periegetes ſuppeditare nobis argumentum videtur, quod utramque fortaſſis paginam hic faciet, ita vero verba ejus ſonant [9]:

Ἤτοι μὲν ναίουσι βοοτρόφον ἀμφ' Ἐρύθειαν
Ἄτλαντος περὶ χεῦμα θεουδέες Αἰθιοπῆες.

Nempe habitant boum nutricem circa Erythiam, Atlantis circa undam pietatem in Deum colentes Æthiopes. Inſcitiæ argui fortaſſe poſſet Periegetes, quod locandos circa Meroen omnium Geographorum conſenſu Æthiopas ad Occidentem rejicere videatur, præſertim cum bene

[1] In Phœniſſis.
[2] In Aſtronomicis p. 64.
[3] In narrationibus.
[4] Codice 186.
[5] Dicto loco.
[6] in Ἠοίαις.
[7] Lib. 5.
[8] Libr. 5. verſu 13.
[9] Periegeſeos v. 558. 559.

ne animadverterit Marcianus Heracleota [1] Erythiam habuisse olim incolas προσεσπερίους Αἰθίοπας, *habitantes ad vesperam Æthiopas*, sed excusari facillime hæc omnia, imo inter se salva utrinque veritate conciliari poterunt, si saltem ad ista attendatur verba, quæ paulo post adfert Dionysius [2]:

Μακροβίων υἷες ἀμύμονες, οἱ ποθ' ἵκοντο Γηρύονος μετὰ πότμον ἀγήνορος.

Macrobiorum filii inculpati, qui olim advenerunt Geryonis post mortem superbi. Quid vero obstat, quo minus advenæ Orientalium Macrobiorum, cum circa Erythiam habitaverint, dici possint Occidentales, ut ita, si ad primam respiciamus originem, unde coloniæ ductæ, revera Macrobii fuerint; si vero ad habitaculum, Hesperii? quicquid vero id sit, idem Geryoni habitaculum attribuit Herodotus, [3] qui Γηρύονα οἰκέειν ἔξω τοῦ πόντου, dicit κατοικημένον, τὴν Ἕλληνες λέγουσι Ἐρύθειαν, νῆσον. *Geryonem habitasse in terra extra pontum quam Græci vocarunt Erythiam*: atque huic sententiæ adstipulatores longo hic agmine si afferrem, chartæ temporisque prodigus magnas quidem nugas agere viderer, & nulla tamen ratione afflictis Veterum locis suppetias ferrem.

II. At Fabulæ de Geryone originem si quis quærat, etiamsi nulla mihi vestigia hac in parte apud Antiquos occurrant, ipsam tamen sententiam meam quam lubentissime candidis Lectorum judiciis subjicio. Dictum igitur Geryona a גר יון *Geryon advena Græcorum* probabiliter fortasse dixerim, quoniam advenæ Græcorum in Erythia Geryonis Patria habitarunt; Græci enim dicti יונים, quod prolixe adeo demonstravit Bochartus, [4] ut post messem ejus ne sicilimenta quidem nobis supersint demetenda. Mirari eapropter Scholiasten Aristophanis nondum desii [5] cum dicat πάντας τοὺς Ἕλληνας Ἰάονας οἱ βάρβαροι ἐκάλουν, *omnes Græcos Barbari Jaones appellant*. Hac enim ratione Homerus erit Barbarus, cui [6] Delii *Jaones* audiunt. Quod vero Geryon, Rex nempe Erythiæ triceps dicatur, cave ne secundum literam explicanda velis: en verba Palæphati [7]: Γηρυόνα φασὶν, ὅτι τρικέφαλος ἦν. ἀδύνατον δὲ σῶμα τρεῖς κεφαλὰς ἔχειν. *Geryonem dicunt quod triceps fuerit; impossibile vero corpus tria capita habere*. Notandum vero fuisse triplicem Erythiæ coloniam, & eapropter tres diversos populos in regione, quod materiam huic fabulæ dedisse minime dubito: quod vero inter tres hos populos, *Græcos*, puto, *Æthiopes & Phœnices*, soli Græci Regem ex se denominent non aliunde, quam quod prævaluisse eos dixerim, unde facilius Regem ex se denominarunt. Ne vero id dolerent Phœnices, Regio ipsa illis quidem nomen debuit, dicta enim ab Ἐρύθρα, ab Ἐρύθραιοι, οἱ Φοίνικες γεγάασιν, dicet Periegetes, [8] quæ quidem omnia supra fusius diduximus [9]; Græcos vero incoluisse Erythiam luculentissime probat Herodotus, qui apud Erythiam Ἕλληνας τὸν πόντον οἰκέοντας memorat. [10] Mirum vero hoc, & nodus, nisi nostram medelam adhibeas, indissolubilis fere, quod Arrianus Hecatæi Historici ut valde antiqui ita fide dignissimi sententiam memoret: [11] Herculem scilicet Argivum missum ab Eurystheo adiisse Geryonem, non Erythiæ imperantem, sed continenti Ambraciam inter & Amphilochum; nihil enim his aliud innuit, quam גריון *advenam Græcorum* olim incoluisse ea Græciæ loca; unde deceptus forte Arrianus contra Geographorum fidem Geryonam nunquam Erythiæ imperitasse memorat, cum nihil aliud voluerit Hecatæus, quam Epirotas fuisse antea Erythiæ incolas (quos bene a reliquis Græcis moribus & lingua diversos observat Emmius, [12] & inter Ambraciam Amphilochumque habitasse; etenim vix credibile Hecatæum contra omnium fidem voluisse Geryonem ex Erythia pellere, cum contraria clament Pausanias [13] Herculis gesta ἐν Ἐρυθείᾳ πρὸς Γηρυόνην *in Erythia apud Geryonem* memorans, & Herodotus [14] cui Geryon habitasse dicitur ἐν τῇ γῇ ἣν Ἕλληνες λέγουσιν Ἐρύθειαν, *quam Græci dicunt Erythiam*, & Mela [15]: *Erythia, quam Geryone habitatam accepimus*, una cum Solino, Plinioque, & Strabone [16]: Ἐρύθεια ἐν ᾗ τὰ περὶ τὸν Γηρυόνην, *Erythia in qua de Geryone &c.* Quid? Quod Græcos inhabitasse Erythiam vel ipsæ Antiquorum fabulæ demonstrant? Herculem quippe cum fœmina in Erythia μιχθῆναι, & non quidem Tyrium illum sed Argivum memorat Herodotus [17] quæ non aliud sibi volunt, quam advenas Græcorum nupsisse populo Erythiæ, ibique liberos generasse.

III. Phœnices vero in Erythia habitare ipsum nomen apertissime demonstrat, quod nuper quoque diximus, & confirmat Plinius [18] *Erythia dicta, quoniam Aborigines* (ita enim erudite legit Pintianus, & post eum Salmasius) *orti ab Erythræo mari feruntur*, causa vero, cur condita fuerit, ita a Strabone memoratur: [19] Meminerunt χρησμοῦ τινος, ὅν τινα γένεσθαι φασὶν Τυρίοις κελεύοντα ἐπὶ τὰς Ἡρακλέας στήλας ἀποικίας πέμψαι, *cujusdam oraculi, quod Tyriis factum dicunt, impe-*

[1] In descriptione orbis.
[2] Periegeseos v. 560. 561.
[3] Melpomene c. 8.
[4] Hierozoici c. 1. & Phaleg. passim.
[5] In Acharnane.
[6] Odyss. 8.
[7] περὶ ἀπίστων.
[8] In Periegesi.
[9] Libro 1. c. 3.
[10] Ἀνάβασ: lib. 2.
[11] Melpomene.
[12] Græciæ antiquæ libro 1.
[13] Libr. 1. Eliacorum qui est Græciæ 5.
[14] Melpomenes c. 9.
[15] De situ orbis 111. 6. 16.
[16] Geographiæ lib. 3. p. 163.
[17] Melpomenes c. 9.
[18] Libr. 4. c. 22.
[19] Geographiæ l. 4.

perans mittere coloniam ad columnas Herculis, & hæc quidem dilucide ſatis confirmat Solinus: [1] *quam Tyrii a rubro profecti mari Erythiam appellant*. Hæc igitur ſatis ſuperque demonſtrant ea, quæ volumus, Phœnices ſcilicet incoluiſſe Erythiam, præſertim ſi cum iis conferantur, quæ priori libro diximus. Et ſane ſi res luculentiſſimis modo teſtimoniis probata, majori adhuc luce indigeret, præſto foret Dionyſius Periegetes, cujus verba non indigna crederem, quæ hic inſerantur [2]:

Ἔνθα δὲ Φοινίκων ἀνδρῶν γένος ἐνναίουσιν
Ἁζόμενον μεγάλοιο Δίος γόνον Ἡρακλῆα.

Ibi Phœnicum hominum genus inhabitant venerantes Jovis magni filium Herculem. Ex quibus patet non ſine cauſa dixiſſe Avienum: [3] *Erythia eſt inſula diffuſa Glebam & juris olim Punici*, id eſt Phœnicii.

IV. Iſta ergo apertiſſime evincunt, quæ demonſtranda erant, & ſi quis etiamnum forte dubitaret, omnem ſane ſcrupulum eximere poſſet nomen ipſius inſulæ, non niſi e Phœnicum lingua ortum. Eleganter id prodit Plinius: [4] *vocatur a Timæo & Sileno Aphrodiſias ab indigenis Junonis*; etenim poſtquam ex Strabone probavit Bochartus innumeram fere ovium copiam in Erythia paſci, rectiſſime concludit dictam eam עשתרות *ovium*. Hæc enim cum ita ſint, Pœni facillimo negotio עשתרות in עשתרתא convertere potuerunt, præſertim cum ejuſdem Deæ צלמים עשויים בצרות עשתרות *imagines factæ fuerint ad ſimilitudinem ovium*, dicente R. David Kimki, & per hanc Aſtarten Venerem intendi probat Cicero: [5] *quarta Venus Tyria Tyroque concepta, quæ Aſtarte vocatur*: hæc vero Ἀστάρτη παρ' Ἕλλησιν Ἀφροδίτη λεγομένη *Aſtarte apud Græcos Aphrodite dicta* [6]. Hac igitur ratione inſulam ex multitudine ovium עשתרתא *Aſtarta* dicta, vocabulo eam ſignificationem exprimente, ſibique uſitato expreſſuri Aphrodiſiam dixerunt non aliam equidem ob cauſam, quam quia, dicente Scholiaſte, Euripidis [7] τὴν δὲ Ἀστάρτην Φοίνικες Ἀφροδίτην εἶναι λέγουσιν, *Aſtarten vero Aphroditen Phœnices eſſe dicunt*. Quod vero dicitur eam ab indigenis Junonis appellari, non aliunde quam quia dicente & probante tam Bocharto [8] quam Seldeno [9] Juno Aſtarta quoque vocata fuerit, quæ apprime cum re ipſa quadrant; credebatur quippe Juno ut Phœnicum omnium, ita Erythiæ quoque tutelaris Dea; unde Tertullianus [10] *vellet Juno Punicam urbem, poſthabita Samo, dilectam*, cui concinit Horatius [11]

Juno & Deorum quiſquis amicior Afris:

[1] Polyhiſtoris p. 44.
[2] Verſ. 453. Periegeſeos.
[3] In fabulis.
[4] Hiſtor. natur. lib. 6.
[5] De natura Deorum libro 3.
[6] Svidas in voce Ἀστάρτη.
[7] Ad Phœniſſas.
[8] In Phaleg. paſſim.
[9] De Diis Syris Syntagmate 1.
[10] Ap. c. 25.
[11] ode 1. libro 2.

Junonem vero ſine dubitatione a Pœnis Aſtarten vocatam, ſcribit Auguſtinus, [12] quæ quoque Beliſama dicta, ut loquitur Lapis antiquus ſane & apud Conſeranos in Novempopulonia reperto:

Junoni
Beliſamæ
Q. Valerius
Monum.

Iſtam vero *Beliſamam* unde dictam credis? Non ſane aliunde, quam ex Hebræo Idiomate, cui quoque appellationem *Belthes* debet, Βήλθης ἡ ἥρα dicente Heſychio apprime! ἥρα, *Junonem* denotat, an nihil præterea? Imo & *Dominam*; eſt enim, ab ἥρως, quod non Semideum ſaltem, ſed Dominum etiam denotat, uti jam בעל *Baal*, & juxta morem Chaldaicum eliminato ע, בל Bel Dominum denotat, & originem Belo dedit, ita בעלה, vel בעלת & abjecto ע בלה originem dediſſe videtur Belthes & Beliſamam; ſamam enim, quod additur non eſt, niſi Hebræum שמים, ut adeo Beliſama latine ſit cœlorum Domina, quæ appellatio convenientiſſima Junoni haud immerito dici poterit.

V. Hactenus ergo luculenter demonſtratum fuiſſe Erythiæ Græcos & Phœnices; reſtat igitur, ut vixiſſe ibi Æthiopes, quod ſupra diduximus, paulo quidem fuſius demonſtremus. Attulimus antea luculentiſſimum Dionyſii Periegetæ teſtimonium, cui ſuppetias feret Marcianus Heracleota Προσεσπερίους Αἰθίοπας, inquiens, οἰκιστὰς ἔχειν λέγουσιν αὐτὴν [13] *Occidentales Æthiopes incolas habere eam dicunt*. Male vero ſit Hermolao iſti Barbaro, cujus ſupinitas inſigne Stephani teſtimonium nobis abſtulit, ita enim ille [14] ὁ κατοικῶν τὴν Ἐρύθειαν ὡς Ὅμηρος: Αἰθίοπας τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν. Non video, quid huc faciat iſte Homeri verſus: certus vero ſum Epitomatorem non cepiſſe Poetæ mentem, & eapropter hæc abſurde adeo exſcripſiſſe. Utinam vero aliquis omnem operam navaret, ut extraheretur in lucem, ipſum, quod alicubi ſine dubio, latet Stephani opus! haberet enim Theſaurum, quo impenſe ſibi gratularetur eruditus orbis, qui obſtrictum ſe Gronovio etiamnum fatetur, quod fragmentum de Dodone edere, & eruditis notis illuſtrare voluerit. Quicquid vero ſit, cum lego & relego Homeri verſus, qui ita ſe habent: [15]

Αἰθίοπας τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν,
Οἱ μὲν δυσομένου ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος.

Ætiopes, qui biſariam diviſi ſunt, ultimi hominum, alii quidem ad occidentem ſolem,

[12] Locut. cap. 16.
[13] In Periplo.
[14] In voce Ἐρύθεια.
[15] Odyſſ. α. v. 23. & 24.

ſolem, *alii ad orientem*, videtur mihi innuere voluiſſe, Æthiopes occidentales incoluiſſe Erythiam, quam ſententiam cum fovere mecum Holſtenium video, non poſſum non quin impenſius mihi gratuler.

Quid? quod ipſe quoque Herodotus a parte mea ſtabit, qui Herculem Erythiam ad inveſtigandos boves profectum coiiſſe cum indigena virgine ſcribit? cum vero illa quæreret, quem e tribus filiis apud ſe retineret, tres enim ſe concepiſſe dixit, regerit ille [1] Ε'πεὰν ἀνδρωθέντας ἴδεαι τοὺς παῖδας, τάδε ποιεῦσα, οὐκ ἂν ἁμαρτάνοις. τ̃ μὲν ἂν ὁρᾷς αὐτέων τόδε τὸ τόξον ὧδε διατεινόμενον, καὶ τῷ ζωστῆρι τῷδε καταζωννύμενον τοῦτον μὲν τῆσδε τῆς χώρας οἰκήτορα ποιέει. *Poſteaquam illos in virilem ætatem adoleviſſe videris, ſi ita facies, non delinques, quem animadvertis eorum hunc arcum ita tendentem, & hoc baltheo ita præcinctum, eum tu hujus lòci incolam facias*. Quæ omnia impleta fuiſſe dicit Herodotus, additque inſuper habuiſſe baltheum ἐπ' ἄκρης τῆς συμβολῆς φιάλην, *in ſumma commiſſura phialam*. Videamus igitur, an arcubus aſſueti fuerint Æthiopes, quales Erythiam incolas habuiſſe oportet, ſane ſi plura ad manum teſtimonia non eſſent, ſufficerent expreſſiſſima Sacræ Scripturæ verba [2] פול ולוד משכי קשת *Phul & Lud tendentes arcum* & ולודים תפשי ורכי קשת [3]. Sed longe plura e profanis Auctoribus petita habet Bochartus: loquuntur ea de re Strabo, [4] Eliodorus, [5] Herodotus, [6] Diodorus, [7] Lucianus [8] Claudianus, [9] Cyrillus, [10] Theophraſtus, [11] Scylax, [12] Horatius, [13]: quæ loca hic exſcribere nimis hercle prolixum foret. Fontes ipſos adeat, cui volupe fuerit iſta accuratius cognoſcere; nullum enim hic exſcribemus, niſi Agatarchidem [14] cujus verba ita ſe habent: χρῶνται δὲ ἐπὶ τ̃ κινδύνων τ̃ πολεμικῶν Α'ιθίοπες τοῖς μὲν τόξοις μεγάλοις, *utuntur autem Æthiopes in bellicis periculis magnis arcubus*. Et ſane Solinus, quod vulgo dici ſolet Æthiopes quaternos habere oculos per jaculandi peritiam explicat [15]: *Maritimos Æthiopes quaternos oculos dicunt habere; ſed fides alia eſt: illa denique quod manifeſtiſſime deſtinent jactus ſagittarum*. Suboluit id quoque Plinio [16] *Æthiopes Niſicaſtas, quod ſignificat ternum aut quaternum oculorum viros, non quod ſic ſint, ſed quod ſagittis præcipua contemplatione utantur*. Falleris mi Plini, Miſicaſta, ſic enim legendum credo, non eſt quaternum oculorum Vir, ſed obſervante incomparabili Bocharto משיך קשתא ut iſtic illos Eſaias [17] vocat, & prout fere ab Herodoto Græce dicuntur [18] διατεινόμενοι τόξον, *tendentes arcum*: apud Plinium igitur Æthiopes Miſicaſtæ nihil ſunt, niſi Æthiopes tendentes arcum.

Quæ quidem ita ſe habere, quamvis ſua de Schythis explicat Herodotus, minime dubitamus, cum, quod ſuæ ſententiæ robur exiſtimat, noſtræ nos longe majori jure accommodare poſſimus: ita vero fatur: [19] ἀπὸ δὲ τῆς φιάλης, ἔτι δὲ καὶ ἐς τόδε φιάλας ἐκ τ̃ ζωστήρων φορέειν Σκύθας, *ab illa autem Phiala ad hanc uſque ætatem phialas Schythas in baltheis gerere*. Iſta vero de Schythis apud alios obſervaſſe me non memini; Æthiopes vero in uſu & deliciis inprimis habuiſſe phialas loquitur aperte Scylax Caryandeus: [20] οἱ Α'ιθίοπες χρῶνται κοσμοστίκτοις καὶ ἐκ πώμασι τοῦ ἐλέφαντος φιάλαις, *Æthiopes utuntur pro ornatu poculis variegatis, eburneiſque phialis*. Vicimus igitur Æthiopes occidentales Erythiam, quæ a Phœnicibus condita, incoluiſſe; Phœnices autem origine Hebræos, l. 1. probavimus, unde per conſequentiam fluit occidentales Æthiopes cunabula ſua Hebræis debere, quod erat demonſtrandum.

[1] In Melpomene.
[2] Eſaiæ 66. v. 19.
[3] Jeremiæ 46. v. 9.
[4] Geographiæ libro 17.
[5] in Æthiopicis lib. 9.
[6] Libro 1. c. 17.
[7] Bibliothecæ Hiſtor. l. 3.
[8] de Saltatione.
[9] De nuptiis Honorii & Mariæ l. 5. de conſulatu Honorii
[10] Libr. 2. in Eſaiam.
[11] Hiſtoriæ plantarum lib. 9. c. 16.
[12] Peripli pag. 52.
[13] Carminum lib. 1. Ode 22.
[14] De rubro mari.
[15] Polyhiſtoris c. 6.
[16] Hiſtoriæ naturalis 6. c. 30.
[17] Eſaiæ 66. v. 9.
[18] Melpomenes c. 9.
[19] Melpomenes c. 9.
[20] Peripli p. 52.

CAPUT SEXTUM.

I. Cerne Insula Æthiopica, Scholiastæ palus. Æthiopum domicilium dicente Scylace, Festo, Palæphato, Plinio. Cernes situs. Cerne unde. Fallitur Bochartus, Phœnicum cum Cernæis commercia, dicente Scylace. Gaulus navis Phœnicum, unde dictus.

I.

Sed satis diu in Erythia commorati sumus, libet pedem paulatim promovere, & aliam Æthiopiæ insulam adire, ut scilicet videamus, an sententiæ nostræ congrua quædam in ea invenire possimus: ea vero Cerne esto, circa quam habitasse Æthiopas primo fortasse loco demonstrandum nobis erit. Recurrimus ergo ad familiarem nobis Periegetem, cujus verba ita se habent [1].

Βόσκοντ' ἠπείροιο πανύστατοι Αἰθιοπῆες
Αὐτῷ ἐπ' Ὠκεανῷ τυμάτης παρὰ Τέμπεα Κέρνης

Pascuntur continentis omnium extremi Æthiopes, ipsum ad Oceanum ultima prope Tempe Cernes, cui quidem versui annotare Scholiasten nondum editum: ἡ Κέρνη λίμνη ἐστὶ τῆς Αἰθιοπίας παρὰ τῷ Ὠκεανῷ, *Cerne palus Æthiopiæ ad Oceanum*, memorat Casaubonus, [2] cujus quidem fidei adstipulari hic cogor, quamvis simile quid de Cerne palude scrutanti mihi & quidem cum cura nunquam obvium fuerit; Periegetæ vero Scylax Caryandæus una cum Veteribus consentit: [3] Περὶ τοῦτον τὸν ποταμὸν περιοικοῦσιν Αἰθίοπες ἱεροί, κατὰ δὲ ταῦτα νῆσος ἐστὶ ἡ ὄνομα Κέρνη *Hunc fluvium circum habitant Æthiopes sacri, circa hæc est insula Cerne appellata*. Rufus vero Festus: quos alii circa Cernen collocat, ipsa in Cernen collocat, ipse in Cerne ponit:

Terminus Æthiopum populos alit ultima Cerne.

secutus forte ea in parte Palæphatum, qui Æthiopes ipsa in Cerne collocat: mihi vero perinde erit, utrum in, an extra Cernen collocentur Æthiopes, etiamsi Palæphato potius assentiar; præsertim cum eadem olim statuisse Plinium video, qui ita [4]: *Cerne Æthiopes tantum populos habere proditur*. De Cernes vero situ hic discurrere nostri non est instituti, scire eam si quis aveat, adeundus ipsi Plinius, [5] adeundi Lycophron, [6] Ptolomeus, [7] Polybius, Cornelius Nepos. Suffecerit vero nobis, quod sitam eam in occidentali Æthiopia, habitatam ab Æthiopibus probavimus: Palæphati vero verba, quæ addere supra obliti sumus, hic inserere haud indecorum fortasse fuerit: ὁ δὲ Κερναῖοι κατὰ γένος μὲν εἰσὶν Αἰθίοπες, οἰκοῦσι δὲ νῆσον τὴν Κέρνην. *Cernæi vero secundum genus jam Æthiopes, habitant vero insulam Cernen.*

[1] Periegeseos 318. 319.
[2] Notis in Strabonē p. 47.
[3] Peripli p. 51.
[4] Naturalis historiæ lib. 26. cap. 31.
[5] Libro 6. c. 30.
[6] In Cassandra.
[7] Geographiæ lib. 1

Hæc igitur satis demonstrata arbitramur; postulare vero jam ordo videtur, ut Phœnicum affinitatem & commercia cum Cernæis declaremus, in cujus rei eo evidentius testimonium nomen Cernes origine Hebræum esse, aperte demonstrandum, id quod magno Bocharto dudum suboluit, licet id minus feliciter, quasi אחר נאה, & per aphæresin הר נאה dictum autumet: sed id nimis longe petitum arbitramur, quamvis libenter equidem concedimus, Cernem metam, scilicet quo usque navigari poterat, ab Antiquis habitam, cum dicant id Scylax, Priscianus, Festus, Dionysius. Credimus igitur dictam eam קרנא *cornu*, vel *angulus*, cum a Plinio vocetur [8] *promontorium Hesperion* κέρας, id est cornu quod tradiderat in antecessum Polybius [9]. Sed parata nobis longe plura, quibus Phœnicum cum Cernæis commercia stabilire possumus, Scylacem Caryandæum præcipue in subsidium vocamus, cum verba ejus sententiæ nostræ multum proficua videantur [10]: Οἱ δὲ ἔμποροι εἰσὶ μὲν Φοίνικες, ἐπὰν καὶ ἀφίκωνται εἰς τὴν νῆσον τὴν Κέρνην, τοὺς μὲν γαύλους καθορμίζουσιν ἐν τῇ Κέρνῃ σκηνὰς ποιησάμενοι αὐτοῖς τὸν δὲ φόρτον ἐξελόμενοι αὐτοὶ διακομίζουσιν ἐν μικροῖς πλοίοις εἰς τὴν ἤπειρον. εἰσὶ δὲ οὗτοι Αἰθίοπες, πρὸς οὓς διατίθενται. Πωλοῦσι δὲ πρὸς δέρματα ἐλάφων, καὶ λεόντων, καὶ παρδαλέων, καὶ δέρματα ἐλεφάντων καὶ ὀδόντων καὶ τῶν ἡμερῶν βοσκημάτων. *Institores autem sunt Phœnices, hi cum venerint in insulam Cernen, Gaulos suos eo appellant, & ibi tentoria figunt, onera vero eximentes ipsi minoribus navigiis in continentem portant. Ii autem, cum quibus negotiantur, sunt Æthiopes, vendunt autem pelles cervorum, & leonum, & pardalium, pelles insuper Elephantum, dentesque & cicurum gregum*: quæ quidem luculentius adhuc postea confirmat ipse Scylax [11] εἰσὶ, inquiens δὲ Αἰθίοπες οὗτοι κρεοφάγοι, γαλακτοπόται, οἶνον δὲ ποιοῦσι πολὺν ἀπὸ ἀμπέλων. Τὸν δὲ καὶ αὐτοὶ οἱ Φοίνικες μετάγουσιν, ἐστὶ δὲ αὐτοῖς καὶ πόλις μεγάλη, πρὸς ἣν οἱ Φοίνικες εἰσπλέουσι οἱ ἔμποροι, λέγουσιν δὲ τινὲς τούτους τοὺς Αἰθίοπας παρήκειν συνεχῶς οἰκοῦντας ἐντεῦθεν εἰς Αἴγυπτον, καὶ εἶναι ταύτην θάλατταν συνεχῆ

[8] Historiæ naturalis l. 6. cap. 31.
[9] Vide Plinium libro 5. c. 1.
[10] Peripli pag. 51.
[11] Peripli pag. 52.

νεχῆ. ἀκτὴν δὲ εἶναι τ Λιβύην. *Sunt autem hi Æthiopes carnarii, & lac potant, vinum autem e vineis multum conficiunt, hoc præterea ab ipsis Phœnicibus eo defertur, habent & civitatem magnam, ad quam Phœnicum mercatores navigant. Inquiunt nonnulli istos Æthiopes continenter habitantes pertingere inde ad Ægyptum, & id mare esse contiguum; Libyam vero peninsulam.* Et sane si nihil aliud huic demonstrando, par esset, vel in unico verbo *gaulus* magna argumentorum pondera quæreres; etenim teste Hisychio [1] γαῦλοι sunt Φοινικικὰ πλοῖα *Phœniciæ naves*, quæ quoque affirmat Epicharmus apud Athenæum in nuptiis Hebes [2] γαύλοις ἐν Φοινικικοῖς una cum Callimacho [3]

[1] in voce γαῦλος.

[2] in Deipnosophistis libro 7.

Κύπροθε Σιδόνιός με καθή γαγεν ἔθα δὲ γαῦλος

E Cypro me Gaulus eo Sidonius egit, cui consentit quoque Aristophanes [4]: Γαῦλον κτῶμαι καὶ ναυκληρῶ, *navem possideo & guberno*: ad quæ Scholiastes [5] Γαῦλος Φοινικικὸν σκάφος, & hæc si vel maxime abfuissent, evinceret tamen omnia Phœnicia Gauli origo; etenim animadvertit illustris Bochartus [6] derivari eum a radice גלל unde גול *vas concavum & rotundum*, quæomnia in rem ipsam apprime quadrant, cum Gaulus dicente Festo [7] *genus navigii pene rotundum*. Sed hæc omnia ὡς ἐν παρόδῳ: absit enim ut fidem denegaremus Scylaci Auctori antiquissimo ipso sane Herodoto longe antiquiori [8].

[3] in Hymnis.

[4] in avibus.

[5] Canaan l. 2. p. 638,

[6] in voce Gaulus.

[7] Vide Herodotum Melpomenes c. 44.

[8] Metamorphos. l. 4. v. 669.

CAPUT SEPTIMUM.

I. ÆThiopes & Chaldæi ab Antiquis confusi. Cephenes Æthiopes juxta Ovidium, Stephanum, Strabonem, Nicandrum, Catullum, Agatharchidem. II. Cephenes Chaldæi, dicente Stephano, probante Salmasio, Holstenius notatus. III. Æthiopum lingua dicta Chaldæa, Ludolfi sententia contraria.

I

AT jam in eo majorem demonstrationis meæ certitudinem confusos olim cum Æthiopibus Chaldæos demonstrabo, vel saltem per hypotheses non adeo facili negotio evellendas eliciam. Æthiopes olim Cephenes dictos quotus quisque est, qui ignorat? & Æthiopiam Cepheiam? unde Ovidius: [9]

Æthiopum populos Cepheia conspicit arva.

& alibi [10]:

Cepheni Proceres ineunt convivia Regis

Dumque ea Cephenum medio &c. [11]

Hoc, inquam, Æthiopum cognomen, id quod apertissime insuper demonstrat Stephanus περὶ πόλεων [12] ἀφ' ὧ Κηφῆνες οἱ Αἰθίοπες *ab eo Cephenes Æthiopes*: utque certissime demum constare hæc possint, attendendum ad auctoris gravissimi Strabonis verba, quæ ita se habent: [13] ἡ δὲ Περσέα ἐνταῦθα μόνον, *at arbor Persica ibi solum & apud Æthiopes*: Nicander vero, quod ad intelligenda Strabonis verba omnino observandum, ita canit: [14]

Σκληρὸ ἀπὸ Περσέιης κάρυα βλάβος οἷον ἐρύξει

Περσεὺς ἣν τᾶς ποσσὶ λιπὼν Κηφηΐδα γαῖαν

Ῥεῖα Μυκηναίεσιν ἐνιξεσεν ἀρύσταις

Κηφῆος νέα δῶρα.

Alia igitur ratione hæc inter se constare non possunt, si sua Nicandri verbis habebitur fides quam regnum Cephoicum esse Æthiopicum, cum dicente Strabone Persica arbor in sola Ægypto & Æthiopia nascatur, Nicandro vero probante ex regno Cepheno in Græciam advecta sit: quapropter si recte quidem ista examinentur, non video qui locus ille refragantibus Criticis aliter explicari queat, præsertim cum iis, quæ hactenus dicta, promptissime assurgat Catullus [15]

Cepheam hic Meroen fuscaque regna canat

Cui nulla ex parte contradicit Agatharchides [16] ἐκαλεῖτο δὲ τότε Κηφηνία, *vocabatur vero tunc Cephenia.*

II. Hæc igitur de Æthiopibus satis quidem constare crederem; probandum vero mihi jam incumbit, appellationem istam longe equidem majori jure deberi Chaldæis, unde necessaria quadam sequela fluere mihi videtur, veteres Chaldæos & Æthiopes pro uno fere populo habuisse, cum idem iis nomen tribuerint, & eumdem utrobique Regem regnasse voluerint. Age vero, ne difficilem omnino rem in me suscepisse videar, præsto erit ille ipse Stephanus, qui Æthiopibus nuper Cephenum nomen tribuit, cujus verba ita sonant: [17] Χαλδαῖοι οἱ πρότερον Κηφῆνες, ἀπὸ Κεφέως τῶ Πατρὸς Ἀνδρομέδας *Chaldæi, qui prius Cephenes a Cepheo Andromedæ Patre*, ex quibus luce meridiana clarius liquet Cephenum nomen vel ipso Chaldæorum nomine antiquius a Stephano habitum. Utinam vero superessent saltem Hellanici ac Dicæarchi egregii ea de-

[9] Metamorphos. l. 4. v. 669.

[10] Metamorph. l. 4. v. 763.

[11] Metamorph. l. 5. v. 1.

[12] in voce Ἰόπη.

[13] Geograph. l. 17. p. 823.

[14] in Theriacis.

[15] libro 4. Elegia 6.

[16] in Periplo maris rubr.

[17] in voce Χαλδαῖοι.

de re commentarii, ex quibus abſque omni dubio plurima in rem noſtram liceret excerpere, vel ipſe ſaltem Stephanus relictus fuiſſet integer, qui in voce Κηφῆνες plurima ſe eam in rem docuiſſe ipſe fatetur; hunc vero theſaurum cum nobis abſtulerit, ejuſque loco Hermolai Barbari carbones obtulerit temporum injuria, contenti illis erimus, quæ apud alios forte auctores eam in rem inveniuntur: ita vero ipſe Stephanus [1]: Ἀφ᾽ οὗ οἱ Κηφῆνες καὶ Χαλδαῖοι πρότερον ἐκλήθησαν ὡς εἴρηται περὶ Κηφηνίας *a quo Cepheni & Chaldæi prius vocati, ut in Cephenia dictum*, & paulo poſtea [2] οὐκέτι ἡ χώρη Κηφηνίη καλεῖται οὐδ᾽ ἄνθρωποι ἐνοικοῦντες Κηφῆνες, ἀλλὰ Χαλδαῖοι, *non jam locus Cephenia vocatur, neque homines Cephenes, ſed Chaldæi*. Quibus quidem penſitatis rectiſſime ait Salmaſius: [3] *eo nomine Chaldæam vocatam conſtat fere inter omnes, & eorum opinionem confirmat, quod Cepheum Phœniciæ fuiſſe Regem autumant; nam Chaldæi Syriæ vicini; unde Sophocles*: Κόλχος τε, Χαλδαῖός τε, καὶ Σύρων ἔθνος. Quæ cum ita ſe habeant, operoſius in auctorum loca ea de re inquirere neceſſarium non duxerim; quamvis enim Perſis id nominis dederit Herodotus, eam tamen ob cauſam, nihil ſententiæ meæ detrahi poſſe arbitror, maximo tamen opere miror, unde tantum ſibi tribuere potuit Lucas Holſtenius, ut reclamante Codicum fide pro Χαλδαῖοι ſcribere Πέρσαι voluerit [4].

[1] in voce Χαλδαῖοι.

[2] ibidem.

[3] Exercitationum Plinianarum p. 510 E.

[4] in Notis ad Stephanum pag. 352.

III. Sed dicat jam aliquis: quoniam Cephenum nomen ab Antiquis mutatum memorat Stephanus, an nulla apud Æthiopes ejus quidem rei veſtigia inveniantur, & num forte Chaldæum nomen apud rerum harum ſcriptores non adeo ſit obvium? Fateor arbitratum me antea inventum iri apud Æthiopes Chaldæum nomen, præſertim cum Potkenius dixerit [5] *Æthiopes in ſacris ſuis Chaldaicis literis uti*, & alibi [6] *Literas ſuas Chaldæas eſſe ſentiunt, quodque Abraham & Heber lingua hac uſi ſint, conſtantia quadam - - - affirmant* unde quoque Thurneiſſerus in מליצה [7] Chaldaicam & Abyſſinam linguam quaſi unam eamdemque ponit. Sed cum animadverti illa ab eruditiſſimo Ludolfo in dubium vocari, ſubſtiti aliquantum, etiamſi omnem penitus dubitationem nondum mihi ſublatam ingenue fatear. Nunquam equidem credidi linguam Æthiopicam, quæ variis ſane ductibus pro varia ætate a ſe ipſa diſſidet, & de cujus literis non immerito Servulus Plautinus quærere poſſit [8]:

An obſecro hercle habent etiam gallinæ manus? nam has quidem gallina ſcripſit.

eſſe veras illas antiquas Chaldaicas; ita vero eam ſaltem dictavi putare ad ſignificandam tam ſuam, quam populi originem, non aliam quidem ob cauſam, quam quia ipſi Æthiopes Cephenes, id eſt, ut nuper demonſtratum, Chaldæi dicti, quam quidem ſuſpicionem animo meo non ita facile evelli patior; præſertim cum nominis hujus, ut frequenter in Æthiopia ab ipſis indigenis uſurpati mentionem facere Patres Societatis Jeſu video, id quod mirari quidem poteſt, at non negare excellentiſſimus, & meis præconiis major Ludolfus [9], quæ & ſimilia in epiſtola Gonzali Rodrigueſii [10] apud Godianum [11] & relationibus præterea annuis ubique obvia; & iſti quidem non ſola Potkenii auctoritate nixi ipſos quotidie Æthiopes conſulere potuiſſe arbitror. Manet igitur hæc ſententia mea: Æthiopicam linguam dictam quidem olim Chaldæam, ut originis ſuæ documentum nomine circumferret. Atque ita tam Chaldæi, quam Cepheni nominis veſtigia hactenus apud Æthiopes dedimus.

[5] in Præfatione ad pſalterium æthiopicum.

[6] ibidem.

[7] Parte 2. 167.

[8] Pſeudoli act. 1. ſc.

[9] Commentarii L. I. N. 104. 3.

[10] anno 1556.

[11] p. 319. fide Ludolfi.

CAPUT OCTAVUM.

I. CYPRUS antiquiſſimam ſe jactat. Æthiopes Cyprii, Cyprii Phœnices, Cinyras unde? Amathus unde? Malica unde? Cypri civitas Phœnicia juxta Laertium, Svidam. Citium unde? Mathgen, Pygmalion quid, & unde?

I.

VELA pandere, anchoram ſolvere lubet, & nauſeam, quam ex diuturna in Æthiopicis mora contraximus, novo in Græciam itinere mitigare. Libet vero in antiquiſſimam totius fere Græciæ inſulam proficiſci, & ſedulo inquirere, annon Æthiopes, annon forte Phœnices in ea dentur, ut liqueat ſaltem eſſe inter eos arctum quoddam cognationis vinculum, & ubicunque adſunt Phœnices, dari quoque ſæpius Æthiopes? In Cyprum ergo proficiſci cogito. Quæris forte, num antiquitatem Cyprus jactitat? Imo vero, Ἀμαθοῦς πόλις Κύπρου ἀρχαιοτάτη, *Amatus civitas Cypri antiquiſſima*, inquit Stephanus [12] & Scylax Caryandenus [13] Ἀμαθοῦς αὐτόχθονες εἰσίν. Unde liquet jactaſſe ſe Authocthones

[12] in voce Ἀμαθοῦς.

[13] in Periplo.

nes

nes Cyprios: fuisse vero Cypri Æthiopes testabitur omni exceptione major & dignissimus fide Herodotus [1] Κύπριοι - - τοσῶν δὲ τοσάδε ἔθνη εἰσὶ οἱ μὲν ἀπὸ Σαλαμῖνος, καὶ Ἀθηνέων, οἱ δ' ἀπ' Ἀρκαδίης, οἱ δ' ἀπὸ Φοινίκης, οἱ δ' ἀπὸ Αἰθιοπίης ὡς αὐτοὶ Κύπριοι λέγουσι. *Horum vero hæ sunt Gentes, aliqui a Salamine & Athenis, alii ab Arcadia, alii a Cythno, alii ab Æthiopia, ut ipsi Cyprii dicunt.* Bene hercle se res habet, degere in Cypro Æthiopes certissimum, cum fidem Herodoto denegare nulla omnino ratione audeamus. Videndum vero præterea an forte Phœnices quoque in Cypro reperiantur: sane dicente Theopompo [2] si fides Photio [3] Phœnicum reliquiæ ipsissimi erunt Amathusii, qui se Authochthones nuperrime jactitarunt, unde sane aperte dicit ἀπελάσαντες τοὺς μετὰ Κινύρου, ὧν ὑπολιπεῖς Ἀμαθούσιοι, *ejicientes eos qui cum Cinyra erant quorum reliquiæ Amathusii*: etenim per eos, qui cum Cinyra erant, intelliguntur non nisi Phœnices, unde ipsum Cinyræ nomen Phœniciæ originem debet, dictus quippe a כנור *Cithara*. Neve putes gratis hæc dicta, cum nulla omnino Regem inter & Citharam convenientia intercedat; prodeat Svidas, cum ejus hic præcipue causa non mea agatur, [4] qui Cinyram ut Musices artificem cum Apolline certantem & eapropter occisum inducit, additque insuper διὸ καὶ Κινύρας ἐκλήθη παρωνύμως τῇ Κινύρᾳ, *eapropter & Cynyras vocatus nomine ad Citharam alludente*. Nec adeo peccaverim, si ipsum nomen Amathus ab חמת Amath filio Cham ortum dixerim, quo respexisse Jonathan creditur, cum pro Sineis [5] habet אנתוסאי: hi vero Hesiodo Μάλικα τὸν Ἡρακλέα colere dicuntur, id est Herculem Regem; nam Μάλικα non est nisi מלכא *Rex*. Quicquid vero id sit, plurimas e suis civitates a Phœnicibus conditas ipsi fatentur Cyprii. Sane quod Zeno Κιτιεὺς dicatur, memorat Laertius, [6] unde vero? Ἀπὸ Κυπρίου πολίσματος Ἑλληνικοῦ Φοίνικας ἐποίκους ἐσχηκότος, *ex Cypria urbe Græca Phœnices incolas habente*: imo teste Svida [7] Φοίνιξ ille ipse Philosophus dictus, ὅτι Φοίνικες ἔποικοι τοῦ πολιχνίου ἐγένοντο, *quia Phœnices oppidum id condiderant*; unde Cicero: [8] *scio enim Citiæos Clientes tuos a Phœnicia profectos*, nec injuria equidem hæc a viris illis de Republica Literaria nimium quantum meritis afferuntur, cum ipsum exinde Citium nomen Phœniciæ debeat, neve temeritatis me nonnemo incuset, quod hæc proferre audeam: en testimonium Flavii: [9] καὶ τὰ πλεῖστα τῶν παρὰ θάλασσαν Χετὶμ ὑπὸ Ἑβραίων ὀνομάζεται, μάρτυς δὲ μοι τοῦ λόγου, μία τῶν ἐν Κύπρῳ πόλεων ἰσχύσασα τὴν προσηγορίαν φυλάξαι. Κίτιον γὰρ ὑπὸ τῶν ἐξελληνισάντων αὐτὴν καλεῖται. *Maritima loca plurima Hebræis Chetim dicuntur. Ejus vero, quod dico, testis una urbium in Cypro, quæ servare nomen potuit. Citium enim vocatur ab his, qui eam in linguam Græcam transtulerunt.* Rectissime Josephus respicit ad Hebræum nomen כתים, cui ea quidem in parte consentit Hieronymus: [10] *Chetim*, inquiens, *sunt Citii, a quibus hodie quoque Cypri urbs Citium nominatur*. Videri plura de ista urbe poterunt apud Constantinum Porphyrogennetam [11] Theodoretum, [12] Cyrillum Alexandrinum, [13] Plinium, [14] Alexandrinum Ephesium, [15] Antigonum Carystium, [16] Diodorum Siculum, [17] Thucydidem, [18] Epiphanium, [19] Cornelium Nepotem [20]. Quid? Quod si ipsa Cypriorum sacra examinare animus foret, multa se offerrent, quæ Phœniciæ sua se debere incunabula haud obscure proderent? Observavit id dudum in Mathgen & Pygmaleon Bochartus: ille quoad nomen Hebræus est, & quidem מתנאן *Vir celebris*, hic id quod Græce dici solet παντόθεος Hebraice פונמליון *Pygmelion*. Sed cum non tam de Phœnicibus hic, quam Æthiopibus agere constituimus sufficere posse, quæ dicta hactenus credimus, nec adeo in vastum pelagus excurrere cogitamus, ut antiquitates Cypriæ ulterius hic a nobis examinentur.

[1] Polyhymniæ capite 90.
[2] Historiar. l. 12.
[3] Codice 167.
[4] in voce Κινύρας.
[5] in locum Genes. 10. v. 17.
[6] lib. 7. in vita Zenonis.
[7] de Zenone.
[8] libro 4. de Finibus.
[9] Antiqu. Jud. libro 1. c. 7.
[10] in Tradit. Hebr. in Genesin
[11] libro 1. c. 15.
[12] in Ezechielem Sectione II.
[13] in Esaiam libro 2. c. 23.
[14] l. 31. c. 7.
[15] vide Stephanum in Λάπηθος.
[16] Histor. mirabil. c. 173.
[17] lib. 20.
[18] libr. 1.
[19] Hæref. 30. sect. 25. tom. 2.
[20] in vita Cononis.



CA-

CAPUT NONUM.

CRETENSES Æthiopes, I. Hammon in Cretam fugit, isque Æthiops. Libyes Æthiopes. Hammoni opitulantur Bacchus & Titanes. Titanes Cretenses unde? Minos non Jupiter Ganymedem rapuit juxta Echemenen. II. Cretenses jaculis utuntur juxta Manilium, Claudianum, Aristophanem, Apollonidem, Pausaniam, &c. Mercones, Tharbe, quid & unde? III. Æthiopes Cretenses dicente Polemone. Indi & Cretenses affines. Asterusia unde? Tarra unde? Tarrus quid? Thelchis. IV. Cadmus Gortynius, Europa in Cretam vecta, Europa ex Phœnicia, unde sic dicta? Europa quare bove avecta dicitur? Quid Hellotia? Phœnix Phœnicus Erythea in Creta. V. Edomeos in Creta docet Tudelensis.

AT nondum Græciæ vale dicere libet, cujus deliciæ plusquam delicatæ adeo nos occuparunt, ut Cretam adire constituerim plurima me ibi proposito meo proficua inventurum certissimus: demonstandum eapropter primo Cretenses maximam partem esse Æthiopes, etiamsi ab Antiquis Phænices non solum habiti fuerint, sed etiam revera sint. Age igitur si plurima Cretensium instituta percurramus, magnam ea inter moresque Æthiopum convenientiam illico deprehendemus, id quod primo loco a nobis erat demonstrandum, postea vero Cretenses non esse nisi Phœnices adeo dilucide dabimus, ut tanta in luce ne talpa quidem cœcutire poterit.

I. Jupiter solus Ægyptiorum & Æthiopum Deus (cornutum enim puto Hammonem) fugisse in Cretam quando dicitur, non sane aliunde, quam quod Cretam occupaverint Æthiopes, & sua paulatim sacra introduxerint. Dictis meis fides ut habeatur, aderit apud Diodorum Siculum [1] Thymætes: φησὶ ὁ Θυμοίτες Ἄμμονα βασιλεύοντα μέρους τῆς Λιβύης - - σιτοδεία πιεζόμενον φυγεῖν εἰς Κρήτην καὶ γήμαντα τῶν τότε βασιλευόντων ἑνὸς θυγατέρα: *Dicit Thymætes Hammonem imperantem partibus Libyæ frumenti penuria adactum fugisse in Cretam, & duxisse filiam unius eorum, qui tunc regnabant.* Ex quibus omnibus liquet aufugisse in Cretam Hammonem, Æpyptiumne, an Æthiopem? τὸν βασιλεύοντα τοῦ μέρους τῆς Λιβύης, id est, nisi valde fallor, Æthiopiæ, etenim poni interdum Libyam pro tota Africa, in qua Æthiopes, certissimum, & observatum dudum a Doctis dici eam a colore, quod Libys apud Antiquos nigrum significaverit, notumque satis Æthiopes omnium esse nigerrimos, licet a colore nomen non sortitos. Assurgere sententiæ meæ omnino videtur Polemon, in cujus proinde verbis acquiescam: ita ergo ille [2] οἱ μὲν Λίβυες Αἰθίοψιν ὅμοιοι. Imperitavit ergo Æthiopiæ iste Hammon, qui in Cretam aufugit: gesta ejus Æthiopica non ita multo post commemorat Diodorus: [3] Τὸν Διόνυσον, inquiens, τὴν κατάβασιν ἐκ τῆς Ἰνδικῆς ἐπὶ τὴν θάλατταν ταχεῖαν ποιησάμενον λαβεῖν ἅπαντας τοὺς Τιτᾶνας, ἠθροικότας δυνάμεις καὶ διαβεβηκότας εἰς Κρήτην ἐπ᾽ Ἄμμωνα - - ἐπικρατῆσαι τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον καὶ πάντας ἀνελεῖν τοὺς Τιτᾶνας. *Bacchum porro ajunt ocyus ex India ad mare descendisse, ibique comperisse Titanas viribus collectis contra Hammonem in Creta transgressos esse, cumque Jupiter ex Ægypto etiam suppetias Hammoni ferret, Bacchum, & qui ejus partes sequebantur, mox superiores factos, funditus Titanas omnes sustulisse.* Ex quibus primo colligimus Titanes esse Cretenses, id quod ex variis quoque auctorum locis clarius patescit. Titanes vero Hebrææ linguæ originem debent a טיט *lutum*, ita dicti, ut ita, quando Cretenses Titanes appellas, non nisi πηλογόνους, vel ut notiori vocabulo utar, Athocthones dicas, quales se in scriptis ubique suis jactitant. Deinde Æthiopicam superstitionem apud Cretenses invaluisse; nam Bacchus quoque Æthiopum Deus, id quod postea docebimus, qui cum Jove Ægyptio Hammoni, vel Æthiopico Jovi tum degenti in Creta suppetias tulisse dicitur: unde nonnulli primum Jovem reliquorum omnium Parentem natum in Creta memorant, ut Georgius Phranzes, [4] Florus, [5] Festus, Avienus, [6] Dionysius Periegetes, [7] Hinc alii Minoem Cretæ Regem cum Jove confundunt, illumque non hunc Ganymedem rapuisse memorant, ut Echemenes [8] apud Athenæum, [9] qui οὐ τὸν Δία φησὶν ἁρπάσαι τὸν Γανυμήδην, ἀλλὰ Μίνωα *non Jovem rapuisse Ganymedem dicit, sed Minoem.* Hæc vero satis per se luculenta jam arbitror & eo quidem usque, ut majori demonstratione non egeant.

II. Verum enim vero si tempus & instituti ratio id nobis permitteret, varia forent, quæ Cretensium instituta Æthiopicis plane similia demonstrarent: vidimus antea, quam periti in sagittandi arte fuerint Æthiopes; huic vero ipsi quanta cura, quantisque viribus incubuerint Cretenses, nullus fere est Auctor,

qui

[1] Bibliothecæ Historicæ libro 3.

[2] Phrysiognomici libro 1. c. 3.

[3] eodem libro

[4] Chronicorum libro 1. c. 35.

[5] Libro 3. c. 7.

[6] in fabulis.

[7] de situ orbis

[8] in Creticis

[9] Deipnosophistæ libro 13.

qui non apertissime loquatur, unde Manilius [1]

- - Celeres huic Creta sagittas

& Claudianus [2]

- vel cum gortynia tendis - -

Spicula,

quibus consentit Aristophanes [3] Ἀλλ' ὦ Κρῆτες Ἴδης τέκνα τὰ τόξα λαβόντες. ἐπαμύνατε, *sed Cretenses Idæ filii sumptis jaculis defendite*, quibus superaddere possumus Apollonidem [4]:

Μηκέτ' ἐφ' ὑμετέραις ἀψεύδεσι Κρῆτες ὀϊστοῖς Αὐχεῖν

Ne amplius in vestris infallibilibus telis Cretenses gloriemini, nisi omnia ista longe supergrederetur Pausanias, [5] qui satis quidem constare dicit Ἕλλησιν ὅτι μὴ, Κρησὶν δὲ ἐπιχώριον ὂν τοξεύειν. *Græcis quod non, Cretensibus vero in usu fuerit sagittare*, cum quibus conferri vellem Ovidium [6] Plutarchum [7] Lucanum [8] Livium [9] Thucydidem [10] Theophrastum [11] Plinium [12] Statium [13] Diodorum [14] Platonem; [15] ex quibus & præsertim Pausaniæ verbis liquet Cretenses ea a Græcis non didicisse, cum illis jam jaculandi artem in usu fuisse omnino neget, & videtur fere Cretenses ea in parte diversos a Græcis facere, cum dicit Ἕλληνες οὐκ, Κρῆτες δὲ, *non Græci, sed Cretenses*, non aliam forte ob causam, quam quia Cretenses jaculatores Græcos non esse, sed Æthiopes noverat. Age vero, ne dixisse id frustra omnino videamur, ipsa nobis Creta adeunda, & inquirendum sedulo, quinam omnes inter Cretenses palmam ea sibi in arte vendicarit? Confestim vero exsurget Themistius, dicetque: ὅστις δὲ ἐπὶ τοξικῇ ἐλλόγιμος εἶναι ἐρωτᾷ ἔχει, οὗτος ἐν ἄλλῳ τῷ διατρίβει μᾶλλον ἢ ἐν τῷ μελετᾶν συνεχῶς, ἐντόνως τε ἅμα καὶ ἐπισκόπως πέμπειν τοὺς οἰστοὺς, καὶ τρίβονται αὐτοῦ αἱ χεῖρες περὶ τὴν νευρὰν καὶ τὰς γλυφίδας, καὶ τοσαύτο αὐτοῦ ἡ μελέτη καὶ ἐπιστήμη, ὅση καὶ ἡ τοῦ Κρητὸς Μηριόνου. *Qui sagittandi dexteritate excellere velit, num alia in re operam potius suam ac studium collocat, quam ut assidue discat valide simul & ad scopum sagittas dirigere? ac teruntur ejus manus circa nervum & crenas, tantumque ejus studium est, & tanta peritia, quanta erat Merionis Cretensis*. Quis iste Meriones Cretensis, nominatus simul Quinto Smyrnæo Μηριόνης τε? Ignoscite mihi, si levem in hoc nomine mutationem factam contenderim, & pro Meriones scripserim Meroines, qui fortasse idem erit, ac Meroites, quis vero ille? dicet Stephanus [16]: *Æthiops e Meroe totius Æthiopiæ Metropoli*. Et sane vestigia Æthiopum Creticis in Urbibus fortasse invenienda erunt, unde enim Tharbe, quem in australi Æthiopiæ parte ponit Ptolomæus [17] nisi a

[1] libro 4.
[2] in 4. consulatu Honorii
[3] in Ranis
[4] Anthologiæ libro 1. c. 22.
[5] in Atticis
[6] Metamorphoseon l. 7.
[7] in vita Pyrrhi
[8] de Bello Pharsalico libro 6.
[9] Libro 37. & 38.
[10] Historiæ libr. 6.
[11] Historiæ Plantarum libro 4. c. 12.
[12] Historiæ naturalis lib. 16. c. 36.
[13] Thebaidos libr. 3.
[14] libro 5.
[15] de legibus libro primo.
[16] in voce Meroe.
[17] in Geographia.

תרבי *Tharbe* Regina Æthiopum, de qua fortasse postea nobis nonnihil dicendum?

III. Ista vero omnia hanc mihi sententiam extorquere non potuerunt, nec adeo his rationibus valde licet prægnantibus moveri me passus sum, rem vero confecit illustre Polemonis testimonium, quod tam clarum est, ut majori luce fulgere nihil fere possit: ipsa vero verba, quæ audiri sane merentur, ita se habent [18] Αἰθίοψιν ὅμοιοι, οἱ δ' εἰσὶ Κρῆτες Λίβυες *Æthiopibus similes, illi vero sunt Cretenses*, quæ quidem tanta luce radiant, ut manifestum plane sit dedisse Polemonem victas veritati manus, & concessisse Æthiopes esse Cretenses; quamvis enim ita id dicat, veritati tamen ipsi repugnare non licet, quæ Æthiopes Cretensibus antiquiores clamat, clara hæc adeo arbitror ut plura afferre non opus fuerit. Cum vero Indos & Æthiopes ab Antiquis confusos accepimus, haud abs re fore credimus, si adducamus hic quæ de Cretensium & Indorum affinitate apud Veteres forte offendimus. Pulchre eam in rem Stephanus [19] Ἀστερουσία ὄρος Κρήτης, πρὸς νότιον μέρος ἀποβλέπον εἰς θάλασσαν, ἀφ' οὗ καὶ πόλις ἐπὶ τὸν Καύκασον Ἰνδικὴ Ἀστερουσία κέκληται, Κρητῶν ἀποικίας ἐκεῖσε σταλείσης. *Asterusia mons Cretæ ad meridionalem partem mare spectans, unde & urbs Indica ad Caucasum sita, Asterusia appellata est, missa eo Cretensium colonia*. Convertenda hæc simpliciter arbitror; nam quod de colonia Indorum in Cretam missa id est *Æthiopum* Veteres acceperunt, illi diversissimo quidem modo explicatum Cretensibus attribuerunt: quod vero loco Ἰνδικὴ Σινδικὴ legi hic jubet Wossius, [20] admittere nulla ratione possumus, præsertim cum adversari huic lectioni Eustathium videam, cujus verba ita se habent: [21] ἔστι δὲ Ἀστερουσία Κρήτης, φασὶν ὄρος, καὶ πόλις δὲ περὶ τὸν Καύκασον. *Est & Asterusia, Cretæ dicunt mons, & civitas ad Indicum Caucasum*. Quicquid vero id sit, ipsum Asterusiæ nomen origine absque dubio Hebræum, dictum quippe ita a caprarum oviumque grege Cretæ culto, ut adeo idem sit, ac grex Divinus עשתארות יה *Astarotia oves*, id est grex Dei: neque hoc nomen aliquis miretur, cum Jovem a grege caprarum in Cretam enutritum fabulentur, & eapropter Divino hæc animalia cultu Veteres prosecuti fuerint, unde nihil novi, si exinde denominationem urbes traxerint. Nec sane eam mihi sententiam eximi patiar, præsertim cum decantata Amalthea suum Palæstinæ nomen omnino debeat. Quid enim Amalthea nisi חמלתיה *Hamalthia, capra, vel potius agna, Dea, vel Deus?* Licet

[18] Physiognomici l. 1. cap. 3.
[19] in voce Ἀστερουσία.
[20] in notis ad Scylacem Cariandenum pag. 13.
[21] Iliados β. pag. 332.

enim prioris vocis חמלת apud Hebræos nulla dentur veſtigia, conſervarunt tamen eam Arabes, apud quos multa ſuperſunt, quæ in Hebræorum ſcriptis fruſtra quæras, quod vero יה per Deam vertunt, ne mireris, cum terminatione decepti & Venerem Θεὸν dixerint. Supereſt alia adhuc civitas apud Stephanum, quæ Æthiopum ſe colonos alere fatetur, eſt καὶ ἄλλη πόλις Τάῤῥα παρὰ τ̀ Καύκασον Κρητῶν ἄποικος. *Et alia Urbs Tarra apud Caucaſum Cretenſium colonia* [1]. Hanc vero urbem Palæſtinæ nomen ſuum debere non dubitandum, cum טר, aut טאר *Tar* avem ſignificet tam apud Arabes, quam Chaldæos, & Salluſtius dicat: *& aves ſacras vocavere Tarros*, unde nomen ſuum hanc civitatem ſortita. Sed vereor ne juſto prolixior ſim, unicum tamen, quod apud Stephanum obſervavi, prætermittere nulla ratione poſſum, cum eo non aliter ac tibicine convolvulus ſententia mea ſuffulciatur [2] Τελχὶς πόλις Αἰθιοπιὰς πρὸς τῇ Λιβύῃ. τὸ ἐθνικὸν, τῷ μὲν ἔθει τῆς χώρας Τελχίτης, τῷ δὲ κοινῷ χαρακτῆρι Τελχίνιος ἀπὸ τῆς γενικῆς. Ἐπειδὴ καὶ ἡ Κρήτη Τελχινία ἐλέγετο, καὶ οἱ Κρῆτες Τελχῖνες. *Telchis urbs Æthiopiæ prope Libyam. Gentile, regionis quidem conſuetudine Thelchites, communi autem charactere Thelchinius a genitivo, ſiquidem Creta etiam Telchinia dicebatur & Cretenſes Telchines*. Ex his liquet Cretenſes Telchines dictos, quod eorum nomen tanquam τὸ ἐθνικὸν *Gentile* civitatis Æthiopicæ Telchis ponit Stephanus, non aliam certe ob cauſam, quam quia ortos ex Æthiopia Cretenſes ſagax ſciptor obſervaverat;

IV. Hæc igitur tam clara arbitror, ut ulterius eis immorari opus mihi non fuerit, reſtat ſolum ut Cretenſes origine Phœnices eſſe demonſtrem, atque ita pateſiat Æthiopes & Phœnices, ut plurimis aliis in locis, ita hic quoque coaluiſſe, nec majorem fere hos inter populos dari affinitatem poſſe. Quamvis vero id ſuperiori libro luculenter adeo probavimus, ut ne unicum quidem verbum addere opus fuiſſet, libet tamen prodere hypotheſi noſtræ ulterius poſicua: legi vero & conferri omnino debent, quæ iſtic diximus, ſi mentem noſtram percipere velis: Minoem & Rhadamanthum non eſſe, niſi Moſen iſtic diximus, quis ſit Cadmus iſtic indicavimus, *Quem Europæ fratrem Gortynii colunt*, dicente Solino [3]; quamvis enim loco Cadmi Atymnum legit Salmaſius [4] admmittere tamen id, cum reclamet hiſtoriarum fides, non audemus, præſertim cum talem Cadmi fratrem nemo Antiquorum memoraverit; Atymni vero Jovis fratris meminiſſe Apollodorum [5] non ignoremus. Quicquid vero id ſit, notum ſatis quod de raptu Europæ tradiderunt fabulæ, quæ cum tot ſint & tam prolixæ, adducere eas & explicare hic nolumus, ſolius vero Hygini verba afferemus: [6] *Europam hanc Jupiter in taurum converſus a Sidone Cretam tranſportavit*. Phœnicis & Cadmi ſoror dicitur Europa. Quis Phœnix? Quis Cadmus? Antea id dictum, Idumæi, Cananæi. Horum e progenie Europa, quæ quod origine Phœnix fuerit, multis probari poterit, affirmat id expreſſe Diodorus: [7] Ζεὺς, ὡς φασὶν, Εὐρώπην ἁρπάσας ἐκ Φοινίκης, *Jupiter, ut dicunt, Europam rapuit ex Phœnicia*. Clarius vero Apollodorus: [8] τινὲς δὲ Εὐρώπην οὐκ Ἀγήνορος, ἀλλὰ Φοίνικος λέγουσιν. *Quidam Europam non Agenoris, ſed Phœnicis filiam dicunt*. Aſſurgit quoque Scholiaſtes Theochriti [9] Εὐρώπῃ τῇ Φοίνικος θυγατρὶ, *Europæ Phœnicis filiæ*. Quæ omnia confirmat Euſebius [10] Εὐρώπῃ τῇ φοίνικος Ζεὺς ἐμίγη. Ne vero aliquis forte ſcrupulus etiamnum ſuperſit, qui nos premat, videndum, anne Europæ nomen ope Hebrææ linguæ reſolvi poſſit. Anne ergo origine Græcum? Minime gentium: an Phœnicium, vel Hebræum? Credo; dicitur enim חור אפא *alba candida facie* λευκοπρόσωπος, id eſt *valde pulchra*, quam ſententiam confirmare fortaſſe poterunt, quæ de Jovis & Junonis filia habet Scholiaſtes Theocriti [11] Κλέπτειν τῆς Ἥρας μύρον, ᾧ τὸ πρόσωπον, αὐτῆς αἴθον ἦν χριόμενον, καὶ δοῦναι Εὐρώπῃ τῇ Φοίνικος θυγατρὶ. *Junonis pigmentum ſurripuiſſe, quo perunctæ faciei ſplendorem conciliant, & dediſſe Europæ Phœnicis filiæ*, quæ validiſſime probant ſuperius a nobis dicta, ut adeo Europa Phœnix, cum latine redditur, nihil aliud ſit, quam *Idumæa quædam candida facie*: illam vero trajeciſſe in Cretam non ita facile a quodam negabitur, cum conſtanter id memorent fabularum conditores: an igitur, ut narrant, Jove in taurum commutato vectus? minime gentium; nec enim id Græci omnes crediderunt: en Palæphatum [12] apprime! Tota vero fabula non aliunde orta, quam ex amphibolia vocabuli Hebræi אלפא, quod tam *navem*, quam *bovem* interpretari licet. Cum igitur Jupiter Rex Cretenſium dicebatur tranſvehere in Cretam Europam Phœnicis filiam, id eſt pulchras Idumæas; Cadmus enim Cadmonæos, Edom Idumæos &c. denotat & γραμματικῶν παῖδες, Μουσικῶν, Θεῶν παῖδες, γραμματικοὶ, Μουσικοὶ, Θεοὶ, באלפא *in navi*, illi אלפא per *bovem* interpretati ſunt, cum ta-

[1] in voce Ταῤῥά.
[2] in voce Τελχίς.
[3] Polyhiſtoris cap. 17.
[4] in notis ad Solinum pag. 17.
[5] de origine Deorum 130. 26.
[6] in fabulis.
[7] Bibliothecæ hiſtoricæ l. 3.
[8] de origine Deorum l. 3. p. 129.
[9] ad Eidyllium 2.
[10] præparati: Evan.
[11] ad Eidyll. 2.
[12] περὶ ἀπίστων.

tamen navem hoc vocabulo Veteres designarunt: quæ omnia in aprico sunt. Quid? quod sententiam meam confirmat quoque Hesychius: [1] Ἑλλώτια ἑορτὴ Εὐρώπης ἐν Κρήτῃ, *Hallotia festum Europæ in Creta?* illud enim nomen origine Hebræum esse observavit incomparabilis Bochartus, cum הלות idem esse, ac ὑμεναίων probe declaret, ut adeo Hallotia nihil aliud sint, quam Epithalamia.

V. Sed nisi nimiæ prolixitatis osores essemus, proclive foret vestigia Phoenicum in Creta dare: sunt enim Φοίνικες, id est Φοινίκων πόλις ἐν Κρήτῃ dicente Stephano: [2] Ἰσθμὸς φοίνιξ καὶ φοίνιξ λιμὴν, memorante partim Strabone, [3] partim Sacra Scriptura; [4] unde Florus quoque [5] in Creta Erythiam ponit, unde Psellus, Phœnices, & Cretenses confundere videtur, cum dicit: [6] κατὰ τοὺς Κρῆτας ἢ Φοίνικας, *secundum Cretenses aut Phœnices*. Clarissimum igitur Phœnices id est Idumæos esse in Creta; ut vero res plenius demonstretur, en Tudelensis verba, qui auctor, quamvis non ita approbatæ fidei, confirmare tamen poterit ab aliis dicta:

בני אדם לבא שם ברוגיות ובספינות גרולות ולקחו מיום את האי הגדלה קריתם וגם כיפרוס שהם תחת עול יונים עד היום הזה

filii Edom eo scaphis, magnisque navibus venire cœperunt, atque illis insulam magnam Cretam & Cyprum tandem eripuerunt, quæ in hodiernum usque diem Græcorum imperio parent. [7] Ex his enim liquet tenuisse Idumæos Cyprum & Cretam, quod erat demonstrandum.

[1] In voce ἑλλώτια.
[2] In voce φοίνικες.
[3] Geographiæ libro 10.
[4] Actorum 27.
[5] Libro 3. cap. 7.
[6] De operationibus Dæmonū.
[7] In voce Κίθιο+.

CAPUT DECIMUM.

I. Æthiopes primi Deorum cultores dicti a Stephano, uti & Arcades ab Hygino. Unde? Dii Æthiopum Convivæ ab Homero dicti, quod ridet Lucianus, examinat Diodorus. Æthiopes cur inculpati? II. Mithræ cultus, Mithres Persa ab Hesychio, Claudiano, Luciano, Cyro dictus, origine Æthiops, cultus Romæ. Cretenses Mithræ cultores. Deus Barbarus ab Æthiopibus cultus, talis Mithra Luciano audit. Mithra unde? Infelix Wossii conjectura. III. Pluvius Jupiter, a Romanis cultus, cur? Jupiter idem cum Sole. Jovis & Junonis motus, risus, terræ implorantis statua; siccitate laborat Æthiopia. Solem odisse Æthiopes memorant Ctesias, Strabo, Diodorus. Deus Bronton Mithræ jungitur, quare? Quis? Mithra cur triplex. Trioculus Jupiter. Quare? IV. Cultus Mithræ in Speluncis, & Nympharum antris. Nymphæ aquæ, Mithræ initiatis aqua & panis apponitur. Deus Enyalius, Quirinus, Endovelicus, Quis? Lapis Minzurin quid? Quid Zoroaster? V. Quid Phlegia? Idem cum Mithra. Pluvia cur auctor Æthiopici generis dicta.

Hisce absolutis postulat ordo & instituti nostri ratio, ut de sacris Æthiopum nonnulla delibemus, monstraturi ea non aliter ac Ægyptiorum Græcorumque e Palæstina profecta.

I. Verum enim vero, quod Veterum nonnulli crediderint primos inter omnes Æthiopes rem divinam fecisse, aperte adeo in scriptis eorum se prodit, ut nihil unquam clarius exspectare possis; hinc quoque Stephanus: [8] πρῶτοι καὶ Θεοὺς ἐτίμησαν, καὶ νόμοις ἐχρήσαντο, ὀνομάζουσι δὲ τοὺς αὐθεὺς τοῦ Μίθραν καὶ Φλεγύαν, *primi etiam Deos venerabantur, & legibus usi sunt, vocant vero auctores horum Mithram, & Phlegiam*. Has nugas, non est, ut quis tanquam insolitas rideat, cum solenne id Antiquis sit, nec aliter de Arcadibus loquatur Hyginus: [9] *Arcades res divinas primi Deo fecerunt*. Quod vero id de Æthiopibus Antiqui dixerint, non aliunde, quam ex Homeri Iliade ortum arbitror, cujus verbis cum refragari Veteres non ausi fuerint, in errores vix tolerandos prolapsi sunt; verba autem Homeri, quæ fenestram his aperuisse credimus, ita se habent [10]:

> Ζεὺς γὰρ ἐπ' ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
> Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα. Θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο

Jupiter enim in oceanum ad inculpatos Æthiopes hesternus abiit ad epulum, Dii vero omnes simul secuti sunt. Illa enim cum Homero posteriores legissent, crediderunt illico coluisse Deos primo quidem Æthiopes, eaque in terra factas primum oblationes, adulta sacrificia. Ridet illa more suo derisor omnium Lucianus [11] τοὺς δὲ οὖν Αἰθίοπας καὶ μακαρίους καὶ τοὺς εὐδαίμονας εἴποι τις ἂν εἴγε ἀπομνημονεύει τὴν χάριν αὐτοῖς ὁ Ζεὺς, ἣν ἐν ἀρχῇ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως πρὸς αὐτὸν ἐπεδείξαντο, δώδεκα ἑξῆς ἡμέρας ἑστιάσαντες, καὶ ταῦτα ἐπαγόμενον καὶ τοὺς ἄλλους Θεούς. *Contra Æthiopes fortunatos ac multis modis felices quis dixerit, si modo Jupiter illis gratiam referret, pro humanitate, quam initio Poematis Homeri in illum exhibuerunt?* Quicquid vero id sit Luciani lusus, nihil moror, cum

[8] Fabula 274.
[9] Iliad. α. v. 423.
[10] Sacrificiis pag. 82.
[11] Bibliothecæ Historicæ p. 143.

cum certiſſimus ſim Homerica verba fabulæ huic januam aperuiſſe, quæ Æthiopas primos Deorum cultores definit ; & ſane admodum mihi gratulor, quod conſentientem habeam Diodorum auctorem ut antiquum, ita fide omnino digniſſimum, cujus verba ita ſe habent: [1] φασὶ δὲ παρ' αὐτοῖς πρώτοις καταδειχθῆναι Θεοὺς τιμᾷν, καὶ θυσίας ἐπιτελεῖν, καὶ πομπὰς καὶ πανηγύρεις καὶ τἄλλα δι' ὧν ἄνθρωποι τὸ θεῖον τιμῶσι, διὸ καὶ τὴν παρ' αὐτοῖς εὐσέβειαν διαβεβοῆσθαι παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις, καὶ δοκεῖν τὰς παρ' Αἰθίοψι θυσίας μάλιστα εἶναι τῷ δαιμονίῳ κεχαρισμένας. μάρτυρα δὲ τούτων παρέχονται τὸν πρεσβύτατον σχεδὸν καὶ μάλιστα τὸν ποιητὴν θαυμαζόμενον παρ' Ἕλλησι, τοῦτον γὰρ κατὰ τὴν Ἰλιάδα παρεισάγειν τόν τε Δία καὶ τοὺς ἄλλους μετ' αὐτοῦ Θεοὺς ἀποδημοῦντας εἰς Αἰθιοπίαν, &c. *Apud ſe omnium primos Deorum cultus, ſacrificiorum pompas, & conventus ſolennes & alia, quæ Numinis honori impendunt mortales, inventa tradunt, hinc tam celebrem apud omnes ubique homines eorum eſſe pietatem, Æthiopumque ſacra omnium gratiſſima eſſe Numini exiſtimari. In teſtimonium hujus rei adducunt omnium antiquiſſimum & in ſummo fere apud Græcos honore habitum Poetam, qui in Æthiopiam Jovem, reliquoſque Deos profectos aſſerit.* Huic ſententiæ tot aliorum ſuffragia addi poterunt, ut nihil firmius clariuſve videri unquam poſſit; etenim ſi exinde roboris aliquid ſententiæ eorum accedere poterit, quod pii & inculpati apud pleroſque audiant, plurima hic ejus farinæ congerere in proclivi foret. Hinc Straboni, [2] & Homero, [3] Diodoro, [4] Stephano: [5] ἀμύμονες *inculpati*, Herodoto: [6] κάλλιστοι ἀνθρώπων πάντων *omnium hominum optimi:* Nymphodoro, [7] ἱερεῖς *ſacri* vel *ſacerdotes*: Theophilo, [8] κάλλιστοι *optimi* τρισόλβιοι δαίμονες *ter beati*, Luciano, [9] Pomponio Melæ: *parum venerati opes*, & Solino [10] demum: *Juſtitiam colentes* audiunt.

II. Quoniam vero confeſſus nuper Stephanus, cultos ab Æthiopibus Mithram & Phlegiam, optimo quis jure poſtulare poterit, ut cultus hujus originem aperiam, dicamque clare, quis iſte Mithra fuerit; quoniam totam Æthiopum Religionem originem Palæſtinæ debere, non ita pridem prodidi: totum igitur hoc negotium, quantumcumque eſt, in me ſuſcipiam, quamvis hanc viam lubricam ſatis, ſpiniſque obſitam trivisse ante me neminem probe noverim. Fateor equidem objicere aliquem poſſe nulla me neceſſitate adigi, ut hic inprimis de Mithra agam, cum ſit Deus non Æthiops, ſed Perſa; inde enim Heſychius: [11] Μίθρης ὁ ἥλιος ἐν Πέρσαις, inde Statius: [12]

- - - ſeu Perſei ſub rupibus antri
Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.

inde Claudianus: [13]

Et vaga teſtatur volventem ſidera Mithram.

quibus convenit inſcriptio vetuſtiſſima reperta Romæ in ædibus Colotianis ad aquam Virginem in ara magnæ Deorum Matri dicata, quæ ita ſe habent: [14]

ANTIQUA. GENEROSA. DOMO.
CUI. REGIA VESTÆ.
PONTIFICI. FELIX. SACRATO.
MILITAT. IGNE.
IDEM. AUGUR. TRIPLICIS. CULTOR. VENERANDÆ. DIANÆ.
PERSIDICIQUE. MITHRÆ.

Quod Luciano extorſit, ut Μίθρης ἐκεῖνος Μῆδος *Mithres ille Medus* dixerit; [15] imo, quod validius, forte ipſe Perſarum Rex Cyrus, cum apud Xenophontem jurat [16] μὰ, inquit, τὸν Μίθρην, *næ per Mithram*, & alibi [17] ὄμνυμι σοι τὸν Μίθρην, *adjuro tibi Mithren*; quibus adactus Sozomenus Mithram origine omnino Perſam eſſe prodidit [18]. Sed nihil hæc omnia quamvis ſtudioſe collecta, poſſe nobis officere credimus; etenim cum libenter Perſas eum colere concedimus, ſua tamen Stephano noſtro fides haberi poterit, & ipſe Mithra ſuam nihilominus originem Æthiopiæ debebit. Etenim, Romanum eum quis diceret? at cultum eum Romæ quis negaret? Loquuntur id inſcriptiones variæ, alia quidem ad Divæ Mariæ Trans pontem:

SOLI INVICTO.
MITHRÆ FLAVIUS
SEPTIMIUS.

alibique DEO
INVICTO.
MITHRÆ
C. LUCRETIUS.

& adhuc alibi OMNIPOTENTI.
DEO MITHRÆ.
APPIUS CLAUDIUS.

Similia apud Gruterum [19] videantur. Quidquid vero id ſit, multum nos Stephano tribuimus, & Æthiopem omnino Mithram credimus, quod quoque ipſi nobis Cretenſes perſuadent, quos plurima imo fere omnia Æthiopiæ debere ſupra docuimus; his enim nihil cum Perſis commercii, & Mithram tamen colunt, non aliunde quam ex Æthiopibus incolis edocti. Coluiſſe vero eos Mithram ſatis aperte poſt alios multos loquitur Epiphanius, [20] cum Epimenidem nominat, & fuiſſe eum ſcribit: ἀρχαῖον φιλόσοφον, καὶ Μίθρα τοῦ παρὰ Κρησὶν εἰδώλου ἱερέα *Mithra Cretenſis idoli ſacerdotem*; quibus omnibus accedit fateri Strabonem coli ab Æthio-

[1] Bibliothecæ Hiſtoricæ p. 143.
[2] Geographiæ pag. 3
[3] Iliados α v. 423.
[4] Bibliothecæ l. 3.
[5] In voce Αἰθίοψ.
[6] Thaliæ c. 20.
[7] Hiſt. Barbaricarum l. 3.
[8] Hiſtoriarum l. 7.
[9] De ſacrificiis.
[10] p. 96.
[11] In voce Μίθρης.
[12] Thebaidos lib. 1.
[13] De Laudibus Stilichonis
[14] Apud Forretium in Muſis lapidariis.
[15] In Deorum concilio p. 912.
[16] Cyropædias lib. 7.
[17] Eodem in libro
[18] Libro 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 8. 9.
[19] Ibidem.
[20] Adverſus Marcionem.

thiopibus Θεὸν τινὰ βαρβαρικὸν [1] DEUM quemdam Barbaricum, quem Mithram esse non dubito: cumque eum barbarum vocat Strabo, consentientem sibi Lucianum habet, qui in Deorum concilio, non sine joco Μίθρης, inquit οὐκ ἑλληνίζων τῇ φωνῇ, ὥς τε οὐδ' ἐὰν προπίῃ τις, ξυνίησι, *Mithres non Græce loquens, ut, si quis illi propinet, non intelligat*. [2] Optime, quoniam Mithra barbarus, nec Græce loquens, Phœnicia sane lingua, velit, nolit, loquetur; dictus quippe מטרא *Mithra*, id est pluvia. [3] Non equidem ignoro derivare hanc vocem Wossium a radice Persica מתר unde comparativus מתרי, vel מתר, ut adeo sit quasi *major*; [4] hinc quoque magnus Scaliger dictum Mithridatem vult quasi מתרדתא. [5] Verum minus arridet mihi ista sententia, partim quod e lingua Persica huc sit advocata, cum Æthiopum Deus fuerit, prius quam Persarum; partim quod aliud omnino denotare videatur, quam *major*, quod nomen cuilibet Deorum attribuere licet; Magnus enim omnis vocari poterit, cui Divinos honores, venerabundi præstamus.

III. Verum benevolum Lectorem enixe rogatum volumus, ne sententiam nostram ante rejiciat, quam rationes nostras ad rectum recti judicii perpendiculum revocaverit. Dicat: nonne Mithram Solem a Macrobio, Herodoto, Apollodoro, Xenophonte, Strabone, Constantino Prophyrogenneta proditum? At quid Soli cum pluvia commercii? Regero non adeo hoc insolens esse, cum simili fere ratione cultus apud Romanos sit Pluvius Jupiter, de quo Tibullus: [6]

Arida nec pluvio supplicat herba Jovi

Nec notius quid arbitror ὀμβρίῳ, & ὑετίῳ Græcorum Jove, cujus apud Argivos visam olim aram fuisse testatur Pausanias: [7] Ἐστὶ καὶ βωμὸς ὑετίου Διὸς *est & ara Pluvii Jovis*. Quibus omissis prodit porro esse Atticis in montibus ὀμβρίου Διὸς aras, unde [8] Θύουσι αὐτῷ, inquit, τότε μὲν ὄμβριον τότε δὲ ἀπήμιον καλοῦντες, *sacrificant illi, nunc pluvium, nunc innoxium vocantes*, ut taceam quod Διὸς ὑετίου ἄγαλμα ἐν ὑπαίθρῳ *Jovis pluvii statuam sub dio* memorat. Unde etiam Statius:

- - Tu nunc ventis pluvioque rogaris
Pro Jove

& Apollonius: [9] Καὶ βωμὸν ποίησε μέγαν Διὸς ἰκμαίοιο, *& aram magnam Jovis humidi fecit*. Hæc igitur bene si observaveris, non dices utique aliquid a me novi invectum, quando Mithram per pluviam explico, ut adeo sit Sol Mithra, quasi Sol Pluvius.

[1] Geographiæ l. 7.
[2] Pagina 912.
[3] Addit hanc vocem Targum Deuteronomii 11.
[4] De ortu idololatriæ l. 2. c. 9.
[5] De emendatione temporum c. 6.
[6] Lib. 1. Elegia 7.
[7] In lib. Corinthiacorum 2. Græciæ.
[8] In atticis l. Græciæ 1.
[9] In argonauticis

Objiciat fortasse aliquis esse Jovem inter ac Solem differentiam: at nego aliquam Veteribus innotuisse, & in testimonium advoco Macrobium, qui fuse hæc omnia [10] diducit, quem cum hic exscribere nolo, est ut ipsum adeat benevolus Lector, ubi comperiet Cornificium [11] τὸν Δία eumdem cum Sole facere, cui sententiæ assurgunt Plato, [12] & Euripides, [13] imo vel ipse Orpheus; [14] Inde Jovem nutu unico tempestates inducere, & vel ipsa sidera concutere, notum ex Homero, imo moto saltem throno idem efficere Juno dicitur, cujus μειδίασμα serenitatem & malaciam causatur: atque hinc ego Jovem ἐπικυλίδιον *superciliosum* dictum arbitror, quod omnia supercilia regat, temperetque. Quicquid vero id sit, Jovem vel Solem Mithram ab Æthiopibus cultum omnino arbitror: etenim causam, quare Divino eum honore prosecuti fuerint, luculenter satis prodere poterit Pausanias, cujus verba ita se habent [15]: ἐστὶ δὲ καὶ γῆς ἄγαλμα ἱκετευούσης ὕσαι οἱ τὸν Δία. εἴτε αὐτοῖς ὄμβρου δεήσαν Ἀθηναίοις, εἴτε καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησιν συμβὰς αὐχμός. *Est etiam terræ a Jove imbres implorantis simulacrum, vel quod Athenienses aliquando pluvias desiderarint, vel tota Græcia Soli siccitate laborarit.* Apprime! Ubi ergo Soli siccitate laborant, ibi pluvio Jovi supplicant: unde videndum arbitror, an Æthiopibus tale quid accidere potuerit. Demonstrabit id Artemidorus [16] qui μὴ γὰρ καθομβρεῖσθαι τοῖς ἀρκτικοῖς μέρεσι, καθάπερ οὐδὲ τὴν Αἰθιοπίαν φασὶ, *partes septentrionales non compluere, uti nec Æthtiopiam dicit*. Simile quid memorat in Indicis Cresias, & vel ipse Strabo [17] esse inter Æthiopes scribit: οἳ γε καὶ τὸν Ἥλιον ἐχθαίρειν, καὶ κακῶς λέγειν, ἐπειδὰν προσίδωσιν ἀνίσχοντα ὡς καίοντα καὶ πολεμοῦντα αὐτοῖς, καταφεύγειν τε εἰς τὰ ἕλη, *qui quidem Solem oderint, & detestentur, cum eum exoriri vident, propterea quod eos urat, atque infestet, & propterea in paludes fugiunt*. Et Diodorus Siculus auctor nunquam sine honore nominandus, aperte inquit: [18] διὸ καὶ τὸν Ἥλιον ὡς πολεμιώτατον ὄντα κατὰ τὰς ἀνατολὰς βλασφημήσαντες φεύγουσι πρὸς τοὺς ἑλώδεις τῶν τόπων. *Hi Solem orientem infensissimum ut hostem exsecrantur, & fugiunt ad paludes*. Quibus quidem verbis probasse nos arbitramur Mithram non posse non esse pluviam: colunt Mithram Æthiopes, Solem exsecrantur, quomodo jam Mithram Sol esse poterit, cum rationi omnino repugnet Deum eumdem colere simul & exsecrari? quamvis enim nonnullis in Æthiopiæ locis pluvias sæpius, imo interdum satis copiose decidere non ignorem, ; natam tamen apud eos con-

[10] Saturnalium l. 1. c. 23.
[11] In Homerum
[12] In Timæo
[13] In Phœnissis.
[14] Vel Orphicorum auctor.
[15] In Atticis p. 46.
[16] Apud Strabonem 217.
[17] In Indicis apud Photium
[18] Bibliothecæ Historicæ pa. 148.

consuetudinem credibile, qui in aridis siccisque locis degebant, & deinde ad reliquos propagatam; etenim causam honoris hoc esse, quem Jovi pluvio deferebant, docuit Pausanias. Sepositis vero tantis per hisce, libet ex antiqua quadam inscriptione probare Mithram omnino Pluvium Jovem esse, nec posse rem aliter se habere, quam conservavit nobis in Musis lapidariis Johannes Baptista Ferretius, quæque ita se habet [1]:

SOLI, INVICTO.
MITHRÆ, FL. SEPTIMIUS. ZOSIMUS.
V. P. SACERDOS. DEI,
BRONTONTIS,
ET. AECATE. HOC, SPELEUM.
CONSTITUIT.

Primum enim explicandum arbitror, quid per Brontontem Deum subintelligendum, occurrit idem apud Gyraldem [2] qui refert inscriptionem in atrio Ædis Paulinæ: JOVI. BRONTONTI. SACRUM. ex quibus liquet Deum Brontontem esse Jovem. Quid vero sibi Bronton velit, etiamsi taceat Ferretius, dicere tamen facile potero; est quippe, quem Græci Ζεὺς Βροντ῀ κ̀ Α᾿ςράπτων invocant, Plinio: *tonans & fulminans* dictus, quo nihil frequentius in Græcorum & Latinorum scriptis obvium. Quid enim notius, quam Jupiter Βροντῶν & Altitonans? Cum igitur Græci Βροντῶν dixerunt, eamdem terminationem Latini retinuerunt, & more suo genitivum formarunt, inde enim orta inflexio *Brontontis*. Quod vero Mithræ dedicet Brontontis Sacerdos, non aliunde quam quia pluvia & tonitru comitari se invicem solent, unde quoque conjunguntur ut plurimum apud Veteres pluvis & tonans Jupiter, ut in antiqua inscriptione a Ferretio conservata: JOVI. FULMINANTI. FULG.TONANTI. PLUVIO. FAB. VICELLIANUS. EX, VOTO. POSUIT. Atque si res ita se habet, facillimo quidem negotio isti difficultati medicas manus porrigere possumus, quam circa Mithram moverunt Veteres; quod scilicet dicatur τειπλάσιος: unde Pseudo-Dyonysius, Areopagita vulgo dictus [3] Μάγοι τὰ μνημόσυνα τῦ τειπλασίυ Δίος σημαίνυσιν *Magi memoriam triplicis Mithræ significant*: male enim, mea quidem sententia, factum id exinde Interpretes Maximus & Pachymerius autumant, quod dies tempore Ezechiæ triplicatus fuerit, & Persæ, digitum ad id miraculi intendendo, Μίτραν τειπλάσιον dixerint. Mihi vero, etiamsi desperet fere Wossius, cum Mithram Jovem pluvium dixerim, facillimum erit demonstrare causam & quidem verbis Pausaniæ [4] τρεῖς δὲ ὀφθαλμὲς ἔχειν αὐτὸν, ἐπὶ τῷ δὲ ἂν τεκμαίροιτο. Δία γὰρ ἐν ὐρανῷ βασιλέυειν, ὗτος μὲν λόγος κοινὸς πάντων ἐςὶν ἀνθρώπων. ὃν δὲ ἄρχειν φασὶν ὑπὸ γῆς ἐςὶν ἔπος Ο᾿μήρυ. Α᾿ισχύλος δὲ ὁ ἐυφορίωνος καλεῖ Δία κ̀ τὸν ἐν θαλάσσῃ. Τρισὶν ὗν ὁρῶντα ἐποίησεν, ὀφθαλμοῖς, ὅςις δὴ ὗν ὁ ποιήσας ἅ τε ἐν ταῖς τρισὶ ταῖς λεγομέναις λήξεσιν τὸν αὐτὸν ἄρχοντα αὐτὸν τῦτον Θεὸν. *Habere autem eum* (Jovem) *tres oculos conjicere quis possit, quod communis omnium hominum sermo regnantem in cœlo prædicat. Quod autem idem terris imperet, Homeri versu testatum est. Æschylus quidem Euphorionis filius ipsum maris etiam Jovem appellat: quare hac ductus ratione, quicunque eum Regem fecit, tres ei oculos attribuit*. Hæc quidem ita se si habeant, facillimum erit aperire, quare Μίθρα sit τριπλάσιος; neminem enim in antiquitate Romana tam hospitem credo, ut Solem ab Antiquis oculum Jovis dictum ignoret. Hinc cum errore abrepti quidam Mithram Solem voluerint, non adeo mirum, quod eum triplicem fecerint; inde enim ipse Jupiter postea Triplex dictus, ab iis scilicet, quibus Mithram Jovem esse suboluit.

IV. Hactenus igitur bene se res habet, & Deus Bronton satis aperte loquitur non posse Mithram aliud esse, quam Pluvium Jovem: videndum præterea arbitramur, an Sacra Mithræ convenire huic demonstrationi possint. Animadvertimus igitur ex inscriptione ista Spelæa olim Mithræ consecrata, cujus sacris in antris & speluncis fieri docet præterea Statius: [5]

- - *Seu Persei sub rupibus antri*
Indignata sequi torquentem sidera
Mithram.

Hinc Tertullianus de corona militis: [6] *Erubescite jam Romani commilitones ejus non ab ipso judicanda, sed ab aliquo Mithræ milite, qui initiatur in Spelæis*; & Hieronymus: [7] *nonne specum Mithræ subvertit*? una cum Porphyrio [8] πανταχῦ ὅπυ τ̀ Μίθραν ἔγνωσαν διὰ σπηλαῖς τ̀ Θεὸν ἱλεομένων. *Mithram unde cognoverunt, in Speluncis coluerunt*, in qualibus vero antris si quæras? In antris Nympharum regeret: quid autem Nymphæ? nisi νύμφαι *aquæ*, quod, nisi fallor, indigitat Homerus [9]:

Νῆα μὲν ὡρμίσαμεν κοῖλον σπέος εἰς ἐρύσαντες,
Ε᾿νθα δ᾿ ἔσαν Νυμφέων καλοὶ χῦροι ἠδὲ θῶκοι.

Navem quidem subduximus in cavum speluncam introducentes, ubi erant Nympharum pulchra loca & sedilia. Quid enim istis locis cum Nymphis, in quos inducuntur naves? necessario vero ad illos aquæ requiruntur. Tale igitur antrum aquis

[1] pagina 15.

[2] Syntagm. de Diis p. 71.

[3] In epistola 7. ad Polycarpum.

[4] In libro Corinthiacorum qui est Græciæ secundus.

[5] Libro Thebaidos primo.

[6] pag. 135.

[7] In epistola ad Lætam.

[8] De nympharum antro.

[9] Odysseæ ι. v. 317.

aquis plenum, in quo Mithræ initiatum, hinc etiam tales Νύμφαι ναϊάδες νηΐδες dictæ a ναῶς vel νῆς *navis*, quia ſcilicet in aquis naves degunt. Ut vero eo major dictis noſtris fides habeatur, age, procedat Juſtinus Martyr, & totum initiationis Mithriacæ ritum nos edoceat: [1] ἐν τοῖς τοῦ Μίθρα μυστηρίοις ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος, *in Mithræ myſteriis panis & poculum aquæ apponitur*. Ad rhombum hercle! Non aliam ſane ob cauſam facta iſta credimus, quam quia pluvia aquam dat, & ſementem feliciter creſcere faciat; æquum enim putabant reddere Numini ea, quibus ejus beneficio affluebant. Sed videor mihi videre non neminem, qui dicat: an ergo aquam tanta reverentia cultam, an tanto ſumptu honoratam credis? At ſi nullus alius benevole Lector ſcrupulus premit, amoveri iſte facillimo negotio poterit. Quotus enim quiſque eſt, qui cultas olim Nymphas & quidem ſubmiſſe ſatis, ignorat? Quis neſcit Divinos quoque Magneti honores habitos, non aliam ob cauſam, quam quia abſque ejus ope per aquas proficiſci non licet? Ut verbis meis fidem habeas, proderit in conſpectum Deus Enyalius nautarum ſocius, qui nullus omnino alius eſſe poterit, quam Θεὸς ἐν ὑαλῷ *Deus in vitro*, quem Magnetem credo, quod vitro includere eum nautæ ſolent ita dictum. Conſentit Plutarchus, [2] qui Romanis, Sabiniſque dictum eum Quirinum tradit; Dionyſio vero Halicarnaſſeo, [3] & Feſto interprete. [4] Quirinus haſtam ſignificat, vel, ut ipſi loqui amant, cuſpidem; Deus igitur cuſpis ἐν ὑαλῷ *in vitro* non eſt niſi Magnes. Nec alius a Magnete Deus iſte Endovelicus, cui ad Vizozam in Luſitania erectas duodecim ſtatuas memorant, dictus ita, quod ἐνδονβέλος, id eſt *intus* in pyxide nautica ſit *acus*. Quid lapis minzurin nominatus a Zoroaſtre in oraculis Magicis, [5] niſi Magnes dictus ita, quod partes ejus ad Septentrionem inprimis vergant? Septentrio enim מימזרים apud Jobum [6] audit, unde iſtud Μινσουρὶμ vel Μινσουρὶμ ortum eſſe minime dubito, cum nihil Græcis frequentius ſit, quam Hebræa nomina ſacris ſuis imponere, quod nos quidem ſæpiſſime hic probamus; lapis igitur Minzurin non eſt, niſi ***Mimzurin ſeptentrionalis***, atque hic eſt Magnes. Quæ quidem in Zoroaſtrem apprime quadrant, cum & illum nonnulli dictum velint ἀπὸ τοῦ ζῶρου ἄστρου a *ſtellarum conſtellatione*: ſane dicente Hermodoro & Laertio aſtrorum Sacerdotem & vatem fuiſſe eum traditur.

[1] In cohortatione.
[2] In Romulo.
[3] Lib. 9.
[4] In voce Quirinus.
[5] Edita hæc a Gallæo.
[6] Capite 37. verſu 9.

V. Satis operoſe de Mithra egimus, ſed, ni fallimur, ſatis dilucide & appoſite: reſtat igitur φλεγύα, cui ut operam noſtram impendamus, jubet inſtituti ratio. Miramur vero neminem unquam auctorem præter ſolum Stephanum hujus meminiſſe, unde quoque fatetur ingenue Berkelius, quis ſit, ſe ignorare. Fateor & ego, niſi priori modo, id etiam nomen hic explicare liceat, atque ita corruptum, vel ab Hermolao Barbaro male redditum totum hunc contextum autumo, & pro Μίθρου καὶ φλεγύου, Μίθρου τοῦ φλεγύου, lego Hebraice, ut debet, ſcripta מטרא פלג יה *Mithra Phlegia Pluviam rivum Domini*, quæ aptiſſime conjungi poſſunt, imo jungantur oportet; eodem enim ſenſu loquitur Pſalmiſta [7] פלג אלהים מלא מים *Rivus Domini plenus aquis*, id eſt, Nubes ſcatent aqua, prout interpretantur Hammondus, Junius, Glaſſius, Polus, Gejerus, Friedliebius, & hi quamvis tacerent, aperte tamen id loqueretur Moſes, [8] reliquis tam ætate, quam auctoritate ſuperior.

VI. Sed dicas, dubito etiamnum, quod Auctorem generis Mithram prodant Æthiopes, cum vix credibile ſit eos pluviam tanquam Parentem ſuum venerari: at nihil hoc obſtat; Jovem enim pluvium adorabant, Jovem auctorem voluerunt. Sed quid ſi probem eos pluviam primum generis ſui, Auctorem crediſſe? nonne exiſtimabis eſſe aliquid in ſententia mea ponderis, nec omni eam probabilitate vacuam? Notum igitur Æthiopes, qui primos ſe hominum jactabant, cauſam rogatos dixiſſe Solem terræ beneficio pluviæ ante humidæ calorem dediſſe, atque ita generatos homines: hac enim ratione, pluviam eos generationis primariam agnoviſſe cauſam liquet, atque ita ne mireris ſi tam ſui, quam humani generis Auctorem eam conſtituerint. Sed ut uno demum pugillo hæc latifundia arctem, liquet Mithram Phlegiam eſſe pluviam, id quod erat demonſtrandum.

[7] Pſalmo 65. verſu 10.
[8] Deuteronom. 19. v. 11. 12.

CA-

CAPUT UNDECIMUM.

I. QUINAM Dii Æthiopum juxta Diodorum. II. Isis multis sub nominibus culta, multisque in locis. III. Evemerus Deos homines dixit, res Judæorum sub Isidis fabulis occultas suboluit Antiquis, imo ipsis Ægyptiis. IV. Adamus, Sarus quid? Isis unde dicta, docet Wossius, cur in ventre Rheæ? Cur Osiridis soror & uxor? Unde Mercurius dictus minus feliciter conjicit Wossius. Quid Typhon? Quid Azo regina Æthiopiæ? In pompa Isidis cur serpens usurpatus? Cur in sacris Isiacis vetitum arborum hortensem perdere? Isis cur Muth, Athyri, Methoer dicta? Quid Orus? Sethi & Caini nomina in fabula Isidis conservata. Isis amisisse & recuperasse coronam cur dicta? Quid Galea Isidi a Mercurio imposita? Quid folium ficus in sacris Isiacis? Quid Manerothe? Cur Isidi fruges apponuntur? Cur linteo vestita? Verba Diodori. Ate quid? Unde?

I.

STEPHANUM jam reliquimus Diodorum adituri, cum major verbis ejus haberi fides soleat: nec mirum, cum Æthiopiam ipse invisere non dubitaverit, ut scilicet eo certiora forent, quæ memoriæ proditurus erat; ita ergo ille: [1] περὶ δὲ Θεῶν, οἱ μὲν ἀνώτερον Μερόης οἰκοῦντες ἐννοίας ἔχουσι διττάς. τοὺς δὲ νομίζουσι θνητῆς φύσεως κεκοινωνηκέναι, καὶ δι' ἀρετὴν καὶ κοινὴν, εἰς ἀνθρώπους εὐεργεσίαν τετευχέναι τιμῶν ἀθανάτων. τὴν τε γὰρ Ἶσιν καὶ τὸν Πᾶνα, πρὸς δὲ τούτοις Ἡρακλέα καὶ Δία σέβονται. μάλιστα νομίζοντες ἀπὸ τούτων εὐηργετῆσθαι τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος. *De Diis, qui supra Meroem habitant, bifariam sentiunt, alios mortalis quidem naturæ participes, sed ob virtutem & in homines bene facta honores immortales consecutos esse opinantur, Isidem ac Pana, cumque his Herculem ac Jovem, a quibus maximis genus humanum beneficiis cumulatum existimant.* Bene quod hos mortales fuisse ipsi fateantur Æthiopes; hac enim ratione eo majori jure, quæ ab his dicuntur gesta, non nisi fortium quorumdam aut celebrium hominum facta fuisse declarabimus.

II. Primo autem conspectui se nostro sistit Isis, quæ cum reliquarum fere Dearum historiam comprehendit, vel hoc nomine meretur, ut, quæ qualisve sit, eo diligentius inquiramus. Minervam eamdem cum ea vult Plutarchus [2] Ἀθηνᾶς, ἣν καὶ Ἶσιν νομίζουσι, *Minervæ, quam & Isin putant*, cum Proserpina, Archimacus, [3] & Heraclides, [4] qui Ἶσιν τὴν Περσεφόνην φασὶν, *Isin Proserpinam dicunt*, cum Cerere Apollodorus, [5] cum Thetide Plutarchus, [6] cum Astarte & Ope Warro, [7] cum Luna, Cerere, Terra, & Proserpina Porphyrius, [8] cum Terra Isidorus, [9] cum Empanda Ælius, [10] ut adeo non male μυριώνυμος [11] audiat, nec de nihilo asserat Apulejus [12] quod *Isis Deum mater Minerva, Venus, Diana, Proserpina, Ceres, Juno Bellona, Hecate, Rhamnusia*, δαίμων *multiformi specie nomine multijugo* appelletur, sed vere demum legatur Capuæ. TE TIBI. UNA. QUÆ. ES. OMNIA. DEA. ISIS. Hinc multis quoque in locis cultam eam accepimus, imo per totum fere orbem, dicente Diodoro, [13] ut in Græcia, Smyrnæ, Bybli, Cyrenes, testante Tibullo, [14] Herodoto, [15] Luciano. [16] Quid? quod Romam quoque migrasse eum cultum dudum annales docuerint? Loquuntur id memorata sæpissime apud harum rerum Scriptores Isidis ara, area, templa, ædiculæ, vicus, ædes, & quod nomine Campensis Isidis memorarunt Juvenalis, & Apulejus [17] [18] templum Isidis. Quamvis enim anno V. C. *696.* Pisone & Gabinio Coss. urbe ejecta fuerit memorante Arnobio [19] una cum Tertulliano; [20] adeo tamen postea invaluit, ut Imperatores ipsi Commodus, Caracalla, Alexander Severus victas manus dederint.

III. Quicquid demum id sit, fuisse Isidem mortalem, & quidem, cujus memoria apud Judæos conservata ad Gentes transiit, non dubito. Homines plerique sunt, quos instar Deorum Gentes colunt: atque hinc est, quod Evemeri Messenii commentarios quantivis semper pretii duxerim, *etiamsi Plutarcho* [21] *contemnantur*; constat enim, quod τοὺς νομιζομένους Θεοὺς πάντας ὁμαλῶς διαγράφων εἰς ὄνομα στρατηγῶν καὶ βασιλέων ὡς δὴ πάλαι γεγονότων, *eos, qui Dei existimantur, universos æqualiter expungens ad nomina Imperatorum & Regum æqualiter detorserit.* Hæc enim cum circa Isidem quoque tentasse non dubitandum; præsertim cum fuerint olim, quibus suboluit occultas esse sub Isidis fabula res *Judæorum*, id quod aperte satis loquitur Plutarchus: [22] οἱ δὲ λέγοντες ἐκ τῆς μάχης ἐπὶ ὄνου τῷ Τυφῶνι τὴν φυγὴν ἑπτὰ ἡμέρας γένεσθαι καὶ σωθέντα γεννῆσαι παῖδας Ἱεροσόλυμον καὶ Ἰουδαῖον αὐτόθεν εἰσὶ κατάδηλοι τὰ Ἰουδαϊκὰ παρέλκοντες εἰς τὸν μῦθον. *Qui autem dicunt e prælio Typhonem asino*

[1] Bibliothecæ Historicæ lib. 3. p. 148.
[2] De Iside & Osiride p. 354.
[3] Ibidem p. 261.
[4] Ibidem
[5] Bibliothecæ l. 12. p. 62.
[6] De Iside p. 364.
[7] Apud Gellium l. 13. c. 21.
[8] Præparationis l. 3. c. 11.
[9] Orig. l. 8. c. 11.
[10] Apud Warronem l. 1.
[11] De Iside apud Plutarchum.
[12] Metamorph. l. 11.
[13] Lib. 1. c. 2.
[14] L. 1. & 2.
[15] Libro 4.
[16] In Dialogo Noti & Zephyri
[17] Satyra 6.
[18] De aureo Asino l. 11.
[19] L. 1. adversus Gentes.
[20] Apologet. c. 6.
[21] P. 260. de Iside.
[22] De Iside & Osiride.

no vectum per septem dies fugisse, elapsumque filios genuisse Hierosolymum & Judam, facile patet eos exinde esse, qui Judaicas res in fabulam deducunt. Ex his enim verbis liquet credidisse olim nonnullos Isidem fuisse Judæi, id est Judæorum consanguineam, imo fuisse qui res Judaicas ad hanc fabulam traxerint: nec longe adeo ab hac sententia abeunt Ægyptii, qui [1] ἄφιξιν Ἴσιδος ἐκ Φοινίκης, *exitum Isidis e Phœnicia* memorant.

IV. His igitur prælibatis dico, Isidem Evam esse, id quod satis firmiter demonstrabo, cum quædam scitu necessaria præmiserim. Dixi alibi neminem Deorum apud Ægyptios Mose esse antiquiorem, quod etiamnum dico; ipse enim Isidis cultus longe junior Mose, & quiddam sibi e gestis Mosaicis admixtum habet: supersunt vero etiamnum varia apud Ethnicos, quæ Protoplastorum memoriam conservant, id quod testari præ cæteris poterit Stephanus [2]: Ἄδανα κίλισσα πόλις ὕστερον ταύτην ὤκισεν Ἄδανος καὶ Σάρος, Quis enim iste Ἄδανος, nisi Adam μ in ν mutatum? Ne miremur; cum id Græcis frequentissimum sit; ita enim ab Edom fit Ἠδων, ab ὤκυμον ocymum &c. Sarum, qui hic nominatur, non male eumdem cum Adamo facit Wossius, qui dici meritissimo jure, שר potuit, id est *Princeps, Dominus*, & idem voluisse Græcos per Σάρον indigitare non dubito, cum arguant id, quæ subjungit Stephanus: [3] τὸν δὲ ποταμὸν κοίρανον καλούμενον. Σάρον καλέσαντες, *fluvium vero κοίρανον*, id est *Dominum vocatum* Σάρον, id est שר *Dominum vocantes*. Sed dixerit hic aliquis: quid Isis cum Eva commercii habet? Cur ni potius vocatur Evis? Nonne notum illud Pseudo-Zoroastri [4]: ὀνόματα βάρβαρα μήποτ᾽ ἀλλάξῃς, *nomina barbara ne transmutes*, ad quæ Scholiastes Psellus [5] τουτέστιν: ἐστὶν ὀνόματα πρὸς ἑκάστοις ἔθνεσι θεοπαράδοτα δύναμιν ἐν ταῖς τελεταῖς ἄρρητον ἔχοντα. id est *singulæ habent nomina quædam Divinitus data, quæ in sacris habent vim ineffabilem* ἃ μὴ σὺ ἀλλάξῃς, *quæ ne igitur transferas?* Quod vero Isis Eva vocetur nulla apud Æthiopes culpa, tota vero in Adamum recidit; dixit quippe is: זאת יקרא אישה *illa vocabitur Isha*, [6] cui vocabulo illi terminationem Ægyptiacam *is* addiderunt, & ita Isis dicta (eam derivationem Wossio debemus) Isidem ἐν γαστρὶ τῆς Ῥέας ὄντα *in ventre Rheæ* cum Gentiles memorant, vix innuunt aliud, quam Evam e terra una cum Adamo creatam, cum ῥέα non sit nisi per anagrammatis *mum* transformata ἔρα *terra*, quod nos fusius alibi [7] docuimus. Nec aliunde est, quod dubitaverint Prisci, utrum Soror an Uxor Osiridis audiret, Diodorus [8] certe, & Marcianus Uxorem; [9] rectius vero Plutarchus, [10] & Eusebius [11] tam Sororem, quam simul Uxorem [12] volunt, cum Eva & Soror, & Uxor Adami salutari potuerit. Mercurii filiam Isidem clamant Plutarchus, Diodorus, reliqui. Quis & unde Mercurius? dictum ab Hebræo credeérem מר-קול-יה *Marcolia*, (non enim raro l in r mutatur) *Doctor vocis Divinæ*, quod omnino cum re ipsa convenire poterit, cum dictus sit sapientiæ Deus: quod enim a מרכלת *Marcolet*, *negotiatione* eam derivat cum Grynæo Wossius, nimis longe, ni fallor, petitum, at מרקליה, ni fallor, optimo jure vocari Adamus potuit, cum verbum Dei docuerit; quod vero filiam ejus Evam dixerint, ne mireris cum de costa ejus ficta fuerit & formata. Ὁ Τυφὼν πολέμιος τῇ Θεῷ, inquit Plutarchus *Isidi Typhon hostis erat*. Apprime! quid enim Τῦφος nisi Arrogantia, Superbia? Illa vero Evam in exitium præcipitem dedit, & e Paradiso expulit. Habuit vero Typhon συεργὸν Ἀσὼ βασίλισσαν Αἰθιοπίας, *adjutricem Aso Æthiopiæ Reginam*, dicente Plutarcho [13]. Docebit nobis Arabismus, quid Ἀσὼ nempe עצאיה *serpens*, quem cum Plutarchus dicit Æthiopiæ esse Reginam, nihil aliud innuit, quam Dæmonem eum fuisse, cum supra docuimus Æthiopem sæpissime sumi pro Dæmone; atque hinc etiam arbitror, quod in gemmis prope Isidem arborem, quam serpens ambit, exsculpi curaverit antiquitas, qualem exhibet nobis Pignorius; [14] unde quoque in pompa Isidis inter plurima alia procedat apud Ovidium [15]:

Plenaque somniferis serpens peregrina venenis.

Recte *peregrina serpens*, non aliam ob causam, quam quia a Judæis hæc mysteria hauserant: apud Valerium Flaccum audit [16]: *Aspide cincta comas*, cui assurgit Juvenalis [17], assurgit Apulejus inter pompam Isidis recensens [18]: *Aspidem, squameæ cervicis striato tumore sublimem*: quæ quidem omnia evincunt minus mentitum, cum scribit: *serpens ipsa, sine qua Isidem in tabula nunquam videas*. Ipsa, præter ista, vetitæ arboris memoria apud Isiacos conservatur: τοῖς τὴν Ἶσιν σεβομένοις ἀπαγορεύεται δένδρον ἥμερον ἀπολλύναι, *Isidis cultoribus prohibetur arborem hortensem perdere*. En quanta cura memoriam lapsus conservant Ethnici! cum enim Deus vetuerit Evam arborem illam tangere, & hi Isidis suæ cultores ab iisdem abstinere volunt. Ἡ δὲ Ἶσις ἐστὶν καὶ Μοὺθ καὶ πάλιν Ἄθυρι καὶ Μεθυὲρ προσαγορεύεται,

[1] P. 371. ibidem.
[2] In voce Ἄδανα.
[3] Eodem loco.
[4] In oraculis chaldaicis p. 56. edit. Gallæi.
[5] In eum locum.
[6] Capite Gen. 2.
[7] Libro priori.
[8] Biblioth. libro 3.
[9] De nuptiis Philolog. l. 1.
[10] De Iside & Oside.
[11] De præparatione c. 3.
[12] Uti & Apollodorus.
[13] In Iside.
[14] In expositione tab. Isiacæ p. 3.
[15] C. 9.
[16] In argonauticis l. 4.
[17] Satyra 6.
[18] Libro 11.

Isis est tum Muth & rursus Atyri & Methyer appellant. Quid hæc sint, vix te nisi Hebraismi ope intellecturum credo. מוט *Muth* est cadere, hinc Isis *Muth* nihil indigitat aliud, quam *Evam lapsam*: אתר vero est resurgere, unde Isis *Athyer* πάλιν: *Evam rursus surgentem*, ope scilicet beneficioque Divino denotat: *Methyer* vero nil forte aliud est, quam מתאר *Methoer*, quod *formosam* denotat; notum quippe quam operosi in describenda Evæ pulchritudine Antiquorum plurimi fuerint. Isidem quoque Ὧρον genuisse memorant. Quis ille, nisi dempta terminatione אור *Or*, *lux?* Sed si in quærendo sedulis nobis esse liceret, offerrentur nobis forte ipsi Evæ filii: sane Ægyptii: Τυφῶνα Σὴθ ἀεὶ καλοῦσι [1] *Ægyptii Typhonem Seth semper vocant*, non aliam ob causam, quam ut conservaretur (licet præpostera ratione) Sethi memoria, Ὧρον δὲ Κάμιν καλοῦσι [2] *Orum vero*, alterum Isidis filium, *Κάιν vocant*: expungo μ, quod fortasse, aut Ægyptiorum ignorantia, aut posterorum imprudentia induxit, & sic lego Κάιν Cain. Quicquid vero hoc sit inexpiabile illud odium inter Typhona & fratrem, quem occidisse demum dicitur, & Isidis eam ob rem lachrimæ, [3] clamant novisse Gentiles, quomodo Cain injusto odio percitus Abelem occiderit, & quantum Parentibus dolorem exsecrandum adeo facinus extorserit. Quando Isidem ejectam e regno Plutarchus memorat [4] quid indigitat aliud quam ejectionem Evæ e Paradiso? Ochum coronam de capite ejus raptam dejecisse in terram; at loco ejus Ἑρμῆν περιθεῖναι βούκρανον αὐτῇ κράνος *Mercurium galeam factam e bovis capite ei imposuisse memoratur*: imperium suum amisisse ejectam e Paradiso Evam quis nescit? quid vero galea ista sibi velit, ut pro dignitate explicem, pauca modo prænoscenda erunt, & advocabo hic Wossium, [5] ut intelligam simul, unde ista cornua, quæ Isidi Gentiles attribuunt: tradit quippe ille confectas e pellibus galeas, quibus cornua adhæserint, & inde etiam galeam κυνέην λυκέην dictam, prout eam e pellibus bovinis caninisve confecerat antiquitas, unde fortasse ipsa galea nomen suum traxit, quod scilicet confecta fuerit e pelle τῆς γαλῆς. His jam animadversis facile percipitur, quare Mercurius Isidi galeam imposuisse dicitur, quia scilicet Deus vestes e pellibus animantium ipsi Evæ dederat; foliorum vero ficus, quæ usui sibi Eva verterat, ne periret penitus memoria, Θέλον id est *ficus folium* in sacris Isiacis prælatum memorat Plutarchus [6]. Clamatum olim in sacris Isiacis Manerothe accepimus. Quid sibi vox ista velit, forsitan quæris; solus id Hebraismus docebit; nihil enim aliud denotat, quam מנה ראי *ordina mores*, *mentem*, quod non aliam ob causam ingeminare soliti fuerint, quam quia *mores* Evæ ad æterni Regis mandata minus ordinati æternaturam ipsi perniciem attulerant. Ne vero ficta hæc a me ipso credas, Plutarchi verbis hic loqui satius erit: ita ergo ille: [7] ἔνιοι δὲ φασὶν ὄνομα μὲν οὐδενὸς εἶναι, Διάλεκτον δὲ πίνουσιν ἀνθρώποις καὶ θαλειάζουσι πρέπουσαν αἴσιμα τὰ τοιαῦτα πρέειν, τοῦτο γὰρ τὸ Μανέρωτι φραζόμενον ἀναφωνεῖν ἑκάστοτε τοὺς Αἰγυπτίους. *Sunt qui Maneratem negent hominis esse nomen; sed affirmant ista voce convivas modestiæ admoneri, atque hoc est, quod identidem nominando Manerothe Ægyptii significant*. Vides quam nihil dicamus, nisi quod ab antiquis dictum, & quam in ipsis antiquorum scriptis contineantur explicationes illæ, quæ ex Hebraismo hic adducimus. Quod Isidi semper apponantur fruges, quodque frequentissime frugum inventrix dicatur, exinde originem trahit, quod Adamum primum fuisse Agricolam indubitato constet. Nec aliunde Sacerdotes Isidis *linigeri*, quam ut repræsentarent Evam in statu innocentiæ puram, innocuam, sine sordibus, sine macula; recte enim tum demum rem procedere arbitrata antiquitas, si animo responderet corpus, mentisque candorem candida vestis proderet. Hæc igitur ita se si habeant, non adeo absurde Diodorus: [8] Ἶσιν μεθερμηνευμένην εἶναι παλαιάν, *Isidem explicatam esse antiquam*, cui nomen ei esse ἀπὸ τῆς ἀιδίου καὶ παλαιᾶς γενέσεως subjungit; quamvis enim nomen exinde sortita non sit, antiquissimam tamen eam fuisse quis negaverit?

Atque hæc ita cum se habeant, quidni miramur simul, & rimamur Gentilium scripta, cum tam frequenter Sacras Literas exprimant? dolendum vero me Judice tam paucos hodie dari Bochartos, Sanfordios, Dikinsonios, Huetios, qui tam velint, quam possint, pretiosas adeo Gemmas ex hoc sterquilinio eruere; alioquin enim multa eruerentur, quæ satis crassa jam caligine sepulta. Exemplum adferam dictis hactenus adamussim respondens: Οὐλομένην illam Ἄτην quam nominat Homerus, ἣ πάντας ἀᾶται, *quæ omnibus nocit*, & quam e cœlo dejecisse dicitur, quæ inquam illam? Minus accurato Diabolum vult Justinus Martyr: [9] Evam puto, dictam ita eadem fere ratione, qua Isis; cum enim Adam dicit: [10] זאת יקרא אשה *illa vocabitur Isha*, Anquelos addit: [11] vocabitur אתתא, unde Ate. Sed hæc ἐν παρόδῳ, cum avocent, quæ adhuc

[1] Plutarchus Iside pag. 367.

[2] Plutarchus de Iside & Osiride.

[3] Ibidem.

[4] Eodem loco.

[5] De Idolatria Gentilium libro I. p. 201.

[6] Vide Plutarch. pag. 365.

[7] De Iside & Osiride pag. 357.

[8] Bibliothecæ libro primo.

[9] In cohortatione ad Gentes.

[10] Gen. 3.

[11] Ad eum locum.

adhuc demonſtranda reſtant, cum hactenus tacentibus Woſſio & Huetio, imo omnibus aliis Iſidis ſacra primi vere explicuimus.

CAPUT DUODECIMUM.

I. De Diis dicta ambigui ſenſus juxta Tyrium. Cur humanam Diis formam Veteres attribuunt? Æthiopes ſimos ſibi Deos effingunt, Reges Deos faciunt. II. Panes, Sileni, Satyri, Luciano barbari. Pan an tabula Geographica, Pan unde? Panici terrores, Pan cur Scolita? minus felix Huetii conjectura. III. Hercules unde? Hercules, Melicartus, Belus, Alexikakus, Caranus, Silvanus, Buraicus, Charobs, Manticlus, Cabirius, Maciſtus, Tyrius, Erithræus quis? & unde? IV. Satyri unde dicti? Satyri libidinoſi, Satir Patronus, Satyri latentes, Satimnus quid? & unde? Silenus unde? Iſraelitæ cur Dii ab Ethnicis crediti? Silvanus unde? Sylva per i ab Antiquis ſcriptum. Sileni cantus unde? Silenus cur Aſino vectus? Cur ad aquas habitat? Cur Senex? In Palæſtina ſepultus. Quid Enna? Quid Perguſa. Satyri juniores Silenis. Cur latentes? Cur cœli honore non dignatur eos Jupiter? Cur lacte tanquam cibo utuntur? Cur in Nymphas procaces? Cur hirci? Dæmones ſub hircorum forma, Hirci culti, Satyri Dæmones. V. Mercurius e Maja genitus, &c.

I.

Atque iſta quidem, quæ hactenus demonſtravimus, monent nos de vera ratione explicandi Gentilium de Diis, Deabuſque opiniones. Unde rectiſſime Maximus Tyrius, cum *de amatoria Socratis* loquitur, αὐτίκα, inquit: [1] ϗ ὁ μὲν περὶ τȣ̃ Διὸς τοσαῦτα εἰπȣ́σας. ϗ τȣ̃ Α'πόλλωνος, ϗ τῆς Θέτιδος, ϗ τȣ̃ Ἡφαίςȣ καταμαντεύεται τȣ̃ λόγȣ, ὥς φησὶ μὲν ταῦτα ἕτερα δὲ αἰνίττεται. *Statim enim quicunque ejuſmodi vel de Jove, vel de Apolline, vel de Thetide, vel Vulcano audit, non aliter quam in oraculo aliud verba dicere, aliud ſignificare intelligit.* Rectiſſime Tyrius, nihil omnino in ſcriptis Veterum occurrit, niſi quod aliter, quam verba jacent, interpretari te oportet, imo quæ de Diis dicuntur, non niſi de puris putis hominibus intelligendum eſt, ut omnino animadvertas: tantum vero abeſt, ut, dum hæc eloquor, Philoſophorum effata timeam, ut longe potius haud exiguam me apud eos gratiam initurum confidam. Quæ quidem ita ſe habere eo certius ut pateſiat, procedat ex Academo citatus nuper Maximus Tyrius, cujus eam in rem verba ita ſe habent [2] ϗ ȣ̓κ ἄλογος ἡ ἀξίωσις τ̃ τὰ ἀγάλματα ἐς ἀνθρωπίνην ὁμοιότητα κατασησαμένων. ἡ γὰρ ἀνθρώπȣ ψυχὴ ἐγγύτατον Θεῷ ϗ ἐμφερέςατον. ȣ̓ δήπȣ εἰκὸς τὸ ὁμοιότατον αὐτῷ περιβαλεῖν τ̃ Θεὸν σκήνει ἀτοποτάτῳ. *Sed nec improbandum eorum videtur conſilium, qui humanas Deorum imaginibus affinxere formas, ſiquidem Deo ſimillima eſt anima hominum, nec æquum videtur rem ſui ſimillimam deformi includere corpori voluiſſe Deum.* Atque his præcipue rationibus adducti Gentiles, poſtquam Deorum naturam humanis corporibus commodiſſime exprimi poſſe opinione næ nimis inſulſa abrepti crediderant, nonnullos deinde homines tanquam vivas Deorum imagines adorare non dubitarunt. Nec eſt ut ea quis miretur, cum quævis Gens ea omnino ratione Deos formaverit, quam fore convenientiſſimam, & præ reliquis omnibus numeris abſolutam crederet; hinc enim illud eſt, quod ſcribit Theodoretus: [3] τȣ̀ς μὲν γὰρ Α'ιθίοπας μέλανας ϗ σιμȣ̀ς γράφειν εἴρηκε τȣ̀ς οἰκείȣς Θεȣ̀ς, ὁποῖοι δὴ ϗ αὐτοὶ πεφύκασι. *Æthiopes enim ſuos ſibi Deos atros ac ſimos effingere dicit, quales nimirum natura ſunt ipſi.* Nec aliud quidem commodius ſententiæ noſtræ inſerviet, quam quod ipſa Æthiopum confeſſio ſuppeditat: jactant quippe illi morem conſecrandi Reges ſibi debere Ægyptios, quod quidem aperte ſatis indicare mihi videtur Diodorus Siculus: [4] τὸ γὰρ τȣ̀ς βασιλέας Θεȣ̀ς νομίζειν Α'ιθιόπων ὑπάρχει ἐπιτηδεύματα. *Reges enim Deos facere Æthiopum eſſe inſtituta.*

II. Quicquid vero illud ſit, ut ſuperius Iſidem non eſſe niſi Evam demonſtravimus, ita hic Pana cum ſociis ſuis, Silenis, Satyris, & Sylvanis, non niſi Hebraiſmo originem debere dabimus. Geſta quidem Panis recenſere hic, & cum Moſaicis conferre non libet, cum totum id negotium occupaverit antea, & penitus confecerit Vir illuſtris, meoque præconio longe major Petrus Daniel Huetius, adeo quidem ut nihil fere, in quo induſtriam noſtram exerceamus, reſtet. Temperare tamen nobis non poſſumus, quominus, quæ ille, aliique prætergreſſi, hic aggrediamur, demonſtrandum nomina horum Palæſtinæ originem debere, id quod Priſcis non adeo incognitum ſuiſſe perſuadere forte poterit Lucianus, qui Momum Jovem hac ratione allocutum introducit [5]: ὁ γάρ τοι γενναιότατος Διόνυσος ἡμιάνθρωπος ὢν, ȣ̓δὲ Ἕλλην μη-

[1] Sermone Octavo.

[2] Eodem in loco.

[3] Sermone 3. de Angelis, Diis, Dæmonibus, operũ Tom. 4. p. 512.

[4] Bibliothecæ pag. 154.

[5] In convivio Deorum pag. 907.

μητρόθεν, ἀλλὰ Συροφοίνικος τινὸς ἐμπόρυ τῦ Κάδμυ Θυγατειδῦς, ἐπείπερ ἠξιώθη τῆς ἀθανασίας, ὅυτος μὲν αὐτὸς ἐςὶν ὐ λέγω - - - ϗ Θεὺς ἀπέφηνε τ̃ Πᾶνα, ϗ τὺς Σιληνὺς, ϗ τὺς Σατύρυς ἀγροίκυς ϗ αἰπόλυς τὺς πολλὺς σκιρτητικὺς ἀνθρώπυς ϗ τὰς μορφὰς ἀλλοκότυς. *Ille enim generoſiſſimus Dionyſius ſemihomo exſiſtens, neque a materna ſtirpe Græcus, ſed Syrophœnicis cujuſdam mercatoris, nempe Cadmi, nepos, poſteaquam immortalitate donatus eſt, cujuſmodi ille quidem ſit, non dico - - - Ille vero totam Fratriam nobis induxit, & toto choro advecto præſto eſt, Deoſque declaravit & Pana, & Silenum, & Satyros agreſtes quoſpiam, & caprarios permultos homines, ſaltationi deditos & forma monſtruoſa ſpectabiles.* Poſtquam igitur, vel ipſo Momo judice, ex Hebraiſmo licet nobis deducere eorum originem, age nomina omnia Hebrææ linguæ ortum debere luculentiſſimis argumentis demonſtrabimus. Quod igitur ad Panem attinet, fateor quidem arbitratum me antea Græcum id eſſe vocabulum, & quidem τὸ πᾶν, at nunquam ſane perſuadere mihi potui, Græcos voluiſſe ſub hoc nomine totam Deorum catervam innuere, diverſiſſimam ab hac omnino fovi ſententiam, & indicatam credidi tabellam, Carthamve Geographicam, quæ univerſum hoc totum puto orbem exhibet, cui quidem ſententiæ non leve patrocinium ſubminiſtraverant iſta Orphaica:

> Πανὰ καλῶ κρατερὸν, κόσμοιο τὸ σύμπαν
> Ο'υρανὸν, ἠδὲ θάλασσαν, ἠδὲ χθόνα παμβασίλειαν
> Καὶ πῦρ ἀθάνατον, τάδε γὰρ μέλη ἐςὶ τῦ Πᾶνος.

Panem voco fortem, mundi univerſum, cœlum, & mare, & terram, omnium reginam, & ignem immortalem; hæc enim ſunt membra Panis. Quamvis enim hæc omnia in Chartham Geographicam apprime, ut cernitis, quadrant, quamvis alias rationes longe forſan majoris momenti habuerim, eam tamen hic ſententiam revoco, nec poſſum aliter, cum ipſe Momus jubeat, & res ipſa loquatur, Hebraiſmo Panem originem debere. Ut autem paucis me expediam, dictus mihi Pan, quaſi Deus פן *Pan terrens*, vel פאן *terror, conſternatio*, vel quia Moſes, quem Panem eſſe docebit Huetius, finitimis populis nimium incuſſit terrorem, vel quia Pan ipſe terroris Deus ab antiquis creditus fuerit. Hinc enim, ni fallor, nec aliunde panicus terror toties apud profanos Scriptores obvius, & pro ingenti nec audito terrore poſitus: Pauſaniæ verba hic ſi exſcribam, videbitis nonnihil ſententiæ meæ conſonum: [1] ἐν δὲ τῇ νυκτὶ φόβος σφισὶν ἐμπίπτει πανικός. τὸ γὰρ ἀπὸ αἰτίας ὐδεμίας δείματα ἐκ τῦτυ φασὶ γίνεσθαι. *Ea nocte Panicus illos inceſſit terror; trepidationes enim ſine cauſa ab illo fieri dicunt.* Quibus quidem omni ex parte congrua habet Diodorus Siculus, [2] ut adeo nihil hic abſurdi dixerim, cum vix perſuadere ſibi aliquis poſſit, tam antiquum Deum appellationem Græciæ (cujus incolæ hiſce in rebus, dicente Phœbammone, pueri) debere. Pan cognomento Σκολεθας apud Pauſaniam memoratur, at unde? nonniſi ex Hebraiſmo id diſces; næ ingenioſe quidem, ſed minus probabiliter conjicit Huetius, cum deductum id nominis ab אשכל *uva* autumat, creditque reſpici ad prægrandem illam uvam, quam in conſpectum totius Iſraelis produxerunt Caleb & Joſve; ſed ſi tanti viri hypotheſin cenſere mihi liceat, vix crediderim reſpexiſſe ad talia in denominatione Panis Ethnicos, quin potius dictum eum סכל *id eſt inſanientem* autumo, præſertim cum talis a Veterum pleriſque Luciano, [3] inprimis, qui Deorum mores accurate ſæpius exponere ſolet, deſcribatur.

III. Sequitur in Deorum catalogo apud Siculum Hercules: quis iſte? unde nomen ſortitus? ut puto a radice Hebræa רחל (licet Hebræis non adeo uſitato) quod eſt mutare ſedes, unde forſan רחל *mutans ſedes*, & in eo majorem Emphaſim addito ה, הרחל dictus fuerit. Cauſam vero hujus denominationis ſi quis quærat, afferri illa hodie facile poterit; nihil enim hodie notius, quam Herculem Joſvam eſſe, qui ſedes ſuas revera commutavit, novas tam ſibi, quam Iſraelitis quæſiturus, quam quidem ſententiam noſtram ipſe Hercules corroborabit, qui ſe Phœnicium confitetur, & evincunt idem cognomina ejus omnino, ſi accuratius examinentur Hebræa, ſi non omnia, ſaltem quam plurima. Quis Hercules Melicarthus, antiquiſſimus Philoni Byblio [4] nominatus, niſi מלך קרתא *Rex Urbis*? Mos quippe apud veteres fuerat, ut tutelarem unicuique fere Urbi Deum eligerent. Quis Hercules Indicus, quem Belum cognominatum reliquit Cicero, [5] niſi בעל *Dominus*? Quis Hercules Α'λεξίκακος, vel ut alii Alexis, niſi יהשע *Joſva Salvator*? eamdem quippe ſignificationem utrumque vocabulum habet; hinc enim Herculem σωτῆρα, teſtante Pauſania, coluerunt. [6] Quis & unde Hercules Caranus, quem ex Werrio & libris Pontificalium nominat Servius, niſi a קרן *cornu*? cum notum ſit, quod Moſen cornutum voluerint, quod nos quoque ante docuimus, & plurima ex Moſaica hiſto-

ria

[1] In Phocicis libro græciæ 10. p. 653.

[2] Bibliothecæ pag. 469. & alibi.

[3] In Deorum concilio.

[4] Apud Euſebium præpar. Evang. l. 1.

[5] Libro 3. de natura Deorum.

[6] In Achaicis.

ria in Herculis fabulam inducta fuerint; unde Silvanus Hercules apud Victorem, nisi, ut mox explicabimus, ex Hebraismo? Mortuo enim jam Mose successit Josva, atque ita juxta confessionem Pausaniæ Silenus factus: notandum vero in antiquis numismatibus conjungi eos hac ratione: SILVANO ET HERCULI, ut adeo Silvanus, id est Moses præponatur, cum dignitate Josva major fuerit. Quis Hercules Victor, cujus aras in foro Boario memorat Ovidius, & ad ostium Circi maximi Servius, nisi Josva sic dictus, quod tot gentes devixerit? Quis & unde Hercules Βυραϊκὸς [1] nisi ab Hebræo ברוך *Barak benedictus*, quod illi more suo pervertentes Burak dixerunt? Atqui hac quidem ratione omnia, ni fallor, vel pleraque Herculis cognomina explicari poterunt. Sic Pausanias [2] in Bœotia ἐςὶν Ἡρακλῆς χάροψ *est Hercules Charops*. Quid hoc sibi velit, nemo hactenus monstrare poterit, nisi in subsidium linguam Hebræam advocet, dictus ita quasi קרוב *Charob, consanguineus*. Cum enim Bœoti Phœnicibus arctissime sanguine juncti, non mirum quod Josvam consanguineum dixerint: simili ratione occurrit nobis Ἡρακλῆς καλέμενος μάντικλος [3] *Hercules vocatus Manticlus*, quem dictum omnino arbitror a נתק *evellere*, *ejicere ex urbe* מנתק *Mantik* crederem, cum Josva Cananæos omnes revera ejecerit, & a sedibus propriis expulerit. Hercules Cabirius ex Hebræo כבר *Cabir*, vel *Cabir magnus*. Τᾶ Μακίςω Ἡρακλέους ἱερὸν *Macisti Herculis templum* memorat Strabo, quod a מחץ *Machtas*, & *per* Metathesin *Machast*, *interfecit*, ut adeo sit *Hercules interfector*: nec mirum id cognominis illi imponi, cum Josva omnes sibi obvios ex hostibus absque commiseratione interfecerit. Ultimo Hercules Erythræus & Tyrius satis aperte indicat Phœnicem se esse, cum vel ipsissimum id nomen probet, atque hæc de cognominibus Herculis dicere quidem possumus, cum maximam partem ab aliis nondum tacta sint: gesta vero ejus cum Josvæ historia Huetius cum contulerit, vix aliquid, in quo industriam nostram exerceamur, ejus ἀκρίβεια nobis reliquit: satius igitur arbitramur omittere ea, quam quæ ille optime scripsit, pessime exscribere. Jovis historiam cum superiori libro explicuimus, non opus, ut coctam semel crambem hic recoquamus.

[1] Videatur Pausanias.

[2] in Bœoticis p. 594.

[3] Pausanias in Achaic. p. 449.

IV. Panem tanquam fidi comites sequuntur Satyri, quales vero illi sint, & unde dicti, vix absque Hebraismi ope explicandum: forte dicti a שטורים שתר *bacilliferi: baculum gerentes*, cum tribui illis Pastoralis baculus a Virgilio, Ovidio, Luciano soleat, nec fere nisi cum baculo, vel in numismatibus, vel in statuis antiquis occurrant: præterea cum שתר obscœno sensu haud raro occurrat, forte eum a baculo, sed improprie sic dicto, denominatum, idque ob libidinem effusam nimis crederes, cui quidem conjecturæ assurgere mihi videtur Macrobius [4] qui ἀπὸ τῆς σάθης dictos eos autumat: a qua sententia nec abludit Hesychius, [5] ut adeo Satyrus sit tanquam *libidinosus*, *peni deditus*, ceu eum vocat Calpurnius Piso; [6] sed cum obscœna hæc sint inhærere illis diutius nolumus.

Forte vero dicti a סאטר *Satir* [7] *Patrono*, cum eam apud Poetas appellationem ipsis tribuere sæpissime soleant Pastores, qui sub hujus Dei tutela vivere præprimis credebantur, ut adeo a frequenti eorum vociferatione dicti fuissent.

Verum maxime probabilem ultimo loco conjecturam adferam, cui fides omnino habenda, cum certiorem dari posse vix crediderim: dicti igitur Satyri tanquam סתורים, *Saturi;* etenim quod *y* in *u* mutetur, ne mireris, cum literæ hæ, ut cognatæ sæpius ab antiquis inter se permutentur: & factum id in hac ipsa voce dudum observavit Pierius [8] idque ex Romano codice, ubi *Saturos* legitur, satis clare demonstravi: quare vero hac id ratione scriptum autumas? non nisi ut servaretur vestigium aliquod ejus vocalis, cui originem debent: dicti vero ita vel quia in speluncis, & abditis locis sacra iis peragere Romani soliti fuerant, vel quia in sylvi, degere credebantur, & latibulis potius quam habitaculis gaudere; etenim Euphemius Car [9] ἐρήμους νήσους eos inhabitare dixit, cui ea in parte adstipulatur Pausanias, [10] qui sedula se cura circa hanc rem usum jactat. Quid? quod ea quidem ratione explicare licet Satyrorum cognomen dudum a Macrobio [11] allatum, *Satimnus*, quod hactenus crucem Criticis non semel duntaxat sed amplius fixit; etenim quamvis Macrobius ipse sensu id obscœno explicet, longe tamen mihi satius videtur, si relicta post tergum Græcia Palæstinam petamus, & ab ejus incolis subsidium quæramus, qui statim docebunt nil id esse aliud quam סתום vel סתים *Sathim occultus*, ut adeo priori derivationi apprime quidem hæc me judice respondeat; antequam vero cultus Satyrorum originem pandam, paucis mihi omnino de Sileno dicendum. Dictus vero ille tanquam סיליון *Silion ebriosus*, qualis apud omnes antiquos occurrit, id quod sexta Virgilii Ecloga apertissime pandit, quæ in nulla re alia quam

[4] Saturnalium libro 1. cap. 8.

[5] In voce σάθη.

[6] In animalibus.

[7] Vox ista Arabica.

[8] Ad Virgilii eclogam 6.

[9] Apud Pausaniam

[10] Libro atticorum p. 4.

[11] Saturnalium libro 1. cap. 8.

quam ejus ebrietate deſcribenda occupatur. At Silenus iſte cum omnibus ſuis Satyris e nulla re alia originem traxit, quam ex Moſis & Iſraelitarum per deſerta itinere, id quod præſertim de Satyris neminem ante obſervaſſe valde miror: at quod omnes Iſraelitas Deos fecerint Ethnici, non adeo iis mirandum, quibus ſummam eorum in fingendis Numinibus licentiam penitius inſpicere volupe fuit, & præterea rationes ſe habuiſſe ſatis prægnantes arbitrati ſunt; etenim cum Iſraelitæ in ſacris literis [1] dicantur בני אלוהים, Græci id verterunt more ſuo Θεῶν παῖδες *Deorum filii*, atque id juxta Græcæ linguæ genium per Θεὸς *Deos* expreſſerunt, quod antea a nobis ſufficienter explicatum: ratio vero, quare talem exinde fabulam formaverint, in ſequentibus dilucide patebit. Silenum olim Silvanum dictum accepimus; at unde, niſi ab Hebraiſmo vocis ejus origo petenda? Perperam hercle id ἀπὸ τῆς ὕλης deducunt Macrobius [2] & Servius; [3] perperam alii ἀπὸ τῶν ὑλῶν, quidni longe rectius ab Hebræo vocabulo סלוי *Silve*, quod *ſpinas* denotat, & inde pro ſpineto? imo in Rabbinorum ſcriptis, atteſtante Scindlero, pro ipſis Sylvis ponitur; unde quoque in Veterum libris *Silvanus*, non *Sylvanus* ſcribitur, imo fortaſſis exinde quoque fluxit, quod Silva per i apud omnem Antiquitatem ſcribatur, (hoc enim vocabulum ex eodem fonte promanaſſe certiſſimus ſum) unde affirmare id non dubitat Manutius, & quidem his verbis: *Sylva cum i omnis ſcripſit antiquitas, alii ſcribunt per y contra libros, lapideſque omnes*, cui adſtipulatur Becmannus. [4] *Scribitur Silva per i*. Neque id mirum, ſi a Silvis nomen ſortitus ſit Moſes, cum in iis vixerit, imo etiam tum demum mortuus fuerit. Cantantem Silenum introducit Virgilius. [5] Apprime! At quid cantavit? Audi, ſi lubet, ipſum Virgilium dicentem:

Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque, animæque, mariſque fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis, ut his exordia primis,
Omnia, & ipſe tener mundi concreverit ordo.

Nil aptius Sileno cantandum attribui potuit, cum Moſes omnium rerum creationem aptiſſime deſcripſerit. Nihil notius, quam equitatio Sileni ſuper aſinum, unde quoque Luciano ἐπὶ ὄνε τὰ πολλὰ ὀχέμενος audit. [6] Cauſam hujus fortaſſe quæris? Attende ergo ad Moſen, cujus iter per deſerta ope aſinorum confectum in Sacra Scriptura memoratur. Silenum præterea ad aquas habitaſſe fabulati ſunt, ne periret memoria Moſis, qui toties una cum reliquis Iſraelitis ad aquas caſtrametatus; at ubi habitaverit Silenus, ediſſeret Bion apud Athenæum, [7] ſcilicet ad Ennam, ita hortos amœniſſimos vocatos Veteres prodiderunt: at unde niſi ab Hebræo עין נעם *hortus amœnitatis*? ubi vero iſte ſitus, edocebit, Ovidius [8]

Haud procul Ennæis lacus eſt a mœnibus altus
Nomine Perguſa.

Recte *lacus*; ברכה enim Hebræis eſt lacus. Aptiſſime hæc conſarcinata ſunt; nam quemadmodum Silenus ad lacum prope hortos habitavit, ita in Elim, ubi conſtitit cum cohorte Iſraelitarum Moſes, tam arbores elegantes quam fontes fuiſſe legimus. Silenum provecta quidem ætate ſenem memorant, at talem, ut ſuis ſit juvenilior annis, atteſtante Ovidio, [9] quia vegeta & morborum malique expers Moſaica ſenectus Gentibus adeo nota fuerat, ut Moſes Trebellio Pollioni [10] *queri* dicatur, *quod juvenis adhuc interiret*. At nihil apertius evincit Silenum origine Judæum eſſe, quam ingenua Pauſaniæ confeſſio, qui, ἐν τῇ Ἑβραίων χώρᾳ Σιληνȣ μνῆμα *in Hebræorum loco Sileni monumentum* [11] memorat. Verum enim vero clarum hoc eſſe maxime confido, Satyros autem eſſe Iſraelitas minime dubito, cum Moſen hi, quemadmodum illi Silenum, ſemper comitati ſint: digna vero præprimis Pauſaniæ verba arbitror, quæ huc adſcribantur, ita vero ſonant [12]: τȣ̀ς γὰρ ἡλικίᾳ τῶν Σατύρων προήκοντας ὀνομάζȣσι Σιληνȣ̀ς. *Maximos enim natu Satyros Silenos nuncupant*: aptiſſime ad rem: Seniores enim Iſraelitarum elegiſſe Moſen in ſibi ſubordinatos nemo ignorat, cumque reliquos inter maximus ipſe fuerit, tam dignitate, quam reliquis animi dotibus, velut inter Satyros Silenus ſalutari poteſt. Quod vero Iſraelitæ סתורים Saturi id eſt *latentes* dicti fuerint, ne mireris, cum tamdiu in ſylvis latuerint: inde etiam Satyri Sylvarum, & Paſtorum Dii, quod nempe Iſraelitæ partim in Sylvis perpetuo vixerint, partim paſtoritiam vitam egerint, nec divitias fere, niſi armenta habuerint. Hinc quoque inexhauſtæ libidinis Satyri apud Ovidium vocantur, [13] quod Iſraelitæ ſcilicet ſcortatione cum Madianitarum filiabus ſupremum Numen offenderint. Quod vero Jupiter apud Ovidium introducatur Satyros hoc cognomine ſalutans:

Quos nondum cœli dignamur honore

non aliunde profectum arbitror, quam quia

[1] Gen. 5.
[2] Saturnalium lib. 1. c. 22.
[3] In Æneidos 8.
[4] de Or. ling. lat. p. 988.
[5] Eclog. Silenus.
[6] In Deorum concilio.
[7] Deipnoſ. l. 1. c. 26.
[8] L. 1. de arte amād.
[9] Metamorph. l. 10.
[10] In Claudio cap. 6.
[11] Eliacorum libro 2. p. 203.
[12] In Atticis libro 1. p. 45.
[13] Faſtorum lib. 1.

quia Israelitis, qui cum Mose Æpypto profecti fuerant, non permissum erat terram promissam ingredi (Calebum & Josvam si exceperis) nec forsitan aliunde, quod Satyrorum cibus apud Euripidem [1] dicatur:

Καὶ τυρὸς ὀπίας ἐςὶ κ̀ βοὸς γάλα.

Coagulatus caseus est, & lac bovis quam quia Israelitis promissa fuerat terra lacte & melle scatens. Notabile præterea est: quod Satyri verum Dei cultum introduxisse non nemini dicantur [2] nec aliunde tamen, quam quia Moses & Israelitæ soli verum veri Dei cultum propagaverint: cur vero hirci dicti fuerint, paucis accipite. Animadvertendum, olim forte pervenisse ad Gentiles dictum illud Levitici: *non sacrificabitis amplius* שעירים *Sairim hircis*, id enim per hircos verterunt interpretes, unde Aquila θειχίονας habet, non aliam sane ob caussam, quam quia hircos olim vocatos Dæmones, multi prodant, ut Kimhi, qui causam addit: לפישהם נראים כדמות השעירים למאמינים בם *quia credentibus in se hircorum specie conspiciendos se offerunt*, cui assurgit Majmon in Moreh Nebuchim [3] & similia sæpe in ipsis Græcorum scriptis inveniuntur; notum quippe quod de Simonide narratur, eum a Dæmone adamatum: videatur vero, qua id ratione a Jamblicho [4] apud Photium [5] exprimatur: τράγυ τὸ φάσμα ἐρᾷ Σιμώνιδος, *hirci phantasma amavit Simonidem*. Hæc cum ita se habeant credo, facili errore pro שעירים שתירים legisse profanos, atque ita Satyros interpretatos; cumque omnes verterent hircos, nata exinde tot Gentilium figmenta, ut, cum Satyros hircos voluerint: nec adeo mirum haberi debet, si Divino hircos honore dignari non erubuerint; etenim ex zabiis quosdam fuisse, qui Dæmones colebant, & eos divino honore afficiebant, unde etiam Dæmones שעירים dicti, quæ opinio dudum dilatata fuit, testatur Maimonides, atque hinc etiam Etymologicum magnum tragœdias derivat: ὅτι τὰ πολλὰ οἱ Χοροὶ ἐκ Σατύρων σύνίςαντο, ὓς ἐκάλυν τραγυς. *Quod Chori plerumque ex Satyris constabant, quos hircos appellabant*: sic τράγον τιμῶτι Μενδήσιοι *hircum colunt Mendesii* dicente Strabone, [6] cui consentit Herodotus, qui αἶγας eos colere, [7] & Diodorus [8] qui ὅτι τράγον ἀποθέωσαν dixit. Sic Lucianus [9] inter numina τράγον recenset, cui consentiunt Phavorinus, Nazianzenus, Stephanus, Plutarchus, Svidas, Elias Cretensis: inde Jupiter τραγοπρόσωπος, apud Thebanos referente Herodoto. Accedit huic, quod hos שעירים per Dæmones versos a nonnullis, ut Aquila animadverterit; τειχίωνας enim scripsit; at τειχίωνες Dæmonis genus agreste & tenebrosum juxta Procopium. His igitur omnibus permoti Dæmones hircos fecerunt.

V. Bacchi & Mercurii fabulas tam plene explicuit Huetius, ut post ejus operam nihil nostræ diligentiæ relictum sit, nisi forte levia quædam, ut quando Mercurius dicitur Maja genitus; respicit enim ad id, quod Moses e מים *Majim aquis* extractus fuerit, atque inde nata Ethnicis fabulandi occasio, quod Maja genitus fuerit.

[1] In Cyclop. V. 136

[2] Lactantio l. 2. de falsa relig.

[3] Libro 3. cap. 4.

[4] In Babylonicis.

[5] Cod. 152.

[6] Geogr. libro 17.

[7] Lib. 2. cap. 46.

[8] Lib. 1. p. 55.

[9] In Imaginibus.



CAPUT DECIMUM TERTIUM.

I. ÆThiopes circumcisos memorat Herodotus, quem falso exscribit Freculphus. II. Spenceri & Marshami error. Colchi Ægyptii origine secundum Agathiam, Marcellinum, Scymum, Periegetem, Apollonium, Valerium Flaccum. Colchi Æthiopes dicuntur apud Hieronymum, & Sophronium. Colchi nigri apud Pindarum, Herodotum: error Herodoti. Phœnices negant se circumcisionem didicisse: verba Theodoti Æthiopes circumcisionem a Judæis didicere, juxta Artapanum, error Marshami. III. Judæi circumcisionem stricte observant, verba Abarbanelis. IV. Præputia cordis in Pirke Eliezer, circumcisio sine fide nil prodest juxta R. Lipmannum, verba Claudii Regis Æthiopum. V. Ritus circumcisionis Judaicæ, si denudatio omittitur, circumcisio illegitima juxta Judæos omnes, si suctio juxta Thalmudicos, Æthiopes non denudant. VI. Æthiopum circumcisio ex Eutychio. Fœminæ circumciduntur.

I.

HActenus de Diis Æthiopum egimus; postulat ordo, ut aliqua eorum instituta examinemus, quæ inter primum sibi locum vendicat genitalium circumcisio, quæ, quamvis Judæorum signaculum quoddam dici merito potuerit, ad Æthiopes tamen transiit, adeo quidem ut & illi circumcisi olim fuerint, a Judæis Magistris edocti. Verum, cum varia hic consideranda veniant, ordine singula tractari debent, idque ne confusio oriatur benevolo Lectori forsitan ingrata. Primum eapropter antiquos adimus, visuri, quot eorum circumcisos Æthiopes docuerint, cumque neminem Herodoto ea in parte liberaliorem invenias, verbis ejus primum locum cedimus: [1] Μῦνοι πάντων ἀνθρώπων Κόλχοι ϗ Αἰγύπτιοι καὶ Αἰθίοπες περιτέμνονται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα, Φοίνικες δὲ ϗ Σύριοι, οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ ϗ ἀνιοὶ ὁμολογέουσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι, αὐτῶ δὲ Αἰγυπτίων καὶ Αἰθιόπων ὐκ' ἔχω εἰπεῖν ὁκότεροι παρὰ τ ἑτέρων ἐξέμαθον, ἀρχαῖον γὰρ φαίνεται ἐόν. *Soli omnium hominum Colchi & Ægyptii & Æthiopes circumcidunt ab initio præputium: Phœnices vero & Syrii, qui in Palæstina, & alii fatentur id didicisse se ab Ægyptiis; ab Ægyptiis vero & Æthiopibus dicere non possum, quinam priores didicerint, videtur enim perantiquum esse.* Quæ verba docent nimium dicere Freculphum Lexoviensem: [2] *Herodotus Halicarnasseus dicit Æthiopes ab Ægyptiis didicisse genitalium circumcisionem.*

[1] Euterpes cap. 104.

[2] Chronic. l. 3. Bibl. Patrum T. 1. p. 146.

II. Antequam vero pedem promovemus, jubet omnino res ipsa, ut ad retundendam Spenceri sententiam nos conferamus: etenim si applausum meretur, quod Marshamus, & qui eum, licet hac in parte, occulte sequitur, Spencerus docet, *Ægyptios & Æthiopas omnium primos præputia posuisse, adeoque circumcisionem Judaicam proxime quidem a Mose & Patriarchis, remote vero ab Ægyptiis profluxisse*, ruit penitus sententia nostra. At veritatis amor nobis persuadet, ut, seposito præjudicio, sententiam nostram brevissime aperiamus. Primo omnium adducta Herodoti verba urgent adversarii, & *qui*, inquiunt, *Herodotum hac in re, ubi sibi nec serebatur, nec metebatur, mentiri voluisse*, at regero: quid mirum, si Herodotus rerum Judaicarum maxime ignarus errare inscius potuerit? & quid dico potuerit? Ter sane, vel hoc in loco, tam manifeste erravit, ut manibus errorem ejus palpare possint, si saltem ad ea, quæ modo dicenda, advertere illis libuerit. 1. Colchos dicit primos omnium circumcisos, at quid ineptius? Age inquiramus sedulo, quinam isti sint Colchi, idque ne in perpetuis tenebris caligemus; quod si fidem Veterum placitis habeamus, patescet utique Colchos Ægyptiorum nepotes esse, quid clarius istis Agathiæ: [3] λέγεται δὲ τὺς Κόλχυς Αἰγυπτίων εἶναι ἀποίκυς, *dicitur vero Colchos Ægyptiorum esse colonos?* Quibus assurgit quoque Ammianus, Marcellinus [4] cum *sobolem Ægyptiorum eamque antiquam* Colchos vocat, & Scymnus Chius: [5] ὅτι δὲ Κόλχοι Αἰγυπτίων ἄποικοι ὡς φασὶν Ἀπολλώνιος, ϗ Σκύμνος ἐν τῷ περὶ Ἀσίας λέγει. *Quod Colchi Ægyptiorum advenæ, ut dicit Appollonius & Scymnus in libris de Asia.* Unde Dionysius Periegetes [6]

Κόλχοι - - μετήλυδες Αἰγύπτοιο
Colchi - - advenæ Ægypti

ea igitur omnia movere Apollonium potuerunt, ut scripserit: [7]

Αἶαγε μὲν ἔτι νῦν μένει ἔμπεδον υἱωνοί τε
Τῶν δ' ἀνδρῶν, ὓς ὅγε καθίσατο ναίεμεν Αἶαν
Æa tamen stat adhuc immobilis, atque nepotes
Horum, quos Pharius Rex degere jusserat Ææ.

Æam Colchidis Metropolin fuisse nemo in his sacris mediocriter versatus negaverit, possent hæc adducta sufficere, nisi audien-

[3] Libro 2.

[4] Libro 22.

[5] Apud Scholiasten Appollonii.

[6] Versu 689. p. 32. de situ orbis.

[7] V. 277. l. 4. Argonauticorum.

audiendus restaret Valerius Flaccus [1] qui ita de Sesostre:

> *- - hos Thebas patriumque reducit ad amnem:*
> *Phasidos hos imponit agris, Colchosque vocari*
> *Imperat.*

[1] V. 421. l. 5. Argonauticorum.

Sed dicas, facile in hanc sententiam irem, nisi apud quosdam Primitivæ Ecclesiæ Patres Colchos animadverterem Æthiopes habitos, quos inter eminet Hieronymus: [2] *Matthias in altera Æthiopia, ubi est irruptio Apsari & Hypsi portus, prædicavit evangelium.* At ubi amnis Apsarus Hypsive portus, nisi in Colchide? & post eum Sophronius [3] ἐν Σεβαστοπόλει ἐκήρυξε τῇ μεγάλῃ, ὅπου ἐστὶν ἡ παρεμβολὴ Ἀψάρου, καὶ Φάσις ὁ ποταμὸς, ἔνθα οἰκοῦσι Αἰθίοπες οἱ ἐσώτεροι. *Magnæ Sebastopoli prædicavit, ubi Apsari est irruptio, & Phasi fluvius, illic incolunt Æthiopes interiores.* At nodus iste solvi facillimo negotio poterit; omnes quippe Colchos facie nigros fuisse nemo ignorat, nisi dictos eos Pindaro κελαινωπεῖς, [4] ab Herodoto [5] μελάγχροας non animadvertit. Cum igitur omnes nigri Æthiopes ab Antiquis dicti fuerint, non mirum, si eamdem ob causam Colchi apud Antiquos Æthiopes audierint. Verum hæc ὡς ἐν παρόδῳ; etenim si Cholchi Ægyptiorum advenæ fuerint, & præterea ἀπ' ἀρχῆς circumcisi, sequitur omnino Ægyptios ante Colchorum defectionem non circumcisos fuisse, & id postea a Colchis didicisse. Iste igitur primus error Herodoti, sequitur alius cum dicit fateri Phœnices se id ab Ægyptiis didicisse. Producant Herodoti hac in parte Patroni unicum saltem Phœnicum, qui hoc de se ipso affirmet. Quid? quod non tantum id constanter negant, sed & testes verborum suorum exteros habeant? Tacitus sane: [6] *circumcidere genitalia, instituere, ut diversitate noscantur*, instituere, non didicere: novit quippe sagacissimus scriptor, id ab eis, & apud eos institutum, non vero aliunde tractum, huic adstipulatur Theodotus, qui Jacobi verba ita refert [7]:

[2] In catalogo.

[3] Apud Bochart. p. 123.

[4] V. 376. ode 4.

[5] Euterpe c. 104.

[6] Historiarum l. 5.

> Ὅς ποθ' ἑῆς Πάτρης ἐξήγαγε Δῖον Ἀβραὰμ
> Αὐτὸς ἀπ' οὐρανόθεν κέλετ' ἀνέρα παντὶ σὺν οἴκῳ
> Σάρκ' ἀποσυλῆσαι πόσθης ἀπό καὶ ῥ' ἐτέλεσσεν
> Ἀσεμφὲς δὲ τέτυκται, ἐπεὶ Θεὸς αὐτὸς ἔειπε.
> *Qui magnum Patriis Abraamum eduxit ab oris,*
> *Cælitus hunc tota jussit cum stirpe recurvo*
> *Glande sub extrema præputia demere ferro:*
> *Paruit, atque Dei verbis immotus inhæsit*

[7] Apud Eusebium præparatione Evãgel. lib. 9. c. 22.

En falli hic Herodotum, qui tertio errat cum æthiopas ἀπ' ἀρχῆς circumcisos asserat! quæ quam falsa sint, dicat pro me Artapanus, qui [8] expressissimis verbis memorat: τοὺς Αἰθίοπας, καίπερ ὄντας πολεμίους στέρξαι τὸν Μώϋσον, ὥστε καὶ τὴν περιτομὴν τῶν αἰδοίων, παρ' ἐκείνου μαθεῖν. οὐ μόνον δὲ τούτους, ἀλλὰ καὶ τοὺς Ἱερεῖς ἅπαντας. *Æthiopes tametsi hostes tam propenso in Mosen animo fuisse, ut ipsius quoque circumcisionis ab eo ritum acciperent.* Quæ Artapani confessio Herodoti verbis minime assensum præbet: & sane si verum fatear Ægyptios non nisi tum demum post Æthiopes circumcisos autumo, id, quod confirmat Herodotus, qui λίθῳ Αἰθιοπικῷ *lapide Æthiopico* uti eos affirmat; [9] quare Æthiopico? nisi ut originem circumcisionis se Æthiopibus, Æthiopes Judæis debere faterentur? At, ut pace tanti Viri dixerim, reperio in ipsis Marshami verbis aliquod, quod sententiam ejus redarguere præprimis poterit; ita enim scribit: [10] *Ex singulari quadam circumcisionis sanctitate inolevit opinio, incircumcisos fuisse immundos, adeoque non tantum a conjugio, sed etiam ab omnimoda consuetudine cum cæteris abstinendum esse. Etiam Josephi Patriarchæ temporibus* οὐκ ἐδύναντο οἱ Αἰγύπτιοι συνεσθίειν μετὰ τῶν Ἑβραίων ἄρτους, *non poterant Ægyptii comedere cum Hebræis panes.* Etenim si inter eos aliqui incircumcisi fuerunt, Ægyptii fuerunt, non Judæi, & si ob eam causam aberant Ægyptii, factum est sine dubio, quod se incircumcisos noverant, non quod Judæi tales fuerint.

[8] Apud Eusebium præparatione Evang. l. 9. c. c. 27.

[9] Thalia c. 84.

[10] In canone Chronico p. 216

III. Pergit Spencerus, & varia adducit, quæ huic sententiæ applaudunt, quæ refutare hic nolumus, cum ad hunc proprie locum non pertineat, dabitur forte occasio, ut accuratius examinentur reliqua. Quæ de Æthiopum circumcisione adferunt Diodorus Siculus, Strabo, Josephus, aliique, recensere supersedemus; partim, quod fontes ipsos potius consulere possit Lector benevolus, partim quod apud Spencerum, Marshamum, Witsium, aliosque ad nauseam usque repetantur. At non aliam ob causam genitalia sua circumcidi voluerunt Æthiopes, nisi ut ritus Judaicos omni ex parte sequerentur, cum eorum nepotes fuerint: notum quippe tam constanter, tantaque pertinacia ritum hunc a Judæis observatum, ut ipsam sibi vitam adimi æquo potius animo ferrent, quam aliquid circa consuetudinem eam omitterent. Loquetur id Abarbanel, dum precum apud Judæos solennium [11] אל חי חלקינו צורינו צוה לנו להציל

[11] פי' תורה fol. 60. Col. 2.

להציל ידידות זרע קדש משחת למען בריתו אשר שם בבשרנו. *Deus vivus pars noſtra, rupes noſtra, præcepit erui animam, ſemen-ſanctum ex fovea propter fœdus ſuum, quod poſuit in carne noſtra*, ſenſum ita explicat: התבאר טעם מצוה המילה ושלהיותה מדריכה האדם אל שלימותו ומצילתו מרדת שחת אמרו במדרש שאברהם יושב אפתחה דגהינם ואינו מניח שום בר ישראל מחול לרדת שמה. *Ratio hujus præcepti eſt clara. Et quandoquidem hominem ad perfectionem ſuam deducit, & ne in foveam deſcendat, impedit, in Medraſch dixerunt Abrahamum ſedere ad portam gehennæ, neminemque circumciſorum Iſraelitarum ingredi ſinere.*

IV. Notandum tamen maximum eſſe diſcrimen inter Judæorum & Æthiopum circumciſionem; illi enim circumcidi ſe dicunt, partim ut mandato divino morem gerant, partim ut munditiei & ſanctitatis admoneantur ארבע ערלות באדם ואחת באילן ארבע באדם מנין ערלת האזן שנ' הנה ערלת אזנים ערלת שפתים שנ' אני ערל שפתים ערלת הלב שנ' ומלתם את ערלת לבבכם ערלת הבשר מנין שנ' וערל זכר אשר לא ימול את בשר ערלתו. *Quatuor præputia ſunt in homine; in homine quatuor eſſe unde conſtat? quia dictum eſt: [1] incircumciſa eſt auris eorum, præputium labiorum; quia dictum eſt: [2] & ego præputiatis labiis, præputium cordis; quia dictum eſt: circumcidite præputium cordis veſtri [3] Præputium carnis; quia dictum eſt: præputiatus maſculus, qui non circumciderit carnem ſuam*, dicitur in Pirke Eliezer: [4] quæ quidem verba admonent, non carnis modo præputium, ſed & cordis ac oris circumcidenda eſſe, & digniſſima me judice R. Lipmanni verba, quæ hic referantur: [5] אין האמונה תלוי כי אם בלב מי שאין באמין כשורה אין מילתו משויה אותו ליהודי גם מאמין כשורה הרי הוא יהודי אפילו אינו נמול. *Non pendet fides a circumciſione, ſed e corde; qui non credit, ut oportet, circumciſio ejus non facit eum Judæum, qui vero credit, ut oportet, ille eſt Judæus, etiamſi non circumciſus.* Utinam ſalva id veritate dicere omnes, quotquot circumciduntur, poſſent, & verba R. Lipmanni non tantum orali confeſſione, ſed & vita ſua exprimerent! Quicquid vero id ſit, mentem Æthiopum nemo unquam melius, quod quidem ſcio, ediſſeret, quam ipſiſſimus eorum Rex Claudius, cujus verba ita ſe habent: [6] *quod vero attinet ad morem circumciſionis, non circumcidimur ſicut Judæi, quia ſciamus verba doctrinæ Pauli fontis ſapientiæ, & circumcidi non prodeſt, & non circumcidi non juvat, ſed potius nova creatio, quæ eſt fides in Dominum noſtrum Jeſum Criſtum; & iterum dicit ad Corinthios, qui aſſumſit circumciſionem, non accipit præputium, omnes libri doctrinæ Paulinæ ſunt apud nos, & docent nos de circumciſione, & de præputio; verum circumciſio noſtra ſecundum conſuetudinem regionis fit, ſicut inciſio faciei in Æthiopia & Nubia, & perforatio aurium apud Indos, id autem quod facimus, non ad obſervandas leges Moſaicas, ſed ſecundum morem humanum.*

[1] Jerem. c. 6. v. 10.
[2] Deut. c. 10. v. 16.
[3] Ad Eph. c. 2. v. 11.
[4] Capite viceſimo nono.
[5] Num. 21.
[6] Commentarii Æthiopici lib. 1. cap. 3

V. At dicat jam aliquis dicta hæc ab Æthiope jam Chriſtiano, alium forte morem apud antiquos Æthiopes viguiſſe, nec eos tam ſalutares opiniones habere. Fateor non eſſe hæc de nihilo, verum ſi Judæorum mentem penitius examinemus, patebit utique, magnam ſemper fuiſſe differentiam, & Æthiopes circumciſos, judaice loquendo, non circumciſos fuiſſe. Morem forte Judaicum circa hæc ſacra ſcire aves? en verba R. Moſis Kotzenſis: [7] חותכין את הערלה כלעוד המחופה את העטרה עד שתתגלה כל העטרה ואחר כך פורעים את הקרום הרך שלמטה מן העור בצפורן ומחזירו לכאן ולכאן עד שיראה בשר העטרה ואחר כך מרצץ את המילה עד שיצא הדם ממקומות רחקים כדי שלא יבא לידי סכנה ואחר שמוצץ נותן אספלנית ורטייה וכיוצא בהן. *Totum præputium, quo tegitur glans, abſcindunt, donec hæc tota appareat, deinde retegunt teneram pelliculam inferiorem unguibus in utrumque latus, donec caro glandis videatur, poſtmodum exſugunt, ut ſanguis locis illis preſſis extrahatur, ne infans periclitetur, poſtquam exſuxit, imponit emplaſtrum, & huic ſimilia.* Quod ſi aliquid ex his neglectum fuerit totam omnino circumciſionem irritam credunt, quod confirmant verba, quæ in ore fere omnium ſunt: מל ולא פרע את המילה כאלו לא מל. *Qui circumcidit, nec denudat, perinde eſt ac ſi non circumcidiſſet*; & in Thalmudis Maſſechet שבת [8] עשין כל צרכי מילה מלין ופורעין ומוצצין אמר ר' פפא האי אומנא דלא מייץ סכנה היא ומעברין ליה. *Faciunt omnia neceſſaria circumciſionis, circumcidunt, retegunt, & ſugunt. Dixit R. Papa Miniſter circumciſionis, qui non ſugit, reputandus eſt tranſgreſſor.* Cum jam notiſſimum ſit, & ex Ludolfi commentario notius fieri poſſit, Æthiopes membranam non denudare, ſequitur quoque Æthiopes ſenſu Judaico non eſſe circumciſos, ut adeo Judæi ſe ſolos circumciſos hac ratione gloriari poſſint.

[7] In ספר מצות ודול
[8] Cap. 16.

VI. Ultimo loco teſtimonium adhuc aliud afferam, quod Æthiopum circumciſionem confirmabit, idque ex Eutychio Alexandrino, cujus verba ita ſe habent

Eſt

وجنس من الحبشة يقال لها
النجاه يفعلون هذا الي هذه الغاية ☼

Est gens inter Æthiopes naja faciens istud (circumcisionem cultris lapideis ut Josua) *usque ad hoc tempus*. De circumcisione fœmellarum loqui nolumus, adeat eas aliquis, & eas indecisas vocet dicendo Arabice: *O Bandaron*, & comperiet quanto se opprobrio affectas credent: quod si quis earum rerum curiosus fuerit, videantur apud Ludolfum [1] Strabo, [2] Jovis, [3] Thevenot, [4] Hottinger, [5] Dapper, [6] aliique.

[1] Commentarii p.273.
[2] Lib. 17.
[3] Libro decimo octavo.
[4] In itinere orientali p.II.c.74
[5] In gram. Harmonic pro 1.
[6] Africæ p.417.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

I. JUdæi dicuntur recutiti a Martiali & Persio, quare? II. Repræputiatio, Josephi verba, Maimonis, Epiphanii, Pauli, Hieronymi error, verba Baal Aruc, Dioscoridis.

QUoniam nihil hactenus ex Martiali nostro explicatum dedimus, operæ forsan pretium arbitramur, si hic inferamus, quæ ad aliquem ejus locum dudum commentati sumus; ille vero ita se habet [7]:

Nec recutitorum fugis - - - Judæorum

cui loco simile aliud habet Persius [8]:

Labra moves tacitus recutitaque Sabbatha palles.

Quid vocabulum istud *recutiatus* sibi velit, nemo hactenus, me scio, pro dignitate tradidit. Scholiastes Persii hæc habet: [9] *Recutitaque instituta Judæorum significat, propter circumcisionem, quam auctores suos secuti faciunt.* Verum etiamsi, quos mihi inspicere hactenus licuit, huic consentiant, longe tamen alia ratione res se habet, &, ut meam sententiam pandam, vix credo, id vocabuli omnibus Judæis ab initio attributum fuisse, at eos saltem ita dictos, qui defecerunt a Religione Judaica, eapropter ita quasi *resumentes cutem* dicti: postea vero tum demum forsan cum ob nimiam Tyrannorum sævitiam ræpreputiationem admisere Judæorum plerique saltem Roma degentium, abiit fere in consuetudinem, ut omnes ita dicti fuerint: eodem vero sensu hoc vocabulo uti aliquos, testis erit Martialis, cujus verba ita [10] jacent:

Nec ruptæ recutita colla mulæ.

id est nova cute revestita.

II. Venire vero in quæstionem assolet: an fieri talis repræputiatio possit, quod in eo majus sententiæ nostræ stabilimentum probare tenemur: Judæos primum, quorum causa hic agitur, testes advocamus, & quidem ante alios Josephum, qui nobis unus instar omnium cum tali modo loquitur [11]: Μενέλαος καὶ οἱ Τωβίου παῖδες πρὸς Ἀντίοχον ἀνεχώρησαν καὶ τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἀπεκάλυψαν ὡς ἂν εἶεν καὶ τὰ περὶ τὴν ἀπόδυσιν Ἕλληνες. *Menelaus & Tobiæ filii ad Antiochum profecti sunt, & - - circumcisionem adduxerunt, ut nudi essent Græcis similes.* Testatur id porro R. Moses Maimonides: [12] כל המפר בריתו של אברהם אבנו והניח ערלתו או משכה אף על פי שישנו תורה ומעשים טובים אין לו חלק לאולם הבא. *Quicumque irritum facit fœdus Abrahami Patris nostri, & relinquit præputium, aut attrahit, etiamsi legem recipiat, ac bonis operibus abundet, non habet partem in sæculo futuro.* Nec defuere inter Sanctissimos Patres, qui huic sententiæ assurgere non dubitarunt, quos inter primos sibi vendicat Epiphanius: [13] τὸ δὲ ἔτι τούτων χαλεπώτερον, ὅτι καὶ ἀπὸ περιτομῆς ἀκρόβυστοι γίνονται, τέχνῃ τινὶ ἰατρικῇ διὰ τοῦ καλουμένου σπαθιστῆρος τὴν τῶν μελῶν ὑποδερματίδα ὑποσπαθισθέντες, ῥαφέντες, καὶ κολλητικῶς περιοδευθέντες ἀκροβυστίαν αὖθις αὐτοῖς ἀποτελοῦσιν. *Hoc vero adhuc gravius est, quod etiam a circumcisione præputiati fiunt arte quadam medica, per instrumentum attractorium* σπαθιστῆρος *appellatum, internam membri cuticulam attrahi sinentes, suturamque admittentes & glutinatoriis circumdatis præputium rursus superinducunt.* Quid? quod ipse Apostolus [14] περιτετμημένος, inquit, τὶς ἐκλήθη, μὴ ἐπισπάσθω. *Circumcisus aliquis vocatur? ne atrahat?* Hieronymum autem valde miror, qui, quamvis ἑβραϊκώτατος, dicit: *non est potestatis nostræ præputium adducere post circumcisionem* [15] quod veritati reclamare satis notum, etenim si priora loca a nobis adducta non sufficiant, en adhuc alium, qui occurrit in Baal Aruc [16] בילמדנו ופקדתי על כל מל בערלה מהו מול בערלה שהיו מולין ומשכו להן ערלה וחמשה היו על מצרים שהיו מהולין ביומי יוסף ושמת יוסף משכו להן ערלה ועל יהודה שהו יהויקים מלך יהודה ועל אדום זה עשו ועל בני עמון אלו שולדו בנות לות ועל כל קצוציא פיאה זה הירם מלך צור יוש אומרי אלו הישמעלים *In Jelammedenu dicitur. Quid est circumcisus in præputio? circumcidebantur, & attrahebant sibi præputium, hi numero*

[7] L.7. epigramm.
[8] Satyra 5. v.184.
[9] In Satyra 5.v.184.
[10] In Satyra 5.v.184.
[11] L. 9. Epigr.18.
[12] Antiq. l.12. cap.6.
[13] Hilchor מילה cap. 3.§.3.
[14] Fol.538.
[15] 1. Cor. 7.18.
[16] Voce cap.91.

mero quinque erant, contra Ægyptum, quia circumcisi erant in diebus Josephi, & eo mortuo attraxerunt sibi præputium, contra Judam, hic est Jehojakim Rex Judæ, contra Edom, hic est Esau, & contra filios Ammon, hi sunt, quos pepererunt filiæ Loth, & contra omnes commorantes extremo angulo, hic est Hiram Rex Tyri, sunt, qui dicunt Ismaelitas esse. Atque ista fieri posse agnoverunt præterea Gentiles, unde Dioscorides hujus rei mentionem ter injicit; primum [1] cum de Aloe agit, quæ juxta ejus mentem ἐπαγώγια παίδων ῥηχθέντα παρακολλᾷ, *dis-rupta puerorum præputia adglutinat*: secundo, cum mel nominat [2] quod λεποδέρμους τὲ τοὺς μὴ ἐκ περιτομῆς, ἀποκαθίστησι μαλασσομένης τῆς ποσθῆς τῷ μέλιτι, μάλιστα ἀπὸ βαλανείου ἐφ' ἡμέρα. λ. *Cutis glandem, quæ citra circumcisionem nudata sit, in integrum restituit, si melle præputium, a balneo potissimum, ad dies triginta emolliatur*: & tertio cum de Tapsiæ succo scribit: [3] sed plura eam in rem adducere tædet, quamvis apud Celsum aliosve obvia fuerunt.

[1] L.3.cap. 51.

[2] Libro 1. cap. 101.

[3] Libro 4. cap. 157.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

I. LOCUSTAS ab Æthiopibus esas testantur Diodorus Siculus, Strabo, Agatharchides, II. Judæi locustas edunt, verba Isaaci Judæi, Nedarim, & Cholin. Johannes Baptista locustas comedit, variæ sententiæ, locustæ delicatæ. Exercitum Israelitarum in deserto locustis, non coturnicibus cibavit Deus, id quod Gentibus innotuit.

I.

ANTEQUAM clamamus, Ilicet, convivari semel cum Æthiopibus libet, saltem, ut opera, quam eorum sacris impendimus, hilari cœna recompensari possit: age, ergo epulemur, apponite quicquid delitiarum habetis Æthiopes. Hem inferri video locustas, easque a Ludolfo dudum semesas, adeo quidem, ut cramben ab eo coctam recoquere hic cogamur!

II. Quod ut fiat, demonstrandum primo, locustas apud Æthiopes in deliciis habitas: prodeat ergo in medium Diodorus Siculus, cujus verba ita se habent [4]: Α'ιθίοπες ἀκριδοφάγοι, ἄνθρωποι μικρότεροι μὲν τῶν ἄλλων, ἰσχνοὶ δὲ τοῖς ὄγκοις, μέλανες δὲ καθ' ὑπερβολήν. κατὰ γὰρ τὴν ἐαρινὴν ὥραν παρ' αὐτοῖς ζέφυροι καὶ λίβες, παμμεγέθεις ἐκπίπτουσιν ἐκ τῆς ἐρήμου πλῆθος ἀκρίδων ἀμύθητον, τοῖς τε μεγέθεσι διαλλάττον καὶ τῇ χρόᾳ τοῦ πτερώματος εἰδεχθὲς καὶ ῥυπαρόν. ἐκ τούτου δαψιλεῖς τροφὰς ἔχουσιν, ἅπαντα τὸν βίον ἰδιοτρόπως αὐτῶν ποιούμενοι τὴν θήραν - - καὶ τῆς χώρας ἐχούσης ἁλμυρίδα πολλήν, πάντες προσφέρουσι ταύτην ἀθρόοις τοῖς σωροῖς, καὶ διαστήξαντες οἰκείως, ποιοῦσι τήν τε γεῦσιν πρόσφορον, καὶ τὸν ἀποθησαυρισμὸν ἄσηπτον καὶ πολυχρόνιον, ἡ μὲν οὖν διατροφὴ τούτοις παραχρῆμα καὶ τὸν ὕστερον χρόνον ἀπὸ τούτων τῶν ζώων ὑπάρχει. οὔτε γὰρ κτηνοτροφοῦσιν, οὔτε θαλάττης ἐγγὺς οἰκοῦσιν, οὔτε ἄλλης ἐπικουρίας οὐδεμίας τυγχάνουσι. *Æthiopes acridophagi, homines aliis breviores, corpore macilento, & supra modum nigro; veris enim illic tempore, Favonii & Africi ingravescentes infinitum locustarum e deserto numerum, inusitata magnitudine, & alarum colore turpi ac squalido, expellunt. Hinc copiosum iis per totum vitæ tempus alimentum est. Peculiari autem ratione illos aucupantur, cumque tractus ille salsugine abundet, confertis hanc acervis superaffundunt, debitaque maceratione efficiunt, ut & sapor accommodus sit, & citra putrefactionem ad bene longum tempus hoc salsamentum duret: facilis ergo victus etiam reliquo ipsis tempore ab insectis hisce exsistit, nec enim pecuariæ, nec piscatoriæ rei, utpote longius a pelago semoti, dant operam, nec aliud vitæ subsidium habent.* Quibus verbis adstipulatur Strabo: [5] Ζῶσι δ' ἀπὸ ἀκρίδων, ἃς οἱ ἐαρινοὶ λίβες καὶ Ζεφύροι πνέοντες μεγάλοι, συνελαύνουσιν εἰς τοὺς τόπους τούτους. *Vivunt vero e locustis, quas Verni, Africi, & Zephyri spirantes vehementer in hos locos deportant.* Et assurgit Agatharchides, [6] quæ quidem luculenter probant Æthiopes locustas comedisse.

[4] Bibl.hist. lib.3. pag. 114.

[5] Geographiæ libro decimo sexto.

[6] De rubro mari.

III. At unde hæc consuetudo cæteris Gentibus ignota emanavit? Ni fallor a Palæstina; Hebræos enim hoc cibi genere usos demonstrari poterit partim ipsis eorum verbis, partim exemplis: ipse sane Deus [7] locustarum esum approbat, quem amplectuntur præterea Judæi non moderni tantum, ut Israel ille, qui Ludolfo [8] scripsit, quod sapor earum כטעם הדגים שקורים הירינג שום מליחה *ut sapor piscium, quos vocant hering, antequam sallerentur*, sed antiqui etiam, unde in Thalmude Hierosolymitano, tractatu Nedarim [9], quod fide Lightfooti refero: [10] sequentia habentur: הנודר מן הבשר הא אסור בבשר דגים והגבים *qui voto se obligat de carne, interdicatur de carne piscium & locustarum*. Videatur præterea Talmudis Babylonici tractatus Cholin [11]; sed quid mul-

[7] In Levitico.

[8] Videatur commentarius Æthiopic. libro 1. capite 13.

[9] Folio 40. 1.

[10] Commentario in Matth. cap. 3. v.4.

[11] Folio 65. 1.

multis opus eſt? Comediſſe olim locuſtas Johannem Baptiſtam e Sacra Scriptura novimus, [1] etiamſi id aliter a pleriſque explicari non ignoremus. Habeant ſuum ſibi mel & oleum Ebionitæ; hoc enim, non locuſtas comediſſe Johannem volunt, [2] habeat Iſidorus Pleuſiota herbas & foliorum extrema, [3] Paulinus, Pantaleon, [4] Theophylactus, [5] Euthymius, [6] & Nicephorus [7] mel & arborum ſummitates, Surianus, vel potius Jacobus de Vitriaco [8] herbæ genus, Druthmarus [9] aviculas, Braunius [10] pyra ſilveſtria, alii alia; etenim quid opus Sacræ Scripturæ verba torquere, præſertim cum nihil inſolens dicat? anne notum ex Porphyrio, [11] Euſtathio, [12] Dioſcoride, [13] Solino, [14] Plinio, [15] Artemidoro [16] locuſtas comedi ſolitas? anne turdis eas præferre, quoad ſaporem audet Ariſtophanes [17]? cur ergo tam mirum, quod de Johanne narratur? Quid? quod docuerit Ludolfus, & quidem tam accurate, ut nihil perfectius exſpectari poſſit, שלו vocem in Bibliis notiſſimam, locuſtas denotare non cothurnices, atque adeo exercitum Iſraelitarum locuſtis in deſerto ſuſtentatum. Fateor argumenta Ludolfo adducta, adeo prægnantia eſſe, ut nihil ſufficientius iis apponi poſſe crediderim; duo tamen argumenta non minoris forte ponderis addi poſſe crederem; primo quod memoretur [18] Iſraelitas huic cibo immortuos eſſe, unde locus iſte nomen ſepulchri cupiditatum ſortitus, id quod cum cibi hujus natura apprime convenit; etenim notum ex Diodoro [19] Æthiopes, qui ſumma cum voluptate deliciis hiſce fruuntur, iis ſæpius cum periculo vitæ uti: ſecundum, quod caput rei eſt, innotuit hoc Gentilibus, & inter reliquos Porphyrio, cujus verba ita ſe habent [20]: ἄλλῳ δὲ ϛρατῷ πεινῶντι κατὰ τὴν Λιβύην ἐνέπεσε νέφος ἀκρίδων. *Alii etiam exercitui fame oppreſſo circa Libyam nubes locuſtarum adfuit*. Quem exercitum Iſraeliticum fuiſſe teſtantur circumſtantiæ; nam & fame laboravit, & ventus illas locuſtas attulit.

[1] Matthæi 3. v. 4.
[2] Vid. Bochart. Hierozoic. p. 2. lib. 4. c. 7.
[3] L. 1. epiſt. 5.
[4] in carmine de Johanne Baptiſta.
[5] in ſermone de luminibus ſanctis.
[6] in Matthæum.
[7] in c. 3.
[8] Hiſtoriæ l. 1. c. 14.
[9] Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ c. 53.
[10] in Matthæi 4. 3.
[11] in Pſeudodoxia Epidemica.
[12] De abſtinentia l. 1.
[13] in Dionyſium.
[14] De Aſiraco.
[15] in Polyhiſtore.
[16] Libro 6. c. 30. Hiſt. rat.
[17] Apud Strabonē libro 16.
[18] in Acharnane Scena 7.
[19] Num.
[20] Libro 1. de abſtinētia.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

I. Taciti ſententia de Judæis Aſſyriis admodum falſa. II. Phœnices & Hebræi ab Antiquis confuſi. Phœnices Periegetæ, Herodoto, Juſtino dicuntur a rubro mari veniſſe, cur? Quare primi litis auctores? Herodotus Judæos Phœnices vocat, quod Flavio innotuit. III. Judæi Cananæorum terras occuparunt. Cananæi cur nomen mutarunt? IV. Carthago urbs Phœnicia, ejus incolæ Pœni Valerio Maximo, Agellio, & Livio dicti, Pœni iidem cum Phœnicibus, quod probatur ex Servio & Apſyrto. Carthago Polyeno urbs Phœnicia, verſus Anthologiæ. Salam quid? Audoni. Salutatio Phœnicum & Carthaginenſium, quid? V. Carthaginenſes fatentur ſe Cananæos, inſignis locus Auguſtini productus & explicatus. Hipponenſes dicunt ſe Canani. VI. Phœnicia olim dicta Chna juxta Stephanum, error Salmaſii, Chna primus vocatus Phœnix juxta Sanchoniathonem, Chanaan Phœnicum avus juxta Eupolemum. VII. Summa eorum, quæ in hoc capite dicta.

I.

POſt explicata convenienter, ut credimus, quæ de Æthiopibus habet Tacitus noſter, reſtat examinanda quarta ordine ſententia, quam his verbis exponit: [21] *Sunt qui tradunt Aſſyrios convenas indigum agrorum populum, parte Ægypti potitos, mox proprias terras & propriora Syriæ coluiſſe*. Vera ſunt ex parte, quæ noſter habet, ut quando indigos agrorum, vel frumenti potius, & parte Ægypti potitos Judæos appellat, at cum proprias eos terras coluiſſe ſcribit, fallitur utique; notiſſimum enim, quod omnes Cananitis agros vi eripuerint, nec felicius memorat eos Aſſyrios eſſe convenas, cum ipſi hoc veritati omnino reclamat: at erroris utriuſque cauſas cognoſcite, prioris equidem breviſſime, ſed poſterioris paulo prolixius.

II. Ante omnia obſervandum volumus, Phœnices & Hebræos ab Antiquis plerumque confundi, id quod ſæpiſſime in anteceſſum inculcavimus: nec aliunde ortum arbitramur, quod apud Dionyſium Periegetem, [22] & exſcriptorem Trogi Juſtinum, [23] necnon Herodotum [24] dictos eos animadvertimus ἀπ᾽ ἐρυθρῆς λεγομένης θαλάσσης ἀπικομένους *a mari, quod rubrum vocatur, profectos*; profectos enim inde Iſraelitas nemo ignorat, quos cum Phœnices dixerint Veteres, non mirum quod τῆς διαφορῆς αἴτιοι *litis auctores* apud eumdem audiant; cum enim Cananæos expulerint Iſraelitæ, non alia ratione in commodum hoc ulciſci ſe poſſe arbitrati ſunt, quam ſi ubique tanquam diſſenſionum auctores eos traducerent, quod proinde toties in Hiſtoricorum commentariis obvium, nec vitio iis vertendum, nec a Lectoribus inſtar ſimplicis mendacii habendum; nec aliam enim ob cauſam nominatus nuper Herodotus, auctor,

[21] Hiſtoriarum libro quarto cap. 1.
[22] in libro de ſitu orbis.
[23] Hiſtoriarum lib. 18.
[24] Clio capite 1.

ctor, cui meritissimo jure fidem præ reliquis habere possumus, quique omnes & ætatis, & industriæ vires in id contulit, ut opus conderet ad seram usque posteritatem victuris proficuum, cum de circumcisione agit [1] solos quidem Φοίνικας καὶ Σύρους, ex iis, qui in Palæstina sunt, circumcidi scribit, complexus quippe sub Phœnicum nomine Judæos, quos solos ex omnibus, qui in Palæstina vivebant, circumcisos asserere haud dubitat Josephus, cui dudum eadem, quæ hic dico, suboluerunt; id quod satis aperte indigitant [2] quæ hic inserantur, omnino digna: οὐκοῦν εἴρηκε Φοίνικας τοὺς ἐν τῇ Παλαιστίνῃ περιτέμνεσθαι, τῶν δὲ τὴν Παλαιστίνην κατοικούντων μόνοι τοῦτο ποιοῦσι Ἰουδαῖοι τοῦτο ἄρα γινώσκων εἴρηκε περὶ αὐτῶν. *Verum neque Herodotus Halicarnassensis nostram ignorat Gentem, sed quodammodo ejus meminisse dicitur, dixit ergo Phœnices, qui in Palæstina sunt, circumcidi, omnium autem, qui in Palæstina habitant, soli Judæi hoc faciunt; hoc igitur noscens dixit de illis.* Apposite deprehendit Josephus ea, quæ de Phœnicibus habet Herodotus, Judæis attribuenda, satis dilucide procedere Judæos olim in Veterum scriptis cum Phœnicibus non semel confusos.

III. Hoc observato in demonstranda erroris hujus causa progredimur, & primo tanquam rem indubiam, ut ut Sacræ Scripturæ auctoritate firmatam supponimus, Judæos Cananæorum terras, ejectis incolis, occupasse, dein scripta Gentilium examinabimus visuri, quo post ejectionem suam profecti fuerint, & quali demum nomine dicti; nunquam enim in scriptis vel geographicis vel historicis, quæ a cana sed Ethnica antiquitate conscripta supersunt, Cananitarum me nomen integrum observasse memini. Si vero rem ipsam accuratius pensitemus, luce meridiana clarius patebit, Phœnices, quorum mentio apud Veteres toties occurrit, ipsissimos esse Cananitas, cum quibus quoniam societatem inierunt Idumæi, ne mireris, quod Phœnicum nomine & hi sæpissime veniant. At mutasse nomen Cananitas non aliam ob caussam arbitror, quam quia vel nomen τοῦ Chanaan exsecrandum atque ab ipso Numine maledictum noverant, vel quod hac mutatione nominis facta, sortem eo usque adversam valde mutari in melius posse crediderint; id enim in more populo Judaico fuisse cum antea demonstravero, non absurdum mihi videtur, si crediderim idem quoque ad Cananitas pervenisse, præsertim cum tale quid circa Abrahami & Saræ nomen contigisse accepimus: sed quod de Cananæorum nomine in Phœnices mutato diximus, uno alterove documento ex ipsa antiquitate desumpto demonstratum dabimus.

IV. Phœniciam urbem esse Carthaginem ignorare nemo poterit, præsertim si ad illa attenderit, quæ hanc in rem apud Veteres occurrunt; hinc enim ejus incolæ Pœni dicuntur apud Valerium Maximum, [3] Agellium, [4] & Livium, [5] Pœnos esse Phœnices satis, ni fallor, compertum omnes habent; Φοίνικες enim quod apud Veteres Φοῖνοι vocati sint, ubique in antiquorum scriptis obvium, idem quippe omnino nomen φοῖνος, & φοῖνιξ. Ad significationem si attendas, ex isto vero vocabulo ortum nomen *Phœni*, hinc φοῖνοι κατ' ἀντίστοιχον *Phœni*, si fidem mereatur Servius [6] id, quod ex Absyrto etiam clarius percipi poterit, qui γέγραπται, inquit, Μάγωνι Χαρκηδονίῳ τῇ Φοίνικι διαλέκτῳ [7] *scriptum est a Magone Carthaginensi dialecto Phœnicia*: nec aliunde Carthaginem ipsam, de qua jam nobis sermo, a Polyæno Φοινίσσαν πόλιν [8] *Phœniciam civitatem* dictam credas, quam ut demonstraret, partim a Phœnicibus Carthaginem inhabitari, partim Phœnices & Pœnos non esse diversos populos, id quod præter ista confirmare mihi videtur locus Anthologiæ [9] valde memorabilis:

Ἀλλ' ἢ μὲν Σύρος ἐσσὶ Σαλάμ, εἰ δ' οὖν σύ γε Φοῖνιξ
Αὔδονι

Sed si quidem Syrus fueris, Salam; si vero Phœnix, *Audoni*, tibi dico, Aprime! Agnosco hæc, Syri salutantes Salam dicunt; nihil enim id nisi שלום *Salom pax* sit vobis, quem morem salutandi dudum viguisse notissimum: Phœnices vero Audoni. Prodeat jam aliquis ex Charthagine, qui si Audoni salutando dicat, Phœnix absque omni dubio erit, sit vero ille potissimus ex Plautino Pœnulo Chartaginensis Hanno, quem cum Punice salutat Milphio [10] *Avodoni*, inquit, *hic tibi dicit verbis suis*: vides quam bene hæc conveniant cum Anthologia! quid vero illud Avodoni esse autumas? חוה ארני *vive Domine mi*, atque his quidem omnibus Phœnices esse Charthaginenses vicimus.

V. Dicat vero aliquis: cui hæc usui? Regero. Demonstrare animus est, Charthaginenses propria confessione Cananæos esse; certissimus quippe sum nihil clarius unquam probare posse Phœnices esse Cananæos, quam si rotundo id ore nonnemo eorum fassus fuerit. Procedat ergo iterum Milphio, qui ita Carthaginenses cum Hannone profectos alloquitur [11]: *Lechanan vos? Quos ego jam detrudam ad molas*. Quærit hic Milphio Lechanan

[1] Euterpes cap. 36.

[2] Lib. 1. c. Apionem operum p. 1047.

[3] Memorabilium lib. 4. capite 3.

[4] Noctium atticarum libro 4.

[5] Libro 26. cap. 42.

[6] in Virgilium.

[7] c. λ. 15.

[8] Stratagematum lib. 8.

[9] Lib. 3. cap. 25. epigram. 7.

[10] Pœnuli act. 5. scen. v. 41.

[11] Pœnuli act. 5. scen. 3. v. 33.

לכנען

לכנען vos ? id est An ex Canaan vos estis ? at hos Carthaginenses vel Phœnices fuisse certissime ex ipsis Plauti verbis, & toto ejusdem comediæ contextu clarissime liquet.

VI. Idem vero; nempe Phœnices Cananæos se ipsos appellasse probare insuper libet insigni quodam Augustini [1] loco, qui ita se habet: *quo loco prætereundum non arbitror, quod Pater Valerius advertit admirans in quorumdam rusticanorum collocutione, cum alter alteri dixisset salutem, quæsivit ab eo, qui & Latine nosset & Punice, quid est Salus? Respondit: tria; tum ille agnoscens cum gaudio salutem nostram esse Trinitatem, convenientiam eam linguarum, non fortuito sic sonuisse arbitratus est, sed occultissima dispensatione Divinæ Providentiæ, ut, cum a Punicis dicatur salus, a Latinis intelligantur tria, & cum Punici lingua sua tria nominant, Latine intelligatur salus; Cananæa enim, hoc est Punica - - - Unde interrogati rustici nostri quid sint, Punice respondent: Canani, corrupta scilicet, velut in talibus fieri solet, unica litera, quid aliud responderent, quam Cananæi*. Apposite Augustinus! quod enim *Salus* Pœnis *tria* significare scribat, explicari facillimo negotio poterit; etenim Hebræis tria שלוש *Salos* audiunt, quod a vocabulo *Salus*, quoad pronunciationem, non ita multum abludit: inde tota ejus nominis amphibolia absque omni dubio nata, & inde ortum, quod de salute nostra per Trinitatem occulte a Pœnis agnita differit. Quod vero præterea Punice se esse Canani כנעני fateantur, rectissime dicunt, & multo rectius quam Augustinus ipse, qui corrupte ita dici pro Chananæi autumat.

[1] In expositione incœpta epist. ad Roman. Op. Tom. 3. edit. Paris. pagin. 303. col. 1.

VII. Sed ut unico insuper documento demonstrem dictos olim Phœnices Chananæos fuisse, prodeat in medium Stephanus oportet, qui ita: [2] Χνᾶ οὕτως ἡ Φοινίκη ἐκαλεῖτο τὸ ἐθνικὸν τούτης Χνάος, *Chna sic Phœnice vocabatur, gentile hujus Chnaus*. Exclamat ad hunc locum Salmasius: *Quis Veterum vocatam ita Phœnicem scribit? Nemo hercule, nemo*. Siccine mi Salmasi? an tanta confidentia asseris neminem Veterum id scripsisse? Forte non animadvertisti locum Sanchoniathonis, quem, prout interpretatus eum Philo Byblius, Præparationi Evangelicæ inseruit Eusebius; [3] Ἀδελφὸς τοῦ Χνᾶ πρώτου μετονομασθέντος Φοίνικος, *frater Chna primum vocati Phœnicis*; etenim quod si Phœnix Chna vocatus fuerit, quid mirum si Phœnicia quoque Chna, id est Cananæa olim dicta fuerit? illud vero ipsum, quod superiore loco diximus, luculentissimo præterea testimonio confirmabit Eupolemus, ab Alexandro Polyhistore apud Eusebium [4] citatus, qui ita: Βαβυλωνίους δὲ λέγειν πρῶτον γένεσθαι Βῆλον καὶ Χαναάν· τοῦτον δὲ τὸν Χαναὰν γεννῆσαι τὸν πατέρα τῶν Φοινίκων, *Babylonii dicunt primum genitum esse Belum & Chanaan, hunc vero Chanaan genuisse Patrem Phœnicum*. Quibus verbis Chanaan genuisse Phœnices, eosque esse Cananæos certissime constat, ut adeo evidentiori documento opus non fuerit.

[2] in voce Chna.

[3] Libro 2. p. 39.

[4] Præparat. Evang. libro 9.

VIII. Verum unico demum pugillo artanda hæc latifundia arbitramur, & breviter dicendum, quod per totum hoc caput demonstare voluimus: Judæos nempe dictos ab Antiquis Phœnices, Cananæos esse Phœnices, atque ita percipi facile posse, cur Tacitus dixerit Judæos proprias terras inhabitasse, quia scilicet Judæos Phœnices, id est Cananæos credidit.



CA-

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

I. JUdæos esse Assyrios origine tradunt Justinus & Tacitus. Damascus in Cœlesyria juxta Strabonem & Ptolomæum. Cœlesyria Syrophœnicia dicitur apud Libanium. Phœnices dicuntur Syrophœnices. II. Purpura Assyrium venenum apud Virgilium. Purpura adfertur e terra Chanaan juxta Beresith Rabba. Purpura e Phœnicia juxta Ovidium, Statium, Virgilium, Servium, Tibullum, Plinium, Ciceronem, Senecam. Purpura a cane Herculis inventa cur dicitur? Adonis Assyrius apud Bionem. Assyrii Phœnices juxta Macrobium. III. Unde ortum, quod Phœnices & Assyrii confundantur. Tyrus cum Sidone certat juxta Strabonem. Tyrus Alexandri Magni tempore maxima; quod Metropolis fuerit e Numismatibus evincitur, Mater Phœnicum dicente Meleagro, Tyri situs e Scylace Caryandeno. Berytus unde dictus? Ber quid? Beruti quid? Mons facies Dei quid? Tyrus inter rupes juxta Curtium, & Nonnum. Tyrus Phœnicie צור, unde? Sarra dicta apud Ennium, Silium, Juvenalem, Virgilium, Servium; Σώρα dicta apud Stephanum הצורים, cur & unde sic dicti? IV. Assyrii Assyres apud Eustathium. Eratosthenem Stephanum, duo Assyriorum genera.

I.

VErum enim vero majoris forte momenti opus erit indagare, cur *Assyrios convenas* Judæos vocat Tacitus; etenim nihil dici minus verisimile haud immerito dixeris, quam Assyrios origine esse Judæos: errorem hunc Taciti fovisse quoque Trogum ista Justini verba persuadent: [1] *Namque Judæis origo Damascena, Syriæ nobilissima civitas fuit, unde & Assyriis Regibus genus ex Regina Semirade. Nomen urbi a Damasco Rege inditum, in cujus honorem Syrii sepulchrum Atharis* (sic legendum) *uxoris ejus templo coluere, deamque exinde sanctissimæ Religionis habent. Post Damascum Azelus, mox Adores, & Abraham, & Israhel Reges fuere*; Justinus enim alio loco [2] *imperium*, ait, *Assyrii, qui postea Syri dicti sunt, tenuere*; vel si mavis, ut legit Salmasius: [3] *Syri, qui postea Assyrii*; videtur enim ex Syris & Assyriis unicum populum efficere. Quicquid vero illud sit, juxta hanc Justini mentem Judæi erunt ortu Phœnices; quamvis enim dubitant plerumque Geographi, quo Damascum referant, eo tamen res plerumque recidit, ut pro Phœnicia habeatur, ἐν τῇ Κόιλῃ Συρίᾳ, in Cœle Syria eam collocat Strabo, [4] cui assurgit Ptolomæus; [5] at Cœle Syriam pro Phœnicia haberi demonstravit pridem Bochartus, [6] idque ex Eunapio, qui, postquam dixisset: Λιβάνιον Ἀντιόχεια μὲν ἤνεγκεν, ἡ τῆς Κοίλης καλουμένης Συρίας πρώτη πόλεων, *Libanium Antiochia quidem protulit, prima civitatum Cœlesyriæ*, subjungit postea: ὃ πάντες οἱ Συροφοίνικες ἔχουσι κατὰ τὴν κοινὴν ἔντευξιν ἡδὺ καὶ κεχαρισμένον τοῦτο παρ' ἐκείνου λαβεῖν μετὰ παιδείας ἔξεστιν. *Quod omnes Syrophœnices habent in vulgari colloquio suave & jucundum, hoc ab illo cum eruditione petere licet*: at Syrophœnix, & Phœnix apud plerosque auctores promiscue sumuntur; unde Bacchus apud Lucianum Συροφοίνικος τινὸς ἐμπόρου τοῦ Κάδμου θυγατριδοῦς, *Syrophœnicis cujusdam mercatoris Cadmi filius*; Cadmus enim Phœnix absque omni dubio vocari, & existimari debebit, cui consentit locus Juvenalis [7]:

> *Obvius assiduo Syrophœnix udus amomo.*

Syrophœnix hic pro Phœnice sumitur, cum apud eos unguenta crescant, & vendere hæc præ reliquis soleant, unde tanquam unguentarios Phœnices hic inducit, quos tamen Syrophœnicum nomine appellare non dubitat.

II. Dicis forte ultra limites nos hic evagari, & ea afferre, quæ ad rem ipsa proprie non pertinent; sed si libeat ad ea, quæ modo afferenda, attendere, fateberis, ni fallor, nihil magis ad rhombum dici potuisse; etenim, cum nuper Justini sententiam de Phœnicia Judæorum origine adduxerim, videbis porro nihil fere aliud Tacitum dixisse, cum Assyrios convenas eos appellat: etenim lippis notum: quod habet Virgilius: [8]

> *Alba nec Assyrio fucatur Lana veneno.*

id est *Purpura*, quæ etiamsi Assyria hic vocatur, revera tamen Phœnicia dici debet: originem quippe terræ Chanaan debuit, id quod testantur scriptores tam Judæi, quam Ethnici: illos

[1] Hist. libro 36.
[2] Libro 1. capite 2. versu 13.
[3] exercit. Plinian.
[4] Geographiæ libro 16. p. 755.
[5] in Geographia.
[6] Phaleg. pag. 340.
[7] Satyra octava.
[8] Georgicorum l. 2.

los inter eminet Auctor Berefith Rabba, qui, ad verba Jacobi jubentis, ut filii Josepho dono dent מזמרת ארץ *de laude terræ* sequentia habet [1] דברים שהן מזמרין בעולם הלזון חמר קטף ומור אנורי. *Hæ sunt res terræ* Chanaan, *quæ in orbe sunt maxime decantatæ, purpura, vinum, balsamum, myrrha, oliva*: hos vero omnes enumerare brevitatis vetat studium, eminet Ovidius: [2]

> *Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet*

& Statius: [3]

> *Vellera Sidonio jam pauca rubescere tabo*

& Virgilius: [4]

> - - - *quamvis Milesia magno*
> *Vellera mutentur Tyrios incocta rubores*

ad quæ Servius: *Tyrium traxit ruborem, id est meavit in purpuram*, assurgunt hisce Tibullus, [5] Plinius, [6] Cicero, [7] Seneca, [8] imo ut illud unicum a Bocharto observatum, hic inseram fabulam, quæ de Herculis canibus narratur, quod purpuram primi invenerint. Phœniciæ quoque originem debet, verbum כלב *chelab* Syris ܦܠ *inspergere*, & ܨܒܥ tingere sonat, imo כילב *intinctorium* denotat: notum vero כלב totidem literis etiam canem denotare; unde Veteres, ita vocis amphibolia decepti, cum scribere deberent intinctores invenisse purpuram, cani potius id attribuerunt. Accedunt demum, quod Purpuræ nomen satis prodat, cui terræ incunabula debeat, dicitur quippe Hebraice ארגמן ארמנון quasi *Syrius color*; hanc igitur cum Assyriam vocat Virgilius, aperte satis prodit, perinde sibi esse utrum *Phœnicium*, vel *Assyrium* scripserit. Et sane si vel maxime hoc Virgilii præterire libuisset, forent tamen alia, quæ sententiam nostram valide roborare possent. Bion certe Smyrnæus [9] cum Venerem describit, vocatur illi Α'σσύελον βοαῶσα πόσιν *Assyrium maritum invocans*, id est, Adonidem, qui quod Phoenix fuerit, clarissimum credimus, & illa omnia adduxerunt Macrobium, ut scriberet: [10] *Apud Assyrios sive Phœnicas lugens inducitur Dea*, quibus verbis patefacit perinde sibi esse, utrum Phœnices, an Assyrios scribat.

[1] Sect. 91.

[2] De arte amandi l. 3. v. 170.

[3] Silvarum.

[4] Libro 3. georgicorum.

[5] L. 2. Eleg. 6.

[6] Hist. nat.

[7] Epist. 11. ad famil.

[8] In Hercule Hetæo act. 2.

[9] In Epithaphio Adonidis.

[10] Saturnalium l.

III. At breviter iterum declarandum arbitror, unde potissimum ortum fuerit, quod Phœnices & Assyrios adeo confundere soleant Gentiles, ut nullos alioquin populos. Attendat igitur Lector velim, dum causa panditur a nemine hactenus pro dignitate explicata: Tyrum omnes inter Phœniciæ urbes caput extulisse, & Metropolin totius regionis habitam fuisse dubitare nos non sinit, partim veterum Doctorum perspicua circa eam rem tractatio, partim inscriptionum tam fide, quam auctoritate insignium antiquitas. Geographos inter, qui Tyri meminerunt, primum Straboni locum concedimus, cujus verba ita [11] se habent: μετὰ δὲ Σιδῶνα ἡ μεγίϛη τῶν Φοινίκων καὶ ἀρχαιοτάτη πόλις Τύρος ἐϛιν, ἡ ἐνάμιλλος αὐτῇ κατά τε μέγεθος καὶ κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν καὶ τὴν ἀρχαιότητα, - - ὁποτέραν δ᾽ εἴποι μητρόπολιν Φοινίκων, ἔρις ἐν ἀμφοτέραις ἐϛὶν. *Juxta Sidonem maxima Phœnicum & antiquissima urbs Tyrus est, comparanda cum illa quoad magnitudinem, formam, & antiquitatem: quamnam vero dixeris Phœnicum Metropolin, lis in ambabus est*. At Alexandri Magni tempore non ausam Sidonem illi se comparare, sed dedisse victas manus colligere licet ex istis Curtii [12] verbis: *Tyrus & claritate & magnitudine ante omnes urbe Syriæ Phœnicesque memorabilis*, cui assurgit par numismatum inter illustria Magni Hetruriæ Ducis cimelia asservari solitum, cujus ἔκτυπον hic subjungimus.

[11] Geographiæ lib. 16. p. 756.

[12] Libro 4. cap. 2.



G. F.





In altero quippe hanc inscriptionem cernimus: Τύρου μητροπόλεως ΗΑΣ. figura enim illa, quæ inter literas erecta cernitur, Τύρου, nisi me fallunt, denotat. Τ enim est quod tanquam fundamentum reliquis substernitur. Υ quod eminet, & Ρ, quod inversum in medio conspicitur, Ο demum, quod post reliqua & a reliquis quodammodo separatum cernis: quoniam vero Υ illud in medio supra reliqua omnia se effert, patescit bis id usurpandum esse, ut adeo, cum conjungantur omnia, habeas ΤΥΡΟΥ. Quæ sequuntur clara sunt Μητροπόλεως ΗΑΣ id est (nisi fallor) Η ἄλφα (id est πρώτη) Συρίας. In altero vero: ΗΑΣ Τ ΙΕΡΑΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, id est Η ΠΡΩΤΗ ΣΥΡΙΑΣ ΤΥΡΟΥ, navis triremis denotat navigationes Phœnicum, quibus nulla urbs adeo frequentata ac Tyrus, quæ omnia confirmat Meleager, cum ita canit [1]:

Ματέρα Φοινίκων τὰν πολύπαιδα Τύρον
Matrem Phœnicum quæ multos habet filios, Tyrum.

Tyri hujus situm investigare libet: quamvis vero alios multos in medium producere possemus, solus tamen adferendus erit Scylax Caryandenus, cujus verba, quæ huc faciunt, ita se [2] habent: αὕτη ἐστὶν Ἀράδου, καὶ Τύρου, καὶ Σιδῶνος, ἐν τῷ αὐτῷ τρεῖς πόλεις, καὶ περίβολον ἑκάστη τοῦ τείχους ἴδιον ἔχων καὶ ὄρος Θεοῦ πρόσωπον καὶ Τύρος καὶ λιμὴν, Βηρυτὸς πόλις καὶ λιμήν. *hæc est Aradi, & Tyri, & Sidonis, in illa tres civitates, & unaquæque muro diverso cingitur, & mons Dei facies, Tyrus cum portu, & Berytus cum portu.* Apud Berytum igitur & montem Dei faciem Tyrum collocat: quid ista sibi velint, cum Wossius [3] tacuerit, paucis accipite: quod ad Berytum quidem attinet, nemo ejus nominis originem melius explicare poterit, quam Stephanus, cum ita loquitur: [4] Βηρυτὸς πόλις Φοινίκης ἐκ μικρᾶς μεγάλη, κτίσμα Κρόνου, ἐκλήθη δὲ διὰ τὸ εὔυδρον. βὴρ γὰρ τὸ φρέαρ παρ' αὐτοῖς, Ἱστιαῖος δ' ἐν Πρώτῃ, τὴν ἰσχὺν βηρυτὶ Φοίνικας ὀνομάζειν, ἀφ' οὗ καὶ τὴν πόλιν ὡς Ἑλλάδιος φησίν. *Berytus urbs Phœniciæ, ex parvo magna* facta, *exstructa a Saturno, vocata vero est, quod multum aquæ, puteus enim ber apud illos: Histiæus vero in primo libro robur Beruti vocare Phœnices scribit, a quo etiam civitatem dictam, quemadmodum Helladius dicit.* Quæ Stephani lubenter admittimus, licet primam, quam adfert ethymologiam maxime probabilem esse credamus: equidem quod aquis non Berythus minus, quam Tyrus abundaverit, conjici ex situ eorum facillimo negotio poterit: quod de puteo habet, confirmat insuper Hesychius: [5] βὴρ, inquiens τὸ φρέαρ, *Ber puteus Syris*: nec sane a veritate aberrant, quod enim באר *beer*, vel *ber* Hebræis *puteus* sit, quotus quisque est, qui ignorat? Nec omnino falsum est, quod de ἀκρατὶ *fortitudine* habet; nam אביר fortis, & אברות vel truncato capite בירות *Beruth robur, fortitudinem* denotat, ut adeo vestigia Hebraismi hoc in loco apud Stephanum clarissime agnoscamus. Quod vero de monte Θεοῦ πρόσωπον addidit Scylax noster, certissimus sum, nihil id esse aliud, quam פנאל *Penuel Facies Dei*, nomen ex Sacra Scriptura notissimum. Quicquid vero id sit, discimus exinde Tyrum inter montes & rupes fuisse exstructam, id quod ex Curtio præterea liquet, qui, cum describit, quomodo Alexander civitatem eam obsidione cinxerit, & qua ratione e mari continens efficere voluerit, addit eo facilius afferri terram & lapides potuisse, quod commodiori loco Tyrus medias inter rupes ædificata fuerat. [6] Nec opus eam in rem multa afferre, cum ipsa Geographorum fides maxime concors id affirmet, cui adstipulari tam Historicos plurimos, quam etiam Mythologos & Poetas ipsa eorum lectio docet: eminet, quoad rei evidentiam, hos inter Nonnus celebris satis Dionysiacorum scriptor, cujus proinde, cum ad rem ipsam appri-

[1] Epigrammate in Antipatrii Sidonii tumulum.

[2] In Periplo pagina 39.40.

[3] In notis.

[4] In voce Βηρυτὸς.

[5] In voce ber.

[6] Libro 4. cap. 2.

apprime ſaciant, verba hic inſerere libet, quæ ita ſe habent: [1]

Πήξατε δ' ἀμφοτέραις ἐπικείμενον ἄστυ κολώναις

Exſtruite in mediis fundatam rupibus urbem

& adhuc [2]

- - - - ἀκινήτοις δὲ θεμέθλοις

Αὐτομάτη ζωσθεῖσα συνάπτεται ἄζυγι πέτρῃ

- - - - *fundamine cincta*

Firmo immota manet ſaxis radicibus hærens

Quæ quidem omnia non aliam ob cauſam adducere integra libuit, quam ut prodiret e latebris ſuis vera nominis *Tyrus* origo; cum enim inter altas & præruptas ſuſpenſa quaſi rupes eſſet, ſortita quoque exinde nomen ſuum, & dicta צור *Tſur*; eo enim nomine in omnibus Hebræorum ſcriptis & ipſis Bibliis occurrit. Quid? quod caracteres illi, quos in ſupra ſcripto numiſmate cernere licet, non ſunt niſi ipſiſſimum illud צור licet corrupte ſcriptum? צור enim rupem denotat, cum vero tam Græci, quam Romani deſtituerentur aliqua conſona, quæ צ Hebræorum exprimeret, natæ exinde tot ſcriptionum varietates; modo enim (cum per TS exprimi deberet) omiſſum S & civitas dicta Tyrus, modo vice verſa, T omiſſum, & dicta Sarra: unde Ennius *Pœnos Sarra oriundos* ſcribit [3] quam cum Tyrum eſſe conjicit, rectiſſime, niſi me fallunt omnia, totam rem expedit, cum id res ipſa Hiſtoricorum fide ſuffulta confirmat. Tyrum enim Sarram dictam confirmant *Sarrana numina* apud Silium, [4] id eſt Tyria, & Sarrana caſtra apud eumdem [5] ut & Sarrana aulæa apud Juvenalem, [6] & Sarranum oſtrum apud Virgilium, [7] ad quem locum ita Servius: [8] *Quæ nunc Tyrus dicitur, olim Sarra vocabatur, a piſce quodam qui illic abundat, quem lingua ſua Sar appellant*: quæ conjectura ridicula eſt, veram enim cauſam nuper dedimus, quam confirmat, quod Σώρα Φοινίκης πόλις apud Stephanum occurrit, id enim nominis proxime ad Hebræum צור *Tſor* accedit, ſed ut demum rem ipſam in conſpectum benevoli Lectoris producam prout צור, modo Tyrus, modo Sora dicta, ita quoque eadem ratione gentile exinde natum, modo Tyrius, modo Syrius, cui ultimo צורים *Syrii*, cum articulus præponebatur, legi vides הצורים [9] *Haſyrii*, vel *Aſyrii*, cumque jam Veteres noverint ultra Tigrim Euphratemque etiam degere Aſſyrios ita dictos, orta exinde populorum, qui maxime differebant, confuſio, etiamſi diverſiſſima ratione: hi quippe, ut liquet, אשורים, illi vero הצורים ſcribantur; quæ quidem ita ſe habere, & Veteres ipſos ſciviſſe duo Aſſyriorum genera libet uno alterove teſtimonio ex ipſis Geographorum ſcriniis petito evincere.

[1] Dionyſiacorum libro 40.
[2] Ibidem.
[3] Videatur Salmaſius in Solinum p.133.
[4] L. 8. de Bello Italico.
[5] Lib. 11.
[6] Satyra 10. verſu 38.
[7] Libro 4. Georgicorum.
[8] In voce Σώρα.
[9] Occurrit id Nehem. 13.10.

IV. Nihil melius & huic materiæ magis accommodatum afferri poterit, quam quod in Scoliis ad Dionyſium habet Euſtatius: [10] Ἰστέον δὲ ὅτι καὶ οἱ Ἀσσύριοι Ἄσσυρες λέγονται, *ſciendum vero, quod & Aſſyrii Aſſyres dicantur*, quorum ſenſus optime percipi poterit, ſi jungantur cum iis, quæ Erathoſthenes ſcripſiſſe dicitur [11]: κατὰ τοὺς παλαιοὺς παρὰ τῷ Ἐρατοσθένει Ἄσσυρες οἱ Ἀσσύριοι λέγονται, ὡς καὶ πρὸ τούτου ἐρρέθη ἀπὸ εὐθείας τῆς ὁ Ἄσσυρ, *ſecundum antiquos apud Erathoſthenem Aſſyres Aſſyrii dicebantur, ut & antehac dictum eſt, a recto Aſſyr*. Illis enim verbis indigitatur partim Aſſyrios eſſe, ſcilicet הצורים, Phœnices illos, & a Tyro nomen ſortitos, partim alios dictos ita ἀπὸ τῆς εὐθείας Ἄσσυρ, quod ipſiſſimum Hebræorum eſt אשור, a quo ita אשורים id eſt Aſſyrii proprie ſic dicti denominabantur: illam quoque Erathoſtenis ſententiam fuiſſe tradit Stephanus: περὶ πόλεων [12] λέγονται Ἀσσύριοι καὶ Ἄσσυρες παρὰ Ἐρατοσθένει, *dicuntur Aſſyrii & Aſſyres apud Erathoſthenem*. Quæ quidem ſe ita habere, uti ſuperius a nobis dictum, evidenter probant: at ſi quis adhuc ſcrupulus benevolum Lectorem urgere poterit, conabimur, ut removeatur penitus & quidem expreſſis Stephani verbis: [13] Ἀσσυρία χώρα περὶ Βαβυλῶνα οἱ οἰκήτορες Ἀσσύριοι, εἰσὶ δὲ ἕτεροι παρὰ τοὺς Σύρους. Ξενοφῶν οὕτω διαστέλλει ἐν πρώτῃ Ἑλληνικῶν. *Aſſyria locus apud Babylonem, habitatores Aſſyrii, ſunt vero alii apud Syros. Xenophon hoc diſtinguit in primo Hellenicorum*. Quibus verbis non illis ſolum, qui trans Euphratem habitant, numen Aſſyriorum concedit, verum aliis etiam, & quidem παρὰ τοὺς Σύρους, quales ſunt Sidonii, Syrophœnices, Phœnices alii: locus vero, quem ex πρώτῃ Ἑλληνικῶν, citat, nec in iſto libro nec in reliquis, qui hodie ſuperſunt, invenitur: id quod affirmare eo certius poſſum, quo majori cura omnia Xenophontis perſcrutatus ſum, & nihil tamen ſimile invenerim: etiamſi vero nihil ſubſidii ex Xenophonte petere liceat, ſufficienter tamen ſatis, quæ hactenus adducta ſunt, demonſtrare ſententiam noſtram poterunt.

[10] Ad Dionyſium de ſitu orbis p.10.
[11] Apud Euſtatium p.103.
[12] In voce Aſſyria.
[13] Ibidem.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

I. CYprii Aſſyrii dicti, Cinyras Cypri Rex juxta Svidam, Homerum, Stephanum, aſſurgunt Alcidamas, Pindarus, Clemens Alexandrinus, Arnobius, Firmicus. II. Cinyras Aſſyrius, Aſſyriæ Rex juxta Hyginum, Apollodorum, quales iſti Aſſyrii? Cyprus unde dicta? verba Stephani Euſtathii, Cyprus Sphecia juxta Heſychium, Euſtathium, Nonnum, Lycophronem, Stephanum: abundat omnibus, præcipue frumento juxta Scriptores, unde Sphecia dicta? Unde Amathuſia? Unde Chetima? Unde Cyprii Miones? III. Unde Cinyras? Quid Adonis? Cur Kiris, Itæus, Gingris, Ao dictus? Cur Pygmæon? Unde Myrrha? Venus in Cypro culta juxta Phornutum, cur Cyprum ab occultatione dictam tradit Phurnutus? Venus in Cypro culta juxta Ovidium, Claudianum, Polycharmum, Zonaram, Pauſaniam, Herodotum. IV. Venus unde dicta? Unde Aphrodite? Venus a Lemniis contemnitur, fœmina a Luciano dicta, meretrix a Clemente, & Arnobio, & Minucio, Venus origine Phenix.

I. AT, ne quid omittere videamur, quod ad eorum, quæ modo diximus, evidentiam facere poſſit, placet iterum in Cyprum proficiſci, non alium in finem, quam ut videamus, anne hujus inſulæ hoſpites Aſſyrii quoque dicti fuerint; demonſtratum enim antea, Cyprios omnino eſſe Phœnices. Age ergo, ipſum Cypri Dominum Cinyram adire libet: ante vero, quam Regem eum, & quidem Cypri ſalutare audemus, producendi ſunt auctores, qui id ſtabilire poterunt, ne ſcilicet aliquid dictu, quam probatu nobis facilius videatur. Svidæ ergo audit Θέαντος παῖς Βασιλέως Κύπρου, *Thejanthis filius Regis Cypri* [1] poſſet hoc unicum ſufficere, niſi plura expoſtularet, quod dicturi erimus: præſto eapropter erit Homerus, qui ſequentia de Agamemnone memorat: [2]

> Δεύτερον αὖ θώρηκα περὶ στήθεσσιν ἔδυνε,
> Τόν ποτέ οἱ Κινύρης δῶκε ξεινήιον εἶναι:
> Πεύθετο γὰρ Κύπρον δὲ μέγα κλέος.
> *Secundo deinde loricam circum pectora inducit,*
> *Quam ei olim Cinyras dedit munus hoſpitale:*
> *Audiebatur enim uſque in Cyprum magna fama, &c.*

Hinc Stephanus etiam Amathuntem urbem Cypri ἀπὸ τῆς Κινύρου μητρὸς Ἀμαθούσης *a Cinyræ matre Amathuſa* denominatam tradit, quæ apertiſſime evincunt fuiſſe eum Cyprium, cum Cypriam alioquin urbem a materno nomine denominare non potuiſſet, cui adſtipulatur Alcidamas: [3] Τοῦτον ἔπεμψε εἰς Κύπρον πρὸς Κινύραν, *hunc miſit in Cyprum ad Cinyram*, & Pindarus quoque: [4]

> Κελαδέοντι μὲν ἀμφὶ Κινύραν πολλάκις φᾶμαι Κυπρίων.
> *Circa Cinyram reſonant quidem*
> *Sæpe ſermones Cypriorum.*

At quid opus tot veterum eam in rem dicta congerere, cum res per ſe ſatis luculenta & in confeſſo ſit? Nec enim aliam ob cauſam Heſychio [5] audit βασιλεὺς Κύπρου, unde rectiſſime ait Clemens Alexandrinus: [6] Σιγάσθω Κινύρας ὁ Κύπριος, *taceatur Cinyras ille Cyprius*, & adhuc: [7] οὐ γάρ ὁ Κύπριος νησιώτης ὁ Κινύρας πραπείσαι ποτ' ἄν, *non enim Cyprius inſularis ille Cinyras mihi unquam perſuaſerit*, & Arnobius: [8] *nunquid Rex Cypri, cui nomen Cinyras eſt?* & Firmicus: [9] *audio Cinyram Cyprium*, quæ omnia clariſſime evincunt Cinyram ab antiquis non Cyprium modo ſed & Cypri Regem habitum, id quod prolixe adeo & copioſe hic demonſtravimus, ut hoc jacto fundamine niti eo firmius, quæ modo dicenda & explicanda, poſſint.

II. Etenim quod ſi luce meridiana clarius demonſtremus, dictum quoque eum Aſſyriæ Regem & Aſſyrium, nonne fateberis, Cyprios, quos eſſe Phœnices nuper patefecimus, vix aliam ob cauſam Aſſyrios Cinyram Aſſyrium dictum, quam quia, הצורים Aſſurim, id eſt Phœnices Cyprum incolebant, & talis cenſeri quoque Cinyras debebat? Ne quid igitur, quod aliquid ad hujus rei evidentiam conferre poterit, deſit, prodeat Hyginus oportet, cui [10] Cinyras Paphi filius Rex Aſſiriorum audit, cui omni ex parte ſubſcribit Apollodorus [11] cum Κινύραν τῶν Ἀσσυρίων βασιλέα, *Cinyram Aſſyriorum Regem ſalutat*. At quoſnam hos Aſſyrios, quamnam Aſſyriam putas? Sane אשורים Aſſurim illi veri Aſſyrii, qui trans Tigrim & Euphratem habitarunt, nihil commune cum Cypriis, quoad loca, quæ incolunt, habent: Cyprii vero ſunt origine Phœnices, & הצורים, ut adeo non immerito hac ratione Aſſyriis imperaſſe dici poſſit Cinyras. Age vero, quamvis antea paucis Cyprios Phœnices docui-

[1] In voce Cinyras.
[2] In voce Ἀμαθοῦς.
[3] In oratione contra Palamedem.
[4] Pyth. od. 2.
[5] In voce Cinyras.
[6] In Proreptico.
[7] Ibidem.
[8] Libro 4.
[9] De errore profan.
[10] Tabula 242. & 270.
[11] In voce Cyprus.

docuimus, juvabit tamen, ut res evidentior fiat, paulo altius eadem repetere. Quod igitur ad nomen ipsius insulæ attinet, dudum est, ex quo in Hebraismo originem debere, & dictum a כפר *Copher Planta* quadam ejusdem nominis docuit in Sacris hisce mire perspicax Bochartus, quam ejus opinionem non possum non quin ambabus ulnis amplectar, cum varia in scriptis Gentilium se offerant, quæ confirmare eam poterunt, ut cum Stephanus scribit dictam eam esse ἀπὸ τȣ̃ φυομένȣ ἄνθȣς Κύπρȣ, a *crescente ibi herba Cypro*, cui assurgit Eusthathius: [1] Τινὲς φασὶ Κύπρον κληθῆναι ἀπὸ ἄνθȣς ἐκεῖ πολλȣ̃ φυομένȣ Κύπρȣ καλȣμένȣ. *Quidam dicunt Cyprum vocatam esse a flore ibi multum crescente Cypro dicto*. Cyprum præterea Σφήκειαν vocatam testantur Auctor Etymologici magni [2] Σφήκεια Κύπρος, Hesychius; [3] Σφήκεια ἡ Κύπρος προτέροις, Eustatius; ϗ Σφήκεια ἡ Κύπρος, [4] Nonus, [5] Lycophron, [6] Stephanus [7]. Causam hujus nominis forte quæris? at ea dari meo judicio facile poterit: fertilitatem Cypri mire deprædicant Auctores, unde quoque Eustathio [8] audit, ȣ̓δεμιᾶς νήσȣ λειπομένη τῇ ἀρετῇ, *nulli insularum inferior bonitate*, Virgilio [9] opima, Valerio Maximo [10] fertilissima deliciarum: præ reliquis vero commendatam eam ab optimo frumenti genere apud Strabonem, [11] & Plinium legimus [12] id, quod etiam insignem insulæ hujus laudem Hipponacti [13] extorsit: atqui ab ipsa hac copia, & egregio frumenti genere dictam eam Spheciam Σφηκειαν crediderim; notum quippe Hebræum vocabulum ספיחים *sphicim*, quod Targum optime redit כתיז *frumenta voluntaria*; talia enim Cypri fuisse docebit nos Strabo [14] σίτῳ τε αὐταρκεῖ χρῆται *frumento quidem ex se ipso utitur*, unde non mirum, quod illa ex re nomen sortita fuerit. Ἀμαθȣ̃σια ἐκαλεῖτο ἡ Κύπρος *Amathusia vocabatur Cyprus*, ait Stephanus, [15] idque ex חמת, quod supra [16] docuimus. Chetima apud Zonaram, [17] Viterbiensem, [18] Theodoretum, [19] & Josephum [20] dicitur, deducto a כיתים nomine, non aliam ob causam, quam quod locus maritimus fuerit, τὰ γὰρ πλεῖςα τ̃ παρὰ θάλασσαν Χετὶμ ὑπὸ Ἑβραίων ὀνομάζεται, *pleraque enim eorum, quæ ad mare, Chetim ab Hebræis nominantur*, fatente Josepho [21] & eandem forte ob causam Cyprii dicti juxta Stephanum Μηίονες [22] vel, quod magis probo, juxta Hesychium [23] Μίονες, id quod a מים *aquis*; cum enim scriptum id sine punctis Gentes viderint, facillime talis exinde sonus nasci

[1] In voce Dionysiû de situ orbis.
[2] In voce Sphecia.
[3] In voce Sphecia.
[4] In Dionysium.
[5] Dionysiac. lib. 13.
[6] In Cassandra ver. 107.
[7] In voce Cyprus & Sphecia.
[8] In Dionysium.
[9] Æneidos l. 1.
[10] Lib. 4. c. 3.
[11] Geographiæ libro 17.
[12] Hist. natur. lib. 12.
[13] Apud Strabonē lib. 8.
[14] Libro 8. Geographiæ.
[15] In voce Amathus.
[16] Cap. 8.
[17] Annalium l. 1.
[18] Chronicorum 3.
[19] In cap. Hieremiæ.
[20] Antiquit libro.
[21] Antiquitatum l. 1. c. 7.
[22] In voce Miones.
[23] In voce Miones.

potuit, eadem ratione reliqua Cypri cognomina facillimo negotio resolvi possent, si operæ pretium aliquali cura in ea inquirere: monet vero tempus, ut ad Cinyram nos conferamus, visuri, anne quicquid de eo, filia Myrrha, & Nepote Adonide narratur, referri ad Hebraismum optimo jure & possit, & debeat.

III. Unde igitur ipse Cinyras dictus supra [24] docuimus, quales vero Parentes habuerit, docebit Hesychius, cujus narratio a reliquis valde diversa; scribit enim Κινύρας Ἀπόλλωνος ϗ Φαρνάκης παῖς [25]. Quis sit Apollo, post Dikihnsonium & Huetium demonstrare non opus arbitramur, qualis vero Pharnace, dicat Bochartus, qui appellatam eam rectissime docet a פרנקא *Pharnaca*, quod delicias denotat, ut adeo sit quasi deliciis dedita. Quicquid vero id sit, nepotem, aut filium Cinyræ Adonidem plerique faciunt, cujus nomen origine Phœnicium esse vix dubitamus, cum dicatur ab ארני *dominus meus*, id quod clarum, ut majori luce nihil fulgere possit: hinc Hesychius: [26] Ἄδωνις δεσπότης ὑπὸ Φοινίκων, *Adonis Dominus apud Phœnices*, & alibi: [27] Κῖρις Ἄδωνις *Ciris Adonis*; hinc ἄγαλμα Κίριδος, quod in Laconicis memorat Pausanias, & ex eo Meursius [28]. At dicas forsan, rem se ita habere non posse, cum differentia sat magna inter ארן & Κῖρις sit; at regero, significatione eadem esse hæc vocabula, cum Κῖρις sit corruptum κύριος: Γιτιον Ἀδώνιδα dictum memorat Hesychius, idque ab ἰτέα *salicem* cum sit deductum, nihil cum Domino habet commercii; sed si excutere id accuratius libeat, patebit facile idem origine id esse; ארן enim *salicem*, ארון *Dominum* denotat, quæ amphibolia cum a Gentilibus absque omni dubio animadversa, ortum exinde, quod salignum Adonidem dixerint; salignum enim id denotare declarabit præ reliquis idem Hesychius: [29] Ἰταῖαι αἱ Ἀσπίδες διὰ τὸ πρώτως ἐκ ταύτης τῆς ὕλης κατασκευασθῆναι, *Itææ clypei, quia primi clypei ex hac materia* (facile) *fiebant*: hinc *salix scutis utilissima* Plinio [30] audit, cui assurgunt Theophrastus, [31] & Theocritus: [32] Γίγγραν καλεῖτε ὑμεῖς οἱ Φοίνικες τὸν Ἄδωνιν, *Gingrin vocatis vos Phœnices Adonin*, ait Athenæus. [33] Et Eusthathius [34]: Ἄδωνις ὃν Γίγγριν ἐκάλȣν οἱ Φοίνικες, *Adonis, quem Gingrin vocant Phœnices*. Gingris vero quod idem sit, ac Φοῖνιξ admodum eleganter demonstravit Bochartus: Ἀῶ γὰρ Ἄδωνις ὠνομάζετο, *Ao enim Adonis vocatur*, ait auctor Etymologici magni

[24] Capita 820.
[25] In voce Cinyras.
[26] Ibidem.
[27] In voce Kiris.
[28] Miscell. Laconic. p. 11.
[29] In voce Ἰταῖα.
[30] Libro 16. hist. natur.
[31] Hist. Plant. l. 5. cap. 4.
[32] Eidyll. 16.
[33] Deipnos l. 4. c. 23.
[34] In Iliad. 6.

gni [1] imo pergit : *καὶ ἀπ' αὐτῦ οἱ Κύπρυ βασιλεύσαντες , & ab illo Cypro imperantes* . At quid illud Ao , nisi Phœnicium אוה id , quod desiderium denotat ? nec inepte , cum desiderium Veneris salutari merito Adonis potuerit . Πυγμαίων παρὰ Κυπρίοις ὁ Ἄδωνις *Pygmæon apud Cyprios Adonis* , dicente Hesychio [2] : unde vero illud , nisi ab Hebraismo ? Dictus quippe פונמאון *Pygmæon quies , vel gaudium post dolorem* , simili fere ratione, ac Benoni , & Beniamin Jacobi filius appellatus. Neque denominatio ista rei ipsi inconveniens ; etenim si ad Ovidium nos conferamus visuri , qua ratione natalia ejus describat , patefiet non injuria , ita eum vocari posse , sic enim ait : [3]

At male conceptus sub robore creverat infans.
Quærebatque viam , qua se , genetrice relicta ,
Exsereret : media gravidus tumet arbore venter ,
Tendit opus matrem , nec habent sua verba dolores.

Ad Myrrham ipsam quod attinet, liquet clarissime suam Palæstinæ originem id nomen debere , dictum quippe a מור nomine in Sacra Scriptura usitato [4] quod est a radice מור *amarus*. *Myrrha* , vel forte , ut volunt alii , a מור *stilla* , ut adeo idem sit , quod Græcis στακτή id est *myrrha stillatitia* , id quod mihi magis verisimile videtur ; cum enim totam Myrrhæ fabulam ad finem jam perduxit Ovidius , subjungit : [5]

- - - - stillataque cortice Myrrha
Nomen herile tenet , nullique tacebitur ævo .

IV. Ut vero pluribus sententiam nostram argumentis roborare possimus , libet adhuc unum alterumve inspicere , quod majus sententiæ nostræ stabilimentum spondere poterit : quod ut fiat, producenda in medium Venus , cui ἱερὰ ἡ Κύπρος συνᾴδουσα πῶς κατὰ τοὔνομα τῇ κρύψει, *sacra Cyprus nomine suo occultationem referens* ; dicente Phurnuto ; [6] quod enim Cyprum ab occultatione dictam autumat , non aliunde , quam quia כפר præsertim in Piel *occultare* , & *abscondere* significat , unde Cyprum dictam , vel saltem eam ad id alludere existimavit, nec aliam ob causam Venus apud Ovidium urbes Cypri suas appellabat , [7] & apud Claudianum ipsa inquit [8]:

Te propter Paphias ædes Cyprumque reliqui

[1] In voce Ao.
[2] In voce πυγλαῖον.
[3] Metamorphos.
[4] Cantic. 3.
[5] Metamorphos. lib. 10.
[6] de natura Deor. Metamorph. l. 10.
[7] De nuptiis Honorii & Mariæ.
[8] Differt. 83.

Unde Maximus Tyrius : [9] Παφίοις μὲν ἡ Ἀφροδίτη τὰς τιμὰς ἔχει , *a Paphiis quidem Venus colitur* : Polycharmus Naucratites : [10] Ἡρόστρατος προσχὼν Πάφῳ τῆς Κύπρυ , ἀγαλμάτιον Ἀφροδίτης σπιθαμιαῖον , ἀρχαῖον τῇ τέχνῃ ὠνησάμενος , *Herostratus Paphum Cypri adveniens imagunculam Veneris , spithamæ magnitudine antiquo opere emit .* & Ovidius .

Festa dies Veneris tota celeberrima Cypro [11]

Quid ? quod dentur , qui dictam a Venere Cyprum autumant , ut Zonaras [12]: Ἡ Κύπρος αὕτη ἐςὶ παρ' Ἑλλήνων ὕτω κληθεῖσα , διὰ τ̀ παρ' αὐτοῖς Θεὸν , τ̀ Ἀφροδίτην γὰρ Κύπριν προσηγόρευσαν. *Hæc Cyprus est a Græcis ita dicta propter Deam , quæ apud ipsos colitur ; Venerem enim Cyprin dicunt ?* Sed si quæris , unde hic cultus ad Cyprios manavit ? Docebit id Pausanias , cujus verba , quæ in hanc rem faciunt , ita se habent : [13] πλησίον δὲ ἱερὸν ἐςὶν Ἀφροδίτης Οὐρανίας , πρώτοις δὲ ἀνθρώπων Ἀσσυρίοις κατέςη σέβεσθαι τ̀ Οὐρανίαν , μετὰ δὲ Ἀσσυρίυς Κυπρίων Παφίοις . *Prope est fanum Veneris cœlestis , quam primi omnium Assyrii coluere , a quibus inter Cyprios Paphii* . Apprime ; ab Assyriis ad Cyprios hæc pervenere ; quos vero Assyrios autumas , an אשורים ? Minime ; sed הצורים nostros id est Phœnices ; neve credas falsa & a proprio cerebro profecta nos dicere . Age præsto erunt verba Herodoti : [14] ὅταν ἐγένοντο τῆς Συρίας ἐν Ἀσκαλῶνι πόλει , τ̀ πλεόνων παρεξελθόντων ἀσινέων , ὀλίγοι τινὲς αὐτ̀ ὑπολειφθέντες ἐσύλησαν τῆς Οὐρανίης Ἀφροδίτης τὸ ἱερὸν , ὅσα ταύτης τῆς Θεῦ , καὶ γὰρ τὸ ἐν Κύπρῳ ἱρὸν , ἐνθεῦτεν ἐγένετο ὡς αὐτοὶ λέγυσι Κύπριοι , *quando in urbe Syriæ Ascalone erant , prætergressis nullo illato damno plerisque , pauci quidam ex iis relicti Veneris Uraniæ fanum spoliarunt , omnium , quantum quidem intelligo , hujus Deæ templorum vetustissimum ; etenim , quod in Cypro , inde etiam , factum , ut Cyprii ipsi dicunt* . Tales ergo Assyrii sunt , Phœnices nempe ad Ascalonem , qui Cyprios cultum Veneris docuerunt : ne vero aliquis dubitet , an veritati hæc consentanea habenda sint , age percurramus , quæ de Venere dici solent , visuri , anne Phœnicibus & Palæstinæ originem debeant .

V. Nisi ipsum Veneris nomen originem suam proderet , dubitare forsan haud injuria velles , an sacra ejus ope Hebraismi explicari possent , præsertim cum nemo hactenus id tentaverit , & Palæphatus , cui solenne veterum fabulas ad

[9] Apud Athenæum l. 15.
[10] Libro 10 Metam.
[11] Annal. Tom. 1.
[12] In atticis.
[13] In Clio.

ad τὰ γενόμενα referre, ne mentionem quidem ejus injiciat. Verum enim vero demonstratum a nobis alibi, [1] dici eam a vocabulo Hebræo חן Græce pronunciato ἐν Latine more aliarum vocum Ven, quod gratiam denotat, & haud raro venustatem: quod vero terminatio masculina addita fuerit, ne mireris, cultam Cypri Venerem probe barbatam, & habitu virili indutam accepimus, nec nisi ex Hebraismo, quod Græce Ἀφροδίτη dicatur, idque ex ἀφρῦ *spuma maris*, quod scilicet in more Judæis positum fuerit, stellas orientes adorare, quæ fusius alibi a nobis explicata [2] videantur. Hæc vero Dea non apud omnes Divinos honores invenit, cum suboluerit pluribus, non esse Divina, quæ, ut talia, Fabularum consarcinatores incautis obtrudunt. Hinc Apollodorus: [3] αἱ Λήμνιαι τὴν Ἀφροδίτην οὐκ ἐτίμων, *Lemniæ Venerem non colunt*: unde etiam apud Lucianum [4] Venerem non nemo ita alloquitur: οἱ δὲ ἐρωτικοὶ λόγοι περιττῶς σοῦ δέονται, σὺ γὰρ αὐτῶν γνησιωτάτη μήτηρ, ἴθι δὲ γυναιξὶ συνήγορος ἡ Θήλεια, *amatorii vero sermones abunde te indigent, tu enim eorum germana mater, tu vero mulieribus adsis ipsa fœmina*: unde liquet eam non injuria Clementi, [5] & Arnobio [6] meretricem audire, nec sine causa ejus tanquam ἀναισχύντου mentionem injicere Theophilum [7]. Quid? quod cum a Diomede vulnerata dicitur, rectissime apud Minucium Felicem colligit Octavius [8] eam hominem ab Antiquis habitam? at Phœniciæ eam originem debuisse testari videtur Æschylus, vel ejus potius Scholiastes, cujus verba ita se habent [9]: Φοινίκης ἦν ἱερὰν Ἀφροδίτης φησὶ διὰ Βύβλον καὶ Λίβανον, *Phœnicen, quam sacram Veneri dicunt, ob Byblum & Libanum*. Quam ob rem Tyrus toties Phœniciæ metropolis Veneris incunabula vidit attestante Cicerone [10] ut adeo non aliam ob causam Byblia quoque dicta fuerit, quam quia Byblo Phœniciæ sui forte cultus incrementa debuit.

[1] Libro 1. c.4. p.107.
[2] Ibidem p.107.108.
[3] Bibliotheca p.44.
[4] In amoribus pag. 195.
[5] In protreptico.
[6] Libro 4.
[7] In Libro 3. ad autolycum pag. 119.
[8] Pag. 206.
[9] Ad Æschyli Supplices act. 3.
[10] De natur. Deor. c. 22.

CAPUT DECIMUM NONUM.

I. Unde orta Veneris fabula? Venus Aschræa unde? Idalia Venus juxta Strabonem, Valerium Flaccum, Catullum, unde dicta? Fabula Stephani, verba Hieronymi, Venus Cabar unde dicta? II. Cabiri unde, horum cultum docuerunt Pelasgi, Cabiri in Beryto, Cabiri Vulcani filii, Vulcanus quis? Cur ignis Deus, Cur Jovi fulmina ministrat? Verba Artapani, Cabiri octo, Axicros, Axiokersa, Axiokersos, Chadmilus unde? quid? Κοης Cabirorum unde? Cur Carbiri initiatos adjuvare dicuntur? III. Golgiam Venerem dicunt Lycophron & Stephanus, unde id nomen? Veneris Ἀμβολογήρας & Μιγωνίτιδος etymon, Venus Mose antiquior juxta Scholiastem Apollonii, cur? Venus mari concepta apud Tacitum & Melam, cur? Vulcanus & Venus cur Frater & Soror? Venus cur risum amat? Verba Melonis. IV. Summa eorum quæ dicta.

I.

Quæ cum ita se habeant, irasci nobis nemo unquam poterit, si pleraque ejus cognomina lustremus, & Hebrææ origini ea vindicemus: quæ antequam aggredimur, sententiam nostram de origine cultæ Veneris ea conditione pandimus, ut benevolus Lector eam ante perlectas rationes nostras non contemnat; longe vero potius singula ad exactum exacti judicii perpendiculum revocet, antequam illa damnet, quæ a nemine ante nos adducta inveniat: breviter vero mentem nostram ut aperire nobis liceat, Venerem Ethnicis eandem esse, quam Hebræis Saram conjecturis non contemnendis eliciemus. At explicanda prius Veneris cognomina, idque, ne quid intactum relinquere videamur, ναὸν Ἀφροδίτης Ἀσχραίας memorat Pausanias [11] אשרה Aschra lucum denotare nemo ignorat: at Abrahamum & una cum eo Saram באלוני ממרי *in lucis quercetis* Mamre habitasse e Sacris Literis notum; unde hunc titulum ad Venerem derivasse veteres vix dubitandum. Idaliam Venerem dici infinitis fere auctorum locis evinci posset; inde enim Strabo: [12] εἶτα ἄκρα Ἰδάλιον, ἐς ἣν ὑπέρκειται λόφος τραχὺς, ὑψηλὸς τραπεζοειδὴς ἱερὸς Ἀφροδίτης, *hinc Idalium promontorium in quo collis asper excelsus mensæ forma Veneri sacer*, & Valerius Flaccus [13]:

> *Incipit Idaliæ Numen nec spernere Divæ*

cui assurgit Catullus [14]:

> *Qualis Idalium colens*
> *Venit ad Phrygium Venus*
> *Judicem.*

Un-

[11] In Corinthiacis p.146.
[12] Geographiæ l. 14.
[13] Argonaut. l. 8.
[14] Epigram. 62.

Unde locus iſte nomen ſortitus fuerit, ſcire forſan deſideras: quod ſi Græcos audire velis, verba eorum & ſententiam referet Stephanus [1]: Ἰδάλιον πόλις Κύπρου, χρησμὸς γὰρ ἐδόθη, ὅπου ἴδοι τὸν ἥλιον ἀνέχοντα, πόλιν κτίσαι ὁ ἐν Χαλκήνωρ περιὼν, τὶς τῶν σὺν αὐτῷ ἔφη εἶδον τὸν ἄλιον, ἀφ' οὗ ὠνομάσθαι τὴν πόλιν. *Idalium urbs Cypri, Oraculum enim Chalcenori datum fuit, ut illic urbem conderet, ubi Solem orientem conſpexiſſet; Chalcenori igitur obambulanti quidam ex ſociis dixit: εἶδον ἄλιον vidi Solem, unde urbs ſic nominata eſt;* cui ſententiæ ſuffragari aliquo ſaltem modo mihi videtur vir de Republica literaria optime, ſed de ſe ipſo peſſime meritus Lucas Holſtenius [2] & quidem his verbis: *id forte in veteri nummo apud Golzium indicat equus cum ſtella; equus enim Soli ſacer.* Sed quod pace tanti viri dixerim, non poteſt huic ſententiæ tuto aſſenſus præberi, partim quod α illud in ἄλιος neceſſario longum erit, cum tamen conſtet id in *Idalio* breve: hinc vero ſimilius longe videtur, ſi e Palæſtina originem ejus repetamus, & Hieronymi ſententiæ aſſurgamus, qui dictam urbem Cypri Idaliam autumat [3] quaſi יד אלה *Jad Ela*, & per tranſpoſitionem Idalia, id eſt, *locus Deæ*, ſcilicet Veneri ſacer. Dictam Venerem C*abar* præter multa alia probat teſtimonium e Saracenorum Cathecheſi petitum, quod Seldenus [4] ſuppeditat: ἀναθεματίζω τοὺς τῷ πρωΐνῳ προσκυνοῦντας, ἄστρα, ἤγουν τῷ Ἑωσφόρῳ καὶ τῇ Ἀφροδίτῃ ἣν κατὰ τὴν Ἀράβων γλῶσσαν Χαβὰρ ὀνομάζουσι, τουτέστι μεγάλην, *anathematizo eos qui matutinum ſidus Luciferum & Venerem adorant, quam Arabum lingua Chabar, quod magnam ſignificat, nominant.* Quæ non abſona adeo tibi videantur oportet; quod enim כבר lingua Hebræa magnum denotet, latere utique neminem poterit: unde non male hæc appellatio Saræ tribuitur, tum quia magna haberi jure potuit, tum quod omnibus Judæis mater habita nunquam non fuerat.

II. Nec aliunde fluxit tota quæ in Cabirorum ſacris adhiberi pompa aſſolet, quam Phœniciæ originem debere perſuadent iſta Herodoti: [5] ὅστις δὲ τὰ Καβείρων ὄργια μεμύηται, τὰ Σαμοθρήικες ἐπιτελέουσι λαβόντες παρὰ Πελασγῶν, *quiſquis Cabirorum orgiis initiatur, quæ colunt Samothraces, qui acceperunt ea a Pelaſgis.* Quod Pelaſgi origine ſint Hebræi, propediem Deo volente in Athenis Phœniciſſantibus [6] clariſſime demonſtrabimus. Quid? quod cultos a Phœnicibus Cabiros fateri expreſſiſſimis verbis videtur Sanchoniathon? [7] Καὶ ἐπὶ τούτοις ὁ Κρόνος Βύβλον μὲν τῆς θεᾷ Βααλτίδι, τῇ καὶ Διώνῃ δίδωσι, Βηρυτὸν δὲ Ποσειδῶνι καὶ Καβείροις. *Interea Saturnus Byblum quidem urbem Deæ Baaltidi, quæ & Dione dono dedit, Berythum vero Neptuno & Cabiris.* Etenim quod Berythus Phœniciæ urbs fuerit, ſatis dilucide nuper nos docuit Scylax, verum ſi paulo accuratius rem ipſam inſpiciamus, pateſcet utique, quales Cabiri fuerint. Parentem eorum conſpectui noſtro ſiſtet Heſychius [8]: Κάβειροι πάνυ δὲ τιμῶνται οὗτοι ἐν Λήμνῳ ὡς θεοὶ, λέγονται δὲ εἶναι Ἡφαίστου παῖδες, *Cabiri, ſemper coluntur illi in Lemno ut Dei, dicuntur vero eſſe Vulcani filii.* Veneris igitur noſtræ & Vulcani filios Veteres olim crediſſe Cabiros liquet: at ſi Sara Venus, Abrahamus non immerito Vulcanus haberi poterit; etenim quæcunque de Vulcani imperio circa ignem, & fabricationem fulminum dicuntur me judice, non aliunde, quam quod in Sacris Literis [9] Abraham exiiſſe dicitur ex Ur אור Chaldæorum, id quod Hieronymus vertit [10] *ex igne Chaldæorum*: unde natæ tot Judæis fabulæ, qualis illa, quam ex Midraſch Agada refert: רשי [11] Abrahamum ſcilicet in ignem fuiſſe conjectum & Dei ope liberatum, cui fabulæ ſubſcribit Jonathan Paraphraſtes [12] quæ originem impudentiæ Gentilium in fingendo aperuit. Simili ratione Gigantibus obſtitiſſe, & Jovi auxilia contra eos tuliſſe dicitur Gentilibus Vulcanus, dicitur etiam Abraham, ut iſtic Artapanus: [13] ἐν δὲ ἀδεσπότοις εὕρομεν τὸν Ἀβραὰμ ἀναφέροντα εἰς τοὺς Γίγαντας, τούτους δὲ οἰκοῦντας ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ, διὰ τὴν ἀσέβειαν ὑπὸ τῶν Θεῶν ἀναιρεθῆναι, *in libris incertis invenimus Abrahamum ad Gigantes veniſſe; hos vero cum Babyloniam incolerent, a Diis propter impietatem extinctos fuiſſe.* Sed iſta ὡς ἐν παρόδῳ: at hujus Abrahami & Saræ filii fuere Cabiri; hinc etiam ſacra Cabirorum ἀγάλματα ὅμοια τοῖς τοῦ Ἡφαίστου *ſimilia Vulcani ſimulachris*, ſcribit Herodotus [14] numerum Cabirorum docet Damaſcius [15] dum ὄγδοος inquit: ἐπὶ τοῖς Καβείροις ὁ Ἔσμουνος, *octavus Cabirorum Eſmunus*: noverant quippe Ethnici octo filios habuiſſe Abrahamum, ſex matre Kethura, & Iſraelem una cum Iſaaco: ipſum vero Cabirorum nomen unde ortum ſit, dictu facile, præſertim iis, qui ad vocem hebraicam כבר attendunt. Quatuor Cabirorum nomina ope Scholiaſtæ Apollonii poſteritati relicta accepimus: Ἀξίερος οὖν ἐστὶν ἡ Δημήτηρ, Ἀξιόκερσα δὲ ἡ Περσεφόνη, Ἀξιόκερσος δὲ ὁ Ἅδης Κάσμιλος ὁ Ἑρμῆς ἐστιν ὡς ἱστορεῖ Διονυσόδωρος. *Axerios vero eſt Ceres, Axiokerſa Proſerpina, Axiokerſos Pluto, Caſmilus eſt Hermes ut ſcribit Dionyſodorus.* Quæ nomina Hebraiſmo vindicavit

[1] In voce Idalion.
[2] In notis adh. locum
[3] In locis Hebraicis.
[4] De Diis Syris cap. 4. Syntagm. 2. p. 211.
[5] Euterpe c. 51.
[6] Lib. 1. cap. 4.
[7] Apud Eusebium præpar. Evang. lib. 1.
[7] In voce κάβειροι.
[9] Geneſ. 11. v. 28.
[10] In tradition.
[11] Ad Geneſ. 11.
[12] In Targum ad Gen. 11.
[13] Apud Euſebium præpar. Evang. l. 9. c. 18.
[14] Euterpes cap. 51.
[15] Jerem. 46. v. 20.

vit Vir quovis encomio major Bochartus: Axieros enim, quæ est Ceres, ita interpretatur: אחזי ארץ *Portio mea terra*, quemadmodum nomen in Sacra Scriptura notissimum Achasia: *possessio mea Deus*; cumque קרץ tam Hebraice, quam Arabice mortem denotet, & Axiokersa Axiokersos solo genere differant, Plutonem & Proserpinam dictos autumet אחזי קרץ *Possessio mea mors vel inferi*: quartum Κάμιλλον ὃν ἀπὸ τῆς διακονίας προσηγόρευον *Camillum, quem a ministerio denominant*, scribente Plutarcho, [1] Phavorino, Lycophrone Cadmilum dictum, idque a חדם *Chadama*, quod Arabibus est *ministrare*, & אל *Deus*, Κόιης ἱερεὺς Καβείρων, ὁ καθαίρων φονέα, οἱ δὲ Κόης, *Cojes Sacerdos Cabirorum purgans homicidam, alii vero dicunt Coes*, ait Hesychius [2]: at unde id, nisi a כהן *Sacerdos*? Tales Cabiri cum Abraham ejusve filii fabiti fuerint, non mirum quod auxilium Cabirorum cultoribus præsentissimum affore crediderint Gentiles, ut Diodorus Siculus: [3] καὶ παραδόξος ἐν τοῖς κινδύνοις βοηθεῖα τοῖς ἐπικαλησαμένοις τῶν μυηθέντων, *mirum vero in periculis auxilium initiatis qui invocant eos*; quibus assurgit Scholiastes Apollonii [4]; etenim cum Abrahamus Lothum & Sodomæ Regem morti fere vicinos præsentissimo exitio eripuisset, percrebuit statim rumor de ejus potentia, ut ne contradicere quidem ipsi tota vicinia ausa fuerit.

III. Sed vereor, ne nimis diu his immorati fuerimus, Golgiam Venerem dictam testatur Lycophron, [5] cui Θεὰ Γόλγων ἄνασσα, *Dea Golgorum regina*, audit Stephanus, qui ita [6]: ἀφ' ἧς Γολγία ἡ Ἀφροδίτη: at unde id nominis, nisi ab oppido Golgos fatentibus Pausania, [7] Catullo, [8] Theocrito [9]? unde vero id oppidum, nisi a notissimo גלגל. *Gilgal*? Ἀφροδίτη Κωλίας, Stephano περὶ πόλεων [10] audit, at non aliam ob causam, quam quia mandato Divino tam prompte obsecuti fuerint Abraham & Sara, unde nomen a verbo Dei קוליה *Colia* sortita fuit. [11] Ἀμβολογήρας Ἀφροδίτης ἄγαλμα *Veneris senectutem retardantis statuam* memorat Pausanias; scilicet non inepte hoc nomine appellari potuit Sara, cujus senectutem vegetam fuisse accepimus, ut vel decrepitæ tum demum vires ad pariendum non defuerint. Ἀφροδίτης Μιγωνίτιδος ἱερὸν describit Pausanias [12], ubi Veneri impudica satis sacra gratis fieri produnt Diodorus, Plutarchus, alii, scilicet exinde id nominis sortita cum מגן &, מננא *gratis* denotet. Quicquid vero id sit, tædet fere plura Veneris cognomina explicare. Quod vero Sara ipsa fuerit, multa persuadent; etenim vel ipso Jove

[1] in Numa.
[2] in Glossario voce Κόιης.
[3] Libro 5. Bibliothecæ Historicæ.
[4] Libro I.
[5] in Alexandra.
[6] In voce Γόλγοι.
[7] in Arcadicis.
[8] Epigram. 37.
[9] Eidyll. 15.
[10] In voce Colias.
[11] in Laconicis pag. 195.
[12] in Laconicis pag. 204.

antiquior sub [13] Ἀφροδίτης nomine a Græcis colebatur, & Romanis olim ignota fuisse videtur, cum nec in Saliorum carminibus, nec in Pompilianis indigitamentis occurrat. Ipsi sane Jovi quoad senium & antiquitatem a Scholiaste Appollonii anteponitur, idque non aliam ob causam, quam quia Jupiter antiquorum Moses revera censetur, quo Saram antiquiorem fuisse quis negaverit? Fabulæ vero, quæ de nativitate ejus circumferuntur, quod e mari prognata fuerit juxta Tacitum: [14] *Fama recentior tradit Deam ipsam conceptam mari huc appulsam*, & Melam: [15] *ex mari Venerem egressam accolæ affirmant*, non aliunde, quam quod Nahoris neptis fuerit; נהר enim *fluvius*. Nupsisse Vulcano Venus dicitur, id est Abrahamo, quod nuper explicuimus; at Vulcanum Jovis filium prodit Homerus, uti & Venerem Ovidius (inconstantes enim sunt Poetæ) unde Jupiter, cum Veneri blandiretur, *oscula libavit natæ*: ut adeo Frari nupserit Venus, sed tali, qui eodem ꝑtre, sed matre non item genitus fuerit. Apprime! ipse enim Abraham de xore sua locutus: *Soror mea est*, inquit, *patrem enim communem habuimus, at non matrem*: φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη *risu gaudens Venus* Homero [16] dicitur, non aliam certe ob causam, quam quod Sara, non nisi risu promissum Dei de nascituro filio exceperit; quemadmodum enim in Sacra Scriptura filius exinde nomen sortitus, ita ipsa exinde mater apud Gentes cognominata. Nec est quod negemus factum id ad Gentes pervenisse, cum expressissime memoret Melo [17] Abrahamo: υἱὸν γενέσθαι, ὃν ἑλληνιστὶ γέλωτα ὀνομασθῆναι, *filium genitum, quem Græce risum nominari*: notissimum, quod de propenso Martis in Venerem animo tradunt Ethnici; alludentes scilicet ad amores Ægyptii Regis, Divino consilio ipsa in herba suffocatos. Supersunt plurima eorum, quæ de Venere narrari solent, non obscure historiam Saræ in Sacris Literis memoratam exprimentia, adeo quidem ut nullo labore plurima eam in rem hic congerere possemus, nisi brevitate magistra uti nunquam non in animo nobis fuisset.

IV. Demonstravimus igitur, & quidem satis prolixe Veneris cultum Phœnicibus originem debere; cum vero profectum eum ab Assyriis ad Cyprios Annalium fides testetur, patescit facile quales Assyrii intelligendi sunt, nempe הצורים sive Phœnices, quod tam clarum arbitramur, ut ulteriori in his mora opus non fuerit, sed longe satius videatur pedem paulo ulterius promovere.

[13] Ad Argonaut. libro 3.
[14] Histor. l. 2.
[15] l. 2. c. 7.
[16] Odyss. 8.
[17] Apud Eusebium præpar. Evang. pag. 421. cap. 19. lib. 9.

CAPUT VICESIMUM.

I. ASfyria unde dicta, noverunt Eustathius, Erathosthenes, Stephanus. Aturia dicta juxta Svidam & Dionem cur? II. Adiabene pars Assyriæ juxta Eustathium, unde dicta juxta Stephanum, qui fallitur, verba Ammiani, unde Adiabene, fluvius cur Λύκος dictus? III. Ninus & Babylon confusæ, unde ista confusio? Ninus Rex fabulosus, unde fabula de Semiramide Nino Regi imperante. Nini incolæ, fabula Semiramidis apud Diodorum. Ascalon urbs Palæstinæ. IV. Derceto & Atargatis idem Numen, unde ista nomina? Fabula Oannis apud Helladium Besantinoum, Oannes unde dictus? Forma ejus a Beroso descripta. Oannes quis? Cur ex aquis prodiit? Cur junceus dictus? Cur piscis pelle inductus? Plures Oannæ cur? Annedoto quid? Oannes cur invenit agriculturam, ædium sacrationes, Architecturam, Astronomiam. Moses Astronomus, inter stellas relatus juxta Ampelium, verba Hygini. Oannes literas invenit, literæ Phœniciæ origine, cur Oannes interdum fœmina? V. Semiramis columba juxta Diodorum & Hesychium, Bocharti sententia, unde dicta? Cultus Semiramidis captivitate Babylonica recentior, a Phœnicibus invecta. VI. Semiramidis ætas eruitur, 35. annis captivitate Babylonica junior, Samaritani columbas colunt, unde orta fabula quod in nomine Semiramidis circumcidere dicantur Samaritani? Pisces iu Assyria culti, columbæ tam in Assyria quam Palæstina cultæ, cur Semiramis in columbam mutata? VIII. Unde cultus columbarum? pronunciatio τȣ̃ יהוה, Græci qua ratione columbæ filii? Assyrii cur cultui columbarum obnoxii? Cur columba Oraculum Dodonæum exstrui jusserit: יונה *columba*, cur fœmina columba dicitur? Cur columba oraculum dedisse dicitur, unde, & cur locus oraculi Dodon dictus? Cur in fago requievisse columbæ dicuntur? Cur nigræ? Phœnicibus originem Oraculi Dodonæi adscribit Herodotus? Cur æs & tripodes Dodoni addunt Gentes? IX. Assyrii ab Ægyptiis edocti juxta Lucianum. Lustrant se Judæi, uti & Assyrii. Prophetæ Judæorum & Assyriorum. Artem conficiendi belluata peristromata a Judæis didicerunt Assyrii.

SATIS prolixe causam, cur Judæi Assyrii dicantur, dedimus, & Assyrios illos, qui sæpissime apud profanos occurrunt non esse alios, quam הצורים, id est Phœnices tam dilucide dedimus, ut diutius his immorari opus non fuerit, præsertim cum instituti ratio jubeat, ut pedem promoveamus visuri, anne Assyrii reliquias aliquas etiamnum servent, quæ affinitatem eorum cum Hebræis loqui poterunt. Totam eapropter Assyriam percurrere lubet, & inspicere, anne nomina locorum apud profanos Scriptores conservata Linguæ Hebrææ vindicari possint.

I. Assyriam ab אשור nomen sortitam non dubitamus ab ipso Sacro Spiritu edocti, sed an hæc Ethnicis innotuerunt dubitari posset, nisi clarissima essent Eustathii verba: [1] Ἄσσυρες οἱ Ἀσσύριοι λέγονται ἀπὸ τῆς εὐθείας ὁ Ἀσσὺρ *Assyres Assyrii dicuntur a casu recto Assur*, & alibi: οἱ Ἀσσύριοι Ἄσσυρες, cui sententiæ adstipulatum olim Erathosthenem testatur Stephanus [2]: λέγονται, καὶ Ἀσσύριοι καὶ Ἄσσυρες παρὰ Ἐρατοσθένει, *dicuntur & Assyrii, & Assyres apud Erathosthenem*. Dictam vero eam incolis Aturiam testantur præter alios Svidas, [3] & Strabo, [4] cui vel quinquies unica in pagina ἡ Ἀτυρία nominatur, at non aliunde, quam quia more Chaldæorum ש sæpissime in ת permutatur, unde ipse אשור a Chaldæo Peraphraste אתור vocatur: id quod & observare debuisset Casaubonus; quamvis enim libenter ipsi concedamus, nec a Plinio, nec a Mela eam ita dictam, producimus tamen evidentissima Dionis Cassii verba, [5] quæ hunc ipsi scrupulum eximere debuissent, quæ ita se habent, ut iis contradici non possit: nominat quippe Ἀτυρίαν βαρβαρισὶ τȣ̃ σίγμα εἰς τὸ ταῦ μεταπεσόντων, *barbarice literis S. in T. permutatis*. Nec enim hoc rarum, unde Batanæa pro Basanæa, quamvis a בשן.

II. Aliquam saltem Assyriæ particulam Adiabenem olim dictam esse testari poterit Eustathius [6] in Dionysium: ὁ γεωγράφος δὲ Ἀσσυρίους μὲν οἶδε τοὺς περὶ Βαβυλῶνα καὶ τὸν κύκλον, ἔνθα καὶ Νῖνος πόλις καὶ Νίσιβις, ὅπου καὶ ἡ πρὸς Ἀνατολὰς τῆς Μεσοποταμίας κειμένη ἡ λεγομένη Ἀδιαβένη χώρα, οὕτω καλουμένη διὰ τὸ δυσδιάβατον τῶν ἐκεῖσε ὑδάτων, *Geographus vero agnoscit Assyrios circa Babyloniam & subjectam regionem habitantes, apud quos est Ninus civitas & Nisibis, ubi etiam versus ortum Mesopotamiæ sita est regio Adiabene dicta, quæ nomen habet propter trajectum aquarum*. Vides hic sententiam Eustathii de origine hujus nominis, cui quoque subscripsit Svidas [7]: λέγεται δὲ Ἀδιαβηνὴ διὰ τὸ εἶναι πλείους ποταμοὺς ἐν αὐτῇ καὶ δυσχερεστέραν τὴν διάβασιν. *Dicitur vero Adiabene, quod in ipsa plures sint fluvii, & propter illorum frequentiam hominibus iter illac facientibus difficiliorem transitum præbeat*.

[1] in Dionysium.

[2] περὶ πόλεων in voce Assyria.

[3] In voce Ninus.

[4] Geographiæ libro 16.

[5] in Trajano.

[6] in Dionysium p. 102.

[7] In voce Adiabene.

beat. At quanto his rectius Ammianus Marcellinus [1]? qui, licet totam Assyriam Adiabenem vocari perperam dicat, originem tamen nominis multo, quam alii rectius pandit his verbis: *intra hunc circuitum Adiabene est, Assyria priscis temporibus vocata, longaque assuetudine ad hoc translata vocabulum ea re, quod inter Onam & Tigridem sita navigeros fluvios adiri vado nunquam potuit; transire enim* διαβαίνειν *dicimus, Græci, & Veteres quidem hoc arbitrantur. Nos autem id dicimus, quod in his terris amnes sunt duo perpetui, quos & transivimus, Diabas, & Adiabas juncti navalibus pontibus, ideoque intelligi Adiabenam cognominatam*. Apprime Marcellinus; etenim fluvii Diabas & Adiabas non sunt, nisi Zabas & Anzabas frequentissime apud Auctores, ut Cedrenum, & Historiæ miscellæ consarcinatores [2] nominati; ut enim apud Grammaticos Diabolus, & Zabolus, Hippo Diarrytus, & Zarrytus, Diacones, & Zacones, Diæta, & Zæta promiscue sumitur, ita etiam Zabas & Diabas. Jam vero notum, quod זאב, & præposito ה הזאב lupum denotet, unde fluvius iste originem traxit: at dicas: quid fluvio cum Lupo commercii? regero, Græcos ita eum dixisse eo certius affirmo, quo constantius λύκος a Geographis ut Strabone, [3] Plinio, [4] Arriano [5] appellatur. De Zaten & Zabaton Assyriæ, quæ habet Xenophon, videre poterunt, quæ erudite commentatur Fullerus [6].

[1] Libro historiæ 23. cap. 6.

[2] In rebus gestis Heraclii.

[3] Libro 16.

[4] Libro 6. cap. 26.

[5] Libro 3.

[6] Miscellan. lib. 3. c. 6.

III. Prope hunc fluvium sitam fuisse Niniven, Græcis Geographis Ninum dictam, docent Geographi, cujus etymon una cum Gaugamele Sue, aliisque apud Bochartum petantur, cum benevolo Lectori ea obtrudere nolimus, quæ, quamvis a nobis ipsis observata, apud eum tamen in antecessum tradita deprehendimus. Id vero mirum mihi imprimis videtur, quod Niniven & Babylonem civitates ut ut diversissimas, apud auctores tamen confusas inveniam; etenim apertissime Svidas Ninum urbem a Semiramide Babylonem cognominatam scribit, & Diodorus eam ad Euphratem sitam scribit, quod scilicet cum Babylone confunderet. Causam hujus confusionis non aliam arbitror, quam quod, diruta Nino, Græci Babylonem solam Assyriæ metropolin agnoscentes Ninum non urbis, sed Regis nomen crediderint, atque ita Babylonem Nini urbem prodiderint, quamvis Ninus Regis nomen censeri nunquam, nisi fidem denegemus Scaligero, poterit: hinc enim succedente tempore cum alii Babylonem Nini urbem dictam viderint, alii prudentiores, quibus res, ut erat, suboluit, Ninum urbem non Regem agnoverint, natum, quod Babylon & Ninus confusæ fuerint; cumque Semiramis ipsam, in statua illi erecta, se appellat Νίνου βασιλίσσαν, [7] id est *urbi*, non Regi, posteri id de Nino Rege, nescio quo, interpretati originem dederunt fabulæ, quod Nino Regi marito, utpote suo, imperaverit, imo tandem infesta nimis internecioni eum dederit. Quicquid vero id sit, miramur, hujus urbis magnitudinem cum Aristoteles scripserit, ea jam tum capta fuisse aliquos, qui non nisi post tertium diem captos se esse deprehenderint, ut adeo sua Sacræ Scripturæ auctoritas constet, cum eam non nisi trium dierum continuo itinere peragrari posse (sic enim verba capio) scribat. Quoniam vero Ninum urbem tam celebrem in Geographorum scriptis totius Assyriæ metropolin fuisse constet, non abs re futurum credimus, si incolas ejus adeamus, visuri, anne Phœnices nostros eo etiam in loco reperire possimus, ut adeo non mirum videatur, si plurima eorum instituta Phœnices auctores habuerint. Non desperamus, cum ista Diodori ruminamur [8]: κατῴκισε δὲ εἰς αὐτὴν τῶν μὲν Ἀσσυρίων τοὺς πλείστους καὶ δυνατωτάτους, ἀπὸ δὲ τῶν ἄλλων ἐθνῶν τοὺς βουλομένους, *habitare vero in ea fecit Assyriorum plurimos & potentissimos, ex aliis vero Gentibus eos, qui volebant*; etenim quoniam hanc reliquis Gentibus libertatem concedit, vix dubitamus, quin Phœnices etiam eo appulerint. Et sane si Reginam hujus urbis Semiramidem attentius paulo considerare libeat, patescet facile eam Phœniciæ originem debuisse, & per consequentiam tam Phœnicies, quam varia Phœnicum instituta Nino secum intulisse. Ut res evidentior fiat, audiendus omnino Diodorus Siculus, qui ita: κατὰ τὴν Συρίαν τοίνυν ἐστὶ πόλις Ἀσκάλων, καὶ ταύτης οὐκ ἄποθεν λίμνη μεγάλη καὶ βαθεῖα πλήρης ἰχθύων παρὰ δὲ ταύτην ὑπάρχει θέμενος Θεᾶς ἐπιφανοῦς, ἣν ὀνομάζουσιν οἱ Σύροι Δερκετοῦν. αὕτη δὲ τὸ μὲν πρόσωπον ἔχει γυναικός, τὸ δὲ ἄλλο σῶμα πᾶν ἰχθύος διά τινας τοιαύτας αἰτίας - - - διὸ καὶ τοὺς Σύρους μέχρι τοῦ νῦν ἀπέχεσθαι τούτου τοῦ ζώου καὶ τιμᾶν τοὺς ἰχθύας ὡς θεούς - - ἐκλήθη Σεμίραμις, ὅπερ ἐστὶ κατὰ τὴν τῶν Σύρων διάλεκτον παρωνομασμένον ἀπὸ τῶν περιστερῶν, ἃς ἀπ' ἐκείνων τῶν χρόνων οἱ κατὰ Συρίαν ἅπαντες ὡς θεὰς τιμῶντες. *Est in Syria urbs Ascalon, aqua non procul ingens & profundus lacus, piscium copia abundans, & in vicinia illustris Deæ templum, quæ Derceto Syris vocatur, facie mulierem, & toto alio corpore piscem referens, - - ideoque Syros ad hoc usque tempus abstinere ab hoc animali & venerari pisces, ut Deos, - - - vocata*

[7] Atticorum p. 27.

[8] Bibl. libr. cap. 11.

cata est Semiramis, quod est secundum Syrorum Dialectum denominatum a columbis, quas ab istis temporibus, Syriam incolentes omnes ut Deas venerantur. Ista explicata proposito nostro ut accomoda fiant, ordine agendum arbitramur: Ascalonem Phœniciæ civitatem Semiramidis patriam primo loco facit, cujus urbis meminit etiam Pausanias [1] qui: Ἀσκάλωνα ἔχοντας φοίνικας ἐν τῇς Παλαιστίνῃ *Phœnices incolentes Ascalonem in Palæstina* memorat, cui consentit Mela, [2] assurgit Plinius, [3] applaudit Stephanus, cujus verba ita se habent: Ἀσκάλων πόλις Συρίας πρὸς τῇ Ἰουδαίᾳ, *Ascalon civitas Syriæ apud Judæam*, quibus verbis cum nemo Antiquorum refragetur, non opus arbitramur diutius iis inhærere.

IV. Pergimus igitur ad Deam Δερκετῶν, quam porro memorat Diodorus; necessitas enim exigit, ut cultum ejus hic describamus, inprimis docturi, unde cultus hic, & qua de causa originem sumpserit; quamvis enim plurima habeat Seldenus, lectu jucundissima, scitu, saltem ad hanc rem, valde necessaria, nec tamen ille, nec alius aliquis ipsa nefandæ religionis incunabula pro dignitate explicuit. Dagonem Atergatem, Adargidem unum idemque numen esse, dudum docuit Seldenus dictum ita ab Hebræis vocabulis אדיר דג *Adir dag*, quæ pretiosum Piscem denotant, quod nomen corruptum esse in Derceto ipse agnoscit: Derceto vero, & Oannem in idem Numen recidere cum demonstret, & hoc nos labore supersedere poterimus; notum vero arbitramur, quod Bochartus Derceto Hebraice scribi תרעתא prolixe edoceat. His præmissis & præcognitis propositum nostrum aggredimur, & primo quidem loco monemus Derceto fuisse sexu promiscuo, modo enim, cum Adirdaga, fœmina est, modo, cum Oannes, Derceto iterum mas, quod ex sequentibus facile patefiet. Deinde historiam Oannis ab Helladio Besantinoo [4] paucis descriptam hic inserere libet: μυθωλογεῖ ἄνδρα τινὰ ὠνομασμένον Ὤην, τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἀνελθεῖν, τὰ ἄλλα μὲν τῶν μελῶν ἰχθύος ἔχοντα, κεφαλὴν δὲ καὶ πόδας καὶ χεῖρας ἀνδρός. καὶ καταδεῖξαι τὴν τε Ἀστρονομίαν καὶ τὰ γράμματα, οἱ δὲ αὐτὸν ἐκ τοῦ πρωτογόνου πεφηνέναι λέγουσιν Ὦου, καὶ μαρτυρεῖν τοὔνομα· ἄνθρωπον δὲ ὄντα τὰ πάντα, ἰχθῦν δόξαι, διότιπερ, ἠμφίεστο κητώδη δοράν. *Narrat virum quemdam Nomine Oen (legendum hic Oannem ex Bereso & aliis colligere licet) in rubro mari visum, habentem cætera membra piscis, caput, & pedes, & manus hominis, & ostendisse Astronomiam & literas. Quidam dicunt eum natum esse e primo Parente* Ὦου, *& testari nomen; hominem autem esse omnino, piscem vero videri, quod piscis pelle indueretur*. Etymologia nominis, quæ adfertur, non potest non fabulosa haberi, etiamsi Helladium excusare possimus; dudum enim mira multa de ovo insignis magnitudinis, unde prodiisse dicitur Oannes, prædicarunt Orphicorum Mysteriorum epoptæ, quæ prolixe exhibet Plutarchus [5]. Verum si genuinam hujus appellationis originem audire libeas, dictum Oannem omnino arbitror a voce Chaldaica אחונא Ahuana, quæ vox *carecta & juncos* denotat: nec est quod mireris, inde nomen Oanni datum, cum respicias ad ipsum mare rubrum, quod a juncorum copia ים סוף dicitur; ab eo enim prodiisse Oannes dicitur. Formam ejus eadem fere ratione describit Berosus a Seldeno citatus: [6] τὸ μὲν ἄλλο σῶμα εἶχε ἰχθύος, ὑπὸ δὲ τὴν κεφαλὴν παραπεφυκυῖαν ἄλλην κεφαλὴν ὑποκάτω τῆς τοῦ ἰχθύος κεφαλῆς, καὶ πόδας ὁμοίως ἀνθρώπου, *aliud vero corpus habuit piscis, sub caput vero aliud caput excrescens piscis habuit, & pedes similes humanis*; sic de Derceto Diodorus: τὸ μὲν πρόσωπον ἔχει γυναικός, τὸ δὲ ἄλλο σῶμα πᾶν ἰχθύος, *faciem quidem mulieris habuit, aliud vero corpus omne piscis*. Assurgunt Lucianus, Bambyces, Plinius, Strabo, alii omnes a Seldeno adducti; sed ut brevissime hic dicam, quæ sentio, Oannem ipsissimum Mosen esse autumo, conjecturæ meæ rationes has accipe. Vixisse in aquis Oannes, & exinde prodiisse omnibus dicitur, non aliam ob causam, quam quia Moses postquam diu in aquis hac illac circumactus fuisset, tandem a filia Pharaonis extractus fuerit, & quoniam in cistam junceam projectus fuerat, nomen exinde sortitus, & Oannes dictus, quod eo majori jure tribui illi posse arbitrati sunt, cum mare rubrum ים סוף dictum transiret; etenim quod e mari rubro emersisse Oannes dicitur, non aliunde, quam quod Moses per mare una cum reliquis Israelitis profectus: inde etiam Piscis dictus, quod putaverint non posse quemdam, nisi piscis sit, integrum mare continuo itinere emetiri. Optime vero Helladius noster prodit [7] ἄνθρωπον δὲ ὄντα τὰ πάντα ἰχθὺν δόξαι, διότιπερ ἠμφίεστο κητώδη δοράν, *hominem eum fuisse per omnia, piscem vero visum quod pisces pelle indueretur*: etenim quemadmodum vulpina, leonina pelle indutus non denotat, nisi astutum vel ferocem hominem, idque apud omnes fere auctores classicos, ita hic piscis pelle indutus hominem significat piscis natura præditum, qualis fuit,

[1] Naturalis histor. l.5.cap.3.

[2] In voce Ascalon.

[3] Hierozoic. parte 2. libro 2. cap.1.

[4] Editione Meursii p. 4. alioquin in Photio Codic.279.

[5] Symposioc.l.2.c.3

[6] Synt. 2. c.3.

[7] Bibliot. Hist. libro 2.

fuit, dum nataret, Moſes τὰ πάντα alioquin ἄνθρωπος æque ac Oannes. Plures vero Oannas fuiſſe ex Beroſo memorat Apollodorus, hoſque Annedotos dictos [1] idque non aliam ob cauſam, quam quia plures Iſraelitæ, una cum Moſe per mare rubrum tranſgreſſi fuerint, quorum unumquemque Annedoto ענגא-דתו, id eſt *Nubes regula ejus* dictum non inepte ſcribit, cum notum ſit, quod beneficio Nubis viam monſtrantis per loca deſerta iter fecerint: dicuntur autem ideo Oannæ ſocii, quod notum ſit tempore Moſis præceſſiſſe Iſrelitas nubem, & arcam poſt duo vexilla ſecutam; Moſe vero tum demum mortuo, ablatam fuiſſe eam, præceſſiſſe vero geſtatam a Sacerdotibus & Levitis arcam. Verum ſi inventa Oannis cum Moſaicis conferamus, facile animadvertendum, quam ſimilia ſint. Dicuntur homines ab eo didiciſſe artes omnifarias [2] 1. agriculturam 2. ædium ſacrationes; quod ſcilicet Moſes Tabernaculum Deo ſacraverit, 3. Architecturam, quod ab ipſo Deo inſtructus docuerit, qua ratione templum exſtrui deberet, 4. Leges politicas, quas dediſſe Moſem, & quidem primum nemo ignorat, niſi qui ipſam Sacram Scripturam ignorat, 5. juxta Helladium noſtrum Ἀστρονομίαν, cujus artis ſcientia inclaruiſſe Moſen nullus dubitat, cum juxta Sancti Spiritus verba in omni ſcientia Ægyptiorum informatus fuerit; at Ægyptios inſigni harum rerum notitia apud Scriptores ſuperbire videmus. Quid? quod non Aſtronomus ſaltem ab Ethnicis habitus fuit Moſes, ſed etiam in aſtra relatus? teſtem cito Lucium Ampelium, cujus verba ita ſe habent: [3] *Libra, quam Græci ζυγὸν appellant, virile nomen eſt adeptus. Is omni clementiæ juſtitia Mochos dictus, qui primus dicitur libræ pondus hominibus inveniſſe, quæ utiliſſima mortalibus æſtimantur, ideoque in numernm ſtellarum receptus eſt.* Pro Mochus legendum Moſchus alibi monuimus; quis autem ille, niſi משה Moſes? cujus imaginem inter aſtra relatam, & libræ geſtandæ adhibitam dubitare nos non patitur iſte Ampelii locus, quem confirmat Manilius [4] *Humana* inquiens *eſt facies libræ*; etenim quod Moſes libræ pondus inveniſſe primus dicitur, non aliunde, quam quod æquitatem libræ, & ponderum toties [5] inculcat: *6.* & ultimo γράμματα, id quod extra omnem dubitationis aleam poſitum credo; Cadmum enim literas Græciæ intuliſſe teſtantur Victorinus, [6] Plutarchus, [7] Tacitus, [8] & omnes fere hiſtorici: quis vero Cadmus fuerit libro primo abunde a nobis explicatum, quod

[1] Videatur Seldenus Syntagm. 2. c. 3.

[2] Vid. ibidem idem.

[3] In libro memoriali.

[4] Libro 2.

[5] Levitic. 19. Deut. 25.

[6] Libro 1. c. de ortographia.

[7] Sympoſi ac libro 9. quæſt. 1. c. 3.

[8] Libro 11.

literæ ejus Phœniciæ, id eſt Hebrææ (quas Moſes & Iſraelitæ uſurparunt) fuerint teſtatur, quod Φοινικήια γράμματα dicantur, quod ἐκφοινῖξαι ſit ἀναγνῶναι apud Heſychium [9] quod Dictys Cretenſis [10] ſcribat: *ſingulos Græcos in tabellis, quas ad delegendum belli Principem, qui cuique videretur, acceperant, Punicis literis nomen Agamemnonis deſignaſſe.* Quæ omnia luculenter evincunt Moſem ipſiſſimum eſſe Oannem. Quod vero ille ipſe Adirdaga Derceto &c. vocetur, atque ita pro fœmina habeatur, cave, ne ſententiæ noſtræ abeſſe credas; poſtquam enim tum demum poſterioribus ſæculis cultus Veneris cum Oannis religione commixta fuit, non mirum, quod etiam fœminam eam finxerint, præſertim cum uxorem Moſis ſimul trajeciſſe rubrum mare audiviſſent, & etiam Divino eam cultu proſequi ſolerent, quod eleganter demonſtrat Huetius. [11] Notum, quodquoque in Sacra Scriptura dicatur in unum maritum & uxorem coaleſcere, quod Gentes ſecundum literas interpretati, tales aſſanias poſteritati a fabulis alienæ obtrudunt.

V. Tam prolixe hæc explicare libuit, ut cultum hunc a Palæſtina ortum liqueret; mox enim dabimus ad Aſſyrios quoque eum tandem deveniſſe. Vocatam porro Semiramin a columba tradit Diodorus noſter, cui aſſurgit Heſychius: [12] Σεμίραμις περιστερὰ ὄρειος Ἑλληνιστὶ *Semiramis columba montana Græce*, quem falſi Veteres nonnulli incuſant, & dictam eam potius volunt, tanquam שמירם *nomen meum eſt altum*. Verum tot Veterum locis cum id repugnat, potius Bocharto credimus, qui ſine ſumma neceſſitate a conſtanti Veterum traditione non eſſe recedendum inculcat, & Semiramim columbam denotare omnino credit: ſed cum Semiramin legendum eſſe clamat, fatemur non poſſe nos in ſententiam ejus deſcendere, cum obſtet coſtantiſſima omnium fere codicum fides, quin potius dictam eam autumamus tanquam שמיר-ימאם *columba Samaritanæ* ablato ם; poſtquam enim Rex Aſſyriæ in Samariam Judæos deduci curaverat, credibile omnino eos columbarum cultum ſecum attuliſſe, & inde fictam de Semiramide fabulam, imo nomen ei inditum a *columba*, quæ tum *Samariæ* coli cœperat. Geſta vero alicujus Reginæ illi attributa, quæ longe ante eam floruerat, nec eo nomine vocata, quam ſententiam, quæ multis, ni fallor, paradoxa videbitur, eo firmioribus argumentis roborare animus eſt, & ſimul evincere, quod columbæ cultum a Phœnicibus habeant Aſſyrii.

[9] in ea voce.

[10] De Bello Trojano.

[11] Demonſtr. Evang. propoſ. 4.

[12] In voce Semiramis.

VI.

VI. Primum quod huic ſententiæ objici poterit, niſi fallor, erit ætas Semiramidis, quam longe ea tempora anteceſſiſſe conſtans Hiſtoricorum fides tradidit. Sed regero: fuiſſe aliquam, quæ Babylonem exſtruxerit, non dubitandum; diverſiſſimam vero eſſe eam a fabuloſa hac Semiramide, cujus ætatem eruere ut liceat, Herodotum adire oportet, qui ita: [1] *ἡ μὲν πρότερον ἄρξασα τὴν ὕστερον γενεαῖς πέντε πρότερον γενομένη τῆς οὔνομα ἦν Σεμίραμις, quæ primum regnabat poſteriorem quinque* γενεαῖς, Nitocrin, *antecedebat, ejus nomen erat Semiramis*; etenim quamvis paulo antiquiorem captivitate Babylonica Semiramidem faciat, vix tamen centum annos ante captivitatem vixiſſe eam aſſerit, id quod turbare conjecturam hanc minime poterit, cum Scriptores poſt Herodotum tam manifeſte errarint, ut levis iſta noſtri aberratio vix cenſeri debeat. Ut vero, quæ dicta ſunt, probemus, ſciendum primo Nitocrem fuiſſe Cyro coetaneam, deinde videndum, quot anni γενεῶν conſtituant juxta Herodotum, id quod facile pateſcet; ſcribit enim [2] *τρεῖς γενεαὶ ἀνδρῶν ἑκατὸν ἔτη εἰσὶ tres γενεαὶ ſunt centum anni*. Jam vero liquet ante Cyri imperium & Nitocrem 70. annos id eſt duas γενεὰς, & 4. annos a captivitate Babylonica præterlapſos, ut adeo 96. annis a calculo noſtro abſceſſerit Herodotus, cum tamen alii ad Ninum Semiramidem referant, & eam Cyro 1600. annis propterea antiquiorem faciant. Verum ſi Herodotum ea ex fide aliorum retuliſſe dicimus, poterit etiam γενεὰ ſumi pro 7. annorum ſpatio, obſervante & demonſtrante Henrico Stephano, [3] ut adeo ſecundum hunc calculum Semiramis ſit annis 35. captivitate Babylonica junior, id quod ſententiæ noſtræ apprime convenit; etenim ante id tempus tam late dominatum fuiſſe in Aſſyria columbarum cultum non credimus. Antequam vero ulterius progredimur, monemus iterum, ne credat Lector nos rejicere ea, quæ de Semiramide narrantur, ad tam poſteriora ſæcula, quin potius ea longe ante facta lubenter agnoſcamus: ne vero quis arbitretur fingere nos hæc de culta a Judæis in Samariam deductis columba, age, producimus locum ex Meor Enajim: *mihi perſuaſiſſimum eſt Cuthæos, quos Aſſyriæ & Babyloniæ Rex in Samariam deportaverat, in amoris, cultuſque ſignum & teſtimonium erga Regem ſuum, qui columbam habebat, pro vexilli ſymbolo columbam amaſſe & ſtatuam, quam colerent, ei erexiſſe* [4]. Quamvis enim dicitur hic, quod in gratiam Regis id fecerint, liquet tamen Diodorum & alios agnoſcere cultum hunc prius ante apud Syros, quam Aſſyrios viguiſſe. At hic modo dicis gratia unum explicare ſatagam, quod multos hactenus licet fruſtra detinuit: calumniantur Judæi Samaritanos circumcidere in nomine columbæ, calumniam eam eſſe omnes ſciunt, nec tamen credibile Judæos abſque omni cauſa hoc finxiſſe; cauſam vero erroris hanc credo: legerant alicubi Judæi circumcidere Samaritanos בשם ירם ſcribere enim nomen יהוה integrum ſæpiſſime non auſi ſunt Veteres, quod illi ut unum vocabulum בשמירם legentes, ſtatim crediderunt in nomine Semiramidis circumcidere Samaritanos; cum vero Semiramis columbam denotet, non mirum videbitur, ſi talis exinde fabula nata fuerit, cum amphibolia vocum deceptos ſæpius ita hallucinatos eſſe deprehendamus.

VII. Antequam Semiramidem & Ninum urbem relinquimus, promiſſis ſtare tenemur, & monſtrare piſces in Palæſtina cultos, columbas tam in Aſſyria, quam Palæſtina. Prius quod attinet, ipſum Oannem non aliam ob cauſam in Aſſyriam itaſſe Veteres affirmant, quam quod eo quoque Moſis hiſtoria devenerit, & peſſime depravata piſcium cultui occaſionem aperuerit, quem cultum vel Cyri ævo viguiſſe teſtatur Xenophon [5] & quidem cum deſcribit ποταμὸν ὄντα τὸ εὖρος πλέθρου, πλήρη δ' ἰχθύων μεγάλων καὶ πράων οὓς θεοὺς ὀνόμαζον καὶ ἀδικεῖν οὐκ εἴων οὐδὲ τὰς περιστεράς, *fluvium, cujus erat unius plethri latitudo, plenum piſcibus magnis & manſuetis, quos Deos æſtimant, neque lædi eos exiſtimant, uti nec columbas*, quibus ſimilia cum habeat Diodorus, habeat Herodotus, plura congerere hic ſuperſedemus. Nec tamen intra anguſta adeo pomeria continere ſe potuit piſcium cultus, quin potius evagandi viam quæſiverit: divinatos enim olim per piſces Lyciæ incolas tradidit Ælianus; [6] Ægyptiis eos eſſe ſacros, memoravit cum Luciano [7] Herodotus; [8] Græcis vero Diodorus Siculus [9]; columbas vero ſacras Syris & quidem inſigni ſuperſtitione coli memorat Lucianus: [10] ὀρνίθων τε αὐτέοισι πελειερὴ δοκέει χρῆμα ἱρότατον καὶ οὐδὲ φαγεῖν αὐτέων δικαιεῦσι, καὶ ἢν ἀέκοντες ἅψωνται, ἐναγέες ἐκείνην τῆς ἡμέρην εἰσί, τοὔνεκα δὲ αὐτέοισι σύννομοί τε εἰσὶ καὶ ἐς τὰ οἰκήια ἐσέρχονται, καὶ τὰ πολλὰ ἐν γῇ νέμονται. *Præterea ex avibus columba ipſis videtur res ſanctiſſima eſſe, & ne tangere quidem eam fas habent. Quod ſi quando inviti etiam attingunt, ſcelerati & exſecrabiles illo tum die habentur, ob quam rem & compaſcuæ illis ſunt, & ad domus ipſorum veniunt, & plorumque in terra paſcuntur.* Hinc Tibullus [11]: *Al-*

[1] Clio cap. 104.
[2] In Euterpe.
[3] Theſauri tomo 1. p. 830.
[4] Vide Bochart. Hieroz. p. 6.
[5] De expedit Cyri l. 1. p. 200.
[6] Hiſtor. anim. libr. 8. c. 5.
[7] Dea Syria.
[8] Euterpe cap. 72.
[9] Bibliothecæ pag. 200.
[10] De Dea Syria, p. 795, 796.
[11] Libro 1. Elegia 7.

Alba Palæstino sancta columba Syro.
quibus consentit Diodorus Siculus [1]: περιστεραὶ ἃς οἱ κατὰ Συρίαν ἅπαντες ὡς θεὰς ἐπιτιμῶντες, *columbæ, quas omnes circa Syriam reveriti*; pervenisse vero ad Assyrios eumdem cultum idem Diodorus testabitur [2]: ἔνιοι δὲ μυθολογοῦντες φασὶν Σεμίραμιν περιστερὰν γενέσθαι, διὸ καὶ τοὺς Ἀσσυρίους τὴν περιστερὰν τιμᾶν ὡς θεὸν ἀπαθανατίζοντες τὴν Σεμίραμιν, *quidam vero fabulantes dicunt Semiramin columbam factam, eapropter & Assyrios columbam colere ut Deum Semiramin immortalem habentes*; fabula vero, quam tradiderunt quoque Hyginus, [3] & Ovidius, [4] Phurnutus, [5] & Tzerzes, [6] non aliunde originem traxit, quam quia præclara illa, quæ de antiquissima Nino imperante Regina memoriæ prodita, tandem Semiramidi, idest, columbæ, cujus cultum Judæi secum Assyriæ intulerant, attributa fuerant, ut adeo postea columbæ sacra fecerint; id, quod ridet Lucianus, cum περιστερᾶ sacrificare Ἀσσυρίους memorat, [7] cui plurimi cum adstipulentur, multa hic congerere testimonia nolumus.

VII. Id vero quærere benevolus Lector poterit: quam ob causam cultas a Syris columbas credis? Regero altioris hæc esse indaginis, & hinc opus omnino, ut res ab initio repetatur. Sanctissimum nomen divinum יהוה non illa olim ratione, nec tam crasso, ac hodie, sono, *Jehova*, relatum fuisse dubitare equidem nemo poterit, sed potius raptim valde, ut Jovah celerrime equidem pronunciatum, quod cum Cananæi audirent, quos apud superstitio omnis invaluerat, pro Jovah Jonah forte audiverunt; quod scilicet non ita magna inter has pronunciationes differentia, & יהוה analogiæ grammaticæ non sit conformis. Hinc cum יהוה supremum Numen apud vicinos Hebræos dici animadverterent, illi יונה *columbam* summo & Divino honore prosequi non dedignabantur, in qua superstitione confirmati haud leviter forte erant, quod Israelitæ vix dum nati offerre בני יונה *filios columbæ* ex lege tenebantur, cum ipsi dicebantur בני יהוה *filii Dei*. Nec divelli se ab hac sententia passi sunt, postquam frequenter in Græciam proficisci cœperant, & ex propria Græcorum confessione יונים eos esse natos a Patre יון cognoverant; mox enim id, cum intelligi deberet, per *Javan* & *Jonim*, per columbas & columbæ filios interpretati: nec tamen hæc ipsis adeo fabulosa videbantur, cum Israelitæ se בני יהוה dicere antea noverant, quod ipsi, more suo, seu nuper dictum *Bene Jonah* pro *Jovah* acceperunt, atque ita crediderunt eumdem cultum apud Græcos, quoad hanc rem, ac Hebræos obtinuisse: atque hinc, nisi fallor, nata ista superstitio apud Phœnices, quam cum secum Assyriæ inferrent Judæi Idololatriæ jam maxime dediti, pronos invenerunt Assyriorum animos, eo quod in recenti ipsis memoria hæreret a præsentissimo incolas civitatis Nini periculo liberatos esse, idque ope Divina per vatem aliquem יונה in Sacris Literis notissimum ipsis annunciata, quem יונה *Jonah* cum columbam interpretarentur, nata inde primum apud Assyrios nota de columbis fatidicis fabula. Atque hic ego fontem me invenisse arbitror, ex quo notissima de columbis Dodonæis, quæ Jovi oraculum exstruendum dixerint, fabula promanavit, quam multis hactenus valde suspectam vel male interpretatam Herodoti verbis malo, quam meis referre [8]: τάδε Δωδωναίων φασὶ αἱ προμάντιες, δύο πελειάδας μελαίνας ἐκ Θηβέων τῶν Αἰγυπτίων ἀναπταμένας, τὴν μὲν αὐτέων ἐς Λιβύαν, τὴν δὲ παρὰ σφέας ἀπικέσθαι, ἱζομένην δὲ μὲν ἐπὶ φηγόν, αὐδάξασθαι φωνῇ ἀνθρωπίνῃ ὡς χρεὼν εἴη μαντήιον αὐτόθι Διὸς γενέσθαι. καὶ αὐτοὺς ὑπολαβεῖν θεῖον εἶναι τὸ ἐπαγγελλόμενον αὐτοῖσι, καὶ σφέας ἐκ τούτου ποιῆσαι, *Antistites autem Dodonæorum hæc ajunt: geminas Thebis Ægyptiis columbas advolavisse utramque nigram, unam quidem in Libyam, alteram ad ipsos, quæ fago insidens humana voce elocuta sit, eo loci Jovis oraculum condi debere, & se interpretatos esse, quod ipsis annunciaretur esse divinitus, & ob id ita se fecisse*. Etenim, quod primo numerum columbarum duplicant, exinde, quia ad varia loca ista demum fama devenerat, de columbæ prædictione; inde fluit, quod ab Assyriis de historia Jonæ edocti יונה per *columbam* interpretati sint: cum tamen nomen proprium esset, atque id suboluisse antiquis minime dubito, cum teste Dikinsonio prodiderint aliqui, vatem περιστερὰν dictam [9] ista prædixisse. Notandum vero, quod sententiæ nostræ admodum applaudat, dici, quod φωνῇ ἀνθρωπίνῃ *voce humana* locuta fuerit; id enim omnino indicat hominem hunc fuisse; quod vero de oraculo Jovi exstruendo dixisse fertur, respicit ad cultum יהוה, quem Ninivitis instillavit Jonas; hinc enim in Dodone solius Jehovæ altare fuisse meminerunt omnes fere Antiqui, & præcipue Euphorius: [9]

Ἵκομεν ἐς Δωδῶνα Διὸς φηγοῖο προφήτην
Venimus ad Dodonem Jovis fagini prophetam.

(Notetur, quod hic Prophetam dicat ad conservandam Jonæ memoriam, qui Pro-

[1] Bibl. hist. libr. 2. p. 65.
[2] Libr. Eodem p. 76.
[3] Tabula 197.
[4] Metamorph. 4.
[5] De Natura Deorum.
[6] Chiliad. 9.
[7] In Jove tragœdo p. 460.
[8] Euterpes cap. 55.
[9] Delph. Phœniciss. p. 86.
[10] in Ἰονιώ apud Stephanum de Dodone in fragmento edito a Gronovio pag. 7.

Propheta fuerat), una cum Simmia Rhodio ([1]).

> Ζηνὸς ἕδος Κρονίδαο μάκαρ ὑπεδέξατο Δωδώ
>
> *Jovis Saturnii ſedem beata Dodo ſuſcepit.*

[1] Ibidem apud eumdem.

Columbas oraculum dediſſe teſtatur præterea Stephanus [2] : ὡς τῆς παλαιὰν φηγὸν αὐδῆσαι ποτε Δωδῶνι διοσῶν ἐκ πελειάδων ἔφη, *ſic antiquam fagum reſpondiſſe olim in Dodone geminis vocem reddentibus columbis dicit*, ſcilicet *Sophocles*; ex eo enim hoc citat Stephanus : at cur in Dodone id factum, cauſam accipe. נינוה Ninive civitas, in qua prædicavit Jonas *pulchram*, *ſpecioſam* civitatem denotat, obſervante in onomaſtico ſuo Leusdenio [3] : at videamus, quid in animo habuerint Ethnici, cum oraculi locum Dodon dixerint. Hercle דוד-עין *pulcrum habitaculum* denotat, non aliam ob cauſam, quam ut conſervari ea ratione poſſet loci, ubi prædicaverat Jonas, memoria; quod vero in fago conſediſſe columba dicatur, non aliunde quam quia Deus excreſcere fecit קיקיון, id eſt *arborem latis foliis*, ſub cujus umbra requievit Jonas. Nigram fuiſſe columbam tradidit Herodotus, quod Jonas dolore fere confectus fuiſſet, ut enim candor lætitiam, ita nigredo dolorem denotabit.

[2] P. 6. ibid.

[3] P. 198.

Atque hanc ſententiam de origine columbarum vaticinantium fovemus, quam eo certius benevolo Lectori placituram confidimus, quo copioſius eam diductam & probatam dedimus: nec negamus tamen alia eſſe, quæ originem fabulæ huic dediſſe videri poterunt; attamen lucem ejus ex oriente petendam omnino contendo; id enim ipſe Herodotus ſubindicat, cum Phœnices virgines hæc tradidiſſe fatetur, [4] non aliam ſane ob cauſam, quam quia a Judæis tota hæc religio, qualiſcunque demum erat, provenerat; ipſas enim circumſtantias vel minutulas examinare ſi liberet, magnum ſententiæ noſtræ patrocinium protinus naſceretur : cum enim Stephanus, aliique varia de ære Dodonæo fabulantur, qualem ſonum dederit, cum ſcribunt : Τὸν ἐν Δωδῶνι λεγόμενον ἠρωχαλκὸν ἤγειρον *æs Dodonæum ſuſcitarunt*, [5] non aliam ob cauſam hæc fabula locum in ſcriptis Gentium invenit, quam quod נחש Hebræum ſignificet tam oraculum, quam æs & cuprum, ut adeo cum dici deberet, *ſuſcitarunt oraculum*, iſta amphibolia decepti ſcripſerint, *æs ſuſcitarunt*: hinc natæ tot de crepitaculis fabulæ, & ipſo etiam de tripode, quod נחש tribus literis conſtet.

[4] Euterpes c. 56.

[5] Stephanus de Dodone p. 7.

IX. Quo copioſius reliqua, quæ in, & circa Ninum memoranda explicuit Bochartus, eo majus hic otium nobis naſcitur : neque enim falcem in alienam ſegetem immittere cogitamus, cum ſatis hactenus de Semiramide, & origine cultus piſcium & columbarum diſſeruimus. Verum ſi percurrere Aſſyriorum omnium inſtituta liberet, pateſceret utique ea Palæſtinæ omnino originem debere, veluti quando Lucianus [6] dicit : μετὰ δὲ ὀ πολλῷ χρόνῳ, παρ᾽ Αἰγυπτίων λόγον Ἀσσύριοι ἐς Θεοὺς ἤκουσαν, καὶ ἱρὰ καὶ νηοὺς ἤγειραν, *Deinde non multo tempore poſt ab Ægyptiis Aſſyrii doctrinam de Diis acceperunt, & ſacra & templa exſtruxerunt*; cum enim antea docuimus omnia Ægyptiorum myſteria ex alio fonte, quam Palæſtina non promanaſſe, ſequitur etiam ea Aſſyriorum ſacra origine eſſe Phœnicia, licet id Luciano non demus, ſed potius immediate a Judæis ad eos deveniſſe arbitremur; notiſſima enim illa & celebrata Platonis [7] Ἀσσυρίων δύναμις non perſuadet nobis ſacra eorum a Gentibus mutuata. Quid? quod, ſi reliqua eorum inſtituta cum Hebræorum Legibus committere inſtituti ratio permitteret, in promptu foret demonſtrare magnam ea partem ab his eſſe mutuata? quis ignorat, quam ſevere Judæis injuncta fuerit luſtratio? at pervenit ea etiam ad Aſſyrios noſtros, niſi fallitur Strabo [8] : ὄρθρου δὲ λούονται πρὶν ἀγγείου τινὸς ἅψασθαι, παραπλησίως γὰρ ὥσπερ ἀπὸ νεκροῦ τὸ λουτρὸν ἐν ἔθει ἐστὶν, οὕτω καὶ ἀπὸ συνουσίας, *lavantur mane, priuſquam aliquid attingant, & perinde lavacrum iis in more eſt a coitu, ac mortuis.* Habuiſſe populum Judaicum conſtitutos a Deo Prophetas, qui futura prædicerent, certo certius; at idem apud Aſſyrios munus obiiſſe Chaldæos teſtatur præter innumeros alios, Clemens Alexandrinus [9] : προέστησαν δὲ Αἰγυπτίων οἱ Προφῆται, καὶ Ἀσσυρίων οἱ Χαλδαῖοι, *præſunt vero illi Ægyptiorum Prophetæ, & Aſſyriorum Chaldæi.* Quantopere viguerit olim apud Judæos ars conficiendi veſtes e Serico, ſolus ille ignorare poteſt, qui magnifica & artificioſa periſtromata, quæ ab illis in deſerto facta, ſcribit Moſes, ignorat. Quid? quod adeo viguit apud eos ars polymitaria (ſit venia verbo) ut & ob eam rem ab Ethnicis inſignem commendationem meriti fuerint? inde enim Claudianus [10]

> - - - *Jam frugibus aptum*
> *Æquor & aſſuetum ſylvis delphina videto,*
> *Jam chochleis homines junctos, & quicquid inane*
> *Nutrit Judaicis quæ pingitur India velis.*

monſtra varia a Judæis acu picta memorat, neque id injuria; etenim Judæis lege

[6] in Pſeudomant.

[7] Libro 3. de legibus p. 809.

[8] Geograph. l. 16. p. 745.

[9] Stromatum lib. 1.

[10] Libro 2. C. Eutropium.

ge Divina interdictum erat hominum & animalium similitudinem exprimere : ergo monstra Cynocephalos, Sphinges, Sirenes, & vel ipsam quoque Chimæram tapetiis suis inserebant. Sed quid plura? posteriori etiam tempore huic arti se addixisse Paulum e Sacra Scriptura liquet. At scientiam hanc ad Assyrios pervenisse multa evincunt; etenim ut felicius hanc Judæorum scientiam æmularentur, tot etiam monstra Peristromatum maximam partem ornabant, atque hinc artem eorum Compendiariam vocare non dubitat Petronius, quod scilicet opus non habeant hujusmodi artifices Graphices scientia, cui probi Pictores dimidiam saltem ætatis partem addere coguntur. Assyriorum tapetia monstrosa præ reliquis commendata fuisse, evinci potest ex Petronio [1]:

Tuo palato clausus Pavo pascitur
Plumato amictus aulæo Babylonico.

concinunt Lucretius, [2] Plautus, [3] Sidonius, [4] Virgilius [5] alii. Sed plura de Assyriis dicere nolumus; nam ad Solymos eundum.

[1] In cœna Trimalcionis.
[2] Libro 4.
[3] in Pseudolo.
[4] Libro 9.
[5] Georg. 3.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

I. Solymis originem Judæorum adscribit Tacitus, cur clara eorum initia dicuntur? Homeri apud Veteres gloria. II. Solymis adscribunt originem Judæorum Stephanus, & Tzetzes. III. Solymos ter nominat Homerus. Hierosolyma unde dicta secundum Eupolemum? Unde, secundum Auctorem Etymologici magni? Unde, secundum Lysimachum? IV. Unde error de Solymis Judæorum Parentibus? Hierusalem Jebus dicitur, & Salem, Stephani verba. Jebus quid? Hierusalem ἱερὰ Σόλυμα secundum Tzetzem, verba Fastorum Siculorum Auctoris. V. Verba Josephi, & Clearchi. Solymi sub Xerxe militant. Judæi an in orbem tonsi? Verba R. Judæ Barcelonitæ. Gentiles in orbem tonsos evincunt verba Senecæ Tragici, Oneirocritici, Herodoti, Cointi Smyrnæi. Judæos in orbem tonsos negant Talmudici & Maimonides. Verba Spenceri, qui refutatur. Verba Nonni, ejus error, cujus causa panditur, Borrichii judicium de Nonno. Nazaræi, Nazareni, & Galilæi a Nonno confusi, נזר coronam & cæsariem significat. Μέροπες, verba Strathonis, alius Nonni error. VI. Qui Solymi, iidem cum Pisidis juxta Stephanum, Eustathium, Strabonem, Plinium. Verba Pindari, Solymi Lycii juxta Herodotum & Strabonem. Pisidæ, Pamphylii, Cilices, Lyci, omnes Solymi.

Clara alii Judæorum initia, Solymos carminibus Homeri celebratam gentem, conditæ urbi Hierosolymæ nomen e suo fecisse, ait quarto & ultimo Tacitus noster, [6] quæ verba diligenter nobis excutienda restant, antequam finem huic libro imponere, & ad sequentia Taciti verba nos conferre licet.

[6] Hist. l. 5. c. 2.

I. Clara Judæorum initia scribere non dubitat Tacitus, si Genti ab Homero nominatæ debeantur; etenim quantam Homero reverentiam præstiterint Veteres, non opus est, ut hic deprædicem, cum cuivis, qui Veterum scripta non illotis manibus triverit, tam nota hæc sint, quam quæ notissima. Hinc Stephanus insignis Dictionarii, quod περὶ πόλεων inscribitur, consarcinator ejus non tantum, ut felicissimi Poetæ, sed & peritissimi Geographi, sæpissime mentionem injicit; cumque carmina Homeri tanquam ab ipsis Musis & Gratiis profecta tota suspiceret Græcia, ne mireris, si Tacitus noster alios secutus, felices revera eos & illustres crediderit, quibus ista felicitas contigit, ut a tam copioso & omnibus numeris absoluto Vate nominari, ne dicam celebrari, possent, sicque felicem ideo Achillem habuerit Alexander, quod deprædicatorem virtutum suarum Homerum nactus fuerit, eodem jure Solymos se claros appellare potuisse, Tacitus arbitratus est.

II. Quod vero plures hanc de Judæorum a Solymis origine sententiam cum Tacito communes habuerint, variis documentis demonstrari & testimoniis poterit. Stephanus certe tam dilucide sententiam suam pandit, ut nihil clarius unquam haberi possit. Præsto sunt, in rei pignus, ipsissima verba [7]: Ἱεροσόλυμα ἡ μητρόπολις τῆς Ἰουδαίας ἡ Σόλυμα ἐκαλεῖτο ἀπὸ τῶν Σολύμων ὄρων *Hierosolima Judææ metropolis Solyma vocabatur a Solymis montibus*, cui adstipulari videtur Tzetzes: [8]

Σολύμοις λέγει δὲ τυγχάνειν τοὺς Ἑβραίους
Οὓς Ὅμηρος καὶ λέοντι ὡς ἀναιδεῖς εἰκάζει

Solymos dicit esse Hebræos, quos leoni
Homerus ut impudentes assimilat.

III. Solymorum mentionem injecisse Homerum non dubitamus: tribus præcipue in locis factum id animadvertimus; primo [9] cum Bellorophontem Lyciorum Du-

[7] In voce Ἱεροσόλυμα
[8] Chiliade 7. Historiæ 149.
[9] Iliados ζ. vers. 184.

Ducem armatum & pugnacem his verbis introducit:

> - - - Σολύμοισι μαχέσατο κυδαλίμοισι
> Καρτίστην τὴν δή γε μάχην φάτο δύμεναι ἀνδρῶν
> - - - *Solymis pugnacibus intulit arma,*
> *Quo se certamen gravius pugnasse negabat.*

Secundo [1] Isandrum:

> Μαρνάμενον Σολύμοισι κατέκτανε
> *Pugnantem in Solymos morti dedit.*

Tertio cum Ulyssem ad Phoeacas navigantem a Neptuno visum his verbis indigitat [2]:

> Τὸν δὲ ἐξ Αἰθιόπων ἀνιὼν κρείων Ἐνοσίχθων
> Τηλόθεν ἐκ Σολύμων ὀρέων ἴδεν
> *Æthiopum e regione redux Neptunus ut illum*
> *Eminus e Solymis prospexit montibus.*

Hos vero Solymos Hierosolymæ nomen dedisse cur crediderit Tacitus, mirari impensius vellem, nisi similes imo longe futiliores circa ejus vocis etymologiam errores apud Veteres obvii essent. Eupolemus sane [3] προσαγορευθῆναι, inquit, πρῶτον μὲν τὸ ἀνάκτορον Ἱερὸν Σολομῶνος, ὕστερον δὲ παρεφθαρμένως τὴν πόλιν ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ Ἱερουσαλὴμ ὀνομασθῆναι, ὑπὸ δὲ τῶν Ἑλλήνων φερωνύμως Ἱεροσόλυμα λέγεσθαι. *Primum quidem sacram illam ædem* ἱερὸν Σολομῶνος *templum Salomonis nominatam esse; deinde vero urbem ipsam Hierusalem corrupto vitiatoque templi nomine appellatam, quam Græci postea Hierosolymam affini geminoque vocabulo nuncuparunt.* At aliter licet, non minus ridicule Auctor Etymologici magni [4]: Ἱερουσαλὴμ Σαλὴμ ἐλέγετο πρότερον ἡ πόλις, ἐλθὼν δὲ ὁ Χριστὸς εἰς αὐτὴν ἐκλήθη Ἱερουσαλήμ. *Salem vocabatur antea civitas; postquam vero in eam venerat Christus dicta Hierusalem*; etenim sæpissime ante Incarnatum Salvatorem Urbem Hierosolyma in Sacris Literis nominatam indubitato constat, quos licet errantes cum Lysimacho comparare nollem, cujus calumnia reliquos errores longo post se intervallo relinquit, id quod ex verbis ejus liquet, quæ ita se habent: [5] ἱκανῶς δὲ ὀχληθέντας ἐλθεῖν εἰς τὴν οἰκουμένην χώραν, καὶ τούς τε ἀνθρώπους ὑβρίζοντας, καὶ τὰ ἱερὰ συλῶντας, καὶ ἐμπρήσαντας ἐλθεῖν εἰς τὴν νῦν Ἰουδαίαν προσαγορευομένην, κτίσαντας τε πόλιν ἐνταῦθα κατοικεῖν. τὸ δὲ ἄστυ τοῦτο Ἱερόσυλα, ἀπὸ τῆς ἐκείνων διαθέσεως ὠνομάσθαι. ὕστερον δὲ αὐτοὺς ἐπικρατήσαντας, χρόνῳ διαλλάξαι τὴν ὀνομασίαν πρὸς τὸ ὀνειδίζεσθαι καὶ τήν τε πόλιν Ἱεροσόλυμα, *pervenisse demum ad culta loca, homines vero injuriose tractantes, & sacra compilantes, & incendentes venisse in eam, quæ nunc Judæa dicitur, exstruentes quidem civitatem ad ibi habitandum; urbem vero ex ea re* Ἱερόσυλα *nominatam: aliquando vero post jam auctis viribus mutasse nomen vitandi probri gratia, & urbem Hierosolyma se ipsos Hierosolymos vocasse.*

[1] Ibidem versu 204.
[2] Odysseæ s. vers. 282.
[3] Apud Eusebium præpar. Evang. libro 9. cap. 30.
[4] In voce Hierusalem.
[5] Libro 1. c. Apione pagina mihi 1056.

VI. Hujus vero erroris causam pandere animus fert, saltem ut pateat, non esse de nihilo omnia Gentilium dicta, quæ a Regia veritatis via paulatim deflectunt. Primum observandum civitatem hanc non raro in Sacra Scriptura Jebus dici, incolas יבוסי Jebusæos, a quorum Rege Araune agrum pretio David emerat: secundo eam quoque Salem dici, liquet e Psalmo LXX. [6] ubi David inquit: נודע ביהודה אלוהים בישראל גדול שמו : ויהי בשלם סכו ומעונתו בציון *Notus in Juda Deus in Israel, magnum nomen ejus, & est in Salem tentorium ejus, & habitatio in Sion*, quæ quidem ad Gentes pervenisse minime dubitamus. Jebusi certe vestigia in Ebuso Hispaniæ communi Geographorum consensu Phœnicum colonia, unde illi conglutinatis hisce nominibus ירושלם tanquam יבושלם dictam, nisi fallor, crediderunt; non enim adeo magna inter ב & ר quoad scriptionem differentia: cumque jam יבוס, יבשה, יבסה, יבס, terram aridam, & sæpe montanam denotat, Salem vero proxime ad Solymos accedat, natum exinde figmentum Taciti & Stephani περὶ πόλεων, scilicet Hierosolyma dicta quasi Orosolyma ἀπὸ τῶν ὀρῶν Σολύμων *a Solymis montibus*: quam quidem sententiam varia ipsis extorquere potuerunt, partim quod Hierosolyma vocetur in Sacra Scriptura mons Domini, denominatione facta a Sione, ubi arcem Davidis exstructam fuisse accepimus, partim quod inter montana varia sita sit Hierosolyma, unde non mirum ipsis visum, si a יבוס monte denominata diceretur. Consimili ratione Solymos nomini Hierosolyma occasionem dedisse eo firmius credidere, quo certius cognitum habuere illos juga montium inhabitare, cui cum consentire quam plurimos, partim Christianos, partim Judæos viderunt, nunquam ab hac opinione quantumvis absurda divelli potuerunt: consentientes quippe habuerunt ipsum Antiquitatum Hebræarum vindicem strenuum satis rerumque harum peritissimum Flavium Josephum, cujus verba satis prolixa videri [7] & examinari poterunt. Ejusdem erroris pollicem premunt, quotquot Hierosolyma ἱεροὺς Σολύμους vocant, quos inter Tzetzes facile eminet, cujus verba [8] ita se habent:

[6] Versu secundo.
[7] Lib. 2. c. Apionem.
[8] Chiliade 6. Hist. 42.

Ο' Ε'ζεκίας βασιλεὺς ἦν ἱερῶν Σολύμων.

Ezechias Rex erat sanctorum Solymorum.

Et adhuc: [1]

Τοῖς ἱεροῖς Σολύμοις δὲ δυνάμει βαρυτάτῃ

Πέμπε Θάρσαν

Atque ita Veteres ad unum fere omnes Ἱεροσόλυμα tanquam יבושלם ab ὄροις Σολύμοις dicta crediderunt. Verum enim vero videor mihi videre non neminem, qui, an hæc ita facta sint, dubitat, nec credet illam crassi adeo erroris causam fuisse. Sed ut fides verbis meis habeatur, prodibit in medium aliquis, qui hæc a me non sine causa adducta fatebitur, & evincet, quam facile in similibus negotiis decipi Gentiles potuerint: is vero est Anonymus Fastorum Siculorum Auctor, cujus verba ita se habent: [2] Δαβὶδ ἐξαλείψας πόλεις τῶν ἀλλοφύλων πολλὰς, τὴν Ἰεβοὺς πόλιν Ἱερουσαλὴμ προσηγόρευσε, μηχανησάμενος ἐκ τοῦ συμβεβηκότος, ἐν γὰρ τῇ Ἰεβοὺς ἐλθὼν ὁ Δαβὶδ ἐν αὐτῇ τῶν ἀλλοφύλων παντελὴς νίκη γεγέννηται, ὅθεν καὶ Ἱερουσαλὴμ αὐτὴν. προσηγόρευσεν οἰκοδομημένης αὐτῆς ἐν ὄρει ὑψηλῷ. Ὄρος δὲ τῇ Ἑβραΐδι φωνῇ Ἰεβοὺς προσαγορεύεται, Σαλὴμ δὲ εἰρήνη. Vides hic quam concinne ea omnia cum sententia nostra conveniant? civitatem Jebus Hierusalem vocatam dicit, quod in excelso monte ædificata fuerit, & Jebus lingua Hebræa montem significare, quæ quidem singula certissime nobis persuadent rem se ita, ut nuper diximus, habere, nec alia huic errori januam aperuisse.

V. Sed cum propensum adeo in hanc sententiam, quæ Solymos Judæos statuit, Josephum videam, operæ pretium fuerit verba ejus adducere, & paulo accuratius examinare, quæ ita se habent: [3] καὶ χοιρίλος δὲ ἀρχαιοτέτερος γενόμενος ποιητὴς μέμνηται τοῦ ἔθνους ἡμῶν, ὅτι συνεστράτευται Ξέρξῃ τῷ Περσῶν βασιλεῖ ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα, καταριθμησάμενος γὰρ πάντα τὰ ἔθνη, τελεύτατον καὶ τὸ ἡμέτερον ἐνέταξε λέγων:

Τῶν δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι

Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν, ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες.

Ὤκουν τ' ἐκ Σολύμοις Ὄρεσι πλατείᾳ παρὰ λίμνῃ

Αὐχμαλέοι, κορυφὰς τροχοκούριδες αὐτὰρ ὕπερθεν

Ἵππων δαρτὰ πρόσωπ' ἐφόρουν ἐσκληρότα καπνῷ.

δῆλον οὖν ἐστὶν, ὡς οἶμαι, πᾶσιν ἡμῶν αὐτὸν μεμνῆσθαι, τῷ καὶ τὰ Σόλυμα ὄρη ἐν τῇ ἡμετέρᾳ εἶναι χώρᾳ, ἃ κατοικοῦμεν, καὶ τὴν Ἀσφαλτῖτιν λεγομένην λίμνην. *Quin & Chœrilus antiquus Poeta meminit de Gente nostra dicens, quod militaverunt nostri majores cum Xerxe Persarum Rege contra Græcos, & enumerans universas Gentes, novissimam nostram posuit, ita dicens:*

Hujus miranda specie Gens castra secuta

Phœnissam ignoto linguam mittebat ab ore:

Sedes huic montes Solymi stagnum prope vastum

Tonsa caput circum, squalenti vertice equini

Exuvias capitis duratas igne gerebat.

Palam ergo est, sicut arbitror, quia nostri meminerit, eo quod & Solymi montes in nostra regione sunt constituti, in quibus habitamus, & stagnum, quod dicitur Asphaltites. Quod si tantopere Josephus errare potuerit, quid mirum, si Ethnici, quibus res Judaicæ non adeo innotuerant, falli aliquando, & a vero aberrare potuerint? Sed videndum, quid obstet, quo minus Josepho assurgere possimus: primo dicit Solymos sub Xerxe militasse; at quantopere hoc Judæorum instituto contrarium fuerit, non opus, ut hic deducamus, cum vix unquam alieno populo, nisi quamrarissime, Sacramento se obligare voluerint, ut taceam hanc Xerxis pugnam in proximos post captivitatem Babylonicam annos incidisse, quos reparando templo, celebrandis festis, & resumendis viribus a Judæis destinatos satis luculenter novimus: secundo τροχοκούριδες hic Solymi dicuntur, quo nomine si quis Judæos appellaverit, ne lotis quidem manibus eum ad sacra eorum adspicienda accessisse dicerem; etenim quam aperta eam in rem sunt Sancti Spiritus verba, quæ ita se habent [4]: לא תקפו פאת ראשכם ולא תשחית את פאת זקנך *Non radetis in orbem angulum capitis vestri, & non corrumpetis angulum barbæ?* Quibus omnes fere Judæorum Doctores unanimi applausu assurgere video, ita enim Barcelonita [5] שלא להקיף פאתי ראש שנ׳ לא תקיפו פאת ראשיכם ופירשו זל שהעניץ הוא שאסור לישראל לגלח ולהשוות שערות ראשו לאחורי אזניו ולפרחתו כמו שהיו עושים עובדי כוכבים ומזלות וזה שאמרו זל במסכת מכות איזהו פאת ראש זה המשוה צדעיו לאחורי אזניו ולפדחתו. *Non esse extremam cæsariem tondendam, aut circumcidendam comam capitis quod dicitur: ne circumcidatis pilos ad latus capitis vestri, quo Rabbini interdici Israelitis volunt, ne tondeant æqualiter comam capitis retro aures, & a fronte, prout facere solent cultores stellarum & planetarum; atque hoc est, quod Magistri dicunt Massechet Maccoth: Quis est*

[1] Ibidem.

[2] Libro 1.

[3] Lib. 1. c. Apionem.

[4] Levit. 19. v. 27.

[5] §. CCLV.

de nominis hujus origine habent, & cui populo attribui debeat. Primum igitur evinco; Solymos eſſe, quos poſtea Piſidas dicere Antiqui amarunt, idque multis Antiquorum teſtimoniis: en verba Stephani: περὶ πόλεων [1] οἱ Πισίδαι πρότερον Σόλυμοι ἀπὸ Σολύμου τοῦ Διὸς καὶ Χαλδήνης, ἐστὶ δὲ ἔθνος βάρβαρον, κατοικοῦν παρὰ τὴν Ἄσπενδον καὶ Κιλικίαν. *Piſidæ prius Solymi a Solymo Jovis & Chaldenæ filio; eſt vero Gens barbara habitans juxta Aſpendum & Ciliciam*, & adhuc alibi: [2] Σόλυμοι οἱ νῦν Πισίδαι *Solymi nunc Piſidæ*, cui aſſurgunt Euſtathius: [3] Φάσηλις ταύτης ὑπέρκειται τὰ Σόλυμα, καὶ Τέλμισσος πόλις Πισιδικὴ ἐπικειμένη τοῖς περὶ τὴν Φασήλιδα θάλασσαν. *Phaſelis hunc ſuperjacent Solyma & Telmiſſus civitas Piſidica, adjacens anguſtiis quæ ſunt prope Phaſelidem*, & Strabo [4] qui Σολύμους τοὺς ἐν τῇ Πισιδίᾳ Solymos in Piſidia memorat, alibi vero: [5] ὑπέρκειται δ' αὐτῆς τὰ Σόλυμα ὄρος, καὶ Τέρμισσος Πισιδικὴ πόλις, *ſupra hanc ſunt Solymi mons & Termeſſus Piſidica urbs anguſtiis montium imminens*, & Plinius [6] qui ita: *inſident verticem Piſidæ quondam Solymi appellati*; quibus teſtimoniis, cum ſufficiant, nihil ulterius ſuperaddere decrevimus, rati non poſſe aliquem apertis adeo Antiquorum verbis ſe opponere. Pindarum tamen canentem de hiſce Solymis audire lubet, cujus verba ita ſe habent:

> Σὺν δ' ἐκείνῳ καί ποτ' Ἀμαζονίδων
> Αἰθέρος ψυχρᾶς ἀπὸ κόλ-
> πων ἐρήμου τοξόισαν βάλ-
> λων γυναικεῖον στρατὸν
> Καὶ χίμαιραν πῦρ πνέοισαν
> Καὶ Ζολύμους ἔπεφνε.

Cum illo autem aliquando Amazonidum etiam muliebrem exercitum, ſagittarium aeris frigidi & deſerti a finibus jaculans, & Chimæram ignem ſpirantem & Zolymos interfecit. Secundo Lycios etiam Solymos eſſe variis Hiſtoricorum teſtimoniis evinco, & prodire in conſpectum hic Herodotum jubeo, cujus verba ita ſe habent: ἀπίκονται τὴν Ἀσίην ἐς γῆν τὴν Μελυάδα. Τὴν γὰρ νῦν Λύκιοι νέμονται, αὕτη τὸ παλαιὸν ἦν Μιλυάς· οἱ δὲ Μιλύαι τότε Σόλυμοι ἐκαλέοντο *Aſiæ regionem Milyada occupaverunt, quam enim nunc Lycii incolunt, olim erat Milyas, & Milyæ tunc appellabantur Solymi*. Milyæ nomen non multum me hic detinebit, cum mox demonſtrem tam quoad ſignificationem, quam uſum idem id eſſe ac Solymos, unde etiam Stephanus: περὶ πόλεων [7] Μιλύαι οἱ πρότερον Σόλυμοι ὡς Τιμαγένης ἐν πρώτῳ βασιλέων, *Milyæ, qui antea Solymi, ut Timagenes in primo Regum*; fatentur enim plerique eam eſſe Lyciam; Arrianus vero Phrygiæ regionem vocat, ſed Lyciæ, jubente olim Alexandro Magno Rege, adſcriptam [8]. Quicquid vero id ſit, a ſententia Herodoti ſtare Antiquorum quamplurimos de Lyciorum & Solimorum propinquitate nemo ignorat; inde enim Strabo [9] totam fere hujus rei connexionem pandit, cum ita decidat, ut Solymos quidem eoſdem cum Lyciis agnoſcat, aliorum tamen ſententiam omnino ab hac diverſam referat, & quidem his verbis: καὶ τοὺς Τερμίλας κατῴκησαν ἐν τῇ νῦν Λυκίᾳ. Τούτους δὲ ἀγαγεῖν ἀποίκους ἐκ Κρήτης Σαρπηδόνα, Μίνωος καὶ Ραδαμάνθυος ἀδελφὸν ὄντα, καὶ ὀνομάσαι Τερμίλας τοὺς νῦν Μιλύας, ὥς φησιν Ἡρόδοτος, ἔτι δὲ πρότερον Σολύμους· οὗτος μὲν οὖν ὁ λόγος ἀποφαίνει τοὺς αὐτοὺς Σολύμους τε καὶ Λυκίους, ὁ δὲ ποιητὴς χωρίζει. Βελλεροφόντης γοῦν ὡρμημένος ἐκ τῆς Λυκίας: Σολυμοῖσι μαχήσσατο κυδαλίμοισι.

Ἴσανδρον δὲ ὡσαύτως υἱὸν αὐτοῦ: Ἄρης, ὥς φησι, μαρνάμενον Σολυμοῖσι κατέκτανε καὶ τὸν Σαρπηδόνα δὲ ἐπιχώριόν τινα λέγει. *Et Termilas condiderunt in ea, quæ nunc dicitur Lycia, quos e Creta, colonos duxiſſe ajunt Sarpedonem Minois & Rhadamanthys fratrem & nomen Termilarum poſuiſſe eis, qui Milyæ nunc dicuntur, & ante Solymi fuere appellati: hæc hiſtoria Lycios cum Solymis eoſdem facit, Homerus diſtinguit, ſiquidem Bellerophontes e Lycia profectos*

> - - - *Solymis arma intulit acribus* - -

& Leandrum item ejus filium Mars interfecit:

> *Adverſus Solymos illuſtres arma ferentem*

Sed & Sarpedonem Lycium indigenam idem pronunciat; cui quæ reſpondent alibi, hic recenſere brevitatis ſtudium interdicit. Videantur vero, ſi cui placeat; [10] etenim ſi verum nos fatebimur, litem hic de aſini umbra motam credimus, cum eodem fere recidant, quæ in utramque partem ultro citroque ventilantur. Atque hinc etiam plura Auctorum loca adducere nolumus, ſed tertio potius determinamus, quinam dicti olim fuerint Solymi, ſaltem ut prolixæ adeo Grammaticorum liti finis aliquando imponatur. Pamphylii, Cilices, Lycii, Piſidæ omnes olim Solymi dicebantur, id quod nemini mirum videbitur, cum ratio nominis omnibus competere potuerit, quod ſi chartæ hujus anguſtia pateretur, depromenda hic eſſent varia hujus ſententiæ ſtabilimenta, quæ non ſine ſummo meo tædio in ſcriptis Geographorum obſervavi; ſed cum datum iri commodam magis occaſionem non deſperamus, eo uſque il-

la

[1] In voce Piſidia.

[2] In voce Solymi.

[3] In Dionyſium de ſitu orbis.

[4] Geograph. l. 1. p. 34

[5] In Olympiad. ode 13. pag. m. 134.

[6] Libro c. 113.

[7] In voce Myliai.

[8] L. p. de exped. Alexandr. p. 24.

[9] Geograph. lib. 12. pag. 512.

[10] Geograph. lib. 14.

la rejicere fert animus ; interea vero Cariæ incolas etiam cum Lyciis a nonnullis confusos quidem agnoscimus , sed id inepte , cum ad Joniam populi ejus pertineant ; Lyciam vero, & Solymos, Pamphyliam, & Ciliciam confusos testari potest Strabo, cujus verba videri poterunt ; hinc etiam Mela Sidam oppidum modo Lyciæ, modo Pamphyliæ tribuit , idque non aliam certe ob caussam, quam quod Phamphylii olim mediterranei fuerint , & inhabitaverint totum terrarum tractum a Phœnice Lyciam usque, ubi Cilicibus permixti agebant , atque hinc Lycia juxta Veteres Ciliciæ contermina. Sed manum de tabula ; ad alia pergimus.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

I. Ergeæ, Polyzeli, Jasonis, Eucratis, scripta perierunt. Leges Nazircorum transsiisse ad Rhodios ex Athenæo probatur. Rhodii magnificentiam a Juæis didicere, cur neminem in urbe supplicio affici permittunt? Formam regiminis apud Judæos mirantur Rhodii; leges agrariæ Judæorum ad Rhodios devenerunt. II Boves æneos in templis habent Rhodii , Atabyrius ; unde sacrificia Rhodiorum cum maledictis ? III. Rhodii colunt Isidem, Paradisi memoriam conservant, Mosen colunt Rhodii, una cum Josua & Calebo, IV. Literis Phœnicum usi feruntur Rhodii . Rhodos unde? Lophnis quid ? V. Coloniæ Rhodiorum in Iberiam, ut & Phœnicum , unde Iberia? VI. Phœnices Rhodo imperant juxta Cononem , & Diodorum Siculum , unde Jalysus ? ea Achæa nominata ? VII. Solymi Rhodiorum affines , Lycia Rhodiorum juxta Polybium, Dionem, Chrysostomum, Pausaniam. VIII. Urbs Ciliciæ, ubi Solymi, Soloi, a Rhodiis exstructa juxta Eustathium. Rhodii in Pamphylia, Gagæ Urbs a Solymis exstructa juxta Etymologum.

Rhodum insulam Lyciorum Dominam invisere fert animus, & discere anne Phœnices Lyciis permixti inibi fuerint, ut eadem ratione Lyciorum & Phœnicum cognationem adstruamus, quo nuper Æthiopum & Phœnicum. Sit igitur prima positio , quam multis hic argumentis non omnino nullius ponderis probare satagemus : Rhodios esse Phœnices.

I. Quod si superessent hodie Ergeæ commentarii de rebus Rhodiis , potuissemus hoc labore supersedere ; ille enim dicente Athenæo : [2] ἐν τοῖς περὶ πατρίδος προειπὼν τινὰ περὶ τῶν κατοικησάντων τὴν νῆσον Φοινίκων, *in libris de patria sua quædam præfatus de Phœnicibus qui insulam inhabitarunt*, sed cum non aliud fatum hoc opus manserit, quam quod experta Πολυζήλυ τὰ Ῥοδιακὰ [3] τὰ Ἰάσωνος περὶ Ῥόδυ [4] & Euratis τὰ Ῥοδιακὰ, [5] contenti iis simus oportet, quæ apud scriptores alios colligere, & in sucum nobis, ac sanguinem convertere licet . Sane plurima sunt Rhodiorum instituta , quæ Palæstinæ omnino deberi videntur, statuta Naziræatus a Deo in lege præscripta animadvertere quivis poterit, quæ inter primum sibi locum vendicat mandatum de non radenda coma, quod pervenisse tum demum ad Rhodios ex Athenæo liquet : [6] ἐν Ῥόδῳ νόμυ ὄντος μὴ ξυρᾶσθαι, *cum lex sit Rhodi non tonderi*, etiamsi eam non omnes obligasse ex sequentibus colligere licet; subjungit enim : ἐ δὲ ὁ ἐπιπληρόμενος ἐδεὶς ἐςὶ διὰ τὸ πάντας ξυρᾶσθαι, *non est tamen aliquis qui reprehendat , cum radantur omnes* : hæc enim docere videntur , non obligare legem hanc homines in universum omnes, sed saltem peculiari voto obstrictos. Devenisse quoque ad Rhodios magnificentiam Judæorum in ædificiis, & insignem illam Salomonis peritiam credibile; inde enim τὰς μὲν Ῥοδίυς ὁ Στρατόνικος ἐπέσωπτεν εἰς πολυτέλειαν οἰκοδομεῖν ὡς ἀθανάτυς λέγων , *Rhodios Stratonicus taxavit propter luxum ædificare eos ut immortales dicens* , si fides Plutarcho [7] . Sed in hac urbe tam belle exstructa tantum abest, ut aliquem ultimo supplicio affecerint, ut longe potius leges Hebræas imitati talem reum extra portas ejecerint , ibique mandati Divini neutiquam obliti carnifici tradi eum curaverint, id quod indigitare mihi videtur Dion Chrysostomus : παρὰ τοῖς Ῥοδίοις νόμος ἐςὶν τ̀ δημόσιον μηδέποτε εἰς ἐλθεῖν εἰς τ̀ πόλιν, *apud Rhodios Lex est, ne unquam carnifex ingrediatur civitatem*, præsertim, si hæc cum Aristidis verbis comparentur, quæ ita se habent : τὰς Φονικὰς δίκας ἔξω πυλῶν ἐδικάζετε , ὡς ἐδὲ καταψηφίσασθαι θάνατον ἐντὸς τείχυς εὐσεβῶς ἔχον ὑμῖν , *judicia cædis extra portas peragebatis, quasi neminem intra mœnia damnare pie poteratis*, & imitabantur quam studiosissime Judæos vel ipso in regimine Rhodii: unde, cum imperium ab initio penes populum fuisset , tandem meliora docti Reges , & quidem more Hebræorum , hæreditarios instituerunt,

[2] Deipnos. libro 8.

[3] Vide Athenæum libro 8.

[4] Svidas in voce Jason

[5] Hesychius in voce Elatron.

[6] Deipnos. libro 14.

[7] De curiditate Divina.

runt, utpote a Phœnicibus, qui cum formam Reipublicæ Judaicæ primum Aristocraticam crederent, dein vero Monarchicam scirent, etiam mutari apud Rhodios regimen non inutile fore crederent. Etenim viguisse illic primo Aristocraticam formam, discere licet e Livio [1], Athenæo [2], Demosthene [3], Libanio [4], Appiano [5], Polybio [6], Aristotele [7], Strabone [8]: Reges vero tandem dominatos videre licet ex narratione Diodori Siculi [9] ubi Tlepolemus, γενόμενος βασιλεὺς πάσης τῆς νήσου *factus Rex totius insulæ* dicitur, cui quoque in imperio successisse & quidem hæreditario jure filium, tradit Pausanias [10] qui Πολυξὼ Τληπολήμου συνοικῆσαν τῆς νήσου ἄρχειν, ὑπολειπομένην ἐπὶ ὀρφανῷ παιδὶ, *Polyxo Tlepolemi uxorem insulæ imperasse ad tutelam pupilli filii relictam* tradit, sed etiam laudabilem Judæorum in administranda Justitia curam imitati, cavendo ne personarum ulla foret acceptio, cum *promiscue dives & pauper, ut cuique sors tulit, de maximis rebus juxta ac minimis disceptarent*, memorante Sallustio. [11] Atque hinc etiam leges Judæorum agrarias a Mose & Josua datas feliciter expresserunt: inprimis operam dantes, ne agrorum plus ille, quam iste possideret, id quod ex Diodoro Siculo præcipue demonstrari poterit, cui memoratur quod Tlepolemus [12]: τὴν νῆσον ἐπίσης κατεκληρούχησε *agros insulæ in æquales partes diviserit*.

II. Sed si sacra Rhodiorum inspicere animus ferat, videbitur, quantam cum Judæorum institutis alant convenientiam: sane ut boves æneos in templo suo collocavit Salomon; ita in templo Jovis Atabyrii eosdem constituere non dubitarunt Rhodii, id quod ex Tzetze liquet, qui ita [13]:

- - - - Ῥόδιον ἐςὶν ὄρος
Τὴν κλῆσιν Ἀταβύριον, χαλκᾶς πρὶν
ἔνον βόας
- - - - *Rhodius mons est*
Nomine Atabyrius æneos olim habens
boves.

cui assurgit Scholiastes Pindari [14] εἰσὶ δὲ χαλκαῖ βόες ἐν αὐτῷ, *sunt vero ænei boves in illo*. Jupiter vero Atabyrius non aliunde me judice dictus, quam quod Phœnices Deum hac ratione invocantes audierint, יהוה אתה בר *Domine tu Justus es*, (בר enim non solum mundum & purum, sed etiam justum denotat). παρὰ Ῥοδίοις εἰς τὸ τοῦ Ὀκριδίωνος ἡρῷον οὐκ εἰσέρχηται κῆρυξ: *Apud Rhodios in Herois Ocridionis sacellum præco non intrat*, dicente Plutarcho, [15] idque non nisi quod vetitum fuerat in Sanctum Sanctorum apud Judæos quemquam ingredi. Sacrificia Judæorum ad Rhodios

[1] Libro 45.
[2] Deipnosophistæ libro 10.
[3] Oratione de Rhodiis
[4] in Oratione de Rhodiorũ libertate de juxta Demosthenem.
[5] De bello civili lib. 4.
[6] In Excerpt. Legat. c. 64.
[7] Politic. libro 5. c. 3.
[8] lib. Geographic. 7.
[9] Bibliothecæ historicæ l. 4.
[10] In Laconicis p. 100. cent. 35.
[11] R. P. ordinanda epist. 2.
[12] Bibl. hist. l. 5.
[13] Epist. ad .4. c. 30. 8.
[14] In 6. Olymp. 7.
[15] In quæstionibus Græcis apud Plutarchum operum 7. 2. p. 297.

pervenisse non dubitamus, sed hem nihil fere de iis scriptum Veteres reliquerunt; etenim periisse dolemus Theognidis περὶ τῶν ἐν Ῥόδῳ θυσιῶν librum Athenæo memoratum [16]: ex illo enim varia ad usum nostrum depromere nos potuisse credimus. Verum quoniam temporum iniquitati nemo se opponere possit, nec nos sacrificia eorum, quæ nobis ignota, explicare poterimus, nisi forte unicum illud in honorem Herculis, quod maledictis celebrari memorat Lactantius, [17] cui adstipulatur Julianus, cum θεοῦ τιμὴν τὰς εἰς αὐτὸν λοιδορίας *Dei honorem maledicta in illum* memorat, [18] & Hesychius: [19] Λίνδιοι τὴν θυσίαν ἐπὶ τῶν δυσφήμως ἱερουργούντων, *Lindii sacrificium, proverbium in eos, qui convitiis sacrificant*, una cum Conone: [20] ἡ Ἡρακλέους θυσία ἣν Λίνδιοι μετ' ἀρᾶς θύουσιν αὐτῷ, *sacrificium Herculis, quod Lindii cum maledictis ipsi offerunt*: etenim ortum id traxisse a Judæorum more circa explorandam uxorum castimoniam ope aquæ maledictæ credimus.

III. Deos vero Rhodiorum si considerare velimus, patescet facile ad unum fere omnes Phœniciæ originis esse τὸ τῆς Ἴσιδος ἱερὸν Isidis templum refert Appianus, [21] cujus originem Phœniciæ deberi nuper probavimus. Sed ne Paradisi, Mosis, Josuæ, Calebi gesta Rhodiis incognita credas, obstant cultus & sacra in eorum gratiam instituta: *lucum quadratum* coluerunt, si fides mereatur Diodorus [22], (lucorum sacra in Paradisi memoriam instituta alibi [23] diximus) quadratus iste lucus non aliam ob causam hic dicitur, quam quod e quolibet Paradisi angulo ad irrigandam terram flumina scilicet quatuor prodierint, unde quadratum eum Gentiles forte arbitrati sunt: sed ne ista omnino falsa credas, producimus Etymologici magni auctorem [24] qui ita: λέγεται καὶ Ἠλύσιον ἱερὸν πεδίον περὶ Ῥόδον, *dicitur & Elysium sacer campus circa Rhodum*. Elysios quippe campos ad similitudinem Paradisi a Gentibus confictos nemo ignorat, unde etiam ab עלין *lætus* nomen sortiti. Mosen vero, sed variis involucris tectum eos coluisse certo certius, non enim aliunde tot Jovi sacra fiebant quam ad recolendam Mosis memoriam. Inde etiam Παιών ζεὺς τιμᾶται ἐν Ῥόδῳ *Jupiter Pæon* id est *percutiens* colitur in Rhodo, dicente Hesychio, [25] quod insigni suo cum damno vim Mosis animadverterint, nec aliunde juxta Pindarum fertur antiquissima traditio apud Rhodios [26]:

Φαντὶ δ' ἀνθρώπων παλαιοὶ
Ῥήσιες, οὔπω, ὅτε
Χθόνα δατέοντο Ζεύς τε καὶ ἀθάνατοι
Ajunt autem hominum antiqui

Ser-

[16] Libro Deipnos. 8.
[17] Libro 1. cap. 21.
[18] Oratione 1.
[19] In voce Lindii.
[20] Apud Photium Codice II.
[21] De bello Mithridatico.
[22] Bibl. hist. l. 5.
[23] Libro 1. cap. 4.
[24] In voce Elysium.
[25] In voce Pæan.
[26] Olympionic ode 7.

Sermones ; nondum quando
Terram partiebantur Jupiter & immortales .

quam quod ex instituto Mosaico partiti sint inter se terram promissam Israelitæ, Dii ab Antiquis, quod antea diximus, habiti : ita etiam in honorem Mosis (Bacchus vero Moses) instituta Διονύσια memorat Diodorus [1] . Josua ducem Israelitarum more aliarum Gentium sub Herculis nomine occultatum coluisse etiam Rhodios plurimi prodiderunt, ut Constantinus Porphyrogeneta, [2] Freculphus, [3] Photius, [4] Lucillus Tarræus, [5] [6] Philostratus, [7] Diogenianus [8] : & sane cultus ipse tot Hebraismi vestigia prodit, ut nisi legere ea ratio instituti prohiberet, suis se indiciis facillime proderent : atque hinc socii Josuæ Calebi memoriam, licet perversa religione, sanctam habuerunt; cum enim כלב *canem* denotat, procul dubio decepti divinos cani honores insigni artificio in ipsa Protogenis tabella depicto habere non dubitarunt.

IV. Et sane ipsas Phœnicum literas, ipsam omnino linguam Rhodiis in usu fuisse multa equidem persuadent : prius tradidit Diodorus Siculus [9] ὁ, inquiens, δ' ὢν Κάδμος καὶ τὴν Λινδίαν Ἀθηνᾶν ἐτίμησεν ἀναθήμασιν, ἐν οἷς ἦν χαλκοῦς λέβης ἀξιόλογος, κατεσκευασμένος εἰς τὸν ἀρχαῖον ῥυθμόν. οὗτος δὲ ἐπιγραφὴν γράμμασιν Φοινικικοῖς. *Ac Cadmus quidem Minervam Lindiam donariis honoravit ; inter quæ erat lebes æneus dignus memoratu, antiqua concinnitate factus, habebatque inscriptionem literis Phœniciis* . Posterius confirmant non solum plurima urbium nomina, sed & vocabulorum numerus haud sane exiguus, quæ alios apud populos Græcos non reperta soli fere Rhodii usurparunt . Ipsam sane Rhodon quasi רוד-עין *dejectum, humilem, occultatum locum* dictum, dubitare nos non patiuntur de ejus occultatione & dejectione sub mare Veterum traditiones; unde Philo: [10] Ῥόδος καὶ Δῆλος, αὗται γὰρ τὸ μὲν παλαιὸν ἠφανισμέναι κατὰ τῆς θαλάσσης ἐδεδύκεσαν ἐπικλυζόμεναι. Χρόνῳ δὲ ὕστερον ἐλαττυμένης ἢ ῥέμα, ὀλίγον ἀνίσχουσαι διεφάνησαν, ὡς αἱ περὶ αὐτῶν ἀναγραφεῖσαι μαρτυροῦσιν ἱστορίαι. *Rhodus & Delus insularum clarissimæ, hæ quondam sub maritimis undis latuerant, procedente vero tempore, his paulatim decedentibus exortæ sunt, ut historiæ de illis conscriptæ testantur* . Etenim nihil impedit, quominus eam exinde dictam credamus; cum enim Δῆλος, consensu Geographorum, exinde, quod manifesta fuerit, dicitur, quid probabilius, quam Rhodon a priori occultatione dictam ? Sed quicquid id sit, loca Rodi permeare non fert animus,

[1] Biblioth. libro 20.
[2] Libro 1. Th. 14.
[3] Cronic. T. 1. lib. 3.
[4] Codice 11.
[5] In collectione proverbiorum.
[6] In Thiadamante l. 2.
[7] Cent. 15.
[8] Vide Plin. l. 35. c. 10. & Gellium l. 15. c. 31.
[9] Bibliothec. l. 5.
[10] De Mund. in corrupt.

at saltem illa, quæ Rhodiorum dialectum sapiunt, vocabula, nec ad Græcam referri linguam commode posse Veteres judicarunt, quæ inter sequens habetur : Κλείταρχος ὁ ἐν ταῖς γλώσσαις Λοφνίδα φησὶ καλεῖν Ῥοδίους τὴν λαμπάδα, *Clitarchus in linguis Lophnida dicit vocare Rhodios facem*, fatente Athenæo, [11] atque id sic satis bene utpote a radice לבן, quæ, quamvis album, proprie denotet, lumen tamen ob albedinem exinde denominatur : unde etiam ipsa Luna לבנה exinde dicitur, sic singularia hæc Rhodiorum vocabula sunt, βράβυλα, Ἄνθρας ἔμπιτα, ἰπῦτις, Σεγάνιον, & id genus alia, quæ hic recensere, & accuratius examinare non possumus, partim quod temporis & chartæ angustia obstet, partim quod subsidium omnino necessarium injuria temporis nobis eripuerit, opus scilicet Moschi omni laude dignissimum, ἐξήγησιν puto Ῥοδιακῶν λέξεων Athenæo citatum [12].

V. Sed si Rhodiorum colonias adire animus ferat, videbimus nusquam fere eas reperiri, nisi simul Phœnicum adsint vestigia. In Iberia vixisse Rhodiorum colonos tradidit olim Strabo, nisi mala fide eum exscripsit Eustathius, cujus verba ita se habent [13] : ὁ δὲ Γεωγράφος (Στράβων) φησὶ καὶ ὅτι πλεύσαντες οἱ Ῥόδιοι μέχρι Ἰβηρίας, ἔκτισαν ἐκεῖ πόλιν Ῥόδον, *Geographus vero Strabo ait etiam Rhodios, cum in Iberiam usque navigassent, urbem illic Rhodum condidisse*, cui in sua Periegesi Marcianum consentire animadvertimus. Phœnices vero Iberiam frequentasse dilucide omnino probavit Bochartus; [14] unde etiam Iberiam Pœnis nomen debere non dubitandum, cum Syris עברין *fines, extremitates* sonent, Claudianus vero scribat [15].

- - *in extremos aciem mittebat Iberos*.

Idem de Gallia, teste Isidoro Hispalensi, [16] Caria, teste Pomponio Mela, [17] Jonia, teste Stephano [18] dici posset, si temporis & instituti ratio id permitteret.

VI. Sed nescio an opus fuisset, rem per se dilucidam prolixe adeo diducere; etenim evidentissima omnino sunt Cononis verba, quæ [19] legi hic maxime merentur : τὴν δὲ Ῥόδον, τὸ μὲν ἀρχαῖον λαὸς αὐτόχθων ἐνέμοντο, ὧν ἦρχε τὸ Ἡλιαδῶν γένος, οὓς Φοίνικες ἀνέστησαν, καὶ τὴν νῆσον ἔσχον. *Rhodum vero, antiquitus quidem populus indigena tenuit, cui Heliadæ imperabant : quos Phœnices ejecerunt, insulamque tenuerunt*; unde etiam Sidonem pro Patria sua agnoscere Rhodios ista apud Dictyn evincunt [20] : *neque multo post Rhodii Phalam incusare, quod paulo*

[11] Deipnos. l. 15.
[12] L. 11.
[13] ad Dionysium.
[14] Chanaan l. 1. c. 35.
[15] De laudibus Stilichonis.
[16] Orig. l. 13. cap. 21.
[17] Descript. orb. l. 2. c. 6.
[18] In voce Apollonia.
[19] Apud Photium Codice 47.
[20] Libr. 4. de bello Trojano.

ante everſa ab Alexandro Sidone, patria ſua, auxilium ei, a quo læſus ſit, ferre cuperet: quod manifeſte confirmat, Phœnices eſſe Rhodios, cum Sidonem alioquin patriam ſalutare minime poſſent. Sed ut ſaltem Veterum ſententiam de primo Phœnicum in Rhodum itinere percipiamus, prodeat in medium Diodorus Siculus, qui hæc, more ſuo, id eſt accurate, deſcribit: [1] Μικρὸν δ' ὕϛερον τῦτων τ̃ χρόνων, Κάδμος ἀπεϛαλμένος ὑπὸ τῦ βασιλέως κατὰ ζήτησιν τῆς Εὐρώπης, κατέπλευσεν εἰς τ̃ Ῥοδίαν, κεχειμασμένος δ' ἰσχυρῶς κατὰ τὸ πλῦν, ϗ πεποιημένος εὐχὰς ἱδρύσασθαι Ποσειδῶνος ἱερὸν διασωθεὶς ἱδρύσατο κατὰ τ̃ νῆσον τῦ Θεῦ τῦτυ τέμενος, ϗ τ̃ Φοινίκων ἀπέλιπε τινὰς τὺς ἐπιμελησομένυς, ὗτοι δὲ καταμιγέντες τοῖς Ἰαλυσίοις, διετέλεσαν συμπολιτευόμενοι τῦτοις, ἐξ ὧν φασὶ τὺς ἱερεῖς κατὰ γένος διαδέχεσθαι τὰς ἱερωσύνας. *Paulo poſt hæc tempora Cadmus ad inveſtigationem Europæ a Rege miſſus, & ipſe in terram Rhodiorum venit; inter navigandum vero vehementi tempeſtate agitatus, & Neptuno templum vovens, cum incolumis evaſiſſet, illud in hac inſula condit, & relinquit ex Phœnicibus nonnullos, illud porro curaturos; illi vero Jalyſiis permixti civitatem cum his communem habuere, & ex illis, uti ferunt, oriundi in Sacerdotium ſucceſſere.* Unde Jalyſum nomen ſuum debere Phœnicibus, non inepte conjicit Bochartus, cum dictam eam doceat a lætitia יעליץ & cauſam hujus nominis tradat non ſane frivolam. Dictam Jalyſum olim Achæam ſcribit Ergeas: οἱ περὶ Φάλαντον ἐν τῇ Ἰαλύσῳ πόλιν ἔχοντες ἰσχυροτάτην τ̃ Ἀχάιαν καλυμένην, *Phalanto vicini in Jalyſo civitatem habentes Achæam nomine*, & cum eo Diodorus: [2] ἐν τῇ Ἰαλυσίᾳ κτίσαντες πόλιν Ἀχαίην, *in Jalyſia civitatem Achæam exſtruentes*, at Ἀχάια λύπας *dolores* denotat, dicente Heſychio. [3] Cum vero in more olim victores habuerint nomina ſiniſtra ominis ergo in meliora convertere; ita enim Græci Ἄξενον Εὔξεινον, Maleventum Romani in Beneventum transformarunt; non mirum, ſi Achæam a dolore ita dictam in Jalyſum mutaverint, lætitiam ſuam aliquo ſaltem indicio prodituri. Sed, quicquid ſit, tam Polyzelus, quam Ergeas, ipſi Rhodii fatentur Phœnices olim Patriam ſuam incoluiſſe, unde ex eorum commentariis plurima excerpit Athenæus, quæ Phœnicum fortunam ſic ſatis accurate deſcribunt; perierunt vero una cum Ergeæ & Polyzeli laboribus, quæ ab iis περὶ τ̃ οἰκησάντων τ̃ νῆσον Φοινίκων fuſius dicta, atque hinc illis, quæ hactenus, dicta contentos nos eſſe ipſa jubet neceſſitas.

[1] Apud Athenæum l. 8.

[2] Libro 5.

[3] In voce Achæa.

VII. Phœnices Rhodiorum Auctores quoniam clare demonſtravimus, nihil omnino reſtat, niſi, ut Solymos Rhodiis quoque affines evincamus, cum non poſſit non ea ratione pateſcere Solymos eſſe Phœnices: at qui Solymi fuerint, priori capite diximus; unde non opus arbitramur aliquid denuo eam in rem hic dicere, & ipſiſſimos Solymos Lycios eſſe deducere. Lyciam vero ſub poteſtate Rhodiorum (qui Phœnices) fuiſſe evincunt iſta Livii [4]: *Rhodiis affirmata, quæ data priori decreto erant Lycia & Caria*, quibus non contrariari Polybium ex iſtis illius verbis colligere poteris [5]: μετὰ δὲ ταῦτα Ῥοδίοις ἐχρημάτισαν διδόντες Λυκίαν ϗ Καρίαν, τὰ μέχει Μαιάνδρυ ποταμῦ, πλὴν Τελμισσῦ. *Poſthac cum Rhodiis egerunt dantes illis Lyciam & Cariam, uſque ad Mæandrum fluvium, excepto Telmiſſo.* Dion vero Chryſoſtomus non tam erga Rhodios liberalis, dum particulam ſaltem Lyciæ eorum dominio ſubjectam aſſerit, & quidem his verbis: [6] μέρος τι τῆς Λυκίας καρπῦσθε *ex parte quadam Lyciæ fructus percipitis*, etiamſi paulo poſt, ἐαν, inquit, πυνθάνεται τὶς τινὸς ἐϛὶν ἡ Λυκία, φήσυσι Ῥοδίων *ſi quis quærat, cujus eſt Lycia? inquient Rhodiorum*. Nec aliam forte ob cauſam Rhodum cum Lycia videtur aliquo modo confundere Pauſanias, cum Lyciæ urbes in Rhodo memorat, [7] id eſt urbes eas, quas Lycii in Rhodo degentes exſtrui curaverant. Verum Lyciam eo quidem uſque Rhodii ſub ditione habuerunt, donec tum demum de immani, qua undique opprimebantur, ſervitute conqueſti Romano ſe jugo ſubmittere lubentiſſime exoptabant, id quod prolixe ſatis a Livio deſcriptum hic inſerere ſuperſedemus.

[4] Lib. 38.

[5] In excerptis legationum c. 36.

[6] In Rhodiaca.

[7] In Arcadicis.

VIII. Sed dicas, cum Lycios & Rhodios inter tanta neceſſitudo fuerit, quid impedit, quominus & reliquos Solymos, Cilices puto, Piſidas, & Pamphylios eo migraſſe, vel a Phænicibus Rhodios ſæpius inviſos fuiſſe, fatear? Si ſuppeteret otium, non defutura multa hujus rei indicia crederemus, præſertim illi, qui ſedulo iſta examinare, & excutere omnia poterit. Notiſſimam hercle, & expeditione Alexandri valde inclytam Ciliciæ urbem, Solos dictam, a Rhodiis extructam credidiſſe videtur Euſtathius: [8] οἱ Σόλοι πόλις Κιλικίας, λέγονται δὲ Σόλοι κατά τινὰς ἀπὸ Σόλωνος, οἱ δέ φασὶ Ῥοδίων, ϗ Ἀχαιῶν, κτίσμα, *Soli urbs Ciliciæ, dicitur vero Solis, ſecundum nonnullos a Rhodiis & Achæis extructa*. Notandum hic vellem Achæos iſtos non eſſe alios, quam Rhodios ipſos; etenim dictam Jalyſum Rhodi metropolin Achæam ſupra probavi-

[8] Themate 14.

vimus, unde fluit Achæos non eſſe, niſi Jalyſios id eſt Rhodios. Rhodios olim in themate Cibyrrhæotarum collocatos teſtatur Conſtantinus Porphyrogeneta luculento indicio eſſe eos Pamphyliorum cognatos; etenim Κίβυρα πόλις Παμφυλίας, dicente Scylace Caryandeno [1]; Gagas vero Ciliciæ urbem etiam a Rhodiis extructam prolixe refert Etymologici magni Auctor [2] Γάγαι πόλις Λυκίας εἴρηται, ὅτι Ῥόδιοι Λυκίους αἰτοῦντες τόπον, ἐν κατοικήσουσιν, ἐβόων: Γᾶ γᾶ τῇ πατρῴᾳ φωνῇ δωρίζοντες. Καὶ ἐντεῦθεν τὸ ὄνομα ἐτέθη τῇ πόλει. ἢ ὅτε Νέμιος στρατηγῶν Ῥοδίων καὶ τοὺς Λυκίων καὶ Κιλικίων λῃστεύοντας κατὰ θάλασσαν νικήσας, νυκτὸς καὶ χειμῶνος περιπίπτοντος καὶ κινδυνευούσης τῆς νεὼς τῶν ἐμπλεόντων ἀναβοησάντων τῇ Δωρίδι φωνῇ Γᾶ γᾶ, ἐκ τοῦ ἐπιφθέγματος προσέσχον, καὶ ἐσώθησαν, ἡμέρας δὲ γενομένης, κατὰ τὸν τόπον ἔκτισε πόλιν, καὶ ὠνόμασεν αὐτὴν ἀπὸ τῆς λεχθείσης φωνῆς Γάγαι. *Gagæ civitas Lyciæ dicitur, quod Rhodii Lycios interrogantes locum, in quo ædificarent, exclamarunt Ga Ga patrio ſono Dorice loquentes; vel quod Nemius Dux Rhodiorum eos ex Lyciis & Cilicibus, qui latrocinabantur, apud mare vincens, nocte & hyeme imminente & periclitanti nave exclamaſſe, qui in ea erant, Dorico ſono Ga Ga, qua exclamatione ſalvati ſunt: facta vero die, apud locum eum extruxit civitatem, & appellavit eam a ſono Gagas.* Sed ſatis diu Solymos & Phœnices aliena in terra quæſivimus: monet inſtituti ratio, ut apud Solymos ipſos Phœnices ultimo loco quæramus, quo peracto, finem huic libro imponere cogitamus.

[1] Peripli pag. 38.

[2] In voce Gagæ.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

I. SOLYMI unde? Unde Piſidæ? Unde Milyæ? Unde Cilices? II. Solymi Phœnices e Chœrilo. Cabalais, Telmiſſus, Sagalaſſenus campus apud Solymos, quid? Dei Solimorum, Ἀρσάλος Ἄελος Τρόσιβις qui? Fabula Bellerophontis, & Chimæræ unde?

SOLYMOS dictos olim eſſe Lycios, Cilices, Pamphylios, Piſidas diximus; quærere poteris, quid ſibi hæc appellatio velit, & cur hiſce populis præ reliquis omnibus id nominis attributum fuerit? at regero: rem iſtam paulo prolixius diducere & explicare ſatagam, ut liqueat, non eſſe de nihilo ea, quæ nuper a nobis tradita.

I. Nomen Solymorum origine Hebræum eſſe dudum nos docuit Bochartus, cum fuſe, ſed erudite notat vocabulum צלם notare quidem proprie umbram, ſed ſæpius etiam montem (unde Salmon Pſal. 68. v. 15.), atque hinc dictos Solymos non inepte concludit; nunquam enim Solyma fere dici, ſed ſemper Solymos montes, unde Chœrilus [3] ἐν Σολύμοις ὄρεσιν, Homerus [4] ἐκ Σολύμων ὀρέων, Stephanus [5] ἀπὸ Σολύμων ὄρων, ipſe Lector, etiamſi Bochartus taceat, facile agnoſcet. Montanos igitur potuiſſe hos populos dici, nemo mirabitur, qui ſitum eorum penitius inſpexerit, unde etiam nomen exinde ſuum pleroſque ſortitos fuiſſe dicerem. Etenim Piſidas ita dictos a montanis locis, in quibus habitarunt, crederem; etenim vocabulum פסטין a radice פסט non inſidias ſaltem, ſed & loca inſidiis nobilia demonſtrare, ſilvas puto, & loca ſaxis ac montibus aſpera, partim ab Elia diſcere, partim in Guemara Macchoth cernere poteris, unde Piſidiam dictam ipſa omnino res perſuadet: ſed an Lycios exinde dictos probari poſſit, non ita facile dixerim, attamen bene ſperari jubeo, & Herodotum ſimul conſulo, ut antiquiſſimum Lyciorum nomen cognoſcere poſſim, ita vero verba ejus jacent: [6] τὴν γὰρ νῦν Λύκιοι νέμονται, αὕτη τὸ παλαιὸν ἦν Μιλυάς· οἱ δὲ Μιλύαι τότε Σόλυμοι ἐκαλέοντο, *quam enim nunc Lycii incolunt, olim erat Milyas, tunc vero Solymi Milyæ vocabantur*, a qua ſententia non ita multum abſcedere Strabo [7] videtur, at unde iſtud Milyarum nomen niſi a notiſſimo vocabulo מולאי, quod loca montana denotat? Ciliciam vero a חלקים dictam rectiſſime tradit Bochartus, quod lapidoſa omnino regio fuerit, unde non inepte Silius: [8]

> *Hinc Cilicis Tauri ſaxoſa cacumina viſet.*

& Nonnus: [9]

> Αὐχένα πετρήεντα Κίλιξ δοχμώσατο Ταῦρος
>
> *Colla petroſa Cilix Taurus demiſſa reclinat.*

II. Solymos vero hoſce origine Phœnices eſſe, vel illud ſolum perſuadere poterit quod Chœrilo dicatur: [10]

> Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφίεντες
>
> *Linguam quidem Phœnicum ab ore mittentes.*

Unde enim linguam ediſcere potuiſſent, niſi ex frequenti cum Phœnicibus commercio? Libet tamen per ſingula hæc loca exſpatiari, & more noſtro Phœnicum veſtigia, licet aliquantum obſcurata, quærere ipſam Solymorum regionem alio nomine Cabalaida כבליה montanam di-

[3] Apud Joſephum libro primo contra Apionem.

[4] Odyſſeæ E. v. 282.

[5] In voce Hieroſolyma.

[6] Clio c. 171.

[7] Geograph. l. 12. p. 533.

[8] De bello Italico libro 13. v. 881.

[9] Dionyſiacorum libro 34. v. 195.

[10] Apud Joſephum l. 1. cont. Apionem.

dictam fuisse notat Strabo, quare etiam Τελμισσεῖς Σόλυμοι καλοῦνται, Telmissenses Solymi vocantur apud eumdem [1] ab הלמיש quod Hebræis rupem denotat. *Agrum Sagalassenum uberem fertilemque omni genere frugum, quem colunt Pisidæ, longe optimi bello regionis ejus, quum ea res animos facit, tum agri fœcunditas & multitudo hominum, & situs inter paucos munitæ urbis*, memorat Livius [2] cui assurgunt Stephanus: [3] Σαγάλασσος πόλις Πισιδίας. *Sagalassus urbs Pisidiæ*, & Arrianus: [4] ἦν δὲ Σαγάλασσος οὐ μικρὰ πόλις, Πισίδαι δὲ καὶ ταύτην ᾤκουν, *erat Sagalassus non parva civitas Pisidæ & illam colunt*. Quod vero eam in Lycia collocet Ptolomæus, [5] nemo utique mirari poterit, cum Lycios & Pisidas uno nomine ab Antiquis Solymos dictos sæpissime confusos deprehendamus. Hanc Sagalassum a סוה-לוה ita dictam non dubitamus, cum insignis ejus fœcunditas Livio tantopere commendata. Deos Pisidarum memorat Plutarchus[6]: ἐπεὶ καὶ Σολύμους πυνθάνομαι Λυκίων προσοίκους ἐν τοῖς μάλιστα τιμᾶν τὸν Κρόνον, ἐπεὶ δὲ ἀποκτείνας τοὺς ἄρχοντας αὐτῶν, Ἄρσαλον καὶ Δρύον καὶ Τροσόβιον, ἔφυγε καὶ μετεχώρησεν ὁπηδήποτε (τοῦτο γὰρ οὐκ ἔχουσιν εἰπεῖν) ἐκεῖνους μὲν ἀμεληθῆναι, τοὺς δὲ περὶ τὸν Ἄρσαλον Σκιροὺς Θεοὺς προσαγορεύοντες, καὶ τὰς κατάρας ἐπὶ τούτῳ ποιεῖσθαι δημοσίᾳ καὶ ἰδίᾳ Λυκίους *Deinde Solymos Lyciorum vicinos audio inter omnes maxime colere Saturnum; postea vero cum is interfecisset Duces eorum Arsalon, Dryon, & Trosobion, fugit, & incertum, quo commigravit (nam & ipsi hoc non possunt dicere) unde eum neglexerunt; illos vero, qui cum Arsalo Sciros Deos vocantes & maledictiones propter ipsum publice ac privatim facere Lycios*. Nondum sane plene adeo discussum hunc locum arbitror, quin ulteriorem diligentiam mereatur; inprimis cum nullum potentiæ Mosaicæ indicium tam clarum & perspicuum alibi inventum iri credam. Saturnum esse Mosen, superius quidem fuse diximus, quem coluisse Solymos, non est quod miremur, cum viderent, quantos progressus faceret, & se ipsos ope ejus populi a patrio solo ejectos non tam dolerent, quam mirarentur: is vero interfecisse Duces eorum Ἄρσαλον, Δρύον, Τροσόβιον dicitur, quæ nomina pessime depravata restituere hic, & explicare juxta Bocharti mentem volumus; is enim ope Eusebii, & Theodoreti [7] adjutus legendum hic docet Ἄρσαλον καὶ Ἄρειον καὶ Τρόσιβιν, & nomina ea ope Hebraismi resolvit, adeo quidem ut Ἄρειος sit ארי *Leo*. Rosibis ראשהויא *caput serpentis*, Ἄρσαλος אורזיל *binnulus capreæ*, quæ quidem ita se habuisse non dubitamus, cum ex tribus

[1] Libr. 13.
[2] Libr. 38. pag. 493.
[3] In voce Sagalassus.
[4] Lib. primo.
[5] Geogr. lib. 3.
[6] Præparationis libro 3.
[7] Therapeut. lib. 3.

his Solymorum Ducibus Veteres ad unum fere omnes unicum effinxerint monstrum, idque Chimæram dixerint, quam proinde ita describunt, ut fuerit: ὡς φασὶ ἔμπροσθεν μὲν λέων, ὄπισθεν δὲ δράκων, μέση δὲ χίμαιρα, *ut dicunt, ante leo, post vero draco, in medio capella*, dicente Palæphato, [8] cui adstipulatur Ovidius: [9]

- - - - mediis in partibus hircum
Pectus & ora leæ caudam serpentis habebat.

& Lucretius lib. 5.

Qui fieri potuit triplici cum corpore, ut una
Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra
Ore foras aerem, flaret de corpore flammam.

Sed non est, ut tibi persuadeas stolidos adeo Antiquos fuisse, ut fidem his adhibuerint: longe aliud ista Palæphati nostri evincunt [10]: ἀδύνατον δὲ λέοντα ὁμοίᾳ τροφῇ χρῆσθαι, καὶ τὸ θνητὴν ἔχον φύσιν πῦρ ἀποπνέειν εὐήθες. ποίας δὲ τῶν κεφαλῶν τὸ σῶμα ἐπηκολούθει, *impossibile autem leonem & capellam eodem alimento uti; quodque mortalem habet naturam ignem spirare, est fatuum. Quodnam enim istorum capitum sequeretur corpus?* Apprime Palæphatus! etenim non aliud hic indigitari credimus, quam pugnam Mosis cum hostibus Israelis, quod quidem eo etiam in loco indigitat Palæphatus, licet admodum perverse, sed erroris hujus causam pandere aliquo forte modo possumus: etenim cum innotuerat forte Ethnicis grave illud Israelis cum Amalec certamen, statim, quod המל *hamal capram* significare a Judæorum nonnemine audierant, nata illis & oblata amplissima fingendi materia, qua vel eo usque abusi, ut capram χίμαιραν fortissimum Israelis hostem asserere non dubitaverint; & quoniam אמרי Amorrhæos contra eumdem populum insurrexisse apprime noverant, illico pro אמרי ארי legentes leonem capreæ adjunxerunt: sed ne deesse videretur, qui agmen clauderet Ogum Basanis Regem ultimum tenere locum voluerunt; quod enim Ogum serpentem crediderint, multis evinci documentis poterit, quæ in Delphis Dikinsonii videntur. Ignem evomere Chimæra dicitur, quod Og, ab עוג *ustus* dictus, in terra רפאים, juxta eorum interpretationem, *gehenna* habitavit. Bellorophon hoc in loco Moses, cujus facta cum gestis Josuæ non raro miscent, dicitur, alato vectus equo, quod expectatione citius profectus fuerit, in cœlum provolans, sed οὐχὶ τῷ ἵππῳ, ἀλλὰ διανοίᾳ, dicente Luciano, quod Moses cum Deo locutus & in monte conversatus fuerit. Sed, ne ipse fabula vulgi fiam, desino fabulas explicare, & plurima, quæ huc pertinent, omitto, secundo huic libro demum colophonem impositurus.

[8] De incredibilibus c. 20.
[9] Metamorph. lib. 9. v. 648.
[10] Capite 24. Incredibilium.

GEOR-



GEORGIJ CASPARIS KIRCHMAJERI EXERCITATIO ACADEMICA AD C. C. TACITI HISTOR. LIB. V. CAPITA ALIQUOT PRIORA, DE REBUS, MORIBUSQUE JUDÆORUM.

CAIJ TACITI historiarum liber quintus, uti non nisi per fragmenta reservatus posteritati fuit, ita in illis, quæ de rebus Judæorum referuntur, plus inscitiæ & maledicentiæ, quam historicæ veritatis etiam apparet. Adeo vix sibi uspiam & autoritati suæ infelicius Scriptorum alioqui nobilissimus, quam hic, prospexit. Hoc ut ostenderemus, per capita priora aliquot, quæ adhuc superant, & de Judæorum agunt moribus, notas spargere decrevimus. Quod ut cedat prospere institutum, Numen supplices precamur.

Cap. II. *Judæos Creta Insula profugos novissima Libyæ insedisse memorant.*) A falsis fabulosisque traditionibus orditur Tacitus. Cretam quippe Insulam, ne quidem fando, veteres Judæi cognovere; tantum abest, ut ibidem unquam degerint, eamve profugi relinquere coacti sint. Nec illud, quod de novissimis Libyæ addit, affine veritati. Ex libro I. & II. Pentateuchi Mosis constat: Jacobum Patriarcham annonæ pressum caritate in Ægyptum cum omni familia migrasse ad Josephum filium, Pro-Regem ad id temporis Ægypti, ubi, cum spatio annorum 430. in immensum posteritas ipsius excrevisset numerum, ut exceptis liberis domesticisque reliquis, 600000 peditum discesserint Ægypto, hactenus in fugam quidem acti a Tyranno Pharaone; donec aquis ultricibus omnipotenti eos manu liberavit Numen gratiosum.

Qua tempestate Saturnus vi Jovis pulsus cesserit regnis.) Ad mythologiam Poetarum hæc, non ad Chronologiam referenda. De Saturno Gentilium Deorum antiquissimo primoque Latii veteris Rege, multa apud *Macrobium* lib. I. Saturnal. cap. 7. nec non apud *Dionys. Halicarnass.* Antiqu. Rom. lib. I. cap. 37. seqq. invenies. Cæterum de ipsa veritate temporis hæc observavit *Dionys. Petavius* lib. I. part. I. Ration. tempor. Jano regnante Saturnus a Jove filio pulsus ad Italiam appulit, ibique exceptus hospitio, haud procul Janiculo arcem condidit, quam de suo nomine Saturniam vocavit. Ex quo videtur initium Jani in annum convenire, qui ante Christum fuit 1330. indidemque constat, quanta sit vetustas Gentilium Deorum. Nam cum Jano regnante Saturnus vixerit, post annum

num Per. Jul. 3384. qui est ante Christum 1330. non multo ante nasci Jupiter potuit; adeoque sub *Aod* Israelitarum Judice, ante tria circiter, ab hac ætate nostra, millia: circa quod tempus ætas aurea fuit, Poetarum commendata fabulis. Hæc ille.

Inditum in Creta Idam montem accolas Idæos, aucto in barbarum cognomento Judæos vocitari) Miserrimum ab allusione nominis petitum argumentum, cum Tacito, tum ipsi etiam Aristoteli imposuit. Hic enim Judæos quasi Indos, ex Indorum Philosophorum ejus generis, quos *Calanos* appellabant, progenie ortos dictitabat, teste *Clearcho* apud Josephum & Eusebium. Ille vero Idæos ab Ida monte primum appellatos, vanissima inductus conjectura credidit. *Idæi* cognomento *Dactyli*, qui & *Corybanthes* dicebantur. Jovis servatores, novo lusus genere excogitato, clypeolis nimirum æneis inter se concursantes, æris tinnitu & compositione numerosi pedis Dactyli a se inventi, Saturnum decepere, initioque Phrygiam incoluerunt. Conditorem gentis Idæum Dardani filium Dionys. Halicarnass. memorat antiqu. Rom. lib. 1. c. 61. Nos fabulas Poetis & isti credulæ relinquimus antiquitati; de Judæorum vero nomine ortuque magis hic soliciti.

Judæos a Juda dici, nemo amplius inficiatur. In eo nondum omnes convenere tamen; *utrum a persona Judæ, an potius a Tribu nomen Genti hæserit?* Flavius *Josephus*, (quo majorem inter profanos Judaicarum rerum Scriptores non habemus) lib. XI. Antiq. c. 5. auctor est, Judæos a Tribu Judæ, & quidem a tempore reditus e captivitate Babylonica vocatos esse: quocum *Servatius Gallæus* in observationibus ad *Lactantium* lib. 4. de vera Sapientia videtur facere. Ipsemet autem Lactantius post Mosis tempora Hebræos vetus nomen amisisse, & a Principe examinis eorum, Judæos appellatos, terramque quam incoluerunt, Judæam fuisse, memorat citato loco. Quem autem ducem Judam post Mosen laudet, non constat: nisi quod in sacris paginis Dux collective pro tribu, non pro individuo aut persona capiatur, Judic. 1. 2. Fateamur igitur, immediate a tribu potiori, nec adeo a persona Judæ Jacobi atque Israelis filio Judæos appellatos. Ad ambiguam vocabuli significationem referendum est, quod apud Historicos Romanos, *Christiani ipsi etiam Judæi* & habiti & dicti olim sunt. Quin etiam ejecti Roma Judæorum exoso nomine fuerunt Christiani sub Imperatore Claudio. *Judæos* (inquit in vit. Claud. Svetonius) *impulsore* CHRESTO *assidue tumultuantes Roma expulit*. Ad quem locum Doctissimus *Marcellus Donatus* ex Tertulliano & Lactantio observat, Christum Servatorem nostrum mutato I in E *Chrestum*, per contumeliam homines impios appellare solitos; quemadmodum & de Pertinace *Capitolinus* tradit, Chrestologum vocatum esse, quod bene loqueretur, maleque faceret; verbis esset blandus, re non item. Hoc modo Flaviam quoque *Domitillam*, Titi Vespasiani sororem Judæam *Dio Cassius* salutat; cum re tamen vera Christiana fuerit; id quod inter alia ex Epitaphio *Paullæ* apud Hieronymum *Josephus Scaliger* animadvertit. Verba Hieronymi hæc sunt: *Delata ad insulam Pontiam, quam clarissima quondam fœminarum sub Domitiano Principe pro confessione nominis Chistiani, Flavia Domitilla nobilitavit: vidensque Caulos, in quibus illa longum martyrium duxerat* &c. Quin & *Flavius Clemens*, Titi Flav. Domitiani necessarius ac patruelis, contemptissimæ inertiæ homo (quia Christianus fuit) a Svetonio in Claudii vita nominatur. Huncque injuriosum in Christianos titulum, ut inertes, inutiles Judæi dicerentur, *Tertullianus* etiam Apologetic. cap. 42. notat, cujus abusus rationem *Barthius* Adverf. l. 54. c. 2. reddere videtur: *quod more Judæorum viverent quodammodo, etsi nomen eorum minime profiterentur, in Ecclesia primitiva Christiani*. Inter *Synonyma* vulgatiora Judæorum hæc fere prostant, quod *Hebræi* ab Hebero, *Israelitæ* a Jacobo Patriarcha, *Idumæi* autem per confusionem locorum nominumque diversorum appellati fuerint interdum. A scriptoribus Christianis æque ac profanis *Apellas*, *Verpos*, nec non *Obscœnos* nominatos esse, deprehendas sæpius; ab abscissa scilicet præputii cuticula, quod sine pelle existerent eatenus *Apellas* etiam Horatius vocavit. 1. Satyr. 5.

- - - *Credat Judæus Apella*.

Eamdem prorsus ob causam Verpi obscœna voce audiunt iidem. Verpi nomen (uti Adversariorum l. 28. cap. 21. *Adrianus Turnebus* ait) in maxima obscœnitate posuisse Veteres, compertum habemus ob renudatam glandem verendorum. Itaque circumcisi Judæi eo nomine infames Romanis erant & *Verpi per contumeliam appellabantur*. Eodem illud recidit, quod *Recutiti* apud Martialem, Sidonium, aliosque passim nominantur. Hoc hic monendum obiter est, *obscœnum* isto sensu nil aliud, quam *execrabile*, abhorrens atque diabolicum significare. Quare cum

cum *Rutilius* Poeta Paganissimus de Judæis canit:

Reddimus obscœnæ convitia debita genti,
Quæ genitale caput propudiosa metit.
Radix stultitiæ, cui frigida Sabbata cordi
Sed cor frigidius religione sua est.

Ex *Sulpicii Severi* histor. Eccles. l. 2. eo capiendum modo est, quo Priscillianum maleficii convictum scribit obscœnis studuisse doctrinis, idest, infernalibus ac magicis, uti etiam exponit *Barthius* 2. Advers. 12. Sabbatharios vocatos etiam Judæos esse, *Martialem* testem, addimus ex l. 4. ubi *jejunia Sabbathariorum* notat: quod superstitiose admodum & Sabbatha & jejunia sua colerent Judæi.

Ducibus Hierosolymo ac Juda) Nomen urbis atque loci, nomenque tribus etiam, pro ducibus & pro personis accipit. Nec multo felicior *Justinus* l. 36. c. 2. 3. ex historia Trogi Pompeji, diversorum nominum & temporum confusionem fecit: *cum quidem Regum Judæorum primum Damascum, Abrahamum deinde, hinc Mosen, post Israelem, Mosisque filium Arvam* (id est Aaronem fratrem) denique appellat. De Juda paullum ante quædam diximus, de Hierosolymorum urbe debito mox loco disseremus.

Pleriq. Æthiopum prolem) An, quod ex traditione constitit Paganis, Ducem Mosen conjugem Æthiopissam sibi adjunxisse? an ideo potius, quod Ægypto contermina ad Orientem fuit Æthiopia?

Sunt, qui tradunt Assyrios convenas, indigum agrorum populum, parte Ægypti potitos, ac mox proprias urbes, Hebræasque terras & propriora Syriæ coluisse) Huc illucque ruit animi incertus Tacitus. Trojum Pompejum tamen, qui & ipse Judæos ex Assyria deduxit, consentientem habet. *Justinus* cit. loco: *fuit* inquit, *Judæis origo Damascena, quæ Syriæ nobilissima civitas est, unde & a Syriis Regibus genus ex Regina Semiramide fuit, nomen urbi a Damasco Rege inditum, in cujus honorem Syrii sepulchrum Arathis uxoris ejus pro templo coluere* &c. Historicam si veritatem spectes, ita habet: ex Chaldæa oriundus Israelitarum proavus Abramus filium Isaacum, hic postea Jacobum genuit. Jacobi posteritas per 430. annos hæsit in Ægypto, antequam educeretur inde, annis etiam 40. erravit in desertis. Vides ergo frivolas opiniones: Assyriorum convenas Judæos, proprias mox urbes occupasse Syriæ.

Solymos carminibus Homeri celebratam Gentem creditur urbi Hierosolymæ nomen e suo fecisse) De vera Hierusalemi etymologia prolixissime doctissimeque egit *Guilielmus Beveregius*, Anglus, in annotationibus ad Concilium Nicænum primi Canones. f. 60. & seqq. Edit. Oxoniens. elegantissimæ e Theatro Scheldoniano publicatæ A. 1671. Error crassus est, a Solymis Homero celebratis denominatam Hierosolymorum urbem; sed longe adhuc crassior Lysimachi cavillatio, cum apud Josephum circa finem primi adversus Apionem libri: *Judæos*, ait, *Ægypto expulsos, cum ductu Mosis in itinere vexassent homines* (spoliatos vasis forte aureis & argenteis Ægyptios audierat Lysimachus) *expilassent templa, tandem in Judæa consedisse, urbique conditæ nomen ex re dedisse* ἱερόσυλα, *quasi a fanis spoliatis: postea probrosum immutatione quadam lenivisse, urbem Hierosolymos dixisse*. Quanquam ab obtrectatore Judæorum Græculo, sacrarum rerum & linguarum nescio auctore dici talia, non mirum. Istud potius in doctissimo viro *Stephano* notamus, quod περὶ πόλεων, Judææ Caput Hierosolymas a montibus deducat Solymis. Sed de Solymis montibus præter Strabonem fere nil; de populis autem Solymis hoc constat ex hist. Nat. Plin. l. 5. cap. 27. *Solymos quondam appellatos Pisidas, colonias duxisse Cæsaream Antiochiamque* &c. Confer & *Cluv.* Geogr. l. 5. c. 19. Sulmonem patriam Ovidii priscis olim audivisse etiam Solymum a Comite Æneæ Solymo: auctor est *Ovidius* Fastorum 4.

Serus ab Iliacis, & post Antenora flammis
Attulit Æneas in loca nostra Deos.
Hujus erat Solymus Phrygiæ comes unus ab Ida,
A quo Sulmonis mœnia nomen habent.

Ad hos Solymos domandos Bellerophontes missus a Lyciorum Rege fertur ab Homero Iliad. 6. Veruntamen non opus est ambagibus. Vox origine Hebræa Salem olim tempore Melchisedeci a שלום pace, & rad. שלם, itemque a ראה vidit, & post devictos a Davide Jebusæos, loco *Jebusalem*, *Jerusalem* felici nomine appellabatur.

Orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret) Ex traditione aliquid acceperat fortasse Tacitus, Ægyptios tot plagis olim, & fœdissimis punitos malis a Judæorum Numine fuisse. Tabem autem vocat, & nescio an lepram simul connotet?

Re-

Regem Bocchorim adito Hammonis oraculo remedium petentem) Nullus tunc in ore hominum aut orbe Jupiter Hammonius celebrabatur, cum in Ægypto degerent Judæi, Bocchorin hunc, vel, ut alii scribunt, Bocchyrin Ægypti Regem, Scriptura Sacra Pharaonem nominat: pro oraculo Ægyptio magos & hariolos intellige.

Purgare Regnum, & id genus hominum alias in terras avehere jussum) Nolens volens dimittere Israelitas, & ut irent servirentque Deo suo, permittere adigebatur Pharao.

Postquam vastis locis relictum sit) Solitudines & Arabiæ deserta erant vasta illa loca, in quibus oberrabant diu.

Mosen unum exulum) Mira & ridicula de Mose Pagani memorant Scriptores. *Justinus* hist. l. 36. cap. 2. *filium Josephi Mosen* vocat, & præter paternæ scientiæ hæreditatem, a summa pulchritudine commendat: in quo posteriori etiam consentientem Sacrum habet Codicem, qui *scitissimum infantem* Mosen nominat Exod. 2. 12. Conf. Ebr. 11. 23. Quod si ita est, cur Mosen igitur colore alias subnigro & Æthiopis in morem fusco non pictores tantum, sed scriptores etiam Ecclesiastici vetustiores repræsentarunt nobis? Artificii juxta & antiquitatis nomine meretur observari lepidissima imago Mosis, quæ in Norimbergensi Bibliotheca prostat. *Artapanus* apud Euseb. H. Eccl. 9. 27. sane Μώϋσον ait *γεγονέναι μακρὸν, πυῤῥακὸν, πολιὸν, κομήτην ἀξιωματικὸν* id est *Fuisse Moysum statura proceriorem, colore subrufum, promissa jam cæsarie canum, totoque corpore augustiorem*. Si nomen spectes, a Græcis, Latinisque varie exprimitur. Moyses & Moysus, Moses, Mosus item & Musæus. De quibus omnibus diserte satis Dn. *Bœclerus* in annotat. polit. ad V. hist. Taciti egit. Radix Hebræa est a משה extraxit. Magicarum artium gnarissimum fuisse, Gentilium plerique tradunt. Scriptura Sacra equidem in omni Ægyptiorum sapientia & arte educatum institutumque Mosen ait; prohibitarum tamen artium & scientiarum absit longissime, ut magistrum magumque adeo fuisse fateamur. Philosophiam, quam in aula Pharaonis didicit, emendavit per Theologiam & perfecit. *Ut enim Josepho ipsi non obfuit Ægyptiorum sapientia, aut Persarum Magia Danieli: sic nec Mosi etiam* Prophetarum maximo nocebat eadem.

Monuisse, ne quam Deorum hominumve opem expectarent, ab utrisque deserti, sed sibimet, ut duci cœlesti crederent) De Aarone id; nullatenus de Mose verum. Μοσχολατρείας auctor Aaron: *hi sunt*, inquiebat, *dii tui Israel, qui ex Ægypto eduxerunt te*! Exod. 32. Huic igitur, ut cœlesti duci, malesanus populus habebat fidem.

Fortuitum iter incipiunt) Imo fatale & certissimum; cum diurno tempore columna nubis, nocturno ignis definiret iter.

Sed nihil æque quam inopia aquæ fatigabat) Hoc jam historicum; sed non unum tamen illo tempore malum obtigit. Nam cum incolumes ex Mari Rubro pervenissent *Mara*, propter amaritudinem aquarum siti laborabant admodum Exod. 25. 24. mox & fame cap. *16.* iterumque potu cap. 17. 1.

Grex asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit) Ex aquarum e rupe vocatarum miraculo *commentum asininum* fingit. Ita maledicentissimi Gentilium Scriptores a Judæis *adorari asinos* agrestes venditabant. *Tertullianus* auctor est in Apologetic. cap. *16.* credidisse unanimes *caput onagri Judæos sacro excepisse cultu*. Quam in rem plura doctissimus congessit *Nicol. Fuller.* Miscell. l. 3. c. 8. Notabis ergo, ignominiæ causa asinos *aquarum*, ut ait, *designatores* Judæis affinxisse homines paganos. Hominem enim ineptum asinum vocari a Latinis, præter vulgatum illud *asinus ad Lyram*, vel unius Terentij locus fidem fecerit ex Eunucho: *flabellum tenere te, asinum tantum*! Et hoc convicium omnis ævi fuit, estque hodie adhuc, ingenii obtusi hominem, ignarum stupidumque asinum, qua tetrior stupiditas non possit objici, vocare, *Cicero* lib. 4. ad Attic. Epist. 4. *vellem jam pridem: scio te voluisse, & me asinum germanum fuisse*. Hinc apud *Apulejum* lib. *6.* Hæc quidem, inquit, *inepta & prorsus asinaria est cogitatio*, &c. Conf. *Barth.* l. 8. advers. c. 14.

Largas aquarum venas aperit) Ita est; sed beneficio miraculi, ex cautibus; vid. cap. Ex. 17.

Sex dierum iter emensi, septimo pulsis cultoribus obtinuere terras, in quibus urbs & templum dicata sunt.) Hæc illa supputatio, quæ annis 40, sex aut septem dies, exitus itinerisque ex Ægypto facit.

Moses novos ritus contrarios cæteris mortalibus indidit) Per somnium vix cognovit Tacitus, quæ ad supremum potius optimumque Legislatorem Deum, sed judicio benigniore referenda erant, Legem videlicet *moralem*, *cæremonialem* & *forensem*, ritus ceteris mortalibus contrarios appellat, auctoremque *νομοθεσίας* ejus omnis Mosen opinatur. Quam in rem etiam *Strabo* Geographiæ XVI. scribit: *loco armo-*

morum sacra & Deum prætendebat, cui sedem se quærere dicebat, & cultum ejusmodi, & sacrificia pollicebatur traditurum, quæ nec impensa, nec furoribus, neque re ulla absurda cultores perturbarent. Hæc ille cum suis probasset, non contemnendum adeptus est imperium. Habes exemplum stultæ rationis in utroque; quando de divinis rebus cæremoniisque pagano more judicarunt homines. Conf. & *Cicer.* Orat. pro L. Flacco, ubi *barbaram superstitionem* religionem Judæorum, a splendore Imperii Romani, & gravitate nominis majorumque (Romulidarum nempe) institutis abhorrentem nominat.

Cap. IV. *Profana illis omnia, quæ apud nos sacra; rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta)* Fere ut *Nepos* in præfatione ad vitas excellentium Imperatorum, de diversis Græcorum Romanorumque moribus pronunciat: *Omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honestate remota ponuntur. Contra ea pleraque nostris moribus sunt decora, quæ apud illos turpia putantur.* Sed tantum abest, ut calumniæ quid adsperserit hic Judæorum sacris Tacitus, ut pro laude potius hoc testimonium interpretemur. Argumentum detestationis hujus mutuæ tractavit H. *Grotius* 3. de J. B. & P. 5. 2. *Quæ enim participatio justitiæ & iniquitatis? quæ communio lucis atque tenebrarum? aut quæ concordia inter verum Deum & cacodæmonem? aut quæ sors mutua fidelium ac infidelium?* 2. Corinth. 6.14.

Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere:) Asinum a Judæis religiose cultum, cum multis aliis ex Gentilitate somniavit Tacitus. Factum id in contumeliam conviciumque Judæorum fuisse, jam indigitatum est. Sic & *Petronius Arbiter* in Catalectis:

> *Judæus licet & porcinum numen adoret,*
> *Et cilli summas advocet auriculas.*

Ubi per *cillum* asinum more veterum Poetarum intelligi, nec legi debere *cœli* (ut post multos alios volebat *Barthius* in Adverf. ad h. l.) ex *Gerb. Job. Vossi* lib. 3. de Oblatis gentil. c. 75. liquet. Democritus etiam Historicus apud Suidam in voce ἰδὸα: *asini caput aureum* (inquit de Judæis) *adorabant*. Et ab *Apione*, Grammatico ac Polyhistore (qui cymbalum mundi a Tiberio Cæsare appellabatur) objectum exprobratumque Judæis fuit, *ab Antiocho Epiphane repertum caput aureum asini fuisse, quod a gente coleretur*. Quod commentum nihilominus egregie refellit *Flav. Josephus*, opere eo, quod adversus Apionem scripsit. Quid vero causæ fuerit, cur a Judæis animal id honoratum finxerint Pagani non satis constat. *Plutarchus* lib. 4. Symp. quæst. 5. *Sicut Asino*, inquit, *quia fontem iis aquæ commonstravit, sic & sui; quia sationis & arationis est magistra, cultus apud eos est religiosus*. Plutarcho hic ὁμόψῆφος accedit Tacitus. Confer & *Lactant.* lib. 4. p. 376. *Si vitulum, aut vitulinum caput potius substituissent asinino, non errassent*. Ansam commenti ex *Fulleri* Miscellaneis indigitavit *Vossius*, quem vide sis cit. loco.

Cæso ariete velut in contumeliam Hammonis) De holocaustis Judæorum & *ariete emissario* fortasse aliquid accepit ex traditione Tacitus. Mirum, cur non *ad Vellus aureum* & *Hellespontum* applicarit fabulas. De *Jove Hammonio* res ita habet: cum Liber Pater per deserta Libyæ exercitus duxisset, auxilium, inopia aquarum fatigatus, Jovis implorasse fertur. Quo facto apparuisse protinus arietem: quem dum persequebatur fugientem, ad fontem amœnissimum illo duce pervenisse, ajunt. Desiderio potitum igitur arietem Jovem ipsum fuisse ab hoc existimatum, eique templum miræ magnitudinis extructum, deumque Ammonem id est *Jovem arenarium* vocatum. vid. *Hygin.* vol. 2. in Ariete. Cum autem Judæorum instituta ceteris mortalibus incognita, aut etiam adversa ante dixerit in contumeliam opprobriumque Jovis, cæsum arietem fuisse, cogitavit.

Bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apim colunt) Boum, oviumque, & hircorum victimas Judæis olim usitatissimas fuisse, ex historia Veteris Testamenti satis constat. Quid *Apis* & quid *Serapis* Ægyptiorum fuerit, & cur Josephum Patriarcham sub bovis cultum symbolo, patrium videlicet Ægyptiorum deum designarit, prolixissime exposuit lib. 2. Idololatr. c. 29. *Gerhardus J. Vossius*, quem nolumus exscribere. Confer. & *Selden.* de DIIS Syris Syntag. I. cap. 4. *Athan. Kircher.* in Oedip. Ægypt. ac *Servatius Gallæus* in *Lactant.* lib. 4. de ver. Sap. c. X. & in utili Africanar. rer. opere Meursianis publicato nuper sumtibus D. O. Dapper 9. p. 154. seq.

Sue abstinent memoria cladis) Relatio vera, ratio falsa. Quæ enim illa ex sue cladis memoria? Aliam *Petronius Arbiter*, sed ortam ex convicio causam affert de Judæo inquiens:

> - - - *Porcinum numen adoret.*

Ita scilicet cum Judæis, ut cum Ægyptiis comparatum esse, pagani colligebant homines; quod, quæ animalia pro diis cole-

colerent, ab eorum eſu abſtinerent. Adeo averſabantur autem porcos recutiti, ut eorum viſum etiam ac nomen fugerint: quin & extrema ſubire potius ſupplicia, quam ſuilla veſci ſtatuerunt; vid. 1. *Maccab. l.* 50. 2. Maccab. 6. 18. cap. 7. 1. & *Joſeph.* Antiqu. lib. 12. cap. 7. Bell. Judaic. lib. 1. cap. 1. Vera & potiſſima odii porcinæ carnis ratio ex interdicto Numinis, Levit. XI. 7. Deut. 14. 8. petitur. Conſ. & Eſai. 65. 5. ubi inter animalia immunda, & quæ non ruminare ſolent, referuntur ſues. Judæorum hac in parte morem æmulantur *Arabes*, *Turcæ* atque *Abyſſini*; vide *Sam. Bochart.* Hierozoic. Tit. de ſuibus & ſiliquis *Voſs.* 3. Theol. Gentil. 66. & 75. *Selden.* item de DIIS Syris Synt. 2. c. 17. alioſque.

Quod ipſos ſcabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium) Lepram intelligit, notiſſimum Judæis alias contagium, non tamen ex ſuillæ natum eſu. Longe aliam, ſed inſufficientem plane cauſam mali hujus, affert *D. Joh. Ludovicus Hanemannus* ap. πολυμαθέςατον *Thom. Bartholim.* Vol. 2. Actor. Hafnienſ. An. 1675. editorum, p. 259. Judæorum gentem id eo potiſſimum obnoxiam fuiſſe lepræ, quod ſanguinem comedere ipſis interdictum fuerit. *Nam ſanguis*, ait, *ut vitalis naturæ ſuccus ac ipſius carnis condimentum*, *cujus beneficio per circulationem caro conſervatur ipſis interdictus*. *Quoniam itaque carnes mactatorum animalium hoc ſuo naturali deſtituebantur condimento*, *hinc exſangues ingeſtæ malignitatem tantam induxerunt*. Cui quam docte ſatisfecerit ibidem *Bartholinus*, vide loc. allegato. *Juſtinus* lib. 36. *ſcabiem & vitiliginem hanc Ægyptios fuiſſe paſſos*, & ideo Judæos ejectos eſſe memorat. Scabies tamen & impetigo ac elephantiaſis quomodo inter ſe differant, oſtendit *Voſs.* 4. Idololatr. gentil. c. 45. Ad mentem Taciti *Plutarchus* interim in Iſide, ac *Ælianus* lib. 20. hiſtor. c. 16. *ſuillum lac bibentibus elephantiaſin metuendam eſſe*, docent. Suibus videlicet peculiaris ex grandine morbus. *Grandines autem grana alba & rotunda ſunt*, lentis magnitudine, ex inflammatione ſanguinis, ubi ira concitati ſues malo iſthoc, velut lepra, facile corripiuntur.

Raptarum frugum argumentum panis Judaicus nullo fermento retinet.) Cum egrederentur ex Ægypto Iſraelitæ, panem veluti extemporaneum & raptim ferre ſecum, maſſam non fermentatam, juſſi ſunt a Deo, Exod. 12. 18. 39. c. 13. 7. 8. in memoriam liberationis ex ſervitute Ægyptiaca & itineris deſeſtinati.

Septimo die otium placuiſſe ferunt, *quia is finem laborum tulerit*) Ita in adulterinum ſenſum ſacra detorſerunt omnia Gentiles. Deſtinatus a Jehova dies ſeptimus quieti, non otii ſolummodo, ſed recordationis & gloriæ divinæ gratia potiſſimum Gen. 2. 3. Exod. 20. 8. 9. 10. 11. Mirabili ab origine *Apion* initium nomenque Sabbati arceſſit, apud *Joſeph.* lib. 2. contra Apion. Judæos Ægypto egreſſos, confecto ſex dierum itinere, conflictatos morbo inguinum, ea de cauſa, ſeptimo die feriari, quieviſſe, Judæamque tenuiſſe; diei autem nomen Sabbati, voce Ægyptiaca impoſuiſſe, quem tamen ſolide *Joſephus* citato confutavit loco. *Juſtinus* lib. 36. hiſt. aliter nugatur: *Moſes Syneum montem occupat*, *in quo 7. dierum jejunio per deſerta Arabiæ cum populo ſuo fatigatus*, *cum tandem finiiſſet*, *ſeptimum diem more gentis Sabbathum appellatum in omne ævum jejunio ſacravit*; *quoniam ille dies famem illis erroremque finierat*.

Dein blandiente inertia ſeptimum quoque annum ignaviæ datum) Abſurdum unicum ſequuntur infinita. Nam ſacroſancto Numinis imperio dies, annuſque ſeptimus, & ſepties ſeptimus, id eſt quadrageſimus nonus feſtus ſolenniſque agi apud Judæos debuit, Levit. 23. 3. cap. 35. 4. 8. 9.

Honorem eum Saturno haberi; *ſeu principia religionis tradentibus Idæis*) Inſtitutionem Sabbati ſolis propriam Judæis olim, Saturni gratia excogitatam ſomniat. Solis propriam Judæis diximus. Mortalibus ſane cæteris mores inſtitutaque Judæorum publica contraria fuiſſe, jam ante memoravit Tacitus. *Dio* quoque *Caſſius* hiſt. lib. 37. Sabbati ſive Saturni diei cultum, ut Judæis proprium ac ſingularem manifeſto tribuit. Et *Ovidius* lib. 1. de arte amandi:

> *Nec te prætereat Veneri ploratus Adonis*,
> *Cultaque Judæo ſeptima ſacra Viro*.

Et paulo poſt:

> *Culta Palæſtino ſeptima feſta Viro*.

Unde & *Sabbata Romanis peregrina* idem nominat ibidem:

> *Nec pluvias opta*, *nec te peregrina morentur*
> *Sabbata &c.* - - - - - -

Cur autem Saturni in honorem Sabbati religionem inventam *Tacitus* exiſtimet, non ex male tantum intellecto & confuſo *Judæorum Idæorumque* nomine; ſed inde etiam provenerat, quod illum ipſum diem ſeptimum, qui in Saturni lucem incidit, feſtum etiam Judæi celebrarent. In eo tamen abſurdi penitus ac falſi Gentiles extiterunt; cum feſtum diem notiſſi-

tissimum celeberrimumque apud Judæos cum jejuniis confuderint. Sic & *Justinus* lib. 36. *Sabbathum Moses in omne ævum jejunio sacravit: quoniam ille dies famem illis erroremque finierat*. Et Cornelius Noster ante: *longam olim famem crebris adhuc jejuniis fatentur*. Quin & *Svetonius* in vita Octavii c. 76. ex illo Augusti ad Tiberium: *ne Judæus quidem*, ait, *mi Tiberi, tam libenter Sabbathis jejunium servat, quam ego hodie servavi*. Ac *Martialis* gentem Sabbatariam Judæos ideo appellat lib. 4. Epigramm. 4. & jejunia Sabbatariorum. Confer *Petron.* Satyr. 5. nec non *Strab.* Geogr. l. 16. ubi dies septimus Sabbaticus pro jejunii die σωνο νύμως capitur. Nec enim verum illud, in Sabbato communi atque hebdomadico jejunia observasse veteres Judæos. Quod prolixe satis atque solide ostendit *Selden*, lib. 3. de jure naturæ, gentiumque cap. 15. & 17. Confer & *Vossium* lib. 2. de Idololatr. gentil. c. 14. ubi de nomine & origine Sabbati uberiora.

Seu quod e VII. sideribus, queis mortales reguntur) More Astrologorum ex Chaldæa Tacitus de Judæorum sacris judicat. Stoicum & profanum dictu est, *sideribus mortales regi*; cum non regimen, sed inclinationem in animum moresque sidera importent. Superstitiosum vero illud, quod de septenario Planetarum numero, institutoque ejus rei gratia Sabbato nugatur. Vide imprimis *Selden*. lib. 3. de jure nat. & gent. c. 17. 18. & 19. Confer & *Roberti Loei*, Angli, effigiationem veri Sabbati p. 25. & *Meursii* denarium Pythagoricum & *Claud. Salmas*. de Ann. Clim.

Altissimo orbe ac præcipua potentia stella Saturni feratur: ac pleraque cœlestium vim suam & cursum septimos per numeros conficiant) De numeri septenarii prærogativa & mysteriis multi ex veteribus pariter & recentioribus scripsere; de præcipua autem Saturninæ stellæ efficacia potentiaque propter orbis sui altitudinem, fortassis nemo, præter Tacitum, jactare talia audebit.

Cap. V. *Tributa & stipes illuc congerebant, unde auctæ Judæorum res*) Idem fere *M. Tullius* oratione, quam pro *L. Flacco* scripsit: *Aurum quotannis Judæorum nomine ex Italia & provinciis Romanorum omnibus exportari Hierosolymam*, testatur, *Josephus* Antiquit. lib. 12. cap. 2. a solo Ptolomæo Philadelpho Ægypti Rege per magna alia donaria in templum Hierosolymitanum missa esse *auri talenta quinquaginta & gemmarum copiosam multitudinem*, observat. Intra Palæstinam opes genti ex vectigalibus ope balsami crevisse, (quod in illis tantum regionibus gignebatur) testis est *Justinus* hist. lib. 36. Extra terram sanctam vero, quicquid in Asia, Africa, & Judæorum dispersorum fuerat, aurum argentumque hinc inde corrasum, ad augendas templi, & sacrorum res conservandas miserat in urbem Hierosolymorum. Sed pendere Romanis etiam viritim tributa cogebantur, qui aut Romæ aut sub imperio eorum alibi vivebant circumsecti: ut *Svetonius* in Domitiano scribit c. 12. ad quem locum plurima *Casaubonus de Fisco Judæorum* annotavit lectu digna.

Adversus omnes alios hostile odium,) Amica nulli gens Hebræa, velut orbis quoddam purgamentum odio plus quam Vatiniano, propter sacra maxime ac ritus plane proprios, attinebatur. *Josephus*, ipsemet (XVI. 10. Antiq.) ἀλόγιστον gentium in Judæos odium fatetur natum ex διαφορᾷ τῶν ἐπιτηδευμάτων: quæ, quam rituum religionis, nulla fuit, dicente *Christiano Noldio* in Histor. Idum. p. 462. Hæc quoque causa erat, cur Judæorum Rex *Agrippa* barbarus vocatus *Juvenali*, Satyr. VI. & Judæi non solum aliis, *despectissima pars servientium*, sed & Romanis *teterrima gens* haberetur. Tacit. 5. Hist. 8. Ut nec *Flavius*, nec *Titus*, Principes Vespasiani, a triumphis Judaici voluerint cognominari. Quare *Augustus* nepotem *Cajum* ex Oriente reducem collaudat, quod prætervehens Judæam, apud Hierosolymam non supplicasset. *Tranquill.* in vit. ejus, c. 93. Judæis apud *Flavium* objicitur non semel τὸ ἄμικτον, τὸ ἀσύμφυλον, καὶ διαίτης ἀμιξία: *insociabili vivendi ratio*. Idem conqueruntur *Antiochi* amici apud *Diodorum* Judæos accusantes; & *Tyænensis* ap. *Philostratum*. Conf. *Grot.* 2. de J. B. & P. 15. 9.

Circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur) Qui ad mysterium Sacramenti ritus ab ipso institutus Deo Gen. 17. 11. fuit, infami turpitudine a Gentilibus notabatur, ut Judæos ob id homines *obscœnos*, *verpos*, *apellas*, *recutitos*, *circumsectos* contemptim nominarent. De gentibus aliis circumcisionem observantibus id est *Ægyptiis*, *Colchis*, *Æthiopibus*, *Syris*, aliisque, *Herodotus* in Euterpe locum habet illustrissimum, ad quem bis *Josephus* contra Apionem provocavit. Circumcisionis retinentissimi adhuc Mahummedani, *Turcæ*, *Arabes*, ac *Persæ* sunt.

Transgressi in morem eorum idem usurpant.) Ex ordinatione scilicet divina non Hebræo tantum nati semine, sed pro-

selyti etiam ac emptitii, siquidem cohabitare cum Judæis, connubia cum iisdem jungere voluerunt, circumcidi debuerunt. Gen. 17. 12.

Nec quicquam prius imbuuntur, quam contemnere Deos) Deos, non Deum contempsisse illos, recte asserit. Ideo paucorum interjectu: *Judæi*, inquit, *mente sola, unumque Numen intelligunt*. Profanos, qui Deorum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant. Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sunt. Similia ex Dione Cassio & Strabone testimonia *Boeclerus* observavit ad hunc locum.

Animas prælio aut suppliciis peremptorum æternas putant.) Utrumque falsum, natumque ex convitio, quod animas tantum prælio aut suppliciis peremptorum immortales, & quidem ideo statuerint æternas, quasi præliorum aut suppliciorum aliquod vel præmium vel pœnam mererentur ab æternitate. Immortalitatem animarum vitamque alteram post hanc mortalem semper & in universum cœtus Judæorum credidit. Taciti inventum hoc; cui ipsi forte animarum immortalitas figmentum, aut res etiam incerta plane videbatur. Ne injuriam facere Scriptori nobilissimo existimemur, sic ipsemet sub finem vitæ Soceri, *Agricolæ* nimirum: (c. 46. 1. *Si quis*, ait, *piorum manibus locus; si, ut sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnæ animæ, placide quiescas* &c. ubi titubanter sane & sub conditione loquens certi nihil equidem relinquit. Annali etiam XVI. Cap. 19. *C. Petronium sub Nerone Consulem Romanum libenter audientem* referentes nihil de immortalitate animæ & sapientum placitis, sine reprehensione citat.

Corpora condere, quam cremare, e more Ægyptiaco) De ritu condendi corpora & ungendi, plurima *Kirchmann.* de funer. Romanorum lib. 1. c. 2. & lib. 3. cap. 10. Theologorum in his terris summus, DN. *Geyerus* de luctu Hebræorum, P. *Athan. Kircherus* item in Oedip. *Ægypt.* Tom. 3. Syntagmat. de Mumiis; & quæ recens publicata sunt a D O *Dappero* in Descriptione *Ægypt.* f. 99. 100. & seqq. Nostrum jam non est, collectores diligentissimos hos expilare.

Ægyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur) Causam ineptissimæ superstitionis M. *Tullius* in 1. de natura Deorum hanc affert: ipsi qui irridentur, Ægyptii, nullam belluam, nisi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, *consecraverunt: velut Ibes maximam vim serpentium conficiunt. Possum de Ichnevmonum utilitate, de Crocodilorum, de felium dicere, sed nolo esse longior. Ita concludam tamen, belluas a barbaris propter beneficium consecratas.* Aliam adhuc rationem *Lucianus* libro de Astrologia promit: Ægyptii, scribens, ex universo cœlo reliquisque stellis inerrantibus & fixis duodecim partes effecerunt, & unamquamque suis animantibus repræsentarunt, partim marinis, partim hominibus, partim feris, partim volatilibus, partim pecudibus. Unde & sacra Ægyptiorum varie fiunt. Et alii quidem aliis utebantur. Itaque arietem colunt, qui ad arietem spectant, piscibus non vescuntur, qui pisces annotarunt. Nec hircum occidunt, qui capricornum noverunt: & alii alia, prout singuli venerantur. Quin etiam taurum in cœlestis tauri honorem colunt. Nam Apis apud illos res imprimis sacra &c. Quæ vero animalia religioso venerati cultu fuerint Ægyptii, *Strabo* prodit lib. 17. *sunt quædam animalia quæ Ægyptii colunt universi; ut de terrestribus tria: bovem, canem, felem. E volatilibus accipitrem atque ibim. exaquatilibus duo, leppidotum* (sive squamatum piscem) *&* *oxyrynchum. Latopolitani lotum, qui piscis est in Nilo: Lycopolitani lupum, cynocephalum Hermopolitani, cepum* (qui faciem Satyro similem habet) *Babylonii, qui sunt juxta Memphim, aquilam Thebani, leonem Leontopolitani, capram & hircum Mendosii, alii aliud* &c. De Bove speciatim vide *Plin.* Hist. Nat. l. 8. c. 46. De Cane *Cicer.* 5. Tuscul. *Juvenal.* Satir. 25. *Clement.* item *Alexandr.* admonitione ad Gentes. De fele seu Æluro *Herodot.* Euterp. *Cicer.* i. de legibus & 1. de natura Deorum. *Diod. Sic.* l. 1. *Juvenal.* Satyr. 15. *Plutarh.* l. 4. Symphosia χῶν qu. 5. De Cercopitheco iterum *Juvenal.* Satyr. 25. & *Lucian.* in Concil. deorum. De capro a Coptitis adorato Ælian. de animalibus l. 20. c. 24. atque *Diodor. Sicul.* qui lib. 1. Biblioth. inter alia sic: *hircum*, inquit, *inter deos retulere, ob genitale membrum: sicut Græcis propterea ajunt venerationi esse Priapum*, Conf. & *Herodot.* Euterp. Quin eo etiam dementiæ progressa gens eadem brutissima, ut, post bruta, res spurcissimas obscœnissimasque coleret devote. *Clemens Romanus* sane, aut quisquis auctor est recognitionum ipsius nomine editarum libro 5. Ægyptiorum alii, ait, bovem, qui Apis dicitur, colendum tradidere, alii hircum, alii Gattas (scilicet feles) nonnulli Ibim, quidam serpentem, piscem quoque & *Cepas* (ita enim legendum esse, recte *Vossius* observat, non *Cephas*,) & cloacas

cas *crepitusque ventris pro numinibus habendos esse*, docuere, & alia innumerabilia, quæ nominare pudet. vid. ex professo de his agens, *Vossius*, lib. 3. de Orig. & progress. Idololatr. c. 74. *Selden.* de DIS Syris, & præcipue *Lilius Gregor. Gyraldus*, (ex quo sua *Vossius* depromsit) in Histor. Deor. Gentil. syntagm. 1.

Judæi mente sola unumque numen intelligunt) Inde & impetebantur a paganis & gentilibus convitio *Cœlicolarum*. Et cœlum adorare Judæos *Juvenal.* Satyr. 14. canit:

Nil præter nubes & cœli numen adorant.

Et *Diod. Sicul.* l. 40. *cœlum hoc* ait, *quod terram circumquaque ambit, solum Deum esse, cunctaque in potestate habere judicarunt*. Hinc forte factum etiam, ut ab Imperatoribus Romanis Judæi & cœlicolæ pro iisdem συνωνύμως haberentur: ut videre est l. 3. C. de *Judæis & cœlicolis*; ad quem locum vid. *Dionys. Gothofred.* cap. XII. aliosque; Confer & *Gilbert. Gaulmin.* ad ψelli Dialog. de Dæmonibus *Lips.* not. ad 5. hist. Tacit. *Joseph. Scalig.* elench. Trihæresii c. 31. *Barth.* advers. 69. 20. *Thom. Reines.* Var. lect. 1. 25. p. 111.

Profanos qui deum imagines, mortalibus materiis in species hominum effingunt. Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sunt.) Idem de Judæis *Diodorus* Eclog. l. 40. *nullam omnino deorum imaginem statuamve fabricavit Moses, quod in Deum minime cadere formam humanam judicaret* &c. Et de veteribus Germanis non aliter Tacitus: *ceterum*, ait, *nec cohibere parietibus deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur. Lucos ac nemora consecrant, deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.* Ad quem locum plura annotavimus in Comment. ad Taciti Germaniam.

Non Regibus hæc adulatio, non Cæsaribus honos,) Honorem partim politicum, qui pro meta reverentiam, religiosum partim, qui pro scopo habet ἀποθέωσιν, intelligit hoc loco *Tacitus*. Utrumque apud Judæos non usitatum excusat ideo *Josephus* lib. 2. contra Apionem scribens: *Derogare nobis Apion voluit, quia Imperatorum non statuamus imagines; cum potius debuerit admirari magnanimitatem modestiamque Romanorum: quoniam subiectos non cogunt jura patria transcendere* & quæ sequuntur ibi plura.

Sacerdotes eorum tibia tympanisque concinebant, hedera vinciebantur) In festis Judæorum solemnioribus instrumenta omnis generis (que ψ 150. a Davide recitantur) animabant veteres Judæi ac pulsabant. Huc fortasse *Tacitus* respexit, & ad *Scenopegia* seu festum tabernaculorum maxime, *quod hedera vinciri sacerdotes* ait, cum potius gestarint palmites arborumque aliarum frondes tabernaculaque per septiduum inhabitarint ad mandatum Numinis Levit. 23. 34. & 40.

Vitisque aurea templo reperta) De vite aurea vid. post *Joseph.* l. 15. Antiqu. Jud. c. 14. *Blanckardum* in notis ad illum *Flori* locum l. 3. c. 5. *vidit* (Pompejus M.) *illud grande impiæ gentis arcanum patens sub aureo vitem cœlo* &c. & imprimis *Ruperti* notas ad h. l. *Florus* nominat arcanum patens, quia vitis hæc videri etiam extrinsecus per portam majorem poterat, atque ita quibusvis aspicientibus patebat. Fuit autem sub *aureo cœlo*, id est sub fornicato primæ ædis, seu vestibuli inaurato laqueari.

Liberum patrem coli domitorem Orientis, quidam arbitrati sunt. (De *Libero*, quem Græci *Bacchum* seu Διόνυσον vocabant, & sub eo solem Apollinemque, & vini liquorem pagani veteres indigitabant, prolixe egit *Voss.* lib. 2. Idololatr. cap. 14. & cap. 79. plura passim de eodem Libero, ejusque sacris, atque monumentis prodidit *Pausanias*, quem adi. Nobis hic *Arnobii* locus ille, quem contra Gentes lib. 3. adduxit, placet: *Cum Liberum, Apollinem, solem, unum esse contenditis Numen, vocabulis amplificatum tribus, nonne sententiis vestris deorum imminuitur census? nam, si verum est, solem eumdem Liberum esse, eumdemque Apollinem, sequitur, ut in rerum natura neque Apollo sit aliquis, neque Liber.* Conf. & *Macrobium* 1. Saturnal. 18. & 21. Ceterum de patre *Libero* plurima congessit ex Antiquitate *Lilius Gyraldus* Syntagm. 8. in Hist. Deor.

Terra finesque qua ad orientem vergunt, Arabia terminatur: a meridie Ægyptus objacet: ab occasu Phœnices & mare: Septentrionem a latere Syriæ longe prospectant.) De terminis Palæstinæ ac Judææ (quam Græci Romanique distinxerunt a se invicem) post *Bredenbachium*, *Saligniacum* & *Brocardum*, quatenus hanc olim inhabitarunt Terram Sanctam & dimensi oppidatim sunt, vide *Adrichom.* in Theatr. *Ariam Montan.* in Chaleb. *Bunting. Michaelem Alzingerum*, Wolffgang. *Wissenburg. Christoph. Heidmann.* P. P. Helmst. *Orontium Fineum*, Delphinatem. Add. inprimis etiam D. *Quistorp.* Nebo, tit. de Longitud. & Latit. Terræ S. p. 8. & seqq. & *Christoph.* a *Neitschits* lib. 7. Itiner. c. 1.

Chro-

Cap.VI. *Corpora hominum salubria & ferentia laborum, rari imbres, uber solum &c.*) Judææ terram locum non admodum invidendum aut obnoxium æmulationi, nec dignum satis, de quo magnopere pugnetur, *Strabo* lib. 16. Geograph. scripsit: saxosum quippe solum illi, & licet abundet aquis, regionem tamen in circuitu & sterilem & siccam esse. Quod *Strabonis* tamen testimonium quam frivolum fallaxque, & ex odio profectum in Judæos sit, Historia sacra pariter & profana solide revincit. Nam & Deut. 8. v. 8. 9. 10. seqq. vocatur *terra tritici & hordei, & vitis, & ficus, & malorum Punicorum & olivæ, & olei, & mellis ferax*: cujus e montibus effodiatur ferrum, æs, & id genus alia. Apud Ezech. c. 20. 6. & 7. egregia inter omnes terras, lactis etiam mellisque abundans appellatur. Conf. Deut. 32. 13. 1. Sam. 14. 27. Ps. 81. 16. Verissime iccirco *Tacitus* solum illi uber vindicat; quo cum *Euripides* de fertilitate Syriæ in Bacchis consentire etiam videtur V. 142. *campus fluit lacte, fluit etiam vino, fluit* & *apum nectare &c.* conf. & *Ælian.* l. 3. Hist. Animal. c. 32. Scriptio longissima futura esset, si *Plinii*, *Josephi*, *Philonis*, aliorumque de Palæstinæ dotibus præconia huc afferremus. Videndi de his oculati testes supra allegati, & post eos *Bellonius*, *Rhauvolff*. *Helffrichius*, &, qui singularia mox, ut speramus, dabit genere, experientia, & virtute Nobilissimus de *Troilo*.

Exuberant fruges nostrum ad morem, præterque eos Balsamum & Palmæ) Pari aut lætiori etiam frugum fœcunditate præ campis Italicis Judæa Regio luxuriabat. Idque adhuc proprium soli sibi datum a natura privilegium ex Balsamo servabat. *Opobalsamum*, (inquit ex *Trogo Justinus* Hist. lib. 36.) *in his tantum regionibus gignitur*. Et *Plinius* Hist. Nat. lib. 12. c. 25. *Omnibus odoribus præfertur balsamum, uni terrarum Judææ concessum*. Idemque *lib.* 16. cap. 32. *Fastidit balsamum alibi nasci: nec non & palma nasci ubique aut nata parere* &c. *Strabo* etiam ac *Diodorus* in Judæa saltem gigni balsamum, existimarunt: contra quos tamen *Lipsius* observ. ad Tacitum disputat: Arabiæ enim & Ægypto tribuendum esse balsamum cum constet, Judææ præstantissimum præ cæteris relinquendum est.

Balsamum modica arbor) Legenda hic loci vestigia Taciti, qui, cum in scrutandis rerum naturalium rariorum maxime causis, ut alibi de succino, solicitum se præbeat indagatorem, nostrum etiam provocare studium non immerito videtur. De voce primum, mox de re ipsa breviter agemus. Fluxit balsamum ab Hebræo fonte בעל שמן id est domino olei, sive principe, propter excellentissimam nobilitatem, qua odoribus in universum omnibus præfertur; dicente *Plinio* Hist. Nat. lib. 12. c. 25. בעל enim Dominum, (unde & Idolo nomen hæsit) a radice בעל dominatus est: significat; & שמן radix *pinguis fuit*. Unde & *Scammonia* veluti *Schammonia* apud *Beonam.* de Originib. LL. Inde & ab Arabibus *Belsamin* & a Græcis βάλσαμον; ab iisdem item ac Latinis Opobalsamum vocatur. Tenenda tamen inter *Opobalsamum*, *Xylobalsamum*, *Carpobalsamumque* differentia. *Opobalsamum* (ab ὀπὸς id est lacryma, liquore) succus ille dicitur, qui e plaga vulneratæ balsami arbusculæ, tenui emanat gutta, parvaque colligitur in cornua, & novo deinde fictili ad modum olei crassioris conditur. *Xylobalsamum* lignum est arbusculæ fruticosæ, & divisus in tenui virgulta cortex. *Carpobalsamum* semen, atque fructum balsami significat: quo de disquirunt Medici; *sit ne in rerum natura amplius? an secus se res habeat? Valerius Cordus* sane lib. 1. annotatorum in *Dioscor.* c. 18. *Carpobalsamum*, ait, *vix credo ad nos amplius afferri, vastatis Syria, Judæa, & nunc etiam Ægypto, Turcarum barbarorumque rabie & incursionibus. Itaque* (verba ejus adhuc sunt) *nemo speret temere, sinceram se balsami lacrymam consecuturum*. Cardanus etiam 8. Subtilitatum de plantis, qui in dubium rem omnem vocat, scribit: *Arbusta omnia balsami periisse penitus affirmat Petrus Martyr Angerius, civis noster, legationis vice functus pro Regibus Hispaniarum, apud Sultanum Ægypti Dominum annis abhinc pene quinquaginta. Referunt alii adeo propagatum, ut passim in hortis Cairi habeatur. Sed cur Angerius Regibus suis, quibus opus inscribit, mentiatur, aut in re tanti momenti oscitaverit, non video. Illud satis constat omnium testimonio, etiam eorum, qui propagatum esse volunt, jam ab eo tempore neque fructum neque lignum, nedum succum illum celebratissimum, ad nos deferri: unde verum balsamum interiisse existimandum est, suppositam vero ejus loco plantam aliam incolarum avaritia aut ambitione*. Hæc equidem *Cardanus*, cui respondit tamen erudite *Scaliger* in subtilitatum opere, exerc. 157. " *Balsamum desiisse*, ais, " Item: ais, *parvo esse in pretio. Quorum utrumque vanum est. Nam &* " *apud Maximilianum Cæsarem multum,* " &

„ *& nonnihil apud patrem meum vidi-* „ *mus ex ipsis allatum locis purissimum.* „ *Nec parum apud Carolum Sabaudiæ Du-* „ *cem, felicissimo ad ingens vulnus cujus-* „ *dam Equitis in inguine successu. Et* „ *hæc cicatrix, quæ mihi sub oculo lævo* „ *est, vix maximi periculosissimique vul-* „ *neris ostendit vestigia, non alio quam* „ *balsami auxilio* &c. Ceterum de ipso frutice meretur legi *Plinius* H. N. 12. 25. Conf. *Salmasium* in Exercit. Plinian. ad h. l. & D. O. *Dapper.* in descript. de *Ægypto*, f. 85. & seqq.

Si vim ferri adhibeas, pavent venæ; fragmine lapidis aut testa aperiuntur) Ita & *Plinius*: inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis. Ferro lædi vitalia odit, & emoritur protinus. *Solinus* quoque: lignum caudicis attrectatum ferro, sine mora moritur. Atque *Joseph.* Antiquit. 14. 7. *inciduntur frutices acuto lapide, unde scaturit succus* &c. De causa si quæratur, antipathiam inter balsamum ferrumque intercedere quis non videt? nec enim acumen in sese, sed ferri vim magneticam admittere recusat balsamina arbor.

Palmæ; palmetis proceritas & decor) De Palmetis atque Balsamorum sylvis *Justinus* lib. 36. *Est vallis*, ait, *quæ continuis montibus velut muro quodam instar castrorum clauditur, spatium loci ducenta jugera nomine* JERICHO *dicitur. In ea sylva est, & ubertate, & amœnitate insignis. Siquidem palmeto & Opobalsamo distinguitur: & arbores Opobalsami formam similem piceis arboribus habent, nisi quod sunt humiles magis, & in vineti morem excoluntur.* conf. *Flor.* lib. 3. c. 5. qui nemora illa odorata, thurisque & balsami silvas nominavit. *Dapperus* inter plura alia de Palmis Afric. scribit: Der Palmenbaum schiesset zu weilen 14. oder 15. Fuß hoch auff; hat unten herumb weder Zacken noch Blätter, sondern stehet als ein Mast, und hat nur oben auff den Gipffel Zacken und Blätter. Er wird sehr alt; gibt Wein, Oel, und Wreck in einem Jahr, ꝛc.

Præcipuum montium Libanum erigit, mirum dictu tantos inter ardores opacum fidumque nivibus.) Brevem Libani montis descriptionem apud Plin. l. 5. c. 20. invenies, quem cum *Strabone* confer. Similem palmetis opacitatem atque balsametis tribuit *Justinus* scribens: *non minor loci ejus opacitatis quam ubertatis admiratio est, quippe cum toto orbe regionis ejus ardentissimus sol sit, ibi tepidi aeris naturalis quædam ac perpetua opacitas inest.* De Libano & Antilibano, quæ vidit ipse, diligenter adnotavit Generosus Dn. a *Neitschitz* lib. 7. Itin. c. 5. atque 6. ubi inter rariores Palæstinæ fructus numerat *Gossipium*, & sequentia (cum *Tacitus* omiserit, supplebimus ex eo) refert: Es hat mit der Baumwolle, wie sie daselbst wächset, und hernach zum gebrauch handthieret wird, eine solche Beschaffenheit: Sie wächset an kleinen subtilen Stengeln einer Ellen biß weilen hoch, bißweilen auch höher und niedriger. Solche Stengel haben kleine Blätterlein, und rnnde Knöpffe einem grossem Kirschkern gleich, in welchem die Baumwolle stecket. Und wenn sie recht reiff, bersten die Knöpfflein von sich selber auff, und blücket alßdenn die weisse Baumwoll herfür. Wunders und Nachrichts halben hab ich etzliche solche Knöpfflein abgebrochen und auffgemacht, da fand ich die Baumwolle noch in einer nassen und süssen wässerigten materi liegen, weil sie dißmal noch nicht reiff war, und kunte sie zermusen, wenn man sie riebe und druckte. Wenn sie aber gantz reiff ist, so haben sie sonderliche Instrumen a darzu, damit sie dieselbe gar behend auff den Schalen treiben, auffsamlen und in frembde Lande verführen ꝛc.

Idem amnem Jordanem alit funditque) Jordanis nomen Hebræum, origine ירדן *fluvium judicii significat. Et duobus fontibus* bicornem haud procul a se dissitis oriri, quorum unus *Jor*, alterque *Dan* vocetur, testis est *Hieronymus*. Quo cum pariter consentit *Aquilii Juvenci* glossa marginalis apud *Barth.* XI. advers. 23. Somnianti similis hic *Nicolaus Abramus*, Mussipontanus Societ. Jesu in *Pharo* Test. Vet. *Paris.* edit. f. 56. Jordanem PARADISI extitisse flumen, dictumque ita JARDEN, quasi ערין יער *fluvium Eden*, sive voluptatis. Contra quem actum de *Paradiso*, peculiari diatriba alibi, in descript. Fluminum ejusdem. Fontem ejus e *Paneade*, aut *Peneade* derivat *Plinius* Hist. Nat. 5. 15. eumdem in antro quodam visitari, non longe a civitate Dan, R. *Beniamin Tudelensis* in Itinerario scribit. Ad Antilibanum tamen oriri primo, certum est. Αὐτόπτης *Neizschiz* citato ante loco scribit: Unten an dem Fusse deß Antilibanon entspringet der Jordan, der mitten durchs Jüdische Land fleusst und dasselbe theilet: bey Capernaum fället er ins Gallilaische Meer, oder, wie es auch genennt wird, in die See Genezareth; fleusst durchhin, und endlich ins todte Meer. Cetera de hoc flumine notabilia, cursumque ejus & utilitatem concernentia in compendio qui nosse cupit, Historiam Orientalem *Jacobi a Vitriaco* (qui scriptor teste *Barthio* 5. Adv. 14. floruit ante annos amplius 400.) consulat; & conferat inprimis *Christian. Noldium* in Histor. *Idum.* de vit. & gestis *Herodum*, p. 289. ubi contra *Plinium*, *Solinum* atque ipsum *Stephanum* ex *Hegesippo* & *Josephi*

sephi bello Judaico revincit, non ex *Paneade*, sed ex *Phiale* nasci fluvium.

Lacus immenso ambitu, specie maris sapore corruptior, gravitate odoris accolis pesti est, neque vento impellitur, neque pisces aut suetas aquis volucres patitur.) Sic & *Justinus* l. 36. *In ea* inquit *regione lacus est, qui propter magnitudinem & aquæ immobilitatem* mortuum mare *dicitur. Nam neque ventis movetur, resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnat, neque navigationis patiens est; quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur, nec ullam materiam sustinet, nisi quæ alumine illinatur.* Conf. & *Plin.* Hist. Nat. lib. 5. c. 16. *Solin. Joseph.* bell. Jud. l. 5. c. 5. *Diodor.* l. 19. De hoc lacu Asphaltite *Fortunius Licetus* Patavinus Disp. 18. Hydrologiæ suæ p. 194. scribit: *quod de lacu Palæstinæ, ut fabulosum, refert Aristoteles, verum esse, ab omnibus proditum Scriptoribus posterioribus est. Plinius lib.* 5. *ait; Lacum Asphaltitem nihil præter bitumen, unde & nomen habet, gignere, nullum corpus animalium recipere; tauros camelosque fluitare. Straboni* lacus *Sirbonis*, & propter bitumen, quod e medio fundo cum ferventis aquæ bullis efflatur, ingredientem nec innatare sinit, nec mergi posse, sed attolli dicitur. *Galenus* etiam ejusdem lacus meminit. *Aqua*, inquiens, *in Palæstinæ lacu, quem alii quidem vocant Mare mortuum, alii bituminosum stagnum, gustantibus non salsa modo, sed etiam amara est.* Quapropter & aqua illa gravior marina, tanto quidem pondere, quanto fluviali marina. *Itaque ne si teipsum demittas in profundum, deferri possis;* adeo tollit elevatque aqua, non quia materia levis sit, sed propter gravitatem instar luti. Proinde si pedibus & manibus ligatis hominem in stagni illius aquam projeceris, deorsum haud feretur. *Quæ cum in Meteorologicis ut fabulosa proclamasset Aristoteles, habitus a Vicomercato indoctior est*, Conf. etiam *Gerh. Vossium* de Idololatr. l. 2. c. 68. & *Quistorpii* Nebo, tit. de aquis Terræ Sanctæ, ubi Maris mortui natura nominaque explicantur fusius.

Certo anni bitumen egerit: cujus legendi usum ut cæteras artes experientia docuit &c.) Hac de re sic *Plinius* Hist. N. 7. 15. *bituminum sequax alioquin & lenta natura in lacu Judææ, (qui vocatus Asphaltites) certo tempore anni supernatans, nequit sibi avelli, ad omnem contactum adhærens, præterquam filo, quod tale virus (menstruatæ scilicet) infecerit*. Idem de natura & qualitatibus bituminis plura lib. 35. c. 15. De modo autem capiendi bituminis Sodomitici beneficio muliebris menstrui diserte satis *Barthius* Advers. 9. 8. egit. Est videlicet bitumen Græcis ἄσφαλτον, Germanis Judenleim oder Erdpech: *pinguioris terræ adeps, minerale sequax, combustibile ac lentum. Ovidio* 9. Metamorphos.

Manare tenax gravida tellure bitumen appellatur. *Johanni Renodæo* de mater. med. l. 2. Sect. 1. c. 8. bitumen terræ pinguedo aquis supernatans audit: Solidius & colore inter purpureum splendidumque nigro est Judaicum, quod plurimum in Asphaltite gignitur. Liquidum in Sicilia reperitur juxta Ætnam copiose. Colligitur & in Germania ac Saxonia inferiori, ad ungendos axes, jumentorum scabiem, lucernarum naviumque usus varios, nostrisque Theer; a quibusdam aliter cognominatur. Conf. *Valer. Cord.* annot. in *Dioscorid.* l. 1. c. 100. & *Kircher.* maxime, Tom. 3. Oedip. Ægypt. & Mund. subt. l. 9. Sect. 3. c. 5.

Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos fulminum jactu arsisse; & manere vestigia) campi illi Sodomitici vicini magnis quondam habitati urbibus *Gomorrha, Sodoma, Adama, Zeboim, Bela*; quarum incolæ sceleribus infandis, sævitia scilicet & Venere plus quam belluina justitiam iramque Dei vindicis per flammas cœlitus immissas in se provocarunt. Gen. 19. Indeque vestigia cœlestium pœnarum lacus Asphaltites atque Mare mortuum, sterilitasque regionis Pentapolitanæ. Notabimus hic vallem *Siddim*, (ubi Mare salis valle salinarum sive Mare mortuum judicio Numinis irati factum postea dictumque est,) regionem Sodomæ ac Gomorrhæ fœcundissimam antehac extitisse, secundum disertissimam Scripturæ Sanctæ literam Gen. 13. 10. *levavit oculos suos Lothus, viditque omnem planitiem Jordanis, quod irrigua tota esset, & antequam disperderet Jehovah Sodom & Gomorrha, velut hortus Domini &c.* Conf. Gen. c. 24. 2. Ut adeo non satis capiam Clariss. *Bœcleri* mentem, cur in annotatis ad hunc locum, *Salmasii* autoritate fretus, reprehendat *Adricomium*, quod communem cum pluribus errorem erret, quasi Mare Salinarum fuerit Asphaltites. Plura hanc in rem Hispanus e Peruvia Scriptor *Alvarez Alphonsus Barba*, quem in Anglicanam nuper linguam transtulit *Eduardus* Comes de *Sandvvich* in the first Book, of the art of Metalls, cap. 9.

Terramque ipsam specie torridam vim frugiferam perdidisse &c. usque eo: atra & inania velut in cinerem vanescunt.) Sterilitatis causam ex nimio igne subterraneo, bitumine item atque sulphure deri-

rivant plurimi. *Julius Cæs. Scaliger* Comment. in lib. 2. *Theophrasti* de plantis c. 7. *quibus terris*, inquit, *subterranei calores, eæ omnes steriles, quippe a sulphure, nitro, alumine, bitumine, non est ignis ille aptus ad generationem*. Par fere ratio metallicorum montium, ubi propter halitus ignesque subterraneos nec pabulo, nec frugibus relictus locus. Sed præter naturalem causam agnoscenda etiam hic supernaturalis & suprema illa, Deus. Deus scilicet, qui Sodomitas vicinosque populos cœlesti igne propter flagitia delevit inaudita vindex, tractum omnem illum Pentapolitanum, ubi Mare mortuum nunc est, sterilitatis perpetuæ damnavit. Ac inde est, quod *botri Sodomitici amari atque venenati* ab ipsomet *Mose*, Deut. 32. 23. 33. nominentur. Auctor quoque libri Sapientiæ c. 10. 7. inter divinæ testimonia vindictæ hominum Sodomiticos fructus numerat. Martinus *Lutherus* Bäume die unreiffe Früchte tragen, reddidit. Accedit testimonium *Josephi* ex lib. 5. de bell. Jud. c. 5. & *Solin.* Polyhist. c. 38. *longo ab Hierosolymis recessu tristis sinus panditur, quem de cœlo tactum testatur humus nigra & in cinerem soluta. Duo ibi oppida; Sodomum nominatum, alterum Gomorrhum, apud quæ pomum gignitur, quod licet speciem maturitatis habeat, mandi tamen non potest. Nam fuliginem intus favillaceam ambitio tantum extimæ cutis cohibet, qua levi tactu pressa fumum exhalat, & in vagum pulverem fatiscit*. Conferatur etiam *Ursinus* c. 46. Arboreti Biblici, ubi ex *Tertuliano* plura hanc in rem facientia refert: quibus gemina *Quistorpius* adduxit ex *Brocardo*, *Munstero*, aliisque.

Belus omnis Judaico mari illabitur.) Beli amnis sed in Syria ad Phœnicen, *Plinius* quoque Hist. N. 5. 19. meminit: *Belus vitri fertiles harenas parvo littori miscens. Ipse e palude Cendevia a radicibus Carmeli profluit* &c. Josephus: *Stadiis* inquit lib. 2. de bell. Jud. *duobus a Ptolemaide Belum fluviolum distare, juxta quem sepulchrum Memnonis sit, & vitrea in rotunda valle arena*, quam ex circumdatis jugis venti convehant, inexhausta seculi vi, sed *ante omnia mirabili natura, mutandi alia in vitrum quoque quæ attigerit, metalla*. Conf. & *Strab.* lib. 16. Geogr. *Josephus* item lib. 36. Hist. N. c. 26. ubi de Belo amne & arenis vitri plura referuntur.

Circa cujus os collectæ arenæ admixto nitro in vitrum excoquuntur.) Vitra naturalia fuerunt hæc; quemadmodum & gemmæ pellucidæ, quanquam nobiliori sensu, appellantur. Artificialia a magistra manu quomodo non tantum e cineribus, arena, nitro, aliisque, sed ex Metallis fusis etiam conflentur ut enumaratu longum, sic & remotio ab instituto nostro foret. Vide post *Eichstadii* de Vitris dissertationem, *Athanas. Kirch.* l. 12. Mund. Subt. Sect. 5. part. 3. & omnium consummatissimum de Arte vitraria Scriptorem *Antonium Nerium*, cum not. D. *Merretti* Angli.

Illic immensæ opulentiæ templum) De opulentia templi Hierosolymitani jam supra memoratum aliquid, & ex *Josepho* addendum illud hic est, quod Antiqu. l. 14. c. 12. prostat: *Non est mirandum, tantas in templo nostro divitias extitisse; cujus Deum cum omnes ubique terrarum Judæi venerentur ac colant, tam ex Europa quam ex Asia, longo tempore huc eas contulerunt*. Plura ibi alia de *trabe aurea*, de *Eleazaro*, de *M. Crasso*, thesauris Templi (contra jusjurandum datum postea despoliati) inhiante retulit *Josephus*. Nec ad jactantiam conficta ea summa est, nec caret testibus. Sed cum alii multi, tum *Strabo Cappadox* testatur: misisse Mithridaten in Corum Insulam, qui pecuniam afferrent inde sibi, quam Cleopatra Regina ibi deposuerat, octingenta talenta &c.

Templum intimis clausum, ad fores tantum Judæo aditus: limine, præter sacerdotes, arcebantur.) Audiendus hac in re iterum *Josephus* ex lib. 2. contra Apionem: *Quatuor porticus in circuitu templum habuit, harumque singula propriam custodiam. In exteriorem ingredi licentia fuit omnibus, alienigenis etiam; mulieres tantum propter menstrua prohibebantur. In secundam vero porticum Judæi cuncti introibant, eorumque conjuges a pollutionibus immunes. In tertiam masculi Judæorum mundi saltem. In quartam Sacerdotes, stolis sacerdotalibus induti. In adytum vero soli Principes sacerdotum propria amicti stola*, &c. Plura, eademque exquisitiora retulit post *Villalpandum*, nuper *Guilielmus Beveregius*, in observat. ad Pandect. Canon. Apost. & Consilior.

Postquam Macedones præpotuere, Rex Antiochus demere superstitionem & mores Græcorum dare adnixus) Vide, quæ ad hunc facientia locum docte pariter ac vere disputavit *Hugo Grotius* lib. 1. de Jure Belli & Pacis c. 4. §. 7. Et Confer, post libros Maccabæorum *Josephum*, *Zonaram*, aliosque *Justinus*: a Persarum Rege Xerxe Judæos primum domitos, falso; vere autem cum ipsis Persis in ditionem Alexandri M. venisse, diuque in potestate Macedonici imperii sub Regno Syriæ fuisse, Hist. 36. lib. memoravit.

Parthorum bello prohibitus est : nam ea tempestate Arsaces desciverat .) Sub illa tempora , cum *Arsaces* vir sicut incertæ Originis , ita virtutis expertæ , latrociniis & rapto vivere assuetus Hircanorum Regnum occupavit , Orientis populi a Macedonibus defecere . Arsaces quæsito simul constitutoque Regno non minus memorabilis Parthis , quam Persis Cyrus ; Macedonibus Alexander , Romanis Romulus, matura senectute decesserat. Cujus memoriæ hunc honorem Parthi tribuerunt , ut omnes exinde Reges suos Arsacis nomine nuncuparent , sicut Romani Cæsares Augustos cognominarunt . *Justin.* Hist. lib. 41. sub fin.

Tum Judæi sibi ipsi Reges imposuere) Hasamonæorum illustris genere & sacerdotio familia Regnum obtinuit , ob merita & res præclare gestas pro patria , & religione , in Juda *Maccabæo* , *Matathiæ* filio (vid. cap. 3. Maccab. 2.) principatumque annis 126. retinuit per successores suos ex eadem domo . *Joseph.* Antiqu. 14. 8. Quo jure id ausus *Judas Maccabæus* fuerit , disputavit *Grotius* de Jure Belli & Pacis l. 1. c. 4. §. 7. Tantum est.



*HA.



* HADRIANI RELANDI ANTIQUITATES SACRÆ NUNC PRIMUM A BLASIO UGOLINO

Amplissimo Commentario philologico illustratæ.

ARGUMENTA CAPITUM PARTIS PRIMÆ *DE* LOCIS SACRIS.

Cap. I. *De Terra sancta.*
II. *De Urbe Hierosolyma.*
III. *De Tabernaculo ejusque situ.*
IV. *De Atrio tabernaculi.*
V. *De Sancto & sancto sanctorum.*
VI. *De Templo primo, ejusque atriis.*
VII. *De Æde sacra templi primi.*
VIII. *De Templo secundo ejusque spatiis exterioribus.*
IX. *De Spatiis templi II. interioribus, sive atrio magno, & quæ illo continentur.*
X. *De Synagogis.*

* Hadrianus Relandus Philologorum Omnium suæ ætatis facile Princeps, *Palæstina monumentis Veterum illustrata*, *Antiquitatibus sacris*, *notis in historiam Doctorum Mischinorum*, dissertationibus *de situ Paradisi Terrestris*, *de Mari Rubro*, *de Monte Garizim*, *de Ophir*, *de Diis Cabiris*, *de Veteri lingua Indica*, *de Samaritanis*, *de reliquiis Veteris linguæ Persicæ*, *de Persicis vocabulis Talmudis*, *de jure militari Mahammedanorum*, *de linguis Insularum quarumdam Orientalium*, *de linguis Americanis*, *de Gemmis Arabicis*, *de Galli cantu*, *de linea rubra Altaris*, *de Nummis Samaritanis*, *de Tryphone Judæo*, & innumeris aliis opusculis singulari doctrina, atque eruditione refertis, Academiam Ultrajectinam, ubi multos annos incredibili cum gloria docuit, mirum in modum illustravit.

PARTIS SECUNDÆ DE PERSONIS SACRIS.

PARTIS TERTIÆ DE REBUS SACRIS.

PARTIS QUARTÆ DE TEMPORIBUS SACRIS.



PARS PRIMA
DE
LOCIS SACRIS.

CAPUT PRIMUM.

De Terra Sancta.

§. I. Nomina.

I. REGIO duodecim tribubus Iſraeliticis a Moſe & Joſua adſignata appellatur terra Sancta : [1] cujus ſanctitatis decem gradus Judæi diſtinguunt in *Kelim*, *cap.* 1. *miſn.* 6. quorum reſpectu alia ejuſdem terræ loca aliis ſanctiora cenſentur. Dicitur etiam terra Dei, *Hoſ.* 9. 3. & *terra* הארץ κατ' ἐξοχὴν *Ruth.* 1. 1. *Menachoth.* VIII. 1. *Kidduſchin.* 1. 9. terra Iſraelitica, 1. *Sam.* 13 19. *Ezech.* 7. 2. Syria, Palæſtina, Judæa, Phœnice: quæ nomina, pro diverſa ratione temporum & auctorum qui iis utuntur, aliquando latius aliquando minus late patent. Sunt etiam qui hanc terram [2] Canaan nuncupent; quum tamen regio trans Jordanem ſita & inhabitata a tribubus Ruben, Gad, & dimidia Menaſſe pars terræ Canaan non fuerit, & a terra Canaan diſtinguatur *Joſ.* 22. 9. ſic ut illa pars tantum terræ Iſraeliticæ, quæ cis Jordanem fuit, terra Canaan appellanda ſit. Idem de nomine terræ promiſſæ *Heb.* 11. 9. dicendum eſt, quod neutiquam convenit toti illi regioni quam 12. tribus occuparunt, ſed ei tantum quæ cis Jordanem fuit. *Num.* 32. LI.

§. II. Termini.

II. Fines ejus fuerunt, ad auſtrum נחל מצרים *fluvius* [3] *Ægypti*, quo nomine non Nilus, ſed fluvius ad quem urbs Rhinocolura ſita fuit, intelligendus eſt, & ſolitudo צין *Tzin*, litus auſtrale lacus Aſphaltitis, & in parte transjordanica Arnon. *Joſ.* 15. 4. 47. & *Num.* 13. 22. ad aquilonem regio Sidoniorum, montana Antilibani, & Dan circa ortum Jordanis, a quo oppido uſque ad Berſchebam 160. miliarium Romanorum ſpatium eſſe ſcribit Hieronymus. Ad occidentem erat mare magnum, ad orientem Arabia. Fuere tamen in hac regione urbes plurimæ, quæ ſorte quidem tributæ Iſraelitis, nunquam tamen ab iis occupatæ fuerunt: & ſtante Templo utroque diverſis temporibus magna pars hujus terræ Gentibus ceſſit.

§. III. Partitiones veteres.

III. Olim quidem diviſa fuit hæc terra in regnum Sichonis & Ogi, quod trans Jordanem erat, & regiones gentium Cananearum, quæ ſeptem recenſentur *Act.* 13. 19. *Deut.* 7. 1. Chitæi, Girgaſæi, Emoræi, Cananæi, Perizzæi, Chivvæi & Jebuſæi. Decem vero *Gen.* 15. 19. Deinde in portiones duodecim tribuum diviſa eſt, ſic ut trans Jordanem eſſet regio Rubenis, Gad & dimidiæ Menaſſe, cis vero reliquarum novem & dimidiæ, quarum termini *Joſ.* 15. *&* *ſeqq.* deſcribuntur. Tum in regnum Judæ, quod duas tribus continebat Judam & Benjaminem, & Iſraelis quod complectebatur decem, 1. *Reg.* 11. 31. & 2. *Chron.* 15. 9. diſtingui cœpit : quæ diſtinctio abductis per Salmanaſſarem Iſraelitis ceſſavit. 2. *Chron.* 34. 6.

IV. Stan-

§. IV. Et novæ.

IV. Stante Templo secundo divisa est in 1. Judæam, quæ complectitur regionem tribuum Judæ, Beniaminis, Simeonis & Danis ex parte, 2. Samariam, sitam in terra Ephraim & dimidiæ Menassis, 3. Galilæam, in regione Iissascar, Zabulon, Aser & Nephtali: quæ in superiorem & inferiorem dividebatur, 4. Peræam trans Jordanem extensam a Machaerunte Pellam usque, 5. Gaulonitin, Batanæam, Trachonitin, quibus Auranitis & Ituræa solent adjungi. Denique in toparchias undecim fuit divisa, & in tetrarchias. Vide *Act.* 9. 31. *Math.* 4. 25. *Joseph. Antiq.* XIV. 23. *&* III. *de bell. Jud. c.* 4. *Plinium l.* V. 14.

§. V. Syria num pars terræ Israelitici.

V. Postquam Samaritani aliis sacris addicti in terra Israelitarum sedes fixerunt, [4] terra quidem eorum & domus & viæ & receptacula aquarum pro mundis habita fuerunt a Judæis. *Mickvaoth.* VIII. 1. & terra ipsa ob antiquam possessionem & promissionem Abrahamo factam pars terræ Canaan censebatur. Verum incolæ ipsi [5] invisi maxime erant Judæis, & neglecta regione Samaritanorum Judæi terram suam in tres partes diviserunt, יהודה ועבר הירדן והגליל [6] *Judæam*, *Peræam*, & *Galilæam*. *Scheviith.* IX. 2. *Bava Bathra.* III. 2. *Ketuvoth.* XIII. 10. Unaquæque harum regionum divisa iterum fuit in ההר שפלה ועמק *montanam*, *campestrem*, *&* *vallem*.

§. VI. Samaria an pars terræ Israeliticæ

VI. [7] Syria, סוריא, quo nomine Judæi, comprehendunt terras Mesopotamiæ oppositas ad occidentem Euphratis, Syriam Zoba, & Achlab a Davide terræ Israeliticæ adjectas, in quibusdam rebus paris esse conditionis censetur cum terra Israelis, in quibusdam diversæ. [8] Ideo totum terrarum orbem Judæi in tres partes dividunt, in 1. ארץ ישראל *terram Israelis*, id est, המחלקת בשבטים quæ distributa est inter 12. tribus 2. סוריא *Syriam*, & 3 חוצה לארץ *regiones extra terram Israelis:* sic ut Syria nec terra Israelis fuerit, a qua distinguitur *Schevuth*. VI. 2. *Bava Kama*. VII. 7. nec tamen regionibus extra eam sitis adscribenda, a quibus distinguitur *Schevuth.* VI. 6. *Orla.* II. 9. *Gem Hieros. Challa.* 58. 3.

§. VII. Syria juraqua in re similia terræ Israeliticæ.

VII. [9] In tribus autem Syria similis erat terræ Israeliticæ. 1. Qui agrum emerat in Syria habebatur ac si in suburbiis Hierosolymitanis emisset. 2. Agri ejus ad decimas & jura anni Sabbathici obligabantur. 3. Pura habebatur, si quis ex terra Israelitica eam intrare posset, non tacta terra Gentium. In reliquis similis erat regionibus extra terram: qualia tria a Judæis notantur. 1. Regio erat immunda si quis eam intrare non posset nisi per intermediam terram gentium. 2. Libellus divortii e Syria allatus habebatur ac si e regionibus extra terram allatus fuisset. 3. Qui servum vendiderat in Syria censebatur ac si regionibus extra terram vendidisset.

§. VIII. Regiones extra terram quæ.

VIII. Quicquid terrarum erat præter Israeliticam & Syriam, nuncupatur a Judæis חוצה לארץ [10]. *extra terram*, & ארץ העמים *terra Gentium*, *Oholoth.* II. 3. *Nazir.* VII. 3. *Gem. Hier. Schabbath.* 3. 3. *Gem. Hier. Jevamoth.* 8. 1. *Gem. Hier. Schevith.* 36. 2. unde gentes vicissim dictæ עמי הארצות *Ezr.* 9. 1. *Gem. Ketuvoth.* III. 2. qui diversi sunt omnino a עמי הארץ sive *illiteratis*, qui opponuntur τοῖς חברים sive *literatis*. *Gem. Hieros. Schabbath.* 3. 1. *Taboroth.* VIII. 5. *Gem. Pesachim.* 49. 1. [11] Erant tamen regiones quatuor, terræ Israelis vicinæ, Ægyptus, Babylonia, Ammon, & Moab quodam respectu distinctæ a reliquis regionibus extra terram, quippe quæ [12] primitias & decimas quoque frugum dabant.

§. IX. Privilegia terræ Israeliticæ in sacris.

IX. Non nisi ex terra Israelitica [13] manipulus Paschalis & panes Pentecostales adduci debuere, quum aliæ oblationes sive privatæ sive publicæ etiam ex regionibus extra hanc terram peti possent. *Menachoth.* VIII. 1. secundum verba Dei *Exod.* 12. 25. & *Levit.* 23. 17. [14] Primitiva etiam ex hac terra sola petebantur, uti videtur dici in *Kelim.* 1. 6. sed Syria hac parte censetur uti terra Israelitica, & ex ea quoque primitiva deferebantur Hierosolymas.

§. X. Fluvii & lacus terræ Israeliticæ.

X. Flumina & torrentes, quibus hæc terra rigabatur, maxime celebres sunt, Jordanes, cujus vera origo est in lacu Phiala, non circa Paneadem, Kischon, Cana, Kedron, Besor, Crith, Schorec, Jaboc & Arnon. Lacus erant, Asphaltites, qui non aliunde quam ab insigni salsedine aquarum maris salsi nomen obtinuit, longus stadia 580. latus 150. Lacus Tiberiadis sive mare Galilææ longum stadia 100. latum 40. & Lacus Samochonites, longus stadia 60. latus 40. *Joseph. de bell. Jud.* V. 5. & III. 18. *Joseph.* IV. *de bell.* 1.

§. XI. Montes, valles, & campi.

XI. Inter montes celebrantur Libanus, Antilibanus, Carmel, Chermon, Tabor, Gilboa, Garizim & Ebal, præter montes Hierosolymitanos Valles sunt, vallis Kedron, Josaphat, filiorum Hennom, Rephaim, Ajalon, Achor, Schittim, botri, regis. Inter campos eminuit μέγα μεδίον ad utramque ripam Jordanis, campus Megiddo sive Esdrael, qui & μέγα πεδίον Λεγεῶνος.

COM-

COMMENTARIUM IN CAP. PRIMUM.

PARTIS PRIMÆ.

[1] CUjus *sanctitatis*, &c. *Hierosol. Sekalim. fol.* 47. 4. Decem Sanctitatibus Sanctificata est terra Israelitica præ omnibus aliis terris. Et quænam ejus Sanctitas? ex ea adducunt manipulum, & primitias, & duos panes, & non ita e quavis alia terra *Maimonides de Templo VII.* 12. Israelitarum terra cunctis est sanctior, quid ita? Quia ex ea quotannis Deo offertur manipulus, duo panes, & baccarum primitiæ, reliquis autem e terris non item. In Israelitarum terra sanctitatis sunt genera decem, quorum aliud alio gradu superius est. Nam reliqua terra sanctiora sunt oppida mænibus septa, e quibus ejiciuntur homines affecti lepra; porro autem in his nullus humatur homo mortuus, nisi septem optimates jubeant, vel civitas omnis *& paucis interjectis*. Cæteris oppidis muro cinctis Sanctior est Hierosolyma. Etenim intra hujus Mænia Sacrificia minus sancta, & decimæ secundæ comeduntur &c. Sanctior Hierosolyma mons ædis est; intra hunc enim seminis fluxione laborantes, menstruales mulieres & puerperæ non ingrediuntur. Hominem mortuum tamen intra montem ædis inferri licet, & multo magis ingredi funestum. Monte ædis Sanctius est spatium intermurale; in hoc enim neque gentes neque funesti, nec qui cum Menstruali muliere consuescat, ingrediuntur. Et hoc intermurali spatio Sanctius est atrium mulierum, in id nec de die lavandus ingrediatur, id vero ex sapientum institutis interdictum est &c. Atrio mulierum sanctius est atrium Israelitarum, in quod non ingrediatur is, qui piaculi indiget; funestus autem si sit ingressus, pœna erat excidium. Et hoc Sanctius est atrium Sacerdotum; in id enim Israelitarum introeat nemo nisi tum, cum necessario requiruntur aut ad imponendas hostiæ manus, aut ad expiationem faciendam, aut ad mactandam victimam, aut ad agitandum sacrum. Hoc etiam sanctius est spatium id, quod inter vestibulum & Altare interest, in hoc enim nemo corporis vitio affectus introeat, nemo introeat capite aperto & laceratis vestimentis. Atque hoc spatio inter vestibulum & Altare intercedente Sanctius est Templum, in quod nisi lotis manibus & pedibus introeat nemo. Et isto denique sanctius & augustius est Sanctum Sanctorum; in quod nemo introeat præter summum Sacerdotem nec is quidem nisi una solennitate expiationum ad rem divinam faciendam. *Vide ejusdem Maimonidis & Bartenoræ commentarium ad cap.* 1. 6. 9. *Codicis Celim.*

[2] *Terram Canaan.* &c. *Gemara Maccoth fol.* 9. 2. Tradiderunt magistri nostri tres urbes (refugii) separasse Mosem trans Jordanem, & tres Josuam in terra Canaan iis oppositas *Codex Biccurim cap.* 1. 10. R. Jose Galilæus dicit, non adducunt e citeriori parte Jordanis, quia non est terra lacte & melle affluens *Sic Philo* lib. de *Profugis pag.* 463. Tres trans Jordanem, aliæ in terra Canaan *Vide Bemid. Rabba, sectione* 7. *Confer inter se Num. XXXIII.* 51. *Jos. XXII.* 9. 10. 11. 32. *Exod. XVI.* 35. *Jos. V.* 11. *Num. XIV.* 30. *XX.* 12. *Deut.* XIX. 8. &c.

[3] *Fluvius Ægypti &c. Vide clar. Milbii dissertationem de Nilo & Euphrate Terræ Sanctæ terminis. Vide Palæstinæ terminos apud Hieronymum in Epistola ad Dardanum, & ad Ezech.* cap. VII. & XX; *apud Theodoretum quæst.* 59. in *Exodum, apud clar. Leighfootum in Centuria Chorographica Mattheo præmissa, in primis vero in ejusdem cel. Relandi Palæstina lib.* 1.

[4] *Terra quidem eorum &c. Hierosol. Avodah Zarah fol.* 44. *col.* 4. Terra Samaritica reputata est munda, & collectiones aquarum ejus mundæ, atque habitationes mundæ, & semitæ mundæ.

[5] *Invisi maxime &c. Hierosol. ibid.* 46. 2. Rabbi dixit. Samaritanus est sicut Ethnicus. R. Simeon ben Gamaliel dicit; Cuthæus est sicut Israelita ad omnia. R. Lazar; Traditio est de Ethnicis, non de Cuthæis &c. At Traditio contradicit R. Lazaro &c. *Ab Judæis Idolatræ habiti sunt. Hierosol. ibid. fol.* 44. 4. R. Ismael ben R. Josi adiit Neapolim Accesserunt ad eum Cuthæi, quibus ille; video ego, inquit, quod vos non adoratis ad montem istum, sed ad Idola, quæ sub eo sunt; nam scriptum est; *& abscondit Jacob Idola sub loco, qui erat juxta Sichem. De Samaritanis vide ejusdem Relandi dissertationem; & Sichemitarum Epistolas ad Scaligerum, & Ludolfum.*

[6] *Judæā, Peraeam &c. Tosaphta* ad Codicem *Scheviith.* VII. 5. 6. 7. Tres sunt terræ ratione Pollucturæ, Judæa, Transjordanis, & Galilæa; harum singulæ tres continent; cur memorantur Mons, Campus, & Vallis? Quia non potest edi de Montanis pro Campestribus, nec de Campestribus pro Montanis, sed de Montanis solum, & quod est in Montis jugo, & de campestribus, & quod (in campo) continetur, & de Vallensibus, & omne quod in ipsa (valle) continetur & in Syria nihil locuti sunt de tribus terris, sed editur a primo donec deficiat ultimus (fructus) qui in ea est. R. Simeon dicit, nihil dixerunt de tribus terris, nisi in Judæa, & in omnibus reliquis terris perseverant edere, donec deficiant a Bethel, & ab Igdera Cesaræ. Quinam appellatur Mons Silo? Hic est Mons Regius; Vallis; sunt convalles Lud; ejus campestria sunt ab en-Ghedi usque ad Jericho; Quæ sunt campestria Galilææ? E.G. Genasaret & ejus similes. R. Simeon filius Eleasaris dicit, quinam est Mons regionis Transjordaninæ? nempe Charis, Chibor Ghedor, & eorum similes; Campestria Silo, Chesebon, & omnes civitates, quæ sunt in planitie, Dibon, & Bamot-Bahal, & Beth-Bahel Megnon; ejus Vallis; nempe Beth Nimra, Ramta, & similes. *Hierosol. Scheviith fol.* 38. 2. In Judæa sunt Montanum; Planities, & Convallis. Quodnam est Montanum Judææ? Est Mons Regalis. Planities, est ejus planities Austri. Convallis est ab Engedi ad Hierichuntem. Planities Lyddæ est sicut planities Austri; Montanumque ejus est sicut Montanum Regale. A Beth-horon ad Mare est regio una περίχωρος. Dicit R. Jochanan; est tamen ei Montanum & Planities & Convallis. A Beth-horone ad Emmaunta est Montanum, ab Emmaunta ad Lyddam Planities, a Lydda ad Mare convallis. *Maimonides Scheviith VII.* 9. Tres sunt terræ quæ ad ejusmodi remotionem obligantur, quarum prima est terra Judæa tota, Montana, Campestris, & Vallensis; secunda est terra tota ea quæ est trans Jordanem, Campestris Lud, & Montana planitiei Lud, & a Bet-horon usque ad mare. Altera denique terra est Galilæa tota superior & inferior, & contermina Tiberiadi. *Vide ejusdem Maimonidis & Bartenoræ comentarium ad Scheviith.* IX. 2.

[7] *Syria &c. Maimonides Terumoth cap.* 1. 3. Regiones illæ, quas extra terram Cananæam David occupavit, veluti Mesopotamia, Syria Zoba, Achlab &c. quamvis ipse Rex populi Israelitici fuerit, & consentiente Synedrio magno id fecerit, non tamen se habent omni ex parte uti terra Israelitica, nec etiam se habent uti regiones, extra terram, veluti Babylonia & Ægyptus; verum aliquid singulare habent præ reliquis terris, nec tamen ad sanctitatem terræ Israeliticæ pertingere queunt. Cujus rei hæc ratio est, quod David eas occupaverit eo tempore, quo nondum totam terram Israeliticam tenebat, utpote in qua restabant adhuc aliqui ex septem populis, quos Deus exstirpare jusserat. Quod si David universa terra Israelitica prius potitus fuisset, expulsis gentibus, & deinde alias regiones invasisset, hæ ejusdem juris fuissent, cum terra Israelis in omnibus. Hæ itaque terræ, quas David subegit, nomine Syriæ veniunt.

[8] *Ideo totum &c. Maimonides ibidem.* Cap. 1. 6. Deprehenditur universum orbem terrarum dividi ratione præceptorum, quæ a terra dependent, in tres partes, terram Israeliticam, Syriam, & regiones extra terram. Terra Israelitica iterum dispescitur in duas partes, in illam, quam occuparunt illi, qui ex captivitate Babylonica facti sunt reduces, & in illam, quam Israelitæ ex Ægypto profecti tenuerunt. Re-

Regiones porro extra terram dividuntur in duas partes, quarum unam efficiunt. Ægyptus, Babylonia, Ammonitis, & Moabitis, quandoquidem in iis quoque præcepta illa (scilicet de Decimis, & Primitiis, quæ in terra Israelitica & Syria observantur) ex auctoritate Scribarum Prophetarumque observari debuere. Verum reliquæ terræ non tenebantur ad decimas, aut primitias.

[9] *In tribus autem &c. Maimonides ad Misnam Oholoth XVIII.* 7. In tribus rebus par est Syria terræ Israeliticæ, & in tribus dispar. Primo pulvis ejus immundus censetur uti pulvis regionum extra terram Israeliticam. Secundo, qui libellum divortii affert e Syria, perinde est ac si ex aliis regionibus extra terram attulisset. Tertio, qui servum vendit in Syria, idem est ac si alibi extra terram Israeliticam vendidisset. Tria autem sunt, in quibus Syria similis est terræ Israeliticæ. Primo qui acquirit sibi aliquid (fundum verbi gratia) idem est ac si in suburbiis Hierosolymarum acquisivisset. Secundo tenetur ad solvendas Decimas proventuum, & jura anni Sabbathici. Tertio si quis in Syriam pervenire posset, non tacta terra Gentium, habetur pura Tosaphta Kelim pag. 1. Triplici nomine *Syria* terræ *Israelis* æquiparatur, & triplici nomine Æthnicorum regionibus. Polluit pulvis non aliter ac pulvis regionum Æthnicorum. Qui libellum repudii e *Syria* affert, est quasi afferens e regione Æthnica, pariter servum suum in *Syriam* vendens. Triplici nomine terræ Israelis æquiparatur; emens agrum in Syria, par ei est qui emerat in suburbiis Hierosolymarum, porro decimis & anno Sabbatico tenetur. Præterea munda est ei, qui in munditie sua eam petere potest.

[10] *Extra terram &c. Babyl. Chetubb. fol.* 110. 2. Tradunt Rabbini. Semper habitet quis in terra Israelitica, sit licet in civitate, cujus pars maxima sunt Æthnici. Et ne habitet extra terram, immo non in urbe, cujus pars maxima sunt Israelitæ, nam qui habitat in terra Israelitica Deum habet; atqui extra terram est ac si Deum non haberet &c. *Et Gittim* cap. 1. Sensus ergo R. Salomonis cum dicit, quod omnis regio extra terram est regio maris, huc redit, quod omnis regio, quæ similis est regioni isti, sic vocatur. *Hinc illustrantur loca Matth.* 11. 20. 1. *Cor. v.* 13. 1. *Tim. III.* 7.

[11] *Erant tamen &c. Gemara Jevamoth. fol.* 16. 1. Ammon & Moab decimant decimam pauperum anno septimo &c. *ubi Glossa* Ammon & Moab sunt Israelitæ, qui habitarunt in terra Ammon & Moab, quam cæpit Moses a Sichone, & sancta erat terra ista secundum sanctitatem terræ Israeliticæ. At vero sub templo secundo, sanctitas ejus cessavit; serunt ergo eam anno septimo, & statuunt inde, separare decimam primam & decimam pauperum anno septimo ob substentationem pauperum, quibus non est angulus agri relictus, nec spicilegium isto anno. Illuc ergo se recipiunt pauperes, atque illic habent angulum relictum, & spicilegium, & decimam pauperum: *Maimonides de Donis Pauperum VI.* 5. Et extra terram ubi fundi non est requies, separant in Ægypto, Ammon & Moab decimam primam & decimam pauperum; quia regiones ista regioni Israeliticæ sunt propinquæ, ut pauperes Israelitæ in anno septimo ex illis sustentarentur &c. sed in Babylonia eodem anno separant decimas secundas juxta ordinem plurium annorum. *Et cap.* 1. *de Decimis:* & Prophetæ constituerunt ut eadem lex quoque obtineret in terra Sinnear, quandoquidem illa vicina est Israeliticæ, potior quoque Israelitarum pars eo petebat. Et sapientes priores constituerunt, ut eadem quoque obtineret in Ægypto, Ammon, & Moab, quia illæ Israelem circumdant.

[12] *Primitias &c. Non erant adducendæ e terra extranea. Misn. Scheviit VI.* 6. Non licet primitias adducere e terra extranea. Inquit R. Simeon; diserte traditum accepi, a Syria licite afferri, non autem e terra extranea. *Bartenora in hunc locum.* Non adferunt Trumam a terra extranea, quia Sacerdotes solent se in areas conferre, ut accipiant Trumam, adeo Sapientes curam gerunt, ne Sacerdotes eo modo se conferrent extra terram Israelis ad Trumam suam expetendam; decisio non est juxta R. Simeonem.

[13] *Manipulus Paschalis &c. Babyl. Sanhedr. fol.* 11. 2. Nec erat manipulus hordei primitialis aliunde petendus, quam e Judæa, & quam proxime ab Hierosolymis. *Glossa in hunc locum.* Non adducunt manipulum nisi a loco aliquo, qui est prope Hierosolymam; at si locus aliquis prope Hierosolymam primitias istas non protulerit, tum petunt e longinquo. Erat, cum afferretur manipulus ex hortis Zeriphim, & duo panes e valle en Socar: *Gemara Menachoth fol.* 64. 2. Cum appropinquaret tempus manipuli, non norunt unde manipulum peterent, publico ergo præconio inquisiverunt; venit mutus quidam, & manum unam tetendit ad tectum, & manum alteram ad tuguriolum. Dixit iis mordecai; estne locus aliquis, qui dicitur Gaggoth Zeriphin, aut Zeriphin Gaggoth? Quæsiverunt, & compererunt. Cum duos panes afferre vellent, nec noscerent unde adipscerentur, publico præconio inquisiverunt. Venit mutus iste, & manum unam oculo suo admovit, & manum alteram foramini postium ostii, ubi indunt pessulum. Dixit iis Mordecai; est locus qui dicitur Ein Sychar, aut Sychar Ein? Quæsiverunt, & compererunt. Fabula Rabbinica. *Maimonides de Sacrificiis Jugibus & Addititiis Cap. VII.* 5. Munus hoc (*manipuli*) non ferebatur nisi de terra Israelitica, quia scriptum est: *Feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad Sacerdotem*; hoc e proximo ferre rectum erat, quod si non suppeteret e proximo, de quovis Israeliticæ regionis loco petebatur. *Idem ibidem cap. VIII.* 2. Jam duo illi panes non ferebantur nisi de terra Sancta, & de frugibus novis, videmus enim in lege scriptum; *Ex habitaculis vestris offeretis panes primitiarum duos &c.*

[14] *Primitiva &c. Misn. Callah. cap. IV.* 11. Arison adduxit primitiva sua ab Apamia, & receperunt ab ipso, quia dixerunt, quicunque emit in Syria habetur ac si emisset in pago Hierosolymis vicino: *Maimonides Bicurim cap.* 11. 1. Præceptum affirmativum est, ut Primitiva ad Sanctuarium adducant; illa autem pendere, Domo extructa & in terra Sancta tantum erant soliti, q. d. e. *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui. Exod. XXIII.* 19. Primitiva autem ex urbibus quoque Sihonis & Ogi, atque Syria ex sapientum decreto afferebant, quoniam qui emit quid in Syria idem est ac si Hierosolymis emisset. Licet vero illi ad Primitias Decimasque obbligarentur ex sapientum constitutione, tamen exinde Primitiva non adduxerunt. Si vero ea quisquam dedisset ex rebus extra terram Sanctam sitis, pro Primitivis nequaquam habita fuissent.



CA-

CAPUT SECUNDUM.

De urbe Hierosolyma.

§. I. Nomina.

INter urbes Terræ Sanctæ eminet urbs Hierosolyma, quæ [1] & ipsa Sancta dicitur κατ' ἐξοχὴν *Matth.* 27. 53. *Gem. Sota.* 47. 1. & urbs, *Gem. Ketuvoth.* 111. 1. Vetus ejus nomen Jebus fuit *Jud.* 19. 11. deinde [2] Jeruschalaim, & Jeruschelem (quod nomen a Salomone videtur accepisse, voce composita ex ירוש & שלם, quasi *possessionem* dicas *perennem pacis*) unde Græcum Ἱερουσαλήμ & Ἱεροσόλυμα natum est, & Salem *Psal.* 76. 3. Romanis dicta est Ælia Capitolina, a Mohammedanis بيت المقدس quod nomen hodiernum est.

§. II. Rationes pro situ urbis in Beniamin.

II. [3] Rationes, quæ tribui Benjamin hanc urbem vindicant, hæ sunt. Quod *Jos.* 18. 28. inter urbes Benjaminitarum recenseatur. 2. Quod *Jos.* 15. 8. terminus dividens terras Judæ & Benjamin ducatur per vallem filiorum Hennom ad latus Jebus ad austrum, quæ est Jerusalem; sic ut Jebus fuerit ad aquilonem hujus termini. 3. Quod *Judic.* 1. 21. Benjaminitæ dicantur non potuisse expellere Jebusæos. 4. Quod Moses *Deut.* 33. 11. præcinat fore ut Deus inter humeros Benjaminis requiescat.

§. III. Rationes pro situ in Juda.

III. Ab altera parte rationes quæ tribui Juda Hierosolymam vindicant hæ sunt. 1. *Jos.* 15. 63. leguntur filii Judæ non potuisse expellere Jebusæos. 2. *Ps.* 78. 68. dicitur elegisse tribum Juda, montem Sion quem dilexit. 3. Filii Juda narrantur *Jud.* 1. 8. cepisse Hierosolymas. 4. *Jer.* 37. 12. Jeremias legitur Hierosolymis egressus esse in terram Benjamin.

§. IV. Modus hæc conciliandi.

IV. Ad conciliandam utramque sententiam notandum est. (1.) Hierosolymam in confiniis utriusque tribus sitam fuisse. *Jos.* 15. 8. (2.) non semper urbes esse expugnatas ab iis quorum erant, uti Bethel urbs Benjamin expugnata fuit a domo Josephi *Jud.* 1. 22. (3.) urbes non semper fuisse illius tribus in cujus portione sitæ erant. Vide *Jos.* 17. 1. (4.) variam fuisse magnitudinem Hierosolymæ pro varia ratione temporum; sic ut olim, *Jud.* 1. 8. [4] in tribu Juda, postea autem in tribu Benjamin, sita esse potuerit, vel tota vel magna ex parte: adeo ut terminus Judam & Benjaminem dividens per atrium Templi transire potuerit, quod Judæi tradunt in *Gem. Zevachim fol.* 54. 1. & 118. 2. *Gem. Megilla fol.* 26. 1. *Zohar in Genesin fol.* 247. *fac.* 2.

§. V. Montis Sion situs ad austrum urbis.

V. [5] Sita fuit urbs in regione montana, insidens quum maxime esset extensa duobus præcipue montibus, Sioni & Acræ. [6] Sionem ad austrum, Acram ad aquilonem esse locandum apparet ex descriptione murorum quæ apud Josephum *lib.* VI. *de bell. Jud. c.* 6. extat, & mox dabitur §. x. Porro ex historia obsidionis ultimæ apud Josephum *l.* VI. *de bell. cap.* 8. ubi Romani ab Aquilone urbem invadentes & perrupto muro primo atque altero, redactaque in potestatem suam urbis regione aquilonari, necdum tamen Sione potiti fuisse dicuntur.

§. VI. Rationes pro situ Sionis ad Aquilonem examinatæ.

VI. Contra stare videntur (1.) verba *Ps.* 48. 3. ubi montem Sion ad latera aquilonis collocari volunt: sed legitur tantum in Hebræo *: mons Sion, latera aquilonis*, הר ציון ירכתי צפון ita ut hæ duæ partes præcipuæ urbis recenseantur; vel si concedamus reddendum esse *ad latera aquilonis*, nihil aliud eo notabitur quam Sionis latus aquilonare, quod Acræ erat obversum, pulcherrimum esse adspectu, quod Josephus *lib.* 6. *de bell. Jud. c.* 6. confirmat. (2.) Testimonium Josephi scribentis, turres Psephinam, Hippicum, &c. fuisse ab aquilone, & illis turribus adjunctam fuisse regiam, sitam in Sione. Sed hæc ita non leguntur in Josepho. Hippicum ille non locat ad aquilonem urbis sed Sionis. Regiam non jungit turri Psephinæ, sed Hippico. (3.) Verba *Ezech.* 40. 2. ubi Propheta super montem excelsum, Moriam, collocatus vidit urbem ad austrum. At hinc non efficitur Sionem fuisse ad aquilonem: imo Sion ipsa illa urbs fuit, urbs Davidis dicta, quam vidit ad austrum.

§. VII. Mons Moria.

VII. Pars Sionis dici potest mons [7] Moria, cui ponte & xysto junctum fuisse constat; & murus ipse Sionis usque ad porticum Templi occidentalem protendebatur. Quare etiam Templum in monte Sion structum fuisse, & Deus in Sion habitasse legitur. [8] Turris Antonia huic monti adjacebat ad angulum, qui occasum & aquilonem spectabat, illiusque arcis & totius montis Moriæ ambitus erat 6 stadiorum, quum urbs universa ambitum haberet stadiorum 33.

§. VIII. Mons Acra.

VIII. Acra nomen videtur accepisse ab ἄκρα sive arce Antiochi illic condita, quam Simon Chasmonæus solo æquavit. Insita illi monti erat urbs inferior, uti superior Sio-

ni, a qua valle intermedia disjungebatur. Eminebat olim præ Moria, ſed ad Templi decus & columen Chaſmonæi eum depreſſiorem reddiderunt.

§. IX. Mons Bezetha.

IX. [9] Collis Bezetha, ſitus ad aquilonem Templi e regione turris Antoniæ (quæ ad aquilonem Templi erat) ſero urbi fuit adjectus & munitus. Cenſetur denique inter colles urbis Hieroſolymitanæ Ophel, *Neh.* 3. 27. ad auſtrum Templi, & orientem Sionis, quamvis Joſephus hunc locum χῶρον, non λόφον, aut ὄρος nuncupet, & ipſe 4. modo λόφυς ſive colles urbis memoret, Sionem, Acram, Moriam & Bezetham.

§. X. Muri tres.

X. [10] Cingebatur hæc urbs muro triplici. Primus iſque antiquiſſimus montem Sionem complexus, a turri Hippico (ad occidentem urbis) protendebatur ad xyſtum & porro, donec deſineret ad porticum Templi occidentalem: ab altera parte ad occidentem Hippici in auſtrum flexus orientem petebat circa fontem Siloam, & conjungebatur porticui Templi orientali. Murus alter Acram cingebat ad aquilonem, & a porta γενναθ, uſque ad turrim Antoniam protendebatur. Tertius ab Hippico initium ſumens verſus turrim Pſephinam in latere aquilonari ad occaſum, & inde regionem ad aquilonem Templi comprehendens circa vallem Kedron (quæ montem olivarum ab urbe ſejungebat ad ortum) muro primo conjungebatur.

§. XI. Portæ.

XI. Portæ urbis hæ recenſentur a Nehemia, *cap.* 3. ubi ambitum urbis deſcribit.

1. Gregis.	7. Domus Eljaſib.
2. Piſcium.	8. Aquarum.
3. Vetus.	9. Equorum.
4. Vallis,	10. Orientalis.
5. Sterquilinii.	11. Judicii.
6. Fontis.	

At plurium tum in Sacro codice, tum in ſcriptis profanis fit mentio, quæ tamen an, ab ante recenſitis diſtinctæ fuerint, non adeo certum eſt, quum binomines eſſe potuerint, & eidem portæ סור 2. *Reg.* 11. 6. nomina ſeptem in ſacris literis tribui tradatur in *Gem. Hieroſ. Eruvin. fol.* 22. *col.* 3. uti nec, an omnes portæ exteriores urbis fuerint; nec quis ſitus his attribui debeat aut uſus, quoniam apud Judæos uſus portarum non modo erat ad introitum & exitum ſed & defenſionem urbium, ac publicos conventus Seniorum, 2. *Chron.* 26. 9. *Ruth.* 4. 2. *Deut.* 21. 19.

§. XII. Loca extramuralia.

XII. Extra has loca quædam celebria urbi proxima fuere, [11] uti Mons olivarum ad ortum, in tria culmina ſurgens, [12] combuſtione vaccæ rufæ & Soſpitatoris noſtri adſcenſu in cœlum nobilitatus, uti & loca vicina, inter quæ eſt [13] Bethphage, vicus in latere orientali montis oliviferi, & plane diverſus a בית פגי Talmudicis memorato, qui locus tantum non ipſis mœnibus urbis includitur, ſic ut extra mœnia Hieroſolymæ idem ſit ac *extra murum Bethphage*, חוץ לחומת בית פאגי *Gem. Menachot.* 78. 2. *Gem. Peſachim* 63. 2. [14] Bethania, qui locus idem eſt forſitan ac חנות בני חנון *Gem. Hieroſ. Pea.* 16. 3. vel חנוות בית היני *Gem. Bava metzia.* 88. 1. [15] Gethſemane: [16] collis Golgotha ad occaſum urbi, ad aquilonem monti Sion, teſte Hieronymo, [17] vallis Kedron, & torrens ejuſdem nominis, [18] vallis filiorum Hinnom ad auſtrum urbis *Joſ.* 15. 8. & [19] fons Siloe ad radicem Sionis verſus occaſum.

§. XIII. Privilegia urbis.

XIII. In *Gem. Bova kama.* 82. 2. [20] Hieroſolymæ privilegia præ aliis urbibus terræ Sanctæ hæc recenſentur. Non pernoctare illic cadaver, (confer *librum Syphra fol.* 290. 1.) nec oſſa mortui ei inferri: non locari ædes: non concedi illic habitationem proſelyto inquilino: non eſſe illic monumenta ſepulcralia, exceptis iis gentis Davidicæ & Chuldæ: [21] non eſſe in ea hortos: non ſeri nec arari, nec plantari arbores (quid? quod arbores frugiferas ad 25. cubitos ab urbe removendas, infrugiferas ad 50. legatur in *Bava bathra.* 11. 7.) nulla eſſe illic ſterquilinia, Meniana ædium, fornaces calcarias, [22] non ali gallos gallinaceos, [23] domos ibi non vendi ſecundum legem mancipii *Lev.* 25. 30. ſed ſemper redimi poſſe, [24] domos lepra non infici, urbem exemtam eſſe ex earum numero, quæ impulſu aliorum ad cultum falſi Numinis ſeduci poſſent & lata ſententia exſcindi, [25] vitulam decollandam ab ea non offerri, [26] nec eam tribui alicui ſpeciatim eſſe attributam.

§. XIV. Templum

XIV. At præcipuum urbi Hieroſolymitanæ decus conciliabat Templum in colle [27] Moria exſtructum, de quo accuratius agendum eſt, ubi prius Tabernaculum, in cujus locum Templum ſucceſſit, cum vaſis ſacris luſtraverimus, ut convenientia & diſtinctio quæ inter utrumque intercedit clarius intelligatur.

COM-

COMMENTARIUM IN CAPUT SECUNDUM.

[1] SAncta *dicitur &c. Jes. XLVIII. 2. civitate enim Sancta vocati sunt. Et 2. Esdræ XI. 18. Omnes Levitæ in civitate Sancta ducenti octoginta quatuor. Etiam Civitas Dei appellatur Psalm. XLVII. 1. Magnus Dominus & laudabilis nimis, in civitate Dei nostri in monte Sancto ejus.*

[2] *Jeruschelem &c. Beresch. Rabb. sect.* 9. Nomen istius loci est Jeovah Jireh. Abrahamus vocavit locum jireh, Semus vocavit Salem; Dicit Deus; si ego eum vocavero jireh, displicebit Semo Justo, si vocavero Salem, displicebit Abrahamo justo; Ego ergo nomen ei imponam, quod ab utroque est impositum, ירושלם שלם יראה *Ridicula interpretatio. Vide Aruch* in ירושלם. *Glossa in Babyl. Taanith fol.* 16. 1. Nos ergo non interponimus Jod inter literas Lamed & Mem in voce Jerusalem, ut retineatur vox שלם

[3] *Rationes &c. vide ejusdem Relandi Palæstinam lib.* III.

[4] *In Tribu Juda &c. Babyl. Megillah fol.* 26. 1. Quidnam fuit in portione Judæ? Mons Templi, Pastophoria, atria, & quidnam in portione Beniaminis? Pronaon, & Templum, & Sanctum Sanctorum. Prodiitque linea a portione Judæ, & progressa est in portionem Beniaminis, atque in ea conditum est altare *Glossa*: Tota latitudo atrii extimi, quoad partem orientalem, totum atrium mulierum, totum atrium Israelis, undecim cubiti atrii Sacerdotum (hæc intra portionem Judæ) Inde altare, & exinde ad occidentem est intra portionem Beniaminis. *Bartenora ad cap.* III. *Middot & absumebatur ad austrum uno cubito, partiterque ad orientem*, totum altare erat in parte terræ Beniaminis, excepto cubito per superficiem meridiei in longitudine, & cubito per superficiem orientis in longitudine, quem decerpebat e parte Judæ, sed cubitus orientalis se non extendebat per totam superficiem orientis; nam postquam cubitus pervenisset ad cornu orientale septentrionale, desinebat intra cubitum prope cornu. Sic etiam cubitus quem altare decerpebat e meridionali plaga, non se extendebat per totam meridionalem plagam; nam postquam ad cornu meridionale occidentale pervenisset, desinebat cubitus prope cornu; hinc fiebat ut tria cornua altaris essent in parte Beniaminis; sed cornu meridionale orientale duntaxat erat in parte Judæ, & quia Jacobus benedixit Beniamini, dicendo *Gen. XLIX. 27. Mane comedet prædam, & vespere dividet spolia*. Targum ista verba interpretatur; in *hæreditate ipsius ædificabitur Sanctuarium*; quicquid ergo sacrificiis consecratum est, id in parte Beniaminis duntaxat erit, idcirco in cornu meridionali orientali non struxerunt fundamentum, quia non erat in parte Beniaminis, propterea sanguines non spargebantur infra filum in isto cornu sive angulo. *Hinc altare lupus appellatum. Bartenora ad cap. V. Succa* 8. Cæterum Capsa custodiæ Bilgæ occlusa erat; nam sapientes nostri ipsi hanc pœnam inflixerunt, eo quod mulier quædam e familia Bilgæ, quæ vocabatur Mirjam filia Bilgæ, quæ religioni suæ valedixit, & matrimonio juncta principi cuidam Græco, & Græcis templum intrantibus percussit altare Sandalio suo, & dixit; o *lupe lupe, quamdiu tu consumis facultates Israelitarum & non servas eos in hora angustiæ? vide Maimonidem de Templo cap.* 11. 10.

[5] *Sita fuit urbs &c. Josephus de bello lib. V. cap.* 13. Urbs ipsa condita erat, adversis frontibus se ipsam respiciens, super duos colles, intercurrente valle, divisos; in quam occurrentia ædificia desinunt. Ex his collibus iste, qui urbem superiorem continuit, altior longe erat, & longitudine porrectior, & quia munitus valde erat, vocabatur a Davide Rege Castellum, a nobis autem vocatur oppidum superius. Huic vero ex adverso tertius collis erat (Moriah) Acra depressior, & lata valle inde semotus; at cum regnarent Asmonæi, vallem aggere replerunt, volentes ut templum urbem contingeret, detraxeruntque e summitate Acræ, ut templum ei superemineret: *De Hierosolyma septicolli ridicula sunt quæ legimus Taneh. fol.* 52. 3. Demonstravit cœtus Jonæ (inquit) Templum Domini, sicut dicitur; *ad radices Montium descendi*; unde discimus Hierosolymam super septem montes sitam esse.

[6] *Sionem ad austrum &c.* Nos Sionem (*inquit cl. Leightfootus in Centuria Geographica Mattheo præmissa cap. XXII.*) ab Aquilone statuimus, his nixi rationibus. *Psalm. XLVII. 3. Gaudium totius terræ est Mons Sion a latere Boreali*. Ubi *Aben Ezra*. *Mons Sion est a latere Hierosolymæ septentrionali; & Lyranus. Mons Sion est in Aquilonari parte Hierusalem. LXX.* Ὄρη Σιὼν τὰ πλευρὰ τοῦ βοῤῥᾶ. *Apollin.* Οὐρεὰ τοι Σιῶνος ἀπὸ πλεύρης βορεάο. Cum Propheta *Ezechiel* novam Hierosolymam in visione prospicit, dicit se stetisse in monte alto valde, *juxta quem erat quasi ædificium ab austro Ezech. XL.* 2. In quem locum sic *Kimchius*, *locavit me super montem excelsum valde. Iste mons erat mons Templi; nam templum erat condendum in monte, sicut ante, & civitas Hierusalem propinqua ei est ab Austro, & Liranus* iterum, post recitatam nonnullorum istius commatis explicationem, & rejectam. *Et ideo* (inquit) *Hebræi dicunt, & melius, ut videtur, quod Propheta duo vidit, scilicet civitatem & templum; & quod templum erat in parte aquilonari, civitas autem in parte australi*. En tibi, lector, *Sionem* a parte aquilonari apud *Psalten*, & civitatem a parte australi apud *Prophetam*.

[7] *Mons Moria &c. Josephus lib.* 11. *cap.* 28. *de bello*. Γέφυρα τῷ Ξυστῷ τὸ Ἱερὸν συνῆπτεν. *Ibidem* super domum Asmonæorum, quæ erat super Xystum in ulteriore parte urbis superioris. *Et Antiquit. lib. XIV. cap.* 8. Pontemque inde (a Templo) in urbem ducentem, diruperunt.

[8] *Turris Antonia. &c.* Ab *Hyrcano Asmonæo summo Pontifice ædificata* (*ut scribit Josephus Antiquit. lib. XVIII. cap. 6.*) *sibi habitanda, & asservandis vestibus Pontificalibus destinata*, Βάρις *autem appellata, deinde ab Herode instaurata Antonia nominata est. Erat transitus ab hac Turri in septentrionalia & occidentalia claustra Montis Domus, per quem Romani præsidiarii in Templum diebus festis descendebant, ut populi seditiones prohiberent. Iccirco præfectus huic turri vocatur Præfectus Templi Luc. XXII. 52. Actor. IV.* 1.

[9] *Collis Bezetha &c. Josephus de bello lib. V. cap.* 13. Erat & quartus collis qui vocatus est Bezetha situs ex adverso Antoniæ, atque inde divisus profunda fossa. Bezetha autem si græca interpretatione reddatur, dici possit Nova Civitas.

[10] *Cingebatur &c. Vide Josephum lib. VI. cap. 6. de bello*.

[11] *Mons Olivarum &c. Quinque stadia aberat mons olivifer ab Hierosolymis. Josephus Antiquitat. lib. XX. cap.* 6. Plebi persuadens, ut secum montem olivarum ascenderet, qui e regione urbis situs est, & inde abest quinque stadia *Actor. I. 12. dicitur iter Sabbathi abfuisse ab Hierosolymis*.

[12] *Combustione Vaccæ &c. Misn. Para* cap. III. 6. Clivum vero faciebant a Monte Templi usque ad Montem Mischa (seu unctionis, aut Olivarum) & fornicem e regione fornicis, & fornicem e regione Stylobate ob Sepulchrum abyssi, in quo ibat Sacerdos combusturus vaccam rufam, & vacca atque adjutores illius egrediebantur ad Montem Mischa. *Maimonides Parra cap.* III. Non comburunt vaccam nisi extra Templi Montem, uti dicitur in Scriptura *Num.* XIX. 3. *Et educat illam extra castra*. Et comburebant eam in Monte Oliveti; erigebant nempe a Monte Templi ad Montem Oliveti clivum quemdam, super quo extructi erant fornices, itaut fornix unus semper duobus inniteretur fornicibus, itaut essent fornicis pedes duo super recto duorum fornicum, qui infra illum, ut esset super quovis concavitas propter Sepulchrum abyssi. Etiam infra locum combustionis & lavacri, qui erat in Monte Oliveti talis erat concavitas propter Sepulchrum abyssi vacca quoque & combusturus, omnesque ejus coadjutores in combustione e Templi Monte ad Montem Olivarum super hoc Clivo exibant. *Inter arbores hujus Montis erant duæ cedri celebres. Hierosol. Taanith. fol.* 69. 1. Duæ cedri erant in Monte Oliveti, sub una

una quarum erant quatuor tabernæ, ubi vendebantur omnia ad purificationes neceſſaria ; ex altera produxerunt unoquoque menſe quadraginta ſex columbarum, unde ſuppetebat fœminis omnibus purificandis: *In vertice hujus Montis flammæ agitari ſolitæ ſunt in ſignum ſtatæ Neomeniæ . Roſch haſhanah cap. II.* 2. 3. Olim flammas elevaverunt ad novilunium indicandum, at cum Cuthæi malitioſe idem intempeſtivo, tempore facerent, decretum eſt, ut nuncii ad illud ſignificandum egrederentur . Flammas autem ſic extulerunt: accipiebant bacillos longos e cedro, & cannas & ligna pinguia, & ſtupam lini, & hæc filo colligabant , deinde unus in faſtigium Montis Oliveti aſcendebat, ignem admovebat, atque flammam hinc illinc ſurſum deorſumque agitabat , uſquedum videret alium idem in proximi Montis cacumine facientem, ſicque fiebat in Monte tertio . Unde autem flammas elevarunt? a Monte ſcilicet Oliveti uſque ad Sartebam, tunc a Sarteba uſque Gerophinam , a Georophina vero uſque ad Gauram, a Gaura uſque bet Baltin, a bet Baltin non recedebant, ſed hinc illinc ſurſum atque deorſum agitabat, uſque dum videret ante ſe totam captivitatem inſtar tædarum : Judæi in hoc Monte Meſſiam plurimum verſaturum credunt. *Midraſh. Till.*: R. Janna dixit per tres annos & dimidium petit divina Majeſtas in Monte Oliveti, & prædicavit dicens ; Quærite Dominum dum ille eſt inveniendus , invocate eum dum prope eſt:

[13] *Beth-Phage &c. fuit locus extimus in Hieroſolyma . Babyl. Sanhedr. fol.* 14. 2. Num ſi invenerit Sinhedrium confidens in Beth-Phage , atque in ſententiam illic ab iis prolatam rebellaverit, adjudicanda ſit iſta pervicacia pro rebellione , *ſecundum legem morte plectenda ; & reſpondetur* , Textus dicit. *exſurges & aſcendes ad locum &c.* Unde docetur , quod ipſe locus (camera Gazith ſola) vim addat ſententiæ : *Gloſſa:* Beth-phage fuit locus intra muros urbis , & reputata eſt ſicut ipſa Hieroſolyma quoad omnia : *Babyl. Peſachim. fol.* 63. 2. Qui Sacrificium gratiarum actionis mactant intra murum , & panis ejus eſt extra murum , panis non ſanctus eſt. Quid eſt extra murum? R. Jochanan dicit, extra murum Beth-phage ; aſt extra murum atrii, ſanctus eſt *Gloſſa* Beth-Phage eſt locus extimus in Hieroſolymis , & quicunque eſt extra mænia Bethphage, eſt extra Hieroſolymas , ubi non eſt locus ad comedenda ſacra: *Ibidem fol.* 91. 1. Si ſit intra mænia Beth-phage , mactent pro eo ſingulatim . Quare ? quia poſſibile eſt , ut ad eum perveniat , atque is comedat *Gloſſa:* Beth-phage eſt locus extimus in Hieroſolyma, atque illuc Paſcha afferunt ad incarceratum , ut comedat , quoniam ille ibi eſt , intra Hieroſolymam: *Babyl. Bava Mezia fol.* 90. 1. Triturat intra muros Beth-phage *Gloſſa* Beth-phage eſt circuitus extimus Hieroſolymæ *Aruch* Murus Bethphage eſt murus Hieroſolymæ.

[14] *Bethania &c. Videtur eſſe eadem ac* בית היני *apud Gemaricos ; de qua Babyl. Peſachim fol.* 53. 1. Olivas edunt , donec deficiat ultima in Tekoa. R. Eleazar dicit, donec deficiat ultima in Guſh Chalab. Ficus aridas comedunt , donec deficiant groſſi in Beth-hene. R. Jehuda dicit. Groſſi Beth-hene non memorantur niſi quoad decimas , ſicut eſt traditio . Ficus Beth-hene, & dactyli Tubui tenentur ad decimationem: *Vide Erubin fol.* 28. 2. *certum eſt in aliquo tractu Montis Oliveti fuiſſe . Vide Relandi Palæſtinam* 426. 509. 629. *Et Othonis lexic.* 84.

[15] *Geth-ſemani &c. Vide Relandi Palæſtinam* 857.

[16] *Golgotha &c. collocatur ab Euſebio & Hieronymo* in *Onomaſtico ad Septentrionem Montis Sion. Hoc loco ſepultum eſſe Adamum contendunt Ambroſius in Luc.* 23. *Hieronymus* in *epheſ.* V. 5. 14. *Et in Epiſtola ad Marcellam.*

[17] *Vallis Kedron &c. Vide Joſephum de bello lib.* VI. cap. 3. & *Antiquitat.* lib. IX. 7. *Subterraneo quodam canali fluxerunt ſanguines Sacrificiorum & ſordes atrii in vallem Kedron. Babyl. Joma fol.* 58. 2. Sanguis fuſus ad pedem Altaris confluxit , atque ſe evacuavit in vallem Kidronis , venditusque eſt hortulanis, quo hortos ſuos ſtercorarent.

[18] *Vallis filiorum Hinnom &c. Magna pars vallis Kedron vocata eſt vallis Hinnom. In ea erat Tophet, ubi liberi Molecho immolabantur : Ibi ſemper ignis ardebat ; Hinc apud Hebreos infernus Gehenna ab Gi-Hinnom dictus eſt.*

[19] *Et fons Siloe &c. Antiquum fontis Siloami nomen erat Gihon* 1. *Reg.* 1. 33. Deducite Salomonem ad Gihon. *Targum.* Ad Siloam. *Kimchius in loci* . Gihon eſt Siloam , & vocatur duplici nomine. *Situs erat poſt murum urbis occidentalem . Joſephus* de excid. lib. V. cap. 13. Murus porro verſus Auſtrum flectens ſe ſupra fontem Siloam , inde rurſus inclinat, verſus Orientem . *Duæ piſcinæ ex hoc fonte diverſis rivis efformatæ ſunt* 2. *Paralip.* XXXII. 30. Erat aqueductus a Siloamo , qui vocabatur *ſuperior* , qui fluxit in ſtagnum, *quod vocatum ſtagnum* ſuperius Eſai. XXXVI. 2. *Per alterum rivum deductæ ſunt aquæ Siloami in alteram piſcinam , quæ vocatur piſcina inferior Eſai.* XXII. 9. Et *Piſcina Regis Nehem.* 11. 14. *juxta murum occidentalem Sionis. In Feſto Scenopegiæ hauriebantur aquæ libandæ e fonte Siloam. Succa* cap. IV. 7. Libatio aquæ quonam modo fuit? Phiala aurea fuit Logos tres continens , quam implevit aliquis e Siloamo &c. *Ex Siloamo etiam hauſerunt aquas cum cineribus vaccæ rufæ commiſcendas , quibus aſpergerentur immundi Parra* cap. 11. 2.

[20] *Hieroſolymæ privilegia &c. Maimonides de Templo* cap. VII. 14. Præterea autem hæc de urbe Hieroſolyma edicta ſunt . In ea pernoctare hominem mortuum, neve per illam hominis oſſa transferri ſinunto; Domum in ea ne locanto, nec proſelyto inquilino locum præbento , Sepulchrum ne ſervanto , præter illa gentis Davidicæ, & Olæ prophetiſſæ ſepulchra, quæ in ea fuerant ab primorum uſque prophetarum temporibus; horti nulli, nulla pomaria inſeruntur ; illam neque ſeminanto , nec aranto, ne forte fœteat , nullam in ea arborem ſervanto præter roſetum; id enim a primorum memoria prophetarum in ea fuit, ſterquilinium in ea diu ne tenento propter immundas , quæ fere gignuntur ex eo , ſerpentes animantes ; trabes aut podia publicum in locum ne prominento, ne videlicet inquinamenti fiat tentorium ; nullæ propter fumum in ea fornaces fiunto; gallinas in ea propter ſacra ne nutriunto ; ſimiliter Sacerdotes , ut ſe puros conſervent, in omni Iſraelitica terra Gallinas ne nutriunto ; Domus ne cujuſquam propriæ funto; lepra ne contaminantor , eam ut urbem ſeductam nunquam habento , propter incertum homicidium decollandæ vitulæ ne adſtringitor , quia tribubus diſtributa non fuit.

[21] *Non eſſe in ea hortos &c. Avoth R. Nathan fol.* 9. Non plantant in ea arbores , hortis roſarum exceptis , qui illic fuerunt a diebus uſque Prophetarum priorum.

[22] *Non ali gallos &c. Gloſſa* ad *Bava Kamma cap. VII.* 7. Etiam Iſraelitis prohibitum eſt gallos alere Hieroſolymis propter ſacra . Nam illic comederunt carnem Sacrificiorum Pacificorum atque Euchariſticorum; jam vero mos eſt gallis gallinaceis vertere ſtercoraria , atque inde forſan educere poſſent oſſa reptilium , unde pollui poſſent ſacra iſta comedenda : *Vide Relandi diis . De Galli canta Hieroſolymis audito .*

[23] *Domos ibi non vendi, &c. Gemara Bava Kamma cap. VII.* 7. Decem res dicuntur de Jeruſalem ; Domus in ipſa non venditur lege mancipii.

[24] *Domos lepra &c. Miſn. Negaim cap. XII.* 4. Jeroſolyma & loca extra terram non polluuntur lepra .

[25] *Vitulam decollandam &c. Miſn. Sota cap. IX.* 2. Urbs Hieroſolymitana vitulam haud decollabat : *Gemara in hunc locum:* Jubet ſcriptura decollare vitulam, cum quis cæſus reperitur in terra, quam Deus hæreditario jure poſſidendam concedit. At, vera eſt opinio , Hieroſolymas inter Tribus non fuiſſe diviſas ſed manſiſſe communem: *Narratur hiſtoria, ſeu potius fabula in en Iſrael fol.* 102. *col.* 3. Traditione magiſtrorum fertur, Sacerdotes quondam duos æquo curſu contendiſſe ad acclivitatem (*Altaris*) cumque alter alterum quatuor ulnas antevertiſſet , ibi ſocius arrepto cultro, in cor iſtius eum defixit. R. Zadock in gradibus porticus Templi conſtitutus clamare cæpit. O Iſraelitæ fratres attendite ; Sic (Deus) nobis præcepit. *Quando inventum fuerit in terra &c. egredientur majores natu ; & Judices tui &c.* Nobis vero anne urbis , an vero Templi nomine vitula decollanda eſt? Quæ verba omnium fletus & clamor exceperunt. Intra advenit pater occiſi &c. *Verum enimvero diſquirit Gemara:* R. Zadock in gradibus porticus Templi conſtitutus &c. Quid enim? Anne Civi-

tas

tas Hierosolymitana vitulam decollandam offert? Atqui didicimus decem privilegia habuisse illam urbem, e quorum numero illud quoque est, quod a vitulæ decollandæ oblatione erat immunis. Amplius vitula secundum Dei præceptum non decollabatur, nisi cum de homicida non constaret, at in hoc casu minime is latebat: (*quomodo igitur quadrant illa, quæ R. Zadock enunciavit?*) Nimirum, ut (*audientium*) tanto uberiores lachrymas proliceret.

26 *Nec eam tribui &c. Babyl. Joma fol.* 12. 1. *Megillah fol.* 26. 1. Non dividebatur Hierosolyma inter Tribus; nam traditio est; non mercede conduci domos Hierosolymis, quia propriæ non erant. R. Eliasar bar Zadock dixit, nec etiam lectos. Recepit ergo pater familias ab hospitibus coria sacrificiorum. Abai dicit; Hoc etiam discas; Quod moris est, ut homo relinquat cantharum suum testaceum, atque etiam corium sacrificiorum suorum hospiti suo. *Glossa*, Mercede non elocabant incolæ Hierosolymitani domos suas ad festa accedentibus, sed gratis eas illis concesserunt. *Hinc illustratur Matth.* XXVI. 17. 18. *Marc.* XIV. 12. *Luc.* XXII. 7. *Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes; ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At Jesus dixit; Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei; magister dicit; Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.*

27 *Moria &c. Babyl. Taanith fol.* 16. 1. Quare vocatur mons Moria? In partes de hac re eunt R. Levi bar Chama, & R. Chanina. Unus dicit, quod inde prodiret instructio Israelis; alter dicit, quod inde prodiret timor nationibus mundi, *Midrasch Till. fol.* 41. 2. Traditio ab omnibus recepta est, locum, ubi David condidit altare in area Araunæ, fuisse locum, ubi suum condidit Abrahamus, super quod ligavit Isaacum; ubi suum condidit Noachus, cum egrederetur ex arca; ibidem fuisse altare, super quod obtulerunt Cain & Abelus; ibidem Adamum obtulisse, cum crearetur, atque inde fuisse creatum. Dicunt Sapientes, idem ei locus expiationis, qui creationis. *Josephus Antiquit. lib.* V. *cap.* 14. *scribit Montem Moria ita situm fuisse, ut Civitas theatri instar templum ambiret, hinc Sion, inde Acra, atque aliquantum a tergo Bezetha. In longitudinem atque in latitudinem patebat quingentos cubitos. Misn. Middot. cap.* 11. 1. Mons ædis erat quadratus, ita ut singula latera essent cubitorum quingentorum *Maimonides de Templo cap.* V. 1. Mons ædis erat mons ille Moria. Is in latitudinem & in longitudinem quingentis æque patens cubitis muro circumdatus erat.

CAPUT TERTIUM.

De Tabernaculo ejusque situ.

§. I. Tabernaculi nomina.

I. TAbernaculum, sive ædes sacra, exstructa ab Israelitis in solitudine oberrantibus, appellatur in Codice Hebræo אהל מועד (quod nomen & antea tabernaculo Mosis, extra castra erecto, datum fuit, *Exod.* 33. 7.) היכל, משכן, מקדש, אהל יהוה, העדה, אהל, Græce σκηνὴ τȣ͂ μαρτυρίȣ, ναὸς μεταφερόμενος, &c.

§. II. Situs in castri.

II. Tabernaculum hoc erectum fuit in medio exercitus Israelitici: ita tamen ut ab oriente Moses & Aaron cum filiis suis, a meridie Kahathitæ, ab occidente Gersonitæ, a septentrione Meraritæ, proxime illud cingerent, *Num.* 3. 23. &c. & longius remotæ essent tribus, ad orientem, Juda, Iissascar, Zabulon, ad meridiem, Ruben, Simeon, Gad; ad occidentem, Ephraim, Manasse, Beniamin; ad septentrionem, Dan, Ascher, Nephtali, *Num.* 2. 3. &c. His autem quatuor vexillis (ד׳ דגלים) quoniam ita cingebatur, uti nucis intimum (הסירה) quatuor מגורות sive nucleorum, quos carinæ putaminum claudunt, quadripartita distinctione, nuci comparari Israelitas *Cantic.* 6. 8. notatur in *Midrasch schir hasschirim fol.* 35. *col.* 1. [1] Atque ita tria se quasi produnt castra. I. Dei, id est Tabernaculum cum atrio. II. Levitarum. III. Populi Israelitici. Quibuscum convenerunt, respectu sanctitatis, rerumque & personarum, quæ ad illa admittebantur, discrimine, stante Templo II. tria hæc spatia. I. Atrium magnum, quod complectebatur atrium Israelitarum & Sacerdotum. II. Atrium mulierum, spatium antemurale & mons Templi. III. Urbs Hierosolyma *Gem. Zevachim.* 116. 2. Quam traditionem confirmat scriptor *Ep. ad Heb.* 13. 11. 12. qui extra castra populi idem censet ac extra Hierosolymam.

§. III. Translatio ad loca diversa.

III. Migrante exercitu ipsum quoque migrabat cum iis Tabernaculum per solitudinem, ita ut medium in castris locum obtineret. *Num.* 10. 21. licet arca fœderis exercitui anteiret. *Num.* 10. 33. Sed postquam Israelitæ transiissent Jordanem, in Gilgal primo substitit, dein Schiluntem (quod Josua Ephraimita, & locus in medio regionis, nec inamœnus esset) fuit translatum. *Jos.* 18. 1. ubi diutissime permansit, & parietibus lapideis (quare בית appellari creditur 1 *Sam.* 1. 24.) & ædificiis nonnullis extrinsecus ad varios usus circumdatum videtur fuisse, 1. *Sam.* 3. 3. 15.) donec Nobam delatum, & inde Gibeonem, tandemque Hierosolymam, in Templo Salomonico repositum fuit, 2. *Chron.* 1. 3. 4.

§. IV. Signum translationis.

IV. Signum translationis Tabernaculi Deus dabat per columnam, quæ noctu ignis, interdiu nubis, speciem gerebat, & multa habebat singularia Divinæ potentiæ & providentiæ argumenta: uti quod Ægyptiis persequentibus tenebras fecerit dum luceret Israelitis. *Exod.* 14. 20. quod ex illa Deus prospexerit, *Exod.* 14. 24. quod totum exercitum superne collustrarit *Neh.* 9. 19. *Exod.* 40. 38. *Jos.* 4. 5. Quare etiam populus Israeliticus, *Exod.* 33. 10. Ægyptii *Num.* 14. 14. & scriptores sacri *Neh.* 9. 12. pro insigni Dei beneficio & re miranda eam habuerunt.

§. V. Loca arcæ varia. V. Arca autem fœderis, præcipuum Tabernaculi ornamentum, sæpius locum mutavit, quam ipsum Tabernaculum. Quamvis enim certam in Sancto Sanctorum sedem haberet, quamdiu Hebræi in solitudine versabantur, quum tamen Jordanem transiissent, jussu Dei e Tabernaculo eruta circa Jerichuntem ferebatur: dein ad montes Garizim & Ebal delata fuit (*Jos.* 8. 33.) tum in Tabernaculo Schilunte diu reposita, post in aciem educta & a Philistæis capta sed remissa, in Bethsemes aliquandiu & Kiriathjearim substitit. Inde eam David Hierosolymam transferre tentavit, sed pœna divinitus Uzæ inflicta territus in domo Levitæ Obed Edom illam reliquit: at metu suo liberatus maxima pompa eam intulit in ædem, quam ei paraverat in Sion, 2. *Sam.* 6. 17. distinguendam a Tabernaculo quod erat Gibeone 2. *Chron.* 1. 3. 4. Ubi permansit, nisi quod Zadoc eam ad breve tempus inde extulerit, donec Templo Salomonico fuit illata. 2. *Chron.* 5. 5.

§VI. Chronologia mansionum Tabernaculi, & arcæ. VI. Diversas hasce tum Tabernaculi tum arcæ mansiones ita per annos 479. , qui effluxerunt ab exitu Israelitarum ex Ægypto vel ab exstructione Tabernaculi usque ad conditum Templum primum, 1. *Reg.* 6. 1. digerunt Hebræi in *Gem. Zevachim*. 118. 2. & *Gem. Hierosol. Megilla*. 72. 4. Confer *Midras Ruth*, *fol.* 46. 1.

Tabernaculum fuit in solitudine annos	39
In Gilgal, 7. annis quibus occupata, & 7. quibus distributa fuit terra.	14
In Nob	13
In Gibeon	44
In Schilo fuit reliquis annis intermediis	369
Summa	479

Arca autem fuit in solitudine, annos	39
In Gilgal	14
licet inde educta Jerichuntem & ad montem Ebal	
In Schilo	369
sed inde ad tempus educta Sichemum *Jos.* 24. 1. Bethelem *Jud.* 20. 27. Mitzpam. *Jud.* 20. 1. & 7. mensibus ultimis in terras Philistæorum 1. *Sam.* 6. 1.	
In Kiriathjearim & æde a Davide parata in Sione reliquos	57
Summa	479

§. VII. Arca fuerat una an duæ. VII. [3] Sunt qui putent duas fuisse arcas, unam quæ in Tabernaculo fuerit, alteram, quæ anteiverit exercitui. R. Juda bar Elai illam in qua tabulæ legis fractæ erant præivisse, alteram in qua integræ erant semper in Tabernaculo fuisse existimat. *Gem. Schekalim*. *fol.* 9. 1. *Gem. Hierosol. Sota*. 22. 2. sed verior videtur sententia unam fuisse, quod una tantum confici jubeatur *Exod.* 25. 10. & 35. 12. unam gestaverint Levitæ *Num.* 7. 9. 10. una in Tabernaculo reposita fuerit *Num.* 10. 33. *Deut.* 31. 26. una transiverit Jordanem *Jos.* 3. 3. 5. & ea capta nulla superfuerit. 1. *Sam.* 4. 3. Quod si arca Dei alio loco fuisse legatur, quam ubi ex Chronologia mox data liquet arcam Tabernaculi sedem suam habuisse, non propterea altera arca fingenda est: sed ad tempus potuit e sede ordinaria fuisse educta. Quod facit ad illustranda verba 2. *Sam.* 11. 11. & 2. *Sam.* 6. 12. quamvis alii per arcam cistam τὸ Ephod intelligant.

§. VIII. Usus Excelsorum qui stante Tabernaculo. VIII. [4] Sunt inter Christianos qui existiment, eo tempore quo arca & Tabernaculum in terra Israelitica ad diversa loca migrarunt, licitum fuisse sacrificare in Excelsis, *Jud.* 6. 26. 1. *Reg.* 3. 2. quæ tamen Templo exstructo prohibita fuerunt: alii vero putant nunquam Excelsa a Deo permissa fuisse, quæ illicita agnoscunt omnes Israelitæ *Jos.* 22. 29. quæque Deus vetuit *Deut.* 12. 2. & ubi sacra fieri jussit in loco, quem elegit, i. e. Tabernaculo, licet idem elegerit aliquando hunc illumve singularem locum; quod legem generalem non destruit. Ita enim stante Templo Elias in monte Carmelo sacrificavit, 1. *Reg.* 18. 19. quum tamen non licuerit nisi in altari Templi Hierosolymitani sacra facere. Sed jubente aut probante Deo id fecit, & fecerunt omnes quotquot bene fecerunt: quotquot autem male, illorum exempla fas & jus hoc fuisse non testantur.

§. IX. Judæorum de Excelsis sententia. IX. Judæi autem de usu Excelsorum ita statuunt in *Zevachim*. 14. 14. Confer *Gem. fol.* 119. 1. & *Midrasch coheleth fol.* 102. *col.* 1. ea licita quidem fuisse ante exstructum Tabernaculum, sed hoc exstructo illicita, donec in Gilgal pervenerunt, quando castra Tabernaculum cingere desierunt (confer *Lev.* 17. 3.) deinde cum Schilunte

per

per annos *369.* esset Tabernaculum, & quies מנוחה Israelitis concessa, excelsa iterum illicita fuisse, *Deut.* 12. *9.* Postea quum Tabernaculum in Nob & Gibeon esset per 57. annos, licita fuisse (sic ut in Nob & Gibeon esset במת ציבור, excelsum populi totius, 2. *Chron.* 1. 3. vel במה גדולה uti appellatur *Megilla*. 1. 10. distinctum ab aliis privatis, במות יחיד,) donec Templum Hierosolymitanum (הנחלה l. c. & *Exod.* 15. *16.*) usum Excelsorum abolevit. Confer librum *Mechilta*. 1. 1. ubi dicitur antequam Hierosolyma esset a Deo electa, totam terram Israeliticam idoneam fuisse ad exstruenda in illa altaria. Adde fol. 30. 1. & *Gem. Megilla fol.* 10. 1. & *Gem. Hierosf. Megilla* 72. 4. ubi quidam נחלה de Schilo & מנוחה de Templo interpretantur. Iidem tradunt Excelsa privata destituta fuisse. 1. Impositione manuum, *Levit.* 1. 4. 2. Mactatione ad septentrionem, *Lev.* 1. 11. 3. Sparsione sanguinis circumquaque peragenda, *Lev.* 1. 5. 4. Agitatione, *Exod.* 29. 24. 5. Adductione, *Levit.* 2. 8. *6.* Fertis, *Levit.* 2. *16.* 7. Officio sacerdotali, *Levit.* 17. *6.* 8. Vestibus, *Exod.* 29. 30. *9.* Vasis, *Num.* 4. 12. 10. Odore Deo grato, *Levit.* 1. *9.* 11. Distinctione inter sanguines superiores & inferiores, *Exod.* 27. 5. 12. Ac lotione manuum & pedum, *Exod.* 30. 21. hæc enim Tabernaculo aut Templo in sacro Codice, locis citatis, adstringi. Confer *Siphra fol.* 50. 1. Denique in *Megilla*. 1. 10. scribunt inter altare publicum & privatum non fuisse discrimen nisi respectu agnorum paschalium: id est, uti explicant Judæi, non paschalium modo agnorum sed sacrificiorum quæ iis similia sunt, uti sacrificia jugia & alia certo tempori adstricta, quæ debuerint in altari vel Excelso publico offerri; sed quæ talia non essent, uti hirci ob idololatriam offerendi, potuisse in Excelso privato sacrificari.

COMMENTARIUM IN CAPUT TERTIUM.

¹ ATque ita &c. *Maimonides de Templo cap.* VII. 11. Castrorum erant in deserto genera tria; Israelitarum, quæ erant quadripartita; Levitarum, de quibus dicitur, *ac per gyrum tabernaculi metabuntur* (*Num.* 1. 50.) Dei, quod in tabernaculo fœderis erat citra januam atrii. Atque ad horum rationem postmodum, quod ab porta Hierosolymæ ad montem ædis intercedebat, spatium, id respondebat castris Israelitarum. Quod autem ab porta ædis ad portam atrii, quæ eadem fuit porta Nicanoris, spatium intercedebat, id Levitarum respondebat castris. Et quod spatium erat citra portam atrii, castra Dei repræsentabat. Sed his amplius habebat domus æterna spatium intermurale, & atrium mulierum. *Idem ad Cap.* 1.8. *Celim*. Scias autem, quod Israelitæ in deserto divisi erant in tres ordines, qui sunt quatuor castra, ut Castra Levitarum, in quibus oracula divina audiebantur circum Tabernaculum posita; & castra in quibus divina residebat majestas, nempe atrium tentorii conventus, & quod in ipso continetur, similesque gradus erant a porta Hierosolymæ usque ad montem Templi, ubi erant castra Israelis, & a janua Montis Templi usque ad jannam atrii, sive portam Nicanoris erant castra Levitarum, & ab ostio atrii atque interius erant castra divinæ majestatis, sive vela quæ in deserto erant. *Idem ad cap.* XII. 5. *Codicis Sevachim*. Tertius comburendi locus vocatur *locus Cineris*, qui extra civitatem sanctam situs est, qui respectu sanctitatis se habet ut locus extra castra Israelis cum tabernaculo conventus, nam illic comburebant juvencos & hircos, qui comburebantur, quia de illis dictum est, *extra castra*; ad hæc dixerunt extra tria castra, scil. castra tabernaculi, castra Levitarum, & castra Israelitarum. *Et Glossa ad Pesachin fol. 67. 1. Profluviosi, & profluviosæ si transgrediuntur cancellos suos &c.* Cancelli profluviosorum sunt mons domus, vel atrium gentium; nam prohibetur iis intrare in castra Levitarum. Immundi enim non excluduntur, nisi ex atrio, exceptis solum profluvioso & gonorrhæo, qui excluduntur etiam ex monte domus, & leproso qui excluditur ex castris Israelis, idest, ex urbe.

² *Sed posteaquam &c.* Auctor *Schalschì Hakkab.* p. 15. In capite postremo *Sevachim* & in *Temura* quoque docetur, Israelitas in Palæstinam ingressos statuisse Sanctuarium in Gilgal per annos 14. Inde translatum fuit in Silo, ubi annis *369.* substitit, atque structura quædam lapidea excitata erat, super quam peristromata extendebantur. Mortuo Eli excisa fuit urbs Silo, ergo in Nob migratum est, ibique Sanctuarium conditum. Postquam Samuel vita excessit, urbe Nob eversa, Gibeon Sanctuario hospitium præbuit, hinc postea in conditorium æternum translatum. Manserat vero in Nob & Gibeon 57. annos. *Maimonides de Templo cap.* 1. 2. Ut terram Sanctam ingressi fuerant, tabernaculum illud collocarunt, ibique reliquerunt annos decem & quatuor, dum terram caperent & distribuerent. Inde ad Silo profecti ædem e lapide ædificarunt, quam explicatis superne tabernaculi tapetibus operuerunt, tecto enim caruit. Hæc in urbe stetit ædes novem annis & sexaginta & trecentis. Hac æde post mortem Eli disturbata venerunt Nobam, & ibi Sanctuarium extruxerunt. Id post Samuelis obitum cum esset disturbatum, Sanctuarium Gabaone est ædificatum aliud. Et secundum hoc extructum est templum illud perpetuum. Ac postrema duo quidem Sanctuaria Nobæ & Gabaonis annis septem & quinquaginta steterunt. *Vide ejusdem Maimonidis & Bartenoræ commentarium ad cap.* XIV. *Sevachim*. 5.6.7.

³ *Sunt qui putent &c. Gemara Sekalim* cap. VI. Traditio est. R. Jehuda ben Elai dixit; Duæ Arcæ fuerunt proficiscentes cum Israelitis in deserto; una in qua reposita fuit Lex (Tabulæ Legis integræ.) Altera in qua fuerunt fragmenta Tabularum (priorum,) Illa in qua erat lex, reposita erat in tentorio conventus, hoc enim est quod scriptum est. *Arca autem Testamenti Domini, & Moyses non recesserunt de castris*. (*Num.* XIV. 44.) Altera in qua fuerunt fragmenta Tabularum, fuit ingrediens, & egrediens (proficiscens) cum ipsis, & sæpius cum ipsis conspiciebatur. Rabbini vero nostri dixerunt: unica tantum Arca fuit; & nonnisi semel egressa est tempore Eli, & capta fuit. Pro hac Rabbinorum sententia est, quod Philistæi dixerunt. *Væ nobis, quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum?* (1. *Reg.* IV. 8.) Judicantes hanc esse rem, quam nunquam antea viderint. Pro sententia R. Jehudæ est quod legitur; 1. Reg. XIV. 18. *applica Arcam Dei &c.* Atqui tum temporis Arca erat Kiriathjearim, quid ergo facient Rabbini nostri de illo loco, *Applica Arcam Dei* (h. e. quomodo, vel quid ad illum respondebunt?) Scripturæ locus favens R. Jehudæ filio R. Elai est. *Arca Dei, & Israel, & Juda habitant in papilionibus &c.* (2. *Reg.* XI. 11.) Atqui tum Arca erat in Sion. Quomodo ergo ad hunc locum respondebunt? quod fuerit in papilione antequam exstructum esset templum. *Qui duas Arcas fuisse credunt, hæc adducunt argumenta. Primum ex Deut.* X. 1. *In tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, & ascende ad me in montem, faciesque Arcam ligneam.* Et v. 3. *Feci igitur Arcam de lignis Setim. Cumque dolassem duas tabulas lapideas &c. Reversusque de Monte descendi, & posui tabulas in Arcam,*

quam

quam feceram, quæ hucusque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus. Ad hunc locum scribit *R. Salomon.* Arca hæc non est ea, quam fecit Bezaleel; in opere enim Tabernaculi demum laborarunt post diem expiationum. Nam cum Moses de monte descendisset, præcepta eis dedit de opere Tabernaculi, & Bezaleel primo fecit Tabernaculum, postea demum Arcam & reliqua vasa. Unde consequitur hanc Arcam esse aliam, illam videlicet, quæ solita est cum illis egredi in bellum. Illa enim, quam fecit Bezaleel, non egressa est in bellum nisi tempore Eli, qua de causa etiam puniti fuerunt, & capta fuit. *R. Moses bar Nachman dicit illum hoc didicisse ex Aggada, sic enim legi in libro Tanchuma ad hæc verba*. Quæri hic potest; posteaquam inde depromsit tabulas, easque reposuit in Arca, quam fecit Bezaleel, quid factum postmodum fuerit de Arca ista, & quare ea cum Israelitis egressa fuerit? Respondent, quia fragmenta Tabularum in ea fuerunt. *Ad hoc respondet idem Nachmanides*. Juxta sensum Scripturæ literalem dicendum est verbis istis; *Faciesque Arcam ligneam*; intelligit Arcam, quam fecit Bezaleel; nam primo mandata acceperat Moses de Tabernaculo & Vasis ejus, quorum præceptorum primum fuit. *Arcam de lignis Sctim compingite*. *Exod.* XXV. 10., quia Arca fuit principalis intentio in toto opere Tabernaculi, quod illic Deus inter Cherubinos resideret, postea fecerunt vitulum. Cum Deus placatus, & ipse reconciliatus esset per Mosem, eique dixisset, quod scripturus sit (Legem) super tabulas istas, sicut super priores, breviter præcepit, ut faceret tabulis istis Arcam ligneam, quam scilicet jussus erat facere pro tabulis prioribus, ipsi sic repetendo præceptum primum & præceptum operis Tabernaculi, a quo reliqua omnia dependent. Et hinc etiam didicit Moses faciendum esse Tabernaculum, quemadmodum antea jam jussus fuerat; unde illorum verborum; *quæ hucusque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus*; sensus erit quod fuerint illic in testimonium in perpetuum, quemadmodum præcepit Dominus ab initio, quando dixit; *Ponesque in Arca testificationem, quam dabo tibi*. *Exod.* XXV. 16. *Inde præcipiam, & loquar ad te supra Propitiatorium &c.* ibid. 22. Cum vero descendisset e monte, reposuit tabulas in tentorio conventus, donec facta esset Arca & Tabernaculum. Quod si enim non fregisset tabulas priores, in tentorio conventus & illæ mansissent, usque dum Arca facta fuisset a Bezaleele. Unde & fragmenta tabularum priorum necessario illic (in tentorio conventus) fuerunt, quia eas non detulit secum in montem. Cujus rei probatio inde desumitur, quod Moses hujus præcepti (quod debeat facere Arcam pro tabulis fractis) non meminerit Exod. XXV; ibi enim dumtaxat meminit Arcæ faciendæ a Bezaleele; hic vero Tabernaculi nullam mentionem facit & vasorum ejus, quia Arca erat principale, quod reliqua omnia sequebantur, & brevitati hic (*in Deuteronomio*) studuit &c. *Ad quæstionem quid factum sit de Arca illa; in qua Moses primo reposuit tabulas, a se facta una cum Tabulis fractis per totum iter per desertum; nam illato Tabernaculo & vasis ejus in Templum non fuerunt duæ Arcæ, & Salomon non nisi unam Arcam intulisse legitur in Sanctum Sanctorum?* Ad hoc respondet Arcam hanc Mosis, facta Arca a Bezaleele, occultarunt, seu in Thesauris retulerunt, prout solet fieri de utensilibus sacris.

Secundum argumentum *desumitur* ex *Num.* XIV. Recensetur ibi qua ratione populus Israeliticus adversus Deum murmurans, cum eum Deus præmoneret, ne postero die in Cananæam contenderent, sed pedem referrent desertum versus, ne Israelitæ in Amelekitas, Cananæos armatos, & montium angustias obsidentes inciderent, ac propterea sententiam contra eos ferret &c. tamen contra Mosis dissuasionem & Dei verbum, inconsulto ore Domini perrexerint, ac præfidente consilio ad montem contenderint, tanquam hostes in Cananæam irrupturi essent, & a Mose eo nomine objurgati, & deterriti; tamen montis verticem conscendere conati sint; ibi v. 44. dicitur. *Arca autem testamenti Domini & Moses non recesserunt de castris*. Hinc argumentum deducit R. Elai in Superiore loco Talmudico, Arcam, in qua lex erat, non recessisse e medio castrorum, & proinde necesse esse, aliam fuisse Arcam, quæ ipsos præcesserit, & cum ipsis in bellum processerit.

Abarbanel *respondit non dici illic quod Arca una profecta fuerit cum eis, & Arca alia e medio castrorum non recesserit; sed Israelitæ postquam durum decretum propter peccatum Exploratorum terræ Canaan contra eos pronunciatum esset, dixerunt ad Mosen*; Parati sumus ascendere ad locum de quo Dominus locutus est, quia peccavimus *Num.* ibid. 40. *Moses ipsis respondit*; Cur inquit transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum, nolite ascendere &c. Ibid. 41. 42. *Israelitæ non paruerunt, sed ascenderunt absque Dei permissu; Moses vero cum eis non ascendit, neque Arca Domini e medio castrorum recessit*.

Tertium Argumentum petitur ex duobus locis Scripturæ. Num. 11. 17. Levabitur autem Tabernaculum testimonii per officia Levitarum &c. *seu uti legit Hebræus*; tum proficiscetur Tabernaculum conventus, nempe castra Levitarum in medio castrorum. Et *Num.* X. 33. Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierum; Arcaque fœderis Domini præcedebat eos per dies tres providens castrorum locum. *In primo loco dicitur Tabernaculum profectum esse in medio castrorum, ac proinde etiam Arca, quæ in Tabernaculo erat. In altero, dicitur Arca fœderis profecta esse ante ipsos tridui itinere, quæ inter se repugnare videntur*. Ad ea ergo concilianda; in priori loco dicunt intelligi Arcam Bezaleelis, in qua fuerunt tabulæ Legis integræ, hanc semper volunt in medio castrorum incessisse; In altero Arcam eam quam fecit Moses, in qua asservabantur fragmenta Tabularum. *Sic R. Salomon. Abarbanel respondet, quando dicitur Tabernaculum conventus profectum esse in medio castrorum, intelligendum esse de profectionibus ordinariis, quod ita solita sint vexilla & castra singula proficisci*. Quod vero in altero loco dicitur; Arcaque fœderis Domini præcedebat eos, *id intelligendum duntaxat de profectione illa prima, quod nimirum. Arca præcesserit ad explorandum comodum castrametationis locum. Quartum Argumentum eruunt ex* 1. *Reg.* XIV. 18., *ubi Saul scire volens, ubi esset Jonatham, & Armiger Ejus, dicit ad Achijah Sacerdotem*. Applica Arcam Dei. *At Arca Fœderis erat in Cirjathjearim in domo Abinadab, non in manibus Achijæ* 1. *Reg.* VII. *ergo ibi fuit Arca alia. At Abarbanel respondet Arcam, de qua Saul loquitur, esse Arcam aliam, quam Israelitæ habuerunt, ad asservandum & deferendum in ea Ephod., h. e. pectorale eum Urim & Thummim; & hæc illos secum duxisse in bellum tempore Saulis, & Davidis, ut tempore necessitatis illa consulere & interrogare possent, uti exemplum habetur* 1. *Reg.* XXX. 8. *Num.* XXVII. 19. 20. 21. *Etiam R. Salomon*, & *R. Kinchi, qui duas Arcas asserunt, hunc locum explicant de Urim & Thummim. Quintum argumentum petitur ex* 11. *Reg.* XI. 11. *ubi Uriah Chittæus ad Davidem dicit* Arca Dei & Israel & Juda habitant in papilionibus, & dominus meus Joab, & servi domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam. *Hoc videtur docere Arcam aliam, præter illam, quæ tum erat in Sion, fuisse in castris. Rabbini dicunt, Arcam fuisse in papilionibus in Sion*; *nondum enim erat extructum Templum*. Vide *Abarbanelis dissertationem de una Arca in suo comentario in Prophetas*; & cl. *Buxtorfii historiam Arcæ fœderis, unde ista decerpsimus*.

[4] *Sunt inter Christianos &c.* Tosaphta Sevachim cap. XIII. Antequam erectum esset tabernaculum, fuerunt excelsa licita; Quidnam in ipsis offerebatur? Animal, fera, & volucris, grandes, & parvi, mares, & fœminæ, perfecti, & maculati, sed tamen non immundi; Omnia offerebantur in holocaustum, & obligabantur ad excoriationem, & divisionem. Gentilibus hoc tempore ita agere permissum est. Priusquam erectum esset tabernaculum, erant excelsa licita, & Sacrificium erat in primogenitis; postquam erectum est tabernaculum, prohibita fuerunt excelsa, & ministerium non est legitimum nisi in Sacerdotibus. Sanctitates sanctitatum eduntur intra vela; sanctitates leves in totis castris Israel. Qui aspersisset super altare tum cum non esset erectum, aut vento sublata essent aulæa, nihil egerat: in tempore quo proficiscebantur, Sanctitates erant illegitimæ, & singuli immundi extra sua castra segregandi erant. Venerunt in Gilgal, licita fuerunt excelsa; Sanctitates sanctitatum edendæ erant intra vela; & Sanctitates leves in quolibet loco. R. Jehuda, & R. Simeon dicunt, quousque prospectus dabatur; Quidnam vocabatur spatium, quousque visus attingebat? id, quod usque sine interpositione visus pertingebat.

Venerunt in Silo, prohibita esse cæperunt excelsa; sanctitates sanctitatum intra aulæa edendæ erant, & sanctitates leves, quousque prospectus dabatur. Quo pacto intelligebatur, quousque prospectus dabatur? Quousque sine interpositione visus pertingebat. Tempus tentorii conventus in deserto fuit 39. annos, (tempus) Gilgal 14. annos, (tempus) Silo 369. annos, & (tempus) Nob, & Gabaon 57. annos. Domus prima æterna stetit quadringentos & decem annos, secunda quadringentos & viginti annos. Quatuor regulas docuit R. Simeon in sanctitatibus, quarum consecratio fuit tempore prohibitionis, & mactatio tempore prohibitionis, qui offert foris, violat præceptum affirmativum, & præceptum negativum, & tenetur excidio. Sin earum consecratio fuit tempore permissionis, & mactatio tempore prohibitionis, qui offert foris, violat præceptum affirmativum, & negativum, & non est reus excisionis. Sin earum sanctificatio fuit tempore permissionis, & mactatio tempore permissionis, non violat præceptum affirmativum, & negativum, & liber est excidio. Sanctitates, quæ sanctificatæ fuere in excelsis magnis, possunt offerri in excelsis parvis. Quidnam est cujus sanctificatio fuit tempore prohibitionis, & mactatio tempore prohibitionis? Sanctitates, quæ sanctificatæ fuerunt in Tabernaculo, offerendæ sunt in Tabernaculo, in Silo, & in domo æterna; offerendæ sunt in Silo, & in domo æterna; ideo qui offert foris, violat præceptum affirmativum, & negativum, & tenetur excidio. Quidnam est, cujus sanctificatio est tempore permissionis, & mactatio tempore prohibitionis? Illæ sanctitates, quæ sanctificatæ fuerunt in Gilgal, & venerunt in Silo, offerendæ erant in Silo, in Nob, & Gibeon, & venerunt in domum æternam, offerendæ erant in domo æterna; priusquam erectum esset Tabernaculum, & venerunt ad Tabernaculum, offerendæ erant in Tabernaculo; ideo qui offerebat foris, impingebat in præceptum affirmativum & negativum, & liber erat excidio. Quidnam est, cujus sanctificatio fuit tempore prohibitionis, & mactatio tempore permissionis? Illæ sanctitates, quæ sanctificatæ fuerunt in Tabernaculo, venerunt in Gilgal, offerendæ erant in Gilgal, in Silo, & venerunt in Nob & Gabaon, offerendæ erant in Nob & Gabaon; ideo, qui offerebat foris, impingebat in præceptum affirmativum, sed non in negativum, & non erat reus excisionis. Quidnam erat, cujus sanctificatio fuit tempore permissionis, & mactatio tempore permissionis? Sanctitates, quas sanctificasset in Gilgal, offerendæ erant in Gilgal, in Nob, & Gabaon, offerendæ erant in Nob, & Gabaon; ideo qui offerebat foris, non impingebat in præceptum affirmativum, & liber erat a pœna excidii. Omnes erant legitimi ad offerendum in excelsis, etiam Israelitæ, & servi libertate donati. Omne quod & voto, & sponte adducebatur, offerebatur in excelsis privati; & omne, quod neque ex voto, neque sponte adducebatur, non offerebatur in excelsis privati, verba R. Mehir, & sapientes dicunt, non offerebantur in excelsis privati, nisi holocausta & pacifica tantum, & in excelsis privati locum non habebant libamina, verba R. Meyr, & sapientes dicunt, libaminibus tenebantur. R. Jehuda dicit; Quodcunque cætus, & privatus offerebant in tentorio conventus, offerebatur in tentorio conventus, quod erat in Gilgal. Nihil intererat inter tentorium conventus, quod erat in deserto, & tentorium conventus, quod erat in Gilgal, nisi quod in deserto non erant licita excelsa, & in Gilgal licita fuerunt excelsa. In excelsis, quæ erant in summitate tecti, privatus non potest offerre nisi holocausta, & pacifica tantum, & sapientes dicunt; Quodcunque cœtu offerebat in tentorio conventus in deserto, offerebatur in tentorio conventus, quod erat in Gilgal; & in utrisque privatus non offerebat nisi holocausta & pacifica tantum. R. Jehuda dicit, ne cœtus quidem offerebat in tentorio conventus nisi quod ei a lege statutum sit; & ita dicebat *R. Simeon*, qui mactat sacrificium Paschale pro privato, & offert foris tempore prohibitionis excelsorum, interdictum est, tempore permissionis excelsorum, licitum est, juxta versiculum, qui dicit; *Non poteris immolare Phase.* (*Deut.* XVI. 5.) possem credere etiam in reliquo anno? ideo dicit, *in qualibet urbium tuarum*, tempore, quo Israelitæ in unum locum conveniunt; dicere debes, tempore festi. Hæc intersunt inter excelsa magna, & excelsa parva; cornu, collis, basis erant in excelsis magnis, & non in parvis; Labrum & ejus basis in excelsis magnis, & non in parvis. Pectus & femur dabatur Sacerdotibus in excelsis magnis, & non in parvis; Pellis holocausti pro Sacerdotibus in excelsis magnis, & erat pro dominis in parvis. Extra locum suum observabatur in magnis, & non in parvis. Hæc sunt, quæ æqualiter se habebant in excelsis magnis & parvis; mactatio, excoriatio, & divisio erat in utrisque; sanguis permittens, qui permittebat, & reddebat abhominandum, in excelsis magnis, atque etiam in parvis; & extra tempus suum observabatur in utrisque. Quænam erant excelsa magna? tempore, quo permissa erant excelsa, tentorium conventus erat extensum, sed Arca intra illud sita non erat. Quænam erant excelsa parva? tempore, quo licita erant excelsa; aliquis statuebat excelsa super portam sui atrii, aut super portam sui horti, offerebat super his ipse, filius, filia, servus & serva. Quænam appellata fuit requies? hæc fuit Silo: Hæreditas? hæc est Hierusalem, juxta versiculum qui dicit; *neque enim usque in præsens tempus venistis ad requiem, & possessionem* (*hæreditatem*) Deut. XII. 9. & dictum est. *Numquid avis discolor hæreditas mea mihi? Jerem.* XII. 9. & dictum est. *Facta est mihi hæreditas mea tanquam leo in silva*, Jerem. ibid. 8. verba R. *Jehudæ*. *R. Simeon* dicit. Hæreditas, hæc est Silo; requies; hæc est Hierusalem, juxta versiculum qui dicit. *Quoniam elegit Dominus Sion &c. Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam Psalm.* CXXXI. 13. 14. Vide *Maimonidis* & *Bartenoræ* commentarium ad *Misn. Sevachim*. Cap. XIV. 4. 10.

CAPUT QUARTUM.

De atrio Tabernaculi.

§.I. Atrii magnitudo.

I. ATrium, in quo ædes ipsa exstructa fuit, longum erat 100. cubitos, latum 50. circumdatum velo, affixo columnis 5. cubitos altis: quam altitudinem nonnulli non a solo ipso sed a vertice altaris ducunt. Vide *Gem. Eruvin.* 2. 2. Columnas has æneas fuisse quidam scribunt, sed verosimilior est Philonis sententia, fuisse ligneas; quoniam bases columnarum ænææ fuisse leguntur, & capita earum argento obducta, ipsæque columnæ totæ argento fuere obtectæ *Exod.* 38. 17. & inter ea quæ ex ære oblato facta leguntur *Exod.* 38. 31. non recensentur nisi bases harum columnarum & paxilli. Harum 20. destinatæ fuere lateri australi, 20. lateri aquilonari, 10. occidentali, & 10. orientali, quarum 4 portam constituebant, & 3. hinc 3. inde fuerunt collocatæ, quarum tamen alterutra quum in supputatione seriei columnarum vicinarum jam numerata fuerit, omnes columnæ 59. fuerunt *Exod.* 38. 9.

§. II. Distantia columnarum a se invicem.

II. De situ harum columnarum non convenit inter Philologos. Videntur omnes (exceptis 4. illis quæ portam constituebant, & ornatus commoditatisque gratia longius a se distabant) æquali spatio fuisse a se invicem disjunctæ, sic ut spatio 5. cubitorum unius columnæ axis ab axe alterius abfuerit: quod cum συμμετρίᾳ & proportione Architectonica melius convenit, quam fingere columnas ad occidentem longius a se dissitas quam ad austrum & aquilonem.

§. III. Situs earumdem

III. Atque ita quidem, ubi viginti columnæ, latus australe compositurae, fuere erectæ, vigesima prima in eadem serie referenda est ad seriem sequentem, cujus prima est; cui novem additæ a latere atrii occidentali decem efficiunt. Undecima autem in eadem serie iterum ad latus sequens referri debet, cujus prima est; & illi novendecim additæ faciunt 20. columnas lateris hujus. Sed vigesima prima ad latus orientale referatur oportet, quod decem columnas habebat (quarum tamen una angularis sive extrema in descriptione lateris australis, cujus partem facit, jam recensita fuit, sed & huc æque referri potest) tres hinc & tres inde, æquali intervallo cum reliquis totius atrii distantes. Quum vero spatium 20. cubitorum in hujus lateris medio destinatum portæ fuerit & velo distinctum ex 4. columnis suspenso, non opus est columnas portæ, & quasi postes, prope conjungere & fere opponere proximis columnis e tribus illis modo memoratis, sed designato hinc & inde a lateribus 15. cubitorum spatio columnas duas collocare, & inter has alias duas medias, quæ quatuor simul efficiant *Exod.* 38. 15. 18.

§. IV. Materia altaris.

IV. [1] Erat in atrio non longe ab introitu Tabernaculi (*Exod.* 40. 49.) altare, Hebræis מזבח, [2] ligneum quidem sed ære obductum, *Exod.* 27. 1. 2. quare [3] æneum appellatur 2. *Chron.* 1. 5. & laminæ e thuribulis æreis *Num.* 16. 38. ei adaptatæ sunt. [4] Terreum nuncupatur *Exod.* 20. 24. respectu terræ ingestæ, qua replebatur, ut ignem & victimas sustineret, quæ sententia est Ise, filii Akibæ, in libro *Mechilta* fol. 47. 2. In Schilo pro terra lapides substitutos volunt Judæi in *Gem. Zevachim.* 61. 2. quo nonnulli referunt *Exod.* 20. 25. & *Deut.* 27. 6. ubi Deus jubet trajecto Jordane altare ex lapidibus impolitis sibi exstrui in monte Ebal: quod & fecit Josua *Jos.* 8. 31.

§. V. Forma altaris.

V. [7] Formæ erat quadratæ, longum 5. cubitos & totidem latum, (*Exod.* 38. 1.) tres vero altum, intus cavum, uti dicitur *Exod.* 27. 8. instructum opere reticulato, & quatuor cornibus (quæ ἀσύλιον præstabant 1. *Reg.* 2. 28.) ad 4. angulos, ut & clivo annulisque quatuor ad immittendos vectes, quibus portabatur. *Exod.* 27. 1. & *seqq.* & 38. 1. opus autem Bezaleelis, uti ibidem & 2. *Chron.* 1. 5. appellatur.

§. VI. Clivus ejus.

VI. [9] Clivus, כבש, per quem adscendebatur ad altare, carebat gradibus *Exod.* 20. 26. & æquabili superficie ad illud sursum ducebat: qui an ex terra aggesta an assere uno vel pluribus constiterit incertum est. Quia autem circuitus altaris, qui in summo esse vix potuit ob angustiam spatii, & sub quo opus reticulatum fuit, memoratur *Exod.* 38. 4. & sanguis victimarum cornibus adspergi, infra ambitum quoque spargi, & ad basin effundi nonnunquam debuit, [10] inde triplicem clivum, unum medium eumque altissimum, alterum ad dextram, tertium ad sinistram, ducentes ad utrumque altaris circuitum, uti in altari Templi secundi, multi statuunt: alii tamen putant unum circuitum suffecisse huic exiguo altari, maxime quum nullorum præterea mentionem faciat sacer scriptor, & formæ altaris portatilis vix conveniant.

§. VII. Opus reticulatum.

VII. Opus reticulatum æreum מעשה רשת & מכבר, quasi *augmentum* dicas, (cui affixi erant 4. annuli, quibus altare portabatur) nonnulli in summo altaris locant, sic ut igni alendo & comburendis victimis inservierit; alii vero illud volunt extrinsecus cinxisse partem inferiorem altaris a basi usque ad medium, vel ipsi illi parti hoc opus insertum fuisse; quo nos ducunt verba *Exod.* 38. 4. ubi dicitur *infra ambitum* altaris fuisse, מלמטה עד חציו *ab infima parte usque ad medium*. Usum ejus Judæi in *Gem. Zevachim* 53. 1. fuisse volunt eundem, qui fuit [11] fili rubri in altari Templi secundi, videlicet, distinguere inter sanguines victimarum vel superiori vel inferiori parti altaris adspergendos. Potuit etiam sustinuisse circuitum altaris, & quia ultra longitudinem latitudinemque altaris, quæ fuit 5. cubitorum, paullum se extendebat, nomen מכבר tulisse.

§. VIII. Ignis.

VIII. [12] Supra hoc altare perpetuus ignis alebatur, divisus, ut Judæi volunt, in tres focos, unum ad combustionem victimarum, alterum ad adolendum suffitum, tertium ad alimentum ignis perpetui secundum mandatum Dei, ex quo reliqui foci extincti denuo instaurari possent: [13] qui ignis cœlo demissus *Levit.* 9. 24. in eo conservatus fuit usque ad exstructum Templum Salomonicum, [14] vel virtute Dei, ut quidam volunt, vel alimento novo quotidie a sacerdotibus ministrato, quod est probabilius. In *Siphra fol.* 59. 1. dicitur ignem, qui tempore Mosis descendit, usque ad ætatem Salomonis & qui tempore Salomonis descendit, ad regnum Manassis usque perdurasse.

§. IX. Labrum.

IX. [16] Præterea erat in atrio inter altare & Sanctum, paulo tamen vicinius plagæ australi, uti Judæi tradunt (quia non id sed altare dicitur esse לפני אהל מועד) Labrum æreum, insistens scapo æreo : non ex ære oblato, *Exod.* 38. 29. [17] sed speculis mulierum הצבאת (confer 1. *Sam.* 2. 22.) confectum, [18] e quo sacerdotes manus & pedes lavabant. *Exod.* 30. 18. *Exod.* 38. 8. Alterius labri Moses non meminit ad lavandas carnes victimarum : uti nec qua ratione Labrum illud prius portaretur, quod Alexandrini interpretes, inserto commate quod in contextu Hebræo non invenitur, narrant *Num.* 4. 15. Καὶ λήψονται ἱμάτιον πορφυροῦν, καὶ συγκαλύψουσιν τὸν λουτῆρα καὶ τὴν βάσιν αὐτοῦ, καὶ ἐμβαλοῦσιν αὐτὰ εἰς κάλυμμα δερμάτινον ὑακίνθινον καὶ ἐπιθήσουσιν ἐπὶ ἀναφορεῖς. Quæ quidem hoc fere modo lecta fuerunt a Cyrillo, *lib.* XIII. *de adorat. in spir. & ver. p.* 456. Et convenit cum iis Pentateuchus Hebræo Samaritanus, & versio Samaritana, in quibus hoc comma legitur ולקחו בגד ארגמן וכסו ארת הכיור וארת כנו ונתנו אתם אל מכסה תחש ונתנו על המוט.

COMMENTARIUM IN CAPUT QUARTUM.

[1] Erat in atrio &c. *Tosaphoth Joma fol.* 17. *a.* Non reperimus nisi tres de altaris loco sententias; una est illud totum in septentrione fuisse, altera illud totum in meridie ponit, & tertia in medio atrii. *Philo de vita Mosis III.* Ara sita in atrio ex adverso vestibuli Tabernaculi, tantum inde semota, quantum spatii satis esset ministris sacrorum.

[2] *Ligneum &c. Raschi ad Exod. XXVII.* 8. Tabulæ e ligno Schittim ab omni latere esse debent, & cavitas in medio, neque totum lignum unum esse poterat quinque cubitos latum longumque.

[3] *Æneum &c. Kinchius ad* 1. *Reg. VIII.* 64. Altare lapideum fuit, quod fecit Salomon, non æneum; & quod extat 2. *Paral. IV.* 1. *fecit Salomon altare æneum*, item 1. *Reg. VIII.* 64. *Quia altare æneum quod fecit*, ita intelligendum est; altare lapideum, quod fecit Salomon in loco ænei a Mose confecti: *Sed Ralbag melius ad locum citatum* : Ecce scriptura vocat eam aram æneam, quia ære obducta fuit, sed sub eo lapidibus integris juxta legis præscriptum constitit.

[4] *Terreum &c. Maimonides cap.* 1. *de Templo* 12. Omnino præter lapides nihil est ex quo construatur altare. Quod autem in lege est, *Altare de terra facietis mihi*, *Exod. XX.* 24. hujus sententia est, ut altare inhæreat in terra solida, ut ne super fornicibus, aut terræ cavernis ædificetur. Quod autem in lege dicitur, *quod si lapideum altare*, *ibid. v.* 25. id auditione accepimus non esse arbitrii, nostri, sed necessitatis. *Displicet hæc sententia, quia hic materia altaris, non locus describitur. Melius Lyra ad Exod. XXVII.* Concavitas autem altaris, cum situabantur castra & altare, implebatur terra usque ad summum & supra superficiem illius terræ intra tabulas altaris inclusive fiebat ignis, & offerebantur & cremabantur hostiæ secundum id quod dictum fuit cap. XX. *Altare de terra fac mihi*. Et quando commovebantur castra, amovebatur altare prædictum de tabulis factum, & remanebat terra. Et ista expositio concordat literæ, quæ ad hoc potest de facili applicari : *Raschi etiam hoc confirmat in Exod. XXVII.* Et Ara terrea est ara ænea, quam terra implebant, cum castra metabantur. *Jonathan ben Ussiel verba Exodi XXVII.* 8. *transfert*. Tabulis equidem concavum, sed terra repletum facies illud.

[5] *In Schilo &c. Sevachim fol.* 61. R. E. F. I. dixit eo quod *Deut. XXVII.* 5. 6. & *Exod. XX.* 25. ter lapidum altaris mentio fit, docetur aram lapideam unam Silunte, alteram Nobe, & Gibeone, tertiam in Templo fuisse. *Et in Schilthe Haggibborim cap. XXXVII.* Et forte quoniam cavum fuit, loco terræ, quam in deserto adhibuerunt, cavitatem ejus lapidibus integris farserunt, prout conveniebat.

[6] *Ex lapidibus impolitis &c. Middot. cap. III.* 4. Lapides cum ascensus tum altaris fuerunt e convalle Beth Cerem, quos effoderunt infra terram incultam, atque inde adducere solent lapides integros, super quos agitatum ferrum non fuit, quia ferrum vitiat tactu & qualibet crena, alicui lapidi si crena incisa sit, is vitiatus, omnes reliqui legitimi sunt. Eosdem extergunt bis annuatim, semel tempore Paschatis, iterum festo Tabernaculorum; Templum vero semel sub ipsum Pascha. Ribbi dicit, singulis Sabbathi vesperis extergunt mappa sanguinis causa. *Vide Maimonidem de Templo cap. I.* 14. 16. *Philo de Sacrif.* Illud ex lapidibus selectis, sed impolitis tamen structum est. *Et Hecathæus apud Josephum*. In quo est altare quadratum, non ex sectilibus, sed ex rudibus lapidibus fortuito congestum. *Apud Gentiles etiam hujusmodi ara usitata. Arrianus in Periplo ab init.* Aræ jam excitatæ sunt saxi tamen scabri, ac proinde literis, quæ cælatæ sunt, non satis planis & apertis. Itaque decrevi dicare aras candidi saxi &c.

[7] *Formæ erat quadratæ &c. Josephus IV. de bello cap.* 6. Ara quadrata stetit angulos in cornuum formam protensos habens.

[8] *Et quatuor cornibus &c. Maimonides de Templo cap. II.* 6. Post autem quam hos duodeviginti palmos erectum erat, contrahebatur etiam in angulis; nimirum excitabatur in unoquoque altaris angulo veluti cornu quoddam ex ædificio quadrato & eodem cavo. Et horum quatuor cornuum altari circumdatorum quodque hinc & inde cubitum occupabat &c. erat cujusque cornu altitudo palmorum quinque, quadrum vero cujusque cornu quaquaversus cubitum patebat. Jam hæc quatuor cornua erant intus cava & *paragr.* 17. Atque in altaris ratione quatuor cornua, basis, & figura quadrata omnino requiruntur sic, ut si quod altare sine cornibus, sine basi, sine colle fuerit, item si non quadrata fuerit ejus figura, sit vitiosum.

[9] *Clivus &c. Middot cap. III.* 3. Prætera ascensus erat ab Austro altaris 32. cubitorum, cujus latitudo 16. *In hunc locum ita Maimonides:* כבש autem est ponticulus super quo in altare ascendebant, quia in ipso nulli erant gradus, sicuti lex dicit *Exod. XX.* 23. *Non ascendes per gradus ad altare meum*. Iste autem ponticulus paulatim desinebat, nam in ipsum ascendebant veluti in montem, & longus erat in ascensu ipsius triginta & duos cubitos, terræ autem superficies ipsius distabat triginta cubitos, latus vero erat sedecim cubitos, & hæc est figura ipsius. Si vero illius figuram menti tuæ delineare volueris, considera ipsam in atrio ad meridiem altaris; erit itaque distantia a Septentrione ad meridiem triginta cubitorum, & ab oriente ad occidentem sedecim cubitorum, si ergo sumseris, filum, cujus una extremitas juncta sit terræ, & altera cornibus altaris, triginta & duorum erit cubitorum. Ego autem plus inveni quam erat necessarium: *& in tractatu de Templo cap. II.* 13. Ad meridiem altaris erat ædificatus collis; is in longitudinem patebat duos & triginta cubitos, & sedecim in latitudinem; nempe occupabat in terræ solo spatium triginta cubitorum ad altaris latus, tum etiam supra basim spatium unius cubiti procedebat & alterius cubiti spatium supra gyram; attamen paululum inane inter collem & altare projicerentur. Jam collis iste erat altitudine novem cubitorum minus sextante; pertinebat enim ad eum altaris locum, quo sacra struebantur.

[10] *Triplicem clivum &c. Maimonides ibidem :* Præterea autem ex eo colle prodibant duo parvi ponticuli, qua Sacerdotes altare circuituri irent ad gyrum

rum & basim, hi distabant ab altari transversum unguem.

[11] *Fili rubri &c. Middot cap.* III. Filum vero coccineum cingebat altare medium ad discernendum inter sanguines superiores & inferiores. *Maimonides de Templo cap.* 11. 9. Erat autem altari ad dimidiam partem filum coccineum circumdatum, quod superiorem sanguinem discerneret ab inferiori. *Idem ad cap. VIII. 9. Sevachim*. Jam diximus capite quinto hujusce tractatus, quod sacrificium pro peccato e pecude requirat sparsionem sanguinis ab altare supra filum coccineum; sanguines autem, qui infra istud filum sparguntur, sunt holocausti, sacrificii pro reatu, & pacificorum sanguines, nec non primogeniti, Paschatis, & decimarum. *Vide cl. Relandi dissertationem de Filo rubro Altaris Hierosolymitani. Etiam Gentiles suas aras vittis cingebant. Virgilius Bucol.* VIII.

- - - - Molli cinge hæc altaria vitta.

Et *Æneid.* III.

- - - - Stant manibus aræ
Cæruleis mœstæ vittis.

[12] *Supra hoc altare &c. Judæi in Altari quatuor, vel tres, vel duos rogos singulis diebus fuisse contendunt. Joma cap.* IV. 6. In omni die quatuor ibi erant lignorum ordines, & hodie quinque; verba R. Meyr. I. R. Jose dicit, in omni die tres, & hodie quatuor; R. Jehuda dicit in omni die duo, & hodie tres. *In quem locum ita Maimonides*. R. Jehuda dicit, quod in altare exterius erant ordines lignorum duo, unus magnus, super quem offerebatur sacrificium juge, & secundus, de quo sumebant ignem in Thuribulo pro suffitu, uti diximus. R. Jose dicit, quod tertium quoque faciebant ordinem ad conservandum ignem, ut nunquam extingueretur illic. R. Meyr dicit, quod quartum etiam ordinem faciebant, super quo comburebant membra sacrificii continui vespertini, quæ ignis non combusserat totam noctem. Sed omnes conveniunt de duobus ordinibus, quia *traditione* tenemus (*sed traditione humana*) id quod dicitur *Levit.* VI. 9. *Cremabitur in altari tota nocte usque mane*; esse ordinem *magnum*, & quod dicitur; *ignis ex eodem altari erit* esse ordinem secundum pro suffitu, & quod deinde dicitur. *Ignis autem in altari semper ardebit. Levit.* ibid. v. 12., dicit R. Jose esse ordinem tertium ad conservandum ignem. R. Jehuda dicit, hoc referendum esse ad ordinem antecedentem. R. Meyr dicit, fuisse specialem ordinem pro membris non consumtis per totam noctem. Alii dicunt ea residua comburi ad latus ordinis magni; sed omnes in eo conveniunt unum ordinem addititium fuisse die expiationis, propter pulchritudinem conspectus populi; decisio est juxta R. Jose. *Vide ejus tractatum de Sacrificiis Jugibus & Additiis. Cap.* 11. 4. 5.

[13] *Qui ignis cœlo &c. R. Bechai fol.* 130. *col.* 3. Ecce die octavo, quo dedicabatur Tabernaculum oblationibus commemoratis, descendit ignis de cælo ad recipiendas illas. Ignis autem iste permansit usque ad tempus Salomonis, qui extruxit templum, cujus templi diebus omnibus duravit ille ignis, nec exstinctus est, nisi donec illud vastatum fuit; atque huc respicit Scriptura, quando ait: *Ignis autem in Altari semper ardebit, non exstinguetur. Levit.* VI. *Abarbanel ad Exod.* XVI. Ecce ignis de cælo decidit miraculose super altare in die octavo impletionum; & a primo tempore quo descendit, arsit ibi, nec extinctus fuit, donec vastata fuit domus Sanctuarii.

[14] *Vel virtute Dei &c. Gemara Joma cap.* 1. *fol.* 21. *col.* 2. Itaque quando de eo dicunt interdum, quod emiserit fumum, id intelligendum est de igne vulgari. Nam *Levit.* 1. 7. *& subjicient in altari ignem, strue lignorum ante composita*. Itaque licet ignis de cælo descenderit, tamen præceptum erat, ut etiam apponatur de igni vulgari. *R. Levi Barsellonius in libro hachinnuch præceptum hoc ita explicat: Ignis autem in Altari semper ardebit*, id ita facit, ut dicat, ignem a sacerdotibus continue, singulis diebus mane & vesperi apponendo ligna, conservandum fuisse, ut illic etiam habeatur de igni communi. *Maimonides cap.* 11. *de Sacrificiis Jugibus* &c. Præceptum est jubens, ut perpetuus in altari ignis ardeat, scriptum est enim: *Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. Levit.* VI. 13. Et quanquam ignis divinus demittebatur de cælo, tamen humanum etiam ignem adhiberi jussum erat; est enim in lege: *Et subjicient in altari ignem. Levit.* 1. 7. *Baal Schilte cap.* 77. *ex Siphre*: mandatum est ut ignis vulgaris aliquid *a Sacerdotibus* admoveretur, q. d. e. *Et subjicient in altari ignem. Levit. ibid.*

[15] *Et qui tempore Salomonis &c. Sannedrin Cap. XI.* Ignis qui in diebus Salomonis cælo delapsus fuit, aram non deseruit usque ad Manassen, qui eum abstulit, cum aram diruit *Nec defuit in Templo secundo. Machab.* 2. *cap.* 1. 18. Facturi igitur quinta & vigesima die mensis Casleu purificationem Templi, necessarium duximus significare vobis, ut & vos quoque agatis diem Scenopegiæ, & diem ignis, qui datus est, quando Nehemias ædificato Templo, & Altari obtulit sacrificia. Nam cum in Persidem ducerentur patres nostri, qui tunc cultores Dei fuerant, acceptum ignem de Altari occulta absconderunt in valle, ubi erat puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus. Cum autem præteriissent anni multi, & placuit Deo, ut mitteretur Nehemias a Rege Persidis; nepotes Sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem, & sicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem sed aquam crassam. Et jussit eos haurire, & afferre sibi, & sacrificia, quæ imposita erant, jussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, & ligna, quæ erant superposita. Utque hoc factum est, & tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, itaut omnes mirarentur &c. Sacerdotes autem psallebant hymnos, usquequo consumtum esset Sacrificium. Cum autem consumptum esset Sacrificium, ex residua aqua Nehemias jussit lapides majores perfundi; quod ut factum est, ex eis flamma accensa est, sed ex lumine, quod refulsit ab Altari, consumta est. Ut vero manifestata res, renuntiatum est regi Persarum, quod in loco, in quo ignem absconderant hi, qui translati fuerant Sacerdotes, aqua apparuit, de qua Nehemias, & qui cum eo erant, purificaverunt sacrificia. *Goronides lib.* 1. *cap.* 16. 17. Tunc ascenderunt omnes Seniores captivitatis cum Esra Scriba, & Nehemia filio Hachaliæ, & Mardochæo, Jehosua, & Zerubabel filio Schealtiel, cum his, & aliis principibus suis venerunt Hierosolymam, & costruxerunt Templum Domini in ea mensura, qua eis præscriptum a Rege. Erexerunt quoque Altare ordine debito, & composuerunt ligna in Altari, imponentes eis carnes, sed ignem sacrum non invenerunt. Oraverunt ergo Esra Scriba, Nehemia filius Hachaliæ, Mardocheus, & Jehosua, atque reliqui Principes captivitatis ad Dominum, dicentes; Domine omnium seculorum, tu dedisti in corde Regis Persarum, ut ædificaret Domum tuam, & dimitteret pauperes servos tuos, atque Sacerdotes tuos, qui sacrificarent sacrificia tua, & offerrent holocausta tua, sicut fecerunt pii patres nostri coram te, & ecce nos venientes ad locum, ereximus Altare ejus juxta dispositionem ejus, & mactavimus sacrificia, composuimusque ligna pro holocausto, & non licet nobis adducere ignem alienum coram te, nec habemus ignem sanctum, quandoquidem illum abscondit Jeremias Propheta servus tuus, & reliqui præcipui Sacerdotes, qui iverunt in captivitatem tempore Nebucadnezaris. Et nunc quid agendum o Deus cælorum? Tu da nobis consilium & auxilium, quia regnum est in manu tua, ut illud erigas, ac fortifices, adjuvesque servos tuos. Factum est autem, cum hujusmodi orarent verbis, ut adesset senex quidam ex Sacerdotibus, qui adhuc recordabatur loci illius, ubi Jeremias Propheta absconderat ignem sacrum. Egressusque senex ille extra castra, secuti sunt eum cuncti senes, & ecce sub muro erat puteus quidam, quem tegebat lapis grandis, & hic erat litura calcis obductus. Tollentes vero lituram, & amoventes lapidem ab ostio putei, viderunt aquam pinguem & crassam instar mellis, reversique indicarunt id Esræ. Et veniens Esra ad puteum, ait ad Sacerdotes; descendite vos, & pugillis excipite aquam, nemo alienus illuc descendat, sed soli Sacerdotes, qui sunt de semine Aharon Sacerdotis, descendant. Descenderunt ergo Sacerdotes, & tulerunt pugillis suis aquam, venientesque ad templum, sparserunt aquam super ligna Altaris. Cumque id fecissent, subito exarsit ignis terribilis, & magnificus, & erupit flammam devorans, gyrans, & vehementer invalescens, ut etiam cogerentur inde fugere, & non possent stare juxta ignem. Nam ab-

absumebat ignis, & comburebat holocaustum, & ligna, & præterea circumdans totam Domum, expiabat vasa & templum. Postea subtractus e templo, remansit tantum more consueto super Altare. Ab eo die & deinceps apponebantur ei ligna, & perseveravit ignis ille usque ad captivitatem secundam. *Gemara Joma cap. IV.* Tradiderunt Rabbini nostri; Quadraginta annis, quibus Sacerdotis functus est Simeon justus (qui floruit sub Templo secundo) sors semper ascendebat in dextra &c. Ignis strueis (in Altari) semper in eodem vigore erat, neque necesse habebant Sacerdotes ligna ad struem adferre, exceptis duobus segmentis, quæ ipsis adferenda erant, ut implerent præceptum lignorum (*Levit. 6. 12.*) inde & ulterius, quandoque in vigore erat, quandoque non, & Sacerdotes tamen semper tota die apponebant ligna &c. *In Caphtor vagherach fol. 70. col. 2.* Quia ignis de cælo non descendit, nisi infra (in terra) existant qui idonei & apti sint ad recipiendam virtutem illam, iccirco dicunt, quod in Sanctuario primo, in quo magni justi, & multa idonea subjecta recipientia fuerunt, cubuerit instar leonis discerpentis, comedentis, & alimento suo abundantis; in Sanctuario autem secundo, instar canis, macilenti nimirum, & inopis alimentorum suorum. *Abarbanel ad Hagg.* 1. Nam licet ibi fuerit de illo igne, qui fuit Super Altari Templi primi, qui absconditus fuerat, debebat etiam in domo secunda ignis descendere de cœlo vidente toto populo, in Altaris dedicatione. Quamvis enim in Templo quod extruxit Salomon, fuerit ignis super Altari holocausti quod fecerat Moses, tamen descendit ignis de cœlo in dedicatione Altaris illius, quod fecit Salomon, quia hæc est summa Altaris sanctitas vel sanctificatio. Pariter itaque debuisset descendere ignis in domo secunda in dedicatione Altaris, quod illic fecerunt; cum vero non descenderit illuc ignis de cælo, vera sunt verba sapientum nostrorum, quando dicunt ignem illic defuisse; ignis videlicet descendens de cælo in oculis totius populi. In ejus itaque locum substituerunt illum ignem absconditum, quem invenerunt secundum verba Josephi. *Et in libro Juchasin fol. 24. col. 2.* Etiamsi in Siphra dicatur, quod ignis, qui descendit tempore Mosis, manserit in Altari; donec iterum descendisset tempore Salomonis; & tunc Mosaicum fuisse ablatum; Salomonicum vero desiisse tempore Manassis, adhuc tamen de eo aliquid reliquum mansit; nam Joseph ben Gorion testatur, Jeremiam illum abscondisse, & viros Synagogæ magnæ eum invenisse. *Vide R. Asariam in Meor Enajim cap. 51.*

[16] *Præterea &c. R. Salomo Exod. XXX. 19. Et inter Altare;* intellige Altare Holocausti, de quo scriptum est, fuisse illud ante ostium Tabernaculi conventus (Exod. XL. 6.) Fuit autem labrum paulisper protractum, atque stabat e regione spatii, quod est inter Altare & Tabernaculum, non tamen omnino distinguebat inter duo illa, quia dicitur; *Labrum quoque statuit inter Tabernaculum testimonii & Altare* (Exod. XL. 28.) Ac si diceret, Altare fuit ante Tabernaculum conventus, non vero ante Tabernaculum conventus labrum erat; quomodo ergo stabat? paulisper fuit protractum versus meridiem. *Middot cap. III. 6.* Labrum erat inter propyleum sive porticum & Altare, ac protrahebatur versus Austrum. *Maimonides de Templo cap. 1. 6.* Hoc sacrarium multis & variis rebus instruendum, Altari ad holocaustum & reliqua sacrificia facienda, colle per quem ad Altare ascendebatur, quem collem ante vestibulum ad meridiem oportet situm esse, labro basi fulto, ex quo Sacerdotes operaturi manus consecrent & pedes. Hujus situs est inter vestibulum & Altare versus meridiem ad sinistram introeuntis in Sacrarium.

17. *Speculis mulierum &c. Aben Ezra ad Exod. XXXVIII. 8.* Nam mos erat omnium mulierum se decorare, & videre faciem suam singulo mane in speculo æneo vel vitreo, ut ita adaptarent tiaras, quas in capitibus suis habebant. Hæ sunt, quarum mentio fit in libro Jesaiæ cap. III. 23. Nam mos Israelitarum est, ut mos Israelitarum adhunc usque diem. Ecce vero in Israele erant mulieres Deum timentes, quæ recedebant ab hujus mundi cupiditate, quæque sua tradidere specula in donum spontaneum. Non enim amplius indigebant illis, ut se exornarent, sed de die in diem veniebant ad ostium Tentorii conventus ad orandum, & ad audiendum verba præceptorum, & hoc est, quod dicitur, *quæ congregabant ad ostium Tentorii conventus*, nam erant multæ.

[18] *E quo Sacerdotes &c. Maimonides de ratione adeundi templi cap.* V. Sacerdos sacrificium facturus, ut antequam operaretur, manus lavaret & pedes, jubendo sancitum est, siquidem in lege scriptum videmus; *Lavabunt ex eo Aaron & filii ejus manus suas & pedes &c.* Atque ut aqua e labro exiliente manus abluerentur, præceptum erat. *Erant labro duodecim epistomia, ut eo Sacerdotes jugi Sacrificio operantes lavare possent simul omnes. Maimonides* ad cap. IV. 10. *Joma.* Ben Catin fecit duodecim epistomia labro per quæ fluebat aqua, ut omnes Sacerdotes, qui sacrificium juge parabant, simul eorum manus & pedes lavare possent; at non enumerat Misna eum qui mactabat, quia jam diximus mactationem etiam per alienigenam fieri posse, idem vero Sacerdos qui sanguinem aspergebat, etiam excipiebat. Cæterum jam constat tibi, quod tredecim Sacerdotes parabant sacrificium juge, quorum uno qui mactabat deficiente, remanebant duodecim. *Non lavabant intra labrum, sed aqua de labro exiliente. Maimonides de ratione adeundi templi cap.* V. 10. Porro autem manus non abluebantur intra labrum ipsum, aut intra vas aliud divino ministerio consecratum, scriptum est enim; *Lavabunt ex eo Aaron & filii ejus* (*Exod. XXX. 29.*) non item in eo, quamquam siquis manus intra labrum abluisset, atque fecisset, nihil profanasset. *Vide ejusdem Maimonidis & Bartenoræ commentarium ad Cap.* 11. *Sevachim.*



CA-

CAPUT QUINTUM.

De Sancto, & Sancto Sanctorum.

§. I. Magnitudo Tabernaculi, & asseres.

I. **L**ONGA erat tota ædes Sanctum & S. Sanctorum complexa, intus metienda, cubitos 30. lata 10. & totidem alta. Latera ejus constabant ex asseribus, קרשים, sive ςύλοις, ligni שטים *Schittim*, quod genus arboris esse in solitudine Arabiæ, spinæ albæ simile colore & foliis, ea magnitudine ut latissima ex iis tabulata cædantur, fortissimum quoque & incredibilis levitatis ac pulcritudinis, testatur Hieron. *comm. ad Joel.* 3. & *Mich.* 6. Hi erant numero 48. & obducti auro, longi 10. cubitos, lati cubitum & dimidium, *Exod.* 26. 16. crassi digitos 4. si Josephum sequimur, cubitum unum, si alios Judæos, qui id colligunt e latitudine Tabernaculi interna, quæ fuit, teste Philone & aliis, 10. cubitorum, quorum novem efficiunt 6. asseres occidentales *Exod.* 26. 22. & dimidius cubitus hinc & inde asserum duorum angularium; ita ut in reliquam latitudinem asserum angularium, cubitalem videlicet, impingant, eamque tegant crassitudine sua asseres laterales: remaneatque internum Tabernaculi spatium latum cubitos decem.

§. II. Bases, paxilli, & transtilla.

II. Hi ad meridiem, occidentem, & septentrionem erecti, singuli duabus argenteis basibus, ארנים, quibus altitudo cubiti tribuitur in *Gem. Schabbath.* 98.2. inserebantur per ידות, sive protensas hinc & inde eminentias manuum ad instar, quæ duæ in unoquoque assere ab uno & altero latere basibus immissæ, & paxillis יתדות *Exod.* 38. 31. ubi paxilli Tabernaculi distincti a paxillis atrii memorantur, stabilitæ erectos asseres servabant. Præterea erant in unoquoque Tabernaculi latere *transtilla* (בריחים) extrinsecus per *uncos* (טבעות) missa & unum medios asseres permeans, lignea illa sed auro obducta, *Exod.* 26. 28. de quorum longitudine disputatur in *Midrasch schir hasschirim fol.* 12. *col.* 2.

§. III. Velorum magnitudo, situs & materia.

III. Superne obductum erat quatuor velis, quorum infimum partem quoque laterum extrinsecus ita tegebat, ut ad plagam occidentalem unius cubiti spatio a solo distaret, ad austrum & aquilonem duobus cubitis; longum enim erat cubitos 28. latum 40. alterum vero longum cubitos 30, latum 44. anterius, uti nonnulli volunt, duorum cubitorum spatio complicatum & dependens; ab occidente, æque ac ad septentrionem & meridiem a terra spatium cubiti aberat *Exod.* 26.12. & 36.8. Hujus complicationis causa pars una hujus veli ex 6. cortinis fieri jubetur, ut tota sexta cortina ei inserviat, & quod ad cetera, laqueoli ansulæque veli primi & secundi eodem loco inter Sanctum & Sanctum Sanctorum existerent. Sunt tamen qui putent per duos cubitos sive spatium dimidiæ cortinæ חצי היריעה ultra velum primum ab occidente hoc velum secundum fuisse porrectum, adeo ut per spatium cubiti humo incubuerit, & ab oriente nihil fuerit dependens, nec cortina sexta complicata se extenderit ultra velum primum, quod videtur convenire cum verbis Dei *Exod.* 26. 12, 13. Tertii veli & quarti magnitudinem Moses non tradit. Priora duo יריעות appellantur, posteriora מכסה. Alexandrini primum αὐλαίας vocant (quod ex decem cortinis constaret, quas & Epiphanius *adv. hær. p.* 252. δέκα αὐλαίας vocat) reliqua δέῤῥεις. Veli primi materia linum erat retortum שש משזר & lana trium colorum, hyacinthina, purpurea & coccinea. Secundum constabat ex pilis caprinis. Tertium ex pellibus rubris arietum. Quartum ex תחשים, de quibus disputatur in *Gem. Schabbath fol.* 28. 1. & 98. 2. & in *Gem. Hier. Schabbath* 4. 4. & *Midrasch Coheleth.* 90. 2.

§. IV. Laqueoli & ansæ velorum.

IV. Velum primum, quod constabat ex 10. cortinis, יריעית (*Exod.* 26. 1.) 28. cubitos longis & 4. latis, quarum 5. simul junctæ & consutæ partem dimidiam totius veli constituebant, uti & aliæ 5. alteram partem dimidiam, in medio connectebatur laqueolis ex lana hyacinthina ללאות, 50. in uno latere, 50. in altero *Exod.* 26. 5. quos ansulæ auræ קרסים, 50. numero, conjungebant. Sub his ansulis (תחת הכרסים) velum interius sive פרכת distinguens Sanctum a Sancto Sanctorum jubetur suspendi *Exod.* 26. 33. Velum secundum constabat ex cortinis undecim, longis cubitos 30. latis 4., in duas partes divisum, quæ connectebantur sibi mutuo per laqueolos, & per ansulas æreas *Exod.* 26. 11. quarum una ex 5., altera ex 6., cortinis constabat.

§. V. Conclave anterius sive Sanctum.

V. Tabernaculum duo conclavia complectebatur, 4. columnis ligneis auro obductis insertisque basibus 4. argenteis & velo פרכת intermedio a se invicem separata, quorum unum Sanctum, & σκηνὴ πρώτη *Heb.* 9. 2. alterum Sanctum Sanctorum & σκηνὴ δευτέρα appellatur. Sanctum, in quod nulli præter sacerdotes, quorum opera ibi requireba-

rebatur (nam extra tempus ministerii non licebat) intrare licuit, longum erat cubitos 20., latum & altum 10., & ab oriente in ipso introitu 5. columnas ligneas auro obductas habebat, insertas basibus sive stylobatis æreis, & velum dependens, (מסך) quod tamen respectu operis differebat a velo Sanctum & Sanctum Sanctorum discernente, quum hoc inter Sanctum & Sanctum Sanctorum מעשה חשב, illud רקם fuerit. *Exod.* 26. 31. 36.

§. VI. Vasa Sancti & eorum situs.

VI. [1] Tria erant potissima hujus Sancti ornamenta, [2] Lychnuchus, Altare suffitus, & Mensa panum propositionis. Lychnuchus collocatus erat ad latus australe Tabernaculi, *Exod.* 40. 24. sive Sanctum introeunti ad sinistram, mensa panum propositionis ad latus aquilonare, utraque secundum traditiones Hebræorum a latere Tabernaculi remota spatio cubitorum duorum & dimidii, altare suffitus inter illa erat medium. Hæc autem tria propriora fuerunt velo Sancti Sanctorum quam velo exteriori, quia חוץ לפרכת extra velum S. Sanctorum jubentur locari, uti in *Siphra* legitur fol.* 261. 2. & altare suffitus plagæ orientali proprius fuit, secundum Hebræorum sententiam, quam lychnuchus aut mensa panum.

§. VII. Lychnuchi descriptio.

VII. Lychnuchus, dictus מנורה, totus erat aureus, constans basi (ירך) & stipite, qui & ipse מנורה dicitur, *Exod.* 25. 34. e cujus lateribus hinc & inde tres rami surgebant, sic ut illi cum stipite septem lychnos, instructos ellychniis antrorsum vergentibus, qui jubentur lucere על פניה *Exod.* 25. 37. sustinerent, crateribus (גביעים) 22. malis (כפתרים) 11. & floribus (פרחים) 9. ornati, secundum computum Gemaricorum in *Gem. Menachoth. fol.* 28. 2.

§. VIII. Figura Lychnuchi secundum Judæos & situs.

VIII. Lychnuchi figura describitur *Exod.* 25. 33. & 37. 17. Judæorum autem traditiones ita eum depingunt in *Gem. Menachot.* 28. 2. Stipes fuit 18 palmorum, complectens palmos 4. (ubi erant tres pedes, quibus insistebat, & flos) palmos 2. inornatos & læves, palmum 1. (in quo erant crater, malogranatum & flos) palmos duos læves, malogranatum unius palmi (supra quod utrimque rami surgebant) palmum lævem, malogranatum unius palmi (supra quod alii duo rami) palmum lævem, malogranatum unius palmi, (supra quod alii duo rami) palmos 2. læves, denique palmos tres, in quibus erant (quod ornamentum solum habebant reliqui 6. rami) crateres tres, malogranatum & flos. Mediuslychnus horum septem, ad quem Judæi putant ellychnia omnium aliorum fuisse conversa, occidentalis a nonnullis נר מערבי appellatur, & uti stipes, cui insidebat, reliquis ramis erat ornatior, ita & ipse ellychnium habuisse dicitur conversum ad Sanctum Sanctorum : [3] quamvis alii putent lychnum unum, qui solus e septem interdiu arsit, & e quo reliqui lychni accendebantur vesperi, quique occidentalis a Judæis appellatur respectu lychni alterius qui ad latus ejus erat & orientalis dicitur (quod horum duorum singularem rationem haberet sacerdos in concinnando mane lychnucho) non fuisse lychnum medium, sed secundum. [4] De situ lychnuchi in Sancto disputatur : quidam volunt ramos ejus ab oriente ad occidentem protensos fuisse, quod omnia vasa ædis sacræ juxta longitudinem domus collocata fuisse in *Gem. Menachoth. fol.* 98. 1. & *Siphra fol.* * 263. 1. tradatur, excepta arca : [5] alii inter Austrum & Aquilonem, ut ita aptius concipi queat medium lychnum occidentalem fuisse appellatum.

§. IX. Usus lychnuchi nocturnus.

IX. Ardebant lychni septem hujus lychnuchi תמיד semper coram facie Dei, id est, [6] singulis noctibus, *a vespera usque ad mane* מערב עד הבקר *Exod.* 27. 21. *Levit.* 24. 3. quare accendebantur בערב 2. *Chron.* 13. 11. aut בערבים *inter duas vesperas*, *Exod.* 30. 8. sed mane sacerdotum munus non erat להעלות את הנרות accendere lucernas, (id erat munus vespertinum) sed להיטיב [7] *concinnare*, id est, sordes tollere &c. quando extinguebantur lychni. 1. *Sam.* 3. 3. Hi duo actus distincti respectu temporis etiam nominibus his distinguuntur *Exod.* 30. 7. & 8. quod fieri debuisse non videtur, siquidem idem fuisset vespertinum, idem matutinum, lychnuchos videlicet accendendi, officium. Quod si stante Templo secundo Judæi etiam interdiu lychnos aliquos lucere voluerint, id putantes denotari voce תמיד (vide *Siphra* fol. * 3. 2.) & verbo singulari נר, quia dicitur להעלות נר תמיד (uti est in *Siphra* fol. 261. 1.) vel unum illum qui in Misna occidentalis nuncupatur, ut ignis esset ἀθάνατος in Templo (quo Diodori Siculi & Josephi testimonia nos ducere videntur) non tamen vel jussisse hoc Deum, vel in Tabernaculo hunc morem observatum fuisse, arbitramur. [8] Usui lychnuchi inserviebat oleum idque purum, [9] cujus dimidius locus sufficiebat unicuique lychno, *Menachot*. IX. 3. ita ut lucere posset per noctem longissimam Tebeth. *Gem. Hier. Joma.* 39. 4. Deinde מלקחות [10] forcipes aurei, מחתות, vascula quibus prunæ imponebantur, & lecythus olei.

§. X. Altare suffitus ejusque situs & forma.

X. [11] Altare suffitus male nonnulli in Sancto Sanctorum collocatum voluerunt, quia videlicet 1. *Reg.* 6. 22. השזבח אשר לדביר appellatur, & quia θυμιατήριον χρυσοῦν *Hebr.* 9. 4.

9. 4. in Sancto Sanctorum fuiſſe dicitur : nam illud לדביר notat non in ipſo דביר, ſed ante illud לפני הפרכת ante velum diſtinguens Sanctum a Sancto *S*anctorum , uti dicitur *Exod.* 30. *6.* vel לפני ארון העדות *ante arcam fœderis Exod.* 40. 5. in medio Sancti , e regione arcæ quæ in medio Sancti Sanctorum erat , collocatum fuiſſe altare ; quum menſa & lychnuchus non eſſent e regione arcæ , ſed ad latus utrumque Tabernaculi . De θυμιατηρίῳ quod *Hebr. 9.* 4. in Sancto Sanctorum fuiſſe legitur , vide infra §. *ult.* Ligneum erat , ſed auro obductum , ad craſſitudinem denarii , uti legitur in *Gem. Eruvin. 19.*, [12] longum cubitum unum , & latum, altum vero duos. [13] Nota cubitos, quorum in dimenſionibus tabernaculi & templi fit mentio , omnes eſſe ſex palmorum , excepto hoc altari ſuffitus , & cornibus , circuitu , ac fundamento altaris exterioris , in quibus cubitum quinque palmorum Judæi volunt intelligi *Gem. Hier. Schecalim fol. 9. col.* 2. *&* *Gem. Menachoth. 97.* 1. In ſummo quatuor cornibus ad 4. angulos , & limbo (זר) circumquaque , erat ornatum , ſuperne (גגנו) ſolidum , [14] cui imponebantur prunæ ex vaſculo effuſæ cum ſuffitu adolendo . *Exod.* 30. 1. Hoc ut commodius portaretur , annuli duo aurei lateribus erant affixi , per quos immittebantur vectes ; qui an ſemper annulis immiſſi manſerint , an vero tantum , quum altare alio portandum eſſet , diſputatur.

§. XI. Deſcriptio ipſius ſuffitus.

XI. [15] Suffitus ipſe , ſive pulvis aromaticus , dicitur *Exod.* 30. 34. componi ex his quatuor, לבנה זכה. חלבנה. שחלת. [16] נטף. id eſt, uti vulgo redditur, 1. *Gutta*, videlicet opobalſami , ſed alii explicant ξυλοβάλσαμον , quo Syri ὡς ἀρώματι χρῶνται , teſte Strabone *l.* XVI. Philo autem ſcribit hoc ὑδατῶδες fuiſſe & σάκτην appellat , ſic ut ſuccus fruticis aut arboris intelligi debeat . II. [17] *Onyche* , i. e. ut quidam volunt *unguibus aromaticis* , vel , ut alii, partibus quibuſdam junci odorati Syriaci , quas ungues appellari teſtatur *Plinius*, *l.* XXI. 18. III. [18] *Galbano aromatico &* IV. [19] *thure puro*. At Judæi in *Gem. Kerituth.* 78. 1. & *Gem. Hier. Joma.* 41. 4. ſeptem præterea memorant aromata in ejus confectione adhiberi ſolita , quæ Moſes conſulto præteriit , 1. [20] Myrrham . 2. [21] Caſiam . 3. [22] Spicam nardi . 4. [23] Crocum . 5. [24] Coſtum . *6.* [25] Calamum aromaticum . *7.* [26] Cinnamum . Confer *Jeſ.* 43. 23. *Jerem. 6.* 20. *Syracidem cap.* 24. 17. 18. & Joſephum de *bell. Jud. 6. 6.* Hæc præcedentibus juncta undecim efficiunt אחד עשר סממנין dicta in *Midraſch Schir Haſſchirim. fol.* 12. 4. & 21. 3. Quibus alii addunt, כפית הירדן, [27] ambram Jordanis, מעלה עשן, [28] herbam , qua fumus ſuffitus recta adſcendebat , & מלה סדומית, [29] ſal Sodomiticum , quod magis exſiccare , digerere , & extenuare quam alia ſalia teſtatur Galenus *lib.* IV. *de ſimplic. medic. facult.* quæ ſine certo pondere aromatibus miſcebantur .

§. XII. Præparatio ſuffitus.

XII. Hæc omnia ut probe miſceri poſſint, in [30] mortario æneo redigi debuerunt in pulverem . *Exod.* 30. *36.* & onyx præcipue ſive שחלת fricari [31] *ſapone Carſchinæ* , בורית כרשינה , & lavari *vino Capparisſin* יין קפריסין *Gem. Hier. Joma.* 41. 4. Hæc peragenda fuiſſe dicunt Judæi [32] in atrio, ubi & ſervabatur ſuffitus (certe ſtante Templo II. is mos obtinuit) in uſum totius anni [33] quantitate 368. librarum confectus, donec vel veſperi vel mane ſemis ex eo adoleretur . Vide *Gem. Schevuoth* 10. 2. Has autem libras 368. ita Gemarici ſupputant in *Gem. Kerituth fol.* 28. 1. ut ſint,

הצרי והצפורן והחלבנה והלבנה Singula 70. libræ , id eſt , univerſim	280
מר וקציע שיבול נרד וכרכום Singula 16. libræ.	64
12 libræ הקושט	12
3 libræ קילוף	3
9 libræ קינמון	9
	368

§. XIII. Menſa panum propoſitionis.

XIII. Menſa ad ſeptentrionem Sancti collocata erat , ita ut ejus [34] longitudo conveniret longitudini ædis, cui imponebantur 12. panes , dicti *facierum* פנים ſive propoſitionis , etiam לחם המערכת *Nehem.* 10. 33. Lignea erat , auro obducta, alta cubitum cum dimidio , [35] longa cubitos duos , ſive palmos 12. (*Menachoth.* XI. 5.) ita quidem ut panes [36] (qui 10. palmos longi erant, antequam replicarentur , at *6.* palmos , poſtquam eſſent replicati) longitudine ſua latitudini menſæ eſſent æquales; & latitudine ſua (quæ erat ſingulis 5. palmorum , adeoque junctim , quia duo erant panum ordines , palmorum 10.) tegerent 10. palmos longitudinis menſæ , & ſpatium 2. palmorum intermedium relinquerent acerris thuris deſtinatum . Erat autem menſa cubitum lata unum , circumdata in medio , ut videtur, altitudinis menſæ cingulo palmari

mari sive zophoro, מסגרת; cujus ope pedes 4. jungebantur, quodque ambiebatur corona זר dicta, distinguenda omnino ab alia corona זר quæ ipsam mensæ tabulam cingebat. De illa agitur *Exod.* 25. 25. de hac *Exod.* 25. 24. & quatuor pedibus, quorum singulis affixus erat annulus, non pendulus, sed fixus, (quod & ex origine vocis טבעות & testimonio Josephi *lib.* III. *Ant.* 7. colligitur) cui vectis immitti poterat quum portaretur, innitebatur. *Exod.* 25. 23.

§. XIV. Supellex ad mensam pertinens.

XIV. Vasa quatuor præterea memorantur, *Num.* 4. 7. ad usum mensæ fabricata, I. קערות positæ supra mensam, *Exod.* 37. 16. quas lances sive vascula planiora, quibus acerræ thuris imponebantur, fuisse putamus (uti *Num.* 7. 14.) II. כפות acerræ thuris (quales *Num.* 7. 14.) III. & IV. [37] קשות ומנקיות quo duplici nomine una res, respectu duarum qualitatum, posset insigniri, calami nempe duri & intus cavi, qui inter panes ponebantur: nam idem usus utrisque adscribitur; קשות הנסך nuncupantur *Num.* 4. 7. & de מנקיות dicitur *Exod.* 25. 29. אשר יסך בהן, & de קשות idem dicitur *Exod.* 37. 16. sic ut tegendis panibus inservierint, ut liber aeri daretur inter panes transitus. Vel suspicari licet his nominibus par vasculorum indicari, quibus inditum thus e sancto delatum in ignem altaris exterioris effunderetur.

§. XV. Panum figura & usus.

XV. Panes hi, pecunia ærarii sacri emti (*Neh.* 10. 33.) oblongi erant, 10. palmos longi, quinque lati (uti traditur in *Menachoth.* XI. 4.) quibus Hebræi eminentias duas laterales, vel [38] cornua, קרנות, attribuunt, alta septem digitos, nata ex gemina panum in extremitatibus replicatione, unde potissimum panes facierum vel laterum dictos existimant. Hujus figuræ character Talmudicis est יהו. 10. 5. 7. Crassi erant digitum unum, & confecti ex farina purissima sine fermento, continentes singuli [39] duas decimas Ephæ, dispositi duobus ordinibus in mensa, distincti tamen (certe stante Templo II.) ne unus alterum premeret, & ut aeri liber ad illos pateret aditus, [40] calamis 28. aureis, quales tres inter unumquemque panem collocatos volunt, excepto supremo qui duobus tantum innitebatur. *Gem. Menachoth.* 97. 1. [41] Horum calamorum remotio fiebat die Veneris, collocatio autem die solis, quia hæc non pellebant jura Sabbathi. *Siphra* fol. * 263. 1. [42] Stipites etiam 4. aureos, סניפים, duos singulis ordinibus adaptarunt, quos ipsi solo quidem insistere faciunt ut sint alti 21. palmos, 9. a solo ad mensam, 12. pro altitudine panum. Vide *Siphra* fol. * 262. 2. [43] Singulis autem Sabbathis panes recentes substituebantur, *Lev.* 24. 8. & illi qui in Sancto collocati fuerant [44] comedebantur a Sacerdotibus accedentis & recedentis Ephemeriæ, non ante nonum nec post undecimum diem a coctione. *Erachin.* 11. 2. *Gem. Pesachim.* 47. 1. Una cum hisce panibus mensæ imponebantur duæ [45] acerræ thuris, quas nonnulli super geminos eorum ordines, alii inter illos in ipsa mensa collocatas fuisse arbitrantur. Vide *Siphra* fol. * 263. 1. Forsitan, ut his & illis fides constet, distinguenda sint tempora, ut olim aliter quam stante Templo secundo (quum secundum placita Pharisæorum omnia quæ ad cultum sacrum & cerimonias publicas spectabant, fierent) se & hæc & alia multa habuerint.

§. XVI. De Libamine in mensa sacra.

XVI. [46] Non desunt, qui una cum panibus mensæ sacræ imposita libamina existiment, 1. Quod *Exod.* 37. 16. & alibi vasa imposita mensæ legantur, אשר יסך בהם, id est, uti illi reddunt, *quibus libetur*, ἐν οἷς σπείσεις. 2. Quod σπονδεῖα memorent in mensa fuisse interpretes Alexandrini, Philo, Josephus. 3. Quod fertis libamina jungi soleant. 4. Quia *Exod.* 30. 9. de altari suffitus speciatim mandatur, super eo libandum non esse. Sed obstat hæc sententia constanti Judæorum traditioni, nec ullum in Sacro Codice habet firmamentum, ipsæque illæ rationes quatuor istius ponderis non videntur, ut nos cogant illi opinioni subscribere: nam I. illud יסך reddi potest *tegetur*, ut calamos, vel *effundetur*, ut acerras thuris, indicet. II. σπονδεῖα quid si male reddiderint interpretes Græci, quos Philo sequitur? quibus in Ægypto viventibus hæc ignorantia rituum Hierosolymitanorum potuit subrepere? Josephus autem σπονδεῖα scribit a Pompejo visa; at non imposita mensæ sacræ, aut vino repleta, sed cum pecunia sacra, congestis aromatibus aliisque quæ extra Sanctum fuerunt, aut certe esse solebant: ne dicamus de latiori usu vocis σπονδείων. III. Fertis omnibus libamina juncta fuisse falsum est. IV. Quia in altari suffitus libatio interdicitur, ergo in mensa libamen fuisse non sequitur.

§. XVII. Reliqua vasa Sancti.

XVII. Videtur & in Sancto fuisse lecythus olei sacri, quod Zadok Pontifex M. ex Tabernaculo petiisse legitur ut Regem Salomonem ungeret, quod multi putant idem fuisse atque [47] illud oleum quo sacerdotes ungebantur, unde in *Targum Coheleth*, *cap.* 7. 2. legitur משחא דרבותא דהוא מתרבי על ריש מלכיא וכהניא Alii vero existimant, quum Deus oleo sacro, quo sacerdotes ungi voluit, ullum præterea mortalium ungi vetuerit, alio oleo unctos fuisse Reges quam sacerdotes: utrosque tamen oleo sacro, sed diversi generis. Dici etiam posset id interdictum Dei spectare ea tempora, quæ tunc erant

erant, quum nulli adhuc reges essent in populo Israelitico. 1. *Reg.* 1. 39. Præterea in Sancto fuisse videtur codex in quo Samuel jura regni descripsit. 1. *Sam.* 10. 25.

§. XVIII. Sanctum Sanctorum.

XVIII. Sanctissimum Tabernaculi adytum, Hebræis קדש קדשים & דביר quod per λαλητήριον reddit Hieronymus in *Comm. ad Epist. ad Ephes. cap.* 2. Græcis ἅγια ἁγίων dicitur. Separatum hoc erat a Sancto [48] velo pretiosissimo, חשב, quod appensum erat columnis ligneis auro obductis, insertisque basibus argenteis sub isto spatio quod laqueoli & ansulæ connectentes utramque partem veli primi Tabernaculum tegentis occupabant, תחת הקרסים *Exod.* 26. 33. Nulli post Mosen, nisi Pontifici Maximo, introire in hoc Penetrale concessum fuit. *Num.* 7. 89. *Hebr.* 9. 7. & solo quidem die Expiationis [50] quatuor vicibus. 1. Ad suffitum adolendum. 2. Spargendum sanguinem Juvenci. 3. Et hirci. 4. Ad exportandum thuribulum & acerram. [51] At ubi vel ipsius vel aliorum quoque opera illic necessario requireretur, & ipse & Sacerdotes id intrabant.

§. XIX. Arca fœderis descripta.

XIX. Præcipuum hujus Conclavis ornamentum fuit [52] Arca fœderis, dicta ארון הברית, κιβωτός, opus quidem Bezaleelis, alta & lata cubitum ac dimidium, longa duos & dimidium, [53] ex ligno Schittim fabbricata, & [54] auro obducta, supra limbo [55] aureo, & ad latera in latitudine 4 annulis aureis, [56] quibus immissi vectes duo, disponendi tamen alio modo quum arca portari debuit quam quum in Sancto Sanctorum quiesceret (vid. *Num.* 4. 6.) & protensi versus Sanctum semper inerant, ornata. *Exod.* 25. 10. 15. sic collocata ut longitudo arcæ conveniret latitudini ædis.

§. XX. Arcæ magnitudo.

XX. Alta erat & lata cubitum & dimidium, longa duos & dimidium, [57] extrinsecus metienda: nam, quia operculum etiam cubitos duos & dimidium longum erat, incidisset in arcam, si tanta fuisset longitudo arcæ interna. Erat autem [58] cubitus sex palmorum אמה בת ששה טפחים, uti dicitur *Gem. Bava bathra*. 14. 1. *Gem. Hier. Sota*. 22. 3. Sic ut una cum operculo [59] altitudo arcæ fuerit 10. palmorum. Operculi enim altitudo unius palmi fuisse legitur in *Gem. Nidda*. 26. 2. *Gem. Schabbath*. 92. 1. *Gem. Sanhedrin* 7. 1. Observant Judæi, quum reliquorum fere vasorum Tabernaculi memoretur in sacro Codice longitudo, latitudo atque altitudo, [60] operculi altitudinem non dedisse Mosen. Sed palmarem eam fuisse colligunt ex limbo mensæ palmum alto. *Exod.* 25. 25. quoniam eædem phrases de utroque adhibentur, de uno vase judicium ferentes secundum aliud, דנין כלי מכלי. *Gem. Hieros. Schabbath*. 2. 4.

§. XXI. Operculum arcæ.

XXI. Pretiosissima hujus arcæ pars fuit operculum aureum, quod Hebraice כפרת dicitur, Græce ἱλαστήριον, sive Propitiatorium, quod [61] solenni expiationi quotannis inserviret sanguinem adspersum excipiendo. Origenes in Philocalia p. 107. distinguit ἐπίθεμα arcæ & ἱλαστήριον, atque ita & Judæi quidam כפרת supra כסוי, id est ἐπίθεμα, arcæ fuisse volunt. Vide *Siphra fol.* * 165. 1.

§. XXII. Cherubini supra operculum.

XXII. Supra [62] hoc operculum duæ imagines aureæ Cherubinorum passis alis sursum, ac sibi mutuo obversæ & inclinatæ versus operculum, eminebant. [63] Horum figura quæ fuerit incertum fere est: nisi quod constet imagines fuisse alis, facie, pedibus, manibusque instructas. Facies humana ipsis non fuit, nam *Ezech.* 10. 14. facies Cherubini & facies hominis distinguuntur: nec per omnia hominibus similes fuisse indicio est quod *Ezech.* 10. 8. legatur manum humanam iis fuisse sub alis. Sunt qui putent, quia quæ *Ezech.* 1. 10. facies bovis dicitur, appellatur *Ezech.* 10. 14. facies Cherubini, facie illos bovina fuisse, ut & quia Cherubinus Jeroboami bos appellatur *Hos.* 8. 6. sed 1. *Reg.* 7. 29. distinguuntur boves & Cherubini: nec dubito, si sacri scriptores voluissent nos magis accuratam habere formæ Cherubinorum notitiam, quin clarius & copiosius descripturi fuissent.

§. XXIII. Tabulæ fœderis in arca contentæ.

XXIII. In ipsa arca [64] servabantur duæ tabulæ lapideæ fœderis, longæ 6 palmos, totidem latæ & tres crassæ, uti Judæi tradunt in *Gem. Bava Bathra*. 14. 1. *Gem. Nedarim*. 38. 1. *Gem. Hier. Taanith*. 68. 3. *Gem. Hier. Sota*. 22. 3. *Gem. Hier. Schekalim*. 9. 2. quas die sexto creatas narrant in *Gem. Pesachim*. 54. 1. Has autem Hebræi ita arcæ impositas fuisse volunt, ut ex longitudine arcæ, 15. palmorum, tabulæ juxta se invicem collocatæ occupaverint palmos 12. & tres palmi reliqui numerentur, duo pro spatio in quo erat liber legis & dimidius palmus pro crassitudine lateris arcæ hinc & dimidius inde. Ex latitudine vero arcæ, quæ 9. erat palmorum, tabulæ occupaverunt 6, quibus si addatur dimidius hinc & dimidius inde pro crassitudine lateris arcæ, restant palmi duo vacui, ut tabulæ erui commode ex arca & immitti possent. Vide hæc *Gem. Hieros. Schekalim* 49. 4. & *Gem. Succa*. 5. 2.

§. XXIV. Amphora mannæ.

XXIV. [65] Amphora Mannæ, צנצנת Hebraicæ, στάμνος Græce, *Hebr.* 9. 4. continebat cibi hujus cœlestis & incorrupti quantitatem עמר dictam, ad memoriam ejus rei conservandam, eratque ex auro, & ansis (uti ex nummis veteribus colligitur) duabus instructa: quale vas cum Græci ὄνον, *asinum*, appellarent, hinc nata videtur calumnia

lumnia Judæos asinum penetrali sacravisse, cujus beneficio vitam in locis desertis produxerint.

§. XXV. Virga Aaronis.

XXV. Virga Aaronis, מקלו של אהרון, in testimonium adsignati generi Aaronico sacerdotii, florens & producens amygdalos, (שקדים cujus vocis literas Judæi observant per Geometriam eundem numerum (454) reddere quem חשמונים quod Sacerdotium nunquam illustrius fuerit quam sub Chasmonæis) in Sancto quoque Sanctorum ad latus arcæ fuit reposita, *Num.* 17. 10. Hanc nonnulli putant viriditatem suam perdidisse lapsu temporis, alii vero conservasse, quamdiu in S. Sanctorum fuit, videlicet usque dum arca fuit abscondita regnante Josia: nam cum illa virgam hanc, & oleum unctionis, & amphoram mannæ absconditam ferunt Judæi in *Gem. Kerituth.* 77. 2. Non videtur eadem illa fuisse ac baculus Mosis, quo tot opera prodigiosa præstitit, quia mirum non fuisset eam virgam, tot rebus patratis inclytam, efflorescere, licet aliæ virgæ ordinariæ nullam mutationem paterentur: debebant autem omnes virgæ esse conditionis paris, ut Deus ipse ex iis unam indicaret, quam præ reliquis sacerdotio dignaretur.

§. XXVI. Liber Legis.

XXVI. [66] Liber legis, ספר התורה (per quem alii exemplum omnium legum Mosaicarum, alii Deuteronomium, alii Pentateuchum ejusve maximam partem, intelligunt) a Mose scriptus, erat hujus quoque loci κειμήλιον & ספר תורה שבהיכל a Judæis nuncupatur. Hunc ad latus arcæ (quidam id intra, sed minus apte, quidam extra arcam, concipiunt) collocatum erat, *Deut.* 31. 26. Arcam quamdam singularem huic usui tribuunt in *Gem. Bava Bathra.* 14. 1. *Gem. Hier. Sota.* 22. 4. *Targum Deut.* 31. 26. Distinguendus ille est a ספר העזרה *Libro atrii*, sive Pentateucho, in quo Pontifex Maximus coram populo legebat in atrio mulierum die expiationis. *Kelim.* xv. 6. *Moed. Katon.* 111. 4. *Gem. Hierof. Taanith.* 68. 1. & e quo Rex exemplum suum Pentateuchi describere, aut corrigere saltem, ubi opus esset, debebat.

§. XXVII. Nubes supra arcam.

XXVII. Supra arcam & alas Cherubinorum erat [67] illustre præsentiæ Divinæ symbolum, columna nubis, quæ absoluto Tabernaculo locum illum sanctissimum inhabitavit, *Levit.* 16. 2. & ibidem conspicua adhuc fuit tempore Samuelis *Ps.* 99. 7. & postea in Templo primo, non vero in secundo, quod arca fœderis caruit. Confer *Ezech.* 10. 3. & 11. 22.

§. XXVIII. Nihilne in arca fuerit præter tabulas.

XXVIII. Præter tabulas fœderis nihil erat in arca tempore Salomonis. 1. *Reg.* 8. 9. Antea credibile est amphoram mannæ & virgam Aaronis quoque in ea fuisse (nec enim, quum de translatione vasorum Tabernaculi agitur, harum ulla fit mentio) videlicet quum arca toties mutaret locum in solitudine & terra Canaan, ante exstructum Templum: quæ condito Templo fuerunt exemptæ & juxta arcam collocatæ in Sancto Sanctorum. Pro hac sententia faciunt verba *Hebr.* 49. ἐν ῇ, videlicet arca, fuerunt amphora mannæ, &c. Quamvis alii illud ἐν, tum ex consuetudine Græcorum, tum Judæorum Græce loquentium & illud ἐν pro ב substituentium, reddant *cum*, uti eodem illo capite, commate 25. ἐν αἵματι, *cum sanguine.* Sic *Gen.* 32. 10. & 2. *Sam.* 23. 21. ἐν ῥάβδῳ. *Ps.* 23. 5. & *Siracid.* 45. 17. ἐν ἐλαίῳ. *Matth.* 3. 11. ἐν ὕδατι. Quod nempe illud per ב Hebræi dicerent, quod *cum* & *apud* significat *Lev.* 1. 16. *Jos.* 24. 26. Græcos ipsos & Romanos ita nonnunquam locutos patet ex his loquendi modis, ἵπποι ἐν πτερόισιν, *sequi in hastis*, & *occurrere in jaculis*, qui apud Pindarum, Ennium, & Virgilium leguntur.

§. XXIX. De capsulis arcæ lateralibus.

XXIX. Quidam existimant ad latera arcæ capsulas fabricatas fuisse, & de iis agi volunt 1. *Sam.* 6. 25. *Deut.* 31. 26. Sed quum altum sit de iis silentium eo loco ubi omnes arcæ partes accurate describuntur, tuto creditur capsas hasce mera esse commenta. Ea ipsa quæ reponenda in his capsis volunt, jubentur poni מצד ארון *a latere arcæ*, & בארגז מצדו *in capsa a latere arcæ.* Vid. 1. *Sam.* 6. 15. & *Deut.* 31. 26. Illa autem capsa (ארגז) etiam fatentibus Judæis in *Gem. Kerituth.* 77. 2. & *Gem. Hier. Sota* 22. 3. separata fuit ab ipsa arca.

§. XXX. Thuribulum.

XXX. [68] Θυμιατήριον quoque aureum in Sancto Sanctorum fuisse legitur, *Hebr.* 9. 4. quo nomine non altare aureum suffitus, sed [69] acerra thuris, quæ in S. Sanctorum die expiationis inferebatur, & vas huic loco proprium dici potest, & ab aliis acerris sacris pretio distinguebatur, (uti in *Joma* IV. 4. legitur) debet intelligi, quum ceteroquin quotidie ad adolendum suffitum sacerdos intrare in S. Sanctorum debuisset, & Josephus *lib.* 1. 5. *de Bell.* θυμιατήρια ὁλόχρυσα plura memoret, & Pollux *l.* 1. 28. & 10. 28. Hesychius aliique acerras vocent θυμιατήρια.

COMMENTARIUM IN CAP. QUINTUM.

[1] TRia *erant &c. Babyl. Joma fol.* 33. Mensa erat ab aquilone, a pariete remota cubitis duobus & dimidio, Candelabrum erat ab austro remotum etiam a pariete cubitis duobus & dimidio; Altare positum erat in medio, protractumque pariter aliquantum versus orientem. *Kimchi* 1. *Reg.* VI. 22. Altare prope adytum erat, licet non fuerit intra illud, sed in templi palatio, positum quippe erat e regione ostii adyti; nam in templo mensa versus plagam septentrionalem distans a pariete duos cubitos cum dimidio; & candelabrum in plaga meridionali distans totidem cubitos, sed ara suffitus media inter utrumque aliquanto prominebat posita e regione ostii adyti. *Schilte Haggibborim cap.* XXXI. Cuilibet Lectori constabit, in Templo fuisse Candelabrum, mensam auream, & altare Suffitus. Candelabrum situm erat ad meridiem, mensa ad septentrionem, cui impositus erat panis facierum, & altare aureum, quod æque a candelabro ac a septentrione distabat, & hæc tria sita erant a tertia parte Templi & interius contra velum, quod dividebat inter Sanctum & Sanctum Sanctorum. *Vide Maimonidem de Templo. cap.* 1. 7.

[2] *Lychnuchus &c. Schilte Haggibborim* ibidem. Candelabro pedes erant tres. Palmos duodeviginti altum erat, dicit Samuel nomine Raba, & Raba affert explicationem ex lege in sectione Candelabri, quando dicit Textus; Hæc autem erat factura *Candelabri &c.* (*Num.* VIII. 4.) ex ejus pede usque ad florem, quod vox ורה significat (*numerice*) 18. idest octodecim palmos, ut dixit (*ridicula ratio*.) Pedes & flos erat trium palmorum; (deinde) duo palmi læves, (dein) palmus, in quo erat scyphus, malum, & flos; (deinde) duo palmi læves, (dein) palmus, in quo erant malum, & duæ cannæ hinc inde ex eo egredientes, surgentesque usque ad altitudinem summam Lychnuchi; (dein) palmus lævis, & palmus, malum, & duæ Cannæ hinc inde ex eo egredientes, assurgentesque ad altitudinem Lychnuchi, (deinde) palmus lævis, & palmus in quo erat malum, ex quo procedebant duæ cannæ, una hinc, & illinc altera, quæ assurgebant, & pertinebant ad Lychnuchi altitudinem; (dein) duo palmi læves, reliqui erant tres palmi, in quibus erant tres Scyphi, & malum, & flos; Scyphi cui erant similes? uti pocula Alexandriæ, quæ ore patulo, fundo sunt angusto. Mala cui Similia erant? Erant similia pilæ non omnino rotundæ, sed oblongulæ instar ovi avis; Flores cui similes erant? uti flores columnarum, qui referebant quamdam quasi lancem, cujus ora foris convolvebatur. Et ecce, quatuor scyphi, duo mala, & tres flores erant in calamis Lychnuchi; & etiam tria alia mala erant in ipso, a quibus egrediebantur sex calami, tres hinc, & illinc tres; & in singulis calamis tres scyphi, malum, & flos; & omnia erant amygdalata, idest ex opere amygdalato; quod artificium notum est ærificibus, qui malleant frustum, usquedum amygdalatum fieret. Deprehendebantur omnes crateres fuisse 22. flores 9. & mala 11. Crateres 22. juxta versiculum qui dicit; *In ipso autem Candelabro erunt quatuor scyphi*. (*Exod.* XXV. 34.) octodecim calamorum, & quatuor faciunt 22. Mala etiam erant undecim, duo mala, & sex calamorum, & tria mala infra sex calamos, ecce undecim; sed flores fuisse novem unde probatur? duo flores in pede, & sex calamorum, sunt octo. Dixit R. Schalman, *a pede suo usque ad florem suum*; erat flos prope pedem. Scyphorum si deesset unus, reliquos faciebat illegitimos; flores inter se impediebant; malorum si deesset unum, reliqua faciebat illegitima, Scyphi, mala, & flores inter se impediebant, septem calami inter se impediebant, septem lucernæ etiam inter se impediebant *Vide Maimonidem de Templo cap.* 3. *& ejus commentarium ad Menachoth. cap.* III. 7.

[3] *Quamvis alii &c.* Bartenora ad cap. III. 9. *Tamid*. Prius autem quinque occidentales disponebat, & non quinque orientales, & postea duas occidentales disponebat, quæ accendendæ erant, sed non eo ordine pergebat, quia scriptum est. *Levit.* XXIV. 3. *Ad accendendum lucernam jugiter ardentem extra velum testimonii in tabernaculo fœderis*, dicit itaque lex aliquam lucernam destinatam esse ad accendendum ex illa alias, sed quænam ista est? Lucerna secunda ad orientem, quæ lucerna orientalis vocabatur; quando enim quis templi palatium ingrederetur, prius obviam veniebat isti lucernæ.

[4] *De situ Lychnuchi &c. Misna Menachoth* cap. IX. 6. Omnium, vasorum in Sanctuario longitudo ponebatur in longitudine domus: *Bartenora* in hunc locum; *Longitudo illorum erat secundum longitudinem domus;* Vasa posita erant in longitudine sua ab oriente ad occidentem, Arca excepta, cujus longitudo posita erat secundum latitudinem domus; nam vectes arcæ prodibant in locum veli, in modum mammarum fæminearum, uti scriptum est. 3. *Reg.* VIII. 8. *Cumque eminerent Vectes, & apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum:* Vectes autem protendebantur per arcæ latitudinem, nam si per longitudinem protenderentur, inter vectes tantum esset spatium latitudinis arcæ, scilicet cubiti & dimidii. Duo vero homines, qui Arcam ferebant ab una & ab altera parte, inter vectes intrare non poterant, idcirco absque dubio per latitudinem Arcæ protendebantur, ab Oriente ad Occidentem, nam in velo prolongabantur, ita consequitur, quod arcæ longitudo proportionata erat ad domus latitudinem. *Idem ibidem sentit Maimonides*. Omnia vero hæc vasa erant secundum longitudinem domus, arca excepta, cujus longitudo secundum latitudinem domus proportionata.

[5] *Alii inter Austrum & Aquilonem &c. Maimonides, qui sibi contradicit, de Templo cap. III.* 12. Mensæ longitudo palmorum erat duodecim, & sex palmorum latitudo, sicque sita erat, ut ejus longitudo responderet longitudini templi, & latitudini latitudo. Atque reliquorum etiam, quæ in templo inerant, utensilium situs erat ejusmodi, ut ad templi longitudinem spectaret eorum longitudo, & eorum latitudo ad templi latitudinem. His oportet excipias Arcam, cujus erat latitudo conversa ad templi longitudinem. Itemque lucernæ candelabri ad templi latitudinem spectantes sitæ erant inter septentrionem & meridiem. *Vide, & perlege diligenter Schilte Haggibborim. Cap. XXXI.*

[6] *Singulis noctibus &c. Maimonides de Sacrificiis Jugibus &c. cap. III.* 11. Erat in unamquamque lucernam infundendus dimidius logi olei nam quod est in lege *a vespera usque* (*Exod.* XXVII. 20.) id hoc significat dandam esse lucernæ mensuram olei eam, quæ suppeditat ad ardendum a vespero ad diluculum.

[7] *Concinnare &c. Tamid cap. VI.* Incipiebant ascendere per gradus vestibuli, qui designati erant ad decinerationem altaris interioris, & candelabri, præcedebant coram facie eorum, cui obtigerat decineratio Altaris interioris, ingrediebatur, & sumebat Teni, incurvabat se & exibat; cui obtigerat decineratio candelabri, ingrediebatur, quando inveniebat duas lucernas orientales ardentes, decinerabat illam, quæ erat ad orientem, & sinebat occidentalem ardere, quia ad illam accendebat inter vesperas, quando inveniebat extinctam, accendit eam in Altari holocausti, deinde sumens Cos e gradu secundo, & se incurvans exiit. *Maimonides de Sacrificiis jugibus Cap. III.* 10. Ut mane vesperique tollerentur de candelabro cineres, lucernæque accenderentur apte, jubendo sancitum est. Videmus enim in lege scriptum. *Collocabunt eam Aaron & filii ejus &c.* Quid est igitur de candelabro tollere cinerem? Nempe siqua fuerat exstincta lucerna, ex ea tollebatur ellychnium, & quidquid in ea supererat olei, tum in eamdem probe extersam aliud ellychnium indebatur, item & aliud oleum, idque mensura, quæ erat dimidius logus. Quod sublatum fuerat abjiciebatur in locum cinerum juxta altare ad cinerem altaris interioris, exteriorisque, tum quæ lucerna extincta fuerat accendebatur.

[8] *Usui Lychnuchi &c. Tosaphta Menachoth cap.* IX. 17. Non adducendum erat oleum nisi ex olivis ad id destinatis; R. Jehuda dicit, non molis molebat,

nec in mortario contundebat; non premebat trabe, sed lapidibus, non colligebat olivas in canistrum, sed circum canistrum; Primum oleum, quod penetrabat intra canistrum, erat pro Candelabro, secundum & tertium pro muneribus. *Maimonides de rebus altari interdictis cap. VII.* 8. Sunt olivi genera novem ob variam ejus efficiendi rationem; nam si quis ex oliva summa singulas baccas decerpserit, & easdem etiam sigillatim selectas ac contusas in corbe olearia posuerit, stillatum inde oleum, primum appelletur, quas si posthac etiam prælo obtriverit, stillatum inde oleum, secundum nuncupetur, sin rursum dissectas prælo obtriverit, expressum inde oleum tertium dicatur. Jam si quis universas arboris oleas promiscue distrinxerit, tum ex his iisdem in tecto dispositis sigillatim aliquot delegerit, & has contusas in olearia corbe imposuerit, stillatum ex istis oleum, quartum vocetur, easque si posthac prælo obtriverit, expressum hinc oleum, quintum nominetur, quas si dissectas rursum prælo obtriverit, expressum inde oleum, sextum dicatur. Jam si quis oleas distinctas domi valde exsiccarit, tum easdem contusas in olearia corbe imposuerit, stillatum inde oleum septimum nuncupetur &c. Atqui ad usum candelabri primum quartum & septimum tantum erant idonea, nam quod a lege dicitur; *Piloque contusam, ut ardeat lucerna semper.* (*Exod.* XXVII. 20.) hujus ea vis est, ad candelabri quidem usum id demum oleum fuisse idoneum, quod ex olivis contusis per se distillaret.

[9] *Cujus dimidius logus &c. Maimonides de apparatu Templi Cap.* I. 17.) Liquidorum erant mensuræ septem, hin, & dimidius hin, & tertiarius & quartarius; utebantur igitur dimidio hinne, tertiario, & quartario ad dimetiendum oleum fertorum, semilogo ad dimetiendum cuique candelabri lucernæ oleum.

[10] *Forcipes &c. Maimonides de Templo Cap. III.* 6. Forcipes, trullæ, atque vasa olearia non erant ex illo auri talento, nam de Candelabro præscribitur; *facies & candelabrum ductile de auro purissimo; Exod. XXV.* 31. tum rursus præscribitur; *& forcipes ejus, & trullas ejus facies de auro purissimo Exod.* ibid. 38. *Erat ante candelabrum lapis, in quo insistebat Sacerdos, emundaturus lucernas: Maimonides ibidem.* 11. Ante Candelabrum lapis erat positus, in quo tres inerant gradus. In eo lapide insistebat Sacerdos, qui lucernas emundaret ac componeret; in eodem Sacerdos ille vasa olearia, forcipes, & trullas candelabri reponebat in lucernis emundandis ac componendis.

[11] *Altare Suffitus &c.* Omnes Hebræi contradicunt. *Maimonides de Templo cap.* III. 17. Altare suffitus fuit quadratum cubitale, & erat positum in Templo inter Aquilonem & meridiem, nonnihil vero inter mensam, & candelabrum extra Vergens. Omnia autem tria sita erant a trientali, seu tertia parte templi, & interioris adyti ex opposito vel distinguentis inter Sanctum & Sanctum Sanctorum. *Aben Ezra* extrinsecus ante propitiatorium, ut recta ex adverso Arcæ sit collocatum. *R. Salomon* Situm e diametro ex opposito Arcæ extrinsecus. *Abarbanel* dicit, *& pones illud ante velum* ad indicandum, ut collocent altare hoc in templo Sancto extra velum, in medio latitudinis tentorii.

[12] *Longum cubitum unum &c. Maimonides de templo cap. III.* 17. Altare suffimentorum in longitudinem & latitudinem patebat cubitum unum.

[13] *Nota cubitos &c. Maimonides de Templo cap. II.* 6. Jam erant in altaris altitudine cubiti decem, eorum alii e palmis quinque, alii constabant e palmis sex, verum in reliquo templi ædificio, cuncti cubiti constabant e palmis sex. *Et ad cap. III. Middot* Jam diximus in Menachoth, quod cubiti altaris aurei, & altaris cornua, circuitus & fundamentum erant cubiti quinque palmorum (vulgaris autem & mediocris cubiti mensuram Misna memoravit sex palmorum) cætera vero sex palmorum, ita Traditione (*sed humana*) accepimus: *& ad Menachoth cap. XI.* 5. Dicit lex de Mensa *Exod. XXV.* 23. *habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum.* R. Jehuda dicit, cubitus in vasis conficit quinque palmos, R. Meyr dicit, omnis cubitus, cujus in lege fit mentio, vel apud sapientes, altari aureo excepto, & cornu altaris exterioris, circuitu, & fundamento; quæ sunt quinque, uti expositum est capite tertio codicis Middot; decisio est secundum R. Meyr. *Schilte Haggibborim cap. LXXII.* Sciendum cubitos, de quibus Rabbini nostri loquuntur, non fuisse omnes æquales, & ejusdem generis. Nam cubiti altaris aurei, cornuum, ambitus, & fundamenti seu fundi ejus, fuerunt quinque palmorum, secundum R. Jehuda in Gemara Menachoth cap. 11. Misna quinta, & hi vocantur cubiti parvi. Verum cubiti structuræ templi, & reliquarum rerum sacrarum fuerunt sex palmorum secundum sententiam R. Meyr, quam omnes sequuntur. His cubitis dimensus est Moses tabernaculum, & vocabantur cubiti Mosis, item cubiti mediocres, quod in Sanctuario cubiti fuerint his aliquanto majores. In Talm. Massecheth Kelim cap. 17. Misna 9. dicunt Rabbini nostri, quod duos cubitos habuerit porta orientalis montis domus, super quo erat Susan *regia*, unum super angulum orientalem aquilonarem, & unum super angulum orientalem australem; priorem excessisse dimidio digito cubitum. Mosis, alterum dimidio digito excessisse priorem, ita ut integro digito major fuerit cubito Mosis. Porro artifices occupati in opere Sanctissimæ & eximiæ hujus domus, semper accipiebant (ab offerentibus) ea quæ faciebant in opere, cubito Mosis, & restituebant cubito hoc, qui digito uno illum superavit; in rebus puta pertinentibus ad fissuras domus, quæ non fuerunt magni momenti vel pretii, idque ideo ut aliquid de suo addant, non detrahant, ne prævaricationis rei fierent, contra legem quæstum facientes ex re sacra & Deo dicata. Verum Aurifices, & Argentifices accipiebant cubito Mosis, & reddebant cubito ampliore dimidium digitum dumtaxat, ne magnum acciperent damnum, si redderent cubito integrum digitum majore. Cubito autem mediocri, quem vocant, dimetiebantur, ut dictum, res quasdam sacras, velut, longitudinem, & latitudinem templi, magnam item partem vasorum, & utensilium ejus, quasdam etiam res communes & prophanas.

[14] *Cui imponebantur prunæ &c. Tamid. cap. VI.* 2. Cui obtigerat thuribulum colligebat prunas super altari, expandebat ea extremitate thuribuli, & incurvans se abiit. *Maimonides de Sacrificiis jugibus cap. III.* 7. Qui thuribulum manu tenebat, is carbones super interius altare congerebat, tum ora thuribuli expandebat, idemque numen adorabat, & exibat.

[15] *Suffitus &c. Maimonides ad cap. I. 1. Kerituth*; Sed opus suffimenti quod attinet, lex quatuor illius aromata describit, nempe gummi, onyx, galbanum, & thus, cætera vero traditione (*sed humana non Mosaica*) accepimus, & comprehenduntur, sub eo quod scriptum est Exod. 30. 34. Dixerunt sapientes nostri Mosi undecim aromata præcepta esse in Monte Sinai, nempe quod ea limitatam habeant quantitatem. Porro undecim his aromatibus addiderunt sal sodomiticum, & ambram Jordanensem, & quod fumum elevat, de unoquoque indeterminatam quantitatem, hoc autem modo parabatur, sumebant gummi, onycem, galbanum, & thus, de unoquoque sexaginta minas. Mina autem centum est denariorum, denarius vero sex drachmarum, drachma sedecim granorum hordeaceorum, de Myrrha, ambra, spicis nardi, & croco sedecim minas, de cinnamomo novem minas, de קליפה tres minas, hinc fiet, ut summa totius ponderis trecentarum sexaginta & octo sit minarum, atque hæc quantitas quotannis parabatur. Dixerunt autem trecentas sexaginta quinque esse secundum anni dierum numerum, & quod Pontifex maximus de reliquis tribus capiebat plenitudinem pugilli Diei expiationum, sicuti exposuimus in tractatu de die expiationis: De residuo autem ita loquitur *Misna, quid faciebant cum residuo suffimenti?* Quasi dixisset, quod de tribus minis reliquum erat postquam inde cæpisset pugilli plenitudinem, & fecisset id quod diximus capite quarto tractatus de Siclis; omnia vero aromata molita subigebat, & ambram Jordanensem addebat cum Sale Sodomitico, & eo quod fumum suffitus elevabat sursum, de quolibet autem sumebat partem limitatam, sed in Gemara jam expositum est, quod hæcce herba, quæ vocabatur fumum sursum elevans, a nemine præterquam a familia Abtines cognoscebatur.

[16] כטף *&c. Paraphrastes Chaldæus reddit* נטרפא, *LXX.* σταχτὴν. *Targum Jeruschalmi* קטף, *balsamum, Misna Scheviith cap. VII.* 6. Rabbi Simeon inquit Ketaph non annumerantur iis, qui juri anni septimi subjiciuntur, quoniam non est fructus: *Maimonides*

des de apparatu Templi cap. 11. 4. Nataph, cujus in lege fit mentio, est arbor balsami, ex qua defluit opobalsamum. *R. Salomon Jarchi ad Exod.* xxx. Nataph est resina, & propterea quod nihil aliud est, nisi succus, qui destillat ex arboribus balsami, inde appellatur *Nataph* gutta, & in lingua barbara gumma, & hæc resina ipsis appellatur Theriaca. *Tacitus Histor. lib. V. pag.* 582. Balsamum modica arbor, ut quisque ramus intumuit, si vim ferri adhibeas, pavent venæ, fragmine lapidis, aut testa aperiuntur: *Josephus de bello Judaico lib.* 1. *cap.* 5. Circa Hierichuntem ubi pinguissima Judææ regio, & palmarum plurium, & balsamum nutrit, cujus inciso lapidibus acutis robore stillantem lachrymam e vulneribus colligunt.

[17] *Onyche &c. Hebraice Schechelet. Onkelos reddit* טופרא, *scilicet onychem. Targum Jeruschalmi, spicam nardi. R. Salomon*-Schechelet est radix aromatis lævis, & splendet instar ungulæ, & dialecto Misnæ vocatur Zipporen, *ungula*, & hoc est, quod Onkelos vertit *Vetusra ungula. Maimonides de apparatu Templi cap.* 11. 4. Ungulam, qua filii hominum solent adhibere in suffimentis: *Dioscorides lib.* 11. *cap.* 10. Unguis sive Onix, conchylii tegumentum est ei simile, quo purpura tingitur, quod in Indiæ nardiferis lacubus invenitur, suavem ideo spirans odorem, quia conchylia inibi nardi pabulo vescantur; colligitur, postquam stagnantes aquæ æstivis squalloribus inaruerunt. Laudatissimus, qui in rubro mari defertur, candicans, pinguis; Babylonicus nigrescit, atque minor conspicitur. Ambo odoris gratia suffiuntur, sed aliquatenus castoreum olent: *Vide Plinium Histor. Natural. lib. XXXII. cap.* 10.

[18] *Galbano &c.* חלבנה, *Onkelos* חלבנתא *Targum Jeruschalmi* חלבניא. *LXX.* χαλβάνην ἡδυσμοῦ &c. *Judæi mali odoris Galbanum esse scribunt. Gemara Kerithut fol.* 6. 2. Raf Chana filius Basna, inquit, nomine Simeonis Chasida; omne jejunium in quo non sunt ex defectoribus Israelis non est jejunium. Nam ecce galbanum malum odorem spirat. Scriptura tamen illud inter aromata suffitus numerat: *Raschi in Thora*: Chelbona est aroma, cujus odor est malus, & vocatur illud Galbanum, illud a Scriptura annumeratur aromatibus suffitus, quo nos doceat, ne nobis vile videatur, nos associare in conventibus nostrorum jejuniorum precumque nostrarum cum defectoribus ex Israele, quoniam & illi una nobiscum reputantur: *Maimonides de apparatu Templi cap.* 11. 4. Chelbanum simile melli nigro, ejusque odor durus, proveniatque in urbibus Græciæ. *Nikander in Theriaca.*

Præterea graveolens candentibus indita prunis.
Galbana - - - -

Dioscorides lib. 111. *cap.* 97. Galbanum succus est nascentis in Syria ferulæ, quod nonnulli metopium vocant. Maxime laudatur cartilaginosum, merum, thuris effigiem præbens, pingue, minime lignosum, retinens nonnihil adjecti seminis, & ferulæ gravi odore; neque valde humidum, neque nimis aridum. Adulteratur faba fresa, resina, & ammoniaco. Si uratur, fugat nidore serpentes, & perunctos feriri non patitur. Serpentes cum oleo & spondylo circumpositum necat: *Vide Plin. H. N. lib. XII. cap.* 25.

[19] *Thure &c. hebraice* לבונה זכה. *Arabia thure celebratur. Dioscorides lib.* 1. *cap.* 82. Thus in ea gignitur Arabia, quæ thurifera cognominatur. Primatum tenet in eo genere masculum, stagonias appellatum, suapte natura rotundum; tale autem individuum est, candidum, cum frangitur, intus pingue, in suffitu statim ardens: *Vide Plinium lib.* 1. *cap.* 15.

[20] *Myrrham &c.* המור. *Maimonides de apparatu templi cap. II.* 3. *muscum esse credit*: Hammor est sanguis coagulatus in fera quadam Indiæ omnibus notus, cum eo se condiunt filii hominum ubivis locorum. *Notatur a R. Abraham ben David.* Ego vero, inquio, a me impetrare non possum, ut credam, quod indatur confectionibus rerum Sacrarum quidquam sanguinis ullius animalis, multo minus sanguis animalis immundi. Mor vero est cujus in *Cantico Canticorum* (cap. V. v. 1.) fit mentio. *Veni in hortum meum Soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis*; & iste mor est species fruticis aut arboris, cujus odor est fragrans: *Aben Ezra ad Exod. XXX.* Vocabulum mor est difficile interpretatu, & Gaon illud reddit Muscum; sed ecce ille non est species arboris, etiamsi bonum odorem spiret, fortassis propterea illud (Mor) Scriptura separat ab aromatibus, ut scribitur (*Cantic. V.* 1.) *Messui Myrrham meam cum aromatibus meis.* Et ecce de illo dicitur, quod decerpatur (quod nempe verbum adhibetur de arboribus) Qui autem illum (nempe Muscum) afferunt, narrant illum generari in gutture Capreæ. Sed ecce scriptum est (ibidem cap. V. 5.) *Manus meæ stillaverunt Myrrham*; fortassis id de ea dicebatur, cum adhuc erat recens: *Dioscorides lib.* 1. *cap.* 78. Myrrha lachryma est arboris, quæ in Arabia gignitur, Ægyptiæ spinæ non dissimilis; e cujus vulnere defluit lachryma in subjectas tegetes, alia circum caudicem concrescit. Dicitur ex his alia Pediasmos præpinguis, qua expressa, stacte emittitur. Alia gabirea pinguissima, & pingui solo nascens, ea copiosam sudat stacten. Omnium prima est quæ Trogloditica appellatur, accepto cognomine a loco, in quo provenit; splendens, subviridis, ac mordens. *Plinius lib. XII. cap.* 15. Arbori altitudo ad quinque cubita &c. inciduntur bis iisdem temporibus, quibus thuris arbor, sed a radice usque ad ramos qui valent &c. Troglodytica probatur pinguitudine, & quod aspectu aridior est, sordidaque ac barbara, sed acrior cæteris. In plenum autem probatio est minutis glebis nec rotundis in concretu, albicantis succi, & tabescentis, utque fracta candidos ungues habeat, gustu leniter amara.

[21] *Casiam &c. hebraice* קידה. *Raschi*: Kidda est nomen præstantissimi fruticis, quæ in lingua sapientum seu Rabbinorum vocatur Casia: *Maimonides Kidda putat esse Costum-Notatur ab Auctore Ceseph Mischne*, & quid quæso illud est, quod scribit Kidda esse costum? Id certe admiratione dignum. Nam ecce Onkelos Kidda reddit Kersiata, & magister noster (Maimon) in capite sequenti (scil. 2. hujus tractat.) Kidda & costum tanquam duas diversas species enumerat: *Dioscorides lib.* 1. *cap.* 12. Casia, cujus complura sunt genera juxta odoriferam Arabiam gignitur, crassi corticis sarmento, foliis piperis. Eligenda est fulvescens, pulchri coloris, coralli æmula, perquam angusta, longa, crassa, & fistulosa, gustu mordens, & cum aliquanto fervore astringens, aromatica, vinoso odore, ejusmodi est, quæ ab incolis Achy appellatur, ab Alexandriæ negotiatoribus, Daphnitis. Huic præfertur crassa, purpurea, & nigricans, Zigir cognomine, quæ rosam odore imitatur, præcipui in-medicina usus: *Plinius lib. XII. cap.* 19. Frutex & Casia est, juxtaque Cinnami campos nascitur, sed in montibus crassiore sarmento, tenui cute verius, quam cortice, quem contra atque in Cinnamomo levari & exinaniri pretium est:

[22] *Spicam Nardi &c. hebraice* שבולת נרד; *Raschius* ad *Exod. XXX.* Spica & Nardus unum sunt, quoniam Nardus similis est spicæ. *Nardus, vel Nardinum invenitur apud veteres. Athenæus Deipnosoph. lib. XV.* Et stacte quidem juvat in computationibus, quemadmodum & Nardinum: *Tibullus Eleg.* 7. *lib.* 2.

Illius puro distillent tempora nardo

Et *Ovid.* de *arte lib. III. v.* 443.

Nec coma vos fallat liquida nitidissima Nardo.

Duo præcipue Nardi genera. Dioscorides lib. 1. *cap.* 6. Duo Nardi genera; unum Indicum, Alterum Syriacum appellatur, non quod in Syria proveniat, sed quod Montis, in quo oritur, pars una ad Syros, pars altera ad Indos flectitur. Ex hoc Syriaci genere præcipuum est recens, & leve, largam gerens comam, flavum colore, perquam odoratum, ac Cyperum redolens, brevi spica, amaro sapore, linguam siccante, quod diu in sui odoris gratia permaneat. Ex Indicis autem Nardum quoddam Gangitis vocatur a fluvio Gange, apud quem enascitur, Montem præterfluente, quod genus ob multam loci, in quo prodit, uliginem, viribus infirmius est, atque procerius adolescit, plures ferens spicas, ab unica radice, comosas, unaque convolutas ac graviter olentes. Montanum autem odoratius, spica brevi, ac mutila, odore cypero vicino, cæteras habens Sy-

Syriaci dotes: *Vide Plinium Hiſtor. Natural. lib. XII. cap.* 12.

[23] *Crocum &c. hebraice* כרכום , *chald.* כורקום , *Cant.* 4. וכרכם *Paraphraſtes Chaldæus in Cantic. IV.* 14. pro כרכם ponit מוריקא , ideſt crocum, a flaveſcendo. *Dioſcorides lib.* 1. *cap.* 25. Crocum optimum in medendi uſu coryceum, recens & boni coloris, paulum candidi gerens in capreolo, oblongum, omnibus ſuis partibus conſtans, non fragile, plenum, a quo detractum eſt nihil , quod madefactum manus inficit, nec ſitum redolet , aut cariem ſentit , ſubacre ; ſin hujus generis non eſt , aut vetus aut humore perfuſum creditur. Secundus locus datur Coryceo, e tractu Lyciæ contermino ; Tertius Lycio e Monte Olympo; Dein ex Ægibus Ætoliæ. Cyreniacum & Centuripinum in Sicilia omnia viribus infirmius eſt, omnium natura Oleracea: *Plinius lib. XXI. cap.* 6. Prima nobilitas Cilicio , & ibi in Coryco Monte, dein Lycio, Monte Olympo, mox Centuripino Siciliæ &c. *Magnus ejus uſus in Coronis apud Veteres*.

[24] *Coſtum &c. a Rabbinis* הקושט , *a Græcis & Latinis Coſtus , & Coſtum appellatur . Plures Coſti ſpecies a Dioſcoride lib.* 1. *cap.* 15. *Commemorantur* : Præcellit Arabicus , candidus, levis , eximia odoris ſuavitate . Secundum locum ſibi vindicat Indicus , levis, uber, & ferula niger . Tertius eſt Syriacus , gravis, colore buxeus, & odore feriens. Optimus eſt recens, albus, abunde plenus, aridus , a teredinibus non eroſus , ſine graveolentia , guſtu calidus , ac mordens : *Adhibebatur in ſuffimentis . Propertius lib. IV. Eleg.* 6.

Coſtum molle date , & blandi mihi thuris honores

Et *Plinius lib. XXII. cap.* 24. Quoniam thure ſupplicamus, & coſto.

[25] *Calamum aromaticum &c. a Rabbinis* הקלופה *vocatum . Kimchius* ad *Jeſ. XLIII.* 23. 24. Kane , cujus hic fit mentio , eſt calamus aromaticus , qui adhibetur in ſuffitum: *Maimonides de apparatu Templi cap. II.* 3. *ita eum deſcribit*: Et calamus aromaticus ſunt calami tenues , quæ adducuntur ex Inſulis Indiæ, & eorum odor eſt bonus, & ſunt ex ſpeciebus aromatum , quibus in Theriaca præparanda utuntur medici *: Dioſcorides lib. I. cap.* 17. *eodem modo deſcribit:* Calamus odoratus in India naſcitur ; melior eſt fulvus , denſe geniculatus , & qui aſſuloſe frangitur ; plena araneorum fiſtula , albicans , lentus in mandendo, & aſtringens ac cum aliquanta acrimonia amarus *: Etiam in Arabia naſcitur ; Plinius lib. XII. cap.* 22. Calamus, quoque odoratus: in Arabia naſcens, cummunis Indis atque Syriæ eſt *: Vide Agatharchidem , Diodorum , & Strabonem, & Arrianum in Alexandro lib. VII. Dionyſius etiam in deſcriptione Orbis . v.* 927. *inter cætera Arabiæ aromata etiam calamum odoratum commemorat*

Inde vero ditiſſimorum Arabum adjacet terra &c.
Limes autem illi auſtralis converſus ad Orientem
Alluitur rubris fluctibus Oceani &c.
Semper fragrans Aromatis ſuaviter ſubolet ;
Vel Thus , vel Myrrham , vel bene odoratum calamum,
Aut etiam divinum matureſcens thus
Vel Caſiam &c.

[26] *Cinnamomum &c. ab Hebræis* קנמון *appellatum. Mira fabulantur veteres de Cinnamomo. Vide Herodotum lib. III. Ariſtotelem lib. IX. cap.* 13. *de Hiſtor. Animal. Plinium lib. XII. cap.* 19. *Ita deſcribitur a Dioſcoride lib. I. cap.* 16. Cinnamomi genera plura patrium ſibi nomen vindicantia *;* præfertur tamen Moſyliticum, quod Caſſiæ cui Moſyliti nomen eſt , aliquam referat effigiem. Sed eo genere recens , nigrum , ex vinoſo in cinerium vergens, leve, tenuibus ramulis, ac frequentibus nodis cinctum, perquam jucunde olens &c. *Et a Plinio lib. IX. cap.* 13. Ipſe frutex duum cubitorum altitudine ampliſſimus , palmique minimus , IV. digitorum craſſitudinis, ſtatim a terra ſex digitis ſurculoſus, arido ſimilis. Cum viret non odoratus, folio origani, ſiccitate gaudens, ſterilior imbre , ceu diræ naturæ . Gignitur in planis quidem , ſed denſiſſimis in vepribus rubiſque , difficilis collectu &c. Præcipua bonitas virgultorum tenuiſſimis partibus ad longitudinem palmi. Secunda proximis breviore menſura atque ita ordine. Viliſſimum quod radicibus proximum, quoniam ibi minimum corticis, in quo ſumma gratiæ . Qua de cauſa præferuntur cacumina, ubi plurimum cortex.

[27] *Ambram Jordanis &c. Raſchius ad Kerituth fol.* 78. *col.* 1. *Scribit fuiſſe herbam quæ creſcat ad ripam Jordanis . Aruch pag.* 8. *col.* 4. Sunt autem (*inquit*) qui dicunt eſſe excrementum piſcis cujuſdam, qui in Jordane vivit, quod in lingua barbara ambra vocatur*:*

[28] *Herbam qua fumus &c.* De hac vide , quæ annotavimus ad cap. II. *Toſaphta Joma*

[29] *Sal Sodomiticum &c. R. Salomon ben Melech in Michlal fol.*24. *col.* 2. *in* ממלח *ita ſcribit :* Et illud interpretatur Targum , *mixtum*, ac ſi dixiſſet, quod aromata debeant eſſe contuſa, & ſimul bene mixta; verum & ſic poteſt reddi, quod interpretatio ממלח טהר ſit deſumta a ſignificatione ſalis , quoniam ſal Sodomiticum additum fuit ſuffitui , quemadmodum illud commemoratur in ſyſtemate confectionis ſuffitus, quod quarta pars Kabi Salis Sodomitici addatur: *Vide Aben Ezram* ad *Exod. XXX.* 35. *Dioſcorides lib.* 1. *cap.* 100. Bitumen Judaicum cæteris anteponitur; cujus probatio eſt, ut purpuræ modo ſplendeat, ſitque ponderoſum, ac validum odorem vibret. Nigrum autem & ſordidum vitioſum eſt.

[30] *In Mortario æneo &c. Babyl. Erachim fol.* 10. 2. Similiter Fiſtula & Cymbalo, ut & adfuit mortarium æneum in Templo, quod a diebus Moſis erat tranſmiſſum, in quo præparabantur aromata . Quod cum aliquando findebatur , adduci curaverunt opifices ex Alexandria , quæ ſita eſt in Ægypto , qui illud reparaverunt, tum vero tam bene non præparabantur in eo aromata ut ante . Removerant itaque illam correctionem, & rurſus ut olim pulchre miſcebantur &c. Et *Raſchi ad hunc Gemaræ locum* : Quoniam in eo (Mortario) contundunt aromata ſuffitus , ejuſque ſonus eſt tinniens inſtar tintinnabuli, & pulchre aromata præparet , atque facit ut bene oleant, juxta id quod traditur in Kerithuth, qui illas contundit , inquit, bene comminuere, comminuere optime, quoniam aromatibus hæc bene convenit:

[31] *Sapone Carſchinæ &c. Kerithuth fol.* 78. 1. Sapo Carſchinæ *adeſſe debet in confectione* ſuffitus , quia cum eo fricant Onychem , quo pulchra reddatur; ut & vinum Capparis , in quo humectant Omphen , ut robuſtior evadat . Sed ecce vino præſtat urina . Verum illam in Sanctuarium non inferunt. Et auxiliatur ſibi R. Joſeph filius R. Chaninæ illo quod ſcriptum eſt, *Sanctus eſt*, *Sanctus ſit vobis*, *ſcilicet ſuffitus* . Ergo & omne ejus opus non niſi in ſanctitate perficiatur*: Maimonides de apparatu templi cap. II.* 5. Quomodo præparant hunc ſuffitum ? Indit novem cabos ſaponis Carſchinæ; & abradit cum illo Onychen, & deinceps madefacit eamdem in undecin cabis vini capparis , aut vini veteri albi generoſioris reliquo , & poſtea unamquamque ſpeciem ex aromatibus ſeorſim minutim contundit *;* cumque tundendo occupatus eſt dicit &c. בורית *alii Saponem , alii herbam interpretantur . Raſchi ad Jerem. cap. II. v.* 22. Et ſunt qui Borith barbare Sabon appellant : *Kimchius ad eumdem locum :* Et ſunt qui id herbam eſſe explicant, qua ad lavandum utuntur*: De Charſchina ita ſcribit Raſchi ad Kerithuth loco citato* Carſchina *ideo vocatur ;* quod ex loco iſto apportatur ; ſecundum aliam autem interpretationem eſt herba, quæ vocatur Irba Schenotia, ex qua Borith conficitur, quod ſaponem vocant ex magni cujuſdam doctoris ſententia : *Sed ad Malachiæ cap. III. v.* 2. *aliter ſentit* : Borith eſt herba , quæ removet maculam , barbare vocatur Irba Scheneira : *De Epitheto Kapparis alii putant loci , alii fructus nomen eſſe . Raſchi* ad *Kerithuth loco cit.*: Vinum Kapparis eſt quod venit ex loco cujus nomen eſt Kapparis (vel nonnulli putant Cyprus .) In quodam autem volumine alia redditur nominis ratio, nempe quod vinum Kapparis præparent ex Kappare , fructu cujuſdam arboris ejuſdem nominis , e. g. Hatzeleph & Capparis , quod a præceptore meo didici : *De Vino Cappariſino ita Dioſcorides lib.* 11. *cap.* 204. Fructus duabus drachmis in vino , potus quadraginta diebus lienem abſumit, & urinam cruentumque excrementum emittit.

[32] *In atrio* &c. *Maimonides de apparatu templi cap. II.*

II. 6. : Et omne ejus opus perficitur in sanctitate, intra atrium & ex Sanctificatis. Qui conficit suffitum ex rebus prophanis, aut in vasis prophanis, illum prophanat. Bis in anno illum rursus indunt mortario. Æstivis temporibus illum dispergunt, ne mucescat, hiberno autem tempore illum coacervant, ne odorem suum remittat.

[33] *Quantitate* &c. *Maimonides de apparatu Templi Cap. II.* 3. Ex unoquoque istorum stacte, onyche, galbano, & thure pondus 70. minarum. Jam mina erat centum denariorum pondo. De Myrrha, casia, spica nardi, croco, sedecim minæ pondo de singulis, de costo duodecim minæ pondo; Cinnamomi pondo minæ novem, de aromatico illo cortice trium minarum pondo, ex quibus una conjunctis ista fit pondcrum summa, minæ 368. Hæc omnia quam tenuissime poterant, terebantur; addebatur inde Salis Sodomei, & de Jordane succini quadrans cabi, & parum illius herbæ fummum exhalantis; tum ex eo mina pondo singulis diebus adolebatur in aureo altari; erant igitur 365. minæ pro numero dierum, quibus sol conversionem annuam conficit; reliquæ tres minæ cum essent tenuissimæ, vigilia solennitatis Expiationum elidebantur etiam multo tenuius. Atque ex eo sic comminuto sumebat summus Pontifex plenos pugillos suos, quos solennitate Expiationum adoleret; *Discimus etiam ex Seder Maamadoth* : Confectio suffimenti quomodo fit? 368. libræ erant in eo, 365. juxta numerum dierum solis; tres Sacerdos magnus vespera diei Expiationis addebat; & redire fecit ad mortarium, & accepit ex illo plenitudinem pugillorum suorum, ut præstaret mandatum, tenue ex tenui: *Vide Maimonidem* cap. II. 1. de *apparatu Templi*, & cap. III. *de Sacrificiis Jugibus* &c. & *Mejeri dissertationem* de *suffitu; ex qua pleraque decerpsimus.*

[34] *Ejus longitudo* &c. vid. *Menachot cap. XI. 6.* Omnium Vasorum in Sanctuario longitudo ponebatur in longitudine domus, vide in hunc locum *Bartenoræ* & *Maimonidis commentarium*, *&* *ejus tractatum de Templo cap. III.* 12.

[35] *Longa cubitos duo &c. Maimonides ibidem.* Mensæ longitudo palmorum erat duodecim, & sex palmorum latitudo.

[36] *Qui decem palmos* &c. *Maimonides de Sacrificiis jugibus &c. Cap. V.* 10. Erat unaquaque placenta figuræ quadratæ; nam ideo factum, ut diceretur *Panis facierum*, quod ei multæ quasi facies erant. Jam cujusque placentæ longitudo palmorum erat decem, quinque palmorum latitudo & altitudo digitorum septem, mensæ autem longitudo erat palmorum duodecim, & sex palmorum latitudo. Jam placentæ longitudo per mensæ latitudinem disponebatur, ut placenta hinc indeque palmis duobus excederet; replicabatur igitur id quod hinc & inde excedebat, & spatium inter extrema duo intermedia relinquebatur, & sic deinceps reliquæ placentæ ponebantur alia super aliam usque dum omnes placentæ fuissent ordinatæ sex; tum ex altera parte aliæ placentæ sex item ordinabantur.

[37] מנקיות &c. *R. Salomon* מנקיות (inquit) *illæ sunt perticæ* instar clavorum aureorum in terra Stantium, quæ eminent longe supra mensam ad altitudinem dispositorum panum, & furcatæ sunt quinque furculis, quarum alia furcula altior est altera. קשות erant sicut dimidii calami concavi, qui fissi sunt juxta longitudinem suam. His similes fecit ex auro: *Maimonides ad cap.* XI. 6. *Menachoth* קשותיו notantur סניפין, *furculæ*, quarum in Misna fit mentio, per מנקיותיו intelliguntur קנים, *cannæ*, erantque quatuordecim pro uno ordine, sicuti explicabo.

[38] *Cornua* &c. *Bartenora ad Cap. XI.* 4. *Menachoth*: Sed panis facierum in longitudine palmos decem, in latitudine quinque, & in cornibus septem digitos comprehendit, quorum numerus hic est י״הז, idest 10. 5. 7. Cæterum R. Jehuda numeros ponere solet, ut דצ״ך עד״ש באח״ב, qui notant numerum decem plagarum Ægypti.

[39] *Duas decimas* &c. *Maimonides de Sacrificiis Jugibus cap.* V. 2. Atque id quidem aperte a lege explicatur efficiendas esse placentas duodecim, quarum unaquæque contineat duas similæ decimas.

[40] *Calamis* 28. &c. *Tosaphta Menachoth*. *Cap.* XI. Viginti octo cannæ aureæ fissæ quæ immunditiem recipiebant, ibi erant. Omnium Vasorum in Sanctuario longitudo ponebatur juxta longitudinem domus, excepta Arca, cujus longitudo ponebatur juxta latitudinem domus, ita ejus vectes ponebantur contra ejus latitudinem, atque ita ferebatur. Decem mensas fecit Rex Salomon juxta versiculum qui dicit. *Necnon & mensas decem* (2. *Paral.* IV. 8.) tamen non ordinabant panem nisi supra mensam Mosis, juxta versiculum qui dicit: *& mensam super quam ponerentur panes propositionis, auream* (3. *Reg.* VII. 48.) Decem candelabra aurea fecit Rex Salomon, juxta versiculum, qui dicit; *fecit autem & candelabra aurea decem*) 2. *Paral.* IV. 7. Tamen lucernæ non accendebantur nisi in Candelabro Mosis, juxta versiculum qui dicit; *Candelabrum aureum, & lucernæ ejus, ut accendantur semper ad vesperam* (2. *Paral.* XIII. 11.) Quare Candelabrum aureum, quod fecit Moses, non indiguit oleo unctionis? Quia ejus prima Sanctitas fuit suo tempore, & sanctificata fuit etiam in posterum. R. Jose filius R. Jehudæ dicit, super omnes mensas ordinabant panem, juxta versiculum qui dicit; *Et mensas, & super eas panes propositionis* (2. *Paral.* IV. 19.) Et in omnibus candelabris accendebant, juxta versiculum, qui dicit; *Candelabra quoque cum lucernis suis, ut lucerent ante oraculum juxta ritum ex auro purissimo* (Ibid. 20.) Nomine R. Eleazaris filii Simeonis, dixerunt, quid nos docet, dicendo, *mensas & super eas panes propositionis?* Hæc erat mensa magna aurea, quæ erat intra templum, & Mensa, quæ erat in Ulam intra portam domus, super quam veterem panem facierum collocabant. Quomodo introducebant panem facierum? Vigilia sabbati eum a sua forma educebat, & Mensæ, quæ erat in Ulam prope portam domus, imponebat; mane, quando aspersus erat sanguis sacrificii jugis, duo Sacerdotes accipiebant duas acerras, in quibus duos thuris pugillos ponebant. Omnia vascula Sanctuarii, his exceptis, carebant pedibus, hi palmum trahebant, alii palmum reponebant; palmus unius intra palmum alterius; ne mensa esset sine pane, juxta versiculum qui dicit; *in conspectu meo semper*. (*Exod.* XXV. 30.) R. Jose dicit, quamvis veterem mane extulissent, & vesperi novum introduxissent, etiam in reliquis anni diebus, si extra atrium efferrent, nihil impediebat; igitur cur dicit *in conspectu meo semper?* Ne mensa sine pane pernoctaret. Illi duo Sacerdotes, qui in manibus habebant duas thuris acerras panis veteris facierum, altari imponebant una cum membris sacrificii Jugis, quando hæ duæ thuris acerræ incensæ erant, singuli Sacerdotum Curiis dimidium placentæ dividebant, & ipsi inter se distribuebant. R. Jehuda dicit, qui dividebat panem facierum, stabat super pavimentum Ulam lapidibus stratum, frangebat, & deponebat; & unusquisque ad accipiendam suam partem veniebat, & maculatis Sacerdotibus eorum portio foris afferebatur, quia non poterant ingredi inter Ulam & Altare. Quomodo ordinabatur panis facierum? Ponebat sex placentas in uno ordine, & sex placentas in altero ordine, si posuisset octo placentas in uno ordine, & quatuor placentas in altero ordine, aut si quaternarum tres ordines pro singulis fecisset, non valebat, si duos ordines, qui quatuordecim constarent, fecisset, Rabbi dicit, superiores non reputantur, inferiores sunt legitimæ. Quomodo ordinabant thuris acerras? unam acerram uni ordini, & alteram acerram alteri ordini imponebat; si posuisset acerras sine thure, & thus sine acerris, aut aliquid inter acerras & panem, aut inter panem & mensam interesset, reprobum erat. Aba Saul dicit, in spatio duorum palmorum, qui inter unum & alterum ordinem intererant, ponebat, quomodo igitur explicabitur, *& pones super eos thus lucidissimum?* (*Levit.* XXIV. 7.) ut omne sit ordini proximum. Quomodo ordinabant cannas? post Sabbatum ingrediebatur, extollebat extremitatem unius placentæ, & ei Cannam subjiciebat, extollebat extremitatem secundæ, & ei Cannam supponebat, & spatium in medio erat, & tres sub singulis placentis, & duas superiori imponebat, quia nullum ei onus impositum erat, inferior posita erat super aurum mensæ. *Vide Maimonidem ibidem.*

[41] *Horum calamorum &c. Maimonides ibidem.* 11. Non elevabant Sabbatum calami illi inter placentas disponendi, non elevabant tollendi, sed enim vigilia Sabbati ministrorum aliquis templum introibat, calamos eximebat, atque per longitudinem mensæ reponebat; tum primo hebdomadæ die quidam ministro-

ſtrorum templum introibat, atque calamos placentis interſerebat.

42 *Stipites etiam &c. Toſaphta Menachoth ibidem.* Quatuor ſtipites aurei furculis ſimiles ibi erant, quibus placentam ſuſtentabant, quia cymbæ ſimilis erat, ne exſiliret. R. Joſe dicit, non erant ibi ſtipites, ſed menſa habebat palmi altitudinem, juxta verſiculum qui dicit; *ipſique labio coronam auream interraſilem quatuor digitorum* (*Exod.* XXXVII. 12.) illi dixerunt, verumtamen illa corona non erat niſi in ejus pedibus: *Vide Maimonidem ibidem.*

43 *Singulis autem &c. Maimonides ibidem.* Jam ad quodque Sabbatum tollebatur de menſa panis, qui a præterito Sabbato inerat, & apponebatur panis alius. *Vide Miſn: Menachoth* XI. 7.

44 *Comedebantur &c Miſn. Menachoth ibidem.* 9. Bini panes non a paucioribus, quam duobus, nec a pluribus quam a tribus ex quibus coсti ſunt diebus comeduntur; quomodo? Si coquantur a veſpera diei feſti, die feſto a duobus diebus comeduntur, ſi dies feſtus poſt Sabbatum inciderit, a tribus diebus comeditur. Panis facierum non prius quam nono die comeditur; neque poſterius quam undecimo die; quomodo? Si coctus ſit in Sabbati veſpera, & comedatur die Sabbati, comeditur nono. Si dies feſtus in Sabbati veſperam inciderit, comeditur die decimo. Si in Sabbati veſperam inciderint duo feſti novi anni dies, die undecimo comeditur, & neque Sabbatum neque diem feſtum propellit. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit, in nomine R. Simeonis filii inſpectoris, diem feſtum propellit, at non diem jejunii: *Maimonides ibidem IV.* 10. Nec vero panem illum comedebant, uſque dum thuris acerras igni concremaſſent, atque thus itidem, ut cætera ſacrificia ſal requirebat. Poſtquam facta fuerant acceſſionis ſacrificia, demum acerræ duæ incendebantur per Sacerdotes duos. Jam ſingulis Sabbatis per totum annum panes propoſitionis ita dividebant. Sumebat ea, quæ in templum veniebat, curia, placentas ſex, & quæ abibat templo curia, ſumebat quoque placentas ſex. Illi portionem ſuam inter ſe partiebantur ad aquilonem, quippe qui ſacris adminiſtrandis præſto aderant, hi ſuam inter ſe portionem ad auſtrum partiebantur. Cum vero eveniret, ut ex tribus ſolennitatibus una Sabbato accideret, item & Sabbato, quod inter dies feſtos tabernaculorum medium intererat, omnino omnes curiæ panem propoſitionis æqualiter inter ſe partiebantur. Et cum eveniret, ut primus tabernaculorum dies ſolennis in primum hebdomadæ diem incideret, item curiæ omnes de vigilia ſolennitatis, Sabbato ſcilicet, panem propoſitionis inter ſe æqualiter partiebantur; tum enim maturabant ire ad ſacra adminiſtranda. Porro cum poſtremus tabernaculorum dies ſolennis in Sabbati vigiliam incideret, etiam omnes curiæ panem propoſitionis æqualiter partiebantur inter ſe eo Sabbato, quo ſolennitas exiret. Id vero inſtitutum fuerat ideo, ut propter partitionem panis propoſitionis Sacerdotes in templo diutius reſtarent, & ſi forte quis e curia vice ſua ſacra adminiſtrante apud ſe moratus in templum non veniſſet, alius in ejus locum reperiretur: *Vide Miſn. Succa cap. V.* 7. 8.

45 *Duæ thuris &c. Codex Menachoth cap. XI.* 5. Aba Saul dicit, ponebant illic duas thuris acerras ad panem facierum pertinentes. Reſponſum eſt ei, utique jam dictum eſt Levit. 24. 7. *Et pones ſuper eos thus lucidiſſimum.* Regeſſit is, dictum eſt num. 2. 20. ועליו מטה מנשה. *& ſuper eo Tribus Manaſſis. In quem locum ita Maimonides.* Poſtea bini ſuper binos ponuntur donec e duodecim panibus duo fuerint, ordines, ſed in quolibet ordine, unus ſuper alterum, & hoc eſt, quod Miſna dicit, *duo ordines, ordo autem ſex*, ſcilicet panum. Quod probatur ex eo quod dicitur *num.* 2. 20. *Et ſuper eo Tribus Manaſſis, ubi vox* ועליו *notat* בסמוך *vel* קרוב *prope*, ſic etiam id quod de thure dictum eſt עליו *ſuper* eſt idem quod בסמוך *prope*. Deciſio eſt ſecundum Aba Saul. *Idem de ſacrificiis Jugibus cap. V.* 2. Jam ordinatio quæque baculis fulciebatur duobus, & ad cujuſque ordinationis latus apponebatur vas, in quo pugillus thuris inerat, quemadmodum Lege ſancitum eſt, *& pones ſuper eos thus lucidiſſimum. Toſaphta Menachoth. cap. XI.* 16. Quomodo ordinabant vaſa thuris? imponebat unum vaſculum uni ordini, & alterum vaſculum alteri ordini; ſi poſuiſſet acerras ſine thure, aut thus ſine acerris, aut aliquid eſſet, quod ſepararet inter acerras & panem, aut inter panem & menſam, interdicta erant. Aba Saul dicit, collocabat in ſpatio duorum palmorum, qui intercedebant inter unum & alterum ordinem; quomodo igitur explicabitur, *& pones ſuper eos thus lucidiſſimum?* ut omne ſit ordini proximum.

46 *Non deſunt* &c. *Vide ejuſdem Relandi libr. de ſpoliis templi pag.* 114. *& Schilchteri libr. de panibus facierum pag.* 48.

47 *Illud oleum &c. Maimonides* de *apparatu Templi cap.* 1. 7. A Moſe reliquis deinceps temporibus hoc oleo ſolos ungebant ſummos Pontifices, Sacerdotem fecialem, & e gente Davidica Reges.

48 *Velo &c. Kimchius:* fuit (*inquit*) cortina, quæ Arcæ erat tegumentum, & Arcam & tentorium dividebat. *Velum fuiſſe denſiſſimum legimus in Jalkut fol.* 102. R. Simeon ben Gamalielis ait nomine Simeonis filii Sagen; veli denſitas fuit quatuor digitorum, 72. filis erat contextum, & quodque filum 24 funiculis: *Hinc æſtimanda miraculi magnitudo, dum moriente Chriſto*, velum Templi ſciſſum eſt in duo, *ut Matthæus refert XXVII.* 51.

49 *Nulli &c. Maimonides de Templo cap. VII.* 12. Et iſto denique Sanctius & Auguſtius eſt Sanctum Sanctorum, in quod nemo introeat præter ſummum Sacerdotem, nec is quidem niſi una ſolennitate expiationum ad rem divinam faciendam: *Idem de ratione adeundi templi cap. II.* 2. 3. Jam hoc cunctis Sacerdotibus interdictum erat, ne extra ſacrificandi tempus intrarent nec in Sanctum nec in Sanctum Sanctorum. Nam quod in lege habemus, *ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium*, videlicet illud eſt, quod Sanctum Sanctorum dicitur, quod autem additur *intra velum* (Levit. XVI. 2.) id nimirum de toto templo præcipit. Atque ſi in Sanctum Sanctorum reliquis anni diebus introiſſet Sacerdos ſeu privatus ſeu ſummus; immo vero & ſolenni expiationum die ſi ſummus Sacerdos intraſſet extra ſacrificandi tempus, meruiſſet, ut divina vis eum morte multaret, ſiquidem ſuperiori monitioni ſubjicitur, *ut non moriatur.* Summus enim Sacerdos in adytum templi ſolenni expiationum die quater intrabat, qua de re alio loco agetur; qui ſi introiſſet quinquies, mortem meruiſſet: *Vide ejuſdem tractatum de die expiationum cap.* IV.

50 *Quatuor vicibus &c. Bartenora ad Cap. I. 9. Celim.* Quater enim intrabat Sanctuarium, primo ad ſuffitum adolendum, 2. ut ſanguinem juvenci ſpargeret, 3. ut ſanguinem hirci ſpargeret; 4. ut acerram, & Thuribulum educeret.

51 *At ubi* &c. *Miſn. Middoth Cap.* IV. 5. Et in porta ὑπερῴου erant duæ trabes cedrinæ quibus aſcendebant in tectum ὑπερῴου. Atque proceribus ſive trabium capitibus diſtinguebant in cænaculo inter ſanctum & ſanctum ſanctorum; foramina etiam erant aperta in cænaculo ad ſanctum ſanctorum, per quæ catenis demittebant fabros in arcis, ne eorum oculi nutrirentur e ſancto ſanctorum: *Maimonides in hunc locum*: לול eſt apertura exigua, iccirco dicit Miſna, quod לול erat in pavimento cænaculi aperti verſus locum ſanctiſſimum, ut per ipſum opifices intrarent in locum ſanctiſſimum, quando aliquid reparandum erat. Quia autem fabrorum fecimus mentionem, hic dicemus, quod ſi neceſſarium eſſet intra templum quicquam reficere, curabat ut faber iſte Sacerdos eſſet legitimus. In Toſaphta ad codicem de vaſis ſacris dicitur; omnes fabricatum intrare poſſunt templum, & propulſatum immunditiem illius; attamen ad Sacerdotes pertinet hoc officium, & ſi non adſint Sacerdotes, intrant Levitæ, ſi nec hi adſint, Iſraelitæ intrant, & ſi hi non ſint puri, intrent impuri, & præceptum etiam poſtulat perfectos, ſi vero non ſint perfecti, intrent imperfecti, ſive vitiis affecti; & porro præcipitur, ut intrent in arcas, ſi vero non ſint arcæ, intrent per januas: *Idem de Templo cap. IV.* 13. In iſta cænaculi janua cedrinæ trabes erant duæ, quibus in tectum nitebantur cænaculi. Jam in cænaculo ſumma trabium capita dividebant tectum ſancti a tecto ſancti ſanctorum. Præterea autem erant in eodem cænaculo oſtiola quædam aperta in ſanctum ſanctorum. Per hæc enim fabri dimittebantur arcis incluſi, ut ne Sancto Sanctorum paſcerent oculos.

52 *Arca Federis* &c. *dicitur Arca Teſtimonii Pſalm.* 119.

119. *dicitur etiam Testimonium Exod.* XVI. 34. *Arca Domini, Arca Dei Israelis. Arca fortitudinis Domini* 2. *Chronic.* VI. v. 41. *Psalm.* 78. 61. *&* 105. 4. *&* 132. 8. *Arca Sanctitatis.* 2. *Paralip.* XXXV. 3. *Gloria* 1. *Reg.* IV. 12. *Sanctitas. Num.* IV. v. 20. *Sanctitas Sanctitatum* IV. 4.

[53] *Ex ligno Schittim* &c. *Jonathan legit* תאשור, *quod multi buxum interpretantur. Persa* שמשר, *Samsar Syrus* אשכרעא, *quod interpretantur Ebanum.* LXX. *ξύλα ἄσηπτα, ligna imputribilia, Theodotion, & D. Hieronymus Spinam: Vide cl. Hasæi dissert. de ligno Schitim.*

[54] *Auro obducta* &c. *Gemara Sekalim cap.* VI.: Quomodo fecit Bezaleel Arcam? Fecit quasi tres Arcas; duas aureas, & unam ligneam; ligneam indidit aureæ, & auream alteram indidit ligneæ, & labia superiora obduxit auro, ut instar unius Arcæ esset: *Sed Abarbenel negat tres Arcas.* Existimo ego, obductionem hanc auream fuisse ex laminis tenuibus; etenim absurdum est tres fuisse Arcas (*distinctas*), Onus enim illarum gravius fuisset, quam ut eas quatuor viri humeris suis portassent, in primis si ei addatur gravitas Operculi & Cherubinorum.

[55] *Limbo aureo* &c. *R. Salomo*: Quasi species coronæ circumdata erat ei superne in labio ejus; nam Arcam exteriorem fecit altiorem, quam interiorem, eo usque ut ascenderet usque ad crassitudinem propitiatorii, & aliquantum altius; quo propitiatorio incumbente lateribus (Arcæ) corona ista paululum transcenderet crassitudinem operculi: *R. Levi, & Abarbanel asserunt limbum inserviisse, ut & emineret superne, & propitiatorii crassitudinem cingeret, ut ingrediatur in illum* (limbum) *operculum, & illud contineret, ne ab Arca decidere, & exilire posset.*

[56] *Et ad latera* &c. פעמתיו, *hanc vocem vult Aben Ezra pedes significare*: Quæsivi per universam scripturam, & non inveni, quod פעם alicubi significet angulum, sed tantum *pedem* ut *Jesai.* XXVI. 6. *Pedes pauperis gressus egenorum. Psalm.* 84. 14. *Et posuit in viam gressus suos. Cantic.* VII. 2. *Quam pulchri sunt pedes vel gressus tui*; & alia plura. Unde dicendum mihi est, Arcam pedes habuisse; vile enim & contemtibile fuisset, si arca collocata fuisset in terra: *Nachmanides retinet angulos.* Verum nescio cur dicat, in angulis superioribus, prope propitiatorium fuisse annulos, quia sic gravitas nimia fuisset, deinde honorificum magis fuit, ut Arca sursum emineret, & exaltaretur super humeris sacerdotum &c. Et verba ejus (scilicet Aben Ezræ) non sunt recta ullo modo; quod si autem; ut ille vult, pedem significat vox פעם, tum præcipit Scriptura, ut anguli fiant in angulis Arcæ inferioribus, quibus illa insidet, & vocat latera inferiora pedes, quia lingua Sancta omnes formas refert ad similitudinem hominis. Sic supremam alicujus rei partem vocat *caput*, inferiorem *pedem*. Et sic revera fuit, quod annuli fuerint in angulis inferioribus, & Arca superius eminuerit sicut exposui. Mea autem sententia פעם non est *pes*, sed significat *passum, gressum*, & dicit Scriptura hic, פעמותיו respectu gressuum Sacerdotum arcam ferentium, *primo* quod annuli fuerint in angulis inferioribus reipsa conjuncti cum basi Arcæ; *deinde*, quod totius longitudinis Arcæ intersitium fuerit inter duos annulos. Nam Arcæ longitudo spectabat orientem, duorum annulorum alter erat in capite Orientali, alter in Occidentali, duo reliqui annuli erant in Aquilone, gressus autem seu pedes Sacerdotum ambulabant inter annulos & ante eos. *Eadem sentit R. Levi ben Gerson, R. Bechai fol.* 102. 2.

[57] *Extrinsecus &c. R. Levi ben Gerson.* Nam si (*inquit*) de interiore longitudine, & latitudine acciperetur, propitiatorium incidisset in Arcam, quia longitudo & latitudo ejus fuerunt sicut longitudo & latitudo Arcæ.

[58] *Cubitus &c. Vide quæ supra notavimus de Cubitis.*

[59] *Altitudo &c. Gemara Succa fol.* 5. *col.* 1. Unde hæc sententia probatur? Resp. Raf. R. Chanina, & Raf Chabiba docuerunt arcam fuisse novem palmorum *altitudinis*; & propitiatorium vero unius; ecce hic habes decem palmos.

[60] *Operculi &c. Ibidem.* Concedi quidem potest, arcam habuisse novem palmos altitudinis, eo quod scriptum est. *Arcam de ligno Setim compingite, cujus longitudo habeat duos & semis cubitos, latitudo cubitum & dimidium, altitudo cubitum similiter ac semissem. Exod.* 25. 10. Verum quod propitiatorium altitudinem habuerit unius palmi, unde hoc constat? Resp. ex traditione R. Chaninæ, qui dicit, omnium Vasorum, quæ fecit Moses, Lex nobis suppeditavit mensuram tam longitudinis, & latitudinis, quam altitudinis eorum, sed circa propitiatorium nonnisi mensuram longitudinis, & latitudinis; altitudinis autem non tradidit; quare discas eam ex *altitudine* vasorum minimorum, dicitur v. g. *Et facies circa Mensam tæniam unius palmi altitudinis* (sic Hebræus Exod. 25. 25. Atqui sicut tænia nonnisi palmum habebat. altitudinis, idem ergo de propitiatorio concludimus. *Obj. Si a vasorum minimo altitudo propitiatorii concludenda;* quidni ergo eam discimus ex mensura coronæ *Pontificis Maximi*, de qua traditur, quod fuerit instar laminæ aureæ duorum digitorum latitudinis, pertingens ab aure ad aurem, cui inscriptum erat duabus lineis, in superiori quidem י"ה *denotans nomen tetragrammaton*, in inferiori autem קדש לי Sanctitas? R. Elieser filius Jose autem dixit; ego vidi *hanc laminam* Romæ, cui verba hæc inscripta erant unica tantum linea. Resp. *A mensura quidem* vasis unius *ad mensuram* alterius potest fieri conclusio, sed eadem non valet *a mensura* Vasis alicujus, ad ornamentum aliquod, *quale hæc corona Pontificis Maximi fuit. Præterea discamus quoque altitudinem Propitiatorii ex facie* Cherubinorum, de quibus dicitur, versis vultibus in Propiatiatorium. Exod. 25. 20. Resp. R. Acha filius Jacobi, habemus enim per traditionem faciem uniuscujusque Cherubini palmo minorem non fuisse.

[61] *Quod solenni &c. Maimonides de die expiationum Cap. III.* 5. Ac primum quidem ex sanguine juvenci aspersiones octo fiebant in Sancto Sanctorum intra binos vectes Arcæ fœderis ad unum circiter palmum ab propitiatorio sic uti scriptum videmus; *Et asperget digito septies contra propitiatorium* (*Levit. XVI.* 14.)

[62] *Supra hoc operculum &c. Abarbanel ad hæc verba* Cherubim unus sit in latere uno, & alter in altero. (*Exod.* XXV. 19.) *ita commentatur.* Videtur hic versus duplicatus & superfluus; verum nequaquam ita est, sed declarat Cherubinos non debere poni ad unum Arcæ latus, ut non sint invicem oppositi, sed unum ex latere uno, alterum ex latere altero. *Deinde sequitur.* Præcepit autem primo, ut sursum expenderent alas, ad significandum illorum desiderium ferri in causam ipsorum Deum optimum maximum; *quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alii.* (Eccles. V. 7.) quamvis desiderium ipsorum sursum vergerit, jussit, ut converterent se etiam deorsum, ad benefaciendum iis, quæ infra ipsos sunt; hoc est quod dicitur; & *operientes oraculum* (*Exod.* ibidem), tertio *jubet* ut fiant facies suas obvertentes unus e regione alterius; & sic habeas facies sursum, facies deorsum, & facies in medio, *respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium*; ad indicandum, quod in omnibus suis sitibus, sive sursum, sive deorsum, sive erga se invicem, custodiant legem, quæ erat sub propitiatorio.

[63] *Horum figura* &c. *Josephus Antiquit. lib. III. cap.* 6. scribit: Cherubim propitiatorii fuisse figuras animalium volucrium, specie nova a nullo unquam homine conspecta. Hæc Mosen dicere se vidisse in Dei sede figurata: *Et lib. VIII. cap.* 2. Has Cherubicas figuras, quanam specie fuerint, neminem conjicere posse vel eloqui. *Philo.* Propitiatorium basis est duarum imaginum volucrium, quæ sermone vernaculo vocantur Cherubim, hoc est multa scientia: *Hæbræi Cherubinis facies & formas puellorum tribuunt. Gemara Chagigah fol.* 13. *col.* 2. Quid est כרוב? R. Ashu dixit, כרביא, *quasi Adolescens*, sic enim in Babylonia puerum vocant כרביא. *R. Salomon*: Speciem (*inquit*) habebant faciei adolescentum. *R. Levi ben Gerson*: Sunt instar hominum juniorum puerorum, qui vocantur: *Maimonides More part. III. cap.* 1. Cherubinus est homo ætate minor; *Nonnulli bovis figuram eis tribuunt; nam Syris & Chaldæis,* כרב *arare denotat.*

[64] *In ipsa Arca* &c. *Babyl. Sekalim cap. VI.* R. Jehuda dixit, cubito quinque palmorum facta scil. est Arca; Tabularum autem tam longitudo quam latitudo fuit sex palmorum, & crassities trium. Si jam in Arcam reponantur secundum ejus longitudinem,

nem, quantum ſpatium occupabunt tabulæ? duodecim palmos, itaque remanet dimidius palmus, digitus unus pro pariete uno, & digitus pro pariete altero, & ſic reples Arcam ſecundum ejus longitudinem. Reple eamdem ſecundum latitudinem. Quantum ſpatium ſecundum eam occupabunt tabulæ? Sex palmos, unde remanet palmus cum dimidio; hinc detrahe dimidium palmum, digitum videlicet, & dimidium pro pariete uno, & dimidium pro pariete altero, reſiduus manebit palmus, in quo ſcilicet columellæ ſtabant, ſicut dicitur. *Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum &c. Cantic. III. 9. 10. Babyl. Bava Bathra* fol. 14. 1. Arca, quam Moſes fecit, duorum cubitorum & dimidii erat longitudo ejus; cubiti cum dimidio latitudo ejus; cubitum item cum dimidio habebat altitudo ejus. Cubitus quiſque ſupputatur ſex palmorum, Tabularum longitudo erat ſex, latitudo ſex, & craſſities tres (palmos) Collocatæ autem erant tabulæ in Arca ſecundum longitudinem Arcæ. Quantum itaque ſpatium occuparunt tabulæ in Arca? duodecim palmos; unde tres remanſerant reſidui; ab his detrahe palmum, dimidium ſcilicet pro latere uno, & dimidium pro latere altero, reſidui manent palmi duo, in quibus collocatus erat liber legis &c.

[65] *Amphora Mannæ &c. Alii intra Arcam, alii coram Arca repoſitam fuiſſe contendunt. R. Levi ben Gerſon*: Hoc non negat ibi fuiſſe ea, quæ commemorantur in lege in eam fuiſſe repoſita, ut Virgam Aharonis, & Urnulam Mannæ, ſed negat tantum de lege &c. *Idem ad Num.* XVII. 10. *Refert Virgam Aaronis* coram teſtimonio *in cuſtodiam*. Sic invenimus quoque ſcriptum de Urnula Mannæ, quod poſuerint eam *coram Teſtimonio* in *cuſtodiam*. *Exod.* XVI. 33. 34. (quia Arca vocatur *Arca Teſtimonii*) propter tabulas, quæ fuerunt in ea, quæ ſunt teſtimonium legis, & quæ ad eam pertinent. Ex eo autem quod dicit, *coram Teſtimonio*, potius quam *coram Arca*, diſcimus, quod intra Arcam fuerint (*Urna Mannæ, & Baculus Aaronis*). Nam ſi extra eam fuiſſent, dicendum ipſi fuiſſet, *coram Arca*, non *coram Teſtimonio*. Quo accedit, quod in meliori cuſtodia fuerint in Arca (quam extra eam) *Abarbanel ad* 3. *Reg.* VIII. 9. *In Arca autem non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ*. Interpretes ſcribunt, ſcripturam his verbis non negare, quin in ea fuerit urna mannæ, & Virga Aaronis, ſicut habetur in traditione quadam Rabbinorum noſtrorum, quod res iſtæ, urna, inquam, mannæ, & Virga Aaronis fuerint in Arca cuſtodita pro filiis Iſrael, *R. Levi ben Gerſon provocat ad duo Scripturæ loca Exod.* XVI. 33. לפני יי *coram Domino* jubetur referri, & 34. לפני העדת *coram Teſtimonio*; Et *Num.* XVII. 10., *ubi Virga Aaronis* לפני העדת *coram Teſtimonio*, ideſt coram tabulis lapideis intra Arcam repoſitis, jubetur referri & reponi, quia extra eam non fuiſſet לפני *in facie ejus*, & *coram eo*. *Alii non in Arca ſed coram Arca hæc repoſita fuiſſe volunt. Abarbanel ad* 3. *Reg.* VIII. 9. *In Arca autem non erat aliud niſi duæ tabulæ lapideæ*: Nulla alia res fuit in Arca, non Urna Mannæ, non virga Aaronis, vel ulla alia res ſancta, ſed ſola lex Divina &c. *Et Maimonides de die expiationum cap.* IV. Lapis fuit in Sancto Sanctorum in parte ejus occidentali, cui impoſita fuit Arca, & ante eam Urna Mannæ, & Virga Aaronis: R. *Salomon exponit* לפני הארון, *coram Arca, & Aben Ezra, explicat* לפני יי *coram Domino, ideſt coram Teſtimonio* שהוא הארון *quod eſt Arca, quæ ſic vocatur propter tabulas fœderis, quæ fuerunt in ea. Huic ſententiæ videtur contrarius Apoſtolus, qui ad Hebræos* cap. IX. de Tabernaculo loquens ita ſcribit. Poſt velamentum autem ſecundum Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, Aureum habens thuribulum, & Arcam Teſtamenti circumtectam, ex omni parte auro, in qua Urna aurea habens manna, & Virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti &c. *Nonnulli referunt* ἐν ᾗ *non ad vocem* τὴν κιβωτὸν, *ſed ad* τὴν σκηνὴν, *ut dicatur in Tabernaculo ſecundo ideſt in Sancta Sanctorum, fuiſſe & ea Urna Mannæ, & Virga Aaronis ante Arcam; Tabulæ autem in Arca. Alii putant* ἐν ᾗ *non ſtricte ſumi pro in qua*, vel *intra quam, ſed laxius pro cum ex Hebraiſmo, in quo præpoſitio* ב *non ſolum ſignificat* in, *ſed &* cum, ad, prope, juxta; *ut dicatur Urna & Virga Aaronis fuiſſe* cum qua vel prope quam, vel juxta quam, *& Tabulæ* in qua. Sic *Joſ.* X. 10. *in Gabaon valet* prope Gabaon, *in Jericho* ad Jericho. *Jud.* XVIII. 12. *in Cariathiarim, juxta Cariathiarim*.

[66] *Liber legis, &c. Alii in Arca, alii ad latus Arcæ repoſitum fuiſſe contendunt. Babyl. Bava Bathra ſol.* 14. 1. Quantum itaque ſpatium occuparunt tabulæ in Arca? duodecim palmos, unde tres remanſerunt reſidui, ab his detrahe palmum, dimidium ſcilicet pro latere uno, & dimidium pro latere altero, reſidui manent palmi duo, in quibus collocatus erat liber legis, ſicut dicitur. *In Arca autem non erat aliud niſi duæ tabulæ lapideæ*. 3. Reg. VIII. 9. Quid ſibi vult, Nil erat in Arca Niſi, diminutio poſt diminutionem, quid ſibi volunt duæ adhibitæ particulæ excluſive, אין רק, *nil niſi*? Non adhibetur excluſiva poſt excluſivam hic niſi ad includendum librum legis, qui repoſitus erat in Arca. Jam ergo ubi poſitis in Arca Tabulis repleviſti Arcam ſecundum longitudinem, reple etiam eam ſecundum ejus latitudinem, & ſupputa, quantum ſpatii ſint inſumturæ? Sex palmos. Sic remanent in reſiduo tres palmi; ab his detrahe unum, medium ſcilicet pro pariete ſeu latere uno, & medium pro pariete altero, remanebunt duo palmi, in eum finem ne liber legis, ſi vel educatur, vel indatur, comprimatur. Et hæc quidem ſic dicuntur ſecundum ſententiam Meyr *Abarbanel ad* 3. *Reg.* VIII. 9. Nulla alia res fuit in Arca, non urna Mannæ, non virga Aaronis, vel ulla alia res ſancta, ſed ſola lex divina, eaque tum in tabulis utriſque tam integris quam fractis, tum etiam in lege, & præceptis comprehenſa: *Plerique ad latus Arcæ repoſitum fuiſſe putant. Babyl. Sekalim cap.* 6. Quantum ſpatium ſecundum eam occupant tabulæ? Sex palmos, unde remanet palmus cum dimidio; hinc detrahe dimidium palmum, digitum videlicet ex dimidium pro pariete uno, & dimidium pro pariete altero, reſiduus manebit palmus, in quo ſcilicet columellæ ſtabant, ſicut dicitur; *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum &c.* Cantic. III. 9. 10. Capſa autem illa, quam Philiſtæi dono miſerunt Deo Iſraelis, poſita erat ad latus ejus, ſicut dicitur. *Et vaſa aurea quæ exſolviſtis ei pro delicto, ponetis in capſellam ad latus ejus, & dimittite eam ut vadat*. 1. *Reg. VI.* 8. Et ſuper hanc depoſitus fuit liber legis, ſicut dicitur. *Tollite librum iſtum, & ponite eum in latere Arcæ fœderis Domini Deut. XXXI.* 26. Itaque a latere ejus fuit poſitus, non intra eam &c. Antequam veniret capſa illa (Philiſtæorum) liber legis ubi jacebat? Tabula prominebat ex ea (ſcilicet Arca) & ſuper ea jacebat liber legis &c. *In Gemara Hieroſol. Sekalim cap. VII. legitur etiam Tabulam ex Arca prominuiſſe, ſuper quam poſitus fuerit liber legis; inſtar ſcrinioli feciſſe ei Moſen, & intra illud inditum fuiſſe librum legis. Et in Gloſſa*. Tabula quædam prominebat facta inſtar capſellæ. *R. David Kimchi ad* 3. *Reg.* VIII. Hic (inquit) habetur probatio, quod in Arca neque tabulæ fractæ fuerint, neque liber legis. *R. Abraham Seba in Tzeror hammor ſect.* וילך Præcepit Levitis, ut accipiant volumen legis hujus, nempe aliud quam quod Moſes tum ſcripſerat, qui illic erat, & reponant eam ad latus Arcæ fœderis, ut ibi ſit in teſem contra filios Iſrael, ſi tranſgreſſi fuerint verba legis, & ſi forte contingat, ut tranſgrediendo legem, amittant volumina legis, ibi præſto ſit hoc exemplar cuſtoditum ſub cura Levitarum in perpetuum in teſtimonium ipſis. Hinc mandavit, ut eum reponerent ad latus Arcæ fœderis, quo ſcilicet ibi cuſtodiretur, & conſervaretur. Hac de cauſa vocantur Levitæ cuſtodes legis, ſicut dicitur. *Hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſervaverunt. Deut. XXXIII.* 9. cuſtodiendo ſcilicet volumen legis. *Jonathan ben Uziel Paraphraſtes Chaldæus* verſum illum *Deut. XXXI.* 26. ſic exponit. *Reponite librum legis hunc, & reponite eum in capſa ad latus dextrum Arcæ fœderis Domini Dei veſtri, & ſit illic inter vos in teſtimonium. Vide Aben Ezram, ad Exod. XXV.* 16.

[67] *Illuſtre præſentiæ &c.* Scribitur in *Chaſkuni Exod.* XL. 33. Nec poterat Moſes ingredi tectum fœderis, *ea ſcilicet hora, qua erectum fuit, quia e veſtigio habitavit ſuper illud nubes ad teſtificationem amoris Dei erga Iſraelem, ſed poſtea nubes illa abl[illegible] fuit a Taber-*

bernaculo , & habitavit ſuper Arca; ſicut dicitur . Et conveniam te illic e propitiatorio. *Item ſic cum templum a Salomone perfectum eſſet , ſanctificavit Deus illud nube , ſed poſtea præciſe reſtrinxit habitationem ſuam glorioſam ſuper Arcam inter vectes . R. Bechai in ſect.* תרומה *fol.* 103. *col.* 1. Porro noſti Moſem audiviſſe vocem Dei ibi ex inter duos Cherubinos e medio menſuræ palmi. Illic enim præciſe quoque terminavit Deus ſuam habitationem ſeu præſentiam ſuam , non obſtante quod de eo ſcriptum ſit ; *Numquid non cælum , & terram ego impleo , dicit Dominus . Jerem.* XXIII. 24. *Sic in Medraſch. Tanchumah* , R. Joſua Sichnenſis dixit , rem hanc ſimilem eſſe ſpeluncæ ad littus maris ſitæ , quæ commoto mari repletur , mari nullum decrementum inde patiente ; ſic , inquit , Deus præciſe ſuam præſentiam & habitationem reſtrinxit inter duos Cherubinos , & tamen majeſtas ejus eſt & manet ſuper cœlum & terram .

[68] *Θυμιατήριον &c. nonnulli per θυμιατήριον aureum intelligunt altare aureum , quod ſupra probavimus fuiſſe ſitum extra velum in Sancto & adverſo Arcæ . Alii accipiunt de Thuribulo aureo , quod ſingulis annis a ſummo Pontifice in Adytum inferebatur , & ibi in annum ſequentem relinquebatur , ſed omnes Hebræi aſſerunt , quartum Pontificem in Adytum fuiſſe ingreſſum , in die Expiationum , ut inde Thuribulum efferret , qui* 1. *ingrediebatur in Adytum cum Thymiaterio , cum prunis , & Aromatis , illudque ibi relinquebat donec cæteros cultus peregerat .* 2. *cum ſanguine juvenci octies inter vectes Arcæ aſpergendo .* 3. *cum ſanguine hirci mactati .* 4. *ſub veſperam ut efferret inde acerram & thuribulum . Joma cap. V.* Thuribulum dextra accepit & cupam ſiniſtra , in ſanctuario ibat donec inter duo vela pervenerat , quæ inter ſanctum & ſanctum ſanctorum dividebant &c. Ibat inter ea donec ad ſeptentrionem pervenerat , cum ad ſeptentrionem perveniſſet facie in meridiem verſa , ſiniſtrorſum ibat prope velum donec ad Arcam pervenerat , cum ad Arcam perveniſſet , thuribulum inter duos ejus vectes collocabat , ſuper prunas ſuffimentum congerebat , & tota domus repleta erat fumo . *Et cap. VIII.* 4. Intrabat ut depromeret cupam thuribulumque : *Maimonides cap. IV. de die expiationum :* Itaque dextra thuribulum , & acerram ſuffimenti ſiniſtra prehendebat , ingrediebaturque per templum ad Sanctum Sanctorum , ubi velum in ſe replicabatur , introibatque in Sanctum Sanctorum uſque ad Arcam fœderis , *& nonnullis interjectis :* introibat in Sanctum Sanctorum , ex quo Thuribulum & acerram efferebat : *Abarbanel Levit.* XVI. Ingreditur quarta vice ad auferendum inde thuribulum & acerram , quæ ibi remanſerunt a tempore quo ſuffitum fecit . *R. Levi ben Gerſon rationem affert ;* 1. *quia ſcilicet non conveniebat ut iſta vaſa inde efferat , antequam perfecte conſumti fuerint ſuffitus & ignis in Thuribulo &c.* 2. *cur Scriptura nullam exertam mentionem faciat efferendorum horum vaſorum ? quia hoc non de præcipuo ſcopo ſuit hujus diei , neque de neceſſitate expiationis .* 3. *cur efferenda fuerint ? quia hoc pertinebat ad honorem illius loci , ne cinis per totum annum ibi relinquatur uſque ad ſequentem diem expiationum , quo demum illum removeat Sacerdos magnus .*

[69] *Acerra thuris &c. Toſaphta Joma cap.* II. 17. In omni alio die (Thuribulum) erat grave , & hodie leve , in omni alio die erat breve , & hodie longum , ut brachio ſibi adjumento eſſe poſſet , in omni alio die non habebat annulum , & hodie habet annulum , verba filii Sagan *Maimonides ad cap. IV. 4. Joma .* At Pontifici Maximo non incumbebat removere ignem ex uno thuribulo in aliud die expiationis , ne nimio labore defatigaretur , ſed id ipſum thuribulum , quo removebat ignem ab altari , uſurpabat intra , & levius erat thuribulo , quo utebatur quotidie , & anſa ejus erat major & longior , ut & facilius illud portare poſſet .

CAPUT SEXTUM.

De Templo primo , ejuſque atriis .

§. I. Templi nomina

I. TEmplum Hieroſolymis exſtructum , in loco quem Deus elegit , ſecundum *Exod.* 15. 2. 17. appellatur בירת אלהים . (quicum convenit τὰ τοῦ Θεοῦ *Luc.* 2. 49.) & בית , (unde οἶκος *Eccleſ. Sirac.* 50. 1. & *Luc.* 11. 51.) vel בירת זבול י׳׳ . Dicitur etiam frequenter מקדש : unde Judæis ἔθος λέγειν ἁγίασμα , id eſt מקדש , non ναὸν , notatur *lib.* IX. *pag.* 306. *Cyrilli contra Julianum* . Hoc nomen Tabernaculo etiam datur , uti viciſſim nomen tabernaculi משכן Templo , uti obſervatum eſt in *Gem. Eruvin.* 2. 1. [2] Solet autem מקדש opponi τῇ מדינה uti in *Jevamoth.* XVI. 6. & τοῖς גבולין , ſic ut quædam in מדינה aut גבולין licita eſſe dicantur quæ vetita ſunt in מקדש : intelligitur per מקדש ἱερὸν , [3] ædes ſacra , videlicet cum atrio magno עזרה , quæ erant קדש loca ſancta , & oppoſita reliquis locis [4] nomine חול ſive locis profanis notis apud Hebræos . Alii putant totam [5] urbem Hieroſolymitanam hoc nomine מקדש intelligi , ſed in *Sanhedrin* 11. 1. & *Gem. Mœd. Katon.* 26. 1. מקדש & ירושלים diſtinguuntur . [6] Aliquando & היכל dicitur , quod proprio nomine ædes ſacra eſt , non atria ; & מעון in *Gem. Bava Bathra* 166. 1. & בנין in *Echa Rabbati* . 62. 1. & בית עולמים ut a tabernaculo diſtinguatur . Græca nomina ſunt ἱερὸν , & ναὸς , ita ut ναὸς minus late pateat , & cum היכל ſive æde ſacra conveniat , ἱερὸν & τέμενος cum מקדש , id eſt , atrio magno : quamvis vox ἱεροῦ latius aliquando pro omni ſpatio , quod in monte Moria erat & Templum cingebat , accipi videatur , uti & vox מקדש in Miſna uſurpatur [7] de ſpatiis extra atrium magnum . Vide *Schekalim* . 1. 3.

§. II. Quot Templa fuerint .

II. Geminum modo Templum fuit , prius a Salomone , poſterius a reducibus ex captivitate Babylonica conditum . Judæi ipſi non niſi duo agnoſcunt , מקדש ראשון *Templum primum* & מקדש שני *Templum ſecundum* . Vid. *Gem. Bava Metzia* . 28. 1. *Echa Rabbati* 62. 1. ubi Templum a Tito captum בירת שני vocant . Herodes auxit quidem [8] atque ornavit Templum ſecundum , ita ut in *Gem. Bava Bathra* . 4. 1. & *Gem. Succa* 51. 2. ſcribant , *eum qui Templum Herodianum non vidit , nunquam vidiſſe ædificium* exi-

eximium, מי שלא ראה בניין הרודוס לא ראה בנין נאה, & ſaxa ingentia, ad id opus adhibita, ibidem celebrant, quo etiam faciunt verba diſcipulorum *Marc.* 13. 1. ποταποὶ λίθοι; ſed novi templi conditor non fuit, non magis quam Chaſmonæi qui templum hoc inſtaurarunt, aut Joas qui templum primum renovaſſe legitur, 2. *Chron.* 24. 4.

§. III. Templi I. deſcriptio unde petenda.

III. Templum Primum a Salomone exſtructum in monte Moria non ita accurate in libris Regum & Chronicorum deſcribitur, ut inde exacta delineatio omnium partium Templi illius peti poſſit, quumque multæ voces ex architectura deſumtæ, de quarum ſignificatione hodie diſputatur, ei inſertæ ſint, mirum non eſt adeo in hoc argumento diſcrepare interpretes. Suppleri poſſe hunc defectum quidam putant ex prolixiore deſcriptione Templi quam Ezechiel dedit *cap.* 41. *& ſeqq.* quandoquidem iis perſuaſum eſt templum ab Ezechiele conſpectum idem fuiſſe ac Salomonicum, quum utriuſque deſcriptio ab eodem auctore Deo profecta ſit, eidem uſui utrumque fuerit deſtinatum, & nulla in alterutro differentia inveniatur reſpectu atriorum, Ædis Sacræ, ejuſque partium, conclavium, &c. Quapropter Ezechielem parcius deſcripſiſſe aut plane omiſiſſe volunt illas Templi partes, quæ in libris Chronicorum copioſius deſcriptæ extant, uti columnas duas ante Ædem Sacram *Ezech.* 40. 49. 1. *Reg.* 7. 21. lychnuchum, menſam panum, altare ſuffitus, & ipſam arcam. Prolixius e contrario Ezechiel deſcripſit altare exterius, menſuras portarum, atriorum, & conclavium, quorum aut nulla aut levis mentio eſt in libris Regum.

§. IV. Atria duo.

IV. Liquet ex collatione librorum Regum & Chronicorum Atria duo in Templo primo Ædem Sacram cinxiſſe: mentio enim fit 1. *Reg.* 6. 36. & 7. 12. *Atrii interioris* חצר הפנימית, quod opponitur exteriori: & 2. *Reg.* 23. 12. שתי חצרות *duo atria* diſerte memorantur, ſic ut interius fuerit חצר הכהנים *atrium Sacerdotum*, ſive החצר אשר לפני הבית 2. *Chron.* 7. 7. exterius עזרה הגדולה *atrium magnum*, ſive populi. 2. *Chron.* 4. 9. In Templo Ezechielis ſimiliter duo tantum atria חצר הפנימית *Atrium interius* & החצר החיצונה *Atrium exterius* fuiſſe leguntur. Horum portæ ære obductæ traduntur fuiſſe 2. *Chron.* 4. 9.

§. V. Atrium novum quid.

V. Mentio fit 2. *Chron.* 20. 6. *atrii novi*, החצר החדשה, ante quod Rex Joſaphat ſtetit ad populum verba facturus, unde male colligitur id tertium aliquod atrium fuiſſe diſtinctum a duobus prioribus; nam imperante Manaſſe, diu poſt Joſaphatum, duo tantum atria Templi memorantur, 2. *Reg.* 21. 5. uti & apud Ezechielem *cap.* 10. 3. quibus nonniſi Templi primi atria intelligi poſſunt. חדש autem ſive novum Hebræi appellare ſolent quod renovatum eſt. Quapropter id atrium novum idem videtur fuiſſe ac Atrium Sacerdotum, ſed renovatum, ante quod Rex Joſaphat populum in atrio exteriori congregatum allocutus eſt. [9] Judæi hanc rationem nominis Atrii novi aſſignare ſolent, quod eo die novo edicto caverint ne טבול יום (qui interdiu lotus ejus diei veſperam præſtolari debuit antequam omnino mundus haberetur) intraret in montem Templi ſive הר הבית, quem putant propterea atrium novum quaſi nova ſanctitate donatum, appellatum fuiſſe. *Gem. Peſachim*. 92. 1. *Gem. Jevamoth*. 7. 2. *Gem. Zevachim*. 32. 2. *Gem. Horajoth*. 5.

§. VI. Atrium Gentium non fuit in Templo.

VI. Atrium Gentium itaque in templo primo nullum fuit. Sacri Scriptores ejus nuſquam mentionem faciunt, uti nec interpretes Judæi. Meminit quidem Rex Salomo in precibus ad Deum fuſis quum Templum dedicaret 1. *Reg.* 8. 41. הנכרי *peregrini*, qui non eſſet ex populo Iſraelitico & adoraret אל הבית הזה: verum per peregrinum intelligi debere hominem eo tempore quo adoraret adhuc ſacris Gentium addictum, & אל הבית debere reddi per *in hac Æde*, non *ad* vel *apud Ædem hanc*, nondum eſt demonſtratum. Confer de hac phraſi *Gem. Berachoth*. 30. 1. & *Midraſch Schir Haſſch*. 26. 1.

§. VII. Mare æneum in Atrio.

VII. Collocavit Rex Salomo in Templi ſui atrio ingens vas æneum luſtrationi ſacerdotum deſtinatum, הים מוצק, ſive Mare ex ære fuſo, altum quinque cubitos, craſſum palmum unum (2. *Chron.* 4. 4.) [10] latum ab uno labio ad aliud decem cubitos & in peripheria complectens triginta. Confectum erat ex ære, quod David Regi Syrorum eripuerat, & auro pretioſius habetur, uti Joſephus lib. VII. 6. *Antiq.* teſtatur. Inſiſtebat 12. bubus æreis, & capere poterant (מחזיק יכיל) 3000. [11] bathos aquæ 2. *Chron.* 4. 2. 3. 4. At in 1. *Reg.* 7. 26. 2000. bathos (יכיל) cepiſſe dicitur. Quam differentiam alii ab impletione vaſis vel ad ſummum uſque marginem, vel ad menſuram ordinariam, alii ab differentia humidorum atque aridorum, alii denique a librariis arceſſunt. Vide *Gem. Hier. Eruvim*. 19. 1.

§. VIII. Figura ejus.

VIII. Figuram habuiſſe rotundam ſacer codex tradit 2. *Chron.* 4. 2. & labium ejus inſtar lilii repandum fuiſſe, 1. *Reg.* 7. 26. Quum autem lilia שושנים a ſex foliis nomen habeant, videtur labium hujus vaſis ſex quaſi folia repræſentaſſe, aut ſex ſpatiis, quinque cubitos a ſe invicem diſtantibus, inciſum fuiſſe, proximeque acceſſiſſe

ceſſiſſe

cessisse ad hexagonum. Atque ita diameter cubitorum decem conveniet peripheriæ cubitorum triginta, quoniam diameter circuli, cui hexagonum inscriptum est, si decem habeat cubitos, quodlibet latus hexagoni dabit quinque, adeoque sex latera efficient triginta.

§. IX. Fulcrum.

IX. Sub hoc mari fuere מכונות quo nomine duplex fulcrum intelligimus, idque circulare, in quo conspiciebantur duo ordines formarum bovinarum totum mare cingentium, quæ פקעים 1. *Reg.* 7. 24. dicuntur. Vide 2. *Chron.* 4. 3. ubi תחת לו דמות בקרים & 1. *Reg.* 7. 24. תחת לשפתו *sub labio* maris fuisse dicuntur, quod nempe paullum supra hos ordines boum vas ipsum in formam labii flecti inciperet: nam clarum est תחת לו idem esse quod תחת לספתו ex collatione duorum locorum modo adductorum. Videtur hoc fulcrum in circuitu 10. cubitos habuisse עשר באמה 1. *Reg.* 7. 24. (quod alii reddunt, 10. fuisse formas bovinas in cubito: sed ארבע באמה 1. *Reg.* 7. 27. & commate 2, eadem verba עשר באמה quæ cubitos 4, & cubitos 10. notant, pro nobis faciunt) & ad firmiorem hujus vasis constitutionem esse fabricatum. Sub his fulcris, תחת מכונות, (*Jerem.* 52. 20.) fuere 12. boves ænei versus 4 mundi plagas respicientes, qui תחת הים *sub mari* fuisse dicuntur 1. *Reg.* 7. 44. & 2. *Chron.* 4. 15. Vestigia horum fulcrorum inveniuntur quædam in verbis Josephi, qui mare æneum fultum spira in helices decem circumducta scribit, & Eupolemi apud Eusebium, *lib.* IX. *Præp. Evang.* qui coronæ meminit ad ejus basin, στεφάνης πρὸς τὴν βάσιν, ad quam sacerdotes lotum adscenderent.

§. X. Usus.

X. [12] Lavabant ex eo sacerdotes manus & pedes: quod qua ratione peractum sit ambigitur. Sunt qui ipsos sacerdotes corpora ei [13] immersisse putent, aut in coronam, quæ basin cingebat, ascendisse. Alii vero per plurima [14] epistomia semper aperta aquam defluxisse, atque ita a sacerdotibus exceptam. Alii denique vel duo, vel 12, epistomia ei tribuunt, ut ita duodecim sacerdotes circa membra holocausti & quæ eo pertinebant, occupati (nam tertius & decimus, qui victimam jugularet, lotione non indigebat) simul lavarentur.

§. XI. Labra ærea.

XI. [15] Præterea 10 labra ænea כירות Salomo in atrio collocavit, 5. ad dextram, 5. ad sinistram, ædis Sacræ, continentia singula 40. bathos, & innixa basi æneæ altæ 3. cubitos, longæ & latæ 4. quæ & ipsa 4. rotis insistebat. Confecta hæc ex eodem ære quo mare æneum Josephus *Ant.* VII. 6. testatur. [16] Ex his labris aqua petebatur ad lavandas carnes victimarum, 2. *Chron.* 4. 6. 1. *Reg.* 7. 27. 38.

§. XII. Altare æneū.

XII. [17] Altare etiam Salomo exstruxit in atrio appellaturque æneum, quod ære esset obductum. [18] Longum autem erat 20 cubitos, & totidem latum, altum vero 10. 2. *Chron.* 4. 1. situm ad orientem ædis Sacræ. Longitudinem 20 cubitorum attribuit R. Jose in *Middoth.* III. 1. summæ parti altaris, putatque imam partem patuisse 28. cubitos, sed 4. cubitis hinc & 4. inde ablatis per fundamentum & circuitum, restare 20. cubitos.

§. XIII. Quamdiu in Templo fuerit.

XIII. Non videtur illud altare æneum, quod Asa renovasse legitur 2. *Chron.* 15. 8. sive ære refuso, sive alio modo, perstitisse usque ad templi excidium, quia cum mari æneo, & labris, aliisque hujus atrii ornamentis in Babyloniam delatis, fuisset memoratum *Jerem.* 52. 17. *& seqq.* Sic ut probabile sit lapideum aliquod ejus loco in templo primo exstructum fuisse (forte postquam rex Achas semoto altari æneo altare suum Damascenum substituit, 2. *Reg.* 16. 14. vel a rege Manasse de quo legitur יבן את מזבח 2. *Chron.* 33. 16. licet in visione prophetica Ezechiel *cap.* 9. 2. altaris ærei adhuc meminerit) ad cujus formam Judæi e captivitate Babylonica reduces lapideum quoque extruxerint. Confer *Jerem.* 41. 5.

§. XIV. Conclavia in Atriis.

XIV. Varia fuere conclavia, לשכות 1. *Chron.* 9. 26. ad multiplices usus comparata in atriis templi, quæ memorantur in circuitu atriorum, 1. *Chron.* 28. 12. in quibus thesauri Sacri videntur fuisse, distincta ab iis conclavibus, quæ Ædem proxime cinxerunt & nomine יציע 1. *Reg.* 6. 6. veniunt. Res ipsa docet conclavia quædam ad vasa, vestes, thesauros, aliasque res sacras recondendas illic esse debuisse, & mentio quorumdam fit, uti memoratur Conclave Principum, לשכת השרים, quod erat supra Conclave Maasejæ, Conclave filiorum Chananis, *Jerem.* 35. 4. Conclave Gemariæ filii Saphanis scribæ quod erat in atrio superiori, חצר העליון, juxta novam portam Templi *Jerem.* 36. 10. ubi Baruch legit coram populo verba ex ore Jeremiæ excepta, Conclavia Levitarum. 1. *Chron.* 9. 33. Conclavia in quibus primitiæ, decimæ, aliæque res Deo Sacræ recondebantur, jussu Chizkiæ parata 2. *Chron.* 31. 11. His adnumerant quidam חדר המטות Conclave lectorum, in quo Joas per sexennium delituit 2. *Reg.* 11. 2.

COM-

COMMENTARIUM IN CAPUT SEXTUM.

[1] Templum Hierosolymis &c. *Judæi nunquam mutandum esse locum Templi, & Altaris contendunt. Midrasch Till. fol.* 42. 2. Traditio ab omnibus recepta est, locum ubi David condidit Altare in area Araune fuisse locum, ubi suum condidit Abrahamus, super quod ligavit Isaacum, ubi suum condidit Noachus, cum egrederetur ex Arca, ibidem fuisse Altare, super quod obtulerunt Cain & Abelus, ibidem Adamum obtulisse cum crearetur, atque inde fuisse creatum. Dicunt sapientes, ibidem ei locus expiationis, qui creationis. *Josephus Antiquit. lib.* 7. *cap.* 10. *loquens de Sacrificio, quod Rex David in area Ornanis Jebusæi de Deo fecerat, hæc scribit*. Erat autem is locus, in quem olim Abrahamus filium, ut holocaumata faceret, adduxerat, & cum jam jam jugulandus esset puer, aries repente astans Altari apparuerat, qui pueri vice fuerat mactatus, ut jam ante scripsimus. David autem cum animadvertisset se exauditum, & gratum fuisse Sacrificium, decrevit totum illum locum Altare universi populi appellare, & Deo Templum ibi exædificare, quam ejus vocem Deus in futurum ratam esse voluit; mox enim Propheta ad eum missus illic Templum extruendum prædixit a filio. *Vide Maimonidem cap. II. de Templo*.

[2] *Solet autem &c. Codex Sotah cap. VII.* 6. Qua ratione (*peracta est*) benedictio Sacerdotalis? במדינה, *in provincia* (extra Sanctuarium?) tres benedictiones ex ea conficiebantur, ובמקדש *sed in Sanctuario* una tantum, במקדש, *in Sanctuario* ineffabile nomen offerebatur secundum literas; במדינה, *sed in provincia, scilicet extra Sanctuarium* (*substituebatur*) cognomen. *Codex Succah cap.* III. 12. In principio sumebant ramum secum במקדש *in Sanctuario* septem dies, ובמדינה, *& in provincia* unum diem. *Codex Rosch haschana cap. IV*. Si dies festus initii anni incidet in Sabbathum, במקדש *in Sanctuario* clangebant, verum במדינה *in provincia* non. *Codex Sekalim cap. I.* 3. Die decimo quinto ejusdem *mensis* במדינה *in provincia* mensæ collocantur, & die vicessimo quinto sedent (*ad mensas*) במקדש *in Sanctuario*.

[3] *Ædes sacra &c. Maimonides ad cap.* II. 6. *Middoth.* Per atrium cujus hic fit mentio, quando dicit, totius atrii longitudo *erat* 387. *cubitorum &c.* intelligitur spatium illud quod ab initio atrii Israelitarum, & superius usque ad undecim cubitos post templum se extendit, sicuti in fine hujus tractatus exponitur. Et ob huncce locum tenetur excidio, si quis de industria contra ipsum peccaverit, & sacrificio pro peccato, si ex errore. Et hic locus in genere vocatur *Sanctuarium*.

[4] *Nomine* חול *&c. Codex Maaser Scheni cap.* III. 8. Conclavia ædificata בקדש *in Sancto*, & aperta לחול *versus profanum*, medium eorum est חול *profanum*, tecta vero sunt קדש *sancta*; si ædificata sint בחול *in profano* & aperta לקדש *in Sanctum* medium eorum est קדש *Sanctum*, tecta vero sunt חול *profana*; si ædificata sint בקדש *in Sancto* ובחול *& in profano*, & aperta לקדש ולחול *in Sanctum & in profanum*, medium & tecta הקדש ולקדש קדש *e regione Sancti & versus Sanctum sunt Sancta*, החול ולחול חול *sed e regione profani & versus profanum sunt profana*.

[5] *Totam urbem &c. Maimonides semper opponit* מדינה *Hierosolymæ*; ad *cap. I.* 3. *Codicis Sechalim*, in tota Misna (*inquit*) במדינה *in provincia* est nomen omnium urbium terræ Israelis, exceptis Hierosolymis. *Et ad cap. III.* 12. *Codicis Succah.* מדינה *provincia* puta omnes terræ Israelis civitates exceptis Hierosolymis. *Et ad cap. IV.* 1. *Codicis Rosch haschana*. Jam aliquoties declaravimus, quod מקדש vocatur tota civitas Hierosolymæ, & מדנהי cæteræ omnes terræ Israelis civitates. *Et ad cap. III.* 4. *Codicis Maaser Scheni*. מדינה vocatur quælibet civitas extra Hierosolymas in Terra Israelis. *Bartenora vero* מדינה *designari præcipue Hierosolymam contendit; ad cap. I.* 3. *Codicis Sechalim ita scribit*. במדינה in provincia, Hierosolymis, mutuabant autem dimidium sicli hominibus illis, qui adducebant monetam de provincia sua, nesciebant autem, quantum nummorum valebat dimidium Sicli. *Sedebant* במקדש *in Sanctuario*, quia tempus appropinquabat, ideoque consedebant in Sanctuario; ut adductionem &c. Sicli accelerarent. R. Mosche exponit, quod omnes civitates Israeliticæ vocantur מדינה sed quinto decimo die sedebant in Sanctuario Hierosolymis. Et ad cap. III. 12. Codicis. *In Sanctuario septem dies*, uti dicitur *Levit.* 23. 40. *Et letabimini coram Domino Deo vestro, celebrabitisque solennitatem ejus septem dies*, ומדינה *& in provincia*; Hierosolymis, quæ etiam in hoc casu se habent ut finitimæ urbes. *Et ad cap. IV. Codicis Succah. Clangebant in Templo*, nam clangere buccina non est opus; prohibuerunt autem hoc sapientes, ne quis buccinam manu apprehenderet, & transeat quatuor passus in loco communi; at in Templo hoc non decreverunt, quia in Templo non datur prohibitio Sapientum Sabbathica. *Sed non* במדינה *in provincia*, neque Hierosolymæ, neque in terminis, sed Rabbenu Mose declarat, quod tota urbs Hierosolyma vocetur מקדש *Sanctuarium*, & cæteræ terræ Israelis loca vocantur מדינה *provincia. Jom Tob in Toseph. ad Cod. de Siclis, Sotah &c. probat sententiam Bartenoræ, sed ad Cod. Maaser Scheni decidit juxta Maimonidem, ubi Hierosolyma palam a provincia distinguitur cap. III.* 4. Si fructus fuerint Hierosolymis, & nummi (decimarum) במדינה *in provincia*.

[6] *Aliquando &c. Maimonides cap. I.* 5. *de Templo*. Hæc igitur in ædificio Templi potissima sunt; primo fit *Sanctum*, deinde *Sanctum Sanctorum*, *ante Sanctum* vestibulum esse necesse est; hæc tria simul Templum vocantur. *Middoth cap. III.* 8. Transtra quercina infixa fuere in parietem היכל *Templi* in parietem porticus &c. Vitis aurea expandebatur super portam היכל, *Templi*.

Aliquando distinguitur Templum ab Adyto. Middoth cap. V. ההיכל *Templum* cum Adyto erat cubitorum centum. *In quem locum ita Bartenora*. Nempe crassities parietis ulam, atque parietis Templi crassities, & ipsum Templum, & cubitus Tarkesin, & concavum Sancti Sanctorum, & paries Templi ad occidentem, & Ta sive Thalamus, & paries ipsius, omnes isti loci centum erant cubitorum. *Et Joma cap. V.* בהיכל *in Templo* ibat, donec inter duo vela pervenerat, quæ inter Sanctum & Sanctum Sanctorum dividebat. *Maimonides de Solenni die expiationum cap. III.* 5. Ac primum quidem ex sanguine juvenci aspersiones octo fiebant in Sancto Sanctorum &c. Post in Templo contra velum iterum ex sanguine juvenci fiebant aspersiones octo. *Ibidem cap. IV*. Ingrediebaturque per Templum (*idest per Sanctum*) ad Sanctum Sanctorum &c. Tum exibat, ac pedetentim ingrediebatur retro sic, ut os ejus ad Sanctum Sanctorum, & tergum esset conversum ad Templum &c. Interea dum suffimentum in Sancto Sanctorum incendebatur, omnino populus omnis recedebat a Templo (*scilicet a Sancto*) non recedebat autem de spatio inter vestibulum, & Altare intermedio. *Hic vides Templum non solum ab Adyto, sed etiam a Vestibulo distinctum; quod etiam legimus in ejus tractatu de Templo cap. VI.* 4. Vestibulum autem & Templum totum in plano erant.

[7] *De spatiis &c. Maimonides Sekalim cap. I.* 9. Quinto decimo die ejusdem mensis singulis in urbibus sedent nummularii &c. Vicesimo vero quinto die sedent במקדש *in templo*.

[8] *Atque ornavit &c. Gemara Succa cap. III.* Qui nunquam vidit Hierosolymam in sua gloria, nunquam vidit pulchram civitatem. Qui nunquam vidit Sanctuarium cum suis ædificiis, nunquam vidit aurea ædificia. Rab. Hasda dicit, fuit Herodis ædificium, & qua materia struxit illud? Rabba dixit, aureo lapide, & marmore, & quidam dicunt marmore variegato, unus margo interior, alter exterior erat *quod ita interpretatur Glossa*, similitudinem referebat fluctuum maris, una series lapidum introrsum immissa erat, altera vero prominebat. *Josephus Antiquit. lib. XV. c.* 14. ambitu amplius, atque altitudine splendidius, antiquis fundamentis eversis novi substituens. *Vide Juchasin fol.* 19.

9 Ju-

[9] *Judæi &c. Bartenora ad cap.* 1. 9. *Celim*. Joſaphat & illius judicii domus decreverunt de eo, qui die lotus eſt ne intraret in atrium mulierum, ſicuti ſcriptum eſt. 2. *Chron.* XX. 5. *Et conſtitit Joſaphat in cætu Judæ coram atrium novum*; ſed in Gemara quæritur, quod per *atrium novum* intelligatur id in quo aliquid innovatum fuit reſpectu illius, qui die lotus eſt, quod is non intrabat caſtra Levitarum, non quod nequaquam introibit in Levitarum caſtra, niſi reſpectu atrii mulierum dumtaxat. Et hoc de eo, qui die lotus eſt, decreverunt, & non de eo, qui expiatione caret, quia is qui die lotus eſt, prohibitus ſit de oblatione prima comedere, de qua tamen comedere poteſt is, qui expiatione caret, cujus vero immundities gravior eſt, illius quoque longinquior eſt dimiſſio.

[10] *Latum ab uno labio &c. Bartenora ad cap.* 1. *Eruvin* 5. *Si fuerit in ambitu ejus* q. d. quæ vero debet eſſe menſura rotundæ, ut pro legitima habeatur? In cujuſcunque ambitu ſunt tres palmi, ut adeo requirat filum trium palmorum pro (metiendo) ambitu ſuo circum circa; certum eſt, quod habeat latitudinem palmarem, ſi diffindatur. Nam ſic invenimus de mari, quod fecit Salomon; decem ulnæ ab extremitate una ad extremitatem alteram, rotundum circum circa, & linea triginta ulnarum circumdabat illud circum circa. Itaque unicuique ulnæ in latitudine reſpondent tres ulnæ in ambitu.

[11] 3000. *Bathos &c. Schilte Haggibborim cap.* XXVII. Noſſe vos oportet, o filii, in templo primo, quod condiderat Salomon, fuiſſe mare fuſum, habens decem cubitos ab ore una parte ad alteram, rotundum circumquaque, altitudine cubitorum quinque, capiens vero Bathos bis mille, prout traditur 3. *Regum* VII. Cæterum, quod 2. *Chron.* IV. legimus, ter mille Bathos illud cepiſſe; hoc cum magiſtris noſtris f. m. ita conciliandum fuerit (ut dicatur) continuiſſe bis mille Bathos humidorum, at ter mille Aridorum aggeſtorum. Nam quodque vas, cujus profunditas dimidiatam proportionem habet, ad περιφέρειαν ſi poſt impletionem porro acervetur, tantum admittit cumulum, ut tertiam partem ejus quantitatis, cujus ipſum vas ad oram uſque capax eſt, exæquet.

[12] *Lavabant ex eo &c. Idem ibidem* Et mare inſerviebat, ut in eo lavarent Sacerdotes, ideſt pro immerſione Sacerdotum, qui ſe in eo propter eorum immunditiem immergebant. *Et in Gemara Hieroſol. in Joma cap.* III. *explicatur*; *Nonne illud erat vas?* ideſt, quomodo inſerviebat ad lavandum, cum eſſet vas, neque in Vaſis lotio valet? Reſpondetur. Dixit R. Jehoſua filius Levi; Tubus aquæ deductus erat ad ipſum ex fonte Etham; pedes boum erant aperti inſtar malorum punicorum, ideſt ſubter terram, & per eos introducebantur aquæ, quæ ingrediebantur, & per pedes boum aſcendebant, qui inferius aperti & vacui erant, quia, cum vas eſt deficiens, ut ab eo poſſit egredi malum punicum, non reputatur ut vas, & aqua, quæ in illud ex fonte Etham ingrediebatur, legitimus erat ad lavandum: *Vide Aruch in* מכנה.

[13] *Immerſiſſe &c. Gemara Eruvin fol.* 14. Docuit R. Chaja mare, quod Salomo fecerat, continuiſſe CL. fontes purificationis. Quæ eſt menſura fontis ejuſmodi? Ea quæ colligitur ex verbis (*Levit.* XIV. 9.) *Et abluet carnem ſuam aquis*, quibus cum indicetur, totum corpus fontis aquis abluendum eſſe; quare aquas tantas eſſe oportet, ut univerſum corpus capiant. Quæ igitur harum debet eſſe quantitas? Ulnam unam longas, lataſque, tres vero profundas eſſe exigitur.

[14] *Epiſtomia. Maimonides cap. III. de Templo* 18. Erant labro mammæ duodecim, ut ex eo Sacerdotes jugi ſacrificio operantes lavare poſſent ſimul omnes: *Schilte Haggibborim cap.* XXVII. Et in Templo primo labrum non habebat niſi duo epiſtomia, donec venit Ben Katin Sacerdos magnus, quod in ejus laudem memoretur, fecit duodecim, uti diximus in Joma cap. III. 10. ut duodecim Sacerdotes ſemel omnes poſſent operari in ſorte Sacrificii jugis matutini, & ſanctificare manus & pedes; quamvis eſſent tredecim Sacerdotes, ideſt qui mactabat, qui aſpergebat (ſanguinem) qui etiam excipiebat, qui decinerabat altare aureum, qui emundabat candelabrum, qui ferebat caput & pedem Sacrificii jugis ad Altare, qui ferebat duas manus, qui ferebat ſpinam dorſi, & pedem, qui ferebat pectus, qui ferebat duo latera, qui ferebat interiora, qui ferebat ſimilam, qui ferebat frixa, & erat ſacrificium ſummi Sacerdotis, quod cum ſacrificio jugi matutino dimidium mane & dimidium veſperi offerebatur & qui ferebat vinum pro agni libaminibus, tamen non fecit epiſtomium pro eo, qui mactabat, quia mactatio etiam ab alienigena fieri poterat. *Babyl. Joma cap.* III. Traditur (*ſcilicet* 12. *Epiſtomia ab illo confecta fuiſſe*) ut duodecim ejus fratres Sacerdotes operantes ſacris illius jugis holocauſti, ſanctificarent manus ſuas, & pedes ſuos una pupilla, *ideſt ſimul*. *Aruch* Inſtar mammarum mulicbrium, e quibus epiſtomiis ſcaturiunt aquæ; ut Sacerdotes lavent manus & pedes ſuos.

[15] *Præterea* 10. *labra &c. Schilthe Haggibborim ibidem*. Erant ibi etiam decem labra quinque ad latus dextrum, & quinque ad latus ſiniſtrum domus, & labri labium, quod etiam rotundum erat in ejus ora ſuperiori, erat quatuor cubitorum, & altum juxta menſuram, quæ labro convenit, ut contineat quadraginta bathos, uti ſcriptum eſt 3. *Regum* VII. 38. *&c.* & baſes æneæ erant etiam longæ lalæque quatuor cubitos, & tres altæ, ut eo loco ſcriptum eſt. Idcirco credidi labra ſita & ordinata omnia eſſe intra veſtibulum Sacerdotum, ut etiam exiſtimarunt R. David Kimchi, & R. Levi filius Gerſon in eorum commentario in *Reg.* Sed mihi conſtat nullum alium niſi hunc locum pro labris in Sanctuario fuiſſe, ut vos etiam animadvertere poteritis in partitionibus ejuſdem domus in tractatu Middoth. Ne vos quidem latebit, Atrium Sacerdotum, quod initium ducebat ab atrio Iſraelitarum, & pertinebat uſque ad altare, latum fuiſſe ab oriente ad occidentem undecim cubitos, & latum a meridie ad ſeptentrionem centum & triginta quinque cubitos, detrahite ex his viginti duos cubitos pro ſex conclavibus, quæ efformavi in capite XXIII. tria ab uno latere veſtibuli Iſraelitarum, & Sacerdotum, & tria ab altero, ut eo loci ſcripſi; ſpatii vacui reliqui erunt centum & tredecim cubiti, & ſi diſtans a pariete conclavis (ſcaturiginis) Captivitatis, novem & viginti cubitos cum dimidio collocabitis in ordine æquali primum labrum in principio octavi cubiti latitudinis veſtibuli, ut ejus facies pertineat ad finem undecimi cubiti, & diſtans ab ipſo conſtituetis ſecundum labrum, atque item tertium, quartum, quintum, invenietis, quintum labrum fore, ut pertineat ab hac parte ad quinquageſimum tertium cubitum cum dimidio ſpatii vacui, quod erat in atrio Sacerdotum; atque ita ſi a pariete conclavis lavantium, quod erat ad meridiem, diſtans novem & viginti cubitos cum dimidio, uti dictum eſt, ſtatuetis primum labrum, & ſi ab eo cubitum diſtans collocabitis ſecundum labrum, atque ita uſque ad quintum, uti feciſtis a latere aquilonari, tunc pertinebit etiam quintum labrum ad quinquageſimum tertium cubitum cum dimidio, quæ omnia implebunt ſpatium vacuum veſtibuli Sacerdotum, uti dictum eſt, uſque ad centum & ſeptem cubitos integros; ecce reliqui erunt dumtaxat ſex cubiti ſpatii vacui. Et ſi in medio eorum collocabitis labrum Moſis, videbitis, interceſſurum inter illud & extrema labra cubitum quaquaverſus ſpatii vacui, uti intercedebat inter omnia labra; & hoc modo conveniet cum eo, quod dicitur in Textu, *ad dextram partem Templi* (3. *Reg.* VII. 39. *&c.*)

[16] *Ex his labris &c. Idem ibidem*: Labra, uti ſcriptum eſt 2. *Paralip. cap. IV.* inſerviebant ad lavandum in iis holocauſtum, quod ex aquis labri, non ex ipſo labro, lavabant inteſtina holocauſti, ſed dumtaxat holocauſti, ſed non pacifica, quæ a dominis in tota urbe edebantur; & etiam inſerviebant labra ad lavandum, ideſt ut ex iis Sacerdotes pedes & manus lavarent.

[17] *Altare etiam Salomo &c. Idem cap. XXVII.* Et juxta meum mediocre ingenium, forſan poſſumus exiſtimare; quod ſi fuiſſet hoc altare Salomonis lapideum, uti dixerunt noſtri ſapientes f. m. & tectum tabulis cedrinis (pro ligno cupreſſino, quod inventum non fuit in ædificio domus) & ære obductum ad Moſaici ſimilitudinem, id nihil obſtabat; & quod lex dicit, *quod ſi lapideum altare feceris mihi* (*Exod.* XX. 24.) traditione habetur non eſſe arbitrii, ut fiat lapideum necne, ſed neceſſitatis, & hac de cauſa dictum eſt, ut excludatur altare ex ſola terra, quia quando dicit, *altare de terra facietis mihi* (ibidem v. 24.)

24.) ſignificat, ut inhæreat in terra, & non ſuper fornicibus, & cavernis ædificetur; neque vero ſit ex ſola terra; Qua de re reduces e captivitate non fecerunt terreum, ſed efformarunt ex lapidibus impolitis, ut religioſe ſervarent præceptum, quia his præſto non erat æs, ut ex eo facerent vaſa magna, quale erat altare holocauſti. Qua de cauſa Salomon rex, cum non potuerit enumerari vis æris, quam ſuo tempore habebat, totum æneum fecit, uti ſcriptum eſt 2. Paralip. cap. IV. *Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis*. Et hoc altare ſuo loco ſtetit, etiam tum cum regnavit Achaz, uti legitur 4. Regum cap. XVI. *Porro altare æreum, quod erat coram Domino, tranſtulit de facie templi, & de loco altaris, & de loco templi Domini, poſuitque illud ex latere altaris ad aquilonem &c. altare vero æreum erit paratum ad voluntatem meam*. Et forſan quia erat vacuum, pro terra, uti faciebant in deſerto, lapidibus impolitis juxta legem & præceptum illud implevit; & hoc eſt quod dicit de eo in capite III. tractatus Middoth. Ab initio non patebat altare niſi 28. cubitos quaquaverſus, ædificabat & ſurgebat ad hanc menſuram ideſt ædificabat ſpatium ſui vacui lapidibus impolitis, donec reperiretur locus focarius viginti cubitos latum, totidemque longum; & quamvis æs, quo abducebatur, eſſet majoris craſſitudinis quam palmi, & nonnihil ſuperabat de viginti cubitis, juxta R. Joſe, nihil refert, quia non enumerabantur palmi, niſi ad integri cubiti menſuram pervenirent, & in hoc altari Salomonis erat circuitus uti in Moſaico (veriſimile eſt caruiſſe quatuor annulis æneis, quibus non erat opus, quia non ferebatur altare ex uno ad alterum locum, ut fiebat in deſerto, quia ſtatutum erat in domo ſempiterna) & ille pertinebat uſque ad dimidium altaris, ut diſtingueret inter ſanguines ſuperiores & inferiores pro filo rubro, quod erat in ſecundo templo. Sed ego non ignoro non deſore ſapientes, qui dicent novam & inconvenientem eſſe meam hanc opinionem de altari holocauſti, nunquam excogitatam a noſtris Sapientibus, qui dixerunt illud ex ſolis lapidibus fuiſſe; Qua de re, uti dixi, quanquam dicamus fuiſſe ex lapidibus impolitis, uti habemus in lege, nihil Sapientum intereſſe debebit, ſi nobis in mentem venerit, dicere, fuiſse quoque ære obductum, dum nullo modo hoc ejus ſanctitati obeſt; ideo putavi exſcribendum quod dixerunt commentatores juxta phraſem Textuum, & etiam quod ſcripſit Raſchi juxta ſententiam noſtrorum principum ſapientum; & ſi videbitis non eſſe peccatum ſuper humeros ejus, qui dixerit, hoc altare lapideum ære obductum fuiſſe, deligetis eam, quæ vobis magis probabitur, opinionem; id ego quoque faciam, quando noſtrorum ſapientum f. m. conſenſui non obſtabit. Et ecce Raſchi f. m. 3. Regum cap. VIII. 64. ſcripſit; *Quoniam altare æreum &c. altare lapideum, quod fecit infra altare æneum minus &c.* oſtendit his verbis, quod infra altare æneum, ideſt altare lapideum quod fecit Salomon loco altaris ænei, *minus fuiſſe, ut caperet &c.* Verum R. David Kimchi eo loco ſcripſit; *Sanctificavit Rex &c. quoniam altare æreum*, quod fecit Salomon, *minus erat, & capere non poterat &c.* & non dicit ſuper altare æreum quod fecit Moſes. Eſt diſſenſus inter noſtros Rabbinos f. m. alii dicunt atrii pavimentum ſanctificaſſe, & alii in medio atrii altare lapideum ædificaſſe; & præterea dixit, Salomonem altare lapideum non æreum feciſſe; & quod dicitur Paralip. *Et fecit* Salomon *quoque Altare æneum*, & pariter dicit, altare æneum quod fecit Salomon, ſignificare altare lapideum, quod fecit Salomon loco altaris ænei quod fecit Moſes. Et hæc ſunt admiratione digna. Hactenus ejus verba. Et R. Levi filius Gerſon f. m. hoc loci ſcripſit. *In die illa ſanctificavit &c.* quia ob multitudinem ſacrificiorum, quæ obtulerunt eo die, coactus fuit Salomon ſanctificare atrium; *quoniam Altare æreum, quod fecerat* Salomon &c. & ecce, illud appellat Altare æreum, quia ære obductum erat, ſed inferius erat ex lapidibus impolitis, uti fit mentio in Lege &c. Etiam Raſchi 4. Regum cap. XVI. ſcripſit, *Porro Altare æreum*, incredibile eſt, fuiſſe altare æneum quod fecit Moſes, quia abſconditum erat; & dici non poteſt Altare lapideum quod fecit Salomon, dum illud appellat Paralip. Altare æneum, quia non poterat transferri ex uno ad aliud latus, niſi diſturbaretur; verum legitur; Ignis, qui tempore Salomonis cœlo delapſus fuit, aram non deſeruit uſque ad Manaſſen, qui eum abſtulit, quia altare diruit; uti refertur in Gemara Sanhedrin XI. Hoc altare non poteſt intelligi niſi de labris, & baſibus æneis, quæ altari inſerviebant &c. & quando Achaz conſtruxit altare Idolatriæ, tranſtulit labrum, & admovit ad alteram partem &c. & R. David Kimchi eo loci ſcribit. *Porro altare æreum &c.* hoc eſt altare, quod fecit Salomon, dicit poſuiſſe hoc Altare una cum altari, quod erat coram Domino; & explicat verba; *& tranſtulit de facie templi*, admovit hoc altare propius quam altare æneum, quod erat in atrio, ad faciem templi, & admovit hoc magis ad latus domus, & poſuit inter altare & domum Domini ad latus altaris ad plagam aquilonarem. R. Levi filius Gerſon quoque eo loci ſcribit; *Porro altare æreum*, id eſt hoc altare, quod fecit Uria, fuiſſe in atrio Sacerdotum prope altare æneum, quod erat coram Domino, quod fecerat Salomon, & fuiſſe hoc alterum altare propinquius faciei templi, quaſi fuiſſet inter altare & domum Domini, ſed non erat prorſus ante faciem templi, ſed prope latus altaris ad aquilonem; & veriſimile eſt, poſuiſſe ad latus aquilonarem, ut eo loco miniſtraret exercitui cœlorum, & ſtellis ſeptentrionalibus, cum ſit major eorum vis in hoc mundo juxta influxum, quem Deus iis tribuit; qua de cauſa, invenies virtutem ſolis validiorem eſse in Planetis ſeptentrionalibus. Hactenus commentatorum verba in hæc dicta loca. Verum ego Abraham vehementer miror, hos commentatores verſiculi argumentum omiſiſse, unde certo ſcire poſſimus, poſt captivitatem Joachim eo loco fuiſſe etiam in primo Sanctuario altare æneum, uti ſcribitur in Ezechiel. cap. IX. 2. *ingreſſi ſunt & ſteterunt juxta altare æreum &c.* Si minus æneum fuerit hoc altare, lex noluit eſse gravis Iſraeli, ut faceret æneum; ſed vera executio præcepti, & debitum erit, ut fiat ex lapidibus impolitis.

[18] *Longum autem &c. Maimonides de Templo cap.* II. 5. Quæ Moſes, Salomon, & reduces e captivitate fecerunt altaria, & quod olim futurum eſt (*nunquam erit futurum pro cruentis ſacrificiis*) eorum quodque decem erat cubitorum, quæ eadem altitudo erit, & ejus quod demum futurum eſt. Quod autem in lege eſt, *& tres cubitos in altitudine* (*Exod.* XXVII. 1.) id de loco dumtaxat intelligendum eſt eo, quo ſacra ſtruebantur. Jam quod fecerunt altaris reduces e captivitate (cujus ad ſimilitudinem futurum eſt id quod deinceps extruetur) id & in longitudinem & in latitudinem patebat duos & triginta cubitos. *Vide ibidem Schilte Haggibborim.*

CAPUT SEPTIMUM.

De Æde Sacra Templi primi.

§. I. Pronaon ædis sacræ.

I. ÆDes Sacra, sive domus complectens Pronaon, Sanctum, & Sanctum Sanctorum, frontem habuit altam cubitos 120. 2. *Chron.* 3. 4. Pronaon ipsum longum fuit decem cubitos, latum viginti secundum latitudinem totius ædis. 1. *Reg.* 6. 4. In eo clypei Davidis 2. *Reg.* 11. 10. gladius Goliathi 1. *Sam.* 21. 9. & alia ἀναθήματα creduntur servata fuisse. Portæ ejus, דלתות אולם, memorantur 2. *Chron.* 29. 7.

§. II. Columnæ ante Pronaon.

II. Ante hoc Pronaon (alii dicunt in ipso Pronao, quia לפני ההיכל erectæ dicuntur 2. *Chron.* 3. 17. & לאלם ההיכל 1. *Reg.* 2. 7. sed & mare æneum dicitur exstructum לבית, quamvis in ipsa בית non fuerit) Salomon duas [1] columnas ex ære fuso, Jakin & Boaz dictas, collocavit, quas Eupolemus apud Eusebium *lib.* IX. *Præpar. Evang. c.* 34. auro obductas fuisse scribit ad crassitudinem digiti. Harum descriptio exactior in tabulis Veteris Testamenti legitur, quam ullarum partium Templi Salomonici, quod videtur idcirco factum, ut ex earum modo & proportione quam partes harum columnarum ad se invicem habent, tota ratio structuræ Templi intelligeretur. Harum mensuras ita sacri scriptores tradunt diversis locis, ut modo unam, modo duas conjunctim metiantur, tum respectu crassitudinis tum longitudinis; quod forte, ut Judæi putant, in uno typo junctæ fusæ fuerint, & quibusdam in locis uti 1. *Reg.* 7. 15. & 2. *Chron.* 3. 15. considerentur non ut erectæ, (nam de erectione earum agitur postea 1. *Reg.* 7. 21. & 2. *Chron.* 3. 17.) sed uti formabantur manu artificis.

§. III. Altitudo earum.

III. Alta dicitur fuisse una 18. cubitos videlicet cum plintho dimidium cubitum alto 2. *Reg.* 25. 17. *Jerem.* 52. 21. & apud Josephum, ambæ vero altæ 35. cubitos 2. *Chron.* 3. 15. videlicet sine plintho. Quæ altitudo convenit columnæ scapo, sine ראש, id est, *capitulo* (quod collo scapi impositum secundum proportionem architectonicam circiter duorum cubitorum fuit) sine *trabeatione* sive כתרת quinque cubitorum, quæ 1. *Reg.* 7. 16. distincte recensetur, & sine plintho, cui dimidii cubiti altitudinem damus: quibuscum probabile est totam columnam ad 25. cubitos surrexisse.

§. IV. Crassitudo earumdem.

IV. Peripheria columnæ utriusque funiculo 12. cubitorum comprehensa fuit, sic ut diameter unius cujusque columnæ fuerit 2. cubitorum. Id colligitur ex 1. *Reg.* 7. 15. ubi dicitur altitudo unius columnæ fuisse 18. cubitorum, & funiculus 12. cubitorum cinxisse *alteram*, השני, sive secundam, id est, uti vulgatus interpres recte, *utramque*. Quorsum enim secundæ columnæ potius meminisset, quæ ejusdem sine dubio crassitudinis cum prima esse debuit, nisi secundam quoque funiculo eodem 12. cubitorum comprehensam dicere voluisset una cum prima? Et quamvis *Jerem.* 52. 21. vox יסבנו cum affixo singulari de una columna accipi possit, potest tamen affixum ejusmodi de rebus duabus (quasi hanc & illam dicas) nonnunquam usurpari, ut *Deut.* 21. 10. & *Jos.* 2. 4. Adde quod Jeremias ita has columnas describat, ut non omnia quæ ad primam pertinent simul tradat (quod nonnullis visum est, eo quod *comm.* 21. memoret distincte *columnam unam* העמוד האחר & *comm.* 22. העמוד השני *columnæ alterius*) quia post factam secundæ columnæ mentionem *comm.* 22. sequenti commate redit ad numerum malogranatorum & situm, quæ ad primam æque ac secundam columnam spectant; sic ut simul eas descripsisse censendus sit.

§. V. Quo delatæ sint columnæ.

V. Columnas has in Babyloniam delatas fuisse una cum mari æneo & 12. bobus liquet ex *Jerem.* 52. 16. & 2. *Reg.* 25. 13. ubi dicuntur illas uti & mare æneum & bases labrorum *fregisse & æs earum* נחשתם pondere innumero Babelem vexisse, sic ut nullatenus integra sed comminuta hæc vasa transtulerint, quo modo commodius vehi potuere. Factum hoc fuit non per Nebucadnezarem, quo tempore Jechoniam captivum duxit & aureis vasis Templum spoliavit 2. *Reg.* 24. 13. sed Nebuzaradan. 2. *Reg.* 25. 8. 13. *Jerem.* 27. 20. Æs autem earum reductum fuit ex Babylonia in Judæam, uti prædictum fuit *Jerem.* 27. 22. & probabiliter colligitur ex eo quod 5400. aurea & argentea vasa iis reddita fuerint *Ezr.* 1. 11. quum qui aurea det, ærea non videatur velle recusare: & sunt qui has columnas innui credant nomine duorum vasorum (in apocrypho *lib.* III. *Ezr. c.* 8. 58. extat *duodecim*) ex ære præstantissimo *Ezr.* 8. 27. quod tamen minus probabile est.

§. VI. Sanctum.

VI. [2] Sanctum, היכל, τὰ ἅγια, cujus porta duabus valvis ligneis auro obductis constabat, longum erat 40. cubitos. 1. *Reg.* 6. 17. latum viginti, quoniam utrumque conclave, Sanctum videlicet & Sanctum Sanctorum, quæ in longitudine 60. cubitos occupa-

pabant, ejusdem latitudinis fuere viginti cubitorum 1. *Reg.* 6. 2. Altitudo vero videtur eadem fuisse ac altitudo Sancti Sanctorum, quod longum fuit latum ac altum 20. cubitos 1. *Reg.* 6. 20. ut ita & Sanctum, & Sanctum Sanctorum respectu triplicis dimensionis suæ eandem proportionem habuerint in Templo hoc primo, quam in Tabernaculo; licet ibi dimidia parte minora fuerint hæc conclavia, quod ædi portatili magis conveniebat.

§. VII. Laquear ejus.

VII. Quum tamen domus Sanctum & Sanctum Sanctorum complexa altitudinem habuisse 30. cubitorum legatur 1. *Reg.* 6.2. difficulter [3] videtur concilianda illa cum altitudine Sancti Sanctorum 20. cubitorum 1. *Reg.* 6. 20. & altitudine Sancto secundum eandem mensuram a nobis attributa: ad cujus nodi solutionem nihil putamus melius adferri posse quam si statuamus parietes quidem, quibus utrumque conclave continebatur, altos modo fuisse 20. cubitos, sed supra illos testudinem sive laquear convexum ad altitudinem 10. cubitorum elatum fuisse, ita ut parietes & Sancti, & Sancti Sanctorum a solo usque ad tectum, sive illum locum unde convexa initium capiunt, alti fuerint 20. cubitos, & ædes ipsa, quo nomine & parietes & tectum comprehenduntur, 30. cubitos. Confer 1. *Reg.* 6. 15. ubi parietes ædis קירות הבית asseribus cedrinis dicitur texisse מקרקע הבית עד קירות הספן a solo ædis usque ad parietes laquearis, ubi manifesto parietes ædis a parietibus laquearis, id est, lateribus ejus convexis distinguuntur; quum si tectum planum fuisset, illi minus apte קירות *parietes* adscribi posse videantur. Adde 1. *Reg.* 6. 9. ubi de Salomone dicitur יספן את הבית גבים ושדרות בארזים *Texit domum laquearibus & ordinibus cedrinis*; ubi laquearia convexa intelligi, lingua Germanorum & nostra הימלי *hemelen*, a Judæis jam observatum fuit. Eleganter ibidem Græci ἐκοιλοστάθμησε φατνώμασι.

§. VIII. Vasa Sancti.

VIII. In Sancto fuere [4] lychnuchi decem aurei 2. *Chron.* 4. 7. & 20. quorum quinque ad dextram quinque ad sinistram ædis collocavit, quibus nonnulli addunt lychnuchum Mosaicum, de quo tamen Codex Sacer non loquitur, ad cujus latera hinc & inde collocatos fuisse lychnuchos illos Salomonicos volunt. Vid. *Gem. Hieros. Schecalim.* 9. 4. *Gem. Menachot.* 98. 1. quum tamen quinque ad dextram & quinque ad sinistram (ædis nempe) dicantur collocati 1. *Reg.* 7. 49. 2. *Chron.* 4. 9. uti & de labris decem eodem modo dictum fuit 2. *Chron.* 4. 6. quod 1. *Reg.* 7. 39. explicatur per dextrum & sinistrum latus ædis. Confer 2. *Chron.* 23. 10. 2. *Chron.* 4. 10. & 3. 17. An hi omnes accensi fuerint, quod videtur innui 2. *Chron.* 4. 20. an vero unus tantum, disputatur. Vide *Gem. Menachoth.* 99. 1. quamvis dici possit per vices modo hunc modo illum lychnuchum accensum fuisse, sic ut כמשפט secundum consuetudinem (confer *Ezr.* 3. 4.) unus modo lychnuchus simul accensus fuerit. 2. *Chron.* 4. 20. Quorsum enim Salomon jugum Mosaicum gravius reddidisset? Mensæ fuere similiter decem, 1. *Chron.* 28. 16. 2. *Chron.* 4. 19. de quibus eadem controversia est, Mosaica iis adjecta fuerit, ubi collocatæ sint, & an omnibus impositi fuerint panes sacri, quandoquidem 1. *Reg.* 7. 48. tantum unius mensæ cui panes imponendi fuerint, mentio fit, & 2. *Chron.* 4. 19. plurium: quapropter & hic credi possent panes modo huic, modo illi mensæ impositi fuisse, sic ut semper lychnuchus ille qui e regione mensæ esset quæ panes illa hebdomade haberet, per eam hebdomadem noctu luceret. Sub Chizkiæ regno non nisi una mensa memoratur 2. *Chron.* 29. 18. Denique fuit hic altàre suffitus a Salomone confectum, quod male quadrigis fultum fuisse creditur ob 1. *Chron.* 28. 14. 18.

§. IX. S. Sanctorum.

IX. Sanctum Sanctorum, דביר, & בית קדש הקדשים, [5] a Sancto divisum erat muro ligneo, sed auro obducto, in quo ostium erat, cui velum obtendebatur, 2. *Chron.* 3. 14. quod ipsi vectes arcæ fœderis contigebant 1. *Reg.* 8.8. sic ut ex veli [6] protuberantia nata ex impressione vectium, in ipso Sancto videri posset ubi arca esset constituta. Longum hoc erat, latum, ac altum 20. cubitos, & superne tectum, uti ex antedictis probabiliter colligitur, laqueari ad altitudinem decem cubitorum surgente. De auro, quo obductum erat, dicitur Salomonem illud immisisse ברתיקות laminis quibusdam aureis oblongis, quæ id continerent variis in locis 1. *Reg.* 6. 21. quo facit vulgatus, *affixit laminas clavis aureis*. Erexit præterea in Sancto Sanctorum Salomo Cherubinos duos maximos, qui alis ab uno latere conclavis ad alterum extensis arcam obumbrarent. 1. *Reg.* 6. 23. Lignei erant & auro obducti, alti autem 10. cubitos. Hos capta urbe per Babylonios ab Ammonitis & Moabitis in plateis urbis fuisse expositos, ut crederentur Judæi has imagines pro Diis coluisse, traditur in *Echa Rabbathi* 54. 1. In Templo secundo hi non fuere: sic ut falsum sit quod in Chronico Alexandrino narratur *pag.* 247. Titum eos Antiochiam transtulisse, & usque ad tempora Justiniani illos ibi fuisse conspicuos: quod affirmat Nicephorus in vita Simeonis Stylitæ junioris.

§. X. De fenestris Sancti & S.S.

X. De Sancto, uti & de Sancto Sanctorum, quæri solet, an & quomodo lux diurna in hæc loca penetraverit. Sunt qui fenestras hic collocandas in parietibus esse existiment,

ment, & quidem τοξικάς, quod instar sagittarum angustum in ædes lumen immittant & [7] intrinsecus dilatentur, uti loquitur Hieronymus ad *Ezech.* XL. *pag.* 985. Et facit pro iis quod חלוני *fenestras* ædi sacræ fecisse dicatur Salomo 1. *Reg.* 6. 4. Verum fecerit ædi fenestras, non inde efficitur in parietibus Sancti aut Sancti Sanctorum fuisse: potuerunt enim in fronte Pronai locari. Quid? quod per חלוני *fenestræ* proprie dictæ non semper indicentur (late enim hæc vox patet) & in his ipsis verbis eas non intelligendas esse colligitur ex iis quæ adduntur, שקופים אטמים *clausorum adspectuum*, quæ verba usum prospiciendi fenestris illis adimere videntur. Sic ut cavitatibus quadratis, fenestrarum ad instar, murum ornasse credi possit. Adde tres contignationes conclavium ædem sacram proxime cingentium his fenestris nimium obesse, de quibus 1. *Reg.* 6. 5. & tenebras majestati Numinis, quod se in iis habitaturum dixerat, & œconomiæ illorum temporum optime convenire, vide *Exod.* 13. 22. 14. 19. 19. 16. 1. *Reg.* 8. 11. atque ita majorem inter Templum & Tabernaculum convenientiam existere. Nec est quod quis in tenebris dicat cultum sacrum peragi non potuisse; eodem enim modo ille in Templo peragi potuit, ac in Tabernaculo, in quo fenestræ nullæ fuerunt.

§. XI. Conclavia superiora.

XI. Supra hanc ædem fuisse [8] ὑπερῷα quædam, sive conclavia superiora, colligitur quidem aliquo modo ex proportione, quæ inter Pronaon altum 120. cubitos, & ædem 30. cubitorum vel 36. aut 40. cubitorum, si vel maxime basis 6. & tectum 4. cubitorum fuisset, nulla esse videtur, & ex forma Templi secundi, sed clarius ex 1. *Chron.* 28. 12. 2. *Chron.* 3. 9. ubi diserte עליות, ὑπερῷα, ædis memorantur: in quæ illatum fuisse Judæi dicunt apparatum & vasa Tabernaculi Levitici, quæ tamen alii volunt abscondita fuisse sub cavernis ædis sacræ, תחת מחלות של היכל. Hæc si pariter 40. cubitos alta cum iis quæ eo spectant, constituantur, eminuit frons exædificati Pronai supra tectum ædis 40. cubitos.

§. XII. Conclavia lateraria.

XII. Extra parietem Ædis erant thalami quidam vel conclavia, nomine יציע dicta 1. *Reg.* 6. 3. οἶκοι βραχεῖς Josepho, quæ quidem ipsum murum ædis non contingebant 1. *Reg.* 6. 6. verum innitebantur τοῖς מגרעות, parietem ædis fulcientibus, quæ quum ab imo ad summum constructæ latiores essent in ima parte quam in summa, hinc quoque conclavia iis innixa in summa contignatione maximam habebant latitudinem 7. cubitorum, in media minorem videlicet 6. in ima 5. cubitorum. Altitudinem vero habebant 5. cubitorum. 1. *Reg.* 6. 10.

COMMENTARIUM IN CAPUT SEPTIMUM.

[1] *Duas columnas. Vide cl. Wichmanshausen dissertationem de columnis æneis Templi.*

[2] *Sanctum &c. Maimonides ad Middoth cap. IV. 7.* Templi figuram in longitudine, & in latitudine cæterasque dictas mensuras jam exposuimus in principio hujus capitis, quam si inspexeris, omnia quæ hic dicuntur intellexeris. Sic etiam respectu Templi primi scriptum est, quod longitudo Templi 60. cubitorum, & latitudo 20. Sanctum Sanctorum, quod tertium erat in Tabernaculo, 20. cubitorum, & Templum 40.

[3] *Difficulter videtur &c. Schilte Haggibborim cap. XIV.* Jam scripsi in hoc capite, quod circa altitudinem Templi, & oraculi hos sapientes expositores non eadem sentire, alterumque ab altero dissentire; quod Radak existimet, altitudinem Domus fuisse triginta cubitorum, ad differentiam unius vestibuli, quod centum & viginti altum erat; & Raschi sentiat, quod totum (*scil. templum*) centum & viginti cubitos altum esset, & quod eadem esset mensura Templi ac vestibuli. Et præterea de altitudine oraculi præcipue dissentiunt, quod Raschi super versiculo *Et porticus erat ante Templum viginti cubitorum longitudinis* &c. (3. *Reg.* 6. 3.) scribit, *& viginti altitudinis*, cœnaculum domus Sanctitatis Sanctitatum erat, humilius (*altitudine*) Templi, ita ut juxta ejus opinionem essent in oraculo duo loca superiora, unum viginti cubitos altum, & alterum conjunctum loco superiori Templi, ut esset triginta cubitorum; cum eo etiam sentit sapiens, Abarbanel, quando dicit, oraculum fuisse quadratum latum, longum, & altum viginti cubitos ad similitudinem Sancti Sanctorum, quod fecit Moses in deserto; illud etiam erat quadratum latum, longum, & altum decem cubitos, sed loca superiora in tecto superiori erant æqualia. Hactenus ejus verba. Verum Radak constanter sentit nullum omnino fuisse locum superiorem, nisi usque ad laqueare, in triginta cubitis, quod super illo versiculo dicit, *& viginti cubitos altitudinis* (*Ibid. vers.* 20.) & loquens de tota domo dicit, *& triginta cubitos in altitudine* (*Ibid. vers.* 2.) Si dicere velimus, oraculum fuisse humilius altitudine templi, ecce quando dixit, *Domus autem - - - - habebat sexaginta cubitos in latitudine. &c. Ibid. vers.* 2.) comprehendit etiam oraculum; & pariter quando dicit, *& triginta cubitos in latitudine*, comprehendit etiam oraculum. Et alii explicant quod dicitur, & viginti cubitos altitudinis, de eo, quod auro opertum erat; propterea quod continuo dicat, *operuit illud, atque vestivit auro purissimo* (*Ibid. vers.* 20.) usque ad altitudinem viginti cubitorum auro parietes operuit; & decem cubitos superiores operuit lapidibus pretiosis, nempe Topatiis, Cyanis, Onyche, & Saphiriis, & aliis lapidibus pretiosis, uti scriptum est 2. *Paralip.* 3. 6. *Stravit quoque pavimentum templi pretiosissimo marmore, decore multo*; & deinde dicit (*ibid. vers.* 8.) *Fecit quoque domum Sancti Sanctorum - - - - & laminis aureis texit eam quasi talentis sexcentis*; Hinc constat, duo fuisse operimenta usque ad laqueare nempe operimentum auri mundissimi usque ad 20. cubitos, & operimentum auri Parvaim una cum lapidibus pretiosis supra 20. cubitos) & hæc conveniens interpretatio est. Hactenus ejus verba.

[4] *Lychnuchi decem &c. Schilte Haggibborim cap. XXXI.* Nunc vero cum mente cogitaverim vobis describere in hoc capite, quo pacto mensæ & candelabra juxta longitudinem domus ordinarentur, constitui iterum vestris oculis subjicere hoc loco duos de hac re integros textus nostrorum Rabbinorum in Gemara Menachoth cap. XI. & sunt sequentes. Legunt Rabini. Decem mensas fecit Salomon juxta versicu-

ſiculum qui dicit. *Nec non & menſas decem, & poſuit eas in templo, quinque a dextris, & quinque a ſiniſtris* (2. *Paral. IV.*) & forſan dices quinque a dextris, quinque a ſiniſtris portæ, ſi ita eſſet, inveniremus menſam ad meridiem, & lex dicit. *Pones menſam ad plagam ſeptentrionalem*; ſed illa Moſis erat in medio, quinque ad ejus dextram, quinque ad ejus ſiniſtram. Decem menſas fecit Salomon, ſed non ordinabant panem niſi ſuper menſam Moſis, juxta verſiculum qui dicit; *& menſam ſuper quam ponerentur panes propoſitionis auream* (3. *Reg.* VII. 48.) R. Eleazar filius R. Simeonis dicit, ſuper omnes menſas ponebant panem juxta verſiculum qui dicit; *& menſas decem, & ſuper eas panes facierum* (2. Paral. IV.) R. Joſe dicit, non ponebatur panis niſi ſuper menſam Moſis; quomodo ergo explicat textum, *& menſas &c.*? Iſtæ erant tres menſæ, quæ erant in Sanctuario, duæ quæ erant in Ulam intra portam domus, una argentea, & altera aurea, ſuper argenteam ordinabant panem facierum, quando illum inferebant, & ſuper auream, quando educebant, quia additur, non minuitur in Sanctitatibus, & una aurea erat intra (Sanctum) ſuper quam jugiter erat panis facierum. Legitur R. Joſe dicit; etiamſi veterem (panem) mane extuliſſet, & veſperi novum ordinaſſet, nihil intererat; ſed quo pacto obſervabatur quod dicitur, *in conſpectu meo ſemper* (*Exod.* XXV. 30.) &c.? Ne noctu menſa deſtituta pane relinquatur. Etiam dicunt in Menachoth in eodem capite. Legunt Rabini; decem candelabra fecit Salomon juxta verſiculum qui dicit. *Et candelabra aurea, quinque ad dextram, quinque ad ſiniſtram*; (*Reg.* ibidem) Forſan dices fuiſſe quinque ad dextram portæ &c. ſed illud Moſis erat in medio &c. decem candelabra fecit Salomon, ſed non accendebant niſi illud Moſis, juxta verſiculum, qui dicit; *candelabrum aureum, & lucernæ ejus ut accendantur ſemper ad veſperam; nos quippe cuſtodimus &c.* (2. *Paral.* XIII.) R. Eleaſar filius Simeonis dicit ſuper omnia accendebant juxta verſiculum; & candelabra aurea decem, & lucernæ eorum ut accendantur juxta conſuetudinem coram oraculo ex auro mundiſſimo: & quamvis neque deceat, neque idoneus ſim, ut huic diſputationi me immiſceam, ut cauſam alicui noſtrorum Rabinorum adjudicare poſſim, qui de ordinatione panum facierum, & de accendendis lucernis diſputant, tamen cum in ea re nullo modo peccare poſſim, in qua non agatur de doctrina, aut lege, quæ poſſit executioni mandari, ſed contra a labore commentandi præmium expectare poſſim, vobis indicabo, evidentiora in utraque re mihi videri argumenta R. Simeonis, quam R. Joſe. Et primum de menſa, quia textus ei favent; etenim ſcriptum eſt, & eas panes facierum, quod intelligitur ſemper, & non momento; & quod ſcriptum eſt in lib. Reg. *ſuper quam ponerentur panes facierum, auream*; & quia nondum Salomon fecerat decem menſas, idcirco in lib. Reg. nullo modo memorantur multæ menſæ, ſed una tantum, ſed in Paralip. memorantur, aut quod hæc menſa, ſuper quam erat panis facierum, ſit nomen generale, veluti: *Habeo bovem, aſinum, ovem, ſervum, & ancillam* (Geneſ. XXXII. 5.) uti ſcripſit R. David Kimchi. f. m. Et ſi vera ſunt verba R. Joſe, menſas, quæ memorantur Paralip. fuiſſe tres menſas, quæ erant in Ulam, & in Templo, & non ordinatum fuiſſe panem niſi ſuper illam Moſis, cur igitur fecit Salomon decem menſas præter menſam, quæ jam erat in Templo, ut eſſent pane deſtitutæ? Nonne de menſa ſcriptum eſt: *Et pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper*? (*Exod.* XXV. 30.) *Ordinatis coram propoſitionis panibus*? (Ibid. XL. 21.) Quorum ſenos altrinſecus ſuper menſam puriſſimam coram Domino ſtatues? (*Levit.* XXIV. 6.) Atque etiam eo loci ſcriptum eſt. *Per ſingula ſabbata mutabuntur coram Domino ſemper*. Et ſi menſæ eſſent ſine pane ad dextram ac ſiniſtram menſæ Moſis, quæ procul dubio dividebant inter menſam Moſis & velum, quomodo appellaretur menſa Moſis ordinata coram Domino? Atque etiam de accendendis candelabris recte ſentit R. Eleaſar filius R. Simeonis propter cauſas ſimiles iis, quas ſupra de menſa commemoravimus; & inſuper quod textus, qui refertur 2. Paralip. IV. mentionem facit de candelabris juxta ejus opinionem: & ſi 2. Paralip. cap. XIII. ſcriptum eſt; *candelabrum aureum & lucernæ ejus*, nihil obſtat, quia hæc non eſt narratio textus ſacri, ſed ſunt verba Abiæ filii Rehobnam ad Jeroboamum, qui jam peccator erat, nec voluit Abia mentionem facere de decem candelabris, quæ præcepta non fuerunt a lege, ne Jeroboamo daret occaſionem dicendi, quod etiam Judæi Dei præceptum violaſſent, addentes iis, quæ ipſe non præceperat, cum ſcriptum ſit in lege. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, neque minuas.* (*Deut.* XII. 32.) Idcirco ſatius erit, ut dicamus cum R. Eleaſare Filio R. Simeonis ordinaſſe panem coram Domino ſuper undecim menſas, atque item undecim candelabra, uti in Paralip. ſcriptum eſt, accendiſſe. Et ſi ſcire volueris, lector, mea verba recta eſſe, mihique non deeſſe, quo inniti poſſim, obſerva in Medras Tadſce, in quo hæc verba ſcripta reperies. *Quamvis fecerit Salomon decem menſas, non ordinabat panem ab initio niſi ſuper illam factam a Moſe juxta verſiculum qui dicit*; & menſam ſuper quam ponerentur panes propoſitionis; *ſed deinceps ordinabat ſuper omnes juxta verſiculum qui dicit*, & menſas, ſuper quas panes propoſitionis; *Et quamvis feciſſet Salomon decem candelabra, non accendebat ab initio niſi illud Moſis, juxta verſiculum*; & candelabrum aureum, & lucernæ ejus; *ſed deinceps omnia accendit, juxta verſiculum*, & candelabra, & lucernæ eorum ut accenderentur juxta conſuetudinem. Et ecce altare aureum & candelabrum, & menſa, tria omnia poſita erant in tertia parte templi & interius contra velum, & altare ſuffitus. Erat aliquantum protractum verſus orientem, quia textus dicit; *& candelabrum e regione Menſæ* (*Exod.* XL. 22.) ut menſa & candelabrum ſe mutuo reſpicerent. Cæterum longitudo templi, ut ſcitis, quadraginta cubitos patebat; & modo quando ordinabimus (menſas) a plaga ſeptentrionali in Templo unam prope aliam juxta longitudinem domus, uti ratione adducimur, diſtantem unam ab alia duos palmos, videbitis, nobis opus fore quinque & viginti cubitos longitudinis domus; addite tredecim cubitos & duos palmos, qui efficiebant tertiam partem longitudinis templi, & tunc reperietis, quod ultima menſa collocata a tertia parte templi & interius diſtabit a velo cubitum & quatuor palmos. Statuite etiam candelabra undecim ordinata unum prope aliud in plaga meridionali contra menſam, ita ut cujuſque Candelabri medius calamus menſæ metam reſpiciat, videbitis, quod lapis poſitus ante unum candelabrum diſtabit a lapide ſtatuto ante alterum candelabrum tres palmos cum dimidio; quia ecce jam vobis conſtabit, cujuſque menſæ longitudinem duos cubitos patuiſſe, & lapidis, qui ante candelabrum, cubiti cum dimidio longitudinem fuiſſe; atque idcirco menſa ultra lapidem candelabri palmum cum dimidio utrimque ſuperabat; addite duos palmos propter ſpatium, quod inter unam & alteram menſam intercedebat, videbitis quod lapides Candelabri tres palmos cum dimidio, uti dixi, inter ſe diſtabant; ita ut extremus lapis extremi candelabri, quod poſitum erat a tertia parte templi & interius, a velo undecim palmos cum dimidio diſtaret; quod ſpatium ſatis erat, & conveniens ſummo Pontifici, ne candelabra illi impedimento eſſent, in ingreſſu & egreſſu e Sancto Sanctorum eadem via, uti legitur in tractatu Joma Cap. V. 1. *exterius* (velum) *duplicatum erat a meridie, & interius ab aquilone. Ibat inter ea donec ad ſeptentrionem pervenerat; cum ad ſeptentrionem perveniſſet, facie in meridiem verſa, ſiniſtrorſum ibat prope velum donec ad arcam pervenerat, cum ad arcam perveniſſet, thuribulum inter duos vectes collocabat, ſuper prunas ſuffimentum congerebat, & tota domus replebatur fumo, & revertebatur eadem via, qua ingreſſus fuerat.*

5 *Sancto diviſum &c. Maimonides de Templo cap. IV.* 2. In æde prima murus erat inter Sanctum, & Sanctum Sanctorum, qui murus cubitum unum ſpiſſus erat. *Et ad Middoth cap. IV.* 7. Paries vero, qui inter templum & Sanctum Sanctorum dividebat, vocabatur טרקסין in qua erat porta, cui impoſitum erat velum. *Bartenora ibidem*. Paries qui inter Templum, & locum ſanctiſſimum dividebat, vocabatur טרקסין, quia is claudebat arcam & tabulas in Sinai datas, nam טרק chaldaice notat *claudere* & סין notat Sinai. Sed paries hic unum cubitum craſſus erat.

6 *Protuberantia &c. Toſaphta Joma cap. II.* 24.

Duo

Duo vectes ab Arca eminebant usque ad velum juxta versiculum qui dicit; cumque eminerent vectes (*Reg. III.* 8.) Crederem quod ex eo non apparerent ; idcirco dicitur ; *& apparerent summitate vectium* (*Ibid.*) Crederem, quod disrumperent velum; ideo dicitur, *non apparebant ultra extrinsecus* (*Ibid.*) Dic igitur, & prominebant vectes , & impellebant velum , & intra ipsum apparebant &c. *R. Bechai in Legem fol.* 199. *col.* 4. *Secundo*, quia in Arca ipsa deprehendit signum profectionis seu migrationis , dum vectes Arcæ , qui longiores erant tempore Salomonis, in diebus ipsius (*Josiæ*) abbreviati fuerunt , & ad eam mensuram redierunt , quam habuerunt tempore Mosis. Nam quando Israelitæ ingrediebantur in Sanctuarium , & velum cum duobus vectibus videbant , extra velum apparebant protuberantes instar duarum mammarum mulieris , apparentium sub vestimentis ejus . Horum vectium meminit Salomon Cantic. 4. 5. inquiens; *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli &c.* Quando autem abbreviati fuerunt tempore Josiæ, & introrsum redacti sunt, Israelitæ ingredientes , non viderunt eos egredientes , & protuberantes e velo ut antea solebant , quia nempe redierunt ad eam mensuram , quam habuerunt tempore Mosis. Ex hoc itaque signo cognovit Josias Arcam ad iter paratam esse, & abiturientem.

7 *Et intrinsecus &c. Has fenestras , quas Scriptura vocat* שקופים אטומים apertas & clausas , *seu latas & arctas*, *Chaldæus Paraphrastes recte interpretatus est* introrsum latas, atque extrorsum arctas , *nempe arctas extrinsecus ad excipiendum lumen , latas vero intrinsecus ad dispergendum. Sed R. Salomon , & R. Kimchi in* 1. *Reg.* 6. 4. *id contrario modo intelligunt*; Nam Deus , *inquiunt*, isto lumine non indigebat.

8 Ὑπερῷα &c. *R. David Kimchi* vult librum legis, altare Mosis, reliquaque instrumenta in his עליות, *conclavibus superioribus* reposita fuisse.

CAPUT OCTAVUM.

De Templo secundo ejusque spatiis exterioribus.

§.I. Præstantia Templi secundi.

I. TEmplum secundum , quod auspiciis Zorobabelis conditum fuit a Judæis ex Babylonia reversis , præstantius fuit Templo primo . *Hagg.* 2. 10. Quæ præstantia non collocanda est (1) in vasorum sacrorum pretio & numero, quum hac parte primum fuerit excellentius , quod ex ipsa ratione temporum & confessione Judæorum, generis alias in gloriam suam effusissimi , liquet in *Gem. Joma.* 21. 2. [1] fatentium 5. res, arcam fœderis, ignem cœlestem, Urim & Thummim, (quod ad usum oraculi attinet) Schekinam, & oleum sacrum in templo secundo defuisse ; nec (2) in externo ornatu , & altitudine ædis sacræ , quod in *Gem. Bava bathra* 3. 2. aliqui volunt , nec (3) longiori duratione , quo respectu præstantius dici Templum II. scribunt *ibid.* & in *Gem. Hierof. Megilla* 72. 4. videlicet quod Templum prius steterit 410. annos , posterius vero 320.; aut (4) multitudine donariorum; sed veræ [2] Schekinæ; Messiæ nostri, præsentia, qui illud frequentavit, & eo stante ad salutem generis humani in orbem terrarum descendit.

§.II. Sanctitas.

II. Gradus [3] varii *sanctitatis* Templi in *Kelim*, *cap.* 1. *misn.* 8. ita recensentur , ut fere conveniant cum septem ἁγνείαις , uti Josepho appellantur in prologo *lib.* 1. *de bello*, *& lib.* VI. 6. [4] Mons Templi הר הבית sanctior erat urbe, a quo excludebantur וילדות, נדות, זבות, זבים, *mares fluxu seminis laborantes*, *fæminæ fluxu sanguinis laborantes*, *menstruatæ & puerperæ*. [5] Monte Templi sanctius erat spatium antemurale, החיל, in quod nec Gentes nec polluti a mortuo introibant. Quamvis enim alias Hebræorum sapientes decreverint Gentes similes esse per omnia τοῖς זבים sive maribus seminifluis, tamen respectu aditus ad loca sacra plus privilegii habebant & ad montem Templi admittebantur . [6] Atrium mulierum sanctius illo erat , quod non intrabat טבול יום, qui & מעורב שמש dicitur, sive ille qui ab immunditie lotus ejus diei vesperam expectare debet , antequam ad sacra edenda admittatur. Confer Misnam *Tahoroth* 1. 3. [7] Atrium Israelitarum illo erat sanctius , quippe in quod nulli ex Israelitis intrabant, qui expiatione indigent, מחוסרי כפורים, de quibus vide *Kerituth* 11. 1. *Zevachim* 11. 1. [8] Tales erant quatuor , qui purificati quidem erant , sed quorum sacrificia nondum fuerant adducta, & prohibebantur [9] de sanctis comedere, non autem de primitiis & decimis , *Negaim* XIV. 3. 1. זב γονοῤῥυὴς , vel ut Josephus loquitur ὁ περὶ τὴν γονὴν ῥεόμενος , mas fluxu seminis laborans. [10] Hic fluxus vitium est & ex mala corporis dispositione oritur , adeoque longe diversus ab emissione seminis sani, [11] quoniam infans 10 dies natus potest זב esse. Vide *Siphra fol.* * 156. 1. *Nidda* v. 3. *Midrasch schir haschirim*. 26. 4. 2. זבה, αἱμοῤῥοῦσα, fæmina fluxu sanguinis laborans , qualis *Matth.* 9. 20. [12] diversa omnino a נדה vide *Nidda* x. 4. 3. ילדת puerpera. 4. מצרע, [13] leprosus, cujus non nisi caput, manus dextra, & pes in id atrium immittebantur *Lev.* 14. 11. 14. [14] Atrium sacerdotum erat illo sanctius , in quod Israelitæ nulli intrabant nisi ad 1. Manuum impositionem. 2. Jugulationem victimarum, & 3. Agitationem. [15] Illo sanctior erat locus inter pronaon & altare, a quo arcebantur ebrii, vitiati & capite denudati (aut coma indecenter prolixa incomtave , instructi) פרועי ראש . Ædes [16] sacra erat eo sanctior, in quam nullus nisi manibus pedibusque

que lotis intrabat. [17] Sanctum vero Sanctorum erat, uti ipsum nomen indicat, sanctissimum.

§. III. Situs & soli dispositio.

III. [18] Situm fuit templum in montis Moriæ summo jugo, ubi area quadrata erat sustentata altissimo muro & fornicibus. Totus quidem mons subtus erat [19] fornicatus, *ob metum pollutionis a cadaveribus subjectis* מפני קבר התהום, quia etiamsi mille cubiti pulveris supra cadaver existerent, nisi aer interjectus esset, pollueret homines supra stantes, uti sciscunt Judæi in *Para.* III. 3. [20] Non tamen erat illa area templi in æquo sita. Si quis per portam Susan intrasset, solo plano incedebat per montem templi usque ad extremum חיל sive spatium antemurale, & gradibus 12. (quorum singulis erat altitudo & latitudo dimidii cubiti) adscendebat ad Atrium mulierum. Hoc ubi emensus esset, 15. gradibus adscendebat in Atrium Israelis, & ex eo in Atrium Sacerdotum uno gradu cubitum alto, in quo suggestum erat trium graduum altitudinis semicubitalis. Inde ad Pronaon, ipsumque Templi solum 12. gradibus adscendebatur. Sic ut solum Templi 22. cubitis circiter altius fuerit solo montis ipsius ad portam extimam orientalem, nec illo tantum altius, si Judæis credimus, sed omni terra Israelitica. *Gem. Kiaduschin.* 69. 1. *Gem. Zevachim.* 54. 2. *Gem. Sanhedrin.* 87. 1.

§. IV. Summa divisio spatiorum in monte Moria.

IV. Omne spatium, quod in monte Moria erat, & Ædem sacram atque atria complexu suo continebat, dividitur a Judæis, templum secundum describentibus, I. in הר הבית [21] *Montem Templi*, sive spatium extimum ita dictum. II. חיל sive *spatium antemurale*, & III. העזרות *Atria*: quæ cum tria fuerint, *atrium mulierum*, *Israelitarum*, *& sacerdotum*, mulierum quidem atrium æque ac mons templi & spatium antemurale habetur pro חול sive *loco minus sancto*. Sed atrium magnum, עזרה κατ' ἐξοχὴν, quod complectitur atrium Israelitarum & sacerdotum, habetur pro *loco sancto*, קדש. [22] Hoc nempe loco quicquid intra vela tabernaculi, vel intra murum templi, in loco sancto, jubetur a sacerdotibus comedi, comedendum fuit.

§. V. Mons Templi.

V. *Mons templi*, הר הבית, ὄρος τοῦ ἱεροῦ 1. *Macc.* 13. 53. στοὰ τοῦ ἔξωθεν ἱεροῦ, appellatur spatium extimum quod in monte Moria erat præter חיל & atria: videturque εὐρύχωρον τοῦ ἱεροῦ dici, ubi populus congregatus fuisse legitur III. *Ezr.* 9. 6. quod factum ברחוב בית אלהים *Ezr.* 10. 9. longum quingentos cubitos totidemque latum, [23] in quod intrare cum baculo, calceis, zona pecuniaria, pulvere pedibus adhærente, aut per id viæ compendium facere, vel in illo despuere, non licebat, uti in *Beracoth.* IX. 5. *Gem. Jevamoth.* 6. 2. *& Midrasch Coheleth.* 100. 1. traditur. Confer *Matt.* 10. 9. 10. ubi, mutata per Messiæ adventum rerum facie, reverentia ante monti templi debita toti terræ Israeliticæ communis redditur. [24] Alexandrum ipsum Macedonem rogarunt, quum ad montem templi accederet, ut calceos suos exueret, dicentes nimis læve esse pavimentum quam ut tuto incedere calceatus posset, בפני שהרצפה חלקה, uti legitur *in Megillat taanith* ad *d.* 23. *Sivan.* [25] Maximum ejus spatium ab austro, proximum magnitudine ab oriente, dein ab aquilone, minimum ab occidente, fuisse scribitur in *Middoth.* II. 1.

§. VI. Quæ fuerint in monte Templi.

VI. [26] Hic fuerunt διπλαῖ στοαὶ, porticus duplices, כפול, *Gem. Pesachim.* 52. 2. universum montem Templi cingentes, ad tria latera (nam ad quartum latus, id est australe erat porticus triplex) longæ singulæ stadium, latæ cubitos 30., sustentatæ columnis 25. cubitos altis; quarum & Siracides meminit *cap.* 50. 2. [27] איצטבא appellari videtur in *Succa* IV. 4. In orientali parte hujus spatii videtur quærenda [28] porticus Salomonis, ubi Jesus ambulasse, claudus coram populo Deum laudasse, & Apostoli una fuisse leguntur: *Joh.* 10. 23. *Act.* 3. 11. *&* 5. 12. *Joseph. Ant.* XX. 8. Videtur hic quoque quærendum πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ, unde diabolus volebat Christum se præcipitem dare *Matth.* 4. 5. stupendam enim fuisse [29] profunditatem vallis, huic monti adsitæ, ut si quis desuper in eam prospiceret, oculi caligarent, testis est Josephus. [30] Erat hic quoque בית הכנסת *Synagoga*, in qua probabile est Christum consedisse in medio doctorum *Luc.* 2. 46. [31] Et consessus 23. judicum, & חנות sive *conclavia* (est a Persico خانة) [32] in quæ synedrium magnum relicto conclavi Gazith, 40. annis ante excidium templi, migravit. [33] Hic quoque pecudes sacrificiis aptæ vendebantur [34] & trapezitæ considebant, *Joh.* 2. 14. *Gem Hieros. Jom. tos.* 61. 3. *Gem. Hieros. Chagiga.* 78. 1. Memorantur & in monte templi מעלות האולם supra quos considere solebant. *Gem. Hier. Maaser Scheni.* 56. 3. Hic quoque conclavia erant, ubi Levitæ cibum capiebant & dormiebant, quum non ministrarent aut excubias agerent. [35] Victimæ etiam minus sanctæ & temeratæ (פסולי קדשים קלים) hic cumburebantur לפני הבירה, uti Judæi loqui solent. vid. *Pesachim* VII. 8. *Gem. Beracoth.* 49. 2. Alios præterea mons templi in festis usus habebat, de quibus infra dicetur.

§. VII. Portæ ejus.

VII. [36] Portæ in ambitu ejus fuerunt quinque, ad quas [37] Levitæ noctu excubias agebant. (1) Porta [38] Susan, quam nonnulli volunt שער המזרח portam orientalem

lem dici *Beracoth*. IX. 5. *Orla*. II. 12. *Taanith*. II. 5. quamque alii ab urbe Susan (cujus imaginem præferebat, ad indicium dominationis Persarum, vel liberationis Judæorum intercessione Estheræ in urbe Susan) alii a lætitia, (unde & [39] Ὡραίαν quasi *lætam* vel *amœnam* dictam putant *Act*. 3. 2. quod *Cant*. I. 15. נעים per ὡραῖος reddatur) nonnulli a vicina porta equorum ita dictam volunt. Supra hanc erat conclave dictum שושן הבירה, [40] in quo mensuræ duæ cubitorum servabantur, *Kelim*. XVII. 9. altera in angulo orientali aquilonari, altera in orientali australi. *Gem. Pesachim*. 86. 1. (2) & (3) portæ [41] *Chuldæ* ab austro, de quibus traditum est eas nunquam destruendas in *Midrasch schir hasschirim*. 17. 3. (4) *Kiponus* [42] vel Coponii, ab occidente, (5) *Teri* [43] ab aquilone. Τῆρος nomen proprium viri fuit, uti porta quarta a Coponio dicta est. Vide Suidam ad voces Διονύσιος Ἀλεξανδρεύς. *Middoth*. I. 3.

§. VIII. Spatium antemurale.

VIII. Inter montem templi & atrium mulierum erat [44] חיל sive προτείχισμα, *Spatium antemurale*, longum 10. cubitos, disjunctum a monte templi septo cancellato (סורג) [45] alto 10. palmos. Josephus *lib*. VI. *de bell. cap*. 6. hoc septum γείσιον appellat & δρύφακτον λίθινον, altumque fuisse tres cubitos scribit, columnisque ejus inscriptum μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παριέναι, ut Gentes arcerentur a δευτέρῳ ἱερῷ quod ἅγιον appellari tradit. In hoc spatio fuit מדרש הגדול *Collegium*, vel ut alii, *Auditorium magnum*, in quo judices [46] sabbathis & festis diebus considebant, qui alias in conclavi Gazith sedere consueverant, uti in *Gem. Sanhedrin*. 88. 2. traditur, propterea quod magnus illis diebus populi concursus, & spatium conclavis Gazith nimis esset angustum. Sunt autem, qui illud in הר הבית collocent. In hoc [47] quoque una porta conclavis dicti בית מוקד ducebat, *Middoth*. I. 7. quod conclave quoniam ad latus atrii sacerdotum fuit, hoc חיל quoque non solum ad orientem atrii mulierum collocandum est, sed omnia [48] atria cinxisse dici debet: quo etiam facit quod porta una conclavis [49] Gazith in חיל prospexerit, uti & una conclavis *Nitzotz*, *Middoth*. I. 5. De velo [50] polluto in חיל expandendo vide *Schecalim*. VIII. 4. & [51] de caterva stantium in חיל, tempore Paschatis, *Pesachim*. V. 10.

§. IX. Atrium Gentium nullum fuit.

IX. [52] A spatio antemurali tendebatur ad Atria. Sunt qui inter illa primo loco numerent atrium [53] Gentium. Quamvis autem in templo secundo, quum Judæi magis permixti essent Gentibus, & cum venia earum templum ipsum condidissent, majori cum veri specie quam in templo primo atrium Gentium a nonnullis statuatur, non videtur tamen illud ibi fuisse. Judæi quidem nonnisi tria *atria*, עזרות, mulierum, Israelitarum, & sacerdotum norunt. [54] In nullum vero horum trium Gentibus intrare unquam licuit: quin ne ad חיל quidem sive spatium antemurale admittebantur, nec ulterius progredi quam spatium extimum הר הבית dictum iis licebat *Kelim*. I. 8. Hoc autem spatium, sive montem templi, si quis *atrium* & quidem *Gentium* appellare velit, aliam voci עזרה sive *atrii* vim subjicit, quam Judæi veteres; & spatia, quæ ipsi accurate distinguunt, confundit, quum spatium הר הבית dictum ab iis semper opponatur Atriis templi, העזרות. Vide *Massechet Para*. III. 3. *Nedarim*. V. 5. *Biccurim*. III. 4. *Kelim*. I. 9. *Echa Rabbati* 53. 4. & 57. 1. & 72. 4. & 83. 4. *Midrasch Coheleth*. 98. 1. & 115. 3. Tantum abest hoc reliquis atriis uti quartum superaddi debere. Quod si fiat, quivis ad arbitrium plura atria templo potest tribuere: nam [55] חיל dici poterit atrium טבולי יום, quia his non ulterius, quam in hoc, progredi licuit; & [56] הר הבית atrium pollutorum a mortuis, æque ac atrium Gentium.

§. X. Conjectura quorumdam de situ atriorum Templi II.

X. Nonnullis quoque haud placet dispositio atriorum in templo secundo, uti illa in codice Middoth fuisse traditur, maxime quum scriptores Judæi inter se non conveniant de situ portæ Nicanoris (quam alii secundum veterem traditionem Judæorum inter atrium mulierum & Israelitarum, alii inter spatium antemurale & atrium mulierum collocant) quumque atrium Israelitarum, quod maximum esse oporteret, exiguo satis spatio undecim cubitorum in latitudine & 135. in longitudine ab iis definiatur; & atrium mulierum magnum nimis fingatur, videlicet longum 135. cubitos & totidem latum, respectu exigui usus quem habere potuit; & idem podio ornetur, unde mulieres prospicerent. Adeoque existimant, licet a Judæis recedant (quos certo non scire plurima ad templi descriptionem spectantia diversæ in quas abeunt sententiæ sæpe ostendunt) se non male consulere proportioni totius ædificii & naturæ rei, si statuant, tria quidem atria, sive spatia distincta, fuisse, sed non intermedio muro, qui conspectum ædis sacræ & altaris impediret, divisa; & portam Nicanoris ad orientem magni hujus atrii, cujus spatium extremum ad orientem atrium mulierum appellatur, collocandam. Atque ita quidem, uti in templo primo, ita in secundo atria duo proprie concipienda essent. I. Interius sive sacerdotum. II. Exterius, sive populi, in quo duplex spatium, alterum mulieribus, alterum viris destinatum est. Sic quoque usus, & aliqua necessitas, illius *podii* sive צוצטרה, exstructi ad tria latera atrii, e quo mulieres

lieres ſuperne proſpiciebant in atrium Iſraelitarum & ſacerdotum , intelligitur , & ſpatium , quod populus occupabat quum ſacris adeſſet , plurimum ampliatur . Verum ſi hoc modo atria concipiantur , fatendum eſt , Talmudicorum deſcriptionem cum iis nulla ratione convenire , quos tamen nos hic ſequi conſtituimus.

§.XI. Atrii mulierum magnitudo & conclavia.

XI. [58] Atrium mulierum , עזרת נשים , uti illud a doctoribus Hebræorum deſcribitur in Templo ſecundo , longum erat cubitos 135, totidemque latum . [59] In quatuor angulis hujus atrii erant quatuor conclavia , quibus longitudo ab oriente ad occidentem 40. latitudo quoque 40. (ab aliis 30.) cubitorum tribuitur . Superne tecta non erant ex omni parte , ſed ſpatium aliquod aeri expoſitum continebant . A dextra , ſi quis atrium perambularet, erat I. [60] Conclave lignorum , לשכת דיר העצים vel דיר העצים *Eduioth.* VIII. 5. ubi illa quæ cariem contraxerant , aut a tarmitibus erant corroſa , a ſacerdotibus בעלי מומין & ad miniſterium altaris ineptis ſeparabantur . [61] Sub hoc conclavi arcam fœderis abſconditam fuiſſe vetus eſt traditio . *Schecalim.* VI. 1. 2. *Gem. Joma* . 54. 1. & *Gem. Hier. Schecalim.* 49. 3. II. [62] Conclave leproſorum , לשכת המצורעים, in quo ſe abluebant leproſi antequam ad portam Nicanoris tenderent . *Negaim* XIV. 8. III. [63] Conclave vini & olei libaminis לשכת בית שמניא IV. [64] Conclave Naziræorum, לשכת הנזירים ubi coquebant ſacrificia eorum ſalutaria, & capilli tondebantur . [65] Erant præterea duo conclavia atrio quidem Iſraelis ſubjecta , ſed quorum introitus erat in atrio mulierum , in quo inſtrumenta Muſica Levitarum ſervabantur. [66] In hoc atrio rex ſingulo ſeptennio Legem populo prælegebat, & feſtum tabernaculorum celebrabatur magna cum lætitia . [67] Erat illic quoque podium exſtructum , a latere orientali , auſtrali, & aquilonari, e quo mulieres proſpiciebant . Hoc צוצטרה appellatur in *Gem. Hieroſ. Succa* 55. 2. quam vocem eandem ac ζῶϛρα , quæ ζῶναι ſunt & ἐνδύματα , multi putant . Sed videtur potius eſſe Græcorum ἔξωϛρα , id eſt, τῆς σκηνῆς ἐκκύκλωμα apud Heſychium. Gloſſæ veteres: Ἔξωϛρα *Mœnianum* reddunt: quo faciunt hæc Hieronymi ad *Ezechiel.* 41. Ἐxθετὰς *Romæ appellant ſolaria de cœnaculorum parietibus eminentia , ſive Meniana ab eo qui primus ea invenit , quæ nonnulli Græcorum* ἐξώϛρας *vocant.*

§.XII. Receptacula nummorū tredecim in hoc atrio.

XII. Erant in atrio mulierum collocata tredecim [68] receptacula nummorum, [69] forma שופרות appellata: [70] quorum duo ſemiſiclos Iſraelitarum ſolvendos quotannis (*Exod.* 30. 13.) tum labentis tum proxime elapſi anni comprehendebant. [71] Officii hujus admonebantur Iſraelitæ primo die menſis Adar, quando per præconem ſolutio ſemiſicli & evulſio heterogeneorum ex agris præcipiebatur . *Schecalim* . I. I. Die [72] autem 15. Adar , menſæ ad ſiclos recipiendos (במדינה) per Palæſtinam collocabantur , & die 25. in templo. [73] Tertio inſcriptum erat קנין , in quod pecuniam conjiciebat qui turtures offerre debuit, unum in holocauſtum , alterum in ſacrificium piaculare. Ita puerpera aut αἱμοῤῥοῦσα , mundata quidem, ſed מחוסרה כפרה *expiatione indigens* (vide ſupra *pag.* 80.) injecta in hoc receptaculum pecunia qua turtures emi poſſunt, veſpera illius diei ſacris tuto veſcitur , ac ſi ipſa vidiſſet turtures ſuos offerri ; [74] quoniam ſacerdotes quotidie hoc receptaculum evacuabant , & tot turtures offerebant , quot offerri debuiſſe ex pretio illic contento apparebat . [75] Quartum , inſcriptum גוזלי עולה , notabat *pullos columbarum holocauſto* deſtinatos . [76] Quintum , עצים , nummos continebat ad emenda *ligna* in uſum altaris . [77] Sextum לבונה, *thus*. [78] Septimum , זהב לכפורת, *aurum ad conficiendas pelves & vaſa miniſterii* (כפרי זהב 1. *Chron.* 28. 17.) ita dicta aut ab expiatione , cui deſtinatum ſanguinem victimarum continebant ; aut quod ad eorum oras digitos ſuos ſacerdotes abſtergerent : vel , ut alii , ad reficiendas laminas aureas Sancti Sanctorum , quod בית הכפרת dicitur , ſive ריקועי זהב צפוי לבק״ק uti legitur in *Gem. Ketuvoth.* 107. 1. & *Gem. Temura* . 130. 2. [79] Reliqua ſex erant ſecundum numerum 6. animalium ſacrificiis aptorum , פר , עגל , שעיר , איל , גדי , טלה, vel, 6. familiarum ſacerdotalium , uti in *Gem. Hier. Schecalim*. 11. 1. & *Gem. Menach.* 107. 2. legitur , & complectebantur pecuniam נדבה oblationum voluntariarum , quæ videlicet non ſunt חובה: & ſi quis [80] certam pecuniæ ſummam deſtinaſſet ſacrificio piaculari, & hoc coemto, reſiduum aliquod manſiſſet , receptaculo octavo indebat. [81] Nonum capiebat reſiduum ſacrificii pro delicto . Decimum , avium pro maribus ſeminifluis , fœminis ſanguinifluis , & puerperis oblatarum . Undecimum , oblationum Naziræi. Duodecimum leproſi . Decimum tertium reſiduum oblationum voluntariarum . [82] Ex pecunia ultimorum 6 holocauſta parabantur . *Schecalim* . VI. 5. *Gem. Joma.* 55. 2.

§. XIII. Quo ordine collocata.

XIII. Hæc autem non videntur una ſerie ita diſpoſita fuiſſe uti in codice Miſnico modo laudato recenſentur ; ſed [83] vel in orbem , ut ultimum oblationum voluntariarum & primum ſiclorum ſibi proxima fuerint , vel ita ut ſeries inceperit ab receptaculis ſex oblationum voluntariarum , & dein contigua iis receptacula ſiclorum fuerint , & his , turturum , columbarum , ligni , atque ita porro : quia *ibid.* §. 7. diſputatur de

de pecunia inter receptaculum oblationis voluntariæ & ſiclorum, ad quod pertineat, uti de pecunia inter ligni & thuris reperta.

§. XIV. Gazophylacium: & uſus pecuniæ ter quotannis inde eductæ.

XIV. [84] Videtur etiam in aliquo latere atrii mulierum (ita tamen ut & attigerit περίβολον templi interioris, id eſt, atrii magni) collocandum Γαζοφυλάκιον, e cujus regione Chriſtus ſediſſe legitur *Marc.* 12. 41. [85] Sedere autem in atrio magno nulli licuit, niſi regibus e ſtirpe Davidis & ſacerdotibus dum cibos ſacros in loco ſancto conſumendos ederent. In Talmude לשכה (quod Γαζοφυλάκιον Græci interpretes reddunt) appellatur conclave, in quo ſicli omnes recondebantur in uſus ſacros, vel publicos potius: nec enim Judæi ullum aliud habebant ærarium publicum præter hoc ſacrum, *Joſeph.* XIV. 12. [86] Ter in anno, 15. diebus ante tria feſta majora, tres ciſtæ ſiclis repletæ inde educebantur, & hæc pecunia תרומת הלשכה & תרומת שקלים dicitur. [87] Hinc emebantur ſacrificia jugia, addititia, & libamina eorum, manipulus Paſchalis, duo panes Pentecoſtales, panes facierum & ſacrificia publica cœtus. [88] Solvebatur etiam hinc merces iis, qui anno ſabbathico ſponte nata cuſtodiebant, שומרי ספיחים, ut eſſet unde manipulus Paſchalis & panes Pentecoſtales fierent, qui ex proventu novo eſſe debuerunt, *Schecalim.* IV. 1. [89] Hinc etiam vacca rufa emi debuit & lingua coccinea in ignem ejus injicienda, & hircus azazel. [90] Hinc mercedem percipiebant animadverſores vitiorum in rebus ſacris מבקרי מומי קרשים, & [91] mulieres in texendis velis occupatæ. *Midraſch ſchir haſſchirim* 22. 1. alii tamen his ex לשכת בדק הבית mercedem ſolutam exiſtimant. [92] Familia quoque Garmu & [93] Abtines, correctores librorum, & qui docebant ſacerdotes [94] jugulare victimas & ſufficere, hinc mercedem ſuam percepiſſe dicuntur *Gem. Ketuvoth.* 106. 1. Si quid autem pecuniæ poſt primum diem menſis Niſan [qui erat initium anni לתרומת שקלים, ſic [95] ut eo die primum ſacrificia ære ſiclorum illius anni emta nec poſtea ſacrificia publica liceret ex ſiclis anni præteriti offerre] ſupereſſet in his tribus ciſtis, ter in anno eductis, illud [96] מותר התרומה dicitur, & vel [97] ad vaſa miniſterii vel ad reficiendum Sanctum Sanctorum fertur fuiſſe adhibitum.

§. XV. Uſus pecuniæ qui

XV. Æs, quod in Gazophylacio erat, eductis tribus illis ciſtis, [98] appellatur שירי הלשכה. [99] Hinc apparatus viæ ſive pontis ad deducendam vaccam rufam extra urbem, & hircum azazel, & lingua coccinea inter cornua ejus figenda, & canales atrii, & muri urbis ac turres reparabantur. *Gem. Ketuvoth.* 106. 2. Quod autem ex illa quoque pecunia ſupererat, [100] מותר שירי הלשכה nuncupatur, & inde vinum, oleum & ſimilam emebant ad ferta & libamina, quæ privatis hominibus vendebantur, ita ut lucrum cederet ærario ſacro.

§. XVI. Num hic fuerit conclave ſilentum & vaſorum.

XVI. Ad hoc atrium quidam referunt conclavia duo, quorum fit mentio in *Schecalim* v. 5. alterum לשכת חשאים [101] *conclave ſilentum*, in quod viri pii clam eleemoſynas ſuas conferebant, alterum לשכת הכלים [102] *conclave vaſorum*, in quo vaſa ab aliis conſecrata erant, quæ ſervabantur ad varios uſus, aut pretium eorum inferebatur ללשכת קרבנות בדק הבית *conclavi munerum inſtaurationi templi deſtinatorum*: quem in finem ſemel quolibet menſe גזברין conclave vaſorum ingrediebantur, & vaſa miniſterio apta ſervabant, [103] at inepta vendebant, de quibus vide in *Temura* I. 6. & VII. 1. 2. *Erachin.* VIII. 6. *Schecalim.* IV. 8. & v. 6. [104] Videntur tamen hæc conclavia ad atrium Iſraelitarum aut ſacerdotum potius referenda, [105] quum ex conclavi vaſorum quotidie vaſa miniſterii peterentur.

COMMENTARIUM IN CAP. OCTAVUM.

[1] F*Atentium quinque res &c. Bereſchit Rabba ſuper illud Geneſ. IX. 26. Benedictus Dominus Deus Sem. Plurimi etiam de Sacerdotibus, & Levitis, & principes patrum & ſeniores, qui viderant templum prius, cum fundatum eſſet, & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna, & multi vociferantes in lætitia, & elevabant vocem. Eſdr.* III. 12. Quare flebant ſeniores? Quia viderunt, quod non requievit Divinitas in domo ſecunda. Ex quo ergo non requievit in ea Divinitas, quare dictum eſt *Agg.* II. 10. *Magna erit gloria Domus iſtius noviſſimæ pluſquam primæ?* R. Jochanan; & R. Eleaſar diſputabant de hoc. Unus dixit in annis, & alter in ædificio &c. *Magna erit gloria domus iſtius &c. Gloſſa R. Salomonis.* Rab & Samuel diverſimode hoc exponebant, unus autem dixit, quod major fuit honor domus ultimæ, quam prioris in ædificio. Alter vero in annis; anni quippe prioris 410. anni vero ultimæ 420. *Et* Hagg. I. 8. *Aſcendite in montem; portate ligna, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus. Gloſſa R. Salomonis;* de hoc verbo אכבר Deeſt *in hac voce* litera quæ dicitur ה", quæ ſignificat quinque propter quinque res, quæ defuerunt in Sanctuario ſecundo, & fuerunt in primo, ſicut dicitur in Gemara Joma diſtinctione, *quæ incipit*, Schibhat Jamim Kodem. Dixit R. Acha, quid eſt quod ſcriptum eſt Agg. I. 8. *Et acceptabilis mihi erit, &* ואכבר *glorificabor*; quid ſibi vult quod inde deeſt litera ה? Hæ ſunt quinque res, quæ fuerunt inter primum (& ſecundum) ſunt autem hæ, Arca cum Propitiatorio, & Cherub, & ignis, & Divinitas, vel *gloria Dei* & Spiritus Sanctus, & Urim & Tummim. *In Midraſch quoque Schir Haſchirim ſcriptum eſt: Soror noſtra parva* Cantic. VIII. 8. Hi ſunt aſcendentes de captivitate, *parva*, quia fuerunt pauperes in *exercitibus*, *& ubera non habet*, Hæ ſunt quinque res, in quibus fuit diminuta domus ultima a prima; & hæ ſunt ignis, & oleum unctionis, & Arca, & Spiritus Sanctus, & Urim & Thummin. Hoc autem eſt, quod ſcriptum eſt

Agg.

Agg. I. 8. *& acceptabilis mihi erit, & glorificabor*, ſcriptum eſt ſine ה, quod ſignificat quinque. Vide *Hieroſol. Taanith* fol. 6. 1. *& Maimonidem de Templo*. IV.

[2] *Sed veræ Schekinæ &c. Gemara Sanhedrin diſtin. Chelek* R. Akiba erat exponens. *Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo cœlum & terram, & mare & aridam, & movebo omnes gentes; & veniet deſideratus cunctis gentibus &c.* Agg. II. 7. 8. R. Akiba exponebat hoc de diebus Meſſiæ, ac de tempore quod fuit poſt deſtructionem primæ domus, ac ſic expoſuit modicum magnum &c. (& alia expoſitio.) *Adhuc unum modicum eſt*; modicum ſcilicet regni venturi Iſraeli poſt deſtructionem domus prioris, & poſt illud regnum, *ecce ego commovens cœlum & terram*, & poſtea veniet Meſſias. *Poſt iſtud modicum regni Machabæorum tempore regni Herodis venit Jeſus Chriſtus*.

[3] *Gradus varii &c. Vide Maimonidem de Templo* cap. VII. 15. 22.

[4] *Mons Templi &c. Maimonides de ratione adeundi templi* III. 3. Jam viri fœminæque ſeminis fluxionem patientes, item & mulieres menſtruales, & puerperæ extra caſtra emittebantur duo, ideſt extra montem ædis. Nam iſti temerabant omnia, quibus incumbebant, quibuſque inſidebant, immo & ea quæ lapidi ſubjacebant illi, in quo ipſi quieſcebant, quæ eadem homo mortuus non temerabat. Itaque funere pollutus atque etiam mortuus ipſe ut intra montem ædis intromitteretur licebat, quoniam in lege eſt; *Tulit quoque Moſes oſſa Joſeph ſecum*, ſecum ideſt, in Caſtra Levitarum (*Exod.* XIII. 19.) *Bartenora ad cap. I. Celim.* 8. Cæterum Mons templi erat quingentorum cubitorum undequaque, & in ipſo ædificatum erat Sanctuarium, atque exinde caſtra Levitarum incipiunt, & menſura pertingebat uſque ad portam Nicanoris, & a porta Nicanoris & interius erant caſtra divinæ Majeſtatis, a monte templi & exterius uſque ad muros Jeroſolymæ erant caſtra Iſraelitarum, in quæ non intrabant ſeminiflui, ſeminifluæ, menſtruæ, nec puerperæ, ſicuti ſcriptum *Num.* V. 2. *ut ejiciant de caſtris omnem leproſum, & qui ſemine fluit, pollutuſque eſt ſuper mortuo*: hinc quis putaſſet, quod hi tres in unum coire debent locum? ſed lex de leproſo dicit, *ſolus ſedebit*, igitur is non dimittitur ad locum iſtum, ad quem ſeminifluus & mortuo pollutus mittuntur. Et ſicuti leproſi immundities gravior eſt, ita dimiſſio illius quoque gravior eſt, uti ſcriptum eſt. Levit. XIII. 46. *ſolus habitabit extra caſtra*, idcirco extra Jeroſolymam mittitur; ſeminifluus, ſeminiflua, monſtrua, & puerpera, quorum immundities gravior eſt immunditie mortui, quia iſti efficiunt immunditiem cubilis & ſedilis, & polluat immunditie lapidis pavimentali, quod non ita ſe habet in eo qui mortuo pollutus eſt, cujus dimiſſio major eſt dimiſſione aliorum; hinc conſtat quod miſſio extra Jeroſolymam fiat reſpectu miſſionis extra caſtra Iſraelis. Seminiflui autem, ſeminifluæ, menſtruæ, & puerperæ e monte templi emittebantur, ubi erant caſtra Levitarum, ſed Jeroſolymæ commorari poterant. Qui vero mortuo pollutus eſt, immo ipſe mortuus in monte Templi commorari poterat, ſed a porta Nicanoris removebatur, & a loco interiori, ubi caſtra divinæ majeſtatis erant *Vide in hunc locum Maimonidis commentarium*.

[5] *Monte Templi &c. Maimonides de ratione adeundi templi ibidem*. Ab ſpatio antemurali excludebantur æthnici, funeſti, & qui cum menſtrualibus conſueſcebant, intromittebatur autem homo temeratus in diem, ſiquidem jam fuit ablutus. *Bartenora ibidem* Cæterum antemurale intra Templi montem erat paries aliquis decem palmos altus, & iſte vocatur סרג, & intra ipſum eſt ſpatium antemurale decem cubitorum; licet ſapientes decreverint gentiles habendos eſſe, ut ſeminifluos omni modo, tamen reſpectu dimiſſionis extra caſtra non decreverunt de ipſis niſi de iis, qui polluti ſunt mortuo, at vero cum auctor jam tradit, quod ii, qui mortuo polluti ſunt, non intrent antemurale & interius, ideſt ex decretis ſapientum; nam ex lege etiam in atrium mulierum intrare poſſunt, quod hæc ſpatia comprehendunt Levitarum caſtra uſque ad caſtra Iſraelis, ubi eſt porta Nicanoris; atrii vero mulierum & interius intra antemurale fuit longitudo centum & triginta quinque cubitorum in longum & latum *Vide Maimonidem in hunc locum*.

[6] *Atrium Mulierum &c. Maimonides de ratione adeundi templi ibidem*. Ab atrio mulierum excludebatur homo temeratus in diem, non item qui piaculo tantum indigebat, nimirum qui piaculo tantum indigebat, jam ſolis expectaverat occaſum. Atque homo temeratus in diem, ne intra caſtra Levitarum intromitteretur, interdictum erat *Bartenora ibidem*. Joſaphat, & illius judicii domus decreverunt de eo, qui die lotus eſt ne intraret in atrium mulierum, ſicuti ſcriptum eſt. 2. *Paralip.* XX. 5. *Cumque ſtetiſſet Joſaphat in medio cœtu Juda & Jeruſalem in Domo Domini ante atrium novum*. Sed in Gemara quæritur, quod per *atrium novum* intelligatur id in quo aliquid innovatum fuit reſpectu illius, qui die lotus eſt, quod is non intrabit in Levitarum caſtra, niſi reſpectu atrii mulierum dumtaxat. Et hoc de eo qui die lotus eſt, decreverunt, & non de eo, qui expiatione caret, quia is qui die lotus eſt, prohibitus ſit de oblatione prima comedere, de qua tamen comedere poteſt is, qui expiatione caret; cujus vero immundities gravior eſt, illius quoque longinquior eſt dimiſſio *Vide hic Maimonidem*.

[7] *Atrium Iſraelitarum &c. Bartenora ibidem*. Cæterum atrium Iſraelitarum inter atrium mulierum erat centum & triginta quinque cubitorum, in latitudine undecim & extremitates aſſerum dividebant inter atrium Iſraelitarum & atrium mulierum, quo pervenire non licebat ei, qui expiatione carebat. *Maimonides de ratione adeundi templi ibidem*. Jam in atrium Iſraelitarum ne hic quidem qui piaculo tantum indigebat, introibat, quippe qui nondum etiam plane purificatus erat, quod enim in lege ſcriptum videmus, *expiabitque eum Sacerdos & ſic mundabitur* (*Levit.* XII. 8.) Ex eo ſatis intelligitur ante oblatum piaculum ejus purificationem non eſſe prorſus effectam *Vide eumdem ad Celim I.* 8.

[8] *Tales erant quatuor* &c. *Maimonides de indigentibus piaculi Cap.* I. Quatuor erant genera hominum qui vulgo *indigentes piaculi* dicebantur, profluvio ſanguinis infecta mulier, & puerpera, vir profluvio genituræ, & lepris contaminatus. Sed quid tandem erat cauſæ, cur ita nominarentur? Quia enim iſtorum quiſque poſt inquinamentum ſublatum, poſt ablutum corpus, poſt obitum ſolis expectatum, nondum etiam purificatus erat ad comedenda ſacra, uſque adeo, donec ſuum piaculum feciſſet; talis, inquam, homo priuſquam ſuum fecerat piaculum, ne ſacris veſceretur, interdictum erat, uti tractatu de ſacris temeratis expoſuimus *& paucis interjectis :* cum fuerat igitur temeratus profluvio genituræ vir, mulier profluvio ſanguinis, uterque ſacrificabat par turturum, aut pullorum columbinorum, ac fiebat eorum altero ſolidum, altero piaculare ſacrum. Puerpera agnum ad ſolidum ſacrificium, & ad piaculare turturem vel pullum columbinum præbebat, quod ſi facultates non ſinerent, par turturum, aut pullorum columbinorum præbebat, unum ad ſolidum, & alterum ad piaculare ſacrum. Lepris temeratus præbebat agnos duos unum ad ſacrificium ſolidum, & alterum ad ſacrificium pro delicto, præterea autem præbebat & ovem ad ſacrum piaculare; quod cum ei per anguſtias rei non licebat, geminas volucres præbebat, alteram ad ſolidum, & alteram ad piaculare ſacrum, inſuper agnum ad ſacrificium pro delicto. Omnino tres iſti, fœdata profluvio ſanguinis fœmina, vir fluxione ſanguinis, lepriſque temeratus, ſuum quiſque piaculum faciebant octavo poſt die, quam ſanati fuerant; nempe horum quiſque ſeptem obſervabat dies puros, quorum poſtremo corpus lavabat, & ſolis occaſum expectabat, ſacraque ſua faciebat poſtridie. Jam puerpera quadrageſimo die quam natus puer, vel octogeſimo die, quam puella nata fuerat, non faciebat ſuum Deo ſacrum, ſed expectabat ſolis obitum, craſtinoque die, qui dies erat unus & quadrageſimus a nato puero, vel unus & octogeſimus a nata puella, ſacrificium faciebat ſuum; hic eſt enim ille dies, quem præſtituit præſcriptum legis iſtuc, proque Levit. XII. 6. *completi fuerint dies purificationis ſuæ pro filio, ſive pro filia, deferet*.

[9] *De ſanctis* &c. *Sevachim* XII. Lavandus eodem die, & egens expiationibus, non capiunt partem de ſanctis ad edendum circa veſperam *: vide Maimonidem de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. X.* 19.

[10] *Hic fluxus* &c. *Maimonides ibidem cap.* II. Gonorrhææ genus divina lege commemoratum eſt id, quod pro-

provenit e vitio partium naturalium, quibus semen continetur; hæc igitur profusio seminis contra quam in complexu venereo, fit sine labore sine voluptate ac titillatione. Semen enim serpendo profluit sic tanquam massa farinæ hordeaceæ; idem velut albumen ovi corruptione diluti fuscum est, cum in complexu venereo sit ita candidum ac copulatum, ut incorrupti albumen est ovi. Si cui profluvium genituræ, quod hominem sua lue temerabat, per morbum, vim, consimilemque quandam causam advenisset, is neutiquam temeratus esset, nimirum istuc legis verbum, *vir qui patitur fluxum seminis*. *Levit.* XV. 2. hoc valet, si lues ista proveniat ipsius e naturæ vitio, homo scilicet temeratus esto, at si feratur aliunde, non item. Hinc edictum a magistris nostris erat, ut in eo, cui profluvium genituræ ferretur, diligenter etiam atque etiam considerentur res septem, cibus, potio, onus, saltus, morbus, intuitus, cogitatio; nam si cibi, potionisque nimium adhibuisset, si comedisset, potassetque ea, quæ semen evocare viderentur, si portasset injustum onus, si vastum transmisisset saltu spatium, quo eodem pertinebat etiam & dorsi contusio; si morbo laborasset, si fœminam intuitus cupidus ejus habendæ fuisset, si de re venerea universe multum & diu cogitasset, ut proprie de conjunctione ullius fœminæ sibi notæ cogitasset nihil, harum rerum una aliqua, si gonorrhæam antecessisset, causa efficiens ejus esse putaretur, homo non temeraretur. Ac prima quidem gonorrhæa non fœdabat hominem priva genituræ fluentis lue viginti quatuor horas ipsas; fluoris id ex nimia quadam abundantiæ genituræ provenisse ducebatur. Item intuitus ante dictus, vehemensque de rebus venereis cogitatio gonorrhææ luem suspendebat totas viginti quatuor horas. Cibus vero, potus, saltus, & labor improbus luem suspendebant, quoad dolor aderat &c. Cum genitura cui semel effluxerat naturæ vitio, iisdem addicebatur, ac qui communi casu genitale semen ex se fudisset; idem hoc cum alicui bis acciderat, profluvio genituræ temeratus erat, is adeo ut observaret dies numero septem, & aqua jugi corpus ablueret, necesse erat, non erat autem, ut sacrificium faceret. Quod si cui ter deinceps accidisset, is absoluto profluvio genituræ temeratus astringeretur etiam sacrificio, nam inter effluentiam genituræ duplicatam & triplicatam præter sacrificium nihil discriminis erat &c. Ac viro quidem seu per horæ spatium, seu per totum diem bis ter deinceps effluentia genituræ provenerat, pariter ista lue temeratus esset; complures enim mulieri dies ad hoc inquinamentum concipiendum præstituit divina lex, in qua scriptum videmus. *Mulier quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis*. *Levit.* XV. 25. Sed eadem dies multos ad constituendam viri gonorrhæam non requirit.

[11] *Quoniam infans* &c. *Maimonides ibidem*. Puero impuberi, cum profluvium genituræ provenisset, non considerabatur, nec obtutus oculorum, nec mentis applicatio, quia enim hæc in pueris non sunt ea, quæ profluvium genituræ evocent, cæteræ quinque causæ considerabantur. Pueri Gonorrhæam ut morbus proprius, sic & invaletudo matris suspendebat, cum hujus ubera sugeret infans, aut matri necessario adhæreret.

[12] *Diversa omnino* &c. *Maimonides ibidem* cap. 1. 6. laborabat igitur profluvio sanguinis mulier, cui tribus deinceps diebus extra menstrua provenerat fluxio sanguinis; hæc enim mulier absolute erat sanguinis profluvio contaminata, quæ jubebatur septem observare dies puros, obligabaturque sacrificio. Sed explicanda ratione mensium jam differuimus, egesto sanguine, mulier quando profluvio sanguinis laboraret, quando non laboraret profluvio sanguinis, sed menstrualis aut pura foret, & quando profluvium sanguinis incertum haberet &c.

[13] *Leprosus* &c. *Maimonides ibidem cap.* IV. Leprosus extra atrium Israelitarum contra portam orienti soli respondentem, quæ porta Nicanoris erat, in ipso limine stabat, spectans in occidentis solis partes; hic enim piaculi indigentes, cum lustrarentur, stabant omnes; hic & mulieribus in adulterii suspicionem vocatis amara illa diraque dabatur aqua bibenda; deinde leprosi hominis hostiam pro delicto viventem prehendebat sacerdos, & cum logo olei simul agitabat ad orientem versus, quam in partem agitari conveniebat, quicquid sacrorum agitabatur, quanquam si separatim agitasset utrumque, bene fuerat; tum idem ad portam deducebat hostiam leprosi hominis, qui porrectas in atrium manus ei imponebat, continuo jugulabatur hostia, cujus sanguinem excipiebant sacerdotes duo, unus sacro vase, is aræ sanguinem exceptum inspergebat, alter manu dextra, qui porro eum in lævam infundebat, digito indice dextro spargebat; hic si contra quam oportuerat læva manu primum excepisset sanguinem, temerasset. Qui Sacerdos vase sacro partem sanguinis exceperat, prior eum delatum aræ aspergebat, inde leprosum ad hominem veniebat qui sanguinem exceperat manu sacerdos. Consistebat intus sacerdos, leprosus homo foris, atque hujus, inserto capite, auriculam dextram conspergebat eo sanguine Sacerdos, quem manu continebat; dextra inde manu inserta, sanguine respergebat digitum pollicem; tum pede dextro inserto, digitum pollicem itidem sanguine respergebat. Nam aspersio sanguinis in sinistris membris facta, irrita, nefasta foret. Secundum hoc hominis piaculare, solidumque sacrum fiebant. Sacerdos ubi digitos pollices sanguine consperserat, idem de logo olei quid in lævam manum sacerdotis alterius infundebat, neque tamen contra fas in suam ipsius manum id infunderet. Porro ipse digito indice dextro inditi in manum olei respersiones septem ad adytum templi dirigebat, ad singulas respersiones oleo digitum imbuebat; quæ si aspersio olei minus accurate dirigeretur ad adytum templi, bene haberet tamen. Inde redibat ad leprosum, cui partes sanguine hostiæ pro delicto oblitas, auriculam, digitum pollicem manus, atque pedis oblinebat & oleo; tum olei manu contenti reliquum instillabat in caput hominis lustrandi &c.

[14] *Atrium Sacerdotum &c. Bartenora ibidem*: Propterea fas erat, ut Misna traderet, quod purus illuc pervenire non possit, nisi donec se laverit, & quod immundi qui illuc se contulerunt ex errore, ut manus imponant capiti sacrificii ipsorum, tenentur sacrificio pro peccato, sed hoc nemini licet præter dominos sacrificii, sicut scriptum est *Levit. III.* 8. & *imponet manum suam*, ergo non imponet manum legati. Mactatio autem rite peragi potest per eum, qui non est Sacerdos, quamvis enim sacerdotes, & ii, qui non sunt Sacerdotes in atrio Israelis mactaverint, nihilominus tamen non prohibuerunt Israelitas ne in atrium Sacerdotum intrarent, ut mactarent oblationem, & agitarent, nam Sacerdos manum suam supponit dominorum sacrificii manui, & sic agitat: *Maimonides de Templo VII.* 19. & hoc sanctius est atrium Sacerdotum, in id enim Israelitarum introeat nemo nisi tum, cum necessario requiruntur aut ad imponendas hostiæ manus, aut ad expiationem faciendam, aut ad mactandam victimam, aut ad agitandum sacrum: *vide eumdem ad Celim* 1. 8.

[15] *Illo Sanctior &c. Bartenora* ibidem. 9. *Locus inter Ulam & altare sanctior est*, quia eo pervenire nequeunt vitiati nec capite denudati. Cæterum in Gemara codice de oblationibus cap. 2. indigitatur, quod omnes hi Sanctitatis gradus, quos tradit Tosaphta, ut, si quis atrium Sacerdotum intraverit extra necessitatem, & capite denudati & vitiati si intraverint inter Ulam & altare, sint gradus a sapientibus traditi, ita enim ego a magistris meis accepi. Sed Maimonides putat, quod omnes sint ex instituto legis vitiati, quia *Levit. XXI.* 17. *Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret &c.* Nam de Aarone ejusque filiis dicit lex *Levit. X.* 6. *Capita vestra nolite nudare*. Licet enim Tosaphta adjuvet sententiam Maimonidis, tamen magistrorum nostrorum traditio (*humana scilicet*) mihi fundamento est. Quod autem doctor primus non computavit ebrios vino, & eos, qui nec manus nec pedes laverunt apud eos, qui vitiati sunt, & capite denudati, sicuti computavit R. Jose in fine, ratio est, quod ii, qui vitiati sunt, & qui denudati sunt capitibus, sint reprobi respectu corporum ipsorum, idcirco dimissio ipsorum longinquior est. Sed qui vino ebrii sunt, ac nec manus nec pedes laverunt, reprobi sunt ob aliam rem, idcirco dimissionem eorum, non adeo aggravavit: *Maimonides de Templo, ibidem*. Hoc etiam sanctius est spatium id, quod inter vestibulum & altare interest; in hoc enim nemo corporis vitio affectus introeat, nemo introeat capite aperto, & la-

ce-

ceratis veſtimentis : *Vide eumdem cap. II. de ratione adeundi templi* , & a *cap. I. 9. Celim*.

[16] *Ædes ſacra &c. Maimonides de Templo ibidem*. Atque hoc ſpatio inter veſtibulum & altare intercedente ſanctius eſt templum , in quod niſi lotis manibus & pedibus introeat nemo.

[17] *Sanctum vero Sanctorum &c. Bartenora* ibidem : *niſi Pontifex maximus die expiationis* quemadmodum ſcriptum eſt *Levit. XVI.* 2. *Ne omni tempore ingrediatur ſanctuarium &c.* Porro dicit Miſna *in tempore Miniſterii*, quater enim intrabat Sanctuarium, primo ad ſuffitum adolendum , ſecundo ut ſanguinem juvenci ſpargeret, tertio ut ſanguinem hirci ſpargeret , quarto ut acerram & thuribulum educeret , ſi vero quis intraſſet , morte dignus erat. *Et arcebantur a loco inter Ulam & altare , dum ſuffitus incendebatur* , ſive eo tempore, quo ſuffitum adolebant in altari aureo , quod erat in templo , ſive eo tempore , quo Pontifex maximus adolebat ſuffitum in loco intimo , totus populus arcebatur a loco inter Ulam & altare ; nam non requiritur ut dicamus , quod e Templo arcebantur. Cæterum Doctor primus diſſentit a R. Joſe , & putat quod eo tempore , quo ſuffitus adolebatur in templo , populus arcebatur a ſpatio , quod eſt inter porticum Ulam & altare, ſed eo tempore , quando ſuffitus in loco intimo incendebatur , populus dumtaxat a templo arcebatur , & non a loco inter Ulam & altare , deciſio eſt ſecundum doctorem primum . Traduntur autem in Miſna decem Sanctitates , cum tamen undecim ſint ; ſed excellentiores doctores docuerunt , terram Iſraelis eximi a numero Sanctitatum, quia in reliquis Sanctitatibus continetur gloria loci, utpote cui aliquid de immunditie detrahitur , vel in quem aliquibus hominibus intrare non licet ; at hæc ſanctitas non convenit terræ Iſraelis . Cæterum primitivorum adductio , duorumque panum appoſitio , ut & panis facierum non comprehenduntur ſub hac ſanctitate ; alii vero exponunt , quod doctor primus , qui decem computavit ſanctitates , ſit R. Joſe , quia is putat , quod locus inter porticum Ulam & altare ſit æqualis templo in quinque rebus , idcirco juxta ipſum decem gradus dumtaxat ſunt. *Maimonides de Templo ibidem* : & iſto denique ſanctius & auguſtius & Sanctum Sanctorum , in quod nemo introeat præter ſummum Sacerdotem, nec is quidem niſi una ſolennitate expiationum ad rem divinam faciendam : *Vide eumdem ad cap.* 1. *9. Celim*.

[18] *Situm fuit templum &c. Middoth II.* Mons ædis erat quadratus, ita ut ſingula latera eſſent cubitorum quingentorum : *Maimonides de Templo V.* Mons ædis erat mons ille Moria . Is in latitudinem & in longitudinem quingentis æque patens cubitis muro circumdatus erat : *Vide Schilte Haggibborim cap. II.*

[19] *Erat fornicatus &c. Maimonides ibidem* : ſubter eo multi fornices erant extructi, ſuper aliis alii , id adeo ne fieret in eo alicujus inquinamenti tabernaculum : *Idem Para. cap. III.* erigebant nempe a monte templi ad montem Oliveti clivum quemdam , ſuper quo extructi erant fornices, ita ut fornix unus ſemper duobus inniteretur fornicibus, ita ut eſſent fornicis pedes duo ſuper recto duorum fornicum , qui infra illum , ut eſſet ſuper quovis concavitas propter ſepulchrum abyſſi ; etiam infra locum combuſtionis & lavacri, qui erat in monte Oliveti, talis erat concavitas propter ſepulchrum abyſſi : *Vide Schilte Haggibborim ibidem*.

[20] *Non tamen &c. Maimonides* ad *Middoth cap. II.* 4. Quando autem per portam Suſæ montis Templi intrabat via recta donec ad antemurale perveniſſet , deinceps ab antemurali per duodecim gradus aſcendebat donec ad atrium mulierum perveniſſet. Mulierum vero atrium erat altius monte Templi ſex cubitos ; diximus enim, quod omnis gradus in Templo dimidium cubiti altus erat . Poſtea ibat per totam atrii mulierum domum ad dextram, & a fine illius aſcendebat ad atrium Iſraelitarum per quindecim gradus uti dicemus inferius in hoc capite, idcirco atrium Iſraelitarum ſeptem cubitos & dimidium altius erat atrio mulierum. Deinde vero ab atrio Iſraelitarum aſcendebat ad atrium Sacerdotum per ſuggeſtum qui cubitum altus erat , & per tres gradus ſupra ſuggeſtum. Tum ibat per atrium Sacerdotum , & Altare inter porticum Ulam & Altare per ſolum rectum. Poſtea per duodecim gradus ibat ad porticum Ulam, uti dictum eſt tertio capite hujuſce codicis . Ulam vero & Templum erat in ſolo recto, idcirco templum erat ſupra atrium Sacerdotum ſex cubitos. Elicimus ergo ex omnibus altitudinibus , quod Templi ſolum altius erat ſolo montis Templi, ubi porta Suſan erat, viginti duos cubitos : *Idem de Templo cap. VI.* Sanctuarium non erat totum in plano & æquo ſitum. Nam bona pars ejus erat in clivo montis . Qui igitur in Sanctuarium per portam in oriente montis ſitam ingreſſus erat, is recta pergebat ad extremum ſpatium intermurale , tum ex eo in atrium mulierum aſcendebat &c. *Vide Schilte Haggiborim. cap. III.*

[21] *Montem Templi &c. vocatur etiam atrium commune. Toſaphta Para. cap.* 2. Exeunt per portam ducentem ex atrio mulierum in atrium commune , & vaſcula quædam lapidea affigebantur ad parietem graduum aſcendentium in atrium mulierum , atque eorum opercula conſpiciuntur in atrium commune ; *etiam atrium gentium . Hieroſol. Avodah Zarah fol.* 40. *I.* Rabban Gamaliel ambulans in atrio gentium, vidit fæminam Ethnicam ac de ea benedicit : *Ab eo arcebantur, ut ſupra vidimus , ſeminiflui , ſeminifluæ, menſtruales , & puerperæ .*

[22] *Hoc nempe loco &c. Bartenora* ad *cap. V. 3. Sevachim : intrinſecus intra cortinas ;* nam in Tabernaculo cortinas convolvebant ad atrium tentorii conventus, & de Sacrificio pro peccato dicitur . *Levit. VI.* 16. *Et comedet in loco ſancto atrii Tabernaculi* . Templo autem conſtructo murus atrii erat pro cortinis .

[23] *In quod intrare &c. Gemara Berachoth*. Ne ingrediatur quis in montem Templi cum baculo in manu, nec cum calceis in pedibus , nec cum nummo ligato in linteo ſuo, nec cum crumena a tergo pendente : *Maimonides cap. VII. de Templo :* Præceptum eſt jubens , ut Sanctuarium illud vereamur, ſcriptum eſt enim, *& pavete ad Sanctuarium meum. Levit. XXVI.* 2. Nec vero Sanctuarium eſt quod metuitur, ſed is qui de metu Sanctuarii præcipit . Qualis igitur erat metus ille? ut in montem ædis introeat nemo cum baculo, calceis, Zona , cum pulvere pedibus inhærente, aut cum pecunia in veſtimento colligata; id vero ne dici quidem neceſſe eſt interdictum eſſe, ne in omni monte ædis deſpuatur, ſed hic ambulanti cum neceſſe fuerit , in linteum ſuum ſcreundum; ut ne per montem ædis compendiariam inſtituat viam, introeundo per portam unam, & per adverſam exeundo , ſed montem extrinſecus circumeat , denique ut intra montem introeat nemo niſi propter rem piam, & laudabilem.

[24] *Alexandrum &c. Megillath Taanith cap. III.* Cum quæſivit Alexander Macedo Hieroſolymam aſcendere, receperunt ſe ad illum Samaritani dicentes; cave tibi, quia non permittent ut ingrediaris in ipſorum Sanctum Sanctorum , eo quod ſis incircumciſus. Poſtquam hoc animadvertit Gibea ben Peſiſa , abiit, & fecit ſibi duos ſoccos, quibus inſeruit duas gemmas, valentes 10000. argenteos nummos . Pervenienti *Regi* ad montem Domus dixit; Domine mi Rex exue calceos tuos, & indue hoſce ſoccos, quia pavimentum glabrum ſive leve eſt, ne vacillent pedes tui. Progredienti ad Sanctum Sanctorum dixit ; Domine mi Rex hucuſque nobis licet ingredi , hinc autem, & ulterius ingredi non licet. Reſpondit ei (Rex) ecce ego ingredior , & cum egreſſus fuero, ad æqualitatem redigam gibbum tuum. Reſpondebat (Gibea) Si tu hoc feceris, verus medicus vocaberis, multamque mercedem reportabis . Dixerunt , non receſſiſſe inde (Alexandrum cum ſuis) donec ſerpens eum momorderit &c.

[25] *Maximum vero ſpatium &c. Bartenora ad Middoth cap. II. Maximum ſpatium ab auſtro, proximum ei ab oriente*, nempe ſpatium a muro montis Templi ad murum atrii ad latus meridionales majus erat quam ſpatium quod inter atrii muros erat ad latus orientis, & ſpatium orientis majus erat ſpatio ſeptentrionis, ſpatium ſeptentrionis majus erat ſpatio occidentis : *Maimonides de Templo cap. V. 6.* Quod igitur ſpatium inter montem ædis & atrium intererat ab ſeptentrione, id magnitudine ſuperabat illud, quod interjectum erat ab occidente , & quod intercedebat ab oriente majus illo, quod interpoſitum ab ſeptentrione.

[26] *Hic fuerunt &c. Gemara Shabbath in duobus locis*

cis fol. 6. & 13. appellat כפול סטיו porticum duplicatam. *Et Maimonides de Templo cap. V.* Omnia (*inquit*) erant contignata deſuper, & una porticus erat ante aliam: *Peſachim fol.* 52. 2. In monte Templi duplicatæ erant ſtoæ, una ante aliam poſitæ: *Et fol.* 13. 2. Mons Domus ſtoa duplicata fuit. R. Jehuda ait .... fuit contignata ex ſtoa una intra aliam locata: *Et Raſchius:* Stoa circumquaque circumfundebatur, & in medio iſtius ambitus *Stoarum* adhuc alius fuit: *Joſephus de bello V.* 14. Duplices porticus omnes, quas columnæ ſuſtinebant, quinis & vicenis cubitis altæ, & ſingulis ſaxis marmore candido, laquearibus autem cedrinis tegebantur: *Sub iſtis ſtois conſtitiſſe Judæos, cum agnus Paſchalis Sabbato mactaretur, cum Sabbato crimen eſſet humeris Domum deportare, ſcribit Maimonides cap. I. 17. Peſachim:* Non unuſquiſque ſtatim ac Paſcha ſuum mactavit, cum eo domum revertitur in Sabbato, ſed turma prima atrio egreditur, atque in monte domus, ſecunda vero cum agnis ſuis atrio relicto, in ſpatio intermurali moratur, tertia vero in atrio manet, omneſque expectant donec exeat Sabbatum; atque tum demum quilibet domum cum agno revertitur.

[27] איצטבא *&c. Scamnum Raſchius interpretatur. Succa IV. 4. Kimchius ad 2. Reg. XI. 14. vocem* אפטוונא *quam ibi Chaldæus adhibet, & quæ* איצטבא *&* סטיו *Synonima eſt, interpretatur* ספסל שיושבים בו *ſcamnum in quo conſident. Bartenora ad Succa IV. 4.* על גב איצטבא *ſuper ſcamnum*; ſpatium montis Templi circumdatum erat ſcamnis ad ſedendum in illis, quæ ſuperius operta erant propter pluviam.

[28] *Porticus Salomonis &c. non confundenda cum porticu regali, quæ teſte Joſepho Antiquit. lib. XV. cap. 4. erat a latere Templi meridionali.*

[29] *Profunditatem &c. Joſephus ibidem:* Ut vertiginem pareret aſpicientibus immenſa profunditas.

[30] *Erat hic &c. Joma fol.* 68. 2. Venit Pontifex maximus lectum, Chazan Synagogæ accipit librum legis, cumque dat Archiſynagogo, Archiſynagogus τῷ Sagan, & Sagan ſummo Pontifici &c. *ubi Gloſſa:* Synagoga erat prope atrium in monte Templi: *Maimonides de Synedriis cap. III.* Verum Synedri majoris Synedrii ſedebant a Sacrificio matutino uſque ad ſacrificium veſpertinum, diebus autem Sabbaticis & feſtis omnes ſedebant in Synagoga, quæ erat in monte Templi.

[31] *Et conſeſſus &c. Miſn. Sanhedrin X.* 2. Tria judicum collegia iſthic fuerunt, unum ſedens juxta aditum montis ſanctuarii, alterum ſedens ad oſtium atrii, tertium ſedens in conclavi ex cæſo lapide ſtructo: *In quem locum ita Bartenora: unum ſedebat juxta aditum montis ſanctuarii*, circa portam orientalem, quæ intra antemurale continebatur ante atrium mulierum, alterum judicium ſedebat ſupra primum, quando atrium mulierum tranſibant, & ad portam atrii Iſraelitarum perveniebant, tertium ſedebat in conclavi Gazith, quod in atrio extructum erat, partim in loco Sancto, & partim in profano: *Maimonides de Synedriis cap. I.* Conſtituebant inſuper bina Synedria viginti trium viralium, alterum ad portam atrii, alterum ad portam montis templi.

[32] *In quæ &c. Babyl. Avodah Zarah fol.* 8. 2. Quadraginta annis ante vaſtatum templum migravit Synedrium, & conſedit in Tabernis. *Babyl. in Roſh Haſhanah fol.* 31. 1. 2. A loco Gazith migravit ad Tabernam, a Taberna Hieroſolymas, ab Hieroſolymis in Jabnen, a Jabne in Osham, ab Osha in Sepharaam, a Sepharaa in Beth Shaaraim, a Beth Shaaraim, in Tſipporim, a Tſippori in Tiberiadem. *Shabbath fol.* 51. Quadraginta annis ante deſtructionem templi Synedrium loco ceſſit, & ſedit in Hhanoth, ſeu Tabernis.

[33] *Hic quoque pecudes &c. Hieroſol. Jom tobh fol.* 61. 3. Veniens quadam die Bava ben Buta in atrium, vacuum pecoribus illud invenit. Deſolentur, inquit ille, domus eorum, qui deſolatam reddiderunt domum Dei noſtri. Accerſivit ter mille oves ex ovibus Kedar, & poſt examen, an abſque labe eſſent, eas induxit in montem domus: *Scribit R. Natham in Aruch in* אגרדמין *fuiſſe in hoc turpiſſimo mercatu veluti ædiles, qui pondera & menſuras iſtarum Tabernarum viſitabant, & impediebant, ne mercatores æquo carius venderent.*

[34] *Et trapezitæ &c. Miſn. Sekalim cap.* 1. 3. Die decimo quinto ejuſdem (menſis Adar) in provincia Menſæ collocantur, & die vigeſimo quinto ſedent (ad Menſas) in Sanctuario. *Maimonides Sekalim. cap.* 1. 9. Vigeſimo vero quinto die ſedent in templo exacturi: *ex Tabernis, ſeu ex atrio Gentium Jeſus Chriſtus ejecit ementes, & vendentes, & menſarios.*

[35] *Victimæ etiam &c. Maimonides ad Miſn. Sevachim XII.* 5. Combuſtionis vero loci ſunt tres, quorum primus eſt atrium templi, illic enim ſancta reproba comburenda ſunt, & adipes ſanctorum levium, quæ reproba facta ſunt, & juvenci, hircique qui comburuntur, quibus aliquid reprobi accidit tam ante quam poſt ſparſionem ſanguinis. Secundus eſt mons templi, ibique juvenci, hircique comburuntur, ſiquid reprobi illis acciderit poſt exitum ex atrio; tertius vocatur locus cineris, qui extra civitatem ſanctam ſitus eſt, qui reſpectu ſanctitatis ſe habet, ut locus extra caſtra Iſraelis cum Tabernaculo conventus, nam illic comburebant juvencos, & hircos, qui comburebantur extra caſtra, ideſt extra tria caſtra, ſcilicet caſtra Tabernaculi, caſtra Levitarum, & caſtra Iſraelitarum: *Vide eundem cap. VII. 4. de ratione ſacrificiorum faciendorum; & de ſacris temeratis cap. XIX.*

[36] *Portæ ejus &c. Middoth* 1. 3. Quinque erant in ambitu templi portæ: *& Maimonides de Templo*, erant ei portæ quinque, una ad occidentem, una ad orientem, una ad ſeptentrionem, & ad meridiem duæ.

[37] *Ad quas Levitæ &c. Middoth cap.* 1. Tribus locis Sacerdotes excubias agunt in domo Sanctuarii, nimirum in Abtines, Nizots, ac in loco focario. Levitæ vero locis uno & viginti, quorum quinque manipuli ad quinque ambitus templi portas &c. *Maimonides de Templo VIII.*8. Levitæ vero poſiti erant ad quinque portas, quæ in monte ædis erant &c.

[38] *Porta Suſan &c. Middoth ibidem* 3. Portæ denique orientali impreſſa erat Suſan Civitatis imago. *Maimonides in hunc locum:* Quando e palatio Suſan ibant refectum templum, ut fiebat in temporibus Eſræ, præcepit Rex, ut delinearent urbem ſecundum palatii Suſan figuram, ut regem timerent, & non rebellarent contra ipſum, idcirco depinxerunt figuram illius ſuper portam orientalem e portis in monte templi: *Aruch in Thushan* ut Iſrael poſſet eam videre, & meminiſſe ſuæ captivitatis in Suſan: *Abraham Zaccuth in Juchaſin fol. 65.* 2. Regnum Perſidis, & Suſan non diu duravere poſtquam ſecundum templum extructum eſt, nempe circiter 34. annos. Quod cum ita ſit, quomodo fieri potuit, ut hæc Tabula perduraverit per totum tempus ſecundi templi? Sed ſunt quidam qui ita difficultatem ſolvunt, filios nempe captivitatis feciſſe hanc Tabulam, ut recordarentur miraculi Purim, quod contigerat in Shuſan. *Æſth. IX.* 26. & hæc optima eſt reſponſio. *Vocatur etiam porta Regis* 1. Paralip. *IX.* 18.

[39] *Ὡραίαν &c. videtur eadem, quæ a Joſepho de bello V. cap. 14. Corinthia appellatur valde ſumtuoſa & magnifica;*

[40] *In quo menſuræ &c. Maimonides ad Miſn. Celim XVII.* 9. De hacce porta dixerunt, duo cubiti erant in Suſan palatio, & poſtquam Iſraelitæ cum opifice conveniſſent, ut texerent centum cubitos, e. g. pro centum denariis, vel centum cubitos ædificarent pro centum denariis, ſeque cuſtodirent a rapina, & ſolverent iis, id quod pro centum cubitis ædificaſſent: *De Cubitorum diſcrimine vide ſupra quæ notavimus ... Circa hanc portam conſidebat ſecundum ſynedrium viginti trium, quod maximo, ut ſupra vidimus, dignitate proximum erat.*

[41] *Porta Chuldæ &c. Schiltæ Haggiborim cap. III.* Quinque erant portæ montis domus, & erant porta Chuldæ ad meridiem, quæ ita appellabatur a nomine Chuldæ prophetiſsæ quæ vivens forſan prope alteram iſtarum (portarum) morabatur, ut Hieroſolymis ſtudio incumberet, & ad latus ſecundæ portæ Hieroſolymis ſepultura erat, uti legitur in Miſna, & ad ingrediendum & egrediendum inſerviebant. *Cl. L' Empereur* ܥܠܠ *Syram vocem eſſe vult, qua ad Middoth cap. I. 3. qua Pauli interpres uſus fuit 2. Tim. III. 6. quum eos deſcriberet hypocritas; qui domos ingrediebantur muliercularum, & quidem* כורך החולדה *munſtelæ inſtar quæ ut tradunt Talmudici* מיכסי הכא הא קא מינלי

jam

jam occultatur, ut ſe prodit iterum. Itaque duplex oſtium deſignari vult, quod illac ſtato tempore, (poſtea egreſſuri) ingredi ſoliti fuerint Juda, ut coram Deo comparerent.

[42] *Kiponus &c. Haggibborim ibidem*: Tertia earum erat (porta) Kiponos ad plagam occidentalem; Kipos ſi ſcriptum ſit decima litera alphabeti græci appellata Kappa, quæ eſt eorum Kaf, non vero litera, vigeſima ſecunda, quæ vocatur, chi, & etiam loco Jod, quæ eſt eorum nona litera, quæ vocatur Jota, ſi ſcriptum ſit ſeptima litera, quæ ab iis vocatur Ita, græce ſignificat hortum; πόνος autem ſignificat opus, laborem, operam. Sciatis velim, mei filii, quando Græci copulare volunt duas voces duos ſenſus ſignificantes, ſi una copulentur, eas ſine συγκοπὴ non legi e. g. apud eos natura, vis facultas dicitur δύναμις, & aurum χρυσὸς, ſi copulare una eas voces voluerint, non dicent, δυναμισχρυσὸς, ſed δυναχρυσὸς. Ita in hoc loco, ſi horti culturam ſignificare voluerint, non dicent κηπόσπονος, ſed κήπονος, quo ſignificatur horti cultura; nec vos latebit locum, qui hortus Roſarum appellabatur, ita fuiſſe vocatum roſarum cauſa, quæ in eo erant, quamvis in eo horto aliæ arbores frugiferæ excolerentur, uti legitur in tractatu Miſnæ de Decimis cap. II. 5. & vocabatur porta occidentalis porta horti, cauſa hujus horti Roſarum, qui forſan tempore primorum Prophetarum erat ad latus hujus portæ in Hieroſolyma, & etiam ad ingreſſum & exitum inſerviebat. *R. Nathan (uti legimus apud L' Empereur ibidem) hujus portæ Etymologiam ab* קפונום *deſcendo derivat, quia* נכנם ויוצא מכונו *per eam homines ingrediantur, egredianturque, quod* קופא ſit foramen Talmudicis. *Forte potius* (inquit idem L'empereur) *referendum ad illud f. 54. Berachoth* אותו קפנדריא אין עושין, ideſt eam (ædem Dei) non faciunt locum, *cui duo ſunt oppoſita oſtia, ideſt tranſitum ac viam quamdam, ut æde pro tranſitu utantur;* nam ſi tollas דר, *quod habitantem ſignificat, unde* דורא *habitaculum, manet vox* τῷ קפונום *non male reſpondens (quamvis Talmudici aliter explicent) notabiturque oſtium occidentale orientali e diametro oppoſitum*. Sed קיפנדריא, *quæ vox græca eſt verius* ad κηπαῖαν & ἄνδρα, *quo &* קיפונום *pertinet, referemus. Nam teſte Svida* κηπαῖα ἡ ἐν τῷ κήπῳ πύλις porta quæ in horto; *unde illud Gal. l. 2. de natur.* facul. cap. 6. τῇ κηπαίᾳ ἀποχωρεῖν, poſtico horti diſcedere. נש vero eſt אנוש *homo, quod Chaldæi etiam pronunciant* בוש, *ſcribunt quoque* נש; *itaque* קפונוש *eſt porta poſtica, ſc. occidentalis, qua egrediuntur ingrediunturque homines, quod apprime hic Miſnæ loco convenit. A Coponio Judææ præſide ſic appellatam potius arbitror.*

[43] *Teri &c. Schilte Haggibborim ibidem*. Quarta quæ erat ad aquilonem vocabatur Teri. Scitote mei filii eſſe alios, qui *Tedi* cum *dalet*, alios, qui *Teri* cum *Reſc* legant, ſi cum dalet ſcriptum ſit; equidem mihi omnis interpretatio occulta eſt, quamvis R. David Kimchi in Ezechiel. XL. ſcribat, eſſe viri nomen; at ſi cum *Reſc* ſcriptum ſit, & loco literæ *Tet* cum *Tau* ſcriptum eſſet, quæ eſt decima nona litera alfabeti græci, quæ ab iis ut a nobis vocatur *Tau*, & poſt *Tau* ſequeretur *Epſilon*, quæ eſt eorum quinta litera, & cum e, & poſt *Reſc* loco *Jota* ſcripta eſſet eorum alfabeti vigeſima litera, quæ ab iis Epſilon appellatur, cum vocali ι. infra *Alef*, græce *infirmum* ſignificaret, & porta Teri reliquis omnibus portis erat infirmior, quia in reliquis omnibus portis domus ſanctæ erat ſuperliminare firmiſſimum, quo valvæ, quæ ab eo fulciebantur, optime claudebantur; (At in porta Teri) erant duo lapides, altero alteri immiſſo, ita ut ea porta eſſet infirma, & ejus valvæ non erant adeo confirmatæ, ut valvæ reliquæ, quæ ab aliis firmis & quadratis ſuperliminaribus corroboratæ erant. Sin autem ſcriptum ſit *Teri* eorum octava litera, quæ vocatur *Tita*, quæ noſtro *Tet*, quod verum eſt, æquivalet, & poſt *Tita* ſcriptum eſſet *Epſilon* cum vocali e infra *Alef* Teri & *Jota* legetis *Epſilon* cum vocali e infra Alef, ſi una copulentur, legetur *Terie* (*non Terie, ſed* θέρεια) quod græce ſignificat æſtatem; & forſan hæc porta vocabatur porta æſtatis, cum eſſet ad plagam ſeptentrionalem, qui locus reſpectu portarum, quæ erant ad meridiem aut orientem, erat frigidior, ubi ad ejus umbram in magno æſtu, qui menſe Ab contingere ſolet, defeſſi quieſcebant; & hæc porta nulli uſui erat, uti ſcriptum eſt Middoth cap. I. 3.; tamen juxta ſententiam inſignis & magnifici R. Moſis *Kazez*, quem Deus ſervet, forſan per hanc portam Teri poterant egredi & ingredi, ſed ſita erat ad latus montis, qui aſcenſu & deſcenſu erat difficilis; poteſt quoque dici juxta opinionem ejuſdem magnifici Rabbini, portam Teri nulli uſui conſueto & præcipuo fuiſſe, uti legimus in capit. R. Elieſeris; *Porta, qua egrediebantur ſponſi, porta, qua egrediebantur lugentes, & porta orientalis, qua Sacerdos Vaccam comburebat, & ipſa Vacca egrediebatur*, & cætera his ſimilia; & quod dicit Miſna, *nulli uſui erat*, obſerva diligenter locutionem; non inſerviebat ea ratione qua diximus; & omnino poterant ea egredi & ingredi; & hæc ſententia magnopere magnifico Rabino Samueli Marli, quem Deus cuſtodiat & ſervet, probata fuit.

[44] היל &c. *Schilte Haggibborim cap. II.* Intra Soregh erat Hel. Hel ſecundum id quod ſcribit R. David Kimchi in libro ſuo Radicum, erat nomen humilis parietis prope proximi alteri parieti altiori, uti dixerunt noſtri ſapientes ſancti, quid intelligitur pro Hel & Choma? dicit R. Chanina, murus & filius muri, & fortaſſe eſt exterior, aut interior juxta verſiculum qui dicit, *antemurale & murus* (*Jerem. Lament. II.*) Atque etiam dictum eſt. *Ponetur in ea murus & antemurale* (*Iſa.* I. XXVI.) Græce vocatur προτείχισμα, & latine *vallum*, Syriace בר שורא *filius muri*, uti diximus, aut מכבקנא, & italice *Parapetto*, aut *antemuraglia*. Et Maimonides f. m. cap. I. 5. Middoth ſcribit. חיל *eſt murus qui totum cingebat atrium intra murum montis templi* & cap. V. ſanctæ domus ſcribit. *Intra* סורג *erat* חיל; *ejus altitudo erat decem cubitorum; & de eo dictum eſt* in Lamentat. Jerem. II. Luxitque antemurale. *Quod autem ſequitur* & murus, *murum ſignificat atrii*; ita ut ex ejus opinione appareat, vocatum fuiſſe antemurale ratione muri atrii, non reſpectu parietis montis ædis; nec locum præcipuum parietis Hel deſignat Maimonides, quia non habetur accurata notitia ſitus muri Hel, uti idem Rabbinus putat, & ex eo hæc regula eruitur, ſatis eſſe ut ſciamus juxta ejus opinionem, fuiſſe murum inter Soregh & atrium, & (murum) qui erat inter parietem atrii & ſpatium, intra quod erat murus Hel, eſſe eum, qui præcipuo nomine Hel appellatur. Sed R. Obadia (Bartenora) putat intra Soregh uſque ad atrium non fuiſſe alium murum, & ſpatium, quod intercedebat inter montem domus & Soregh, appellatum fuiſſe montem domus, & ſpatium quod intercedebat inter Soregh & murum atrii, vocatum fuiſſe Hel. Forſitan veriſimile eſt, hoc eum dicere velle, Soregh, quamvis eſſet ſeptum parvum e ligni aſſamentis, uti dixit, fuiſſe inſtar antemuralis proximi alteri muro; & proculdubio juxta opinionem Bartenoræ, dici non poteſt Soregh valde vicinum fuiſſe muro montis domus, ſi conſtructus erat, juxta verba R. Aſcer, ut Sabbato uſui eſſet; contra dicendum erit, in latere orientali fuiſſe diſtans ab atrio mulierum decem cubitos dumtaxat, atque etiam in reliquis lateribus fieri poteſt, ut non admodum diſtaret a muro atrii, verum juxta opinionem Maimonidis, hic Soregh non valde diſtabat a muro montis domus, ſed paries Hel juxta ejus ſententiam ſitus eſſe poterat eo loci quo diximus, ubi erat Soregh juxta mentem R. Bartenoræ.

[45] סורג &c. *Schilte Haggibborim ibidem*: Intra eum, ideſt parietem montis domus erat Soregh, qui circumcirca circuibat, uti cortinæ Tabernaculi ad altitudinem decem palmorum. Soregh erat ſeptum variis foraminibus plenum, ut lectus funiculis inſtructus; eratque hoc ſeptum e ligni aſſamentis conſtructum longis & brevibus, aliis ſuper aliis tranſverſim contextis; ita ſcribit R. Obadia Bartenora in commentario cap. II. 3. Middoth. Sed Auctor Aruch in voce סורג dicit, Soregh fuiſſe murum inter parietem montis domus & Hel, altum decem palmos, & forſan hoc intelligit Auctor Aruch, murum Soregh cancellis extructum eſſe, & lapidibus cancellatum, quaſi e ligno aſſamentis longis & brevibus, aliis ſuper aliis contextis, uti noſtris temporibus fit in parietibus, qui hortos intra atria circumdant; Soregh lapidibus conſtructum, latine *Paries Cratitius*, & a Vitruvio *paries arrectarius* vocatur, & Græci appellant Soregh κιγκλὶς, ſcriptum kappa, jota, gamma, kappa, lamda, jota, ſigma, quæ ſi copulentur, legitur κιγκλὶς, quod gamma, ſi præ kappa ponatur, æquivalet Ny; & ſcribit R. Aſcer f. m. Soregh extructum

fuiſſe

fuisse ad efferendum in Sabbato, atque idcirco altum fuisse decem palmos juxta legem cujusque septi, & ambitus montis ædis, nulli erat usui, si prius circumdatus esset & deinde apertus; non inservit: *Josephus de bello lib. V. c.* 14. Advenientibus per hunc (montem domus) in templum secundum, erat lapideus murus circumambiens, tres cubitos altus, atque effabre elaboratus. In eo erant in æquali distantia positæ columnæ, quæ legem puritatis declarabant, aliæ quidem Græcis, aliæ vero Romanis literis, alienigenam non oportere locum sanctum ingredi, secundum enim templum Sanctum vocabatur, & ad hoc quidem ascendebant per 14. gradus: ex primo *& paulo post* & post quatuordecim gradus usque ad murum (atrii) erat distantia decem cubitorum, & totum solum æquale erat.

[46] *Sabbathis &c.* Tosaphta Sanhedrin cap. VII. In Sabbathis, & diebus festis non ingrediebantur, sed solum in scholam quæ erat in Templo.

[47] *In hoc quoque &c. Bartenora ad Middoth* I. 7. אחד פתוח לחיל, *una versus antemurale aperta erat*, porta septentrionalis domus foci aperta erat versus antemurale, & meridionalis aperta erat versus atrium *Maimonides de Templo cap.* V. 9. Hujus ad atrii latus id quod ad septentrionem spectabat extrinsecus, erat magna domus apposita inter atrium, & antemurale. Quæ domus erat camerata, & projecturis circumdata lapideis, nomen hujus erat *domus ardoris*. Porro ostia erant ei duo, quorum alterum aperiebatur in atrium, aliud in spatium illud intermurale.

[48] *Sed omnia atria &c. Maimonides ad cap.* I. 5. *Middoth* חיל est murus, qui totum cingebat atrium intra murum montis Templi.

[49] *Conclavis Gazith.* Vide clar. *L'Empereurii comentarium in cap. V. 3. Middoth.* uti & una &c. *Bartenora ad cap.* I. 5. *Middoth.* In uno pariete erat porta, quæ ad antemurale tendebat, quod est spatium intra murum montis Templi extra atrium, quod חיל vocatur.

[50] *De velo polluto &c. Maimonides de Vasis Sanctuarii cap. VII.* 18. Si quod velum esset immunditie ex alia orta temeratum, id intra templum ipsum ablutum illico suo loco restituebant, neque enim ad tollendam hanc ejus immunditiem opus erat, ut solis expectaretur occasus, sin autem immunditie principe fuisset inquinatum, extra Sanctuarium ablutum in spatio illo intermurali extendebatur, nam ad hanc immunditiem tollendam solis occasus requirebatur; Quod si novum esset, extendebatur in scamno, quo populus præclarum ejus opus cerneret·*Schilte Haggibborim cap.* XIV. Si velum immunditie principali pollutum esset, extra (Sanctuarium) abluebatur, atque in חיל extendebatur, quia solis occasu opus erat.

[51] *Et de caterva &c. Maimonides de sacrificio Paschali cap.* I. 17. Jam Sabbato victimam suam Paschalem domum referebat nemo, sed enim caterva prima ex atrio egressa cum victimis suis paschalibus in monte ædis residebat, & altera cum deportaret ex atrio victimas paschales, resistebat in spatio illo antemurali, tertia vero caterva perstabat in loco suo, in atrio videlicet ipso, quibus illi locis commorabantur ad exactum Sabbatum, tum suam quisque domum cum agno Paschali redibat.

[52] *A spatio antemurali &c. Maimonides de Templo* V. 4. Intra murum illum interiorem erat atrium. *Et ibidem cap.* VI. Qui igitur in Sanctuarium per portam in oriente montis sitam ingressus erat, is recta pergebat ad extremum spatium antemurale, tum ex eo in atrium mulierum ascendebat gradibus duodecim: *& in commentario ad cap. II. 4. Middoth.* Quando autem (*inquit*) per portam Susan montis templi intrabat via recta donec ad antemurale pervenisset, deinceps ab antemurali per duodecim gradus ascendebat, donec ad atrium mulierum pervenisset·*Vide Schilte Haggibborim cap.* II.

[53] *Atrium Gentium &c. vide quæ supra notavimus de hoc Atrio.*

[54] *In nullum &c. Maimonides de Templo cap.* VII. 16. Monte ædis sanctius est spatium antemurale; in hoc enim neque gentes, neque funesti, nec qui cum menstruali muliere consuescat, ingrediuntur·*Et de ratione adeundi templi cap.* III. 5. Ab spatio antemurali excludebantur Æthnici, funesti &c.

[55] *Nam* חיל *&c. Celim* I. 8. Atrium mulierum sanctius est isto (חיל) quia ipsum non intrat is qui de die lotus est·*Et Maimonides de Templo* VII. 17. & hoc antemurali spatio sanctius est atrium mulierum, in id nec de die lavandus ingrediatur.

[56] *Et* הר הבית *&c. Celim ibidem*·Antemurale sanctius est isto (sc. הר הבית) quia nec gentilis, pollutus mortuo in ipsum intrat·*Maimonides ibidem* Sanctior Hierosolyma mons ædis est &c. Hominem mortuum tamen intra montem ædis inferri licet, & multo magis ingredi funestum.

[57] *De situ portæ Nicanoris &c. Glossa in Sota cap.* I. Porta Nicanoris erat superior porta, quæ erat inter atrium Israelis, & atrium mulierum·*Succa cap.V.* Superior porta, quæ descendebat ex atrio Israelis in atrium mulierum. *Maimonides cap.* VII.6. Porta superior, quæ alias porta Nicanoris, quare vocatur superior porta? quia supra atrium mulierum fuit. Septem nominibus insignita fuit·*Hierosol. Erubhin fol. 22. col.* 3. Quum accesserunt prophetæ priores ad construendam portam Orientalem, ita ut solis splendor eam tegeret tam in solstitio hyberno quam æstivo, septem nominibus eam insignivere; *vocarunt enim illam*, portam Sur, portam fundamenti, portam, Charisith, portam introitus, portam mediam, portam denique superiorem. Sur enim vocarunt, quia ibi immundos separabant, q. d. e. *Recedite polluti, clamaverunt eis* (*Jerem. Thren.* IV. 15.) portam fundationis, quia ibi fundatæ fuerunt constitutiones; portam Charisith, quia ipsa collocata fuit recta ad ortum solis, portam introitus, quia per eam ingressus & exitus patet, portam mediam, quia fundata fuit inter duas portas, portam novam, quoniam ibi scribæ restaurarunt constitutiones; portam denique superiorem, quia illa altior extitit, quam atrium Israelis, vestibulum, & atrium mulierum.

[58] *Atrium Mulierum &c. Middoth cap.* II. 5. Atrii mulierum longitudo centum & triginta quinque cubitorum cum latitudine centum & triginta quinque. *Maimonides cap.* V. 7. Ante hoc atrium ad orientem erat atrium mulierum cujus longitudo æque & latitudo patebat quinque cubitos & triginta & centum.

[59] *In quatuor angulis &c. Middoth ibidem*· Atque quatuor conclavia erant in quatuor ejus angulis, singulaque cubitorum 40. quæ non erant contignata. Et sic etiam futura sunt (*nunquam futura, cum templum non sit amplius exstruendum*) quia dictum est (*Ezech. XLVI.* 21.) *Et eduxit me in atrium exterius, & circumduxit me per quatuor angulos atrii, & ecce atriolum erat in angulo atrii, atriola singula per angulos atrii; in quatuor angulis atrii atriola disposita*; sed non erant contignata. *Maimonides ibidem*· Hujus in quatuor angulis erant conclavia quatuor, quorum unumquodque tecto carens, quadraginta cubitos quaquaversus patebat.

[60] *Conclave lignorum &c. Middoth ibidem.* Ad ortum æstivum erat conclave lignorum, quod ibi Sacerdotes immundi vermes in lignis perscrutarentur, omne autem lignum, in quo vermis inveniretur, rejiciendum erat ab altaris tecto· *Maimonides ibidem*. Quod erat in angulo inter orientem & septentrionem medio conclave ad celanda sacrificiorum ligna. Etenim in eo Sacerdotes aliquo corporis vitio affecti ligna sacrificiis seligebant. Namque profanum habebatur quodcunque lignum cariem traxerat.

[61] *Sub hoc conclavi &c. Babyl. Sekalim cap.* VI. Dixit Raf Nachman; Traditio est, sapientes nostros docuisse, Arcam in conclavi atrii lignorum esse absconditam. Et Raf Nachman filius Isaac dixit, se quoque audivisse vel legisse historiam de quodam Sacerdote, qui dum illic in munere suo occupatus esset, viderit pavimentum in loco quodam esse nonnihil immutatum a reliqua pavimenti structura. Abiens itaque id significavit collegis suis. Non autem poterat absolvere verbum, cum ecce moreretur, & anima ejus evolaret. Itaque certo hoc cognorant, Arcam illic esse absconditam. Quid faciebat Sacerdos ille? occupatus erat in securi sua (*findendis lignis*) *Schilte Haggibborim cap. XIV.* Quonam loco abdita fuit? R. Simeon filius Lakisc ait; in loco suo, in loco Sancti Sanctorum juxta versiculum, qui dicit, *fuit itaque Arca ibi, usque in præsentem diem* (2. *Paral. V.* 9.) Et sapientes dicunt, in conclavi lignorum; R. Eliéser dicit, in Babylonem descendit, juxta versiculum qui dicit; *non reliquetur quidquam, dicit Dominus* (*Isai. XXXIX.* 6.) Rabi dicit, Josia eam abscondit, juxta versiculum qui

qui dicit. *Levitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Iſrael ſanctificabatur Domino*) ideſt Sacerdotibus, qui Levitarum nomine etiam appellati fuerunt juxta verſiculum, qui dicit, *Sacerdotes autem & Levitæ &c. Ezechiel. XLIV.* 15.) *Ponite Arcam in Sanctuario Templi, quod ædificavit Salomon filius David rex Iſrael, nequaquam enim eam ultra portabitis, nunc autem miniſtrate Domino Deo veſtro, & populo ejus Iſrael.* (2. *Paral. XXXV.* 3.) Valvæ claudi non poterant propter vectes, quæ e porta prominebant, & velum expanſum erat ante portam; eis dixit, non deſcendet vobiſcum in Babyloniam, ut humeris eam deferatis; *& Maimonides in conſtitutionibus Domus electæ, uti ſupra, cap. IV.* I. cum Rabi ſentit, Joſiam eam abſcondiſſe, & una cum Arca, urnam mannæ, virgam Aaronis, & lechytum olei unctionis ſacræ, uti refertur capite primo Cherithuth, & cap. III. Horajoth; neque mentionem facit capſulæ, quam miſerunt Philiſtæi, uti dixerunt cap. V. Joma, quia non erat ita ſancta, ut reliqua quæ commemoravimus; mihi veriſimile eſt ſapientes, & R. Simeonem filium Lakiſc recte locutos eſſe, ſi credere velimus, in conclavi lignorum, ſubter terram fuiſſe portam domus, quam extruxerat Salomon, ut ibi Arcam cum cæteris, quæ ſupra commemoravimus, abſconderet; qui fecerat cryptam ſubterraneam, quæ a conclavi ligni pertinebat uſque ad ſpatium, quod erat infra lapidem fundamenti, qui erat in Sancto Sanctorum, in quo loco ſummus Sacerdos in die expiationum ſuffitum incendebat coram Domino, & Sanctitas egrediebatur, & aſcendebat ex inter duos Cherubinos, qui erant in domo inferiori, quam condiderat Salomon, in loco ſitus lapidis fundamenti, qui erat in ſecundo Sanctuario: *Eædem fabulæ leguntur in Babyl. Joma cap. V. in Hieroſol. Sekalim, in commentar. R. D. Kimchi ad 2. Chronic. XXXV.* 3. *R. Bechai in legem fol.* 199. *col.* 4. *Abarb. in I. Reg. IV.* 2. 3. *& in* 3. *Reg. VIII.* 9. *& in Daniel. IX. & in Hayg. I.* 8. *Quis enim non videt, niſi cæcus ſit, Joſiam juſſiſſe Levitis, ut Arcam, quæ ab impiis Regibus atque Idolatris e loco ſuo in aliud fortaſſis Templi conclave tranſlata fuerat, reſtituerent in Domum, quam ipſi Salomon extruxerat, nempe in locum ſuum, ideſt in Sanctum Sanctorum? vidit hoc R. Schelemo Jarchi quamvis Rabbinis addictiſſimus tom. II. Bibl. Baſ. Hebr. Chald. Rabb. fol.* 945. *col.* 4. Simplex (*inquit*) ſenſus eſt, quod Manaſſeh, atque deinde Ammon removerint Arcam, & poſuerint ejus loco idola ſua, quemadmodum ejus indicium habemus ſupra in hiſtoria Manaſſis, (quando dicitur) 2. *Paral. XXXIII.* 7. *Sculptile quoque & conflatile ſignum poſuit &c.* Ideoque juſſerit Joſias, ut reſtituant eam, atque in eum locum reponant, quem Salomo ædificavit. Quamquam Rabbini noſtri ſtatuant eum dixiſſe Levitis, ut eam iſtic recondant: *Arca in monte Nebo ab Jeremia Propheta abſcondita eſt; vide 2. Maccab. II. & Gorionid. lib. I. cap.* 17., *& vide etiam quæ ad cap. II. Toſaphta Joma adnotavimus.*

[62] *Conclave Leproſorum &c. Middoth cap. II.* 5. Ad occaſum æſtivum erat conclave Leproſorum: *Maimonides* de *Templo cap. V.* 8. In angulo inter Septentrionem & occidentem medio erat conclave, quo exciperentur purgati a lepra homines: *Bartenora ad hunc locum Middoth*: *Conclave leproſorum*; nam in eo Leproſi ſe lavabant octavo purificationis die, quando manum ſuam immittebant intro ad manus pollicis, etſi veſperi aquis abluti eſſent.

[63] *Conclave vini &c. Middoth ibidem*: De conclavi ad occaſum brumalem, dicit R. Elieſer filius Jacobi, inveni cui inſerviret. Aba Saul dixit, ibi reponebant vinum & oleum, ideoque vocabatur conclave Domus olei: *Maimonides ibidem*: In angulo inter occidentem & meridiem intermedio erat conclave, in quo vinum in libamina reponebatur & oleum, quod quidem conclave vulgo cella olearia dicebatur.

[64] *Conclave Nazyræorum &c. Middoth ibid.* Ad ortum brumalem erat atrium Nazyræorum, quod ibi Nazyræi coquerent Euchariſtica ſua, & detonderent capillos ſuos, eoſque ollæ ſummitterent: *Maimonides ibidem*: Sed quem tandem ad uſum erant iſta? Nempe quod erat in angulo inter meridiem & orientem intermedio conclave ad coquenda ſacrificia pacifica Nazyræorum, & capillos tondendos.

[65] *Erant præterea &c. Middoth cap. II.* 6. Erant autem conclavia infra atrium Iſraelitarum, quæ aperta erant atrio mulierum, ubi Levitæ collocabant cytharas, & nablia cum cymbalis, omniaque inſtrumenta muſica: *Maimonides ibidem cap. VI.* 6. Sub Iſraelitarum atrio quædam erant conclavia, eaque verſus atrium mulierum aperta. In his cytharas, nablia, cymbala reponebant Levitæ, & reliqua fidium genera:

[66] *In hoc atrio &c. Sota cap. VII.* 8. Sectio a Rege prælegenda quibus ritibus recitata eſt? Tranſacta feſtivitatis Tabernaculorum prima die, completo jam ſeptimo anno (heptaeteridos) & octavo ineunte parabant Regi ſuggeſtum ligneum in atrio, huic inſidebat. Q. S. D. (Deut. XXXI. 10.) *Poſt ſeptem annos, anno remiſſionis &c.* Tum Ædituus ſumto libro legis, tradidit eum primario cœtus, hic porrigebat eum Antiſtiti, Antiſtes ſummo Sacerdoti, ſummus Sacerdos denique exhibebat ipſum Regi. Rex autem ſtans eum accipiebat; verum prælegens conſedit. Agrippa rex, ſtans eum accepit, ſtanſque ex eo prælegit, idque ſapientes collaudarunt. Cumque deveniſſet ad iſta (Deut. XVII. 15.) *Non poteris alterius gentis hominem regem facere*. Exſtillabant oculi ejus lachrymis. Quare eum (*ſapientes*) affabantur. Ne timeto Agrippa, frater noſter es, utique frater noſter es. Prælegit vero (Rex) ab initio Deuteronomii uſque ad illa (cap. VI. 4.) *Audi* (*Iſrael*) *&c.* Quæ & ipſa prælegit. Tum ſubjecit (ex cap. XI. 13.) *Si ergo obedieritis mandatis meis &c.* Dehinc (ex cap. XIV. 22.) *Decimam partem ſeparabis &c.* Poſtea (ex cap. XXVI. 12.) *Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum &c.* Deinde ſectionem de Rege (quæ habetur cap. XVII. 14. ſeqq.) Denique benedictiones & execrationes (ex XXVII. & XXVIII. capitibus) uſque dum totam illam ſectionem finiret. Benedictionibus iiſdem, quibus Pontifex, etiam Rex benedicebat, niſi quod memoriam feſtorum ſtatorum in locum remiſſionis peccatorum ſubſtituit: *Maimonides Cap. III. de ſacris ſolennibus*: Præceptum erat jubens, ut Iſraelitæ ſimul omnes viri, mulieres, pueri, puellæ cogerentur exacto ſeptimo quoque anno tum, cum feſtum umbraculorum tempus celebraturi ad templum Dei contendiſſent, atque ut in unum coactis e lege divina prælegerentur ea capita, quibus vehementer excitarentur ad officia, & in colenda religione pura confirmarentur. Quod a Lege quidem ſic edicitur. *Poſt ſeptem annos, anno remiſſionis, in ſolennitate Tabernaculorum; convenientibus cunctis ex Iſrael, ut appareant &c. Et in unum omni populo congregato, tam viris, quam mulieribus, parvulis, & advenis, qui ſunt intra portas tuas &c.* (*Deut.* XXXI. 10. 11. 12.) Quivis apparendi lege ſolutus, ſolvebatur etiam religione conventus illius, excipe mulieres, pueros, & incircumciſos homines; at vero religione conventus illius ſolvebantur homines inquinati. Etenim habemus in lege; *convenientibus cunctis ex Iſrael*, atqui homines ſic affecti non erant idonei, qui in templum venirent; id vero perſpicuum eſt, obſtructum & androgynum hac officii religione obſtringi, quandoquidem eadem obligabantur etiam mulieres. Ergo capita Legis illa populo prælegebantur poſt exactum primum diem umbraculorum adeo ſolennem, initis feriis minus ſanctis anni videlicet octavi. Et ea populo prælegebat ipſe rex in atrio mulierum; cui quidem erat in manu, ut ſedens ea populo prælegeret; verum hoc idem munus ſi ſtans obiret, laudibus efferebatur; prælegebat ergo populo Deuteronomii principium ad extremum uſque caput, cujus prima verba ſunt. *Audi Iſrael*; inde protinus ibat ad caput illud, cujus initium eſt. *Si obedieritis mandatis meis* &c. quo toto perlecto redibat ad iſtum ejus libri locum. *Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum* &c. & conſequentia deinceps prælegebat, omnino precationes fauſtas, & diras itidem execrationes omnes ad hæc uſque verba; *præter fœdus illud, quod cum eis pepigit in Horeb* (*Deut.* XXIX. 1.) Hæc autem erat prælectionis ejus via & ratio; buccinarum cantus, quo populus convocaretur, Hieroſolyma dabatur tota; tum extructum e ligno pulpitum ponebatur medio in atrio mulierum; in hoc pulpito ſe rex collocabat, quo melius audiretur inde populo prælegens id quod ſupra dictum eſt; ilicet regem undique circumfundebant omnes Iſraelitæ, qui ſtatas umbraculorum ferias celebraturi templum petierant; hic ædituus vo-

lumen legis ſanctæ ex arca depromebat, & idem hoc tradebat principi Synagogæ, princeps idem illud tradebat vicario, vicarius ſummo Pontifici, ſummus Pontifex Regi, cujus adeo majeſtas magno hominum ei miniſtrantium numero cohoneſtabatur. Rex volumen illud ſtans accipiebat, idemque ſedens. Si mallet, deinceps hoc aperiebat, inſpiciebat, atque precem fundebat eam, quam ſolent omnes in Synagogis aliquid populo prælecturi, prælegebatque capita legis illa, quæ ſupra commemoravimus; his prælectis, volumen illud convolvebat, rurſuſque Deum venerabatur ita, ut fere fit in Synagogis, inſuper & has ſeptem preces deinceps addebat. *Domine Deus noſter, te precamur, quæſumuſque, uti volens, propitius ſis populo tuo Iſraelitico &c. Nos te prædicamus &c. Tu nos, poſthabitis omnibus populis, dilexiſti, amaſti &c.* Et hanc poſteriorem precem longo carmine conceptam itidem, ut in illa eximia precatione Deo adhibenda proſequebatur ad hæc uſque verba; *qui Iſraeliticum populum & dies feſtos conſecraſti*; en igitur tres preces, quarum eſt conſtituta formula. Rogabat deinde Deum, ut auguſtum ejus templum ſtabile permaneret; quam precem ita claudebat; *Laus tibi Domine, qui Sionem incolis*; tum pro Iſraelitici regni perpetuitate Deum orabat, & precis hujus erat iſta clauſula. *Gratia tibi Domine, qui delegeris Iſraelitas.* Sexto loco pro ſacerdotibus Deum orabat in hanc ſententiam, ut religioſum miniſterium eorum ipſi gratum eſſet & acceptum, & hujus precis erat clauſula. *Gratia tibi Domine, qui ſacraſti ſacerdotes*; ad extremum adhibebat Deo obſecrationes & deprecationes more & modo ſuo, quibus hanc demum clauſulam addebat. *Opitulare Domine populo tuo Iſraelitico, quia enim populus tuus opis eſt indigens, Gratia tibi Domine qui precem exaudias: Vide Toſaphta Sotah cap. VII.* 8.

67 *Erat illic &c. Middoth* Cap. *II.* 5. In ſummis lateribus læve ac planum erat atrium mulierum, ſed id circumſcripſerunt interno podio, ut mulieres ſuperne proſpectarent, viri autem inferne, ne miſcerentur: *Maimonides de Templo* V. 9. Atrio mulierum erat circumdatum podium, ut mulieres ſuperne proſpectarent, inferne vero viri conſiſterent, ne videlicet hi cum illis miſcerentur: *Podium Miſna Middoth, & Succa appellat* כצוצרה, *Gemara Babyl. Succa fol.* 51. 2. גזוטרא, *Hieroſolymitana vero* fol. 55. 2. צועטרה, *Maimonides de Templo cap. V. 9. & R. Nathan in Aruch* גוחטרש, *quibus vocibus, paucis literis inter ſe commutatis eadem res deſignatur, quam Hebræi, uti optime cenſet Relandus, ex Græcorum* ἐξώστρα *derivarunt, vide Pollucis Onomaſticum lib. IV. cap.* 19. *Podium juxta Vitruvium* lib. III. cap. 3. *eſt ea ædificii pars, quæ in ſuperiore parte prominet, unde in plateam proſpicitur. Hujus podii ſtructuram deſcribit Raſchius in commentario ad Gemar. Succa*: Tigna (inquit) parietibus indidere, quæ exinde prominebant in toto atrii circuitu, ſingulis itaque annis, *feſto Tabernaculorum*, diſpoſuerunt ſuper illis *lignis* podia tabulata, quæ *vernacule* vocantur *Planke, vel gallice Balcon*, quibus mulieres tempore gaudii domus hauſtionis inſiſtere poſſent, & hæc eſt magna illa ordinatio, de qua Miſna loquitur, quam ſingulis annis inſtituerunt: *Toſaphta Succa cap. IV.* Ab initio, quando celebrabatur lætitia domus hauſtionis, viri inſpiciebant intrinſecus, & mulieres extrinſecus, quando viderunt Synedri, impudentiam & licentiam eſſe poſſe: conſtruxerunt tres ordines podiorum in atrio in omnibus tribus partibus, ut mulieres adeſſent, & proſpicerent in lætitia domus hauſtionis, & ne ſimul miſcerentur.

68 *Tredecim receptacula &c. Toſaphta Sekalim cap. III.* Tredecim arcæ, quæ cornu ſpeciem referebant erant in ſanctuario. *Maimonides Sekalim cap. II.* 2. In Sanctuario autem ſemper præſto erant tredecim arcæ, quæ ſingulæ tubarum ſpeciem referebant.

69 *A forma* שופרית &c. *Bartenora ad cap. II.* 1. *& VI.* 1. *Sekalim* ſunt ciſtæ ſuperius anguſtæ & inferius latæ, inflexæ in formam buccinæ propter deceptores, ne manum in eas immitere poſſent, & inde quicquam eriperent eo modo, ac ſi in eas conjicerent: *R. Joſeph Karo in* כסף משנה *ad hunc locum*. Et in Gemara Hieroſolymitana cap. VI. de *Siclis*, docetur fuiſſe arcas illas a ſuperiori parte anguſtas, & ab inferiori parte amplas; nimirum nequis fraudolentus immittat manum ſuam, & prætendens ſe injicere aliquid in arcam quamdam, inde deſumat, quod in illis eſt.

70 *Quorum duo &c. Maimonides ibidem*: Prima inſerviebat recipiendis ſiclis præſentis anni, ſecunda anni elapſi.

71 *Officii hujus &c. Toſaphta Sekalim cap.* 1. Quinto decimo ejuſdem (*menſis Adar ſc. Februarii*) legati Synedrii egrediebantur, & reparabant vias, & plateas, quæ pluviarum cauſa hyberno tempore dirutæ eſſent, ideſt prope tempus ſolennitatis pro iis, qui in feſto (Hieroſolymam) aſcendebant, ut in tribus feſtis reparatæ eſſent. Quintodecimo ejuſdem legati Synedrii egrediebantur, & excavabant foſſas, & ciſternas, & reparabant aquarum receptacula, & canalem, in quocumque loco fuiſſent aquarum quadraginta Seha, erat legitimum pro lavacro, & in illud, in quo non eſſent quadraginta Seha, per tubas deducebant aquam, ut complerentur quadraginta Seha, & pro lavacro legitimum eſſet. Quinto decimo ejuſdem legati Synedrii egrediebantur, & faciebant communia heterogenea, quia erat commune, quod Synedrium commune faciebat, & decimis non tenebatur, ſi heterogenea in vinea inveniebat, pro furto licita erant, neque decimis tenebantur, ſi in agro, pro furto vetita erant, & decimis tenebantur.

72 *Die autem* 15. *&c. Maimonides ibidem cap. I.* 8. Kalendis menſis Adar edictum promulgant de Siclis, ut quivis ſe paret ad dimidium Siclum pendendum inſtanti tempore. Quinto decimo die ejuſdem menſis ſingulis in urbibus ſedent nummularii, & modeſte exigunt, atque ab omni ſponte dante accipiunt, ſiquis vero non dederit, neque illum vi compellunt. Viceſimo vero quinto die ſedent in templo exacturi; eo autem elapſo tempore cogunt omnes donec ſolverint, ſi quis autem dare renuerit, pignus exigunt, & ab ipſo vel invito, pignoris loco, accipiunt ipſa quoque veſtimenta.

73 *Tertio inſcriptum &c. Toſaphta Sekalim cap. III.* Tredecim arcæ, quæ cornu ſpeciem referebant, erant in Sanctuario & illis inſcriptum erat: Sicli novi, Sicli veteres; nidi avium, Pulli columbarum pro holocauſto: *Maimonides ibidem cap. II.* 2. Tertia recipiebat nummos illos, quos dabat is, qui duos turtures vel pullos columbarum offerre debebat, unum in holocauſtum, alterum in ſacrificium pro peccato.

74 *Quoniam Sacerdotes &c. Maimonides de Vaſis ſanctuarii cap. VII.* 9. Qui præfectus erat pullis, cum eo paciſcebantur, ut tot pro ſiclo pullos venderet; ſi quis igitur aut duos turtures, aut columbæ pullos pro ſacrificio debuiſſet, hic illorum pretium afferret in ſanctuarium, tum his, qui iſta faciebant ſacrificia, hominibus pullos ſuppeditabat præfectus ille, cui poſthac quæſtores relatis rationibus pecuniam ſolvebant: *Toſaphta Sekalim cap. III.* 2. Nidi avium; Qui dicit, ego voveo nidum, afferebat nummos pretium ſui nidi, & projiciebat in arcam, ſi minus attuliſſet, ab eo non recipiebatur, ſi plus attuliſſet, Sacerdos accipiebat pretium nidi, & projiciebat in arcam, & reliquias non projiciebat in arcam oblationis ſpontaneæ; Sacerdotes eas colligebant, & iis nidos avium emebant, & dimidium in ſacrificia pro peccato, & dimidium in holocauſta offerebant. Mulier, qui nummos ſui nidi in arcam projeciſſet, veſperi ſacris veſci poterat: *Bartenora ad cap. V. Sekalim*: *Petachias turturibus*, qui offerendi erant pro illis, qui nondum expiati ſunt, uti ſunt, ſeminiflui, & ſeminifluæ, ac puerperæ, cujuſmodi tenentur offerre nidos, ideſt turtures & pullos columbarum, nummos ſuos conjicientes in ciſtas templi. Qui vero ciſtarum præfecti erant, ſumebant nummos, & pro illis adducebant nidos:

75 *Quartum inſcriptum &c. Maimonides ibidem*: Quarta illis inſerviebat omnibus, qui in ſe recepiſſent holocauſtum ex avibus ſolum, qui in hanc arcam pretium ejus reponebant. *Toſaphta Sekalim ibidem*: R. Jehuda dicit, non erat arca pro nidis avium propter mixturas, ſed qui dixiſſet, ego in me recipio turtures, afferebat, & conjiciebat in arcam turturum, pullos columbarum, afferebat, & conjiciebat in arcam pullorum columbarum: *Bartenora ad cap. VI.* 5. *Sekalim*: Quartæ inſcriptum erat *pulli pro holocauſtis*, pulli columbarum minores, qui omnes erant pro holocauſtis. Sed illi qui nidos ex de-

bito

bito adducebant, nummos aut aves dabant in manus ſacerdotis, & nummi non immittebantur in ciſtam. Cujus ratio exponitur in Gemara Hieroſolymitana, nimirum propter mixturas, quia unus e poſſeſſoribus nidi mori poterat, unde fieri poſſet, ut pecuniæ pro ſacrificio pro peccato, cujus poſſeſſor mortuus eſſet, miſcerentur cum pecuniis alterius. Verum ſapientes hujus rei rationem non habent; nam putant illi, quod ciſtis nidorum imponuntur pecuniæ nidorum ex debito offerendorum, & quod pro omnibus pecuniis, quæ continentur in ea, unus nidus ſacrificatur in ſacrificium pro peccato, & in holocauſtum alter, & reliqui nidi toti in oblationem ſpontaneam ſacrificantur in holocauſtum, deciſio eſt juxta Sapientes: *Vide in hunc locum Maimonidem.*

76 *Quintum &c. Toſaphta Sekalim ibidem* Ligna; Si quis dixiſset, ego voveo ligna, afferebat pretium duorum ſegmentorum ligni, & conjiciebat in arcam, Sacerdotes colligebant, & ligna comparabant, & offerebant ſuper altare, poterat eo uti, neque in eo prævaricabatur, & ſi foris obtuliſſet, abſolvebatur; at ſi dixiſſet, ego voveo duo ſegmenta ligni ſuper altare (offerenda) afferebat duo ſegmenta ligni ad arcam, & ſacerdotes accipiebant, & offerebant ſuper altare, nec iis uti poterat, ſed in iis prævaricabatur, & ſi foris obtuliſſet, reus erat, verba Rabbi, & ſapientes dicunt, ſi foris obtuliſſet, pœna abſolutus erat; & utrumque in conclave ligni afferebatur: *Maimonides ibidem*. Quinta inſerviebat illi, qui ſponte nummos ſuppeditaret comparandis lignis in uſum altaris: *Et cap. XVI.* 13. *de ratione ſacrificiorum faciendorum*: En ego voveo ligna, non daret pauciora fruſtis duobus, horum erat ſpiſſitudo eadem atque hoſtorii, & longitudo cubitalis; en ego voveo lignum, fruſtum ferret unum longitudine cubitali. Jam ſi quis mallet lignorum dare pretium, omnino id facere licebat.

77 *Sextum thus &c. Toſaphta Sekalim ibidem*. Thus; qui diceret, ego voveo thus, afferebat pretium plenitudinis pugilli thuris, & conjiciebat in arcam, Sacerdotes colligebant nummos, & ex his comparabant thus, & offerebant ſuper altare. *Maimonides Sekalim ibidem*. Sexta pro eo pretio erat ad thus comparandum ſponte oblato *& de ratione Sacrificiorum faciendorum ibidem*. Si quis ita diceret, en ego voveo thus, non minus pleno pugillo daret.

78 *Septimum* לכפורת זהב *&c. Toſaphta Sekalim ibidem*. Aurum; qui dixiſſet, aurum voveo debebat afferre pretium denarii aurei, & conjicere in arcam; colligebant id deinde Sacerdotes, & comparabant aurum, & ex eo conficiebant laminas aureas ad obducendum Sanctum Sanctorum. *Maimonides ad VI. 5. Sekalim* Septimæ inſcriptum erat, *aurum pro expiatione*, & quiſquis offerebat aurum ad faciendum operculum ſuper Sanctum Sanctorum, immittebat illud in eam. *Bartenora* in hunc locum: Septimæ inſcriptum erat *aurum pro expiatione*, qui offerebat aurum mittebat illud in eam, vel pretium ejus, quod erat pro expiatione, ideſt pro vaſis miniſterii; nam מזרקות *crateres*, vocantur כפורי זהב *expiationes auri* ſic Ezraſ. I. 10. Et in libris Chronicorum; Quia Sacerdos illis abſtergebat digitum inter quamlibet abſterſionem, & inter dona ſacrificii pro peccato, quia reliquiæ ſanguinis in digito relictæ profanatæ erant.

79 *Reliqua ſex &c. Toſaphta Sekalim ibidem* Sex pro ſpontanea oblatione pro reliquiis ſacrificiorum pro peccato, & ſacrificiorum pro delicto, & pro reliquiis nidorum avium, pro ſeminifluis, & nidorum avium pro puerperis, & pro reliquiis ſacrificii Naziræi & Leproſi.

80 *Si quis certam &c. Maimonides Sekalim cap.* II. 2. Octava pro reſiduis ſacrificii pro peccato, v. g. ſi pretium ſacrificio pro peccato deſtinatum, in emtione non totum fuiſſet expenſum, ex illo argento reſiduum quod eſt, in hanc arcam recondunt.

81 *Nonum &c. Maimonides ibidem*. Nona eſt pro reſiduis ſacrificii pro reatu. Decima pro reſiduis ex pullorum ſacris, quæ gonorrhæa laborantes mares fœminæve, ut & puerperæ facere ſolebant. Undecima pro reſiduis ſacrificiorum Naziræi; Duodecima pro reſiduis ex ſacrificio pro delicto leproſi. Decima tertia pro eo, qui pretium holocauſti ex pecude ſponte obtuliſſet.

82 *Ex pecunia &c. Maimonides ibidem*. Et nomen omnium rerum, quarum nummi erant in arca illa, exteriori parti ejus erat inſcriptum. Et a Synedrio ita conſtitutum eſt de omnibus reſiduis nummis, ut offerant ex illis holocauſtum pecoris. Unde ſequitur, omnes nummos in ſex ultimis arcis inventos fuiſſe pro holocauſto pecudis, cujus pelles Sacerdotibus cedebant, ſicut omnes reliquiæ, omnes vero nummi in tertia arca reperti, inſerviebant comparandis avibus partim in holocauſta, partim in ſacrificia pro peccatis, qui vero in quarta erant, omnes in holocauſtum & avibus cedebant.

83 *Sed vel in Orbem &c. Maimonides ibidem cap.* III. 14. Nummi qui inveniuntur inter arcam ſiclorum & arcam oblationis ſpontaneæ, propiores ſiclis, cadant in ſiclos, propiores oblationi ſpontaneæ, in oblationem ſpontaneam cadant, in medio utriuſque arcæ ſint, conjiciantur in oblationem ſpontaneam, quia omnis oblatio ſpontanea eſt pro holocauſto igni comburendo, & ex ſiclis expromunt non tantum pro holocauſtis, ſed & pro rebus aliis, atque ita omnes nummi, qui reperiuntur inter quamlibet arcam, conjiciantur in arcam, cui propiores ſunt. Quando inveniuntur in medio arcarum, tum ſi inter ligna & thus reperiuntur, cadant in thus, ſi inter pullos & pullos holocauſto dicatos, cadant in pullos holocauſto dicatos. Hæc generalis regula; in omnibus rationem habent arcæ proximæ, ſi in medio (arcarum ſunt nummi) in graviorem partem ſe inclinant. *Vide Bartenoræ, & Maimonidis commentarium in cap. VII. Miſn. Sekalim.*

84 *Videtur etiam &c. In conclavi mulierum, ſi fides habenda Joſepho, collocandum eſt; Is de hoc atrio ſcribens de bello lib.* 5. *cap.* 14. Porticus (*inquit*) procurrentes inter portas, a muro interius protenſæ ante Gazophylacia, pulchris & grandibus ſuſtentabantur columnis. *De hujus ſitu vide oper. Leightfoot. tom. II. pag.* 407.

85 *Sedere autem &c. Maimonides de Templo cap.* VII. 6. In atrio ſedere conceſſum eſt nemini præter reges e ſtirpe Davidis &c. *Et Bartenora ad cap. V. 3. Middoth*: at in dimidio Sancti non licebat ulli Senatori ſedere, quia ſolis regibus e ſtirpe Davidis licebat in atrio ſedere &c.

86 *Ter in anno &c. Maimonides Sekalim c.*II.5. Tribus quotannis vicibus deſumebant oblationem ex conclavi, Kalendis Niſan, Kalendis Tiſri, ſive ante ſive poſt diem feſtum, & ante Pentecoſten die quintodecimo. Quomodo deſumunt ex eo? Uno ingrediente introrſum, reliqui obſervatores extrorſum ſtabant, quibus ille acclamabat: expromamne? ipſis illi reſpondentibus tribus repetitis vocibus, exprome, exprome, exprome. Quo facto tres implebat minores arcas, quæ ſingulæ capiebant tria Sata, ex tribus illis arcis majoribus, eaſque foras educebat, ut evacuarent illas. Quo facto iterum eas tres minores implebat arcas ex tribus majoribus ſecunda vice ante Pentecoſten, unde expromebant, donec omnes inde accepiſſent nummos. Tertia vero vice iterum ex tribus majoribus arcis, replet illas (minores) menſe Tiſri, unde deſumunt omnes nummos uſque ad Kalendas Niſan. His vero Kalendis Niſan ex nova oblatione capiebant. Si ſicli in tribus majoribus arcis reperti ipſis non ſuffecerint uſque ad menſem Niſan, & arcæ vacuæ eſſent, tum petebant rurſus oblationem ex reſiduis conclavis. Tribus arcis minoribus, in quibus, foras eductis, repoſuit (argentum) erat א, ב, ג, inſcriptum, ut prima jam evacuata, ſecundam evacuandam ſumant, & denique tertiam. Primam vero arcam deſumit ex majori arca prima, quam majorem tum tegit linteo. Secundam vero deſumit ex ſecunda arca majori, eamque ibidem linteo tegit. Atque ita tertiam quoque ex tertia majori arca expromit, ita tamen ut illam non tegat, quo conſtet hic finem eſſe factum. Dein iterato eodem modo incipit primo ab illa, quum ingreditur proxime ante feſtum Pentecoſtes, & primam tunc arcam (minorem) ex prima majori, quæ erat non tecta, expromit, & porro tegit illam (majorem) ſecundam quoque (minorem) ex majori illa, ex qua prima vice in primam depromſerat (argentum) expromit, tegitque illam; pariter quoque tertiam (minorem) expromit ex majori, quæ juxta erat, ſed non tegit illam, ut denuo inde incipiat, quum tertia vice menſe Tiſri introeat. Ut hinc ſequatur, illum expromſiſſe primam, ſecundam, & tertiam (arcam) minorem ex qualibet majori arca. Quando tres illas depromit arcas, primam illam in nomine Iſraelis depromit, ſecundam vero in nomine urbium circumjacentium, & totius terræ Iſraelis; tertiam au-

autem in nomine Babelis, & Mediæ, provinciarumque dissitarum, & in nomine omnium reliquorum Israelitarum. *Vide Bartenoræ & Maimonidis in cap.* III. *Misn: Sekalim*.

[87] *Hinc emebantur &c. Maimonides Sekalin cap.* IV. Quid fit cum oblatione conclavis? Sumunt inde Sacrificia singulis diebus offerenda, & additia, & omnes oblationes cœtus, eorumque libamina, & sal, quo cunctas oblationes saliunt, atque etiam ligna tum, quum non allata sint ligna, & non nisi per nummos comparari possunt, & suffitum cum mercede illorum, qui suffitum parant, & panes facierum cum mercede ejus, qui panes facierum facit, & manipulum & duos panes, & vaccam rufam, & hircum emittendum cum lingua coccinea, quam ligant inter cornua ejus, hæc omnia veniunt ex oblatione conclavis.

[88] *Solvebatur etiam &c. Maimonides ibidem* 5.6. Anno remissionis, quo omnia communia, conducit Synhedrium custodes, qui custodiant partem aliquam fructuum, qui sponte sua provenerunt, ut inde offerri possint manipulus & duo panes, qui non nisi de proventu offerendi sunt, & illi custodes accipiunt mercedem ex oblatione conclavis; illi, qui offert se gratis custoditurum, non auscultant, quia forsan homines violenti per vim irrumperent, & inde desumerent; idcirco ordinarunt sapientes, illos mercedem accepturos ex oblatione conclavis eum in finem, ut quisque se removeret, ab illo loco, ubi ejusmodi custodes essent. *Vide Bartenoram* ad cap. IV. *Misn. Sekalim*.

[89] *Hinc etiam vacca &c. Maimonides ibidem*. 1. Et vaccam rufam, & hircum emittendum, cum lingua coccinea, quam ligant inter Cornua ejus hæc omnia veniunt ex oblatione conclavis.

[90] *Hinc mercedem &c. Maimonides ibidem* 4. Exploratores vitiorum, qui Jerosolimæ sunt, & discipuli sapientum, qui docent Sacerdotes constitutiones de mactatione & pugillatione, & mulieres educantes filios suos in usum vaccæ rufæ, mercedem sibi ex oblatione conclavis accipiunt omnes. Quanta vero illorum merces est? Quantam cum illis pacifcetur Synhedrium.

[91] *Mulieres &c. Tosaphta Sekalim cap.* II. 5. Mulieres texebant vela, familia Garmu parabat panem facierum, familia Abtines conficiebat opus suffitus, eorum mercedem accipiebant ex oblatione conclavis. Joseph Karo scribit in initio capitis (XIII. fol. 106. cod. *Ketuvoth quod incipit*) Duo judices dixit, Rab Nachman; dixit Rab, fœminæ vela texentes accipiunt mercedem suam ex oblatione conclavis; verum ego dico, ex pecunia reparando templo dicata, quoniam vela sub ædificio templi comprehenduntur. Obj. (*docetur*) mulieres texentes vela accipere mercedem suam ex oblatione conclavis (*Resp. ibi agitur de iis velis*) quæ ante ostia erant; nam Rab Zira dixit, Rab dixisse, tredecim vela erant sub templo secundo, scil. septem pro septem portis, unum ad portam templi, unum ad ostium Ulam, bina pro atrio, duo e regione ipsorum in cænaculo. Et Raschi notat ad voces *ante ostia*; ibi fuerunt illa vela, quæ fuere e regione portarum facta ob verecundiam, illaque non comprehenduntur sub ædificio ipso (vel non necessaria fuere ædificio) sed omnia illa (*vela*) quibus ædificio opus fuit, ut sunt illa vela, quæ distinguunt sanctum a Sancto Sanctorum, & fuerunt in templo secundo pro pariete mediastino unius cubiti, quem fecerat Salomo in templo primo, ex numis reparationi templi dicatis conficiebantur.

[92] *Familia quoque Garmu &c. celebris apud Hebræos in conficiendis panibus facierum. Tosaphta Joma cap.* II. 6. Familia Garmu callebat artem conficiendi panem facierum, & noluerunt docere, & accersiverunt artifices ab Alexandria Ægypti, qui coquebant ad eorum similitudinem, sed non callebant artem æque, ac ipsi, illos e furno educendi; illi accendebant ignem extrinsecus, & coquebant intrinsecus; Alexandrini non ita faciebant; & alii dicunt, hunc panem ab his subactum mucescere, & quando sapientes hoc cognoverunt, dixerunt, nihil creavit Deus in suo mundo nisi ad gloriam suam, juxta versiculum qui dicit; *Et omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum*. Accersiverunt, noluerunt venire, nisi duplicarunt mercedem; duodecim minas accipiebant singulis diebus, & ex eo tempore in posterum acceperunt viginti quatuor; verba R. Meyr, & R. Jehuda dicit, prius accipiebant viginti quatuor, & ex eo tempore in posterum octo & quadraginta acceperunt. Dixerunt eis sapientes, quid vidistis, ne velletis docere? Dixerunt, scit domus patris nostri, domum sanctam esse vastandam, & noluerunt docere, ne facerent in honorem Idolatriæ eo modo quo fit in honorem Dei. Quare eos in laudem memorabant, quod nullo tempore inventus sit panis siligeneus in manu filiorum, aut filiarum eorum, ne commodum ex pane facierum percipere dicerentur; ob observandum textum; *Eritis inculpabiles apud Dominum & apud Israel: vide Hierosol. Joma cap.* III.

[93] *Et Abtines &c. clarissima in præparando suffitu Tosaphta Joma ibidem*. Familia Abtines callebat artem præparandi suffitus in elevando fumo, & noluerunt docere, miserunt Sapientes, & accersiverunt artifices ab Alexandria Ægypti, qui præparabant æque ac ipsi, sed erant imperiti in faciendo ascendere fumum. Ille familiæ Abtines ascendebat instar columnæ usque ad laqueare, & deinde se diffundebat, & versus terram descendebat; sed ille Alexandrinorum statim se diffundebat, & quando sapientes hoc cognoverunt, dixerunt; non creavit Deus mundum nisi propter honorem suum, juxta versiculum qui dicit; *universa propter se ipsum operatus est Dominus*. Accersiverunt eos sapientes, & non venerunt, donec eis duplicarunt mercedem; duodecim minas accipiebant singulis diebus, postea viginti quatuor acceperunt; verba R. Mayr. R. Jeuda dicit, viginti quatuor prius accipiebant, deinde octo & quadraginta. Dixerunt illis sapientes, quid vidistis ne doceretis? Eis dixerunt, sciebat domus patris nostri domum Sanctuarii esse diruendam, & noluerunt docere, ne facerent hujusmodi suffitum coram Idolatria eo modo quo fit coram Deo; quamobrem eos in laudem memorabant, quod nulla unquam ex eorum mulieribus prodierit aromatibus condita, & non hoc tantum, sed etiam, cum sibi uxores ex alio loco despondebant; prius pacifcebantur, ne unquam aromata secum ferrent, ne Israel diceret, eas uti aromatibus suffitus, ob observandum quod dictum est: *& eritis inculpabiles apud Dominum, & apud Israel. Vide Hieros. & Babil. Joma. III.*

[94] *Correctores &c. Maimonides Sekalim cap. IV.* 7. Correctores librorum Jerosolymitani, & judices, qui in urbe Jerosolymæ prædones judicant, mercedem suam accipiunt ex oblatione conclavis. Quantum vero accipiunt? 90. minas quovis anno; sin vero non satis esset, addebant illis, etiamsi nollent, tantum quantum ipsis, ipsorumque uxoribus, liberis, & familiæ opus esset.

[95] *Sic ut eo die &c. Maimonides ibidem. II.* Adveniente novilunio mensis Nisan oblationes Ecclesiæ adducunt nonnisi ex nova oblatione; sin vero nondum venit (oblatio) nova, desumunt ex veteri; hinc ut novilunium mensis Nisan advenerit, & bestiæ pro sacrificio jugi illis ex oblatione veteri supersint, illas tum redimunt, & faciunt profanas, quamquam plane integræ sint; & nummi pro his dati cedunt oblationi veteri, qua æstivant altare, quia constitutio Synedrii pro omnibus bestiis, quas comparant in sacrificia jugia, hæc est, ut si illis usui esse nequeunt (bestiæ illæ) profanæ fiant. Eodemque modo faciunt cum reliquiis thuris, adveniente novilunio mensis Nisan, profanant illas (reliquias thuris) in mercedem opificum (suffitus) & pretium mercedis reddunt ad æstivationem altaris, & opifices reliquias thuris accipiunt pro mercede sua; tum rursus emunt thus ab illis ex oblatione nova, ut ita oblatio fiat ex nummis oblationis novæ; sin vero illis non est oblatio nova, suffitum adolent ex oblatione veteri: *Vide Misn. Sekalim cap. IV.* 3. 4.

[96] *Illud* מותר התרומה *&c. Bartenora* ad *caput IV.* 4. *Misn. Sekalim* מותר התרומה *residuum oblationis primæ*, id quod remanebat in cistis die primo mensis Nisan; nam tum adducebant sacrificia de oblationibus primis novis.

[97] *Vel ad vasa &c. Maimonides ibidem* 2. Candelabrum & vasa necessaria ex præcepto adducenda erant ex reliquiis libaminum, *& in constitutionibus de vasis templi, & de illis qui his utuntur* exponetur, quænam illæ reliquiæ libaminum sint; sin vero iis reliquiæ libaminum essent nullæ, adducenda erant ex oblatione conclavis; vestes Sacerdotales, sive essent vestes Pontificis magni, sive essent reliquæ vestes Sacerdotum, quibus in Sacrario operarentur, ex obla-

oblatione conclavis (veniebant) *omnes. R. Joseph Karo ad h. l. Et vasa ministerio necessaria ex præcepto &c. ita commentatur :* In initio cap. 13. *fol.* 106. *col.* 2. *Cod. Ketuvoth quod incipit. Duo Judices*, traditur a Schola R. Ismaelis, vasa ministerii venire ex oblatione conclavis; objicitur (*alibi legi*) vasa ministerii venire de reliquiis libaminum. Resp. Hoc est, de quo Doctores disputant ; nam R. Ismael dixisse traditur, reliquias oblationis esse pro vasis ministerii. R. Akiba vero *fertur* dixisse reliquias libaminum esse pro vasis ministerii . Et decidit magister noster (*Maimonides*) secundum R. Akibam . Et quamvis R. Chanina vicarius Sacerdotum sequatur sententiam R. Ismaelis, censet tamen, quum reliquiæ libaminum sint nullæ, tum R. Akibam consentire cum R. Ismaele . Et scito ibidem legi . R. Hunna quæsivit a Rab, num vasa ministerii conficiuntur ex nummis reparationi templi dicatis (*quoniam vasa illa*) sunt altari necessaria, & (*necessaria altari*) veniunt ex nummis reparando templo dicatis? an vero dicendum est, quoniam ad sacrificia requiruntur, ideo illa confici ex oblatione conclavis ? Respondit ipsi, non nisi ex oblatione conclavis conficiuntur. Obbjicitur (2. *Chron.* 24. 14. *scriptum est*) *Quanquam absolvissent, attulerunt coram Rege, & Jehojada &c.* Resp. hoc nullam omnino parit difficultatem, nam hoc (*scilicet venire vasa ex pecunia reparationi templi consecrata, obtinet*) quando collegerunt (*nummos ad reparandum templum*) & nummi supersunt ; sin vero collegerunt, & non supersunt, tum illud (*scilicet venire vasa ex oblatione conclavis locum habet.*) Quæritur quid facit illud ad rem, num ex collectis nummis quidam supersint (*quum illi non sint collecti pro vasis ministerii?*) Respondet R. Abbahou, decretum Synedrii de illis (reliquis nummis) esse, ut si ipsis his nummis opus est (*in reparationem templi*) iis utantur, sin vero (*non opus est his*) sint pro vasis ministerii. Mirum vero est videri illos disputare contra R. Ismaelem, & R. Akibam, quorum alter dicit ex oblatione conclavis, alter vero ex reliquiis libaminum, sed de nummis reparationi templi consecratis tacet uterque ; & hinc dicendum est intentionem Synedrii esse, ut illi (*nummi, qui ex nummis ad reparandum templum supersunt*) considerarentur, ac si essent ex reliquiis libaminum, vel ex oblatione conclavis. Attamen mirum est, cur magister noster (*Maimonides*) hanc rem omiserit (*scilicet vasa ministerii*) venire ex nummis reparationi templi dicatis, si collegerunt, & nummi supersunt : *Vide Misn. Sekalim cap. IV.* 4.

[98] *Appellatur &c. Maimonides ibidem cap. II.* 4. Quod erat in illis arcis vocabatur *separatio conclavis*; id quod autem præterea reliquum erat ibi, præterquam id quod in arcis reconditum, vocabatur *residuum conclavis*.

[99] *Hinc apparatus &c. Tosaphta Sekalim cap. II.* 7. Clivum & vaccam rufam summi Sacerdotes de suo comparabant ; ita dicit Aba Saul; si primus exstruxisset, neque super eum operatus esset, & obiisset, quamvis super eum non operatus esset, ejus successor super eum ministrare non poterat, sed eum diruere, & ejus loco alium extruere debebat, & plusquam sexaginta talenta aurea in eum (*clivum*) impendebantur: *Maimonides ibidem cap. IV.* 8. Clivum exstruxerunt a monte Templi ad montem Olivarum, ut per eum adducerent vaccam rufam, & clivum, per quem educerent hircum emittendum, & utrumque fecerunt ex reliquiis conclavis ; atque ita altare holocausti, & palatium, & atria reparabantur ex reliquiis conclavis; Canalis aquæ, qui Hierosolymæ est, & murus, qui Hierosolymam cingit, & omnes ejus turres, omniaque urbis requisita, veniunt ex reliquiis conclavis.

[100] מותר *&c. Bartenora ad cap. IV.* 4. *Misn. Sekalim : Residuum ex reliquiis conclavis*; id quod reliquum erat postquam ex illi facta esset correctio rerum urbanarum, comparabant ex illis vinum, olea, similas, & vendebant id illi qui opus habebat vino in libamina, & oleo in dona: *Maimonides de vasis Sanctuarii &c. cap. VII.* 13. Tricesimo quoque die pactio de vini, & similæ pretio fiebant cum eo qui libaminibus præesset; at si pactionem esset consecuta libaminum caritas, nihilominus ea pro constituto prætio suppeditaret; sin autem consecuta vilitas esset, pretia daret ea viliori. Quod igitur ærario lucri fiebat e variis istis pretiis, *id reliquiæ libaminum* appellabantur, impendebantur autem in ea holocausta, quibus altare donabatur ab universa ecclesia æstivo tempore.

[101] *Conclave Silentum &c. Tosaphta Sekalim* cap. II. 21. Sicuti erat in Sanctuario conclave Silentum, ita erat etiam in qualibet civitate, ut inde pauperes honesto loco nati secreto alerentur: vide *Maimonidem de jure pauperis cap. X.* 8. *& Aruch in voce* חשא.

[102] *Conclave Vasorum &c. in propylæo collocatur a R. Jac. Ari. lib. II. Tabhnis hechal. cap. XXI. fol. XXV. col.* 1., *ubi de propylæo templi agit*: Intra hunc locum reconditi erant thesauri templi, qui thesauri propilæi vocabantur, propterea quod eo reponerent custodiendum aurum, & argentum, & quælibet vasa pretiosa templi *& c. XXIV. f.* 28. *col.* 1. Triginta octo cubicula circa templum erant, in quibus custodiendum reponebant aurum, & omnis generis vasa pretiosa templi, qualia similiter reponebant in Gazophylacio propylæi jam dum memorato. *Vide Aruch in voce* חשא.

[103] *At inepta &c. Gemara Hieros. Sekalim cap. V.* 6. Traditio est ; sacra altaris id quod sibi deest, petunt ex sacris reparationis templi, sacra reparationis templi id, quod sibi deest, non petunt ex sacris altaris. Et porro discimus ; si inveniebant ibi vas aliquod, quod usui erat ad reparandum templum, illud reservabant, reliqua vero vendebant, nummos conjicientes in conclave reparationis templi : *Et Babyl. ibidem*. Ibi docetur; sacra altaris id, quod sibi requiritur, desumunt e sacris reparationis templi; R. Chaja dicit, ita se habet Misna ; sacra reparationis templi id, quod sibi requiritur, desumunt ex sacris altaris. Et porro docetur ; si vas inveniunt, quod usui esse potest reparationi templi, & cadit in reparationem templi, illud ibi reservant, & reliqua vendunt. Dixit R. Cheskia sensum Misnæ esse (*ut sit vas illud*) pro conclavi reparationis templi.

[104] *Videntur tamen &c. vide cl. Leightfooti descriptionem Templi Hierosolymitani cap.* XXX. de *situ horum conclavium*.

[105] *Quum ex conclavi &c. Misn. Tamid cap. III.* 4. Ingressi sunt conclave instrumentorum, & produxerunt inde nonaginta tria argentea & aurea instrumenta : *In quem locum ita Maimonides*. Hic numerus esse potest secundum vasa, quæ ad diei ministerium necessaria erant. Cæterum in tractatu Chagiga in Gemara Hierosolymitana dicunt huncce numerum respondere nonaginta novem nominibus sanctis, quæ sunt in Hagai, Zacharia, & Malachia : quæ secunda opinio a R. Houna & absurditatis & falsitatis arguitur.

CAPUT NONUM.

De spatiis Templi II. interioribus, sive atrio magno, & quæ illo continentur.

§. I. Adscensus ex atrio mulierum ad atrium magnum.

I. [1] PER quindecim gradus formæ semilunaris, & altitudinis semicubitalis, ascendebatur ex atrio mulierum ad τὸ ἔνδον ἱερὸν, τὸ δεύτερον, uti Josephus loquitur, id est atrium magnum, *Succa* v. 4. *Middoth.* II. 5. [2] Ab his 15. gradibus dictos esse multi putant psalmos quindecim המעלות, ἀναβαθμῶν, quos Latini *gradiles* nuncuparent, Græci ᾠδὰς ἀνωφερεῖς. Sed hic locus, utpote in חול, & extra atrium magnum, locum sanctum cultui divino & congregationi populi destinatum, [3] minus aptus videtur fuisse canendis hymnis; & licet in templo II. tot gradus hoc loco fuerint, non sequitur in Templo I. fuisse; & nomen המעלות ἀναβάθλων adeo late patet, ut multi ad ἀναβάσεις καρδίας, vel ἀνάβασιν populi ex Babylonia, alii alio id referendum esse autumarint.

§. II. Atrii magni descriptio.

II. [4] Atrium magnum voco spatium omne quod a porta Nicanoris, & muro quem illa pervium faciebat, se extendit occidentem versus usque ad murum oppositum, undecim cubitis distantem a postica parte ædis sacræ; sic ut longitudo atrii magni fuerit ab oriente versus occidentem cubitorum 187., latitudo ab austro versus aquilonem cubitorum 135. *Gem. Zevachim* 56. 1. *Gem. Hier. Maaser Scheni.* 54. 2. Hoc atrium magnum Hebræi, non adjecta alia voce, *Atrium*, sive עזרה appellare solent, & spatium *intra murum*, quia atrium mulierum postea demum templo fuit adjectum. Cinctum erat undique porticu, & distinguitur hoc atrium magnum in partes duas, quarum una, videlicet orientalior, dicitur atrium Israelitarum, altera atrium sacerdotum.

§. III. Atrium Israelitarum

III. Atrium Israelitarum, in quod ex atrio mulierum introitus erat per portam Nicanoris, [5] longum erat, ab ortu versus occasum, cubitos undecim, latum ab austro versus aquilonem, centum triginta & quinque. [6] Distinctum erat ab atrio sacerdotum uno gradu cubitum alto, qui [7] tamen in loco adscensus in duos gradus videtur fuisse divisus, [8] in quo erat دكان דוכן *suggestum* sive *Odeum*, ubi Levitæ canebant [distinguendum omnino a דוכן sacerdotum in gradibus pronai] [9] graduum trium semicubitalium; sic ut solum atrii sacerdotum cubitis duobus & dimidio altius esset atrio Israelitarum. Vox דוכן Persica est, & Arabica, notans *locum in quo artifices opus suum peragunt*, *officinam*, *sedile*: licet in eo starent, non sederent, Levitæ. 2. *Chron.* 5. 12. Videtur hic locus, qui adscensum præbebat ex atrio Israelitarum ad atrium sacerdotum κρηπὶς dici 2. *Macc.* 10. 26. ubi hi qui cum Juda erant precaturi dicuntur ἐπὶ τὴν ἀπέναντι τοῦ θυσιαστηρίου κρηπῖδα προσπεσόντες, & locus cantorum erat τέναντι τοῦ θυσιαστηρίου. *Jes. Sirach.* 47. 11. Ita in circo suggestum medium, circa quod quadrigæ ferebantur, κρηπὶς dicitur.

§. IV. Portæ Atrii magni.

IV. [10] Portæ in atrio magno tredecim recensentur. I. Nicanoris, ad orientem. Hæc [11] nomen adepta creditur a miraculo, quum Nicanor valvas ejus per mare ex Ægypto in terram sanctam deferret. *Gem. Joma.* 38. 1. & *Gem. Hier. Joma.* 41. 1. [12] quamvis forsitan a manu Nicanoris (cujus mentio quoque fit in *Gem. Hier. Megilla.* 70. 3.) hic suspensa κατέναντι τοῦ Ναοῦ esse dicta potuerit 2. *Mac.* 15. 33. Hæc porta alta [13] erat cubitos 20. & lata 10., uti omnes portæ majores atriorum, *Eruvin.* I. I. [14] solaque habebat mezuzam. *Gem. Joma.* 11. 1. In [15] hac porta leprosi & puerperæ mundari, ac mulieres adulterii suspectæ potari solebant. *Sota.* 1. 5. Denique quæcumque [16] *coram facie Dei* לפני יי peragenda fuisse jubentur, in vel ante portam Nicanoris peragi debuisse in templo tradunt Judæi *Gem. Hier. Sota.* 17. 1. Ad austrum erant portæ quatuor, quarum prima est superior, [17] quam multi pro eadem habent ac portam Nicanoris. Vide *Succa.* v. 4. [18] II. Ardoris. [19] III. Primogenitorum. [20] IV. Aquæ. Ad aquilonem, [21] I. Jechoniæ. II. [22] Oblationis. III. [23] Mulierum. IV. [24] Cantici. Ad occasum duæ anonymæ, & ad utrumque latus portæ Nicanoris, duæ minores. Vide *Massechet Schecalim.* VI. 3. & *Middoth.* II. 6. In *Middoth.* autem *cap.* I. *m.* 4. *Gem. Joma.* 19. 1. *Gem. Ketuvoth* 106. portæ atrii magni septem fuisse traduntur. Ad ortum 1. Nicanoris. Ad austrum, 2. Porta ardoris, 3. Primogenitorum. 4. Aquarum, supra [25] quam erat conclave Abtines. Ad aquilonem. 5. Porta [26] Nitzots, juxta vel supra quam erat conclave Nitzots. 6. Oblationis. 7. Domus [27] foci. In *Gem. Tamid.* 61. 1. octo Atrii portæ fuisse leguntur, quod porta domus foci duplex fuerit. Occidentales nullæ memorantur, & eas fuisse negat quoque Josephus.

V. Præ-

§.V. Conclavia comestioni Sacrorum destinata.

V. Præterea conclavia erant, dicta לשכות & παςοφόρια, 1. *Macc.* 4. 57. in atrio magno, in quibus sacerdotes sedentes (ceteroquin enim in atrio sedere non licebat אין ישיבה בעזרה אלא בשעת אכילה) sanctissima comedebant. Confer *Ezech.* 42. 13. At [28] sunt qui putent conclavia ipsa in solo loci profani condita fuisse, sed aperta versus atrium magnum, (לשכות בנויות בחול ופתוחות לקדש) & hoc modo satis fieri mandato Dei jubentis sacra quædam comedere in loco sancto. Vide *Siphra fol.* * 8. 1 *Gem. Zevachim.* 56. 1.

§.VI. Conclavia reliqua.

VI. [29] Conclavia hic porro numerantur octo, in *Middoth.* v. 2. quamvis & בית האבן in angulo euroaquilonari, & alia præter hæc in Talmude commemorentur.

Ad Aquilonem.

1. [30] Conclave Salis, ad usum altaris.
2. [31] Conclave Parvæ, ubi [32] pelles victimarum sale condiebantur پرواي *Parva*, Persis est *conditum*, *saginatum*; & *salire* dicunt جنمك پرورس & inde לשכת בית הפרוה nuncupatur, non לשכת הפרוה ut hic usus indicetur. *Gem. Pesachim.* 57. 1.
3. [33] Lavantium, ubi victimarum intestina lavabantur. Vide *Tamid.* IV. 2.

Ad Austrum.

4. [34] Ligni, in quo ligna selecta & apta ad usum altaris servabantur. [35] Supra hoc erat conclave Parhedrin, sive βȣλευτῶν Πάρεδρος quum sit, interprete Hesychio, παρακαθήμενος, παραμένων, & in conclavi [36] Paredrin constet Pontificem continenti septiduo ante diem expiationis agere consuevisse, ipsique adsederint membra quædam Synedrii זקני בית דין ut eum ritus festi secuturi docerent, hinc apte nomen *Parhedrin* ei datum fuit. Vide *Joma* 1. 1. nisi forsitan πρόεδροι sub hac voce lateant. Nomen autem *buleutarum*, (ut voce Spartiani utar) eosdem illos notare potest *Senatores*, aut consiliarios. Judæi ipsi in *Echa rabbati* 75. 2. בליוטין βȣλευτὰς explicant העשירים וחכמי עצה divites & sapientes, quales erant [37] Nicodemus Ben Gorion, &c. Vide *Midrasch Coheleth.* 107. 4. *Gem. Hier. Taanith.* 67. 4.
5. [38] Putei, בור הגולה, unde aquam ad usum atrii hauriebant situlam ope rotæ extrahentes. Ex quo solo puteo, ut & בור הגדול, *puteo magno*, permisisse Prophetæ dicuntur, ut rotarum ope diebus festis aquam haurirent. *Eruvin.* x. 14.
6. [39] Gazith, sive cæsi lapidis, [40] structum a Simeone Ben Shetach, [41] הנשיא, id est, præside Synedrii. Hoc conclave partim in atrio, partim in חיל, situm erat, [42] consessu Synedrii magni nobilitatum. *Gem. Joma.* 25.1. adeoque totum [43] in portione tribus Juda; nec collocandum, uti alii faciunt, ad aquilonem Atrii. *Gem. Zevachim.* 118. 2.

Ad latera portæ Nicanoris.

7. [44] Phineas vestiarii, in quo [45] *90.* erant distincta vestium sacerdotalium reconditoria, pro numero 24. ephemeriarum, & 4. specierum vestimentorum. [46] Credibile est de nomine unius Phineasi omnes vestibus his præfectos Phineasos dictos esse, quod & Talmudici tradunt, & Josephus confirmat scribens Phineasum vestes sacras Tito ostendisse, *De bell.* VII. 5.
8. Eorum qui duodecim חביתין crustula Pont. M. conficiebant. [47] Ad hunc locum conveniebat utraque turba sacerdotum, quæ quotidie mane ex beth moked egressa atrium hinc & inde lustraverat. *Tamid.* 1. 3.

§.VII. Et Beth meked.

VII. Ad aquilonem atrii sacerdotum collocatur בית מוקד *domus foci*, ubi perpetuus ignis alebatur ad calefaciendos sacerdotes, qui nudis pedibus incedebant supra solum atriorum marmoreum, de quo vide *Middoth.* 1.6. & *Scabbath.* 1.11. [48] & ubi seniores familiæ sacerdotalis, quæ proximo mane sacris operari debuit, dormiebant, [49] & claves atrii servabant in lacuna sub pavimento suspensas. [50] Sita erat partim in loco sancto, partim profano ([51] adeoque male collocatur a quibusdam ad latus atrii mulierum aquilonare, quoniam ita nullo modo in loco sancto fuisset) [52] in cujus quatuor angulis quatuor erant conclavia. 1. [53] Panum propositionis. 2. [54] Lapidum altaris a Syris temerati, qui 1. *Macc.* 4. 46. dicuntur reposti ἐν τῷ ὄρει τȣ̃ οἴκȣ (בהר הבית) ἐν τόπῳ ἐπιτηδείῳ. *Gem. Joma.* 15.1. [55] Quo in [56] balneum descendebatur. [57] 4. Agnorum sacrificii jugis (quod & לשכת קרבן dicitur) [58] ubi *6.* agni legitimi ad minimum semper erant. *Erachin.* III. 5. Ita est in *Middoth.* 1.6. [59] sed in *Tamid.* III.3. cum conclavi agnorum junguntur hæc tria, I. החותמות sigillorum, II. בית מוקד domus foci. III. In quo parabant panem propositionis. Verum hæc facili negotio conciliari queunt, quandoquidem unum conclave duobus usibus inservire potuit, & inde duplex nomen sortiri.

§.VIII. Altaris magnitudo.

VIII. [60] Altare exterius, collocatum in atrio, constructum erat ex lapidibus impolitis *Exod.* 20.25. 1. *Macc.* 4.44. [61] qui quotannis bis dealbabantur *Middoth.* III.4. [62] longum

32.

32. cubitos, totidem latum, & [63] altum 10. In *Gem. Succa.* 45.1. ita cubiti decem altitudinis digeruntur, ut fundamentum altaris cubitum fuerit altum, & recessus ejus, sive latitudo, etiam cubitum: deinde supra fundamentum fuerint 5. cubiti, & circuitus supra hos latus unum cubitum. Denique supra circuitum tres cubiti & locus cornuum, qui cubiti quoque spatium occupabat. [64] Notandum tamen omnes hos cubitos sex palmorum non fuisse, sed 1. Fundamentum habuisse cubitum palmorum 5. in altitudine sua ac latitudine. 2. Circuitum habuisse cubitum 5. palmorum in latitudine. 3. [65] Cornua habuisse cubitum 5. palmorum in altitudine sola, non in longitudine ac latitudine. Hinc liquet altitudinem altaris fuisse palmorum 58.

Fundamentum altum erat 5. palmos.	5
Dein 5. cubiti sex palmorum faciunt palmos.	30
Tum 3. cubiti sex palmorum efficiunt.	18
Cornu	5
	58

§. IX. Adscensus ad altare per clivos.

IX. [66] Per clivum, sine gradibus, adscendebatur ad altare, qui ad austrum ejus constitutus longus erat 32. cubitos (in adscensu nempe, nam in solo tantum 30. occupabat) latus 16., & exiguo intervallo (אויר מעט) ab altari sejunctus. [67] In hoc erat ad occidentem cavitas ad recipienda sacra piacularia ex avibus polluta. *Middoth.* III.1. 3. [68] Spargebatur hic clivus sale, ne pedibus sacerdotum firmitas insistendi negaretur ob lævitatem soli a pluviis, pinguedine carnis destillante, aliisve causis. *Eruvin.* X.14. [69] Sacerdotes qui hunc clivum adscendebant ad dextram ibant; & postquam altare circumivissent ad sinistram redibant, exceptis tribus hisce. 1. Qui vinum libaret, 2. Qui aquam libaret. 3. Qui avem in holocaustum offerret, si ad orientem altaris locus vacuus non esset. Hi enim recta ad sinistrum latus altaris, harum rerum peragendarum causa, tendebant, eademque via redibant. *Zevachim.* VI.3. *Gem. Succa* 48.2. [70] Solus Pontifex M. vinum libaturus altare a dextra circuibat usque ad angulum altaris notozephyrinum, & illic porrectum a sacerdote vinum effundebat. *Tamid.* VII.3. [71] In hoc clivo erat cumulus salis publici, quo omnia altari admovenda adspergebantur præter vinum libaminis, sanguinem, & ligna. *Siphra fol.* 78.2. & 79.2. [72] Ad latera hujus clivi tendebant hinc & inde duo clivi minores, כבשים קטנים, unus occidentalis, per quem ex circuitu medio descendebant ita tamen ut ex circuitu per clivum vel ponticulum minorem tenderet ad clivum medium, הוזר מהסבב על הכבש גדיל דרך כבש קטון, uti Judæi loquuntur, alter orientalis ad circuitum medium ducens.

§. X. In summo altaris quæ fuerint.

X. [73] Planities erant in summo altaris 28. cubitorum, [74] a quibus si cubiti spatium undequaque tollas pro loco cornuum, & alterius cubiti spatium pro loco ambulationis sacerdotum ([75] quem alii ἰσόπεδον, cum altaris planitie, alii depressiorem fuisse volunt) remanebat spatium 24. cubitorum. [76] In hoc erant *tres ignes*, unus ad combustionem victimarum & fertorum ad ortum, alter ad adolendum suffitum ad austrum, tertius perpetuus ad aquilonem, unde reliqui incendi poterant (quod colligunt in *Gem. Joma.* 45. 1. ex *Lev.* 6. 9. 10. 12. at quidam duos focos, alii quatuor fuisse dicunt. *Joma.* IV. 6. *Siphra fol.* * 11.2.) [77] & inter illos medium pomum cineris. [78] *Cornua* hic quoque erant quatuor, non efficta ad similitudinem taurinorum, sed prominentiæ altæ cubitum palmorum 5. & latæ longæque cubitum palmorum 6., quadrata & intus cava. [79] Dein *duo foramina* hic fuerunt ad cornu notozephyrinum, unum orientale ad vinum libaminis, alterum occidentale ad aquam in festo Tabernaculorum excipiendam, quibus ספלים, *simpula* argentea erat inserta. *Succa.* IV. 9. [80] Vinum sacrum, per illud in cavitatem subterraneam, לשישין, delapsum & ibidem concretum singulis 70. annis a sacerdotibus eximebatur & comburebatur in loco sancto. *Gem. Succa.* 49. 1.

§. XI. Linea rubra Altaris meatus sanguinũ, & fundamenta.

XI. Præterea in altari hæc spectanda sunt. חוט של סיקרא [81] *Linea rubra*, cingens totum altare in medio, supra quam sanguines sacrificiorum piacularium comedendorum & holocaustorum avium, at infra quam sanguines reliquorum sacrificiorum, spargebantur. [82] *Duo foramina* ad angulum altaris notozephyrinum, quæ excipiebant sanguinem ad basin effusum, eumque per canalem subterraneum אמה (cujus mentio in *Temura.* VII. 6. & *Middoth.* III. 2.) ad rivum Kedron transmittebant: *Joma.* V. 6. *Meila.* III. 3. ita ut in foramen unum, quod erat ad occidentem, sanguis qui in Sanctum illatus fuerat effunderetur, in aliud vero quod ad meridiem, qui non fuerat eo illatus. *Siphra fol.* 107.1. [83] *Fundamentum*, יסוד, altum cubitum unum, quod lateri orientali & meridionali defuit nisi per unius cubiti spatium hinc & inde, sic, ut angulus euroaustralis eo caruerit. *Gem. Joma.* 14. 2. *Gem. Zevachim.* 54. 1.

§. XII. Locus cinerum, laniena, &c.

XII. [84] Ad ortum altaris, 3. palmis a latere clivi, & 10. cubitis remotus aquilonem versus ab infima parte clivi, erat locus cinerum בית הדשן, in quem quotidie cinis alta-

altaris exterioris, interioris, lychnuchi, & nonnulla ex avibus offerendis conjicebantur. *Tamid:* I. 4. Chanania filius Antigoni dixiſſe fertur in *Siphra fol. 67.* 2. duo fuiſſe in atrio בתי דשנים, unum ad ortum clivi, in quod avium ingluvies & ſordes cinereſque lychnuchi & altaris interioris conjiciebantur, alterum ad ortum altaris in quo comburebantur פסולין ק״ק ואימורי ק׳ קלים polluta ſacrificiorum ſanctiſſimorum & ablegmina ſacrificiorum minus ſanctorum. Præterea ad aquilonem altaris erat ſub dio בית מטבחייא ſive *locus jugulationis* ſanctiorum victimarum, [85] ubi ſex erant ordines annulorum, vel uncorum, ſemicircularium, qui una ſui parte ſolo erant affixi, altera ab eo retrahi, & comprehenſo victimæ capite affigi rurſum poterant. [86] Hos Johannes P. M. fieri juſſit, quorum ſinguli ordines quatuor annulos complectebantur, ut ad illos conſtrictæ victimæ minori cum incommodo jugularentur. Dein [87] octo menſæ marmoreæ ad excipiendas carnes victimarum, & inteſtina in conclavi lavantium jam lota; [88] ac totidem columnæ, trina uncorum ſerie inſtructæ, e quibus ſuſpenſæ hoſtiæ excoriabantur. [89] Præter has erant menſæ ad occidentem clivi altaris, una marmorea, adipum dicta, cui membra victimarum diſſecta imponebantur; altera argentea, quæ ſuſtinebat vaſa miniſterii, aurea & argentea numero 93., vel, ut alii 83., ex לשכרת הכלירת petita. Vide *Maſſechet Schecalim* VI. 4. *Tamid.* III. 4. *Gem. Chagiga* 79. 4.

§. XIII. Labrum.

XIII. [90] Inter Pronaon & altare, in plaga auſtrali (בין האולם ולמזבח ומשוך כלפי דרום erat Labrum ſive כיור *Gem. Hier. Jevamoth.* 12. 3. *Siphra fol.* 57. 1. cujus aquam fons *Etam* עיטם ſuppeditabat. Hic idem atque ille eſſe videtur, qui hodieque non longe a Bethlehem conſpicitur, cujus aquæ tribus capacibus piſcinis exceptæ per aquæ ductum, cujus rudera adhunc ſuperſunt, deferebantur Hieroſolymas. Hoc nomine urbs memoratur 2. *Chr.* 11. 6. & *Joſ.* 15. 60. Ἐτάμ (ſed in codicibus Græcis tantum: nam in Hebræis totum illud comma non legitur) & apud Joſephum *Ant.* VIII. 2. Ἤτταν, χωρίον duobus ſchœnis diſtans Hieroſolymis amœnum hortis & ναμάτων ἐπιρρόαις. Tempore quidem Pontificis Maximi Simonis filii Oniæ labrum ingens ex metallo ſtructum eſſe inſtar maris Salomonici, multi colligunt ex his verbis *Eccleſiaſt. Sirac.* 50. 3. Ἐν ἡμέραις αὐτοῦ ἠλαττώθη ἀποδοχεῖον ὑδάτων, λάκκος ὡσεὶ θαλάσσης τὸ περίμετρον. Sed hæc diverſo modo leguntur & variam explicationem patiuntur. Vulgatus certe interpres ita, *In diebus ipſius remanaverunt putei aquarum & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modum.* Ubi nihil de labro. Alii ἐλατώθη ὑποδοχεῖον ὑδάτων χαλκῷ legunt, ut notetur laminis æreis incruſtatum hoc labrum fuiſſe. Poſſent & referri ad indicandam ſacerdotum miniſtrantium copiam quæ tanta fuit ut ille λάκκος, capaciſſimus licet, iis lavandis non ſuffecerit. [91] Poſtea Ben Catin machinam ligneam labro huic aptavit, ne aquæ ejus noctu in labro remanerent, ſed ejus ope demitti veſpera, & educi mane poſſent. Quicquid enim in vaſe ſacro conſecratum erat, ſi noctu in eo remaneret, pollui exiſtimant Judæi. Vide *Tamid.* III. 8. *Succa.* IV. 10. *Gem. Joma.* 25. *Gem. Zevachim.* 21. 2. [92] & quum antea duo tantum epiſtomia labro eſſent, ipſe fecit duodecim, ut tot ſimul ſacerdotes lavarentur.

§. XIV. Situs horum omnium

XIV. [93] Hæc omnia ita erant ſita inter aquilonem & auſtrum, ut a muro atrii aquilonaris uſque ad columnas eſſet ſpatium cubitorum 8.

aquilonaris uſque ad columnas eſſet ſpatium cubitorum 8.	8
Inde ad menſas marmoreas, 4.	4
Ad locum annulorum 4.	4
Annuli ipſi 24. cubitos occupabant.	24
Ab annulis ad altare 8.	8
Altare autem cum clivo erat 62. cubitorum, quia clivus in ſolo tantum 30. cubitos occupabant.	62
Inde ad murum atrii 25.	25
	135

Vide *Middoth.* verſ. I. Ab [94] ortu autem verſus occaſum ita ſe habuit longitudo totius atrii magni, in quo hæc ſita fuerunt,

A porta Nicanoris uſque ad atrium ſacerdotum, cubiti.	11
Deinde uſque ad altare.	11
Altare ipſum occupabat.	32
Inter altare & Pronaon	22
Ædes Sacra longa erat.	100
Inde uſque ad murum occident.	11
	187

§. XV. Ædes Sacra, ejuſque nomina, & altitudo.

XV. Ad Ædem ſacram tandem accedimus, quo nomine auguſtam illam domum intelligimus, ad quam ex atrio ſacerdotum adſcendebatur [95] gradibus 12., per intervalla

valla (vide *Middoth.* III. *6.*) distinctis, & dimidium cubitum altis. Tota hæc Ædes aliquando היכל dicitur, uti in *Middoth.* IV. *6.* היכל *erat longum latum ac altum* 100. *cubitos*. Quamvis alias היכל Sanctum significet, uti in *Gem. Megilla 26.* I. vel Sanctum & Sanctum Sanctorum, distinctum a Pronao, *Middoth.* III. 8. & IV. 7. & thalami תאים ab היכל distinguantur, *Tamid.* III. 7. Frons alta fuit cubitos 60. *Ezer. 6.* 13. quæ & totius ædis altitudo fuit, cui altitudini Herodes 60. alios adjecit, ut ita Templum Salomonico minus non esset, qui cum tectum reliquæ ædis ad 100. cubitos altitudinis extulerit, eminuit hæc frons 20. cubitos. Rex Agrippa ædis hujus altitudini alios quoque 20. cubitos, addere constituerat, jamque ligna ex Libano curaverat advehi, sed Johannes, unus e ducibus seditiosorum, illa turribus bellicis exstruendis adhibuit. Joseph. *de bell.* VI. I.

§. XVI. Ædis sacræ facies externa.

XVI. Lapides habebat λευκὲς, & eminus conspectum templum monti niveo simile apparebat, teste Josepho *Antiq.* XV. 4. XX. 8. & de *bell.* VI. *6.* uti & collis ipse Moria, cui insistebat, muro saxorum candidissimorum ab ima valle ad summum per spatium quadringentorum cubitorum a Salomone erat firmatus. Potuit itaque hoc quoque respectu templum לבנון *Libanus* ab albedine appellari, quamvis a copia cedrorum ex Libano peritarum ita inprimis dictum videatur, ut alter quasi Libanus esset in regione ubi maxima erat arborum penuria, vel etiam a præcipua parte cultus sacri ibi peracta, expiatione peccatorum, quæ dealbationi comparatur *Jes.* I. II. Hoc nomen certe (quod in scriptis Propheticis templo datur) templo huic secundo aptavit, quum apertas sponte fores ædis sacræ (דלתות של היכל) mane conspiceret [96] R. Jochanan Ben Saccai (cujus prodigii Tacitus quoque & Josephus meminerunt) exclamans, prope esse tempus excidii a Zacharia prædictum פתח לבנון דלתיך ותאכל אש בארזיך: *Zachar.* II. I. *Gem. Joma.* 39. 2.

§. XVII. Altitudo Ædis, tempore Herodis.

XVII. [97] Ipsa Ædes, uti erat sub imperio Herodis, alta erat 100. cubitos (fronte, uti dictum, excepta) lata totidem & longa. Altitudo hoc modo colligitur in *Middoth.* IV. *6.*

Crepido, האוטם, fundamentum ex solido lapide, Arab. لاص, *6. cubiti.* 6
Murus, 40. *cubiti.* 40
כיור ubi erant capita trabium opæ insertarum. Rem ita perfectam in extremitate قوس appellant Arabes. *cub.* I. 1
Locus stillicidii vel intertignium. 2
תקרה, tabulatum ligneum. I. *cub.* 1
מעזיבה, pavimentum ex alia materia supra illud: vide *Succa* I. 7. *Oboloth.* XII. 2. *Gem. Bava kama.* 61. I. Exponitur per Arab. الملاط lutum, calcemve, quæ supra tabulatum sternitur. I. *cub.* 1
Murus conclavis superioris : 40. 40
Capita trabium, כיור. I. *cub.* 1
Locus stillicidii vel intertignium. 2. *cub.* 2
Tabulatum. I. *cub.* 1
Pavimentum. I. *cub.* 1
Lorica, vel Podium. 3. *cub.* 3
[98] Lamina acuta ad arcendas aves. I. *cub.* 1

100

§. XVIII. Latitudo.

XVIII. [99] Latitudo ejus ab austro versus aquilonem erat cubitorum 100, quamvis non ubique eamdem habuerit, sed a fronte latior existens speciem leonis retulerit. Hoc spatium per cubitos hac ratione digeritur.

Paries Pronai, latus *cub.* 5. 5
Spatium ab hoc pariete usque ad parietem primum conclavium ad latus sancti, *cub.* 10. 10
Inde usque ad parietem secundum. *cub.* 5. 5
Inde ad tertium. *cub.* 3. 3
Inde ad quartum. *cub.* 5. 5
Inde ad quintum. *cub.* 6. 6
Inde ad sextum sive intimum. *cub.* 6. 6
Latitudo sancti. *cub.* 20. 20
Muri ejus & spatia ad aquilonem, uti ad austrum. *cub.* 40. 40

100

Spa-

Spatia autem quæ ad austrum & aquilonem ultra sancti & conclavium muros excurrebant nomine בית החליפית veniunt [100] quod ibi secespitæ servarentur, vel quod illic secespitæ usui ineptæ absconderentur ששם ההיו גונזים את הסכינין. *Gem. Hier. Joma.* 41. 1. & *Gem. Hier. Succa.* 55. 4.

§. XIX. Longitudo.

XIX. [101] Longitudo ædis ab oriente ad occidentem per cubitos ita deducitur in *Gem. Joma.* 52. 1.

Murus Pronai. 5. *cub.*	5
Pronaon ipsum. 11. *cub.*	11
Murus Sancti. 6. *cub.*	6
Sanctum. 40. *cub.*	40
Spatium velorum. 1. *cub.*	1
Sanctum Sanctorum. 20. *cub.*	20
Murus ædis 6. *cub.*	6
Conclavia. 6. *cub.*	6
Murus conclavium. 5. *cub.*	5
	100

§. XX. Partes.

XX. In hac æde consideranda veniunt Pronaon, Sanctum, Sanctum Sanctorum, conclavia superiora, & appendices sive conclavia quæ exterius hanc ædem circumdabant.

§. XXI. Pronai nomina & magnitudo.

XXI. אולם, ab أول ductum, quasi *partem* ædis *anteriorem* dicas, sive Πρόναον, Aquilæ πρόδομον, Symmacho προπύλαιον appellatur, teste *Hieron. ad Joel.* 11. *pag.* 1353. at idem ad *Ezech.* VIII. *pag.* 750. Aquilæ primam editionem προστάδα habere affirmat, alteram *Elam*, Symmachum πρόπυλον. Minus accurate *vestibulum* nuncupatur, quæ pars ædium non fuit, teste Cæcilio Gallo, apud *Gellium l.* XVI. 5. Nomen autem Προναὸς ei convenit, vel quod sit ante Ναὸν, id est, sanctum, Sanctum Sanctorum, vel potius, quod sit pars anterior τῦ Ναῦ, id est, ædis sacræ, uti πρόλογος & πρόγλωττις anteriora sermonis & linguæ vocantur. Insistebat crepidini ædis, & ab היכל distinguitur in *Eruvin.* x. 15. [102] Latum fuit, uti tota ædes, 20. cubitos, longum vero, ut alii volunt decem, veluti in templo primo, alii undecim, uti mox in Gemara Joma vidimus. [103] Tectum autem (quod altum fuisse creditur in Templo primo cubitos 80. in secundo 60.] ad 100. cubitorum altitudinem extulit.

§. XXII. Porta, sive introitus.

XXII. [104] Porta Pronai tempore Herodis alta fuisse dicitur 40. cubitos, lata 20. ejusdem cum ipso sancto mensuræ. *Gem. Hier. Eruvin* 18. 2. Supra eam 5. erant מלתראות μέλαθρα, totidem seriebus lapidum distincta. Erant autem hæ trabes diversæ longitudinis, sic ut infima trabs incumbens posti utrique 22. cubitos lata esset, secunda 24. tertia 26. quarta 28. quinta 30. *Middoth.* III. 7. [105] Valvas non habuit, sed pretiosissimum velum (quod in *Schecalim* VIII. 5. & *Gem. Tamid.* 63. 2. scribitur eandem cum porta magnitudinem & crassitudinem palmi habuisse) earum locum tenebat, cui aliud vilius prætensum fuisse dicitur, ad arcendas a priori aeris injurias.

§. XXIII. Ornamenta Pronai.

XXIII. In Pronao ἀναθήματα plurima fuerunt a variis regibus ad ornandum templum missa, quæ Antiochus Epiphanes abstulit 2. *Macc.* 5. 16. confer 2. *Macc.* 3. 2. inter quæ etiam [106] mensa aurea fuisse videtur a rege Ægypti Ptolemæo Philadelpho dedicata, teste Josepho, & θάλλοι νομιζόμενοι τῦ ἱερῦ 2. *Macc.* 14. 4. quos Alcimus P. M. regi Demetrio donavit. Fuit etiam [107] lychnus aureus, suspensus supra portam sancti, qui quum radios solis orientis repercuteret, admonebantur sacerdotes tempus esse legendi שמע *Gem. Joma.* 37. 2. *Gem. Hier Joma.* 41. 1. Donum illa erat [108] Helenæ reginæ Adiabenorum, factæ proselytæ, quæ etiam templo donavit טבלא tabulam [109] auream, cui פרשת סוטא, sive pericopa Biblica de muliere adulterii suspecta erat inscripta. *Gem. Gittin.* 60. 1. *Gem. Hier. Sota.* 18. 1. *Gem. Hier. Joma.* 41. 1. Creduntur & in Pronao suspensæ fuisse [110] coronæ duæ aureæ, memoratæ *Zach.* 6. 14. (alii unam tantum fuisse putant) quas Antiochus in Syriam dicitur detulisse: volunt enim eas intelligi per στεφάνυς καὶ τὸν κόσμον χρυσῦν τὸν κατὰ πρόσωπον τῦ Ναῦ; 1. *Macc.* 1. 23. Sed has coronas κατὰ πρόσωπον τῦ Ναῦ alias fuisse putem, similes illis quibus (1. *Macc.* 4. 57.) Chasmonæi ornasse templum leguntur. Verum maxime celebris fuit in Pronao [111] vitis aurea, גפן של זהב, incumbens trabibus (בלונסות κλώνοις, *ramis*) cedrinis quæ inter parietem Pronai & Sancti erant: nata ex muneribus privatorum, qui folium uvamve voverant & molem ejus augebant. *Middoth.* III. 8. *Gem Tamid.* 63. 1. *Joseph.* VI. *de bell.* 6. Præter [112] hæc erant in Pronao mensæ duæ, marmorea, cui panes deferendi in sanctum imponebantur, & aurea quæ e sancto delatos excipiebat. *Menachoth.* XI. 7. *Schecalim.* VI. 4. *Gem. Tamid.* 65. 2.

§. XXIV. Sancti magnitudo, & porta.

XXIV. Sanctum, קדש, τὰ ἅγια, vel היכל (distinctum ab אולם sive Pronao & בק"ק Sancto Sanctorum, in *Gem. Megilla.* 26. 1.) aut בית החיצון *domus exterior* respectu Sancti Sanctorum (*Joma.* v. 1.) locus erat inter Pronaon & Sanctum Sanctorum intermedius, latus 20. cubitos, longus & altus 40. Porta [113] sancti, magna dicta, (quod reliquis major videretur ob insignem magnitudinem portæ Pronai) lignea & auro obducta, cui velum erat prætensum, alta fuit 20. lata 10. cubitos, & quatuor valvis instructa. [114] Ad aquilonem hujus portæ erat פשפש sive exigua porta, per quam introibat qui portam magnam aperiret. *Tamid.* III. 7. & supra portam magnam Sancti aureus lychnus ab Helena donatus.

§. XXV. Vasa ejus præcipua.

XXV. [115] Tria erant hujus loci præcipua ornamenta, θαυμασιώτατα καὶ περιβόητα πᾶσιν ἀνθρώποις ἔργα, λυχνία, τράπεζα, θυμιατήριον, uti Josephus loquitur. *lib.* v. 14. *de bell. Jud.* quorum duo priora ne tempore festorum ab imperitis sacerdotibus polluerentur, [116] quum loco removeri & immergi non possent, cavebant quam maxime. [117] Altare autem suffitus, quia erat sicuti solum, כקרקע, immersione non indigebat. *Chagiga.* III. 8. Hæc tria Antiochus e templo rapta in Syriam detulit 1. *Macc.* 1. 23. sed Chasmonæi alia eorum loco fabricarunt. 1. *Macc.* 4. 49. Lychnuchus quidem, ante quem Talmudici in *Gem. Menachoth.* 29. 1. [118] lapidem tres gradus altum locant, ut ei sacerdos aptaturus lychnos insisteret, unicus fuit. Mensa quoque una tantum fuit, [119] quam Titus cum aliis spoliis in triumpho circumtulit, quæ in arcu Titi Vespasiani Romæ erecto conspiciuntur. Inter mensam & lychnuchum erat altare suffitus, ad formam, ut videtur, Mosaici exstructum. [120]

§. XXVI. Vela inter S. & S. S.

XXVI. Hoc autem nec murus nec ostium a Sancto Sanctorum dividebat; sed duo vela, cubiti intermedii spatio sejuncta, [121] inter quæ Pontifex M. Sanctum Sanctorum intraturus ab austro versus aquilonem incedebat: quæ putamus fuisse illud καταπέτασμα quod moriente Christo ruptum tradit Matthæus *c.* 27. 51. nulli quippe usui futurum, postquam Christi mors peccata vere expiasset.

§. XXVII. Tarkesin inter Sanctum & Sanctum Sanctorum.

XXVII. Spatium cubiti quod inter Sanctum & S. Sanctorum erat in templo secundo, [122] appellatur טרקסין, quod ex Græca voce ταράξις, qua perturbatio oculi a fumo, pulvere, &c. notatur, vulgo ducitur, ut innuatur conditores templi secundi, dubitantes an ad sanctum an vero ad Sanctum Sanctorum pertineret, vitio oculorum mentis laborasse. Sed quum non credibile sit superbam Judæorum gentem tam ignominioso nomine ignorantiam suam fateri voluisse, nec nomen ταράξεως, perturbationis nempe a causa externa, satis bene huic rei conveniat, videtur potius esse nomen Persicum, uti multa alia in Talmude memorata, در گزین טר קסין i. e. *porta electa* vel دری گزی *spatium cubitale.*

§. XXVIII. Lapis in S. Sanctorum.

XXVIII. Arcam fœderis in Templo secundo non fuisse certum est. [123] Ejus loco saxum erat illic collocatum, quod אבן שתיה *lapis positionis* dicebatur, altum supra terram tres digitos. *Joma* v. 2. [124] Mira de hoc saxo narrant Judæi, crediturque ipsum illud hodieque [125] a Mohammedanis servari in fano quod exstruxerunt in loco templi secundi, appellantque propterea *ædem saxi* قبة الصخرة

§. XXIX. Conclavia superiora & tectum.

XXIX. [126] Supra Sanctum & Sanctum Sanctorum videntur conclavia quædam fuisse, per quorum (aut certe unius ex iis, quod supra S. Sanctorum erat) pavimentum demitti solebant artifices, ut partes læsas Sancti Sanctorum restituerent, eaque tria ejusdem altitudinis, longitudinis, & latitudinis cum Pronao, Sancto, & Sancto Sanctorum; & [127] velis intermediis, ut infra, distincta. *Gem. Ketuvoth.* 106. 1. [128] In hoc S. Sanctorum superius semel singulo septennio tantum intrasse Pontifex M. legitur, ut videret an omnia recte se haberent. *Gem. Pesachim* 86. 1. [129] Supra hæc tectum ædis eminebat, non planum sed acclive, & cingulo 4. cubitos alto circumdatum. [130] Cingulis sive loricis ejusmodi tecta plana ædium privatarum muniri Deus jusserat *Deut.* 22. 8. at ædis sacræ tectum licet planum non esset sed fastigium haberet ἀετὸν & ἄετωμα dictum (nam & in Oriente ædes privatæ tecta plana, sed templa fastigium ejusmodi habebant) tamen lorica circumdatum fuit. Loricæ huic trium cubitorum altitudinem tribuunt Judæi, & supra eam cubitum unum eminuisse laminam acutam volunt ad arcendas aves. Josephus *lib.* vi. *de bell.* c. 6. ὀβελοὺς, hic constituit, κατὰ κορυφὴν χρυσέους ὀβελοὺς ἀνεῖχε τεθηγμένους, ὡς μή τινι προσκαθεζομένῳ μολύνοιτο τῶν ὀρνέων.

§. XXX. Conclavia lateralia.

XXX. [131] Circa ædem conclavia structa fuisse dicuntur, οἶκοι τρίστεγοι πολλοὶ Josepho de *bell.* vi. 6. numero 38. quorum 15. & 15. hinc & inde, 8. ad posticam ædis partem fuere collocata, per tres ordines contignationum. Hæc Sanctum & Sanctum Sancto-

ctorum cingebant, ab aquilone, occidente, & auſtro, ad ornatum & cuſtodiam variarum rerum; ita ut ad aquilonem & auſtrum quinque eſſent ſita ſupra alia quinque, & ſuper hæc totidem alia; ad occaſum vero tria tribus impoſita & his duo. *Middoth.* IV. 3. Quibus addi poſſunt conclavia duo ad auſtrum & aquilonem Pronai, ſeceſpitis deſtinata.

COMMENTARIUM IN CAP. NONUM.

[1] PEr *quindecim gradus &c. Maimonides de Templo* Cap. VI. 2. Rurſuſque recta incedebat per totum atrium mulierum, deinde ex iſto ſcandebat in atrium Iſraelitarum, hoc enim erat atrii principium quindecim gradibus, quorum unicuique erat altitudo dimidii cubiti, & retractio dimidii cubiti.

[2] *Ab his* 15. *&c. Kimchius ad Pſ. CXX.* 1. Horum (*inquit*) Canticorum, quæ *titulum* graduum *ferunt*, ſunt quindecim, atque traditur, Levitas illa recitaſſe ſuper quindecim gradibus in monte templi inter atrium Iſraelis ac mulierum ſitis, ac per quos ex hoc in illud aſcenſus patebat; Dicunt autem ſingulum canticum ſuper ſingulo gradu recitatum fuiſſe: Vide *Raſchium ad Pſalm. cit. & Theodor. Heracleot. in comment. in Pſalm.*

[3] *Minus aptus &c. Vide cl. L'Empereurii commentarium in cap. II. 5. Middoth.*

[4] *Atrium magnum &c. Middoth cap.* V. Totius atrii longitudo erat centum octoginta ſeptem cubitorum, latitudo vero centum triginta quinque. Longitudo ab oriente ad occidentem centum octoginta ſeptem cubitorum cum latitudine centum triginta quinque ita ſe habebat &c. Ab aquilone ad auſtrum centum triginta quinque &c. *Maimonides de Templo cap. V.* 4. Intra murum illum interiorem erat atrium, cujus tota longitudo ſeptem cubitos & octoginta & centum, latitudo vero quinque cubitos & triginta & centum patebat: *& ibidem* 12. Atrii longitudo ab oriente ad occidentem patebat ſeptem cubitos & octoginta & centum: *& ibidem* 13. Atrii latitudo quæ ab aquilone ad auſtrum erat, quinque patebat cubitos & triginta & centum: *Schilte Haggibborim cap. XIV.* Cæterum atrium, ideſt ille locus, in quem ſi quis de induſtria ingrederetur, excidio, ex ignorantia ſacrificio pro peccato tenebatur, & eſt illud, quod ſimpliciter ſanctuarium vocabatur, ab oriente ad occidentem centum octuaginta ſeptem cubitos in longitudinem, & in latitudinem ab aquilone ad auſtrum, uti dictum eſt, centum & triginta quinque patebat.

[5] *Longum erat &c. Middoth. cap. II. 6.* Atrium Iſraelis erat longitudine centum triginta quinque cubitorum, latitudine undecim.

[6] *Diſtinctum erat &c. Middoth ibidem.* Trabium capita dividebant inter atrium Iſraelis & atrium Sacerdotum. R. Elieſer filius Jacobi dicit, aſcenſus erat, ejuſque altitudo cubitalis: *Maimonides, ibid. cap. VI.* 3. Perambulabatque totum Iſraelitarum atrium inceſſu æquabili, tum ex iſto aſcendebat in atrium ſacerdotum unico gradu cubitum alto.

[7] *Qui tamen &c.* מעלה *in loco citato Middoth, uti optime obſervat* L' Empereurius, *aſcenſum, qui duos gradus continebat, ſingulos dimidii cubiti altitudine, notat.*

[8] *In quo erat &c. Middoth ibidem.* Aſcenſus erat, ejuſque altitudo cubitalis, cui impoſitum erat pulpitum: *Maimonides ibidem*: Tum ex iſto aſſendebat in atrium ſacerdotum unico gradu cubitum alto, in hoc autem erat ſuggeſtum: דוכן *pulpitum e Vitruvio, & ſuggeſtus e Cicerone reddi poteſt. Super hoc non ſolum canebant, ac inſtrumenta pulſabant Levitæ, ſed etiam ſacerdotes populo benedicere conſueverant, uti legimus in Paraphraſti Chaldæo, qui verba Pſal.* 134. attollite manus veſtras in ſanctitate, ita παραφράζει, attollite manus veſtras ſacerdotes ſuper ſuggeſtum ſanctum.

[9] *Graduum trium &c. Middoth ibidem.* Atque in eo erant tres gradus, ſinguli ſcil. cubiti dimidii. Reperitur autem atrium ſacerdotum duobus cubitis cum dimidio altius atrio Iſraelis: *Maimonides ibidem*: In hoc autem erat ſuggeſtum trium graduum, quorum quiſque altitudinem habebat ſemicubitalem, & retractionem item ſemicubitalem. Itaque ſacerdotum atrium altius erat atrio Iſraelitarum cubitis duobus & ſemiſſe.

[10] *Portæ in atrio &c. Middoth ibidem*: Atque tredecim adorationes ibi erant. Aba Joſe filius Chanan dicit, e regione tredecim portarum, quarum auſtrales vicinæ occidenti, porta ſuperior, porta incendii, porta primogenitorum, porta aquarum. At quare vocatur nomine portæ aquarum? Quia ea inferunt lebetem aquarum libaminis in feſto. R. Elieſer filius Jacobi dicit, quia in illa aquæ mutabantur egreſſuræ ſub limine ædis. E regione iſtarum in ſeptentrione adhærentes occidenti, porta Jeconiæ, porta oblationis, porta mulierum, porta cantici. At quare nuncupatur porta Jeconiæ? Quia ea exivit Jeconia in captivitatem ſuam. Quæ autem erat in oriente, porta Nicanoris dicebatur, cui duo erant oſtiola, unum ab ejus dextra, alterum ab ejus ſiniſtra. Duabus in occidente non erat nomen: *Miſna Sekalim VI.* 3. Quomodo adorabant? Quatuor verſus ſeptentrionem, quatuor verſus meridiem; tres verſus orientem, & duo verſus occidentem pro ratione tredecim portarum. Portæ meridionales verſus latus occidentale flectentes erant porta ſuperior, porta Hiddelek, porta primogenitorum, porta aquæ. Quare autem vocatur porta aquæ? quia per eam afferunt phyalam aquæ libationis in feſto tabernaculorum. R. Elieſer filius Jacobi dicit, quia in illa aquæ mutabantur egreſſuræ ſub limine ædis. E regione iſtarum (*portarum*) in ſeptentrione adhærent occidenti, porta Jeconiæ, porta oblationis, porta mulierum, porta cantici. At quare nuncupatur porta Jeconiæ? quia ex ea exivit Jeconia in captivitatem ſuam. Porta quæ erat in oriente, dicebatur Nicanoris, cui duo erant oſtiola, unum ab ejus dextra, alterum ab ejus ſiniſtra. Duabus (*illis portis*) quæ in occidente, non erat nomen: *Septem dumtaxat erant atrii portæ, ut hoc loco oſtendit Maimonides.* Hic vero (*inquit*) doctor, qui dicit tredecim portas fuiſſe in atrio, eſt Aba Joſe filius Jochananis, ſic exponitur in Talmude Hieroſolymitano. At ſapientes dicunt ſeptem fuiſſe portas in atrio, uti dicitur in tractatu Middoth, & hæ tres adorationes, quibus adorabant, erant juxta opinionem ſapientum ſecundum tredecim rupturas, quas ruperunt in atrio reges Græciæ, quas occluſerunt Macchabæi, quemadmodum exponetur in tractatu Middoth. Quando autem quis veniebat ad locum rupturæ, incurvabat ſe in modum confeſſionis & gratiarum Deo agendarum. Et *Bartenora pariter hoc loco*. Illa vero Miſna, quæ dicit tredecim eſſe portas, confirmatur e Gemara Hieroſolymitana juxta ſententiam Aba Joſe filii Jochanan. Sed ſapientes dicunt ſeptem dari portas atrii, & illi putant, quod tredecim adorationes dantur juxta tredecim rupturas, quas ruperunt in atrio Reges Græciæ; at quando eos ſuperarunt, & devicerunt Macchabæi, occluſerunt rupturas illas, & ordinarunt tredecim adorationes, ad quamlibet rupturam unam adorationem *Middoth cap. I.* 4. Septem erant portæ in atrio magno, tres ad aquilonem, tres ad auſtrum, una in oriente. Ad auſtrum erat porta ardoris, huic ſuccedebat porta oblationis, tertia ordine erat porta aquarum. In oriente erat porta Nicanoris &c. *Maimonides de Templo cap. V.* 4. Huic erant portæ ſeptem tres ad ſeptentrionem non procul ab occidente, tres ad meridiem item prope ad occidentem, & una ad orientem, quæ erat contra ſanctum ſanctorum in medio.

[11] *Hæc nomen adepta &c. Toſaphta Joma cap. II.* 5. Quodnam fuit miraculum, quod in ipſis editum fuit? Dixerunt, quod cum Nicanor eas adducebat ex Alexandria Ægypti, magna in mari orta ſit tempeſtas, itaut immergerentur; ſumſerunt unam, eamque in mare projecerunt, & volebant etiam alteram projice-

jice-

jicere, nec permiſit Nicanor dicens eis, ſi vultis ſecundam projicere, me una cum ea projicite. Admodum affligebatur propter primam, donec pervenit ad portum Acho, quando pervenit ad portum Acho, illa e carina navis prodibat; & alii dicunt, belluam marinam eam deglutiviſſe, & quando pervenit ad portum Acho, in continentem evomuiſſe, & pro ipſis dixit S. Scriptura. *Tigna domorum noſtrarum*: vide *Hieroſ. Joma, cap. III. Bartenoræ & Maimonidis commentarium in hunc locum, Aruch. in voce Nicanor, Juchaſin fol. 65.*

[12] *Quamvis forſitan &c. in Juchaſin ibidem.* Sed Joſeph filius Gorion in ſuis libris dicit portam Nicanoris ita vocatam fuiſſe, quia ibi factum erat miraculum, ibi enim interfectum fuiſſe Nicanorem principem græcum Haſmonæorum temporibus, atque hoc extat ſub finem ſecundi capitis tractatus Taanith.

[13] *Alta erat &c. Maimonides de Templo cap. V. 5.* Singulæ portarum illarum latæ erant cubitos decem, & viginti cubitos altæ.

[14] *Solaque habebat &c. Maimonides de Meſuſa cap. II. 6.* Et omnes portæ Sanctuarii carebant poſtibus, excepta porta Nicanoris, & ea, quæ ipſa interior eſt, & porta Parhedrin, quia hæc conclavia erant domus habitationis pro ſummo Sacerdote ſeptem diebus ſeparationis.

[15] *In hac porta &c. Sota cap. I.* 5. Deducta fuit ad fores templi orientales, ſeu ad portam Nicanoris, quippe ibi adulterii ſuſpectis aquas potandas dare, puerperas purificare, & leproſos mundare conſueverunt: *Maimonides cap. IV. 2. de indigentibus piaculi.* Leproſus extra atrium Iſraelitarum contra portam orienti ſoli reſpondentem, quæ porta Nicanoris erat, in ipſo limine ſtabat ſpectans in occidentis ſolis partes; hic enim piaculi indigentes cum luſtrarentur, ſtabant omnes; hic & mulieribus in edulterii ſuſpicionem vocatis amara illa diraque dabatur aqua bibenda *in Juchaſin fol. 65.* Occurit ejus nomen primo & ſecundo capite tractatus Middoth, ubi dicitur fuiſſe porta in atrio ad orientem, quæ eſt porta Nicanoris, & in ea fuiſſe duo oſtiola, unum ad dextram, & alterum ad ſiniſtram. Idem etiam dicitur cap. VI. tractatus Sekalim, eamque fuiſſe e regione ſanctiſſimi loci, qui erat occidentem verſus ubi divina gloria habitabat, ideoque in fine tractatus Berachoth dicitur; *Nequis irreverenter ſe gerat ante hanc portam* (Nicanoris) *ſeu portam orientalem.* Et in primo capite tractatus *Sota. In porta* (Nicanoris) *uxori ſuſpectæ aquam propinabant, & purificabant mulieres poſt partum, & leproſos.* Et in fine capitis XII. tractatus Peſachin dicitur porta Nicanoris non fuiſſe ſancta (ut atrium) quia ibi ſtabant leproſi, & pollices, atque halluces ponebant intra atrium. Ita in tertio capite tractatus Joma. Et ſecundo Toſaphta dicuntur miracula facta fuiſſe a valvis Nicanoris, eſtque apud eos celebris earum mentio.

[16] *Coram facie &c. Bartenora ad cap.* I. *Sota* 5. *quia illic bibendam dabant aquam adulterii ſuſpectis*, quia neceſſe erat ut fieret לפני יהוה *coram Domino.*

[17] *Quam multi &c. Maimonides de Templo cap.* V. 5. Nimirum hæc erat illa porta, quam portam ſupremam dicebant, quæ eadem eſt porta Nicanoris. *Gemara Hieroſ. fol. 22. loquens de porta Nicanoris.* Portam denique ſuperiorem, quia illa altior extitit, quam atrium Iſraelis, veſtibulum, & atrium mulierum.

[18] *Ardoris &c. Bartenora ad cap.* VI. 3. *Sekalim. Porta ardoris*, erat porta conclavis lignorum, quæ erat ad meridiem atrii, quandoquidem vero inde colligebant ligna ad incendendum ea in altari ideo vocatur שער הדלק.

[19] *Primogenitorum &c. Bartenora ibidem. Porta primogenitorum*, nam ibi primogenita colligebantur, & mactabantur in meridie.

[20] *Aquæ &c. Bartenora ibidem Aquæ commutantes* hoc eſt quod ſcriptum eſt. *Ezechiel.* XLVII. 2. והנה מים מפכים מן הכתף מימנית, id autem latus quod dicitur *dextrum* eſt latus meridionale, uti Pſal. LXXXVIII. 13. צפון וימין. Et vidit Ezechiel per prophetiam quod aquæ prodibant e Sancto Sanctorum minutæ, ut cornua locuſtarum, quando autem perveniebant ad hanc portam, efferebant ſe aquæ, & fiebant ut plenitudo oris dolii minoris, propterea מים מפכים vocantur.

[21] *Jechoniæ &c. Bartenora ibidem. Quia per eam exiit Jechonia in captivitatem ſuam*, nam Sanctuarium intraverat ad incurvandum ſe, & valedicendum, quando ibat in captivitatem Babylonicam, & tum exibat deinde per eam portam.

[22] *Oblationis &c. Bartenora ibidem. Porta oblationis*, nam illic oblationes introducebantur ſanctiſſimæ, & mactabantur ad ſeptentrionem.

[23] *Mulierum &c. Bartenora ibidem. Porta mulierum*, eo quod per eam intrabant mulieres ad manus ſuas imponendas ſacrificiis juxta ſententiam R. Joſis dicentis, mulieres ſpontaneæ oblationi manus imponunt ſacrificiis, ſed juxta ſententiam R. Jehudæ, & R. Simeonis ad aſſiſtendum ſacrificiis.

[24] *Cantici &c. Bartenora ibidem. Porta cantici*, per illam introducebant inſtrumenta muſica. *Vide de his Portis eumdem Bartenoram ad cap.* 1. *Middoth.* 4. 5.

[25] *Supra quam &c. In Gemara Hieroſolymitana Joma* cap. 1. *ſuper portam aquarum collocatur; & in Talmude tractatu Joma cap.* 1. *Summum Pontificem Vigilia expiationum in hoc conclave deductum fuiſſe, ut doceretur ritum ſuffitus faciendi. Ibi etiam a familia Abtinæ ſuffitus præparabatur, ac conficiebatur. Miſna Joma cap. I.* 5. Tradebant eum ſeniores Synedrii magni ad ſeniores Sacerdotes, qui eum in conclave excelſum domus Abtines evehebant. *Neſcitur, utrum ſitum fuerit ad meridiem an ad ſeptentrionem, Salomon Jarchi ad cap. I. 5. Joma* & neſcimus (*inquit*) an camera domus Parhedrorum ad ſeptentrionem, & conclave domus Abtines ad meridiem, an camera domus ad ſeptentrionem, & conclave ad meridiem ſita fuerit *Vide Maimonidem ad Middoth. V.*

[26] *Porta Nitzots &c. Bartenora ad cap. I. Middoth & Tamid*: In domo Abtines & in domo Nitzots, hæc duo erant conclavia ad latus portarum atrii extructa *Miſn. Middoth cap. I.* 5. Ad ſeptentrionem erat porta Nitzots forma pergulæ cujuſdam, ſupra quam ædificatum erat cœnaculum, ita ut Sacerdotes ſuperiori loco excubias agerent, Levitæ vero inferiori. Eidemque oſtium erat, quo ad ſpatium intermurale pergerent. *Vide Tamid cap.* 1.

[27] *Domus foci &c. Middoth ibidem.* Tertia dicebatur locus incendii: *& paucis interjectis* duæ erant portæ domui (quam vocant) incendii ſive loco focario, una aperta verſus ſpatium intermurale, altera quæ atrium reſpiciebat, ita dixit R. Jehuda. Huic quæ verſus atrium aperiebatur, oſtiolum erat parvum, per quod ut atrium luſtrarent ingrediebantur. Domus incendii erat concamerata & magna atque ſtratis ſaxeis circumdata, ubi ſeniores claſſis paternæ dormiebant: *Maimonides cap. V. de Templo 9.* Hujus ad atrii latus id quod ad ſeptentrionem ſpectabat extrinſecus erat magna domus appoſita inter atrium & antemurale, quæ domus erat camerata, & projecturis circumdata lapideis, nomen hujus erat *domus ardoris.* Porro oſtia erant ei duo, quorum alterum aperiebatur in atrium, alterum in ſpatium illud intermurale. *Bartenora ad cap. I. 5. Middoth. Domus incendii*, ita vocatur locus ille, quia in ipſo ſemper ardebat focus, ut Sacerdotes diſcalceati ſe calefacere poſſent.

[28] *At ſunt &c. Miſn. de Decimis ſecundis cap. III.* 8. Conclavia ædificata in loco ſancto & aperta verſus profanum, medium eorum eſt profanum, tecta vero Sancta ſunt, ſi ædificata ſint in loco profano & aperta verſus ſanctum, medium eſt ſanctum, tecta vero profana, ſi ædificata ſint in loco ſancto & in profano, & aperta verſus locum ſanctum & profanum, medium & tecta e regione Sancti & verſus Sanctum, ſunt Sancta, ſed e regione loci profani, & verſus profanum, ſunt profana: *Maimonides de Templo cap. VI.* 7. 8. Quæ conclavia fuerant in ſpatio conſtructa ſancto, & aperta in profanum, ſi tecta eſſent illorum æquata ſolo atrii, cava eorum omnino profana, tecta vero ſancta habebantur. Sin non eſſent æquata tecta ſolo atrii, & ipſa quoque profana fuerant. Etenim tecta & cœnacula nequaquam conſecrabantur. Itaque in ejuſmodi tectis nunquam nec comedebantur hoſtiæ ſanctiores, nec minus ſanctæ mactabantur. Sin conſtructa fuerant in ſpatio profano, & aperta in ſacrum, cavum eorum erat Sanctum adeo, ut in eo vel hoſtiæ ſanctiores comederentur. Verum enim ne minus Sanctæ quidem ibi mactabantur; tum ſi quis introjerit immundus, nul-

la pœna tenebatur. Et illorum tecta ad omnem rem profana habebantur. Sancti sunt templi specus cum fuerint versus atrium aperti, profani si versus montem ædis. Fenestræ vero & spissitudo parietum prorsus interiori loco similes cum ad sacrificiorum sanctiorum esum, tum ad rationem immundorum.

[29] *Conclavia &c. Maimonides de Templo cap. V.* 17. In atrio Israelitarum erant conclavia octo, ad aquilonem tria, & tria ad austrum. Nempe erant ad austrum conclave salis, conclave Parvæ, & conclave lavantium. In conclavi salis sal in sacrificia reponebatur.

[30] *Conclave Salis &c. Tosaphta Menachoth cap. VI.* 2. Tribus in locis reponebatur sal, in conclavi salis, in Summitate collis, & in vertice altaris.

[31] *Conclave Parve &c. Maimonides ibidem.* Saliebantur Victimarum pelles in conclavi Parvæ, cujus in tecto balneum erat summo Sacerdoti paratum in diem expiationum *: De Parva, sive Happarva ita commentatur Bartenora ad cap. V. 2. Middoth.* Erat magus quispiam dictus Parva, qui conclave istud ædificaverat, a cujus nomine id denominatur, ita ego inveni; sed Maimonides scribit ipsum in pariete atrii excavasse conclave ad conspiciendum ministerium Sacerdotale, & quod llic occisus sit. *Verisimilior mihi videtur sententia R. Schemajæ, qui hoc nomem deducit a* פרים *juvencis, quorum pelles, ne corrumperentur, ibi saliebantur.*

[32] *Ubi pelles &c. Tosaphta Menachoth cap. XXIII.* 13. Ab initio introducebant pelles sanctitatum in conclave Parvæ, & vesperi eas dividebant singulis familiis ejus diei, & principes Sacerdotii veniebant, & violenter rapiebant; surrexerunt, & decreverunt, ut in vigiliis Sabbathi singulis Custodiis dividerentur; tum etiam principes Sacerdotii veniebant, & violenter rapiebant; surrexerunt domini, & Deo eas sanctificarunt; dixerunt sapientes, quod post breve tempus Sacerdotes operuerint superficiem Vestibuli laminis (*seu Tapetis*) aureis quadratum centum cubitorum ad aurei denarii crassitiem; quibus usque ad festum eam operiebant, & in festo complicabant, & collocabant super gradibus montis templi, ut a populo conspiceretur eorum artificium, quod erat pulcherrimum, & absque vitio, post festum iterum in suo loco statuebant.

[33] *Lavantium &c. Maimonides ibidem*: & in conclavi lavantium intestina lavabantur hostiarum, atque ex isto in tectum conclavis Parvæ erat excitata cochlea.

[34] *Ligni &c. Maimonides ibidem.* Tria vero aquilonis erant: conclave lapidis quadrati, conclave scaturiginis, & conclave ligni. *In hoc conclave ligni Sacerdotes, qui vitio laborabant, ligna secabant, & a vermibus purgabant; fit hujus conclavis mentio in variis locis, præsertim VI. Sekalim.* Ubi ergo fuit altera (*adoratio?*) E regione conclavis lignorum, quia traditionem, (*sed salsissimam, uti supra demonstravimus*) habebant a patribus, arcam ibi occultatam esse. Historia de Sacerdote quodam, qui operi intentus vidit stratum diversum a reliquo (*pavimenta*) Abit ad id socio suo indicandum, sed vix rem totam enarraverat cum animam efflavit; & tunc clare sciverunt, arcam ibi esse absconditam.

[35] *Supra hoc &c. Gemara Joma cap. I.* 5. Dixit Rat Papa. Pontifex maximus duo habebat conclavia, alterum conclave Parhedrin, alterum conclave domus Abtines, alterum in septentrione, alterum in meridie erat: *Maimonides ad Middoth cap. V.* 1. 5. Jam diximus in principio hujus tractatus, quod tertia porta atrii meridionalis vocetur porta aquæ, & in Gemara ad titulum *Joma* exponitur, quod super hac porta erat balneum, in quo Pontifex maximus die expiationis se lavabat lotione prima, eo autem confluebat aqua e fonte quodam dicto Etam, de hac lotione dixerunt in codice Joma eum in loco profano situm esse, sicuti ibidem exposuimus. Porro quoque expositum est, quod Pontifici maximo erat conclave aliquod prope huic loco super atrii porta, & quantum e Gemara liquet, conclave hoc ligneum erat; nam ad septentrionem, ubi est conclave Pontificis maximi, erat quoque conclave Parhedrin in principio Joma memoratum. Illud vero conclave quod ad meridiem erat, est conclave domus Abtines, in quo Pontificem maximum ad jusjurandum adigebant pridie ante magnum expiationis diem.

[36] *Parhedrin &c. Babyl. fol.* 8. Traditio R. Jehudæ. Quid? Num fuit conclave Parhedrin? Nonne conclave Βουλευτῶν? primo vocabatur conclave Βουλευτῶν (*seu consiliariorum, aut assessorum*) at cum pecunia Pontificatus emeretur, annuatimque mutaretur, sicut annuatim mutantur προίδιον: Regis, ideo exinde vocatum est couclave προίδιον: *& Glossa ad hunc locum*: Impii fuerunt Pontifices, atque annum totum non adimplerunt, isque qui alteri successit, ædificium hoc immutavit, atque ornavit, ut suo nomine vocaretur. *Bartenora ad cap. 1. Joma*: Præfecti Regis vocantur Parhedri; nam Pontifices maximi sub templo secundo post Simeonem justum dabant nummos pro ministerio Pontificis maximi, & quia mali erant, non implebant annos suos, & mutabantur ad mensem duodecimum, quemadmodum præfecti singulis annis mutari solebant, propterea istud conclave vocabatur conclave Parhedrorum.

[37] *Nicodemus &c. Gittin fol. 56.* 1. Tres ditissimi erant Hierosolymis, Nicodemus ben Gorion, & Calba Sabua, & Zizith Hakkesoth *: & Echah Rabbathi fol.* 64. 1. Erant Hierosolymis quatuor Βουλευταί, ben Zizith, & ben Gorion, & ben Nicodemon, & ben Calba Sabua; *mentio fit etiam filiæ Nicodemi ben Gorion cujus lectus erat stratus duodecies mille denariis. Avoth R. Nathan cap. 7. sed pauperrima facta est. Chetuvoth fol. 66.* 2. Viderit eam Rabbam Jochanan ben Zaccai colligentem hordea ex stercore jumentorum Arabum, & dixerit ei, filia mea, tu quænam? Et illa, ego sum filia Nicodemi ben Gorion: Et quid fit, inquit ille, de divitiis patris tui? &c. Vide. *Avoth. R. R. Nathan. cap.* 7.

[38] *Putei &c. Maimonides ad cap. X.* 14. *Eruvin:* בור הגולה, *Puteus captivitatis* fuit puteus in cella aliqua in cellis *templi*. Super isto fuit rota, a qua rota audiebatur sonus magnus tempore haustionis. Sic super puteo etiam magno, & puteo scaturiginis, חקר & חקר sunt unum & idem; (scaturigo scilicet) vocaruntque ita (*puteum istum*) propterea quod fuit scaturiens, ex (*radice* חקיר *scaturire Jerem. VI. 7.*) כחקיר *sicut scaturire putei aquam suam.* Fuerunt vero super istis duobus commemoratis puteis rotæ. Et Prophetæ permiserunt illis, quando ascenderunt ad festa solemnia, haurire ex istis puteis per rotas istas. Perrexerunt postea populus in consuetudine, ut haurirent ex istis solis, propter permissionem Prophetarum. Nec transtulerunt privilegium istud ad puteos alios. Quod vero prohibuerunt haustionem per rotas circa puteos alios, ratio a casu est, ne forte hauriret *quis* pro horto suo, aut loco sicco, aut loco alio, pro quocunque vellet haurire aquas propter velocitatem haustionis per istas rotas. Similiter tamen licitum fuit haurire ejusmodi *rota intra urbes : Vide hic Bartenoram.*

[39] *Gazith &c. Joma* 25. *I.* Conclave Gazith erat species Basilicæ magnæ; eratque dimidium ejus in loco sancto, dimidium alrerum in profano, duoque habuit ostia, quorum unum versus sanctum, alterum versus profanum aperiretur.

[40] *Structum a Simone &c.* Vide *Juchasin fol.* 16.

[41] הנשיא *&c. Incerum an fuerit princeps, an pater Synedrii. R. Abraham ben Zachuth* : omnium duumvirum (inquit) prior erat princeps, posterior pater Synedrii. Sed de Simeone ben Schetach & Jehuda ben Tabbai adhuc disputatur; R. Meyr enim Jehudam ben Tabbai Principem fuisse existimat, & Simeonem ben Schetach patrem Synedrii, verum sapientes contrarium statuunt.

[42] *Consensu Synhedrii &c. Middoth cap. V.* 3. In conclavi cæsi lapidis consessus magni Israelis sedebat *: Maimonides de Templo cap. V.* 17. In conclavi lapidis quadrati considebat Senatus supremus: atque hoc conclave dimidium profanum, ostiaque habebat duo, alterum in sancto, alterum in profano; Senatus in dimidio profano considebat.

[43] *In portione tribus Juda &c. Gemara Sevachim fol.* 45. Et si cupis pronunciabo, Senatores Synhedrin in sorte Judæ collocentur, & divina præsentia in sorte Beniamin.

[44] *Phineas &c. Middoth cap. I.* 4. In oriente erat porta Nicanor, quæ duo habebat conclavia, unum a dexrra, alterum a sinistra, unum erat conclave Pinchasi vestiarii, alterum conclave crustulario destinatum : *Bartenora in hunc locum* : *Pinchasi vestiarii*, is erat præfectus ad Sacerdotes vestiendos, & exuendos ante & post ministerium eorum, & ad vestes Sacerdotales

tales

tales cuſtodiendas : *conclave illius qui ſartagines parat* in hoc munus parabatur , quod Pontifex maximus quotidie offerebat unum dimidium mane , & alterum veſperi &c. *Maimonides de Templo cap. V.* 17. Præterea autem duo erant in Iſraelitarum atrio conclavia , unum a dextra portæ in oriente ſitæ , quod erat conclave Phineſi veſtiarii, alterum erat a Jæva , quod conclave erat eorum, qui cruſtula conficiebant .

[45] *In quo 96 &c. Maimonides de vaſis ſanctuarii cap. VIII.* 8. Atque erant in Sanctuario , ubi veſtes illæ reponerentur ſex & nonaginta arcæ , quatuor videlicet pro unaquaque curia . Ita ſuis cujuſque curiæ arcis proprium erat nomen inſcriptum , jam arcæ illæ erant omnes occluſæ . Et cuique curiæ cum intraſſet templum ſacris ſua hebdomada operatum, propriæ reſerabantur per totam hebdomadam arcæ , ex quibus veſtimenta neceſſaria depromeret , quæ cum abiiſſet , repoſitis veſtimentis arcæ rurſus occludebantur. Quod autem arcæ quatuor unicuique curiæ tribuerentur , hæc cauſa fuit atque ratio ; ne Sacerdotalium varia inter ſe ornamentorum genera confunderentur , ſed femoralia conderentur omnia in una ſeorſim arca , cui inſcriptum erat FEMORALIA, baltei ſeorſim in alia arca, in qua ſic inſcriptum erat BALTEI , item tiaræ arca reponerentur in alia , in alia tunicæ: *Idem ad cap. V.* 8. *Succa* . Sic etiam ibi erant 24. capſæ, quæ continebant veſtes Sacerdotales , una capſa pro qualibet cuſtodia , & omnes clauſæ; quando igitur intrabat cuſtodia ad miniſtrandum , aperiebat portam , excepta cuſtodia Bilgæ : *Vide hic etiam Bartenoram* .

[46] *Credibile eſt &c. Miſn. Sekalim cap. V.* Hi præfecti fuerunt in Sanctuario Johannes &c. Pinchas veſtimentorum : *In quem locum Maimonides* : Hi quindecim gradus deputatorum, quorum hic fit mentio , ſemper erant in templo, erat enim neceſſe ut ſuper quolibet gradu munerum eligeretur deputatus; præterea quoque ſine dubio fuerunt , qui hos præfectos in qualibet ætate anteceſſerunt ; ſed auctor enumerat hos ut homines pios & notos , & nominat unum cujuslibet gradus, & nominat etiam piiſſimos præfectorum diverſorum temporum , & hoc eſt quod dicunt in Gemara , enumera pios cujuslibet ætatis : *Bartenora . Hi ſunt præfecti* ; quindecim ſpecies præfectorum, quos Miſna hic recenſet, ſemper erant in templo , at non eodem tempore fuerunt illi homines , quos enumerat , ſed enumerat tantum cujuslibet ætatis pios & bonos. Magiſtri vero mei exponunt , quod primi præfecti ſic vocati ſunt , & quod propterea iiſdem nominibus ſe vocarunt illi, qui ſucceſſerunt : *Schilte Haggibborim cap. XXXVI.* Præfecti , qui erant in Sanctuario erant quindecim , *& in cap. V.* 1. *Sekalim* initium ducitur ab Johanne , qui Sigillorum præfectus fuit ; Sigillorum præfecti nomine Johannis appellabantur , aut quia fuit homo pius ſua ætate, aut quia Johannes fuit primus , qui ejuſmodi munere functus ſit , atque ita dicetur de reliquis præfectis , qui in Miſna commemorantur , quod primi fuerint :

[47] *Ad hunc locum &c. Maimonides de Templo cap. VIII.* 11 Mane paulo ante , quam naſceretur aurora, veniebat præfectus templi, & pulſabat apud Sacerdotes, qui in domo ardoris erant, quam huic illi patefaciebant, tum præfectus clavem ſumebat, & ſitum inter domum ardoris & atrium oſtiolum aperiebat, per quod e domo ardoris abibat in atrium . Conſequebantur Sacerdotes , qui duas faces præſeferentes in turmas diſpertiebantur duas , quarum altera in orientem , altera pergebat in occidentem , & totum abeuntes luſtrabant atrium uſque dum rurſus ambæ coirent in eum locum , ubi fiebant cruſtula ; quo cum conveniſſent , utraque , pax ajebat , pax ubique , & cruſtula deſinebant efficere cruſtularii : *Bartenora ad cap. I.* 3. *Tamid.* Sacerdotes autem in duas catervas ſeparabantur ad omnia miniſterii vaſa viſitanda , an omnia eſſent in locis ſuis . Deinde per porticus in latere ſeptentrionali extructas procedebant , una caterva per illius dimidium ibat ad latus orientale , altera vero ad latus occidentale ibat per dimidium ipſius , donec ambæ ſibi invicem occurrerent in loco , ubi parabantur ſartagines Pontificis maximi , quas ille quotidie offerebat , unum dimidium mane , & alterum veſperi , & hic locus erat valde portæ Nicanoris vicinus , ibique unus dicebat altari , *pax omnia in pace ſe habent* , ac ſi dixiſſent, nos omnia vaſa in pace offendimus , & nullum deficit . *Vide hic Maimonidem, & cap. VI. de ſacrificiis jugibus & addititiis.*

[48] *Ubi Seniores &c. Tamid cap.* 1. In domo Abtines & Nizotz erant conclavia , ubi juvenes excubabant, domus foci erant concamerata, magna domus erat circumdata tabulis lapideis, ubi dormiebant ſeniores domus paternæ: *Maimonides cap. VIII. de Templo* 5. Domus ardoris teſtudo erat , atque domus illa erat ampla projecturis circumdata lapideis ; hic cubabant ſenes ejus familiæ, quæ de die rem divinam adminiſtraverant .

[49] *Et claves atrii &c. Middoth. cap. I.* 9. Tabulæ vero marmoreæ erat infixus annulus, item catena e qua ſuſpendebantur claves. Ubi tempus obſerandi oſtium appropinquaret , attollens tabulam annulo , claves e catena deſumebat æditus, atque claudebat ; Sacerdos intus (atrii januas) ubi jam abſolviſſet , & obſerraſset , reſtituit claves catenæ , tabulamque in locum ſuum repoſuit , eique pulvillo ſuo impoſito ſomnum cepit.

[50] *Sita erat &c. Bartenora ad cap. I. 6. Middoth Duo in loco ſancto duo in profano* , nam erat domus foci partim intra atrium in ſancto , partim vero in loco profano .

[51] *Adeoque male &c. In Middoth cap. I. ad ſeptentrionem ſtatuitur* . Ad ſeptentrionem erat porta prominentiæ &c. huic ſuccedebat porta oblationis , tertia dicebatur locus incendii: Ita vocatur (*ut inquit hoc loco Bartenora*) locus , quia in ipſo ſemper ardebat focus , ut Sacerdotes diſcalceati ſe calefacere poſsent : *Etiam a Maimonide in cap. V. de Templo 9. ad ſeptentrionem conſtituitur* . Hujus ad atrii latus id quod ad ſeptentriones ſpectabat extrinſecus erat magna domus appoſita inter atrium & antemurale. Quæ domus erat camerata &c. *Melius videtur mihi collocanda ad portam ardoris quæ ad auſtrum erat , quam ab hoc conclavi , ubi perpetuus ignis ardebat in gratiam Sacerdotum ;* denominatam fuiſſe veriſimile eſt , *neque ligna ad altare, ut putat Bartenora , per portam ardoris delata fuiſſe credenda ſunt , cum breviori via vel per portam aquæ, vel per portam Primitiarum , vel per portam Conclavis ligni, quæ ex ipſo conclavi in atrium aperiebatur, deferri potuiſſent.*

[52] *In cujus quatuor &c. Middoth cap. I. 6.* Quatuor conclavia erant in loco focario ſive incendii , veluti totidem κοιτῶνες verſus palatium vel baſilicam aperti, quorum duo in loco ſancto, duo in profano, atque proceres ſive trabium capita inter Sanctum & profanum diſtinguebant: *Maimonides ibidem :* Erant in ea domo conclavia quatuor duo ſita erant in ejus ſpatio ſancto, & in profano item duo , Id vero ſpatium , ejus ſanctum a profano diſtinguebant ſumma trabium .

[53] *Panum propoſitionis &c. Middoth ibidem* ad ortum brumalem conclave panum Propoſitionis: *Maimonides ibidem* conclave in angulo orientis & meridiei ſitum erat eorum, qui panes propoſitionis efficiebant.

[54] *Lapidum altaris &c. Middoth ibidem* ad ortum æſtivum conclave, quo Haſmonæorum filii altaris lapides olim congeſſerant, quos Græciæ Reges profanarunt. *Maimonides ibidem*: Jam in illud , quod in angulo orientis & ſeptentionis ſitum erat , conclave ſepoſuerunt Haſmonæi lapides altaris ejus, quod Græciæ Reges temeraverant .

[55] *Quo in balneum &c. Middoth ibidem*. Ad occaſum denique æſtivum conclave , quo in balneum deſcendebatur : *Maimonides ibidem* & per conclave in angulo occidentis & ſeptentrionis ſitum deſcendebant in balneum.

[56] *Balneum &c. Sicui Sacerdoti acciderit noctu ſeminis fluxus , deſcendebat in balneum, ubi lavabat ſe , & mane cum portæ aperientur , e templo abibat . Tamid cap. I.* 1. Si alicui ex illis accideret ſeminis fluxus , egrediebatur per circuitum , qui ducebat eum ſub Biram , candelis hic & illic accenſis, uſque dum perveniret ad domum lotionis , ubi ignis erat , & locus ſecretus honoris, hic autem honor ejus fuit, ut, quando inveniebat clauſum , ſciverit aliquem ibi eſſe , quando apertum cognoverit , quod nullus eſſet , deſcendebat, lavabat ſe , & abſtergebatur , calefaciebat ſe ante ignem, accedebat , & conſedit apud fratres ſuos ſacerdotes , donec portæ eſſent apertæ, tunc egreſſus abiit . *Middot cap. I.* 9. Si caſus nocturnus ali-

cui

cui ipsorum obtingeret, egressus per cochleam, descendebat in cryptoporticum, quæ sub sanctuario deducebatur (facesque hinc inde ardebant) donec balneo appropinquaret. R. Eleazar filius Jacobi, inquit, per porticum, quæ sub intermurali permeat, egressus pervadit portam Teri: *Maimonides ibidem*: Per hoc igitur conclave, qui descendebat in balneum per cryptoporticum subter sanctuario toto diductam ambulabat ad lucernas hinc & inde ardentes usquedum attigisset balneum; ibi focus erat & latrina, cui etiam id honoris habebatur, ut si occlusa reperiretur pro certo haberetur hominem inesse aliquem.

[57] *Agnorum &c. Middoth cap.* I. 6. Ad occasum brumalem erat conclave agnorum oblationis: *Maimonides ibidem*: nempe in occidentis & meridiei angulo situm erat conclave agnorum: *Differre videntur tractatus Tamid & Middoth de situ conclavis agnorum, alter in angulo septentrionali occidentali, alter in occidentali meridionali collocat*; *Quæ ita a Maimonide in commentario ad cap.* I. 6. *Middoth conciliantur*. Cæterum (*inquit*) Misna dicit conclave agnorum esse ad angulum occidentalem meridionalem, & tertio capite de sacrificio Jugi dicit eum fuisse ad septentrionalem occidentalem, id in Gemara jam conciliatum est, nempe ipsum esse in septentrione & de meridie participare, in meridie & participare de septentrione, hinc apparet, quod occidentalis meridionalis erat. Casus vero ita accipiendus est, conclave istud erat in ipsa domo foci occidentali meridionali, sicuti hic dicitur, si igitur locum ipsius consideres respectu atrii, erat is ab atrio in plaga septentrionali occidentali, uti dicitur in tractatu de sacrificio jugi. Cum ita se res haberet, conclave eorum, qui faciebant panem, quod est quartum conclave agnorum secundum computum codicis de sacrificio jugi, meridionale occidentale erit a domo foci, uti hic dicitur. Ego autem novi hæc non facile percipi nisi in figura delineentur; hæc vero sit domus foci figura in atrio, & quatuor conclavium, quæ in ipso erant, quam intueare & ea quæ de ipsa conscripta sunt, tum omnia hic dicta tibi erunt facillima: *Schilte Haggibborim cap.* XVI. & quod dixerunt, conclave agnorum fuisse in angulo septentrionali occidentali, & in tractatu Middoth collocatur in angulo occidentali meridionali, in Gemara jam huic objectioni respondetur; & dicunt eum, qui erat a plaga septentrionali, id conspexisse veluti fuisset in meridie, & eum, qui erat in meridie, vidisse, veluti fuisset in septentrione; & ratio postulat fuisse in angulo occidentali meridionali, quia idem conclave incendii erat in angulo occidentali meridionali, uti refertur in tractatu Middoth, & quando considerabatur ejus situs respectu atrii, erat in angulo septentrionali occidentali, uti dicunt in tractatu Tamid; & hoc modo conclave panum facierum (locus ubi viri de familia Garmu conficiebant panem facierum) erat in angulo meridionali orientali conclavis incendii.

[58] *Ubi sex agni &c. Maimonides de Sacrificiis jugibus cap.* I. 8. Non habebant unquam pauciores quam sex agnos, eosque diligenter inspectos, & perlustratos in conclavi agnorum, quod intra sanctuarium erat; hi enim quatriduum ante immolationem præsto adessent oportebat; Et cum singulos principio rite perlustrassent, tamen sacrificium juge nunquam faciebant, quin hostiam ante immolationem denuo perlustrarent facibus. *Misna* ערכין *cap. II.* 5. Non diminuendum est de sex agnis in conclavi visitatis. *Raschi in Babyl. cod.* שבועות *fol.* 10. *col.* 2. Bestiæ (*inquit*) pro sacrificio jugi, quibus Ecclesia non indiget, quas mercati sunt pecunia oblationis conclavis &c. traditur enim, non minus quam sex agnos exploratos fuisse in conclavi agnorum; adveniente vero novilunio mensis Nisan, non offerebant aliquod sacrificium cœtus e pecunia oblationis anni præcedentis, quemadmodum docetur in tractatu de initio anni (*his verbis holocaustum*) Kalendarum in ipsis Kalendis, Kalendarum (*dicitur quod indicatur*) oblationem esse faciendam ex oblatione nova. Inveniebantur itaque singulis annis quatuor agni reliqui in conclavi agnorum &c.

[59] *Sed in Tamid &c. Et quatuor illic erant conclavia, unum agnorum, alterum sigillorum, conclave domus foci, & conclave in quo præparabant panem facierum. Maimonides ad cap.* I. 6. *Middoth scribit conclave, in quo Hasmonæi profanati altaris lapides reposuerant, fuisse etiam vocatum conclave sigillorum*. Satis vero (*inquit*) notum est, quod conclave istud, quod in tractatu Tamid vocatur conclave sigillorum, sit id ipsum, in quo absconderunt filii Chasmonæi lapides altaris. *Vide etiam ibidem Schilte Haggibborim*.

[60] *Altare exterius &c. Tosephot Joma fol.* 17. a. Non reperimus nisi tres de altaris loco sententias, una est, illud totum in septentrione fuisse, altera illud totum in meridie ponit, & tertia in medio atrii. *Quartam omittit, qua Ara fere tota in meridie statuitur. Gemara Joma fol.* 16. 2. Maxima pars aræ in meridie extat. *Sub dio erat. Maimonides ad Misn. Pirk. Avoth. cap. V.* 5. Jam nosti quod altare erat in medio atrii, & superius apertum, nihilominus tamen pluviæ nunquam extinguebant ignem, neque ventus dispergebat columnam fumi inter sacrificandum ascendentis. *Et Philo* περὶ θυόντων. Sub dio sita sit prope templi vestibulum. *Pleræque etiam Ethnicorum aræ sub dio sitæ erant. Diodorus Siculus Biblioth.* 34. Statuæ conditoris, & altari Dei subdiali porcam ingentem Sacrificavit. *Lucianus de Sacrificiis*. Nidor ille divinus & sacer sursum fertur, & in ipsum usque cœlum subvectus paulatim diffunditur.

[61] *Quotannis bis &c. Maimonides de Templo cap. I.* 16. Singulis annis altare bis dealbatur semel ad solennitatem Paschæ, & ad Tabernaculorum solennitatem iterum, quod quidem altari tectorium inducitur mappa, non trulla ferrea, quæ si quem altaris lapidem contingeret, temeraret utique.

[62] *Longum &c. Maimonides ibidem cap. II.* 5. Jam quod fecerunt altare reduces e captivitate (cujus ad similitudinem futurum est, id quod deinceps extruetur, *quod nequicquam expectandum*) id & in longitudinem & in latitudinem patebat duos & triginta cubitos.

[63] *Et altum &c. Maimonides ibidem*. Jam qui erant in altaris altitudine cubiti decem, eorum alii e palmis quinque, alii constabant e palmis sex; verum in reliquo templi ædificio cuncti cubiti constabant e palmis sex, omninoque altare totum octo & quinquaginta palmos altum erat.

Ut fundamentum &c. Maimonides ibid.: Hæc igitur erat mensura altaris & forma; erigebatur quinque palmos in altitudinem, & inde retractio quinque palmorum. Itaque deinceps latitudo altaris erat triginta cubitorum cum duobus palmis quaquaversus, deinde erigebatur etiam triginta palmos, rursumque fiebat retractio quinque palmorum, hic erat altaris gyrus. Tum etiam duodeviginti palmos in altitudinem excitabatur, hic erat locus structionis, qui patebat quaquaversus quatuor palmos & cubitos duodetriginta. Post autem quam hos duodeviginti palmos erectum erat, contrahebatur etiam in angulis, nimirum excitabatur in unoquoque altaris angulo veluti cornu quoddam ex ædificio quadrato & eodem cavo. Et horum quatuor cornuum altari circumdatorum quodque hinc & inde cubitum occupabat; ibidem circumquaque relinquebatur sacerdotibus spatii tantundem in quo pedes ponerent. Itaque locus ille, in quo sacra struebantur omnino quatuor palmos & quatuor supra viginti cubitos in longitudinem & in latitudinem patebat: *Vide Schilte Haggibborim cap. XXVI. & Maimonidis & Bartenoræ commentarium in cap.* III. *Middoth*.

[64] *Notandum. &c. Misna Celim cap. XVII.* 10. R. Meyr dicit, omnes cubiti erant mediocres, altari aureo, cornu, circuitu, & fundamentis exceptis. R. Jehuda dicit, cubitus ædificii erat sex palmorum, vasorum autem quinque: *Maimonides* ad cap. III. *Middoth*. Jam diximus in Menachoth, quod cubiti altaris aurei, & altaris cornua, circuitus, & fundamentum erant cubiti quinque palmorum (vulgaris autem & mediocris cubiti mensuram Misna memoravit sex palmorum) cætera vero sex palmorum, ita traditione accepimus.

[65] *Cornua &c. Maimonides de Templo cap. II.* 8. erat cujusque cornu altitudo palmorum quinque, quadrum vero cujusque cornu quaquaversus cubitum patebat; jam hæc quatuor cornua erant intus cava.

[66] *Per clivum &c. Maimonides ibidem*. Ad meridiem altaris erat ædificatus collis. Is in longitudinem patebat duos & triginta cubitos, & sexdecim in latitudinem, nempe occupabat in terræ solo spatium triginta cubitorum ad altaris latus, tum etiam supra basim spatium unius cubiti procedebat; procedebat & alterius cubiti spatium supra gyrum; attamen pau-

lulum inane inter collem & altare projicerentur. Jam collis iſte erat altitudine novem cubitorum minus ſextante; pertinebat enim ad eum altaris locum, quo ſacra ſtruebantur: *Schilte Haggibborim cap. XXVII.* Clivus etiam exſtructus erat ad plagam auſtralem altaris, longus duo & triginta cubitos, & ſexdecim latus, & occupabat in terræ ſolo triginta cubitos ad latus altaris, & occupabat cubitum baſis, & cubitum circuitus, uti dictum eſt in Gemara Sevachim cap. VI. 1. & erat, aliquantum ſpatii inter clivum & altare, ut membra porriciens ſuper altare imponere poſſet; & altitudo clivi uſque ad locum, quo ſacra ſtruebantur, erat novem cubitorum minus ſextante.

[67] *In hoc erat &c. Maimonides ibidem.* Ad occidentem collis erat quadratum unius cubiti cavum, quod *Genu* dicebatur. In hoc hoſtiæ pro peccato volucres, quæ vitiatæ fuiſſent, condebantur uſque dum illarum figura mutaretur, & tum demum igni conſumebantur. *Schilte Haggibborim ibidem* & feneſtra erat in plaga occidentali ejus clivi quadrato unius cubiti, uti refertur in Toſaphta Sevachim & vocabatur רבובה, ideſt Cavitas, in quam conjiciebantur rejectanea ſacrificia pro peccato ex avibus, donec eorum forma mutaretur, & deinde exibant ad locum combuſtionis.

[68] *Spargebatur &c. Maimonides de Sacrificiis jugibus, & addititiis cap. VI.* Et collis quoque ſale ſternebatur etiam Sabbato, id ideo, ne ſi lubricus foret, in eo conciderent Sacerdotes dum ad rogum ligna ferrent. Quod autem ſal inter pedes Sacerdotum & collem intercedebat, quoniam ambulatio iſta per ſe ipſa nullum erat divinum miniſterium, omnino nihil movebat.

[69] *Sacerdotes &c. Toſaphta Sevachim cap.* VII. 6. Quicunque aſcendebant ad altare, aſcendebant a plaga orientali, & per occidentalem deſcendebant, aſcendebant ad dextram, & a ſiniſtra deſcendebant, excepto libamine aquarum, & vini, & holocauſto ex avibus, quod ab occidente aſcendebant, & ab occidente deſcendebant, & a dextra deſcendebant. *Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap.* VII. 11. Omnes in altare conſcendentes, conſcendebant ad dextram, idque circumibant, atque deſcendebant ad ſiniſtram. Excipiuntur qui conſcendebant in altare peracturi unam aliquam ex tribus illis rebus, quæ in ſuperiori parte cornu paulo ante dicti fiebant: Hi videlicet in altare conſcendebant, atque ſeſe ad ſiniſtrum altaris cornu vertebant, operabantur, & retrorſum abibant. Quod autem iſti ſeſe ſtatim vertebant ad partem altaris ſiniſtram, hæc erat cauſa, ut primum ſeſe offerret altaris cornu occidenti & meridiei intermedium. Qui ſi ſe convertiſſent ad dextram, tum altare circumiſſent, donec perveniſſent ad cornu meridiei & occidenti intermedium, periculum fuiſſet, ne inficeretur vinum, & aqua altaris fumo, aut ſuffocaretur volucris. *Vide Gemar. Sevachim fol.* 64. 1.

[70] *Solus Pontifex &c. Joma cap.* IV. 5. In omni die Sacerdotes gradus aſcendebant ea parte qua orienti proxime jacebant, & deſcendebant, qua occidentem ſpectabant; hodie Sacerdos magnus aſcendebat in medio, & deſcendebat in medio. R. Jehuda dicit; ſemper Sacerdos magnus aſcendebat in medio, & deſcendebat in medio. *Maimonides de vaſis Sanctuarii cap.* V. 13. Cum igitur ſacris operaretur ſummus Sacerdos ad altare per collem aſcendebat, & incedebat ad dextram ejus Vicarius; ut medium collem attigiſſet ſummus Sacerdos, ejus dextram apprehendebat Vicarius, atque illum porro producebat ad uſque faſtigium, tum ei porrigebat Sacerdos is, qui jugis ſacrificii caput ad altare deferebat &c.

[71] *In hoc clivo &c. Babyl. Menachoth fol.* 21. 2. Tribus in locis ſal eſt repoſitum. In conclavi ubi ſal aſſervabatur, in clivo altaris, & in ſummitate altaris. In ſalis quidem conclavi ſaliunt pelles ſanctas, in clivo ſaliunt membra, in ipſo autem altaris vertice ſaliunt pugillum, & thus, & ſuffitum, & oblationem Sacerdotis uncti, & oblationem libaminum, & holocauſtum avis &c. *Maimonides de rebus altari interdictis cap.* V. 13. Tribus igitur locis ſal diſtribuebatur, in conclavi ſalis, in colle, atque in ſummo altari. In conclavi ſalis ſoliebantur victimarum pelles, in colle membra victimarum, & in ſummo altari ſaliebatur id, quod e ferto oblato Sacerdos pugillo tollebat, & thus, eaque fertorum genera, quæ igni conſumebantur, & holocauſtum ex avi.

[72] *Ad latera &c. Gemara Sevachim fol.* 62. 2. R. Jehuda dicit; duo pontes parvi exibant e clivo, in quorum uno ad fundamentum, in altero ad cingulum abibant, atque ſeparati ab ara latum unguem &c. *Jarchi ad hunc locum.* Ponticulus qui ad fundamentum abit, ad occidentem prodit, ut in eo reliquiæ ſanguinis expiatorii deferri poſſint, nam qui *in iſto officio* de ara deſcendit, per ſiniſtram clivi ad fundamentum meridionale deſcendit. Et quidem incipit Ponticulus in Clivi declivitate procul ab ara, ut levis ſit deſcenſus ei, qui ad fundamentum deſcendit &c. *Maimonides de Templo cap. II.* 14. Præterea autem ex eo colle prodibant duo parvi ponticuli, qua Sacerdotes altare circuituri irent ad gyrum & baſim, hi diſtabant ab altari tranſverſum unguem.

[73] *Planities &c. Middoth. cap. III.* Aſcendebat quinque cubitis, & coarctabatur in cubitum, qui eſt circuitus, deprehendebatur eſſe octo & viginti cubitorum quaquaverſum. Locus cornuum ab omni parte unius cubiti, adeo ut quaquaverſum remanerent ſex & viginti cubiti. Locus ambulationis ſacerdotum hinc inde unius cubiti, ita ut pateret circumquaque cubitos quatuor & viginti locus pyræ. Dixit R. Joſe; ab initio non patebat altare niſi octo & viginti cubitos quaquaverſum, contrahebatur & ſurgebat ſecundum iſtam menſuram, donec redderetur locus focarius 20. cubitorum quaquaverſum. Cum autem aſcendiſſent, qui ſuſtinuerant captivitatem, addiderunt illi quatuor cubitos a ſeptentrione, & quatuor cubitos ab occidente inſtar literæ Gamma, quia dictum eſt Ezech. XLIII. 16. *Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis, quadrangulatum æquis lateribus.* Dici poterat non niſi duodecim fuiſſe quaquaverſus, itaque cum dicit, *quadrangulatum æquis lateribus*, docet ſe a medio menſurare duodecim cubitos in quamvis partem. Vide *Maimonidem ibidem.*

[74] *A quibus &c. Maimonides ibidem.* Et horum quatuor cornuum altari circumdatorum quodque hinc & inde cubitum occupabat, ibidem circumquaque relinquebatur ſacerdotibus ſpatii tantundem in quo pedes ponerent.

[75] *Quem alii &c. Jom Tobh ad Sevachim cap. IV.* 2. Opinor Raſchium hic per circuitum ambulacrum Sacerdotum in aræ vertice conſtitutum intelligere. *Sevachim* fol. 62. T. M. Quid eſt *ambitus ille Exod.* XXVII. 5.? *Reſp. Spatium unius cubiti latitudine*, quod inter cornua erat, *eratque* ambulacrum ſacerdotum cubitale. *Obi. Hoc pacto*, quomodo Sacerdotes *ab uno latere in aliud* pergere potuerunt obſtantibus cornibus? Idcirco dicendum eſt, *ambitum comprehendiſſe ſpatium inter cornua*, & cubitum qui eſt ambulacrum Sacerdotum. Quod autem *ambitus infra ſummitatem aræ deprimitur*, *cum* dicitur *Exod.* l. c. *Quos pones ſubter arulam altaris, eritque craticula uſque ad altaris medium*; id R. Nacman B. S. ſolvit, duos סובבים circuitus (*ut Raſchi ait*) ſtatuendo unum ornamento *parietibus aræ adhærentem de quo textus proprie loquitur, & nos ſupra*, alterum commodo Sacerdotum *in capite aræ conſtitutum duos cubitos latum, qui ambulacrum Sacerdotum diceretur factum, ne Sacerdotes* labeſcerent & impingerent.

[76] *In hoc erant &c. Toſaphta Joma* II. 18. In omni alio die duo erant ibi ordines (lignorum) & hodie tres, unus pro ordine magno, & alter pro ordine minori, & unus addebatur pro ſuffitu loci interioris; verba R. Jeudæ; R. Joſe alterum addebat ad conſervandum ignem. Rabbi alterum adjiciebat pro membris & adipibus, quæ veſperi nondum conſumpta eſſent. Maimonides *Tamid. cap. II.* 4. Singulis diebus tres in ſummo altari rogos exſtruebant, unum ingentem, quo Sacrificium juge & reliqua porro ſacrificia adolerentur, alterum ad latus ſuperioris; ex iſto ignem dabatur in thuribulum ad ſuffimentum quotidie incendendum, tertius omnino ad uſum erat nullum, ſed ad obſervandum præceptum hoc de igne; *Ignis perpetuo ardebit in altari Levit. I.* 13.

[77] *Inter illos &c. Tamid cap. II.* 2. Inceperunt colligere cinerem in cumulum, cumulus erat in medio altaris, aliquando in eo erant trecentæ menſuræ Cor, & in tribus feſtis non decinerabant eum, quia ille pertinebat ad ornatum altaris. *Raſchi Levit. VI.* 4. Cinis in pomum collectus cum multus eſt, & locum rogorum occupat, inde auferendus eſt. Haud vero id debi-

bitum eſt, cui ſatis ſingulis diebus facere teneamur, quemadmodum prunarum ablatio eſt. *Maimonides Tem. cap. II.* 7. Jam ſegmentorum extrema interiora attingebant cinerem in medio altari cumulatum, quod *Pomum* vulgo nominatur.

[78] *Cornua &c. Maimonides de Templo cap. II.* 8. Erat cujuſque cornu altitudo palmorum quinque, quadrum vero cujuſque cornu quaquaverſus cubitum patebat; Jam hæc quatuor cornua erant intus cava.

[79] *Duo foramina &c. Raſchius ad Succa IV.*9. *Singulum* ſimpulum uno naſo inſtructum erat, *ſingulusque* naſus foramine uno; Sacerdos vero libaturus effundebat libamina in orificium ſimpulorum, ex quo per naſos effluentia in ſuperficiem altaris deſcendebant, ubi foramen erat, quod aquam vinumque in ſentinam altaris *ſubterraneam* excavatam valdeque profundam demitteret. *Idem ad Exod. XXIX.* 40. Libatio fit in ſimpula; ſicut diſcimus ex Maſſecheth Succa, duo ſimpula argentea fuiſſe ſupra altare perforata, inſtar duorum naſorum tenuium. Vinum funditur in ſimpulum, hoc tranſmittit, & per naſum ejicit vinum, quod dein in ſuperficiem altaris cadit, atque hinc in columbaria ſubjecta deſcendit in ara Templi; in altari vero æneo, ex altari in terram defluit. *Schilte Haggibborim cap. XXVI.* Et ecce produxerunt altare ad meridiem & ad occidentem propter Sitin, ideſt foramina ſubterranea, per quæ deſcendebant libamina, quia ab initio tempore Salomonis fecerunt altare terra occluſum, nec cavum erat, & quando libabant ſuper altare in cornu auſtrali occidentali, libamina deſcendebant ex altari ad fundamentum, & defluebant in foſſam, quæ eo loci excavata erat prope cornu auſtrale occidentale, circa altare, ſed non intra ipſum altare. Idcirco reduces a captivitate altari aliquid addiderunt, ut illa foſſa colligeretur intra altare, & duo foramina aperuerunt in ſummitate altaris e regione illius, ut eo mearent libamina, quia dicebant, potus ſimilis eſt cibo, nempe ſicuti cibus in altari conſumebatur, ideſt ſacrificia, quæ ſuper altare comburebantur, ita quoque potus, ideſt libamina, in altari conſumendus erat.

[80] *Vinum ſacrum &c. Meila fol. II. 6.* Foramen parvum inter clivum & altare ad latus illius occidentale fuit, in quod ſemel per ſeptuaginta annos Sacerdotes juvenes deſcendebant, & vinum ſacrum, quod jam maſſe ficuum inſtar concreverat, repetebant, in ſanctitate comburendum. Q. ſ. e. *Num. XXVIII. 7. Et libabitis vini quartam partem hin per agnos ſingulos in Sanctuario Domini. Hinc* uti libatio in ſanctitate fuit, ita etiam combuſtionem eo modo faciendam eſſe *colligitur*. *Middoth* cap. III. 3. Inferius in pavimento ad idem cornu erat locus quadratus unius cubiti, ubi tabulæ marmoreæ annulus infixus erat, qua deſcendebant in foveam, ſive camarinam, eamque purgabant. *Maimonides* de *Templo* cap. II. 12. Ad eumdem angulum erat in pavimento locus cavus, qui cubitum unum quaquaverſus patebat. Is operiebatur tabula, in qua annulus inerat hac deſcendebant, qui ſubjectam foſſam purgarent.

[81] *Linea rubra &c. Toſaphta Sevachim cap. VI.* 9. & in angulo meridionali orientali non erat baſis, erat vero filum rubrum in medio altaris, ab eo & inferius erant quinque cubiti, ab eo & ſuperius erant quinque cubiti; quod omnes ii (ſanguines) infra aſlegitimi pergendi erant a filo rubro & inferius, & omnes ii, qui ſupra aſpergendi erant, legitimi erant a filo rubro & ſuperius; verba R. Meyr; & ſapientes dicunt, de quo hæc intelliguntur? de holocauſto avis; ſed de ſacrificio pro peccato animantis non aſpergebant niſi ſupra cornu: *Maimonides ibidem*: Erat autem altari ad dimidiam partem filum coccineum circumdatum, quod ſuperiorem ſanguinem diſcerneret ab inferiori. *Bartenora ad cap. III. Middoth*: *& filum coccineum cingebat medium illius*, filum rubrum undequaque cingebat altare circa medium ab altitudine illius in fine quinti cubiti, qui eſt unus cubitus de altitudine circuitus סובב dicti. *Ad diſcernendum inter ſanguines ſuperiores*, nam ſanguis ſacrificii pro peccato e pecore deſumti & holocauſti ex avibus ſpargebatur ſupra filum coccineum, *& inferiores* & ad diſcernendum inter reliqua ſacrificia, quorum ſanguis infra filum coccineum ſpargitur.

[82] *Duo foramina &c. Toſaphta Sevachim cap. VI.* 10. Baſis habebat duo foramina veluti duo fila tenuia, per quæ ſanguines deſcendebant, & in foſſa miſcebantur, & defluebant in torrentem Cedron, & ſtercorandis hortis olitoribus vendebantur, & in iis erat prævaricandi locus: *Maimonides ibidem*: In angulo qui erat intermedius occidenti & meridiei foramina erant duo tenuiſſimarum inſtar narium; nimirum hæc illa ſunt, quæ ſitia appellantur, per quæ multiplex ſacrificiorum ſanguis ab altari deſcendebat, iſque ad eumdem angulum in ſubjecta foſſa confundebatur, unde permeabat ad torrentem Cedron: *Bartenora ad cap. III.* 2. *Middoth*, *& in cornu meridionali occidentali* inferius in cubito fundamenti duo erant foramina, *per quæ ſanguis ſparſus ſuper fundamento occidentali deſcendebat*, uti ſunt reliquiæ ſanguinis ſacrificii pro peccato, cujus ſanguis ad altare interius ſpargebatur; nam poſt omnes ſparſiones ſanguinis reliquiæ ſuper fundamento occidentali ſpargebantur. *Et ſuper fundamentum auſtrale*, ſuper hoc fundamento ſanguinis reliquiæ ſacrificii pro peccato ad altare exterius ſpargendi effundebantur; *deſcendebant per iſta* ſcilicet foramina, & commiſcebantur in canali aquæ atrii, & illinc effluebant in fluvium Kidron; hortulani vero ſanguines iſtos emebant a præfecto ærarii ad agros ſtercorandos.

[83] *Fundamentum &c. Middoth cap. III.* Atque fundamentum erat ambulacrum, ſive pervadebat per totum latus ſeptentrionale ac totum latus occidentale, & abſumebatur ad auſtrum uno cubito, pariterque ad orientem, vel ab auſtro occupabat unum cubitum, ſimiliter ab oriente: *In quem locum ita Bartenora*: & abſumebatur ad auſtrum uno cubito, pariterque ad orientem. Totum altare erat in parte Beniaminis, excepto cubito per ſuperficiem meridiei in longitudine, & cubito per ſuperficiem orientis in longitudine, quem decerpebat in parte Judæ; ſed cubitus orientalis ſe non extendebat per totam ſuperficiem orientis; nam poſtquam cubitus perveniſſet ad cornu orientale ſeptentrionale, deſinebat intra cubitum prope cornu. Sic etiam cubitus quem altare decerpebat e meridionali plaga, non ſe extendebat per totam meridionalem plagam, nam poſtquam ad cornu meridionale occidentale perveniſſet, deſinebat cubitus prope cornu, hinc fiebat ut tria cornua altaris eſſent in parte Beniaminis, ſed cornu meridionale orientale duntaxat erat in parte Judæ, & quia Jacobus benedixit Beniamini dicendo, *Geneſ. XLIX.* 27. *Mane comedet prædam, & veſpere dividet ſpolia*, Targum iſta verba interpretatur, *in hæreditate ipſius ædificabitur ſanctuarium*, quicquid ergo ſacrificiis conſecratum eſt, id in parte Beniaminis duntaxat erit, idcirco in cornu meridionali orientali non ſtruxerunt fundamentum, quia non erat in parte Beniaminis, propterea ſanguines non ſpargebantur infra filum in iſto cornu ſive angulo: *Raſchius ad Gemar. Sevachim fol.* 54. 54. In cornu notozephyrino fundamentum ſtruxerunt, ſed tantum uno cubito in latere meridionali, *deinde vero* vacuum univerſum latus illud reliquerunt, ut & latus orientale, uſque ad cubitum unum prope cornu euroboreale, ſicut in *Miſna infra* traditur, unum cubitum occupavit ad orientem, unumque ad meridiem: *Maimonides ibidem*: Baſis altaris non erat in lateribus quatuor ex æquo ducta, ſicut erat gyrus; erat enim baſis latus ſeptentrionale totum æquabiliter ductum; pariter & latus quod ſpectabat occidentem; ſed ad meridiem unius cubiti ſpatium erat exeſum tantundem ad orientem, ita ut medius inter meridiem & orientem angulus baſis prorſus eſſet vacuus.

[4] *Ad ortum altaris &c. Maimonides Temid. cap. II.* 12. Hic carbones huc & illuc dimovebat, & ex iiſdem capiebat, qui in medio ignis erant quam maxime exuſti, atque in terram deſcendebat, oreque ad ſeptentrionem verſo ad orientem collis ambulabat in terræ ſolo cubitos circiter decem verſus ſeptentrionem, tum quos ceperat carbones coacervabat in pavimento ad tertium circiter a colle palmum. Hoc eodem loco reponebantur ingluvies avis, cinis altaris interioris, item & cinis candelabri.

[85] *Ubi ſex erant &c. R. Salomo ad cap. V. 8. Succa* XXIV. annuli erant in atrio in regione receptaculi poparum, juxta numerum XXIV. claſſium. Hi autem lapidibus pavimenti erant inditi, porro annulus talis ab una extremitate apertus erat ita ut ſurſum elevari, atque collum beſtiæ ipſi indi, poſteque iterum demitti atque extremitas aperta pavimento in-

infigi potuerit. Annulus vero Bilgæ *ab utraque parte* fixus manebat, neque converti poterat, ita ut alieno annulo uti in *mactando* fuerit coacta, id quod ignominiæ ipsi cessit. *Narrant Hebræi victimis præcipue majoribus, antequam ipsæ mactarentur, pellem capitis inter cornua incisam fuisse, quo sanguine in oculos delapso visus eis interciperetur, ipsæque ad mactationem mitiores sese præberent, vel etiam stipite in fronte percussas fuisse, donec caderent. Gemara Sota fol.* 48. *col.* 1. Quinam sunt illi sacrificantes? Auctore R. Samuele docet R. Jehuda, eam quondam in templo Hierosol. obtinuisse consuetudinem, ut sacerdotes immolaturi vitulo pellem, quæ inter cornua ejus est, inciderent, ut sanguis in oculos ejus defflueret. In Misna traditur receptum quoque fuisse, ut victimæ mactandæ, fustibus in fronte, quoad mitescerent, cæderentur, quod idem vanæ superstitionis sacrificuli facere solebant: *Ut hæc consuetudo aboleretur, Jochanan summus Pontifex in atrio annulos statuit*.

[86] *Hos Johannes & Maaser Scheni cap. V.* 15. Jochanan Pontifex maximus abrogavit confessionem decimarum, abrogavit etiam expergefacientes, & laniones: *In quem locum ita Maimonides*: הנוקפים *laniones* sunt illi qui cæsuram incidebant bobus in altare offerendis, ut sanguis incideret in oculos eorum, ne viderent & mactare eos possent facilius נוקף vero est ille qui infligit vulnus; & in Gemara dicitur de eo אין נוקף כאצבעו מלמטה אלא א״כ מכריזין עליו מלמעלה, *nemo digito percutit inferne nisi superne (vel cælitus) fit decretum*; vide etiam derivationem vocis Esa. XVII. *6.* הנוקף זירז, quia is qui olivas percutit, contundit eas, & vulnerat, quando eas fortiter commovet. Jochanan vero has removit actiones, quia bos ille, qui offerebatur, commaculatus videbatur, infixerunt ergo clavos ferreos humi, quibus bestiæ pedes imponebant ut eo modo facilius mactarent eam, uti exponitur in tractatu Middoth. *Bartenora vero hoc loco scribit non pedibus sed collo inditos annulos, quod ab eo confirmatur in commentario ad Sota cap. IX.* 10. *Percussores* (*inquit*) qui percutiebant, & sacrificabant vitulum oblationis inter cornua, ut sanguis corruens obfuscaret oculos ejus, & hoc modo eo facilius ligari posset & decollari; & hoc etiam Jochanan abrogavit, quia macula affectus videbatur, & annulos in solo templi ordinavit, ut bestiæ eo facilius decollarentur, quando colla illis imponebantur. *Schilte Haggibborim ibidem*. Prope mensas erat locus annulorum, qui quatuor, & viginti cubitos occupabant; nonnulli dicunt fuisse sex ordines, quorum singuli continebant quatuor, & alii dicunt quatuor ordines sex annulorum pro singulis ordinibus, in quibus mactabantur animalia sacra in loco poparum, quia non vinciebant sacrificium juge; idcirco statuit Jochanan summus sacerdos quatuor & viginti annulos pro viginti quatuor excubiis sacerdotum, & infigebantur in pavimento in forma arcus, hisce immittebant pecorum colla, quando mactabantur, & extremitatem terræ solo infigebant. *Vide etiam Bartenoræ commentarium ad Middoth. III.* 5.

[87] *Dein octo mensæ &c. Maimonides de Templo cap. V.* 14. Tum octo cubitos patebat spatium mensarum; in eo mensæ erant marmoreæ, in quibus disponebantur victimarum artus, & lavabatur caro jam jam coquenda, mensæ vero omnino nemo &c. jam fuerant octo. *Schilte Haggibborim ibidem*. Præterea tredecim mensæ erant in Sanctuario, octo marmoreæ in loco poparum ad septentrionem altaris, supra quas lavabant pecorum intestina, & earum spatium octo cubitos patebat.

[88] *Ac totidem columnæ &c. Middoth. III.* 5. Receptaculum poparum erat ad septentrionem altaris, atque in eo vel apud ipsum octo columnæ humiles, quibus erant imposita quadrata e cedro ligna, his vero unci ferrei ita infixi erant, ut ligna singula haberent ordines eorum tres, e quibus sacrificia suspendebant, ac pelle nudabant ad mensas marmoreas, quæ inter columnas erant. *Maimonides ibidem*. Jam laniena ipsa patebat cubitos duodecim & semissem, cujus e latere suspensis victimis pelles detrahebantur. *Schilte Haggibborim ibidem*. Et locus lanienæ erat ad latus septentrionis, & patebat duodecim cubitos cum dimidio, & in eo, vel prope eum erant octo columnæ humiles e cedro, & lignum quadratum e cedro, idest tabula e cedro quadrata, & his e cedro quadratis lignis unci instar furcillarum ferrearum infixi erant, e quibus pecora suspenduntur, & tres uncorum ordines unus super alium erant in illis segmentis ligneis, ut ex his suspenderentur pecora magna, mediocria, & parva, ac pelle nudabant ad mensas marmoreas, quæ inter columnas erant, ne caro puteret.

[89] *Præter has &c. Maimonides ibidem cap. II.* 15. Erant etiam ad occidentem collis mensæ duæ, una e marmore, & ex argento altera. In illa victimarum ordinabantur membra, in hac apta rei divinæ vasa erant disposita. *Schilte haggibborim ibidem*. Et dicit, aliæ mensæ erant ad occidentem collis, una marmorea, altera argentea; In illa marmorea, imponebantur membra postquam animal in membra divisissent, donec Sacerdotes ad altare transtulissent, non eam confecerunt ex argento, aut auro, quamvis in loco divitiarum non sit locus paupertati, quia aurum & argentum calefaciunt, & putrefaciunt, sed marmor est frigidum, & refrigerat, & servat carnem, ne puteat; nec volebant miraculo inniti, quamvis dixerunt in *Avoth* quod nullo tempore caro Sancta putuisset; & in illa argentea imponebant tria & nonaginta vasa ministerii sacri argentea & aurea, quæ singulo mane producebantur tum cum sacrificium juge producebatur.

[90] *Inter Pronaon &c. Middoth. cap. III. 6.* Labrum erat inter propyleum sive porticum & altare, ac protrahebatur versus austrum. *Maimonides de Templo cap.* 1. *6.* Hoc sacrarium multis & variis rebus instruendum &c. labro basi fulto, ex quo sacerdotes operaturi manus consecrent & pedes. Hujus situs est inter vestibulum & altare versus meridiem ad sinistram introeuntis in sacrarium.

[91] *Postea ben Catin &c. Maimonides de ratione adeundi templi cap. V.* 14. 15. Quæ labro continebatur aqua ea nocte, sicut ante dictum est, profana fiebat; horum igitur alterutrum fiebat, aut singulis noctibus labrum vel in aquæ conceptaculo, vel in fonte submergebatur, & postero die mane extrahebatur, aut hoc idem aqua singulis diebus primo diluculo complebatur. *Bartenora cap. I. Tamid.* 4. *Ben Catin* ita vocabatur Pontifex maximus, qui מוכני fecerat pro labro, cujus ope aquam haurire poterant e puteo labri, quoties quis accederet ad se lavandum, ne aqua pernoctando inficeretur; nam quicquid in vase Ministerii consecratum est, id pernoctando inficitur, & dum labrum demissum erat in puteo, ea non inficiebatur.

[92] *Et quum antea &c. Tosaphta Joma cap.* II. 3. Filius Catini fecit labro duodecim Epistomia; duodecim Sacerdotes sanctificabantur in ipso eodem tempore, ab initio duo tantum erant, & duo Sacerdotes per ipsum sanctificabantur: *Maimonides de Templo cap.* III. 18. Erant labro mammæ duodecim, ut ex eo Sacerdotes jugi sacrificio operantes lavare possent simul omnes. Atque labro conjunctum erat aliud vasis genus, in quo perpetua contineretur aqua, idque vas erat profanum, ut in eo pernoctans aqua non vitiaretur. Labrum enim erat e vasis sacris unum, & sanctum efficiebat, quicquid recipiebat; quod autem sanctum efficeretur in aliquo vase sacro, hoc idem si in eodem vase pernoctasset, vitiaretur.

[93] *Hæc omnia &c. Maimonides ibidem cap. V.* 13. Atrii latitudo, quæ ab aquilone ad austrum erat, quinque patebat cubitos & triginta & centum, quorum erat ista ratio. Ab pariete aquilonari ad lanienam intercedebant octo cubiti. Jam laniena ipsa patebat cubitos duodecim & semissem, cujus e latere suspensis victimis pelles detrahebantur. Tum octo cubitos patebat spatium mensarum, in eo mensæ erant marmoreæ, in quibus disponebantur victimarum artus, & lavabatur caro jam jam coquenda; mensæ vero omnino fuerant octo. Ad harum latus erat spatium annulorum patens quatuor supra viginti cubitos, in quo mactabantur victimæ. Inter spatium annulorum & altare cubiti inerant octo; Jam ipsum altare patebat cubitos duos & triginta, & triginta collis, ab hoc ad parietem australem intercedebant cubiti duodecim & semissis. Itaque ab pariete aquilonari ad altaris crepidinem erat latitudo sexaginta cubitorum & semissis, & ex adverso ab pariete vestibuli ad parietem atrii in oriente situm erat longitudo cubitorum septuaginta sex.

[94] *Ab ortu autem &c. Maimonides ibidem*: Atrii lon-

longitudo ab oriente ad occidentem patebat ſeptem cubitos ex octoginta & centum, quorum erat iſta ratio. Ab atrii pariete qui ſpectabat occidentem ad templi parietem undecim intercedebant cubiti; jam totius templi longitudo patebat cubitos centum, & cubiti duo ſupra viginti inter veſtibulum & altare intererunt; ipſum autem altare cubitos patebat triginta duos; tum erat ſpatium, per quod ambulandi jus uni Sacerdotes habebant, atque adeo atrium Sacerdotum nominabatur, id undecim cubitos patebat. Præterea autem & ſpatium undecim cubitorum erat, in quo ambulandi jus habebant omnes Iſraelitæ, idque atrium Iſraelitarum vocabatur.

95 *Gradibus* 12. *&c. Maimonides cap. VI.* 4. Hinc aſcendebat in veſtibulum duodecim gradibus, quorum ſingulis altitudo ſemicubitalis fuit, & retractio ſemicubitalis. *At Miſna Middoth cap.* III. 6. *retractionem cubitalem, non ſemicubitalem ſtatuit: Vide Schilte Haggibborim cap. XXVIII. ubi de hac re uberrime agitur. Bartenora ad l. c. Middoth juxta R. Baruch ſententiam ita diſponit horum graduum ſeriem, & ordinem.* Ita legendum eſt רלם מעלה חצי אמה ושלחה אמה אמה ורובד שלש ואמה אמה ורובד ארבע רבי יהודה אומר העליונה אמה אמה ורובד חמש: ita R. Baruch teſtatur ſe in optimis codicibus inveniſſe manuſcriptis, explicatio verborum hæc eſt; gradus altitudo erat dimidii cubiti, ſicuti erant omnes gradus: latitudo autem, quæ pedibus teritur, erat unius cubiti. Secundus atque tertius gradus lati erant cubitum, & hoc notat quod dicit *cubitus cubitus*. Quartus gradus latus erat tres cubitos, רובד intelligitur lapidum ſeries; *cubitus cubitus* ideſt quintus & ſextus gradus latus erat unum cubitum; רובד autem tres, nam ſeptimus gradus tres cubitos latus erat. *Supremus quiſque unius cubiti & pavimentum quatuor*, ſenſus eſt, gradus ſupremus qui eſt duodecimus poſt quatuor, qui habebant ſinguli unum cubitum, latus erat quatuor cubitos uſque ad porticum Ulam, hinc fiet ut omnes gradus novendecim habeant cubitos a primo uſque ad porticum Ulam, & tres cubitos in latitudine pavimenti lævis ab altari uſque ad principium graduum, hinc viginti duo cubiti erunt inter Ulam & altare. *R. Jehuda dicit, ſuperior gradus unius unius, & areola quinque*, nempe uſque ad Ulam, nam is putat, quod in fine duorum cubitorum altaris inciperent gradus.

96 *R. Jochanan &c. Joma* 39. 2. Quadraginta annis ante excidium aperuerunt ſe portæ templi ſponte ſua. Objurgavit ergo eas Rabban Jochanan ben Zaccai, & dixit o Templum, Templum, quare tu teipſum terrificas? Novi ego, quod finis tuus erit deſtructio, nam ſic prophetavit de te Zaccharias filius Iddo, aperi o *Labanon portas tuas &c.*

97 *Ipſa ædes &c. Maimonides de Templo cap. IV.* 3. Quod reduces a captivitate templum ædificarunt, id partes in omnes centum erat cubitorum. Atque hac ratione ejus erat deſcripta altitudo ac diſpoſita. Principio baſis erat alta cubitos ſex, quæ ſolida prorſus atque oppilata erat quaſi fundamenti loco. Deinde parietes ædis excitabantur ad altitudinem quadraginta cubitorum. Tum erat cælatum atque laqueatum tabulatum altitudine cubiti. Super hoc duorum cubitorum relinquebatur vacuum, quod quoniam pluviæ guttæ inſtillarent, impluvium nominabatur. Tum altitudine cubiti tabulatum erat, & altitudine cubiti tectorium ſuperne inductum. Præterea cænaculum exurgebat, cujus parietes quadraginta cubitos erant alti, cui cælatum & laqueatum erat altitudine cubiti tectum, & ſuper hoc duorum cubitorum altitudine impluvium, rurſuſque unius cubiti tabulatum, & unius cubiti tectorium; tum erat podium altitudine trium cubitorum, ex quo denique ferrea quædam lamina cubitum alta, & eadem veluti gladius peracuta undequaque ſurgebat, quæ volucres impediret, quominus in podio reſiderent. Hæc corvi conſumtor appellabatur, ſic erant cubiti centum altitudinis deſcripti. *Vide Schilte Haggibborim cap. XIV.*

98 *Lamina &c. Aruch in* כר Propter (*inquit*) ſanctitatem primi templi, & divinam gloriam ibi commorantem, aves ſupra ipſam non volabant. Sed ad ſecundum quod attinet, timuerunt ne ſanctitas ejus non eſſet ut ſanctitas prioris, & ne aves ſupra ipſum volarent, & aliquam ſupra templum pollutionem relinquerent, ideo ſuſtulerunt ibi picturam, ut aves arcerentur a tecto templi, & eam vocarunt כולה עורב, *terriculamentum corvorum*. Et pictura hæc ſeu imago ſimilis erat ei quam ſolent tritico imponere. *Diverſa prorſus eſt Maimonidis deſcriptio, quam ſupra adduximus.*

99 *Latitudo ejus &c. Maimonides ibidem.* Jam vero ab aquilone ad auſtrum centum erant cubiti. Paries veſtibuli latus erat cubitos quinque. Ab pariete veſtibuli ad Sancti parietem intercedebant cubiti decem. Porro parietes ſancti ſex erant, alius interior alio, & inter hos quinque inania, ab extimo pariete ad ſecundum cubiti intercedebant quinque. Ab ſecundo ad tertium cubiti tres, inter tertium & quartum quinque; ſex inter quartum & quintum, & tantundem inter quintum & parietem intimum; ex quibus una conjunctis omnino cubiti quadraginta conficiuntur ex ædis uno latere; atqui idem prorſus erat in oppoſito latere, tum in intima æde viginti cubitorum erat ſpatium, ex quibus omnino fit centum cubitorum ſumma.

100 *Quod ibi ſeceſpitæ &c. Schilte Haggiborim cap. XXIV.* Quia templum latum erat ab aquilone ad auſtrum ſeptuaginta cubitos, uti explicatur cap. IV. 7. Middoth, & Ulam, quod ante ipſum erat, a plaga orientali patebat a lateribus templi quindecim cubitos ad ſeptentrionem, & quindecim cubitos ad auſtrum, & vocabatur locus ſeceſpitarum, neque protrahebatur ab oriente ad occidentem niſi e regione Ulam duntaxat; deprehenditur templum generaliter acceptum a plaga orientali latum fuiſſe centum cubitos propter locum ſeceſpitarum, qui in eo ſpatio erat; a poſteriori parte anguſtatum erat, quia eo loci erat duntaxat latum ſeptuaginta cubitos; & ibi Sacerdotes ſeceſpitas ſuas ſervabant; & ſingulæ excubiæ ſingulas feneſtras habebant, ubi eorum ſeceſpitas cuſtodiebant, & ibi erant viginti quatuor feneſtræ pro viginti quatuor excubiis, & veriſimile eſt duodecim ad aquilonem in loco ſeceſpitarum & totidem feneſtras ad meridiem fuiſſe ſitas; & dixerunt noſtri Rabbini, quod culter, qui e manubrio excidiſſet, aut fuiſſet vitiatus, non reſtituebatur, nec acuebatur, ſed abſcondebatur in latere templi inter ſanctitatem & Ulam ad meridiem, & alii novi efficiebantur, quia non erat inopia in loco divitiarum; quod ad meridiem abſconderetur, cauſa fuit, ne errore in mactando cultro illegitimo uterentur, cum ſanctitates plerumque, ut conſtat, ad ſeptentrionem mactarentur: *Et cap. XXV.* Et Ulam ſuperabat templum quindecim cubitos ad aquilonem, & quindecim ad auſtrum, & ibi erant duo conclavia, unum ab una parte, & alterum ab altera, quæ vocabantur locus ſeceſpitarum, & in ſeptentrionali plaga cuſtodiebant ſeceſpitas ad mactandum juxta mentem aliquorum ſapientum, & in auſtrali juxta eorum opinionem prærquamquod ſervabant cultros ad mactandum, conjiciebant etiam eos qui vitiati erant, aut qui facti eſſent illegitimi ad mactandum.

101 *Longitudo ædis &c. Maimonides ibidem*: centum vero cubitorum ab occidente ad orientem intercedentium fuerit iſta ratio: erant parietes quatuor alius interior alio, & tria inter hos inania. A parte occidentis ad proxime interiorem intercedebant cubiti quinque, intercedebant ab ſecundo ad tertium cubiti ſex, & totidem ad quartum a tertio. Quas quidem menſuras explebat latitudo parietis conjuncta vacuo duobus parietibus intermedio. Jam Sanctum Sanctorum longum erat cubitos viginti, & inter duo vela Sanctum Sanctorum a Sancto ſeparantia cubitus intererat unus. Jam quadraginta cubitos in longitudinem patebat Sanctum; tum paries orientis latus erat cubitos ſex, in hoc pariete porta templi inerat, porro veſtibulum erat cubitorum undecim, & veſtibuli paries latus erat quinque cubitos. Habes & horum centum cubitorum rationem.

102 *Latum &c. Middoth cap. IV.* 7. Murus pronai erat quinque πρόναον ipſum undecim: *Maimonides ibidem*: Ab pariete veſtibuli ad ſancti parietem intercedebant cubiti decem: *Schiltæ Haggibborim cap. XIV.* Craſſities parietis Ulam ad latus orientale (*patebat*) quinque cubitos, & ſpatium vacuum Ulam undecim cubitos, & Ulam extructum a Salomone erat decem cubitorum juxta verſiculum 3. *Regum VI.* 3. *Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis juxta menſuram latitudinis templi*, nempe ab aquilone ad auſtrum, *& habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi*, ideſt in longitudine totius atrii ab orien-

oriente ad occidentem. Verum a captivitate reduces (Ulam) effecerunt undecim cubitorum innixi . *Ezechielis cap. XL. vers. 49. Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum , & latitudinem undecim cubitorum.*

[103] *Tectum autem &c. Schiltæ Haggibborim ibidem*; Et quia vidi in clarissimis commentatoribus de altitudine primæ domus sententias contrarias ; quod nonnulli dixerunt , totius domus generaliter altitudinem fuisse centum & viginti cubitorum, & alii dixerunt, Ulam duntaxat ea fuisse altitudine , & utrique probandi causa & *Paralip.* textus adducunt; idcirco hoc loci ipsa verba *R. Salomonis*, & *D. David Kimchi* referre statui, & vos , quod vobis probabitur, deligetis; nam multum animo incertus sum, atque etiam hodie non video, quæ sit de his duabus sententiis deligenda. Attendite igitur , quos R. Salomon Isacci (inquit) circa textum, *Porticum vero antefrontem, quæ tendebatur in longum &c.* 2. *Paralip. III.* 4. scribitur altitudinem fuisse centum & viginti cubitorum, & 3. *Regum VI.* 2. scribitur , & *triginta cubitos in altitudine* , quo pacto ergo hoc intelligitur? Altitudo spatii vacui a solo domus usque ad laqueare primi tabulati erat triginta cubitorum, & ab uno cœnaculo ad aliud usque ad tectum superius intercedebant nonaginta cubiti, juxta versiculum, qui scriptus est 1. *Paralip. XXVIII.* 11. *Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem porticus & templi & cellariorum, & cœnaculorum &c.* Ergo erant plura cœnacula . Verum R. David Kimchi circa eumdem textum scribit ; conveniens est , Ulam duntaxat hac altitudine fuisse, & tota domo fuisse altius; aut totam domum pari (cum Ulam) altitudine fuisse ; & quod scriptum est *Reg. & triginta cubitos in altitudine* a solo domus usque ad contignationem, & supra contignationem , erant cœnacula nonaginta cubitos alta , uti dicitur *& cellariorum, & cœnaculorum*; & pariter scriptum est, *cœnacula quoque texit auro &c.* Paralip. III. 9. Ego arbitror (*inquit Kimchi*) Ulam duntaxat hac magna altitudine fuisse , & in eo duntaxat fuisse illa loca superiora a David b. m. commemorata ; ideo Ulam *seu pronao* cœnacula assignat, juxta id quod dictum est . *Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem porticus & templi, & cellariorum , & cœnaculorum , & cubiculorum in adytis*; nec descriptio Ulam includitur in domo, nec domus includitur in Ulam neque lib. Regum, neque in hoc libro, nempe Paralip. Quibus de causis, quando scribitur, *& altitudo centum & viginti cubitorum* , dicitur de Ulam duntaxat ; nec valet oppositio, quod dicat *altitudo*, & non *altitudo* ejus, quod videtur loqui de domo , quia similiter supra dicit *longitudo*, & non *longitudo* ejus; & quod dicit textus: *Dedit Salomoni filio suo descriptionem porticus &c.* In ea non comprehenditur templum, neque oraculum, quod hæc comprehenduntur in numero ejus cubiculorum, & ipsi templum assignat, quamvis eo longius esset; quia Ulam erat domus exterior; & idcirco in eo a textu comprehenduntur loca interiora, quæ sunt templum , & cubicula, quæ in ejus parietibus erant, & etiam post ea fit mentio *domus propitiationis*, quæ vocatur דביר , quia reliquis omnibus locis interior erat; atque etiam a verbis nostrorum Rabbinorum probatur supra templum & oraculum cœnacula fuisse . Hactenus verba horum commentatorum, & consideratione digna sunt.

[104] *Porta Pronai &c. Maimonides ibidem*. Ostium vestibuli cubitos erat altum quadraginta, latum viginti; is vero valvis instructum non erat . Quercinæ trabes quinæ signis atque picturis ornatæ supra ostii superliminare sic erant dispositæ, ut earum inferior excederet ostium utrinque cubito , & reliquarum deinceps superior proxime inferiorem tantundem excedebat utrinque. Itaque trabium illarum suprema cubitorum erat triginta . Atque inter singula corium erat lapidum. *Schilte Haggibborim cap. XXIX.* Notum & manifestum est omnibus, portam Ulam omnes portas Sanctuarii magnitudine superasse, quia reliquæ portæ altæ erant viginti cubitos, & decem cubitos latæ , hæc quadraginta cubitos alta erat, & viginti cubitos lata. Quinæ trabes ligneæ (nempe erant quædam trabes signis & picturis ornatæ ex ligno arboris, in qua gallæ crescunt, quæ a nobis מיליך appellantur) erant supra portam Ulam. Trabs infima sita erat juxta ejus latitudinem , quæ erat viginti cubitorum, supra ostii superliminare, & redundabat super latitudinem porta cubitum hinc & inde, ita ut deprehenderetur esse trabis longitudinem duorum & viginti cubitorum, & inter hanc secundam trabem erat lapidum corium seu series, ita ut trabes inter se contiguæ non essent , atque ita fiebat inter singulas trabes, quæ ibi erant. Secunda trabs , quæ erat supra primam , ea quoque redundabat cubitum hinc & inde , deprehendebatur longam fuisse quatuor & viginti cubitos . Tertia , quæ erat supra secundam , longa erat sex & viginti cubitos , quarta octo & viginti , quinta triginta . Transtra quercina infixa fuere a pariete templi in parietem Ulam, ut alter paries ab altero fulciretur , ne in medio inclinaret.

[105] *Valvas non habuit &c. Schilte Haggibborim ibidem* . Etiam super portam Ulam valvarum loco erat velum , sed in reliquis portis atrii erat velum & valvæ . Et ecce quomodo scripserunt nostri Rabbini cap. V. *Joma*, & noster Præceptor, f. m. in *constitutionibus de Vasis Sanctuarii* cap. VII. 17. *Tredecim vela erant in Templo secundo , septem pro septem portis atrii, & unum pro templi janua, duo ad adytum templi a sancto dividendum, & duo e regione ipsorum in cœnaculo.*

[106] *Mensa aurea &c. Vide Aristææ historiam septuaginta Interpretum.*

[107] *Lychnus aureus &c. Maimonides ad cap. III. Joma* 10. *Candelabrum*, ut fenestra, quam faciunt super portas domuum, illa vero istiusmodi fecit ex auro purissimo, ita ut quando sol splendebat in eam fenestram de se lucem & claritatem ederet, in principio diei , quando oriebatur ab horyzonte Hierosolymorum , & ea hora legebatur. *Audi Israel &c.*

[108] *Helenæ Reginæ . R. Salomon Jarchi scribens ad cap.* 1. *Bava Bathra Monobazum & Helenam fuisse e stirpe Hasmonæorum confutatur a R. Azaria in lib. Meor Enajim Jure Binach cap.* 51. Hæc mulier & iste filius ejus erant gentiles proselyti justitiæ non de stirpe sacerdotum aut Israelitarum; scrutare & percurre universam seriem Regum domus secundæ , & sacerdotum ejus , prout descripti sunt apud omnes Chronologos, nullam invenies fieri mentionem Helenæ, & Monobazi, nisi Monobazi filii Agrippæ ultimi e stirpe Herodis, qui cum Rege patre suo interfectus est in excidio templi . *Deinde sequitur* . Quia cum regnum invasit Herodes, fecit ut nullus e semine Hasmonæorum a filio usque ad mulierem superstes maneret super facie terræ. *Præterea*. Etenim etsi dicunt doctores nostri f. m. in Gemara Joma , Helenam fuisse matrem Monabazi , non dicunt tamen Monobazum fuisse de Regibus Hasmonæorum, & certe quomodo id recte dici posset? Quippe ex Chronologia Jedidæi , & ex Josepho Romanorum & Judæorum, & ex omnibus Scriptoribus, singulatim vero ex R. Abrahamo ben David in historia templi secundi , constat manifeste , ultimum Regum Hasmonæorum fuisse Hircanum filium Jannæi regis & reginæ Alexandræ, ejusque imperium quatuor annos durasse, donec surrexit Herodes affinis ejus & occidit eum &c. Dicendum itaque est Helenam & filium ejus fuisse proselytos justitiæ e gentibus terræ, ut ostendemus præterea Deo juvante in capite sequenti , ubi aperiemus causas , quibus confugerunt sub alas Dei nostri tempore Claudii Imperatoris viginti quinque annis ante excidium templi , quo tempore erat rex Agrippa, & Ismael filius Phabi summus Pontifex &c. *Et paulo post* . Necessario etiam dicendum est secundum Josephum memoratum Antiquitat. lib. 20. cap. 2. qui etiam erat e Sapientibus Judæorum, Helenam fuisse reginam populorum Adiabenorum incolarum terræ Ararat, sive Armeniæ majoris, ubi quievit Arca Noe. *Et Auctor Tzemach David scribit* : Helena regina Adiabenorum , & duo filii ejus Monbaz & Isates proselyti facti sunt diebus Claudii Cæsaris .

[109] *Tabulam auream &c. Joma cap. III.* Regina Helena mater Regis Monobazi fecit aureum Candelabrum quod erat supra januam templi . Fecit etiam auream tabulam , cui inscriptum erat sectio legis de uxore suspecta . *Hierosol. ibidem fol.* 41. Fecit tabulam auream, cui inscripta erat sectio uxoris suspectæ; & cum sol oriebatur , radii ejus in eam incidebant, & sic cognoscebant solem ortum esse . Quid erat ei inscriptum? R. Simeon ben Lachisc in nomine R. Jannai dicit, Aleph Beth inscriptum ei erat. Sed ecce traditio est; quemadmodum erat scriptura ex uno latere, ita erat ex altero; nec erat crassa, neque tenuis,

nuis, ſed inter utrumque media. Ut א erat ex uno latere, ita א erat ex altero, ut ב uni lateri inſcriptum erat, ita & ב alteri. R. Hoſajah dicit, tota ſectio uxoris ſuſpectæ ei inſcripta erat, & ex ea legebat, & interpretabatur totam ſectionem.

[110] *Coronæ duæ &c. Schilte Haggibborim ibidem*. Catenæ aureæ erant infixæ contignationibus porticus, quibus candidati Sacerdotum aſcendebant, & curabant, ut viderent læti ſplendorem coronarum, quæ erant ſuper feneſtras in templo Dei, propter memoriam, uti ſcriptum eſt Zacchariæ VI. *& coronæ erant Helem & Tobiæ &c.* Helem, & Holdai, & Tobia, & Idaja, & Hem filius Sophoniæ is eſt Joſia, qui venerunt a captivitate, & ſponte ſua attulerunt aurum & argentum propter ædificium templi; & venit prophetia Domini ad prophetam, & ei dixit, quod acciperet argentum & aurum, & ex his duas coronas conficeret, & alteram capiti Joſuæ, ut ſummo Sacerdotio fungeretur, imponeret, & alteram coronam capiti Zorobabelis vocati Zemach, quia ejus dignitas eſſet ſimilis flori terræ paulatim creſcenti, ita ejus dignitas paulatim creſceret, donec valde augeretur; & poſtquam impoſitæ fuerunt coronæ capiti Joſuæ, & Zorobabelis, dixit Dominus, ut ſingulæ coronæ in memoriam offerentium coram Deo eſſent; quod eorum nomina coronis inſculpta erant, ad demonſtrandum, quod eorum oblatio in eorum bonum & in hoc & in futuro ſeculo coram Deo aſcendit, & hæ ſunt coronæ, quæ poſitæ fuerunt in feneſtris Ulam propter bonum nomen offerentium; & Juvenes Sacerdotes catenis aſcendebant, ut eas viderent. *Has coronas in μνημόσυνον rei futuræ ſepoſitas fuiſſe fatetur R. Alſchech exponens verſ. 14. Zacchar.* Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idajæ, & Hem filio Sophoniæ memoriale in Templo Domini. In memoriale (*inquit R. Alſchech*) *ejus quod erit temporibus futuris in templo Dei*.

[111] *Vitis aurea &c. Schilte Haggibborim cap.* XXX. Et ecce ſuper hanc portam magnam Vitis etiam aurea ſuper canterios erigebatur; quia cœtus Iſraeliticus viti aſſimilatur, atque uti vitis benedictionem accipit; ſi quis autem aurum offerre vellet ad ornatum Templi, totum enim templum auro coopertum erat, ex eo quod offerre volebat, efficiebat figuram vel folii, vel grani, vel botri, atque ſuſpendebat. Et R. Elieſer filius R. Zadok hyperbolice dixit; trecenti Sacerdotes in ea dimovenda occupati erant; nam ſcopus ejus eſt, ut dicat, quod multi ſacerdotes neceſſarii erant ad eam dimovendam, propter magnum pondus foliorum, granorum, & botrorum, qui in ea ſuſpenſi erant.

[112] *Præter hæc &c. Maimonides de Templo c. III.* 16. Præterea autem in interiori veſtibuli parte ad templi fores erant etiam menſæ duæ, una e marmore, in qua illi, qui panes propoſitionis in templum importarent, eos parumper reponebant; erat ex auro altera, in qua propoſitionis panes item ad tempus reponebant, qui eos e templo exportarent. Ea eſt enim Sacrorum ratio, ut augeantur quidem honore, nunquam vero minuantur: *Schilte Haggibborim cap.* XXV. Et duæ aliæ menſæ erant in interiori veſtibuli parte prope ejus portam, una marmorea aut argentea, & altera aurea; marmoreæ aut argenteæ imponebant panem facierum, quando ingrediebatur, poſtquam coctus eſſet, donec ordinarent ſuper menſam, quæ erat in templo; aureæ imponebant, quando efferebatur; quia ſemper in ſacris aſcendunt, non deſcendunt, & eo loci reponebant, donec inter ipſos Sacerdotes dividebant.

[113] *Porta Sancti &c. Maimonides de Templo cap.* IV. 7. Magnæ portæ latitudo cubitorum erat decem, & viginti cubitorum altitudo. Erant autem iſti portæ valvæ quatuor, duæ intus, & duæ foris. Exteriores aperiebantur intra portam ita, ut operirent muri latitudinem, & interiores intra templum aperiebantur, atque ita, ut partes poſt ſe poſitas obtegerent: *Schilte Haggibborim cap.* XXX. Porta templi erat alta viginti cubitos, & lata decem cubitos, & ſuper eam erat velum, uti dictum eſt, & etiam quatuor valvæ &c. dicebatur magna hæc porta non ratione portæ veſtibuli, quæ erat omnium maxima, neque reliquarum portarum, quæ erant paris cum ea magnitudinis, ſed reſpectu duorum oſtiolorum, quorum alterum ei erat ad aquilonem, alterum ad auſtrum.

[114] *Ad aquilonem &c. Maimonides ibidem* פשפש eſt parvum oſtiolum. Ejuſmodi erant in templo duo ab ejus, quæ inter utrumque media erat, portæ magnæ lateribus; unum ad ſeptentrionem, alterum ad meridiem. Per illud meridiei nemo homo introivit unquam, quia de illo vates *Ezechiel*. XLIV. 2. *Porta hæc clauſa erit, non aperietur*. Per hoc autem ſeptentrionis introibat miniſtrorum aliquis, ac procedebat inter duos parietes tamdiu dum perveniſſet ad eum uſque locum, qui erat apertus in ſanctum ad lævam. Et hac in templum ingreſſus recta pergebat ad templi portam magnam quam aperiebat: *Schilte Haggibborim ibidem*; Et duo oſtiola ibi erant, unum ad dextram portæ magnæ templi, alterum ad ſiniſtram paululum ab porta magna diſtantia; & eo, quod erat ad meridiem, nemo ingrediebatur, uti explicatur *in Ezechiele cap. XLIV.* 2. *& dixit ad me Dominus, porta hæc clauſa erit, non aperietur; & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa*. Accipiebat clavem, & aperiebat oſtiolum, quod erat ad ſeptentrionem, & veniebat in conclave, ideſt in conclave, quod erat apertum in templum, & a templo appropinquabat ad portam magnam, quæ erat in extremitate craſſitiei parietis interioris, & aperiebat, & veniebat ad ſecundam portam, quæ erat in fine craſſitiei parietis exterioris, & interius ſtans aperiebat. R. Jehuda dicit, intra craſſitiem parietis ambulabat, exiſtimat, quod a conclavi non ingrederetur in templum, ſed a conclavi ambularet intra craſſitiem parietis, uſque dum perveniebat inter duas valvas interiores & exteriores portæ magnæ, & removebat peſſulos valvarum exteriorum, quæ templum reſpiciebant, atque etiam peſſulos, quæ Ulam reſpiciebant, unum poſt alium &c.

[115] *Tria hujus loci &c. Maimonides ibidem cap. I.* 6. Hoc ſacrarium multis & variis rebus inſtruendum &c. altari in quo odores incendantur, candelabro, menſaque, quæ tria poſtrema poſita ſunt in Sancto ante Sanctum Sanctorum. Candelabrum erat in auſtrali parte ſitum ad ſiniſtram introeuntis, & ad dextram menſa, cui panis propoſitionis imponatur, atque hæc duo extra Sanctum Sanctorum ad latus ejus ſita ſunt, & altare ſuffimentorum item eſt extra Sanctum Sanctorum inter hæc duo interjectum: *Schilte Haggibborim cap.* XXXI. Manifeſtum erit lectori, in Templo fuiſſe candelabrum, menſam auream, & altare ſuffitus. Candelabrum erat ad meridiem, & menſa ad ſeptentrionem, cui imponebatur panis propoſitionis, & altare aureum, quod æque diſtabat a Candelabro, ac a ſeptentrione; & hæc tria omnia ſita erant a tertia parte templi & interius e regione veli, quod dividebat Sanctum a Sancto Sanctorum.

[116] *Quum loco removeri &c. Schilte Haggibborim cap.* XXIX. Idcirco poſt feſtum Sacerdotes a ſuo loco vaſa removebant, ut immergerent, & atrium ab immunditie plebejorum mundarent, qui ea in feſto tetigiſſent, & dicebatur plebejis in feſto, cavete ne tangatis menſam, & polluatis omnia vaſa, quia poſt feſtum menſa a ſuo loco removeri non poterat, cum ſcriptum ſit לחם פנים לפני תמיד *Exod.* 20. 24.

[117] *Altare autem &c. Shilte haggibborim ibidem*. Omnia vaſa, quæ erant in Sanctuario, habebant ſecunda & tertia, quod ſi prima polluerentur, adducebant ſecunda eorum loco; & omnia vaſa Sanctuarii immergebantur (addit Maimonides, & occaſu ſolis tenebantur) excepto altari aureo, & altari æneo, quia reputabantur inſtar ſoli, juxta R. Elieſerem; & Sapientes dicunt, immergenda non eſſe, quia auro & cupro cooperta erant, & eorum operculum reſpectu ipſorum non conſiderabatur, & erat inſtar vaſorum ligneorum ad quietem, quæ non polluuntur &c.

[118] *Lapidem &c. Tamid cap. III. 9.* Lapis erat e regione candelabri, qui habebat tres gradus, in quibus ſtabat Sacerdos, quando aptabat lucernas, tunc depoſito in gradu ſecundo vaſe abiit. *Maimonides ibidem cap. III.* 11. Ante candelabrum lapis erat poſitus, in quo tres inerant gradus. In eo lapide inſiſtebat ſacerdos, qui lucernas emundaret ac componeret; in eodem ſacerdos ille vaſa olearia forcipes & trullas candelabri reponebat in lucernis emundandis ac componendis.

[119] *Quam Titus &c. Joſephus de bello cap.* 24. Eminebant inter alia quæ in Templo Hieroſolymitano deprehenſa ſunt, menſa videlicet aurea, quæ ponde-

re plura talenta æquabat, & lychnuchus ex auro similiter constructus, sed cujus opus diversum erat a nostri usus consuetudine. Medius stipes ex basi, cui impactus erat, surgebat, & tenues ab eo rami producebantur, uti in fuscina, in quorum singulorum apice lychnus erat fabricatus; septem autem erant, numeri septenarii honorem apud Judæos indicantes. Lex denique Judæorum ultimum spoliorum circumferebatur. *Vide ejusdem Relandi lib. de spoliis Templi Hierosolymitani.*

[120] *Hoc autem &c. Maimonides ibidem cap. IV.* 2. In æde prima murus erat inter Sanctum & Sanctum Sanctorum, qui murus cubitum unum spissus erat. Ædes vero secunda cum ædificaretur, addubitatum est utrum fuisset ejus muri spissitudo ex spatio sancti an ex spatio Sancti Sanctorum. Attribuerunt igitur longitudini Sancti Sanctorum viginti cubitos integros, & cubitos integros quadraginta longitudini Sancti, & spatium insuper unius cubiti medium reliquerunt inter Sanctum & Sanctum Sanctorum. Murum igitur inter Sanctum & Sanctum Sanctorum intergerinum in æde secunda omnino nullum ædificarunt, verum vela sunt adhibita duo, unum ab extrema parte Sancti, & alterum ab extremo Sancti Sanctorum. His intermedium erat spatium unius cubiti, idque vacuum, quod illius in æde prima muri latitudinem repræsentabat. Nam in æde prima velum erat omnino unum, scriptum est enim; *ut velum id Sanctum a Sancto Sanctorum dividat, Exod.* XXVI. 33. *Vide Bartenoræ & Maimonidis commentarium ad cap. IV. 7. Middoth, & ad cap. V. Joma.*

[121] *Inter quæ &c. Joma cap. V.* In Sanctuario ibat donec inter duo vela pervenerat, quæ inter Sanctum & Sanctum Sanctorum dividebant, & cubito inter se distabant. R. Jose dicit, unum duntaxat erat velum; quia dicitur, *ut velum id Sanctum a Sancto Sanctorum dividat*; exterius duplicatum erat a meridie, & interius a septentrione: *Tosaphta Joma cap.* II. 19. Ambulabat in templo donec perveniret inter duo vela, quæ inter Sanctitatem & Sanctum Sanctorum dividebant, inter quæ interstitium erat unius cubiti, hic erat locus oraculi, quod fecit Salomon. R. Jose dicit, unum duntaxat ibi erat velum juxta versiculum qui dicit, *& dividet vobis velum*. Quid igitur dicendum erat inter *Sanctuarium & sanctuarii sanctuaria?* Eis dixit inter sanctitatem superiorem & sanctitatem inferiorem; alia glossa; inter Nob & Gabaon, & Silo, & domum seculorum. Exterius duplicatum erat a meridie, & interius a septentrione; ibat inter ea, donec perveniret ad septentrionem, quando pervenerat ad septentrionem, facie in meridiem versa, sinistrorsum ibat prope velum, donec perveniret ad Arcam, & lumbis velum impellebat, Thuribulum inter duos vectes collocabat &c.

[122] *Appellatur* טרקסין *&c. Schilte Haggibborim cap.* XIV. Cæterum de voce Teraksin, & ejus etymologia scribit Rasci f. m. Teraksin vocabatur murus intergerinus, qui dividebat in primo Sanctuario. Teraksin significat intus & foris, uti inveni in Gemara Hierosolymitana, & argumentum hujus rei, ubi dicit antiquos homines pios introduxisse suos fructus per טבקסמון, ut ad decimam obligarent, hinc discimus טרק significare *introducere*. Hactenus verba Rasci. Et Auctor Aruch in voce טרקסין scribit; in principio Gemaræ Bava Bathra in secundo sanctuario cur non constructus est cubitus Teraksin? commentatur hoc modo. Teraksin est vox græca significans intus & foris, indicando, dubium esse, utrum significet intus an foris; atque ita legitur in Hierosolymitana. Auctores vero Tosaphoth scribunt. Teraksin declarat Rasci f. m. intus, & sunt qui explicant Teraksin juxta phrasim טרוקו גלי, *claudite portas*, quia intra ipsum clausæ erant tabulæ, quæ in Sinai datæ erant. Hactenus Auctores Tosaphoth. Et R. Bartenora in cap. IV. 7. Middoth, Tosaphoth sententiam amplectitur, neque eorum ullam facit mentionem, & dicit; paries qui inter templum & sanctum sanctorum dividebat, vocabatur Teraksin, quia claudebat Arcam, & tabulas in Sinai datas, nam טרק Syriace, (vel potius Chaldaice) notat claudere, ut טרוקו גלי, & סין Sinai. Et Auctor Aruch in voce טרק, quæ est tertia significatio hujus dictionis, quæ legitur in Gemara Berachoth cap. IV. & cap. X. בבא קמא, & cap. VII. בבא מציעא, & cap. X עירובין, & cap. IV. עבודה זרה, reddidit vocem טרק juxta suum sensum, & claudit suum ordinem hac phrasi (textus) *circumædificavit adversum me, ut non egrediar.* (*Thren. III.* 7.) Chaldæus, *conclusit post me ut non egrediar a* טריקא, idest *septum*. Et noster Præceptor in Misnam jam dictam Middoth scribit; Murus, qui dividebat inter templum & Sanctum Sanctorum vocabatur Teraksin, ubi erat porta, cui impositum erat velum; ecce quod explicat sua verba contra ac existimaverat Karo, uti jam dixi. Verum ego quoque, qui sum vermis, & non homo, referam meam opinionem, & juxta explicationem Aruch fuse loquar, quod juxta meam sententiam vox Teraksin sit græca, eaque corrupta, quia dicendum esset Tekosin pro Teraksin, quia Tekos apud græcos scriptum cum Tau, Epsilon, Jota, Ki, & omicron, & sigma, notat inclusorem, custodem, ita ut etymologia vocis Tekosin sit velum loco parietis, qui includebat, & custodiebat Sanctum Sanctorum interius.

[123] *Ejus loco &c. Tosaphta Joma cap. II.* 22. Lapis ibi erat a tempore priorum Prophetarum & lapis fundationis vocabatur, cui ab initio imposita fuit Arca; postquam abducta fuit Arca, super ipsum incendebant suffimentum in loco interiori: *Maimonides cap. IV. de die expiationum:* At in secundo templo, quoniam Arca nulla erat, Pontifex Thuribulum in lapide fundationis deponebat: *R. Jacob Jehuda L. de Templo lib. III.* Lapis quidem sive unicus dictus lapis השתיה erat ibi e terra prominens spatio trium digitorum, super illo erat arca testimonii posita in medio Sancti Sanctorum versus occidentem.

[124] *Mira de hoc &c. Audi lector fabulas portentosas. Zohar in Exod. col.* 398. Lapis ipse vocatur שתיה, quia ex eo plantatus est mundus (*& diffundebat*) ad omnia latera, alii dicunt vocari ita, *quasi* ש"ת"יה *posuit Deus*, quia Deus posuit eum, ut esset fundamentum mundi, & plantatio omnium: *Jonathan Paraphrastes in Exod. XXVIII. 30. loquens de lapidibus pectoralis summi Pontificis*. In eis exsculptum erat, & expositum nomen illud Dei magnum, & sanctum, quo creati sunt trecenti & decem mundi, quodque sculptum & expositum quoque erat in lapide fundationis, per quem Dominus mundi obsignavit ostium abyssi magnæ a principio: *R. Eliefer in Pirke p.* 88. Quid fecit Deus S. & B.? extendit dextrum suum pedem, & defixit eum (lapidem, quo Jacobus cervicalis loco fuerat usus) usque ad abyssi profunditates, atque fecit illum paxillum vel juncturam cum terra, sicut homo facit commisuram cum pice, hinc *etiam vocatur* אבן השתיה quia inde est umbilicus terræ, atque inde se extendit universa terra, & super illum stat templum Domini sicut dicitur: *& lapis hic, quem collocavi statuam erit Domus Dei*. Cecidit autem Jacobus super faciem suam in terram coram lapide fundationis & precatus est coram sancto B. dixitque, *Domine omnium orbium &c. R. Schem. Tos. in* אגרת הויכוח scriptum est (Proverb. III. 19.) *In sapientia Dominus fundavit terram, & firmavit cœlos in prudentia*, hoc te docet, cum Deus benedictus & sanctus crearet mundum suum, quod tum eum creavit, ut infantem qui ex muliere nascitur. Sicut infantem ab umbilico formare incipit, & a quatuor lateribus extendit, ita Deus S & B incepit creare mundum a lapide fundationis, & Sancto Sanctorum, & ab eo lapide fundatus est mundus, & propterea dictus est אבן שתיה, quod ab eo incepit Deus S & B creare mundum suum &c.

[125] *Mahomedanis &c. Apud Arabes, unde Mohomedani orti sunt, antiquissimus fuit lapidis cultus. Arnobius lib. VI.* Ridetis temporibus priscis Persas fluvios coluisse, informem Arabes lapidem, acinacem Scythicas nationes &c. *Maximus Tyrius sermon.* 38. Arabes Deum quidem colunt, qualem tamen, minime novi, statua autem, quam vidi, erat quadratus lapis. *Svidas* in θευσάρης statua autem est lapis niger quadratus, informis, altus pedes quatuor, latus duos, impositus autem est aureæ basi. *Ab Euthimio Zibabeno in Panoplia sua vocatur hic lapis Brachtan.* Quomodo igitur vos adhæretis lapidi Brachthan, eumque osculamini? at respondent nonnulli eorum; ideo, quod super ipsum Abraham cum Agare ingressus est, alii autem, qui alligavit ei camelum, cum Isaacum esset sacrificaturus: *Simulacrum Veneris hunc lapidem idem Euthimius fuisse scribit*. Dictus autem ille lapis est caput Veneris, quam Ismelitæ olim

olim adorabant; scilicet accuratius spectanti etiam nunc præfert figuram capitis. *Abrahamus quoque Peritzolius in itineribus mundi hujus lapidis pag. 14. mentionem facit*. Quando ingreditur Meccam, debet recta ire ad templum, & salutans dicat, Deus est maximus &c. priusquam accedat ad lapidem nigrum (ex quo olim patrem Abrahamum suum camelum conscendisse dicunt) ubi iterum elatis manibus ad aures, uti ante eamdem orationem dicat, & sine incommodatione sociorum potuerit, ipsum lapidem osculetur, aut tangat manu, & eamdem faciem perfricet, aut tangat aliqua re, quam habebat in manu, nempe corolla, aut signum faciat se velle osculari &c. Tum murum Albatim septies circumeat, & quotiescunque præterierit dictum lapidem, illum semper salutet, & finiat processionem suam iterum osculando vel amplectendo dictum lapidem, & osculetur & salutet angulum Arabiæ felicis, uti dictum lapidem, quotiescunque præterierit ante ipsum, nam sic erit pulchre actum & pie: *Supra lapidem fundationis ab Omare tertio Saracenorum Calipha templum fuisse extructum discimus ex Georgio Elmacino lib. I. c. 3. historiæ Saracenicæ*: Hinc dixit (*Omar*) Patriachæ (*Sophronio*) indica mihi locum in quo exstruam delubrum; unde Patriarcha ei dixit de lapide *ad quem locutus erat Deus cum Jacobo*. Ut autem Omar ad eum venit, invenit super eo sordes multas, deque iis in vestes suas accepit, cumque Muslimi viderent Omarem ferre sordes, non distulit quisquam eorum sordes quoque auferre, unde mundatus illico lapis est, jussitque Omar, ut delubrum illic ædificaretur posterius: *Quod tantæ est etiam hoc tempore venerationis, ut nemini in illud, nisi Mahumedano, sub pœna capitis introire fas sit*.

[126] *Supra sanctum &c. Middoth cap. IV.* 5. Cum pervenisset ad austrum facie ad orientem obversa ibat secundum austrum donec perveniret ad portam cœnaculi i. ἀνώγεω, sive ὑπερῴου, nam porta ὑπερῴου versus austrum aperiebatur; & in porta ὑπερῴου erant duæ trabes cedrinæ, quibus ascendebant in tectum ὑπερῴου. Atque proceribus sive trabium capitibus distinguebant in cœnaculo inter Sanctum & Sanctum Sanctorum; foramina etiam erant aperta in cœnaculo ad Sanctum Sanctorum, per quæ catenis demittebant fabros in arcis, ne eorum oculi nutrirentur e Sancto Sanctorum: *In quem locum ita Maimonides*. Jam vero dicit aliquod cœnaculum fuisse supra templum & locum sanctissimum, atque in pavimento cœnaculi erat interstitium aliquod inter tectum templi & loci sanctissimi tectum separans: *Idem de Templo cap. IV.* 13. In ista cœnaculi janua cedrinæ trabes erant duæ, quibus in tectum mittebantur cœnaculi. Jam in cænaculo summa trabium capita dividebant tectum Sancti a tecto Sancti Sanctorum. Præterea autem erant in eodem cœnaculo ostiola quædam aperta in Sanctum Sanctorum. Per hæc enim fabri dimittebantur arcis inclusi, ut ne Sancto Sanctorum pascerent oculos.

[127] *Et velis intermediis &c. Maimonides de vasis Sanctuarii cap. VII.* 17. Atque in templo secundo vela adhibebantur tredecim, septena in septem atrii portis, unum in janua vestibuli, unum ad templi januam, duo ad adytum templi a Sancto dividendum, & itidem duo e regione ipsorum in cœnaculo. *Schilte Haggibborim cap. XIV.* Quare nobis dicet (*Raschi*) supra contignationem superiorem non fuisse parietem, sed duo vela ad separandum inter Sanctitatem & Sanctum Sanctorum; ita enim dixerunt nostri Sapientes in cap. V. Joma. *Tredecim vela erant in domo secunda &c. duo e regione ipsorum in loco superiori*; si vero illi opponetis, qua de causa eo loci necessaria essent vela, si reduces a captivitate exstruxerant supra contignationem separationem summitatum trabium? vobis respondebit Raschi duabus de causis ibi necessaria fuisse vela; primum foraminum causa, quæ erant in contignatione, quia forsitan putabit Raschi, ea semper aperta fuisse, ne oculi oraculum aspicerent; hac de causa juxta ejus sententiam statuerunt vela, quæ præter summitates trabium separabant; 2. quia aliquando vela polluebantur, & illinc removebantur, donec immergerentur; hac de causa necessariæ erant summitates trabium, ut ex iis cognoscerent, donec iterum vela extenderentur, postquam mundata essent, quis esset finis templi, quod esset divisum ab initio finis Sancti Sanctorum, quod eo sanctius erat &c.

[128] *In hoc sanctum &c. Poterat quotiescunque opus esset ingredi summus Pontifex in adytum. Tosaphoth Bava Bathra fol.* 14. 1. ubi *Gemara dicit* Tabulas & volumen legis ita complevisse concavitatem Arcæ, ut duo palmi residui essent, ne liber legis, si vel inde depromeretur, vel in eam inferretur, comprimeretur. Ad hæc verba respondent *Tosaphot*. Atqui nunquam educebant eum ex Arca; prohibitum enim erat ingredi Sanctum Sanctorum; & in die expiationum, quo Sacerdos summus ingrediebatur, non legimus, quod inde eum expromserit. *Ad hoc autem respondent*: exigente necessitate ad aliquid in eo reparandum, licitum fuisse ingredi Sanctum Sanctorum, legimus in Eruvim fol. 105. & 14. Pariter ergo hic dicere licebit (*alio scilicet tempore*) potuisse Sacerdotem summum ingredi ad librum legis conservandum, vel reparandum, ne putrescat vel corrumpatur. Quin & ex quo vastatum fuit tabernaculum Silo, usque ad exstructionem domus Sanctuarii a Salomone, potuerunt illum ex Arca eximere, & inspicere. *Immo ipsi Sacerdotes, & Israelitæ si capsæ defuissent, per ostium in Sanctum Sanctorum quando reparandum aliquid esset, ingrediebantur*. *Tosaphta Celim*: Omnes poterant ingredi ad extruendum, vel ad reficiendum aliquid, vel ad eximendum inquinamentum; præceptum erat ut essent Sacerdotes, si minus essent Sacerdotes, introibant Levitæ, si non adessent Levitæ, introibant Israelitæ, si non adessent puri, introibant immundi, præceptum postulat perfectos, si non adessent perfecti, ingrediebantur vitio affecti, præceptum erat, ut arcis inclusi introirent, si non adessent arcæ, per ostium ingrediebantur &c. *Vide Maimonidem de Templo cap. VII.* 23.

[129] *Supra hæc &c. Middoth. cap. IV.* 6. Altitudo autem cœnaculi quadraginta cubitorum, & ulterius erant unius cubiti trabes everganeæ; duorum cubitorum intertignium, coassatio unius cubiti, & crusta cubiti, triumque cubitorum erat lorica, denique cubiti unius erat tænia vel potius acroterium. R. Jehuda inquit, non surgebat tænia supra illam loricæ quantitatem, sed lorica erat quatuor cubitorum: *Maimonides ibidem cap.* IV. 3. Præterea cœnaculum exurgebat, cujus parietes quadraginta cubitos alti erant, cui cælatum & laqueatum erat altitudine cubiti tectum, & supra hoc duorum cubitorum altitudine impluvium, rursusque unius cubiti tabulatum, & unius cubiti tectorium; tum erat podium altitudine trium cubitorum, ex quo denique ferrea quædam lamina cubitum alta, & eadem veluti gladius peracuta undequaque surgebat, quæ volucres impediret, quominus in podio residerent. Hæc corvi consumtor appellabatur.

[130] *Cingulis &c. Hanc legem Deut.* XXII. 8. *Babyl. Cholin de privatis tantum ædibus intelligit fol.* 136. *Illud Deut.* XXII. 8. *Tecto tuo* quorsum tendit? Ad excipiendum cum Synagogas ac Templa, tum Scholas. *Latius explicat Abarbanel l. c. Deut.* Complexu (inquit) hujus legis continetur quicquid periculum habet: *& Gemara Bava Kama cap.* I. Unde hoc quod homini non liceat rabidum canem alere domi suæ, nec Scalam fractam erigere in domo sua? id docetur *Deut.* XXII. 8. *ut non imponas reatum sanguinis Domui tuæ*. *Vide Gemaram Chetuvoth cap. IV. Hujusmodi loricæ necessariæ erant Israelitis, qui non solum intra ædes, sed etiam in tectis versabantur. Matth. X.* 27. Et quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et XXIV. 17. & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua & *Actor.* X. 9. Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam. *Vide Isai.* XV. 3. XXII. 1. *Jerem.* XLVIII. 38. VII. 29.

[131] *Circa ædem &c. Maimonides de Templo cap.* IV. 10. Omnia loca ista parietibus intermedia *thalami* nominabantur. Thalamorum igitur templo circumdatorum quinque siti erant in parte aquilonari, in australi quinque, & in occidente tres. Atqui horum thalamorum erant tabulata tria super alio aliud ita, ut in parte australi essent thalami quindecim, nempe super quinque inferioribus alii quinque, & super his etiam quinque alii. Erant item quindecim ad septentrionem. In occidente vero erant omnino octo, nam duo inferiora tabulata continebant quodque tres, & supremum duos. Itaque omnes omnino thalami erant duodequadraginta. Thalamorum singulis erant januæ tres, una quæ aperiebatur in thalamum dextrum,

xtrum, altera quæ in lævum, tertia quæ aperiebatur in thalamum proxime superiorem. Ad angulum vero orienti & septentrioni intermedium thalamo medii tabulati januæ erant quinque, una aperiebatur in thalamum dextrum, altera in superiorem, tertia in thalamum, cui a gradibus nomen erat, quarta in thalamum, in quo & parvum erat ostiolum, quinta in templum ipsum aperiebatur. Gradus erant sensim excitati ab angulo inter orientem & septentrionem medio ad communem septentrioni & occidenti angulum, per quos ascensus dabatur in tecta thalamorum. Per hos gradus qui ascendebat, is spectans ad occidentem latus aquilonare perambulabat, & cum latus occidentis attigerat, tum ore ad austrum verso totam occidentis partem perambulabat. Post cum ad latus australe pervenerat orientem spectans secundum australe latus ambulabat usque ad cœnaculi januam, quæ versus austrum aperiebatur.

CAPUT DECIMUM.

De Sinagogis.

§. I. Nomina.

I. INter loca sacra numerandæ quoque sunt synagogæ, quas Philo ἱερὰς τόπους, alii προσευχὰς, σαββαθεῖα, τόπους εὐκτηρίους & ἱερὰ, (licet Hierosolymis ἱερὸν, templum, a synagogis distinguatur *Joh.* 18. 20.) Hebræi vulgo בתי כנסיות appellant. Et uti hæc vox apta nata est significare quævis loca, in quæ homines conveniunt, ita etiam vox Συναγωγὴ (qua interpretes Alexandrini τὸ עדה, paucissimis locis exceptis, vertunt) quamvis congregationem, uti impiorum *Ps.* 22. 17. apud *Jud.* 13. 8. notare apta, strictius tamen accepta pro loco publici conventus sumitur, in quo preces & reliquæ partes cultus sacri ab incolis urbium majorum sabbathis & statis temporibus peragebantur. [1] Nonnunquam & synagogæ nomen scholis tribuitur, quæ plerumque synagogis stricte dictis conjunctæ erant, præcipue quum sub imperio Gentium Judæi viverent: verum quod ad rem ipsam attinet, *synagogæ* בתי כנסיות & *scholæ* בתי מדרשות erant diversæ: illæ quidem *precibus*, להתפלל, hæ למשנה ולתלמוד *doctrinæ Misnæ & Gemaræ*, ut Judæi loquuntur, destinatæ. vide *Gem. Avoda Zara* 38. 1. *Gem. Mœd. katon.* 22. 2. & 29. 1. *Gem. Bava metzia*. 28. 2. *Gem. Nazir*. 23. 2.

§. II. Sanctitas.

II. [2] Sanctitas synagogarum ex nominibus quibus insigniuntur & usu, cui destinatæ erant, innotescit. [3] Illa autem tanta erat, ut etiamsi destructæ essent, in loco earum non licuerit lugere, torquere funiculos, retia extendere, aut viæ compendium per eundem locum facere. *Megilla* 111. 3. [4] Major tamen erat, secundum Judæorum opinionem, sanctitas scholarum בתי מדרש' quam synagogarum, idque hoc argumento confirmari potest quod *in sacris adscendant, non descendant*, מעלין בקרש ולא מורידין (*Menachoth.* XI. 7.) & fas sit synagogam in scholam convertere, non vicissim: illudque *Ps.* 84. 8. מחיל אל חיל explicent de progressu a synagogis ad scholas, in *Gem. Hier. Schevuth*. 35. 3. [5] Quod si quis preces funderet in ædibus privatis vel in plateis (sive unus sit, sive totus cœtus, [6] uti in jejuniis publicis) אין בהן קרושה *nulla sanctitas iis locis accedit*, uti loquuntur Hebræi. His autem temporibus synagogarum sanctitas major esse videtur quam olim stante templo, quod synagogæ vicem templi & cultus in eo peracti præstent, [7] precesque ibi fusæ velut sacrificium juge censeantur, תפלות כנגד תמידין תקנום *Zohar in Genes. fol.* 244.

§. III. Origo.

III. Quum [8] a temporibus antiquis, ἐκ γενεῶν ἀρχαίων, in synagogis codicem Mosaicum populo prælectum tradat Jacobus, *Act.* 15. 21. origo earum inde ducenda est. At quum id tempus indefinitum sit, nonnulli viventibus primis Patriarchis loca quædam sacro cultui dicata & statis temporibus frequentata fuisse existimant, eaque nomine synagogarum insigniunt: [9] alii in *Deut.* 31. 11. 12. ortum synagogarum quærunt, quod singulo septennio lex prælegi debuerit: alii denique, quum etiam sub imperio regum Judæ & Israelis frequenter & diu in idololatriam prolapsi fuerint Judæi, & sine כהן מורה & תורה vixerint (2. *Chron.* 15. 3.) & rarissima legis Mosaicæ exempla fuisse videatur liquere ex 2. *Chron.* 17. 6.) & [10] Josiæ admiratione quum verba reperti fortuitu Sacri Codicis perciperet, 2. *Reg.* 22. 11. synagogas tunc non fuisse (secundum illud Hebræorum in *Midrasch Ester.* 123. 1. & *Tanchuma*, *f.* 54. 2. אם אין תורה אין בתי כנסיות *ubi non est Lex, non sunt Synagogæ*) [11] sed post reditum Judæorum e Babylonia eas ortas esse arbitrantur: inprimis quum Judæi ipsi, ultimam antiquitatem rebus suis & ritibus tribuere soliti, non altius quam ab Ezra, ritus synagogarum & quæ eo spectant uti nunc in usu sunt, arcessere consueverint.

§. IV. Usus Lectio Pentateuchi & preces.

IV. Partes cultus sacri in synagogis peragi soliti hæ fere sunt. Lectio Sacri Codicis, (quam lectionem præcedebant preces [12] matutinæ, quas [13] viri stantes, & ante ingressum synagogæ [14] loti, velato capite fundebant, & formula קדיש præcipue quidem Pentateuchi, [15] quæ non Græco sed Hebraico sermone fiebat, non in Palæsti-

na

na tantum, ſed & Alexandriæ & alibi, quamvis [16] imperante Juſtiniano de verſione Græca ad librorum ſacrorum publicam lectionem aſſumenda lis mota fuerit. Codex ipſe traditur fuiſſe, ut hodieque in ſynagogis, ſine punctis vocalibus. Singulis autem ſabbathis, matutino tempore, ſectio quædam prælegitur, ſive Paraſcha (quales in Pentateucho 53. ut Maſorethæ, 54. ut alii dicunt) ita ut [17] ſpatio annuo, cujus initium ducitur a Sabbatho primo poſt feſtum tabernaculorum, tota lex Moſaica abſolvatur: pro ratione enim anni unam vel duas paraſchas uno ſabbatho prælegebant. [18] Singulæ paraſchæ in ſeptem partes erant diviſæ pro numero lectorum. [19] Hi erant vel ſacerdotes, vel Levitæ, [20] aut Iſraelitæ ת'ח הממונים פרנסים על הציבור, deinde ת'ח qui hoc munere digni erant, tum filii ת'ח, quorum patres erant ממונים על הציבור, poſtea *capita ſynagogarum* ראשי כנסיות denique *quivis e populo* כל העם. Hic enim ordo dignitatis præſcribitur in *Gem. Gittin*. 60. 1. Confer *Gem. Peſachim*. 49. 1. [21] Horum ultimus ubi munere ſuo functus eſſet, & codex in arcam reductus (*Luc.* 4. 20.) קדיש repetebatur.

§. V. Lectio Prophetarum.

V. Deinde inſtituebatur lectio ה'ה הפטרות ſive pericoparum ex ſcriptis Propheticis excerptarum *Act.* 13. 27. ([22] quam nunc δοξολογία quædam præcedit, & quatuor ſequuntur) preceſque addititiæ, תפלת מוסף. Aderat autem huic lectioni [23] המתרגם, ſive interpres (quem nonnulli volunt eundem fuiſſe ac הדרשן *concionatorem*, ita ut interpretationem ſuam latius ſæpe diffunderet; alii diſtinguunt, ſic ut [24] הדרשן orationem ad populum poſt lectionem Sacri Codicis habeat) qui [25] comma unum e ſcriptis Moſaicis prælectum, e [26] Propheticis tria, coram populo Hebrææ linguæ ignaro interpretaretur: *Megilla* III. 3. [27] Hunc nonnulli inde ab exilio Babylonico, alii demum a temporibus Chaſmonæorum, eo officio functum fuiſſe exiſtimant. Benedictio [28] quoque per ſacerdotes ſtantes in ſuggeſtu (דוכן) ante armarium ſive היכל, vel abſentibus iis per שליח צבור peragebatur, junctis & ſublatis manibus ad altitudinem humerorum (in [29] templo altius, videlicet ſupra caput, niſi P.M. benediceret) & expanſis digitis, ita ut quinque inter eos intervalla cernerentur. Poſt hæc, ubi populus *Amen* reſpondiſſet ([30] quod in templo fieri non ſolebat ſed ejus loco dicebatur בשכ"מלו, quod etiam hodie poſt primum comma τῆς ק'ש Judæi muſſitare ſolent, exemplo, ut ferunt, [31] patriarchæ Jacobi) & שליח ציבור aliam orationem ſubjunxiſſet, dimittebatur concio.

§. VI. Lectio ק'ש

VI. Solent quoque in ſynagoga, vel quotidie, vel certe ſabbathis, diebuſque hebdomadis ſecundo & quinto, legere [32] קרית שמע, ſive has pericopas tres Biblicas *Deut.* 6. 4. 9. *Deut.* 11. 13. 21. & *Num.* 15. 37. 41. [33] Fit illud bis de die, mane & veſperi, a maribus liberis, qui mane ſuis [34] תפילין inſtructi ſunt, at nonniſi diebus profeſtis: [35] nam ſabbathis & in ימים טובים ea non induunt: vide *Mechilta*. 17. 2. quia ſunt אות *ſignum* ipſi illi dies, nec alio ſigno indigent. Ita & in *Zohar*, *fol.* 236. *fac.* 2. legitur. Horum originem ex *Exod.* 13. 9. repetunt. [36] Lora ſunt, continentia haſce pericopas, *Exod.* 13. 3. 10. *Exod.* 13. 11. 16. *Deut.* 6. 5. 9. *Deut.* 11. 13. 21. vide *Zohar. in Exodum fol.* 43. *fac.* 1. & 2. Hæ thecis incluſæ, capiti & manui ſiniſtræ adaptatæ geſtabantur. *Gem. Menachot*. 34. 2. *Gem. Eruvin*. 95. 2. Notandum tamen Karæos hæc *Tephillin* non geſtare, & verba *Deut.* 6. 8. *Exod.* 13. 9. explicare de memoria legis mente conſervanda. Sacerdotes ipſi in templo ab hoc officio legendi ק'ש immunes non erant: quamvis hoc iis eſſet peculiare, quod ante ק'ש recitarent decalogum, quod בגבולין, ἐν ὁρίοις (id erit verbum e verbo) ſive in locis extra atrium magnum, neceſſarium non erat. [37] Hunc enim ordinem cultus ſacerdotalis fuiſſe tradunt in *Gem. Berachot*. 12. 1.

1. קורין עשרה הדברות, legunt decalogum.
2. שמע *Deut.* 6. 4. 9.
3. והיה אם שמוע *Deut.* 11. 13. 21.
4. ויאמר *Num.* 15. 37. 41.
5. אמת ויציב Sunt voces initiales formulæ precum, hodieque Judæis in uſu poſt ק'ש mane.
6. עבודה. Opus ſacrum quiſque ſuum peragunt.
7. ברכת כהנים. Benedicunt populo.

§. VII. Flagellatio.

VII. [38] Flagellationem in ſynagogis peragi ſolere liquet ex *Matth.* 10. 17. & 23. 37. Alii quidem hic per ſynagogas innui putant conventus civiles ſive juridicos, ut 1. *Macc.* 7. 12. *Addit.* ad *Daniel*. 13. 41. vel ſpeciatim ſynedrium triumvirale, quod in unaquaque ſynagoga erat: ſed alii ſynagogas proprie dictas intelligunt, in quibus uti excommunicatio ita flagellatio, pœna minor, in uſu fuit.

§. VIII. Circumciſio.

VIII. Inter actus quoque ſacros in ſynagogis peragi ſolitos (quamvis a quibuſdam Judæis in ædibus privatis fiat) eſt circumciſio, מילה, [39] cujus omiſſio pœnam כרת me-

mereri dicitur in *Kerituth*. I. I. *Siphræ fol.* 88. I. graviorque putatur quam si quis celebrationem Paschatis aut festi tabernaculorum neglexisset. *Nedarim*. III. II. Hanc instituit 40 מוהל ejus artis gnarus coram armario, in puero octavo die post nativitatem, 41 sive sabbathum sit sive non: *Job.* 7. 22. *Siphra fol.* * 92. 2. 42 auferens ei novacula partem præputii (quæ actio proprie מילה appellatur) & discerpens unguibus partem reliquam donec glans plane nudetur, quod פריעה dicitur. Si quis hanc פריעה omisisset, censetur tota circumcisio nulla. *Gem. Hier. Jevamoth.* 9. I. Ita individuo nexu junguntur מילה & פריעה veluti ציצית & תפילין aliaque, de quibus dictum volunt *Proverb.* 31. II. ædem esse לבוש שנים *tectam duplicibus operimentis*. Vide *Midrasch Mischle*, *fol.* 75. *col.* 2. Hunc ritum alia nonnulla comitari solent, uti formulæ acclamandi ברוך הבא, 43 collocatio sedis Eliæ, accensio facis, sanguinis e vulnere exsuctio, ejusque immissio in calicem vini sive מציצה, impositio nominis 44 preces & opipare paratum 45 convivium domi. Vide *Schabbath*. XIX. per totum caput.

§. IX. Partes.

IX. Partes in Synagoga præcipue spectandæ sunt quatuor I. 46 Armarium, *Hebr.* ארון, arca, quæ & היכל dicitur, sive *Sacellum*. Quidam hoc etiam 47 תיבה dictum putant; sed alii pluteum, cui Lex legenda imponitur, ita esse dicendum, aut ipsum בימה in quo libri sacri asservantur, existimant, quia in festo tabernaculorum dicuntur circumire תיבה, & de eo qui concionatur dicitur דרש מתוך התיבה. Collocandum hoc est in latere synagogæ, quod Hierosolymam respicit, ut in precibus versus Sanctum Sanctorum facies suas convertant, & velo appenso ornatur. 48 Quis gradus sanctitatis ei respectu synagogæ & utensilium ejus tribuatur, vide in *Megilla* III. I. II. 49 Suggestum ligneum, Hebraice, אלמימברא (ex Arab. المنبر, בימה, מגדל, βῆμα, exstructum in medio synagogæ, ut in illud conscendant qui Codicem Sacrum prælegent aut pro concione verba facient, super quo est כסא sive כורסייא (*Pers.* كرسي) pulpitum, cui Codex Sacer, dum in eo legebant, imponebatur. III. 50 Subsellia, קתדראות, inter quæ varia erat distinctio, ita ut subsellia seniorum obversa populo & terga considentium versus armarium essent, & populi subsellia spectarent armarium; quamvis in omnibus synagogis id non observetur. Huc spectant πρωτοκαθεδρίαι ἐν ταῖς συναγωγαῖς a Christo reprehensæ *Matth.* 23. 6. Tales cathedræ 71. inauratæ in synagoga Alexandrina fuerunt, secundum numerum membrorum synedrii magni. *Gem. Succa.* 51. 2. id Judæi explicant de synedrio quod Alexandriæ erat, a quo versio Græca videtur esse dicta τῶν LXX. quod ab istis LXX. senatoribus esset probata. IV. Lucernæ in synagoga suspensæ ad usum quidem in precibus vespertinis, ad ornatum vero & decus Sabbathis festisque diebus accensæ. Talem Antoninus Imperator donasse legitur *Gem. Hier. Megilla.* 74. I.

§. X. Decem otiosi Synagogæ.

X. Frequenter Judæi mentionem injiciunt, quum de synagogis loquuntur, 52 decem otiosorum בטלנים, id est, quorundam hominum qui ab opere cessantes ad id pretio conducti erant, ut in synagoga præsentes essent tempore precum, & decem saltem ibi invenirentur. Vide *Gem. Beracoth.* I. 3. 53 Ubi hi essent, illa עיר גדולה urbs magna habebatur; ubi non essent censebatur modo כפר. *Megilla* I. 3. 54 Alii vero existimant hos decem fuisse homines literatos, qui synagogam moderabantur & curam ejus gerebant.

§. XI. Rectores ejus & ministri.

XI. Personæ, quarum opera circa synagogæ regimen & ministerium sacrum versabatur, his nominibus fere appellantur 55 Ἀρχισυνάγωγοι ראשי כנסיות, qui proximi dignitate τοῖς גדולי הדור 56 statuuntur in *Gem. Pesachim.* 49. I. 57 זקנים 59 פרנסים 58 ממונים quos nonnulli eosdem faciunt 60 ac collectores eleemosynarum, alii pro præfectis habent vel doctoribus synagogæ. חזנים, 61 id est, ὑπηρέται, sive *Ministri*. *Luc.* 4. 20. qui synagogis deserviunt. *l.* 4. *Cod. Theod. de Jud. & cœlic.* שליחי צבור 62 qui conferri solent cum ἀγγέλοις ἐκκλησίας. *Apoc.* I. 20. Certe שליח idem est quod ἄγγελος: & speciatim hoc nomine dicebantur illi qui ad puellas nubiles mittebantur matrimoniorum causa; atque ita Moses שליח dicitur in *Midrasch Schir Hasschirim.* 5. 2. quod ejus interventu Deus populum Israeliticum sibi in uxorem assumserit. Confer I. *Cor.* II. 10. διὰ τοὺς ἀγγέλους. Ceterum diversi ab his erant 63 apostoli 64 patriarcharum Judaicorum, qui mittebantur ad primitias & decimas colligendas, 65 aurum coronarium (τὸν στεφανίτην φόρον, quem jam olim Antiocho & aliis regibus solverunt Judæi) exigendum, statum ecclesiarum in his & illis locis examinandum, ea cum auctoritate ut præfectos synagogis & chazanitas dignitate sua possent exuere. Vide Epiphanium *Hæres.* 30. *pag.* 135. sed hæc dignitas apostolatus uti & patriarcharum tempore Theodoreti jam desierat inter Judæos. 66 Præterea erant גבאים & גבאי צדקה *collectores eleemosynarum*, ומחלקי צדקה *& qui eas distribuunt*. 67 Dabant autem ex

תמחוי omnibus hominibus, & quidem quotidie: ſed ex קיפה tantum incolis illius urbis, & ſemel in hebdomade, die ſabbathum antecedente. *Hier. Pea.* 21. 1. & confer *Gem. Bava Bathra*. 8. 11. *Gem. Hieroſ. Gittin.* 47. 3. *Gem. Hier. Demai.* 24. 1. *Gem. Hier. Avoda Zara*. 39. 3.

§. XII. Numerus Synagogarũ.

XII. [68] Celeberrima inter ſynagogas Judæorum fuit Alexandrina una, quam qui non vidiſſet, & ejus דפלו איסטבות, vel דיו פלוסטין διπλᾶς στοᾶς, proverbio ferebatur non vidiſſe gloriam Iſraelis, *Gem. Succa* 51. 2. quæ præ reliquis ejus urbis ſynagogis μεγίστη καὶ περισημοτάτη Philoni nuncupatur. In aliis urbibus tam extra quam intra Palæſtinam, ipſaque Hieroſolyma, ubi τῶν Λιβερτίνων (aut Λιβυστίνων) [69] Ἀλεξανδρέων, Κυρηναίων, *Act.* 6. 9. memorantur, plures fuerunt. [70] Hieroſolymis olim 480. fuiſſe legitur in *Echa rabbati* 55. 1. & 74. 4. [71] Cujus numeri memoriale eſt מלאתי *Jeſ.* 1. 20.

§. XIII. Talmudicæ hyperbolæ de illo.

XIII. Non videntur tamen omnia quæ de numero ſynagogarum in his & illis locis, [72] uti urbe Beter, & alibi, leguntur in Talmude (vide *Gem. Gittin.* 58. 1.) accipienda eſſe לפי הפשט, id eſt, *ſenſu literali*, & hiſtorico, ſed potius על דרך גוזמא והבאי, ſive *hyperbolice*, ſecundum morem loquendi populorum orientalium, quod res ipſa indicat, ac ſæpiſſime ex verbis adjectis liquet; ipſi quoque Talmudici in *Gem. Chullin.* 90. 2. monent, [73] ubi de 300. modiis cinerum in altari inventis ſermo eſt, & in *Gem. Tamid.* 63. 1. 2. ubi non hoc tantum, ſed & narrationem de vite aurea in pronao templi, & velo, quod a 300. ſacerdotibus lavabatur, eſſe לשון הבאי hyperbolen traditur: quales inveniuntur in libris ſacris, uti quum urbes magnæ & munitæ uſque ad cœlos, terra clamore hominum fiſſa, & ſimilia leguntur. In his autem Judæi tradunt ſacros ſcriptores ſequi modos loquendi in Oriente uſitatos, ſive ut illi dicunt דברה תורה בלשון בני אדם *Lex ſermone humano loquitur. Gem. Gittin.* 41. 3. *Gem. Bava Metzia*. 31. 2. *Gem. Nedarim.* 2. 1. Niſi aliquis credere malit (& erunt qui credere malint) viros qui in ſumma dignitate conſtituti rempublicam Judaicam & Academias rexerunt, adeo fuiſſe fungos ut qui ſibi & aliis ineptiſſimas nugas perſuaſerint, quas hodie ſibi obtrudi nec pueri noſtri nec aniculæ paterentur.

COMMENTARIUM IN CAPUT DECIMUM.

[1] *Nonnunquam &c. Hieroſol. Chetuvoth fol.* 35. 3. R. Phineas nomine R. Hoshajæ dicit; Quadringentæ & ſexaginta Sinagogæ erant Hieroſolymis, quarum unaquæque habuit domum libri, & domum doctrinæ, domum libri pro ſcriptura, *ideſt ubi legeretur ſcriptura*, & domum doctrinæ pro traditionibus, *ideſt Beth Midraſch, ubi docerentur traditiones.* Vide *Hieroſ. Megillah fol.* 73. 7.

[2] *Sanctitas &c. Maimonides Thephillah. cap. XI.* §. 7. Synagogæ, & ſcholæ excolendæ, verrendæ, & lavandæ ſunt; & ſolent Iſraelitæ in Hyſpania, & occidente, & Babylone, & in Terra Sancta accendere candelabra in Synagogis, & extendere ſtoreas ſuper earum ſolum, ut ſuper iis ſedeant, ſed in Europa ſubſelliis inſident. In Synagogis & ſcholis nulla immodeſtia utuntur riſu, luſu, aut inepta confabulatione; neque edunt aut bibunt in illis, ut iis (in rebus ad uſum non ſacrum) utantur; neque deambulant in iis, neque in eas ingrediuntur æſtivo tempore ut æſtui, neque hyberno ut pluviæ ſe ſubducant; Sapientibus vero & eorum diſcipulis magna neceſſitate adductis in illis edere & bibere licet. Neque rationes in illis iniri poſſunt, niſi ſacræ ſint, v. g. ærarii elemoſynarum, & redemtionis captivorum, & quæ ſunt hujus generis alia, neque in iis juſta fieri poſſint, niſi publica, v. g. parentalia clariſſimorum ſapientum ejus civitatis, quorum cauſa univerſus populus convenit.

[3] *Illa autem tanta erat &c. Maimonides ibidem*. Synagogæ & ſcholæ ſi vaſtæ ſint, manet tamen earum ſanctitas, juxta gloſſam verſiculi, qui dicit, *& vaſtabo ſanctuaria veſtra. Levit. XXVI.* Quamvis vaſtatæ ſint, Sanctitatis nomen earum remanet, & quemadmodum obſervandæ ſunt, quando cultæ ſint, ita etiam excolendæ quando vaſtatæ ſunt, non tamen verrendæ nec lavandæ ſunt, quia non ſcopis mundantur, nec lavantur; ſi creverint in illis herbæ, evellendæ ſunt, & ſuo loco relinquendæ, ut eas homines aſpicientes curent ædificandas.

[4] *Major tamen &c. Maimonides ibidem cap. XIV.* Licet ſynagogam in ſcholam convertere, ſed ſchola in Synagogam converti non poteſt, quia Sanctitas ſcholæ Synagogæ Sanctitate major eſt, quia in ſanctitatibus aſcendunt non deſcendunt.

[5] *Quod ſi quis &c. Maimonides ibidem.* Platea civitatis, quamvis in medio ipſius oret populus in jejuniis & in ſtationibus, quando concio magna eſt, & Synagogæ convenientium multitudinem capere non poſſunt, non acquirit Sanctitatem, quia pro re nata in ea orant, nec orandi cauſa conſtituta eſt; atque etiam ædes, & atria, in quibus convenit populus ad orandum ſancta non ſunt, quia orandi cauſa non ſunt conſtituta, ſed pro re nata in iis orabant, quemadmodum quis in propriis ædibus oret.

[6] *Ut in jejuniis &c. Miſn. Taanith cap. II.* Quænam eſt ratio cæremoniarum in jejuniis *gravioribus obſervandarum?* Profertur arca in plateam urbis, eique cinis combuſtionis imponitur. Simulque capita, principis, præſidis ſynedrii, ac ſingulorum cinere conſperguntur. Tum qui inter eos ætate & ſapientia præſtat, ipſis verba pœnitentiæ recitat, dicens; Fratres noſtri, de Ninivitis prorſus dictum eſt, *& reſpexit Deus ſaccum eorum, & jejunium eorum;* verum quod *Jonæ III.* 10. habetur; *Et vidit Deus opera ipſorum, quod a pravitate actionum ſuarum deſtiterunt;* Et in Kabbala, h. e. verbis *Joelis II.* 13. præceptum legitur; *ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Vide Maimonidem Taanith cap. IV.*

[7] *Preceſque ibi fuſæ &c. Maimonides Tephillah cap. I.* 5. Eodemque modo ordinarunt, ut numerus, precum quotidianarum reſponderet numero ſacrificiorum, nimirum ut ſingulis diebus binæ eſſent pro numero ſacrificiorum, quæ quotidie offerebantur, quo die autem ſtatis ſacrificiis aliud addi ſolebat, eo die etiam tertias preces ordinaverunt, quæ reſponderent ſacrificio, quod cæteris ſuperaddebatur. Precatio quæ reſpondet ſacrificio jugi matutino, illa ipſa eſt, quæ vocatur matutina; quæ vero reſpicit ſacrificium veſpertinum, ea eſt, quæ vocatur precatio Minchæ, ſeu oblationis; & quæ Epimetra reſpicit, illa eſt, quæ vocatur Tephillat Muſaphin ſive precatio additamentorum. Porro vero etiam inſtituerunt, ut quivis etiam noctu ſemel preces fundat, quoniam membra ſacrificii jugis veſpertini conſumuntur per totam noctem &c. *Ipſi Hebræi ceſſatura ſacrificia fatentur, nunquam vero orationes. Legitur in Midraſch Schir haſſchirim ſuper illud Canticor. IV.* 3. *ſicut filum vermiculi labia tua.* Dixit Deus ſanctus benedictus Eccleſiæ

clesiæ Israelis. Prolatio labiorum tuorum dilecta est mihi sicut filum (scarleti) splendoris. R. Abhu dixit Oseæ IV. 3. *Et reddemus vitulos labiorum nostrorum*. Quid reddemus pro vitulis & hirco emissario, qui scilicet emittebatur in desertum? Confessiones & laudes labiorum nostrorum. In *Midrasch Tillim super illud Psalmi* 56. 13. *super me, Deus vota tua solvam, confessionem* vel laudem *tibi*. Dixit R. Pinehas in nomine R. Levi, & (R. Levi) in nomine R. Menachem. Omnes orationes cessabunt in futuro, confessio autem vel laus non cessabit; & omnia sacrificia cessabunt, & confessio vel laus non cessabit in æternum, sic enim scribitur Nehem. XII. 40. *Et stabunt duæ confessiones in domo Domini*, una confessio in loco orationis, & alia confessio loco sacrificii. Et in *Sota legitur super illud Psalm.* 51. 17. *Domine labia mea aperies & os meum annunciabit laudem tuam, quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique holocaustis non delectaberis; sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. Dixit R. Josua filius Levi; veni & vide quam magni sunt humiles spiritu; in tempore enim, quo domus Sanctuarii stabat, homo erat sacrificans holocaustum, & merces holocausti erat in manu ejus sic erat offerens oblationem, merces oblationis erat in manu ejus, ille vero cujus conscientia est humilis, perinde habeat scriptura ac si sacrificaret omnia sacrificia, sicut dictum est Psalm. 51. 19. *Sacificia Deo spiritus confractus* & non solum hoc, sed etiam quod oratio ejus non est reprobata sicut dictum est ibid. vers. 19. *cor contritum & humiliatum Deus non despicies*.

[8] *Quum a temporibus &c. Maimonides Tephillah* XII. 1. Moses magister noster injunxit Israelitis, ut publice legem recitarent die Sabbati necnon secundo & quinto septimanæ horis matutinis, ut ne scilicet integrum triduum subsisterent absque auditu legis *Hierosol. Megillah fol.* 75. 1. Moses ordinavit Israelitis, ut legerent in Lege diebus Sabbathi, & festis, & noviluniis, & festis solennitatum statutarum; *sicut dicitur Levit.* 23. 44. *R. Simeon Haddarschan in Jalkut ad Exod.* 35. 1. Deum præcepisse cœtus congregare singulis Sabbathis, & Scholas ingredi ad docendum Legem Israelem.

[9] *Alii in Deut. &c. Aben Ezra, & Abarbanel deducunt Synagogarum institutionem ex hoc Deut. loco* 31. 12. 13. & in unum omni populo congregato tam viris, quam mulieribus, parvulis, & advenis, qui sunt intra portas tuas, ut audientes discant, & timeant Dominum Deum vestrum, & custodiant impleantque omnes sermones legis hujus. Filii quoque eorum, qui nunc ignorant, ut audire possint, & timeant Dominum Deum suum &c. *Hebræi ex multis Scripturæ locis probare contendunt synagogarum, & scholarum antiquitatem. Abarbanel ad Judic.* 6. 8. *fol.* 49. 1. 2. *quærens quis fuerit* איש נביא vir propheta, *ita respondet*. Juxta literalem sensum fuisse videtur vir quidam, qui prophetico munere functus pro necessitate temporis, ideoque reticetur nomen ejus. Finis autem & scopus verborum ejus fuit, Israelitas reprehendere, & demonstrare, quod propter peccata ipsis obvenirent hæ angustiæ. Ideoque ipsis in nomine Domini Dei Israelis indicavit, quod providentia sua quatuor beneficia in ipsos contulerit, quæ sequentibus versibus enumerantur. *Idem fol.* 68. 4. *ad Judic.* 20. 1. *ubi dicuntur filii Israelis* Mizpam congregati, *ita commentatur*. Ibi erat altare, & domus precum, atque ibi etiam erat domus conventus, in quam Israelitæ congregabantur, si ipsis res aliqua gravior obveniret. *Idem fol.* 89. 3. *ad* 1. *Sam.* 7. 5. *&c. Dixit autem Samuel; congregate universum Israel in Masphath, ut orem pro vobis Dominum*. Ante explicavi (*inquit*) quod fuerit Mizpæ altare Domini, & domus precationis; illi enim præcepit Dominus benedictionem, illic erat salus Josuæ, & Regum, atque ibi congregati sunt ad Dominum, quoniam locus erat conjunctionis, & locus magnæ providentiæ divinæ. *Idem, Ralbag, & Kimchius ad* 2. *Reg.* 4. 23. *ubi maritus ad uxorem dixit*; quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt Calendæ, neque Sabbathum, *scribunt quod* in Sabbathis, & noviluniis visitatæ sint scholæ prophetarum, ad audiendum verbum Dei. *R. Salomo ad* 2. *Reg.* 25. 9. *per omnem domum magnam* intelligit domos congregationum, vel Synagogarum, in quibus magni faciunt Legem, & orationem, & domos Principum. *Et Kimchius* ad Jer. 39. 8. per domos populi *a Chaldæis igne combustas intelligit* Synagogas.

[10] *Et Josiæ &c. Abarbanel ad* 2. *Reg.* 22. *fol.* 301. 3. *scribit Chilkiam non fuisse miratum, quod invenerit librum Legis, sed quod eum invenerit* evolutum, *vel apertum* in Parascha comminationum, & reprehensionum, *quod initio folii hæc verba legerentur, Deut.* 28. 36. Ducet te Dominus, & Regem tuum &c. *Hanc fuisse causam trepidationis summi Sacerdotis, qui librum ea forma, qua eum invenerat, miserit ad Regem; Regem autem, cum hæc verba audiret, vestes suas lacerasset &c.* 20. *miratum fuisse Chilkiam, non quod invenisset librum Legis (fieri enim non potuit, ut Jeremia, cæterisque prophetis viventibus, libro Legis carerent) sed quod illum ipsum librum, quem scripserat Moses, invenisset; dixit enim* התורה מצאתי *librum legis illius cum* ה *demonstrativo, non simpliciter* librum Legis.

[11] *Sed post reditum &c. Babyl. Bava Kama fol.* 82. 1. Ezra decrevit decreta decem. Instituit publicam legis lectionem diebus hebdomadis secundo & quinto; iterumque Sabbato ad Mincha &c. *vide Hierosol. in Megillah. fol.* 75. 1. Rationem (*inquit Glossa*) quare de die secundo & quinto decretum est, si quæras, respondendum est ex eo, quod dicitur in Midras de Mose, quod scilicet ascendit in montem ad tabulas secundas recipiendas die hebdomadis quinto, descenditque pacato jam Deo, die hebdomadis secundo. Cum ergo tempus gratiæ esset ascensio ista ac descensio, de diebus secundo & quinto sic statuerunt; ideoque die secundo & quinto jejunare sunt soliti: *Maimonides ibidem*: At Ezra etiam illud instituit, ut unoquoque Sabbato etiam legerent post meridiem in gratiam tabernariorum (*seu indoctorum*) Idem vero etiam ordinavit, ut die secundo & quinto tres homines legant, neque minus legant versibus decem.

[12] *Preces matutinæ &c. Tempus orationis matutinæ erat usque ad meridiem. Misn. Berachoth cap. IV.* Preces matutinæ usque ad meridiem, R. Jehuda dicit usque ad horam quartam. *In quem locum ita Bartenora: Oratio matutina usque ad meridiem*, uti ad sacrificium juge matutinum, quod offertur usque ad medium diem juxta opinionem sapientum, sed juxta R. Jehuda non offertur usque ad quartam diei horam. *Ad quartam usque horam*, id est usque ad finem horæ quartæ, quæ est tertia diei pars; quando dies habent duodecim horas, & sc. tempus ejus est semper usque ad finem tertiæ partis diei, sive dies fuerint breves, sive longi, uti diximus supra ubi de lectione *Audi*. Decisio quæstionis est penes R. Jehuda. *Maimonides ibidem cap. III.* De precibus matutinis institutum est, ut illæ recitentur inde a primo solis ortu usque ad finem horæ quartæ, quæ est triens diei, si quis vero peccasset, aut recitasset post horam quartam usque ad meridiem, satisfacit debito orationis, sed non satisfacit debito orationis suo tempore (*recitandæ*) etenim sicut oratio est præceptum legis, ita est præceptum ex instituto Rabbinorum, ut suo tempore recitetur, quemadmodum sapientes, & Prophetæ constituerunt.

[13] *Viri stantes &c. Babyl. Berachoth fol.* 26. 2. Scriptum est; & *surrexit Abram multo mane ad locum, ubi steterat coram Domino*; at stare nihil aliud est quam orare, sicut dicitur; *& stetit Phineas & judicavit: Hierosol. fol.* 20. 1. Ingreditur quis in Synagogam, invenitque illos stantes in oratione: *& fol.* 8. 3. Dixit R. Jochanan, vidi ego R. Jannai stantem atque orantem in plateis Tsipporis: *Maimonides in Deah cap.* V. Discipulus sapientum deorsum spectet, cum stat orans: *& cap. V. Tephillah*: nequit precatio nisi a stante fundi; qui in navi aut curru considet, hic si stare poterit, stare tenetur; si minus, sedeat in loco suo, atque orabit: *Hinc illustrantur Matth. VI.* 5. *Luc. XVIII.* 11. 13. *Marc. XI.* 25.

[14] *Loti &c. Maimonides ibidem cap. IV.* 3. Quando dicitur non necesse esse, ut oraturus non lavet nisi tantum manus? hoc intelligitur, pro reliquis precibus, excepta oratione matutina; mane enim lavabit faciem, manus, & pedes, & deinde orabit, & si aqua longe abesset, emundabit manus duntaxat, et deinde orabit.

[15] *Quæ non græco &c. Licuit ex hebraico Pentateuchum*

chum græce reddere Babyl. Megilla cap. I. fol. 8. 9. Libri (idest *Lex* , *Prophetæ* , *Hagiographa*) scribuntur quavis lingua ; Phylacteria autem frontis , manus , & postium nisi lingua Assyria (*h. e. sancta*) R. Simeon Gamalielis filius dicit, etiam Biblia non permiserunt doctores , ut alia lingua scriberentur , quam græca. Traditio est , R. Jehuda dixit ; quando magistri nostri permiserunt linguam græcam , non permiserunt tamen nisi in libris legis , propter id quod factum est a Rege Ptolomæo *& ibid fol.* 9. 2. Dixit Scriptura *Genes. IX.* 27. *Dilatabit Deus Japhetum* , *& habitabit in tentoriis Semi* ; verba Japheti erunt in tentoriis Semi . Dicam igitur Gomeri, & Magogi , *scil. linguam intelligi* . Dixit R. Chaija Bar Abba, hic est sensus , pulchrum faciet Deus Japhetum ; pulchritudo Japheti erit in tentoriis Semi. *Glossa explicat*. Pulchritudo Japheti est lingua Javan, cujus lingua , græca videlicet pulchritudine superat omnes filiorum Japheti linguas : *& ibidem cap. II. fol.* 18. 1. *Rabh & Samuel pronunciant* lingua græca ad omnia legitime adhibetur *Maimonides Tephillin cap.* I. 19. Non scribunt Philacteria frontis manusque , & postium nisi Assyriace ; permiserunt , autem de Pentateucho ut etiam græca lingua, eaque sola exarari posset; verum jam olim submersa lingua græca de mundo & corrupta interiit : *Verum his versionibus in sacris cœtibus* non utebantur . *Massechet Sopherim cap. I. 6.* Non scribunt libros sacros lingua transfluviali, neque Arancæa , neque Meda, neque Græca. Siquis tamen quacunque lingua , & quacunque scriptura eos scripserit, in tali volumine non legitur , nisi fuerit scriptura Assyriaca : *Legimus tamen in Hierosol. Sota fol.* 21. 2. Preces lingua Hellenistica recitata esse R. Levi ben . Chajathah adiit Cæsaream , atque audivit eos recitantes preces suas Hellenistice , & voluit eos prohibere . Quod cum audiret R. Jose , iratus est , & dixit , ego sic dico . Si quis non noverit recitare in lingua sancta, num non recitabit omnino ? Immo fungatur officio suo , in quacunque lingua calluerit .

16 *Imperante Justiniano &c. Novell.* 146. Sancimus licentiam esse volentibus Hebræis per Synagogas suas, in quocunque omnino loco sunt , per græcam vocem sacros libros legere convenientibus, vel etiam patria forte (Italica hac dicimus) lingua , vel etiam aliorum simpliciter, una scilicet cum locis etiam lingua commutata , & secundum hæc vivere , ac conversari , neque fiduciam esse his , qui apud eos sunt expositoribus , solam Hebraicam tradentibus , malignari hanc , quemadmodum voluerint . (*Jubentur autem uti græca LXX. vel Aquilæ* , *vetita editione secunda*.) Neque licentiam habebunt, qui ab eis majores omnibus Archiphereticæ , aut presbyteri forsitan , aut magistri appellantur , perinœis quibusdam aut anathematismis hoc prohibere , nisi velint propter has castigari corporis pœnis , & insuper privationem facultatum nolentes sustinere.

17 *Spatio annuo &c. Maimonides ibidem* XIII. Consuetudo invaluit apud omnes Israelitas, ut spatio annuo Pentateuchi lectio absolvatur , cujus initium ducitur a primo Sabbato post Festum Tabernaculorum , & legitur in sectione prima . *In principio creavit Deus* ; (*Genes. cap. VI.* 8. *usque ad cap. XII.*) in secundo Sabbato. *Dixit autem Dominus ad Abraham* . (*Ibidem cap. XII.* 1. *usque ad cap. XVIII.*) & hoc ordine legitur , donec absolvatur Lex in Festo Tabernaculorum . Sunt qui triennio absolvant ; sed hæc consuetudo minus diffusa est . Ezra jussit Israeli , ut legenda esset sectio maledictionum , quæ est in Levitico (*cap. XXVI.* 3. *usque ad finem libri*) ante festum Pentecostes , & (sectionem maledictionum) Deuteronomii (*cap. XXVI.* 1. *usque ad cap. XXXI.*) ante principium novi anni ; consuetudo communis est, ut prima sectio Numerorum (*usque ad vers.* 21. *cap.* IV.) ante sabbatum proximum festo Pentecostes; & Parascha secunda Deuteronomii (*cap.* III. 23. *usque ad vers.* 11. *cap.* VII.) quæ incipit, *precatusque sum Dominum* post jejunium diei noni mensis Ab : Parascha (*ibidem cap.* XXIX. 10. *usque ad cap.* XXXI.) quæ incipit , *Vos statis hodie cuncti* ante principium novi anni; & (Parascha, quæ incipit ; *Præcipe Aaron* (*Levit. cap. VI.* 9. *usque ad cap.* IX.) ante festum Paschatis, id vero anno communi ; unde evenit, ut aliquot Sabbatis mane legantur duæ Paraschæ v. g. *mulier si suscepto semine* (*Levit.* XII.) *Et hic est ritus Leprosi* (*ibidem cap.* XIV.) *Si in præceptis meis ambulaveritis* (*ibidem* XXVI. 3.) atque una. *Locutusque est Dominus &c. in monte Sinai* (*ibidem* XXV.) & cæteræ hujusmodi , ut annuo spatio absolvi , & suo tempore Paraschæ legi possint. *Paucis interjectis*: In noviluniis , qui primus legit, legit tres versiculos Paraschæ *Præcipe* (*Num. cap.* XXVIII.) Et secundus iterum legit tertium versiculum primi , & duos versiculos sequentes , ut in Parascha reliqui sint sex versiculi , & tertius legit tres versiculos Paraschæ quos secundus reliquit, & etiam duos sequentes versiculos, qui incipiunt, *die autem Sabbati* , & quartus prosequetur hanc Parascham. *In calendis autem* , & si calendæ in Sabbatum incidant , mane duo libri legis educuntur , in primo legitur Parascha ipsius sabbati , & in secundo ultimus legit eamdem Parascham ; *In calendis autem* , & qui recitat sectionem Prophetarum , legit scopum novilunii, & recitabit sectionem. *Et erit mensis ex mense* (Isai. cap. ultim. 23.) & in novilunio mensis Ab, quod incidat in Sabbatum, legitur prophetia . *Calendas vestras & solennitates vestras odivit anima mea* (Isai. cap. I. 14.) Si Novilunium in primum diem incidat, legitur textus. *Dixitque ad eum Jonathas* , *cras calendæ sunt &c.* (1. Reg. cap. XX. 18. usque ad finem capitis) *Et paucis interjectis*: In festo Paschatis legitur Parascha solennitatis , quæ est in Levitico cap. XXII. 26. consuetudo jam ubique generalis est, ut legatur primo die Parascha . *Ite tollentes &c.* Exod. XII. 21. & haftara , *Pascha Gilgalis* (Jos. cap. V.) Et in die secundo Festi legitur Parascha *Bos* , *ovis & capra &c.* (Levit. XXII. 26. & haftara . *In Paschate Josiæ Reg.* (4. Reg. XXIII. In die tertio , qui est primus profestus, legitur ; *Sanctifica mihi omne primogenitum* . (Exod. XIII. 2. Quarto die legitur . *Si pecuniam mutuo dederis* (ibidem XXII. 25. Quinto die Parascha . *Præcide, ait, tibi duas tabulas &c.*) Ibidem XXXIV. 1. In sexto legitur Parascha . *Faciant filii Israel Phase in tempore suo*. (Num. IX. 2.) In novissimo festo legitur. *Igitur cum emisisset Pharao &c.* (Exod. XIII. 17.) usque ad *Ego enim Dominus sanator tuus*. (Ibidem cap. XV. 26.) & haftara , *Locutus est autem David Domino verba carminis hujus* (2. Reg. XXII.) & octavo die legitur. *De primogenitis* (Deuter. XV. 19.) & haftara; *Adhuc dies est* , *ut in Nobe stetur* . (Isai. X. 32.) In festo Pentecostes legitur . *Septem habdomadas* (*Deut.* XVI. 9.) & jam consuetudo obtinuit , ut primo die legatur, *Mense tertio* (Exod. XIX.) & haftara est currus Ezechielis (cap. I.) Et in secundo legitur parascha solennitatum (Deut. XV. 19. & haftara orationis Habacuch) ibidem cap. III. Initio novi anni legitur : *Mensis etiam septimi prima dies* . Num. XXIX. & usus obtinuit , ut primo die legatur. *Visitavit autem Dominus Saram*. [Genes. XXI.] & haftara. *Fuit vir unus de Ramathaim sophim* (1. Reg. cap. I.) & secundo die legitur. *Quæ postquam gesta sunt*, *tentavit Deus Abraham* (Genes. XXII.) & haftara . *Si filius honorabilis mihi Ephraim* . (Jerem. XXXI. 20.) In die Expiationum mane legitur. *Post mortem duorum filiorum Aaron* . (Levit. a capite XVI. usque ad caput XVII.) & haftara . *Quia hæc dicit Excelsus & sublimis* . (Isai. LVII. 15.) & vesperi parascha de adulteriis (Levit. XVIII.) ut homo recordetur , & pudeat , si in iis peccarit , & pœniteat ; & tertius qui legit, legit haftaram integram prophetiæ Jonæ . In festo Tabernaculorum, in duobus primis diebus , legitur parascha solennitatum Levitici (cap. XXII. 26.) & haftara primo die dicitur . *Ecce venient dies* (Zacchar. XIV.) & secundo die . *Tunc congregati sunt &c. ad Regem Salomonem* (3. Reg. VIII.) & ultimo die festi legitur. *De primogenitis* (Deut. XV. 19.) & haftara . *Factum est autem, cum complesset Salomon* . (3. Reg. VIII. 54.) & sequenti die. *Hæc est benedictio* (ultima parascha Pentateuchi) Et haftara legitur. *Stetit autem Salomon* (3. Reg. VIII. 22.) Sunt qui dicunt Pharascham . *Et factum est post mortem Mosis*. (Josue. I.) & in reliquis diebus leguntur Sacrificia ipsorum dierum. Quomodo id ? Singulis diebus festi intermediis duæ sectiones leguntur . Primo die, qui est tertius intermediorum festi , legit Sacerdos . *In die altero* . (Num. XXIX. 17.) Et Levita. *Die tertio* (Ibid. v. 20.) & Israelita legit . *Die quarto* (Ibid. v. 23.) Et quartus iterum legit, *In die altero & die tertio*, atque etiam

die

die quarto, qui eſt ſecundus intermediorum feſti, legitur ſacrificium diei tertii, & quarti, & hoc ordine omnibus diebus. Singulis diebus feſtis, atque etiam in die expiationum, & ſeptem diebus Paſchatis educuntur duo libri legis mane, in primo leguntur dictæ paraſchæ, & in ſecundo legitur ſacrificium, quod offerebatur eo die, quod refertur in lege. Et qui legit paraſcham ſacrificii, recitat etiam haſtaram. Quibus diebus educuntur duo libri legis, & tres; ſi unum poſt alium educerent, quando primus reponitur, recitatur Kadiſc, & educitur ſecundus, & quando reponitur ultimus, iterum recitatur Kadiſc, & jam diximus, conſuetudinem generalem obtinuiſſe, ut recitetur Kadiſc, poſtquam ultimus legerit, & poſtea dicitur haſtara. Si Sabbatum inciderit in dies feſti intermedios vel Paſchatis, vel Tabernaculorum, eo Sabbato legitur Paraſcha. *Præſertim cum dixeris* (Exod. XXXIII. 12.) & tempore Paſchali, legitur haſtara de reſurrectione mortuorum (Ezech. XXXVII.) Si vero in tempore Tabernaculorum, legitur haſtara, in die adventus Gog. (Ibid. XXXVIII. 18.) in initiatione Templi primo die legitur a benedictione Sacerdotum uſque ad finem primi offerentis ſacrificium (Num. VI. 22.) & in ſecundo die ſacrificium oblatum a principe in die ſecundo, atque hoc ordine uſque ad diem octavum; die autem octavo legitur ipſum ſacrificium diei octavi uſque ad finem dictorum ſacrificiorum uſque ad finem ſectionis; & in Sabbato initiationis Templi haſtara de lucernis Zachariæ (cap. III.) Si duo Sabbata inciderent, in primo legitur de dictis lucernis Zachariæ, & in ſecundo de lucernis Salomonis. (3. Reg. VII. 40.) Et qui legit paraſcham de initiatione Templi, legit etiam haſtaram. In feſto Purim mane legitur *Venit autem Amalec*. (Exod. XVII. 8.) In Jejunio diei novi Menſis Ab mane legitur. *Si genueritis filios* (Deut. IV. 25.) & haſtara. *Idcirco cadent inter corruentes* (*Jerem.* VIII. 12.) & veſperi legitur ut in reliquis jejuniis. *Moſes autem orabat* (Exod. XXXII. 11.) & in reliquis jejuniis, quæ ſervamus, pro iis, quæ acciderunt patribus noſtris, legitur mane & veſperi eadem paraſcha, primus legit; *Moſes autem orabat* quatuor verſiculos, & ſecundus & tertius a verſiculo *Præcide, ait tibi* (ibid. XXXIV. uſque ad *inibo pactum* (ibid. v. 10.) & in jejuniis, quæ ſtatuit cœtus propter calamitates, v. g. propter difficultatem annonæ, aut peſtilentiam, & his ſimilia, leguntur benedictiones & maledictiones (quæ ſunt in Levitico, & Deuteronomio, uti ſupra indicatum eſt) ut populum pæniteat, & humiliet cor ſuum, quando eas audient. Conſuevit populus in tribus Sabbatis, quæ præcedunt nonum diem menſis Ab pro haſtaris recitare tres Prophetias correptionum; primo Sabbato recitatur prima Prophetia Jeremiæ, ſecundo ſecunda, & tertio prima Prophetia Iſaiæ; atque etiam uſus obtinuit Sabbato poſt diem nonum menſis Ab, ut recitetur haſtara, *conſolamini conſolamini popule meus*) Iſai. XL.) & uſus generalis eſt in noſtra civitate, ut recitentur haſtaræ conſolationum poſt diem nonum menſis Ab uſque ad initium novi anni, & Sabbato, quod intercedit inter initium novi anni & diem expiationum, recitetur; *convertere Iſrael* (Oſe. XIV.) In novilunio menſis Adar, quod incidat in Sabbatum, legitur paraſcha de Siclis (Exod. XXX. 11.) & haſtara in Jeojada Sacerdote (4. Reg. XII.) atque etiam ſi idem novilunium incidat in medium hebdomadæ, vel in ipſam Sabbati vigiliam, Sabbato præcedenti legitur paraſcha de ſiclis, in ſecundo Sabbato legitur; *memento quæ fecerit tibi Amalec*. (Deut. XXV. 17.) & haſtara. *Recenſui quæcunque fecit Amalec*. (1. Reg. XV. 2.) Quodnam eſt Sabbatum ſecundum? eſt illud, in cujus hebdomadam incidit feſtum Purim; atque etiamſi eſſet vigilia Sabbati ſequenti, tertio Sabbato legitur paraſcha de Vacca rufa (num. cap. XIX.) & haſtara; *& effundam ſuper vos aquam mundam* (Ezech. XXXVI. 25.) Quodnam eſt tertium Sabbatum? quod quarto proximum eſt. In quarto legitur: *Menſis iſte vobis principium menſium &c.* (Exod. XII. 2.) & haſtara; *In primo menſis una menſis &c.* (Ezech. XLV. 18.) Quodnam eſt Sabbatum quartum? eſt illud, ſecundum quod ſuccedit novilunium menſis Niſan, etiamſi incideret in vigiliam inſequentis Sabbati. Ex hoc deprehenditur, aliquando unum Sabbatum inter primum & ſecundum interceſſurum, aut inter ſecundum & tertium, & interdum duo ſabbata interceſſura inter primum & ſecundum, & inter ſecundum & tertium, ſed inter tertium & quartum nullum intercedit Sabbatum. Quælibet ſectio illarum quatuor, quas commemoravimus, in altero Pentateucho legitur, poſteaquam lecta fuerit ſectio propria ipſius Sabbati in primo Pentateucho, ſi novilunium Adar incidat in Sabbatum, ejus paraſcha erit. *Cuncta quæ mandabo per te* (Exod. XXV. v. 22.) Sex legunt eam paraſcham uſque ad verſ. *Facies & labrum æneum &c.* (ibid. cap. XXX. 18.) & ſeptimus iterum leget ſectionem de Siclis; & ſi ſectio ejus Sabbati eſſet eadem ſectio de Siclis, ſex legent, *a verſ. Quando tuleris* (Exod. XXX. 12.) uſque ad; *Igitur congregata omni turba &c.* (Ibid. XXXV.) & ſeptimus leget in ſecundo Pentateucho *a verſ. Quando tuleris* uſque ad; *Facies & labrum æneum*. In novilunio menſis Adar, quod incidat in Sabbatum, educuntur tres libri legis, in primo legitur ſectio diei, in ſecundo ſectio novilunii, in tertio ſectio de Siclis; & pariter in novilunio menſis Niſan, quod incidat in Sabbatum, educuntur tres libri legis, in primo legitur ſectio diei, in ſecundo ſectio novilunii, in tertio ſectio de Siclis; & pariter in novilunio menſis Niſan, quod incidat in Sabbatum, educuntur tres libri legis, in primo legitur ſectio diei, in ſecundo ſectio novilunii, & in tertio. *Menſis iſte principium &c.* In novilunio menſis Tebet, quod incidat in Sabbatum, educuntur pariter tres libri legis, in primo legitur ſectio diei, in ſecundo ſectio novilunii, & in tertio ſectio de initiatione Templi; tres legunt ſectionem novilunii, & quartus ſectionem de initiatione Templi &c. *Ignoſce lector, ſi tua patientia abuſi ſimus, voluimus hoc loco integram Hebræorum liturgiam illuſtrare, quæ magnam Chriſtianæ lucem afferre poteſt. Vide Megillah cap. III.* 4. 5. 6.

[18] *Singulæ Paraſchæ &c. Megillah cap. IV.* Die ſecundo & quinto & veſperi Sabbati, legunt tres, non diminuunt neque addunt illis, neque haſtaram dicunt in Prophetis. Qui incipit & qui claudit in lege, benedicit ante eam & poſt eam. In novilunio & diebus feſti intermediis legunt quatuor, non detrahunt de illis neque addunt illi, neque haſtaram e profeta legunt. Qui incipit & qui finit in lege, benedicit ante eam & poſt eam. Hæc regula generalis eſt, quocunque die detur additamentum, & non ſit dies feſtus, eo legunt quatuor; die feſto quinque die expiationis ſex, die Sabbati ſeptem, non detrahunt de illis, ſed addunt illis, & haſtaram dicunt e propheta. Qui incipit & qui finit in legem, benedicit ante & poſt eam: *Maimonides* ibidem cap. XII. 16. Quotnam ſunt, qui legunt legem? Sabbato mane legunt ſeptem, in die expiationum ſex, & in diebus feſtis quinque, non detrahunt, ſed addunt illis. In noviluniis, & diebus feſti intermediis legunt quatuor, in Sabbato; & in die expiationum veſperi, & in die ſecundo & quinto totius anni, & in feſto Chanuca & Purim mane: in jejuniis vero veſperi & mane legunt tres, nec de illis detrahunt, neque addunt.

[19] *Hi erant &c. Miſn. Gittin cap. V.* 8. Et hæc dixerunt pacis gratia; Sacerdos leget prius, & poſt ipſum Levita, poſt hunc Iſraealita pacis gratia: *Maimonides* ibidem: In omnibus iſtis lectionibus primus legit Sacerdos, deinde Levita, tum Iſraelita. Uſus hoc tempore obtinuit, ut Sacerdos vel indoctus præcedat vel ſapientiſſimum Iſraelitarum; deinde qui ſapientia antecellit, inter Iſraelitas præcedit in lectione, & ultimus, qui Pentateuchum convolvere debet, præ omnibus dignus habetur, idcirco ultimus legere poteſt vel Synagogæ præſtantiſſimus. Si minus affuerit Sacerdos, leget primus Iſraelita, neque poſt eum leget Levita, ſin minus affuerit Levita, Sacerdos qui primus legit, iterum leget, ſed non eſt invitandus alius Sacerdos, ne dicatur primus ineptus fuiſſe, atque ea de cauſa ſecundus vocatus fuiſſe; neque etiam poſt Levitam alius Levita vocandus eſt, ne eorum alter ineptus habeatur. Vide ejus commentarium ad l. c. *Gittin. Orach Chaijm*. tit. CXXXV. & CXXXVI. Sacerdos primus legit, poſt hunc Levita, at tum denique Iſraelita. In Sabbato, feſto, & die expiationis poſt Levitas legunt viri docti, qui præfecti ſunt Synagogæ, poſt hos viri docti, qui digni ſunt Synagogæ præfici gubernatores, tum filii virorum Doctorum, quorum patres Synagogæ præſunt,

& de-

& demum capita Synagogæ, & populus universus. Atque hæc consuetudo constanter obtinet, ut etiam illiteratus Sacerdos, legat prior sapiente magno Israelita; quod tamen ita accipiendum est, ut Sacerdos ille sit legendi peritus; nam si ne quidem legere norit, quo pacto super lectione benedicere queat?

[20] *Ante Israelitæ &c. Orach Chajim Tit.* 3. 136. In Sabbatho, festo, & die expiationis post Levitas legunt viri docti, qui præfecti sunt Synagogæ, post hos viri docti, qui digni sunt Synagogæ præfici gubernatores; tum filii virorum doctorum, quorum patres Synagogæ præsunt, & demum capita Synagogæ, & populus universus.

[21] *Horum ultimus &c. Maimonides ibidem*: Quisnam est ordo lectionis Legis una cum oratione? In quocunque die est oratio addititia, posteaquam legatus cœtus recitavit orationem matutinam, dicit *Kadisc*, & educit Pentateuchum, & invitat sigillatim eos, qui in cœtu lecturi sunt, & ipsi suggestum ascendunt, & legunt, & postea suo loco Pentateuchum reponit, & recitatur *Kadisc*, & postea oratio addititia, & iis diebus, in quibus legitur haftara ex Prophetis, dicitur *Kadisc*, priusquam lector illam haftaram legat ejus & in aliquot locis consuetudo obtinet, ut post ipsum Lectorem dicatur.

[22] *Quam nunc &c. Maimonides ibidem*: Qui legit haftaram e propheta, prius benedictionem recitabit, quæ est; *Benedictus tu Domine Deus noster, qui elegit in Prophetis &c.* Et postea quatuor benedictiones, quarum prima concluditur; *Deus fidelis in omnibus suis verbis*. Secunda concluditur, *qui ædificat Hierosolymam*; tertia concluditur, *scutum David*; quarta concluditur juxta scopum diei, in quo dicitur, eo modo quo concludit in oratione; & pariter, si in Sabbatum inciderit novilunium, commemorat in hac benedictione novilunium, uti fecit in oratione.

[23] המתרגם *Hierof. Megillah fol.* 74. R. Samuel bar R. Isaac in Synagogam iverunt, aspexeruntque quempiam, ut interpretabatur, columnæ innitentem. Alter eorum ait ipsi, id non licet, ut enim lex data est in timore & terrore, ita ad usum adhiberi debet non sine timore ac terrore. Idem contulit sese in Synagogam, viditque Angelum ecclesiæ legentem, neminemque juxta eum (nullum interpretem exponit *Alphes*) ait illi: id non licet; data enim est lex manu mediatoris, ita quoque manu mediatoris tradenda est. In Synagogam pariter se aliam contulit, viditque Scribam legentem e libro interpretationem suam; ait illi id non licet, quod verbo oris, verbo oris, quod e libro e libro: R. Salomon ad *Megillah* 4. Targum (inquit) *aut interpretatio*, eo tantum consilio instituebatur, ut mulieres, rudesque populi, qui linguæ sanctæ ignari erant, intelligerent, quæ legebantur autem vulgari lingua, Babylonica exponebantur: *Et Alphes* ibidem. Solemni ipsis in more positum erat interpretari in Synagoga, quia lingua Syriaca loquebantur, exponebantque ut omnes intelligerent: *Kiddufchin fol.* 76. Rabh Bibai vir magnus fuit, ad curandum de rebus Dei. Et Mar vir magnus fuit ad curandum de rebus oppidi: *Glossa*: De rebus Dei idest de collectoribus elemosynæ, atque ejus distributione, & de ordine Interpretum, atque legentium in Prophetis: *Massecheth Sophorim cap. XII.* Si fuerit Sabbato intrepres, vel concio, legunt in propheta versiculos tres, aut quinque, aut septem &c. *Piske* הראש *& Rabbenu Asher* in *Megill.* cap. 3. Non legunt in lege nisi stantes, immo non licet legenti alicui rei inniti. Unde autem tenetur legens stare? Dicit Rabh Abhu; quia scriptura dicit, *tu autem mecum sta*. Atque non est alicui rei innitendum, sicut est in *Hierof.* R. Samuel Bar Isaac ingressus Synagogam, quemdam interpretantem comperit, atque innitentem columnæ; cui ille; hoc tibi non licet, nam sicut data est lex cum reverentia, sic a nobis tractanda est cum reverentia: *Babyl. Joma fol.* 20. 2. Ivit Rabh ad locum R. Shillæ, & non adfuit interpres, qui adstaret R. Shillæ. Rabh ergo ei astitit: *Ubi Glossa*: Non adfuit interpres, qui coram Doctore prælegente stetit; & Doctor insusurravit ei in aure hebraice, atque populo reddidit vernacule: *Huc spectat illud Salvatoris Matth. X.* 27. *Quod in aure auditis prædicate super tecta. Babyl. Sanhedrin fol.* 7. 2. Dixerunt Judæ bar Nachmani, interpreti Resh Lachish asta ei pro expositore: *Glossa*: Ad enuntiandum expositionem Synagogæ, quam tibi insusurraverit.

[24] הדרשן *&c. Berefchit. Rabb. sect.* 80. Jose Maonita interpretatus est in Synagoga τῆς Maon. *Audite hoc o Sacerdotes, ausculta o domus Israel, atque attende o domus Regis. Osc. IV.* 1. Dixit; arrepturus est Sanctus benedictus sacerdotes & staturus eos in judicio, illis dicendo, quare non laborastis in lege? Nonne usufructum habuistis viginti quatuor portionum cedentium Sacerdotibus? Dicunt ei non dederunt nobis quidquam. Ausculta o domus Israel, quare non dedistis Sacerdotibus vigintiquatuor portiones, quas ego præcepi in lege? Respondent illi propter illos, qui sunt de domo Principis, qui rapiunt totum. Attende o domus Regis, quia vobis est judicium, quia vobis dixi, hæc erit norma circa Sacerdotes. Vobis ergo & super vos versa est norma judicii. Audiit hæc Rabbi (Princeps) & indignatus est. *Glossa in Babyl. Schabb.* 30. 2. Convenire solitæ sunt fœminæ & vulgus, ut audirent expositionem vel concionem; atque illis opus fuit expositoribus vel concionatoribus, qui corda eorum afficerent. *Vides exempla interpretationis & concionis. Hinc illustratur Luc. IV.* 16.

[25] *Qui comma unum &c. Babyl. Megillah. fol.* 23. 2. Qui legit in lege, non legat interpreti plus una vice quam versiculum unum. *Glossa*, ne erret interpres. *Maimonides ibidem*. Lector igitur versiculum legit, postea quiescit, & tacet, donec interpres exponat; pergit tum, & legit secundum versiculum, nec licet lectori legere plusquam versiculum una vice Interpreti.

[26] *E Prophetis tria &c. Gemara Megillah cap. IV.* Prophetarum tamen tres lector continue versiculos legere poterat &c. *Maimonides ibidem*. Qui in propheta legit, potest interpreti tres versus prælegere, & interpres explanabit tres illos omnes unum post alium, quod si tres illi versus diversarum sint sectionum, non nisi singulos interpreti prælegat. *Nonnullas sectiones non interpretabantur. Mifn. Megillah IV.* 10. Historia Reubenis legitur, sed non exponitur Chaldaice; Historia Tamaris legitur, & Chaldaice exponitur; Historia vituli prima legitur, & Chaldaice exponitur, secunda vero legitur quidem, sed non exponitur Chaldaice. Benedictio Sacerdotalis, & historia Davidis, & Ammonis non leguntur, neque exponuntur Chaldaice. Non dicunt haftaram Ezech. I. 1. de curru; R. Jehuda permittit. R. Eliefer dicit, non dicunt haftaram Ezech. 26. *Fac notum Hierosolymis. Babyl. Megillah fol.* 25. 1. Factum Reuben legitur, at non interpretatur. Factum Tamar legitur, & interpretatur. Historia prima de vitulo aureo legitur & interpretatur, secunda legitur, sed non interpretatur &c. *Maimonides ibidem*. Non omnes sectiones publice interpretatur. Historia Reuben, & benedictio Sacerdotum, & historia vituli aurei, a versu *dixitque Moses ad Aaron* (usque ad & *videns ergo Moses populum*) & vers. *Percussit ergo Dominus populum* sine interpretatione leguntur, & in historia Ammonis, ubi textus dicit, *Ammon filius David*, neque legunt, neque interpretantur.

[27] *Hunc nonnulli &c. Gemara Megillah*. A diebus enim Ezræ interpretem suis in Synagogis habere solebant, qui quod legebatur, populo exponebat, ut sensum verborum caperet; Lectorque versiculum legebat, quiescebatque donec interpres exponeret, pergebat tum, aliumque versum legebat, interpresque exponebat, unumque tantum versum interpreti legere ei licebat. Eratque hæc perpetua in legenda lege praxis. Prophetarum tamen tres lector continue versiculos legere poterat &c. *Maimonides ibidem*. A diebus Ezræ consuevere habere interpretem qui exponat populo Chaldaice, quod lector legit in sacra lege, ut omnes rerum sensum intelligant; Lector igitur legit versiculum, tum quiescit, & tacet, donec interpres exponat, & postea pergit, & legit secundum versiculum, nec licet lectori prælegere plusquam versiculum una vice interpreti.

[28] *Benedictio &c. Maimonides* ברכת כהנים *cap. XIV.* 3. Quo pacto fit manuum elevatio? extra Sanctuarium, quando legatus Synagogæ pervenit ad benedictionem sacrificiorum, quando dicit, *benevolus sis* omnes Sacerdotes, qui sunt in Synagoga, surgunt e loco suo, & ascendunt pulpitum, faciem vertentes templum versus, & tergum versus populum, digitosque in volam incurvatos habent, donec legatus absolverit benedictionem gratiarum actionis, tum ver-

tunt faciem verſus populum, expandendo digitos, & elevando manus humeris tenus, & incipiunt, *benedicat tibi*, & prælector ad verbum iis prælegit, & ipſi reſpondent juxta quod dictum eſt, *loquere Aaron &c.* (*Num. VI.* 23.) Quando abſolverunt primum verſiculum, tota congregatio reſpondet *amen;* pergit legatus, cœtus ipſis prælegere ſecundum verſiculum ad verbum, & ipſi repetunt, donec ſecundum verſiculum abſolvant, & omnes reſpondent *amen*, & eodem modo in tertio. Quando tres verſiculos abſolverunt, incipit legatus cœtus ultimam benedictionem orationis quæ eſt, *Pone pacem*, & Sacerdotes verſa facie verſus Sanctuarium, contrahunt digitos, ibique ſtant, donec ea benedictio abſoluta fuerit, & repetunt locum ſuum. *Idem ad cap. V. Berachoth* 4. Ordo benedictionis Sacerdotalis eſt ſiſtere ſe ante arcam templi in congregatione, & vertere faciem ad populum, poſteriora vero verſus palatium, & miniſter Synagogæ ſive prælector ſtabit e regione Sacerdotum de facie ad faciem, ponetque tres benedictiones in os Sacerdotum de verbo ad verbum hoc modo, prælector congregationis dicit, יברכך, *benedicat tibi*, reſpondent ſacerdotes יברכך, hoc deinde dicunt congregationi, poſtea prælector dicit יהוה, & reſpondent Sacerdotes יהוה, poſtea prælector congregationis dicit וישמרך *& cuſtodiat te*, reſpondent ſacerdotes וישמרך, peractis his, reſpondet tota congregatio *amen*, & eodem modo tres ultimas benedictiones juxta hunc ordinem.

[29] *In templo altius &c. Sota VI. 6.* In Provinciis elevabant manus ſuas Sacerdotes humeris tenus; in ſanctuario vero ſuper capita, excepto ſummo Pontifice, qui manus ſuper bracteam non efferebat; R. Jehuda tamen contendit etiam Pontificem manus ultra bracteam efferre. Q. S. E. (*Levit. IX.* 22.) *Et extendens manus ad populum benedixit ei.* Benedictiones ſummi Pontificis quomodo (peractæ fuerunt?) Æditu accepto libro legis tradidit eum primario cœtus, iſte dedit eum Antiſtiti, Antiſtes ſummo Pontifici. Cæterum ſummus Pontifex ſtans eum accipiebat, ex eoque ſtans prælegit caput XVI. Levit. ejuſdemque libri commata aliquot, & caput XXIII.; tum convoluta lege, eaque in ſinum ſuum repoſita, plura, inquit, quam vobis prælegi, hic habentur. Mox ex Num. cap. XXIX. comma 7. Cum ſequentibus aliquot memoriter recitavit, addens poſtea benedictiones octo attinentes ad legem, cultum divinum, laudem, remiſſionem peccatorum, Sanctuarium, Judæos, & Sacerdotes; denique cæteras preces (*ſubjunxit, iiſdemque finivit*). *Vide Joma cap. VIII. Maimonides ibidem.* Quo pacto peragebatur benedictio in Sanctuario? Sacerdotes ſuggeſtum conſcendebant, poſtquam Sacerdotes ſacrificium juge matutinum perfecerant, & elevabant manus ſuper capita digitis divaricatis, excepto ſummo Pontifice, qui manus ſupra bracteam non efferebat. *Sacerdotes extra Sanctuarium unam benedictionem in tres dividebant, ſecus vero in Sanctuario. Sota ibidem.* Extra Sanctuarium tres benedictiones ex ea conficiebantur ſed in Sanctuario una tantum. *In ſanctuario pronunciabatur nomen ineffabile: Sota ibidem.* In Sanctuario τετραγράμματον efferebatur ſecundum literas, ſed in provinciis (ſubſtituebatur) cognomen. *Maimonides ibidem.* Pronunciabant nomen ineffabile ſecundum ſcripturam ſuam, eſtque illud nomen quod conſtat ex Jod, He, Vau, He & hoc ipſum eſt Schem Hammephoraſch, hoc eſt nomen expoſitum quod ubique ſic appellatur. At in provincia pronunciatur per aliquod ſuorum attributorum, quod eſt Aleph Daleth, ſive Adonai; quia non poteſt pronunciari nomen ineffabile niſi in Sanctuario, & poſt mortem Simeonis Juſti, deſierunt Sacerdotes a benedicendo cum nomine ineffabili etiam in ipſo Sanctuario, ne illud diſceret aliquis indignus aut inhoneſtus; nec primi ſapientes docebant hoc nomen diſcipulos ſuos, & filios ſuos, quantumvis honeſtos, niſi ſemel ſingulis ſepteniis. Quæ omnia pertinent ad majeſtatem nominis hujus honorandi & tremendi. *Idem more Nevochim part.* 1. *cap.* 62. Præceptum divinum accepimus, ut Sacerdotes populo benedicant, & quidem cum nomine Dei prout ſcribitur, quod eſt Schem hammephoraſch, hoc eſt nomen expoſitum, ſed nulli hominum notum erat, quomodo illud pronunciarent, quave vocali vel unam ejus literam efferrent, an aliquas dageſſarent vel non, aut an litera aliqua dages recipiat. Verum ſapientes tradebant illud, hoc eſt modum pronunciandi illud unus alteri, neque quemquam de eo erudiebant niſi diſcipulum dignum ac idoneum & ſemel in ſeptimana. *Et paucis interjectis.* Cum nomine hoc (XII. literarum) diſcerent temerarii quidam homines, & eo dogmata fidei corrumperent, tum & illud inceperunt occultare, neque amplius id docebant, niſi modeſtos & verecundos ex Sacerdotibus, ut eo benedicerent populo in Sanctuario; quia jam deſierant pronunciare Schem hammephoraſch, hoc eſt nomen tetragrammaton itidem propter abuſum & perverſitatem hominum, ſicut ajunt; ex quo mortuus eſt Simeon Juſtus, ceſſarunt fratres ejus Sacerdotes benedicere cum nomine, ſed benedicebant cum nomine duodecim literarum. *In die vero expiationum etiam poſt mortem Simeonis Juſti Pontifex maximus nomen ineffabile pronunciabat. Idem de die expiationum cap. II.* 6. 7. Ita fiebat, ut eo die decies pronunceiret Dei nomen; Jam quoties pronunciandum erat, toties ſic, ut ſcribitur, hoc eſt nomen tetragrammaton pronuntiabatur. Et ab initio quidem elata voce proferebatur; ut vero multiplicati ſunt homines protervi, porro Pontifex nomen hoc demiſſa voce proferebat, ac jucundo quodam modo operiebat ſic, ut ne Sacerdotes quidem ejus ſodales quidquam perciperent. Atque Sacerdotes & populus in atrio conſiſtentes cum exaudierant nomen tetragrammaton Pontificis ore ſancte pureque prolatum flexis genibus incurvato corpore procidebant in faciem, atque dicebant; *Benedictus Deus, cujus regnum glorioſum in ſeculum ſeculi. In jejuniis, & in ſtationibus quater in die manus tollebant ſacerdotes. Miſn. Teanith cap. IV.* Tribus diſtinctis anni temporibus *puta*, in jejuniis, ſtationibus, & in die expiationum quater in die manus tollunt Sacerdotes, nempe in precatione matutina, ſuperaddita, pomeridiana, & *ea quæ fit tempore* obſerationis portarum. *Maimonides Tephillah cap. XIV.* In precatione matutina, addititia, & in precatione obſerationis Sacerdotes levant manus, ſed in veſpertina non levant manus, quia veſperi populus epulatus eſt, & fieri poteſt, ut Sacerdotes biberint vinum, & non poſſint levare manus; neque etiam die jejunii elevant manus, ſi veſperi decreverint jejunium pro veſperiis aliorum dierum. Id vero intelligitur in jejuniis, in quibus recitatur oratio veſpertina, & precatio obſerationis, uti in die expiationum, & in jejunio ab Eccleſia inſtituto &c.

[30] *Quod in Templo &c. Miſn. Berachoth cap. IX.* 5. In omnibus benedictionum clauſulis in ſanctuario dicere ſolebant, *a ſeculo*; ex quo corruptelas invexerunt hæretici unum tantum ſeculum aſſerentes, dicendum ſtatuerunt a ſeculo in ſeculum: *Hieroſol. Berachoth fol.* 13. 3. Traditio eſt non reſponſum fuiſſe *Amen* in domo Sanctuarii. Quid ergo dixerunt? Benedictum ſit nomen gloriæ regni ejus in ſempiternum: *Maimonides ibidem:* nec populus reſpondebat poſt ſingulos verſiculos, ſed in ſanctuario una tantum benedictio perficiebatur, & quando ceſſaverant, univerſus populus reſpondebat, *Benedictus Dominus Deus Iſrael a ſeculo in ſeculum.*

[31] *Patriarchæ Jacobi &c. Babyl. Peſachim fol.* 56. 1. Et R. Jehuda dicit, quod pauſam aliquantulam haberent poſt recitatam hanc pericopen *Audi Iſrael Domine Deus noſter Jehovah unus*, at non dixerunt, *Benedictum ſit nomen gloriæ regni ejus in ſecula ſeculorum.* At qua ratione nos ita dicimus? Myſterium explicat R. Simeon ben Levi, qui dicit; Vocavit pater noſter Jacobus filios ſuos, & dixit, congregamini, & declarabo vobis. In animo ejus fuit, revelare iis finem dierum, & receſſit ab eo Spiritus Sanctus; Dixit ergo, forte in lecto meo eſt profanum quid (quod μὴ γένοιτο) ſicut Abrahamo, e quo prodiit Iſmael, & Iſaaco, e quo prodiit Eſavus. Dixerunt ei filii ejus, *Audi Iſrael, Jehovah Deus noſter & Jehovah unus*; ſicut in corde tuo non eſt niſi unus, ita in cordibus noſtris non eſt niſi unus. Eo tempore incepit Jacobus pater noſter, & dixit, בשכ״ מלו, *Benedictum ſit nomen gloriæ regni ejus in ſecula ſeculorum.* Dixerunt Rabbini, quid faciemus? Nos hanc doxologiam dicemus? Eam non dixit Moſes magiſter noſter. Eam non dicemus? Eam non dixit Jacobus pater noſter; Inſtitutum eſt igitur, ut eam dicerent tacite &c. *Vide Maimonidem cap.* 1. 4. *de conſtitutionibus Audi Iſrael.*

[32] קרית-שמע *&c. Hæc oratio continet tres pericopas.*

De-


Desumuntur illæ ex Deut. 6. 4. 5. 6. & 8. 9. *hæc prima continet confessionem fidei de Deo unice colendo, vel juxta phrasin hebraicam* susceptionem jugi regni cœlorum. *Vide Matth.* 11. 29. 30. *secunda ex Deut.* 11. 13. 21. *Et ex num.* 15. 37. ad 41. *Quæ continent* susceptionem jugi præceptorum, sive testimonium obedientiæ præceptis præstandæ, atque adeo filius præcepti est. *Dabimus suo loco Maimonidis tractatum* de constitutionibus Audi Israel *nunc primum ex hebraico latine redditum & notis perpetuis philologicis illustratum*.

33 *Fit illud bis mane & vesperi &c. Berachoth cap.* I. A quo tempore recitant Schemam vesperi? Ex quo admittuntur Sacerdotes ad primitias comedendas ad finem usque vigiliæ primæ. Verba R. Eliezeris; at sapientes dicunt usque ad mediam noctem. Rabban Gamaliel ait usque dum ascendat columna auroræ. Casus. Redeuntes filii ejus a domo convivii dixerunt, nondum recitavimus Shemam? quibus ille, si nondum ascenderit columna auroræ, tenemini ad recitandum. Neque hoc duntaxat; verum ubicunque dixerint sapientes usque ad mediam, præceptum valet donec ascenderit columna auroræ. De adolendis adipibus & membris præceptum valet usque dum ascenderit columna auroræ. Et quæcunque comedenda sunt eodem die, præceptum de illis valet donec ascenderit columna auroræ. Si ita, quare dixerunt sapientes usque ad mediam? ut procul arcerent homines a transgressione. A quo tempore recitant Schemam mane? eo quo dignoscat quis cœruleum ab albo. R. Eliezer ait, cœruleum a prasino; finiunt autem priusquam emicat sol. R. Josua ait quia ita solent Regum filii tertia demum hora surgere. Qui dehinc recitat, non ludit operam, veluti is qui legem legit: *Maimonides in constitutionibus Audi Israel cap. I.* 9. A quo tempore legunt *Audi?* vesperi a tempore, quo exoriuntur stellæ usque ad mediam noctem, si autem prævaricatus, & cunctatus sit legere, donec ascendat columna auroræ satisfacit debito. Quod vero dixerunt usque ad mediam noctem, ea de causa dixerunt, ut arcerent hominem a transgressione. Qui legit *Audi*, quod vesperi recitandum est, postquam ascenderit columna auroræ priusquam emicet sol, non satisfacit debito, nisi fuerit coactus, v. g. si fuisset ebrius, aut infirmus &c. Quodnam tempus est (ejus recitandi) in die? præceptum ejus est, ut legere incipiat, priusquam emicet sol, ut absolvere possit lectionem ultimæ benedictionis quando emicat sol, scilicet horam circiter priusquam emicet sol, si cunctatus esset, & legisset *Audi* postquam emicuisset sol, satisfacit debito, quia tempus ejus est usque ad horam tertiam diei pro eo, qui prævaricatus & cunctatus esset.


34 תפילין *&c. Maimonides Thephillin cap. IV.* 10. Tempus gestandorum Phylacteriorum dies est, non vero nox juxta præceptum. *Custodietis hujuscemodi cultum statuto tempore a diebus in dies.* (Exod. XIII. 10.) Hoc statutum est præceptum Phylacteriorum: *Vide Orach Chajim* 30.

35 *Nam sabbatis &c. Maimonides ad cap. X. Eruvin* Existimavit enim (*hic doctor*) quod sabbatum sit tempus Thephillin. At Rabban Gamaliel dicit, Sabbatum non est tempus Thephillin, & prohibitum est, illa in sabbato opponere: *Idem Thephillin cap. IV.* 10. Sed nec Sabbato aut festis diebus phylacteria adhiberi debent, scriptum est enim. *Et erit quasi signum* (*Exod.* XIII. 9.) Et sabbata & festa eadem ipsa sunt signa. Quodnam tempus est eorum apponendorum? ut quis socium quatuor ulnas distantem intueri & agnoscere possit usque ad occasum solis.

36 *Lora sunt &c. Phylacteriorum descriptionem modo ex cap. 3. Hilchot Sophrim Ez. Hechajim, latine verso a clar. Wagenseilio in Sota, lector, tibi damus, daturi suo loco integrum tractatum Maimonidis nunc primum ex hebraico latine redditum & notis perpetuis philologicis, illustratum. Sic conficere oportet* (*inquit Ez. Hechajim*) Phylacteria. Ut capitis phylacteria parentur, accipiendum lignum quadratum, cujus longitudo eadem sit quæ latitudo, & latitudo eadem quæ altitudo. Quod si vero altitudo latitudinem excedat, aut paulo minor sit, id nihil refert, nam ad id unice attendendum, ut inter longitudinem & latitudinem æqua sit proportio. In hoc porro ligno tres fissuræ excavandæ sunt, ut inde emergant capita quatuor ea forma quam exhibemus




Nunc capienda pellis, eaque probe macerata, aptanda ligno est, ut in fissuras quasque immittatur, & postea dum adhuc madet, ab utroque (*fissuras claudente*) latere ita concinnanda est, ut pellis hæc figuram literæ *Shin* tribus apicibus præditum, cum capiti aptantur phylacteria, dextrorsum, & figuram ejusdem literæ *Schin* quatuor apicibus præditam, cum induuntur, sinistrorsum nanciscatur. (*His peractis*) pellicula tamdiu in ligno relinquenda, quoad exarescat; arefactam si a typo ligneo abstrahas, pellitum σχῆμα, in quo sunt ædiculæ vacuæ quatuor, confecisti. Harum cuique περικοπὴ ex lege (*membranæ cum ea quam instituta Majorum exigunt, sedulitate inscripta*) indenda est, ita ut superior margo primus receptaculum subeat, atque ea Schedæ sit dispositio, quæ lectionis ordinem naturalem servet, in ipsa ædicula. Nota jam schedarum ordinem. Pericope והיה אם שמע (*Deut. XI. commate* 13. *& sequentibus ad* 22. *usque descripta, occupato eam ædiculam*) quæ si aptentur phylacteria, ad dextram ea induentis prima est; in eam quæ succedit, immittenda pericope שמע (*quæ habetur Deut. VI. a quarto ad* 10. *usque commatibus*) Huic proxima ædicula tenere debet pericopen והיה כי יביאך (*eam scilicet, quæ legitur Exod. XII. ab* 11. *ad* 17. *usque commatibus*) Denique in ultimam ædiculam, quæque aptatorum Phylacteriorum sinistrum latus est condatur pericope וקדש (*ex eodem XIII. capite Exodi illiusque principio usque ad comma* 11.) Integra hæc pericoparum series melius patebit ex proximo schemate



Porro opus est nervis animalis & quidem puri (*atque hoc unice observandum*) nam si maxime morticinum fuerit, aut alio vitio laboraverit, id nihil refert. Nervi hi depromuntur ex animalium calcibus, suntque albi & duri; ergo lapidibus aut re alia simili (*multum terendo*) emolliendi, & in linum quasi quoddam redigendi

di ſunt, ut e colo duci, & fila duplicari queant. Iſtis filis conſuere oportet illam, quæ (*in Vagina Phylacteriorum*) infra e pelle reſidua manſit, laciniam, cum parte ſuperiori in omnibus quatuor lateribus, quadrate; & ſunto in quoque latere ſuturæ tres, hoc eſt in univerſum duodecim, quoto numero fuere tribus Iſraelitarum; nec minus illud obſervandum, ut ſemper filum & ſuperiorem & inferiorem partem (*marginis vaginæ*) ex æquo ambiat. Cæterum ipſum quod inter ædiculas eſt interſtitium, pertingere debet ad marginem uſque, in quo fit ſutura. Immo ſint modo conſpicua interſtitia, ut ab omnibus quatuor ædiculæ agnoſci queant, nihil oberit, etiamſi interſtitia marginem, in quo fit ſutura, non attingant. Quod ſi vero ædiculæ quatuor diſtingui non poſſint, hoc vitioſum eſt. At enim Rabbi Baruch aliter nonnihil opinatur, aſſerens, non ædicularum interſtititium, ſed infimam tantum partem utriuſque *Schin* marginem vaginæ attingere debere ad apices tamen, ſive rectas lineolas, quæ in mediis literis *Schin* efformantur, idem non producendum; has enim breviores facere ſatius eſſe, ut tanto magis figura literæ *Schin* repræſentetur. Si quis pauciores quam duodecim faciat ſuturas, & denario numero delectetur, ut a XII. Tribubus Judæ Tribum, quæ regimini, & Tribum Levi, quæ miniſterio ſacro addicta fuit, removeat, in ea re nullum vitium eſt. Pariter nec vitium eſt, ſi cui plures quam XII. & adeo XIV. ſuturas facere placeat, ut præter XII. Tribus, Ephraim quoque & Menaſſes rationem habeat. Secundum R. Eleaſarem ita diſponendæ ſuturæ ſunt, ut una fiat in quoque angulo, & duæ ad radices cujuſque *Schin*, quatuor vero in quoque interſtitiorum latere. Quando hæc ita conſuta ſunt acu, ædiculas & marginem vaginæ lævigando comprimere oportet, ut omnia apte ſibi reſpondeant. Juvat quoque trahere per quodque ædicularum interſtitium filum aut funiculum, ut eadem probe diſcriminentur; atque plerunque in hunc finem filum ejuſmodi adhiberi ſolet, quo conſutura facta eſt. Si accidat, filum, poſtquam ſuturæ duæ jam fieri cæperunt, rumpi (*imitari convenit id*) quod de R. Seera legitur. Huic enim (*inter ſuendum Phylacteria*) cum filum ruptum eſſet, ſolvit (*quæ ſuerat, & denuo ſuere exorſus eſt*) cumque idem ſecunda vice accidiſſet, rurſus ſuturas ſolvit, etſi ad hoc faciendum nulla majorum traditione compellebatur. Scilicet iſta leges haud imperant, ſed turpe eſt (*ſi quis ſemel ruptum filum nodo colliget, atque ſic opus perſequatur. Illud quoque obſervandum*) quod tam ſuendi initium, quam ejuſdem finis juxta illam ædiculam, in qua pericope קדש latet, fieri debeant. (*Prope excidiſſet monere*) reſcindendas eſſe inferiores ſuperfluitates pelliculæ, quæ ipſi Phylacteriorum vaginæ materiam præbuit, atque in corio alio (*quadrato*) foramen exſcindendum eſſe (*formæ ſimilis*) ut per hoc quatuor ædiculæ ad gemellas quaſi geminas redactæ, educantur, atque deinde ex eodem corio margo vaginæ & poſticus meatus, illo quo explicui modo, conſiant. Si mutetur ordo *τῶν Schinim*, ita ut illud quod apices quatuor habet, dextrum Phylacteria induentia latus, & illud, quod tribus tantum apicibus inſtructum eſt, latus ſiniſtrum, occupent, id neminem turbare debet. Brachii Phylacteriorum hæc parandi ratio eſt. Capiatur lignum quadrum (*ſive tale*) cujus longitudo & latitudo pares ſint, altitudo digitum circiter æquato, & en tibi figuram



Lignum hoc obducatur pelle madefacta, relinquatur (*infra margo &*) operimentum. Hæc (*deinde cum exaruerint*) in quatuor lateribus conſuantur, relicto tamen prius quoque ex eadem pelle poſtico meatu, per quem tranſire lorum debeat, aut facere ſane licet marginem meatumque ex pelle alia, ceu de capitis Phylacteriis expoſui. Pericopæ Phylacteriorum brachii (*quæ eadem ſunt cum iis, quas Phylacteria capitis complectuntur*) columnis quatuor in membrana unica oblonga ſcribendæ ſunt, fere ita uti Pentateuchum deſcribere ſolemus, eſtque in ipſis ordo ſervandus, quem ipſæ ſacræ literæ ſuppeditant (*ut quæ prior in iiſdem occurrit, priore quoque loco exaretur*) prorſus uti in ſubjecto demonſtratur ſchemate

והיה אם שמוע	שמע ישראל	והיה כי יביאך	קדש לי כל בכור

Sed ſi pericopæ hæ quatuor ſeparatis membranis inſcriptæ, uni ædiculæ includantur, id licitum reputari debet, nec enim opus eſt ut combinentur. Nam traditum deprehenditur; ſi quis duo habeat phylacteria capitis (puta quæ capiti nunquam fuere aptata, neque ex eo ſanctitatem contraxerunt) huic fas eſt, alterutra ex his pelle operire, ut ædicularum interſtitia tegantur, atque tum iſtis pro brachii phylacteriis uti non prohibetur: *Sed juxta Rabbenu Tam. Rabbenu Hai & R. Abraham Bar David Phylacteria capitis hoc ordine diſponuntur*

שמע ישראל	והיה אם שמוע	והיה כי יביאך	קדש לי כל בכור

Brachii vero Phylacteria hoc ordine a Maimonide Thephillin cap. III. diſtribuuntur.

והיה אם שמוע	שמע ישראל	והיה כי יביאך	קדש לי בכור

37 Hunc

37 *Hunc enim ordinem &c. Misn. Tamid cap. V.* Dicebat illis præfectus, benedictionem unam benedicite, illi autem benedicebant, & legebant decem verba, *Audi, & erit si audiveritis, & dixit*, benedicebant cum populo tres benedictiones, *verum & firmum, & ministerium, & benedictionem sacerdotum*, in Sabbato addebant benedictionem unam vigiliæ abeuntis: *in hunc locum ita Maimonides*: Jam expositum est in Gemara ad tractatum Berachoth preces quas prius dicebant esse eas, quæ *de amore æterno* agunt; sed post ortum solis atque lucis splendorem dicebant eas, quæ de *formatione lucis* agunt, nam precum ordo non impedit, quemadmodum illic exponitur. Decem vero quotidie verba legebant, quia ista sunt Legis fundamentum & principium. Cæterum jam dictum est, quod in Terminis (extra terram Israelis) eas legere volebant, sed quod hoc prohibitum fuerit propter hæreticos; sed Gemara non declarat, quænam sit ista hæreticorum controversia; sed in principio tractatus Berachoth in Gemara Hierosolymitana dicitur, fas erat ut decem verba legerentur quotidie, quare autem non leguntur? ob hæreticos, ne dicant, hæc duntaxat a Mose data sunt in Sinai. Postea dicit populum tres orationes legere, quæ sunt, *verum & firmum sit*; *propitius esto*; *confitemur, & pone pacem*; hæc omnia fiebant in Conclavi Gazit. Preces vero sacerdotum notæ sunt, nempe, *benedicamus Domino*, hæ dicebantur super ponticulo Ulam post ministerium sacrificii jugis, sicuti sequenti capite exponetur. *Idem de sacrificiis jugibus* cap. VI. 4. Postquam fuerant in collem translata membra coibant omnes in conclave lapidis quadrati; hic eis dicebat præfectus; fundite precem unam, & illi protinus recitabant. *Amore æterno &c.* Decalogum, *Audi Israel &c. Quod si audiendo &c. & dixit &c. verum & ratum &c. Complaceat &c. fac pacem &c.* Sabbato autem addebant & precationem aliam; nempe viri curiæ abeuntis advenientibus ita precabantur; *Qui voluit nomen suum incolere ædem istam, is conciliet inter vos amicitiam, fraternitatem, pacem, & societatem*. Porro tertia sors ducebatur, & quarta, & cui evenerat, ut suffimentum adoleret, introibat, adolebat; tum introibat is cui obtigerat, ut de candelabro cinerem tolleret, qui reliquas accendebat lucernas duas; deinde cum eo, qui de candelabro cinerem, tollebat, excedebat simul is, qui suffimentum adoleverat, & simul una cum fratribus sacerdotibus in vestibuli gradibus (*populo benedicturus*) insistebat.

38 *Flagellationem. Vide dissertationem primam clar. Rhenferdii de decem otiosis Synagogæ.*

39 *Cujus omissio &c. Tosaphta Cherithuth cap. I.* Sacrificium Paschale, & circumcisio si de industria omittatur, quamvis (*omittentes*) rei sint excidii, non vero sacrificii, quia sunt præcepta affirmativa: *Maimonides de circumcisione cap. I.* Circumcisio est præcepti affirmativi ejusmodi, ut propter illud (omissum) rei fiant excisionis.

40 מוהל &c. *ex Schulchan Aruch sect.* 261. Si pater non fuerit peritus circumcidendi, Mohel autem, seu circumcisor, qui in loco fuerit, noluerit circumcidere gratis, sed pro mercede, tum domus judicii est, ut increpet istum circumcisorem: *susceptoris major erat dignitas quam circumcisoris. Ibidem sect. 265. subsect.* 12. Solent etiam observare præceptum hoc, ut sit susceptor, qui teneat infantem circumcisori. Haggaoth Maimonidis cap. 3. de circumcisione. Et majus est jus susceptoris, quam jus circumcisoris in hoc, ut præcedere faciat eum in legendo in lege, quia omnis susceptor est sicut suffiens suffimentum. *Maharil*. Ideo hoc facere solent, ut non dent duos pueros uni susceptori, sicut idem asserimus de suffimento mensium gemino. *Ex Rabbi Perez.* Non convenit mulieri ut sit susceptrix infanti eo loco, ubi haberi potest vir, quod sit perversitas. Omnino tamen illa potest esse vicaria mariti sui (*sive adiutrix*) hactenus, ut portet infantem usque ad synagogam, ubi accipere debet maritus ab illa, ut ipse fiat susceptor. *Ibidem ex Moharam*. Verum vir potest facere omnia sine muliere. Sic fecit Maharil; solent circumcisores orare in die circumcisionis, quia dictum est; *exaltationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum* (רע).

41 *Sive Sabbatum &c. Maimonides ibidem cap. I.* 9. Circumcisio in tempore (*ordinario*) peragenda solvit sabbatum, quæ vero fit extra tempus suum, nec sabbatum solvit, nec diem festum: *ex libro Kol-bo. sect.* 73. Circumcisio, quæ definito tempore fieri debet, solvit sabbatum, & diem festum; at quæ non fit definito suo tempore, non solvit neque sabbatum, neque diem festum: *Ex Schulcham Aruch sect. 266. subsect.* 2. Circumcisio solvit diem festum & Sabbatum, quæ quidem in tempore suo fit, sed quæ non fit suo tempore, non solvit: *Ex libro Præceptorum* סמג *Hebræis dicto parte 2. sect.* 28. Legimus in tractatu Schabbath (*hanc*) regulam. Dixit R. Akiba; quodcumque opus facere possunt in vespera Sabbati (*die veneris*) non solvit sabbatum; circumcisionem autem legitimi temporis cum non liceat perficere in vespera sabbati, solvit sabbatum. Et dixit Raf; decisio sequitur R. Akibam, sed unde habemus, quod circumcisio solvat sabbatum? (*Resp.*) Quia dicitur; *& in die octavo circumcidetur*. Ubi litera vult, quod etiam in Sabbato. At circumcisio non legitimi temporis non solvit sabbatum nec diem festum. *Vide Tosaphta Eruvin cap. XVI.*

42 *Auferens ei &c. Maimonides cap. 11. ibidem* 2. Quomodo circumcidunt? Amputant totam pelliculam, quæ contegit glandem, donec appareat tota glans. Postea denudant membranam, quæ est sub pellicula, ungue, & removent eam utrinque, donec appareat caro glandis. Et postea exugit circumcisionis locum, donec exeat sanguis ex locis remotis, ne veniat in periculum. Quicunque vero non exugit, eum deponunt ab officio. Tandem ubi exugit, imponit super eum (locum circumcisionis) splenium, aut emplastrum, aut simile quid. Sunt fila quæ impediunt circumcisionem, & sunt fila, quæ non impediunt circumcisionem. Quomodo? Si relinquitur de pellicula præputii cuticula, quæ contegit majorem partem glandis, tum ecce (*circumcisus*) exit præputiatus, sicut ante fuit. Atque hoc est filum impediens. At si non relinquitur de ea (*pellicula præputii*) nisi exiguum quid, quod non contegit majorem partem glandis, est filum, quod non impedit. Qui circumcidit, omni tempore, quo adhuc occupatus est in circumcisione; potest redire tam ad fila, quæ impediunt, quam ad fila, quæ non impediunt (amputanda). Sed si jam cessavit (*ab actu circumcisionis*) tum quæ ad fila, quæ impediunt, redit, sed ad fila, quæ non impediunt, non redit. Si quis circumcidit, & non denudavit, idem est ac si non circumcidisset ex libro *Kol-bo.* Sect. 73. Quomodo circuncidunt? Abscindunt cuticulam quæ glandem tegit, donec appareat glandula, deinde discerpunt membranam tenuem ungue, membranam puta, quæ est sub cuticula, eamque submovet (*circumcisor*) ab utroque latere, ut ipsa caro glandulæ videatur; tertio exugit circumcisionis locum, donec exiverit sanguis ex locis remotioribus. Et ecce circumcisionem profitentem, qui non exugit, deponunt ab officio, propterea quod infanti periculum sit; tandemque imponit ei (*loco circumcisionis*) Emplastrum, aut splenium &c. Sic, si circumcidit, & non discerpsit (*denudavit*) idem est, ac si non circumcidisset *Ex Schulchan Aruch Sect.* 264. *subsect.* 3. Quomodo circumcidunt? Abscindunt præputium quoad totam cuticulam, quæ tegit glandulam, itaut detegatur glandula, deinde discerpunt membranam tenuem, quæ est sub cuticula, ungue, & in utrumque latus removent, donec appareat nuda glandula, postea exugunt locum circumcisionis, tamdiu donec exeat sanguis ex locis remotioribus ne veniat in periculum. Si quis circumcisor non isto modo exuxerit, deponunt eum ab officio. Cæterum ubi exuxerit, imponit ei (vulneri) splenium aut emplastrum, aut pulvisculum medicinalem, quibus sanguis sistitur.

43 *Collocatio sedis &c. Ex Schulchan Aruch sect. 265. subsect.* 12. Solent facere sellam Eliæ, qui vocatur Angelus fœderis; & qui componit eam (*is qui ponit*) dicit ore suo clara voce, quod sit sella Eliæ Ex libro *Kol.bo. sect.* 73. Quod vero solent adornare sellam Eliæ, non est res vana (*immo vanissima*). Nam in Medrasch invenimus istius fundamentum consuetudinis, quando legimus ibi; Hora qua dixit Elias; *Zelando zelavi pro Domino Zebaoth, quia transgressi sunt fœdus tuum filii Israel*; dixit ipsi Sanctus & benedictus Deus; *in æternum tu zelum exercebis super revelatione nuditatis* (*per scortationem*)

(quia

(quia ſcriptum eſt; *Pinchaſus filius Eleaſaris, quum zelum exercuit meum*) *ſimiliterque zelum ſuper fœdere circumciſionis; per vitam enim tuam, non inibunt filii Iſraelis fœdus circumciſionis, niſi tu videris oculis tuis*. Hinc diſpoſuerunt ſapientes noſtri, ut paretur illi ſella, quandoquidem ille ſit Angelus fœderis &c.

44 *Preces &c. Maimonides ibidem cap.* III. Qui circumcidit, benedicit, antequam circumcidit (*his verbis*) *Qui ſanctificavit nos per præcepta ſua, & præcepit nobis circumciſionem*, ſive autem circumcidat filium proximi ſui, ſive circumcidat filium ſuum, benedicit (*his verbis*) *& præcepit nobis circumcidere filium*. Sed pater filii benedicit benedictione alia (*hac ſcil.*) *Benedictus tu es Domine Deus noſter, Rex mundi, qui ſanctificavit nos per præcepta ſua, & præcepit nobis initiare eum fœdere Abrahami patris noſtri*. Præceptum patri datum, ut circumcidat filium ſuum, ſuperat omnia alia præcepta, quibus præceptum eſt Iſraelitis, ut circumcidatur omnis præputiatus, qui inter ipſos fuerit. Itaque ſi pater ejus non affuerit, non benedicunt poſt eam (*circumciſionem*) benedictione iſta. Eſt quidem qui docuit, quod benedicant per iſtam Domus Judicii, aut aliquis e populo. Et ſi nonnulli adſtiterint, dicunt, *quemadmodum initiaſti eum fœdere, ſic (vovemus) inities eum legi, & matrimonio, & operibus bonis*. Poſtea benedicit pater filioli, aut qui circumcidit, aut aliquis ex adſtantibus. *Benedictus tu es Domine Deus noſter, Rex mundi, qui Sanctificavit dilectum ab utero, & ſtatutum in carne ejus poſuit, & poſteros ejus obſignavit per ſignum fœderis ſanctum; ideo per meritum (fœderis hujus) hoc Deus vivus portio noſtra, petra noſtra, præcepit liberare dilectos carnis noſtræ e fovea propter fœdus ſuum, quod poſuit in carne noſtra benedictus tu es Deus noſter, qui pepigiſti fœdus (hoc nobiſcum.)* Sed pater filioli benedicit (*verbis*) *qui vivificavit nos*. Qui circumcidit proſelytos, benedicit *ita*. *Benedictus tu es Domine Deus noſter Rex mundi, qui ſanctificavit nos per præcepta ſua, & præcepit nobis circumcidere proſelytos, & ſtillare facere ſanguinem fœderis ex illis; nam niſi foret ſanguis fœderis, non conſervarentur cœli, & terra, quia dictum eſt*, ſi non fœdus meum interdiu & noctu, *ſtatuta cœlorum & terræ non poſuiſſem*. Qui circumcidit ſervum ſuum benedicit *ita; Qui ſanctificavit nos per præcepta ſua, & præcepit nobis circumcidere ſervos, & ſtillare facere ex illis ſanguinem fœderis, nam niſi foret ſanguis fœderis, non conſervarentur cœli & terra*; Ex lib. *Kol*.60. *ſect.* 73. Antequam circumcidat, qui circumcidit filium ſuum, benedicit duabus benedictionibus hiſce; *Qui ſanctificavit nos per præcepta ſua, & præcepit nobis circumcidere filium &c. Qui ſanctificavit nos per præcepta ſua, & præcepit nobis initiare eum fœdere Abrahami patris noſtri &c.* Qui circumcidit filium alterius alicujus, benedicit, antequam circumcidat (*verbis*) *Qui Sanctificavit nos præceptis ſuis, & præcepit nobis ſuper circumciſione*, & tum circumcidit. Poſtea vero benedicit pater pueri, *ad initiandum eum &c. Et paucis interjectis:* Ordo circumciſionis hic eſt, ut præſcindat, denudet exugat *circumciſor*, deinde verò imponatur ſplenium aut emplaſtrum, poſtea miſcent poculum vini, benedicatque pater pueri, aut circumciſor, aut unus adſtantium. Equidem hoc tempore in praxi hoc obſervant, ut circumciſor benedicat (*his benedictionibus*). *Qui creat fructum vitis &c. & qui ſanctificavit dilectum ab utero &c.* dicatque inſuper; *confirma puerum hunc &c.* Etiamque hoc praxis habet, ut dent aliquid de vino in os infantis circumciſi, ubi pervenerint (*ad verba benedictionis hæc*). *Et dixit tibi, in ſanguinibus tuis vive*; & iſta deguſtatione, qua guſtare faciunt eum *infantem* de vino hoc, nitentes dicunt, quod non opus ſit guſtare *de eo* circumciſorem quicquam, ideoque mittunt illud matri infantis. Sunt qui in more etiam habent, ut benedicant infanti circumciſo hac *benedictionis* formula; *Deus noſter & Deus patrum noſtrorum, mitte ſanitatem vitæ & miſericordiarum puero huic, ut nominetur nomen ejus in Iſrael N. fil. R. N. quemadmodum ſanaſti aquas Maræ per manum Moſis, & aquas Jerichuntis per manus Eliſæ, ſic ſana puerum hunc cito & in tempore brevi*. Poſtea benedicunt etiam matri infantis. *Deus noſter & Deus patrum noſtrorum, mitte ſanitatem vitæ & miſericordiarum matri pueri hujus, quemadmodum ſanatæ ſunt aquæ Maræ per manum Moſis, & aquæ Jerichuntis per manus Eliſæ, ſic ſanetur mater pueri hujus cito, & brevi tempore. Amen Ex Schulchan Aruch ſect.* 265. *ſubſect.* 8. Si pater ipſe circumcidit filium, ipſe benedicit *his verbis*. *Qui vivificavit nos;* ſed ſi circumciſor fuerit alius aliquis, dicunt quidam, quod plane locum non habeat benedictio iſta; *qui vivificavit nos*; Juxta Rambamum ſemper pater benedicit per, *qui vivificavit nos*, ſuper quacumque circumciſione; & hæc eſt praxis per totum Regnum Iſrael, & Syriam, & circumjacentes regiones, & regnum Ægypti. (Annotatio. Immo vero in regionibus iſtis hoc potius in praxi obſervant, ut non benedicant per, *qui vivificavit nos*, etiam quando pater ipſe circumcidit filium ſuum, excepto quod, ſi circumcidit filium ſuum primogenitum, quem oportet redimere, benedicit, *qui vivicavit nos* tempore circumciſionis; ubi vero poſtea non benedicit tempore redemtionis, ſed quando liber fuerit a redemtione, non benedicit, *qui vivificavit nos*, juxta ſententiam Maharil.). *Ibidem ſupra Subſect.* 1. (Annotatio. Si pater filii non interfuerit circumciſioni, eſt qui dicit alium hominem benedicere iſta benedictione; Domus namque judicii præcipit, ut circumcidant illum; itaque in more hoc habent, ut qui ſuſcipit puerum benedicat benedictione iſta. Tur. ſic ſi pater quidem præſto eſt, ſed non novit benedicere. R. Jeroham ſem. l. necnon ב"י ex Abudraham. Tam pater quam circumciſor quum benedicunt, debent ſtare, ſed ſuſceptor pueri, quando benedicit, ut moris eſt, ſedet & ſic benedicit. Sunt qui dicunt univerſum populum, qui intereſt circumciſioni, debere ſtare, quia dictum eſt; *Et ſtetit in fœdere*. Sic Mordechai c. 1. de circumciſ. & Kol. 60. Et id quidem etiam facere ſolent, excepto ſuſceptore pueri, qui ſedet: & ſi alii quoque adſtiterint, dicunt; *Quemadmodum eum initiaſti fœderi, ſic inities eum quoque legi, & matrimonio, & operibus bonis*. Poſtea pater pueri, aut circumciſor, aut alius aliquis benedicit ſuper poculo *dicens*. *Qui creavit fructum vitis*. Sunt qui ſolent accipere ſanguinem circumciſi in manum ſuam & benedicere ſuper eo; *Et ad odorari faciendum*, & dicere; *Benedictus tu Domine Deus noſter, rex Mundi, qui ſanctificavit dilectum ſuum ab utero &c.* Solent etiam hoc facere, ut quando pervenerit, *benedicendo* uſque ad verba, *in ſanguinibus tuis vive*, detur de vino aliquid digito in os infantis.

45 *Convivium &c. ex Schulchan Aruch ſect.* 262. *ſubſect.* 13. Solent facere convivium in die circumciſionis. (Annotatio. Et ſolent decem homines adhibere convivio circumciſionis, vocaturque convivium præcepti, cap. R. E. de circumciſione וכהן. Et quiſquis non comedit in convivio circumciſionis ſimilis eſt excommunicato Deo. תי cap. ע"פ. Nimirum ſi inventi fuerint in loco viri digni; at ſi inveniantur viri indigni non opus eſt comedere ibi: נ"ך ibid. Præterea ſolent facere convivium & epulum nocte Sabbati: ubi poſtquam natus eſt infans, ingrediuntur ad infantem ad guſtandum ibi *cibum*. Eſtque hoc etiam convivium præcepti. Reſp. haroſch. num. 269.)

46 *Armarium &c. Maimonides cap. XI.* 2. *Tephillah*. Extruitur in ea (Synagoga) ſacellum, in quo reponuntur libri legis, & conſtruitur hoc ſacellum ab ea parte, verſus quam in ea civitate ſolent orare, ut habeant faciem e regione ſacelli, dum orant. *Maimonides diſtinguit ibidem ſacellum ab Arca*. Et quando conſtituitur Arca, in qua reponatur Pentateuchum, in medio conſtituenda eſt, ut ejus pars poſtica ſit verſus ſacellum, & antica verſus populum.

47 תיבה *&c.* Apud omnes legi, ſi me memoria non fallat, תיבה ſemper Arcam ſignificari, in *Miſna Teanith cap.II.* legitur מוציאין התיבה, *profertur Arca* ubi *Barthenora* התיבה *eſt* (inquit) *Arca, in quo liber legis depoſitus eſt*, dicebant autem, inſtrumentum *occultum & venerabile habebamus, & contemtum eſt propter peccata noſtra*. In eadem Miſna legimus. *Et cinis combuſtionis ponitur* על גבי התיבה *ſuper Arcam*, inquit iterum *Bartenora*. *Maimonides Taanith cap. IV.* 1. *Et ponunt cinerem combuſtionis* על גבי התיבה *ſuper Arcam & cap. III. Megillah*. Arca anteponitur Synagogæ. Incolæ civitatis ſi vendiderunt plateam civitatis, emunt pretio illius Synagogam; ſi Synagogam, emunt תיבה arcam, ſi תיבה arcam, emunt linteum libri legis, ſi linteum, emunt libros, ſi libros, emunt legem; at ſi legem vendiderint, non emunt libros, ſi libros non emunt linteum, ſi linteum,

teum, non emunt תיבה arcam, si תיבה arcam, non emunt Synagogam &c. *In jejuniis hæc Arca proferebatur in plateam civitatis*. *Tosaphta Taanith cap. I.* 8. Quænam erat ratio jejuniorum? Proferebatur Arca in plateam civitatis, cui imponebatur cinis combustionis. *Maimonides Taanith cap. IV.* Arca efferebatur in urbis plateam, in quam conveniebant omnes induti Sacco, deinde cinis exustus ponebatur & in Arca, & in legis volumine ad augendum luctum, & commovendos spectantium animos.

48 *Quis gradus &c. Maimonides Tephillah cap. XI.* 14. Et similiter si incolæ civitatis vendidissent Synagogam, possunt emere arcam, si arcam, possunt emere linteum, aut capsam pro Pentateucho, si linteum, aut capsam, emere possunt libros, si libros, potest emi Pentateuchum, si Pentateuchum, non potest emi nisi aliud Pentateuchum, quia nulla est alia Sanctitas, quæ Pentateuchi (*sanctitatem*) superet.

49 *Suggestum &c. Maimonides ibidem cap. XI.* 3. Excitatur in medio suggestum, quod conscendit qui legit Pentateuchum, & qui castigat populum, ut omnes possint audire.

50 *Subsellia &c. Maimonides ibidem*. Quomodo sedet populus in locis orationis? Seniores ita sedent, ut facies eorum obversa sit populo, tergum vero Sacello; reliquus vero populus rectis ordinibus simul ita considet, ut facies unius ordinis respiciat terga ordinis prioris, adeo ut universa multitudo facie sua respiciat Sanctuarium, & seniores, & arcam.

51 *Tales cathedræ &c. Tosaphta Succah cap. IV.* 5. Una & septuaginta cathedræ aureæ ibi erant pro uno & septuaginta Senioribus, quarum unaquæque viginti quinque myriadibus denariorum stetit, in medio ejus suggestus erat ligneus, stabatque minister Synagogæ, *tenebatque* suis manibus sudaria; cum lectio inciperetur, ille manu agitabat sudaria, & ipsi respondebant *amen* post singulas benedictiones; neque promiscue sedebant, sed aurifabri seorsim, & argentarii seorsim, textores seorsim, ferrarii, ærariique seorsim; qua de causa? Quia si peregrinus adveniret, ad viros opificii sui se recipiebat, a quibus sibi alimenta suppeditabantur.

52 *Decem otiosorum &c. Bartenora ad cap. I. 3. Megillah*. *Decem otiosi* synagogæ, vacantes ab omni opere, qui aluntur impensis cœtus, ut tempore orandi semper sint in *synagoga*. *R. Salomon Jarchi ad Gemaram Megillah constit. 3. fol. 8. col.* 1. Decem otiosi, qui sunt in sinagoga, qui prorsus vacant ab omni opere suo & aluntur ex publico, ut tempore precum sint in synagoga. *Et ad Bava Kama fol. 82. col.* 1. Homines probi, qui rebus omnibus relictis, unice negotia cœtus procurant, & primi semper sunt in synagoga, ut tempore precum ibidem decem inveniantur, aluntur autem ex publico.

53 *Ubi hi essent &c. Maimonides Megillah cap. I.* 8. Et quæcumque civitas, ubi non sint decem otiosi constituti a synagoga, negotia cœtus procurantes, reputatur ut villa. *In Piske Tosaphot*. Urbs magna est, in qua sunt decem otiosi qui orant in cœtu, & legunt librum legis.

54 *Alii vero &c. Maimonides ad cap. I. 3. Megillah*. De decem otiosis ita sese res habuit. Erant in synagoga decem homines, quibus nihil omnino operis erat, nisi ut curarent negotia publica, & legi operam darent. Statio autem illorum erat in Synagoga: Idem ad Sanch. cap. I. 6. Et decem otiosi Synagogæ; hi erant decem homines, qui nihil curabant, nisi res cœlestes (vel divinas) i. e. ut legerent legem, & sederent in Synagoga.

55 Ἀρχισυνάγωγοι *&c. Hebraice appellatur* ראש הכנסת, *caput congregationis*. *Sota cap. VII.* 7. Benedictiones summi Pontificis (*quomodo peractæ fuerint?*) Æditius accepto libro Legis tradidit eum לראש הכנסת *capiti congregationis*, וראש הכנסת, *& caput congregationis* dedit eum Antistiti, Antistes summo Pontifici. *Synagogæ præerat*. *Bartenora ad cap. VII. I. Joma*, ראש הכנסת, *caput congregationis*, penes quem erat regimen totius ecclesiæ, qui determinabat, quis diceret Haftaram, quis diceret *Audi Israel &c.* & quis iret ante Arcam.

56 גדולי הדור *&c. Procurabant potius res politicas, quam Ecclesiasticas*; *Elias Mirashi in consiliis fol.* 97. I. Eo quod *boni civitatis* vicem gerunt גדולי הדור, *majorum seculi*. Et quemadmodum publicatio bonorum, quæ a majoribus seculi instituitur rata est, quotiescunque de legibus adversus improbos seculi munienda, vel de bono publico procurando agitur, ita pariter publicatio, quæ fit *a bonis civitatis* rata est, quoties de obsepienda lege agitur, vel bono publico procurando. *Et fol.* 12. 3. Et R. Meyr rationem explicat, quod boni civitatis in iis rebus, quæ in exotica memorantur, sint similes majoribus seculi, & quemadmodum magnates seculi. Et fol. 98. col. 3. Hæc sunt argumenta, quæ quidem secuti nostri sapientes adversus responsionem illustris Doctoris Mosis Maimonidis objiciunt, usque adeo ut quidam illorum hanc responsionem plane confusam existiment, minimeque Maimonidi adscribendam; ego vero vehementer miror, illis nihil auditum esse de controversia, quæ Doctoribus in hoc argumento de *magnatibus seculi, & magnatibus civitatis* intercedit. Quidam enim existimant *majores civitatis* in sua civitate tantundem posse, quantum *majores seculi* in suo quique seculo, & hinc adeo argumentum ducendum esse a *majoribus seculi* in suo sæculo, ad id, quod *majores civitatis* possint in sua civitate. Cum itaque *majores seculi* decernant, ordinent, gubernent, bona fisco addicant, adjurent item, devoveant, atque excommunicent eos, quicunque ex sui seculi viris ipsorum quoddam decretum, statutumque trasgrediantur, idem juris, erit *majoribus civitatis*, ut decernant, ordinent, gubernent, bona item fisco addicant, adjurent, devoveant, atque excommunicent, quicumque civium quoddam illorum decretum, statutum, moremve fuerit transgressus. Alii vero existimant non esse eamdem rationem *majorum civitatis* in civitate sua, quæ *majorum seculi* in suo seculo, atque adeo non habere *majores civitatis* potestatem decernendi, statuendi &c.

57 פרנסים *&c. Hæc vox denotat Rectores*; *Joma fol. 86.* duo פרנסים boni surrexerunt Israeli, Moses, & David. *Erachin fol.* 17. 1. In eo disputant R. Jehuda Nesia, & magistri nostri; unus enim dicere solebat, habet sese unumquodque seculum pro ratione פרנס *rectoris sui*, alter vero פרנס *rector* pro ratione seculi. *Etiam magistratus, & judices*. Pesachim fol. 113. 2. Quatuor sunt, qui captum hominum superant, eaque hæc sunt, pauper superbus, dives emaciatus, senex adulter, ופרנס, *& rector*, qui sese effert super cœtu sine causa. *Quæ ita explicantur a Jarchio*; qui magistratum in illis gerit, sed tempore necessitatis, periculo ingruente, illis non adest. *Joma fol.* 22. 2. Auctor est R. Nehilai f. Idi, Samuelem solitum esse dicere, postquam aliquis פרנס *rector* super populum constituitur, ditescit. *Etiam summos Synhedrii præsides, & Academiæ rectores*. *Juchasin fol. 19. 1. de Hillele Synhedrii præside ita scribit*. Vixit autem annos centum & viginti. Nam quadraginta annorum erat, cum ascenderet ex Babylonia, & quadraginta annos docuit (*privatim*) & denique quadraginta annos פרנס *rexit* Israelem. *Etiam Seniores, qui gubernant cœtum*. *Elias Misrachi in consiliis fol.* 73. 4. Et quando omnes sapientes consenserunt, nihil opus est consensu פרנסי *seniorum* ullius cœtus. *Erant iidem, qui alio nomine* שבעה טובי העיר *septem boni civitatis appellantur*. *Qui codice Megillah cap. IV. septem boni civitatis vocantur, hi Tosaphta Megillah. cap. II.* פרנסים, *appellantur*. Dixit R. Jehuda qua conditione illud dicitur? Quo tempore פרנסי ejusdem illius civitatis non fuerint cum illis pacti; sed si פרנסי certas conditiones cum illis pacti fuerint, omnino facultatem habent in quamcumque rem voluerint, convertendi. *Rabbenu Nissim ad Epitomen R. Jizchak Alphesii fol.* 365. *I. Et cives*. Quod in Misna dicunt, hujusmodi est, ut si cives vendiderint absque consensu suorum *Parnasim*, & his similia ascendere debeant (*a minori sanctitate ad majorem*) atque ita probatur in additamentis hic loci tradi in Exotica. cap. ultimo Mechiltæ. R. Menachem f. R. Jose dicit; Si cives vendiderint Synagogam, non rediment *ejus pretio* plateam. Dixit R. Jehuda qua conditione illud proprie dicitur? Si *Parnasim civitatis* cum illis non fuerint pacti. Nam si *Parnasim civitatis* cum illis transegerint, omnino facultatem habent (*pretium venditæ rei sacræ, aut Synagogæ*) in quamcumque rem pro lubitu suo impendendi. Qui destinavit aliquid pro elemosyna, quando in potestatem *Parnasim* non pervenit, in aliam quamcumque rem adhibere potest. At simul ac *Parnasim* eo potiti sunt, non amplius habet facultatem illud

cum

cum re alia permutandi, nisi illorum consensu. Et hoc est, quod Rabbi in Gemara *fol.* 27. *I.* dicit; non docent nisi de eo, quod *septem boni civitatis* non vendiderunt in comitiis populi, quasi dicat, quod vendiderunt cives absque consensu *Parnasim*. Si vero *septem boni civitatis* in illam venditionem consenserint, & quidem in comitiis populi, facultatem habent numeros (*& re sacra vendita confectos*) in quamcumque rem voluerint expendendi. R. Mordechai Japhe in Lebhusch Orach Chajim tit. 153. 7. Scilicet solummodo, quando cives illam vendiderint præter sententiam *Parnasim* suorum, qui sunt *boni civitatis*, vel quando *septem boni civitatis* illam quidem vendiderint sed non in corona populi.

[58] זקנים *&c. Erant iidem ac septem boni civitatis, & Parnasim; Quos Codex Megillah cap. III. vocat bonos civitatis, eos Maimonides ibidem* זקנים *seniores appellat:* Id obtinet, quando incolæ pagi alicujus non vendiderunt eam omnes communi consensu; verum si omnes seniores loci illam in comitiis universi populi vendiderint, possunt illam ita vendere, ut etiam œnopolium inde facere liceat. *R. David Cohen Consiliorum cap.* XIII. Quæstio; In urbe Areta quatuor Ecclesiæ consederunt, Corcyræorum, Siculorum, Calabrorum, & Apulorum, quarum quæque cum singulæ seorsim per se Synagogam constituant, suo more vivunt, quasi in sua adhuc patria habitent. Harum quæ ex Calabris constat Ecclesia, præsentibus *bonis Ecclesiæ* decretum fecit, ne cui illorum ab ipsis secedere liceat, & ullam aliam Synagogam orandi causa frequentare, ne quidem si inter ipsos sive singulos, sive plures lites quædam exoriantur, item ne illis liceat jure experiri, nisi coram זקני *senioribus* suæ Ecclesiæ; & ut litigantes sive singuli sint, sive plures in sententia, quam זקניהם *seniores ipsorum* tulerint, acquiescant. Verum mensem abhinc pars illorum ad Synagogam Siculorum transierunt. Quare זקני *seniores* Sanctæ Ecclesiæ Calabrorum miserunt לזקני ad *seniores* Sanctæ Ecclesiæ Siculorum, ut cum istis, qui suam Synagogam deseruissent, quo cum illis (in Synagoga inquam Siculorum) preces suas funderent, ne orarent, quoniam transgressores essent. At hi (*siculi*) illis obtemperare noluerunt; immo vero etiam ex Synagoga Sanctæ Ecclesiæ Apulorum, atque item ex Synagoga S. E. Corcyræorum, quidam ad Synagogam S. E. Siculorum transierunt, ut in illa preces suas usque dicant. Qua re visa *Boni* harum Ecclesiarum, & Gubernatores illarum conventu habito in Synagoga Corcyræorum, ad gubernatores S. E. Siculorum legationem instituerunt &c.

[59] ממונים *&c. præfectum denotat, qui alicui negotio sit præpositus. Vicarius Summi Sacerdotis simpliciter* ממונה *appellatur. Bartenora ad cap. II. 1. Sanhedrin.* הממונה hic est Segea qui constitutus est ut sacra faciat loco summi Sacerdotis, si quando summo Sacerdoti aliquod vitium die expiationis obtingat. *Præfecti Sanctuarii* הממונין *vocabantur. Codex Sekalim cap. V.* Hi הממונין *Præfecti* fuerunt in Sanctuario. *Etiam cœtus ministri hoc nomine appellantur. Legimus in Lebhusch part. 1. tit. 53. 6.* Non constituunt quemquam ordinarium cœtus ministrum, nisi cujus mentum barba vestiatur, idque ob honorem cœtus, quod si mentum ejus nondum barba sit vestitum, etsi jam produxit duos pilos, tamen non constituunt illum ministrum. Et si vel alius sit ממונה, sed qui hunc (*juniorem*) in locum suum substituat, ut certis temporibus pro ipso preces dicat, atque eum sublevet (nam ecce etiam hic ממונה vocatur) tamen ne quidem ad id illum adhibent &c.

[60] *Ac collectores &c. Diversos ab his fuisse Elemosynarum collectores in dissert. 1. de decem Otiosis Synagogæ probat clar. Rhenferdius.*

[61] חזנים *&c. R. Nathan Aruch.* Significat *ministrum cœtus*. Et רואה Chaldaice explicatur חוזה. Quoniam debet videre quomodo legat, & quomodo alios ad lectionem Legis evocet. Sic R. Elias in Tisbi; & vocatur חזן ex significatu videndi, quia videre, debet, quomodo legat &c. *Chazan* itaque dictus est, quia debet videre, quænam sint necessaria cœtui, ut faciat id, quod ipsi præscribitur. *Alii vero, & rectius meo judicio, deducunt a voce Arabica* חזן, *quæ recondere, asservare, custodire denotat, itaut Chassan sit tantum Synagogæ custos. Bava Metzia fol. 93. col. 2. Istic agitur* בחזני de Chassane Civitatis. *R. Salomon Jarchi explicat.* Nocturni civitatis custodes. *Ibique refertur Exemplum Jacobi, qui Labani* custos *fuerit*. Dixit illi, etiam Jacob pater noster חזן *custos* civitatis fuit, ex eo quod dixit Labani, custodivi te custodia diligentissima, ut בחזני *custodes* urbis solent. *Præterea lictorem, & publicum ministrum denotat. Codex Maccoth cap. III.* 12. Quomodo fit flagellatio? Adstringit quis (ambas ejus manus) וחזן tum *minister pubblicus* vestem ejus arreptam (detrahit) sive rumpatur sive dissuatur. Lapis pone illum collocatus erat, in quo stat *Lictor* manu tenens lorum bubulum &c.

[62] שליחי *&c. Differebat a Chassane, quamvis multi contra sentiant. Tosephoth Berachoth fol. 34. col. 1. ad cap. IV. 4.* וחזן Chassan vero non est ש׳ צ *legatus cœtus*, דחזן *quia Chassan* est is, qui procurat negotia Synagogæ. Atque ita etiam est Cod. Sotah (*cap. VII. fol. 39.*) illum non esse אש׳ צ *legatum* cœtus. Nam primo dicit; Sacerdotibus non licet incipere benedictionem priusquam sermo absolutus sit ex ore vocantis, id est illius, qui Sacerdotes evocat, tum postea rursum dicit; non licet שליח צבור *legato cœtus &c.* Quo pacto docet illos esse duos *distinctos*. *Arba Turim*. Et Rab. Tam scribit לש׳ צ״ *Angelum Ecclesiæ* non debere desinere, ut Sacerdotes moneat; esset enim interruptio orationis, sed חזן *custodem* cœtus &c. monere vel vocare Sacerdotes.

[63] *Apostolis &c. De Apostolis Hebræorum, & de duobus illorum Patriarchis, altero in Palæstina, altero in Babylonia vide Jo. Frid. Mayeri dissertationem Gryphiswaldæ.* 1704.

[64] *Patriarcharum &c. De his Patriarchis fit mentio Leg. ult. Cod. Theod. de Jud. & Cœlic.* Judæorum Primates, qui in utriusque Palæstinæ Synhedriis nominantur, vel in aliis provinciis degunt, quæcumque post excessum *Patriarcharum* pensionis nomine susceperunt, cogantur exsolvere. In futurum vero periculo eorumdem anniversarius canon de Synagogi omnibus, Palatinis compellentibus, exigatur ad eam formam, quam *Patriarchæ* quondam coronarii auri nomine postulabant. Quæ tamen quanta sit, solerti inquisitione discutias, & quod de occidentalibus partibus *Patriarchis* conferri consueverat, nostris largitionibus inferatur. Dat. III. Kalend. Jun. Constantinop. Florentio & Dionysio Coss. *Et Lege VIII. Cod. Theod. Eodem.* Judæorum querelæ quosdam auctoritate Judicum recipi in sectam suam reclamantibus Legi suæ Primatibus adseverant, quos ipsi judicio suo ac voluntate projiciunt; quam omnino submoveri jubemus injuriam. Nec eorum in ea superstitione, sedulus cœtus, aut per vim Judicum, aut rescripti subreptione, invitis Primatibus suis, (quos virorum Clarissimorum, & Inlustrium *Patriarcharum* arbitrio, manifestum est habere sua de religione sententiam) opem teconciliationis mereantur indebitæ. Dat. XV. Kal. Mai. Constantinop. Arcadio A. 11. & Rufino Coss. & Leg. XIII. Cod. *Theod. eodem*. Judæi sint obstricti cæremoniis suis, nos interea in conservandis privilegiis eorum Veteres imitemur, quorum Sanctionibus definitum est, ut privilegia his qui Inlustrium *Patriarcharum* dictioni subjecti sunt, Archisynagogis, *Patriarchisque*, ac Presbyteris, cæterisque qui in ejus religionis sacramento versantur &c. *& Leg. XIV. Cod. Theod. eodem.* Superstitionis indignæ est, ut Archisynagogi sive Presbyteri Judæorum, vel quos ipsi *Apostolos* vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum a *Patriarcha* certo tempore diriguntur, a singulis Synagogis exactam summam, atque susceptam ad eumdem reportent &c.

[65] *Aurum coronarium &c. de Auro Coronario Patriarcharum Judæorum, & de Fisco Judaico clar. Zornii tractatum suo loco edemus.*

[66] *Præterea erant &c. Misn. Pea cap. VIII. 7.* והקיפה *Sporta* colligitur a duumviris, a triumviris distribuitur.

[67] *Dabant autem &c. Maimonides ad l. c.* תמחוי est vas aliquod, in quo pauperum alimenta recondunt; solebant enim omnibus diebus cum vase illo adire domos eorum, qui habebantur ditiores, quos de frusto cibi illius, qui erat coctus, compellabant, quem imponebant vasi, & postea distribuebant pauperibus; in hoc porro opere tres adhibebantur personæ ad hasce elemosynas colligendas ac distribuendas, quia is qui eas colligit, etiam distribuat eodem tempore. קופה est itidem vas aliquod ex juncis aut stipulis confectum, hoc autem vas adjungitur alteri,

ut

ut in eo colligantur elemosynæ diei sexti usque ad diem sextum. Tenemus enim pro fundamento ab eo qui non dederit in Cuphan id quod debet, expostulandum esse pignus aliquod, propterea dixere magistri, *mulctant eos propter elemosynas etiamsi id fiat vesperi sabbati*; propterea ad minimum duo requiruntur ad colligendum elemosynas, quatenus pro fundamento tenemus ad minimum duos requiri ad Ecclesiam gubernandam, quando autem dividuntur a se invicem, tres sint necesse est, quia jus de re pecuniaria semper tres requirit, ut uni detur multum pro multitudine liberorum, alteri vero parum juxta paucitatem liberorum, idcirco quoque pro fundamento tenemus tres requiri judices, ubi agitur de bonis. Si pauperi alicui sit cibus in duo prandia, qui est cibus pro toto die, non distribuitur ipsi e Tamchni, e quo distribuunt quolibet die; si cui sit cibus pro quatuordecim prandiis, qui est alimentum pro tota septimana, non dabitur ipsi e Cupha, e qua distribuitur singulis septimanis: *Idem de Donis Pauperum cap.* IX. Israelitæ in unaquaque civitate quam incolunt tenentur ex se constituere collectores elemosynæ viros notos & fideles, qui populum circumibunt, ut accipiant a singulis quod iis convenit dare, quodque iis impositum est, illique distribuent pecuniam singulis vesperiis Sabbati, dabuntque singulis pauperibus alimentum, quantum sufficiat pro septem diebus, & hoc vocatur קוּפָּה idest *Elemosyna Cistæ*. Eodem modo constituunt collectores, qui accipiant quotidie ab unaquaque domo frusta panis, omniaque cibi genera, vel etiam fructus vel pecuniam ab unoquoque qui sponte dabit pro eo tempore, & vespere quod collectum est inter pauperes distribuent, dabuntque singulis eorum alimentum, quantum sufficiat pro eo die, & hoc vocatur תמחוי, idest *elemosyna Catini*. Ab æterno nec vidimus nec audivimus, quod in aliqua congregatione Israelitica deesset Cista elemosynaria; sed quoad Catinum, alii sunt loci, quibus consuetudo est eum habere, & alii sunt, quibus consuetudo est non habere. Consuetudo autem hodie est ubique locorum observata, ut collectores sint, qui circumeunt quotidie, & singulis vesperiis Sabbati distribuunt quod *collegerunt &c.* Elemosyna Cistæ non collecta fuit nisi per duos; nullum enim in Ecclesia constituunt magistratum circa res pecuniarias, qui *exercetur* per pauciores, quam duos; unius vero fidei licitum est committere pecuniam Cistæ, sed ea non distribuenda nisi per tres, quoniam hoc est instar judicii pecuniarii; singulis enim dant, quantum satis est indigentiæ eorum in septimanam; Elemosyna autem Catini colligitur per tres, quia non est res fixa, & pariter distribuitur per tres; Elemosyna Catini collecta fuit quotidie; Elemosyna vero Cistæ singulis vesperiis Sabbati; Elemosyna Catini est pro pauperibus *quibuscumque totius* mundi; Elemosyna vero Cistæ pro pauperibus civitatis solummodo. Incolæ civitatis jus habent convertere elemosynam Cistæ in elemosynam Catini, & elemosynam Catini in Elemosynam Cistæ &c.

[68] *Celeberrima &c. Tosaphta Succah cap. IV.* 5. Dixit R. Jehuda; quicumque non vidit Synagogam Alexandriæ, ille gloriam Israelis non vidit unquam, erat instar Basilicæ magnæ, porticibus utrinque ornata; ibique aliquando erat duplus hominum numerus, quam ex Ægypto exivere.


[69] Ἀλεξανδρέων *&c. Juchasin fol.* 26. 2. Eleasar ben Zadok accepit (*pretio*) Synagogam Alexandrinorum, atque in ea opera sua necessaria peregit. Alexandrini de suo eam exstruxerant. *Ærarii vocantur in Babyl. Megillah fol.* 26. 1. Synagogam Ærariorum, quæ erat Hierosolymis, ipsi vendiderunt R. Eleasaro. *Glossa eos vocat* Artifices ærarios. *Hos artifices ærarios Alexandrinos Hierosolymam fuisse evocatos legimus in Erachin fol.* 10. 2. Cymbalum in Templo æneum erat &c. & cum fissura in eo esset, Sapientes adduxerunt artifices ab Alexandria, qui emendarent &c. mortarium etiam æneum fuit in Templo, in quo contusa sunt aromata, cumque in eo esset fissura, sapientes ab Alexandria artifices adduxerunt, qui emendarent &c.

[70] *Hierosolymis &c. Hieros. Chethub. fol.* 35. *col.* 3. R. Pinehas nomine R. Hoshajæ affirmat Synagogas fuisse 460. quarum unicuique pertinuit domus tam custodiendæ, quam legendæ Legi idonea, uti & domus altera, docendis, & explicandis traditionibus propria. *Hierosol. Megillah fol.* 73. 4. Synagogæ Hierosolymis erant 480. in harum qualibet habebatur Bibliotheca, & domus doctrinæ, Bibliotheca, qua scripturæ prælegerentur, domus doctrinæ, qua doceretur Misna. Hasce autem universas sustulit Vespasianus. *Vide Gemaram Babyl. Gittin fol.* 58. 1.

[71] *Cujus numeri &c. R. Salomon in Esaiæ* 2. 1. Invenimus in Pesikta. R. Menahem a R. Hoshaia dicit; 480. Synagogæ erant Hierosolymis secundum valorem arithmeticum vocis מלאתי.

[72] *Uti urbe Beter &c. Hierosol. Taanith fol.* 68. 69. 1. Adrianus Imperator occidit in urbe Bither octoginta mille myriadas. R. Jochanan dixit, octoginta mille paria Tibicinum cingebant Bither. Fuit ibi Ben Cosba &c. *Et mox*. Tribus annis cum dimidio obsedit Adrianus urbem Bither. *Paulo post*. Et Deus tradidit eos, & occidebant eos, & progrediebantur, donec equus usque ad nares in sanguine immergeretur. Quinimo sanguis rapiebat secum petras magnitudinis quadraginta modiorum, donec ad quadraginta milliaria in Oceanum flueret. Dixerunt quidam. Trecenta crania puerorum inventa fuisse super unico lapide, & tres arcas Thephillin præcisorum, quæ novies novem sata sive modios continebant. Quidam dixerunt plures. R. Simeon ben Gamaliel dixit; quingentæ domus scribarum fuerunt in Bither, in quarum minima non pauciores erant, quam quingenti parvuli. Hi dixerunt, si hostes nostri contra nos venirent, his solum scalpellis contra ipsos egressuri essemus. Posteaquam autem propter iniquitates ipsorum urbs est capta, involvebat quisque scalpellum suum in librum suum, & comburebat. Ex illis omnibus ego solus sum relictus. *Iterum*. Vineam amplissimam habebat Adrianus Imperator impius, octodecim milliaria tam in longitudine, quam in latitudine continentem (quantum Tiberias distat a Tzipporia.) Vineam illam sepe cinxit ex interfectis Bitheris, altitudinis staturæ viri integræ, ejusdemque latitudinis, neque voluit permittere, ut sepelirentur, donec surrexit Rex alius. *Vide Berescith Rabba Parascha* 65. *fol.* 74. 1. *Midrasch Schir Haschirim fol.* 9. *col.* 1. *ad Cantic.* 2. 17. *Echa Rabbathi Thren.* 2. 2.

[73] *Ubi de* 300. *modiis & Maimonides ad cap. II.* 2. *Tamid: Trecentæ mensuræ Cor*, non quod stricte essent tot Cori, sed fere; ita exponit Gemara, dicens, tribus in locis sapientes hyperbolice locuti sunt, de vite, cumulo, & velo, idest de opere veli, & magnificentia in tractatu de siclis: *Idem ad caput III.* 8. *Middoth: Trecenti Sacerdotes*, hyperbolice hoc dicitur; nam scopus illius est, ut dicat, quod multi Sacerdotes addebantur ad eam (*vitem auream*) dimovendam. Et hæc una est de tribus rebus, de quibus sapientes locuti sunt hyperbolice, quemadmodum diximus secundo capite Tractatus Tamid.



PARS SECUNDA DE PERSONIS SACRIS.

CAPUT PRIMUM.

De Pontifice maximo.

§. I. Nomina Pontificis M.

I. PErsonæ ſacræ, quarum opera in tabernaculo & templo ſtatis temporibus requirebatur, in tres claſſes commode dividi queunt, quarum primam conſtituit Pontifex maximus, alteram ſacerdotes, tertiam Levitæ. Pontifex maximus כהן גדול vel הכהן (*Nehem.* 7. 65.) & Α'ρχιερεὺς μέγας aut ὁ προηγέμενος πάντων Α'ρχιερεὺς (III. *Macc.* I. II.) ad diſtinctionem aliorum Α'ρ-Α'ρχιερέων qui certis Sacerdotum claſſibus præerant, appellatur: quo nomine Julianus Imperator *in Epiſt.* ſe vocat, qui Romanis Pontifex M. dicebatur. In veteribus nummis pontifices Maximi Romanorum Α'ρχιερεῖς μέγιςοι ſæpe nuncupantur, & alias ἁπλῶς, Α'ρχιερεῖς, imo & Γερεῖς, uti Appianus P. M. Lepidum vocat: atque ita quoque Judæi Pontificem ſuum modo Α'ρχιερέα μέγαν, Α'ρχιερέα, modo ἱερέα τὸν μέγαν & ἱερέα, non addito epitheto, appellant: vide verſionem Alexandrinam, *Exod.* 29. 30. *Libr. Judith.* 15. 9. I. *Macc.* 14. 3. 3. *Ezr.* 9. 39. Confer *Deut.* 10. 6. & *Joſeph. Antiq.* VI. 14. ubi Achimelechum modo ἱερέα, modo Α'ρχιερέα, nuncupat.

§. II. Dignitas.

II. Summa fuit dignitas Pontificis maximi, in ea poſita quod ſacerdotes ceteros anteiret, הגדול מאחיו *Lev.* 21. 10. *Siphra fol.* * 226. 2. qui cum omnes eſſent ſancti & quidem ſanctitate perpetua קרושת עולם (*Nazir.* VII. I.) hunc ſanctiſſimum dici poſſe clarum eſt: quare & ἅγιον ἁγίων eum nuncupari *Dan.* 9. 24. Aquila opinabatur, teſte Euſebio, *Demonſtr. Evang. lib.* VIII. *pag.* 381. Hic erat qui ſanctiſſimas partes peragebat cultus divini iramque Dei a toto populo avertebat, & ſummorum quoque conſiliorum præſes ſæpe conſtituebatur, ſoloque rege minor erat; [1] quicum tamen conveniebat in eo, quod, uti textores, tonſores, coriarii, balneatores, aut qui in negotiis ſordidis diverſantur, non ad regiam ita nec ad Pontificiam dignitatem admitterentur. Philo, *in legat. ad Cajum*, ἀρχιερωσύνην tantum præſtare τῇ βασιλέιᾳ contendit quantum cura rerum divinarum præſtat curæ humanarum. [2] Nec deſunt qui Pontificem maximum æquiparent univerſo populo Iſraelitico הכהן הגדול שקול כנגר כל ישראל

§. III. Electio.

III. [3] Videtur Pontifex maximus eligendus fuiſſe a fratribus ſuis, ſacerdotibus nempe, ſupra quos evehi debuit: adeoque ad ſynedrium, in quo ſacerdotes maximam partem conſtituebant, hæc cura ſpectavit, aut ad aliquod aliud *conſilium ſacerdotum*, בית דין של כהנים. [4] Nec enim, uti regnum, hæreditario jure a parentibus ad filios ea dignitas manavit, aut primogeniti neceſſario parentum loco ſubſtituti ſunt,

quam-

quamvis sæpe id factum haud negemus. In *Siphra fol.* * 11. 2. colligitur ex eo quod *Levit.* 6. 15. dicitur sacerdos unctus ex filiis Aaronis, filium Pontificis, si aptus sit, oportere aliis præferri. At stante templo secundo sæpe electi fuerunt Pontifices a populo, [5] & regibus, non tantum familiæ Herodianæ, sed Syriacis aliisque.

§. IV. Inauguratio.

IV. Inauguratio ejus stante tabernaculo & templo primo consistebat in lotione, [6] unctione, [7] indutione vestium Pontificalium, & [8] sacrificio, *Lev.* 6. 20. [9] Quum vero oleum sacrum in templo secundo defuerit, quod a tempore [10] regis Josiæ absconditum fuisse Judæi tradunt, nonnisi lotione, [11] vestium indutione & sacrificio Pontifex max. inauguratus fuit & מרובה בגדים, (quem Latini *præditum vestibus* dicerent, eo sensu quo vox *Præditus* notat προαχθέντα, ὠχυρωμένον, *promotum*, *roboratum*) non ut olim, מרובה משיחה cui confertur dignitas unctione, dici potuit. Hic [12] autem, qui vestibus sacris præditus erat, non unctione, functionem illam non peragebat quam lex sacerdoti uncto præscripsit, quæ est oblatio juvenci, *Lev.* 4. 3. Ita legitur in *Horajoth.* III. 4. *Megilla.* I. 9. *Gem. Nazir.* 47. 2. R. Meir tamen putabat illum juvencum etiam a Pontifice solis vestibus prædito licite offerri. *Gem. Megilla* 9. 2.

§. V. Unctionis modus.

V. Unctio hæc peragebatur oleo sacro, quod המשחה, *unctionis*, appellatur. Judæi id distinguunt ab oleo [13] *opobalsami* אפרסמון, quo reges Israelis ungebantur; [14] atque illo nonnisi Pontifices, sacerdotes feciales, sive castrenses, & reges e genere Davidico, ungi consuevisse tradunt. Olim [15] hoc oleo vasa quoque tabernaculi ipsumque tabernaculum unctum fuerat & altare exterius ac labrum. *Exod.* 40. 9. Alii vero nonnisi sacerdotes eo ungi debuisse ex mandato Dei, *Exod.* 30. 31. arguunt. Modus unctionis describitur *Exod.* 29. 7. & *Levit.* 8. 12. ubi quum in priori loco *commate* 6. in posteriori *comm.* 9. dicatur cidarim capiti Aaronis jam fuisse impositam, nec seriem rerum, uti illic narrantur, perturbare necessitas ulla urgeat, putamus tecto capite unctum fuisse Pontificem. Sacer codex porro memorat hoc oleum effusum fuisse in caput Aaronis, quod inde in barbam descenderit, *Ps.* 133. 2. [16] Judæi autem in *Gem. Horajoth* tradunt distinctos actus indicari per voces יצק *effudit*, & משח *unxit*, *Lev.* 8. 12. sic ut posterius innuat oleum supra oculos Pontificis diductum fuisse in formam Græci *Chi*, כמין כי יונית. *Gem. Kerituth* 77. id est, ὡς γράμμα τὸ χῖ γράφεται, uti loquitur Hippocrates de capitis vulneribus, *cap.* I. Χιασμὸν vocat ejusmodi figuram Aretæus Cappadox *lib.* I. *de sign. & caus. diut. morb. cap.* 7. Nec videtur esse ratio cur hæc Judæorum traditio rejici debeat: inprimis quum adversus Judæos pro cruce Christi urgeri possit.

§. VI. Olei Sacri materia & auctor.

VI. Componebatur hoc oleum unctionis ex quatuor aromatibus, quæ *Exod.* 30. 22. recensentur. I. [17] מר vel מר דרור *myrrha*. II. קנמון בשם *cinnamon aromaticum*. III. קנה בשם *calamus aromaticus*, IV. קדה *casia*: [18] quorum omnium succi in oleo videntur macerati expressique. [19] Ceterum mira Judæi narrant in *Gem. Hier. Schecalim* 9. 1. *Gem. Horaioth.* 11. 2. *Gem. Kerituth.* 77. 2. de exigua ejus olei quantitate, 12. logis, (quorum indicium est זה *Exod.* 30. 31. vel הין vide *Gem. Hier. Sota.* 22. 3.) quæ per multa sæcula vi Divina conservata suffecerit ad plurimas unctiones eo peractas. Auctorem hujus olei Judæi vulgo, præeunte Talmude in *Gem. Kerituth.* 77. 2. Mosen esse dicunt, (שמן המשחה שעשה משה) qui a Deo jussus est *Exod.* 30. 25. accipere aromata quæ ibi recensentur, & conficere oleum. Cum autem clarissimis verbis *Exod.* 37. 29. & 39. 38. Bezaleel hoc oleum parasse legatur, videtur *Exod.* 30. Moses juberi, ut oleum & cetera, de quibus ibi agitur, confici curet petens aromata ab Israelitis, quemadmodum *Exod.* 30. 1. jubetur conficere altare suffitus quod tamen Bezaleel *Exod.* 37. 25. fecisse legitur. Quid? quod ipse Deus *Exod.* 31. 6. dicat Bezaleelem & Oholiabum confecturos esse omnia illa quæ Deus ante Mosen jusserat? sic ut sententia Judæorum hoc quoque modo accipi debeat Mosen curasse illud oleum a Bezaleele confici.

§. VII. Pontifex M. oleo effuso largiter unctus, sacerdotes alii adspersi.

VII. Soline Pontifices maximi uncti fuerint hoc oleo, an vero eodem & sacerdotes gregarii, disputatur. Appellatur Pontifex m. *Levit.* 21. 10. אשר יוצק על ראשו שמן המשחה, *cujus capiti infusum est oleum unctionis*, & hac re distinguitur a fratribus suis. Nam maxima copia effundebatur hoc oleum in caput Pontificis, ita ut in barbam ejus descenderet & על פי מדותיו, usque ad oram vestis, summam nempe quæ collum cingebat, στόμα Græcis dictam, uti πέζα dicebatur ima, sive instita. *Ps.* 133. 2. Verum oleum unctionis adhibitum quoque fuisse ad inaugurationem sacerdotum patet ex *Exod.* 29. 21. ubi Deus jubet, המשח *unges Aaronem & filios ejus*, colligiturque ex *Ex.* 26. 21. ubi jubetur oleum המשחה *unctionis* sanguini mixtum *adspergi* (הזית, non *effundi*, יצק. vide *supra*) Aaroni (cujus inauguratio singularis & ei propria *comm.* 7. jam narrata fuerat, nunc quæ ei communis erat cum aliis sacerdotibus describitur) & vestibus ejus, & filiis ejus & vestibus eorum. [20] Sacerdotes gregarii

garii autem semel modo in solitudine adspersi fuere, uti Judæi tradunt, sic ut vi unctionis illius vel adspersionis posteri eorum consecrati censerentur; [21] verum Pontifices maximi post Aaronem unctione opus habebant, quum nova dignitas iis conferretur præ fratribus suis.

§. VIII. Vestes, earumque distinctio.

VIII. [22] Vestes Pontificales duorum generum fuere, alteræ albæ, alteræ aureæ appellatæ, quod vel ex auro constarent, vel illud appensum aut intextum haberent. [23] Illæ quatuor numero erant, 1. *Femoralia*, 2. *Tunica*, 3. *Balteus*, & 4. *Cidaris*, quas induebat Pontifex ingressurus Sanctum Sanctorum die expiationis, [24] aut crematurus vaccam rufam: [25] nec nisi uno die in vita sua (*Lev.* 16. 23.) iis utebatur, ut Judæi tradunt, [26] quum aureæ post ministerium illius diei in certo loco servarentur. Aureæ dictæ שמונה כלים, (uti & Græci vestes σκευὰς dicunt) vel שמונה זהובים *Gem. Gier. Joma.* 44. 1. [27] erant octo, *Joma* VII. 5. *Femoralia*, *tunica*, *balteus*, *cidaris*, *pallium*, *ephod*, *pectorale*, & *lamina*. Quatuor ex iis communes illi erant cum reliquis sacerdotibus, quatuor propriæ, מעיל אפוד חשן וציץ 1. *Pallium*. 2. *Ephod*. 3. *Pectorale*, & 4. Corona aurea ac *lamina* ei prætensa.

§. IX. Albæ.

IX. Albæ vestes (*Levit.* 16. 4.) constabant [28] ex lino בד, quod distinguitur a lino שש vestium aurearum, *Exod.* 28. & probabile est illud hoc pretiosius fuisse ratione artificii quo contextum erat, quod plurima, quorum eo die in templo usus erat, pretiosiora essent. [29] Has vestes albas (alii dicunt [30] *tunicas* modo, כתנות, nam sæpe tunicæ nomine omnes vestes intelliguntur) duplices habuisse dicitur Pontifex maximus ut aliis mane aliis vesperi die expiationis uteretur. I. [31] *Femoralia*, מכנסים, *braccæ* alias, Græcis περισκελῆ, describuntur *Exod.* 28. 42. quibus a [32] lumbis vel a pectore ad genua corpus tegebatur. [33] II. *Tunica*, כתונת, στολὴ, corpus tegebat a collo ad talos, induenda supra femoralia, [34] III. *Balteus*, אבנט, quo tunica constringebatur πρὸς τοῖς μαστοῖς (confer *Apoc.* 1. 13.) Arabibus & Persis بنش, Ἑμίαν a Judæis dictus, voce a Babyloniis petita teste Josepho *Ant.* III. 8. (quod est Persicum همیان, המין Chaldæis) & Hieronymo *Epist. ad Fabiolam*, [35] ex lino constabat: [36] quum reliquorum sacerdotum baltei ex lino & lana constarent, & ipse balteus Pontificis m. vestibus aureis induti: uti legitur in *Gem. Hier. Joma*. 44. 2. ubi de balteo Pont. m. vestibus albis induti die expiationis certum esse dicitur, eum tum fuisse של בוץ *lineum*, & reliquis diebus anni *ex lino & lana*, יש בו כלאים: verum de sacerdotum balteo dissensus est inter doctores an fuerit ex lino & lana nec ne. [37] Hujus latitudo fuit 4. digitorum Josepho & Hieronymo, aliis longitudo 32. cubitorum, latitudo digitorum trium. IV. [38] *Cidaris*, מצנפת dicta, & distincta a pileis sacerdotum מגבעות, ταινία Josepho, [39] κίδαρις interpretibus Græcis est. Longam fuisse 16. cubitos tradunt Judæi. [40] Distinctionem autem cidaris hujus a sacerdotalibus plurimi in eo ponunt, quod illa depressior fuerit, hæ vero altiores & ad figuram collis. Sic ut vestes albæ Pont. max. non fuerint distinctæ a vestibus vulgarium sacerdotum, nisi quod [41] horum balteus ex lana & lino picto constiterit, quum omnes albæ vestes Pont. max. ex candidissimo lino sive bysso essent, & horum cidaris fuerit altior quidem sed non tam lata. Vide *Gem. Joma.* 12. 2. Josephus autem *Ant.* III. 18. scribit sacerdotes & Pont. max. habere cidarim vel πῖλον eundem ἄκωνον, ita tamen ut Pontifex haberet supra illum alterum πῖλον, de quo mox.

§. X. Et aureæ.

X. [42] Vestes aureæ, quibus indutus erat Pontifex dum sacris quotidie operabatur, aut in sancto Deum per Urim & Thummim consulebat, præter eas, quas cum sacerdotibus communes habuit, hæ fuere ipsi propriæ. I. [43] *Pallium* laneum, מעיל, χιτὼν ποδήρης Josepho *Ant.* III. 8. & Justino *in dial. c. Tryph.* [44] sine manicis (confer *Jes.* 59. 17.) cui quidem aurum intextum non erat, sed [45] tintinnabula aurea appensa. [46] Præter quæ רמנים, malogranata, ex lana hyacinthina, purpurea, & coccinea, ad oram tunicæ infimam [47] inter tintinnabula erant collocata, quæ 72. fuisse Hebræi tradunt in *Gem. Zevachim*. 88. 2. II. [48] *Ephod*, אפוד (quod nomen etiam vestibus aliorum quam Pont. max. datur, 2. *Sam.* 6. 15. 1. *Sam.* 2. 18.) ἐπωμὶς, amiculum, constans ex lana hyacinthina, purpurea, coccinea, & bysso retorta, [49] pallio brevius, [50] sine manicis, [51] quod supra pallium induebat Pontifex. [52] Id ab humeris, quos כתפות humeralia ei adsuta tegebant, ultra dimidiam corporis partem dependebat, partem pectoris intectam relinquens a pectorali tegendam; compositum ex duabus plagulis, [53] quas fibulæ aureæ in utroque humero connectebant, [54] ubi duo lapides שהם sive zmaragdi (uti Philo, Epiphanius & alii reddunt) nominibus tribuum inscripti erant, [55] ab interiori parte loris duobus instructum, quibus corpori adstringebatur, & [56] duobus annulis, ad vittas pectoralis recipiendas. *Exod.*

38. 6.

38. 6. III. [57] *Pectorale*, חשן, λόγιον *Siracidi* 45. 12. Josepho & interpretibus Alexandrinis, quod quidam *Rationale* reddunt, mallem tamen a notione *sermonis* quam *rationis* repetere, quum λόγος utrumque significet: quia Deus cum Pontifice, hoc חשן induto, loquebatur, aut ab responsis Dei, quia oracula λόγια appellantur, vocem duci. Λόγιον κρίσεων Cyrillo dicitur *lib.* XI. *de ador. in spir. & ver.* id est, חשן המשפט. Constabat ex eadem materia qua ephod, [58] longum & latum tres palmos *Exod.* 28. 16.) quando erat duplicatum, quodque *ornamentum* & תבשיט aptius quam בגד, *vestis*, appellatur, [59] quatuor annulis instructum, quos duæ catenulæ aureæ supra, vittæ hyacinthinæ infra, cum ephod connectebant. Huic insertæ erant [60] 12. gemmæ per 4. ordines digestæ, [61] quibus insculpta erant nomina filiorum Israelis, [62] quas ipsas nomine אורים ותמים appellatas fuisse videtur liquere ex *Exod.* 35. 9. & collatis *Exod.* 39. 10. & *Levit.* 8. 8. licet [63] alii putent ea esse distinguenda, ex eo quod legitur *Exod.* 28. 17. & 30. Aliquando & אורים, non adjecta voce תמים, nuncupantur. *Num.* 27. 21. IV. [64] *Lamina* aurea prætensa cidari, ציץ dicta, πέταλον, & ἱλαστήριον in Lexico Græco Hebræo Origenis ([65] nam lamina hæc quædam expiat ציץ מרצה *Gem. Hier. Joma.* 39. 1. Vide *Exod.* 28. 38. *Siphra. fol.* * 34. 2.) [66] cum inscriptione קדש ליהוה quæque [67] vittis hyacinthinis cidari adnectebatur. *Gem. Succa.* 5. 1. *Gem. Hier. Joma* 41. 3. *Gem. Hier. Megilla* 71. 4. [68] Josephus Pontifici maximo præter cidarim vel πῖλον eundem quem sacerdotes gerebant, alterum πῖλον tribuit ex hyacintho variegatum, quem cingebat corona aurea, supra quam aliquid ex auro assurgebat simile calici hyoscyami, cujus anteriorem partem lamina hæc occupabat.

§. XI. Usus earum.

XI. [69] Vestibus hisce indutus erat Pontifex max. quum sacris operabatur in templo. *Exod.* 38. 3. [70] In urbe extra מקדש non licuit sacras vestes gerere, sed ordinarias: quare [71] si templo vellet egredi vestes sacras exutas deponebat in conclavi suo, quod in atrio erat, & vestibus induebatur, quæ eum a reliquis haud distinguerent. *Act.* 23. 5. At post relegatum Archelaum, quum Judæa in provinciæ formam redacta est, [72] in turri Antonia hæ vestes a Romanis servatæ sunt, unde depromtæ quater in anno ante tria רגלים & die expiationis Pontifici max. tradebantur. Poterat autem Pontifex max. quotidie, si vellet, eas induere & [73] sacris operari, easque toto illo die (noctu enim non licuit) gerere, quamvis ministerium sacrum peractum esset, modo templo non egrederetur, id est, dum erat במקדש, in æde sacra videlicet, aut in atrio magno. [74] Si vero usu essent detritæ vestes aureæ P. M. abscondebantur, [75] nec adhibebantur, ut vestes sacerdotum, ad ellychnia lychnorum: [76] vestes autem albæ abscondebantur, ubi semel iis usus fuisset P. M.

§. XII. Sacrificium inaugurale Pontificis.

XII. Præter hæc inaugurabatur Pontifex maximus [77] sacrificio, quod describitur *Exod.* 29. 1. & *Levit.* 8. 2. Hoc sacrificium impletionis appellatur, & inde nomen habent *septem dies impletionis*, שבעה ימי המילאים *Gem. Hier. Joma.* 38. 3. *Gem. Hier. Sota.* 22. 3. & aries ipse offerendus nuncupatur *Exod.* 29. 24. איל מלאים *aries impletionum*, quod ablegmina & crus dextrum cum pane, placenta & lagano, imposita volæ manuum Aaronis agitarentur *Lect.* 8. 27. Atque ita 2. *Chron.* 13. 9. sacerdos vitio creatus legitur מלא ידו בפר *juvenco implevisse manum suam*: quamvis non desint qui putent *impletionis* nomine designari indutionem vestium sacrarum, aut actum inaugurationis.

§. XIII. Nuptiæ.

XIII. In [78] nuptiis contrahendis distinguebatur Pontifex max. a reliquis sacerdotibus, quod his quidem permissum fuerit cum viduis inire matrimonium, illi nequaquam, *Lev.* 21. 14. *collat. comm.* 7. *Siphra fol.* * 236. 1. [79] atque ita nec fratris sui viduam jure leviratus ducere poterat. De hoc jure agitur *Deut.* 25. 5. [80] ubi frater renuens ducere uxorem fratris, sine liberis defuncti, publice jubetur conspui & exui calceo: qui ritus confundendus non est cum publica calcei exutione usitata in emtione venditione. *Ruth.* 4. 7. Quod porro quidam existimant non extra tribum Leviticam licuisse Pont. Max. uxorem ducere, non videtur probabile. Licuit certe aliis omnibus extra tribum suam inire matrimonia, solis iis exceptis per quas hæreditas ex una tribu ad aliam transferretur. Vide *Num.* 27. 8. & 36. 8. & quod ad Pontifices attinet, nusquam illi ab hoc communi jure excluduntur, & Jojada Pont. Max. sororem regis Judæ Ochoziæ uxorem duxit, 2. *Reg.* 11. 1.

§. XIV. Luctus, scissio vestium, & cura capillorum.

XIV. [81] Solo polluebatur Pontifex mortuo, quem מת מצוה vocant Judæi: veluti si in via cadaver insepultum reperiat. Non autem polluebatur Pontifex Max. propinquis suis defunctis, [82] uti reliqui sacerdotes *Lev.* 21. 11. *Nazir.* 7. 1. qui tamen ob sex solum (*Levit.* 21. 2. recensitos, quibus uxorem adjungunt in *Siphra fol.* * 222. 2.) polluebantur, etiamsi minorennes essent, modo e stirpe sacerdotali, & etiamsi vitiati sive בלי מומין: sed fœminas hæc lex non obstringebat, at solos mares sacerdotes *Si-*

phra

phra fol. * 221. [83] 1. Pontifex licet in luctu constitutus sacris operari poterat, quum alii sacerdotes, accepto nuncio de morte propinqui quem lugere debebant, sacrificium licet inchoatum perficere non possent, quamvis tempore luctus sacris vesci Pontifici Maximo non magis quam sacerdotibus licuerit. *Lev.* 10. 19. *Deut.* 26. 14. [84] Præterea nec e domo sua vel templo egrediebatur, [85] nec vestes suas lacerabat, *Lev.* 21. 10. quod Judæi ita intelligunt, non scidisse eum vestes suas, uti alii solebant, in summo circa humeros *Horajoth.* III. 5. Ita in *Siphra fol.* * 227. 1. legitur פורם כג מלמטה וההדיוט מלמעלה *Pont. m. scindebat superne, sacerdos gregarius inferne.* Confer *Matth.* 26. 65. Nec [86] capite incomto esse licebat, quam vocem יפרע Judæi vulgo interpretantur, *nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur, sed in tantum capillos demittendos ut operta sit cutis.* Vide *Hieronymum* ad *Ezech.* XLIV. *p.* 1029. In *Siphra fol.* * 55. 1. etiam פריעה per גידיל שער capillos demissos & incomtos gerere explicatur, alibi per caput nudare, ἀποκιδαροῦν.

§. XV. Munus ejus quotidianum.

XV. [87] Offerebantur quotidie a Pontifice maximo, vel ejus nomine, [88] 12. *crustula*, חביתין *Lev.* 6. 20. composita ex decima ephæ farinæ, & imbuta 3 logis olei, quæ igne tosta, & in 24. partes divisa, cum pugillo thuris mane & vesperi offerebantur in altari exteriori, igne consumenda ante libamen sacrificii jugis, ita ut dimidia pars eorum uti & thuris matutino, dimidia vespertino, tempore offerretur. Quæ crustula quum quotidie fuerint offerenda, (quod in *Siphra fol.* * 9. 2. colligunt ex eo quod *Levit.* 6. 13. appellentur מנחה תמיד) intelligi videntur 1. *Chr.* 9. 31. per מעשה חביתין cujus illic mentio fit inter præparationem aromatis suffitus & panum propositionis, quæ certis temporibus parari debuerunt, & illi præpositus fuisse dicitur Mattathia Levita. In *Siphra fol.* * 11. 2. legitur, si [89] Pontifex vita functus sit & [90] necdum alius in ejus locum substitutus, filios defuncti debere quotidie illa crustula offerre, donec alter eligatur. [91] Quod si vellet Pontifex Max. quotidie sacris operari, suffitum adolere, victimas in altari offerre, &c. poterat. Verum, inprimis stante templo secundo, nonnisi diebus festis plerique hoc munere fungebantur: de qua re quoniam in parte IV. dicemus, illinc assumi possunt, quæ ad hunc locum pertinebunt.

§. XVI. Interrogatio Dei per Urim & Thummim.

XVI. Duo erant præcipue munera, quæ Pontifici Maximo erant propria, officium diei expiationis & consultatio Dei per Urim & Thummim. De illo dicetur postea parte IV. Ad hoc quod attinet, Deum consulebat per Urim & Thummim, [92] ita ut in sancto facie ad arcam versa & vestibus aureis indutus Deum interrogaret. Nec enim per כלי הקדש *vasa sancta*, quæ Phineas *Num.* 31. 6. vivo adhuc parente in bellum Midianiticum secum tulit, necessario ephod vel gemmæ sacræ intelligendæ sunt: nec 1. *Sam.* 30. 7. David induisse ephod dicitur, sed id ad eum fuisse delatum; uti nec Saul, 1. *Sam.* 28. 6. licet Deum per Urim rogaverit, quod [93] interventu Pontificis fieri potuit & debuit. Oraculum autem hoc Divinum [94] alta voce editum fuisse quidam existimant, [95] alii perceptum ex fulgore gemmarum & literarum protuberantia, alii denique Pontificem Max. interno Dei verbo & revelatione persuasum fuisse de eo quod Deus roganti responsum vellet, quodque dare Pontifici Deus noluit nisi pectorali hoc & gemmis ornato. [96] Stante autem templo secundo oracula per Urim & Thummim edita non fuerunt.

§. XVII. Pontifex nonnisi unus.

XVII. [97] Unus tantum erat Pontifex maximus, proprie ita appellatus, secundum canonem *Gem. Hier. Sanhedrin.* 29. 1. & *Siphra fol.* * 9. 2. אין ממונים שני כהנים גדולים כאחת [98] Verum si contingeret Pontificem maximum inquinari, ita ut ineptus redderetur ad peragendum munus suum solenni die expiationis, alius ei substituebatur, qui vicariam ei operam præstaret, dicebaturque כהן משמש, uti ille, cujus erat vicarius, כהן שעבר. *Megilla* 1. 9. Hic autem, quod partes Pontificis maximi egisset, Pontifex quoque maximus appellabatur: quo sensu in *Avoth. R. Nathan. cap.* 35. *Gem. Joma.* 47. 1. *Gem. Hieros. Joma.* 38. 4. *Gem. Hieros. Megilla.* 72. 1. legitur [99] duos filios Camchiti fuisse כהנים גדולים Pontifices maximos eodem die, quum, Simeone Pont. max. inquinato, frater ejus Juda in S. Sanctorum ingressus est. *Tanchuma fol.* 60. 4. Talis vicarius Josepho ἕτερος Ἀρχιερεὺς dicitur, uti in *Joma.* 1. 1. & *Gem. Megilla* 9. 2. כהן אחר. Alias quoque Ἀρχιερέων nomen latius patet, & iis qui inter sacerdotes dignitate eminebant tribuitur. Quapropter quum *Luc.* 3. 2. Annas & Cajaphas Ἀρχιερεῖς appellantur, id nomen hinc lucem accipit.

COM-

COMMENTARIUM IN CAP. PRIMUM.

[1] QUicum tamen *&c. Maimonides Melachim cap. I. 6.* non conſtituunt Regem, aut ſacerdotem magnum, qui fuerit lanio, aut tonſor, aut balneator, aut coriarius. Non quia illi profani, ſed ne forte, cum ipſorum negotia ſint contemtui, populus eos ſemper aſpernetur. Quin ex quo quis operatus eſt in iſtis negotiis unum diem, profanus vel eo ineptus eſt: *Kidduſchim fol.* 82. 1. Aba Goryon vir Sadianenſis dicit in nomine Aba Goria, ne doceat quiſquam filium ſuum agaſonem, camelarium, tonſorem, nautam, paſtorem, tabernarium, eo quod opificium eorum ſit opificium prædonum. R. Jehuda dicit in nomine ejus, maxima agaſonum pars mala eſt, maxima camelariorum pars bona eſt; maxima nautarum pars pia eſt; medicorum optimus dignus eſt Gehenna; accuratiſſimus Lanionum eſt ſocius Amelekitæ. R. Neoray dicit, intermiſi ego omnia mundi opificia, & non docui filium niſi legem, quia homo fructum ejus percipit in hoc mundo, & ſumma ipſi rependitur in mundo futuro. Cætera vero opificia non ita ſe habent; quando homo in infirmitatem inciderit, aut in ſenectutem, aut in caſtigationem, ut non poſſit operari, & fame moriatur. Docent Rabbini noſtri, quicumque opifices commercium habent cum mulieribus, recedunt a bono ad malum, v. g. aurifices (qui conflant ipſis inaures & annulos) pectinatores (qui plicant veſtes fœmineas) roſores (qui effodiunt lapides truſatiles, quibus mulieres molunt) mercatores (qui vendunt fucum & aromata pretioſa) textores, ſcarificatores, tonſores, lavatores, & chirurgus (qui venas ſecat ſanguinem emittens) balneator (calefaciens lavacra) coriarius (parans ipſis pelles ad veſtiendum & calceandum). Non eligunt ex illis Regem aut Sacerdotem magnum; Qua de cauſa? non quod reprobati ſint ipſi, ſed quia vile eſt opificium eorum &c. *Hinc illuſtratur Matth. XIII.* 55. nonne hic eſt fabri filius? &c.

[2] *Nec deſunt &c. Aben Ezra ad IV. Levit.* 13. Ecce ſummus Pontifex æquiparatur univerſo *Iſraeli*.

[3] *Videtur &c. Maimonides de vaſis Sanctuarii cap. IV.* 15. ſummum Sacerdotem creabat unus ille Senatus, qui unius, & ſeptuaginta erat hominum:

[4] *Nec enim &c. Maimonides ibidem*. 20. Cum Rex, cum ſummus Sacerdos, cum reliquorum præfectorum aliquis mortuus eſſet, ſubſtituebatur in ejus locum vel filius, vel is ad quem lege redibat hæreditas; ad quem igitur potiori jure veniebant bona mortui, idem hic & ad honores ejus erat potior, ſi tamen haud minori, quam erat ille, inſtructus eſſet ſapientia, aut ſi ſapientia foret inferior, Deum certe non minus, quam metuerat ille, metueret. Quod enim lex de Rege dicit: *Regnet ipſe & filii ejus ſuper Iſrael* (Deut. XVII. 20.) id quidem hoc indicat, regnum pro hæreditate legitima tradi, atque apud Iſraelitas omnis dignitatis eſt eadem ratio, ut qui dignitatem adeptus ſit, hic illam ſibi & poſteris ſuis ſit adeptus. *Abarbanel ad Exod. XXX.* 33. *Artic. 6. negat ſummum ſacerdotium hæreditarium fuiſſe*. Verum quandoquidem ſummum Sacerdotium non adipiſcebatur ſummus Sacerdos jure hæreditatis paternæ, quæ natu grandiori filio deberetur, ut regnum, ſed præficiebatur a fratribus ſuis ſacerdotibus, qui eſſet ſummus ſacerdos, quod ad eam dignitatem aptior per ſe magiſque idoneus eſſet, quo ſenſu dicitur *Levit. Sacerdos maximus inter fratres ſuos*; ſicque ajunt ſapientes noſtri f. m. *maximus pulchritudine, maximus opibus, maximus robore*.

[5] *Et Regibus &c. Maimonides ad cap. I. 3. Joma*: Sub templo ſecundo, quando omnia erant imperfecta, & Reges deflectebant a via recta, eligebant Pontifices maximos violenter, etſi inidonei eſſent, & de ejuſmodi Pontificibus maximis dici poterat, *forſan non didiciſti?* & propterea conclave in quo conſidebant Sacerdotes maximi, vocabatur conclave *Parhedrin*, ideſt conclave taxantium, ſive eorum, qui taxim & pretium ſtatuebant alimentis, quales Reges deputare ſolent in plateis, vel etiam interdum removere a munere prout ipſis libuerit. Eodem modo agebant cum Pontificibus maximis eligentes ejuſmodi, qui proximi ipſis erant conſanguinei, vel eos, qui plurimam dabant pecuniam.

[6] *Unctiones &c. Maimonides de vaſis Sanctuarii cap. IV.* 12. Cunctis autem Sacerdotibus præfectus erat ſummus Sacerdos. Is inaugurabatur unctione olei ſacri, & veſtimento Sacerdotii magni, ut ſcriptum videmus, *Sacerdos maximus inter fratres ſuos, ſuper cujus caput fuſum eſt unctionis oleum* (*Levit. XXI.* 10.) Toſaphta Sekalim cap. III. 26. Sacerdos maximus non ingrediebatur in atrium ad miniſtrandum, niſi ſeptem *diebus* unctus eſſet, aut veſtibus ſeptem diebus auctus eſſet; ſi vero miniſtraſſet, ejus miniſterium legitimum eſt.

[7] *Indutione veſtium &c. Maimonides ibidem*: Veſtimentis igitur, cum inaugurabatur primum induebat illa veſtium octo genera, quas deinde depoſitas rurſus induebat die craſtino, idque ſeptem deinceps diebus itidem factitabat, ait enim lex: *ſeptem diebus utetur illa, qui Pontifex pro eo fuerit conſtitutus de filiis ejus* (*Exod. XXIX.* 30.) & tanquam per ſeptem dies continuos inaugurabatur veſtimentis, ita ſeptem deinceps diebus inaugurabatur oleo unctionis. Qui ſi rem divinam faceret ante quam per ſeptem dies continuos ita veſtitus aut unctus eſſet, tamen hæc illius adminiſtratio fuiſſet idonea, ut enim erat aut hiſce veſtimentis ſemel auctus, aut unctus oleo, ſummus erat Sacerdos ad omnia factus.

[8] *Et ſacrificio &c. Menachoth cap. VII.* 2. Complementa offerebantur ut azyma Euchariſtica ſcil. placentæ, lagana, & frixa: In quem locum ita *Maimonides*: המלואים *complementa*, hæc vigebant in principio, quum Aaron eligebatur, ſicut ſcriptum eſt Levit. VIII. 26. Ceterum רבוכה dicitur id quod oleo immerſum eſt, atque hoc colligi poteſt ex eo quod dicitur de munere ſartaginis Sacerdotis *Levit. VI.* 14. Hinc exponimus in iſto loco duas contineri oblationes ſcilicet oblationem, quam integram offert Sacerdos dum miniſterium ſuum ingreditur, quæ vocatur קרבן חינוך *oblatio initiationis*, & præterea oblationem, quam Pontifex maximus offerebat quotidie. Dixerunt ſapientes, initiatio aſſimilatur unctioni, nempe quod oblatio in tempore initiationis ſit eadem cum oblatione, quam in tempore unctionis offert, ſcil. in tempore complementorum. Cæterum jam expoſui id quod tempore initiationis offerebatur, eſſe רבוכה *Elixum*, unde colligitur, quod in tempore complementorum etiam elixum offerebatur. Scias autem, quod ſi Sacerdos vulgaris Pontifex maximus electus fuiſſet, prius decimam ephæ offerebat, ut rite initiaretur, deinde autem offerebat ſartagines Pontificis maximi, ſi antea fuiſſet Sacerdos vulgaris, ſicuti in præfatione ad hunc tractatum diximus. Verum ſi Pontifex maximus electus fuiſſet, quum nunquam antea miniſterium Sacerdotale objiſſet, decimam Ephæ offerebat, quam omnis Sacerdos initiatus offerebat, uti diximus. Poſtea offerebat ſecundam decimam, quam offerebat omnis Sacerdos gregarius, poſtquam electus eſſet in Pontificem maximum. Tandem quoque tertiam decimam, quæ eſt munus ſartaginis Pontificis maximi quotidie offerendum; omnium vero opus unum idemque eſt. *Idem de vaſis Sanctuarii. Cap.* V. 16. Neque Sacerdotum quiſquam neque ſummus Pontifex ad primum ſacrificium faciendum accedebat, niſi de ſuo prius obtuliſſet decimam Ephæ partem ſimilaginis, eamque ſua manu ſacrificaſſet; ait enim lex: *Hæc eſt oblatio Aaron, & filiorum ejus, quam offerre debeant Domino de die unctionis ſuæ*. (Levit. VI. 20.) Attamen ſi Sacerdos antequam præſcriptam illam offerret decimam Ephæ partem ſimilaginis, ſacrificium feciſſet; item ſi ſummus Sacerdos ſacris operaretur uti Pontifex, idque antequam obtuliſſet decimam Ephæ partem ſimilaginis, nihilominus tamen idoneum fuiſſet ejus ſacrificium. Si Pontifex maximus crearetur Sacerdos, qui nunquam eſſet ſacris operatus, is ab initio obtuliſſet unam Ephæ decimam, & ſua manu ſacrificaſſet, ſic tanquam ſolebat, quivis Sacerdotum ſacris initiandus, deinde etiam tertiam Ephæ decimam ſacrificaſſet. Hæc enim in cruſtula impendebantur ea, quæ ſingulis diebus a Pontifice maximo offerebantur, ut inferius demonſtrabitur. Atqui horum ſacrificandorum munerum una & eadem ratio erat.

[9] *Quum vero &c. Maimonides de Templo cap. IV.*

Ac

Ac cum Arca simul virga Aaronis, urna Mannæ & oleum unctionis absconditum est, quorum omnino in secundo templo restitutum est nihil. Quin etiam Urim & Tummim quæ fuerant in æde secunda, nullum responsum reddebant, nec vero consulebantur. Huc enim spectat illud Esdræ; *Donec surgeret Sacerdos cum Urim & Tummim* (1. *Esdr. II. 63.*). Nullam igitur aliam ob causam tunc quidem fiebant, nisi ut vestes summi Sacerdotis omnibus numeris essent absolutæ, quippe quem suis privari vestibus non licebat: *Abarbanel ad Hag.* I. Verum sciendum est, non solum quinque illas res defuisse in templo secundo; nam & candelabrum, & mensa, & omnia vasa Tabernaculi, & aulæa, & ejus asseres, cum reliquis, quæ Moses fecit in deserto, urnula item Mannæ, virga Aaronis, & oleum unctionis; hæc, inquam, omnia abscondita fuerunt, neque redierant in templo secundo; Hoc vero ideo factum est, quia non conveniebat, ut illis Tabernaculi vasis, quæ Moses pro Israelitis fecerat, uterentur in Captivitate, sed quando Israelitæ omnes essent in terra sua. Ideo cum major pars tribuum erant in captivitate, neque reversæ fuerant, par non fuit, ut paucæ tribus reversæ iis uterentur. Sic quia oleum unctionis sacræ proprium fuit Regum de domo Davidis, absconditum manet, donec Regnum revertatur ad domum suam (*reversum est ad Christum Davidis filium.*) *Idem ad Dan. cap.* IX. Vasa sacra, quæ fuerunt in Sancto Sanctorum, scil. Arca fœderis Domini, Tabulæ digito Dei scriptæ, Liber Legis Mosis, qui repositus erat ad latus Arcæ, & vasculum olei unctionis, quod juxta hanc fuit, hæc, inquam, vasa Sancta omnia, in vastatione templi primi abscondita fuerunt.

[10] *Regis Josiæ &c. Vide quæ adnotavimus ad caput VIII. partis primæ paragr.* 11.

[11] *Vestium indutione &c. Glossa ad Tit.* מכות *cap.* III. *fol.* 11. Sacerdos magnus alius fuit unctus oleo unctionis, sicuti sunt omnes Sacerdotes maximi, qui vixerunt ante tempora Josiæ, & alius Sacerdos magnus fuit insignis vestitu; hique sunt, qui ministrarunt a tempore Josiæ & deinceps; quoniam absconderunt oleum unctionis, uti dictum est in Horajoth (cap. III. p. II.) & amplius non uncti sunt Sacerdotes, neque dijudicari poterat Sacerdos magnus nisi ex pluralitate vestium, ministrans enim octo vestibus erat indutus: *Maimonides de Vasis Sanctuarii cap.* I. 8. Non erat in Templo secundo oleum hoc unctionis. Ergo summus Pontifex vestium additione inaugurabatur solum, nempe augebatur vestibus summi Sacerdotii. *Et ibidem cap. IV.* 12. Quod si nullum adesset oleum unctionis, inaugurabatur solo Sacerdotii magni vestimento induendo. Nam quod a lege dicitur, *super cujus caput fusum est unctionis oleum, & cujus manus in Sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est Sanctis vestibus* (*Levit.* XXI. 10.) id hoc sibi vult, quomodo Sacerdos augetur & inauguratur unctionis oleo, sic augeri & inaugurari Sacerdotem vestibus illis induendis.

[12] *Hic autem &c. Tosaphta Horajoth* Cap. II. 3. Quisnam est unctus? Hic est unctus oleo sacræ unctionis; nullum intercedit discrimen inter unctum oleo sacræ unctionis, & auctum vestibus, nisi quod auctus vestibus necesse erat, ut offerret juvencum; verba R. Mehir; & Sapientes dicunt non opus erat, ut afferret juvencum. *Maimonides ibidem*: Inter summum Sacerdotem oleo unctionis inauguratum, & solis auctum vestibus hoc unum intererat, quod ille siquid imprudens commisisset, quod stato sacrificio pro peccato expiaretur, juvencum immolaret; habemus enim in lege: *si Sacerdos qui unctus est, peccaverit &c.* (*Levit.* IV. 3.) Cæterum erant ad omnia pares.

[13] *Opobalsami &c. Maimonides Melachim cap. I.* 10. Non ungunt Regem Israelis oleo unctionis, nisi oleo opobalsami. *Et Gemara Horajoth cap. III. p.* 11. Dicit R. Papa, balsamo puro unctos fuisse Reges Israelis.

[14] *Atque illo &c. Maimonides de vasis Sanctuarii* Cap. *I.* 7. A Mose reliquis deinceps temporibus hoc oleo solos ungebant summos Pontifices, sacerdotem fecialem, & e gente Davidica Reges. *Ratio redditur ab Abarbanele ad Exod. XXX.* 23. *cur Pontifices & Reges ungendi fuerint*: Quia utrosque istos rectores regi oportet, ac regere populum ad normam legis, & præceptorum, quemadmodum dicitur de Sacerdote quidem *Mal.* II. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus.* De Rege vero *Deut. XVII.* 20. *neque declinet a præcepto neque ad dexteram neque ad sinistram.* Indeque factum est, ut Regum inunctio semper peracta sit per manus Prophetæ, qui esset de discipulis Mosis Doctoris nostri, ac si unctio & ungens admonerent Reges, quum inungerentur, & quasi dicerent: memores estote legis Mosis, ejusque vestigiis insistite, postquam uncti estis oleo optimo ab illo confecto, vosque omnes illis successistis. Ea causa est, quamobrem olei hujus divini lechytus repositus fuerit in Arca Dei, unaque reconditus cum ea tempore excidii. Secundo ut idoneus efficeretur is, qui ungeretur ad recipiendum influxum divinum, per illam siquidem unctionem providentia divina uncto adhærescebat; Idcirco in sacerdotibus & Regibus propter illorum prærogativam, & propter eorumdem præparationem ad recipiendum influxum superiorem, nimirum quod ad summum sacerdotem attinet, quum spiritus sanctus super eum residebat. Quod ad Regem vero spectat, quum prospere ac feliciter agebat; ideo, inquam in his necessariæ fuerunt actiones duæ *affusio & inunctio* respectu duarum istarum causarum.

[15] *Olim hoc Oleo &c. Maimonides ibidem*: Quæcumque in deserto illo loco vasa Tabernaculi fecit Moses, ea nonnisi ungendo oleo unctionis consecrata sunt. Scriptum enim legimus; *unxitque & Sanctificavit.* (*Num.* VII. 1.) Id autem illis, quæ post insecuta sunt, seculis in usu non fuit. Quæcunque vero vasa in sanctuario suum ad usum sunt adhibita, hoc ipso sacrata fuere. Quod enim in lege est; *Omnia vasa quibus ministratur in Sanctuario* (Ibidem. IV. 12.) id hoc sibi vult vasa ipso ministerio divino sancta fieri.

[16] *Judæi autem &c. Abarbanel ibidem*: Forma unctionis Sacerdotis magni non erat eadem atque Regum, etsi *affusio* utriusque esset communis. Dixerunt in Gemara. Tradunt magistri nostri, quomodo ungunt Reges? in modum coronæ. Sacerdotes vero in modum *Caph*; Forma unctionis Sacerdotis erat instar *Caph*, ut innueretur, ipsum esse Sacerdotem, & a Deo segregatum ad standum in ministerio sanctuarii ipsius, *Caph*, enim כהן idest sacerdotem designat, *est quippe prima ejus nominis litera*; כהן autem, *idest* Sacerdos Dei ministrum significat. Fieri etiam potest, ut figura literæ *Caph* in ungendo Sacerdote fuerit adhibita, ad docendum, ipsius esse Deo manibus servire (*Caph enim apud Hebræos manum significat.*) Rex siquidem Deo recta administratione servit; Sacerdos vero manibus rem divinam facit: *Sed in Gemara Kerituth traditur figuram in ungendo sacerdote adhibitam non quidem Caph, sed Chi* χ: Quomodo ungebantur Reges? per modum coronæ? Sacerdotes vero quomodo? per modum *Chi*. Quid significat hoc? Dixit R. Menascia *per modum* Chi *græci*. Idest infundebatur oleum super caput Aaronis, & hac illac descendebat instar quatuor guttarum pretiosarum: *Maimonides ibidem*: Jam de ungendi modo erat qui capiti sacerdotis instillaret oleum, quod idem hic paulo supra oculos sacerdotis diducebat in forma *Chi* græci, qualis est ista figura χ, quia in lege dicitur, *quod fundens super caput Aaron unxit eum, & consecravit.* (Levit. VIII. 12.) *vide ipsius Maimonidis & Bartenoræ commentarium ad cap. I. Kerituth.*

[17] מר *&c. Aben Ezra coment. ad Exod.* Vox Mor est difficilis. Gaon interpretatur muscum, at is non est de arboribus. Separat eam scriptura ab aromatibus d. l. *messui mor meum cum aromatibus meis*. Ecce mor colligitur; dicunt qui eum afferunt, quod gignatur in gutture cujusdam Capreæ: *Maimonides ibid.* Myrrha autem ista oportet intelligi concretum sanguinem certæ cujusdam feræ, quæ est in India, quo delibutos homines fragrare passim apertum est: *At reprehenditur a Baal Magg. in glossa margin.*: Ajo ego mihi non videri, quod compositionem sacram ingrediatur sanguis ullius feræ mundæ nedum immundæ. Sed hujus vocis recordatur etiam Cantic. Cantic. (cap. V. 1.) *veni in hortum meum soror mea sponsa messui mor meum cum aromatibus meis*. Itaque erat de specie fruticis alicujus, vel arboris, cujus odor fragrans: *Gemara Sehabb.* fol. 80. 2. *Moed Katon* fol. 9. 2. *Megillah* 33. 1. *Pesachim* 43. 1. שמן המל *oleum hammor* exponunt סטכת, quod est græcum στακτὴ *stacte* interprete *R. David Cohende Lara* in *Hir David* p. 58. hoc est liquor oleaceus e Myrrha cin-

cinnamomoque inciſo ſtillans, vel ut hiſpanice transfert *lagrima de la mirra*. *De cinnamomo , calamo aromatico, & Caſia vide quæ diximus ad cap. V. partis primæ paragr. II.*

[18] *Quorum omnium &c. Qua ratione conficeretur docet nos Gemara Herituth cap. I. p. 5.* : Tradiderunt doctores noſtri, quod ad oleum ſacrum conficiendum, ſumſerint Myrrhæ libere fluentis 500. ſiclos, Caſiæ 500. Cinnamomi aromatici (ſi duo ejus dimidii adduntur) 500. & calami odorati 250. Tota vero ſumma fuit 1750. ſiclorum. *Aben Ezra*. Majores noſtri f. m. dixerunt , quod pondera omnium Aromatum æqualia fuerint , id quod acceptamus ; ignoramus tamen rationem quare mentio fiat מחציתו (*dimidii illius*) neque ſenſum dimidiorum percipio , non enim mos eſt in tota terra Iſmaelitica, ulli rei loco ſuperpondii vel minimum addere , quod pondere æquet granum hordeaceum, quando minus id fiet in omni compoſitione unguenti . *Maimonides ibidem* . Jubendo ſancitum eſt, ut oleum unctionis apparetur his rebus, ſcriptum eſt enim; *facieſque unctionis oleum ſanctum &c. Exod. XXX.* 25. Id igitur ſic confecit magiſter ille noſter in deſerto Moſes . Sumſit de unaquaque ex his tribus rebus Myrrha , cinnamomo , Caſia quinguentorum pondus ſiclorum , videlicet , ſanctorum , de calamo odorato ducentorum & quinquaginta ſiclorum pondo . Quod autem in lege dicitur ; *Et cinnamomi aromatici dimidium ejus , ideſt quinquaginta & ducentos* . (*Exod. XXX.* 23.) Hujus ea cauſa & ratio eſt, quoniam illud duabus vicibus librabant, ducentorum & quinquaginta ſiclorum pondus unaquaque vice ; contrivit deinde unumquodque ſeparatim; tum confuſa ſimul omnia in aqua pura & dulci diluit tamdiu, dum omnino vis eorum in aquam tranſiſſet omnis ; huic aquæ addidit hinnem olivi ; hin autem capit logos duodecim; logus autem quartarios capit quaternos . Poſtremo totum hoc igni ſubdito concoxit uſque dum omni aqua exhalata relinquebatur ſolum olivum, quod in vas ſepoſuit, ac condidit in poſterum . *In Gemara Horajoth fol. II. 2. legimus vel radices aromaticas in oleo fuiſſe coctas , vel antea aquis maceratas in oleum infuſas fuiſſe* . Tradiderunt Rabbini oleum unctionis, quod fecit Moſes in deſerto, fiebat coctis in eo radicibus aromaticis illis , quarum mentio fit Exod.XXX. 23. &c. ut ſenſit R. Jehuda . R. Joſe, dicit; Atqui nequidem vel ad ungendum eo has ipſas radices oleum illud ſuffeciſſet, cum ejus tantum duodecim logi fuerint ; quare magis conſentaneum eſt , ſi dicatur , Moſen initio maceraſſe radices illas aquis , ut impletæ aqua minus olei deinde abſorberent, quo facto, infudiſſe eis oleum , idque, aſſumto odore, abſtuliſſe.

[19] *Cæterum mira &c. Siphra ad caput VIII. 10. Levitici* . R. Jehuda dicit , circa oleum unctionis , quod fecit Moſes in deſerto, facta fuerunt multa miracula ab initio ad finem; quia ab initio, non erant in eo niſi duodecim logi olivi , unicus tantum hin ; non ſatis erat ad ungenda ligna*;* quantum conſumebat ignis; quantum ligna, quantum ahenum abſorbebat? Et tamen ex eo uncti fuerunt Aaron & filii ejus omnibus ſeptem diebus initiationis , ex eo uncti fuerunt ſummi Sacerdotes, & Reges, & ſummus Sacerdos , ſummi Sacerdotis filius ungendus erat , nec ungebatur Rex filius Regis . Quare unxerunt Salomonem? Propter controverſiam Adoniæ . Et Jehoachazum? Propter controverſiam Jehojakimi, qui biennii ætate eum antecedebat , & totum ſervatur in futurum ſeculum, quia dicit textus . *Hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras* . *Exod. XXX.* 31.

[20] *Sacerdotes gregarii &c. Abarbanel ad Exod. XXX.* 23. Vulgares Sacerdotes inuncti ſunt ſemel in deſerto ad conferendum ipſis ſanctitatem ; verum illorum filii minime inuncti ſunt poſt eos. Vi enim primæ illius unctionis , qua ſemel delibuti fuerant patres, ſanctificati ſunt ; quippe inter cæteros fratres nihil habebant peculiare, nec quidquam novæ dignitatis ad eam, in qua nati erant, accedebat.

[21] *Verum Pontifices &c. Abarbanel ibidem* . Verum quandoquidem ſummum Sacerdotium non adipiſcebatur ſummus Sacerdos jure hæreditatis paternæ , quæ natu grandiori filio deberetur ut regnum , ſed præficiebatur a fratribus ſuis Sacerdotibus qui eſſet ſummus Sacerdos , quod ad eam dignitatem aptior per ſe , magiſque idoneus eſſet, quo ſenſu dicitur *Levit. XXI.* 10. *Sacerdos maximus inter fratres ſuos*, ſicque ajunt ſapientes noſtri f. m. *maximus pulchritudine* , *maximus opibus*, *maximus robore* ; Ea cauſa eſt, quamobrem par eſſet illum inungi , ut per ejuſmodi unctionem palam fieret , illum e reliquis fratribus in ſummum Sacerdotem fuiſſe conſtitutum . *Et paucis interjectis* . Quia ſummi Sacerdotis dignitas non tranſibat ad poſteros , nec ad filios jure hæreditario pertinebat &c. Idcirco haud obſervata fuit ea conditio in ſummis Sacerdotibus *Maimonides ibidem*. Ac Sacerdotes illi quidem, etſi talium erant Sacerdotum filii , tamen ungebantur, quia ſcriptum eſt *Levit. VI. 22. Et Sacerdos unctus in locum ejus e filiis ejus &c.*

[22] *Veſtes Pontificales &c. Maimonides ibidem cap. VIII.* Sacerdotalium veſtium erant tria genera, unum Sacerdotis privati veſtimenta , alterum genus erat veſtimenta aurea , tertium veſtimenta candida.

[23] *Illæ quatuor &c. Maimonides ibidem* . Candida veſtimenta fuerunt illa quatuor, quibus ad ſolennitatem expiationum ſummus Sacerdos ſacris operaturus induebatur, tunica videlicet, femoralia , balteus, atque cidaris. Hæc quatuor erant alba, eorum fila ſexies conduplicata , totaque ſolo e lino contexta. *Bartenora ad cap. III. 6. Joma* . *Veſtimenta alba* , uti ſunt tunica, femoralia, cingulum, mitra, quæ dicuntur in lege *Levit. XVI.* 4. , his peragebat omnia miniſteria interiora.

[24] *Aut crematurus &c. Miſna Parah IV.* Et in veſtimento albo fiebat. *Maimonides Parah IV.* 3. Si illa vacca non per Sacerdotem fuerit mactata , ſed per eumdem , ſed veſtibus ſuis non accinctum , vel in veſtibus aureis, vel profanis, tunc ecce illegitima eſt vacca . *Toſaphta Parah cap. III.* 9. 10. Præceptum ejus erat *ut combureretur* veſtibus albis Sacerdotis gregarii ; ſi veſtibus aureis , aut profanis combuſſiſſet, interdicta erat. Rogaverunt aliquando diſcipuli Rabban Jochanan filium Zachai, quibus veſtibus vacca comburebatur ? eis reſpondit, veſtibus aureis ; ei dixerunt , nonne docuiſti nos , quod veſtibus albis combureretur ? eis reſpondit , recte dixiſtis, ſi meas ipſas operationes, quas operatæ ſunt manus meæ, & quas mei oculi viderunt , oblitus ſum, quanto magis ea, quæ audiverint meæ aures? Non quod ignoraret, ſed curabat , ut experiendo probe inſtructos ſuos diſcipulos redderet. Nonnulli dicunt fuiſſe Hillelem ſeniorem, quem rogaverunt &c.

[25] *Nec niſi &c. Maimonides ibidem* . Hic die illo jejunii cum veſtibus illis candidis operatus , iis deinceps non operabatur unquam, ſed quo loco eas exuiſſet , in eo recondebantur , veluti ſcriptum eſt, *relictiſque ibi* (*Levit. XVI.* 23.) Neque porro poterant ullum ad uſum adhiberi . *R. Levi Barſel. in Paraſ. Tſau* . Et in omnibus octo miniſterium obiit quod exterius peragebatur , quod vero interius præſtitit , non niſi lineis veſtibus peractum eſt; & poſtquam in illis uno expiationis die adminiſtraſſet , nunquam iterum in illis miniſtravit, quia dicitur, *relictiſque ibi* . Vide *Raſchi ad Levit. XVI.* 23.

[26] *Quum aureæ &c. Maimonides ibidem* . Summus autem Sacerdos noctu, cum ex Sanctuario excedebat, veſtes aureas in ſuo conclavi deponebat.

[27] *Erant octo &c. Maimonides ibidem* . Aurea vero veſtimenta magni Sacerdotis erant . Hæc conſtabant e rebus octo. Continebant enim quatuor illa cujuſvis Sacerdotis veſtimenta, præterea autem pallium, amiculum humerale, rationale, bracteam . *Idem ad cap. III. Joma 6.* Veſtimenta aurea ſunt veſtimenta Sacerdotis magni , quibus veſtiebatur temporibus ordinariis , erantque octo veſtimenta , quæ erant e purpura xylino, lana tincta hyacinthino, auro, lapidibus pretioſis, uti expoſitum eſt in lege, & erant tunica , femoralia, cingulum, tiara, amiculum, & pectorale , pallium, & frontale. *Schilte Haggibborim cap. XLIV.* Et ecce veſtes Sacerdotum erant trium generum ; nempe veſtes Sacerdotis privati, veſtes aureæ, & veſtes albæ. Veſtes Sacerdotis privati erant quatuor , tunica, femoralia, tiara, & balteus; veſtes aureæ erant Sacerdotis magni , & erant octo , præter quatuor Sacerdotis privati , pallium , amiculum humerale, rationale, bractea . Veſtes albæ, quibus miniſtrabat ſummus Sacerdos in die expiationum , erant quatuor , nempe tunica , femoralia , balteus , & cidaris.

[28] *Ex lino &c.* בד *&c. Doctiſſimi Hebræorum non diſtinguunt* בד a שש . *Aben Ezra ad Exod. XXV.* 5.

שש idem eſt quod בד ſpecies quædam lini, quod naſcitur in Ægypto, tenue eſt & album, & non tingitur. *Maimonides ibidem*. Uticunque in lege dicitur Scheſch aut bad intelligitur piſchtan, ideſt byſſus. *Et idem ibidem: ſi veſtis ſit ex filo ſex duplici, ſcheſch, aut ſcheſch moſchſar, ſi ex uno filo, bad appellari contendit*. Ubicunque in lege dicitur *ſcheſch*, aut *ſchech moſchar*, neceſſe eſt ut ſit ex filo ſex duplici; ſed ubicunque dicitur *bad*, ſi unius tantum ſit fili, legitima erit *veſtis*. *Et Abarbanel ſuper legem cap. XXV. Gen.* Scheſch eſt linum Ægyptianum, quod eſt pretioſiſſimum inter ſpecies lini. Quum vero retortum eſt ſex filis in unum, vocatur *ſcheſch*, aut *ſcheſch moſchar*; ſin ex unico filo tantum, dicitur *bad*; cum *bad* referatur ad ſingulare, quemadmodum *ſcheſch moſchar* ad ſex; nomen autem ipſius materiæ vocatur *Piſchtim aut butz* linum aut biſſus. *Idem igitur* שש ac בד.

[29] *Has veſtes &c. Joma cap. III.* 7. Mane induebatur Peluſiacis veſtibus, quæ duodecim minas, & veſperi Jndicis, quæ octingentas drachmas valebant; verba R. Mehir: at ſapientes dicunt, mane induebatur veſtibus, quæ octodecim, & veſperi veſtibus, quæ duodecim minas valebant. *Maimonides ibidem*. Hæ coemebantur ambæ minis triginta de pecunia ſacra, (*Tunicæ videlicet, non veſtes albæ*).

[30] *Tunicas &c. Maimonides ibidem*. Præterea duæ ſummo Sacerdoti erant tunicæ in diem expiationum, quarum tunicarum unam mane, alteram veſperi induebat.

[31] *Femoralia &c. Niddah cap. II.* Cui rei ſimiles ſunt brachæ Sacerdotum? Erant inſtar feminalium Phariſæorum uſque ad ilia, inferne uſque ad femina; habebant autem ligamenta; ſed non habebant locum ani (*id eſt aperturam ad anum*) nec locum pudendorum (*ideſt aperturam ad pudenda*). *Maimonides ibidem*. Feminalia ſive ſummi Sacerdotis, ſive cæterorum Sacerdotum a lumbis demittuntur uſque ad finem feminum, quæ ſunt genua; & habent ligamenta quædam; ſed nulla eſt illis apertura nec ad anum, nec ad verenda, ſed coſtringuntur inſtar crumenæ. *Alii vero contendunt brachas iſtiuſmodi aperturas habuiſſe; Joſephus lib. III. cap. 8. Antiquit.* Subligar circa verenda commiſſum, factum ex byſſo retorta, cui inſerunt pedes (quod pedibus inſcendunt) tanquam cruralibus; diviſum uſque ad medietatem, ſed circa ilia conſtrictum. *Jarchius ad cap. II. Niddah. Locus ani & locus verendorum*. Mos erat ut foramina (*ſive aperturas*) facerent in feminalibus e regione verendorum ademittendam urinam foras, eodem modo fieri ſolebat e regione ani; qua re facta foramen ligabant, & claudebant ligulis.

[32] *A lumbis &c. Jarchius ad XLIV. 18. Ezechiel.* Diſcimus ex traditione exotica; non cingentur in loco ubi ſudant, non ſupra axillas nec infra lumbos, quia ibi eſt locus ſudoris. *Kimchius ibidem*. Doctores noſtri f. m. hoc exponunt, *non cingentur in loco ubi ſudant*, ſecundum traditionem, quando cingunt, non cingunt ſe infra lumbos, nec ſupra axillas, ſed circa axillas. *Jarchius iterum, ad cap. II. Sevachim. Ad coſtas circa humeros*. *Chaldæus* hæc verba לא יחגרו ביזע ita reddit, *non cingent ad lumbos, ſed ad cor ſuum cingent. Maimonides rationem affert, cur Deus feminalibus Sacerdotes uti voluerit, More Nevochim lib. III. cap.* 40. Jampridem noſti manifeſto cultum Pehoris illis temporibus poſtulaſſe, ut verenda detegerent, ideo juſſit Deus Sacerdotibus, ut facerent ſibi brachas ad tegendam nuditatem tempore miniſterii; eadem etiam de cauſa prohibitum fuit ad altare ne aſcenderent per gradus, ne eorum nuditas detegeretur.

[33] *Tunica &c. Maimonides de Vaſis Sanctuarii cap. VIII.* 16. Tunicæ quidem ſive privati, ſive ſummi Sacerdotis erant teſſellatæ, nempe erant totæ contextæ, ac diſtinctæ quaſi teſſellis, qualis eſt forma reticuli quales ſolent in craſſioribus intexi veſtimentis; atque tunicarum manicæ texebantur ſeorſim, tum denique cum ipſis conſuebantur. De longitudine Tunicarum erant illæ talares, quarum manicæ pertinebant ad volam manus, & pro latitudine manus patebant. R. Levi Barſel. lege XCIX. Tunica eſt inſtar camiſiæ magnæ Iſmaelitarum. *Jarchius ad Exod. caput* XXVIII. 5. Pallium eſt inſtar camiſiæ, ut & ipſæ tunicæ, niſi quod tunica carni adhæreat.

[34] *Balteus &c. Joſephus Antiquit. lib.* III. *cap.* 8. Quæ (zona) ſemel atque iterum circa pectus revoluta ligatur, & ad talos uſque defluit, quamdiu non operatur Sacerdos, quod fit propter decorem, cum ſpectantibus pulchrum videatur. *R. Levi Burſel. præcept.* XCIX. Balteus erat inſtar cinguli, quo homines ſe ſolent cingere, ſed multoties corpus ambit, quomodo non ſolemus agere cum noſtris cingulis.

[35] *Ex lino &c. Maimonides ibidem*. Candida veſtimenta fuerant illa quatuor, quibus ad ſolennitatem expiationum ſummus Sacerdos ſacris operaturus induebatur, tunica videlicet, femoralia, balteus, atque cidaris; hæc quatuor erant alba, eorum fila ſexties conduplicata, totaque ſolo e lino contexta.

[36] *Quum reliquorum &c. Maimonides ibidem*. Excipe tamen balteum, quo Sacerdotem eſſe veſtitum extra tempus ſacrificandi fas non erat, ratio fuit quod balteus conſtaret e lino lana commixto.

[37] *Hujus latitudo &c. Hieroſol. Joma caput* VII. Dixit doctor Levi (balteus) erat XXXII. ulnarum, & utrinque oblique dependebat. *Maimonides ibidem.* Balteus in latitudinem quaſi tres digitos patebat, & longitudo duorum & triginta cubitorum erat. Hujus igitur pluribus orbibus circumplicatus erat Sacerdos.

[38] *Cidaris &c. Plerique Hebræorum nullum diſcrimen agnoſcunt inter* מצנפת & מגבעות. *Nach manides in Legem Paraſcha Thezave*: Quando de tota Sacerdotum turba quæſtio eſt tunc dicit ſcriptura מגבעות, ſed & id ipſum eſt מצנפת, niſi quod eo totum caput obnubant, atque ita ſpiras inducant ut referat ſpeciem מגבעת ideſt *galeæ* ſecundum paraphraſim Oncheloſis. Ita מגבעת diceretur quaſi מקבעת uti diximus de tranſmutatione literarum ג & ק. Sed quoniam מגבעת eſt inſtar מצנפת ideo ſapientes indifferenter ponunt מצנפת tam de toto Sacerdotum ordine, quam de ſummo Pontifice. In libro Sacerdotum & in Codice Joma legimus. Summus Sacerdos ſacra facit in octo veſtibus, & cæteri Sacerdotes in quatuor Tunica, Brachis מצנפת & balteo *Maimonides idem ſentit cap. VIII. de Vaſis Sanctuarii* מצנפת ſummi Pontificis idem eſt ac מגבעת filiorum ejus. *Vide Abarbanelem Paraſcha Thezave, Maſſecheth Joma cap. VII. Jarchium Exod.* XXVIII. 4. *Joſephum* lib. III. cap. 8.

[39] *μίδαρις &c. Vulgatus Tiara Exod.* XXVIII. *alibi ſemper Mitra. Chaldæus* כובעין, *at Exod.* XXXIX. קובעיא.

[40] *Diſtinctionem &c. Maimonides ibidem*. Et quam lex tribuit Aaroni cidarim prorſus eſt eadem, quæ præſcribitur liberis ejus, Tiara, ſed hac eadem ſummus ille ſacerdos ſic ut vulnus ſolet, obligabatur, & ejus liberi tegebantur veluti galea, qua de cauſa his tiara nominatur.

[41] *Horum balteus &c. Maimonides ibidem*. Excipe tamen balteum quo Sacerdotem eſſe veſtitum extra tempus ſacrificandi fas non erat, ratio fuit quod balteus conſtaret e lino lana commiſto.

[42] *Veſtes aureæ &c. Maimonides ibidem*. Aurea vero veſtimenta magni Sacerdotis erant; hæc conſtabant e rebus octo; continebant enim quatuor illa cujuſvis Sacerdotis veſtimenta, præterea autem, pallium, amiculum humerale, rationale, bracteam.

[43] *Pallium laneum &c. Maimonides ibidem cap.* IX. 3. Pallium totum hyacinthinum eſt, filamenta ſunt duodecim (*in unum torta*) & os ejus (*cui caput immittitur*) ab initio textum eſt.

[44] *Sine manicis &c. Maimonides ibidem*. Nullas habebat manicas, ſed ab extremo collo ad partes infimas, ut cuncta pallia ſolent, velut in duas alas diſpertiebatur, collum ſolum arcebat totum. *Abarbanel ad legem Paraſcha Thezave*. Sic res ita ſe habet, *Meil* erat inſtar pallii clauſi in utroque latere, fortaſſis habebat duo foramina in lateribus, per quæ Sacerdos brachia exerebat. *Joſephus Antiquit. lib. III. cap.* 8. Hæc tunica non fit ex duobus ſegmentis, ut ſuturas habeat in humeris ac lateribus; ſed unicum eſt veſtimentum in longum contextum. Capitium habet apertum, non tranſverſum, ſed in longum deſcendens a tergo, & ante uſque ad medium pectus, cui annexus eſt limbus, ne appareret deformitas ſciſſuræ; ſic etiam apertum eſt, qua manus exeruntur.

[45] *Sed tintinnabula &c. Gemara Sevachim cap.* X. Adfert ſeptuaginta duo tintinnabula, quibus inſunt ſeptuaginta duo plectra, & appendunt utrique lateri (i.e.

(i. e. plagulæ pallii) triginta ſex *Maimonides ibidem* Adhibebantur etiam duæ & ſeptuaginta campanellæ malleolis prædità, eæque erant ex auro omnes. Harum triginta ſex limbo appendebantur ex una ala pallii, & ex altera totidem atque campanella cum malleo ex ipſa appenſo illud eſt, quod tintinnabulum a lege dicitur.

[46] *Præter quæ &c. Gemara Sevachim cap.* IX. Sumunt hyacinthinum, purpuram, & coccinum retorta, & faciunt ſpeciem malogranatorum, quorum ora nondum ſunt aperta: *Maimonides ibidem*. Jam ad pallii limbum fila hyacinthi, purpuræ, & cocci diphabi adhibebantur, quorum ex unoquoque genere fila erant octies conduplicata. Namque in deſcribendo ejus limbo, hoc verbum משזר a lege uſurpatur. Ex his igitur quatuor viginti filis fiebant quædam quaſi mala punica, quorum nondum eſſet apertum os, quæ erant appenſa pallio. *Jarchius* ad *Exod. cap.* XXVIII. 31. Rimonim ſunt globi quidam rotundi inſtar malorum punicorum, quaſi eſſent ova gallinarum.

[47] *Inter tintinnabula &c. Maimonides ibidem*. Pallium igitur ex utroque latere ſic erat ad limbum diſtinctum & ornatum, ut primum eſſet tintinnabulum, tum ſequeretur malum punicum, & ſic deinceps: *Jarchius* ad *Exod.* XXVIII. 34. Inter ea circumcirca inter duo malogranata tintinnabulum unum appendet oris pallii. *Abarbanel ibidem, ſtatuit mala punica intus cava, illiſque addita fuiſſe tintinnabula, ſed minus recte meo judicio.* Quod mala punica cava fuerint, & quod in illis fuerint tintinnabula, ſed ita ut e medio malorum punicorum tintinnabula conſpici potuerint.

[48] *Ephod &c. Joſephus Antiquit. cap.* III. Fit autem hoc modo, textum in profunditatem cubitalem ex variis coloribus, & auro variegatum, intectum pectoris medium relinquit *Hieronymus* ad *Fabiolam*. Palliolum fuit miræ pulchritudinis præſtringens fulgore oculos in modum caracallarum ſed abſque cucullis *Maimonides ibidem*. Quod autem aurum humerali amiculo & rationali lex ait intextum, id ſic aptum erat; unum auri filum admodum puri conjungebatur ſex filis hyacinthinis; quæ deinde ſimul una complicabantur, rurſum unum auri filum ſenis adjungebatur purpureis, item unum ejuſmodi filum adjungebatur ſex filis coccineis diphabis, itemque ſenis byſſinis; erant igitur auri fila quatuor, & omnino omnia, fila duodetriginta; quod enim a lege dicitur (*Exod.* XXXIX. 3. *Extenderuntque bracteas &c. ut texerent in medio hyacinthi, & in medio purpuræ, & in medio vermiculi cocci, & in medio byſſi* plane declarat hiſce mediis implicatum fuiſſe filum ex auro. Rationalis erat iſta ratio, pannus artificioſe texebatur ex ſtaminibus aureis, hyacinthinis, purpureis, coccineis diphabis, atque byſſinis ſic, ut ſingula ſtamina conſtarent, quemadmodum ſupra poſui, e filis duodetriginta.

[49] *Pallio brevius &c. Improbabilis opinio videtur Jarchii & Maimonidis aſſerentium Ephodi longitudinem uſque ad talos fuiſſe; Alter Exodi cap. ultimo* Latitudo (*inquit*) ejus ut latitudo tergoris viri & paulo latius, pertingit autem ad talos. *Alter loco citato*. Latitudo, Ephod (*inquit*) accomodata eſt latitudini tergoris hominis, ab humero ad humerum, & longitudo ejus ab axillis uſque ad pedes: *Veriſimilius, fuiſſe inſtar Sagi militaris, aut caracallæ. Kimchius Davidis Ephod, quod Aaronitico ſimile fuiſſe putat, ad* 1. *Chron. XXV.* 27. *ita deſcribit*: Erat ut ephodum Aaronis quaſi duo panni, quorum alter anterior, alter poſterior erat uſque ad lumbos demiſſi, & cingulum, quo cingebatur, ex ipſo contextum erat: *Et Abarbanel loco ſæpius citato*. Ita ſane forma ejus erat, prout jam dictum eſt. Pendebat itaque Ephodum a tergo Sacerdotis, latitudo ejus erat ut latitudo tergoris Sacerdotis, ab humero ad humerum, & adhærebant ei humeralia; pendebat autem ab humeris uſque ad anum.

[50] *Sine manicis &c. Ex Ephodi ipſius deſcriptionibus, quas adduximus, patet ſine manicis fuiſſe, quamvis Joſephus loco citato dicat manicis ornatum fuiſſe.*

[51] *Quod ſupra pallium &c. Maimonides ibid. cap.* X. 3. Summus Sacerdos poſtquam erat balteo circumplicatus pallio veſtiebatur, inſuper humerale ei amiculum induebatur & rationale.

[52] *Id ab humeris &c. Maimonides ibidem* & aſſuuntur illi duo humeralia, ut eſſent ſupra humeros Pontificis. *Abarbanel loco citato*: Vult dicere, quod fecerint ephodo duo humeralia, & quod ea fecerint ſeorſum, ita ut ab eo ſeparata fuerint, poſtea autem quod ea aſſuerint extremitatibus Ephodi, ut eſſent ſuper humeros Sacerdotis, ideoque dicitur, duo humeralia juncta erunt illi ad duas extremitates ejus: *Idem ſentit Jarchius*.

[53] *Quas fibulæ &c. Joſephus de Bello lib. VI. cap.* 6. Duabus autem fibulis aureis aſpidum ſpecie vinciebantur, quibus incluſi erant optimi, maximique Sardonyches, ſcripta tribuum gentis nomina ferentes.

[54] *Ubi duo Lapides &c. Hieroſol. Sotah cap. VII.* Filii Leæ ab uno latere, & filii Rachelis ab altero & filii ancillarum in medio, *& paulo poſt*: Quemadmodum diſponuntur hic, ita etiam diſponuntur in lapidibus Ephodi, ut eſſent viginti quinque in unoquoque latere; ſed nonne reperiuntur tantum quadraginta novem? Doctor Johannes dicit *Beniamin* replebit. Doctor Jehuda filius Zebida dicit, *Joſephus* implebit per nomen *Joſeph*. At non reperiuntur niſi XXIII. literæ ab hac parte, & XXVII. ab illa parte. Dixit doctor Johannes, *Beniamin* nomen diviſum erat, בן ab una parte, & ימין ab altera parte, dixit doctor Zebida, nonne ſcriptum eſt, *nomina eorum*? Non, *ſed e ſex nominibus eorum*. Ex nominibus eorum, non autem integra nomina eorum. Priora ſcripta erant in dextro (*humero*) ſummi Pontificis, & in ſiniſtro legentis. Et poſteriora ſcripta erant in ſiniſtro S. Pontificis, & in dextro legentis. Priora non erant ſcripta ordine, quia Judah regno potitus erat; ſed poſteriora ordine ſcripta erant: *Babyl. ibidem*. Dixit doctor Cahana, quemadmodum diſponuntur hic, ita diſponuntur in lapidibus Ephodi. Reſpondent, S. Pontifex habebat duos lapides pretioſos in humeris ſuis, unum in ſingulo latere, & nomina duodecim tribuum iis inſcripta erant, in quolibet lapide ſex nomina, uti dictum eſt (*Exod.* XXVIII. 10.) *Sex nomina in uno lapide &c.* Poſteriora ſcripta erant ſecundum generationes ſuas, non autem priora, quia Juda præcedebat. Erant autem quinquaginta literæ, ſcilicet 25. in quolibet lapide. Doctor Chanina filius Gamalielis dixit; non eodem modo diſponuntur in lapidibus Ephodi, quo diſponuntur in libro (*Numer. cap.* 1.) ſed quemadmodum δευτερώσει (*Exod.* cap. 1.) Hoc ſcilicet modo, ut filii Leæ & Rachelis ſuo ordine poſiti ſint. Quidam ab hac, & quidam ab illa parte; & filii ancillarum in medio. Sed quid ego inde concluderem? *Secundum ætates ſuas*, id eſt *ſecundum nomina ſua*, quemadmodum eos vocavit pater eorum, non autem quemadmodum eos vocavit Moſes, *Ruben* non *Rubeni*, *Simeon* non *Simeoni*, *Dan* & non *Haddani*, *Gad* & non *Haggadi Maimonides ibidem*: In utroque humerali quadratus inerat Sardonyx aureæ palæ impoſitus, hiſce gemmis duabus incidebantur etiam tribuum nomina ex ordine naſcendi ſex in una, & in altera tantundem, pro *Joſephi* nomine Jehoſeph exarabatur, ut in unaquaque gemma literæ exaratæ eſſent 25. ſic igitur exarabantur nomina

Simeon	Ruben
Juda	Levi
Zebulon	Iſſachar
Dan	Nephtali
Aſſer	Gad
Biniamin	Jehoſeph

Atque Sacerdotis erat in humero dextro ea gemma, qua *Ruben* erat inſcriptum, & qua *Simeon* in lævo.

[55] *Ab interiori. Maimonides ibidem.* Habebat *Ephod* quaſi duas manicas, quæ egrediebantur ex eo per texturam ex utroque latere, quibus eum cingebant, & has *manicas* vocat cingulum ephodi: *Abarbanel ad Exod.* XXVIII. 8. Vult dicere factum fuiſſe cingulum Ephodi, erat autem inſtar baltei, qui egrediebatur ex eo utroque latere, & cinxit ſe eo ad cor ſuum. *Idem ibidem*, & hoc eſt opus ipſum Ephod ex 28. filis, & ex eo egrediebatur *cingulum* ex utroque latere inſtar duarum corrigiarum. *Jarchius ad Exod. l. c.* Non audivi nec inveni in traditionibus explicationem formæ ejus. Sed animus mihi dicit, quod ipſi *Sacerdoti* accinctum fuerit a tergore ad latitudinem tergoris viri inſtar ſuccinctorii, quod vocatur שורצינם, prout principes fœminę cingi ſolent, quando equitant. Talis eſt forma inferioris partis, ut dictum eſt (2. *Reg.* VI. 14.) *& David cinctus erat Ephodo lineo*. Unde docemur Ephodum ſuccinctorium fuiſſe; non poteſt tamen dici, quod nihil habuerit præter ſuccinctorium tantum, cum dicatur. (*Levit.* VIII. 7.) *Et impoſuit ei Ephodum, & poſtea cinxit eum.* בחשוב האפור, quod interpretatur Onkelos *cingulo Ephodi*; unde docemur חשב eſſe *cingulum*, Ephodum autem eſſe nomen ornamenti (*ſive veſtis pretioſæ.*) Non autem poteſt dici, quod propter duo humeralia ſua dicatur Ephod, quoniam dicitur duo *humeralia Ephodi*. Unde diſcimus *Ephod* eſſe nomen ſpeciale, & *humerale* eſſe nomen ſpeciale, & *cingulum* eſſe nomen ſpeciale; ideoque dico, quod propter ſuccinctorium, quæ eſt pars inferior, dicatur *amiculum* quoniam eo amicitur, & ornatur, prout dicitur (*Levit.* VIII. 7.) *& amiciet ſe eo*. Sed חשב eſt *cingulum* alias הימנו (*chaldaice cingulum ejus*) humeralia autem ei ſunt annexa. Iterum mihi dicit animus, quod ſit ſpecies veſtimenti, de quo Jonathan, quando (*hæc verba* 2. *Reg.* VI. 14.) *Et David cinctus erat Ephodo lineo*, interpretatur *pallio byſſino*, & ſic interpretatur pallia in hiſtoria Thamaris ſororis Abſalonis (2. *Reg.* XIII. 18.) *quia ſic veſtiuntur filiæ Regis virgines palliis: cum ipſo amiculo textum erat. Jarchius ibidem.* Cum ipſo amiculo textum erit, non autem texetur ſeparatim, ut poſtea adnecteretur. *Abarbanel in l. c.* Pergit autem S. Scriptura, & dicit cingulum non debuiſſe fieri ſeparatim, & poſtea annecti Ephodo, quemadmodum humeralia, ſed ex eo ipſo erunt, ideſt textum erit cingulum cum ipſo Ephodo. Et hæ ſunt res ipſæ *Cinguli erat opus artificioſiſſimum. Jarchius ibidem.* Qualis eſt textura ſuccinctorii? Scilicet opus artificioſiſſimum ex quinque ſpeciebus, talis etiam eſt textura cinguli opus artificioſiſſimum, & ex quinque ſpeciebus.

[56] *Et duobus annulis &c. Maimonides ibidem.* Fiebant etiam in utroque humerali annuli duo, unus in humeralis ſuperioris parte, & alter in parte inferiori ſupra cingulum amiculi; binis ſuperioribus annulis annectebantur duo illa ex auro vincula, quæ catenæ vocantur.

[57] *Pectorale &c. Maimonides ibidem.* Rationalis erat iſta ratio, pannus artificioſe texebatur ex ſtaminibus aureis, hyacinthinis purpureis, coccineis diphabis, atque byſſinis ſic ut ſingula ſtamina conſtarent, quemadmodum ſupra poſui, e filis duodetriginta.

[58] *Longum & latum &c. Maimonides ibidem.* Cum autem eſſet panni longitudo cubitalis, & ſemicubitalis latitudo, duplicabatur ita ut quaquaverſus ſemicubitum pateret.

[59] *Quatuor annulis &c. Idem ibidem.* In rationali quatuor ex auro annuli inerant, hique in quatuor ejus angulis, quorum in duos ſuperiores, ex quibus rationale pendebat, indebantur duo vincula ex auro contorta, hæ nimirum illæ ſunt, quæ a lege catenæ nominantur; nam inferiores erant annuli e regione mammis; per hos trajecti erant funes duo hyacinthini. *Et paucis interjectis.* Binis ſuperioribus annulis annectebantur duo illa ex auro vincula, quæ catenæ vocantur; tum extrema vinculorum, quæ in rationali inerant, innectebantur etiam his annulis ſuperioribus ſutorum ſuper amiculo humeralium. Et qui in ora rationalis inerant hyacinthini duo funiculi, hi illis innectebantur humeralium annulis, qui ſupra cingulum erant amiculi. Atque catenæ illæ ad annulos humeralium annexæ demittebantur uſque ad rationalis ſuperioris annulos, ut una conjugerentur, nec rationale dimoveretur ab amiculo. Nam ſi quis ab amiculo rationale dimovens vinculum eorum ſolveret animo vitiandi, verberibus multaretur. Cum igitur amiculum induiſſet Pontifex & rationale, hoc omnino ſuper ipſo corde poſitum erat, illud a tergo; cingulum amiculi erat ſuper corde ſub rationali colligatum, humeralia erant in humeris, e quibus dependebant illa ex auro vincula duo; vinculum, inquam, ex utroque latere dependebat, ab amiculi humeralibus ad rationalis annulos; porro hyacinthini duo funiculi ſubter axillas erant ab rationalis inferioribus annulis alligati ad humeralium annulos inferiores, qui ſupra cingulum erant amiculi.

[60] 12. *Gemmæ &c. Maimonides ibidem.* Tum quatuor in eo diſponebantur gemmarum ordines earum, quæ a lege dicuntur. Earum erat unaquæque quadrata, atque in auri pala infixa ſic, ut pala obtegeretur pars inferior gemmæ, & latera quatuor.

[61] *Quibus inſculpta &c. Secundum generationes diſpoſitas fuiſſe gemmas ſcribit Joſephus Antiquit. lib.* III. *cap.* 8. Omnibus autem *lapidibus* inſcripta erant nomina Jacobi filiorum, quos principes tribuum vocamus, ſingulo quidem lapidi nomen ſecundum ordinem, quo ſingulus natus eſt. *Idem ſentit Maimonides ibidem.* Incidebantur in gemmas nomina tribuum ex ordine naſcendi; *Ruben* igitur in Pyropo, Biniamin in Jaſpide inciſus erat, ſupra *Ruben* autem inſcriptum erat *Abraham*, *Iſaac*, *Jacob*, & infra *Biniamin* exaratum erat *tribus Dei*, ſcilicet ut in rationali literæ reperirentur omnes. *Idem etiam ſentit Jarchius ad verba illa* איש על שמו *ſecundum nomen ſuum*, id eſt *ſecundum ordinem generationum eorum pro ordine lapidum, ut* אודם *inſcriptum ſit nomen Rubenis*, פטרה *nomen Simeonis, & ſic reliqua omnia. At Abarbanel ad Legem Paraſcha Thezave putat in pectorali lapides ſecundum vexilla tribuum Iſrael diſpoſitos fuiſſe.* Ecce in Ephodo erat mandatum, ut nomina duodecim tribuum in duobus lapidibus ſculperentur, quia Deus voluit ut nomina tribuum eſſent in duobus lapidibus humeralium Sacerdotis, ut in elevatione manuum pro eis oraret, vota conciperet, ideoque ſex nomina eorum erant in unoquoque humero, non autem erant quatuor ordinibus diſpoſita. Sed quia in pectorali locus erat ordinibus, juſſit Deus ut lapides diſponerentur quatuor ordinibus ſecundum quatuor vexilla, quibus diſtinguebantur tribus in deſerto, erant enim in unoquoque vexillo tres tribus, quemadmodum conſtat ſectione *Bemidbar Sinai*. Sic in pectorali erant tres lapides in ſingulo ordine pro tribus iſtis tribubus. Eo etiam propendent ſapientes noſtri f. m. in ſuis expoſitionibus. Ideo ego exiſtimo nomina tribuum non fuiſſe diſpoſita in pectorali quemadmodum nati erant (*ſecundum ætatem filiorum Jacobi*) ſed quemadmodum vexilla erant diſpoſita. Erant autem in primo ordine *Jehuda*, *Iſchaſchar*, *& Zabulon*, prout erant in vexillo orientali. In ſecundo ordine erant *Ruben*, *Schimeon*, *& Gad* ut erant in vexillo occidentali. In tertio ordine erant *Ephraim Menaſſeh*, *& Beniamin* ut in vexillo meridionali. Et in quarto ordine erant *Dan*, *Aſcher*, *& Nephtali* ut in vexillo ſeptentrionali. Et quia non ſcribuntur, nec diſponuntur in pectorali ſecundum ordinem nativitatis ſed ſecundum ordinem vexillorum, ideo in pectorali non dicitur; *ſecundum generationes eorum*, quemadmodum dicitur in Ephodo: *Omnes probatiſſimi veteres auctores Abarbaneli contradicunt. Vide Baal Hatturim Exod.* XXVIII. *Targum Hieroſolymitanum paraſcha Thezave, Paraphraſtem Chaldæum in Cantic. Cantic. cap. V.* 14. *Schemot Rabboth in eadem paraſcha, & Bemidbar Rabboth paraſcha* 11.

[62] *Quas ipſas &c. Variæ ſunt Interpretum ſententiæ de Urim & Thummim. Alii volunt fuiſſe ſcripturam aut ſculpturam nominis Tetragrammati* יהוה. *Jonatham in Paraphraſi in Exod.* XXVIII. 30. In eis inſculptum erat, & expoſitum nomen illud Dei magnum, & ſanctum quo creati ſunt trecenti. & decem mundi vel ſecula, quodque ſculptum, & expoſitum quoque erat in lapide fundationis, per quem Dominus mundi obſignavit oſtium abyſſi magnæ a principio. Quiſquis profert illud nomen Sanctum tempore calamitatis liberatur, & occulta per illud revelantur. *In lib. Zoahar in Exod. fol.* 105. *col.* 4. Urim ſunt ſecretum ſpecularis lucentis, & hoc eſt ſculptura litera-

rum

rum nominis illius ſancti per Myſterium quadraginta duarum literarum, quibus creati ſunt mundi, quæque impreſſa fuerunt in eo; Thummin ſunt ſecretum illarum literarum, quæ comprehenſæ fuerunt in loco ſpeculi non lucentis, & hoc conſtabat ſeptuaginta duabus literis, ſculpturis illius nominis Dei ſancti Myſtici; & omnia hæc vocantur Urim & Thummim *R. Levi ben Gerſon*: Quia Moſes poſt inſertos pectorali lapides pretioſos, jubetur eidem indere Urim & Thummin, hoc facit nos credere, quod Urim & Thummin fuerint quidpiam, quod Moſes pectorali indidit, ad eum modum quo tabulas indidit in Arcam, quia utrinque eadem phraſis ונתת אל adhibentur. Videtur etiam fuiſſe aliquid, ad cujus factionem nullo alio opus fuerit artifice, qui illa faciat præter Moſem ſolum: quod item ex ratione circumſtantiarum conſtiterit, quid fuerint. Hinc quidam priſcorum dixerunt, fuiſſe ſcripturam nominis Tetragrammati, quam Moſes fecerit. Et hæc ſententia valde plauſibilis eſt, ut mihi quidem videtur, volo dicere quod Urim & Thummim fuerint res aliqua ſcripta & indita pectorali; hanc enim ob cauſam duplicatum erat &c. *Hoc idem ſentiunt R. Salomon, Nachmanides, R. Bechai ſect.* פנחס *fol.* 183. *col.* 2. *R. Iſaac Aramah, Elias Miſrachi, & major pars Interpretum. Alii exiſtimant Urim & Thummim nihil aliud fuiſſe, quam XII. gemmas, in quibus inſcripta fuerunt XII. Tribuum nomina. R. Azarias in Meor Enaim cap.* 50. Quod ad Urim & Thummim attinet, præfatus me non cupere contradicere cuiquam eloquio Dei ſeu ſcripto ſeu oraliter tradito, & locum daturum omni meliori ſententiæ, dico, cum non ſatis mihi liqueat, & conſtet, quod fuerint ſcripturæ nominis Tetragrammati, ſicut R. Salomon voluit, idque propter difficultatem ſeu ſcrupulum, quem movi cap. 46. valde credibile mihi videtur, fuiſſe lapides Pectoralis ipſos, inditos intra duplicationes ejus. Movet me ad hanc ſententiam, primo quod lapides illi vocantur אבני מלואים *lapides impletionum*, quia fuerunt implentes pectorale; R. Salomon vult eos dici ſic, quod impleverint palas ſeu fundas. Atqui etiam lapides ſchoham id faciebant; deinde tam in præcepto quam ejus impletione de lapidibus his duobus uſurpatur præpoſitio על *ſuper humeralibus Ephodi*, ad docendum, quod exterius poſiti fuerint; at cum de lapidibus pectoralis ſermo eſt, ſemper adhibetur præpoſitio ב, vel אל ut Exod. XXVIII. 17. ומלאת בו *& implebis in eo*; cap. XXXIX. 10. וימלאו בו *& impleverunt in eo*; cap. XXVIII. 30. ונתת אל החשן: Levit. VIII. 8. ויתן אל החשן quæ ſignificant ut in hoc ואל הארן תתן את הערת *& in Arcam indes Teſtimonium*. Exod. XXV. 21. Sic. ונשא אהרן את שמות ונו בחושן *& feret Aaron nomina filiorum Iſrael in Pectorali*. v. 29. quod hic ſubjungitur על לבו *ſuper cor ſuum* id dicitur ad ſignificandum, quod debeant eſſe abſcondita. Præterea Exod. cap. XXXIX. ubi plura particularia recenſentur, poſtea quam dixiſſet Moſes; *& impleverunt in eo quatuor ordines lapidum*. 10. nullam mentionem facit Urim & Thummim; vice verſa Levit. VIII. ubi meminit Urim & Tummim ſilentio præterit lapides quando ait v. 8. *& ſuperimpoſuit ei pectorale, poſuitque in pectorali Urim & Thummim*. Repetitio ſeu iteratio quæ occurrit Exod. XXVIII., dum ſcilicet poſteaquam dixiſſet ab initio; *& implebis in eo impletione lapidum quatuor ordines &c.* in fine iterum v. 30. ait & ſcribit; & pones in pectorale Judicii Urim & Thummim, facta ea eſt propter id quod ſequitur, & additur והיו על לב אהרן *& erunt ſuper cor Aaronis*; non ignoras eodem modo repeti præceptum de annulo Arcæ Exod. XXV. & quid R. Salomon ibi ſcribat. Ad hæc fieri poteſt, ut hæc repetitio inſerviat ad docendum, quod præceptum v. 17. de inſerendis pectorali lapidibus, impleri & perfici demum debuerit, poſteaquam totus ille ornatus eſſet factus, & Aaroni applicatus. Et ſic videtur quoque re ipſa obſervatum fuiſſe ex *Levit.* VIII. 8. ubi primo dicitur. *Et impoſuit ei pectorale*, deinde, *& poſuit in pectorali Urim & Thummim*. Quod autem me omnium maxime in hac ſententia confirmat, eſt, quod videam verba Moſis Maimonidis, quæ ſunt mihi inſtar multorum, in eam quoque inclinare. Nam in lib. de Vaſis Sanctuarii cap. 9. ubi locus eſt agendi de omni opere veſtimentorum ſacrorum, de pectorali agens ſcribit paragr. 6. *& inſerit ei quatuor ordines lapidum &c.* de Urim & Thummim ne gry quidem. Sic cap. 10., ubi non fuit locus agendi de forma veſtimentorum, quia de illis jam docuit cap. præcedenti 9. ſcribit. *Fecerunt in templo ſecundo Urim & Thummim, ut perficerent octo veſtimenta Sacerdotalia etiamſi per ea non interrogarent*; Non enim poteſt dici, illum hic intelligere aliquid novi vel aliud, quam præcedenti capite dixit; ſed iis addit hic, quod viri Templi ſecundi fecerint Urim & Thummim ad complendum numerum veſtimentorum, etiamſi per illa non interrogarent ad hæc novimus, reſponſum egreſſum eſſe ex lapidibus & literis illorum. Lapides item illos pretioſos vocatos eſſe אורים non ſolum propter multitudinem Ur ſeu lucis naturalis, quæ ex illorum omnium conjunctione emicabat, ſed etiam propter lucem divinam, quæ ex illis effulſit tempore beneplaciti, Thummim autem quaſi Thomim *Gemelli*, quia & quantitate erant æquales, & æſtimatione ſeu pretio, & nomina tribuum æqualiter illic, ſuo quæque ordine, erant exarata coram Deo noſtro; inprimis autem quia, ut Rabbini noſtri ſcripſerunt, illuminabant & perficiebant verba illorum; quamvis principale illorum nomen videatur fuiſſe Urim, juxta illud, *& interrogabit eum per judicium Urim*. Quid contra hæc objici vel excipi poſſit, ego non video. Quantumvis enim dicamus, lapides iſtos abſconditos fuiſſe in duplicatione pectoralis, annon tempore reſponſi dandi potuerunt eminere, lucere, & conjungi? Nam ne murus quidem ferreus hic intercedere potuiſſet aut impedimentum afferre; maxime ſi reſponſum vocale datum fuit, uti traditur in Gemara Hieroſol. Joma cap. 7. & quis ſcit, annon textura pectoralis facta fuerit cum certis inter ſingula fila ſpatiis, ita ut lux illorum penetrare potuerit? Et quicquid ſit, ſi maxime largiamur lapides non fuiſſe intra duplicationes pectoralis, ſed ſuper eo (*extrinſecus*) ut alii volunt, annon etiam hac ratione poteſt appellatio Urim & Thummim attribui ipſis lapidibus, & illorum literis?

Alii ingenue fatentur ſe ignorare quid fuerint Urim & Thummim. R. David Kimchi in libro Schoraſchim Non conſtat nobis (*inquit*) quid fuerint Urim & Thummim; ex ſcriptura videtur colligi, non fuiſſe lapides pectoralis. Rabbi Salomon vult, fuiſſe nomen Dei tetragrammaton inditum duplicationi Pectoralis; non tamen ſcitur an hoc verum ſit: *R. Abraham Seba in Tzeror hammor ſectione* תצוה *ſcribit*: Neſcimus quid fuerint, an ſcriptura aliqua divina, an nomina ſancta, an quatuor illi ordines lapidum pectoralis. *Aben Ezra* ad *Exod.* XXVIII. 8. *ita ſcribit. Secundo* alia gravior hic emergit quæſtio (*quid ſcil. fuerint Urim & Thummim.*) nam Urim non fuerunt lapides ipſius pectoralis; de his enim ſcriptum eſt *& implebis in eo impletionem lapidum*; & hi fuerunt opus artificis, non Moſis; & poſtea demum dicitur Moſi; *& pones in pectorali judicii Urim & Thummim*. Deinde de iiſdem lapidibus jubetur quatuor eorum ordines facere; de his vero; *& impoſuit ei Moſes pectorale, & in pectorali poſuit Urim & Thummim*. Ad hæc juxta ſenſum literalem, non lapides illuminabant, & perficiebant (*reſponſa*:) interrogatio enim fiebat per Urim & Thummim, quæ quid fuerint ignoramus. Inſuper nihil hic prodeſſe potuerunt nomina Tribuum, vel Patriarcharum, quia pectorale judicii vocatur propter Urim, quæ in eo fuerunt. Tertio alia reſtat quæſtio. (*Num ſcil. Urim & Thummim una & eadem res fuerit?*) Nam non poſſum dicere, quod Urim fuerint ipſa Thummim, diſtincte enim de iis ſcribitur לאורים ולתומים 2. *Eſr.* 63. & quia Urim & Thummim vocantur numero plurali, colligimus rem non unam ſed multiplicem fuiſſe. R. Salomon ſcripſit, fuiſſe nomen Dei tetragrammaton cum ſuis expoſitionibus. Quod ſi vero vidiſſet reſponſionem Rabbenu Hai, hoc non dixiſſet, myſterium magnum eſt negotium Ephod & Choſchen, cujus partem duntaxat aliquam ſtrictim attingo; ſi forte illud intelligat, qui ſcientiam habet excelſi, & inde portam inveniat, in ipſum myſterium penetrandi &c. *& mox*. Choſchen ſeu pectorale fuit duplicatum, quia ibi fuerunt Urim & Thummim cuſtodita, uſque dum iis opus eſſet; tum enim illa extra pectorale ponebant. Lapides Schoham, ſeu Onyches duo in humeris Sacerdotis, ejuſdem erant generis & coloris; ſecus lapides pectoralis, nam Onyches illi dumtaxat inſerviebant pro memoriali, propter judicium autem filiorum Iſrael, lapides pectoralis. Porro vox אורים

tur

est a nomine אור, quod ita in singulari numero legitur Esa. 44. 16. & תומים sic dicebantur, quia fuerunt תמימים perfecta, neque Urim erant ipsa Thummim; ex auro & argento fuerunt. Numerus eorum (*quot numero res fuerint*) sciri potest per rationes certas a *mundo* superiori & inferiori. Sapiens intelliget. Fuerunt autem Ephod multa penes sacerdotes, & cingulum quoque habebant, sed non pectorale, nec Urim & Thummim. Et qui exercitatus erat in agendis circa τὰ Urim & Thummim, quæ in pectorali judicii fuerunt, is poterat respondere aliquo modo ex Ephod solo, sed non omni tempore. Quod si vero vellem patefacere totum hoc arcanum, in majorem molem excresceret, quam universus hic meus comentarius: *Josephus lib. 3. cap. 8. & 9. Antiquit. ubi describit vestes Pontificias, nullam mentionem facit Urim & Thummim. D. Hieronymus in descriptione Pectoralis præterit Urim & Thummim. D. Augustinus lib. 2. Quæstionum super Exod.* cap. 116. *& impones super rationale judicii demonstrationem & veritatem*: Quid sibi hoc velit (*inquit*) vel in quali re, vel metallo poneretur super rationale *Demonstratio & veritas*; quoniam talia dicit fieri in veste sacerdotis, quæ corporaliter fiunt invenire difficile est. Fabulantur tamen quidam, lapidem fuisse, cujus color, sive ad adversa, sive ad prospera mutaretur, quando sacerdos intrabat in sancta, & hoc esse quod ait; *Et afferat Aaron judicia filiorum Israel super pectus suum*, videlicet in illa demonstratione & veritate, quid de illis judicaverit Dominus. Quanquam possit intelligi demonstrationem & veritatem literis impositam super λόγιον: *D. Chrysostomus Orat. 4. contra Judæos*: Rursus (*inquit*) e lapidibus qui erant in pectore summi sacerdotis, quod vocabant declarationem, relucebat fulgor quidam futura significans: *Plerique recentiorum Interpretum putant nihil aliud* fuisse Urim & Thummim, *quam 12. lapides Pectoralis. Vide cl. Buxtorfii dissertationem de Urim & Thummin, ex qua pleraque decerpsimus.*

[63] *Licet alii &c. R. Bechai in Legem fol. 106. col. 2. & fol. 183. col. 1. ad, & consulet eum de judicio Urim*: Non meminit (*inquit*) hic τῶν Thummim; unde arguitur, quod Urim fuerint nomina principalia, quorum virtute literæ lucem præbebant in oculos Sacerdotis, ad prænoscenda ex illis futura; Thummim autem inservierunt tantum ad combinandas rite illas literas &c. Ideo mentionem hic facit tantum ejus quod principale erat, & reticet Thummim; Nunquam tamen illa sine his fuerunt. Nam utraque erant res eadem, & conjuncte eam perfectam exhibebant &c.

[64] *Lamina &c. Maimonides de vasis Sanctuarii cap. IX.* Bracteæ opus erat ejusmodi; fiebat ex auro lamina, quæ duos lata transversos digitos per frontem Sacerdotis ducebatur ab aure una ad alteram. *Jarchius ad Exod. XXVIII. 36.* Zitz (*inquit*) est instar laminæ aureæ, duos digitos lata est, cingens frontem ab aure ad aurem. *Jonathan habet; a temporibus ad tempora perveniet: Isidorus in gloss. in voce Baen*: Baen est lamina aurea, ab aure ad aurem, qua familiares regum utebantur.

[65] *Nam lamina &c. Misna Sevachim cap. VIII.* 12. Nullos sanguines reprobos, qui sparguntur super altare, expiat lamina Sacerdotalis, exceptis immundis. Nam lamina Sacerdotalis expiat quidem immundum, non autem exportatum: *Maimonides de ratione adeundi templi cap. IV. 7.* Et quicquid ex Sacrificiis inquinatum igni consumebatur, item illa ex auro lamina fronti Pontificis circumdata expiabat; hæc est enim vis hujus verbi; *Imminens fronti Pontificis, portabitque Aaron iniquitates eorum quæ obtulerunt.* (*Exod. XXVIII.* 38.) At si quid inquinatum ex Sacrificio comedebatur, lamina non expiabat; neque porro expiabat Sacerdotem eum, qui contaminatus inquinamento explorato ac cognito rem divinam fecisset; nisi si inquinamenti rationem elevaret civium consortio, id illa ex auro lamina fronti Pontificis circumdata expiabat scilicet. Neque vero lamina Pontificis quidquam expiabat nisi cum erat ejus applicata fronti, siquidem a lege ita dicitur; *erit autem lamina semper in fronte ejus, ut placatus sit ei Dominus.* (Exod. Ibid.) *Judæi veteres Pontificis vestimenta singula destinata fuisse ad expianda certa quædam peccata crediderunt. Hieros. Joma cap. VII.* Dixit R. Simeon eodem modo quo sacrificia expiant, sic etiam expiant vestes sacræ. Tunicæ, brachæ, pileus, & balteus. Tunica expiat eos, qui duplici materia vestiti sunt; quidam sustinent dicendum esse homicidia, quia dicitur, *& miserunt tunicam in sanguinem*; brachæ expiant fornicationem, q. d. *& facies illis brachas lineas ad tegendam carnis nuditatem.* Pileus expiat superbiam, q. d. *& ponent pileum super caput ejus.* Balteus expiat furta, sunt qui dicant fraudes & dolos; Pectorale expiat perversores judicii; q. d. *& facies pectorale judicii.* Ephodum expiat Idolatriam, q. d. *Non erit Ephodum nec Teraphim.* Pallium quod attinet, R. Simon nomine R. Johannis dicit; duo reperiuntur, quorum nulla est expiatio, nisi quod lex eis expiationem constituerit; nempe ei qui maledixerit, & ei qui aliquem per errorem occiderit; ei qui maledixerit, nulla data est expiatio, nisi quod lex ei expiationem constituerit, per tintinnabula pallii; ut dicitur; *& erit super Aaronem ad ministrandum, & audietur sonitus ejus* (idest tintinnabulorum) si igitur vox vocem expiat; is qui aliquem occiderit, non habet expiationem, nisi quod lex ei expiationem constituerit per mortem Pontificis maximi, ut dicitur; *& remanebit ibi usque ad mortem summi Pontificis.* Quod attinet ad coronam, sunt qui putant dicendum esse, eam expiare impudentiam, alii dicendum putant per coronam expiari blasphemias. Is qui dicit expiari blasphemias, nititur eo, quod dicatur (1. Reg. XVII. 49.) *Et infixus est lapis in fronte ejus.* Et scriptum est Exod. XXVIII. 38. *Imminens fronti Pontificis.* Is qui dicit impudentiam expiari, nititur eo, quod dicitur (Jerem. III. 3.) *Frons mulieris meretricis facta est tibi: Babyl. Sevachim cap. IX.* Dixit R. Iniani filius Schaschon; quare sequitur sectio oblationum sectionem vestium Sacerdotii? Respondetur, quemadmodum oblationes expiant, sic & vestes Sacerdotales expiant. Tunica expiat homicidia. q. d. *Tulerunt autem tunicam ejus, & in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt.* Brachæ expiant detectionem nuditatis q. d. *Facies & fæminalia linea.* Pileus expiat superbiam. Unde hoc habemus? dicit R. Chanina; accedit res quæ in alto, & expiat id quod est altum. Balteus expiat consilia (perversa) cordis, ubi reperitur (id est circa cor balteus cingit tunicam.) Pectorale expiat judicia, q. d. *Rationale quoque judicii facies.* Ephod expiat Idolatriam, uti dicitur; *Nullum est Ephodum nec Teraphim.* Pallium expiat verba mala; unde hoc? Dicit R. Chanina, accedit res (*tintinnabulum*) cui est vox, & expiat vocem malam; Corona expiat impudentiam; nam de corona scriptum; *imminens fronti Pontificis*; sic de impudentia scriptum est; *frons mulieris meretricis facta est tibi: Sicuti sacrificia non expiarunt nisi typice, quatenus erant figuræ Christi sacrificii, ita credendum est, vestes Pontificias non expiare nisi typice, quia erant umbræ Christi expiationis.*

[66] *Cum inscriptione &c. Maimonides de vasis Sanctuarii cap. IX.* Atque in ea duabus lineis scriptum erat SANCTUS DOMINO, *Sanctus* in inferiori linea scribebatur, & in superiori *Domino*. Quod si fuisset totum in una linea scriptum, nihilominus probum esset; & vero nonnunquam inscribebatur totum in una & eadem linea; litteræ prominebant ab antica parte laminæ. Incidebantur a parte postica, tum vero bractea ceræ applicabatur usque adeo, dum foras exuberarent incisiones: *Abarbanel ad Legem Parascha Thezave*: Si unica linea fuerunt, scripta erunt sic קדש ליהוה; at si duabus lineis, vox קדש infimam lineam faciebat, & ליהוה superiorem quod nomen illud elatum sit super reliquas res omnes: *& ibidem, in qua sculpes opera cælatoris*: Hoc interpretantur, literas protuberasse, non eodem modo, quo nomina erant insculpta Ephodi humeralibus, & Pectorali; ibi enim literæ erant profundæ, ut dicitur (*Exod. XXVIII.* 11.) *sculpes eos*, at in corona literæ erant protuberantes, *Gemara Succah fol.* 5. 1. Quidni ergo eam discimus ex mensura coronæ Pontificis Maximi, de qua traditur, quod fuerit instar laminæ aureæ duorum digitorum latitudinis pertingens ab aure ad aurem, cui inscriptum erat duabus lineis, in superiori quidem י"ה *denotens nomen Tetragrammaton*, in inferiori autem קדש ל' sanctitas? R. Eliefer filius Jose autem dixit; ego vidi *hanc laminam* Romæ, cui verba hæc inscripta erant unica tantum linea. *Tosaphoth ad Gemaram Schabb. fol.* 63. 2. Sunt qui hæc *Gemaræ verba* sensu proprio interpretantur, quasi hæ *duæ lineæ fuissent* immediate una supra alteram *collocatæ*; verum

rum *ſenſus hic* minine convenit, qui eſſet contra omnem legendi conſuetudinem, ſed ſic explicanda *Gemaræ mens*, non quaſi *una linea* immediate fuerit ſupra alteram, ſed quod ק"ל ab initio lineæ inferioris; nomen vero Tetragrammaton in fine ſuperioris fuerit poſitum.

[67] *Quæque vittis &c. Maimonides ibidem*: Erat ad extrema duo bractea perforata, ac dependebat ab ea funiculus hyacinthinus per utrumque foramen deductus, quo vinciebatur ad cervicem: *Jarchius ad Exod.* XXVIII. על פתיל תכלת *ſuper vittam hyacinthinam*, *& in alio loco Exodi*. XXIX. 30. ויתנו עליו פתיל תכלת. *Et ponent ſuper eam vittam hyacintinam*. Iterum ſcriptum eſt hic והיה על המצנפת. *Et erit ſuper tiaram* & mox והיה על מצח אהרן, *& erit ſuper frontem Aaronis*. Et in mactatione Sanctorum. (*Gemara Babyl. cap.* 11. *Codicis Sevachim*) legimus, *Capilli ejus conſpiciebantur inter tiaram & laminam*; Diſcimus itaque tiaram fuiſſe ſuperne in vertice capitis, neque profunde fuiſſe depreſſam, ut totum caput tegeret uſque ad frontem; Laminam *autem fuiſſe inferius*. Quantum autem ad vittas inditæ erant foraminibus, unde dependebant ex duabus extremitatibus *laminæ*, & e medio ejus, ut eſſent ſex in tribus iſtis locis. Vitta erat ſuperne non exterius *propendens*, & altera interius e regione ejus; omnes tres vittæ ſuis extremitatibus ſtringebantur in occipitio. Reperiebatur igitur vitta inter longitudinem (ideſt in medio) laminæ, cujus extremitates cingebant totum cerebellum vitta media, cujus extremitas revincta erat cum extremitatibus duarum reliquarum, recurrebat per latitudinem capitis ſuperne, atque ſic facta erat inſtar caſſidis. Idemque de media vitta intelligi debet, id quod dicitur; *Et erit ſuper tiaram*. Media vitta ſuſtinet eam *tiaram* ne cadat. Et lamina pendet e regione frontis ejus; atque ſic totus textus in eo conſiſtit, ut doceremur, vittam eſſe ſupra laminam, & laminam ſupra vittam, & vittam ſupra tiaram ſuperne.

[68] *Joſephus &c. Antiquit. lib. III. cap.* 8. Hunc (pileum) aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua ſpectabantur caliculi aurei, quales videmus in herba, quæ apud nos vocatur daccharus, apud Græcorum herbarios hyoſcyamus. Ejuſmodi corona ab occipitio circum tempora utraque procedebat; nam frontem iſti calyculi non ambiebant; ſed ceu lorum quoddam latum aureum, quod ſacris characteribus Dei nomen inciſum habebat.

[69] *Veſtibus hiſce &c. Si paucioribus hiſce veſtibus Pontifex maximus miniſtraſſet, ejus operatio reproba fuiſſet. Maimonides ad cap. II. Sevachim. Deſtitutus veſtibus*, hic eſt Sacerdos gregarius, qui quatuor ſaltem veſtibus miniſtrare debet, cujuſmodi ſunt tunica, feminalia, tiara, & cingulum, ſed Pontifex maximus octo ſaltem veſtibus, quatuor ſuperioribus adjunctis, cujuſmodi ſunt frontalis lamina, pectorale, amiculum humerale, & pallium, atque hæc vocantur veſtimenta aurea, uti in tractatu Joma exponitur, videſis Exod. XXIX. 9. & ſequentia; ad hæc Sapientes dixerunt, quando veſtibus iſtis induti fuerint, tamdiu ſacerdotium ipſis impoſitum eſt. Scias itaque, qued ſicuti veſtibus deſtitutus ineptus eſt ad ſacerdotale miniſterium, ita quoque ad idem miniſterium ineptus ſit is, qui veſtibus ſuperfluis indutus eſt, quicquid neceſſariis veſtibus addiderit.

[70] *In urbe &c. Babyl. Joma cap. VII. & Tamid.* cap. 1. Vetitum eſt abire in provinciam veſtibus Sacerdotalibus, ſed in templo ſive ſit hora miniſterii, ſive non ſit hora miniſterii, licet. *Nihilominus in ſumma neceſſitate etiam extra Hieroſolymam uti licuit, uti legitur de Simeone Juſto Gemara Joma cap.* VII. Traditur vigeſimo quinto die Montis Gerizim, qui lætus nobis eſt, quærebant Samaritani ab Alexandro Macedone, ut deſtrueret Domum Dei noſtri; tradidit eis illam. Venerunt quidam & indicarunt hoc Simeoni juſto. Quid fecit? Veſtivit ſe veſtibus ſacerdotalibus, ex proceribus Iſraelis quosdam ſibi aſſumſit, qui haberent faces ardentes in manibus; tota nocte progreſſi ſunt, hi a latere hoc, illi a latere iſto, donec ſurgeret aurora. Quum autem orta eſſet aurora, rogavit illos, qualeſnam eſſent? Reſpondebant, ſumus Judæi, qui contra te rebellavimus; Quum perveniſſent uſque ad Antipatrida, oriebatur ſol, & ſibi occurrerunt. Quamprimum videret Simeonem juſtum deſcendit de curru, & inclinavit ſe coram eo. Dicebant ei, an Rex tam potens, qualis tu es, ſeſe inclinat coram hoc Judæo? Reſpondit ipſis facies ejus eſt inſtar illius, per quem victor ſum in tota mea expeditione. *Vide Joſephum Antiquit. lib. XI. cap. 8. Vide Megillath Taanith cap. IX.*

[71] *Si templo &c. Maimonides de vaſis Sanctuarii cap.* VIII. 10. Summus autem Sacerdos noctu, & quum ex Sanctuario excedebat, veſtes aureas in ſuo conclavi deponebat.

[72] *In turri Antonia.* Vide *Joſephum Antiquit.* lib. XVIII. cap. 6.

[73] *Et ſacris operari &c. Maimonides ibidem cap. V.* 12. Suffitum quo die cunque libuiſſet adolebat &c. nec ut ſacris operantur ſortiendum ei erat, ſed cum placitum erat, quam vellet, rem divinam faciebat. Domum habebat in Sanctuario Maimonides ibidem 7. Porro domus erat ei parata in Sanctuario, hoc enim illud eſt, quod conclave ſummi Sacerdotis appellabatur, atque honeſtum & decorum erat eum in Sanctuario ſedere die tota, ex quo nuſquam abibat, niſi in domum ſuam, idque noctu tantum, aut ad ſummum horam unam aut alteram interdiu. Habebat igitur Domum Hieroſolymæ, unde nuſquam diſcedebat.

[74] *Si vero uſu. Maimonides ibidem cap.* VIII. 5. Summi vero Sacerdotis veſtimenta cum eſſent trita recondebantur.

[75] *Ad ellychnia. Succah cap. V.* 111. Brachus tritus Sacerdotum, & eorum balteos diſciderunt, iiſque accendebant (*lampades*.) *Gemara Schabbath legitur non tantum de brachis & balteis, ſed etiam de omnibus veſtibus Sacerdotalibus*. Attende quod doceat Raba filius Mathema; veſtes ſacerdotales, quæ vetuſtate tritæ ſunt, lacerantur, & ex eis fiunt ellychnia ad Sanctuarium. Quid? nonne ex illis, quæ ſunt duplicis materiæ? Minime, ſed ex byſſinis tantum *Vide Gemaram Joma cap. II. & Maimonidem ibidem*.

[76] *Veſtes albæ &c. Gemara Joma cap. III. Relictiſque ibi*; hinc diſcimus eas debuiſſe abſcondi; R. Doſe dicit, aptæ ſunt, ut geſtarentur ab aliquo Sacerdote totius ordinis; ſed ſcriptura dicit, *Relictiſque ibi*; ut in iis non miniſtraret alio die expiationes; *Maimonides ibidem* Hic die illo jejunii cum veſtibus illis candidis operatus, iis deinceps non operabatur unquam, ſed quo loco eas exuiſſet, in eo recondebantur, veluti ſcriptum eſt, *Relictiſque ibi*, neque porro poterant ullum ad uſum adhiberi.

[77] *Sacrificio &c. Siphra ad cap.* VIII. 14. *Levitici. Obtulit & vitulum pro peccato*. A principio non fuit appellatum ſacrificium pro peccato; nam dicit textus; *Sedet hoc facies, ut mihi in Sacerdotio conſecrentur, tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos. Exod.* 29. 1. Quando deſignat ſuas operationes, vocatur ſacrificium pro peccato, *vitulum cum pelle, & carnibus, & fimo cremans extra Caſtra* (Ibid. verſ. 17.) Nos ignoramus an fuerit peccatum Aaronis, & filiorum ejus, an peccatum congregationis; Quando dicit, *Tolle Aaron cum filiis ſuis*, dicendum eſt, fuiſſe peccatum Aaronis, & filiorum ejus, & non fuiſſe peccatum cœtus; *Cumque ſuper caput ejus poſuiſſet Aaron, & filii ejus manus ſuas*. Itane vero? Aaron ne & filii ejus imponebant manus omnibus Sacrificiis? Verum quia hoc erat eorum ſacrificium, ei ſuas manus impoſuerunt. Æquiparat ſacrificia cœtus eorum ſacrificiis, quemadmodum eorum ſacrificia obligabantur ad manuum impoſitionem, etiam ſacrificia cœtus tenebantur manuum impoſitione; ſicuti ille imponebat manus ſuis ſacrificiis, ita idem ipſe ſacrificiis cœtus manus imponebat; ſed quiſque privatus ſuo ſacrificio manus imponebat, juxta verſiculum qui dicit, *ponetque manum ſuper caput hoſtiæ*. Ibid. 1. 4. *Immolavit eum, hauriens ſanguinem*: Omnibus ſeptem diebus impletionis, Moſes miniſtrabat in magno Sacerdotio, is mactabat, is intingebat, is aſpergebat, is expiabat, is fundebat; ideo dicit, *immolavit eum, hauriens ſanguinem*. Hoc exemplum; cuinam hoc ſimile eſt? Filiæ Regis, quæ nubit parvula, & conſentiunt, ut mater miniſtraret, donec filia doceatur. Ita pariter Aaron a principio erat Levita, juxta verſiculum; *Aaron frater tuus Levita*; quando electus fuit ſummus Sacerdos; dixit Deus Moſi, tu mihi miniſtrabis, donec Aaron doceatur; Moſes mactabat, & Aaron obſervabat, is intingebat, & Aaron obſervabat, aſpergebat, & Aaron inſpiciebat, fundebat, & Aaron videbat, ſanctificabat, & Aaron inſpiciebat. *Et immolavit*

eum

eum, *hauriens sanguinem*, *& tincto digito tetigit cornua altaris per gyrum*, *quo expiato*, *& sanctificato*; hæc expiatio nescio quidnam sit; Hinc debes dicere hanc expiationem esse pro eo, quod dicit Moses, quando Deus, qui est mundi Dominus, præcepit, ut oblatio fieret pro extruendo Sanctuario; omnes, & singuli jussi fuere offerre; & fortasse obtulerint id, quod non esset spontaneum. Itaque hæc expiatio sit pro eo, quod potuerit homo ex furto offerre ad construendum Sanctuarium; & pariter dicit textus; *Quod ego Dominus amo justitiam & odi furtum in holocausto (ita Hebræus)*: *Adipem vero qui erat super vitalia ...... adolevit*. Ab hac sectione discimus consuetudinem pro generationibus; quia ego dixissem; Juvenci, & hirci, qui comburebantur, quoniam non comedebantur, omnes essent comburendi, & nulla pars daretur altari; idcirco dicit, *adipem ..... adolevit*. Hoc erat, quod altari offerebatur, & reliquum juvenci comburebatur, juxta versiculum; *vitulum cum pelle*, *& carnibus*, *& fimo cremans extra castra*. *Obtulit & arietem in holocaustum*. Hinc discimus manuum impositionem pro holocausto; *immolavit eum*, *& fudit sanguinem*; hinc discimus aspersionem pro holocausto. Omne id, quod explicatum est in privati holocausto, explicatur hoc loci excepta decorticatione, & sunt qui dicunt, quod nulla detur divisio sine pellis detractione. *Caput ejus*, *& artus*, *& adipem adolevit igni*; uti alibi dictum est, *artus in frustra concident*; Levit. 1. 6. *Caput ejus*, *& artus*, *& adipem*; ex eo loco didicit, *lotis prius intestinis*, *& pedibus*; ut eo loci dictum est, *intestinis & pedibus lotis aqua*; hinc edoctus est; *totumque simul arietem incendit super altare*, quemadmodum eo loci dicit, *super altare*, hinc didicit; *holocaustum suavissimi odoris Domini*; uti eo loci dicit; *& suavem odorem Domino*, *holocaustum .... Domino*; hinc discitur, tota fuisse combusta. *Obtulit & arietem secundum*; verum jam pares textus reddiderat dicens, *duos arietes*, unum alteri parem; si ita est, cur igitur dicit arietem secundum? quia si attulisset juvencum, & unum ex arietibus, non sanctificabantur, duos arietes, & non attulisset juvencum, non sanctificabantur, duos arietes, & juvencum, & non attulissent azymorum canistrum, non sanctificabantur; *arietem impletionum* (*ita hebræus*) quod omnia perficiebat; quod hoc sacrificium initiationis perfectos reddebat Aaron, & ejus filios; *posueruntque super caput ejus Aaron*, *& filii ejus manus suas*; Læti ei imposuerunt manus, & diem festum celebrarunt; simile ei, qui debita solverit & diem festum celebrat; pariter Aaron, & filii, quando ejus diei cæremoniam perfecerunt, & suas sanctificationes, vasum cæremoniam, & suarum sanctificationum, & adduxerunt arietem, & suas ei manus imposuerunt summa cum lætitia, & diem festum celebrarunt. *Quem cum immolasset Moyses*, *sumens de sanguine ejus*; tres sanguines, qui in hac sectione commemorantur, non sunt similes inter se, primus tenebatur ad sex aspersiones, secundus ad duas, & tertius ad tredecim; idcirco dicit; *sumens de sanguine ejus tetigit extremum auriculæ dextræ*. Hæc est cartilago, quæ est in medio auriculæ; *& pollicem manus ejus dextræ Aaron*: Hæc est junctura (*aut nodus*) est in medio. *Obtulit & filios Aaron*; *cumque de sanguine arietis immolatis teligisset extremum auriculæ singulorum dextræ*, hæc est Cartilago, quæ est in medio; *& pollicem manus dextræ*, hic est nodus, qui est in medio *& nonnullis interjectis*: *Tradens simul omnia Aaron*, *& filiis ejus*; itane vero? omnia ne Sacrificia dabantur dominii in manibus? Sed ut doceamur, quomodo potaretur uxor adulterii suspectæ, & mundarentur puerperæ, & purificarentur leprosi. *Qui postquam levaverunt ea coram Domino*; eadem de causa, ut docerentur sacrificiorum agitationes. *Rursum suscepta de manibus eorum*; eadem de causa, ad docendum, quomodo accipiebat munus de manibus uxoris adulterii suspectæ, & agitabat. *Eo quod consecrationis esset oblatio in odorem suavitatis sacrificii Domino*; docemur, quod sacrificium consecrationis fuerit in odorem suavitatis; ex eo poteris argumentari a minori ad majus. Rex terrenus acquirit sibi amicum, & celebrat cum eo diem lætitiæ; eo magis Rex omnium Regum Sanctus benedictus Dominus, qui sibi Sacerdotem instituit. *Tulitque pectusculum elevans illud coram Domino*; docemur, quod Deus nemini præmium remoratur; & pariter dicit textus: *quis est in vobis qui claudat ostia*, *& incendat altare meum gratuito?* *Malach.* I. 10. *De ariete consecrationis in partem suam*; Hinc poteris argumentari a minori ad majus; Si Moses, qui una hora ministravit in summo Sacerdotio, accepit partem in summo Sacerdotio, quanto magis, qui semper in summo Sacedotio ministrat? *Assumensque unguentum & sanguinem*; Tres sanguines, qui in hac sectione expliciti sunt, sunt inter se dissimiles. Primus obligabatur ad sex aspersiones, secundus ad duas, & tertius ad tredecim; de primo oportebat intingere, & per gyrum aspergere, sanctificare, & fundere, de secundo intingere, & per gyrum aspergere, & de tertio tredecim aspersiones aspergendæ erant, sex aspersiones in pollicibus, tres in Aaron, & tres in filiis, & sunt qui dicunt, novem, tres in Aaron, & sex in filiis; & alii dicunt, quindecim, tres in Aaron, & duodecim in filiis, qui erant quatuor, juxta versiculum; *Hæc nomina filiorum Aaron Sacerdotum*, *qui uncti sunt*, *& quorum repletæ*, *& consecratæ manus*, *ut Sacerdotio fungerentur Num.* 3. 3. & necesse erat, ut super altare spargeretur. Et obligabatur ad sex aspersiones, tres in Aaron, & tres in filiis, & sunt, qui dicunt, novem, tres in Aaron, & sex in filiis, & alii dicunt quindecim, tres in Aaron, & duodecim in quatuor filiis, juxta versiculum, *aspersit super Aaron*, *& vestimenta ejus*, *& super filios*, *ac vestes eorum*; Hinc discas non fuisse perfectam Sanctificationem Aaron, & filiorum ejus, nisi sanguinis aspersione.

[78] *In Nuptiis &c. Misna Jebamoth cap.* VI. 4. Pontifex maximus non ducet viduam, sive ea fuerit vidua ex desponsationibus, sive vidua fuerit ex consecrationibus: *Misna Sanhedrin cap.* 11. Ipsi enim viduæ matrimonio interdictum est: *Tosaphta Horajoth cap.* II. tenebatur nubere virgini, & de vidua admonebatur. *Maimonides ibidem cap. V. X.* Jam id libro de Sanctitate demonstratum a nobis est summo Sacerdoti, ne viduam mulierem matrimonio sibi conjungeret, interdictum esse, & esse præscriptum, ut in matrimonium duceret virginem: *Vide eundem Ischuth* cap. 1. 7. & *Issuræ Biah* cap. XVII. 1. *Moses Kozensis Præcept. Negat.* 124. (*e Præceptorum negantium numero est illud*) quo summus Pontifex prohibetur ducere viduam; scriptum enim *Levit.* XXI. 14. *Viduam autem & repudiatam*, *& sordidam*, *atque meritricem non accipiet*. Atque docetur in Jebamoth, viduam hic loci accipiendam tam eam, cujus maritus, quam cujus sponsus (*fato concessit*) *Si vero desponderit viduæ*, *& postea electus sit summus Pontifex*, *potest eam ducere*. *Jebamoth ibidem*: Si desponderit viduæ, & interim electus fuerit Pontifex maximus, ducat eam. Factum est, ut Jehoschva filius Gaulæ dederit sponsalia Martæ filiæ Baiti, & Rex eum elegerit Pontificem maximum & duxerit eam.

[79] *Atque ita &c. Misna Sanhedrin ibidem*: Calceo se exuit, aliique id faciunt ab uxore ejus, alii hujus uxorem ducunt jure leviratus, ipse non item *Maimonides ibidem*: Calceum a glore sua exui ipsum, & vicissim ab ejus uxore fratres ejus.

[80] *Ubi frater &c. Tosaphta Jeramoth cap.* XII. Præceptum extractionis calcei peragenda est tribus Judicibus, qui tamen in legendo non sint ignari; R. Jehuda dicit quinque, dixit Eleazar filius R. Simeonis, contingit, ut R. Samuel solus noctu calcei extractionem permiserit. Si discalceato facta esset calceo, qui constaret corio duro, aut qui deficeret, sed majorem partem pedis operiret, aut calceo, qui molli corio constaret, qui ruptus esset, sed majorem pedis partem operiat, calceo subereo, & calceo e dactylorum palmis confecto, aut vimineo, aut claudi empilio, aut pellicea caliga; & quæ calceum extrahit majorenni vel stanti, vel sedenti, vel recumbenti, & quæ cœco calceum extrahit, ejus discalceatio legitima est; sed calceo ex corio duro, qui deficiens esset, neque majorem partem pedis operit, aut calceo, qui tenui pelle constet, qui majorem pedis partem non operiat, empiliis manuum, ex panno confectis, & quæ minorenni calceum exuit, ejus discalceatio illegitima est; dixit R. Jehuda, si R. Eleasar vidisset calceum ligneum nostrorum temporum, dixisset illum esse omnino similem calceo, qui duro corio constat. Dixit R. Simeon; conveni senem e Nezibin, eum rogavi, consuetudo ne tibi erat cum R. Jehu-

R. Jehuda filio Betheræ; mihi reſpondit, maxime; & ſemper ille ad menſam meam aderat; ei dixi, vidiſtine unquam illum diſcalceantem? mihi dixit, utique; tum ego ei dixi quonam eum vidiſti, calceone ex corio duro, an tenui conſtante? mihi reſpondit, poteſtne fieri diſcalceatio calceo ex tenui pelle conſtante? ei dixi, quid igitur intellexit R. Meyr, quando dixit, poſſe fieri diſcalceationem calceo tenui corio conſtante? R. Jacob ejuſdem nomine dicit, concedit R. Meyr non poſſe fieri diſcalceationem calceo molli corio conſtante. *Et paucis interjectis*. Si diſcalceaſſet, & non ſpuiſſet, & non legiſſet, diſcalceatio ejus legitima eſt; ſi velit ad eum reverti, poteſt; ſi ſpuiſſet, & non legiſſet, & calceum non extraxiſſet, ejus diſcalceatio illegitima eſt; ſi legiſſet & non ſpuiſſet, & non extraxiſſet calceum, nihil prodeſt, & poteſt ad eum reverti &c. *Præterea*. A principio ita ſcribebant libellum diſcalceationis; venit coram nobis, & calceum diſſolvit ab ejus dextro pede, & exſpuit in faciem ejus ſputum, quod a nobis cernebatur, & dixit; *ſic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui*. Deut. 25. 9. R. Simeon dicit nomine R. Akibæ; diſcalceatio (ideſt calcei extractio) impediebat, at ſputum non impediebat. R. Simeon filius Eleaſaris dicit, cum noluerit ſuſcitare nomen fratris ſui, veniebat, & alio nomine compellabatur vice illius, *& nomen illius appellabatur in Iſrael, domus diſcalceati*; præceptum erat Judicibus, & non erat præceptum Diſcipulis. R. Jehuda dicit, præceptum eſt pro omnibus adſtantibus, ut dicerent, *domus diſcalceati, exutus calceo, exutus calceo*. Dixit R. Jehuda, contigit, ut coram R. Tarchon eſſemus, & dixit, reſpondete omnes, *exutus calceo, exutus calceo. Maimonides Ibum & Chalitza cap. IV.* Quomodo peragebatur præceptum diſcalceationis? Fratria ſequetur levirum in locum ubi ille erat, & accedebat ad judices, & illi eum compellabant eiſque conſilium utrique conveniens dabant; ſi utile foret conſilium, ut ei contraheret leviratioem, auctores erant, ut in matrimonium conjungerentur; ſi viderent utilius fore, ut calceum exuendum daret, conſulebant, ut daret; e. g. ſi ille foret ſenex, & ipſa juvenis, & illa vetula, & ipſe adoleſcens, auctores illis erant, ut fieret diſcalceatio. Judices debebant locum ſtatuere, ut ibi conſiderent, & deinde illa ad eos accedebat, ut coram illis diſcalceatio fieret, juxta verſiculum qui dicit, *& perget mulier ad portam civitatis, & interpellabit majores natu &c. Deut.* 25. 7. Sin minus conveniſſent, neque ſtatuiſſent locum, ſed caſu conveniſſent, & ambo eos interpellaſſent, & facta eſſet diſcalceatio, legitima eſt diſcalceatio; & ambos ſectionis lectionem docebant, uſquedum legendi callentes eſſent; & illa ſciret recitare (*verba*) *non vult* continenti ſpiritu, & deinde diceret *nec me in conjugem ſumere*, ne ex errore crederetur, quod diceret, *vult me in conjugem ſumere*; & poſtquam legendi callens erat, quamvis continenti ſpiritu non diceret, nihil intererat; at ſi recte exprimere non poſſet, aſſaſcebat, donec ea legendi perita foret; & diſcalceatio interdiu facienda eſt, & non noctu, & coram tribus, qui legendi periti ſint, eſt legitima. Si unus ex tribus eſſet proſelytus, eſt illegitima; etiamſi pater eſſet proſelytus, & mater Iſraelitis, non facienda eſt diſcalceatio, niſi pater, & mater fuerint Iſraelitæ; & legitimum præceptum eſt, ut ſint quinque, ut res publica fiat, etiamſi duo illi fuerint indocti. Quomodo fit diſcalceatio? Afferunt calceum pelliceum, cui non deſit pars poſtica, neque lino ſit ſutus, eoque dextrum pedem induit, eumque ſuis ligulis in pede colligat, & ſtant ipſe, & ipſa, & magiſtratus; & in lingua ſacra leget fratria; *non vult frater viri mei &c.* Et deinde dicet levir; *nolo eam uxorem accipere*, & humi ſuum pedem figit, & ipſa ſedens permiſſu magiſtratus ſuam manum extendit, & ligulas calcei diſſolvit a parte ſuperiori pedis, eique calceum extrahit, eumque in terram dejicit, & poſtquam majorem partem poſticam extraxerit, alieno licita eſt; & deinde ſurgit, & in terram exſpuit in ejus faciem ſputum, quod a judicibus conſpiciatur, quia præceptum diſcalceationis requirit, ut ambo ſtent eo tempore quo legunt, & expuit. Et neceſſe eſt, ut Judices conſpiciant ſputum, quod ab ſuo ore exſpuerit; & poſtea ei verba dictant; *ſic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui; & vocabitur nomen illius in Iſrael, domus diſcalceati*; & omnia lingua ſacra *recitabuntur*, quia textus dicit, *ſic*, ſcilicet hac lingua, & omnes ibi adſtantes poſt eam exclamant ter, *exutus calceo. Nonnullis interjectis*. Hic eſt diſcalceationis ordo. Illa prius dicit; *non vult frater viri mei ſuſcitare nomen fratris ſui in Iſrael; nec me in conjugem ſumere*; & poſtea ille dicit; *nolo eam uxorem accipere*; & deinde ei extrahit calceum, & poſtea expuit; & & deinde exclamat; *ſic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſuis, & vocabitur nomen illius, in Iſrael, Domus diſcalceati*; ſin minus hoc ordine fiat *diſcalceatio*, nihil obſtat; at ſi neque ipſe, neque ipſa prius dixiſſet, aut exſpuiſſet, & deinde calceum exuiſſet, aut legiſſet, & poſtea exſpuiſſet, legitima eſt diſcalceatio; quod non iterum exſpuat juxta ordinem, ratio eſt, quod credi poſſet, unum ſputum nulli uſui eſſe, neque eam a fratribus excludere. Si duntaxat exuiſſet calceum, & non legiſſet, neque exſpuiſſet, legitima eſt diſcalceatio; neque dici oportet, ſi calceum extraxiſſet, & verba recitaſſet, & non expuiſſet, aut calceum exuiſſet, & exſpuiſſet, & non legiſſet, quod legitima ſit diſcalceatio. In quo caſu hæc dicta ſunt? quando loqui poſſent, nempe quod eſſent idonei ad legendum, ſed muta & mutus a diſcalceatione excluduntur, & ſi facta eſſet *diſcalceatio, interdicta*, eſt; qui non ſunt uti ſurdus, & ſurda, a quibus ſi peracta eſſet diſcalceatio, illegitima eſt, quia notitia carent. Si tantummodo exſpuiſſet, & non exuiſſet calceum, & non legiſſet, aut exſpuiſſet, & non exuiſſet calceum, eſt veluti diſcalceatio interdicta, ſi legiſſet, ipſa, & ipſe, & non exuiſſet calceum, & non exſpuiſſet, nihil prodeſt, quia textus dicit; *ſic fiet homini*; actio eſt in diſcalceatione; ſputum effectum producit, ſed lectio non impedit, neque effectum parit. Si diſcalceaſſet, & exſpuiſſet, & legiſſet, dum ipſi ſederent, aut in latus recumberent, aut corrigia calcei in crure infra genu colligata fuerit, aut exueret calceum coram tribus idiotis, qui neſciant eos docere lectionem, & pariter ſi cœca calceum exuiſſet, diſcalceatio legitima eſt, ſi noctu calceum extraxiſſet, aut exuiſset coram duobus, aut coram tribus, quorum unus ſit eorum propinquus, aut illegitimus, aut calceas ſupra genu colligatus eſset, aut ipſe ſibi eum diſſolviſset, aut ipſa exuiſset, aut ipſa diſſolviſset, & ipſe extraxiſset, aut ipſa intentionem haberet, & ipſe non haberet, & pariter ſi minorennis majorenni calceum exuiſset diſcalceatio interdicta eſt &c. Si exueret calceum ex panno confectum, non eſt diſcalceatio, ſi exuiſset calceum, qui parte poſtica careat, aut lino ſutus eſset, aut eſset calceus pilo confectus, aut cortice dactylorum, aut ſubere, aut ligno, aut eſset calceus magnus, quo incedere non poſſit, aut parvus, qui majori ex parte pedem non operiat, aut calceus apertus, qui majorem pedis partem non operiat, aut deficiens, qui majorem pedis partem non capiat, ejus diſcalceatio interdicta eſt. *Et nonnullis interjectis*: Libellus diſcalceationis, quem ſcribimus, per acta magiſtratus confirmabitur, ut in ejus manu ſit argumentum, *quo probet* ſe fuiſse dimiſsam; nec judices permittebant diſcalceationem, niſi tum cum *leviri* ſibi noti eſsent, idcirco poſtquam vident in ejus manu inſtrumentum renuntiationis, ei deſcribunt diſcalceationis libellum, quamvis ignorent, quod illa ſit filia N. & uxor N. & quod hic, qui diſcalceatur, ſit ejus frater; propterea quod judices, coram quibus diſcalceatio facta eſt, ea quæ neceſsaria forent, cognoverunt, & deinde diſcalceationem conceſserunt. Et hæc eſt formula libelli de calceo exuendo, qui vulgo in uſu eſt.

Die N. menſis, anno N. a creatione mundi juxta conſuetum nobis calculum in loco N. nos Judices, ex quibus nonnulli infra propria manu ſignavimus, in conſeſſu triumvirali conſedimus; aſcendit, coram nobis N. filia N. vidua N. & venit coram nobis vir dictus N. filius N. & ad hunc modum nobis iſta N. effata eſt. N. filius N. frater germanus mei viri, cui ego nupta fui, & mortuus eſt, & vitam ſapientibus totique Iſraeli reliquerit; & filium, & filiam hæredes, qui ſuccederent, & qui ejus nomen in Iſrael confirment, non reliquit; & hic N. eſt ejus frater, ex lege ad eum attinet leviratus jure me ducere uxorem; modo Rabbini dixerunt, ſi me velit ducere, ducat, ſin minus, mihi ſuum pedem dextrum extendat coram vobis, & ego ei diſſol-

vam ſuum calceum ab ejus pede, & in faciem ejus exſpuam. Et huic N. ſignificavimus, fratri N. ſi vis ei nubere, nube, ſin minus, porrige ei tuum pedem dextrum coram nobis, & diſſolvet tuum calceum ex tuo pede, tibique in faciem exſpuet; & reſpondit, nobiſque dixit. Nolo ego eam jure leviratus ducere; & ſtatim illam legere fecimus; *non vult frater viri mei ſuſcitare nomen fratris ſui in Iſrael, nec me in conjugem ſumere*; & etiam hunc N. legere fecimus; *nolo eam uxorem accipere*, eique ſuum pedem porrexit; illa ex pede ſuum calceum diſſolvit, eique in faciem exſpuit ſputum, quod vidimus prodiens ex ejus ore in terram; præterea huic N. dictavimus; *ſic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui, & vocabitur nomen illius in Iſrael, domus diſcalceati*, & nos judices, & omnes adſtantes coram nobis, reſpondimus poſt eam, *calceo exutus, calceo exutus, calceo exutus;* & poſtquam hæc acta ſunt coram nobis, dimiſimus hanc N. ut abeat, & cui libeat, illa nubat, & nemo ſit, qui ei obſtet ex hac die in perpetuum; & a nobis hæc N. poſtulavit hunc libellum liberationis, & deſcripſimus, & ſignavimus, eique dedimus, ut eo fruatur juxta inſtitutum Moſis & Iſrael.

N. filius N. teſtis.
N. filius N. teſtis.

Etiam in venditione & emtione extrahebatur calceus, Elias Levita in Thisbite ad vocem קנה. Rabbini dicunt, acceptio poſſeſſionis; item poſſeſſio pallii; ſic vocant conſuetudinem quæ ſucceſſit in locum ejus, quæ olim in Iſrael erat, de qua mentio fit Ruth 4. Hæc autem conſuetudo olim erat in Iſrael in commutatione propinquitatis, cum roborare quis vellet negotium, extrahebat calceamentum ſuum; ea eſt apud nos hodie, quod dum emimus, vel contrahimus aliquid, adhibemus in hunc uſum veſtem, quam כודר appellant. Hanc apprehendunt duo teſtes, & diſerte explicant coram his, qui contrahunt, verba conditionis eorum, quorum teſtium quiſque expandit oram veſtimenti ſui, & qui recipiunt, ſe confirmaturos quamlibet rem, attingunt oras veſtimentorum illorum, & hoc ipſum vocatur קנין סודר, *quaſi dicas*; emtio, acquiſitio, poſſeſſio per ſudar. *Abarbanel in Deut.* 25. Exiſtimarunt quidam hiſtoriam nuptiarum Boazi & Ruthæ quoque fuiſſe ex vi juris leviratus, & detractionem calcei, quæ illic legitur, fuiſſe illam ipſam החל יצה exutionem calcei, de qua Lex in hac lege præcipit; adeoque hinc etiam docuerunt, filium primogenitum, quem pareret fratria, non vocatum fuiſſe nomine defuncti, ſicut nimirum filius, quem Rutha Boazo, non vocatus fuit Maklon, ſed Obed. Sed hæc revera ſententia pernicioſa eſt, & erronea; nam Maklon non fuit frater Boazi, ut obligatus fuiſſet ducere fratris ſui defuncti uxorem. Et quamvis ad ſeniores, qui in porta erant, dixerit; *partem agri fratris noſtri, Elimelech vendet Noem, quæ reverſa eſt de regione Moabitide* (*Ruth.* 4. 3.) non alia de cauſa vocat eum fratrem, niſi quia fuit de familia ipſius, non vero quod frater ejus germanus, & verus fuerit. Nam Scriptura dicit diſerte. *Erat autem Viro Elimelech conſanguineus, homo potens, & magnarum opum nomine Boaz* (*Ibid.* 2. 1.) Quin & ipſamet dicit (verſ. 20.) *propinquus noſter eſt homo*, non vero dicit quod frater Elimelechi, multo minus Maklonis fuerit, & licet fuiſſet frater Elimelechi, ſicut dicit ſupra, tamen non obligatus fuiſſet ducere Rutham uxorem Maklonis filii Elimelechi. Quin & detractio illa calcei non eſt detractio illa, cujus Lex in hoc loco Deuteronomii meminit; nam Ruth non venit ad Seniores in portam ad exuendum calceum de pede vindicis aut leviri, hoc autem ipſi facere omnino incubuiſſet, & dicere; *Non vult leviratus jure ducere me, & inſpuere in faciem ipſius, ac dicere, ſic fiet viro &c.* eorum vero nihil commemoratur in hiſtoria Boaz. Inſuper vera extat traditio, ſi duo fratres fuerint defuncto, & primogenitus illorum noluerit uxorem viduam ducere, minor natu non potuerit id facere. Itaque ſi vindex ille, cujus meminit Boaz, fuit vindex propinquior, de jure non potuit Boaz leviri jus præſtare, quia non ita propinquus fuit. Hæc omnia docent, nullum hic fuiſſe leviratus jus vel officium. *Agitur hic dumtaxat de contractu emtionis, & venditionis. Salomon Jarchi ad Ruth* 3. 9. *notavit hæc ex lege dici, quæ in Levitico, eſt, & veniat Redemtor ejus, qui propinquus ei, & redimat* (*ſic Hebræus.*) Nam ſocrui meæ, & mihi neceſſe eſt, ut vendamus hæreditatem noſtram, & nunc cum acquires, acquire etiam me cum ea, ut in memoria habeatur nomen defuncti propter hæreditatem ejus, ut cum veniam in agrum, dicant, hæc uxor Maklonis.

[81] *Solo polluebantur &c. Maimonides de luctu cap.* III. 8. 9. Sacerdos ſi in itinere invenerit mortuum præcepti, pollui poteſt, etiamſi eſſet Sacerdos magnus pollui debet, & eum inhumare; qualiſnam vocatur mortuus præcepti? Iſraelita, qui in via projectus eſſet, & nemo eſt, qui eum ſepeliat; & hoc traditione habetur. In quo caſu hoc intelligitur? Quando Sacerdos eſſet ſolus, & nemo ſit ſecum, & etiam, quando clamaſſet in via, & nemo ſit qui reſpondeat, ſed b clamans alios reſpondentes audiat, hic non eſt mortuus præcepti, & pergat; & vocabit alios, ut venientes illi (*ſepeliendo*) ſuam operam conferant. Si eſſent in itinere Sacerdos & Naziræus, & invenirent mortuum præcepti, illi ſuam operam conferet Naziræus, quia ejus ſanctitas non eſt perpetua, nec debet Sacerdos vel privatus illi ſuam operam conferre; ſi eſſent Summus Sacerdos, & Sacerdos vulgaris, pollui debet vulgaris, qui ſocium dignitate antecellit, ſerius pollui debet; ſi Vicarius, & Sacerdos in belli munia unctus invenirent mortuum præcepti, pollui debet Sacerdos in belli munia unctus, & non polluetur Vicarius: *Etiam apud Romanos Pontifices maximi, quibus cadaver videre neſas eſſet, ſi mortuum inſepultum offendiſſent, inhumare debebant. Servius ad Æneid.* VI. v. 176. Qui enim de pietatis generibus ſcripſerunt, primum locum in ſepoltura eſſe voluerunt. Unde cum Pontificibus neſas eſſet cadaver videre, tamen magis neſas fuerat, ſi viſum inſepultum relinquerent. Genus autem fuerat ſepulturæ injectio pulveris.

[82] *Uti reliqui* &c. Maimonides Ebel cap. II. Hi ſunt, quos homo tenetur lugere ex Legis præcepto, mater, & pater, filius, & filia, & frater, & ſoror germani, & ſapientum decreto, maritus tenetur lugerem uxorem, quam in matrimonium duxerit; & pariter uxor maritum lugebit; lugebitque fratrem & ſororem uterinos. Etiam ſacerdos, qui non polluitur fratre, & ſorore uterinis, & ſorore vel germana, quæ nupta eſſet, hos (*quos ſupra commemoravimus*) lugere tenetur. *Et nonnullis interjectis*. Quam grave eſt præceptum luctus! Sacerdos enim nullam immunditiei rationem habebat pro ſuis propinquis, ut eos lugeret, juxta verſiculum qui dicit; *niſi tantum in conſanguineis, ac propinquis, ideſt ſuper matre &c.* ob præceptum affirmativum polluetur; quod ſi contaminari nollet, cogebatur, ut ſe pollueret. Hoc vero præceptum reſpicit mares, qui de immunditia monebantur, ſed ſacerdotes fœminæ, quoniam de immunditie non admonentur, idcirco non jubentur ſe contaminare pro conſanguineis; ſed ſi libuerit, polluentur, ſin minus, non contaminantur. Uxor Sacerdotis vel invita pro eo ſe polluet, at ille pro ipſa non polluitur, niſi ex decreto ſapientum, quod eam reputant uti mortuum præcepti, cum hæredes nullos præter ipſum habeat; ea de cauſa nemo reperiretur, qui ei juſta faceret; ſed non polluitur niſi pro nupta, ſed pro deſponſata ſe contaminare non debet. Et pariter Sacerdos non polluetur ſuper iis, de quibus dixerunt, quod non ſint lugendi, nempe ſuper morte multatis a Synhedrio, neque ſuper iis, qui ab inſtitutis congregationis ſe ſegregarunt, neque ſuper abortibus, neque ſuper eo, qui prudens ſibi mortem conſciverit. Quouſque jubetur ſe polluere? uſquedum claudatur ſepulchrum; ſed poſtquam clauſum fuerit ſepulchrum, ſunt ſicut cæteri mortui, ſuper quibus ſi ſacerdos polluatur, 40. plagis vapulat. Non polluetur ſuper uxore ſibi interdicta. Hac de cauſa, ſi cui (*mulieri*) nunciatum eſſet, ſibi maritum mortuum eſſe, atque iterum nupſiſſet, poſtea venit primus maritus, ex his maritis nemo ſuper ea polluetur, quia utrique interdicta eſt; ſed ſuper matre quamvis ſpuria immundabitur, & pariter polluetur ſuper filio, & filia, & fratre, & ſorore quamvis interdictis, quamvis ſpuriis, ſuper iis ſe polluet. Super ſorore nupta non polluitur, quamvis alteri ſacerdoti nupta ſit, juxta verſiculum, *& ſorore virgine, quæ non eſt nupta viro. Ibid. verſ.* 3. Virgo excludit, vi compreſſam, & ſeductam; crederem, quod excludenda foret etiam majorennis, & ligno vulnerata; ideo

dicit,

dicit, *quæ non est nupta viro*, excludit desponsatam, super qua non polluitur, quamvis cum Sacerdote desponsata fuerit. Si soror desponsata divortium habuisset, super illa polluitur, juxta id quod dictum est, *ac propinquis suis*; ut includeret eam, quæ divortium habuerit, postquam esset desponsata. Super fratre, & sorore uterinis non polluitur, juxta versiculum, *& filio, & filia, fratre quoque & sorore*, sicuti filius, qui possit ejus esse hæres, etiam frater, & soror, qui ejus hæreditatem consequi possint &c. *& ibidem cap. III.* omnis sacerdos, qui super mortuo polluitur, exceptis sex mortuis a Lege præscriptis, aut ejus uxore, coram testibus, qui eum præmonuerint, flagellationis reus est, juxta præceptum; *ne contaminetur Sacerdos in mortibus civium suorum. Levit.* 21. 1.

[83] *Pontifex &c. Tosaphta Sevachim cap. XI.* 3. Summus Sacerdos offerebat lugens sacrificium primo die, & non edebat: verba R. Meir, R. Jehuda dicit toto eo die; R. Simeon dicit, perficiebat sacrificium, quod offerebat, & abibat; sed Sacerdos privatus, dum operaretur, si de interitu alicujus mortui certior esset factus, non perficiebat sacrificium, quod offerebat, & abibat, idcirco si sanguinem aspersisset, aut si suffitum adolevisset, quæcumque operatio, quam fecisset, reproba erat. *Maimonides de ratione adeundi Templi cap. II.* 5. Quid est igitur, quod Sacerdos magnus hac de re denuo moveatur? Id est scilicet; Sacerdoti privato in templo operanti, si quando afferretur nuntius de morte hominis ejus, quem ipse lugere jussus esset, si non e templo liceret erumpere, at sacrificium certe huic, qui lugens evasisset, Sacerdoti perficiendum non erat; talis enim Sacerdos si sacrificium privatum publicumque faceret tum cum ex lege lugeret, id temeraret scilicet; non est ita de Sacerdote magno, qui quantumvis lugens evasisset, nihilosecius sacrificium inchoatum efficiebat, quando scriptum legimus; *Non egredietur de sanctis ne polluat* (*Levit.* XXI. 12.) Cui sanctioni hæc est subjecta vis, ut Sacerdos magnus qui lugens evaderet, sacrificium, quod fecerat, pergeret facere, & nihilo magis temeraret. *Et nonnullis interjectis*. Sacerdoti magno si licebat operari tum cum in luctum incidisset, at certe ne sacris vesceretur interdictum erat. Aaronem enim in luctu suo ita loquentem facit lex. *Si comedissem hostiam pro peccato hodie, an placuisset Deo?* (*Ibid.* X. 19.) Nec cum cæteris Sacerdotibus partiebatur sacra ut his sub vesperam vesceretur. Cum vero Sacerdos in luctu fecisset, tamen verberibus non multaretur &c. Jam vocabulo lugentis appellatur is, cui mortuus est aliquis e suis, quem eumdem lugere jussus sit. Atque e lege quidem die ipso, quo tuorum aliquis mortem opetiit, verum instituto sapientum & in sequenti nocte. *Tosaphta Horajoth cap.* II. Et etiam lugens sacrificium offerebat, sed non edebat.

[84] *Præterea. Misna Sanhedrin cap.* II. Quod si quem propinquorum morte amiserit, non incedit post feretrum, nisi ita, ut istis tectis, ipse detectus sit; istis retectis, tegatur, proditque una cum illis usque ad portam urbis, ait R. Meyr. R. Judas, non egreditur e Sanctuario. Q. D. Lev. XXI. 12. *Non egredietur de Sanctis*; Quando solatur alios, istud observatur, ut populus sigillatim incedat, tum præfectus medium eum facit inter se & populum. Quum ipse consolationem accipit ab aliis, omnis populus dicit; *Nos tibi piamento*. Is ipsis respondet; *Benedicti sitis cælitus*. Quando ipsi epulum lugubre præbetur, toto populo humo accumbente, ipse sedet in solio. *Maimonides de vasis sanctuarii cap. V.* 5. Si quis ipsi mortuus esset, non veniebat in funus, nec e domo sua vel e Sanctuario prodibat; verum omnes ad eum consolandum adibant, ipse consistebat ordine & loco suo, vicarius ad dextram ejus erat, & antistes familiæ sacra administrantis, atque universa plebs ad sinistram. Astantes igitur ei dicebant, *Nos tua simus expiatio*, quibus ille; *propitium cœlum vobis esse jubeo*. *Vide Tosaphta Sanhedrin cap.* IV. 2. 3.

[85] *Nec vestes &c. Maimonides ibidem*. Vestes suas non ita ut cæteri Sacerdotes super mortuo suo lacerabat, quod a lege dicitur, *vestimenta sua non scindet* (*Levit.* XXI. 10.) &c. At enim ut vestimentorum inferiora exadversum pedes dilaceraret, permissum erat. *Tosaphta Horajoth cap. II.* Sed non lacerabat e parte inferiori, dum e superiori parte Sacerdotes vulgares lacerabant.

[86] *Nec capite incomto &c. Maimonides ibidem*. Nunquam multam nutriebat comam, quoniam a lege dicitur, *caput suum non discooperiet* (Ibid.) sed eam tondebat singulis Sabbati vigiliis. Jam ad tondendum utebatur non novacula, sed forfice. Jam unius pili extremum sic erat in radice alterius repositum, ut simul una crevisse viderentur. Huc enim spectat vatis illud; *caput suum non radent, neque comam nutrient; sed tondentes tondebunt capita sua* (*Ezech.*) *IV.* 20. *Tosaphta Horajoth cap.* II. non nutriebat comam.

[87] *Offerebantur &c. Maimonides de sacrificiis Jugibus &c. cap.* III. 18. Præceptum est jubens ut diebus singulis summi Sacerdotis offerantur crustula, dimidium mane cum sacrificio jugi matutino, & dimidium vesperi cum sacrificio jugi vespertino.

[88] 12 *Crustula &c. Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap.* XIII. 2. Summi igitur Sacerdotis crustula ad hunc parabantur modum; ferebatur similæ decima integra, ac consecrabatur, & postea demum dividebatur dimidia illa decima, quæ in templo erat. Porro ad eam adhibebant tres olei logos, nam quod est in lege, *oleo conspergetur* (*Levit.* II. 7.) hujus est ea vis, ut huic adhibeatur olei tantum, quantum adhibendum libaminibus agni, tum imbuta oleo similago fervida perfundebatur aqua, & pinsebatur, atque efficiebantur placentæ sex ex unaquaque media decima, atque ideo fiebant omnino placentæ duodecim. Jam placentarum unaquæque seorsim fiebat, nempe Sanctuarii quartarius adhibebatur ad dividendos tres illos olei logos, ex quibus in singulas placentas singuli quartarii distribuebantur. Ac primum quidem placenta in furno coquebatur, tum frigebatur in sartagine cum eo quod ex ejus quartario olei supererat. Nec vero valde coquebatur, nam quod in lege adjungitur *coctiones* (Ibid. VI. 21.) id significat medium quiddam inter coctum & crudum. Posthæc per conjecturam in duas unaquæque placenta dividebatur partes, quarum una mane sacrificabatur & altera vesperi. Porro autem unaquæque pars complicata duplicabatur atque in frusta discindebatur sic, ut unumquodque frustum complicatum esset, atque geminatum. Ac dimidium eorum mane sacrificabatur cum dimidio pugillo thuris, & dimidium residuum vesperi cum dimidio pugillo thuris.

[89] *Si Pontifex &c. Tosaphta Menachoth cap.* VII. 9. Sacerdos (*magnus*) qui dimidium mane obtulisset, & mortuus esset, & in ejus locum alium Sacerdotem substituissent, non adducet dimidium decimæ a domo sua, nec dimidium decimæ prioris, sed decimam integram adducet, eamque dividet, & dimidium offeret, & alterius dimidii mutetur forma, & exportetur in locum combustionis. Sacerdos, qui dimidium mane obtulisset, & alterum dimidium inquinatum esset, decimam integram adducet, & dimidium offeret, & alterum dimidium relinquetur, interea dum species ejus mutetur, & exportabitur in locum combustionis. *Vide Codicem Menachoth cap.* IV. 5. *& Maimonidem de sacrificiis jugibus cap.* III. 20. 21. *&c.*

[90] *Nec dum alius &c. Tosaphta Menachoth ibidem*. Nisi elegissent alium Sacerdotem, undenam offerebantur? R. Simeon dicit e bonis Ecclesiæ juxta versiculum qui dicit חק עולם כליל תקטר (*Levit.* VI. 15.) R. Jehuda dicit e bonis ejus hæredum juxta versiculum qui dicit; מבניו יעשה אותה; (Levit. ibid.) & integra offerebatur tam mane quam vesperi, juxta versiculum qui dicit, יעשה אותה. (Levit. ibid.) *Vide ibidem codicem Menachoth & Maimonidem*.

[91] *Quod si vellet &c. Joma cap. I.* 2. Quia Sacerdos magnus primus partem offerebat, primusque partem capiebat. *Babyl. Joma fol.* 17. Tradunt Magistri, quo sensu (*Sacerdos magnus*) dicitur primas habuisse partes in oblatione? dicere potuit, hocce holocaustum ego faciam, aut fertum istud ego offeram. *Vide Maimonidem de vasis sanctuarii cap. V.* 12. *Et ejus commentarium in cap. I. 2. Joma.*

[92] *Ita ut in sancto &c. Maimonides ibid. cap. ultimo*. Quomodo consulunt ea? Sacerdos stat facie sua adversus Arcam conversa, & consulens retro illum, facie ad tergum Sacerdotis obversa, rogatque (*consulens*) *ascendam ne aut non ascendam?* Non quærit voce alta, neque cogitando dumtaxat in mente, sed voce submissa ad instar ejus, qui solus orat. *In Jalckuth fol.* 248. *col.* 1. Quomodo interrogant per Urim & Thummim? Consulens faciem suam dirigit versus interrogatum, & hic faciem suam versus majestatem di-

divinam (*ad Arcam*) quod dicitur Num. XXVII. 21. ושאל לו; an intelligere debeo illum debere ipsum privatim interrogare? nequaquam quia additur במשפט האורים; an voce magna & alta? nequaquam, dicitur ושאל לו. Quomodo? Stando sc. & loquendo labiis suis, & sacerdos respondebit ei ad petitiones ejus; Itaque interrogandus est voce sicut dicitur ושאל לו; sc. non meditando in corde suo sicut dicitur, *coram Domino*, sed eo modo quo olim Hanna loquuta est in precatione sua, de qua dicitur. *Porro Hanna loquebatur in corde suo*. (1. Reg. 1. 13.)

93 *Interventu Pontificis &c. Gemara Joma cap.* 7. Per nullum Sacerdotem consulunt ea, qui non loquitur per spiritum sanctum, & super quo præsentia divina non habitet. Nam ecce de Tzadoko legimus, quod interrogaverit & responsum acceperit de Abiathare quod non acceperit, sicut dicitur. *Et ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus, qui egressus fuerat de civitate &c.* (2. *Reg. XV.* 24.) *Ad hunc locum legitur in Seder Olam* cap. XIV. Cum fugeret David a facie Absalomi filii sui, Abiathar fungebatur sacerdotio, usque dum ascenderet in montem olearum, & interrogasset per Urim & Thummim, & remotus fuit Abiathar de Sacerdotio summo, suffectusque est in locum ejus Tzadok: *Vide ad hunc locum commentatores Hebræos. R. Levi ben Gerson*: Quia totum hoc inserviebat ad excitandam Prophetiam, idcirco non consulebantur Urim & Thummim, nisi per Sacerdotem, super quo Spiritus Sanctus habitat.

94 *Alta voce &c. Hierosl. Joma cap.* 7. Sunt quidam Doctores, qui tradunt illum audivisse vocem, *sicut nempe de Mose dicitur* Num. VII. 89. *audiebat vocem.*

95 *Alii perceptum &c. In Jalkuth ex libro Siphræ.* Quomodo faciebant? Rabbi Jochanan dixit; prominebant literæ. Resch Lakisch dixit; conjungebantur, & confluebant. Atqui *Tzade* non aderat; Propterea R. Schemuel filius R. Isaac dixit; ascripta etiam erant nomina Abraham, Issac, & Jacob (*& sic in nomine* יצחק *aderat Tzades*) Atqui sic nondum aderat Teth; Raf Acha filius Jacob dixit, scriptum etiam illic erat insuper שבטי שורון. *Nachmanides in leg. fol.* 70. *col.* 3. Urim & Thummin fuerunt nomina sancta, quorum virtute lucem literæ emittebant e lapidibus Pectoralis in oculos sacerdotis interrogantis de judicio illorum; e. g. cum interrogabant; *Quis ascendet nobis primus contra Chananæum ad pugnandum?* Tum Sacerdos animo suo intendebat ad nomina, quæ vocabantur Urim, & luxerunt in oculis ejus literæ nominis יהודה *Jehudah*, deinde eluxit *Jod* ex לוי, *Ajin* ex שמעון; Lamed iterum ex לוי, He ex אברהם, cujus nomen etiam ibi scriptum erat ex sententia Rabbinorum nostrorum, vel ex nomine יהודה. Literis vero ipsis sic elucentibus, nondum scivit ordinem & collocationem istarum, nam ex literis יהודה יעלה aliæ quoque confici possent voces, veluti הוי הר עליה, vel הי על יהודה, & aliæ plures. Ideo fuerunt illic alia nomina sancta, quæ vocabantur Thummim, quorum virtute animus sacerdotis perficiebatur, ut sciret sensum literarum illarum, quæ emicuerunt in oculos ejus. Cum enim mente sua intentus fuit in nomina Urim, & per illa lux ei affulsit, statim animo suo se convertebat ad nomina Thummim, dum adhuc literæ illæ lucerent, & in mentem illi venit illas ita conjungendas יהודה יעלה *Jehuda ascendet*. Et hic fuit gradus aliquis Spiritus Sancti inferior Prophetia, superior autem filia vocis, qua utebantur sub templo secundo, posteaquam, Prophetia, & Urim & Thummim desiissent: *Vide Zoahar in Exod. fol.* 105. *col.* 4. *R. Bechai ad Deuter. XXXIII.* 8. *Et in Legem* 106. *col.* 2. *&* 183. *col.* 1. *R. Lev. ben Gerson, R. Abraham Seba in Tzeror hammor. Abarbanel paulo aliter, quam superiores, sentit.* Rectius autem est in oculis meis, ut dicatur, literas omnes non simul confuse luxisse, ita ut dubius manserit sacerdos de dispositione & combinatione illarum, sed rem ita gestam fuisse; Cum e. g. interrogatio fuit; *Quis e nobis ascendet primo?* Sacerdos intuebatur יהודה *Jehudah*; hoc ergo animo suo concepit, & dixit Jehuda; quia illud jam perfecerat significationem suam, sed de novo lucere vidit literam Jod ex Levi, vel ex alio aliquo nomine, nec ullam aliam cum ea; *unde dixit apud se*; ecce habemus *Jehudah* & literam *Jod*, & simul cessavit lucere *Jod*; itaque iterum intuitus vidit lucere literam *Ajin* ex nomine שמעון *Simeonis* in oculos suos, quam in mente sua conjunxit cum *Jod*, & cessavit ejus lux; mox denuo intuitus literas conspexit lucere *Lamed* ex nomine Zebulon, quam conjunxit apud sese cum *Jod* & *Ajin*, quæ jam ante luxerant, & hoc facto etiam cessavit lucere *Lamed*; ulterius inspiciens ecce vidit lucere *He* ante ex nomine יהודה Jehudah & quidem solum, conjunxitque illud cum reliquis literis, quas jam collegerat, & sic perfectum fuit responsum. Videns itaque Sacerdos nullam aliam literam lucere, reddidit consulenti responsum יהודה יעלה *Jehudah ascendet*. Et hoc modo necesse fuit ordinatum & intelligibile prodire responsum. Totum autem negotium perficiebatur per lucem literarum in oculos Sacerdotis effulgentem. Atque hinc etiam vocabantur Urim, hoc est *Luces*, Tummim autem dicebantur respectu veritatis, & certitudinis responsi illorum: *Hæc explicatio omnium verosimillima mihi videtur.*

96 *Stante Templo. Gemara Sotah fol.* 48. Ex quo vastata est domus Sanctuarii primi cessarunt civitates refugii, Urim & Thummim. *Joseph. Aben Jechija ad Esræ* 2. 63. *Donec exsurgat Sacerdos, qui habeat Urim & Thummim:* quod erit tempore futuro (*Messiæ*) nam sub templo secundo non fuerunt Urim & Thummim: *Alii dicunt fuisse, sed non fuisse consulta. Maimonides de vasis Sanctuarii cap. X.* Fecerunt sub domo secunda Urim & Thummim, etiamsi ea non responderent: *Gemara Joma*. Urim & Thummim habuerunt; nam alioqui Sacerdos magnus non omnes vestes sacras habuisset, sed non respondebant iis, qui ea consulebant: *Alii vero per aliquod tempus Urim & Thummim fuisse sub Templo secundo contendunt. R. Asarias in Meor Enajim cap.* 50. *fol.* 157. *col.* 2. Quod tempore templi secundi, *idest aliquo tempore a principio ejus Urim & Thummim responderint* consulentibus ea *sicut prius*; prout etiam ignis sacer aliquandiu sub eo durarit, donec paulatim propter peccata ipsorum res istæ sanctæ diminuerentur, & evanescerent: *& cap.* 51. *fol.* 164. *col.* 1. Effloruit hæresis Sadducæorum, sicut tradunt Rabbini nostri, & huc quoque pertinent ea, quæ de miraculis quibusdam scribunt cessantibus sub domo secunda post mortem Simeonis Justi, in Joma cap. IV. Ut proinde possimus dicere, quod etiam Rabbini nostri, quando de illorum defectu sub templo secundo loquuntur, non simpliciter sed secundum quid intellexerint, & nisi obstaret, quod in Gemara Hierosol. tractatu Kidduschin ad Esr. 2. 63. *Donec exsurgat Sacerdos cum Urim & Thummim*. Num ergo fuerunt Urim & Thummim sub templo secundo? Dicerem, quod ab initio ejus exstructi, dum adhuc Spiritus Dei miraculose se exeruit in populo nostro, ut exemplis Haggæi, Zachariæ, & Malachiæ Prophetarum liquet, fecerint sine omni dubio Urim & Thummim secundum omnia requisita eorum, quod item illa consulta, responsa ediderint, sicut temporibus prioribus; Hic enim est sensus ejus, quod dicitur, *Donec exsurgat Sacerdos cum Urim & Thummim*; & quod Rabbinorum nostrorum de defectu illorum loquentium mens non fuerit, nisi de certo tempore: *Cum quo convenit, quod legitur in Josepho Antiquit lib. III. cap.* 9. Desiit autem tam Osen (*pectorale*) quam Sardonyx (*superhumeralis*) fulgorem emittere annis ducentis antequam hæc commentaremur, irato Deo propter legum suarum violationem, de quo alias opportunius dicetur. *Vide supra laudatam dissertationem de Urim & Thummin clar. Buxtorfii. Cessare profecto debuerant Urim & Thummim, quum in Templo secundo venturus erat Jesus Christus lux vera quæ illuminat omnem hominem &c. Vide etiam Sotah. cap. IX.* 12.

97 *Unus tantum &c. Maimonides de apparatu Templi cap.* IV. 15. Et summi Sacerdotes duo simul non fiebant. Hierosol. Sanhedrin fol. 29. 1. Non præficiunt duos summos Pontifices simul.

98 *Verum si &c. Tosaphta Joma cap.* 1. 4. Qua de causa separabatur alius Sacerdos in ejus locum? quia si forte temeraretur, ejus loco ministrabat, & summus Sacerdos redibat ad Sacerdotium magnum, & hic, qui ejus loco ministrabat, cunctis præceptis (*Sacerdotis*) summi tenetur; verba R. Meyr; R. Jose dicit, quamvis dixerunt eum cunctis præceptis summi Sacerdotis teneri, non est idoneus (qui ministret) nec pro Sacerdote summo, nec pro Sacerdote idiota. *Vide quæ ad hunc locum adnotavimus.*

99 *Duos*

[99] *Duos filios Camchiti &c. Tosaphta Joma cap.* III. 22. Narratur historia de Simeone filio Kamith, qui egressus est, ut vesperi cum Rege colloqueretur, & sputum in vestes ejus decidit. Ingressus est ejus frater, & functus est Sacerdotio magno ejus loco; sic eorum Mater vidit duos summos Sacerdotes eodem die: Et in *Vajicra Rabba hæc mulier septem filios summos Pontifices vidisse dicitur fol.* 188. Kamitha habuit septem filios, qui functi sunt officio summi Pontificatus; quærunt ab ea unde hoc tibi honoris? Respondit illa; signa Domus meæ nunquam viderunt capillos capitis mei.

CAPUT SECUNDUM.

De successione Pontificum.

§. I. Pontifices qui ex Eleazaridis qui ex Ithamaridis.

I. Postquam sacerdotium solis posteris Aaronis tributum est, Aaron quidem primus Pontifex maximus constitutus est: post cujus mortem cum soli Eleazar & Ithamar filii ejus superessent, Eleazar natu maximus patri successit, Eleazari filius Phineas, atque ita porro, ut in familia Eleazaris Pontificatus permanserit, usque dum in Eli ad familiam Ithamaris transferretur, a qua in Zadoko ad Eleazaridas rediit, & apud hos fuit usque ad exilium Babylonicum.

§. II. Index Pontificū ab Aarone usque ad exilium Babyl.

II. Hæc autem series est Pontificum, qui hoc munere functi sunt ab Aarone usque ad exilium Babylonicum, secundum Hebræorum traditionem, in *Seder olam*.

Aaron.
Eleazar.
Phineas.
Abishua.
Bukki.
Ozi.
Eli.
Achitob.
Achias.
Achimelech.
Abjathar.
Zadok.
Abimaas.
Azarja.
Joas.
Jojarib.
Josaphat.
Jojada.
Phadea.
Zedekia.
Joel.
Jotham.
Uria.
Neria.
Oshaja.
Sallum.
Chilkia.
Azaria.
Saraja.
Josedek, abductus in Babyloniam, 1. *Ch.* 6. 15.

Series a Josepho tradita non multum ab hac recedit. Verum si, quod ille & Talmudici tradunt, filii parentibus semper successerint, plane alius index Pontificum conficiendus esset ex 1. *Chron.* 6. 3. 15. ubi genus Josedeki ab Aarone deducitur, & conferendum caput septimum *Ezræ comm.* 1. *&* *seqq.*

§ III. Index Pontificum stante Templo II.

III. Postquam vero reducti sunt de exilio Babylonico Judæi, [1] Josua filius Josedeki Pontifex maximus creatus est, cui alii successerunt hoc ordine, uti ex scriptis Josephi colligitur, quæ hac parte videntur aliis præferenda.

Ἰησοῦς υἱὸς Ἰωσεδέκου, τοῦ Ἀρχιερέως.
Ἰωάκειμος παῖς Ἰησοῦ.
Ἐλεάσιβος παῖς Ἰωακείμ.
Ἰούδας παῖς Ἐλεασίβου.
Ἰωάννης παῖς Ἰούδα.
Ἰαδδοῦς παῖς Ἰωάννου.
Ὀνίας παῖς Ἰαδδοῦ.
Σίμων ὁ καὶ δίκαιος ἐπικληθεὶς, παῖς Ὀνίου.
Ἐλεάζαρος, ἀδελφὸς Ὀνίου.
Μανάσσης ὁ θεῖος Ἐλεαζάρου.
Ὀνίας, υἱὸς Σίμωνος τοῦ δικαίου κληθέντος.
Σίμων παῖς Ὀνίου.
Ὀνίας παῖς Σίμωνος.
Ἰησοῦς ἀδελφὸς Ὀνίου.
Ὀνίας, ὁ καὶ ἐκλήθη Μενέλαος.
Ἄλκιμος ὁ καὶ Ἰάκειμος κληθείς.

Ἰου-

Ἰούδας ὁ Μακκαβαῖος.
Ἰωνάθης ἀδελφὸς Ἰούδα.
Σίμων, ἀδελφὸς Ἰωνάθου.
Ὑρκανὸς υἱὸς Σίμωνος.
Ἀριστόβουλος υἱὸς Ὑρκανοῦ.
Ἀλέξανδρος Ἰανναῖος, ἀδελφὸς Ἀριστοβούλου.
Ὑρκανὸς υἱὸς Ἀλεξάνδρου.
Ἀριστόβουλος ἀδελφὸς Ὑρκανοῦ.
Ὑρκανὸς, ὁ τοῦ Ἀλεξάνδρου, πάλιν ἀρχιερεύς.
Ἀντίγονος υἱὸς Ἀριστοβούλου.
Ἀνάνηλος.
Ἀριστόβουλος.
Ἀνάνηλος πάλιν ἀρχιερεύς.
Ἰησοῦς ὁ τοῦ Φάβητος.
Σίμων υἱὸς Βοηθοῦ
Ματθίας ὁ Θεοφίλου.
Ἰωάζαρος υἱὸς Βοηθοῦ.
Ἐλεάζαρος υἱὸς Βοηθοῦ.
Ἰησοῦς παῖς τοῦ Σιέ.
Ἰωάζαρος πάλιν ἀρχιερεύς.
Ἄνανος υἱὸς τοῦ Σέθ. Hic est Annas memoratus in Evangeliis.
Ἰσμάηλος παῖς τοῦ Φαβί.
Ἐλεάζαρος υἱὸς Ἀνάνου.
Σίμων παῖς Καμίθου.
Ἰώσηπος ὁ Καϊάφας. Hic est Cajaphas, sub quo Christus passus est.
Ἰωνάθης υἱὸς Ἀνάνου.
Θεόφιλος ἀδελφὸς Ἰωνάθου.
Σίμων ὁ Βοηθοῦ ᾧ Κανθήρας ἐπίκλησις ἦν.
Ματθίας υἱὸς Ἀνάνου, ἀδελφὸς Ἰωνάθου.
Ἀλιωναῖος παῖς τοῦ Κιθαίου.
Κανθήρα πάλιν ἀρχιερεύς.
Ἰώσηπος ὁ τοῦ Κανεῖ, ἢ Καμύδου.
Ἀνανίας ὁ Νεβεδαίου.
Ἰωνάθης.
Ἰσμάηλος παῖς Φαβεῖ.
Ἰώσηπος ἐπικαλούμενος Καβεῖ.
Ἄνανος υἱὸς Ἀνάνου. Hic Jacobum Apostolum securi percussit.
Ἰησοῦς ὁ τοῦ Δαμνέου.
Ἰησοῦς ὁ τοῦ Γαμαλιήλ.
Ματθίας ὁ Θεοφίλου.
Φαννίας υἱὸς Σαμουήλου.

§. IV. Ex Nicephoro.

IV. Nicephorus autem Archiepiscopus Constantinopolitanus ita fere eos recenset in *Chronograph. compend. pag.* 407. atque ita fere Chronicon Paschale, quod vulgo Alexandrinum dicitur, *pag.* 188. & 208. in quo usque ad Johannem Hyrcanum conveniunt omnino cum Josepho: sed postea hic illic aberrant; verum ex Josepho facile restituendi sunt tum ipsorum auctorum, errores tum librariorum, uti quando Pontifex Ὠσηέ recensetur post Ἰησοῦν quum legi debeat ὁ Σιέ, *filius Sie*, & referri ad Jesum.

§. V. De Pontificibus in Talmude memoratis.

V. Verum in Talmude Pontificum quorundam mentio fit, quos frustra in Indice Josephi & Nicephori quæras. Quapropter scriptores Hebræi vulgo aliam seriem Pontificum stante Templo II. exhibere solent, quæ desumta est ex שערי ציון R. Isaaci de Lattes. Nec tamen Pontifices maximi, quos vixisse constat stante templo secundo, & quorum Talmud ipsum meminit, in hoc indice omnes recensentur. Speciminis loco sit יוחנן בן נרבאי de quo legitur in *Gem. Kerituth.* 100. 2. nunquam in atrio ex cibis sacris quidpiam superfuisse dum ille viveret. Hic videtur idem esse atque ille qui Josepho Ἀνανίας ὁ Νεβεδαίου dicitur. In *cap.* 1. *Joma* dicitur [2] Eleazar fil. Charsum, unus ex Tannaim, annos undecim fuisse Pontificatu functus. [3] Ben Catin, qui in *Joma* 111. 10. traditur 12. epistomia labro fecisse, etiam Pont. max. appellatur. Sic פניאל dicitur in *Gem. Gittin.* 58. Pontifex max. fuisse. Sed in hoc indice Pabi filius Phanielis agricolæ antepenultimus Pontificum fuisse legitur; Paniel ipse non memoratur. Sic [4] שמעי *Simei* filius Simeonis & frater Oniæ, qui in Ægypto celebre fanum erexit, templi Hierosolymitani æmulum, pontifex m. fuit, isque commemoratur in *Gem. Menachoth.* 109. 2. Ejus mentio quoque non fit in hoc indice nisi sub שמעון (qui ab Ezra nonus est) lateat.

teat. Sunt enim qui Oniæ fratrem Simeonem nuncupent: atque ita in *Gem. Hier. Joma*. 43. 4. appellatur.

§. VI. Index Pontif. ex Isaaco de Lattes.

VI. Ecce tamen seriem Pontificum maximorum, uti illam Isaacus de Lattes exhibet, hoc ordine nomina, & aliquando genus, patriamve eorum recensens; quæ quia paucis exceptis nomina propria sunt, Latine repetere non est necesse.

עזרא
יהושע בן יהוצדק
יהויקים
אלישוב
יהוידע
ידוע
חנניא
מנשה
ואחיו הונא
שמעון
ישוע אחיו
חנניא בנו
ינאי
יששכר איש כפר
ברקאי
Memoratur in *Gem. Kerituth*. 100.
אלכסנדרוס
הורקנוס
אנטגנוס
אריסתובלוס
הורקנוס אחיו
בן יוחנן
בן חננאל
בן מתתיא
אלישוב
יהוסף
ענניה
יועזר
יוסף בנו
יחזקאל
ענן
יהושע בן גמלא
Jevamoth. VI. 4. *Gem. Jevamoth*. 61. 1. *Echa Raabati* 71. *Siphra*. *fol*. * 228. 2. hujus uxor erat Maria filia Baithos.
טבלוס בן הורקנוס
חננאל בן יונתן
יהודה בנו
ענני
אליעזר בנו
פאבי בן פניאל איש
שרה
אלישע

יוחנן בנו
שמעון יתיב מן
הגליל
חשמונאי
מתתיא בנו
יוחנן בנו
שמעון אחיו
יהודה אחיו
אלעזר אחיו
יונתן אחיו
יהודה בן שמעון
הורקנוס
אליהועני
שמעון הגדול
יוסף בנו
חנניא
ישוע
ישמעאל
שרוה
שמני בני קמחית
Gem. Joma. 47. 1. septem fuisse filii Camchith leguntur, atque ita in *Gem. Hier. Joma* 38. 4. & *Hier. Megilla*. 72. 1.
יונתן
היובלוס
חנמאל
מתתיה בן פנחס
ישמעאל
חנמאל המצרי
ישמעאל
שמעון
יוחנן
יחזקאל
פאבי
ישמעאל בנו
Gem. Hier. Joma. 40. 4.
טבאי
Videtur idem ac אלשמע בן פיכאי Pont. M. *Gem. Kerituth*. 100.
ישמעאל בנו הנהרג
על ידי טיטוס

§. VII. Stante Templo Secundo fuit minor dignitas M. P.

VII. [5] Non fuit eadem dignitas Pontificum maximorum stante templo II. quæ stante primo fuerat, præcipue circa ejus excidium & illa tempora, quibus Sospitator noster in his terris vixit. Tunc enim singulis fere annis contra Dei mandatum novi pontifices creabantur, & in adolescentes 16. & 17. annorum, hominesque rudes & imperitos, quos Judæi ipsi כנ' עם ארץ appellant, hoc munus conferebatur, quibus necesse habebant dicere, [6] *Lege tu ipse*, שמא שכחת או שמא לא למדת *forsitan oblitus es, aut forte nunquam didicisti*. *Joma*. 1. 3. quique δι᾽ ἀγροικίαν, *præ rusticitate*, nesciebant quid ipsum nomen pontificatus significaret, τί ποτ᾽ ἦν Ἀρχιερωσύνη, teste Josepho *l*. 4. 5. *de*

de Bell. Eligebantur quoque modis illicitis, vel ſortitione facta uti Phani filius Samuelis : vid. *Joſ. de Bell.* IV. 5. 7 vel a regibus, uti Jonathan ab Alexandro filio Antiochi Epiphanis, Hyrcanus a Regina Alexandra, Jaſon frater Oniæ ab Antiocho Epiphane, emto pontificatu & ſchola inſtituta ut populus formaretur ad mores Græcorum ; ſic ut ſacerdotes, neglecto templo & ſacrificiis, diſco & aliis ludis ſe oblectarent, juſſuque ipſius ſacra fierent Herculi Tyrio. 2. *Macc.* 4. 7. 19. 24. Judæi quidem ſcribunt poſt mortem pontificis maximi Iſmaelis filii Phabi, *decus & ſplendorem Sacerdotii*, זיו כהונה ἱερατικὴν τιμὴν) ceſſaſſe, uti eſt in *Sota* IX. 15. Verum jam antea pontificatus honorem inſigniter imminutum fuiſſe ſatis liquet: quum ex obſcuriſſimi generis hominibus atque indigniſſimis, & ſæpe iis qui ex familia pontificali non erant, eligerentur : quod exempla Alcimi, Ananelis, & aliorum ſub imperio Herodum oſtendunt. Nec Joſephus modo, ſed & Talmudici in *Gemara Joma* 9. 1. & 18. 1. & in *Hier. Joma* 38. 3. fatentur ſtante templo II. Pontifices max. fuiſſe [8] pecunia, & malis artibus, promotos, atque impios plurimos, quibus dies paucos Deus conceſſit, *Proverb.* 10. 27. [9] Sic ut annum non perduxerint ad finem, ſi Simeonem juſtum, qui 40., Johannem qui 80., Iſmaelem fil. Phabi qui 10. annos miniſtravit, & Eleazarem fil. Azariæ, (vel Charſum) qui 11. annos, excipias.

§. VIII. Quod ſignum erat Judæis adventus Meſſiæ.

VIII. Hoc ipſum pontificalis dignitatis decrementum ſtante templo ſecundo convenit cum illo ſtatu reipublicæ, quem fore ſub adventum Meſſiæ crediderunt Judæi veteres. [10] Illo enim tempore quo Meſſias filius Davidis veniret, frons ſæculi eſſet ſimilis fronti caninæ, impudentia creſceret, conſilium judicum verteretur in lupanar, & viri in honore conſtituti nefandis artibus uterentur, uti eſt in *Gem. Sanhedrin*. 97. 1. & in *Midraſch ſchir haſſchirim*. 18. 1. 2. Quem ſtatum fuiſſe illius ſæculi, graviſſimis criminibus immerſi, quo Soſpitator noſter inter Judæos vixit, ipſa Judæorum confeſſio, & ſcripta Evangelica ſatis declarant, uti & Meſſiæ ipſius cædes, ac ſubſecuta paulo poſt pœna divina : quæ cum illos ante ob plurima peccata eaque maxima (quale idololatria, qua nullum gravius eſſe ipſi fatentur אין חטא חמור מע׳כ׳ו׳ם) ſæpe, ſed per exiguum temporis ſpatium, puniviſſet, nunc eos, everſo templo & urbe, ſine ulla vel minima ſpe reſtitutionis, per ſexdecim ſæcula ita afflixit, ut, niſi velum cordibus eorum impoſitum eſſet, agnoſcere deberent nonniſi ob infandum aliquod ſcelus, majus omnibus iis quæ ante commiſerant, & maximum quod concipi poteſt, Chriſti necem videlicet, hanc pœnam iis a juſto judice inflictam fuiſſe. Quod jam olim contra Judæos urſerunt Hieronymus, *in epiſt.* ad Dardanum, Chryſoſtomus, *homil.* 77. *in Matt.* Theodoretus, *quæſt.* 38. *in Deuter.* ad quorum ætatem quum quatuor modo ſæcula ab excidio urbis effluxerint, nunc autem tanto plura, fortius nunc premit, quam olim, hæc argumentatio Judæos.

COMMENTARIUM IN CAPUT TERTIUM.

[1] J*Oſua filius &c. Abraham Zachuth in Sepher Juchaſin fol. 66.* 2. Simeon juſtus Pontifex binas fecit vaccas, atque erant ex reliquiis Synagogæ magnæ. Nominabatur etiam Iddo, ex poſteris fuit Joſuæ filii Joſedeci Pontificis. Nam ſub initio Templi ſecundi fuit Joſua Pontifex, ut Joſedecus pater ejus ſub finem Templi primi. Poſt mortem vero Joſuæ filius ejus, & nepotes recta linea Pontificatum geſſerunt, ut videre eſt in libro Eſdræ, uſque dum perveniret Pontificatus ad Simeonem juſtum, qui ſacro illo miniſterio functus eſt annos quadraginta.

[2] *Eleazar filius Charſum &c. Joma fol.* 9. 1. De his 420 annis deme &c. annos, ut dicitur, undecim, quibus *miniſtravit* Eleazar ben Harſom.

[3] *Ben Catin &c. Toſaphta Joma cap.* II. 4. Filius Catini fecit labro duodecim Epiſtomia, duodecim Sacerdotes ſanctificabantur ſimul in ipſo; ab initio duo tantum erant, & duo Sacerdotes per ipſum ſanctificabantur.

[4] *Simei filius &c. Bartenora ad cap. XIII. Menachoth*. Domus ſeu templum Oniæ eſt templum Alexandriæ conſtructum ab Onia filio Simeonis Juſti. Etenim mortis tempore Simea Juſtus voluit quidem ut Onias ei ſuccederet in Pontificatum, quoniam exercitatior eſſet, & magis aſſuetus ſacræ functioni, quam Semai frater ejus. Sed minime in ſe ſuſcepit Pontificatum Onias, quoniam Semai frater ejus eo natu major erat, anni dimidio ſupra biennium. Et conſtitutus eſt Semai Pontifex loco patris ſui. Paulo poſt invidia erga fratrem commotus Onias verbis ad eum hujuſmodi uſus eſt: veni & ego te docebo, quomodo te ipſum in functione geras. Et veſtivit eum tunica linea, eaque viliori, quali ſe veſtire ſolent in cute mulierculæ; & ſuper eam pro cingulo funiculum parvulum induit. Atque ita conſtituit eum ad altare. Quo facto exiit & rem narravit Sacerdotibus fratribus ſuis, *id eſt*, cæteris, qui exiſtimantes eum voviſſe uxori (*ſeu Amicæ ſuæ*) ac dejeraſſe, ſe eodem die, quo more ſolenni veſtiendus eſſet in Pontificem, indutum fore tunica ejus, atque ejus cingulo, anſam inde occidendi eum quærebant. Hominum turba eis acceſſit frequens, qui Oniam itidem interficere conabantur. Fugit ille in palatium Regis. Ubi quiſquis eum videret, dixit illum ipſum eſſe, qui Alexandriam in Ægypto diſceſſerat (quo in loco Iſmaelitæ erant innumeri) atque ibi templum conſtruxerat cum altari, quo oblationes fierent Deo O. Maximo. Atque de Altari hoc ante prophetaverat Eſaias (cap. XIX. 19.) dicens; *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti*. Stetit autem templum illud circa ducentos annos, & nomen accepit domus ſeu templi Oniæ a nomine conditoris.

[5] *Non fuit eadem &c. Babyl. Joma fol.* 8. Traditio R. Judæ. Quid? Num fuit conclave Parhedrin? Nonne conclave Βουλευτῶν? Primo vocabatur conclave Βουλευτῶν; at cum pecunia Pontificatus emeretur, annuatimque mutaretur, ſicut annuatim mutantur Proedri Regis, ideo exinde vocatum eſt conclave προέδρων. Et *Gloſſa*: Impii fuerunt Pontifices, atque annum totum non adimplerunt, iſque qui alteri ſucceſſit, ædificium hoc immutavit, atque ornavit, ut ſuo nomine vocaretur.

[6] *Lege tu ipse &c. Bartenora ad cap. I. 3. Joma Forsan non didicisti?* hoc dicebant stante templo secundo, quia tunc temporis eligebant homines indoctos & non assuefactos jussu Regum *Maimonides de die expiationum cap.* I. 5. Ac dabantur illi quidam a Senatu majores natu, qui prælegerent, & traderent ei rationem sacrificandi ad diem expiationum & ordinem; Iidem ita dicebant ei; Domine Pontifex lege tutemetipse ore tuo, si forte fueris oblitus, si forte non didiceris rem istam.

[7] *Vel a Regibus &c. Tosaphta Joma cap. I. 6.* Postquam prævaluerunt Reges, ipsi instituebant summos Pontifices, & eos singulis annis separabant: *Maimonides ad cap. I. 3. Joma.* Sed sub templo secundo, quando omnia erant imperfecta, & Reges deflectebant a via recta, eligebant Pontifices maximos cum violentia, etsi inidonei essent, & de ejusmodi Pontificibus maximis dici poterat, *forsan non didicisti.* Et propterea conclave in quo considebant Sacerdotes maximi, vocabatur conclave Parhedrin, idest conclave taxantium, sive eorum, qui taxim & pretium statuebant alimentis, quales Reges deputare solent in plateis, vel etiam interdum removere a munere, prout ipsis libuerit. Eodem modo agebant cum Pontificibus maximis, eligentes ejusmodi, qui proximi ipsis erant consanguinei, vel eos qui plurimam dabant pecuniam.

[8] *Pecunia, & malis artibus &c. Vajicra Rabba fol.* 189. 1. In templo primo, quoniam in eo ministrarunt in veritate, ministrarunt in eo tantum octodecim Pontifices, pater, & filius, & nepos successive; At sub Templo secundo, cum Pontificatum pecunia obtinerent (sunt etiam qui dicunt, quod alter alterum incantationibus interemerunt) ministrarunt octoginta Pontifices; sunt qui dicunt octoginta unus, alii octoginta duo, alii octoginta quatuor. Inter eos Simeon Justus ministravit 40. annis. At cum Pontificatum coemerent nummo, abbreviati sunt anni eorum. Historia est de quodam, qui misit per filium suum duos modios argenteos (ad coemendum Pontificatum) atque modii ipsi erant argentei; & prostitit alius, & misit per filium suum duos modios aureos, atque modii ipsi erant aurei.

[9] *Sic ut annum &c. Gemara Joma fol.* 9. 1. In Templo secundo, quod stetit tantum 420. annis, ministrarunt plures quam trecenti Pontifices. De his 420. annis, deme 40. quibus ministravit Simeon Justus, & 80. Jochananis, decem Ismaelis ben Phabi, atque undecim Eleazaris ben Harsum, & non superest singulis plenus annus.

[10] *Illo enim tempore &c. Sotah cap. IX.* 15. Paulo ante adventum Messiæ impudentia augebitur, & magna erit annonæ caritas, vitis proferet fructum, sed vinum nihilominus care vendetur; summum in orbe imperium obruetur opinionibus pravis, & nulla locum habebit correptio. Synagogæ convertentur in lupanaria, limites Judeæ desolabuntur, & regio quanta est devastabitur. Viri insignes oppidatim circuibunt, nec ulla humanitatis officia experientur. Fætebit sapientia magistrorum, a delictis sibi caventes spernentur, & veritatis magnus erit defectus. Juvenes confundent ora senum, senes coram Junioribus surgent. Filius irritabit patrem, nata insurget adversum matrem, nurusque contra socrum, denique suos quisque domesticos inimicos habebit. Scilicet seculo isti canina facies erit, nec verebitur filius parentem.

CAPUT TERTIUM.

De variis pontificum & sacerdotum ordinibus.

§. I. Gradus dignitatis distincti inter Sacerdotes.

TRadunt Judæi, sacerdotes certis ordinibus distinctos fuisse, quorum alter altero erat excellentior; atque illos duodecim recensent, quorum primus in maxima dignitate constitutus habebatur, ultimus in minima. Sunt autem gradus dignitatis hi Vide *Gem. Hier. Horaioth* 48. 2. *Gem. Nazir.* 47. 2.

1. כהן גדול המשוח [1] *Pontifex Maximus, oleo unctus.* Hic omnes reliquos anteibat Eo minor erat
2. כהן גדול מרובה בגדים *Pontifex Maximus solis vestibus sacris præditus.*
3. העובר מחמת קרי [2] *P. M. qui fluxu seminis temeratus sacris non operabatur.* Illi dicebantur עוברים, qui dignitate sua exuebantur, uti Princeps עבר מגדולתו *Horajoth.* III. I. De P. M. dicunt quidem in *Gem. Hier. Sanhedrin.* 19. 4. אין מעבירין אותו מגדולתו quod reddam verbis Senecæ philosophi, *magnitudine sua illum non exuunt.* Nempe ad exiguum tempus privatur illo jure quod habebat intrandi in adytum, sed plane non exui debuit pontificatu, ut pontifex in perpetuum esse desinat.
4. עיבר מחמת מום [3] *P. M. qui ob vitium corporis ineptus redditus sacris non operabatur.*
5. כהן משוח מלחמה [4] *Sacerdos unctus belli causa.*
6. סגן [5] *Sagan.*
7. קתולק *Catholicus.*
8. אמרכל [6] *Qui claves atrii habebat.*
9. גזבר [7] *Thesaurarius.*
10. ראש משמר [8] *Caput ephemeriæ ea hebdomade ministrantis.*
11. ראש בית אב [9] *Caput familiæ eo die ministrantis.*
12. כהן הדיוט *Sacerdos* ἰδιωτεύτας, sive gregarius, nulla dignitate præ aliis sacerdotibus conspicuus. Ἰδιώτης enim hic non notat sacerdotes illiteratos: hi quippe כהני עם הארץ dicuntur & opponuntur τοῖς כהנים חברים.

At quum dignitas inter has ordine secunda nunquam eodem tempore subsistere cum prima potuerit, nec simul pontifex m. oleo unctus & alius solis vestibus præditus fuerit,

rit, & qui tertio, quarto, ac quinto loco recenſentur, ad tempus aliquod ſolum in iſta χέτη eſſe potuerint, [10] reſtat octo tantum gradus ſtatos dignitatum inter ſacerdotes fuiſſe; de quorum primo & ſecundo, id eſt, pont. max. & de eodem pontifice ſi contingeret eum pollui, qui tertium & quartum locum obtinet, quoniam egimus, ad quintum progredimur.

§. II. Sacerdos caſtrenſis.

II. [11] Sacerdos caſtrenſis, vel unctus belli cauſa כהן משוח מלחמה, ſtante tabernaculo & templo primo, is Judæis dicitur, qui oleo unctionis perfuſus Iſraelitas prælium inituros monere debuit, non alia lingua quam Hebræa, de iis quæ *Deut.* 20. 2. leguntur. *Sota.* VIII. 1. [12] Hunc in denudatione capitis, ſciſſione veſtium, pollutione ex luctu, & nuptiis, parem fuiſſe pontifici maximo, [13] non vero in ſucceſſione filii, ſcribunt, & majorem dignitate τῷ ſagan, qui oleo unctionis non erat inauguratus. *Gem. Joma.* 73. 1.

§. III. Sagan.

III. [13] Proxima illi inter Sacerdotes fuit dignitas *Saganis* הסגן, qui & סגן הכהנים [14] *Præfectus ſacerdotum* dicitur *in Siphra fol.* * 2. 1. & * 44. 2. & alibi, ac ſæpiſſime [15] Pontifici ſuccedebat. In *Schir* tamen *Haſſchirim Rabba fol.* 22. 1. videtur [16] dignitas ſaganis præponi dignitati ſacerdotis caſtrenſis: nam ibi de Eliſabetha, filia Aminadab, dicitur eam vidiſſe maritum ſuum Aaronem pontificem maximum, & duos filios ſuos ſaganes, & *Phineaſum filium filii ſui ſacerdotem caſtrenſem*, ופנחס בן בנה משוח מלחמה Eadem fere leguntur in *Midraſch Coheleth fol.* 92. 3. unde & illud diſcimus, plures ſimul aut duos certe ſaganes fuiſſe, quod duo filii Aaronis illic, uti & in *Tanchuma* 55. 1. dicantur סגני כהונה. Sic ut videatur hæc vox relationem majorem habere ad ſacerdotes minores, ſupra quos illi erant סגנים quaſi præfecti, quam ad Pontificem maximum: uti & in *Midraſch Schir. Haſſchir.* 35. 2. Iſraelitæ dicuntur סגנים על כל באי העולם Seganim *ſupra omnes venientes in mundum*. Eundem & ממונה *Præfectum* κατ' ἐξοχὴν appellari conſueviſſe ſcribunt Judæi, (quod multi putant convenire cum ϛρατηγῷ τοῦ ἱεροῦ *Act.* 5. 25. qui & προϛάτης τοῦ ἱεροῦ, 2. *Macc.* 3. 4. nuncupatur) & operam ſuam addixiſſe Pontifici, cujus etiam vicarius conſtituebatur plerumque, ſi contingeret illum pollui, & cui dexter incedere ſolebat: uti [18] liquet ex 5. illis functionibus, quas eum die expiationis obiviſſe in *Tamid* & *Joma* notatum eſt: omnes autem reliquos ſacerdotes ſagani paruiſſe. [19] Hunc ſtante templo primo appellatum כהן המשנה 2. *Reg.* 25. 18. multi exiſtimant (certe [20] סגן in codice ſacro aliam ſignificationem habet, ac ei poſtea datam fuiſſe conſtat) in ſecundo tamen, quum minorem curam ſacrorum gererent Pontifices max., munus ſaganis magis erat neceſſarium.

§. IV. Catholici.

IV. [21] קתולוקין, uti R. Nathan, auctor lexici Aruch, ex Talmude citat, vel קתלקא ut Talmud in *Gem. Hier. Schecalim*, *cap.* 5. exhibet, vel קתאליקי uti ſcribitur in *Midraſch ſchir haſſchirim* 38. 2. conſtituebantur, ut eſſent ſagani quod ſagan erat pontifici max. [22] Erant hi ad minimum duo, & ſunt [23] qui eos theſaurarios fuiſſe putent. Ben Muſſaphia in *Muſaph Aruch* ait hanc vocem lingua Græca & Romana *Præfectum* notare, *qui pro lubitu res omnes, quæ ad curam domus pertinent, adminiſtrat*, איש ממונה על דברי בית ובידו לעשות מה שירצה Hos Martianus Capella *generales præſules* vel *præſtites*, *quod præſint gerundis omnibus*, diceret. Videtur vox eſſe Græca καθολικὸς (uti in *Tanchuma* קתליכוס clare ſcribitur) quæ in gloſſis exponitur *rationalis*, *conſularis*. *Rationales* appellati ſunt illi, qui ſæculo Auguſtæo procuratores Cæſaris dicebantur, quo ſenſu illa vox apud ſcriptores ſæculi tertii & quarti a Chriſto nato legitur. *Conſulares* vero dicti ſunt iiſdem temporibus, qui provincias Cæſaris adminiſtrabant, licet conſules nunquam fuiſſent: & hæc nomina tandem latius extendi cœperunt ad curatores aquarum, rerum privatarum, &c. qui *conſulares aquarum*, *rationales rerum privatarum*, &c. in *Notitia Imperii*, *Sect.* 37. & 43. appellati fuerunt. De quibus titulis præter ſcripta monumenta antiqua marmora teſtantur.

§. V. Amarcalin, & alii.

V. [24] אמורכלין fuere ſeptem, quibus commiſſa erat cura clavium atrii. Nomen id Perſicum eſſe videtur امير كليد אמירכליד *præfectus clavium*. גזברין γαζοφύλακες Joſepho dicti, *Antiq.* XX. 7. cuſtodes theſaurorum, vel [25] quæſtores, erant tres. [26] Caput ephemeriæ miniſtrantis præerat univerſæ curiæ ſacerdotum quæ illa hebdomade in templo ſacris operabatur. [27] Caput autem familiæ miniſtrantis præerat uni familiæ ex ſeptem ſacerdotalibus quæ illo die functiones ſuas obibat.

§. VI. Præfecti varii ſive *Memunnim*.

VI. [28] Præter hos recenſent Judæi Præfectos quindecim, ſive ממונים, qui non e ſacerdotibus ſemper, ſed & Levitis nonnunquam (e quibus Nehemia præfectos ærario ſacro creavit *Nehem.* 13. 13.) eligebantur: quorum ſeries hæc erat: confer *Schecalim.* V. 1.

ממונה על זמנים [29] *Præfectus temporibus*, qui & כרוז dicitur, uti quidam volunt, vid. *Gem. Joma*. 20. 2. ad cujus admonitum unusquisque in templo se ad opus suum accingebat, quum his verbis mane utebatur, עמדו כהנים לעבודתכם ולוים לדוכנכם וישראל למעמדכם (Ita hæc formula extat in *Gem. Hierof. Schecalim* 7. 4. & in Aruch. ad vocem גביני) *Sacerdotes ad opera vestra, Levitæ ad suggestum vestrum, Israelitæ ad stationem vestram*.

ממונה על נעילת שערים [30] *Præfectus claudendis januis & aperiendis*, qui & בן גבר dicitur.

על השומרים [31] *Præfectus vigilibus*, quem & dictum volunt על הפקיע (alii existimant hunc conficiendis ellychniis e vestibus sacerdotum fuisse præpositum, שהיה ממונה על הפתילות. *Gem. Hier. Schecalim. c.* 5.) quod Levitas dormientes verberibus exciperet & vestes eorum adureret. Confer *Apoc. 16.* 15. Appellabatur quoque איש הר הבית *Middoth.* 1. 2. *Gem. Tamid.* 62. 1.

על המשוררים [32] *Præfectus cantoribus*, qui & ממונה על השיר dicitur, & Levitas canturos unoquoque die eligebat.

על הצלצל [33] *Præfectus cymbalo*.

על הפייסות [34] *Præfectus sortibus*, quæ quater quotidie ducebantur, ut per eas officia sacerdotalia distribuerentur.

על הקינים [35] *Præfectus avibus*, qui turtures aut pullos columbarum vendebat.

על החותמות [36] *Præfectus sigillis*, qui accepto libaminum pretio tesseram dabat deferendam ad præfectum libaminum.

על הנסכים *Præfectus libaminibus*, qui ferta & libamina ad sacrificia in tesseris notata dabat.

על חולי מעיים [37] *Præfectus ægris*, qui viscerum doloribus potissimum torquebantur, quod nudis pedibus incederent, plurimum carne vescerentur, & aquam biberent.

ממונה על המים & חופר שיחין. [38] *Præfectus aquis & puteis*.

על מעשה לחם הפנים [39] *Præfectus conficiendis panibus propositionis*. [40] Confici autem debuere ab ephemeria ministrante, quum על הלחם duorum panum Pentecostalium confectio ex æquo ad omnes ephemerias spectaret.

על מעשה הקטרת [41] *Præfectus suffitui*.

על הפרכת [42] *Præfectus velis tredecim templi*. Quæ in *Gem. Ketuvoth*. 106. 1. recensentur. ז' כנגד ז' שערים אח' לפתחו של היכל ואחד לפתחו של אולם ב' בדביר ב' כנגדן בעלייה 7. *in septem portis Atrii magni, unum ante portam pronai, unum ante portam sancti, duo ante sanctum sanctorum, & duo in conclavi superiori*.

על המלבוש [43] *Præfectus vestibus sacerdotum*, על מעשה בגדי כהונה

COMMENTARIUM IN CAP. TERTIUM.

1. PONTIFEX *maximus &c. Maimonides ad cap.* III. 7. *Codicis Horajoth*. Cæterum præcellentiæ gradus, quando in scientia & operibus æquales sunt, hujusmodi sunt; Sacerdos oleo unctionis unctus præcedit Sacerdotem multis vestibus indutum.

2 *P. M. qui fluxu &c. Maimonides ibidem*. Et is qui multis vestibus indutus est, præcedit Sacerdotem unctum, qui transgressus est ob infortunium aliquod quod ipsi accidit.

3 *P. M. qui ob vitium &c. Maimonides ibidem*. Et Sacerdos unctus qui transgressus est ob infortunium, quod ipsi accidit, præcedit Sacerdotem unctum, qui transgressus est ob maculam suam. Unctus autem Sacerdos, qui ob maculam suam transgressus est præcedit Sacerdotem unctum ad bellum.

4 *Sacerdos unctus &c. Maimonides ibidem*. Et ad bellum unctus præcedit Vicarium Sagan dictum.

5 *Sagan &c. Maimonides ibidem*. Et Sagan præcedit Amercalin.

6 *Et qui claves &c. Maimonides ibidem*. Et Amercalin præcedit præfectum ærarii.

7 *Thesaurarius &c. Maimonides ibidem*. Et præfectus ærarii præcedit præfectum custodiarum.

8 *Caput Ephemeriæ &c. Maimonides ibidem*; Et præfectus custodiarum præcedit patrum præfectum.

9 *Caput familiæ &c. Maimonides ibidem*. Et patrum præfectus præcedit Sacerdotem gregarium.

10 *Restat octo &c. Tosaphta Horajoth cap.* II. 11. Unctus oleo sacro præcedebat Sacerdotem multis vestibus indutum; & multis vestibus indutus præcedebat unctum ad bellum, & unctus ad bellum præcedebat vicarium, & vicarius præcedebat caput custodiæ, caput custodiæ præcedebat caput familiæ, caput familiæ præcedebat Amercalin; Amercalin præcedebant Thesaurarium, Thesaurarius præcedebat Sacerdotem gregarium. *Maimonides de vasis Sanctuarii cap. IV.* 19. Unctionis oleo inauguratus, pontifex dignitate anteibat ei, qui vestimentis solis induendis esset inauguratus. Rursus hic rerum divinarum administrationi præfectus in perpetuum anteibat ei, qui oleo sacro unctus semel duntaxat Deo operatus sit eo quod summo Sacerdoti fluxio seminis accidisset. Hic qui semel erat Deo operatus, eo quod summum Sacerdotem fluxio seminis temerasset præstabat ei, qui summi Sacerdotis, quoniam is vitio corporis erat affectus, munus effecit. Et qui propter vitium corporis, quod esset in summo Sacerdote, munus ejus est executus, is inuncto in belli munia Sacerdoti præstabat. Præstabat unctus in belli munia Sacerdos vicario summi Sacerdotis, vicarius autem præstantior erat subvicario, subvicarius præfecto, præfectus quæstore, quæstor curiæ principe, curiæ princeps antecedebat familiæ antistiti; denique antecedebat familiæ Antistes cuivis privatorum reliquorum Sacerdotum. Itaque inter Sacerdotes semper erant octo dignitatis gradus.

11 *Sacerdos castrensis*. *Maimonides Melachim cap. VII.* Pari ratione in bellis præcepti & in bellis arbitrii

trii conſtituunt Sacerdotem, ut in hora prælii loquatur ad populum, eumque ungunt oleo unctionis, & hinc appellatur משיח מלחמה unctus belli; bis loquitur unctus belli ad populum ſemel e libro cum egreditur, antequam inſtruatur prælium, & dicit ad populum; *Quis eſt homo qui plantavit vineam, & necdum fecit eam eſſe communem? &c.* (*Deut. XX. 6.*) at cum audit quis ejus verba, redeat ex caſtris Iſraelis, & ſemel cum inſtruitur prælium, dicit; *non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere* (Ibid. v. 3.) Tempore quo acies diſponunt, & ad prælium accedunt, eat iſte Sacerdos in excelſo loco, & omnis exercitus coram ipſo, & dicit ad eum lingua ſancta; *Audi Iſrael, vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis; non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra adverſarios dimicabit, ut eruat vos, de periculo* (*Deut. ibid.* 3. 4.) Eo uſque loquitur Sacerdos unctus, & Sacerdos alius ejus loco jubet alta voce populum eum audire, ac dein loquitur Sacerdos unctus bello: *Quis eſt homo qui ædificavit domum novam? &c. quis eſt homo qui plantavit vineam? &c. Quis eſt homo, qui deſpondit uxorem? &c.* (Deut. ibid.) Huc uſque loquitur unctus belli, ac cenſor aliquis facit alta voce, ut audiat populus, & poſtea ipſe loquitur, & dicit; *quis eſt homo formidoloſus & corde pavido?* atque alius idem perſonat toti populo. *Toſaphta Sotah cap. VII.* 13. Aliquando egrediebatur, & cum his loquebatur, alter e libro, & alter, cum inſtruebatur prælium; *Qui loquebatur* e libro, quid dicebat? ut eant ad audiendum quicquid dicendum erat a Sacerdote, dum acies diſponitur, quid dicebant? *Quis eſt homo, qui ædificavit Domum ſuam, & non dedicavit eam? vadat & revertatur in domum ſuam &c. Deut.* 20. 5. Si cecidiſſet domus, atque iterum ædificaſſet, reverti debebat; R. Jehuda dicit, ſi aliquid innovaſſet, reverti debebat; ſin minus, non revertebatur. R. Elieſer dicit; viri, qui planitiem incolebant, ad ſuas domos revertebantur, quia ſingulis ſeptenniis renovabant. *Quis eſt homo, qui plantavit vineam, & necdum fecit eam eſſe communem ---- vadat & revertatur in domum ſuam. Ibid. verſ. 6.* Sive plantaſſet vineam, ſive plantaſſet quamlibet aliam arborem pro cibo, ex quinque ſpeciebus, etiamſi eſſent in quinque urbibus, reverti debebat; R. Elieſer filius Jacobi dicit, ego non intelligo niſi vineam. *Quis eſt homo qui deſpondit uxorem & non accepit eam? vadat, & revertatur in domum ſuam. Ibid. verſ.* 7.) Sive deſponderet, ſive illi fratria contingeret ducenda, ſive illa quinque fratribus jure leviratus ſubjecta eſſet; & ſi quinque fratres eſſent, & audiſſent unum ex fratribus mortuum eſſe, ſi in caſtris eſſent, omnes reverti debebant. Ego non habeo in textu, niſi eum, qui domum ædificaret, & eam non habitaſſet, & plantaſſet vineam, & eam non profanaſſet, & deſpondiſſet mulierem, & non nupſiſſet; ſi ædificaſſet domum, neque intro, ingreſſus eſt, neque duodecim menſes eam habitaſſet; ſi plantaſſet vineam, in eaque duodecim menſes moratus eſſet, ſi deſpondiſſet mulierem, & cum ea congreſſus eſſet, ſed cum ea duodecim menſes non fuiſſet moratus; unde probatur, quod non abſcedant a ſuo loco? Ex eo quod dicit, *cum acceperit homo nuper uxorem* (*Deut.* 24. 5.) Hoc in cæteris incluſum erat, cur exiit? ut eo argumentaretur, ſicuti in eo explicitum eſt; quod ſi mulierem deſpondiſſet, & nupiſſet, neque cum ea duodecim menſes moratus eſſet, a ſua domo non diſcedebat, ita etiam in cæteris omnibus rebus. *His dictis addent reliqua, & loquentur ad populum; quis eſt homo formidoloſus & corde pavido?, vadat & revertatur in domum ſuam &c. Deut.* 20. 8. *Formidoloſus, & corde pavido*, hic eſt, qui timet pro peccatis ab ſe patratis, juxta verſiculum qui dicit, *cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me. Pſalm.* 48. 6. verba R. Joſe Galilæi. R. Akiba dicit, *quis eſt homo formidoloſus &c.* juxta ſenſum literalem; quid iterum dicendum erat, *& corde pavido?* quod etiamſi eſſet animoſorum omnium animoſiſſimus, & fortium fortiſſimus, & eſſet miſericors, revertebatur, juxta id quod ſequitur, *ne pavere faciat corda fratrum ſuorum, ſicut ipſe timore perterritus eſt*. R. Simeon dicit, qui audiebat verba Sacerdotis, dum inſtruebatur acies, & reverti poterat, & non revertebatur, tandem gladio peribat, unaque cum eo faciebat gladio cadere Iſraelitas, & faciebat, ut ab ſua terra ejicerentur, juxta dictum, *& alius homo accipiat eam*, crederem, quod eſſet ejus patruus, aut ſui patrui filius; dicitur hic *alius*, & alibi dicitur *alius*; ſicuti ibi denotat alienigenam etiam *alius* hoc loci dictus alienigenam ſignificat &c. Erant & qui exibant & revertebantur, & qui exibant, & non revertebantur, & qui nullo modo exibant, omnes ii, de quibus dixerunt, quod exirent & reverterentur, ſubminiſtrabant ligna civitati, & aquas, & alimenta in bellum; & debebant reparare vias; & omnes ii, de quibus dixerunt, quod nullo modo exirent, nempe qui ædificaverat domum, ſed eam duodecim menſes non habitaſſet, qui plantaſſet vineam, & profanaſſet, ſed ea duodecim menſes non uſus eſſet, qui deſpondiſſet mulierem, atque etiam nupſiſſet, neque cum ea duodecim menſes moratus eſſet, non ſubminiſtrabant ligna civitati, neque aquam & alimenta in bellum, nec reparabant vias. R. Jehuda vocabat bellum voluntarium nomine belli præcepti; ſed in bello præcepti omnes exire debebant, etiam ſponſus de thalamo ſuo, & ſponſa de ſponſalibus ſuis. *Vide Codicem Sotah. cap. VIII.*

[12] *Hunc in denudatione &c. Toſaphta Horajoth cap. II.* Et omnia non obſervabantur in Sacerdote uncto belli cauſa, exceptis quinque rebus, quas deſignat textus; in ſectione non nutriebat comam, non lacerabat veſtes, non polluebatur ſuis conſanguineis, & tenebatur nubere virgini, & admonebatur de vidua, & liberabat homicidam, verba R. Jehudæ, & ſapientes dicunt, non liberabat homicidam.

[13] *Non vero in ſucceſſione &c. Maimonides de vaſis Sactuarii cap. IV.* 21. At enim Sacerdotis in belli munia uncti filius non ſuccedebat in locum patris unquam, ſed erat ejuſdem conditionis, atque reliqui Sacerdotes. Itaque poterat ad belli munia ungi vel non ungi. Jam Sacerdos unctus ad belli munia cum miniſtraret in Sanctuario quatuor omnino veſtium generibus ſic ut cœteri Sacerdotes, indutus erat.

[14] *Proxima illi &c. Maimonides de vaſis Sanctuarii cap. IV.* 16. Conſtituebatur autem Sacerdos, qui dignitate proximus eſſet a ſummo Sacerdote, ſic tanquam in adminiſtratione regni eſt ſecundus a Rege; is vicarius appellabatur, idem etiam dicebatur Antiſtes. *Elias in Tiſbi, ſcribit, ſecundum a Sacerdote magno dici* סגן.

[15] סגן הכהנים *&c. Targum num.* 19. 3. & tradetis eam Eleazaro סגן כהניא *præfecto Sacerdotum*, *Targum Hierem.* 20. 1., conſtitutus סגן כהניא *præfectus Sacerdotum. Et Targum Hierem.* 29. 26. Duæ ſellæ aureæ, quarum una fuit pro Sacerdote ſummo, altera לסגן כהניא *pro antiſtite Sacerdotum*.

[16] *Pontifici &c. Hieroſ. Joma cap. III. fol.* 41. *col.* 1. Non poterat Sacerdos magnus præfici ut eſſet Sacerdos magnus, niſi prius fuiſſet Sagan. *Juchaſin & Aruch*. Non erat rite promotus quiſpiam ad Pontificatum, niſi antea fuerat Sagan.

[17] *Dignitas Saganis &c. Sanhed. fol.* 19. *I.* Cum ſtat ſummus Pontifex in circulo lugentes conſolans, Sagan, & unctus ad bellum ſtant a dextra ejus.

[18] ממונה *&c. Tamid cap. III. I.* Dicit iis הממונה *præfectus*, venite, & projicite ſortes, quis mactet victimam, quis ſpargat ſanguinem &c. *Gloſſa* ממונה הוא סגן *præfectus eſt Sagan. Bartenora ad II.* 1. *Sanhedrin.* הממונה hic eſt *Sagan*, qui conſtitutus eſt ut ſacra faciat loco ſummi Sacerdotis.

[19] *Uti liquet ex* 5. *&c. Hieroſol. Joma cap. III. fol.* 41. *col.* 1. In quinque rebus miniſtrabat vel ſerviebat Sagan Sacerdoti ſummo. Primo dicebat Sagan (ad Sacerdotem ſummum) Domine mi Sacerdos magne attolle dextram tuam; ſecundo ſtabat ad ipſius dextram, & princeps domus Patrum a ſiniſtra ejus; quarto tenebat manum ejus, & aſcendere facit eum (*adjuvit eum in aſcendendo per gradus*) Quinto non poterat Sacerdos magnus prefici, ut eſſet Sacerdos magnus, niſi prius fuiſſet Sagan.

[20] *Hunc ſtantem &c. Qui* 2. *Regum* 25. 18. כהן המשנה *dicitur, hunc Targum* סגן כהניא *appellat.*

[21] *Certe* סגן *&c. R. David Kimchi in voce Sagan.* Vox Sagan (*inquit*) habetur (Nehem. II. 16.) ubi dicitur; סגנים *non cognoſcebant quo iveram*; Similiter Jerem. 51. 23. *proceres &* סגנים; Eſai. 41. 25. *Et adducet magiſtratus quaſi lutum*, hoc eſt veniet ſuper Segamim ſicut figulus ſuper lutum. Sunt autem principes, potentes. At ſtylo Miſhnico, ſecundus a Pontifice maximo appellatur *Sagan. Vide notas ad cap. II. Toſaphta Joma.*

22 קתולוקין &c. *Maimonides ibidem*. Praeterea autem creabantur subvicarii, qui vicario essent idem, quod ipse Pontifici.

23 *Erant hi &c. Maimonides ibidem*. Hi erant ad minimum duo. Et ad cap. V. 2. Sekalim. Catholociani quam dignitatem possidere non poterant pauciores quam duo homines, quomodo erat, ut *Sagra* dignitate Pontificis maximi minor esset, & *Catholociani* minores dignitate *Saganis*. Vide *Tosaphta Sekalim*.

24 *Et sunt qui eos &c. Bamid Bar Rabba*. Korah erat chatolicus Regis Ægypti, & habebat claves ejus thesauri. *Vide Aruch in voce* קתולקין.

25 אמרכלין &c. *Tosaphta Sekalim caput II.* 18. Septem Emarcalin seu praefecti quid faciebant? Septem claves atrii erant in eorum manibus, si quis eorum aperire voluisset, non poterat, nisi ingrederentur omnes, quando omnes convenerant, praefecti aperiebant, quaestores egrediebantur, & ingrediebantur, & secundum dignitatem, qua praediti erant, intrabant & exibant; dicit R. Jehuda; cur Amarcal appellabantur? quia omnia custodiebant. *Chaldaeus Paraphrastes in Legem ad designandos principes, seu capita tribuum utitur voce* אמרכול *in Num. I. &* 7. 11. *Jonathan paraphrasi in Prophetas* 2. Reg. 12. *vertit* Sacerdotes Janitores כהניא אמרכליא *Sacerdotes Amarcalin*. *Kimchius* in 2. Reg. XII. 10. שומרי הסף custodes liminis significat (*inquit*) custodes vasorum Domus; nam סף est nomen generale vasorum sacrorum. Jonatham interpretatur id Amarcalin; hi autem erant praecipui thesaurarii, qui aliis praeerant. Sic Onkelos vertit hunc locum; *Eleazar filius Aaron erit caput super capita Levitarum*, Num. III. 32. Amarcal praefectus principibus Levitarum. Minores erant subvicariis: *Maimonides ad cap. V. 2. Sekalim, Emarcalin* dignitate Catholocianorum minores.

26 *Quaestores &c. Misna Sekalim ibidem*: Non pauciores quam tres thesaurarios constituunt, & non pauciores quam tres camerarios: *Maimonides de vasis sanctuarii cap. IV.* 18. & qui parerent hisce praefectis creabantur quaestores non pauciores tribus. Horum munus erat, ut quaecunque numini devota fuissent ac constituta exigerent aut ipsa, aut si pretio redimerentur, eorum pretium, quod deinde rebus idoneis impenderetur.

27 *Caput Ephemeriae &c. Maimonides ibidem*. Is enim (*Samuel*) suo tempore simul cum rege Davide distribuit eos in curias viginti quatuor, quarum suus cuique praeerat Antistes.

28 *Caput autem &c. Maimonides ibidem*. Ex curiarum principibus suam quisque curiam in familias distribuerat ita, ut singulis Hebdomadae diebus singulae familiae totae deinceps rem divinam facerent; & familiarum suum quaeque Antistitem habebat.

29 *Praeter hos &c. Maimonides ibidem cap. VII.* Erant in Sanctuario praefecti quindecim. Etenim quindecim rerum istarum suum cuique praefectum semper esse necesse erat, descriptioni temporum, claudendis portis, custodiis agendis, cantoribus, cymbalo, caeterisque fidibus, fortibus, pullorum nidis, sigillis, libationibus, aegrotis, aquis, propositionis panibus efficiendis, suffimento componendo, texendis velis, vestimentis sacerdotalibus apparandis. Atque horum cuique praefectorum multi erant homines subjecti, qui hoc, cui ille praefectus erat, opus efficerent.

30 *Praefectus temporibus &c. Maimonides ibidem*. Is igitur qui temporibus describendis praeerat, una cum suis observabat tempora, utque sacrificiorum venerat hora, vel ipse, vel ejus permissu aliquis e subditis magna voce pronunciabat: *ad sacrificia sacerdotes, ad suggestum Levitae, & ad stationem Israelitae*; cujus ut esset audita vox suum quisque munus aggrediebatur. *Schilte Haggibborim cap. XXXVI.* Septimus praefectus erat Gebhini praeco, quem Maimonides appellat praefectum temporibus describendis; ipse enim, suique observabant tempora, utque sacrificii offerendi hora venerat, exclamabat; *surgite Sacerdotes ad vestrum munus, & ad suggestum Levitae, & ad stationem Israelitae*, & ejus vox exaudiebatur usque ad Jericho.

31 *Praefectus claudendis &c. Maimonides ibidem*. Qui portis claudendis praeerat, is & claudi portas jubebat aperique, nec harum ad aperturam clangebant buccinatores ullo die, nisi ejus permissu. Etenim quotidie cum aperirentur templi portae, buccina terni edebantur sonitus, aequabilis, infractus, aequabilis. *Schilte Haggibborim ibidem*. Octavus praefectus erat Ben Gebher, qui praeerat claudendis portis, ejusque jussu aperiebantur, & claudebantur portae domus, & atrii; nec tubicines edebant sonitum aequabilem, infractum, aequabilem nisi ejus jussu.

32 *Praefectus vigilibus &c. Maimonides ibidem*. Qui praepositus erat custodiis, hic vir ille montis aedis erat; is nocte tota Levitas excubias agentes lustrabat, quorum si reperiret aliquem in statione sua dormientem, baculo tundebat, & vestes ejus adurebat. *Schilte Haggibborim ibidem*. Nonus praefectus erat Ben Bavi, qui praeerat פקיע, *flagellationi*, hoc nomine appellabatur, vir montis templi, qui praeerat vigilibus Sanctuarii, quamvis ibi nullus esset metus, & timor, nihilominus custodia instituebatur propter honorem domus sanctae, & magnificae; & ille cum suis tota nocte lustrabat custodias Levitarum, & quem dormientem oppressisset, ab eo verberabatur, ejusque vestes comburebantur. Et in Gemara Hierosolymitana declarant, פקיע, quod praeesset funiculis candelabri, & letitiae domus haustionis; sed non est credendum, quod constituerent praefectum super re tam parvi momenti, nisi alii rei eodem tempore praefuisset; & probabilius est quod hic Ben Bavi flagellationi praeesset. Et R. Bartenora explicat על הפקיע *super flagellatione*, ad flagellis excipiendum Sacerdotes & Levitas dormientes inter vigilias suas; at juxta communem opinionem non est credendum, quod ille Rabbinus putet Sacerdotes fuisse flagellis exceptos; & fortasse Typographi erit mendum, qui suo arbitrio *Sacerdotes* addiderit; quia certe Sacerdotes non vapulabant, sed uni Levitae, qui somni causa verberarentur; & ideo dicebant; *quae vox in atrio magno? vox Levitae vapulantis*, & non dixerunt, *vox Sacerdotis*; adde his, quod exprese dixerunt in Misna Sacerdotes dormiisse, ut in primo capite parag. 8. tractatus Middoth, *ubi seniores classis paternae dormiebant &c. Claves e catena desumebat, atque claudebat Sacerdos intus (atrii januas) Levita autem foris dormiebat. Ubi jam absolvisset, & obserasset, restituit claves catenae, tabulamque in locum suum reposuit, eique pulvillo suo imposito somnum cepit*. Verisimile est viro montis aedis, suisque fuisse conclave, quo se reciperent, intra murum montis templi, ut ibi, cum vellent, noctis partem traducerent.

33 *Praefectus cantoribus &c. Maimonides ibidem*: Qui praesidebat cantoribus, quotidie Levitas deligebat qui carmen in suggestu voce canerent. Item ejus jussu sacrificiis faciendis clangebatur. Etenim nullo prorsus die clangores in sanctuario pauciores audiebantur quam viginti unus. *Schilte Haggibborim, ibidem*. Decimus praefectus erat Ben Arsa, qui tubae praeerat, quae tuba in duas partes divisa erat, atque Italice vocatur tuba *Schiavizza*, uti jam dixi capite sexto; & hic juxta meam sententiam praeerat instrumentis, quae sonitum spectabant, nempe tubis, quibus clangebant in sacrificiis, & in laetitia domus haustionis, fidibus, lyris, & organis, tibiis, & cornibus perforatis, & aliis similibus illis instrumentis, de quibus mentionem feci cap. V. hujusce mei tractatus. In sanctuario non edebantur singulis diebus clangores pauciores, quam viginti unus, tres, quando portae aperiebantur, & novem pro sacrificio jugi matutino, & novem pro sacrificio jugi vespertino. Et quo die immolabatur sacrificium addititium, novem addebantur clangores pro sacrificio addititio; & si novilunium, aut dies festus in Sabbatum incideret, aut principium novi anni in Sabbatum incideret, in quo tria immolabantur sacrificia addititia, non edebantur seorsim pro singulis sacrificiis addititiis novem clangores, sed pro omnibus sacrificiis novem omnino clangores edebantur; & in vigilia Sabbathi sex clangores addebantur, tres ad revocandum ab opere populum, & tres ad separandum inter Sanctum & profanum; & in die festo tres addebantur clangores, cum aperiretur porta inferior, quae erat porta atrii mulierum, porta Susan appellata, & tres, cum aperiretur porta superior appellata porta Nicanoris, quae, quoniam supra pavimentum atrii mulierum septem cubitos cum dimidio eminebat, porta superior vocabatur; & pariter clangores edebantur ad haustionem aquae, quae fiebat in festo Tabernaculorum, at non clangebant in Sabbatho ad aquae haustionem; & tres edebantur clango-

res

res ad aquæ libationem ſuper altare, & omnes hi clangores buccina edebantur. Et in tractatu Succah cap. V. 5. octo & quadraginta buccinationes numerant veſperi Sabbathi in medio feſti Tabernaculorum; ibique tres, quæ fiebant ad gradum decimum, non enumerant, quia exiſtimat auctor illius paragraphi, quod recte ſentiat R. Elieſer filius Jacobi, qui dicit, quod ad decimum gradum non clangerent; neque ille ſapiens buccinationes enumerat, quæ edebantur veſpera Paſchatis, quæ in Sabbathum incideret quæ ſeptem & quinquaginta erant, quia hoc raro accidebat.

[34] *Præfectus cymbalo &c. Maimonides ibidem*. Qui præſidebat cymbalo, is omnia fidium genera aſſignabat his cantoribus, qui Levitas, ut ſupra demonſtratum eſt, cantu fidium ſublevabant. *Schilte Haggibborim ibidem*. Undecimus præfectus erat Hogtus ben Levi, qui præſidebat cantico, & cantoribus ſuper pulpito, qui ore canebant, & quia in Sanctuario duo & viginti cantici genera erant, omniaque inter ſe differebant in vocum concentu, & regulis, & conditionibus, idcirco cantica, & hymni Davidis Regis ita ordinati erant, ut duobus & viginti cantici generibus reſponderent, quæ in variis libris ſcripta ſunt cum ipſorum Pſalmorum verbis ſub ſignis, & notis vocum notarum; & juxta arbitrium ejus (*qui cantico præſidebat*) ſumebant libros, in quibus deſcriptum erat diei canticum ſecundum aliquod e duobus & viginti iiſdem generibus, & libro pſallebant, quomodo noſtris diebus muſici, & cantores facere conſueverunt.

[35] *Præfectus ſortibus: Maimonides ibidem*: Qui ſortibus præſidebat, ab eo quotidie fiebat ſortitio de ſacerdotibus, ut horum quiſque id, quod ſorte ſibi obtigiſſet, munus efficeret; fiebat igitur quater in die ſortitio, de cujus ratione in tractatu de Jugibus ſacrificiis explicabo. *Schilte Haggibborim ibidem*. Tertius præfectus (juxta Miſnæ ordinem) erat Matatia filius Samuelis ſuper ſortibus; & ab eo quotidie fiebat ſortitio, inter Sacerdotes, ita ut ſinguli Sacerdotes ſuo munere & miniſterio fungerentur, quo digni facti eſsent per ſortes, uti explicatur in tractatu Joma cap. II. 2. 3. 4.

[36] *Præfectus avibus &c. Maimonides ibidem*. Qui præfectus erat pullis, cum eo paciſcebantur, ut tot pro ſiclo pullos in ſacrificio venderet; ſi quis igitur aut duos turtures, aut columbæ pullos pro ſacrificio debuiſſet, hic illorum pretium afferret in ſanctuarium, tum his, qui iſta faciebant ſacrificia, hominibus pullos ſuppeditabat præfectus ille, cui poſthac quæſtores relatis rationibus pecuniam ſolvebant. Jam de pretio pullorum triceſimo quoque die pactio fiebat. Quod ſi pactionem conſecuta fuiſſet vilitas, eos pro viliori daret pretio; contra ſi fuiſſet conſecuta caritas, eos pro pacto pretio venderet; ſemper enim ærarii ſacri conditio ſuperior eſt. Idem etiam ſi pulli reperirentur vitioſi, vel ſi vitio afficerentur ante, quam eſſent immolati, pro his tenerentur dare alios: *Schilte Haggibborim ibidem*. Præfectus quartus erat Petachia, quem dicunt in Miſna fuiſse Mordachæum, ideſt Mordochæum Bilſcian patruum Reginæ Eſther, qui res aperiebat, & explicabat, & 70. linguarum callens erat; & is præfectus erat nidis avium, id eſt turturibus, & columbarum pullis, quos coemendos, & parandos curabat, aut deputatus erat ad paciſcendum cum Iſraelita, aut cum alio, qui vendebat, ut tot pro ſiclo venderet in ſacrificia; & ipſe recipiebat nummos, aut illi dabat, cum quo pactus erat, ut ſemper parati eſsent pro iis, qui hujuſmodi ſacrificia offerebant; deinde eorum nummorum, ſi ipſe eos reciperet, & venderet turtures, & columbarum pullos, cum quæſtoribus rationem conferebat; & hoc modo triceſimo quoque die cum ipſo de *pullorum pretio* pactio fiebat, aut cum eo, qui in ſe recepiſſet ſuppeditare iis, quibus opus eſſent; & ſi nidi avium parvi venderentur, pro viliori eos pretio ſuppeditabat, ſi magni, juxta pactionem, quam ei conſtituiſsent, priuſquam caro venderentur, ſuppeditabat; quia manus ſacri ſuperior eſse debet. Item ſi quis nidus reperiretur vitioſus, aut ſi vitio afficeretur, priuſquam eſset immolatus, alium nidum legitimum hujus vice dabit.

[37] *Præfectus ſigillis &c. Maimonides ibidem*: Qui præfectus erat ſigillis, is accipiebat libationum pretia ab his qui libationes facere deberent, quibus ipſe ſuas dabat teſſeras; libamina vero tradebat ille, qui præfectus ipſis erat. Erant igitur in Sanctuario ſigilla quatuor quorum in uno inſcriptum erat Vitulus, in altero MAS, in tertio HÆDUS, & in quarto PECCATOR. Omnes igitur, qui ſacrificia in ſanctuarium afferebant, libationum pretia dabant ei, qui ſigillis erat præfectus, qui teſſerulas ſingulis pro ratione ſacrificiorum dabat. Ac homini quidem leproſo, & eidem diviti teſſerulam dabat qua verbum iſtud erat inſcriptum PECCATOR. Porro ſuas quiſque teſſerulas portabat præfecto libaminum, qui pro numero & inſcriptione teſſerularum cuique libamina præbebat; veſperi conveniebant hi duo præfecti; reddebat hic teſſerulas, ſolvebat ille pecunias. Siquid pecuniæ ſupereſſet, manebat ærario ſacro, ſin pecunia deficeret, hic qui ſigillis præerat, reliquum de ſuo ſolvebat; ſi quis ſuam amiſiſſet teſſerulam, exſpectabatur ad veſperum. Nam ſi tantum argenti ſupereſſet, quantum erat acceptæ teſſerulæ pretium, redderetur illi, ſin minus, nihil reddebatur. Erat autem in unaquaque teſſerula adſcriptum diei nomen propter fraudolentos homines, ut ne teſſerulæ retinerentur ab his uſque dum libamina cariori venderentur pretio &c. *Schilte Haggibborim ibid.* Primus præfectus igitur erat Jochanam, qui præerat ſigillis, & ſecundus erat Achias, qui præfectus erat libaminibus. Maimonides f. m. & R. Bartenora eadem de hac re ſentiunt, eademque reliqui ſapientes ſentiunt, quod ſigilla prodeſsent tam pro ſimila in munera, & eorum oleo, quam pro vini libaminibus & qui præfectus eſset ſigillis, ſumeret nummos pro oleo, vino, & ſimila ab eo, qui ea poſtulabat, & opus habebat; eique daret Sigillum, quo ſibi ab Achia ſuppeditabatur quod ſibi opus eſſet; e. g. Jochanan, poſtquam recepiſſet nummos ab eo, qui requirebat quod ſibi opus eſſet ad ſacrificium bovis, ei dabat ſigillum, cui erat inſcriptum *Vitulus*, veniebat ad Achiam cum ſigillo, quod acceperat a Jochanane, & recipiebat ab Achia, aut ab iis, qui illi ſubjecti eſſent, tres ſimilæ decimas mixtas cum dimidio Hin olei, cum dimidio Hin vini in libamina; & pariter ſi comparare ſibi vellet neceſſaria pro ariete, poſtquam nummos dediſſet Jochanani, ab eo recipiebat ſigillum, cui erat inſcriptum *Maſculus*, illudque ad Achiam afferebat, ab eoque accipiebat duas decimas ſimilæ cum tertia parte Hin mixtas, & cum tertia parte Hin vini in libamina; atque ita pro omnibus ſigillis; veſperi poſtquam oblatum eſſet ſacrificium veſpertinum, quod eo die nulla amplius offerebantur ſacrificia, ambo conveniebant; Achias præbebat ſigilla, & a Jochanane juxta eorum numerum recipiebat nummos, pretium rerum, quas ſacrificantibus ſuppeditaſſet; ſiquid pecuniæ ſupereſſet in manibus Jochananis, manebat ærario ſacro; neque dicebantur fuiſſe nummi ipſius Jochananis, qui mixti eſſent cum pecunia ſimilæ, olei, & vini; ſin *pecunia* deficeret, Jochanan de ſuo ſolvebat, quia manus ſacri ſemper erat ſuperior; verum ſi quis ſuum amiſiſſet ſigillum, exſpectabat ad veſperam, & ſi reperti eſſent in manibus Jochananis, poſtquam perſolviſſet Achiæ reliqua ſigilla, nummi qui reſponderent pecuniæ, quam ille dicit amiſiſſe, aut *Vituli*, aut *Maſculi*, aut *Hœdi*, aut *Peccatoris*, tunc ei præbebatur ſimila, & vinum, & oleum juxta ſigillum, quod perdiderat, ſin minus, nihil reddebatur; neque Jochanan debebat ei reddere nummos; quia ſi ille dicat Jochanani, redde mihi pecuniam, quam tibi dedi pro ſigillo; Jochanan poterit ei rem denegare, & qui velit aliquid a manu proximi vindicare, ad eum pertinet argumento probare; atque deceptorum cauſa ſigillo inſcribebant hodie, tali hebdomadæ die, & menſis, *inſcribebant* & numerum dierum menſis, & anni; fortaſſe iſte deceptor poteſt reperire ſigillum, quod ceciderit proximo ſuo, aut Achiæ; & modo venit ad repetendum; quia quo die reperit, non licet ei repetere res ad ſacrificium pertinentes, quia is qui perdiderit, quæret; & præterea notatur dies, uti dictum eſt, quia poterat dubitari, quod ille veniret ad recipiendum ſigillum quo tempore res minoris venderetur, & apud ſe retineret, donec majoris venderetur. Et triceſimo quoque die fiebat pactio de pretio cum Achia, aut cum eo, qui in ſe reciperet præbiturum ſimilam, vinum, & oleum iis, qui opus habebant in ſacrificium, & ſi pactionem ſubſecuta eſſet vilitas, ſuppeditabat Achias, aut ille, qui pactus eſſet, juxta æſtimationem viliori pre-

tio

tio; ſi caritas, præbere debebat juxta illam æſtimationem, quam ſtatuiſſent, priuſquam pretium carius fieret, quia ſacrum ſemper debet eſſe ſuperius. Et ecce, controverſia oritur an Achias haberet necne in ſuo conclavi nummos ſacros, ſimilam, vinum, aut farinam, ut ſuppeditaret, & venderet iis, qui Sacrificium offerebant; Maimonides b. m. in conſtitutionibus de Vaſis Sanctuarii declarat, quod præfectus libaminibus, qui juxta communem opinionem præerat quoque ſimilæ, & oleo, ea venderet; & idcirco reſpondet Maimonides, quod hæc omnia in ejus conclavi reperirentur. Et R. Abraham filius Davidis ei refragatur, uti eo loci legitur. Verum R. Bartenora ſcribit; *Veniebat ad Achiam, præfectum libaminum ad emendum vina, olea, & ſimilas, ne is, qui ſacrificium offerre debebat, teneretur ſibi procurare libamina confecta juxta purificationem ſanctitatis*; & ſimpliciter loquitur, ita ut ex his expreſſe erui non poſſit, an Achia juxta ejus ſententiam hæc haberet necne; & ecce, quemadmodum Miſna quarta cap. IV. tractatus de ſiclis tutatur opinionem Maimonidis b. m., ita Miſna nona cap. IV. de ſiclis primo aſpectu ejus ſententiæ refragatur. Et ad me non attinet definire, juxta quem ſit deciſio, quia mea mens admodum ignara eſt, & ratiocinari neſcio; veritas igitur aperiet nobis, utra ſit de his probanda ſententia, ut dubitari non poſſit; & veriſimile eſt in conclavi Achiæ, ſi minus in eo eſſent ſimila, & libamina, fuiſſe ſaltem olea, quæ continenter liberales offerebant pro incendendo candelabro, & lætitia domus hauſtionis, & pro frixis quotidianis Sacerdotis ſummi, & pro frixis reliquorum Sacerdotum, cum primum in Sanctuario miniſtrabant, & recipiebat a ſummo Sacerdote, & a *Sacerdote* vulgari nummos pro olei pretio, quod pro eorum frixis comparabant; & de argento ex his oleis redacto, quando libebat, rationem inibat cum quæſtoribus; hac de cauſa juxta meam ſententiam ejus conclave tantum oleorum conclave vocabatur, & non ſimilæ & libaminum conclave, cum ibi tantum aſſidue hæc olea aſſervarentur.

38 *Præfectus Ægris &c. Maimonides ibidem*. Sacerdotes quoniam in pavimento ſemper inſiſtebant, carnis edebant multum, & cum ſacris operarentur una omnino tunica tegebantur, ſæpe dolore viſcerum laborabant. Qua de cauſa præfectus erat, qui Sacerdotes viſeret, ægrotantes curaret, atque ad horum conſervationem ſe totum applicaret, & omnes, qui ei parebant, homines. *Schilte Haggibborim ibidem*. Quintus præfectus erat ben Achiæ ſuper ægrotationes Sacerdotum, quia cum Sacerdotes totum diem nudis pedibus ſuper pavimento incederent, & propter frequentia lavacra, & ſanctificationes manuum & pedum aqua frigida, & cum tempore miniſterii non ſubucula, & reliquis veſtibus, ſed una tunica induerentur, & pecorum, & agnorum, & arietum carnes comederent, & plerumque loco panis fermentati, cruſtulis, & placentis azymis veſcerentur, propterea natura eorum, & vires membrorum interiorum, & internus calor debilitabantur; neque viribus erant ſatis firmis; & ſæpe variis morbis, & præſertim viſcerum dolore, & alvi profluvio, & variis febribus corripiebantur; his de cauſis hic filius Achiæ his infirmitatibus curandis præfectus erat, multique medici ejus diſcipuli ei parebant, qui in curandis Sacerdotum infirmorum morbis ei opitularentur; & in ejus conclavi aſſidue erant variæ potiones, atque aromatum ſuffitiones, & condimenta ſalutaria, ſucus fructuum, ſpiritus oleorum, atque adipum unctiones, emplaſtra, medicamenta, & alia his ſimilia experimentis probata, atque utilia omnibus morbis, quibus Sacerdotes afficerentur.

39 *Præfectus aquis &c. Maimonides ibidem*. Præterea autem præfectus erat, qui cum novos puteos, ciſternaſque fodiendas, tum veteres, ſi corrumperentur publici putei, reficiendos curaret, quo cunctis Hieroſolymæ incolis, & univerſis etiam ad ſolennitates eo venientibus copioſa ſuppeteret aqua. *Schilte Haggibborim ibidem*. Sextus præfectus erat Nechonias effoſſor puteorum, qui præerat multis hominibus, qui puteos effoderent, & reficerent ad perducendam aquam fontium per canales, & aquæductus Hieroſolymam, ut aſſidue ſuppeteret aqua in Sanctuario, & cunctis urbis incolis, atque univerſis ad ſolennitatem venientibus.

40 *Præfectus conficiendis panibus &c. Maimonides ibidem*: Quidam cunctis panum propoſitionis artificibus præfectus erat, qui quidem artificium panis ejus totum ordinabat ipſe. *Schilte Haggibborim ibidem*. Duodecimus præfectus erat præfectus familiæ Garmu, qui præpoſitus erat piſturæ panis facierum, qui capſæ, uti diximus, a lateribus apertæ ſimilis erat, & viri ejus familiæ omnes callebant artem conficiendi, coquendi, atque e furno educendi, ne frangeretur, *atque artem*, ne muceſceret.

41 *Confici autem &c. Maimonides ibidem cap. IV. 6.* Quin etiam operatio illa efficiendorum panum propoſitionis ad ſolam Curiam ex ordine miniſtrantem pertinebat, ſed operatio efficiendorum duorum panum ad Pentecoſten offerendorum ex æquo pertinebat ad omnes curias.

42 *Præfectus ſuffitui &c. Maimonides ibidem cap. VII.* Porro quidam cunctis ſuffimenti artificibus præfectus erat, qui item ejus artificium ordinabat, & inſtituebat ipſe. *Schilte Haggibborim ibidem*. Decimus tertius præfectus erat de domo Abtines. Hic & viri ſuæ familiæ periti erant ſuffitus conficiendi, iiſque nota erant omnia aromata, & herba, quæ vocabatur fumum aſcendere faciens, & quando ea cum ſuffitus aromatibus miſcebatur, ſuffitus fumus in altum inſtar baculi aſcendebat.

43 *Præfectus velis &c. Maimonides ibidem*: Quem autem diximus velis texendis præpoſitum, is cunctis textoribus, & acupictoribus velorum præfectus erat. Huic id erat curæ, ut ab iſtis templi portarumque vela pararentur ad tempus. Jam vela quotannis efficiebant duo, quæ Sanctum a Sancto Sanctorum diſtinguerent. Atque in his velis erant ſexies conduplicata fila cujuſque generis. Nam ſingula ſtamina continebant filorum genera quatuor, xylinum, hyacinthinum, purpuram, & coccum bis tinctum. Itaque ſingula ſtamina filis e viginti quatuor conſtabant. Horum igitur craſſitudo velorum palmaris erat. Jam ſtaminibus e ſeptuaginta texebantur. Erat autem cujuſque longitudo quadraginta cubitorum, & viginti cubitorum latitudo. Atque in templo ſecundo vela adhibebantur tredecim; ſeptena in ſeptem atrii portis, unum in janua veſtibuli, unum ad templi januam, duo ad adytum templi, a Sancto dividendum, & itidem duo e ragione ipſis in cœnaculo. *Schilte Haggibborim ibidem*. Decimus quartus præfectus erat Eleaſar ſuper velis, & is præpoſitus erat ſuper hyacinthino, purpura, cocco dibapho, & byſſo; *præerat* etiam iis, qui nerent, torquerent, inficerent, texerent, accupingerent; & filius Achiæ medicus Sacerdotum, & Eleaſar, qui præpoſitus erat velis, non cogebantur a cœtu, ut ullam quæſtoribus rationem redderent de iis, quæ operarentur, propterea quod a majori parte congregationis fide digni habiti eſſent.

44 *Præfectus veſtibus &c. Maimonides ibid.* Qui Sacertalium veſtium apparatui præpoſitus erat, is Sacerdotum privatorum juxta atque ſummi Sacerdotis veſtes curabat apparandas & texendas; ac quicquid ad rem iſtam ſpectabat, id omne fiebat hujus præfecti cura & juſſu. Atque etiam proprium erat huic in Sanctuario conclave. *Schilte Haggibborim ibidem*. Quintus decimus præfectus erat Pinchas veſtiarius, de quo egimus in eo capite, quod incipit, *Templum erat anguſtum &c.* erat ei conclave in Sanctuario, in quo veſtes novas Sacerdotii conficiebant; & iſte Pinchas præpoſitus erat ſuper byſſo, & lana, & omnibus artificibus, & novis veſtibus, quæ omnes ex byſſo albæ erant, excepto balteo, qui erat lana acupictus; & illinc depromebantur veſtimenta nova, quæ opus erant, ab iis, qui miniſtrabant omnibus Sacerdotibus, qui neceſſario ſacrificiis operam dabant, ibique ab iiſdem reponebantur veſtes detritæ, & in hoc conclavi Pinchaſi cuſtodiebantur, uti diximus; & quanquam Sacerdotes vulgares uterentur veſtibus, quæ in promiſcuo erant in arcis, quod eas, quas aliquis ex una cuſtodia hodie veſtiebat, cras alius induebat, tamen nemo poterat recuſare illas veſtes, quod eas alii ſacerdotes induiſſent; quia Sacerdotes, cum miniſtrabant, non erant morbis affecti, & erant ab omni labe puri, emundatique lotionibus, & ſanctificationibus manuum & pedum, quibus utebantur, nullæque in veſtibus Sacerdotii maculæ, aut ſordes erant. Et ex hoc conclavi Pinchaſi juxta meam opinionem, uti ſcripſi, depromebantur ellychnia, quæ inſerviebant candelabro, & hilaritati domus hauſtionis, iſtaque fiebant ex attritis femoralibus, & balteis Sacerdotum vulgarium; ellychnia vero candelabri fiebant dumtaxat ex tunicis &c.

CAPUT QUARTUM.

De Sacerdotibus.

§. I. Diviſio enrum in 24. Ephemerias.

I. SAcerdotes, quo nomine poſteri duorum filiorum Aaronis, Eleazaris & Ithamaris, intelliguntur, a quibus omnes familiæ ſacerdotales manarunt, ut ſinguli ordine ſacris operari poſſent, diviſi fuerunt [1] in 24. claſſes, ſive Ephemerias, פלגות *Exod. 6.* 18. משמרות, ἐφημερίδας Joſepho dictas. Theodoſius Judæorum Ἀρχηγὸς imperante Juſtiniano numerum familiarum ſacerdotalium fuiſſe 22. ſcribit, ſecundum numerum librorum ſacrorum, uti Svidas narrat ad vocem Ἰησοῦς. Debuiſſet ſcripſiſſe 24. nam & ita olim (licet alii libros ſacros 22. numerent) numerarunt & cum his ipſis ephemeriis ſacerdotalibus compararunt Judæi in *Midraſc Coheleth.* 121. 3. הספרים עשרים וארבע המשמרות עשרים וארבע *Libri ſacri ſunt* 24. *& tot ſunt ephemeriæ.* Confer & *Targum Cantici Cant.* 5. 10. Hieronymus etiam in prologo galeato meminit utriuſque numeri & 22. & 24. librorum ſacrorum.

§. II. Origo ephemeriarum & ordo.

II. [2] Quidam putant 8. a Moſe eſſe inſtitutas, 4. in Eleazaris, 4. in Ithamaris familia, alii vero 16. quibus David. 8. alias addiderit, cujus tempore 24. fuiſſe conſtat ex 1. *Chron.* 24. 4. uti & tempore Salomonis 2. *Chron.* 8. 14. ex familia Eleazaris 16. ex Ithamaris 8. deſumptas, quarum nomina illic leguntur. Vid. *Gem. Taanith.* 27. 1. & *Gem. Hier. Taanith* 67. 4. Quum autem ordo harum ephemeriarum per captivitatem Babylonicam eſſet turbatus, & [3] 4. tantum in Palæſtinam redierint, *Ezr.* 2. 36. hæ diviſæ videntur in 24. ephemerias, eodem ſervato ordine excepta claſſe prima, quæ olim Jojaribi fuerat, nunc ſecundæ Jedajæ ceſſerat, & iiſdem nominibus. Quum porro ſub Antiocho Epiphane cultus ſacer per tempus aliquod ceſſaverit, licet dein a Juda Maccabæo reſtitutus, quia tamen certo neſcitur quo ordine tunc cœperint ſacris operari, & non diu ante Templi II. excidium ob defectum ἀνδρῶν ſacrificium juge intermiſſum fuerit, non videtur inde ratio firma peti poſſe ad demonſtrandum Soſpitatoris noſtri menſem aut diem natalem.

§. III. Ephemeriæ diviſæ in 6 familias.

III. [4] Singula ephemeria ſtato tempore (quod nomine ἡμέρων λειτουργίας venit *Luc.* 1. 23.) munus ſuum obibat per hebdomadem, a ſabbatho initium faciens 2. *Reg.* 10. 6. 2. *Chron.* 23. 4. [5] Verum & in feſto Paſchatis & aliis, ſi opera plurium requireretur, plures aderant, & omnes ephemeriæ tunc æquale jus habebant ad ſacra quæ ad feſtum pertinebant: ſed tamen una erat ephemeria, cujus vices erant hebdomade illa, שבת קבוע *Succa*. v. 8. [6] Unaquæque ephemeria in 6. familias vel domos patrum erat diſtributa, ab ראש המשמר. Ita ששה בתי אבות הכהנים *ſex domus patrum ſacerdotales* memorantur in *Gem. Menachoth*. 107. 2. Sic ut ſingulæ ſuum diem haberent, quo ſacris operabantur, & ſabbatho omnes ſimul. Alii vero inter Judæos putant ſeptem fuiſſe domos patrum. Alii denique [7] putant plures pauciorеſve domos patrum in ephemeriis fuiſſe; & ſi 5 eſſent familiæ ſive domus patrum, tres ex iis miniſtraſſe tribus diebus, & duas reliquis diebus quatuor; ſi octo eſſent, ſex miniſtraſſe diebus ſex & duas uno; ſi novem, quinque miniſtraſſe diebus quinque & quatuor duobus. vid. *Gem. Hier. Taanith.* 68. 1. Omnibus autem ſacerdotibus ejus ephemeriæ אנשי משמר [8] interdictum erat hebdomade illa barbam radere, excepto die quinto ob honorem ſabbathi, commercium cum uxore habere, & vinum interdiu bibere (certe non ultra רביעית ſi merum fuerit) quia forte familiæ ſacerdotali certo die miniſtranti opem ferre cogerentur. Illis vero, quibus certus dies miniſterii obtigerat, אנשי בית אב, interdictus erat vini uſus & die & nocte, quia etiam noctu in altari adeps & renes cremabantur. *Taanith.* 11. 7. [9] Quam conſtitutionem eo uſque nonnulli extendunt, ut putent, ſi quis Judæorum ſciat e qua familia ortum ducat, ei non licere illa hebdomade, qua novit familiæ ſuæ vices eſſe in templo miniſtrandi, vinum interdiu bibere, ne ſi Deus forte templum vellet reſtaurare, illum imparatum offenderet. Hecatæus autem Abderites in Hiſtor. Jud. ſacerdotibus omnibus uſum in templo interdictum ſcribit: διατρίβουσι δ᾽ ἐν αὐτῷ καὶ τὰς νύκτας καὶ τὰς ἡμέρας ἱερεῖς, ἁγνείας τινὰς ἁγνεύοντες, καὶ τὸ παράπαν οἶνον οὐ πίνοντες ἐν τῷ ἱερῷ.

§. IV. Aptitudo ſacerdotum ad munus examinata.

IV. [10] Sacerdotes non admittebantur niſi prævio examine ſynedrii magni vel fratrum ſuorum ſacerdotum. [11] Ætatem 20. annorum attigiſſe debuerunt, antequam, etiamſi apti viderentur, non admittebantur ad functiones ſacerdotales a fratribus ſuis, id eſt, ſacerdotibus, אין אחיו הכהנים מקריבים אותו לעבודתו, עד שיהיה בן עשרים שנה uti eſt in *Siphra fol.* * 229. 1. *Gem. Chullin.* 24. 2. De genealogia legitima conſtare ante omnia debuit; quam niſi probare poſſent, arcebantur. *Ezr.* 3. 62. *Nehem.* 7. 56.

56. [12] ille autem cujus natales legitimi erant, albas veſtes induebat, miniſtrabatque cum aliis. [13] Cujus autem non erant legitimi, nigris induebatur & egrediebatur ex atrio: *Middoth.* v. *ult.* Confer *Apoc.* 3. 5. Debebant quoque eſſe edocti a diſcipulis ſapientum, id eſt, hominibus literatis, ritus ſacros, jugulationem, exceptionem & ſparſionem ſanguinis, pugilli exceptionem &c. תח׳ מלמדין לכהנים שחיטה והלכות זריקה וקבלה וקמיצה uti legitur in *Gem. Ketuvoth*. 106. 1. & *Schir haſſchirim Rabba* 22. 1. [14] Si qui autem erant בעלי מומין & vitio corporis laborabant, quod eos ineptos redderet, ut ſanguinem excipere, pugillum e fertis ſumere, ſacra agitare (de quibus vide *Siphra fol.* * 229. 2.) ad altare adſcendere aut in ædem ſacram intrare poſſent, portiones tamen ſuas ex cibis ſacris percipiebant (quod in *Siphra fol.* * 19. 2. recte colligunt ex *Lev.* 6. 22. ubi כל זכר ad cibos admittitur) & lignis ſeligendis, cineribus extra urbem deferendis, ac ſimilibus operam dabant. *Menachoth.* XIII. 10. *Joſeph. Ant.* III. 10. *Siphra fol.* * 5. 1. & * 9. 1.

§. V. Diſcrimen Sacerdotum literatorum, & illiteratorum.

V. Sacerdotes quoque erant vel literati [15] חברים ſive תלמידי חכמים, qui ſtudiis operam dederant, & mundum ab immundo, licitum ab illicito, ſacrum a profano accurate diſtinguere poterant, vel כהנים עם הארץ ſacerdotes illiterati, quaſi plebejos dicas. [16] Literati ditiores erant plerumque & frequentiora dona accipiebant, illa nempe quæ ab Iſraelitis dari poterant ſacerdoti cuicunque aliquis vellet: ſi enim darentur illa ſacerdoti illiterato, incertum erat an legitimo modo ea dona conſumturus eſſet, adeoque ſive huic darentur ſive [17] leoni, qui illa pedibus conculcare poſſet, idem fere cenſebatur. Vide *Midraſch Coheleth.* 20. 2. & *Sanhedrin* initio cap. *Chelek*.

§. VI. Viri ſtationis qui.

VI. Quemadmodum autem familiæ ſacerdotales, [18] ita etiam viri ex populo Iſraelitico diviſi ſunt in 24 claſſes, quarum ſingulis unus præfectus erat, ut cum unaquaque claſſe ſacerdotali & Levitica Hieroſolymas adſcenderent, [19] ſacris adſtarent, populumque univerſum, qui ſacrificiis publicis intereſſe non poterat, nec atriis templi comprehendi, repræſentarent, אנשי מעמד *viri ſtationis* appellati. Horum ſocii qui in urbibus ſuis procul ab Hieroſolyma diſſitis, remanſerant, tota illa hebdomade cultui divino vacabant, Deum orantes, jejunantes, vel legentes Sacrum codicem.

§. VII. Leges, quas illi obſervabant.

VII. Hi viri ſtationis, quorum 24 ad minimum Sacris adeſſe debebant, [20] quatuor dies ſuæ hebdomadis jejunio tranſigebant, ſecundum, tertium, quartum & quintum. [21] Sabbatho jejunare non licebat, uti nec die antecedente (ערב השבת, *veſpera Sabbathi*) ob honorem ſabbathi, nec primo, ne ſtatim poſt ſabbathi delicias in moleſtiam jejunii inciderent, vel ne diem Chriſtianis ſacrum aliquo honore proſequi viderentur. *Echa rabbathi* 71. 4. [22] Interdictum quoque erat viris ſtationis, uti & ſacerdotibus ephemeriæ miniſtrantis, tota illa hebdomade qua officio ſuo fungebantur, barbam radere, capillum tondere aut ſe lavare, ut antequam miniſterium ſuum exordirentur, raſi & bene loti accederent. Excipiebatur tamen dies quintus, quo hic cultus corporis permittebatur, ut honor haberetur ſecuturo ſabbatho. *Taanith.* IV. 3. *Gem. Moed katon.* 14. 1. eadem ratione, qua [23] quinto die ſe tondere & lavare licet in illa funeſta hebdomade in quam incidit dies nonus menſis Ab, [24] quo templum primum & ſecundum dirutum, urbem Bether captam, & alias calamitates ſe perpeſſos eſſe Judæi tradunt.

§. VIII. Veſtes ſacerdotum.

VIII. [25] Veſtes ſacerdotales, *νόμιμοι* dictæ Joſepho, quatuor ſunt, conſtantes ex שש vel בד, id eſt, lino (reſpectu enim materiæ utrumque idem eſt & בד non differt a בוץ *Siphra fol.* * 3. 2. ideo *βύσσιναι ἱερέων* a Joſepho appellantur) femoralia, tunica, balteus & pileus: quarum formam ſupra indicavimus, ubi de veſtibus albis Pontificis Maximi egimus. [26] Non tamen albæ appellari ſolent, licet ex lino albo tres conſtiterint, quia balteus ſacerdotum erat variis coloribus diſtinctus: nec aureæ, quod nulla ex iis aurum inſertum haberet, uti octo veſtes aureæ Pontificis, quæ nomen aurearum a quatuor ex iis proprie aureis adeptæ ſunt. Balteus erat שעטנז ex lino & lana mixtus, uti & balteus, ephod, & pectorale Pontificis Maximi quale veſtimenti genus aliis hominibus, & ipſis ſacerdotibus extra templum, interdictum erat *Levit.* 19. 19. [27] Quamdiu in templo erant, licebat, etiamſi ſacris non operarentur, eas veſtes gerere excepto balteo, qui quum ex lino & lana conſtaret, ſtatim deponendus fuit poſt miniſterium. *Gem. Tamid.* 61. 2. *Gem. Joma* 69. 1. [28] Non tamen licebat in iis veſtibus dormire, aut capiti eas ſupponere, quod tamen alii affirmant. *Tamid.* 1. 1. [29] Servabantur hæ veſtes in conclavi, (putatur fuiſſe conclave Phineaſi) ubi ſingulæ claſſes ſacerdotales 4. receptacula habebant cuſtodiendis 4. veſtibus deſtinata. [30] Tritæ autem & laceræ inſerviebant conficiendis ellychniis lychnorum ſacrorum tum in ſancto, tum in atriis, *Gem. Schabbath.* 21. 1. & 79. 2.

§. IX. Nuptiæ eorum, tonſura, & luctus.

IX. Nuptias inire poterant ſacerdotes cum puellis Iſraeliticis quæ ex tribu Levi non erant, [31] & illæ ad primitias cum maritis edendas jure matrimonii admitteban-

tur : tantumque aberat ut propterea dignitas generis ſacerdotalis imminuta habita fuerit, ut in *Siphra* legatur *fol.* * 236. 2. [32] ſi filiæ ſacerdotis nuptæ Iſraelitæ nata ſit filia quæ nubat ſacerdoti, naſcaturque ex hoc matrimonio filius, aptum illum eſſe poſſe ut Pontifex maximus deſignetur. [33] Interdictum erat ſacerdotibus nuptias inire cum repudiata, & חלוצה quæ calceum exuit, quia a leviro repudiatur. *Sota* VIII. 13. *Kidduſchin* III. 12. Interdicta quoque erat ſacerdotibus profanata, per quam Hebræi intelligere ſolent natam ex fœmina Pontifici maximo interdicta veluti vidua alterius (vid. *Siphra fol.* * 225. 1.) denique [34] ſcortum *Levit.* 21. 7. *Joſephus Antiq.* III. 10. interdictas fuiſſe ſacerdotibus ſcribit non modo τὰς ἑταιρικυίας, [35] ſed & quæ ſervæ fuerant, aut captivæ, vel cauponariam exercuerant. Viduæ autem permiſſæ erant ſacerdotibus, & ſoli Pontifici maximo interdictæ. Fruſtra opponitur *Ezech.* 44. 22. ubi ſacerdotes dicuntur non endituri conjugium cum viduis & repudiatis, quum ex verbis additis liqueat viduas ſacerdotum iis permiſſas fuiſſe, nec ibi de jure quod a temporibus Moſis inter Judæos obtinuit agatur, ſed ſæculis futuris. Joſephus etiam *Ant.* III. 10. viduas ſacerdotibus permiſſas, ſoli autem Pontifici negatas ſcribit. [36] Præterea calvitiem capiti inducere non licebat, aut angulum barbæ auferre, aut caput פרוע *Levit.* 10. 6. [37] ideſt, incomtum habere demiſſis capillis, more lugentis, aut nudare, vel, ut alii, non licuiſſe ſacerdoti crines omnes abradere, aut comam ultra trigeſimum diem alere, ſic ut tonderi ſingulo menſe ſemel debuerit. [38] Ut autem bene culta & raſa ad opus accederet quælibet claſſis, interdictum erat capillos tondere aut lavare veſtimenta illa hebdomade qua miniſtrabat. [39] Præterea ad parentes mortuos & liberos, fratreſque ac ſorores (uxorem quidam addunt) licuit ſacerdotibus accedere & iis pollui, ad quos vel ipſos Pontifici non licuit accedere *Lev.* 21. 2. *&c.*

§. X. 18 Requiſita in ſacerdotibus.

X. Solent Judæi illa quæ requiruntur in ſacerdotibus qui ſacris operarentur [40] ad capita octodecim referre. Non debebat eſſe 1. [41] Cultor idolorum. 2. [42] Ex ſtirpe aliena, id eſt, qui non eſſet ex poſteris Aaronis. 3. Vitio corporis laborans : qualia [43] vitia 140. enumerant Judæi. 4. [44] Incircumciſus. 5. [45] Immundus. 6. [46] Talis qui veſperam ejus diei exſpectare deberet ad luſtrationem ſuam. 7. [47] Qui expiatione indiget, de qua ſupra. 8. [48] Lugens. 9. [49] Ebrius. 10. [50] Veſtibus paucioribus quam par erat indutus. 11. Veſtibus pluribus indutus. 12. [51] Veſte ſciſſa indutus. 13. Capite nudus. 14. [52] Pedibus manibuſque non lotus. 15. [53] Sedens dum ſacris operatur aut ſe lavat. 16. Qui [54] nuda manu vas non attingit, ſed ita ut intercedat aliquid inter manum & vas. 17. Qui [55] ſolo ita inſiſtit, ut inter pedem & ſolum aliquid interjectum ſit. 18. Qui ſiniſtra manu ſacra peragit. Quæ fere omnia enumerantur in *Zevachim* II. 1.

§. XI. Dona 24 ſacerdotibus debita.

XI. In *Gem. Chullin.* 133. 2. & *Gem. Hier. Challa* 60. 2. hoc modo recenſentur 24. [56] dona ſacerdotalia, מתנות כהונה.

עשר במקדש
10 [57] conſumenda in templo.

חטאת *Sacrificium piaculare ex quadrupedibus.*
חטאת העוף *Sacrificium piaculare ex avibus.*
אשם ודאי *Sacrificium pro delicto certo.*
אשם תלוי *Sacrificium pro delicto dubio.*
זבחי שלמי ציבור *Sacrificia ſalutaria publica.*
לוג שמן של מצורע *Log olei leproſi.*
שתי חלחם *Duo panes Pentecoſtales.*
לחם הפנים *Panes propoſitionis.*
שירי מנחות *Reliquiæ fertorum.*
מנחת העומר *Manipulus Paſchalis.*

ארבע בירושלים
4. [58] quorum uſus eſt Hieroſolymis.

הבכורה *Primogenita pecudum.*
הביכורים *Primitiva.*
מורם מן התודה ומאיל נזיר *Partes ablatæ ex ſacrificio confeſſionis & ariete Nazaræi*, id eſt, חזה, שוק, וד' חלות, זרוע, חלה, ורקיק, *pectus*, *crus*, 4. *placentæ*, *armus*, *placenta*, *& laganum.*
עורות קדושים *Pelles ſacrificiorum ſanctiſſimorum.*

עשר בגבולין
10. [59], quorum uſus licitus eſt extra Hieroſolymas.

(No-

(Notandum tamen omnia hæc dona 24. aliquando distingui in species duas, videlicet קדשי המקדש & קדשי הגבול . vide *Midrasch Esther* 127. 3. sic ut tum גבול sit quodcunque extra atrium magnum est)

תרומה	*Primitiæ.*
תרומת מעשר	*Decimæ de decimis.*
חלה	*Placenta. Num.* 15. 18. *Rom.* 11. 16.
ראשית הגז	*Primitiæ lanæ. Deut.* 18. 4. *Chullin.* XI. 1.
מתנות	*Dona ex animantibus profanis*, id est, הזרוע, והלחיים, והקיבה' *armus, maxillæ & ἤνυςρον sive venter* : nam vetitum est animal edere de quo hæc tradita sacerdoti non sunt, אסור לאכול מבהמה שלא תורמה מתנות'. Nunc ea sacerdotes non accipiunt, quod iis Deus ea assignaverit ob operam quam aliis Israelitis terra Israelitica & templo præstarent. vid. *Deut.* 18. 5.
פדיון הבן	*Pretium redemtionis filii primogeniti.*
פדיון פטר חמור	*Pretium redemtionis asini.*
שדה אחוזה	*Ager possessionis. Lev.* 27. 16.
שדה חרמים	*Ager devotus* : alii תרמים hic habent, non שדה *Erachin.* VIII. 6.
גזל הגר	*Rapina proselyti.* Si proselytus, cujus bona direpta sunt, moriatur, raptor sacerdotibus ea, & quintam partem, restituit.

§. XII. Quibus sacerdotibus danda.

XII. [60] Ex decem his ultimis priora quinque dabantur sacerdotibus omnibus, pro lubitu dantis, posteriora sacerdotibus ephemeriæ ministrantis : quamvis dissensus sit de nonnullis inter doctores Hebræos. Nam ita quidam volunt in τοῖς חרמים *mobilia* מטלטלין posse dari לכל כהן *sacerdotis cuivis*, sed *immobilia* קרקעות esse danda sacerdotibus *ephemeriæ ministrantis* לאנשי משמר . *Gem. Hier. Challa.* 60. 2. Ita de rapina proselyti disputant in *Gem. Bava kama.* 109. 2. Confer *Bava kama* IX. 12. Distinguebant tamen inter sacerdotes literatos & illiteratos, sic ut hæc dari possent לכל כהן *unicuique sacerdoti*, sive doctus esset sive indoctus, quia harum rerum sanctitas tanta non erat ac reliquarum, aut quia non solebant inter sacerdotes in templo ministrantes unum alteri præferre *Challa.* IV.

חרמים	*Res devotæ.*
בכורות	*Primogenita pecudum.*
פדיון הבן	*Pretium redemtionis filii.*
פדיון פ' חמור	*Pretium redemtionis asini.*
הזרוע לחיים ו'	*Dona ex animantibus profanis.*
ראשית הגז	*Primitiæ lanæ.*
שמן שרפה	*Oleum combustionis* : id est primitiarum pollutarum.
קדשי המקדש	10. *Res consumendæ in Templo.*
ביכורים	*Primitiva.*

COMMENTARIUM IN CAPUT QUARTUM.

[1] IN 24. *classes &c. Bartenora ad cap. II. Taanith 6. Viri custodiæ* Sacerdotes divisi erant in viginti quatuor custodias, quæ משמרות vocabantur.

[2] *Quidam putant octo &c. Gemara Hieros. Taanith. cap. IV. fol. 67. col.* 4. Octo classes sacerdotales constituit Moses, quatuor ex Eleazaridis, atque ex Ithamaridis totidem. Id quod obtinuit usque dum David & Samuel Propheta adjicerent eis octo alias. Quatuor ex Eleazaridis, & Ithamaridis itidem quatuor. Conati vero illi etiam & octo alias modo simili, ut namerus 24. classium ita compleretur, adjicere; Sed Eleazaridas quot sufficerent repererunt; non vero Ithamaridas. Atque hoc innuit illud quod scriptum est (1. *Paral. XXIV.* 4.) *Inventique sunt multo plures filii Eleazar in principibus viris, quam filii Ithamar. Maimonides ibid. cap. IV.* Moses noster ille magister Sacerdotes in octo distribuit Curias; earum erant quatuor de stirpe Eleazaris, & de stirpe Ithamaris item quatuor. Quæ quidem partitio mansit ad Samuelem Prophetam; is enim suo tempore cum Rege Davide distribuit eos in curias 24., quarum suus cuique præerat Antistes.

[3] *Et 4. tantum &c. Tosaphta Taanith cap. II.* 2. 5. Quatuor custodiæ ascenderunt e captivitate Jedajah, Harim, Pashur, & Immer, surrexerunt Prophetæ in Hierosolyma, & in 24. classes distribuerunt, & eas miscuerunt, & in urnam conjecerunt, venit Jedajah; & educebat quinque, & ipse, erant sex. Venit Harim, & eduxit quinque, & ipse, ecce sex; Venit Pashur, & accepit quinque, & ipse, ecce sex; Venit Immer, & accepit quinque, & ipse, ecce sex. Atque ita pacti sunt cum eis prophetæ, Jehojaribum, etiamsi e captivitate ascenderet, nullam earum exclusurum, sed eis fore adjungendum. *Vide Hieros. & Babyl. Taanith, & Thosaphot ad Taanith.*

[4] *Singula ephemeria &c. Maimonides ibidem.* Ex his igitur (*curiis*) Hierosolymam operatum ascendebat singulis Hebdomadis una curia, vices mutabantur singulis Sabbatis, abibat una curia, & succedebat una curia, & succedebat ei proxime sequens usque dum ministrassent omnes, atque ad eumdem ordinem perpetuo redibant.

[5] *Verum & in festo &c. Maimonides ibidem.* Ac jubendo sancitum est, ut ad dies solennes sint æqua conditione curiæ omnes, ut quicunque peregre venerit sacerdos ad solennitatem altari ministratum, cum ea, quæ ex ordine operatur, curia ministret pariter; pariterque sacra participet, nec quis ei dixerit : Abi dum curiæ tuæ statum ministrandi tempus appetierit, ait enim lex ; *Si exierit Levites ex una urbium tuarum &c.* (*Deut.* XVIII.) Verum enim notandum est hæc edicta duntaxat esse de sacrificiis dierum solennium, de partitione panum propositionis, & duorum illorum Panum Pentecoste offerendorum. Nam votiva sacrificia, voluntaria, & jugia ne solennibus quidem fecerit diebus præter curiam ex ordine ministrantem, quod in lege dicatur. *Partem ciborum eamdem accipiet, quam & cæteri, excepto eo quod in urbe* ex

ex paterna ei succesione debetur . (*Deut.* XVIII. 8.) Hæc enim est ejus loci sententia, portionem accipient æqualem, nempe de sacrificiis publicis, non item de rebus cæteris, quas patres jam distribuerunt tum, cum sacerdotum curiis suam cuique hebdomadam descripserunt. *Vide ejusdem & Bartenoræ commentarium ad cap. V. 7. Succah.*

[6] *Unaquæque &c. Maimonides ibidem*. Ex curiarum principibus suam quisque curiam in familias distribuerat ita, ut singulis hebdomadæ diebus singulæ familiæ totæ deinceps rem divinam facerent. Et familiarum suum quæque habebat Antistitem. *Bartenora ad Taanith cap.* II. 6. *Viri custodiæ*, Sacerdotes divisi erant in 24. custodias, quæ vocabantur משמרות, & quævis custodia serviebat unam septimanam; *viri domus patris*, quævis custodia dividebatur in septem partes juxta hebdomadis dies, & vocabatur בית אב *domus patris*, & quælibet domus patris serviebat suo die in septimana.

[7] *Putant plures &c. Tosaphta Taanith cap. II.* 2. 5. In aliqua custodia forsan erant quatuor, quinque, sex, septem, octo, novem (*domus Patris*) In ea in qua erant quatuor, tres offerebant sacrificia duobus diebus, & una uno die. Si quinque, tres offerebant duobus diebus, & duæ uno die; si sex, quinque offerebant quinque diebus, & una duobus diebus; Si septem, unaquæque ministrabat die suo. Si octo, sex offerebant sex diebus, & duæ die uno; Si novem quinque ministrabant quinque diebus, & quatuor reliquis duobus diebus.

[8] *Interdictum erat &c. Tosaphta Taanith cap.* II. 7. Qui noverat suam classem, & suam familiam, & esset ex certis familiis, non arcebatur (*a vino*), nisi eo die tantum; Qui noverat suam classem, non vero familiam, & esset ex familiis certis, arcebatur tota ea hebdomada; Qui non noverat suam classem, neque suam familiam, & esset ex certis familiis, arcebatur toto mense. Rabbi dicit, ego dicerem, semper eum arcendum esse; sed suum remedium esset suum malum. Qua de causa permissum est viris custodiæ bibere vinum noctu, & non interdiu? Quia si viris domus paternæ adgravaretur ministerium, illis imponerent. Viris vero domus paternæ neque interdiu, neque noctu, quia assidui erant in ministeriis. Viris ministerii hebdomadalis, & viris stationis vetitum est se radere, ac lavare &c. *Maimonides de ratione adeundi templi cap.* I. 6. Namque Sacerdotum curias omnino sua quaque hebdomada vino licebat uti noctu, non item interdiu; cumque diebus singulis singulæ tantum e curia familiæ operarentur, tamen & reliquæ interdiu abstinerent temeto oportebat; fieri enim poterat, ut quæ familia vicem suam exercebat sacris adeo oneraretur, ut ope reliquorum e curia Sacerdotum indigeret; Jam quæ familia vices suas obibat, hæc interdictum, ne temeto uteretur dieque noctuque, ne forte veniret usu, ut cum noctu potasset, tum ad rem divinam faciendam nec dum discussa crapula bene mane aggrederetur. Atque omnis Sacerdos, qui nosset, qua e curia, quaque esset e familia sacerdotum, quo die cunque sciret familiam suam in re divina facienda occupatam esse, eo die toto interdictum erat, ne uteretur temeto. Jam si quis curiam suam nosset, non nosset familiam, hunc oportebat abstinere vino totam illam hebdomadam, qua sciebat curiam suam operari. Si nec curiam nosset, nec familiam, omnino æquum fuisset, ut ei interdictum vino esset in perpetuum; verum enim hic ex suo sibi malo remedium inveniebat. Etenim vinum ille bibebat usque, quippe quem rem divinam facere non licebat, dum certæ familiæ, certæ foret curiæ. *Et nonnullis interjectis*. Namque curiæ sacerdotum, ne sordidatæ venirent ad vices suas exercendas, vetitum erat sua quaque hebdomada tota capillos tondere, vestimentaque lavare. Itaque sese tondebant, corpus lavabant, & vestes ante, quam obirent tempus sui muneris. Siqua curia munere defuncta fuisset ad mediam solennitatem, omnino concessum erat, uti quilibet ex ea Sacerdos vel solenni tempore caput tonderet. Nam si curia munere defuncta fuisset ad vesperam solennitatis, nisi vespera solennitatis ex hac curia capillos tonderet nemo. *Vide ejusdem & Bartenoræ commentarium ad cap.* II. 6. 7. *Codicis Taanith.*

[9] *Quam constitutionem &c. Tosaphta Taanith. cap.* II. 9. Viri domus paternæ neque die, neque noctu, quia assidui erant in ministeriis; Viris ministerii hebdomadalis, & viris stationis vetitum erat se radere & lavare, tam post, quam ante excidium sanctæ domus. R. Jose dicit, postquam diruta fuit domus, vetitum est, quia ipsis mœstitia est.

[10] *Sacerdotes &c. Middoth. cap. V.* 3. In conclavi cæsi lapidis consessus magnus Israelis sedebat, ac etiam judicabat Sacerdotes. *Maimonides ibidem caput VI.* 11. Consilium magnum in conclavi lapidis quadrati sedebat, hujus senatores in eo potissimum erant occupati quotidie, ut considentes cognoscerent de ordine sacerdotum, atque eorum genera, ac vitia pervestigarent. *De quatuor matribus inquirebatur. Misna* קידושין *cap.* IV. 4. 5. Si quis duxerit uxorem Sacerdotalem, necesse est ut inquirat de quatuor matribus, quæ sunt octo, mater ipsius, mater matris ejus, mater patris matris ejus, & mater illius, & mater patris ejus, & mater ipsius, mater patris patris ejus, & mater ipsius. (Si duxerit) Leviticam, aut Israelitidem, unam præterea augent. Non inquirebant de altari sursum, neque de suggestu sursum, neque de Synedrio sursum, & quarumcumque patres habiti fuerint e judicibus publicis, & exactores elemosynarum, nubere possunt viro sacerdotali sine inquisitione. R. Jose dicit, etiam is, qui confirmatus erat teste in Senatu (urbis) Jeschanæ juxta Zippori. R. Chanina filius Antigoni dicit, etiam is, qui conscriptus erat in militia Regis. *Vide in hunc locum Maimonidis & Bartenoræ commentarium. Tosaphta Chagigah. cap.* II. 13. Et ibi sedebant, & examinabant genealogias Sacerdotii, & genealogias Levitarum.

[11] *Ætatem 20. &c. Maimonides de vasis Sanctuarii cap. V.* 15. Sacerdos ubi crevisset ad staturam viri, idoneus erat, qui rem divinam faceret; sed eum non sinebant fratres ejus Sacerdotes, usque dum viginti natus esset annos. At prima vice sacris operaturus non inibat atrium, nisi dum carmen ad aram Levitæ concinerent.

[12] *Ille autem &c. Maimonides ibidem*. Quisquis integer & purus inveniebatur, albis sese induebat, atque ingressus cum fratribus suis Sacerdotibus sacra obibat. *Tosaphta Cagigah ibidem*. Et ille, in quo nihil profani inventum esset, vestiebat vestes albas, & vestibus albis se velabat, ingrediebatur, & ministrabat cum fratribus suis, & diem festum celebrabant, quod nullum vitium in Aaronis progenie inventum esset, & offerebat suis manibus decimam partem Ephæ, quamvis ejus custodia (*eo die*) non ministraret.

[13] *Cujus autem &c. Maimonides ibidem*. Cujus in genere profani quid inveniebatur, is vestes induebat, atras, quibus obvolutus ex atrio discedebat. Tosaphta Cagigah cap. II. 13. Sacerdos, in quo deprehensum esset aliquod vitium, aut macula vestiebat vestes nigras, nigrisque vestibus se velabat, & abibat.

[14] *Si qui autem &c. Maimonides ibidem*. Cujus genus purum, corpus autem vitio affectum existebat, hic in cella lignorum consistens ligna diffindebat, quibus altaris focus extrueretur. Is enim cum suis curialibus sacra partiebatur, & his iisdem vescebatur. Nimirum id aperte lex; *vescetur tamen panibus, qui offeruntur in Sanctuario* (Levit. XXI. 22. *Misna Sevachim cap.XII.* Vitiati sive sint vitia constantia, sive vitia momentanea, participant ac edunt, sed non offerunt: *Maimonides de ratione Sacrificiorum faciendorum cap. X.* 17. Sacerdos autem, qui corporis vitio laborabat seu perpetuo seu temporali, nec vero quidquam referebat, utrum cum vitio natus, an primum integer; tum deinde vitio temeratus esset, is sacra participabat, & comedebat, quia enim scriptum est: *vescetur tamen panibus qui offeruntur in Sanctuario*.

[15] חברים *&c. Maimonides ad caput II. 3. Demai* חבר vocatur studiosus, & discipulus legis, sic etiam discipuli sapientum vocantur חברים, cognominantur autem illo vocabulo, qui inter se conversantur ut socii in una societate propter nomen Domini, & quod dicit *ut sit Chaver* sensus est, ut fide dignus sit de testimonio munditiæ & immunditiæ dando: dicunt in Gemara Bechoroth, si quis in se suscipit negotium חברות necesse est ut id suscipiat tribus חברים præsentibus. Provectus ætate non tenetur illud suscipere tribus חברים præsentibus, quia jam suscepit illud ab eo tempore, quo factus est ætate provectus. Abba Saul dicit, neque discipulus sapiens tenetur suscipere

re negotium חברות tribus חברים præsentibus &c. Babyl. Becoroth 30. Tradunt magistri; si quis in se suscipere velit leges societatis necesse est, ut suscipiat coram sociorum triumviratu; ipse etiam discipulus sapientis necesse est ut suscipiat coram sociorum triumviratu.

[16] *Literati ditiores &c. Maimonides ad cap. IV. Challah 9.* Dicunt in Gemara primitiva & primogenita esse pro viris stationariis, reliquas vero res Sacerdotibus omnibus, ita ut non distinguendum sit inter Sacerdotem doctum & indoctum nisi respectu boni & melioris, quia Deus benedictus dixit. Num. XVIII. 22. ונתתם ממנו את תרומת יהוה לאהרן הכהן ad hæc dicunt in Siphri, quemadmodum Aaron חבר est, sic omnes sunt חברים, hinc dixerunt quod non dantur Sacerdoti dona, nisi qui חבר est; & hoc jus obligat in aliquibus donis, ut hoc capite exponetur; in reliquis vero donis omnia procedunt juxta voluntatem ejus qui ea dederit, ut non illicitum sit ea Sacerdoti indocto dare. *Ex viginti quatuor donis hæc tantummodo dabantur Sacerdoti indocto, si non adesset doctus, quæ in hac misna referuntur*: Et hæc dantur cuivis Sacerdoti, anathemata, primogenita, redemtio filii, redemtio primogeniti asini, brachia maxillæ, ventriculus, primitiæ lanæ, oleum combustionis, sanctitates sanctuarij, & primitiva; R. Jehuda vetat primitiva, & lentes oblationis primæ. R. Akiba permittit, sapientes vetant.

[17] *Leoni &c. Babyl. Sanhedr. fol. 90. 2.* Quia quicunque dat oblationem Sacerdoti plebejo, idem facit ac si leoni daret, de quo dubitari potest, an calcaturus sit pedibus, & comesturus, an non. Ita de Sacerdote plebejo dubitari potest, an comesturus sit in munditia, an in immunditia.

[18] *Ita etiam viri &c. Tosaphta Taanith cap. III. 2.* Octo custodias Sacerdotum constituit Moses, & octo Levitarum; quum venit David & Samuel Propheta, Sacerdotum viginti quatuor statuerunt, totidemque Levitarum, juxta versiculum qui dicit 1. Paral. cap. IX. 22. *quos constituerunt David & Samuel videns in fide sua*. Hæ sunt custodiæ Sacerdotum & Levitarum, surrexerunt Prophetæ in Hierusalem, & ibi constituerunt viginti quatuor *Stationes* contra 24. custodias Sacerdotum & Levitarum juxta versiculum qui dicit (*Num.* XXVIII. 2. *Et dices ad eos oblationem meam & panes*; fieri non potest, ut de toto Israele dicatur, nisi quod doceamur, hominis legatum esse instar sui ipsius. Quando appetebat tempus custodiæ Sacerdotes & Levitæ Hierosolymam petebant, & Israelitæ, qui isti custodiæ respondebant, conveniebant in suis civitatibus, & legebant in Genesi, in creatione prima, & ab opere vacabant tota illa hebdomada. R. Simeon filius Eleasaris dicit. Sacerdotes, Levitæ, & instrumenta cantici poterant impedire sacrificium. In prima die mensis Nisan non recitabatur oratio vespertina, & clausulæ, quia eo die immolabatur sacrificium addititium, & offerebantur ligna. Sectionem legis majorem duo legebant, minorem unus mane & tempore sacrificii addititii; verba R. Meyr, & sapientes dicunt, omnibus diebus, quum non immolabatur sacrificium addititium, legitur in eo sectio de sacrificio; & omnibus diebus quum non offertur sacrificium addititium, non legitur in eo sectio de sacrificio addititio mane, & tempore sacrificii addititii ingrediuntur in Synagogam, & legitur memoriter, nisi ingrediuntur in Synagoga, legitur eo modo quo *Audi*. *Vide Maimonidem cap. VI. de vasis Sanctuarii*.

[19] *Sacris adstarent &c. Gemara Taanith*: Tradiderunt porro Rabbini. Viri custodiæ orabant pro oblatione fratrum suorum, ut accepta grataque *Deo foret*. *vide ibid. Maimonidem*.

[20] *Quatuor dies &c. Gemara Ibid.* Virique stationis in Synagoga congregabantur, manentesque ibi, quatuor jejuniorum dies celebrabant, nimirum secundum, tertium, quartum, quintum hebdomadis dies. In secundo quidem *orabant* pro in mari navigantibus, in tertio pro iter facientibus per loca deserta, in quarto ne angina tenellos adfligeret, in quinto pro gravidis & lactantibus fœminis, ut sufficerent lactandis infantibus suis. *Vide ibidem Maimonidem*.

[21] *Sabbato jejunare &c. Gemara ibidem*: Verum in vespera Sabbati non jejunabant, idque ob honorem Sabbati, nedum in ipso Sabbato. *Vide ibidem Maimonidem*.

[22] *Interdictum quoque &c. Maimonides ibidem*. Viris stationis interdictum erat neve barbam & capillum tonderent, neve lavarent per totam hanc, qua ministrabant, hebdomadam. Rursus enim ut die quinto ejusdem hebdomadæ id facerent, propter honorem Sabbato habendum concessum erat. Quod autem interdictum esset, ne hoc idem reliqua hebdomada sua facerent, id causæ fuit, ut in stationem ingrederentur non inculti, & horridi, sed jam tonsi & lauti.

[23] *In illa funesta &c. Tosaphta Taanith III.* Quod attinet ad cibos, die nono mensis Abh vetitum est vesci carne, & bibere vinum, & geminis cocturis frui, & prohibitum est se lavare, & ungere. R. Ismael filius R. Jose dicit nomine sui patris, omni tempore, quo edere licet, licet quoque lavare faciem, manus, & pedes, nec sociis potest salutem impertiri die nono mensis Abh, quando præteriit dies nonus mensis Abh, omne licitum est. Dies nonus mensis Abh, quod incideret in Sabbatum, homo potest opipare convivari, & potare, & (*cibis*) ornare mensam instar convivii Salomonis, nec ullam rem præteribit: *Maimonides Taanith*, ineunte mense Julio, lætitia quidem minuitur omnis, sed hebdomada illa, in quam incidit nonus Julii dies, nefas est capillum tondere, vestimenta lavare, & alba induere etiam linea usque ad exactum jejunium. Nec vero fas est ea hebdomada lavare quidquam, ut in tempus a jejunio futurum reponatur. Nunc eadem hebdomada Judæi solent etiam abstinere carnis usu, atque balnei; immo vero loca sunt, ubi & Kalendis ad exactum jejunium, nulla ad vescendum bestia mactatur. Jam de ipso die nono Julii nox ejus idem prorsus habet jus atque dies; hujus vigilia oportet ante lucem cœnare; nam crepusculo cibum capere nefas est, haud secus ac solennitate expiationum. Nec quisquam potest in ultima mensa aut carnem edere, aut potare vinum. Sed enim bibere licet recens e torculari vinum, quod ad summum triduo est expressum; itemque carnem triduo vel diutius salsam comedere. Sic se res habent, si vigilia comedatur a meridie; nam ante meridiem, quod libuerit, edere licet etiam in ultima mensa. Itemque si vigilia noni Julii inciderit in Sabbatum, cibi & potionis quantum opus fuerit capere licet, atque regalibus adeo mensam onerare epulis. Quin etiam ipse nonus Julii dies si in Sabbatum incidat, nullo prorsus cibi genere oportet abstinere.

[24] *Quo templum &c. Tosaphta ibidem*. Nono mensis perrupta est civitas in secunda domo, & in prima domo septimo ejusdem; si dicemus septimo mensis, cur dictum, est nono mensis? (4. *Regum cap. XXV.* 3.) si dicemus nono, cur dictum est septimo mensis? (*ibidem*) sed septimo mensis ingressi sunt gentiles templum, & inde extulerunt columnas, & mare, & bases, & perrexerunt diruere septimo, octavo, & nono, usque dum declinabat dies; atque ita dictum est; *væ nobis quia declinavit dies quia longiores factæ sunt umbræ vesperi* (*Jerem. VI.* 4.) circa vesperam ignem injecerunt, & arsit usque ad vesperam diei decimi mensis. *Maimonides ibidem*. Julii nonus, quo item quinque res evenere. Decretum est Israelitis in solitudine, ut ne intrarent in terram promissam, templum utrumque eversum, capta urbs amplissima nomine Bither, quæ quamplurima Israelitarum millia, & myriades bene multas continebat, qui sibi Regem magnum constituerunt adeo, ut & cunctæ Israeliticæ genti, & sapientissimis quibusque Messias esse videretur, urbs illa cecidit in potestatem alienigenarum, a quibus ejus incolæ sunt omnes ad unum interfecti, quæ clades haud minor fuit eversione templi. Eodem illo die ad calamitatem constituto Tyrannus Rofus et templi fundamenta, & vicinitatem ejus aratro vertit, ut compleretur prædictum id: *Sion quasi ager arabitur* (*Misch. III.* 12.)

[25] *Vestes Sacerdotales &c. Maimonides de vasis Sanctuarii cap. VIII.* 1. Jam vestimenta privati Sacerdotis constabant rebus e quatuor, tunica, femoralibus, tiara, balteo.

[26] *Non tamen &c. Maimonides ibidem*: Quæ omnia erant ex albo lino, eaque ex filo sexies conduplicato contexta erant; solus balteus erat lana acupictus.

[27] *Quamdiu in templo &c. Maimonides ibidem*. Omnino vestes Sacerdotales erant concessæ Sacerdotibus etiam in suum usum. Itaque quo die sacris operabatur eorum aliquis, his licebat eum esse vestitum extra

tra ſacrificandi tempus. Excipe tamen balteum, quo Sacerdotem eſſe veſtitum extra tempus ſacrificandi fas non erat, ratio fuit, quod balteus conſtaret e lino lana commixto. Privato igitur Sacerdoti ne extra horam ſacrificandi balteum indueret, interdictum erat. Atqui ad rem divinam faciendam privati quidem Sacerdotes nihil induebant aliud, quam e lana veſtes & e lino.

[28] *Non tamen licebat &c. Maimonides de Templo cap.* VIII. 6. Jam cuſtodientes illi Sacerdotes non dormiebant veſtes induti Sacerdotales; has enim complicatas apponebant ad caput, tum ſua veſte veſtiti humi cubabant.

[29] *Servabantur &c. Maimonides de vaſis Sanctuarii cap.* VIII. 8. Atque erant in Sanctuario ubi veſtes illæ reponerentur, ſex & nonaginta arcæ, quatuor videlicet pro unaquaque curia. Ita ſuis cujuſque curiæ arcis proprium erat nomen inſcriptum, jam arcæ illæ erant omnes occluſæ. Et cuique curiæ cum intraſſet templum ſacris ſua hebdomada operatum, propriæ referebantur per totam hebdomadam arcæ, ex quibus veſtimenta neceſſaria depromeret &c.

[30] *Tritæ autem &c. Miſna Succah* V. 3. E detritis femoralibus Sacerdotum eorumque cingulis conficiebant convoluta fila, quæ incendebant. *Vide Maimonidem ibidem.*

[31] *Et illæ ad primitias Miſna Jebamoth cap. IX.* 5. Filia Iſraelitæ, quæ nupta fuerit Sacerdoti comedet de oblatione prima, ſi maritus mortuus fuerit, & illi fuerit filius ex illo, comedet de oblatione prima. *Non ſolum illa, ſed etiam ejus Servi comedebant de oblatione prima. Ibidem cap.* VII. 2. Filia Iſraelitæ ſi nupſerit Sacerdoti, & illa adduxerit ſervos, ſive fuerint ſervi uſuarii, ſive gregis & ferri, illi comedunt de oblatione prima.

[32] *Si filiæ Sacerdotis &c. Ibidem cap.* VII. 6. Pontifex maximus aliquando illegitimum facit, quomodo? Si nupta fuerit filia Sacerdotis cum Iſraelita, quæ peperit ex eo filiam, quæ nupſerit Sacerdoti, & ex eo peperit filium, hic legitimus eſt in Pontificem maximum, & ut ſtet, & miniſtret in altare, facit comedere matrem ſuam, & illegitimam facit matrem matris ſuæ, & hæc dicet, nullus erit ut filius meus Pontifex maximus, qui me facit illegitimam ad oblationem primam.

[33] *Interdictum erat &c. Ibidem cap.* II. 4. Prohibitio Sanctitatis vidua pro Pontifice maximo, & repudiata & calceo exuens pro Sacerdote ordinario: *Et cap. VI. ibidem* 2. Sic etiam is qui coiverit cum una omnium prohibitarum propter inceſtum in lege, aut cum illegitimis, uti ſunt vidua pro Pontifice maximo, repudiata & calceum exuens pro Sacerdote ordinario.

[34] *Scortum &c. Ibidem Paragr.* 5. Sacerdos gregarius, non ducet ſterilem, niſi habuerit uxorem & filios; R. Jehuda dicit, etſi habuerit uxorem & filios non ducet ſterilem quia ſcortum eſt. Sapientes dicunt non eſt ſcortum, ſed peregrina, & ſerva libertate donata, & quæ coitu meretricio ducta eſt.

[35] *Sed & quæ ſervæ &c. Miſna* כתובות *cap.* II. 9. Mulier quæ captiva abducta fuerit per manus Æthnicorum propter bona, licita eſt marito ſuo, ſi propter crimen, prohibita eſt marito ſuo; ſi civitas quædam ſubacta fuerit ab exercitu, omnes Sacerdotum filiæ, quæ in ea repertæ fuerint illegitimæ ſunt, & ſi teſtes fuerint, & ſi ſervus vel ſerva, fide digni ſunt, ſed non eſt homo fide dignus pro ſe ipſo. Dixit R. Sacharias filius Kazabh per hoc templum non amota eſt manus ejus a manu mea ab ea hora, qua Æthnici intrarunt Hieroſolymam, donec exierint; dixerunt illi, non poteſt homo teſtari pro ſe ipſo: *In hunc locum ita Maimonides.* Qui vero teſtatus fuerit de captiva quod pura eſt, quoniam Sacerdos eſt non ducet eam, ſed eam ducet alius Sacerdos quemadmodum expoſuimus in fine capitis ſecundi tractatus Jeyammoth. Verum ſi bonis ſuis eam redemerit, & teſtatus fuerit de ea quod non polluta eſt, ducet eam; nam ſi hoc non conſtiterit illi, non dediſſet pro illa pecuniam ſuam ad redemtionem illius.

[36] *Præterea calvitiem &c. Miſna Maccoth cap.* III. 5. Levit. 21. 5. Deut. 14. 1. Qui calvitiem in capite ſuo facit, & qui angulos capitis ſui circumtondet. Levit. 19. 27. barbæque angulum corrumpit, qui ſe ſecat una cæſura ob defunctum tenetur. Una ſecuerit ſe cæſura, aut quinis cæſuris ob unum, ob quamlibet tenetur. In capite bis, ſemel ſcilicet in utroque latere, peccatur. In barba quinquies, videlicet bis in utroque latere, ſemel inferius. R. Elieſer ait. Si totam una vice dejecerit, una culpa eſt. Nec tenetur, niſi novacula auferat (*bella diſtinctio*) R. Elieſer ait. Etiam ſi forcipe, vel aſcia demetat, tenetur.

[37] *Ideſt incomtum &c. Maimonides de ratione adeundi templi cap.* I. 8. Porro & promiſſa coma Sacerdos interdictum erat, ne in templo altare preteriret, qui ſi progreſſus ulterius ſacrificium etiam feciſſet, meruiſſet, ut divina vis eum morte multaret itidem, ut Sacerdos ſi ſacrificium fecisſet temulentus. Nam quod dicitur: *Et vinum non bibet omnis Sacerdos; caput autem ſuum non radent, neque comam nutrient* (*Ezech.* 44. 20.) hujus ea vis eſt, ut capillati Sacerdotes juxta atque poti ſacra facientes morte multentur. At comantium quidem Sacerdotum ſacrificium neutiquam profanum fuiſſet, ut hi operati morte punirentur cœlitus. Ut igitur Sacerdotes id tempus ſolum vino oportebat abſtinere, quo veniendum in templum erat, item & tum demum coma eſse promiſsa vetitum fuerat. Iſta videlicet erat ratio privati Sacerdotis; ſummum enim Sacerdotem coma prolixa nunquam, nunquam veſte licebat eſse ſciſsa. Etenim in Sanctuario is commorabatur ſemper, qua de cauſa præſcriptum ei fuit; *caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non reſcindet* (*Levit.* 21. 10.) Evadit autem promiſsa coma diebus triginta, qualis erat coma Naziræi, de quo quidem a lege dicitur, *creſcente cæſarie capitis ejus* (Num. 6. 5.) Atqui Naziræatus nunquam paucioribus triginta diebus conficiebatur. Quocirca privatus Sacerdos, qui ſacra adminiſtrabat, tricesimo quoque die tonderetur oportebat:

[38] *Ut autem &c. Maimonides ibidem*: Neque curiæ Sacerdotum ne ſordidatæ venirent ad vices ſuas exercendas, vetitum erat ſua quaque hebdomada tota capillos tondere, veſtimentaque lavare. Itaque ſeſe tondebant, corpus lavabant, & veſtes ante, quam obirent tempus ſui muneris. *Et paucis interjectis:* Etenim de Sacerdotibus qui comam nutrirent, quique veſtes diſcidiſsent, judicium erat idem; quippe cum Sacerdotibus a lege dicitur, *capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta nolite ſcindere, ne forte moriamini* (*Levit.* 10. 6.) unde ſequitur Sacerdotem, qui pannis obſitus fuiſset, meruiſse, ut divina vis eum morte multaret, quamquam & hujus Sacerdotis operatio putabatur non profana, ſed idonea.

[39] *Præterea &c. Maimonides More Nevochim part.* 3. *cap.* 47. Quia pollutio a contactu mortui contracta, non potuit elui, niſi poſt elapſos ſeptem dies, & per cinerem juvencæ; ac Sacerdotes ſemper in ſanctuarium ingredi neceſse habebant, ut ibi offerrent; Idcirco prohibitum fuit Sacerdotibus mortuis ſe polluere, niſi magna interveniente neceſſitate, cum difficile ſit per naturam plane ſe cohibere ab acceſsu parentum, liberorum, vel fratrum in morte ipſorum. Et quia magna erat neceſſitas, ut Sacerdos magnus eſset ſemper in Sanctuario, ſicut dicitur, *imminens ſuper fronte Pontificis* (*Exod.* 28. 38. *Levit.* XXI. 10. 11. 12.) Idcirco injunctum ipſi fuit, ut nullis nequidem propinquis & amicis mortuis ſe contaminet. Numquid enim vides, quod in hac prohibitione non comprehendantur uxores filiorum Aaron, neque etiam filiæ Aaronis, propterea quod mulieribus non incumbat oblationes facere? *Vide ejus tractatum de luctu cap. IV. & Moſem Kozenſem Præcept. negat.* 234. & 235. *præcept. affirm.* 57.

[40] *Ad capita octodecim &c. Maimonides de ratione adeundi templi cap. IX.* 15. Erant igitur homines ſacrificiis faciendis non idonei omnino duodeviginti iſti; Idolatra, alienus, vitio corporis affectus, incircumciſus, immundus, de die luſtratus, piaculi indigens, lugens, ebrius, egens veſtibus, abundans veſtibus; obſitus veſtibus ſciſſis, qui erat capite nudo, qui non ante laviſſet manus & pedes. qui operando ſediſſet, cujus inter manum & utenſile aliquid interfuiſſet, cujus inter pedem & terræ ſolum quid interjectum fuiſſet, qui manu læva eſſet operatus, iſti omnes ad facienda ſacrificia non erant idonei. Qui ſi feciſſent, profanaſſent. Excipe iſtos, qui nudato capite fuiſſet, & qui veſtibus ſciſſis eſſet obſitus, & qui victimam idoli jugulaſſet imprudens, iſti ſi feciſſent, eorum operatio bona fuiſſet: *Toſaphta*

Se-

Sevachim cap. XII. 17. Sacerdos qui ministrasset immundus, de die lustratus, egens vestibus, piaculi indigens, illotis manibus, & pedibus, una pœna tantum est dignus. Isti vero sunt rei mortis, qui comedat indecimatum, & alienus, qui edat primitias, & sacerdos immundus, qui thrumam puram comederit, & alienus, & de die lustratus, egens vestibus, & piaculi indigens, qui non laverit manus, & pedes, qui nudo capite essent, qui vinum biberint; isti si ministrassent, rei sunt mortis. Sed incircumcisus, & lugens in primo die & qui sedens ministraret, maculatus; in his comminatio erat mortis, verba Rabbi; & sapientes dicunt, duntaxat in præcepto negativo; si de industria prævaricatus esset, reus est mortis, & sapientes dicunt, sub præcepto negativo.

41 *Cultor Idolorum &c. Maimonides ibidem*: Quicumque sacerdos idolum coluerat seu prudens seu imprudens, porro in sanctuario ministrabat nunquam, quamvis sinceræ pœnitentiæ sensu fuisset ad puram religionem conversus, scriptum est enim, *& non appropinquabunt ad me, ut sacerdotio fungantur mihi* (*Ezech.* 44. 13.) Jam de cultu Idoli qui ministraverit illi, ut si fuerit ejus sacrificulus, & qui illud adoraverit, confessus sit, & Deum sibi constituit, pariter temeratus erat in perpetuum. Hic igitur ipse, qui imprudens Idolo ministravit, imprudens illud adoraverit, aut confessus sit, si per nefas posthac Deo vero fecisset, sane sacrificium ejus non esset odoris suavis. Nam qui victimas idoli jugulasset imprudens, is si postea commisisset, ut Deo vivo faceret, ejus sacrificium suavis esset odoris, atque litaretur; neque enim Idolo ministraverat sacrificulus, sed hostiam ejus jugularat duntaxat, & idipsum imprudens; verum enim hic idem, si res esset in integro, non operabatur sacris. Jam si quis prodenda lege extra sanctuarium ædem fecisset, in qua Deo sacrificaret, omnino ædes ista non fuisset similis ædis idoli; verum & qui in ejusmodi æde sacerdos sacris esset operatus, deinde in sanctuario operabatur nunquam. Et quæ vasa in ejusmodi æde fuerant in usum rei divinæ adhibita, porro non adhibebantur in Sanctuario. Ac mea quidem sententia Sacerdos in hujusmodi æde operatus, si postea in sanctuario faceret, sacrificium non temerasset.

42 *Ex stirpe aliena &c. Maimonides ibidem*: Homo alienus, si in sacrario operaretur, cum operatio ejus profanaretur, tum etiam meruisset, ut divina vis eum morte multaret; est enim in Lege; *Quisquis externorum accesserit, occidetur* (*Num.* I. 51.) Atqui id auditione accepimus pœnam hanc ei demum irrogari, qui ad operandum accesserit, quod ne quis faciat Lex alio loco monet; *Alienigena non miscebitur vobis* (*Ibid. XVIII.* 4.) Sed quis tandem erat alienus? Quisquis non esset ex stirpe Aaronis mascula, nam quod Lex ita præcipit; *& ordinabunt filii Aaronis; & adolebunt illud filii Aaronis* (*Levit. I.* 8. *&* III. 5.) id hanc habet sententiam, ut ista faciant Aaronis filii, non item filiæ &c. *vide reliqua hoc loco.*

43 *Vitia* 140. *&c. Maimonides ibidem cap. VIII.* 17. Sunt igitur vitia, quæ sacerdotes temerabant centum & quadraginta hæc in universum. Octo in capite, in collo duo, in auribus novem, in superciliis quinque, in palpebris septem, in oculis undeviginti, in naso novem, in ore totidem, in alvo tria, in dorso totidem, in manibus septem, in genitali decem & sex, in pedibus viginti, in corpore toto octo, in cute totidem, in odore & corporis viribus septem, quæ nos sigillatim antehac exposuimus; illa vero propter offensionem temerabant, si palpebræ essent depilatæ, quamvis pilorum radices inhærerent, si dentes essent ademti. Vide Misnam Becoroth cap. VII.

44 *Incircumcisus &c. non circumcidebant Judæi eum, cujus fratres ex circumcisione mortui essent. Maimonides de circumcisione cap. I.* 18. Siqua mulier circumcidit filium suum primum, mortuusque est propter circumcisionem, quæ debilitavit vires ejus, & sic circumcidit secundum, & hic quoque mortuus est propter circumcisionem, sive hic fuerit ex marito ejus primo, sive ex marito ejus secundo, tum non circumcidit tertium tempore suo ordinario (*octavo sc. die*) sed differunt eum donec adoleverit, & confirmatæ fuerint vires ejus. Non circumcidunt nisi eum infantem, in quo non sit ullus morbus. Nam periculum animarum solvit omnia. Et fieri potest ut circumcidatur post istud tempus, at fieri non potest, ut reducatur anima ulla ex Israel in æternum: *Ex Schulchan Aruch Sect.* 263. *subsect.* 2.: Si mulier aliqua circumciderat filium suum primum, hicque mortuus est ex circumcisionis dolore, eo quod debilitaverit vires suas, deinde circumciderat etiam secundum, qui itidem mortuus est ex circumcisionis dolore, tum de ea prudenter colligitur, quod quicunque filii ejus morituri sint ex circumcisionis dolore. Nec refert sive ex uno viro, sive ex duobus (*utrumque puerum conceperit*). Itaque non circumcidet tertium, sed expectat, donec aliquantum adoleverit, & vires ejus confirmatæ fuerint: *Sacerdos iste incircumcisus erat ex eorum numero, quorum fratres ex circumcisione mortui essent.*

45 *Immundus &c. Maimonides ratione adeundi templi IX.* 10. Quod si Sacerdos immundus, aut corporis vitio temeratus, aut manibus, & pedibus illotis in sanctuario operaretur, de his solis operationibus pœna tenebatur, de quibus mortem merebatur alituus homo; nam de reliquis operationibus comminatio dumtaxat erat. Sacerdos de die lustratus, & piaculi indigens si rursus inquinatus, idemque vestibus sacris destitutus, & illotis manibus & pedibus operatus sit sacris, singulis de causis istis seorsim pœnas solveret; alienus autem si sic affectus sacris sit operatus, semel omnino verberibus multaretur de sua videlicet persona a divino ministerio alienata. *Codex de Synhedriis cap. IX.* 6. Si quis sacerdos in impuritate sacra obierit, non fratres ejus sacerdotes eum in judicium adducunt, sed juvenes sacerdotum extra atrium protracti cerebrum fustibus elidunt.

46 *Talis qui vesperam &c. Maimonides ibidem cap. IV.* 4. Et qui sacerdos inquinatus rite se lustraverat; solis autem occubitum non expectaverat, is si rem divinam faceret, profanaret, atque adeo mereretur, ut morte cœlitus afficeretur, siquidem a Lege dicitur; *& non polluent nomen ejus* (*Levit. XXI.* 6.) Namque hoc auditione accepimus hanc admonitionem spectare ad Sacerdotem de die lustratum, qui rem divinam faceret; is enim erat etiam impurus; nimirum cum in lege sit, *& occubuerit sol tunc mundatus* (*ibid. XXII.* 7.) ex eo colligitur purum antea non esse.

47 *Qui expiatione &c. Maimonides ibidem*: Nam sacerdos piaculi indigens si rem divinam faceret, etsi prava esset ejus operatio, atque profana, tamen impune fuisset; nam operationem ejus esse pravam ex eo colligitur, quod in Lege sit; *expiabitque eam Sacerdos, & mundabitur* (*Levit. XII.* 7.) unde cognoscere licet antea expiationem ejus effectam non esse, atque eadem erat ratio omnium qui piaculi indigebant.

48 *Lugens* &c. *Maimonides ad cap. II. Sevachim*. Cæterum אונן vocatur is qui aliquem consanguineum ex præcepto luget, quod ex Lege divina fiat ipso die mortis, atque tali lugenti interdictum est comedere sancta, sicut scriptum est Levit. 10. 19. Sic etiam ei non licet sacra ministrare, nisi Pontifex maximus sit, is enim offerre potest, dum in luctu versatur, sicuti in fine tractatus Horajoth exponitur.

49 *Ebrius &c. Maimonides de ratione adeundi templi cap. I.* Omnis sacerdos, quamvis alioquin ad rem divinam faciendam satis idoneus, si vinum potasset, interdictum erat, in templum ne penetraret interius quam erat altare positum; qui si procederet ulterius, atque sacris operaretur, cum sacrificium ejus profanum fuisset, tum etiam meruisset, ut divina vis eum morte multaret; nimirum huc spectat id quod scriptum legitur. *Ne moriamini* (*Levit. X.* 9.). Sic se res habebat, sacerdos si simul & semel quartarium vini hausisset meraci, & ejusdem quadraginta dies nati. Nam si potasset minus quartario, aut inter potandum quartarium aliquid intermissionis faceret, si vinum aqua commisceret, impune ferret, nec sacrificium faceret profanum; nec si bibisset plus quartario vini recentis e torculari, quod videlicet quadraginta dies necdum haberet. Nam si bibisset plus quartario vini vetustioris licet aqua permisti, itemque si faciens intermissiones plus hoc paulatim sorbilasset, mortem meruisset, & sacrificium faceret profanum.

50 *Vestibus paucioribus &c. Maimonides ad caput II.* se-

sevachim. *Destitutus vestibus*, hic est Sacerdos gregarius, qui quatuor saltem vestibus ministrare debet, cujusmodi sunt tunica, femoralia, tiara, & cingulum, sed Pontifex maximus octo saltem vestibus, quatuor superioribus adjunctis, cujusmodi sunt frontalis lamina, pectorale, amiculum humerale, & pallium, atque hæc vocantur vestimenta aurea, ut in tractatu Joma exponitur, videsis Exod. 29. 9. & sequentia. Ad hæc Sapientes dixerunt, quando vestibus istis induti fuerint, tamdiu sacerdotium ipsis impositum est. Scias itaque quod sicut vestibus destitutus ineptus est ad sacerdotale ministerium, ita quoque ad idem ministerium ineptus sit is, qui vestibus superfluis indutus est, quicquid necessariis vestibus addiderit. Dicendum mihi est, quod Sacerdoti prohibitum est manus induere phylacteriis, quia dividunt inter vestimentum & corpus ipsius, nam scriptum est Levit. 15. 17. והיו על בשרו ne sit ergo quicquam inter vestimentum & carnem ejus. Sed lamina frontalis ponitur quidem inter frontem & tiaram, sed non tegit tiaram. *Tosaphta Menachoth cap.* I. 7. Vestibus egens. Sacerdos maximus octo vestibus ministrat, & *Sacerdos* vulgaris quatuor, si ministrasset Sacerdos maximus quatuor *vestibus*, & vulgaris octo, eorum ministerium illegitimum est. Si ministrasset ministerium, quod requirebat vestes aureas vestibus albis, aut quod requirebat vestes albas, vestibus aureis, ejus ministerium illegitimum est, si essent obsoletæ, & detritæ, & in iis suum ministerium ministrasset, ejus ministerium rectum est; si duas induisset tunicas, & duo femoralia, & duos balteos, aut essent vestes laceræ, & discerptæ, aut ex his aliqua deficeret, aut emplastra carni suæ imposuisset, quæ interponerentur inter corpus & vestes, & ministrasset, ministerium ejus illegitimum est.

[51] *Veste scissa &c. Maimonides ibidem* etenim de Sacerdotibus qui comam nutrirent, quique vestes discidissent, judicium erat idem, quippe cum Sacerdotibus a Lege dicitur: *capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini* (*Levit.* 10. 6.) Unde sequitur Sacerdotem, qui pannis obsitus fuisset, meruisse, ut divina vis eum morte multaret, quanquam & hujus Sacerdotis operatio putabatur non profana; sed idonea.

[52] *Pedibus manibusque. Maimonides ibidem cap. V.* Sacerdos sacrificium facturus ut ante quam operaretur, manus lavaret & pedes jubendo sancitum est; siquidem in lege scriptum videmus; *lavabunt ex eo Aaron & filii ejus manus suas ac pedes*. Exod. 30. 19.) Qui si Sacerdos non lotus primo diluculo manibus & pedibus fecisset, meruisset ut divina vis eum morte multaret; quandoquidem a lege dicitur, *lavabunt se aqua & non morientur*. (*Ibid. v.* 20.) porro autem illoti Sacerdotis tam summi quam privati profana operatio fuisset. *Tosaphta ibidem*. Qui non lavisset manus & pedes; quomodo sanctificabantur manus & pedes? Vasis sacris intra *Sanctuarium*, si sibi sanctificasset manus & pedes vasis sacris extra *Sanctuarium*, aut vasis profanis intra Sanctuarium, aut in aquis, quæ sunt in fossa, se immersisset, & ministrasset, ejus ministerium illegitimum est. Quomodo peragebatur sanctificatio manuum & pedum? imponebat manum dextram pedi dextro, & manum sinistram pedi sinistro, se confricabat, & lavabat, & iterum confricabat, & lavabat. R. Jehuda dicit, etiamsi manum alteram alteri *imponat*, poterat se sanctificare? ei responderunt fieri non posse. Verum si Sacerdotes non lavissent, neque sanctificassent manus & pedes, & pariter summus Sacerdos si lavisset, non vero sibi sanctificasset manus & pedes inter unum & alterum ministerium, & inter vestium mutationes varias, & ministrasset, ministerium legitimum est; At si Sacerdotes non lavissent, neque sibi sanctificassent manus & pedes, & pariter summus Sacerdos si lavisset, & sibi non sanctificasset manus & pedes mane, & ministrassent, ministerium illegitimum est; Tam summus Sacerdos, quam Sacerdos idiota, qui ministrassent, non lotis manibus & pedibus, sunt rei mortis, juxta versiculum qui dicit; *Lavabunt ..... quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii ...... ne forte moriantur*. *Exod.* 30. 19. 20. Si tota nocte offerret, mane tenetur lavare manus & pedes. Rabbi dicit pernoctando non profanatur, si minus sanctificaverit manus & pedes. R. Eleasar filius R. Simeonis dicit, etiamsi tres dies cessaret a sacrificando, pernoctando non profanatur; si non sanctificaverit manus & pedes.

[53] *Sedens &c. Maimonides ibidem* Nam si quis sedens rem divinam fecisset, utique profanasset; ejusque operatio tota nulla haberetur, verumtamen verberibus non multaretur, quippe Sacerdos hac de re jubendo monetur. *Tosaphta ibidem*. Si sederet super pavimentum, reprobat (*sacrificium*) juxta versiculum qui dicit, *ut stet*. Deut. 18. 5. Si staret super lapidem, reprobat, juxta versiculum qui dicit; *sicut omnes fratres ejus Levitæ Ibid. vers.* 7.

[54] *Qui nuda manu &c. Maimonides ibidem*. Et siquid inter manum ejus & utensile, quo ad operandum utebatur, interesset, item operatio nulla fuisset.

[55] *Qui solo &c. Maimonides ibidem*. Similiter qui in templo operabatur, in ipso pavimento staret oportebat, siquid inter Sacerdotem & solum interesset, ut si vasis, jumento, pedibusque alterius insisteret, operatio nulla fuisset &c. Porro Sacerdotem manu dextra operari oportebat, si sinistra operatus esset, operatio nulla fuisset, verberibus autem non multaretur; Si pedum unus in vase, alter in pavimento, si pedum unus lapide in aliquo, alter in pavimento fixus esset, videndum erat, si sublato vase, aut lapide Sacerdos etiam pede sub uno stare posset, bene operatio se haberet, sin minus operatio nulla fuisset. Nam si dextram aliquid apprehendentem læva sublevasset, operatio bene haberet, nempe sublevatio pro nihilo ducebatur. *Tosaphta ibidem* Si pugillo collegisset sinistra, reprobat; filius Bateræ dicit, iterum reponet, ac pugillo dextra colligit; dixit R. Eleasar filius R. Simeonis, ita dicebat filius Beteræ in omnibus interdictis.

[56] 24 *Dona &c. Siphri ad Num. XXXI.* Viginti quatuor dona tradita fuerunt Sacerdotibus, duodecim in Sanctuario, & duodecim in provincia. Quænam sunt duodecim Sanctuarii? Sacrificium pro peccato, & sacrificium pro delicto, & sacrificia pacifica universitatis, & pelles holocausti, & reliquiæ logi olei Leprosi, & reliquiæ manipuli, & duo panes frumenti novi, & panes facierum, & reliquiæ munerum, ablatio Sacrificii Eucharistici, & ablatio pectoris, & femoris, & brachium, & Aries Nazareni. Quænam sunt duodecim provinciæ? Primitiæ, & primitiæ de decimis, placenta, & primitiva, primitiæ lanæ detonsæ, & dona primogenitum hominis, & primogenitum Animantis mundi, & apertura Asinæ, & anathemata, & ager possessionis, & rapina Proselyti. Omnia hæc sunt viginti quatuor dona Sacerdotii, quæ concessa fuerunt Sacerdotibus &c.

[57] 10. *Consumenda &c. Maimonides Bicurim cap.* I. 3. Sacerdotes octo ex illis donis nonnisi in Sanctuario intra atrii muros comedere possunt, quinque ex his Hierosolymis tantum intra urbis muros, quinque in terra Israelitica solum uti ex lege convenit, quinque alia accipiunt sive in terra, sive extra terram fuerint, unum denique ex Sanctuario. Octo illa, quorum usus nonnisi in Sanctuario est licitus, quænam sunt? Caro sacrificii pro peccato, sive sit sacrificium pro peccato ex volucre, sive ex pecude, caro sacrificii pro reatu tam dubio quam certo. Sacrificia pacifica totius cœtus, residuum manipuli, reliquiæ fertorum Israelis; duo panes, panes Propositionis, & logus Olei leprosi. En ea quæ in sanctuario solum erant consumenda.

[58] 4. *Quorum usus. Maimonides ibidem*. Quænam sunt quinque illa, quæ Hierosolymis absumi debuerunt? Pectus & armus Pacificorum, ablatum a sacrificio confessionis, ablatum ab ariete Naziræi. Pecudis puræ primogenitum & primitiva. His Hierosolymis tantum vesci erat licitum.

[59] 10. *Quorum usus &c. Maimonides ibidem*. Quænam sunt illa quinque dona, quibus in terra sancta solum licebat uti? Primitiæ, primitiæ de decimis, Placenta, quæ tria sancta sunt; primitiæ lanæ detonsæ, & ager possessionis, quæ duo vero profana sunt. Hæc quinque per legem nisi in terra sancta ipsis non competebat, nec primitias placentasque terræ sanctæ comedere, nisi in ea, poterant. Illa autem quinque, quæ ubique locorum Sacerdotibus cedebant quænam sunt? Donaria, pretium Redemtionis pro filio, primogenitum Asini, rapina Proselyti, & Anathemata. Hæc quinque communia erant ad quamcunque rem. Unum autem illud donum, quod e Sanctua-

ctuario accipiunt, sunt pelles holocaustorum. Qui mos circa reliquas pelles sacrificiorum, quæ sanctissima vocant, observatur item, ut omnes Sacerdotibus cedant.

Maimonides ibidem paragr. 12. *scribit eo modo, quo a Relando, hæc dona a sapientibus ordinata fuisse*: Aliter sapientes dona illa ordinarunt, dicentes; viginti quatuor dona sacerdotalia Aaroni fuerunt exhibita, quæ hæc sunt. Decem in Sanctuario, quatuor in urbe Hierosolymæ, & decem in terra reliqua. Decem illa in Sanctuario erant: Sacrificium pro peccato ex pecude, pro peccato ex volucre, sacrificium pro reatu, pro reatu certe dubio, pacifica sacrificia totius cœtus, logus olei leprosi, Panes: panes propositionis, reliquiæ fertorum, & residuum manipuli. Quatuor illa in urbe Hierosolymæ hæc sunt, Primogenitum, Primitiva, ablatum a sacrificio confessionis, & ariete Naziræi, & pelles Sanctorum scil. sacrificiorum. Decem illa in terra Israelis sunt: primitiæ, primitiæ de decimis, placenta, primitiæ lanæ detonsæ, donaria, pretium redemtionis filii, redemtionis pretium primogeniti Asini, ager devotus, ager possessionis, rapina Proselyti. Juxta autem hunc computum omnia, quæ a levioribus Sanctis auferuntur pro dono unico reputantur, quæ sunt pectus & crus, quæ de omnibus sacrificiis pacificis auferuntur; cum pane ablato cum illis (pectore & crure) si fuerit sacrificium laudis; cum armo (cocto) ablato ab ariete Naziræi cum pane illo, cum ablato, & cum pectore & crure. Quoniam itaque hæc tria sunt pacifica, propterea id quod de his aufertur, pro unico habetur dono.

[60] *Ex decem his &c. Maimonides ibidem paragr.* XI. Ecce facile vides dona fœminis æque ac maribus data esse quinque numero; primitiæ, primitiæ decimarum, placenta, dona e pecudibus, primitiæ detonsæ lanæ: *Tosephoth ad Mass. Chullin fol.* 130. 2. Illud obtinet quando adest doctus Sacerdos, si autem nullus adsit doctus, sed tamen indoctus, ei dabit, nec expectabit, donec obveniat ipsi doctus, prout vidimus in Mass. Challa, hæc sunt quæ dari possunt, cuicunque libuerit, anathemata, primogenita, *nempe* & pretium redemtionis filii, & primogenitum Asini, armus, maxillæ, ventriculus, primitiæ lanæ sectæ &c. Ubi לכל כהן non est explicandum *illa dari posse* sive viris custodiæ, sive reliquis Sacerdotibus; nam in Gemara Hierosolymitana capite שתי נשים dicitur, quod ex illis quædam cuivis Sacerdoti dentur, quædam vero viris custodiæ, *unde concludunt viros custodiæ sub prioribus* לכל כהן *non posse comprehendi, quia opponuntur*. Si itaque res ita se habet, sequitur quod לכל כהן, *quod in Mass. Challa cap. IV.* 9. habetur intelligendum ita sit, *illa dona posse dari* sive Sacerdoti docto, sive indocto, scilicet, ubi non adest doctus, *indocto tum detur*, aut si adsit, dona tamen accipere nolit.

CAPUT QUINTUM.

De munere sacerdotum.

§. I. Distributio Talmudica functionum Sacerdotalium.

FUnctiones sacerdotum in libro qui inscribitur *Siphra fol.* 41. 2. & Gemara Chullin *fol.* 132. 2. recensentur quindecim.

1. היציקות [1] effusiones olei in fertis.
2. הבלילות permixtiones fertorum cum oleo.
3. הפתיתות [2] fertorum quorundam confractiones in frusta.
4. המליחות [3] salitiones.
5. תנופות [4] agitationes.
6. הנשות adductiones ad angulum altaris notozephyrinum.
7. הקטורות vel ההקרבות oblationes in altari.
8. הקמיצות acceptiones pugilli ex fertis.
9. המליקות unguesectiones avium.
10. קבלות [5] exceptiones sanguinis quadrupedum.
11. הזאות [6] sparsiones sanguinis.
12. השקות סוטה [7] potationes mulieris adulterii suspectæ.
13. עריפת עגלה ערופה [8] decollatio vitulæ. *Deut.* 21. 6.
14. טהורת מצורע [9] mundatio leprosi.
15. נשיאות כפים [10] benedictio elevatis manibus in Templo מבפנים & extra Templum ומבחוץ peragenda.

§. II. Distributio quã nos sequemur.

II. Nos vero, quandoquidem hæc distributio Talmudica omnes functiones sacerdotum non comprehendit, & videmur aptius alio loco de quibusdam harum functionum dicturi, Parte videlicet III. hujus opusculi, ubi de sacrificiis agendum est, hunc ordinem sequi non constituimus. Sed hic persequemur primo munus quo quotidie fungebantur, in offerendis sacrificiis jugibus, accensione lychnorum, adolendo suffitu, templi custodia, & inflatione tubarum: dein alia quæ non ita quotidiana erant, uti de immunditie & lepra cognoscere, res devotas æstimare, mulierem adulterii suspectam examinare, vitulæ decollandæ adesse, panes facierum in Sanctum inferre & elatos comedere, vaccam rufam comburere, ac populum scientia rerum divinarum imbuere. His adnumerari potest contectio vasorum sacrorum, a Levitis portandorum, stante tabernaculo, & portatio arcæ fœderis, quod tamen Kahathitarum munus erat ordinarium. [11] Sed ter leguntur sacerdotes arcam tulisse, quum transiverunt Jordanem, circumiverunt Jerichuntem, & quum arcam in templum intulerunt. *Gem. Sota.* 33. 2.

§. III. Quotidianæ operæ sacerdotum sorte distributæ.

III. Qua in re opera quotidiana sacerdotum posita fuerit, colligi potest ex sortibus [12] quæ quater singulis diebus in [13] conclavi Gazith ducebantur inter sacerdotes, ut unusquisque munere illo, ad quod sorte, sive χειροτονίᾳ, designatus erat, fungeretur: quo spectat *Luc.* 1. 9. κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας ἔλαχε τὸ θυμιάσαι. [14] Prima sorte desi-

gnabatur ille qui prunas ab altari exteriori deferret ad pavimentum atrii, quod olim [15] non a ſorte ſed ab arbitrio uniuſcujuſque pendebat. *Joma.* II. I. *Tamid.* I. 2. [16] Secundo ſortitio fiebat inter tredecim. 1. Qui agnum jugularet. 2. Spargeret ſanguinem ejus. 3. Cinerem removeret ab altari interiori. 4. Lychnos aptaret. 5. *Caput & crus poſterius* (ראש ורגלו) agni deferret ad clivum altaris. 6. בהידים *armos duos.* 7. העוקץ והרגל *vertebras* extremas cum cauda & *crus* alterum poſterius ac renes. 8. החזה והגרה *pectus & guttur.* 9. בדפנות *duo latera.* 10. קרבים *inteſtina*, patinæ impoſita & כרעים *pedes* ſupra illa. Nota כרע in ſacro codice aliquando crus ſignificare *Lev.* II. 21. ſed quum de ſacrificiis agitur uti *Lev.* 8. 21. notat infimos pedes, πόδας uti illic Græci reddunt, atque ita Judæi veſtigia pedum gallinaceorum in pulvere conſpicua appellant כרעי דתרנגולא. 11. Fertum ex ſimila 12. חביתין cruſtula Pontificis maximi. 13. Vinum libaminis. *Joma.* II. 3. *Tamid.* III. I. [17] Tertio ſortiebantur de adolendo ſuffitu, *Luc.* I. 10. Qui de eo ſortiebantur omnes tales erant, qui nunquam ſuffitum adoleverant: nec enim niſi ſemel eo officio fungebantur. [18] Quarta ſorte deſignabatur, qui membra victimæ per clivum ad altare deferret.

§. IV. Cultus quotidiani in Templo deſcriptio ex *Tamid.*

IV. Ex his aliquo modo cultus quotidianus in templo peragendus intelligitur, quem ita fere in *Tamid* deſcriptum habemus, uti videlicet ſtante templo ſecundo fieri conſuevit. [19] Sacerdotes in atrium ingreſſi, & in duas turmas diviſi, atrium obibant accenſis facibus (excepta nocte ſabbathi, qua lucernæ in atrio erant accenſæ) & circa conclave cruſtulariorum Pont. m. ſibi mutuo occurrentes cruſtularios excitabant ut cruſtula conficerent. [20] Qui ſorte erat deſignatus ad תרום את המזבח, id eſt, *ut ab altari* quaſi *primitias caperet*, prunas inde laturus ad pavimentum atrii, eumque locum ad ortum altaris ubi avium ingluvies & ſordes lychnuchi ac altaris interioris erant, ſine lucerna ad labrum ſe contulit; ubi lotis manibus pedibuſque id præſtabat. [21] Dein alii loti fuſcinis & palis removebant membra & adipem, quæ conſumta non erant, ad latus altaris, & cineribus nonnullis in cumulum collectis [22] ſuperfluos auferebant. Allatis dein lignis (duobus [23] minimum, *Siphra fol.* 59. I.) ſortiebantur de jugulatione, &c. uti modo dictum, cujus tempus adveniſſe monebantur [24] voce præfecti, ברקאי, [25] agnumque adducebant ex conclavi agnorum, adaquatum [26] ex poculo aureo, quod cum aliis 92. vaſis aureis & argenteis ex conclavi vaſorum petierant. [27] Qui cinerem ab altari interiori tolleret, & qui lychnuchum concinnaret, habentes claves duas & vaſcula טני & כוז per oſtium exiguum ad ſeptentrionem portæ magnæ intrabant in תא ſive conclave, & per illud in ſanctum, cujus portam aperiebant; quo ſtridore audito jugulabatur agnus, qui ſi ante apertam hanc portam jugulatus fuiſſet haberetur reprobus ſive פסול. [28] Poſtea purgato altari, & [29] aptatis lychnis (ad [30] quem actum bis in ſanctum intraſſe ſacerdotem volunt, diſtinctis aliquo intervallo temporum momentis ita ut prima vice 5. lychnos, altera duos reliquos, concinnaret) exibant. [31] Jugulato autem agno & membris delatis ad clivum altaris, ac ſalitis, in conclave Gazith redibant ad legendum שמע.

§. V. Continuatio ejuſdem.

V. [32] Tum ſortiebantur de ſuffitu, [33] & delatione membrorum victimæ ad ſummum altaris. Quibus vero nulla functio ſorte obtigerat, veſtibus ſacerdotalibus exuti profanas induebant. [34] Qui ſuffiret accipiebat vas הכף in cujus medio erat בזך vas ſuffitu plenum & operculo clauſum, & cum מחתה vel πυρέῳ (vid. *Num.* 16. 18.) argenteo, capaci 4. caborum, [35] altare adſcendens prunas accipiebat, eaſque ubi deſcendiſſet in πυρεῖον aureum capax caborum 3 effundebat. [36] Deinde tum ille qui בזך thure plenum gerebat, tum ille qui gerebat πυρεῖον (qui ſorte non erat deſignatus ſed eligebatur ab eo qui ſuffiret. *Gem. Joma* 25. 2.) intrabant in ſanctum: & cui munus ſuffiendi contigerat prunis diſpoſitis ſupra altare ſuffitum ex בזך immittebat, [37] ad vocem præfecti הקטר, [38] quo tempore nullus erat in atrio inter pronaon & altare, & populus in atrio preces fundebat. *Luc.* I. 10. [39] Poſtea ſacerdotes hi in gradibus pronai conſtituti populo benedicebant: de quo ritu notandum eſt, ſacerdotes ephemeriæ miniſtrantis manibus lotis & ſublatis, vel ad altitudinem humerorum, ſi P. M. vel altius ſi ſacerdos gregarius eſſet, pollice utroque & indice junctis, duobus autem digitis auriculari & annulari a reliquis ſeparatis, coram populo benedictionem *Num.* 6. 23. pronuntiaſſe. [40] Sex autem res erant, quæ ineptum reddebant ſacerdotem ad benedictionem pronuntiandam, literis his מעש״יטל indicatæ. 1. מום vitium corporis. 2. עבירה [42] peccatum grave, quale idololatria, homicidium, &c. etiamſi pœnitentiam egerit. 3. שנים [43] anni, ætas non legitima. 4. יין [44] vini uſus; ſi quis plus quarta parte logi biberit. 5. טומאת [45] impuritas. 6. לשון [46] lingua. [47] In ſcholis quoque & ſynagogis populo benedicebant ſacerdotes eadem formula, ſed nec adeo habebatur ratio ſacerdotis benedicturi ut in templo, nec nomen יהוה ſed אדני pronuntiabatur, nec tres partes benedictionis ſine intermiſſione jungebantur: nec ſupra humeros manus eleva-

bant. *Sota* VII. 6. Sacrificium juge vespertinum iisdem ritibus quibus matutinum peragebatur, [48] circa horam diei nonam, uti Josephus testatur *Ant.* XIV. 8. [49] sed sortitio non fiebat nec benedictio. Eadem functio iisdem mane & vesperi obtingebat, [50] si suffitum excipias, ad quem novo sortium ductu opus erat. *Gem. Joma.* 26. I. Et [51] circa vesperam sacerdotes comedebant suas תרומות. *Beracoth.* I. I.

§. VI. Series horum in tabella proposita.

VI. Verum haud erit inutile hæc omnia, ut clarius distinctiusque percipiantur, in tabella proponere secundum ordinem temporis.

[52] *Ordo ministerii quotidiani.*

SORS PRIMA, qua designatur qui ab altari exteriori ἀπαρχὴν prunarum ad pavimentum deferret eo loco quem indicavimus.
Decineratio altaris exterioris.
Dispositio struis primæ in foco majori altaris, qui erat ad ortum.
Dispositio struis secundæ.
Apportatio duorum segmentorum ligni imponendorum foco majori altaris.
SORS SECUNDA, qua designantur qui circa agnum & mundationem lychnuchi & altaris interioris versarentur.
Præparatio agni jugulandi.
Apertio portæ magnæ sancti.
Jugulatio agni.
Introitus duorum sacerdotum in sanctum ad decinerandum altare interius & aptandos lychnos.
Mundatio vel decineratio (רישון) altaris interioris.
Sparsio sanguinis agni ad altare.
Concinnatio quinque lychnorum in lychnucho.
Delatio membrorum agni ad clivum & salitio.
Introitus sacerdotum in Conclave Gazith ad legendum ק"ש.
SORS TERTIA, qua designatur qui suffitum adoleret.
SORS QUARTA, qua is designatur qui membra agni a clivo ad summum altaris, לגבי המזבח, deferret.
Oblatio suffitus in sancto.
Concinnatio duorum lychnorum lychnuchi sacri.
Delatio membrorum agni ad summum altaris.
Fertum.
Crustula Pontificis maximi.
Libamen vini, & cantus Levitarum.
Denique, quum sancto egreditur ille qui suffitum adoleverat, in gradibus pronai constitutus cum aliis sacerdotibus exspectat, donec membra agni consumta sint in altari, & populo benedicit.

§. VII. Custodia templi.

VII. [53] Ad munus etiam quotidianum sacerdotum pertinet templi custodia. Sacerdotes excubias agebant in tribus locis, uti Levitæ in 21, illi quidem ad loca interiora templi, hi ad exteriora. [54] Loca illa sunt conclave Abtines, Nitzotz & Beth Moked. In Beth Moked cubare solebant capita familiæ ministraturæ die sequenti, & claves atrii illic servabant. [55] Mane autem præfectus montis templi januam Beth Moked pulsabat, & accepta clave ostium aperiebat, per quod in atrium sacerdotes intrabant. *Middoth.* I. I. *Tamid.* I. I.

§. VIII. Buccinas & tubas inflare.

VIII. [56] Sacerdotum quoque erat tubas inflare in templo quotidie: ubi inprimis notanda est differentia buccinæ & tubarum. [57] *Buccina*, שופר dicta, erat cornu animalis. Vaccæ autem cornu nomine שופר non comprehendunt, quod illud קרן appelletur *Deut.* 33. 17. & nunquam dicatur שופר. *Rosch haschana.* III. 2. [58] Cornu erat plerumque arietis, incurvum. [59] חצוצרות vero sive *tubæ* σάλπιγγες σημασιῶν I. *Macc.* 7. 45. dictæ, & Hebræis כלפינגס in *Midrasch Coheleth.* 110. 4. *Echa rabbati* 56. [60] 4. ex metallo constabant, & rectæ erant; quare aquam buccina, non item tubis, hauriri potuisse Talmudici tradunt. Buccinarum usus in templo & extra templum erat: & extra templum quidem non requirebatur eas inflari a sacerdotibus, sed & ab aliis fieri poterat. *Jud.* 7. 16. At si in templo essent inflandæ, ut in festo clangoris & alias, ad sacerdotes ea cura pertinuit. *Nehem.* 12. 41. *Tubas* autem argenteas duas Moses facere jubetur *Num.* 10. 2. eratque R. Josua Sycanensis in ea opinione [61] has tubas absconditas fuisse vivente Mose, & Josuam sibi alias confecisse. vid. *Midrasch. Coheleth.* 110. 4. quia *Num.* 10. 2. legitur עשה לך *fac tibi*, & *Deut.* 31. 28. nulla fit tubarum mentio. [62] His sacerdotes inflabant certis temporibus festis *Num.* 10. 9. & 10. quibus

bus proinde tubarum usus, ut [63] Levitis cymbalorum 1. *Chron.* 16. 42. attribuendus est, uti *comm.* 5. *&* 6. distinguuntur, & aliis in locis, ubi totus populus tubis clanxisse dicitur, id est, sacerdotes per totam multitudinem dispersi. Hæ tubæ duæ in [64] Arcu qui Tito Vespesiano erectus est ante mensam panum sculptæ conspiciuntur. Tubis [65] clangebant quotidie 21. vicibus, ter ad apertionem portarum, novies ad libamen vini matutinum, novies ad vespertinum. *Succa* v. 5. Stabant autem [66] ad mensam adipum in oblatione sacrificii jugis, & [67] sacrificiorum ([68] at in Paschate clangebant tempore jugulationis, non ad libamen vini) quæ publico vel privato nomine offerebantur in diebus festis : unde nonnisi in holocaustis, quadrupedum & salutaribus, quæ sola libamen requirebant, tubarum usum fuisse colligitur, uti & erat in initio & fine festorum, ac temporibus lætitiæ vel tristitiæ extraordinariis, [69] in jejuniis, præliis, & triumphis. [70] His autem conjungere usum buccinæ in templo quidem solebant. *Ps.* 98. 6. בחצוצרות וקול שופר & 2 *Chron.* 15. 14. שופרות והצוצרות : sed extra illud vel buccina vel tubis solis utebantur, secundum hoc Talmudicum בגבולין מקום שיש חצוצרות אין שופר מקום שיש שופר אין חצוצרות *Gem. Rosh. hasschana*. 27. 1.

§. IX. De immunditie cognoscere.

IX. Sacerdotum porro erat [71] de mundo & immundo cognoscere *Lev.* 10. 11. *Deut.* 21. 5. quæ sane pars officii sacerdotalis difficillima fuit. *Hagg.* 2. 14. Variæ autem sunt immunditіes, quædam ex ipsa Dei lege scripta ortum ducentes, quædam ex constitutionibus doctorum Hebraicorum. Quædam res immundæ sunt, nec tamen alias polluunt; quædam & immundæ sunt ipsæ & polluunt alias. Quædam res puræ, [72] uti semina, contactu cadaveris non polluuntur : sed si aqua iis affusa sit, omnino : vide *Levit.* 11. 37. 38. & codicem Mischnicum *Macschirin*, sive de liquidis res ad pollutionem disponentibus. Quædam polluunt hominem, ita ut per diem immundus maneat : quædam per dies septem, quædam per mensem, quædam ulterius. Quædam polluunt homines tantum, quædam homines & vasa : [73] vasorum videlicet 8. species, vestes, cilicia, testacea, coriacea, ossea, vitrea, metallica, lignea. [74] Quædam arcebant hominem ab (1) urbibus muro cinctis, (2) quædam a monte Templi, (3) quædam ab spatio antemurali, (4) quædam ab atrio mulierum, (5) quædam ab atrio magno, & hoc respectu gradus quinque immunditiei sunt in 1. leprosis 2. seminifluis זבים 3. [76] pollutis a mortuo. 4. טבולי יום eo die lotis sed ante vesperam non mundis, & 5. [78] indigentibus piaculo מחסרי כיפורים. [79] Ita ut quid gravissime polluat omni respectu dici vix possit : nam cadaver habetur quidem gravissimum omnium, חומר כולן quod in tentorio polluat. *Kelim.* 1. 4. Sed tamen cadaver non ita polluit res cubili ac sedili uti זב sive vir fluxu seminis laborans, [80] qui etiamsi 100. panni sibi mutuo impositi essent & contaminasset supremum, omnes pro pollutis haberentur: sed cadaver hominis impositum illis pannis nonnisi tres pollueret.

§. X. Gradus sex immunditiei.

X. Sunt autem *gradus immunditiei*, מעלות הטומאה, uti Judæi loquuntur, sex, quorum primus appellatur אבי אבות *Pater patrum*, secundus אב הטומאה *Pater immunditiei* (de quibus §. seq.) tertius ראשון לטומאה [81] *Primum immunditiei* contractæ videlicet a patre immunditiei : & in hoc gradu omnia esse considerantur quæ ab aliquo patre immunditiei polluta sunt, sive homo fuerit, sive vas, sive cibi, sive liquores: quartus שני *secundum* : quintus שלישי *tertium* : sextus רביעי *quartum*. Ulterius se non extendunt immunditіes, [82] & quod præter patres est omne ולד *proles* immunditiei dicitur, sive sit primum, secundum, tertium aut quartum. [83] Patres polluunt ארם וכלים *homines*, *&* *vasa* : sed proles nonnisi cibos & liquores, [84] excepto liquore immundo qui solus inter proles immunditiei vasa polluit. De his autem varii sunt Judæorum canones, veluti in Codice *Thorot.* 11. 3. Videlicet *de rebus profanis*, חולין : quod est primum respectu immunditiei a patre immunditiei contractæ in rebus profanis, sive ראשון בחולין, pullutum est ipsum & alias res polluit, id est, טמא ומטמא. Quod est secundum השני ineptam reddit rem profanam ad esum, פוסל ולא מטמא at non polluit ulterius, id est, non reddit eam rem ita immundam ut aliæ res ab ea polluantur contactu &c. sic ut פסול alia non polluat. Quod est tertium, [86] comeditur cum jusculo, quicum primitiæ mixtæ sunt. Et ibidem *de primitiis*, תרומה : primum & secundum in primitiis polluta sunt & polluunt. Tertium פוסל ולא מטמא ineptas eas reddit ad esum at non polluit. [87] Quartum comeditur cum jusculo cui קדש *cibi sacri* (de quibus mox) immixti sunt. De קדש sive *cibis sacris in atrio comedendis*. [88] Primum, secundum, & tertium in cibis his sacris polluta sunt & polluunt. Quartum ineptos hos reddit ad esum, פוסל, sed non polluit. Quintum editur cum jusculo sacro. [89]

§. XI. Species undecim immunditiei legalis.

XI. Undecim a Judæis recensentur species immunditiei legalis, quarum videlicet in lege Dei scripta fit mentio [90] omnes, excepta lepra, ab animali ortum trahentes, suntque 1. [91] Immunditіes reptilis, si videlicet sit unum ex iis octo, quæ *Levit.* 11. 30. enumerantur. [92] Nam reliqua reptilia, uti viperæ, ranæ, testudines, serpentes, munda

da ſunt nec polluunt. 2. [93] Cadaveris beſtiæ, quo nomine intelligitur quodvis cadaver animalium ſive mundorum ſive immundorum : ita tamen ut mundum, ſi rite jugulatum ſit, mundum ſit : immundum ſive juguletur ſive morte naturali moriatur immundum maneat : præterea quod mundi adeps non polluat. 3. [94] Cadavaris humani, quo nomine venit vel minima cadaveris particula, olivæ magnitudinem ſuperans. [95] Nec differt cadaver Iſraelitæ ab cadavere aliarum gentium, niſi reſpectu immunditiei tentorii, quoniam gentium cadavera non polluunt in tentorio, אין הגוים מטמאין באהל. 4. [96] Concubitus ſeminis. 5. [97] Aquæ piacularis ſive luſtralis quæ מי נדה in Codice ſacro & מי חטאת in Miſna appellatur, deſtinatæ ut cineri vaccæ rufæ mixta pollutos a mortuis mundet. 6. [98] Sacrificii piacularis. 7. [99] Mulieris fluxu laborantis. 8. Viri fluxu laborantis. 9. Menſtruatæ. 10. Puerperæ. 11. Lepræ.

§. XII. Patres 32 immunditiei legalis.

XII. Solent Judæi de his undecim ſpeciebus notare quot modis unaquæque polluat, & 32. [100] *radices*, ſive *patres pollutionis* אבות הטמאה recenſere, quibus opponuntur ſurculi ſive *proles pollutionis* ולדי הטמאה. Appellantur autem *ſurculi* ſive *proles*, quæcunque ab his *radicibus* ſive patribus polluuntur. Prima ſpecies non niſi unum habet patrem pollutionis,

I. *Reptile* ipſum eſt pater pollutionis.
II. *Cadaver beſtiæ* quoque.
III. *Cadaver humanum* novem patres complectitur. 1. Cadaver ipſum polluit. 2. ſepulcrum polluit. 3. homo Iſraelita (nam ethnicus nec polluitur cadavere nec polluit eo reſpectu) cadavere pollutus. 4. vaſa ab ejuſmodi homine tacta. 5. vaſa cadaver tangentia. 6. homo tangens vaſa illa. 7. vaſa ejuſmodi hominem tangentia. 8. vaſa quæ illa vaſa tetigerant. 9. tentorium cadavere pollutum.
IV. *Concubitus ſeminis*. Unus hic pater eſt, ipſum ſemen.
V. *Aquæ piacularis*, מי חטאת, id eſt, aquæ vivæ, cui cinis vaccæ rufæ immixtus eſt ad mundandos alios, non niſi unus pater eſt, ipſa aqua nempe, contacta aut geſtata ab eo qui illa opus non habet, antequam videlicet alius ea mundatus ſit: nam poſtea non polluit.
VI. *Sacrificii piacularis* tres patres erant. 1. vacca rufa. 2. juvencus & hircus azazel. Polluebant enim hæc omnia veſtes illorum, qui circa illa occupabantur.
VII. VIII. *Mulieris fluxu laborantis* & *Viri fluxu laborantis*, quorum uterque ſeptem habebat patres immunditiei. 1. ipſa mulier erat pater immunditiei, atque ita etiam vir. 2. concumbens cum illa vel illo. 3. ſanguis aut ſemen illius fluxus. 4. ſputum. 5. urina. 6. ſedile. 7. cubile.
IX. X. *Menſtruatæ* & *Puerperæ* etiam ſeptem illos habebant immunditiei patres.
XI. *Lepræ* immundities 4. patres immunditiei complectitur, qui ſunt 1. Leproſus quatenus erat ſecluſus. 2. Leproſus quatenus immundus erat pronuntiatus. 3. veſtis lepra infecta. 4. domus lepra infecta.

§. XIII. Patres immũditiei ex decreto doctorum.

XIII. [101] Præter has ſex numerant Judæi ſpecies immunditiei, quæ complectuntur & ipſæ ſuas *radices*, ſive *patres immunditiei ex inſtituto ſcribarum* אבות הטמאה מדברי סופרים, videlicet. 1. immundities cadaveris humani. 2. Fluxus זיבות. 3. Menſtruatæ. 4. Puerperæ. 5. Idoli. 6. Cadaveris beſtiæ. Patres autem immunditiei in his ſunt.

1. [102] Immundities cadaveris humani quæ undecim habet patres. 1. Officulum, quantitate grani hordeacei, polluit contactu & geſtatu, non tentorio. *Obolotb*. II. 3. 2. Terra gentium. 3. בית הפרס, ager in quo ſepulcrum aut cadaver eſſe aratrum indicat, aut in quo ſparſæ ſunt cadaveris particulæ. 4. Sanguis [103] conculcationis, דם תבוסה, qui partim ex vivo ſed morti proximo, partim ex mortuo, homine fluit. *Obolotb*. II. 2. & III. 5. 5. Tentorium pollutum ſanguine conculcationis. 6. Homo uno ex quatuor modis prioribus pollutus. 7. Vaſa quæ illum hominem tetigerunt. 8. Vaſa quæ illa vaſa tetigerunt. 9. Homo qui illa vaſa tetigit. 10. Vaſa quæ illum hominem tetigerunt. 11. Vaſa quæ tetigerunt illa vaſa.
2. [104] Immunditiei fluxus 9. patres ſunt 1. ipſe qui fluxu laborat. 2. fluxus. 3. ſaliva ejus. 4. urina. 5. ſedile. 6. cubile. 7. ſtratum quo geritur. 8. ſanguis. 9. rem habens cum tali muliere. Sub quibus Æthnici comprehenduntur.
3. [105] Immundities menſtruatæ etiam 9. patres habet.
4. [106] Immundities puerperæ eoſdem habet 9. patres.

5. [107]

5. [107] Immunditіes idoli 4. habet patres. 1. ipsum idolum. 2. Quæcunque inserviunt idolo. 3. Quæ oblata sunt idolo. 4. Vinum quod ei libatur.
6. [108] Immunditіes cadaveris duos continet patres. 1. Animal ab extraneo homine, id est, non Israelita, jugulatum. 2. Cadaver avis mundæ.

§. XIV. Numerus eorum ad 29 reductus.

XIV. Quandoquidem vero iidem patres fere sunt fluxus, menstruatæ, & puerperæ, illos nominatim repetere nil attinet: [109] adeoque ad 29. patres, omnes referuntur radices immunditiei ex his 6. speciebus ortæ. Undecim videlicet patres in immunditie cadaveris humani, quatuor in immunditie idoli, duo in immunditie cadaveris, id est, 17. universim, & his adduntur 12. hi. 1. Homo ethnicus, qui similis habetur homini fluxum passo. 2. Menstruata dies retrorsum numerans. 3. Fæmina videns maculam ignotam, retro numerando, polluit cubile & sedile. 4. Fæmina quæ tempore legitimo se non exploravit, & postea se explorans pollutam cernit. 5. Fæmina pariens abortum. 6. Qui cum iis rem habuerit. 7. Sedile earum. 8. Cubile earum. 9. Sputum earum. 10. Urina. 11. Sanguis. 12. Fluxus hominis ethnici. At semen ejus mundum est.

§. XV. De Lepra ejusque speciebus & signis.

XV. Inter immunditіes graviores attentionem singularem lepra meretur, morbus eo modo, quo describitur Levitici capite tertio & decimo, [110] Israelitis proprius, & cujus cura [111] ad solos sacerdotes pertinuit, a quorum ore & mundities ac immunditіes dependebat: אין טומאה וטהרה אלא מפי כהן uti legitur in *Siphra fol.* * 100. 1. Non modo in Palæstina, sed extra eam, templo seu stante seu diruto, præcepta hæc Dei de lepra observanda fuerunt. *Siphra fol.* * 127. 1. & * 128. 1. Dividitur illa in species duas, lepram res animatas inficientem, & quæ res animatas afficit. Lepra res animatas inficiens, est humana, eaque duplex vel capitis vel cutis. [112] Lepra capitis vel barbæ צרעת הראש או הזקן duo habet signa. Vide *Levit.* 13. 30.

1. Maculæ depressionem infra superficiem cutis.
2. Pilum fulvum in ea.

[113] Lepra cutis humanæ tria signa habet. *Levit.* 13. 2.

1. שאת tumorem. Color est instar lanæ agni unius diei, כצמר. *Siphra fol.* * 105. 2.
2. ספחת abscessum, ἀπόστημα. Color est instar calcis טפילה. *Siphra fol.* * 98. 2.
3. בהרת candoris nivei. *Siphra ibid.* Confer *Exod.* 4. 6.

[114] Et hæc signa particularia. *Lev.* 13. 3.

1. Pilum album redditum.
2. Plagæ adspectum cute profundiorem.
3. Diffusionem.
4. Vivacitatem.

§. XVI. Leprosi examen a sacerdote instituendum.

XVI. [115] Si ex his notis edoctus fuerit sacerdos (qui etiamsi unus esset de lepra judicium ferre poterat. *Gem. Nidda.* 50. 1. *Sifra fol.* * 100. 1.) lepram esse, immundum pronunciabat hominem. Quod si modo בהרת fuerit, nec pilus albus sit redditus, nec plagæ adspectus cute profundior, secludebat illum hominem sacerdos continenti septiduo, quo exacto sacerdos eum accedebat, & si plaga se ulterius in cute non diffudisset, altero septiduo eum secludi curabat. Si nec tum se plaga diffudisset, mundus pronunciabatur a sacerdote, & lotis vestibus habebatur pro mundo: quemadmodum & si totum corpus a capite ad pedes lepra occupasset; nam ὁλόλεπρος homo mundus censebatur, *Lev.* 13. 13. ὁ δὲ ἐκ μέρους ἀκάθαρτος, qui autem ex parte leprosus erat, immundus, uti Photius loquitur in *Amphilochiis*, *quæst.* 82. Quod si se diffudisset plaga exacto septiduo ultra terminos priores, eo quo dictum est modo, sacerdos illum immundum pronunciabat & leprosum. Tunc autem vestes scissas, uti in luctu, gerere, caput incomtum habere (ראש פרוע) barbam superiorem velare, [116] obviis immunditiem suam indicare clamando, טמא, טמא, & extra castra degere, sive extra urbes tempore Josuæ muro cinctas, debuit. Nec tamen soli erant & ab omni hominum consortio secreti. Quatuor simul fuisse leguntur 2. *Reg.* 7. 3. & Christo decem occurrerunt *Luc.* 17. 12. quid? quod nec ab ipsa synagoga eos Judæi excludant.

§. XVII. Leprosi mundatio.

XVII. Sex [117] res requirebantur ad mundationem leprosi. 1. [118] Duæ aves. 2. Lignum cedrinum, 3. Hyssopus. 4. Lana coccinea. 5. Aquæ vivæ. 6. Vas fictile. Quum enim lepra liberatus esset homo, sacerdos adduci jubebat duas volucres mundas ציפורים. Quo nomine Macarius quidem *Hom.* 47. δύο περιστερὰς sive columbas intelligit, Origenes & Hieronymus gallinas, quod vulgo Græci gallinas ὄρνιθας dicerent; sed frustra tunc vox *mundarum* addita fuisset: & probabile est quod in *Gem. Hier. Nazir.* 51. 2. legitur, omnem avem puram dici *Zippor.* כל עוף טהור קרוי ציפוריך. Columbæ tamen hoc nomine non intelliguntur, quæ expiationi intus in atrio peragendæ a Deo erant destinatæ; nam תורים ac בני יונה dictæ fuissent, non ציפורים, uti monetur in *Siphra fol.* 66. 1.

66. 1. Hirundines aut paſſeres fuiſſe multi Judæorum tradunt : alii vero de paſſeribus dubitant ſintne inter aves mundas cenſendi. [119] Eſſe debuerunt hæ aves, uti & hirci diei expiationis & agni duo a leproſo offerendi, pares colore, ſtatura & pretio, uti legitur in *Siphra*, ubi & *fol.* * 127. 1. quatuor actiones circa aves leproſi diſtinguuntur.

1. לקיחת ציפורים *acceptio avium* : quæ fieri potuit ab aliquo qui ſacerdos non eſſet, ita ut juſſu ſacerdotis alius capere eas poſſit, צוה הכהן ללוקח ולקח מי שירצה.

2. שחיטת ציפורים *jugulatio avium*. Hanc non a ſacerdote neceſſario fieri debere quidam putant, quia in Codice ſacro iiſdem verbis quibus mox deſcribitur acceptio legitur צוה כהן ושחט : alii contra ſentiunt.

3. הזיית דם ציפרים *ſparſio ſanguinis avium*.

4. שילוח ציפרים *dimiſſio vivæ avis*.

Avium una jugulabatur in vaſe teſtaceo ſupra aquam ex vivo fonte ortam, & ſanguini intingebatur avis altera viva, lignum cedrinum, lana coccinea & hyſſopus. [120] Ramus cedrinus longus erat, uti in *Siphra fol.* * 128. 1. legere eſt, cubitum unum, craſſus quartam partem pedis quo lecti fulciri ſolebant : [121] hyſſopus lata erat palmum. Hæc autem lana coccinea erant colligata, & extremitates alarum avis vivæ & cauda circa ramum cedrinum & hyſſopum fuere convolutæ, atque ita hæc omnia ſimul ſanguini intincta fuerunt *Siphra*, *fol.* * *129.* 2. *Negaim.* XIV. 5. His adſpergebat leproſum ſepties mundumque pronuntiabat, [122] vivam dimittens avem. *Lev.* 14. 2. [123] Quibus peractis erat adhuc leproſus מחוסר כפרה *indigens piaculo*, & lotis veſtibus, raſo corpore & loto, in caſtra vel urbes admittebatur, & [124] poſt dies ſeptem iterum veſtes lavabat, tondebat corpus & lavabat. Tum die ſequenti, [125] id eſt, octavo, in conclavi leproſorum (*Siphra*, *fol.* * 132. 1.) lotus [126] ad portam Nicanoris tendebat ſtante templo II. & [127] ſacrificium ſuum offerebat, [128] agnos duos, unum in holocauſtum, alterum pro delicto, & agnam in ſacrificium piaculare, [129] fertum trium decimarum ſimilæ oleo mixtæ, & logum olei. [130] Si pauper eſſet, agnum dabat in ſacrificium pro delicto, decimam ſimilæ oleo mixtæ & turtures duos, alterum in ſacrificium piaculare, alterum in holocauſtum. *Levit.* 14. 21. [131] Quum autem ipſi intrare in atrium magnum non liceret, nec ſanguis ſacrificiorum ſanctiſſimorum extra atrium efferri poſſet, ipſe dexteram aurem, pollicemque manus dextræ & pedis dextri in atrium porrigens ſanguinem & oleum illita membris illis digito ſacerdotum (quia oleum potuit ſacerdos vel ſiniſtræ ſuæ vel manui alterius ſacerdotis infundere uti eſt in *Siphra fol.* * 132. 2.) excipiebat.

§. XVIII. Lepra veſtium & ædium.

XVIII. [132] Lepra, quæ res inanimatas inficiebat, erat lepra veſtium & ædium. Lepra veſtium non polluit niſi lanam & linum. *Levit.* 13. 47. *Kelaim.* IX. 1. adeoque pelles ea non inficiebantur niſi lana iis adhæreret, uti pelles ovium & caprarum. [133] Indicium hujus erant maculæ virides & rubræ, quæ ſi poſt ſeptiduum ſecluſionis ſe diffudiſſent, judicabatur veſtis lepra infecta & comburenda. *Lev.* 13. 47. Lepra ædium ([134] nonniſi in terra Canaan, at nunquam Hieroſolymis, viſa, uti Judæi in *Siphra fol.* * 138. 1. tradunt) cognoſcebatur ex [136] maculis viridibus & rubris, [137] ſi ſe diffunderent : tum enim tota domus erat diruenda. *Lev.* 14. 45. at [138] ſi maculæ ſe non diffudiſſent, jugulatione duarum avium & immerſione rami cedrini, lanæ coccineæ & hyſſopi in ſanguinem alterius ex iis, ut ante, domus mundabatur. *Lev.* 14. 48.

§. XIX. Res Deo devotas æſtimare munus ſacerdotum.

XIX. Æſtimabant etiam ſacerdotes res perſonaſve quas Deo aliquis voverat ; ut certo pretio redimerentur, & in Siphra *canon generalis* traditur *fol.* * 293. 2. *omnes æſtimationes eſſe ſacerdotum*, בניין אב לכל הנערכין שיהו בכהן. In his tamen diſtinctio obſervanda eſt inter votum ſimplex נדר & [139] חרם. Quæ poſteriori modo erant devota redimi non poterant ; ſed uſui ſacro vel ſacerdotibus cedebant, aut ſi homines eſſent, mortem ſubibant. *Levit.* 27. 28. 2. *Reg.* 12. 4. At de his votis capite ultimo Partis tertiæ copioſius dicetur. [140] Filii quoque primogeniti redemti pretium, 5. ſicli, etiam nunc ſacerdoti cedunt. Vide *Lev.* 12. & 15. *Num.* 18. 16. *Exod.* 13. 1. 2.

§. XX. Mulierem Sota examinare.

XX. [141] Mulier quoque adulterii ſuſpecta, quam *zelotypicam* nuncupat Hieronymus *comm. in lib. Reg.* adducenda erat ad ſacerdotem, pro qua poſtquam decima Ephæ farinæ hordeaceæ (ſine oleo & thure) fuerat allata, ſacerdos eam in [142] porta Nicanoris collocabat, [143] aquamque e labro ſacro hauſtam & vaſi fictili, admixto pulvere atrii (ut quidam : [144] alii vero, illo quod in ſancto ſub tabula marmorea erat) infundebat. [145] Dein ipſius caput a ſacerdote nudabatur, & ut nonnulli volunt, pars veſtium diripiebatur ab eodem. Poſtea ſacerdos [146] munus in corbe ſaligna allatum ſancto vaſi inditum [147] manibus mulieris impoſuit, [148] eamque certa formula, exhibita *Num.* 5. 19. & [149] inſcripta ſchedulæ, adjurabat, manu tenens aquas amaras [150] Quantitas aquarum erat dimidium logi, uti traditur in *Gem. Hier. Sota.* 18. 1. [151] Tum corbem e manu mulieris ſacerdos arripiebat, munuſque ſancto vaſi inditum

atque

atque [152] agitatum ad angulum altaris notozephyrinum deponebat, [153] acceptumque farinæ pugillum ſale adſperſum conjiciebat in ignem altaris. [154] Denique uxor aquas amaras imbibebat, ſi innocens, innoxie: ſi rea, venter ejus intumeſcebat, & concidebat femur ejus, [155] eaque ſolutis crinibus & pectore nudo e templo ejiciebatur.

§. XXI. Vitulæ decollandæ adeſſe,

XXI. Præterea ſacerdotes aderant decollationi vitulæ, quam, ſi [156] cadaver hominis interfecti in campo inveniretur, & reus lateret, proximæ civitatis (quam 5. membra ſynedrii magni indicabant) ſeniores emere debebant *Deut.* 21. 5. *Sota* IX. 1. Decollatio fiebat a parte poſteriore colli, מאחריה, ſecus ac in jugulatione ordinaria. Hic interpretes Alexandrini reddunt ערופה νενευροκοπημένη, & Joſephus τοὺς τένοντας, id eſt, tendines cervicales, κεκομμένη. Sepeliebatur illa in eadem valle inculta, nec poſtea [157] colenda, ubi decollata erat.

§. XXII. Panes ſacros inferre & efferre,

XXII. Sacerdotum quoque erat panes propoſitionis quolibet [158] ſabbatho auferre e ſancto & novos ſubſtituere; quod hoc modo fieri conſueviſſe Judæi tradunt in *Menachoth*. XI. 7. Intrabant in ſanctum ſacerdotes quatuor, quorum duo duos ordines panum recentium ferebant, duo reliqui duas acerras thuris. Hos anteibant quatuor, qui panes & acerras de menſa tollerent & panes veteres in pronao deponerent, donec thus in acerris contentum cremaretur addito ſale in illo foco e quo prunæ ſuffitus petebantur, & quidem ipſo ſabbatho. Sic ut menſæ adeſſent ſacerdotes octo, 4. ad ſeptentrionem (eorum enim miniſterium locum honoratiorem poſtulabat) qui panes recentes apponebant, 4. ad auſtrum menſæ, qui veteres tollerent. [159] Recentibus in menſa diſpoſitis, egreſſi reponebant panes veteres in [160] menſa aurea pronai, thus admixto ſale adolebant, dein panes partiebantur ſacerdotes accedentis & recedentis ephemeriæ, illi ad aquilonem atrii, ut oſtenderetur miniſterium illius hebdomadis ad eos pertinere, hi ad auſtrum, qui dein eos in loco ſancto comedebant. Quum autem panes erant diviſi, ſacerdotes ephemeriæ recedentis renunciabant plane ſacris, & locum cedebant ephemeriæ accedenti; nec tamen templo excedebant, quia panes in atrio, loco ſancto, comedi debuere, & [161] quidem eo ipſo die, id eſt uſque ad mediam noctem, quæ ſequebatur ſabbathum. Hieronymus autem, *commentario ad Malachiam p.* 1810. non tantum curam adferendi & auferendi comedendique ſacerdotibus adſcribit, ſed *panes propoſitionis juxta traditiones Hebraicas ipſos* [162] (*ſacerdotes*) *ſerere*, *ipſos demetere*, *ipſos molere*, [163] *ipſos coquere debuiſſe* tradit.

§ XXIII. Vaccam rufam comburere.

XXIII. Inter [164] alia munera ſacerdotalia (licet enim pontifices eo functi fuerint, ut liquet ex *Para*. III. 8. tamen etiam aliis ſacerdotibus id conceſſum fuit, *Num.* 19. 3.) erat quoque combuſtio vaccæ rufæ, cujus cineres aqua mixti adhibebantur ad tollendam immunditiem quam aliquis ex contactu mortui contraxerat, *Num.* 10. 1. *Cor.* 15. 29. *Hebr.* 9. 13. Vacca hæc [165] colore erat rufa, quod genus in Palæſtina rarum erat, ut liquet ex hiſtoria Damæ Ben Nethinæ, cui vacca rufa, ſingulari Dei beneficio, naſcebatur, quum jaſpidem ſub capite parentis ſui dormientis arcæ incluſam dare nollet, jaſpide ex λογίῳ pontificis deperdita *Gem. Kidduſchin*. 31. 1. *Gem. Avoda Zara*. 23. 2. *Gem. Hier. Pea* 15. 3. [166] Integra porro fuit & [167] expers jugi, [168] publico ære emta, deducebaturque a ſacerdote, [169] qui ſeptiduo ante domo ſua relicta in conclave בית אבן (ita dictum a vaſis lapideis quæ in illo erant) ductus fuerat, [170] per כבש ſive viam novam arcubus vel fornicibus innixam ad vitandam pollutionem, in הר המשחה *montem oliviferum*, [171] ubi rogo impoſita facie obverſa occidenti jugulabatur. [172] Dein ſanguinem manu ſiniſtra exceptum ſacerdos occidentem verſus dextræ digito intincto ſepties ſpargebat e regione ædis ſacræ, cujus portam intuebatur, [173] per portam Suſan & alias (per quas non modo ad octavum gradum pronai pertingere viſu poterat, ut quidam ſcribunt, ſed ad ipſam templi portam) vel trans murum orientalem ceteris humiliorem, circa portam Suſan. *Middoth*. II. 4. vel trans portam Suſan per reliquas. A conſtituta republica Judaica uſque ad urbis excidium [174] non niſi novem fuiſſe combuſtas vaccas rufas Judæi tradunt. Prima combuſta eſt a Moſe, vel potius vivente Moſe ab Eleazare. 2. Ab Ezra, ſive ejus juſſu; atque ita etiam de reliquis ſtatuendum videtur. 3. & 4. A Simeone juſto ultimo membrorum Synagogæ magnæ. 5. & 6. A Johanne Pontifice Maximo, qui pater Matatthiæ vulgo fuiſſe creditur. 7. Ab Eljehoenai filio Hakkaf, Pontif. Max. tempore Simeonis filii Shetach, & Judæ fil. Tabbai. 8. A Chanameel Ægyptio Pont. Max. & 9. A ſucceſſore ejus Iſmaele fil. Phabi, qui vixit tempore R. Jochananis Ben Zaccai. Aliis tamen vix videtur vero ſimile, toto illo intervallo temporis, quod inter Moſem & Ezram fuit, unam vaccam modo fuiſſe combuſtam; maxime quum tantum ſanguinis in eo effuſum ſit, & ſtante templo ſecundo 8 numerentur, quod multo brevius ſpatium eſt. Cineres hujus vaccæ dicuntur אפר חטאת, uti & vaſculum in quo ſervabantur קלל של חטאת. *Eduioth*. VII. 5. *Paræ*. III. 3. collectique in [175] tres partes divi-

dividebantur. Una in monte olivifero ſervabatur, & inſerviebat, [176] poſtquam aquæ vivæ injecta eſſet portio cinerum, ea quantitate [177] ut conſpici poſſet in aquæ ſuperficie (tantum enim requirebatur, uti hic ita in pulvere Sotæ dato & ſputo fratriæ. vide *Gem. Hier. Sota.* 18. 1.) adſperſioni populi, quæ a quovis viro puro fieri poterat, licet ſacerdos non eſſet, [178] etiam a puero, ut quidam exiſtimant. Altera in templum delata inſerviebat ſacerdotibus. Tertia in חיל ſive antemurali ſervabatur in memoriam combuſtionis. Alii ita volunt, partem primam in monte olivifero ſepoſitam, inſerviiſſe conſecrandis aliis vaccis; alteram extra templi atrium ſervatam, ad uſum omnium pollutorum contactu cadaveris: tertiam in antemurali locatam ad rei memoriam. vide Cod. *Para*.

§. XXIV. Populum docere.

XXIV. [179] Sacerdotum denique erat, ut & Levitarum, publice docere, leges Dei tum coram populo tum Levitis junioribus explicare, & de jure ſacro reſpondere, *Levit.* 10. 11. *Ezech.* 44. 23. 2. *Chron.* 17. 9. *Hagg.* 2. 12. *Malach.* 2. 6. Hoc munus optime iis conveniebat, qui per omnes tribus erant diſperſi, nec agricoltura ſimilibuſve modis quærendi victum occupati. Unde ad eos potiſſimum cura ſcholarum & academiarum pertinuit. In [180] hoc tamen officio negligenter ſe tum ſacerdotes tum Levitas ſæpe geſſiſſe, nec bene illo functos, liquet ex 2. *Reg.* 22. 10. & Prophetarum querelis *Ezech.* 22. 26. &c. [181] Præterea ex iis judices plerumque conſtituebantur, *Ezech.* 44. 24. 2. *Chron.* 19. 8.

COMMENTARIUM IN CAPUT QUINTUM.

[1] E*ffuſiones &c. non requirebant Sacerdotem, ſed etiam a laico fieri poterant. Bartenora ad Menachoth cap. III.* 2. In Gemara exponitur, quod affuſio impedit, & id quod dicitur *ſi non affunderit* non explicatur de Sacerdote qui non affuderit, ſed de Iſraelita; nam a pugillatione & deinceps Sacerdotale præceptum obtinet, affuſio autem & commixtio recta ſunt, ſi per Iſraelitam peractæ ſint: *Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. XII.* 23. Fertorum fruges moliebantur & ſuccernebantur extra Sanctuarium; pinſebantur autem ferta & coquebantur intra Sanctuarium. Atque omnia ipſorum opera ab alieno uſque homine fieri licebat donec afferebantur ad locum, quo demebatur ex illis plenus pugillus: *Toſephot ad cap. III. Sotah. Maritus oblationem depromſit.* Sic enim traditur in oblationibus, munus Sacerdotis, non niſi cum capiendus pugillus eſt, incipere, & poſtea ad finem uſque ſacrorum illorum ſe porrigere. Sed pertinet quoque ad ſumtionem pugilli, ipſa oblationis ad altare admotio, eſtque ejus principium, nec enim alii (*præter Sacerdotem*) ad altare accedere licet. Cæterum immiſſio in vas Sanctum (*de qua Levit. II.* 2.) commixtio (*de qua ibid. v.* 4.) & affuſio (*quæ v.* 15. *memoratur*) a Laico quoque peragi poterant.

[2] *Fertorum quorumdam &c. Miſna Menachoth cap. VI.* 4. Omnia munera in vaſe parata requirunt contuſionem, munus Iſraelitæ unum in duo conficiet, & duo in quatuor, & ſeparabit. Munus Sacerdotum unum conficiet in duo, & duos in quatuor, ſed non ſeparabit. Munus Sacerdotis uncti non conficiet in duo. R. Simeon dicit, munus Sacerdotum, & munus Sacerdotis uncti non requirit contuſionem, quia pugilli collectio in eo non obtinet, at ea quæ non requirunt pugilli collectionem, ea nec contuſionem requirunt, omnia vero iſta olivæ quantitatem habent.

[3] *Salitiones &c. Maimonides de rebus altari interdictis cap. IV.* 11. Jubendo ſancitum erat, ut omnibus ſal aſpergeretur ſacrificiis antequam altari admoverentur, dictum eſt enim; *Quicquid obtuleris ſacrificiis, ſale condias (Levit. II.* 13.) etenim nihil ſalis expers altari admovebatur præter vinum libationum, ſanguinem & ligna, quod ipſum quoque per traditionem habetur, nullo autem ſcripturæ loco fultum eſt. Æquum erat igitur ut ſacrificii caro tam ſaliretur, quam ſolet ea caro, quæ aſſatur in uſum hominum, quæ caro quidem dum aſpergitur ſale in omnem partem contorquetur; quamquam ſi quis ſacrificium ſale aſperſerit quamvis modico, immo vel unico grano, recte fuiſſet. Si quis autem Sacrificium fecerit, nec quicquam ſalis aſperſerit, is verberibus multaretur, quia ſcriptum eſt, *non auferes ſal fœderis Dei tui (Ibidem)*. Qui etſi verberibus multaretur, ſacrificium ejus nihilominus litaretur. Excipitur fertum; nam ſalis omiſſio obſtat quominus e ferto Sacerdos ad ſacrificandum plenum pugillum tolleret, ſcriptum eſt enim: *Nec auferes ſal fœderis Dei tui de munere tuo (ibidem.)*

[4] *Agitationes &c. Menachoth cap. V.* 5. Nonnulla requirunt adductionem & non agitationem, vel contra, vel adductionem & agitationem ſimul, vel neutrum. Nonnulla requirunt adductionem & non agitationem, ut munus ſimilaginis, ſartaginis, aheni, e placentis, & laganis, munus Sacerdotum, & Sacerdotis uncti, munus gentilium, mulierum, & peccatoris. R. Simeon dicit, munus Sacerdotum, & Sacerdotis uncti non requirunt adductionem, quia non requirunt pugilli collectionem; quæcumque enim non requirunt pugilli collectionem, ea nec adductionem requirunt. Hæc requirunt agitationem, at non adductionem, logus olei leproſi, ejuſdemque reatus, & primitiæ ſecundum R. Elieſer filium Jacobi. Sic etiam adipes ſacrificii pacifici pro privatis, pectus, & armus illius, ſive ad viros, ſive ad mulieres Iſraelitas pertineat, ſed non ad alios, item duo panes, atque duo agni feſti hebdomadum. Sed quomodo faciebat? duos panes duobus agnis imponebat, atque ambas manus inferius, & deducendo, & adducendo, ſurſum deorſum agitabat, ſicuti ſcriptum eſt Exod. XXIX. 26. *Illud elevatum*. Agitatio fiebat verſus orientem, adductio ad occidentem. Agitationes antecedunt adductiones. Munus omer, & Zelotypiæ requirunt agitationem & adductionem. Panis facierum, munus libaminum, neque agitationem, neque adductionem requirunt. *Vide Maimonidem ibid. cap. XXII.*

[5] *Exceptiones &c. Maimonides ad caput* III. *Sevachim*: Scriptum eſt Levit. I. 5. *Immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filii Aaron Sacerdotes ſanguinem ejus*, in mactatione non memoravit Lex filios Aaron, ſed eam cuivis arbitrio reliquit, in ſanguine vero excipiendo requiritur perſona Sacerdotis; nam ſapientes dixerunt: *ab exceptione ſanguinis & deinceps miniſterium ſacerdotale incipit*.

[6] *Sparſiones &c. Maimonides de ratione adeundi templi cap.* IX. 3. De aſperſione, ut ſi homo alienus templi penetralia parteſque exteriores aſperſerit victimarum ſanguine, aut quamcumque de præſcriptis ſanguinis aſperſionibus effecerit, aut etiam perfecerit aliquam earum aſperſionum, quas oporteat in hominis leproſi ſacrificiis procurandis effici, is mortem meruiſſet utique.

[7] *Potationes &c. Vide Sotah cap.* II.

[8] *Decollatio &c. Vide ibidem cap. IX.*

[9] *Mundatio leproſi &c. Vide Negaim cap.* XIV.

[10] *Benedictio &c. Vide Sotah. cap. VII.*

[11] *Sed ter leguntur &c. Kimchius ad Joſ.* III. 3. Hucuſque Levitæ ferebant arcam, nunc ferunt eam Sacerdotes ad majorem ejus ſanctificationem, propter mi-

miraculum quod hac vice coram eo factum est. Rabbini nostri scribunt (*in Sotah cap.* 7.) in tribus locis legi Sacerdotes gestasse Arcam, primo in transitu Jordanis cap. 3. deinde cum circumiverunt urbem Jericho Jos. 6. tertio quando eam retulerunt philistæi in locum suum, quod fuit cum David fugeret coram Saule, sicut dicitur. *Reportaverunt ergo Sadoch & Abiathar arcam Dei in Hierusalem.* 2. *Reg.* XV. 29. ubique scilicet ad tanto magis eam santificandam. Præter hos tres invenimus adhuc quartum locum, extructo videlicet templo, quando Sacerdotes eam intulerunt ex civitate David in Sanctum Sanctorum 3. Reg. 8. Fortassis, quia tum intulerunt eam in locum suum, in quo perpetuo manserat, ideo hoc præterito non nisi tria numerarunt illi loca. Tosaphta Sotah cap. VIII. 2. In tribus locis gestarunt Arcam Sacerdotes, primo in transitu Jordanis; 2. cum circumiverunt urbem Jericho, 3. quando eam retulerunt in locum suum.

[12] *Quæ quater &c. Maimonides de Sacrificiis Jugibus cap. IV.* 5. Singulis diebus sortiones fiebant quatuor.

[13] *In conclavi Gazith &c. Tosaphta Joma cap.* I. 10. Quomodo projiciebant sortes? Ingrediebantur in conclave cæsi lapidis, & consistebant in ordine circulari, & præfectus veniebat, & alicui ipsorum tiaram e capite detrahebat, & sciebant, quod ab illo initium numerandi fiebat, nec educebant nisi unum digitum, & non duos, nonnulli deceptores extendebant duos, sed unus tantum enumerabatur: *Vide Maimonidem ibidem.*

[14] *Prima sorte designabatur &c. Maimonides ibidem.* Prima sors ducebatur de altari purgando, quod præstabat is, cui purgatio altaris sorte obvenerat; Idem ille rogum extruebat, & lignorum segmenta duo in altare portabat; porro idem plenum ignis thuribulum deportabat ad altare aureum ad suffimentum incendendum.

[15] *Non a sorte &c. Vide Tosaphta Joma cap.* I. 12. *& ea quæ ad hunc locum adnotavimus.*

[16] *Secundo sortitio &c. Tosaphta Joma ibidem.* Venite & sortimini, quis sit mactaturus, quis aspersurus (*sanguinem*) quis cinerem ab altari interiori abducturus, quis cinerem a candelabro remoturus, quis membra ad pontem portaturus, caput, pedem, duas manus, spinam dorsi, pedem, pectus, gulam, duas costas, intestina, similam, & frixa, & vinum, hæc sunt verba R. Simeonis viri ex Mispa. R. Jose dicit, caput & pedem, & duas manus, pectus & gulam, & duas costas, spinam dorsi, & pedem. Dixit filius Azai R. Akibæ nomine R. Jehosuæ juxta modum, quo animal solet incedere, offerebant, caput & pedem, pectus & guttur, duas manus, & duas costas, spinam dorsi & pedem. Tredecim Sacerdotes digni habebantur in ipso, aliquando quatuordecim, Arietem undecim offerebant, Agnos cœtus octo, dum cum ipsis non erant frixa; Juvencum 24. offerebant, caput & pedem, duo accipiebant pedem, & faciebant ascendere prope altare, tres accipiebant & offerebant super altare; hoc vero intelligitur pro sacrificiis Cœtus, sed sacrificia privati, quicunque volebat offerre, offerebat: *Vide Maimonidem ibidem.*

[17] *Tertio sortiebatur &c. Maimonides ibidem*: Ad sortitionem tertiam quod attinet denuntiabat præfectus omni familiæ, quæ erat de die operatura, ut quisquis eorum suffimentum nunquam incendisset, ad sortitionem accederet; conveniebant ad præfectum, & ducebatur sors, qua qui primus exibat, ejus erat suffimentum adolere.

[18] *Quarta sorte &c. Maimonides ibidem*: Quarta denique fiebat sortitio; coibant omnes, qui de colle membra victimæ ferrent ad altare, atque munus hoc obibant ii, quibus sorte obvenerat.

[19] *Sacerdotes in atrium ingressi &c. Maimonides de Templo*: Mane paulo ante quam nasceretur aurora, veniebat præfectus templi, & pulsabat apud Sacerdotes, qui in domo ardoris erant, quam huic illi patefaciebant; tum præfectus clavem sumebat, & situm inter domum ardoris & atrium ostiolum aperiebat, per quod e domo ardoris abibat in atrium. Consequebantur Sacerdotes, qui duas faces præferentes, in turmas dispertiebantur duas, quarum altera in orientem, altera pergebat in occidentem, & totum obeuntes lustrabant atrium usque dum rursus ambæ coirent in eum locum ubi fiebant crustula. Quo cum convenissent utræque, pax, ajebant, pax ubique, & crustula desinebant efficere crustularii. Atque hanc rationem tenebant singulis noctibus, exceptis Sabbatinis, quibus quidem nullæ præseferebantur faces, sed atrium lustrabant ad lucernas ibi de vigilia Sabbati accensas.

[20] *Qui sorte erat &c. Maimonides de Sacrificiis jugibus cap.* II. 11. Auferebatur cinis quotidie nascente aurora, diebus autem festis ineunte secunda parte noctis tripartitæ, solennitate vero expiationum nocte media. Hæc igitur erat agendi ratio. Cui cineris sublatio sorte obvenerat, is in aquam sese immergebat, atque induebat vestes ad auferendos cineres apparatas; porro lavabat etiam manus & pedes. Erat qui huic ita diceret; *Cave ne vas sanctum attingas ante, quam manus & pedes tuos laveris*, postea capiebat thuribulum, quod ex argento erat, id in angulo sepositum erat inter collem & altare ad occidentem collis, capiebat igitur thuribulum, atque in culmen altaris ascendebat. Hic carbones huc & illuc dimovebat, & ex iisdem capiebat, qui in medio igni erant quam maxime exusti, atque in terram descendebat, oreque ad septentrionem verso ad orientem collis ambulabat in terræ solo cubitos circiter decem versus septentrionem; tum quos ceperat carbones coacervabat in pavimento ad tertium circiter a colle palmum. Hoc eodem loco reponebantur ingluvies avium, cinis altaris interioris, item & cinis candelabri. Jam carbones thuribulo sic eximere, & eosdem deorsum in pavimentum propter altare deferre, hoc videlicet illud est, quod in singulos dies præcipitur.

[21] *Dein alii loti &c. Maimonides ibidem.* Postquam exemptor hic descenderat, fratres ejus sacerdotes currebant, manus & pedes festinanter lavabant, scopas & fuscinas sumebant, & culmen altaris conscendebant; tum quæcunque holocaustorum membra & reliquorum sacrificiorum exta non erant per noctem totam absumta, removebant in latera altaris. Quæ si latera non caperent, disponebantur in colle contra altaris gyrum. Post deinde scopis cinerem ex omnibus altaris partibus converrebant, atque in *pomum* illud quod dicebatur, coacervabant. De hoc cumulo pars cineris in lebetem (is enim vas magnum quod continebat semicorum) deorsum ferebatur. Diebus autem festis nihil deferebatur cineris, sed in medio altari cumulus quam altissimus relinquebatur, quippe qui esset altari decorus.

[22] *Superfluos auferebant &c. Maimonides ibidem* De cinere ex altari delato quicumque Sacerdotum vellet vas aliquod explebat, atque deportabat extra urbem, quem in locum cineres effundebantur; omninoque cineres deportare non sortis, sed voluntatis erat; neque tamen Sacerdotum ullus ad exportandum cinerem segnior fuit unquam.

[23] *Duobus minimum &c. Maimonides ibidem.* Mane disponebantur ligna, atque in altari summo exstruebatur rogus ingens, nimirum hoc illud est, quod in lege dicitur; *Quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies* (Levit. VI. 12.) Porro autem sancitum erat, ut una cum Sacrificio jugi matutino duo ligni segmenta afferrentur insuper ad rogum adhibenda, hoc enim sibi vult legis illud, *Quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna mane.* Item & cum sacrificio jugi vespertino addebantur etiam segmenta duo ad rogum, namque hoc significat legis illud, *& disponent ligna super ignem* (ibid. I. 7.) nempe hic de sacrificio loqui scripturam auditione acceperunt. Jam cum sacrificio jugi vespertino duo ligni segmenta ferebant sacerdotes duo; horum videlicet uterque unum manu tenebat ligni segmentum. Videmus enim in lege scriptum *& disponent* (Ibidem) quo loco duo quidem certe significantur. Eadem illa cum sacrificio jugi matutino ferebat Sacerdos unus.

[24] *Voce præfecti* בּרקאי. *&c. vide quæ adnotavimus ad caput I. 16. Tosaphta Joma.*

[25] *Agnumque adducebant &c. Maimonides ibid. cap. I.* 8. Non habebant unquam pauciores quam sex agnos; eosque diligenter inspectos, & perlustratos in conclavi agnorum quod intra Sanctuarium erat; hi enim quatriduum ante immolationem præsto adessent oportebat. Et cum singulos principio rite perlustrassent, tamen sacrificium juge nunquam faciebant, quin hostiam ante immolationem denuo perlustrarent

faci-

facibus. Porro tunc eidem aquam in aureo poculo potandam dabant, quo facilius corio exueretur.

[26] *Ex poculo aureo &c. Bartenora ad cap. III. 4. Tamid. In vase aureo.* Nonnulli dicunt hæc hyperbolice dici, quia revera non erat aureum, sed ex ære optimo, ut appareret esse aureum. Nonnulli vero dicunt proprie ex auro constitisse istud vas, quia in loco divitiarum non est locus paupertatis.

[27] *Qui cinerem ab altari &c. Tamid cap. III. 6.* Qui designabantur ad decinerationem altaris interioris & candelabri, præcedebant quatuor habentes instrumenta Teni, cos, & duas claves; Teni est vas simile canistro magno aureo, continens duos cabos cum dimidio; cos est vas simile poculo magno aureo, & duarum clavium una descendebat ad cubitum axillæ, altera vero statim aperiebat. Accedebat ad januam septentrionalem, duæ enim erant januæ in porta magna, altera ad austrum &c. sumebat clavem, & aperiebat ostium, veniebat in conclave, & ex conclavi in templum, donec appropinquaret ad portam magnam, removebat vectem & pessulos, aperuitque eam; qui mactabat, non mactabat, antequam audiret sonitum portæ magnæ, quando aperiebatur. *In Middoth cap. IV. 2. legitur non in conclave, & ex conclavi in templum, sed per densitatem muri ingressum in Sanctum fuisse.* Sumit quis clavem aperuitque ostiolum, ingrediturque in thalamum, & ex thalamo in templum. R. Jehuda dicit, quod eat per medium densitatis muri donec consistat inter binas valvas, aperiatque exteriores intrinsecus, & interiores extrinsecus. *Idem sentit Maimonides de Templo cap.* IV. 6. Per hoc autem septentrionis introibat ministrorum aliquis, ac procedebat inter duos parietes tamdiu dum pervenisset ad eum usque locum, qui erat apertus in Sanctum ad lævam & hac in templum ingressus recta pergebat ad templi portam magnam, quam aperiebat.

[28] *Postea purgato altari &c. Quomodo purgaretur altare interius, docemur a Maimonide cap. III. 4. de Sacrificiis Jugibus.* Cujus erat officium cinerem de interiori altari tollere is in templum ingrediebatur cum genere quodam vasis sancti, cui טני nomen erat: erat id ex auro, & capiebat cabos duos & semissem, deponebat טני in terram ante conspectum, & quicquid in altari medio inerat cineris, & carbonis, suis ipse manibus apprehendebat, atque in טני dabat, ad extremum reliquias verrendo indebat, vas illud in templo relinquebat, exibat.

[29] *Et aptatis lychnis &c. Maimonides ibidem.* Quid est igitur tollere de candelabro cinerem? Nempe si qua fuerit extincta lucerna, ex ea tollebatur Ellychnium, & quidquid in ea supererat olei, tum in eamdem probe extersam aliud ellychnium indebatur; item & aliud oleum, idque mensura, quæ erat dimidius logus. Quod sublatum fuerat, abjiciebatur in locum cinerum juxta altare ad cinerem altaris interioris, exteriorisque, tum quæ lucerna extincta fuerat, accendebatur. *Siphra ad cap. XXIV. 2. Levitici. Ad concinnandas lucernas jugiter*; ut flamma in altum ascendat, *ad concinnandas lucernas jugiter*; ut lucerna occidentalis jugiter ardeat; quod ab ea initium ducebat, & in ea desinebat; & quando fratres ejus Sacerdotes ad se incurvandum introibant, ipse eos præcedebat; quomodo fiebat? introibat, & inveniebat ad orientalem plagam duas lucernas ardentes, decinerabat orientalem, & relinquebat occidentalem ardentem, de qua candelabrum vesperi accendebat; si extinctam invenisset, decinerabat, eamque de igni altaris holocausti accendebat, *jugiter* etiam Sabbatho, *jugiter* etiam in immunditie; *extra velum testimonii* quid dicendum id erat? quia dictum est; *posuit & candelabrum in tabernaculo testimonii e regione mensæ.* Exod. 40. 22. ego ignorabam, utrum esset velo, an portæ proximum; quando hoc loci dicit, *extra velum testimonii in tabernaculo fœderis*; docemur, quod velo quam portæ propinquius esset. *Testimonii*, testimonium universo mundo, quod sit Deus in Israel; Itane? an lumine opus erat? Nonne quadraginta annis Isralitæ lumine opus non habuere? juxta dictum, *nubes quippe Domini incubabat per diem Tabernaculo, & ignis in nocte. Exod.* 40. 36. Cur igitur dictum est testimonium? testimonium universo mundo, quod sit Deus in Israel. *Ponetque eas Aaron*, quid dicendum id erat? quia dictum est; *cum posueris septem lucernas . . . . contra eam partem quam candelabrum respicit, lucere debebant. Num.* 8. 2. Crederem, quod Sacerdos cum septem lucernis introiret, ideo dictum est, *ad concinnandas lucernas jugiter.* Crederem, quod non unus Sacerdos cum septem lucernis introiret, sed quod septem Sacerdotes cum septem lucernis ingrederentur, ideo dicit; *ponetque eas Aaron, & filii ejus* (*sic Hebræus*) Igitur Aaron, & filii ejus non concinnant nisi unam lucernam *a vespera usque ad mane*; indat eam mensuram, ut ardeant a vesperi usque ad mane; nullumque aliud propter illud erat ministerium a vesperi usque ad mane; *cultu rituque perpetuo*, etiam Sabbatho, *cultu rituque perpetuo* etiam in immunditie; *super candelabrum mundissimum*, super idem candelabrum, ne asseribus, aut lapidibus fulciantur; *ponentur semper in conspectu Domini*; ne foris concinnet, & postea ingrediatur, *semper*, etiam Sabbatho, *semper*, etiam in immunditie. *Siphri ad cap. VIII. 2. Num.* Cur dicta est hæc sectio? quia dicit; *& pones eas* (*lucernas*) *super candelabrum, ut luceant ex adverso. Exod.* 25. 37. ego credere poteram, quod cunctæ lucernæ arderent super facies totius candelabri; ideo dicit, *contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debebunt*, ut lucernæ ordinarentur contra candelabrum, & candelabrum contra lucernas, quo pacto igitur erant? tres a plaga orientali, tres a plaga Occidentali, & una in medio; deprehenditur, quod omnes statutæ essent contra eam, quæ erat in medio. Hinc est, quod R. Nathan dicebat; illa quæ erat in medio, nobilior putabatur.

[30] *Ad quem actum bis &c. Maimonides ibidem.* Qui lucernas accendebat, non omnes una accendebat, sed post accensas quinque intermissionem faciebat; tum alia fiebat operatio, atque idem ille rursus ingressus accendebat reliquas duas lucernas, id adeo ut congregaret omne atrium. Diximus ante lucernas extinctas accendi aliam de alia. Jam hic erat accendendi ordo. Cui obtigerat, ut cinerem de candelabro tolleret, introibat, manuque tenebat certum vas, quod Urceum nominabant. Id erat ex auro, & poculum magnum similitudine imitabatur, in hoc indebat nomine cineris ellychnia extincta, & quicquid in lucernis reliquum erat olei, & quinque lucernas accendebat, tum urceum in medio e tribus, qui ante candelabrum erant gradibus relinquebat, & exibat; rursus introibat, accendebatque reliquas duas lucernas, urceum manu prehendebat, numen adorabat, excedebat.

[31] *Jugulato autem agno &c. Tamid IV.* 3. Ibant, eaque in medio ponticuli versus occidentem inferne collocabant, saliebant ea, & descendebant, & veniebant ad conclave lapidis quadrati ad legendum *Audi.*

[32] *Tum sortiebantur de suffitu &c. Maimonides ibidem.* Ad sortitionem tertiam quod attinet, denuntiabat præfectus omni familiæ quæ erat de die operatura, ut quisquis eorum suffimentum nunquam incendisset, ad sortitionem accederet; conveniebant ad præfectum, & ducebatur sors, qua qui primus exibat, opus erat suffimentum adolere.

[33] *Et delatione membrorum &c. Maimonides ibidem.* Quarta denique fiebat sortitio: coibant omnes atque sortiebantur, qui de colle membra victimæ ferrent ad altare, atque munus hoc obibant ii, quibus sorte obvenerat.

[34] *Qui suffiret &c. Maimonides ibidem.* Cui sorte suffimentum adolendum obtigerat, is suffimento vas certum implebat, cumulabat; erat aptum ei vasi operculum, nomen ei acerra; Jam hanc ille acerram imponebat vas in aliud, lanx isti nomen erat, lancem istam panniculo opertam manu prehendebat atque ingrediebatur, ingrediebatur cum eo & alius, qui thuribulum ignis manu tenebat.

[35] *Altare adscendens &c. Maimonides ibidem.* Jam hæc erat ignis accipiendi ratio, cui sors obtulerat thuribulum, thuribulum ex argento sumebat, & conscendebat altaris culmen, ubi carbones huc & illuc dimovebat, atque e rogo secundo carbones adeo exustos capiebat. Descendebat inde & infundebat carbones illos in thuribulum aureum. Jam carbonibus ex istis si dispersum esset circiter cabum, aut eo minus, in fossam deducebatur scopis, Sabbato lebete operiebatur, sin eo plus dispersum esset, recipiebatur utique.

[36] *Deinde tunc ille &c. Maimonides ibidem.* Qui thuribulum manu tenebat, is carbones super interius altare congerebat, tum ora thuribuli expandebat, idem-

idemque numen adorabat, & exibat. Qui ferebat lancem, acerram tollebat de lance, quam deinde ſuorum, aut familiarium, aut propinquorum alicui dabat, tum inſpiciebat ecquid eſſet ſuffimentum diſperſum in lance. Eidem inde quod forte diſperſum erat, ſimul & illud quod inerat acerra ſuffimenti, familiaris ille propinquuſque in pugnum dabat, protinuſque numen adorabat, atque excedebat.

[37] *Ad vocem præfecti &c. Maimonides ibidem*; Hunc igitur, cujus erat officium ſuffimentum incendere, ita monebant; *Cave ne primum incendas ſuffimenti id, quod eſt ante conſpectum tuum, ne uſu veniat, ut uraris*; tum ille ſuffimentum incipiebat ſuper ignem projicere leniter pro more & modo cribrantis ſimilam uſque adeo, donec ſuffimento omnis erat conſtratus ignis. Jam cujus erat adolere ſuffimentum nunquam adolebat, quin præfectus ei prius dixiſſet, *adole*. Qui ſi Sacerdos magnus eſſet; illi præfectus ita dicebat. *Domine ſumme Sacerdos adole*. Poſtquam præfectus ita dixerat, omnis populus recedebat, & ſuffitor ſuffimentum adolebat, numen adorabat, atque excedebat.

[38] *Quo tempore nullus erat &c. Maimonides ibidem*. Cum incendebatur ſuffimmentum in templo, ab eo amovebatur populus omnis, & neminem inter veſtibulum & altare verſari fas erat, donec is qui ſuffimentum adolebat templo egreſſus eſſet. Cumque Sacerdos in templum inferret ſanguinem hoſtiæ pro peccato illius, quem reſpergi intus oportebat, omnino omnes cedebant loco inter veſtibulum & altare intermedio uſque dum egrediebatur. Eſt enim in lege: *Nullus hominum ſit in tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingredietur &c. Levit. XVI.* 17. Quod quidem generaliter conſtitutum erat, ut inter cunctas expiationes faciendas in Sanctuario, nemo ibi verſetur homo. *Et ad cap. VI. 3. codicis Tamid. Diſcedebat populus & adolebat*. Omnis populus Sacerdotalis inter Ulam & alteram portam exibat, ſicuti exponitur in principio tractatus de Vaſis; & propterea hæc Miſna dicit, & educebant intra Ulam & altare dum fiebat ſuffitus. Sed ad hoc non tenebantur niſi ad ſuffitum quotidianum; verum ad ſuffitum diei expiationis, nempe ſi quis in Sanctis Sanctorum adolebat, reliqui homines non tenebantur exire e loco intra Ulam & altare, niſi in palatio Templi ſolum. Oportet autem ut ſcias, quod cum Sacerdos intrabat cum ſanguine ſacrificii pro peccato, quod intus fiebat, ut ſanguis illic ſpargeretur, nimirum in ſanguine Sacerdotis uncti, & in ſanguine hircorum pro idolatria, tum etiam diſcedebant inter Ulam & altare, perinde ac ſi fieret ſuffitus, & hæc colligimus ex iis quæ ſcripta ſunt. *Nullus hominum ſit in tabernaculo &c.* hinc dixerunt, colligimus vocem expiationis a die expiationis, ob quamlibet expiationem: in ſanctis quidem non diſcedebant Sacerdotes inter Ulam & altare, niſi ob ſuffitum diei expiationis; nam a palatio Templi diſcedebant, ſed non inter Ulam & altare, quia ſummus Sacerdos ab aliis occultus erat in loco ſanctiſſimo, quo nemini licebat ſe conferre, idcirco nequidem admonebantur, quia nemo iſtum locum intrabat.

[39] *Poſtea Sacerdotes &c. Maimonides Theophillah cap. XIV*. In templo Sacerdotes ſemel de die recitant benedictionem, poſt ſacrificium juge idque matutinum veniunt, & ſtant ſuper gradibus porticus, & benedicunt eo quo diximus modo. Aſt extra templum recitant eam poſt omnes preces excepta Mincha ut diximus.

[40] *Sex autem res erant &c. Maimonides ibidem*. Sex res impediunt elevationem manuum, lingua vitium, peccatum, anni, vinum, & impuritas manuum.

[41] *Vitium corporis &c. Maimonides ibidem*. Vitium quomodo? Sacerdos in cujus facie manuve, pedibuſque defectus ſit, ſicut quibus digiti ſunt tortuoſi, aut obliqui, aut quibus manus ſunt lentiginoſæ, non elevabit manus, quia populus aſpiceret eum (*ſicque a devotione ſua averteretur*). Cui ſaliva demittitur per barbam, quando loquitur, & ſimiliter, qui altero oculo cœcus eſt, non elevat manus; Quod ſi fuerit conſuetum in civitate ſua, totuſque populus ſit aſſuetus, taliſmodi, qui altero oculo cœcus eſt, aut taliſmodi, cui ſaliva defluit, licitum eſt, quum populus non aſpiciat ipſam. Sic cujus manus croco rubiave tinctorum imbutæ ſunt, non elevabit manus; ſi vero multitudo incolarum civitatis (*artem hanc tinctorum*) exerceat, tunc licitum eſt, quia non aſpiciunt eum.

[42] *Peccatum grave &c. Maimonides ibidem*. Tranſgreſſio quomodo? Sacerdos qui aliquem occidit, etiam per errorem, quamvis pœnitentiam egerit, non elevabit manus, quia dicitur (*Eſai. I.* 15.) *Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt*, & ſcribitur (*ibidem*) *& cum extenderitis manus veſtras*. Sacerdos qui coluit idola ſive coacte ſive per errorem, quamvis egerit pœnitentiam, non elevabit manus unquam, quia dicitur (4. *Reg. XXIII. 9.*) *Non aſcendebant Sacerdotes excelſorum &c.* Et benedictio æquiparatur miniſterio, quia dicitur (*Deut. X.* 8.) *& ſtaret coram eo in miniſterio, ac benediceret in nomine illius*. Atque ita Sacerdos, qui (a religione judaica) defecit ad idolatriam, licet redierit, non elevabit manus unquam, ſed ob reliquas tranſgreſſiones non prohibetur.

[43] *Anni: Maimonides ibidem*. Anni, ſcil. ætas quomodo? Sacerdos puer non elevabit manus, donec juſtam maturitatem fuerit aſſecutus.

[44] *Vini uſus &c. Maimonides ibidem*. Vinum autem quomodo? Qui ebibit Rebhiith (*quartam partem logi*) vini in domo aliqua, non elevabit manus, donec ebrius eſſe deſierit, propterea quia benedictio æquiparatur miniſterio, quod ſi biberit Rebhiith duabus vicibus, aut parum aquæ admiſcuerit, licitum eſt; ſin biberit plus, quam Rebhiith, quamvis fuerit, (*vinum*) mixtum ac temperatum, & quamvis biberit ipſum aliquot vicibus, non elevabit manus, donec ſobrius fiat &c. *Idcirco non niſi diebus jejunii in oratione pomeridiana elevabant manus. Miſna Taanith cap. IV.* Tribus diſtinctis anni temporibus, *puta* in jejuniis ſtationibus, & in die expiationum quater in die manus tollunt Sacerdotes nempe in precatione matutina, ſuperaddita, pomeridiana, *& ea quæ fit tempore* obſerationis portarum.

[45] *Impuritas &c. Maimonides ibidem*. Impuritas manuum quomodo? Sacerdos qui non lavit manus, non elevabit manus, ſed lavat manus uſque ad brachiale, eo quo ſe ad miniſterium ſanctificant, modo, & poſtea benedicit, quia dicitur. (*Pſalm.* 133. 2.) *extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Domino*; nec profanus elevat manus, quia non eſt in functione Sacerdotali ſua.

[46] *Lingua &c. Maimonides ibidem*. Lingua quomodo *impedit*? Balbi, quia literas *ſingulas* diſtincte efferre nequeunt, ſicut qui *Aleph* pro *Ajin* legunt, & *Ajin* pro *Aleph* efferunt, aut pro *Schibboleth Sibboleth* pronunciant, & quæ his ſunt ſimilia, non elevant manus; ſicque etiam gravis ore, & gravis lingua, quorum verba non quivis intelligit, non elevant manus. *Galilæi peſſime pronunciabant, ſicuti legitur in Gemara Erubhin fol.* 53. Quid de hominibus Galilæis, qui impolita lingua utuntur, traditum eſt? Quod Galilæus quidam diceret quibuſdam; cujuſnam eſt אמר? cujuſnam eſt אמר? Reſponderunt ipſi; o Galilæe fatue (*intelligiſne*) חמור ad equitandum, aut חמר ad bibendum, aut עמר ad veſtiendum, aut אימר ad abſcondendum ad mactationem?

[47] *In ſcholis quoque &c. Maimonides ibidem*. Quomodo benedicebant Sacerdotes in domo Sancta? Sacerdotes ſuggeſtum aſcendebant, poſtquam Sacerdotes perfecerant Sacrificium juge matutinum, atque humeris tenus elevabant manus, & digitis devaricatis, præter Sacerdotem ſumum, qui non elevabat manus ſupra laminam, & aliquis de verbo ad verbum dictabat, donec finirentur tres verſiculi &c.

[48] *Circa horam diei &c. Maimonides de Sacrificiis jugibus cap.* I. 3. Veſpertinum vero mactari licebat, ubi primum umbra porrigebatur ita, ut eam porrigi cunctis appareret, id fere fit hora diei ſexta & dimidia, & deinceps ad extremum uſque diem. Verum hoc quotidie hora octava & dimidia demum jugulabatur, & ſacrificabatur demum hora nona & dimidia. Quid igitur cauſæ erat, quod a primo jugulandi tempore duas horas proferebatur? Sacrificia vel privata vel publica; nempe interdictum erat neve ſacrificaretur quidquam ante ſacrificium juge matutinum, neve poſt ſacrificium juge veſpertinum ulla victima jugularetur præter Agnum Paſchalem &c. *vide Miſnam Berachoth cap. IV.*

[49] *Sed ſortitio &c. Maimonides de Sacrificiis Jugibus cap.* IV. 8. De ſacrificio jugi veſpertino nulla ducebatur alia ſors, ſed enim cuicunque Sacerdoti ali-

aliqua ex operationibus matutinis ſorte obtigerat, hæc eadem illi obtigerat & in veſperam.

50 *Si ſuffitum excipias &c. Maimonides ibidem*. Excipitur ſuffimentum, de quo quidem ſors alia ducebatur ad veſperam. Etenim conveniebant ex ea familia illi, quibus nunquam obtigerat, ut ſuffimentum adolerent, atque de hoc adolendo ſortem ducebant; ſin eveniſſet, ut omnes in vita ſua jam ſuffimentum incendiſſent, de hoc incendendo omnes mane ſemel & ſimul ſortem tertiam ducebant, & cui obtigerat, ut mane adoleret, idem hic adolebat etiam veſperi.

51 *Et circa veſperam &c. Maimonides ad cap. I. 1. Berachoth*. Quod autem Miſna dicit *a tempore quo Sacerdotes intrant ad edendum oblationem primam*; intelligendum eſt de Sacerdotibus immundis, qui ſe laverunt, poſtea intrantibus ad comedendam oblationem primam, hoc vero fieri nequit niſi jam finito die juxta id quod Scriptura dicit de omni qui ſe purificaverit ab immunditia ſua. *Levit.* XXII. 7. *Et occubuerit ſol, tunc mundatus veſcetur de ſanctificatis*. Ratio vero quare Miſna dicit *a tempore quo Sacerdotes ingrediuntur ad edendum &c.* non vero dixit, a tempore quo exoriuntur ſtellæ, quod idem eſt, hæc eſt, ut eo modo nos doceat, Sacerdoti immundo, poſtquam ſe laverit, licitum eſſe comedere oblationem ſuam primam poſt ſolis occaſum, ſi vero expiatione illa nondum uſus fuerit, ſed demum poſt profluvium & lepræ perfectionem die jam præterito, non proderit ipſi lotio, niſi obtulerit ſacrificium, quod in ſequenti die debet &c.

52 *Ordo Miniſterii quotidiani &c. Maimonides de Sacrificiis jugibus cap.* VI. Miniſterii divini opera quotidiana hoc ordine efficiebantur. Paulo antequam ſurgeret aurora, veniebat præfectus ſortium, is ſonum edebat ad atrium, atque aperiebatur illi, tum atrium explorabat totum, ac cruſtularii cruſtula efficere deſinebant; Sacerdotes, qui hic præſto aderant omnes antequam veniret præfectus ſortium, jam lauti fuerant, & veſtes induti ſacerdotales, conveniebant in conclave lapidis quadrati, ac conſiſtebant. Deinde ſorte una & item altera ſuum cuique ducebatur opus, ut alio loco diſputavimus. Incipiebat deinde operarius, cui ſors ut cinerem tolleret, evenerat, hic cinerem eo, quem ſupra diximus, ordine tollebat. Idem hic rogum magnum exſtruebat, porro idem exſtruebat & rogum alterum; denique idem ferebat & duo illa lignorum ſegmenta, quæ imponebat rogo magno ad multiplicandum ignem. Ibatur inde in conclave vaſorum, inde promebantur omnia, quæ in totum erant diem neceſſaria vaſa ſacra. Deinde hoſtiam jugi ſacrificii adaquabant, ac continuo illam is, cui ſorte obvenerat, ut jugularet, ad lanienam trahebat, hunc ſequebantur Sacerdotes, quibus obtigerat, ut hoſtiæ membra in altare ferrent. Hic commorabatur interea dum magna templi porta aperiebatur, quæ cum pandebatur, tunc ipſam hoſtiam jugis ſacrificii jugulabant; deinde in templum introibant Sacerdotes duo, unus cui ſorte obvenerat, ut cinerem de interiori tolleret altari, & alter cui obtigerat, ut de candelabro cinerem tolleret. Et qui cinerem de altari tollebat, tum tollebat, cum hoſtia jugis ſacrificii jugulabatur, deinde ſanguinem ſpargebat is qui exceperat. Poſt ſparſum ſanguinem is, qui in templo erat, lucernas accendebat quinque, atque templo ambo ſimul excedebant; illi vero, qui erant in laniena, hoſtiam Corio exuebant, atque in membra ſecabant, & quod cuique membrum ſorte evenerat, id in collem ferebat. Jam membra reponebantur ad aquilonem ad eam infra dimidiam collis partem inferiorem. Eorum autem, quæ quotidianis addebantur, ſacrificiorum membra ponebantur intra dimidiam partem collis inferiorem ad orientem; nam quæ Kalendis immolabantur hoſtiæ, earum membra reponebantur in ſummo altari inter cornua, eo videlicet loco, quo Sacerdotes incedebant, hoc enim modo palam fiebat adeſſe Kalendas; hic membra ſale aſpergebantur. Et collis quoque ſale ſternebatur etiam Sabbato, id adeo, ne ſi lubricus foret, in eo conciderent Sacerdotes dum ad rogum ligna ferrent. Quod autem ſal inter pedes Sacerdotum, & collem intercedebat, quoniam ambulatio iſta per ſe ipſa nullum erat divinum miniſterium, omnino nihil movebat. Poſtquam fuerant in collem tranſlata membra, coibant omnes in conclave lapidis quadrati. Hic enim dicebat præfectus, fundite precem unam, & illi protinus recitabant, *Amore æterno &c. Decalogum, Audi Iſrael &c. Quod ſi audiendo &c. & dixit &c. Verum & ratum &c. complaceat &c. fac pacem &c.* Et Sabbato autem addebant & precationem aliam &c. Porro tertia ſors ducebatur, & quarta, & cui evenerat, ut ſuffimentum adoleret, introibat, adolebat; tum introibat is cui obtigerat, ut de candelabro cinerem tolleret, qui reliquas accendebat lucernas duas, deinde cum eo, qui de candelabro cinerem tollebat, excedebat ſimul is, qui ſuffimentum adoleverat, & ſimul una cum fratribus Sacerdotibus in veſtibuli gradibus inſiſtebat. Hic ut venerat inter veſtibulum & altare, certum quoddam inſtrumentum muſicum capiebat aliquis; hoc idem inter veſtibulum & altare jacebat. Erat hujus inſtrumenti muſici ſonus ingens, & triplex uſus. Nam quicunque Sacerdos ſonum ejus audiebat, noverat fratres ſuos Sacerdotes in templum introiſſe Deum adoraturos, & celeriter accurrebat. Et homo Levita cum audiret ſonum ejus, noverat fratres ſuos Levitas in templum introiſſe cantatum, atque celeriter accurrebat; & ſtationum præfectus cum audiret ſonum ejus, homines inquinatos ſtatuebat ad portam orientis, ne venirent in ſuſpicionem pigritiæ, verum omnes ſcirent eſſe factum ſacrum piaculare. Tum is, cui ſorte hoc dederat, membra de colle ferebat ſuper altare, quo cum elata fuerant, protinus illi, qui in gradibus inſiſtebant ex Sacerdotum precationibus unam fundentes Dei nomen tetragrammaton rite pronunciabant, ſic ut alio loco expoſuimus. Subinde ferebatur ſimila libaminum, poſt ſimilam adolebantur cruſtula, poſt cruſtula offerebatur vinum in libationem, quod cum libaretur, tum carmen Levitæ canebant, pulſabantque cantores certa quædam fidium genera, quæ fuerant in Sanctuario, porro autem ad carminis articulos clangores edebantur novem &c.

53 *Ad munus etiam &c. Maimonides de Templo cap. VIII.* Templum cuſtodire jubendo ſancitum eſt, etſi nihil neque ab hoſtibus timetur, neque a graſſatoribus; ejus enim cuſtodia hanc duntaxat habet rationem, ei ut habeatur honos, neque enim ad palatium præſidio munitum comparandum eſt id, quod præſidio careat. Hæc igitur cuſtodia in noctem eſt ſancita totam, & cuſtodes ſunt Sacerdotes & Levitæ; Quod enim in Lege dicitur. *Tu autem & filii tui miniſtrabitis in tabernaculo teſtimonii. Num. XVIII.* 2. id vero perinde eſt, quaſi ita dicatur, vos mihi cuſtodes eritis; & mox additur; *& excubent in cuſtodiis tabernaculi* (*Ibid. v.* 4.) Atque alio loco dicitur: *Caſtra metabuntur ante tabernaculum fœderis ad orientalem plagam, Moſes & Aaron cum filiis ſuis habentes cuſtodiam Sanctuarii* (*Ibid. III.* 38.) Quam cuſtodiam ſi ſuſtuliſſent, vetitum violaſſent; eſt enim in Lege; *Excubate in cuſtodia Sanctuarii* (*ibidem XVIII.* 5.) vox autem hæc *cuſtodire* admonitionis eſt, ex quo efficitur de cuſtodia Sanctuarii præceptum eſſe jubens, & prohibens de ſublatione cuſtodiæ. Cuſtodia ejus ſic deſcripta ſit oportet, ut Sacerdotes cuſtodiant intus, & foris Levitæ, & ſingulis noctibus, perpetuo cuſtodiant quatuor & viginti manipuli, in locis diverſis vigintiquatuor, in tribus videlicet Sacerdotes, & Levitæ in viginti uno reliquis.

54 *Loca illa ſunt &c. Maimonides ibidem*. Sed illi cuſtodes ubinam collocabantur? Sacerdotes in domo Abtines, in domo ſplendoris, & in domo ardoris. Erant autem domus Abtines, & domus ſplendoris cœnacula exſtructa ad latus portæ atrii, hic excubias agebant pueri; domus ardoris teſtudo erat, atque domus illa erat ampla projecturis circumdata lapideis, hic cubabant ſenes ejus familiæ, quæ de die rem divinam adminiſtraverant, atque his claves atrii committebantur.

55 *Mane autem præfectus &c. Maimonides ibidem*. Mane paulo ante quam naſceretur aurora, veniebat præfectus templi, & pulſabat apud Sacerdotes, qui in domo ardoris erant, quam huic illi patefaciebant; tum præfectus clavem ſumebat, & ſitum inter domum ardoris & atrium oſtiolum aperiebat, per quod e domo ardoris abibat in atrium.

56 *Sacerdotum quoque &c. Siphri ad cap. X.* 8. *Num. Filii autem Aaron Sacerdotes clangent tubis* cur dictum eſt? quia dicit, *ſi ſemel clangueris &c.* ego crederem, quod etiam Iſraelitæ ibi comprehenderentur; idcir-

idcirco dictum eſt; *filii autem Aaron Sacerdotes*, tam perfecti, quam maculati, verba R. Tarphonis; R. Akiba dicit, perfecti, non maculati; dictum eſt hic *Sacerdotes*, & dictum eſt alibi. (Levit. 21.) *Sacerdotes*; ſicuti *Sacerdotes* ibi commemorati perfecti, & non maculati, etiam hoc loci perfecti, & non maculati, ei reſpondit Tarphon, uſquequo Akiba pergis confundere, & adducere textus ſuper nos? poſſim ego cædere meum filium, niſi vidi Simeonem fratrem meæ matris, qui altero pede claudus erat, tubis clangentem; ei dixit; Hoc fortaſſe contigerit in principio novi anni, in die expiationum, & in Jubilæo? ei reſpondit, per cæremoniam ſacrificii, quod non mentitus es &c.

[57] *Buccina* שופר *dicta &c. Maimonides ad cap. III. 2. Roſch haſchana*. Quod cornu vaccinum vocetur cornu, hoc probatur ex Deut. XXIII. 17. *Quaſi primogeniti tauri, pulchritudo ejus*, וקרני, *& cornua rhinocerotis* קרניו *cornua illius*. Argumentantur autem Sapientes contra R. Joſe, dicentes omnia cornua vocantur קרן *cornu* שופר *buccina*; & cornu vaccinum vocatur cornu, & nunquam שופר *buccina*; deciſio non eſt juxta R. Joſen. *In feſto principii anni, & in Jubilæo* שופר *utebantur*: *Maimonides de Buccina cap. I. 1.* Etiamſi non exprimitur in lege clangor per שופר in principio anni, *loquitur* quidem de Jubilæo Levit. XXV. 9. *Et clanges buccina menſe ſeptimo*, & in alio loco, *& tranſire facietis buccinam* tamen per oralem traditionem accepimus, quod ſicut clangor Jubilæi fit per שופר ſic etiam in principio anni per שופר fieri debet. *Gemmara Schabb. fol. 36. 1.* Dicit R. Chiſda, ecce tria ſunt, quorum nomen mutatum fuit, *primum eſt*, quod חצוצרתא Tubam *vocent nunc* שופרא Buccinam, & vice verſa. Quare autem hoc monendum? propter buccinam novi anni. *Gloſſa ad Gemar. Succa fol. 34. 1.* Buccina recurva eſt, Tuba vero recta, neque ex cornu arietino conſtat. *Hieron. comment. in Hoſ. 5. 8.* Buccina paſtoralis eſt, & cornu recurvo effigitur; unde & proprie hebraice Schophar, græce κερατινὴ appellatur.

[58] *Cornu erat &c. In jejuniis etiam cornu incurvo utebantur. Miſna Raſh haſhana ibidem*. Buccina feſti novi anni fuit de rupicapra recta, & orificio auro obducto, & duæ tubæ ab utroque latere, buccina ſonitum edebat diuturniorem, tubæ minus diuturniorem, quia præceptum iſtius diei eſt, ut clangatur buccina. In Jejuniis de arietibus incurvatis, & orificiis argento obductis, ac duæ tubæ in medio, buccina ſonitum edebat minus diuturniorem, quoniam iſtus diei præceptum eſt, ut clangatur tubis. Parilis tum Jubilæi, quam novi anni obſervatio eſt quoad clangorem & benedictionem. R. Jehuda vero dicit, quod in initio anni clangebant de arietibus, & de rupicapris in Jubilæo. *In quem locum ita Maimonides*. Supra vero expoſitum eſt quod novi anni buccina, neceſſario debeat eſſe de rupicapra recta, ſed ita non eſt deciſio, neque juxta R. Jehudam: Verum deciſio talis eſt, ut buccina Jubilæi & novi anni debeat conſtare cornu arietis maſculi incurvati. *Et in tractatu de anno Jubilæo Cap. I. 11.* Buccina (inquit) Jubilæi, & feſti principii anni eadem eſt quoad omnes res.

[59] חצוצרות *&c. tubis præcipue in jejuniis clangebant. Bartenora ad locum citatum Roſh haſhana. Quoniam præceptum diei eſt ut clangatur tubis*; Nam jejunia plerumque propter eccleſiæ anguſtias inſtituta ſunt; vide Num. X. 6. Cæterum in Sanctuario hoc tantum fiebat, ſed in terminis quando buccina requiritur, non requiruntur tubæ, & vice verſa &c.

[60] *Ex metallo &c. Hieron. ibidem*. Tuba autem de ære efficitur, vel argento, qua in bellis, & ſolennitatibus concrepabant. *Toſaphta Menachoth cap. VIII. 20.* Candelabrum non erat legitimum, niſi confectum eſſet ex una maſſa, ſi ex ſcrutis aut variis auri maſſis confeciſſet, erat illegitimum; ſi ex aliis metallis, erat legitimum. Tuba non eſt legitima, niſi ſit ex argento confecta, ſi ex ſcrutis confeciſſet, erat legitima, ſi ex alia metallorum ſpecie, erat illegitima: deprehenditur, quod erat in candelabro illegitimum, fuiſſe in tuba legitimum, & quod erat in tuba illegitimum, fuiſſe in candelabro legitimum. Si ex ſtamno, plumbo, lamina ferrea, & ære confeciſſet, Rabbi excludit, & R. Joſe filius R. Jehudæ legitimam dicit; ſi ex ligno, oſſe, & vitro, omnes conſentiunt eſſe illegitimum. *Maimonides de vaſis Sanctuarii cap. III. 5.* Tuba fiebat ex argenti maſſa; verum ſi quis eam ex argenti ſcrutis confeciſſet, tamen eſſet idonea, ex alio metalli genere vitioſa.

[61] *Has tubas &c. Siphri ibidem. Eritque hoc legitimum ſempiternum in generationibus veſtris*; cur dictum eſt? quia dictum eſt, *fac tibi duas tubas argenteas*; ego crederem, quod, cum effeciſſet, ſui filii hæreditario jure eas eſſent conſecuturi; idcirco dictum eſt, vobis *legitimum ſempiternum*; Lege ſempiterna ordinatæ fuerunt, & non pro generationibus; hinc dixerunt omnia vaſa, quæ fecit Moſes in deſerto, fuiſſe legitima pro generationibus, exceptis tubis.

[62] *Has Sacerdotes &c. Siphri ibidem. Si quando habebitis epulum & dies feſtos*; hæc ſunt Sabbatha; R. Nathan dicit, hæc ſunt ſacrificia jugia, *& dies feſtos*, hæc ſunt tria feſta, *& calendas* juxta ſuum ſenſum. *Maimonides de vaſis Sanctuarii cap. III. 5.* Cunctis diebus ſolennibus, & Calendis ad rem divinam Sacerdotes tubis clangebant.

[63] *Levitis Cymbalorum &c. Maimonides ibidem de Levitis loquens*. Quibus igitur fidibus utebantur? Nabliis, tibiis, cytharis, tubis, & cymbalis.

[64] *In arca &c.* plane *ſunt ſimiles iis, quas deſcribit Joſephus Antiquit. lib. III. cap. 11. de Moſis tubis loquens*. Adinvenit autem & modum tubæ ex argento factæ, quæ eſt hujuſmodi, longitudine quidem habens pene cubitum, eſt autem anguſta fiſtula cantatoria, calamo capacior, præbens latitudinem, quæ conveniat ori ad ſuſceptionem ſpiritus, & claſſico ſono vicina eſt, quæ hebraica lingua vocatur Aſoſra.

[65] *Clangebant quotidie &c. Miſna* ערבין *cap. II. 3.* Non diminuendum eſt a viginti & una buccinatione in templo, nec quadraginta octo addendum. *Maimonides de apparatu templi cap. VII. 5.* Item ejus juſſu ſacrificiis faciendis clangebatur. Etenim nullo prorſus die clangores in Sanctuario pauciores audiebantur, quam viginti unus; nam edebantur ad apertionem portarum tres, novem ad ſacrificium juge matutinum, & ad veſpertinum totidem; & quo die hoſtia immolabatur extraordinaria, ad hujus immolationem etiam clangores edebantur novem; ſin autem calendæ vel dies feſtus incideret in ſabbatum, item ſi in Sabbatum incideret principium anni, cum hoſtiæ extraordinariæ eſſent tres immolandæ, non ſeorſim ad harum unamquamque clangebatur, ſed ad omnes ſimul novem omnino clangores edebantur. Præterea autem vigilia Sabbati clangores addebantur ſex, quorum edebantur tres, ut avocaretur ab opere plebs, & totidem quibus ſecerneretur tempus ſanctum a profano. Addebantur etiam & tres die feſto, porta cum aperiretur inferior, hæc atrii mulierum porta fuit. Tantundem cum aperiretur porta ſuperior, quæ porta Nicanoris erat, quæ, quoniam erat ſupra atrium mulierum, porta ſuperior dicebatur. Itemque edebantur tres ad hauſtum ejus aquæ, quæ ad ſolennitatem Tabernaculorum libabatur, non item ad eam, quæ in Sabbatum hauriebatur. Edebantur & tres ad aram cum libaretur aqua.

[66] *Ad menſam adipum &c. Maimonides de Sacrificiis Jugibus cap. VI. 6.* Cum daretur vinum libanti ſtabant Sacerdotes duo ad menſam adipum, hi duas manibus tenebant buccinas; ſtabat ad cornu Altaris ſacerdotum Antiſtes, & ſudaria præ manibus tenebat; tum buccinatores clangorem edebant rectum, fractum, & rectum, iidemque veniebant, & aſtabant ad præfectum cymbalo, unus ad ejus dextram, & ad lævam alter. Remorabatur libationem parrumper, qui eam facturus erat, agitabat ſudaria Antiſtes, hi cymbalo, illi buccina cantabant; concinebant Levitæ carmen, cujus ad articulum clangor edebatur, & populus omnis qui in atrio aderat, adorabat. Atque ad ſingulos carminis articulos edebatur clangor, ad clangores ſingulos populus adorans erat. Jam inter ſacrificium juge faciendum omnino clangores edebantur novem, ut ante diximus. *Vide Tamid cap. VIII. 3.*

[67] *Et ſacrificiorum &c. Siphri ibidem*; *canetis tubis*; de congregatione textus agit, tu dicis de congregatione; an ego dicere non poſſum, quod textus agat tam de cœtu, quam de privato? Dixiſti? de quonam propoſito agitur? de propoſito cœtus. R. Simeon filius Azai dicit, de cœtu textus agit, an ego dicere non poſſum tam de cœtu, quam de privato? ideo dictum eſt, *ſuper holocauſtis, & pacificis victimis*; quemad-

mo-

modum holocaufta funt Sanctitates Sanctitatum, etiam pacifica, quæ fint Sanctitates Sanctitatum; Aut dicam, ficuti holocaufta poffunt effe tam publica quam privata, ita etiam pacifica tam publica quam privata; ideo dictum eft, *fuper holocauftis & pacificis victimis*; ficut fuper holocauftis cœtus, ita etiam fuper pacificis cœtus; *ut fint vobis in recordationem Dei veftri*, cur dictum eft? fed quia dicit, *canetis tubis*; ego putabam, quod facrificium, fuper quo *tubis* ceciniffent, effet legitimum, ea vero, fuper quibus non ceciniffent, forent illegitima; ideo dictum eft; *ut fint vobis in recordationem*; in recordationem ordinatæ fuerunt, non vero ut facerent legitimum facrificium. *Maimonides ibidem*. Omnino carmen nunquam canebatur nifi fuper Ecclefiæ univerfæ holocauftum, & victimas ejus pacificas Lege præfcriptas, verum enim fuper holocaufta voluntaria, quæ facrificabantur ex eo, quod in conclavi oblationis fupererat, cum effent Ecclefiæ, carmen tamen nullum canebatur. Et fuper ea, quæ feparatim per fe facrificabantur libamina, ibidem carmen nullum canebatur.

68 *At in Pafchate &c. Maimonides cap.* I. *II. Pefachim*. Erat autem ifta mactandi ratio; Caterva prima veniebat in atrium, quod ubi plenum erat, ejus fores occludebantur; continuo fuas illi victimas Pafchales cædere, qui dum victimas cædebant, atque illarum partem idoneam Deo offerebant, Levitæ recitabant carmen illud, quod hymnus infcribitur &c. Ad unamquamque recitationem buccina clangores edebantur terni, rectus fragofus, rectus; nulla videlicet adhibebantur ifti facrificio libamina; ut igitur in reliquis facris inter libandum, fic inter jugulationem in ifto clangebatur.

69 *In jejuniis &c. Maimonides Taanith cap. I.* Imperat divina Lex clamare voce, & tuba ululante canere in omni calamitate publica; eft enim in ea dictum; *Si exieritis ad bellum de terra veftra hoftes qui dimicant adverfum vos, clangetis ululantibus tubis*. *Num.* 10. 9. Cujus fententia ea eft, ut quæcunque nos calamitas affligat, fames peftilentia, locuftæ, & fimilia, ploremus, ac clangamus &c. Atque id temporis, clamatur, preces funduntur, mifericordia divina imploratur, & clangor editur tubæ folius; in templo autem tubæ fimul & buccinæ clangor datur, minor buccinæ, & tubæ major, quippe quæ in tempus acerbum lege præfcribitur. Nec vero par eft tuba fimul, & buccina clangere, nifi in Templo, cum dicat Pfaltes; *in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ jubilate in confpectu Regis Domini*. *Pfalm.* 97. 6. 7.

70 *His autem conjungere &c. Maimonides ad cap. III.* 3. *Rofch hafhana*. Ordo hic tantum obtinebat in Sanctuario, eo quod Deus dixit *Pfalm.* 97. 6. *in tubis ductilibus & voce tubæ corneæ, jubilate in confpectu Regis Domini*. Sed extra Sanctuarium non clangebant in fefto novi anni nifi buccina tantum, & in jejuniis tantum cum tubis, quod præceptum in fe continebat, quia jejunia tantum propter Ecclefiæ anguftias inftituta funt. *Num. X. 9. contra hoftes qui dimicant contra vos, clangetis ululantibus tubis &c.*

71 *Erat de mundo &c. De Lepra præfertim lex expreffa eft. Siphra ad cap. XIII. 2. Levitici. Adducetur ad Aaron*; non probo nifi pro eodem Aaron, unde probatur pro alio Sacerdote? ex eo quod dicit, *Sacerdotem*: unde probatur ad includendum maculatos? ex eo quod dicit, *vel ad unum quemlibet filiorum ejus*; potero igitur includere etiam fpurios? ideo dicit, *Sacerdotes*; excluduntur fpurii, unde probatur ad includendum quemlibet alium ex Ifrael? ex eo quod dicit *vel ad unum*. Si denique includuntur omnes Ifraelitæ, quid dicendum erat, *vel ad unum quemlibet filiorum ejus Sacerdotes*? ut doceremur, non fuiffe definitam immunditiem, & puritatem nifi ex dicto Sacerdotis; quo pacto hoc ergo intelligitur? Sapiens Ifraelita luftrabat plagas, & dicebat Sacerdoti, quamvis ftultus fit, dic, immundus eft, ille dicebat, *eft immundus*, dic, purus eft, & ille *dicebat*, *eft purus*.

72 *Semina &c. Siphra ad cap. XI.* 37. 38. *Levit. Si ceciderit de morticino eorum* (fic Hebræus.) Sunt aliqua ex eorum morticino, quæ polluunt, & funt aliqua ex eorum morticino, quæ non polluunt; excludit terram aridam, quæ humida fieri non poteft. Unde probatur, quod fi immunda femina feviffet, fint pura? ex eo quod dicit, *non polluet eam*. Poffemne etiam exiftimare, etiamfi radices non egiffent? ideo dicit, *eam*. *Si ceciderit fuper fementem, non polluat eam; fi autem quifpiam aqua fementem perfuderit, & poftea morticinis tacta fuerit, illico polluetur*; in hoc argumento funt femina immunda, & femina pura, folo affixa, & terra avulfa, effufio aquarum (per manum hominis) & effufio aquarum per manum cœli, edulia hominum, & edulia beftiarum; & diftinguenda funt; fi dicis, terræ affixa, funt immunda, & avulfa funt munda, omnia femina polluifti; & fi dicis, quod affixa fint munda, & avulfa fint immunda, partim polluifti, partim mundafti. Si dicis, quod a cœlo madefactum eft, fit immundum, & quod ab homine madefactum eft, fit mundum, omnia femina polluifti; & quando dicis, quod a cœlo madefacta fint pura, & ab homine madefacta fint immunda, partim polluis, & partim mundas. Si dicis, quod beftiarum edulia fint immunda, & hominum edulia fint munda, cuncta polluis; & fi dicis, quod hominum edulia fint immunda & beftiarum edulia fint munda, partim immundafti, & partim mundafti: *Si autem quifpiam aqua fementem perfuderit*; hinc docemur, quod reptile femina non polluat, nifi poftquam difpofita fuerint; probo; polluit vas teftaceum, & polluit reptile; ficuti vas teftaceum non polluit femina, nifi poftquam difpofita fuerint, ita etiam reptile non polluet femina, nifi pofteaquam fuerint difpofita; Hoccine eft argumentum. Si allevas in vafe teftaceo, quod eft immunditia levis, allevabimufne in reptili, quod eft immunditia gravis? Illud polluet, five fuerint, five non fuerint difpofita *femina*; idcirco dicit, *fi autem quifpiam aqua fementem perfuderit ------ illico polluetur*; Hinc docemur, reptile non polluere femina, nifi poftquam difpofita fuerint. Ego non probo, nifi poftquam aqua difpofita fuerint, unde probatur ad includendum, ut reliqui liquores æque ac aqua confiderandi fint? argumento; fi in vafe teftaceo, quod leve eft, confiderantur reliqui liquores æque ac aqua, in reptili, quod eft grave, non confiderandi erunt reliqui liquores æque ac aqua? Sed hoc modo argumentaberis; gravis eft vas teftaceum, quod fuo aere immundat; idcirco dicit, *aqua*, *aqua*, *aqua*; fuperius fit mentio aquæ, & hoc loco fit mentio aquæ, ficuti aqua fuperius dicta affimilatur reliquis liquoribus, etiam aqua hoc loci dicta reliquis liquoribus affimilatur. Aliud argumentum. Si aquæ, quæ ad fuum patrem revertuntur, ut purificentur, difponunt femina, reliqui liquores, qui ad fuum patrem non revertuntur, ut purificentur, femina difponere non debebunt? Non valet argumentum; quod fi dixifti in aquis, quæ fiunt immunditia principalis, ut polluant homines & veftes, idem dices in liquoribus, qui non fiunt immunditia principalis ad polluendum homines & veftes? Quoniam igitur non fiunt immunditia principalis ad polluendum homines & veftes, non debebunt difponere femina, ut immunda fiant; idcirco dicit, *aquæ*, *aquæ*; dictum eft fuperius, *aquæ*, & hic dictum eft, *aquæ*, ficuti aquæ fuperius dictæ faciunt reliquos liquores aquæ fimiles, etiam aqua hoc loci dicta facit reliquos liquores aquæ fimiles. Unde probatur confiderandum confilium (*feu intentionem*) aquæ ac effufionem? Argumentabor; fi vas teftaceum, quod eft leve, facit intentionem actioni æqualem, reptile, quod grave eft, non faciet intentionem actioni æqualem? Sed hoc modo argumentaberis: gravius eft vas teftaceum, quod fuo aere polluit; ideo dicit, *aquæ*, *aquæ*, dictum eft fuperius *aquæ*, & hoc loci dictum eft *aquæ*, ficuti aqua fuperius dicta confiderat intentionem æque ac actionem, etiam aqua hic dicta confiderat intentionem æque actionem. Non probo, nifi, quando aqua fementem perfuderit, fi femina fuper aquam effudiffet, unde probatur? ex eo quod dicit, *immundum*; immundum eft vobis, omne id, quod vobis opus eft, ad includendum eduliorum (*feu fructuum*) petiolos. Hinc dixerunt, quod anfa racemi in copia palmi hinc inde, & manus botri quantalacumque, cauda botri evacuata, & anfa fcopæ dactyli in quatuor palmis, & calamus fpicæ in tribus palmis, & manus omnium, quæ meffa funt, in tribus palmis; ea vero, quorum manus & radices demeti non folent, quantalacumque fint; poffem credere, quamvis in area excuffiffet: ideo dicit *eam*.

73 *Vaforum videlicet &c. Maimonides in præfatione Seder Taaroth*. Scias aut quod vos, *vafa* de octo fpe-

ſpeciebus intelligi debeat, cujuſmodi ſunt veſtis, ſaccus; vaſa teſtacea, vaſa coriacea, vaſa ex oſſibus confecta, vaſa vitrea, vaſa metallina, & vaſa lignea, ſed arcæ, & id genus alia vaſa, quæ e juncis & corticibus, calamiſque impoſita ſunt, hæc omnia comprehenduntur ſub vaſis ligneis, ſicut in hoc codice exponetur. Lex vero dicit, quod hæ tres ſpecies immunditiem recipiant, vitreis exceptis vaſis, quæ ex inſtitutis ſapientum polluuntur. Gemara dicit; Joſe filius Joezeris. Seredanus, & Joſe filius Jochananis Jeroſolymitanus de immunditia vaſorum vitreorum decreverunt. Et in Additamentis ad codicem de Vaſis dicitur, Vaſorum vitreorum immunditics ſtatuta eſt a Sapientibus. Reliqua vero vaſa ex lege polluuntur, ſicuti dicitur Levit. II. 32. Per *Saccum* vero intelligimus ſaccos, e pilis confectos tam e tenuibus quam e craſſis. Per *veſtem* intelliguntur illa quæ conficiuntur ex lino, ſerico, goſſypio & ſimilibus materiis, præter pilos. Filtra quoque comprehenduntur, ſub veſtibus. In Additamentis dicitur, quod ſi quis induſium confecerit e filtro, idque in longum & latum tres palmos habuerit, immundum cenſetur; hæc enim veſti ſtatuta eſt menſura repectu immunditiei, ſicuti exponitur capite ſeptimo & viceſimo hujus codicis. In *Siphri* dicitur, per *aut veſtis* in lege includuntur filtra. De immunditie vaſorum teſtaceorum lex verba facit *Levit. XI.* 33. *Vas autem fictile, in quod horum quidquam intro ceciderit, polluetur*. Sed vaſa ex oſſibus confecta comprehenduntur ſub eo quod dicitur. *Num. XXXI.* 20. *Et de omni præda &c. de caprarum pellibus &c.* quemadmodum ſecundo hujus tractatus capite exponitur. Omnium vero vaſorum ſpecies, teſtaceis exceptis, purificantur in balneo; nam teſtacea vaſa non purificantur, ſed franguntur; nunquam enim in balneo purificantur, atque hoc licet colligere e *Levit.* XV. 12. Pariter vaſa *contritionis* tantum vocantur vaſa e metallo confecta, ſub quibus non comprehenduntur vitrea. *Veſtes* autem vocantur licet e pilis confectæ ſint: Vaſa vero, & vaſa teſtacea plerumque non includuntur voci vaſorum, ſed peculiaribus ritibus ſubjiciuntur. Reliqua vaſa lignea, & ex oſſibus confecta, vel coriacea vocantur *vaſa lotionis* quia in lavacris ablui poſſunt. Quando autem aliquos auctores audiveris dicentes, *polluit vaſa*, vel *polluit veſtes*, ſcias quod iſta materia omnis polluat iſtas ſpecies, teſtaceis exceptis vaſis, nam illa non polluit, niſi ſit pater immunditiei, & in mortui immunditie duntaxat, præterquam vaſis iſta jura ſtatuimus differentiæ ergo. At vero ſi vas teſtaceum polluatur mortuo, id erit primus immunditiei gradus, at non erit pater etſi ipſo mortuo polluatur, ut ſit in tentorio mortui. Sed verba in Additamentis ita ſe habent, dicit Lex; *Num. XIX.* 15. *Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam deſuper*, ad hæc dixerunt Sapientes, ipſum ſcilicet vas eſt immundum, ſed id non ſit immunditiei pater ad polluendum. Præterea quoque expoſitum eſt in Siphri quod verba Legis de vaſe teſtaceo loquuntur; ſicuti exponitur capite decimo hujus tractatus. Reliqua autem vaſa & veſtes, ſi ea attigerit homo mortuo pollutus, fient pater immunditiei, & ſi quid eorum attigerit mortuum, & id poſtea attigerit homo, & deinde hominem attigerit vas aliquod, tres erunt patres, uti diximus, & ſicuti in Siphri expoſitum eſt, quemadmodum oſtenditur capite primo Codicis de Tentoriis. Scias autem quod vas teſtaceum nunquam fit immunditiei pater per mortui immunditiem, neque per aliam immunditiem, ſicuti ego diverſis in locis explicavi in hocce volumine. In vaſis metallinis eſt jus peculiare, quod non obtinet in aliis, nempe, ſi illa polluta fuerint quacunque id factum fuerit immunditie, & poſtea confracta fuerint, jam purificata ſunt confractione illorum; ſi vero quis e fragmentis ipſorum denuo alia conſtruat vaſa, eam immunditiam recipiunt, quam ante habuerunt. Sed hæc omnia ſapientes ſanciverunt; ego vero rationem expoſui capite undecimo hujuſce tractatus. Dixerunt autem, Simeon filius Satæ decrevit immunditiem de vaſis metallinis, nempe quod iſta ad immunditiem redirent, poſtquam per confractionem purificata fuiſſent, donec in lavacro aquis abluta eſſent. *En tibi uno loco explicata tot tantaque Rabbinorum de Vaſorum immunditie Myſteria.*

74 *Quædam arcebant &c. Siphri ad cap. V. 2. Num.* *ut ejiciant de caſtris*; de caſtris divinitatis; ego exiſtimare poteram, de caſtris Levitarum; ideo dictum eſt, *ut ejiciant de caſtris*; ſi igitur non dixiſſet, ego a minori ad majus argumentatus eſſem, ſi ejiciebantur immundi de caſtris Arcæ (*ſcilicet Levitarum*) quod eſt leve, eo magis de caſtris Divinitatis, quod eſt grave; ſed ſi ita dixiſſem, argumento a minori ad majus puniſſem; idcirco dictum eſt *ut ejiciant de caſtris*, ut doceare, non puniri argumento a minori ad majus. Rabbi dicit, non opus eſt hoc argumento; ſi ejiciebantur immundi de caſtris Arcæ, quod eſt leve, eo magis de caſtris Divinitatis, quod eſt grave; cur igitur dictum eſt, *ut ejiciant de caſtris omnem leproſum, & qui ſemine fluit?* Sed venit textus, ut ſingulis ſua ſepta aſſignet; *at ejiciant de caſtris omnem leproſum, & qui ſemine fluit, pollutuſqe eſt ſuper mortuo*, ego crederem, quod ſui tres ſimul in unum locum ſe reciperent; ideo dictum eſt in leproſo, *ſolus habitabit extra caſtra* (*Levit.* 13. 45.) leproſus erat in genere, & de generali exiit, & pro generali docet; In leproſo, cujus cum gravior ſit immundities, gravior eſt ejus ejectio, quam ejectio ſui ſocii; ita etiam cujuſque immundi, cujus gravior ſit immundities, gravior eſt ejectio, quam ejectio ſui ſocii; hinc ſepta ſapientes enumerarunt &c. *ut ejiciant de caſtris*; cur dictum eſt? ego non probabam niſi pro his, pro reliquis immundis unde probatur? Dicebat R. Joſia, dixiſti? argumento a minori ad majus; ſi ejiciebantur ſeminiflui, & leproſi immundi de caſtris Arcæ, quod eſt leve, eo magis de caſtris Divinitatis, quod eſt grave; ſed ſi ita diceres, argumento a minori ad majus puniſſet; idcirco dictum eſt, *ut ejiciant de caſtris*; ut doceare, non puniri argumento a minori ad majus. De quolibet hominum genere textus loquitur, an ego dicere non poſſum, quod non agat niſi de Levitis, qui Arcam geſtabant? ideo dictum eſt, *tam maſculum quam fœminam ejicite*; de omnibus textus loquitur, tam majorennes, quam parvuli comprehenduntur; tu dicis, tam majorennes, quam parvuli comprehenduntur; an ego exiſtimare non poſſum non eſſe *explicandum* niſi ratione pœnæ? Quid reperimus in immundo Sanctuarii? quod tantum majorennes puniantur, juxta verſiculum qui dicit; *vir, qui hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Eccleſiæ, quia Sanctuarium Domini polluit*. *Num.* 19. 20. etiam hic non commemorabuntur niſi majorennes, idcirco dictum eſt, *tam maſculum quam fœminam: ejicite*, tam majorennes, quam minorennes comprehenduntur. R. Jonatham dicit, tam maſculum quam fœminam ejicite, cur dictum eſt? quia dictum eſt, *ut ejiciant de caſtris omnem leproſum, & qui ſemine fluit*, ego non probarem niſi pro his, alii immundi unde probantur? dixiſti? argumento a minori ad majus; ſi ejiciuntur immundi de caſtris Arcæ, quod eſt leve, eo magis de caſtris Divinitatis, quod eſt grave; igitur ſi ita dicis, argumento a minori ad majus punires; & idcirco dictum eſt, *tam maſculum quam fœminam ejicite*, ut doceare non puniri argumento a minori ad majus; *tam maſculum quam fœminam ejicite*, ego non probo niſi pro maſculo; & pro fœmina, pro abſtructo, hermaphrodito unde probatur? Ex eo quod ſequitur, *ejicite de caſtris*; ego non probo niſi pro iis, qui ejici poſſint, pro iis qui non poſſint ejici unde probatur? ex eo quod dicit, *ejicite de caſtris*; ego non probo niſi pro hominibus, vaſa unde probantur? ex eo quod dicit, *ejicite de caſtris*; R. Akiba dicit, *tam maſculum quam fœminam ejicite*, tam homines quam vaſa comprehenduntur. R. Iſmael dicit, tu argumentaris; quoniam homo plagis polluit, & veſtes plagis polluunt, ſicuti homo erat ejiciendus, etiam veſtes ejiciendæ erant? minime; quod ſi dixiſti pro homine, qui ſuper ſtrato, & cubili polluit, ea de cauſa ejiciendus erat, ita dices de veſtibus, qui ſuper ſtrato & cubili non polluunt? idcirco igitur non erant ejiciendæ; ecce lapis lepra pollutus qui probabit, qui quamvis ſuper ſtrato & cubili non pollueret, tamen erat ejiciendus; ne mireris igitur pro veſtibus, quæ quamvis ſuper ſtrato & cubili non pollucrent, eſſent ejiciendæ. R. Joſe Galilæus dicit, *tam maſculum quam fœminam ejicite*; ſicuti maſculus & fœmina diſtincti ſunt, ut fieri poſſint immundities principalis, & erant ejiciendi, ita reliqua omnia, quæ fieri poterant immundities principalis, eadem lege tenentur. R. Iſchak dicit, di-

ctum

ctum est, *quod si non laverit vestimenta sua & corpus*; Levit. 17. 16. pro lavando corpore textus punit excidio; tu dicis, quod pro lavando corpore textus excidio puniat, nonne ego possum dicere, quod textus tantum puniat pro non lavandis vestibus? dixisti? Si mortui immunditiem, quæ gravis est, non punit textus pro lavandis vestibus, qui edit de cadavere, quod leve est, erit æquum, ne puniatur pro lavandis vestibus; *ejicite de castris*, cur dictum est? quia textus dicit, *& ejicite de castris &c.* ego credebam, quod neque arcam, neque principia contingere possent, sed quod locum a reliquis secretum sibi acquirere possent; ideo dictum est, *ejicite de castris, ne contaminent ea castra*; hinc dixerant; tria erant castra, castra Israelis, & castra Levitarum, & castra Divinitatis; a porta Hierosolymæ usque ad montem templi erant castra Israelis, a porta montis Templi usque ad atrium erant castra Levitarum, a porta atrii & interius sunt castra Divinitatis. *Maimonides de ratione adeundi Templi Cap. III.* Omnino hoc jubente lege sancitum erat, ut templo homines inquinati arcerentur omnes, quippe quia scriptum legimus; *ut ejiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo. Num. V. 2.* Castra enim quæ hoc loco commemorantur, castra sunt Dei; hoc vero illud erat spatium, quod intra limen atrii Israelitarum continebatur; Atque hinc ego & illud audirem ternos illos homines, leprosum, seminis fluxione laborantem, & funere pollutum uno & eodem loco ducendos esse, verum id nos lex dedocet, in qua de leproso homine præceptum est; *Solus habitabit extra castra (Levit. XIII. 46.)* illa videlicet castra Israelitarum, nimirum hoc illud erat spatium, quod Hierosolymæ mœnia, complexu suo coarcebant, ac continebant. Sicut igitur homo leprosus, quoniam lues ejus fœdior erat, amandabatur præter reliquos homines temeratos, item ut quisque inquinatior erat, ita longius emittebatur. Ac leprosus homo quidem extra terna castra emittebatur, idest extra Hierosolymam; is enim omnia vel obeundo temerabat, non item qui seminis fluxione laborabat.

75 *Seminifluis &c. Maimonides ibidem.* Jam viri fœminæque seminis fluxionem patientes, item & mulieres menstruales, & puerperæ extra castra emittebantur duo, idest extra montem Ædis; nam isti temerabant omnia, quibus incumbebant, quibusque insidebant, immo & ea, quæ lapidi subjacebant illi, in quo ipsi quiescebant, quæ eadem homo mortuus non temerabat.

76 *Pollutis a mortuo &c. Maimonides ibidem.* Itaque funere pollutus atque etiam mortuus ipse ut intra montem ædis intromitteretur, licebat, quoniam in lege est: *Tulit quoque Moses ossa Joseph secum, secum* idest in castra Levitarum. *Exod. XIII. 19.*

77 *Eo die lotis &c. Maimonides ibidem.* Ab spatio intermurali excludebantur Ethnici, funesti, & qui cum menstrualibus mulieribus consuescebant, intromittebatur autem homo temeratus in diem, siquidem jam fuit ablutus. Ab atrio mulierum excludebatur homo temeratus in diem, non item qui piaculo tantum indigebat, jam solis expectaverat obitum. Atque homo temeratus in diem ne intra castra Levitarum intromitteretur, institutis sapientum interdictum erat.

78 *Indigentibus piaculo &c. Maimonides ibidem.* Jam in atrium Israelitarum ne hic quidem, qui piaculo tantum indigebat, introibat; quippe qui nondum etiam plane purificatus erat, quod enim in lege scriptum videmus; *expiabitque eam Sacerdos & sic mundabitur. Levit. XII. 8.* ex eo satis intelligitur ante oblatum piaculum ejus purificationem non esse prorsus effectam.

79 *Ita ut quid gravissime &c. Bartenora ad cap. I. 4. Celim. Omnium vero gravissimus est mortuus.* Sed aliquæ res sunt gravioris immunditiei quam mortuus, quia seminifluus & seminiflua efficiunt immunditiem cubilis & sedilis, & polluunt lapide pavimentali מסמא dicto, & mortuus non efficit immunditiem cubilis & sedilis, nec lapide pavimentali polluit. Nihilominus tamen in hoc gradu mortuus est gravioris immunditiei quam reliqua omnia, quia is in tentorio polluit; & quamvis leprosus polluat ingressu, tamen ipsius immundities, non est ut immundities tentorii; nam si is manum intulerit in domum lepra affectam, mundus est, immo etsi ipse totus introiverit excepto naso, mundus est, quia introitus, qui fit ex parte, non est introitus; interstitium enim liberat ab immunditie in domo, ubi leprosus est, sicuti in Codice de tentoriis dictum est, si introiverit leprosus in Ecclesiam, tum pro ipso faciunt interstitium aliquod decem palmos altum, leprosus ingreditur primus, & egreditur ultimus; & id genus alia tradit de mortuo, qui in tentorio polluit. Præterea quoque differentia est inter leprosum sedentem, & leprosum transeuntem, quemadmodum exposuimus superius, quæ differentia non est in mortuo. *Siphri ad cap. V. 2. Num.* Omne id, quod seminifluus polluit, leprosus polluit; gravior est leprosus, qui congressu polluit; omne id, quod mortuo immundus polluit, seminifluus polluit, gravior est seminifluus, qui sub lapide pavimentali; omne id, quod eodem die lotus polluit, mortuo immundus polluit, gravior est mortuo immundus; qui polluit hominem, omne id, quod probat egens expiationibus, reprobat eodem die lotus; gravior est eodem die lotus, qui primitias reprobat.

80 *Qui etiam 100. panni &c. Maimonides ad cap. IV. 5.* זבים. *Si decem pallia sibi invicem imposita sint, & dormiverit super superiori, tum omnia immunda sunt.* Meminit hic auctor numeri decimi, ut pluralitatem notet; nam pari modo se res habet, si mille fuerint, quibus lapis impositus est, super quo seminifluus vel menstrua consederit, quia tunc vestis infima polluta est, & hinc reliqui omnes contrahunt immunditiem cubitu, sicuti ab initio codicis de Vasis exposuimus, nam cubile polluit vel sub ipso lapide durissimo.

81 *Primum immunditiei &c. Maimonides in præfat. Seder Taharoth.* Scias etiam quicquid aliquo immunditierum patre pollutum fuerit, sive sit homo, sive vasa, sive cibi, sive liquores, vocari *primum in immunditie*, & eum qui hunc attigerit, vocari *secundum*, qui vero hunc, eum vocari *tertium*, & qui hunc attigerit, vocari *quartum*, atque hic immunditierum graduum ultimus est.

82 *Et quod præter patres est &c. Maimonides ibid.* Primum quoque vocant *filium immunditiei* & secundum *filium filii immunditiei*; omnem vero qui non est pater immunditiei, Misna vocat *filium immunditiei*, sive primus, sive secundus sit immunditiei gradus. Porro res nota est, quod sicuti dicitur, hic est pater immunditiei ex Lege, iste vero est pater immunditiei ex decreto sapientum, ita quoque dici, hic est filius immunditiei ex Lege, iste vero filius immunditiei ex decreto sapientum.

83 *Patres polluunt &c. Maimonides ibidem.* Jus vero, quod omnes immunditierum patres comprehendit, hoc est, quatenus illi polluunt hominem & vasa, nullus vero immunditiei filius polluit hominem, vel vasa, sed cibos & liquores tantum. Gemara ad codicem de Damnis primum dicit, quod pater hominem polluit & vasa, & filius polluit cibos & liquores, sed non hominem nec vasa. In codice de Vacca Rufa comburenda dicitur, quod omnis immunditiei filius non polluat vasa sed liquores. Sed hæc est sententia, quæ vicissim commutatur, nempe, quod omnis pater immunditiei polluit hominem & vestimenta; quicquid autem hominem & vasa polluit, id pater immunditiei est. Hoc est fundamentum omnium maximum, & propterea in primis observandum, quia secundum ipsum exponuntur omnes immunditierum species. *Vide Parah cap. VIII. 5.*

84 *Excepto liquore &c. Maimonides ibidem.* Sed jam satis clare expositum est, quod omnis immunditiei filius non polluit vasa, liquore excepto, qui vasa polluit.

85 *De rebus profanis &c. Maimonides ibidem.* Pariter neque ex lege non polluit vasa, neque unquam erit tertius immunditiei gradus, nisi ex decreto sapientum; quando enim pater polluerit vasa, vel hominem, hoc vas vel homo erit primus gradus, atque hic primus polluit cibos & liquores duntaxat, uti diximus, & cibus quoque ex Lege erit secundus; at vero hic cibus non polluit alium cibum, neque enim constituit tertium immunditiei gradum, nisi ex decreto sapientum tantum. Sed hoc ea conditione intelligendum est, si sit oblatio prima, & non profanum quid, quia in profano secundus tantum habet locum, sicuti diximus cap. V. tituli Sotah,

tah; hinc tibi conſtat, quod primus & ſecundus gradus ſint ex lege, & ex decreto ſapientum, tertius vero & quartus ſemper ex decreto ſapientum ſunt. *Et nonnullis interjectis*. Cæterum in Codice de eo, qui de die lotus eſt, mihi exponendum eſt, quod is qui de die lotus eſt, ſit homo pollutus, qui aquis ſe abluit ante ſolis occaſum, is vero ipſo die, quo occaſum ſolis exſpectabat ut purus eſſet, eſt ſecundus immunditiei gradus, & ſi is cibum oblationis primæ attigerit, infecit eum, nam ſit tertius immunditiei gradus, at tertius in oblatione prima eſt reprobus, uti diximus. Pariter ſi is qui de die lotus eſt, tetigerit liquorem oblationis primæ, infecit iſtum liquorem, fietque tertius immunditiei gradus, ſicuti expoſitum eſt cap. primo Codicis de Paſchate, ubi dixerunt; *Oleum quod infectum eſt per eum qui de die lotus eſt*. Profanus autem liquor non polluit eum qui iſto die lotus eſt, quia tertius gradus in profanis cenſetur purus. In codice de eo, qui de die lotus eſt ita dicitur; *ſi olla liquoribus plena tetigerit eum qui de die lotus eſt, & liquores iſti ad oblationem primam pertineant, liquores reprobi ſunt, ſed olla remanet pura, ſin autem profani ſunt liquores, omnes manent puri*. In Additamentis ad Codicem de eo, qui de die lotus eſt, dixerunt, *qui de die lotus eſt, non polluit liquorem profanum, & reprobos reddit eos, qui oblationem primam comedunt &c. Deinde ſequitur*. Secundus vero immunditiei gradus eſt, ſi liquores tetigerit, & non fecerit primum immunditiei gradum, & hoc eſt quod in tractatu de Vacca Rufa comburenda dicitur, *quicquid oblationem primam inficit, id etiam liquores inficit, atque ex iis primum gradum conſtituit excepto eo qui de die lotus eſt*, nam cum is oblationem primam reddit reprobam, non conſtituit eos primum immunditiei gradum, uti expoſuimus. In Gemara titulo de Paſchate dicitur; *liquores, qui polluti ſunt, quare dicuntur de patre immunditiei, cum ii etiam primi ſint gradus licet in primo & in ſecundo ſint? Reſp. ſi hic ſecundus immunditiei gradus ſit ſecundus in profano, liquor iſte ſit liquor profanus, ipſe erit primus*, ſicuti expoſitum eſt ſecundo capite codicis de Puritatibus. Quando dicitur ſecundus gradus in profanis polluit liquorem profanum, & reprobum reddit pro iis, qui oblationem primam comedunt; tertius vero oblationis primæ gradus immundus polluit liquorem ſanctum: & hoc ita ſe habet, quia tertius duntaxat in oblatione prima obtinet, uti ſuperius dictum eſt. Sed jam expoſitum eſt, quod tertius gradus in oblatione prima reprobus ſit, ſed non polluat, idcirco is nec liquorem oblationis primæ polluit, ſed tertius in ſanctis immundus eſt, & polluit; idcirco ſi tertius oblationis primæ tetigerit liquorem ſanctum, polluit ipſum, attamen liquor iſte non eſt quartus gradus, ſed infectus duntaxat; verum potius erit primus immunditiei gradus, ſicuti ibidem expoſitum eſt. Hinc tibi conſtabit de immunditie liquorum, quod immunditiei pater, primus, & ſecundus, liquores faciant gradum primum, etſi profanus ſit liquor. Tertius immunditiei gradus in oblatione prima vel in ſanctis eſt, ſi liquor ſanctus ipſum tetigerit, pollutus eſt, & primus factus eſt gradus. Tertius vero non polluit liquorem oblationis primæ, & quanto magis non polluit liquorem profanum. Quartus gradus in Sanctis non inficit liquorem ſanctum, & quanto magis non polluit alios.

[86] *Comeditur cum juſculo &c. Bartenora ad cap. II. 3. Codicis Taaroth. Et tertius in profanis*, cum juſculo, quocum oblatio prima mixta eſt, oblatio enim prima vocatur תרומ ſicut dicitur *Exod. XXII. 29. Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere*. Et capite 2. de Profanis docetur, rem intelligendam eſſe ſi in juſculo mixto non ſit copia olivæ de oblatione, ſed copia Peras, & tum licitum eſſe comedere cibum tertii gradus. Verum ſi illic ſit copia olivæ de oblatione prima in cibo Peras, tum ei prohibitum eſt; ſtatuimus enim, quod ſi quis comederit cibum tertii gradus in profanis, quæ parata ſunt in puritate oblationis primæ, tum illius corpus infectum eſt, ut oblationem primam edere nequeat.

[87] *Quartum &c. Bartenora ibidem, quartus comeditur cum juſculo ſacro*; ut ſi in hacce prima oblatione ſit gradus quartus, qui paratus eſt in puritate rei ſacræ, & ſic etiam quintus gradus, comeditur cum juſculo ſacro, ſicuti poſtea tradit, proinde dicit, ſi in hac re ſacra ſit gradus quintus, ut, ſi is paratus ſit in puritate cineris vaccæ rufæ, dicimus, quod veſtes eorum, qui comederunt rem ſacram, ſint calcatio ſeminiflui ratione ſacrificii pro peccato; *comeditur cum juſculo ſacro*, licet nempe decoctum rei ſacræ mundæ cum ipſo miſcere.

[88] *Primum &c. Maimonides ad l. c. Taaroth*. Eſt unum e fundamentis, quæ præmiſimus, quod is qui expiatione deſtitutus eſt, poſſit comedere de oblatione prima, at non de ſacris, donec obtulerit ſacrificium pro peccato, ſicuti Lex dicit *Levit*. XII. 8. *orabitque pro ea Sacerdos & ſic mundabitur*. Cæterum nos jam expoſuimus, quod ſecundus gradus ſit impurus in profanis, quia lex dicit, quicquid in ipſo eſt, id immundum eſto; & de carne ſacra dicit Lex. *Levit. VII.* 19. *Caro quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, ſed comburetur igni*; hinc Doctores dixerunt, dixit lex, *aliquid immundum*, ſub hoc continetur ſecundus immunditiei gradus, quem & ipſa lex dicit immundum, ſicuti expoſuimus, & ſi hæc caro tetigerit ſecundum immunditiei gradum, fit ex ipſo tertius gradus, quem Deus comburi juſſit, cum is ſit immundus. At vero in Lege invenimus, quod in ſacris detur tertius immunditiei gradus, & diximus quoque quod ſi quis deſtitutus ſit expiatione, cui de oblatione prima comedere licet, ei non licet de iſta re ſacra edere, & eo magis is qui reprobus eſt ratione oblationis primæ, non excipitur quominus in ſacris polluat gradum quartum, & ſi tertium gradum nos ipſa lex doceat, eo magis etiam de quarto docet; & ſicuti cibus tertii gradus in oblatione prima prohibet, ne oblatio prima comedatur, licet tertius gradus in oblatione prima non polluat alios tactu, ita quoque is, qui comederit tertium in cibis ſacris, reprobus eſt ita, ut ei non amplius liceat de ſacris comedere, proinde ei licet comedere de juſculo ſacro, ſed de quinto & non de quarto gradu, qui inter comeſtionem quarti gradus infecit corpus ipſius, hinc non ei licebit de ſacro juſculo comedere; etenim hic non dicimus, ſicuti de oblatione prima diximus, ſi non ſit olivæ copia ad cibum Peras conficiendum, tum hoc ei licet, quia res ſacra excellentioris eſt gradus, quam oblatio prima in multis rebus, ſicuti cap. II. codicis de Feſtis Solennibus expoſitum eſt. Res vero ſacra de qua hic mentio facta eſt, intelligi debet de carne ſacra, & panibus ſacris. Verum in Toſaphta dicitur omnem rem ſacram intelligendam eſſe, cujuſmodi ſunt placentæ Sacrificii euchariſtici, & Lagana Nazyræi, ſuper quibus non mactatum eſt ſacrificium, & ferta, quæ non conſecrata ſunt in vaſe, quæ non ſunt ſimilia rei ſacræ, neque profanæ, ſed oblationi primæ.

[89] *Undecim a Judæis &c. Maimonides in præfatione Seder Taaroth*. Impuritates itaque in Lege memoratæ ſunt undecim, cujuſmodi ſunt reptilium, cadaveris, mortui, emiſſionis ſeminis, aquæ expiatoriæ, ſacrificii pro peccato, ſeminiflui, ſeminifluæ, menſtruoſæ, puerperæ, & lepræ impuritates.

[90] *Omnes excepta lepra &c. Maimonides ibidem*. Primo itaque dico, quod omnium immunditierum, quarum in Lege mentio facta eſt, principium, & quod exinde provenit neceſſario, locum habeat in Animantium generibus, præterquam in Lepra, quæ hominem pariter & veſtimenta polluit.

[91] *Immundities reptilis &c. Maimonides ibidem*. Per *reptile* hic intelligendæ ſunt octo reptilium ſpecies in lege memoratæ, cujuſmodi ſunt muſtela, mus, teſtudo, attelabus, lacerta, ſtellio, limax, & talpa; ſanguis vero reptilis, ejusdemque caro & adeps in immunditie ſunt æquales. Quatuor autem reptilium pellis æqualis eſt carni reſpectu impuritatis, attelabi ſcil. lacertæ, ſtellionis, & limacis; oſſa vero a reptilibus ſeparata non polluunt.

[92] *Nam reliqua reptilia &c. Maimonides ibidem*. Reliqua vero abominabilia, & reptilia nempe rana, rubeta, vipera, ſerpens, atque id genus alia omnia non polluunt.

[93] *Cadaveris beſtiæ &c. Maimonides ibidem*. At vero in Cadaveris immunditie duntaxat pater continetur; cadaver autem de omnium animantium pecorumque morticinis intelligatur ſive munda ſive immunda. Cæterum inter mundum atque immundum aliquid intereſt; mundum enim pecus, ſi id rite mactatum ſit ſecundum id, quod in Codice de Profanis dicitur, mundum eſt. De immundo autem pecore nihil

hil refert, sive id mactatum, vel suffocatum sit, vel naturali morte obierit. Præterea inter immundi pecoris cadavera, & animantium tam mundorum quam immundorum non est differentia respectu carnis & adipis ipsorum in immunditie, sed cum pecore puro se res aliter habet; ipsius enim adeps non polluit, si obierit; ego autem in Codice Ocazin hujus rei causam exponam. Cadaveris vero sanguis non polluit immunditie cadaveris, sive mundi sive immundi animantis sit, neque ossa carne spoliata, nec cornua, nec ungulæ fissæ, nec ungues a corpore separati, polluunt. Sed medulla in ossibus e cadavere polluit, uti caro ipsius, eodem modo in reptilibus & in mortuis. Sed hæc jam exposita sunt in Additamentis ad codicem de Tentoriis, idcirco dixerunt doctores, medulla in omnibus consideranda est ut caro.

94 *Cadaveris humani &c. Maimonides ibidem.* Per mortuum autem hic, non intelligendus est omnis mortuus, & totus; nam id quod immunditie mortui polluit, est olivæ quantitas e carne ipsius, vel e carne a cadavere avulsa, vel cochlear putredinis, vel ex ossibus vel e sanguine, & sic porro uti expositum est in Codice de Tentoriis.

95 *Nec differt cadaver &c. Maimonides ibidem.* Inter Israelitam atque Gentilem mortuum non est differentia, nisi in immunditie tentorii duntaxat, nam gentilis mortuus in tentorio non polluit.

96 *Concubitus feminis &c. Maimonides ibidem.* Cæterum immundities emissionis seminis est immunditiei pater, nempe ipsum semen, ea tamen conditione si novem sit annorum uniusque diei duntaxat. In Siphra dicitur per *virum* in Lege excipi minorennem, & nequis putaret novem annorum uniusque diei juvenem quoque excipi, idcirco hic dicitur: *Et si e viro exierit emissio Seminis.*

97 *Aquæ piacularis &c. Maimonides ibidem.* Aquæ expiatoriæ immundities est immunditiei pater, scil. vaccæ rufæ cinis est, quando is mixtus fuerit cum aqua fluviatili, sicuti exponetur in Codice de vacca rufa; in hacce ergo aqua continetur polluendi modus, & non polluendi, modus polluendi est pater immunditiei.

98 *Sacrificii piacularis &c. Maimonides ibidem.* In immunditie sacrificiorum pro peccato continentur tres patres, quorum unus est vacca rufa; qui enim in combustione illius occupatur, & in reliquis illius operibus, is polluit vestes ut is qui immunditiei patrem attigerit, sicuti exponetur in tractatu de Vacca rufa. Secunda continetur in juvencis & hircis, qui comburuntur, quorum sanguis aspergitur intus, & qui combusserit eos, is quoque polluit vestes. De juvencis autem & hircis plura diximus in tractatu de Sacrificiis. Et in Gemara de Sacrificiis dicunt, jam collegisti ex omnibus iis, quæ expiant peccata, quod is, qui ea combusserit, polluat vestes. Tertia continetur in hirco qui ad Azazel mittebatur, qui enim hircum ad Azazel ducebat, is vestes polluebat.

99 *Mulieris fluxu &c. Vide de reliquis Maimonidem ibidem.*

100 *Et 32. radices sive patres pollutionis &c. Maimonides ibidem.* Cæterum immunditiei patrum numerus est triginta duorum, cujusmodi sunt, reptile, cadaver, mortuus, homo mortuo pollutus, vasa, quæ hominem mortuo pollutum tetigerint, & vasa quæ polluta sunt mortuo, vasa quæ tetigerint alia vasa quæ polluta sunt mortuo, tentorium, sepultura, emissio seminis, aquæ expiatoriæ, vacca rufa, juvenci & hirci comburendi, hircus ad Azazel emittendus, seminifluus, & seminiflua, menstrua, puerpera, equitatio, sessio, qui corpus miscuerit cum menstrua, sanguis immundæ, saliva immundæ, urina, fluxus, emissio seminis, leprosus in diebus numerationis ipsius, leprosus in diebus lepræ ipsius simplicis (de qua non est dubium) vestis plaga affecta, & domicilium plaga affectum. Sed in principio codicis de volumine Esteris jam exposui, quod non sit differentia inter leprosum occlusum & leprosum simplicem in casu immunditiei.

101 *Præter has sex numerant &c. Maimonides ibidem.* Immundities vero, quæ dicuntur patres immunditiei ex decretis sapientum, sunt sex, immunditiês mortui, immunditiês fluxus, immunditiês menstruæ, immunditiês puerperæ, immunditiês Idolatriæ, & immunditiês cadaveris.

102 *Immunditiês cadaveris &c. Maimonides ibidem.* In immunditie mortui undecim immunditiei patres continentur e decretis Sapientum, nempe os in quantitate grani hordeacei polluit tactu & onere, sicuti expositum est cap. secundo codicis de Tentoriis. Ita quoque terra gentilium, & Bethaperas polluit tactu, & onere; & habitatio gentilium polluit, sicuti expositum est in fine codicis de Tentoriis, perinde ac ipsa terra gentilium, donec de illa inquisitum sit. Et sanguis conculcationis polluit tactu, onere, & in tentorio, sed capite secundo codicis de Tentoriis exponitur, quid sit דם תבוסה *Sanguis conculcationis*, & in fine quoque ejusdem codicis. Hæc autem omnia ita constituta sunt a Sapientibus. Cæterum quod cap. 7. Codicis de Nazyræis dixerunt, os in olivæ quantitate polluat, traditione receptum est; sed hoc jam exposuimus loco citato. Verum in Gemara titulo de Menstruis dicunt, immunditiem decreverunt de terra Gentilium. In Gemara titulo de Paschate dicunt, Bethaperas est ex decretis Sapientum; hi quatuor sunt patres. Insuper tentorium quod pollutum est sanguine conculcationis, & homo qui pollutus est uno e quatuor, & vasa quæ illa tetigerunt, ut & vasa, quæ illis polluta sunt, & homo, qui illa tetigerit, & vasa, quæ tetigerint hominem, & vasa, quæ tetigerunt alia vasa, quæ illis polluta sunt, hæc singula sunt pater immunditiei ex decretis sapientum.

103 *Sanguis conculcationis &c. Misna Oholoth cap. III. 5.* Quisnam est sanguis calcationis? Si octava pars sanguinis logi exierit e mortuo, dum is adhuc vivebat, & tantundem dum objerat, ita R. Akiba. Sed R. Ismael dicit, si quartarius exierit, dum adhuc vivebat, & tantundem dum obierat, tum ab utroque quartarius sumtus est. R. Eliefer filius R. Jehudæ dicit, uterque est instar aquarum. Sed quisnam est sanguis calcationis? Suspensi sanguis effluit, si quartarius sanguinis inventus sit sub illo, immundus est, at vero mortuus, cujus sanguis stillat, si sub illo inventus sit quartarius sanguinis, mundus est. R. Jehuda dicit, ita non est, sed effluens mundus est, stillans autem immundus. *Vide Bartenoram ad cap. II. 2. hujus Tractatus.*

104 *Immunditiei fluxus &c. Maimonides ibidem.* In Immunditie fluxus novem patres continentur. Cæterum, quod nos superius diximus nihil polluere nec pollui dum vivit, nisi hominem duntaxat, id ex lege tantum de viris Israelitis intelligendum est. Sed Gentilis non polluit, neque polluitur ulla immunditie, attamen illi ex decreto sapientum in omnibus habendi sunt seminiflui, præterquam in una re, scilicet quod emissio seminis ipsorum munda sit, sicuti exponitur titulo Nidda, idcirco nos de ipsa non judicamus ut de emissione seminis Israelitæ seminiflui, qui est pater immunditiei, & polluit tactu & onere, sicuti ibidem exponitur, & additur, quod Sapientes discrimen aliquod statuerint, ne oblatio eorum prima combureretur, nec sancta; sed notum est, quod ipsorum immunditiês sit ex decretis sapientum, idcirco seminis emissio ipsorum non polluit. Si enim Gentilis esset verus seminifluus ex lege, ipsius seminis emissio pollueret tactu & onere. Cæterum jam expositum est, quod omnes Gentiles sive sint masculi, sive fœminæ, sive majorennes, sive minorennes, habendi sunt seminiflui in omnibus, excepto in negotio emissionis seminis, & non est differentia, sive illi sint proprie seminiflui, sive leprosi, sive sani, sive ægroti; nam illi seminiflui sunt ex decretis Sapientum. Quando dico *minorennes*, intelligo masculum novem annorum uniusque diei, & ultra, si masculus sit, si fœmina trium annorum & diei unius, & ultra, non minus, sicuti exponitur in Gemara titulo de Cultu Peregrino; idcirco gentilis, ejus saliva, urina, equitatio, cubitus, sanguis fœminæ gentilis, & Israelita qui corpus miscuerit cum gentili, hi singuli sunt immunditiei pater ex decretis Sapientum. Porro etiam seminifluus & seminiflua, menstrua, puerpera, & leprosus, quisque polluit cubitu, & sessu ex lege, uti diximus. Sed mortuus non polluit cubitu, in Siphra dicitur, seminifluus efficit cubitum, & mortuus non efficit cubitum. Sed dixerunt, quod ista, quæ dicta sunt, polluant cubitu & sessu, si mortua fuerint, perinde ac si adhuc viverent. Ego vero hæc exponam in fine codicis de Menstruis quando dicitur seminifluus, seminiflua, menstruosa, puerpera, & leprosus si obierint, polluunt onere, donec caro contabescat, ex

ex decretis Sapientum. In Additamentis ad Codicem de Menstruis dixerunt, Seminifluus, seminiflua, menstrua, puerpera, & leprosus, qui obierunt, polluunt onere, donec caro contabescat; sed non polluunt nisi in maxima parte, & hoc ex decretis sapientum duntaxat, quia isti comprehenderunt eos sub cubitu seminifluorum. Cœterum quod hic dicitur eos polluere onere, ejus sensus est, etsi inter corpus seminiflui & mortuum inter cubitum sit lapis qui dividat, perinde ac si in vivis essent, tamen polluit cubitus, si maxima pars onerata sit super ipso, sicuti in hocce capite exponetur. Sed ita se res non habet cum omni mortuo.

[105] *Immundities menstruatæ &c. Maimonides ibidem*. Immundities menstruæ etiam novem patres comprehendit ex decreto sapientum; nam in codice de Menstruis exponitur, quod de menstrua judicatum sit, eam esse immundam præpostere, ab una hora ad alteram, vel ab una inquisitione ad alteram, sicut illic exponetur; dixerunt enim ab una hora ad alteram, idest ex decreto Sapientum. Porro quoque dixerunt eam polluere cubitu & sessu præpostere, sed eam non polluere illum, qui cum ipsa rem habuerit. Maculosas autem habuerunt ut sanguinem menstruæ ex decreto Sapientum, juxta id quod ibidem exponitur. Gemara dicit, qui maculam viderit, is præpostere polluit cubitu & sessu,& polluit tempore futuro eum, qui cum ipsa rem habuerit. Pariter etiam subucula immunda est. Tempus vero istud, quo menstrua præpostere polluitur, ita determinarunt, nempe si illa dixerit, inquisivi de hacce subucula, sed in ipsa non inveni maculam. Quando in Gemara ad Codicem de Menstruis dicitur, tempus menstrui ex institutis Sapientum determinatum esse, intelligas mulierem, cujus menstrui tempus accessit, at ipsa non inquisiverit tunc temporis, sed post aliquot demum dies & tunc seipsam invenerit immundam, esse in suspicione menstrui sui usque ad istam horam, atque hæc est *immundities præpostera*.

[106] *Immundities puerperæ &c. Maimonides ibidem*. Præterea in loco citato quoque dicitur, quod menstrua, seminiflua, & quæ de die in diem inquirit, & puerpera, & omnes polluunt ab una hora ad alteram. Cæterum notum est, quod istud tempus, in quo obtineat immundities præpostera ex decreto Sapientum, quæcunque illa sit menstrua, vel ea quæ maculam viderit, vel ea, quæ inquisiverit, dum ei menstruum contingebat tum cubitus, & sessus, qui isto tempore polluunt, patres immunditiei sunt ex decreto Sapientum. Sic enim, siquis corpus miscuerit cum ea, quæ maculam viderit in futurum, vel salivam, vel urinam istis temporibus, & sanguinem in subucula, de quo non satis constat, quod sanguis menstruæ sit, hi omnes sunt immunditiei patres ex decreto sapientum. In puerperæ immunditie iidem continentur patres ex decreto Sapientum, qui in menstrua continentur, idest puerperæ & menstruæ jus idem est in eo quod diximus. In Gemara ad codicem de Menstruis dicitur, si fœtus eduxerit manum suam, eamque postea reduxerit, mater ipsius e partu immunda est; at hoc ita ex decreto Sapientum expositum; sed nos dies puritatis ipsius non prius computare incipimus quam ab illa hora qua venerit sanguis, qui est sanguis puritatis; sed conditiones ei graviores undequaque aggravamus. Sed nonnulli dicunt eam in suspicione habendam esse, & dies puritatis ei non tribuendos, sed eam quatuordecim dies immundam esse, ut eam quæ fœmellam peperit, e conditionibus a Sapientibus institutis. Quando vero postea sanguinem viderit, non computamus ejus sanguinem purum, quia non peperit natum, sed menstrui sanguis erit, vel sanguis fluxus, secundum tempus visionis ipsius, sicuti in Codice de menstruis exponitur. Jus vero illius quoque referimus inter patres immunditiei ex decreto Sapientum, sicuti fecimus in patribus immunditiei ex lege recensitis, nempe, quando cubitum immundum pro una numeremus, & cubitum gentilis, cubitum seminiflui mortui, cubitum menstruæ præposteræ, cubitum illius, quæ maculam vidit præpostere, maculam puerperæ quatuordecim dierum, & cubitum illius, quæ non inquisivit in tempore menstrui enumeramus. Idem quoque faciemus de equitatione, saliva, & urina, sicuti in præcedenti numero fecimus, nam immunditiei species una est, & quasi individua; sed pater immunditiei est cubitus ex decreto Sapientum. Siquis cum immunda rem habuerit, ex decreto Sapientum etiam pater est, vel si cum gentili rem habuerit, vel si rem habuerit cum fœmina, quæ maculam vidit, vel cum puerpera quatuordecim dierum.

[107] *Immundities Idoli &c. Maimonides ibidem*. In immunditie ex Idolatria contracta quatuor patres continentur, immundities autem in genere est ex decreto Sapientum constituta. Sed in Gemara titulo de Sabbato dicitur, quod colligitur ex eo, quod Jacobus dixit *Genes. XXXV.* 2. Primus vero ex istis quatuor patribus est ipsa idolatria, nempe quod ipsa idolatria polluit ut reptile, quatenus illa polluat hominem & vasa tactu, & vasa testacea aere, at non onere, dummodo in ipsa sit olivæ quantitas, sicuti exponitur in tractatu de cultu peregrino capite tertio. Si vero res adorata eam quantitatem non habuerit, tum illa non polluit. Si quis sumserit alicujus corporis Idolatrici fragmentum, licet id magnum sit, non polluit; quia Idolatria non polluit in membris, sed totum idolatricum polluit, si id olivæ quantitatem habuerit. Secundus pater est cultus idolatricus, e quo olivæ quantitas polluit, uti reptilis immundities; & quamvis aliquid contractum fuerit, idque olivæ quantitatem habuerit, polluit tamen hominem & vasa tactu; hæc est illa gravior conditio in ministeriis idolatricis, uti Misna dicit cap. secundo codicis de cultu Peregrino. Quando doctores dixerunt lapides, ligna, & pulverem polluere, uti serpens, id collegerunt ex eo quod scriptum est *Deut.* VII. 26. Cæterum in Tosaphta dicitur titulo de Seminifluis, siquis caput suum, & ipsius mediam partem introduxerit in domum idolatricam, immundus est, & vas testaceum, quod media ex parte in domum idolatricam intromissum est, immundum est, scamna & sedilia, quæ maxima ex parte in domum idolatricam intromissa sunt, immunda sunt; horum sensus est, quod hicce homo, aut vasa, si domum idolatricam intraverint, similia erunt tactui reptilis. Tertius pater est oblatio idolatrica, at jam diximus in principio Codicis de Profanis, quod oblatio idolatrica, sive id quod oblatum est inter manus ipsius, polluunt tactu, & onere cadaveris, sicuti exponitur in Codice de Cultu Peregrino. Jam expositum est in Codice de Cultu Peregrino, quod vinum libaminis polluat, sicuti oblatio idolatrica, isque est quartus idolatriæ pater, & hoc collegerunt ex eo quod dicitur *Deut.* XXXII. 38. Dixerunt doctores nostri tria esse vina idolatrica, ut vinum idolatriæ libatum polluit immunditie gravi in quantitate olivæ, gravis vero immundities polluit hominem & vasa, & hæc est immundities, quæ ubique vocatur gravis. Quicquid autem dumtaxat edulia & liquores polluit, id levis immundities vocatur. Cæterum quod hic dicitur vinum libaminis esse immunditiei patrem, id intelligendum est, de isto vino, quod libatum est idolatriæ, & hoc polluit, ut cadaver; at vinum simplex & idolatricum polluit immunditie levi, sicuti ibidem dictum est, nam id liquoribus immundis simile est.

[108] *Immundities Cadaveris &c. Maimonides ibidem*. In immunditie cadaveris duo continentur patres ex decreto sapientum, quorum unus est mactatio Idolatræ, quæ est cadaver, quod polluit onere; esto non sit oblatio idolatrica, sed id non erit usui prohibitum ut oblatio idolatrica, sicuti expositum est in Gemara titulo de Profanis; dixerunt, gentiles intra terram Israeliticam non sunt idolatræ, sed patrum ipsorum ritus sequntur, idcirco ex eo, quod a gentili mactatum est, commodum percipere licet. Secundus pater est cadaver avis mundæ duntaxat, nempe, cadaveri tam mundæ quam immundæ avis non clare in Lege tributa est immundities, idcirco ipsum inter hosce, patres numeramus ex decreto Sapientum. Interim tamen certum est cadaveris immunditiem esse ex institutione Legis, licet non clare expressa sit, & hoc colligimus ex eo, quod homo ejus gratia teneatur excidio, quia Sanctuarium intravit, sicuti dicitur *Levit. XXII.* 8. Quemadmodum exponitur in tractatu de Puritatibus. Cadaver itaque hominem & vasa polluit, ipsum totum non polluit tactu ex decreto sapientum, sed in quantitate olivæ in gula, quando de ipso inglutiverit olivæ quan-

quantitatem, & ea quantitas adhuc fuerit in gula ipsius, polluitur, & vestes polluit suas, ut is qui patrem immunditiei tetigerit. Pariter & ipsum polluit reliqua vasa respectu tactus, dum illa inglutiunt, sicuti exponitur in fine codicis de seminifluis. In Siphra dicitur, si quid de avis puræ cadavere inglutiverit, dixerunt, istud vas polluere reliqua vasa, uti vestes polluunt, unde colligere potuissemus, quasi id ipsum polluat hominem & vas testaceum, sed ne ita se res habeat, dicit *vestis*, ergo vestem polluit, & non hominem, nec vasa testacea; dicendum itaque est, quod si quis de avis mundæ cadavere comederit, & unam manum imposuerit furno, alteram vero socio ipsius, ambo puri sunt; ita se habet jus illius, quod inglutit, & hoc modo recensetur immunditiei pater. Sed in casu tangendi simile erit cibis immundis dumtaxat, dummodo de ipso comedendo quis cogitaverit, sicuti expositum est in tractatu de Puritatibus; neque tactu quicquam polluit, nisi cibi immundi immundities, quam deinceps exponam. Quando igitur olivæ quantitatem in cibis attigerit, cibi isti erunt secundus immunditiei gradus, & non primus. Cæterum jam expositum est in Gemara ad codicem de Sacrificiis, quod R. Meyr dicit ipsum immundum esse, etsi etiam non inglutiverit cibos ab eo tempore, quo eos manu sua accepit, & inglutire cogitavit, tamen se res habet, perinde ac si inglutivisset eos, nam id cui oblatio deest opus; idcirco non erit immunditiei pater, nisi donec cibus sit, quem tetigerit primus immunditiei gradus, quia is non polluit immunditie patris tactu, sed inglutione. Porro in loco superius citato dicitur, cadaver avis mundæ secundum sententiam R. Meyr includitne primum & secundum immunditiei gradum, vel secus? resp. secundum omnes, & secundum R. Meyr quoque, quando hominem polluit tactu, cadaver avis mundæ comprehendit primum, & secundum immunditiei gradum. Horum hic est sensus, res quæ hominem tactu polluit, quando ipsa tetigerit aliam, eam reddit primum gradum, & quando primus tetigerit aliam, ea fiet secundus gradus, hoc fundamentum memoriæ mandandum est. *En tibi canones Pharisæorum Theologiæ de impuritatibus*, qui mundantes quod deforis erat calicis, intus autem pleni erant rapina & immunditia.

109 *Adeoque ad 29. patres &c. Maimonides ibidem.* Hinc tibi constabit, quod omnes immunditiei patres secundum sapientum instituta sint viginti novem ut os in quantitate grani hordeacei, sanguis conculcationis, terra gentilium, Bethaperas, tentorium, quod supra sanguinem conculcationis factum est, homo, qui istis pollutus est, vasa quæ illa tetigerunt, vasa quæ istis polluta sunt, homo qui vasa tetigit, & vasa quæ hominem tetigerunt, & vasa quæ tetigerunt vasa istis polluta, gentilis, menstrua præpostera, ea quæ maculam præpostere vidit, ea quæ tempore menstrui non inquisivit præpostere, puerpera, quæ membrum aliquod peperit, ejus cubitus, æquitatio, saliva, urina, & immunditiei sanguis ex decreto sapientum; qui cum immunda rem habuit, seminifluus, gentilis, idolatra, cultus idolatricus, mactatio gentilis, & cadaver avis mundæ, his absolvimus patrum immunditiei computum.

110 *Israelitis proprius &c. Misna Negaim cap. III.* Omnes polluuntur plagis, peregrinis exceptis, & peregrino inquilino.

111 *Ad solos Sacerdotes &c. Ibidem.* Omnes legitimi sunt ad plagas lustrandas, nisi quod immundities & mundities dependeat a Sacerdote. Dicunt ei, dic, immundus est, & is respondet, *immundus*, dic, *mundus est*, & is respondet, *mundus*.

112 *Lepra capitis &c. Ibidem cap. III. 5.* Porrigines polluuntur duabus septimanis, & duobus signis, nempe pilo aureo minuto, & diffusione, pilo aureo minuto in principio in fine septimanæ primæ, in fine septimanæ secundæ post dimissionem, diffusione autem in fine septimanæ primæ, in fine septimanæ secundæ post dimissionem, & polluuntur duabus septimanis, quæ tredecim habent dies.

113 *Lepra cutis humanæ &c. Ibidem cap. I.* Species plagarum duæ sunt, quæ continent quatuor, papula fortis ut nix, ei secunda est ut calx palatii, tumor est ut testa ovi, ei secunda est ut lana alba, ita R. Meyr. Sapientes dicunt, tumor est ut lana alba, ei secunda est ut testa ovi. Commixtio in nive est ut vinum nive temperatum, commixtio in calce est ut sanguis lacte temperatus; ita R. Ismael. R. Akiba dicit, rubicundum quod est in utroque, est ut vinum temperatum aquis, sed nivis plaga fortior est, & calcis plaga obscurior est illa.

114 *Et hæc signa &c. Ibidem cap. III. 3.* Pellis carnis polluitur in duabus, septimanis, & tribus signis, pilo albo, vitilitate, & diffusione, pilo albo & vitilitate in principio, in fine septimanæ primæ, diffusione vero in fine septimanæ primæ, & in fine septimanæ secundæ post dimissionem, polluitur autem duabus septimanis, quæ tredecim dies sunt.

115 *Si ex his notis &c. Misna ibidem cap. I. 3. &c.* Hæ quatuor species inter se commiscentur ad dimittendum, ad declarandum, & ad includendum lepram, quæ consistit in fine septimanæ primæ, ad dimittendum eam, quæ consistit in fine septimanæ secundæ, ad declarandum eam, in qua nata est vitalitas aliqua, vel pilus albus in principio, vel in fine septimanæ primæ, vel in fine septimanæ secundæ, vel post dimissionem, vel ad lepram declarandam in qua nata est diffusio in fine septimanæ primæ, vel in fine septimanæ secundæ, vel post dimissionem, ad declarandam eam, quæ tota alba facta est, post declarationem, vel post inclusionem, hæ sunt plagarum species, a quibus omnes plagæ dependent &c. Quomodo ad allevandum? Si in ea sit pilus albus, & postea evanuerit, vel si albi sint pili, & postea facti nigri, vel unus albus, & alter niger, atque deinceps ambo nigri facti, vel longi, & postea breviores facti, vel si ulcus innitatur ambobus, vel uni ex illis, vel si ulcus ambos circumdederit, vel unum ex iis, vel diviserit eos ulcus, & vitalitas illius, & adustio ac vitalitas illius, vel vitiligo in qua vitalitas est, quæ postea evanuit. Si ea sit quadrata, & postea facta sit rotunda, vel longa, vel si ea in medio sit, & facta sit e latere, vel collecta, & postea dispersa, & ulcus eam intraverit, vel circumdederit eam, vel diviserit eam, vel diminuerit eam, ulcus vel illius vitalitas, adustio & illius vitalitas & vitiligo. Si in ea fuerit diffusio, atque ea evanuerit, vel ima pars evanuerit, vel diminuta fuerit, ita ut in una atque altera non sit copia fabæ, tum ulcus & illius vitalitas, adustio & illius vitalitas, atque vitiligo dividunt inter imam partem & diffusionem, hæc dicta sunto ad allevandum. Quomodo ad aggravandum? Si in ea non sit pilus albus, sed in ea natus fuerit pilus albus, vel si nigri sint, & postea albi facti, vel unus niger, & alter albus, & ambo albi facti, vel breves, & postea longi facti, vel unus brevis & alter longus, & postea ambo longiores facti, vel si ulcus innitatur utrique vel alterutri, vel si ulcus circumdederit utrumque, vel alterutrum, vel si ulcus ea diviserit, vel vitalitas ulceris, adustio & illius vitalitas, vitiligo, & illa abierint. Si in ea non sit vitalitas, sed postea nata sit in ea vitalitas, vel si rotunda sit, vel longa, & postea quadrata facta, vel si a latere sit, & postea in medio, vel dispersa, & postea colligata, veneritque ulcus, & ingressum fuerit eam, vel circumdederit eam, vel diviserit, vel diminuerit, ulcus vel illius vitalitas, adustio vel illius vitalitas, vitiligo, atque illa abierunt; si in ea non sit diffusio, sed in ea nata fuerit diffusio, vel ulcus & illius vitalitas, vel adustio & illius vitalitas, & vitiligo, dividunt inter radicem & diffusionem, atque abeunt, hic est casus aggravandi.

116 *Obviis immunditiem &c. Hierof. Maaser Sheni, & Sekalim.* Nonne sepulchra notant ante mensem Adar? Immo, at supponitur abstersos esse colores. Quam autem ob causam pingunt? Ut par sit hæc res causæ leprosi; clamat ille, *immundus*, *immundus*; atque hic pariter immundities ore suo ad te clamat & dicit, ne appropinques. R. Illa nomine R. Samuelis bar Nachman illud adducit. *Ezech. XXXIX. 15. & circuibant peragrantes terram, cumque viderint os hominis, statuent juxta illud titulum, donec sepeliant &c. Ibidem fol 51. col. 1.* Ut per omne anni tempus, festis exceptis, immundi in platearum medio irent, mundi vero ad ædium latera; his immundi semper inclamarunt, *Absistite*. Verum diebus festis, mundi in platearum medio irent, & immundi ad ædium latera, his tum mundi inclamarunt, *Absistite*.

117

117 *Sex res requirabantur &c. Misna Negaim cap.* XIV. Quomodo purificant leprosum? Is adducit phialam testaceam novam, eique quartarium aquæ vivæ imponit, & adducit duas aves libertatis, quarum unam mactat super vase testaceo, & super aquis vivis, deinde effodit, & sepelit avem coram leproso, sumtis ligno cedri & hyssopo, & coccineo, quæ convolvit in reliquiis ligulæ, quibus circumdat extremitates alarum. Caudæ vero extremitatem avis secundæ intinget, atque septies sparget in posteriori parte manus leprosi; sunt qui statuunt super fronte spargendum esse. Porro etiam super limine domus spargebat exterius.

118 *Duas volucres &c. Bartenora ad locum citatum Misnæ.* צפורים דרור *aves libertatis*, sunt aves quæ domi & in agro commorantur.

119 *Esse debuerunt &c. Misna ibidem.* Duæ aves ex præcepto æquales esse debent specie, forma, & pretio, atque etiam simul emtæ, si vero inæquales sint, tamen legitimæ sunt. Si unam emerit hodie, & alteram postridie, legitimæ sunt; si mactaverit unam, & postea compertum fuerit eam non esse libertatis avem, tum consortem sumat pro altera, & prima comedi potest. Si mactaverit, sed avis discerpta fuerit, etiam consortem sumat pro altera, & prima usui prohibita sit. Si sanguis effusus sit, moriatur emissaria, si abierit emissaria, sanguis effundatur.

120 *Ramus Cedrinus &c. Misna ibidem.* Præceptum est de ligno cedri, ut id in longitudine habeat cubitum, & in crassitie quartam partem cruris lecti, unum pro duobus, & duo pro quatuor.

121 *Hyssopus &c. Misna ibidem.* Præceptum de hyssopo est, ne ea sit græca, nec fucata, nec Romana, nec sylvestris, neque ut ea adjunctum nomen habeat.

122 *Vivam dimittens &c. Misna ibidem.* Deinde se confert ad avem vivam dimittendam, sed non vertit illius faciem ad mare, neque ad urbem neque ad desertum sicuti Lex dicit; *Et dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet. Levit.* XIV. 7.

123 *Quibus peractis &c. Misna ibidem.* Porro radit leprosum, & novaculam super omnem illius carnem traducit, vestes lavat, easque immergit; si purificaverit eum ut introitu polluere nequeat, tamen polluit ut reptile, & si intraverit muros, tum per septiduum arcetur a domicillio suo, & ab officio conjugii. *Maimonides de indigentibus piaculi cap. IV.* 1. Qui factus erat e lepra sanus, lustrabatur ligno cedrino, hyssopo, cocco diphabo, avium pari, ac corpore toto tondendo, lavandoque. Secundum hæc demum intrabat Hierosolymam, observabatque dies septem.

124 *Et post dies septem &c. Misna ibidem.* Die septimo eum secunda vice detondet sicuti prima, lavat illius vestes, & immergit. Si ita purificaverit eum, ut polluere nequeat ut reptile, tum die lotus est, & comedere potest de decimis, sed ex quo vesperi venit, de oblatione prima comedere potest. Si adduxerit expiationem suam, tum comedere potest de sanctis; hinc tres erunt purificationes in leproso, & totidem in puerpera. *Maimonides ibidem.* Septimo die se tondebat iterum ut antea, tum lavabat, & similis cujusvis hominis de die lavati factus exspectabat solis occasum.

125 *Idest octavo &c. Misna ibidem.* Die octavo adducit tria pecora in sacrificium pro peccato, in sacrificium pro reatu, & in holocaustum. *Maimonides ibidem.* Postridie die octavo lavabat secundo, post ejus immolabantur victimæ. Quid ita vero pridie lotus lavabat etiam octavo die? Quia enim per quos dies certa fuerat ejus lues, impuritatibus assuefactus inquinamentum non tantopere vitabat; ita post lavationem forsitan erat etiam temeratus; ea de re in atrio mulierum in leprosorum conclavi, quod ibi paratum erat, octavo die rursus lavabat, etiamsi cogitationem ab priori lavatione non avocarat. Qui si tonsuram distulisset aut in diem octavum, aut in alium longe post sequentem, nihilo secius, quo die tonderetur, lavaret, solis occasum expectaret, & crastino die post iteratam lavationem, uti supra demonstravimus, sacra sua denique faceret.

126 *Ad portam Nicanoris &c. Maimonides ibidem.* Hæc igitur in tali homine lustrando tenebatur ratio. Leprosus extra atrium Israelitarum contra portam orienti soli respondentem, quæ porta Nicanoris erat, in ipso limine stabat spectans in occidentis solis partes; hic enim piaculi indigentes cum lustrarentur, stabant omnes; hic & mulieribus in adulterii suspicionem vocatis amara illa diraque dabatur aqua bibenda.

127 *Et Sacrificium suum &c. Misna ibidem.* Deinde se confert ad sacrificium pro reatu, idque ambabus ei impositis manibus mactat, & duo Sacerdotes sanguinem excipiunt, unus in vasculo, & alter in manu, qui excepit in vasculo, spargit ad parietem altaris, qui vero in manu excepit, is accedit ad leprosum, & leprosus immergit se in conclavi leprosorum, deinde stat in porta Nicanoris. R. Jehuda dicit, non opus erat ut se immergeret. *Maimonides ibidem.* Deinde hominis leprosi hostiam pro delicto viventem prehendebat Sacerdos & cum logo olei simul agitabat ad orientem versus, quam in partem agitari conveniebat quicquid sacrorum agitabatur; quamquam si separatim agitasset utrumque, bene fuerat, tum idem ad portam deducebat hostiam hominis leprosi, qui porrectas in atrium manus ei imponebat, continuo jugulabatur hostia, cujus sanguinem excipiebant Sacerdotes duo, unus sacro vase, is aræ sanguinem exceptum inspergebat, alter manu dextra, qui porro eum in lævam infundebat, digito indice dextro spargebat; hic si contra quam oportuerat, læva manu primum excepisset sanguinem, temerasset. Qui Sacerdos vase sacro partem sanguinis exceperat, prior eum delatum, aræ aspergebat, inde leprosum ad hominem veniebat, qui sanguinem exceperat manu Sacerdos.

128 *Agnos duos &c. Maimonides cap. I. 3. ibidem.* Lepris temeratus præbebat agnos duos, unum ad sacrificium solidum, & alterum ad sacrificium pro delicto, præterea autem præbebat & ovem ad sacrum piaculare. *Idem in præfatione ad Codicem Sevachim.* Sed leprosus duos adducat agnos, unum in sacrificium pro reatu atque hoc vocatur sacrificium pro reatu leprosi, alterum in holocaustum, in expiationem pro peccato agna offerebatur.

129 *Fertum trium decimarum &c. Maimonides in præfatiane ad Codicem Menachoth.* Tertia vero hæc sit mensura, ut holocaustum aut pacificum fiat e jumenti genere, sive e majore sive e minori, nihil refert; munus autem unicuique sacrificio conveniens constat e tribus ac decem partibus cum oleo mixtis, dimidio Hin, & vini pro libamine dimidio Hin, atque hæc mensura secundum sacrificiorum numerum augetur, sive ista veniant pro cœtu, sive pro privatis hominibus; Scriptum est *Num. XV.* 12. *Per singulos boves, & arietes, & agnos, & hædos.* Et ab regula nulla res excipitur, neque ei quicquam additur aut minuitur præter agnum, qui secundo Paschatis die offertur, quo Omer agitatur, ex quo agno holocaustum fit, sicuti exposuimus. Cæterum Lex de hocce sacrificio dixit requiri munus decimæ partis cum triplici parte Hin ex oleo mixta, & libamina requiri quartæ partis Hin ex vino, ut in agno fieri solet. Sic etiam sacrificium pro peccato & reatu leprosi se res habet, nam cum unoquoque offertur decima pars Hin, quia sacrificium leprosi constat e duobus agnis & agna, unde fit sacrificium pro peccato, pro reatu, & holocaustum, & de ipsius munere Lex dicit, *& tres decimas* (*Levit. XIV.* 10.)

130 *Si pauper esset &c. Misna Negaim ibidem.* Pauper vero adducit sacrificium pro peccato, & holocaustum ex avibus. *Maimonides de indigentibus piaculi cap. I.* 3. Quod cum ei per angustias rei non licebat, geminas volucres præbebat, alteram ad solidum, & alteram ad piaculare sacrum, insuper agnum ad sacrificium pro delicto. *Et in præfatione ad Codicem Sevachim.* Si is pauper esset, duos turtures offerebat, aut duos columbæ pullos, unum in expiationem, alterum in holocaustum; agnum vero in sacrificium pro reatu.

131 *Quum autem ipsi &c. Misna ibidem.* Si introduxerit caput suum, & auris officulo imposuerit, vel manum, & imposuerit pollici illius, vel pedem, & imposuerit illius pollici. R. Jehuda dicit, omnes tres simul introduxit, si non est ei pollex manus, vel pedis, vel auris dextra, tum nunquam purificari potest. R. Eliefer dicit, is imponit locis suis. R. Simeon dicit, si sinistræ pollici imposuerit, satisfecit sumit de logo olei, & effudit in volam socii sui, at si ef-

si effuderit in volam suam, tamen satisfecit; si immiserit se, & sparserit septies e regione Sancti Sanctorum, tum pro omni sparsione requiritur lotio. Si venerit ad leprosum, tum ubi spargit sanguinem, ibi etiam spargit oleum, sicuti lex dicit, *in loco sanguinis, qui effusus est pro delicto*. *Levit. XIV.* 28. Quod vero restat de oleo manui Sacerdotis asperso, id asperget capiti purificandi in expiationem illius, si sparserit, expiavit, si non sparserit, non expiavit; ita R. Akiba. R. Jochanan filius Nuri dicit; residua præcepti illa sunt, sive sparserit, sive non sparserit, expiavit, & prævaricantur in iis ac si non expiasset. *Maimonides de indigentibus piaculi cap.* IV. Consistebat intus Sacerdos, leprosus homo foris, atque hujus, inserto capite, auriculam dextram conspergebat eo sanguine Sacerdos, quem manu continebat; dextra deinde manu inserta, sanguine respergebat digitum pollicem; tum & pede dextro inserto, digitum pollicem itidem sanguine respergebat; nam aspersio sanguinis in sinistris membris facta, irrita nefasta foret. Secundum hoc hominis piaculare solidumque sacrum fiebant. Sacerdos ubi digitos pollices sanguine consperserat, idem de logo olei quid in lævam manum Sacerdotis alterius infundebat, neque tamen contra fas in suam ipsius manum id infunderet. Porro ipse digito indice dextro inditi in manum olei respersiones septem ad adytum templi dirigebat, ad singulas respersiones oleo digitum imbuebat, quæ si aspersio olei minus accurate dirigeretur ad adytum templi, bene haberet tamen. Inde redibat ad leprosum, cui partes sanguine hostiæ pro delicto oblitas, auriculam, digitum pollicem manus, atque pedis, obliniebat & oleo; tum olei manu contenti reliquum instillabat in caput hominis lustrandi, quod unum si omitteretur lustratio fuisset nulla. *Leprosus, qui carebat expiatione, in atrium Israelitarum ingredi non poterat, idcirco stabat in porta Nicanoris, quæ est inter atrium mulierum, & atrium Israelitarum, & caput suum introducebat in atrium, ut illius auricula sanguine aspergeretur, & manum pedemque suum introducebat, ut pollices sanguine etiam aspergerentur; neque sanguis sacrificii pro reatu in atrium efferri poterat, quia si in atrium educeretur, inficiebatur*.

[132] *Lepra vestium &c. Misna Negaim cap. XI.* Omnes vestes polluuntur plagis, exceptis peregrinorum vestibus, quas si quis emerit, lustrantur in principio. Pelles marinæ non polluuntur plagis. Hicce adjunctorium est, quod in terra crescit, licet filum sit vel funiculus, quod immunditiem recipit, id immundum est. Lana camelorum, & lana ovium quas inter se miscent, si maxima pars sit camelorum, tum non polluuntur plagis, si vero maxima pars sit ovium, polluuntur plagis, si tantundem de utraque, polluuntur plagis, pariter linum, & cannabis, quæ inter se miscent. Pelles & vestes coloratæ non polluuntur plagis, domus vero sive coloratæ, sive non coloratæ polluuntur plagis, ita R. Meyr. R. Jehuda dicit, pelles instar domuum sunt. R. Simeon dicit, colorata divinitus polluuntur, quæ vero per hominem colorata sunt, ea non polluuntur. Si vestis stamen sit coloratum, & subtegmen illius album, vel contra, tota res consideratur secundum visum.

[133] *Indicium hujus &c. Misna ibidem*. Vestes polluuntur in viridissimis, & rubicundissimis. Si plaga sit viridis, & ea se diffunderit rubicunda, vel contra, immunda est, si ea mundata sit, & postea se diffundat, vel mutata quidem, sed non se diffundat, se res habet ac si non mutata esset. R. Jehuda dicit, lustretur ab initio. Quæ in prima constiterit, ea lavetur, & includatur, si ea constiterit in secunda, comburatur, quæ diffunderit se in hac & illa, etiam comburatur. Si in principio obscurata fuerit, R. Ismael dicit, lavetur & includatur. Sapientes dicunt, si obscuritas ei non alligata sit prima tum lavetur, & includatur, si in secunda ei alligata sit, disrumpatur & comburatur quicquid sit, & requiritur segmentum. R. Nehemia dicit, non requiritur segmentum. Si plaga redierit in vestem, tum ea liberat segmentum, si ea redierit ad segmentum, comburat vestem, si assuerit quid mundæ de incluso, & plaga redierit in vestem, comburat segmentum, si redierit ad segmentum, comburat vestem primam, segmentum vero inserviat vesti secundæ signis suis. Si plaga conspicitur in stamine stante, tum textura est munda, si vero in textura conspiciatur, tum stamen stans mundum est; si ea conspiciatur in sindone, tum comburat fila, si ea conspiciatur in filis, tum sindon est munda. Si in indusio conspiciatur plaga, tum illud liberat fimbrias suas, licet illæ sint purpureæ. &c.

[134] *Nonnisi in terra Canaan &c. Bartenora ad cap. XII. codicis Negaim. Omnia domicillia illa tantum quæ in terra Israelitica sunt*, nam de plagis domuum dicit Lex *excepta hæreditate vestra*.

[135] *Ac nunquam Hierosolymis &c. Maimonides Cap. VII.* 14. *de Templo*. Lepra ne contaminator.

[136] *Ex maculis viridibus &c. Misna Negaim cap. III.* 8. Domus polluuntur tribus septimanis, tribusque signis, ut viridi, rubicundo, & diffusione; viridi & rubicundo in principio, in fine septimanæ primæ, in fine septimanæ secundæ, & in fine septimanæ tertiæ post dimissionem, & diffussione in fine septimanæ primæ, in fine septimanæ secundæ, & in fine septimanæ tertiæ post dimissionem; & polluuntur tribus septimanis, quæ novemdecim comprehendunt dies; in plagis non consideratur tempus, quod minus quam unam septimanam, vel plusquam tres septimanas continet.

[137] *Si se diffunderent &c. Misna ibidem cap. XII.* 5. Quomodo lustratur domus? venit is, ad quem domus pertinet, & Sacerdoti indicat, dicendo, *mihi videtur ac si plaga esset in domo*, licet discipulus sapiens sit, & sciat certam esse lepram, tamen ne decernat ac dicat, plaga mihi videtur in domo existere, sed dicat potius, mihi videtur ac si plaga esset in domo; Sacerdos vero præcipiat ut domus evertatur. Cæterum antequam Sacerdos ad plagam lustrandam venerit, & non pollutum fuerit quicquid in domo sit, & sacerdos postea accesserit aspectum domum, licet fasciculi lignorum sint, vel calamorum, ita R. Jehuda. Sed R. Simeon dicit, an hanc operam everrendi describit Lex? Dixit R. Meyr, quid eam polluisset? si dixeris, instrumenta illius lignea, illius vestes, & fusilia lavantur, & tum munda sunt, cui vero rei pepercit Lex? vasi testaceo, lenticulæ, & stillatorio. Si ita pepercerit Lex opibus vilibus, quanto magis caris pepercit, si ita pepercerit opibus, quanto magis animæ filiorum, & filiarum pepercit, si pepercerit improbo, quanto magis justo. Non confert se domum suam ut occludat, neque stat in domo in qua plaga est, ut occludat, sed stat ante fores domus in qua plaga est, & tum occludit, sicuti Lex dicit, *& exibit Sacerdos domo ad ostium domus, & per septiduum occludet domum*, in fine autem septimanæ redibit, ut videat an diffuderit se, tum præcipiet Sacerdos, ut eruantur lapides, in quibus plaga est, & projiciantur extra urbem ad locum immundum, deinde alii sument lapides, eosque in locum aliorum adducent, atque alium pulverem sumet, domus vero linetur. Non sumunt lapides ab hoc latere, ut eos adducant ad latus alterum, neque pulverem ab hoc latere adducunt ad illud latus, neque calcem ex omni loco. Non adducit unum lapidem sub duobus, nec contra, sed duos sub duobus, sub tribus, sub quatuor, hinc dixerunt, væ improbo, væ vicino illius, ambo erunt, ambo excidunt, ambo lapides adducunt, at is solus pulverem adducit, sicuti Lex dicit, *lapidesque alios reponi pro his, qui ablati fuerint, & luto alio liniri domum*. Levit. XIV. 42. Socius ergo illius non adjuvat illinitionem. In fine septimanæ ibit, & inspiciet an redierit plaga, & tum domum lapides, lignaque diruet, atque totius domus pulverem, & ea educet extra urbem ad locum immundum. Diffusio ei vicina quantalacunque, remota vero in copia fabæ statuta sit, quæ autem in domo redierit, ea in duarum fabarum copia terminetur.

[138] *At si maculæ se &c. Misna ibidem cap. XIII.* Hæ sunt decem Domus, cujus plaga contraxerit se in prima septimana, & abierit, tum ea decorticetur, ut munda sit; quæ in secunda contraxerit se, & abierit, ea decorticetur, & avibus opus habet; si ea diffuderit se in prima, tum eruatur, excidatur, illinatur, & ei septimana concedatur. Si ea redierit, destruatur, sin minus, avibus opus habet. Si ea constiterit in prima, & diffuderit se in secunda, tum eruatur, excidatur, illinatur, & ei septimana concedatur. Si ea redierit destruatur, sin minus, avibus

bus opus habet. Si ea in utraque conſtiterit, eruatur, excidatur, illinatur, & ei ſeptimana concedatur; ſi redierit, deſtruatur, ſecus, avibus opus habet. Si plaga in ea conſpecta ſit, antequam avibus purificata ſit, tum deſtruatur; ſin autem plaga conſpecta poſtquam ea avibus purificata eſt, tum ab initio luſtretur.

[139] *Et* חרם *&c. Siphri ad cap. XVIII.* 14. *Num. Omne quod ex voto reddiderint filii Iſrael, tuum erit* ego non probo niſi anathemata Iſraelitarum, anathemata Gentilium, mulierum, & ſervorum, unde probantur? ex eo quod dicit; *omne quod ex voto reddiderint filii Iſrael;* R. Joſe Galilæus dicit; anathemata ſimplicia Sacerdotibus cedunt, juxta verſiculum qui dicit, *& poſſeſſio conſecrata ad jus pertinet Sacerdotum* (Levit. 27. 21.) dicam igitur, etiamſi pro Domus inſtauratione ſeparaſſet? ideo dictum eſt *ſolum poſſeſſio conſecrata* (vox) ſolum (denotat) divide. R. Jehuda filius Betheræ dicit, anathemata ſimplicia domus inſtaurationi cedebant, juxta verſiculum qui dicit; *Quidquid fuerit conſecratum Sanctum Sanctorum erit Domino.* Ibid. verſ. 28. Dicam igitur, etiamſi definiſſet, quod ea devoveat pro Sacerdotibus idcirco dictum eſt; *& poſſeſſio conſecrata ad jus pertinet Sacerdotum.* R. Jehuda filius Baba dicit; anathemata ſimplicia Sacerdotibus cedebant, juxta verſiculum qui dicit, *& poſſeſſio conſecrata ad jus pertinet Sacerdotum*; dicamne, quando definierit, quod ea Deo devoveat? ideo dictum eſt; *quicquid ſemel fuerit conſecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino.* R. Simeon dicit anathemata ſimplicia cœlo cedunt juxta verſiculum qui dicit; *Sanctum Sanctorum erit Domino*; dicamne igitur, etiamſi definiſſet, quod ea Sacerdotibus cederent? ideo dictum eſt; *omne quod ex voto reddiderint filii Iſrael, tuum erit. Vide Toſaphta Erachin cap. IV.* 26. Tria duntaxat ſunt anathemata; *omne quod Domino conſecratur.* Levit. 27. 27. Hæc ſunt anathemata Sacerdotum. *Quicquid ſemel fuerit conſecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino*, ibid. Hæc ſunt anathemata, quæ Deo cedunt. *Et omnis conſecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, ſed morte morietur.* Ibid. verſ. 29. Hi ſunt illi, qui ex decreto magiſtratus mortem meruere.

[140] *Filii quoque &c. Codex Becoroth cap. VIII.* 8. Non redimunt ſervis neque literis debiti, neque fundis, neque ſanctis. Si quis Sacerdoti conſcripſerit ſe ei quinque debere Selas, tenetur eas dare, ſed filius illius iis redemtus non eſt; idcirco ſi ei Sacerdos quicquam dono dare voluerit, poteſt. Qui vero filii ſui redemtionis pretium ſepoſuerit, idque perierit, tenetur ad cautionem damni, ſicuti Lex dicit Num. 18. 15. *tui juris erit ..... redimi facias.*

[141] *Mulier quoque &c. Maimonides Sotah cap. III.* Quibus ritibus potanda erat mulier adulterii ſuſpecta? Maritus adibat magiſtratum, & ei dicebat, hæc eſt mea uxor, cum qua Zelotypiam exercui adverſus N. & ipſa cum eo ſe occultavit, & hi ſunt teſtes, & ea dicit, quod ſit pura, & ego volo, ut bibat, hujus rei cauſa perſcrutandæ, & tum Magiſtratus audiebant verba teſtium, & tradebant maritum duobus diſcipulis Sapientum, ne cum ea, priuſquam biberet, commiſceretur; interdicta enim ei erat, donec bibiſſet, & proficiſci eos jubebant Hieroſolymam, quia non potabatur uxor adulterii ſuſpecta niſi per magiſtratum ſeptuaginta Seniorum Sanctuarii. Poſtquam Hieroſolymam pervenerant, aſſidere eam in eorum conſpectu faciebant, & eam, abſente tamen marito, perterrefaciebant, magnumque timorem ei faciebant, eique dicebant; Filia, (*ut delinqueres*) vinum, riſus, juventa in cauſa fuit; magnamque auctoritatem habent vicini improbi; ne facias, ut nomen Dei magnum, quod cum Sanctitate ſcriptum eſt, in aquis deleatur; atque etiam ei dicebant, filia, multi ante te vixerunt, & demerſi ſunt, & viri inſignes, & clari a ſua tentatione victi offenderunt, & referebant hiſtoriam Jehudæ & Tamar ſuæ nurus, & hiſtoriam Ruben cum concubina patris ad literam, & hiſtoriam Ammon & ſuæ ſororis, ut facilem ei redderent confeſſionem; & ſi dicebat, immunda ſum, aut nolo bibere, ſine dote dimittebatur, & abibat. *Vide Codicem Sotah cap. I.* 3. 4.

[142] *In porta Nicanoris &c. Toſaphta Sotah cap. I.* 5. Deducebatur ad fores orientis ad portam Nicanoris, ubi mulieres adulterii ſuſpectæ potabantur, purificabantur puerperæ, & leproſi mundabantur, juxta verſiculum, qui dicit, (3. Reg. VIII. 31.) *Si peccaverit homo in proximum ſuum, & habuerit aliquod juramentum, quo teneatur aſtrictus, & venerit propter juramentum coram altari tuo in domum tuam; tu exaudies in cœlo, & facies, & judicabis ſervos tuos, condemnans impium, & reddens viam ſuam ſuper caput ejus;* quod ejus venter intumeſcebat, ejuſque femur fiebat cadivum; & ob purgandum juſtum, ut illi detur juxta bonitatem ſuam; quod cum non polluta erat, & munda erat, abſolvebatur, & prolem concipiebat. *Maimonides ibidem.* Si perſeveraret in primo ſermone, quod eſſet pura, deducebatur ad portam orientalem atrii, quæ erat e regione Sancti Sanctorum. *Vide Codicem Sotah ibidem.*

[143] *Aquamque e labro Sacro &c. Miſna Sotah cap. II.* 2. *Sacerdos* attulit phialam fictilem novam, & ſemiſextarium aquæ e labro in eam infudit. *Maimonides ibidem.* Et deinde afferebat phialam fictilem, in qua nunquam factum eſſet opus, neque videatur veluti a tempore trita, ſecus enim, igne luſtranda erat, ut eſſet idonea; & in eam infundit ſemiſextarium aquæ e Labro, & dimidio logi, quod erat in Sanctuario, metiebatur, & cum ea in templum ingrediebatur.

[144] *Alii vero &c. Miſna ibidem. Sacerdos* templum ingreſſus, dextrorſum deflexit, ibi foſſula erat, unum cubitum longa, lataque, huic tabula marmorea *ſuperimpoſita fuit*, cui infixus annulus. Ea igitur in altum ſublata, exinde tantum pulveris depromſit, aquiſque indidit, ut conſpici poſſet in aquarum ſuperficie. Q. S. E. *Et pauxillum terræ de pavimento Tabernaculi mittet in eam. Num. V.* 17. *Maimonides ibidem.* Erat eo loci foſſula cubitum longa, lataque, & in ea tabula marmorea, cui infixus annulus; ſublevabat tabulam, & depromebat pulverem e ſolo Tabernaculi, aquiſque indebat, ut in aquarum ſuperficie conſpici poſſet, & aliquid amari, velut abſynthium, aut aliud ſimile in eas inficiebat, juxta verſiculum qui dicit *amariſſimas* (*ibidem;*) in iiſque delebat illud volumen nomine ejus mulieris, & prorſus delebat, ut nullum omnino viſtigium diſtingueretur.

[145] *Dein ipſius caput &c. Siphri ad Num. cap. V.* 18. *Cumque ſteterit mulier coram Domino;* eo loco, ubi ſtabat in principio, ſtabat etiam in fine; *diſcooperiet caput ejus*, Sacerdos ab ejus tergo ſtabat, ad obſervandum in eo præceptum diſcooperiendi, verba R. Iſmaelis; alia gloſſa nos docet, quod mulieres Iſraelis ſibi caput operirent, & quamvis non ſit demonſtratio pro hac re, habemus tamen indicium ex eo quod de Tamar dictum eſt; *Quæ aſpergens cinerem capiti ſuo. 2. Reg. XIII.* 19. R. Jehuda dicit; ſi ſinum venuſtum haberet, non diſcooperiebat, ſi capilli ejus decori eſſent, non diſcooperiebat. Si albis induta erat veſtibus, nigris operiebat, ſi nigræ decebant, eas ſpoliabat, & turpes veſtes induebat; ſi auro, monilibus, inauribus, ac annulis ornaretur, ei auferebantur, ut deturparetur. R. Jochanan filius Baroka, non deturpabantur mulieres Iſraelis magis quam ſcriptum eſt in Lege, niſi *coram Domino* non *diſcooporiet caput ſuum*; Linteum lineum inter eam & populum extendebat, & ab ejus tergo ſtabat Sacerdos, & diſcooperiebat ob obſervandum præceptum, ut ei caput diſcooperiret, & dicebat, ſicuti nullam Dei honoris rationem habuiſti, ita tui decoris nulla ratio habetur; hoc uno contemptu afficiebatur. Omnibus ſpectare volentibus, ſpectatum venire permiſſum erat, exceptis ſervis, & ancillis, quia cum his familiaritas ei erat; tam viri quam mulieres, tam conſanguinei, quam alieni ſpectare poterant, juxta verſiculum qui dicit, *& diſcent omnes mulieres, ne faciant ſecundum ſcelus earum. Ezech. XXIII.* 48. *Toſaphta Sotah cap. I.* 6. Ipſa intus, & Sacerdos foris ſtabat, juxta verſiculum qui dicit; *cumque ſteterit mulier coram Domino*, ſed non Sacerdos coram Domino; & ſicuti territabant, ut dicta ſua retractaret, ita etiam territabant, ne dicta ſua retractaret; ſi munda erat, ei dicebant; Mea filia, ſi omnino certum eſt, innocentem te eſſe, ne tua dicta retractes, & bibe; quoniam iſtæ aquæ ſunt ſimiles aromati ſicco carni animalis vivi impoſito; nullum affert detrimentum, ſed ſi vulnus ibi fuerit, penetrat, & dolorem affert &c. Sacerdotes ſortiebantur, & cuicumque ſors obtigiſſet, etiamſi eſſet Sacerdos magnus, ſtabat prope mulierem adulterii ſuſpectam, & arripiebat ejus veſtes, ſi rumperentur,

rum-

rumperentur, & si diffuerentur, diffuerentur quoad ejus sinum denudaret, crinesque explicaret; R. Jehuda dicit; si sinum venustum ipsa haberet, non denudabat, si crines decori essent, non solvebat causa juvenum Sacerdotum. *Et cap. III.* 2. Sic etiam de muliere adultera reperimus, quod ea mensura qua dimensa fuerat, eidem mensura sit reddita. Ipsa ante fores stetit, ut ei (*amatori*) suam formam ostentaret, quare Sacerdos statuebat eam coram omnibus adstantibus, ut ejus dedecus ostentaret, juxta versiculum qui dicit, *Cumque steterit mulier coram Domino;* Ipsa ei linteum extendit, Pontifex igitur calanticam capiti detractam subter pedes ejus deponebat. Illa ejus causa crines ordinaverat, idcirco Sacerdos eos disturbabat; illa vultum comserat, quare vultus flavescebat; oculos fucaverat, eapropter oculi extuberabant; digitis eum advocavit, hanc ob rem ungues illius decidui facti; ostendit ei suum corpus, idcirco ei Sacerdos subuculam findebat, & ejus infamiam omnibus ostentabat; pulchris Zonis se cinxit, ideo Sacerdos allato fune Ægyptiaco supra mammillas eam præcingebat; & omnibus spectare volentibus spectatum venire permissum erat; femur ei exporrexerat, idcirco ejus femur liquescebat; super ventrem eum susceperat, hinc adeo venter ejus intumescebat; eum cibaverat cibis exquisitissimis, quamobrem ejus oblatio erat esca jumentorum; laudatissima vina pretiosis poculis ei potanda exhibuerat, ea de re Sacerdos eam in phiala fictili aquis amaris potabat. Illa hæc clam patraverat juxta versiculum qui dicit; *oculus adulteri observat caliginem, dicens: non me videbit oculus;* & illa nescit, quod ille, qui manet occultus in mundo, rem manifestabit juxta id quod sequitur, *& operiat vultum suum. Job. XXIV.* 15. Alia glossa nos docet; Deus occultationem ejus notificabit, juxta versiculum, *qui dicit; qui operit odium fraudolenter &c. Proverb. XXVI. Maimonides ibidem cap. III.* 4. Si perseveraret in sermone suo, deducebant eam ad partem exteriorem portæ orientalis, ibique eam consistere faciebant, si albis vestibus induta esset, nigras induebat, si nigræ essent, & elegantes, nigris eam vestiebant, quæ omni elegantia carerent, eique detrahebant omne ornamentum argenti & auri, quo exculta esset, & congregabant prope eam congregationem magnam mulierum, quia mulieres omnes, quæ ibi erant, eam spectare tenebantur, quia textus dicit; *& discent omnes mulieres, ne faciant* secundum *scelus earum;* & quicunque homo, qui venire cuperet eam spectatum, adveniebat, & videbat &c. *Et nonnullis interjectis.* Deinde prope eam adveniebat unus ex sacerdotibus atrii, arreptisque ejus vestibus ab anteriori parte, lacerabat, quoad pectus denudaret, & crines discooperiebat, eosque solvebat, ut eam deturparet, & afferebat funem Ægyptiacum, ut ei memoriam excitaret operis Ægypti, quod patrarat, nisi funem Ægyptiacum inveniret, ex quolibet loco funem afferebat, eumque supra mammillas præcingebat, ne vestes deciderent, & nuda deprehenderetur, cum jam laceratæ essent. *Vide Codicem Sotah. Cap.* 5. 6.

[146] *Munus in corbe &c. Misna Sotah.cap. II.* Attulit *Maritus uxoris adulterii suspectæ oblationem* in corbe saligna, quam in manus illi dedit, ut fatigaretur. Omnes reliquæ oblationes tam ab initio quam in fine in vasis sanctis erant; at ista principio in corbe saligna, postremo in vase sancto erat. Ad omnem oblationem requirebatur oleum & thus. Ista vero nec oleum nec thus admittebat. Omnes oblationes confectæ erant e tritico, verum ista conficiebatur ex hordeo. Sane etiam oblatio manipuli ex hordeo parabatur. Attamen in hac pollen fuit oblatum; ibi vero farinæ *cui nihil ademtum*. R. Gamaliel ait; quemadmodum facta ejus belluina fuerunt, ita & sacrificium ejus, esca belluarum fuit. *Maimonides Sotah. cap. III.* 12. & deinde afferebat decimam Ephæ partem hordeaceam in corbe Ægyptiaca; & funis & corbis comparabatur de reliquiis sacri conclavis, manibusque mulieris imponebatur, ut fatigaretur. Inde accipiebat munus e corbe, & in vasi sacro reponebat, nec thus aut oleum indebat, si injecisset, vapulabat pro oleo seorsum, & pro thure seorsum, juxta textum; *non fundet super ea oleum &c. Num.* V. 15.

[147] *Manibus mulieris &c. Misna Sotah cap. III. Maritus adulterii suspectæ* e corbe saligna oblationem ejus depromens in vas sanctum eam reposuit, *& mulieri deinde* in manum dedit, cujus manui suam manum Sacerdos supponens receptam in sacris agitationem instituit.

[148] *Eamque certa formula &c. Siphri, ibidem. Adjurabitque eam* Sacerdos, Sacerdos eam adjurabat, non illa sponte jurabat; quia in contrarium erat argumentum; dictum est hoc loci juramentum, & dictum est in aliis locis juramentum; sicuti juramentum eo loci dictum intelligitur de juramento spontaneo, ita crederem hoc loci intelligendum esse, ut sponte juraret; ideo dictum est, *adjurabitque eam Sacerdos*, Sacerdos eam adjurabat, non sponte jurabat; *Et dicet* mulieri in qualibet lingua, quæ illi nota sit, verba R. Josiæ; quia erat argumentum *in contrarium*; si in fratria, quæ levis est, nulla alia lingua præter sacram adhibetur, in muliere adulterii suspecta, quæ gravis est, non erit æquum, ut præ reliquis linguis linguæ sacræ ratio habeatur? Ideo dictum est; *& dicet* mulieri, in qualibet lingua, cujus illa gnara sit, verba R. Josiæ. R. Ismael dicit, non opus est, quia jam dicit; *& respondebit mulier Amen Amen*, si illa non intelligeret, qui posset respondere *Amen Amen*? Ego possem dicere, eam id non dixisse nisi maledictionis causa, quando textus dicit; *Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo*; Ecce juramentum explicitum; igitur cur dicit: *Et dicit Sacerdos* mulieri? Eam Sacerdos docebat ordinem juramenti. *Si non dormivit vir alienus tecum*, nos docet eum ab ejus merito initium duxisse; ei dicebat, magnam vim habet vinum, risus, juventa; quot te anteiverunt, & demersi sunt? ne facias, ut nomen *Dei* magnum cum sanctitate scriptum in aquis deleatur. Narrabat coram ea allegorias, & historias, quæ *referuntur* in primis libris *Sacræ Scripturæ*, quemadmodum versus dicit, *sapientes confitentur, & non abscondunt patres suos. Job. XV.* 18. Et narrabat ea coram ipsa, quæ audire non decebat; sed illa, & universa ejus familia paterna audire poterant. R. Ismael dicit, primum ei notam faciebat virtutem aquarum amararum; ei dicebat, mea filia, tibi dicam, cui sint similes hæ aquæ amaræ, *nempe* aromati sicco, quod si carni sanæ impositum sit nullum ei detrimentum affert, sed quando eam morbo affectam offendit, penetrare incipit; tu quoque si impolluta es, bibe, neque cessa, sed si polluta es, immunis sis ab his aquis amaris maledictis. *Sin autem declinasti*; Ego non intelligo nisi juxta usum communem, sed modo indecenti unde probatur? Ex eo quod dicit, *atque polluta es, & concubuisti cum altero viro* ad includendum Eunuchum; *a viro tuo* ad includendam uxorem Eunuchi; horum omnium causa istiusmodi interrogationes fiebant; *adjurabitque eam* juramento maledictionis; Hinc argumentari poteris pro omnibus juramentis legis; quoniam commemorantur in lege juramenta inexplicata; & dictum est in ipsorum uno, non esse sine maledictione & juramento; ego probo etiam reliqua juramenta legis facienda cum maledictione & juramento; & quoniam in lege referuntur juramenta simpliciter & inexplicata, & in ipsorum uno designatur non fuisse nisi scriptum cum nomine *Jod*, & *He*, ita ego explicabo omnia reliqua juramenta non esse facta nisi cum nomine *Jod*, & *He*. *Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo.* Cur dictum est? quia dictum est, *& audiverit vocem maledictionis*; Ego non probo nisi pro maledictione, unde probatur considerandam tam maledictionem quam juramentum? Tu ita argumentaberis; dicitur hoc loco maledictio, & dicitur eo loco maledictio; sicuti in maledictione hic dicta consideratur tam maledictio quam juramentum, & in maledictione ibi dicta consideratur tam maledictio quam juramentum; & sicuti maledictio est cum nomine *Jod* & *He*, etiam juramentum cum nomine *Jod* & *He*; & quoniam in Lege commemorantur juramenta inexplicata, & in uno ipsorum a textu explicatur, non esse nisi cum *Jod* & *He*; ego explico etiam omnia reliqua juramenta legis inexplicata non esse, nisi cum *Jod* & *He*. *In populo tuo*, & populus tuus in pace, *in populo tuo*, & non hoc tempore; est discrimen inter eum, qui se videat despectum in eo loco ubi notus sit, & eum, qui se videat contemptum eo loci, ubi ignotus sit. *Putrescere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus dis*-

rumpatur ; ingrediantur aquæ maledictæ &c. R. Jose Galilæus dicit, hic est venter & femur adulteri ; nonne potius dicendum , esse ventrem & femur mulieris? quando vero dicit; *putrescere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus disrumpatur* ; Ecce expressus venter, & femur adulteræ ; igitur cur dictum est , *& utero tumescente putrescat femur ?* Hic est venter & femur adulteri ; igitur cur dictum est *tumescente?* Sicuti pœna visitabat mulierem, ita etiam pœna virum visitabat. Hinc argumentari potes, si in malo, quod est minus, qui socium ad peccandum impellit, ei similis est, eo magis in bono , quod est majus.

Et respondebit mulier amen amen ; *amen* , si polluta sim, *amen* si immundabor, verba R. Meyr; sed sapientes in hoc ei non assentiuntur , sed dicunt , *amen*, me impollutam esse, & si polluta sim , *ingrediantur aquæ maledictæ &c. amen* si cum isto viro, *amen* si cum alio viro, *amen* si desponsata, *amen* si nupta, *amen* si levirum expectans, *amen* si a leviro ducta *scortata sim*. Regula generalis hæc est; illud tempus disignari, quo quæcunque mulier , quæ cum alio congrederetur , ei fieret interdicta ; quoniam in Lege commemorantur juramenta inexplicata , & in illorum uno designatur, non esse nisi cum maledictione & juramento , ita explicabo omnia juramenta legis esse cum maledictione, & juramento; Quoniam distinguit in illorum uno non esse nisi cum *Jod* & *He*; ita etiam in omnibus legis juramentis ego explicabo, ut sint tantum cum *Jod* & *He*. Et quoniam juramenta legis sunt inexplicata, & in uno illorum explicat, ut non sint nisi cum *Amen* ; ita explicabo etiam, ut omnia reliqua juramenta legis non sint nisi cum *Amen*. Aba Chanen dicit nomine R. Elieseris ad includendum juramentum Judicum , ut sit cum *Amen*, quod si post illud non respondeas *Amen*, fiat juramentum irritum ; Quoniam in lege commemorantur juramenta inexplicata , & in uno illorum explicat, ut in eo præteritum etiam includatur, ita explico pro omnibus juramentis legis, ut in iis præteritum includatur; unde tu potes argumentari a minori ad majus, si in muliere adulterii suspecta, in quam de præterito non fit inquisitio , includitur in ejus juramento etiam præteritum; in furtis , in quibus fit inquisitio etiam de præterito, non erit æquum , ut in hoc juramento etiam præteritum includatur. *Vide Codicem Sotah cap. II. 5. 6.*

149 *Et inscripta schedulæ &c. Siphri ibidem* : *scribetque Sacerdos in libello ista maledicta* ego poteram intelligere omnes maledictiones , quæ sunt in lege , idcirco dicit *Sacerdos maledicta*. Cur dictum est? Sed erat argumentum *in contrarium*; dictum est hic *scribetque*, & dictum est alibi, *scribetque*; sicuti scriptio eo loci *dicta* a quovis fieri potest, etiam scriptionem hanc dicerem a quovis fieri potuisse ; ideo dictum est *Sacerdos in libello* , *& delebit ea*, re, quæ deleri possit. Igitur hinc argumentari potes a minori ad majus ; si ad statuendam pacem inter maritum & uxorem dicit Deus volumen scriptum cum sanctitate aqua delendum fuisse ; quanto magis libri Hæreticorum , qui excitant odium invidiam , & inimicitiam de mundo delendi erunt ? R. Ismael dicit , de libris Hæreticorum quid faciet ? Removebit nomina sancta, & reliquum comburet. R. Akiba totum comburet , quia non sunt scripti cum Sanctitate . Hinc est , quod dixerunt; scribendum non erat in tabula, nec in papyro, nec in pelle non præparata, sed solum in Meghila , juxta vocem *sepher* ; nec scribendum erat gummi, nec calchantho , sed atramento juxta id quod dictum est, *& delebit ea aquis amarissimis*, scriptura, quæ deleri possit , *& delebit ea aquis amarissimis*, nos docet textus, efficere aquas amaras. *Describebat volumen Sacerdos ex tabula aurea , quam Regina Helena paraverat, in qua inscripta erat sectio mulieris declinantis*. *Joma cap. III.* Helena Regina fecit candelabrum aureum in porta Templi. Eadem paravit quoque Tabulam auream, in qua verba concepta Megillæ Sotæ inscribenda fuerunt expressa. *Tosaphta Sotah cap. II.* Accipiebat ejus volumen scriptum , & in Ulam ingrediebatur , Tabula aurea constituta erat in pariete Templi, & ex Ulam conspiciebatur , ex illa inspiciebat, & scribebat nec plus nec minus , exibat, & stabat prope mulierem adulterii suspectam , legebat , explanabat cum summa religione legem , & ei notam faciebat quavis lingua, cujus ipsa gnara esset, ut sciret, qua de causa biberet , & quantum biberet, quia polluta esset , & quomodo polluta esset ; & ei dicebat , ego te adjuro, huic maledicto subjaceas, ego te hoc juramento adjuro. *Vide Codicem Sotah cap. II. 3. 4.*

150 *Quantitas aquarum &c. Menachoth. cap. IX. 3.* Dimidium logi quorsum erat ? pro dimidio logi aquæ mulieris adulterii suspectæ.

151 *Tum corbem &c. Siphri ibidem* . *Tollet Sacerdos de manu ejus*, & non de manu sui servi, *de manu* mulieris, quia si menstrualis deprehenderetur, non bibebat ; *Et sic potum det mulieri aquas* ; cur igitur dictum est *& dabit ei bibere*. Quod si post deletum volumen , ea diceret , *nolo bibere*, suadebant , atque etiam invita potabatur, & sapientes dicunt , *& sic potum det &c.* cur dictum est ? Si dicit *& dabit ei bibere*, cur igitur dicit, *& sic potum det?* tria impediebant , *ne biberet* mulier adulterii suspecta, priusquam volumen deletum esset , priusquam oblatus esset pugillus , & priusquam juramentum suscepisset ; si vero deletum esset volumen, & dixisset, *polluta sum*; aquæ effundebantur, & oblatio dispergebatur per domum cineris , neque ejus volumine alia mulier adulterii suspecta potabatur . R. Achia filius R. Josiæ dicit, poterant eo *volumine* aliam mulierem adulterii suspectam potare . *Tosaphta Sotah cap.* II. 3. Priusquam deletum esset volumen scriptum , si dixisset *nolo bibere* , aut si dixisset , *polluta sum* , aut advenissent testes , *qui dicerent* immundam esse , aquæ effundebantur , nullaque in iis erat sanctitas , & ejus volumen sub porta Templi abscondebatur, & ejus oblatio dispergebatur ; si vero deletum esset volumen, & dixisset , *polluta sum*, aquæ effundebantur , nullamque habebant sanctitatem , ejusque volumen sub porta templi abscondebatur , ejusque munus per domum cineris dispergebatur , nec id volumen aptum erat , quo alia mulier adulterii suspecta potaretur ; si vero deletum esset volumen , & dixisset *nolo bibere* , suadebant , & vel invitam bibere cogebant ; R. Jehuda dicit , forfice ferrea ejus os aperiebatur , & invita cogebatur ut biberet . Ei dixit R. Akiba , cur potabatur hæc mulier ? Num quæstionis gratia ? jam in ipsam quæstio habita fuerit, & seipsam jam adulterii damnaverat ; sed semper poterat dicta retractare , quod ejus munus oblatum esset ; quando ejus munus oblatum erat , tunc persuadebant , & etiam invita potabatur. *Vide Codicem Sotah cap. III.* 2. 3. *& Maimonidem ibidem cap. IV.*

152 *Atque agitatum &c. Siphri ibidem*. *Et elevabit illud* huc & illuc , sursum & deorsum unde probatur ? a versiculo qui dicit , quod *agitatum*, *& elevatum*; sic Hebræus comparat elevationem agitationi , sicuti agitatio erat huc & illuc , etiam elevatio erat huc & illuc , & sicuti elevatio erat sursum & deorsum , ita agitatio erat sursum & deorsum ; hinc est quod dixerunt præceptum agitationis fuisse huc & illuc , sursum & deorsum ; hoc erat præceptum agitationis . *Coram Domino* ad orientem , quia ubicunque invenitur *coram Domino* , semper intelligitur ad orientem , quoad se textus explicet ; *& elevabit illud coram Domino, imponetque illud super altare* , docemur , quod munus mulieris adulterii suspectæ agitationem , & admotionem requirebat . *Maimonides ibidem cap.* III. 14. 15. Eo tempore , quo discooperiebat caput mulieris , & ejus manibus decimam Ephæ partem farinæ imponebat , Sacerdos in manu sua aquas habere debebat , easque ei ostendere , juxta versiculum qui dicit ; *ipse autem tenebit aquas amarissimas - & dabit ei bibere*. Num. ibid. Et postquam bibisset accipiebat vas sanctum , ubi erat munus , & ejus manibus imponebat , & Sacerdos suas manus subjiciebat, & agitabat ad orientem juxta reliquas omnes agitationes , huc & illuc, sursum & deorsum ; & deinde admovebat munus ad cornu australe occidentale Altaris , uti reliqua munera privati , & tollebat pugillum , ipsumque pugillum adolebat ; quod reliquum erat a Sacerdotibus comedebatur .

153 *Acceptumque farinæ &c. Laici solum oblatio comedebatur*, *Sacerdotum vero munera tota comburebantur* . *Codex Sotah cap.* III. 7. Judæi *laici* filiæ, quam Sacerdos duxerat , oblatio comburebatur . At Sacerdotis filiæ, quæ Judæo *laico* nupserat, oblatio comedebatur . Quid interest inter Sacerdotem , & filiam Sacerdotis ? Filiæ Saccerdotis oblatio comeditur, oblatio autem Sacerdotis non comeditur . *Sacerdotum* mu-

munera pugillo non capiebantur. Codex Menachoth cap. VI. Hæc munera pugillo capiuntur, & reliquiæ eorum cedunt Sacerdotibus, munus similagineum, sartaginis, & aheni, placentarum, & laganorum, munus gentilium, munus mulierum, munus manipuli, munus peccatoris, & zelotypiæ. R. Simeon dicit, munus peccatoris Sacerdotis pugillo colligitur, & pugillus seorsim offertur, ita & reliquiæ. Munus Sacerdotum, munus sacerdotis uncti, & munus libaminum cedunt altari, at nihil ex iis Sacerdotibus cedit; nam altare hic efficacius est quam Sacerdotes. *Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap.* XII. 9. Ex singulis, quæ in altari, sacrificantur, fertis demebatur plenus pugillus. Is in altari adolebatur totus, reliquum a Sacerdotibus comedebatur. Excipe fertum illud, quod offerebatur a Sacerdotibus maribus ex eo non demebatur plenus pugillus, sed totum quantum erat adolebatur, quia scriptum est, *omne enim Sacrificium Sacerdotum &c. Levit.* VI. 23. Ex quo intelligitur fertum initiamentorum, crustulaque, item & fertum peccatoris aut spontaneum si fuissent a Sacerdote, tota in altari comburenda fuisse, non autem plenum pugillum duntaxat ex illis esse demtum.

[154] *Denique uxor &c. Siphri ibidem. Quas cum biberit - & inflato ventre computrescet femur*, hinc non habeo nisi pro ventre, & femore, pro reliquis membris unde probatur? Ex eo quod dicit, *pertransibunt eam*, quando ego lego, *& pertransibunt eam*, cur dicit *& inflato ventre computrescet femur?* Membrum, quod peccare cepit, erat primum, quod pœna afficiebatur; similiter invenis; *& delevit Dominus substantiam, quæ erat super terram ab homine usque ad pecus; Genes.* VII. 23. ab ea, quæ peccatum inceperat incepit supplicium; huic simile invenitur; *& eos qui foris erant, percusserunt cæcitate &c. Ibid.* XIX. 11. ab eo, qui peccatum inceperat, incepit supplicium; huic simile reperitur; *& glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu ejus. Exod.* XIV. 4. Pharaon incepit peccatum, ab eo incepit supplicium; Huic simile tu dicis; *Statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii. Deut.* XIII. 15. Ille a quo inceperat peccatum, primus fuit, qui puniretur; etiam hoc loco, *& inflato ventre computrescet femur*; ab eo membro, quod incepit peccatum, incipiebat supplicium. Igitur hic colligitur, si in malo quod est minus, dicit, quod ab eo membro, quod peccatum incepit, inciperet supplicium, eo magis in bono, quod est majus. *Erit mulier in maledictionem*, quod alii in ea maledicent, *dicentes*, tibi contingat, quod tali contigit; *& in juramentum*, quod alii in ea jurabunt, *dicentes*, tibi contingat, quod tali contigit; & similiter dictum est; *& dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis. Isai. LXV.* 15. Discimus peccatores justis esse juramentum, unde probatur justos impiis esse benedictionem? Simile huic dictum est; *& benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt. Jerem.* IV. 2. Pariter dictum est: *In te benedicentur universæ cognationes terræ. Genes.* XII. 3. & dictum est: *Benedixitque ei in tempore illo; dicens; in te benedicetur Israel &c. Ibid.* XLVIII. 20.

[155] *Eaque solutis crinibus. Codex Sotah. cap.* III. 4. Nondum finem fecerat bibendi, & continuo vultus livorem contrahebat, oculi protuberabant, totaque venis replebatur; dicebant igitur, ejicite eam foras, ejicite eam foras, ne atrium polluat. *Maimonides ibidem cap.* III. 16. Si impolluta erat, exibat, & abibat, & marito licita erat; si vero immunda, statim ejus facies flavescebat, oculi protuberabant, venisque replebatur; & ipsi dicebant, ejicite eam foras, ne fiat menstrualis, quia mulieres menstruales mulierum atrium polluebant; & ipsi ab atrio mulierum ejiciebant, ubi erat; primum venter ejus intumescebat, & deinde cadivum fiebat femur, & moriebatur. *Adulter quoque una cum ea mortem oppetebat. Codex Sotah. Cap.V.* Quemadmodum aquæ vim suam in adulteram exercebant, ita eædem illam exercebant pariter in adulterum, quia iterato dicitur, *& pertransibunt. Non omnes mulieres potabantur. Codex Sotah cap. IV.* Desponsata, aut Levirum exspectans, nec bibunt nec dotem accipiunt. Q. S. E. *Si declinaverit mulier a viro suo. Num.* V. 29. Regula est. Desponsata, Levirum expectans, vidua *nupta* summo Pontifici, repudium, aut exhibitionem calcei passa, *nupta* Sacerdoti gregario; Notha mulier, aut Nethinæa *nupta* Judæo, filia denique Judæi nupta homini notho vel Nethinæo, neque *aquas* bibunt, neque dotem accipiunt. Quin & istæ neque bibunt, neque dotem accipiunt; Quæ se pollutam fatetur; quam testes ab alio subactam asseverant, & quæ se aquas amaras potaturam negat; Cæterum illa, quam maritus aquas amaras bibere vetat, aut cum qua maritus concubuit in itinere, dotem accipiunt, sed non bibunt. Si mariti prius e vivis excessissent, quam bibissent mulieres, eo casu, secta Schammai pronunciat, quod uxores dotem accipiant, non vero bibant. Contra Stillelis secta, nec bibere eas, nec dotem accipere contendit. Prægnans *nupta* alii, aut lactans *nupta* alii nec dotem accipit. Ita quidem opinante R. Meyr; sed Sapientibus *contrarium* placet, quia nimirum eam repudiare, & ex intervallo rursus ducere potest. Infœcunda, vetula, & quæ ad pariendum inepta, nec dotem accipiunt nec bibunt. R. Eliefer *diversum statuit*. Nam inquit, aliam insuper uxorem *quis* ducere potest, ex qua sobolem suscipiet? reliquæ igitur fœminæ *jam memorata* aut bibant, aut dotis jacturam patiantur. Vide *Tosaphta Sotah cap.V. Multiplicatis adulteriis cessavit mos potandi mulieres. Codex Sotah cap. IX. 9.* Postquam aucti sunt adulteri, desierunt aquæ amaræ, earumque usum sustulit R. Jochanan Saccai filius secundum illud quod *S. E. Hos. IV.* 14. *Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras, cum adulteraverint, quoniam ipsi &c. Vide Tosaphta Sotah XIV. Si maritus sceleris non esset purus, aquæ uxorem ejus non explorabant. Gemara ad cap. IX. Sotah.* Tradunt magistri *explicari locum* Num. V. 31. *Maritus absque culpa erit, & illa recipiet iniquitatem suam*; quandocumque maritus sceleris purus fuit, tum aquas uxorem explorasse, sin minus easdem nequaquam illam explorasse, vocantes in subsidium dictum *Hos. IV.* 14. *Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ &c.* Cur aliud Scripturæ locum vocant in subsidium? Ne forte dicas: Concedo utique *aquas non explorare*, si vir peccati reus sit, sed idem ad filios filiasque non *extendendum*; itaque adverte animum *dici*; *non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ*. Quod si crederes, id tantum de adulterio, non vero stupro valere, adesdum, & audi sequentia; *quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur, & cum effœminatis sacrificabant, & populus non intelligens vapulabat*. Nempe auctore R. Eliesere, hoc ait Propheta Israelitis. Si vobis ipsis sedulo *ab illicita* Venere cavebitis, tum aquæ uxores vestras explorabunt, sed, si id facere neglexeritis, neutiquam in iis explorandis facient officium.

[156] *Si cadaver hominis &c. Maimonides Rozeach cap. IX.* Si quis inveniatur confossus in terra, & ignoretur occisor, eo loci relinquitur, & exeunt quinque seniores Synedrii magni Hierosolymitani, juxta versiculum, qui dicit. *Egredientur majores natu, & judices tui, & metientur a loco cadaveris singularum per circuitum spatia civitatum. Deut. XXI.* 2. Etiamsi inveniatur ad latus alicujus civitatis, certumque sit eam propinquiorem esse, tamen præceptum est, ut metiantur. Posteaquam metiti sunt, certumque sit, quæ sit civitas propinquior, cæsus sepelitur eo loco quo inventus est, & seniores Hierosolymæ revertuntur ad locum suum, Senatores illius urbis adducunt vitulam ex hominibus ejusdem civitatis, eamque deducebant ad torrentem valde rapidum; hoc est quod dicit Lex איתן, & eo loci vitula a tergo malleo detruncatur. Senatores illius urbis cum omnibus suis senioribus, vel si centum essent, lavabunt manus suas eo loci, ubi vitula detruncabatur, in medio *torrentis* protestantes lingua sancta. *Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt*; nempe hoc significantes; *non venit ad nos iste cæsus, ut illum dimiserimus sine commeatu, nec visus est a nobis, ut illum incomitatum abire permiserimus*: dicunt etiam lingua Sancta: *Propitius esto populo tuo Israel* & abeunt; & Deus benedictus expiabat pro eo sanguine juxta versiculum; *Et auferetur ab eis reatus sanguinis. Deut. XXI.* 8. *Hallucinatur Misna, Maimonides, omnesque Rabbini, qui* נחל *torrentem interpretantur; cum vallis potius hoc vocabulo significatur; neque enim torrentes seri aut arari possunt; non negamus tamen alibi* torrentem *significare*.

[157] *Nec postea colenda &c. Maimonides ibidem cap.* X. 8. In torrente (*in valle melius*) ubi detruncatur vitula, nefas est serere, aut illum percolere nullo unquam

quam tempore, juxta verſiculum qui dicit, *quæ nunquam arata eſt, nec ſementem recepit. Deut.* ibidem 4. Si quis vero quodlibet opus in corpore ſoli illius fecerit, v. g. ſi araret, aut foderet, aut ſereret, aut plantaret & his ſimilia, vapulat. Licet tamen ibi linum carminare, lapides legere, quia hoc ſimile eſt ei, qui veſtem texeret, aut conſueret, quod non eſt opus in corpore ſoli; ideo dictum eſt, *quæ nunquam arata eſt, nec ſementem recepit*; ſicuti ſatio eſt in corpore ſoli, ita quoque omne reliquum opus, quod ibi vetitum ſit, intelligitur in corpore ſoli.

[158] *Quolibet ſabbatho &c. Toſaphta Menachot cap.* XI. 12. Quomodo introducebant panem facierum? Vigilia Sabbathi cum a ſuo typo educebat, & menſæ quæ erant in Ulam prope portam domus, imponebat; mane quando aſperſus erat ſanguis ſacrificii jugis, duo Sacerdotes duas acerras accipiebant, in quibus duos thuris pugillos reponebant. Omnia vaſcula Sanctuarii carebant pedibus, exceptis his, quibus erant pedes. Hi palmum detrahebant, & illi palmum reponebant, pugillos unius e regione pugilli alterius, ne menſa conſiſteret ſine pane, juxta verſiculum qui dicit, *in conſpectu meo ſemper. Exod.* XXV. 30. R. Joſe dicit, etiamſi mane veterem panem extuliſſent, & veſperi novum introduxiſſent, etiam in reliquis anni diebus, ſi ex atrio educerent, nihil obſtabat; igitur cur dicit *in conſpectu meo ſemper*? Ne menſa ſine pane pernoctaret. *Maimonides de Sacrificiis Jugibus cap. V.* 4. Hic igitur fuit panis ordinandi modus. Introibant Sacerdotes quatuor, quorum duo ordinationes panum duas manibus geſtabunt, duo manibus tenebant duas acerras; ante hos ibant alii quatuor, duo qui tollerent de menſa panum ordinationes duas, & duo qui tollerent duas acerras, quæ in menſa repoſitæ fuerant. Introeuntes reſiſtebant ad ſeptentrionem, & ſpectabant meridiem, & exeuntes conſiſtebant ad meridiem, & reſpiciebant ſeptentrionem; tollebant illi, & reponebant iſti, premebatque manum manus, quia in lege eſt; *in conſpectuo meo ſemper*.

[159] *Recentibus in menſa &c. Codex Succa cap. V.* 7. 8. Die feſto Sabbatho proximo tam ante quam poſt ipſum omnes cuſtodiæ erant in diſtributione panum facierum. Si accidat ut dies unus interrumpat in medio, cuſtodia cujus tempus ſtatutum erat, ſumebat decem panes, & ea quæ ſe detinuerat, ſumebat duos. In cæteris anni diebus ea quæ intrabat, ſumebat ſex; R. Jehuda dicit, ea quæ intrabat ſumebat ſeptem; & ea quæ exibat, ſumebat quinque, illi qui intrabant diſtribuebant in ſeptentrione, & illi qui exibant, in meridie. Bilga ſemper diſtribuebat in meridie, & annulus ejus erat fixus, & capſa ejus erat occluſa. *Toſaphta Menachoth. Ibidem*. Illi duo Sacerdotes, qui manu tenebant duas thuris acerras panis veteris facierum, altari imponebant una cum membris ſacrificii jugis; quando incenſæ erant hæ duæ thuris acerræ, ſingulis Curiis Sacerdotum dimidium placentæ præbebant, & hæ inter ſe diſtribuebant. R. Jehuda dicit; qui dividebat panem facierum, ſtabat ſuper pavimentum lapidibus ſtratum Ulam, frangebat, & demittebat, & quiſque ad ſuam partem accipiendam veniebat; maculatis Sacerdotii eorum portio foris afferebatur, quia non poterat ingredi inter Ulam & altare. *Maimonides ibidem cap.* IV. 12. Jam ſingulis ſabbathis per totum annum panes propoſitionis ita dividebant. Sumebat ea quæ in templum veniebat, curia placentas ſex, & quæ abibat templo curia, ſumebat quoque placentas ſex. Illi portionem ſuam inter ſe partiebantur ad aquilonem, quippe qui ſacris adminiſtrandis præſto aderant, hi ſuam inter ſe portionem ad auſtrum partiebantur; Cum vero eveniret, ut ex tribus ſolennitatibus una ſabbatho accideret, item & ſabbatho, quod inter dies feſtos Tabernaculorum medium intererat, omnino Curiæ omnes panem propoſitionis æqualiter inter ſe partiebantur &c.

[160] *In menſa aurea &c. Toſaphta Menachoth ibidem*. Nomine R. Eleaſaris filii Sciamuang dixerunt, quid nos docet, dicendo, *menſas, & ſuper eas panes propoſitionis? 2. Paralip. IV.* 19. Hæc erat menſa magna aurea, quæ erat intra Templum, & menſa quæ erat in Ulam ſuper porta domus, cui veterem panem facierum imponebant.

[161] *Et quidem eo ipſo die &c. Codex Menachoth cap. XI.* 9. Bini panes non a paucioribus quam duobus, nec a pluribus quam a tribus, ex quibus cocti ſunt diebus comeduntur; quomodo? Si coquantur a veſpera diei feſti, die feſto a duobus diebus comeduntur, ſi dies feſtus poſt ſabbathum inciderit, a tribus diebus comeditur. Panis facierum non prius quam nono die comeditur, neque poſterius, quam undecimo die; quomodo? Si coctus ſit in Sabbathi veſpera, & comedatur die Sabbathi, comeditur nono. Si dies feſtus in Sabbathi veſperam inciderit, comeditur die decimo. Si in Sabbathi veſperam inciderint duo feſti novi anni dies, die undecimo comeditur; & neque ſabbathum neque diem feſtum propellit. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit in nomine R. Simeonis filii inſpectoris, diem feſtum propellit, at non diem jejunii.

[162] *Ipſos Sacerdotes ſerere &c. Familiæ Garmu, quæ mihi incertum eſt, an fuerit Sacerdotalis, conceſſam fuiſſe curam conficiendi panes propoſitionis conſtans Hebræorum omnium traditio eſt. Toſaphta Joma cap. II.* 6. Familia Garmu callebant artem conficiendi panem propoſitionis, & noluerunt docere; miſerunt Sapientes, & adduxerunt artifices ab Alexandria Ægypti, qui coquebant ad eorum ſimilitudinem, ſed non callebant artem æque ac ipſi eos e furno educendi; illi accendebant ignem extrinſecus, & coquebant intrinſecus; Alexandrini non ita faciebant &c. *Vide Codicem Joma cap. III. 10. & Gemaram Hieroſolymitanam ad hunc locum. Maximam tamen in ſerendo, terendo, fricando, cribrando omnium munerum frumento curam adhibitam fuiſſe certo ſcimus. Miſna Menachoth cap.* VIII. 2. Non adducunt quicquam ex agro ſtercorato, neque ex agro ſiticuloſo, neque ex agro arboribus conſito, ſi vero quis adduxerit, bene habet. Quomodo? anno primo novellabit, ſecundo autem conſeret eum ante Paſcha ſeptuaginta dies, & tum multam feret ſimilam. Quomodo inquiret quæſtor? manum ſuam in eam immittet, tum ſi in ea aſcenderit pulvis reproba eſt donec eam cribraverit, & ſi vermes produxerit, etiam reproba eſt. *Maimonides de rebus altari interdictis cap. VII.* 4. Hæc erat ratio ſeminandi triticum, quod ad altaris ferta & libamina adhibebatur. Anno primo de novo proſcindebatur pars agri dimidia, & dimidia pars conſerebatur; anno ſecundo proſcindebatur de novo pars agri dimidia, quæ primum fuerant conſitata, & dimidia pars altera conſerebatur, dies ſeptuaginta ante Paſcha. Sin autem ager omnino nondum cultus fuiſſet, arabatur ſemel atque iterum. *Similam Mechmas, & Mezonichæ fuiſſe ſelectiſſimam a Miſna ibidem docemur*. Sed quodnam eſt optimum? Mechmas & Mezonicha primas tenet partes in ſimila, ſecundas vero Chaphariim in valle. *Credi vix poteſt qua cura frumenta tererent, fricarent, ac cribrarent. Miſna ibidem oap. VI.* 5. Omnia munera requirunt trecentas contritiones, & quingentas calcationes, & contritiones, calcationeſque in tritico. R. Joſe dicit, etiam in maſſa. *Et paucis interjectis*. Manipulus in tredecim cribris cribrabatur, & duo panes in duodecim, & panis facierum in undecim. R. Simeon dicit, non erat limitatio &c. *Maimonides ibidem*. Jam triticum commode ventilabant, tum autem confricabatur, & terebatur adeo, donec ei gluma detraheretur. Quodcunque triticum ad altaris adhibebatur ferta, oportebat fricari trecenties, & quingenties teri. Itaque triticum primo fricabatur ſemel, & terebatur bis, rurſusque fricabatur bis, & terebatur ter ſic, ut tereretur quinquies, dum fricaretur ter; porro redibatur ad eumdem fricandi & terendi modum, uſque dum plane trecenties fricatum, & quingenties tritum fuiſſet adeo ut omnino omni gluma denudaretur. Jam ad majorem ſeveritatem itio reditioque pro una & eadem fricatione putabatur &c.

[163] *Ipſos coquere &c. Omnium munerum ſubactio, depſio, configuratio, & coctio etiam ab alieno, ideſt ab eo, qui non erat Sacerdos, fieri poterat. Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. XII.* 23. Fertorum fruges molebantur, & ſuccernebantur extra Sanctuarium, pinſebantur autem ferta, & coquebantur intra Sanctuarium. Atque omnia ipſorum opera ab alieno uſque homine fieri licebat, donec afferebantur ad locum, quo demebatur ex illis plenus pugillus. *Quomodo coquerentur panes propoſitionis diſcimus a Toſaphta Menachoth cap. XI.* Tam duo panes, quam panis facierum ſubigebantur, & configurabantur foris, & coquebantur intus, & non pellebant Sabbathum, verba R. Meyr. R. Jehuda dicit;

cit; omnia eorum opera fiebant intus. R. Simeon dicit, omnia eorum opera fiebant foris; quod R. Simeon dicebat semper solebant dicere, tam duo panes frumenti novi, quam panis facierum, tam erant legitimi in atrio quam in Beth-Phage, sicuti erant illegitimi in atrio, ita etiam in Beth-Phage. Et conclave ibi separatum erat, in quo parabantur; Furnus ibi erat similis palæ quadratæ, qui unum de duobus panibus frumenti novi, & duos de panibus facierum continebat. Tres formæ ibi erant, una pro furno, altera pro massa, tertia qua efferebatur panis in furno reponendus, ne corrumperetur. *Maimonides de sacrificiis Jugibus cap. V. 6.* Jam hæc erat ratio efficiendi panis propositionis; efferebantur quatuor & viginti sata tritici ejus generis, quod idoneum esset ad ferta; ea itidem ut reliqua fertorum tritica terebant, calcabant, molebant; tum cribris undecim vigintiquatuor decimas similaginis inde succernebant, ex quibus efficiebantur duodecim placentæ, & eæ azymæ. Quamquam si nec essent succretæ cribris undecim, nec fuissent redactæ ex satis viginti quatuor, modo fuissent e similagine, tamen erant idoneæ; nec enim præfinitæ sunt istæ mensuræ, nisi quia ita fieri laudabilius est. Eas igitur placentas oportebat extra atrium subigi, atque in formam suam protendi ligno tereti. Rursus easdem veluti reliqua ferta intra atrium coqui oportebat: Jam pinsebatur seorsim unaquæque placenta, & coquebantur simul placentæ binæ. His efficiendis erant ex auro typi tres, in eorum uno imponebatur placenta, idest depsita farina, coquebatur placenta in altero; & cum esset extracta furno, ponebatur in typo tertio, ne corrumperetur.

[164] *Inter alia munera &c. Tosaphta Parah cap. III. 7. 8.* Combustio Vaccæ, & ejus aspersiones per Sacerdotem magnum, & reliquæ omnes ejus operationes per Sacerdotem vulgarem juxta versiculum qui dicit; *Tradetisque eam Eleazaro Sacerdoti. Num. XIX.* 3. Illa Mosis immolata fuit ab Eleazaro, qui erat Sagan, & reliquæ omnes Vaccæ manu Sacerdotis vulgaris. Verba R. Meyr. R. Jose filius Rabbi, & R. Simeon, & R. Eliesèr filius Jacobi dicunt, illa (*immolata fuit*) manu Eleazaris, qui erat Sagan, reliquæ omnes vaccæ etiam per Sacerdotem magnum. *Maimonides cap. I. 2. Parah.* Etiam Sacerdos gregarius legitimus est ad comburendam vaccam, uti *Num. XIX.* 3. dicitur. *Tradetisque eam Eleazaro Sacerdoti*, quamvis tunc adhuc viveret Aaron; At ex traditione discitur hanc vaccam per Eleazarum fuisse immolatam, reliquas autem vaccas indiscriminatim vel per Sacerdotem summum, vel per Sacerdotem gregarium mactatas esse. *Et in commentario ad cap. III. Parah.* Sermo hic fit de peculiari Sacerdote Vaccam combusturo; sed scias volo, quod omnis Sacerdos aptus sit ad combustionem; dicit Lex Num. XIX. 3. *Tradetisque eam Eleazaro Sacerdoti*, is autem Sacerdotum inspector erat isto tempore. Dixerunt in *Sipra*, hoc factum est ab Eleazaro, & in reliquis vaccis tam a Summo Pontifice, quam a Sacerdote vulgari. *Nachmanides in Biur al Torah.* Videtur præceptum hoc secundum mysterii sui profunditatem, potius fuisse ut *Vacca rufa traderetur maximo in Sacerdotibus*. Sed tamen, non tradebatur Aaroni, fortassis *ob ejus magnificentiam*, quia Sanctus erat Dei, & purus ejus, expians in Sanctuario, nec eapropter Deus ipsi officium demandare volebat extra Sanctuarium. Vel hoc factum esse dici potest ad coronandum Eleazarum, eumque initiandum vivente parente *per præceptum quoddam* (*illud exequendo*) ex præceptis Sacerdotis magni. Vel accidit idem in pœnam Vituli, *quem conflaverat Aaron*, secundum Verba R. Haddarschan.

[165] *Colore erat rufa rubro &c. Tosaphta Parah cap. I. 7.* Si duo pili nigri sint in ea, vel albi in una fovea, reproba est; si vero in duobus sint poris, legitima est. R. Jehuda dicit, etiam in uno poro. R. Jose filius Messullam dicit, potest *forcipe* auferre superiorem, neque sollicitus sit de tonsura. *Maimonides Parah.* Cap. I. 2. 3. 4. Per integritatem Vaccæ, quæ in lege memoratur, non intelligitur perfectio staturæ, sed perfectio rubedinis. Quod si vero fuerit parvula, legitima tamen est, sicuti reliqua consecrata. Si fuerint in ea duo pili albi vel nigri in fovea una, vel in duobus poris, ut sint sibimet impositi, illegitima est. Si fuerint in ea duo pili, & radix eorum rubuerit, caput vero nigruerit, vel radix fuerit nigra, & caput rubrum, tum omnia æstimantur secundum radicem; & tondere quis forficibus caput eorum nigrum potest, neque sollicitus esse debet de tonsura in consecratis, quum intentio ejus non fuit, ut tonderet. Et necesse est ut supersit de rubro, ut possit auferri forfice, quia omnis pilus, qui non potest auferri forfice, habetur pro nullo. Quapropter si in illa fuerint duo pili albi, vel nigri, qui non colliguntur forfice, ecce tunc illa legitima est. Si cornua ejus vel ungulæ nigruerint, exscindantur.

[166] *Integra porro fuit &c. Siphri ad Num. cap. XIX. 2. In qua nulla sit macula*, cur dictum est? etiamsi non esset dictum, argumento addiscere poteram. Si bestias consecratas, quæ opere non fiebant illegitimæ, macula reprobabat, Vacca, quæ opere reprobatur, non erit æquum, ut macula reprobetur? Non probas; Quod si dixisti in bestiis consecratis, quæ cum puritate immolandæ erant, idcirco macula eas reprobabat, idem dices in Vacca, quæ cum immunditia immolabatur, idcirco macula eam non reprobabit. Ecce sacrificium Paschale, quod probabit, quod quamvis cum immunditie immolaretur, tamen macula non reprobabat, & pro Vacca probabit, quod quamvis cum immunditie immolaretur, macula non debebit reprobare; minime; quod si dixisti dein sacrificio Paschali, hoc erat, quod habebat tempus statutum, ideo macula illud non reprobabat, dices in Vacca, quæ statutum tempus non habet, & cum immunditie offerebatur, ideo eam macula reprobare non debebit, idcirco dictum est, *in qua nulla sit macula*. Hissi filius Akabiæ dicit, *in qua nulla sit macula*, cur dictum est? quod etiamsi non diceret, argumento addiscere poteram; si bestias consecratas, quæ nigredine & albedine non excludebantur, macula excludebat, Vaccam, quæ nigredine & albedine excludebatur, macula excludere non debebit? Si igitur hoc argumento uti poteram, quid igitur dicere oportebat, *in qua nulla sit macula*? Quia erat argumentum pro vitula, quæ decollanda erat, ut maculis excluderetur. Si bestias consecratas, quæ opere non reprobantur, macula excludit, Vitula decollanda, quæ opere reprobabatur, non erit æquum, ut macula reprobetur? ideo dictum est, *in qua nulla sit macula*; in ea nulla erit macula, sed si in vitula erit macula, legitima est; & R. Jehuda filius Betheræ dicit, si sacrificium pro peccato avis, cujus offerentes sunt puri, macula non reprobabat, Vacca, cujus offerentes sunt immundi, non erit æquum, ut macula non reprobetur? Ideo dicit dictum est, *in qua nulla sit macula*, in ea non erit macula, sed si fuerit in iis, qui eam offerunt, erit legitima. Dixit R. Josia; dixi coram R. Jehuda, quomodo intelligitur macula in iis, qui eam offerunt? mihi ostendit veluti duas caudas, quæ e medio suorum digitorum prominebant.

[167] *Et expers jugi &c. Siphri ibidem. Nec portaverit jugum*; De jugo, quo non laboratum sit, textus agit, si dices de jugo, quo opus facit, dixisti? Est argumentum a minori ad majus, Si vitula, quæ macula non excluditur, excluditur jugo, Vacca, quæ macula reprobatur, non erit æquum, ut jugo reprobetur? Ecce bestiæ consecratæ, quæ probabunt, quod macula eas excludat, & jugum non excludat, & eæ probabunt pro Vacca, quod quamvis macula excludat, jugum excludere non debeat. Non probat, quod si dixisti pro rebus consecratis, quæ nigredine, & albedine non reprobantur, idcirco eas jugum non reprobat, dices de Vacca, quæ nigredine & albedine reprobatur, idcirco eam jugum reprobare debebit; ideo quod dicitur, *quod non portaverit jugum*, textus agit de eo jugo, quo non fit opus; unde probatur omne aliud opus æque ac jugum considerandum esse; dixisti? Est argumentum a minori ad majus; Si in Vitula, quæ a macula non excluditur, consideratur omne aliud opus æque ac jugum, in Vacca, quæ macula reprobatur, non reputandum erit omne aliud opus æque ac jugum? Ego in contrarium dicam; Si Vaccam, quam macula excludit, non excludunt alia opera æque ac jugum, in vitula, quæ macula non reprobatur, non erit æquum, ne reputentur reliqua opera æque ac jugum? Ideo dictum est; *nec terram scidit vomere*. Deut. XXI. 3. Contra prius & postea argu-

argumentatus ſum, & oppoſitio confutatur; Igitur uti prius; argumento utar; Si in Vitula, quæ macula non reprobatur, reputantur reliqua opera æque ac jugum, in Vacca, quam macula reprobat, non reputanda erunt reliqua opera æque ac jugum? *Maimonides ibidem cap. I.* 7. Omnia vitia, quæ reprobant in conſecratis, illa & vitiant in Vacca rufa, prout dicitur Num. XIX. 2. *in qua non ſit macula*. Si fuerit exiens e latere, vel pretium canis, vel merces meretricis, vel raptum, vel ſi coitum paſſa ſit maſculi, tunc reproba eſt, quia omnia quæ reprobant in conſecratis ad altare, reprobant quoque in vacca; atqui etiam ſit ex conſecratis, quæ conſervando templo deſtinabantur, nihilominus Scriptura S. eam vocat ſacrificium pro peccato. Et licitum eſt emere illam a Gentilibus, neque ſolliciti eſſe debent ne forte concubuerit cum ea Gentilis, quia ille non facile nocet beſtiæ ſuæ. Major eſt vacca rufa reliquis conſecratis, quia & illam opus reprobat, ſicuti dicitur, *quæ non portaverit jugum Num.* XIX. 2. Sed de Vitula decollanda loquitur textus *Deut. XXI.* 3. *Quæ non traxit jugum, nec terram ſcidit vomere*. Quemadmodum enim jugum, quod de Vitula decollanda dicitur, non excludit reliqua opera, ſic e contrario jugum, quod de Vacca rufa dicitur, omnia opera excludit æque ac ipſum jugum, hoc tamen diſcrimine, ut jugum reprobet ſive ſit hora operis, ſive non, reliqua autem opera non niſi hora reprobant. Quando alligat ipſi jugum, etiamſi cum illa non araverit, tamen reproba eſt illa. Si induxerit e. g. illam ad triturandum, tunc illegitima non redditur donec trituret cum illa; & ſic ſimilia hiſce. Si inequitaverit illi, aut illi ſit innixus, vel adhæſerit caudæ ipſius, ſicque transmeaverit fluvium, vel circumvolverit illi capiſtrum, aut impoſuerit illi pallium ſuum, & dederit ſuper eam tegumentum ſaccorum, reproba eſt. Si ligaverit illam fune ſuo, quando deſcendit de monte, atque opus tutamine habet, legitima utique admittitur, ſin minus ſe res ita habet, illegitima eſt. Siquidem omnis cuſtodia, quæ neceſſaria non eſt, inutilis eſt. Si fecerit ipſi ſandalia, ne vacillet, aut impoſuerit pallium ei, ne vexetur a muſcis, legitima illa eſt. Hæc eſt regula univerſalis, *omne quod ipſi fit, ut eo habeat opus, legitimum eſt, ſin vero in neceſſitatem alterius contingat, tunc reprobum eſt in Vacca illud*. Si ipſa pro ſe ipſa fecerit opus, aut caſu ſuper illam pervenerit jugum, ſi in gratiam ejus (Domini) factum, reproba eſt, uti dicitur, *nec terram ſcidit vomere*. *Deut. XXI.* 2. Quippe ſi fecerit in gratiam illius, ecce hoc non aliter videtur ac ſi fecerit opus cum ea. Quapropter ſi habitaverit ſuper illa (ſeu nidulata fuerit) avis, tum legitima ea, minus vero ſi aſcenderit ſuper illam mas. Neque enim neceſſe eſt dicere, quod gravida ſit illegitima. Si forte ipſa ſubierit juncturam, trituraveritque ſuapte ſponte, legitima manet, ſi ipſe dominus illam introduxerit in ſaginarium, & trituraverit cum illa, illegitima eſt, cum illud fecerit in gratiam ejus, uti ſeſe res quoque habet in ſimilibus.

168 *Publico ære &c. Siphri ibidem; ut adducant*, de ſeparatione Conclavis. *Miſna Sekalim cap. IV.* 2. Vacca Rufa, & hircus emiſſarius, & lingua coccinea ex hac pecunia conclavis comparantur. *Maimonides Parah cap.* 1. Si vero tantum vitulam reperire poſſunt, paciſcuntur de ejus pretio, ut ſit apud Dominum ſuum, donec adoleverit, atque facta ſit Vacca, ubi tunc eam comparant ex oblationum pretio. *Et cap. IV. de Siclis*. Quid fit cum oblatione conclavis? Sumunt inde &c. Et vaccam rufam, & hircum emittendum, cum lingua coccinea, quam ligant inter cornua ejus; hæc omnia veniunt ex oblatione conclavis. *Clivus vero, qua Vacca rufa ad montem oliveti deducebatur, ex reſiduis nummis conclavis exſtruebatur*. *Miſna Sekalim ibidem*. Gradus Vaccæ rufæ vero, & hirci emiſſarii, & lingua, quæ eſt inter cornua ejus &c. ex reſiduis conclavis nummis. *Maimonides ibidem*. Clivum exſtruxerunt a monte templi ad montem olivarum, ut per eum adducerent vaccam rufam, & clivum per quem educerent hircum emittendum, & utrumque fecerunt ex reliquiis conclavis.

169 *Qui ſeptiduo &c. Maimonides ibidem cap. II.* Faciunt majores gradus in puritate Vaccæ rufæ, & remotiones magnas curant elongando ab immunditie mortui. In omnibus ejus operibus, quia hæc recta inter lota die, ſolliciti ſunt ne quid vilipendatur. Atque ob hanc cauſam, quando ſeparant Sacerdotem combuſturum Vaccam, ſeparant eum in conclave proximum atrio, quod domus lapidis appellabatur, quoniam vaſa ejus omnia erant lapidea, quæ immunditiem non recipiebant. Atque miniſtrabatur ipſi in vaſe lapideo per omnes ſeptem dies ſeparationis. Neque etiam attingere ipſum per iſtos dies poterant Sacerdotes, ut ſic puritas ejus, atque a labe omni immunitas adaugerentur. Septem dies ante combuſtionem Vaccæ ſeparant eum ab uxore ſua, a domo ejus, ſicut ſeparant Sacerdotem magnum ad miniſterium diei expiationis, eſtque hæc res traditio a Moſe magiſtro noſtro, ne forſitan in ea deprehendatur *ſeparatio*, ſicque ille immundus fiat per ſeptem dies. Conclave in quo tunc habitabat per ſeptem illos dies, erat ſeptentrionale orientale, ut in memoriam ipſi revocaretur, quod vacca hæc rufa ſeſe habeat inſtar ſacrificii pro peccato, quod verſus ſeptentrionem mactatur, etiamſi illa mactanda eſſet extra Sanctuarium. Per ſingulos iſtos ſeptem dies ſuper eum ſpargunt aquam luſtralem, ſi forte uno illorum mortuo fuerit immundatus, idque ignoraverit; at excipiunt diem quartum ſeparationis, quippe qui opus ſparſione non habet, quoniam impoſſibile eſt, ut non ſit, (edit. Juſtinianæa שיהיה לא) hoc modo (ſi per tres dies jam fuit ſparſum) ſit dies tertius aut ſeptimus ab immunditie, quum etiam ſparſio die ſeptimo facta pro illa ſeptima ſparſione haberi non poſſit, donec ſparſio ante illam facta ſit die tertio. Et ſecundum conſtitutiones legales ita ſeſe res habebat, *ut ſparſio non requireretur, niſi tertio & ſeptimo die ſeparationis*. Quarta die Sabbathi ſeparabant eum, ut expectatio illa, quæ die quarto ipſi erat obſervanda, ne ſpargeretur, haberet locum in Sabbatho, quoniam & ſparſio Sabbathum non pellit, & die quarto ſparſio fieri non poterat. Qui ex illis ſingulis diebus in illum ſpargunt, ſpargunt de cinere uniuscujuſque Vaccæ earum, quæ jam antea combuſtæ fuerunt. Si vero præter unius tantum Vaccæ cinerem nihil ſupereſt, ſpargunt de illo duntaxat in Sacerdotem omnes ſex dies. *Vide ejuſdem, & Bartenoræ commentarium ad Cap. III. Codicis Parah*.

170 *Per* כבש *&c. Toſaphta Parah cap. II.* 7. Clivum exſtruebant a monte Domus ad montem unctionis, & fornices e regione fornicum, & erat ibi clivus, ſed columnæ marmoreæ conſtituebantur, & aſſeres e cedro erant ſuper eas, neque opus erat, ut Vacca per clivum exiret. *Maimonides ibidem cap. III.* Non comburunt Vaccam niſi extra templi montem, uti dicitur in Scriptura, Num. XIX. 3. *qui eductam extra caſtra*. Et comburebant eam in monte Oliveti. Erigebant nempe a monte Templi ad montem Oliveti clivum quemdam, ſuper quo exſtructi erant fornices, ita ut fornix unus ſemper duobus niteretur fornicibus, ita ut eſſent fornicis pedes duo ſuper recto duorum fornicum, qui infra illum, ut eſſet ſuper quovis concavitas propter ſepulchrum abyſſi. Etiam infra locum combuſtionis & lavacri, qui erat in monte Oliveti, erat concavitas propter ſepulchrum abyſſi. Vacca quoque, & combuſturus, omneſque ejus coadjutores in combuſtione e templi monte ad montem Olivarum ſuper hoc Clivo exibant. Quomodo comburunt illam? Seniores Iſraelis pedibus anteibant ad montem Oliveti, ubi domus lavacri erat. Sacerdos igitur & ſocii ejus in combuſtione & Vacca exibant ſuper hoc clivo, & veniebant ad montem Oliveti.

171 *Ubi rogo impoſita &c. Toſaphta Parah cap. II.* 9. Colligabant eam fune junci, ponebantque ſuper ſtrue; alii dicunt, per baſim ipſa aſcendebat; R. Elieſer filius Jacobi dicit, pontem ei conſtruebat, capite ad meridiem verſo, & facie ad accidentem. *Maimonides ibidem*. Ligna autem ibidem ſtructa erant cedrina, abietina, ornea, & ficulnea lævia, & exſtruebant ſtruem ad modum turris, atque aperiebant in illa feneſtras, ut ingrueret per illas ignis, & facies ſtruis erat verſus occidentem. Ligabant igitur Vaccam fune junci, & ponebant illam in ſtrue, ut caput ejus verſus meridiem, facies autem verſus occidentem proſpiceret. Sacerdos vero ſtabat verſus orientem, facieſque ejus erat verſus occidentem.

Vacca a Sacerdote in veſtibus albis mactanda erat. Siphri ibidem. Iſta eſt religio, dicitur hoc loco *religio*,

& di-

& dicitur alibi *religio*; ſicuti *religio* ibi dicta erat cum veſtibus albis, etiam *religio* hic dicta oſtendit, quod eſſet cum veſtibus albis. Diſcipuli rogaverunt Rabban Jochanan filium Zaccai, quibus veſtibus Vacca immolaretur? eis reſpondit, veſtibus aureis; ei dixerunt: nonne nos docuiſti, præceptor noſter immolari veſtibus albis? Eis reſpondit, ſi id, quod viderunt oculi mei, & quod manus meæ operatæ ſunt, ſum oblitus, eo magis obliviſci poſſum quod didici; omnia hæc quamobrem? ut experiretur acumen diſcipulorum; & alii dicunt, hunc fuiſſe Hillelem ſeniorem, ſed is dicere non poterat, *quod meæ manus operatæ ſunt. Toſaphtha Parah cap. III. 9.* 10. Ejus præceptum erat, ut *immolaretur* quatuor veſtibus albis Sacerdotis vulgaris, ſi veſtibus aureis, aut profanis immolaſſet, reproba erat. Rogaverunt quondam diſcipuli Rabban Jochanan filium Zaccai, quibus veſtibus Vacca immolaretur; eis reſpondit veſtibus aureis; ei dixerunt, nonnne nos docuiſti veſtibus albis immolari? Eis reſpondit, recte dixiſtis, ſi meas ipſas operationes, quas meæ manus operatæ ſunt, & quas viderunt oculi mei, oblitus ſum, quanto magis eas, quas audiverint aures meæ? Non quod hæc ignoraret, ſed curabat, ut experiendo optime ejus diſcipuli erudirentur; alii dicunt fuiſſe Hillelem ſeniorem, quem interrogarunt, non quod ignoraret, ſed dabat operam, ut experiendo recte diſcipuli monerentur.

[172] *Dein ſanguinem &c. Siphri ibidem. Et tingens digitum in ſanguine ejus*; lex ejus erat, ut manu non vaſe fieret; quia erat argumentum; logus olei purificabat, & ſanguis Vaccæ mundabat, ſi per logum olei didici, non eſſe legitimum niſi manu, etiam ſanguis Vaccæ non erit legitimus niſi manu; tu argumentum adducis ex logo olei, & ego adducam a ſanguine ſacrificii pro delicto; dixiſti? diſtinguo, logus olei eſt legitimus, & eſt idoneus ad faciendum idoneum; ſi igitur per logum olei didici non fuiſſe legitimum niſi manu, ita ſanguis Vaccæ non debebit eſſe legitimus niſi manu; & ex argumento quod adducis, ſicuti eo loci a vaſe ad manum, etiam hic a vaſe in manum; ideo dictum eſt, *digitum in ſanguine ejus*; executio hujus præcepti erat manu non vaſe; *digitum* dextrum manus, tu dicis dextrum, & ego dicam quemvis alium digitum, ideo dictum eſt, *tingetque digitum dextrum. Levit. XIV. 16.* Quoniam ſæpe ſimpliciter in Lege digiti commemorantur, & uno loco textus tibi deſignat non eſſe niſi dextrum, ego quoque declaro omnem digitum a Lege commemoratum eſſe dextrum, principem manus dextræ, maxime aptum ad operandum in manu dextra præ reliquis digitis. *Aſperget contra fores Tabernaculi*, ut animum advertat, & inſpiciat portam Templi, cum ſpargit ſanguinem. *Aſperget contra fores Tabernaculi*, quod ſi non eſſet erectum Tabernaculum, aut ventus convolviſſet vela, Vacca ſacrificium pro peccato non fiebat. *Aſperget contra fores Tabernaculi &c. in ſanguine ejus*, cur dictum eſt? Cum jam dictum fuerit, *in ſanguine ejus digito*; & cur rurſus dicit *in ſanguine ejus*? quia dicit *ſeptem vicibus*, ego intelligebam ſeptem aſperſiones, & unam immerſionem; ideo dictum eſt *in ſanguine ejus ſeptem vicibus*, docemur, quod immergebat in ſanguine ſepties. *Septem vicibus*; inter ſe impediebant, quia erat argumentum; dicuntur aſperſiones interiores, & dicuntur aſperſiones exteriores, ſi didici, quod interiores inter ſe impedirent, etiam exteriores inter ſe debebunt impedire; minime; quod ſi dixiſti de interioribus, quæ expiant, ideo inter ſe impediebant, dices de exterioribus, quæ non expiant? idcirco dicam, quod inter ſe non impediant; ideo dictum eſt, *ſeptem vicibus coram Domino*, quod inter ſe impediant. Toſaphta Parah cap. II. 10. Quomodo faciebat? mactabat dextra, & excipiebat ſiniſtra, & digito dextro aſpergebat, ſi ſecus feciſſet, reproba erat. R. Jehuda dicit, dextra mactabat, & dabat ſeceſpitam illi, qui ei prope adſtabat, & excipiebat dextra, & ſiniſtræ imponebat, & digito dextro aſpergebat, ſi ſecus feciſſet, reproba erat &c. *Maimonides ibidem*. Mactabat dextra manu, & excipiebat ſanguinem manu ſiniſtra, atque ſpargebat digito manus dextræ de ſanguine, qui in manu erat ſiniſtra, ſepties verſus Templi Sanctum Sanctorum. Quoties ſpargebat, toties intingebat digitum ſanguini, & reliquæ guttulæ ſanguinis, quæ adhærebant digito, illegitimæ erant ad ſpargendum. Eam igitur ob cauſam ad quamlibet ſparſionem abſtergebat digitum ſuum ad Vaccam, & poſtquam abſolvit ſparſiones totas, manus ad cutem Vaccæ abſtergebat &c. *Et ibidem cap. IV.* 4. Si exceperit ſanguinem ejus vaſe, tum illa eſt reproba, quia Num. XIX. 4. dicitur, *& tingens digitum in ſanguine*. Nimirum præceptum illud eſt præceptum de manu, non de vaſe. Si ſparſerit e vaſe, etiamſi ſemel id inter ſparſiones fecerit, reprobum eſt. Si fecerit unam ſparſionem manu ſiniſtra, illa illegitima eſt. Si ſparſerint ſimul ſeptem Sacerdotes, ut ſparſio eorum ſit una, ecce illa etiam eſt illegitima, ſi vero una poſt alteram ſit facta, tunc recta eſt. Sparſit, & non adverſum Templum direxit, tum illegitima eſt ſparſio, quia dicitur Num. XIX. 4. *Contra fores Tabernaculi*. Non enim ſpargat niſi dirigat contra Templum, ut videat illud. Sic etiam ſeſe res habet, ſi mactaverit, aut combuſſerit, ut non verſus templum id ageret; tunc enim illa Vacca illegitima eſt, quoniam dicitur: Num. XIX. 5. *Comburetque eam cunctis videntibus*. Quomodo reproba ſit ejus ſparſio? Si ſpargit, aut comburit, aut mactat verſus meridiem, aut verſus ſeptentrionem, aut ſi poſt ipſum ſit Sanctuarium a tergo; ſin vero ſteterit inter orientem & occidentem, & facies ejus directæ ſint verſus templum, tum etiamſi non accurate direxerit verſus templum, recta tamen eſt ſparſio. Si defecerit una hiſce conditionibus, illegitima eſt, intingit ſecunda vice, & ſpargit ſparſionem unam, tunc illa reproba eſt. Aut ſi intingit ſemel, & ſpargit bis, etſi ſecundam ſparſionem non cogitaverit, ſed denuo intinxerit, & aliam fecerit ſparſionem, tamen illegitima eſt; ſi ſparſerit ſeptimo & octavo, etiamſi octavo redeat, ut intingat, & ſpargat octavam, rectum eſt; quia omne illud, quod ad ſeptimum additur eſt quaſi nihil, ſi iſte, qui addidit ſit alius Sacerdos. Nam ſi Sacerdos, qui combuſſit Vaccam, addiderit, illud reprobat, quia occupatur re aliqua, quæ tempore combuſtionis non erat agenda &c.

[173] *Per portam Suſan &c. Maimonides de Templo cap. IV.* 5. Igitur Templi ſolum viginti duobus cubitis altius erat eo ſolo, quod eſſet ad portam montis ædis in oriente ſitam, atque illa quidem montis ædis porta viginti cubitos erat in altitudinem edita; ergo fieri non poterat, ut is qui ſtabat ante portam montis ædis, oſtium templi conſpiceret. Quapropter ſupra portam illam paries valde depreſſus erat, ut Sacerdos in monte Oliveti inſiſtens oſtium templi cerneret tum cum Vaccæ rufæ ſanguinem contra Templum ſpargeret. *Sed clarius & uberius in commentario ad cap. II. 4. Middoth*. Prolixa indiget expoſitione hæc Miſna, idcirco animum advertas volo ad ea quæ dicenda ſunt, poſtquam præmiſero, quod e ſanguine Vaccæ rufæ ſpargi debebat coram Templo, ut eſſet in conſpectu ipſius, ſicuti ſcriptum eſt *Num. XIX. 4. Aſperget contra fores Tabernaculi*. Hicce vero tractatus eſt ſecundum R. Elieſerem filium Jacobi in hoc capite dicentem, quod atrium mulierum altius erat atrio Iſraelitarum ultra duos cubitos cum dimidio. Quando autem per portam Suſan montis templi intrabat via recta donec ad antemurale perveniſſet, deinceps ab antemurali per duodecim gradus aſcendebat donec ad atrium mulierum perveniſſet. Mulierum vero atrium erat altius monte templi ſex cubitos; diximus enim quod omnis gradus in templo dimidium cubiti altus erat. Poſtea ibat per totam atrii mulierum domum ad dextram, & a fine illius aſcendebat ad atrium Iſraelitarum per quindecim gradus, uti dicemus inferius in hoc capite; idcirco atrium Iſraelitarum ſeptem cubitos & dimidium altius erat atrio mulierum. Deinde vero ab atrio Iſraelitarum aſcendebat ad atrium Sacerdotum per ſuggeſtum, qui cubitum altus erat, & per tres gradus ſupra ſuggeſtum. Tum ibat per atrium Sacerdotum, & altare inter porticum Ulam & altare per ſolum rectum. Poſtea per duodecim gradus ibat ad porticum Ulam, uti dictum eſt tertio capite hujuſce Codicis. Ulam vero & Templum erant in ſolo recto, idcirco Templum erat ſupra atrium Sacerdotum ſex cubitos. Elicimus ergo ex omnibus altitudinibus, quod Templi ſolum altius erat ſolo montis Templi, ubi porta Suſan erat, viginti duos cubitos, & altitudo portæ Suſan ſaltem viginti erat cubitorum, uti diximus, quod hæc erat omnium portarum altitudo. Propterea cum Sacerdos ſtaret in monte olivarum, & per portam

Su-

Susan videret, visus ipsius assequebatur gradum octavum porticus Ulam; sed Templi januam nullo modo videre poterat, quia inferius limen altius erat superiori limine portæ Susan duos cubitos e regione; propterea necesse erat, ut paries supra portam Susan esset humilis, ut templum conspicere posset supra eam. Dixerunt autem eam fuisse e. g. plusquam viginti cubitos humiliorem, & ut eam conspicerent a porta Templi plusquam duos cubitos; si igitur parietis altitudo minor fuisset, id quod de porta Templi vidissent, plus esset absque dubio; & hæc clara sunt.

[174] *Non nisi novem &c. Maimonides ibidem cap.* III. 4. Quarum novem inde a præcepti hujus de Vacca rufa origine usque dum Templum secundum vastaretur, mactarunt. Nimirum primam immolavit Moses magister noster, secundam Esdras, septem vero a temporibus Esdræ comburebantur usque ad vastationem Templi. *Et in commentario ad cap.* III. *Parah* 5. R. Meyr non recenset duas Vaccas quas combussit Simeon justus pro una; sic etiam nec duas quas combussit Jochanan, qui fuit Pontifex maximus. Sapientes vero quatuor recensent, ratio est, quod negotium comburendi variat, vel quod in ipsis Vaccis aliquid fuerit, quod impulit R. Meyrum, ut eas reprobet, idcirco non computat eas.

[175] *In tres partes dividebantur &c. Tosaphta Parah cap.* II. 5. Et dividebat eum in tres partes, una reponebatur in antemurali, & altera reponebatur in monte unctionis, & tertia inter omnes custodias *Sacerdotum* distribuebatur. De ea parte, quæ inter custodias dividebatur, Sacerdotes aspergebantur; de ea, quæ erat in monte unctionis, Israelitæ sanctificabantur; & ea, quæ in antemurali reponebatur, custodiebatur, juxta versiculum qui dicit, *ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam. Num. XIX. 9. Maimonides ibidem cap.* III. 4. Nihil quicquam inferunt de cinere Vaccæ ut reponant in atrio, quoniam *Num. XIX. 9.* dicitur. *Et effundet eos extra castra*. In tres autem partes dividebant omnem huncce cinerem. Una pars dabatur in antemurali, altera in monte Olivarum, tertia autem inter omnes stationes Sacerdotum distribuebatur. De illo cinere qui distributus erat Sacerdotum Vigiliis, consecrabant Sacerdotes; ille autem qui erat in monte Oliveti, populo universo, ut sese spargerent, inserviebat; qui autem in antemurali ponebatur, asservandus erat, & custodiendus prout Scriptura *Num. XIX. 9.* loquitur; *ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam*; quippe quo docetur, quod asservarint de illo cinere. Asservabant autem hoc modo de cinere uniuscujusque Vaccæ, quam comburebant in antemurali.

[176] *Postquam aquæ vivæ &c. Maimonides ibidem cap. VI.* Non hauriunt aquas, quibus superinspergunt cineres Vaccæ nisi vase, ex fontibus scaturientibus, aut ex fluviis rapidis sese provolventibus undis, prout dicitur *Num. XIX. 17. Et mittet aquas vivas super eos in vas*. Vocatur autem inspersio cineris in aquas vivas, quæ haustæ sunt, consecratio. Ipsæ vero aquæ, super quas datus est cinis, vocantur aquæ sacrificii pro peccato, & aquæ consecratæ, quas Scriptura Sacra vocat, aquas separationis.

[177] *Ut conspici possit &c. Siphri ibidem. Tollentque de cineribus combustionis, atque peccati*. Pulvis ne ipsa erat? Nonne erat cinis? Cur igitur Textus ejus sensum mutat? quia alii rei æquiparat; dicitur hic pulvis, & dicitur eo loci pulvis (*scilicet in Sotah*) sicuti pulvis eo loci dicta erat in superficie aquæ, etiam hic erat in superficie aquæ; & sicuti illic si prius pulverem deinde aquam posuisset, officio satisfaciebat, etiam hic si prius pulverem quam aquam posuisset, non obstabat; alia explicatio; quod si suum colorem mutasset, legitima erat: *Maimonides ibidem cap. IX.* Quomodo consecrant aquas cinere Vaccæ? Infundit quis aquas, quæ nomine aquarum sacrificii pro peccato haustæ sunt, in vas, atque superinspergit aquis cinerem, ut videatur super aquas, etiamsi fuerit vas magnum aquis repletum, miscetque omnia.

[178] *Etiam a puero &c. Aspersionem a puero fieri posse omnes negant. Siphri ibidem. Homo*, ut puer excludatur, excludam puerum, excludamne etiam mulierem? ideo dixit *mundus* ad includendam mulierem, verba R. Ismaelis. *Tosaphta Parah cap. IV.* 8. Omnes possunt haurire ad sanctificandum, excepto surdo, stulto, & puero. R. Jehuda idoneum facit. R. Ismael filius R. Jochananis filii Berokæ dicit, si surdus, stultus, & puer in aliorum conspectu sanctificassent, eorum sanctificatio legitima est. *Maimonides ibidem cap.* VI. Omnes legitimi sunt ad hauriendum aquas, exceptis surdo, stulto & parvulo, etiam ad consecrandum omnes sunt legitimi, exceptis surdo, stulto, & parvulo.

[179] *Sacerdotum denique &c. R. Salomo in 2. Paral.* XVII. 8. Sacerdotum (*inquit*) & Levitarum erat docere, & informare, prout scriptum est *Deut. XXIV.* 8. *Sed facies quæcunque docuerint Sacerdotes Levitici generis*. Præfecti autem *politici* comites eorum erant, ne exarcebarent informandi ora eorum, & compellerent eos ad obediendum illis, atque faciendum secundum Judicum mandatum; exempli loco sit illud *Deut.* XVI. 18. *Judices & magistros constitues*. Judices *nimirum* ad judicandum populum, moderatores autem ad cogendum eos, ad faciendum mandatum judicum.

[180] *In hoc tamen officio &c. R. Salomon. Non est docens legem* coll. Ezech. VII. 26. Qui Sacerdotes consueverunt legem docere, sicut dicitur *Mal.* II. 7. *Et legem requirent ex ore ejus. Abarbanel ad Ezech.* VII. 26. *Et quærent visionem de Propheta*; sicut fecit Zedechias, qui tempore angustiæ suæ quæsivit Jeremiam. *Et Lex peribit a Sacerdote*. Quia Sacerdotes etiam in improbitate sua non docuerunt Legem, uti decebat, & sicut Jeremias locutus est cap. II. 8. *Sacerdotes non dixerunt; ubi est Dominus? &c.* Cum debuissent dicere populo (*ut habet Kimchius ad hunc locum*) colenti Baalem, ubi est Dominus? quod colitis alium præter ipsum.

[181] *Præterea ex iis &c. Maimonides de Synhedriis cap.* I. Præceptum vero divinum est, ut eligantur in Synhedrio magno Sacerdotes, & Levitæ juxta illud *Deut. XVII. 9. Veniesque ad Sacerdotis Levitici generis*.



C A-

CAPUT SEXTUM.

De Levitis.

§. I. Nomen & inauguratio.

I. LEvitæ, quorum dignitas inter ſacerdotes & Iſraelitas media fuit (*Horajoth.* III. 1.) illi omnes dicti ſunt qui ex tribu Levi ortum traxerunt, exceptis poſteris Aaronis. Dati ſunt ſacerdotibus *Num.* 4. 9. 12. & inaugurabantur [1] adſperſione aquæ, raſione totius corporis, (quæ tribus hominum generibus, leproſis, Naziræis, & Levitis, at dum in ſolitudine errabant Iſraelitæ duntaxat, a Deo fuit mandata. *Negaim.* XIV. 4.) lotione veſtium & corporis, ac ſacrificio juvenci gemini, unius in ſacrificium piaculare, alterius in holocauſtum, quibus Levitæ manus imponebant, uti viciſſim Iſraelitæ Levitis manus imponebant, & hi agitabantur a ſacerdote *Num.* 8. 6. 14.

§. II. Diviſio.

II. Diviſi fuere olim in Gerſonitas, Kahathias, Meraritas, de nomine trium filiorum Levi, quorum munus in translatione tabernaculi, & numerus deſcribitur *Num.* 4. 4. Poſtea vero, uti ſacerdotes, [2] in 24. claſſes diviſi ſunt, quibus totidem capita præerant, & quælibet claſſis in ſeptem alias, quibus munus ſuum caput familiarum aſſignabat, ita ut per vices ſingulis hebdomadibus miniſtrarent.

§. III. Ætas.

III. [3] Ætas qua apti ad munus cenſebantur fuit media, ſic ut tranſcenderint ætatem primæ juventæ necdum ſenectutis attigerint, & *Num.* 4. 3. dicitur fuiſſe a trigeſimo anno ad quinquageſimum : confer 1. *Chron.* 23. 3. ſed *Num.* 8. 24. a quinto & vigeſimo. Quam differentiam quinquennii Judæi vulgo derivant ex tempore quo Levitæ munus ſuum addiſcere debuerunt, videlicet 5. annis. Verum alii putant in poſteriori loco Levitas ætatis annorum 25. memorari, quod ibi tantum de miniſterio ordinario cantus & excubiarum agatur, quibus juvenes illius ætatis pares erant, ſed in priori de portandis quoque oneribus agi, ad quæ Levitæ ætate magis provecti & firmi roboris requirebantur. [4] Quod autem anno 50. dicantur dimittendi, *Num.* 8. 25. ſpectat ea tempora, quibus tabernaculum transferre debebant : poſtea enim nec ætas, nec vitia corporis (quæ Levitam non reddebant ineptum) eum immunem a miniſterio præſtabant. *Chullin.* 1. 6. Structuræ templi & excubiis Levitæ ab anno vigeſimo præpoſiti fuiſſe leguntur 1. *Chr.* 23. 24. 27. *Ezr.* 3. 8. 2. *Chron.* 31. 17.

§. IV. Veſtes.

IV. Veſtes eorum fuere diſtinctæ a veſtibus ſacerdotum. Id liquet ex *Joſeph. Ant.* XX. 8. 5. Lineæ tamen, uti אפוד בד 1. *Sam.* 2. 18. quo etiam alii induebantur. 2. *Sam.* 6. 13. Nec videtur illud ephod cum ephod pontificis maximi conveniſſe, ſed alterius veſtis nomen fuiſſe : quum & Græci eam per ϛολὴν, & Chaldæus כרדוט tunicam χειροδωτὸν reddiderint. 2. *Chron.* 5. 12. comparent מלובשין בוץ induti byſſo (eſt hoc optimi lini genus) ubi Græci reddunt ἐνδεδυμένοι ϛολὰς βυσσίνας, & 1. *Chron.* 15. 27. cantores induti tunica byſſina בוץ fuiſſe leguntur, & III. *Ezr.* 7. 9. ἐϛολισμένοι & Levitæ & ſacerdotes appellantur. Quum autem proficiſcebantur per terram Iſraeliticam, baculo, marſupio, & libro legis plerumque erant inſtructi, *Jevamoth.* XVI. 7. 2. *Chr.* 17. 9.

§. V. Munus eorum qui miniſtri erant ſacrorum.

V. Reſpectu muneris diſpeſci poſſunt Levitæ, præeunte Joſepho *Ant.* XI. 5. in tres ordines (τάξεις Philoni *lib.* III. *de vita Moſis*) in ἱεροδέλες, ἱεροψάλτας & θυρωρὲς, *miniſtros ſacrorum*, *cantores & janitores*. Τῶν ἱεροδέλων munus fuit ſtante tabernaculo [6] arcam Dei & vaſa ſancta portare. *Num.* 4. 15. 1. *Chron.* 15. 2. deinde inſervire ſacerdotibus in rebus ſacris, uti in ſacrificiis, [7] non quidem ſpargendo ſanguinem (quod ſacerdotum erat) ſed excoriando victimas & coquendo, atque aſſando agnos paſchales 2. *Chron.* 35. 11. 14. Ita legimus 2. *Chron.* 29. 15. 16. quum Levitis & ſacerdotibus mandata eſſet cura purgandi templi & vaſorum ejus [8] ſacerdotes ſolos intraſſe ipſam ædem ſacram, & quæ in ſancto בהיכל polluta inveniebant extuliſſe לחצר in atrium ad Levitas, & Levitas ea detuliſſe foras ad vallem Kedron. Confer 1. *Chron.* 9. 32. ubi Kahathitæ conficiendis panibus propoſitionis præpoſiti dicuntur, & alii e Levitis operi חביתין, per quod videntur cruſtula pontificis intelligenda, cantui atque excubiis & portationi vaſorum ſacrorum : ſed præparatio aromatum ſuffitus ſacerdotibus aſſignatur *comm.* 30. Fuere & aliquando præpoſiti decimis, primitiis, aliiſque rebus ſacris conſervandis, quas populus obtulit. 2. *Chron.* 31. 13. iiſque diſtribuendis *comm.* 14. Confer 1. *Chron.* 23. 28.

§. VI. Canere.

VI. Præterea munus eorum præcipue conſiſtebat [9] in cantu, & excubiis 1. *Chron.* 25. & 26. & ita *Nehem.* 10. 29. tantum memorantur הלוים השוערים המשוררים *Levitæ cuſtodes & cantores*. Cantores, id eſt, qui canerent voce & qui pſallerent, a Davide

in viginti & quatuor classes fuisse divisos, secundum numerum filiorum Asaph, Jedithun, & Heman liquet ex 1. *Chron.* 25. [10] Cantorum instrumenta musica tria fuerunt נבלין הצלצל, כנורות [11] *Nablia*, 2. *ad minimum*, [12] *citharæ* 9., [13] *& cymbalum* unum. *Neh.* 12. 27. & 1. *Chr.* 25. 1. & 2. *Chr.* 5. 12. & 2. *Chr.* 29. 25. *Erachin.* 11. 3. 5. [14] Qui ore canebant, in eodem quo alii consistebant דוכן sive suggesto, 2. *Chron.* 20. 19. *Nehem.* 9. 4. ubi non pauciores quam duodecim Levitæ erant, *Erachin.* 11. 6. quibus alii tractantes instrumenta musica adstabant, qui non modo Levitæ sed & Israelitæ genere clari erant. [15] Primo autem die hebdomadis ad motum sudarii saganis, tempore libationis in sacrificio jugi, canebant *Psalm.* 24. secundo *Ps.* 48. tertio *Ps.* 82. quarto *Ps.* 94. quinto *Ps.* 81. sexto *Ps.* 93. sabbatho *Ps.* 92. *Tamid.* VII. 4. *Gem. Rosch Hasschana* 31. 1. & *Midrasch Schir Hasschirim.* 25. 4. Sunt qui putent etiam mulieres in templo cantasse, quum *Nehem.* 7. 67. משוררות cantatrices memorentur, sed Judæi negant, dicentes ita appellari cantorum uxores: vel possunt intelligi cantatrices aliæ, quales 2. *Sam.* 19. 35.

§. VII. Et excubias agere.

VII. [16] Levitæ autem janitores a Davide quoque in 24. classes divisi 1. *Chron.* 27. excubias noctu agebant in templo primo, locis 1. *Chron.* 26. memoratis; in secundo, 21. locis, ad 5. portas montis templi, in monte ad 4. angulos intrinsecus, ad 4. angulos atrii magni extrinsecus, & ad 5. portas atrii (nam portam Nitzotz & ardoris observabant sacerdotes quemadmodum & Beth moked, ubi sacerdotes adulti dormiebant, sed minores natu qui sacris operari nondum poterant excubebant) uti & conclave oblationis, veli, & post Sancta sanctorum. *Gem. Tamid.* 61. 1. *Middoth.* 1. 1. Quumque unaquæque custodia decem Levitas habuerit, ut Judæi tradunt, 240. Levitæ & 30. sacerdotes (nam & Levitæ erant tribus in locis ubi excubabant sacerdotes *Num.* 18. 4.) singulis noctibus excubias egerunt. Interdiu autem Levitas quoque ad portas templi constitisse, ne quis pollutus ingrederetur, ex Josepho colligitur *lib.* IX. *Antiq.* 7. at Hebræorum plurimi non nisi noctu excubias in templo actas volunt.

§. VIII. Docere populum & judicare.

VIII. Præterea Levitæ fungebantur munere docendi populum uti & sacerdotes, 2. *Chron.* 35. 3. *Nehem.* 8. 10. quod [17] a Mose prædictum erat *Deut.* 33. 8. in quem finem videntur dispersi fuisse per regiones cæterarum tribuum, [18] uti Jacobus prædixerat, *Gen.* 49. 7. quo facit *Judic.* 17. 9. [19] Denique judices erant, שופטים ושוטרים, quos Moses constituere jubetur, & David suo tempore e Levitis elegit, 1. *Chron.* 23. 2. *Chron.* 19. 11.

§. IX. Ministri eorum Nethinæi.

IX. Dati sunt Levitis ministri, [20] Nethinæi dicti, quo nomine omnes intelligimus qui aliquando dati sunt Levitis ut iis opem ferrent. Ita *Num.* 31. 29. Midianitæ dicuntur dati Levitis נתתה אותם ללוים שומרי משמרת משכן יי. Postea etiam [21] Gibeonitæ a Josua dati fuerunt toti populo & altari Dei, uti ministri in cædendis lignis & haurienda aqua. *Jos.* 9. 26. Confer *Gem. Jevamoth* 78. 2. Sic ut Nethinæi non e solis Gibeonitis constiterint, sed omnibus qui unquam Levitis dati fuerunt. Verum nomen נתנים ante tempora Davidis non memorant scriptores divino spiritu instincti, qui Levitis ministros hoc nomine dictos dedit. *Ezr.* 8. 20. In conjugiis contrahendis par [22] spuriorum & [23] Nethinæorum erat ratio, sic ut filia Israelitæ interdicta fuerit utrique, [24] uti vidua pontifici, & repudiata sacerdotibus. *Jevamoth.* 11. 4. *Kiddushin.* IV. 1. [25] Licet cæteroquin spurius Israelita Nethinæo præponatur. *Horajoth.* III. 8.

§. X. Urbes Leviticæ & asyla.

X. [26] Urbes Leviticæ 48. numero recensentur *Jos.* 21. e quibus tredecim sacerdotibus & 35. Levitis, qui tamen in aliis quoque urbibus habitasse leguntur, fuere adsignatæ. Sacerdotes urbes habuere in locis Hierosolymæ vicinis, portione videlicet Judæ, Simeonis, & Benjamin. *Jos.* 21. 4. *Chron.* 6. 57. Inter Levitas Kahathitæ 10. urbes, Gersonitæ 13. Meraritæ 12. adepti sunt. *Jos.* 21. 6. [27] Omnes has 48. Leviticas asyla ערי מקלט (quod ibi manus vindicis contraheretur, quum illic homicida tutus [28] usque ad mortem pontificis habitaret, dein liber esset, vel ut alii, quod viæ eo ducentes essent brevissimæ) πόλεις φυγαδευτηρίων, fuisse Judæi volunt, quum alii 6. tantum ex iis id tribuant. [29] Sex enim, tres cis Jordanem, *Cades*, *Sichem*, & *Chebron*, tres vero trans, *Betzer*, *Ramoth*, & *Golan*, numerantur, *Deut.* 4. 41. *Jos.* 20. 7. *Macchot.* II. 4. Has quidem Moses, illas Josua designavit. Confer *Num.* 35. 14. & ipsum illum locum *Josuæ* 21. 27. ubi in contextu Græco omnes 48. urbes Leviticæ πόλεις ἀφωρισμέναι τοῖς φονεύσασι appellantur, sed in Hebræo עיר de sola Golan intelligi id jubet, & distinguit asyla a reliquis urbibus: quemadmodum & *Num.* 35. 6. clarissime 48. urbes in 6. urbes perfugii & 42. alias dividuntur. [30] Non tamen idem jus asylorum 6., & 42. fuisse volunt Judæi, sed illa homicidam protexisse, sive gnarum ei esset sive ignarum loca ista jus perfugii habere: hæc vero tantum, si id illi gnarum esset; & in illis homicidam pretium pro usu ædium non solvisse, in his omni-

omnino : [31] atque tria asyla restare a Messia designanda, quod colligunt ex *Deut.* 19. 8. Denique [32] suburbia bis mille cubitorum quaquaversum unicuique urbi adsignata sunt. *Num.* 35. 4. 5. quorum pars altera agros communes, altera proprios complectebatur. Confer *Gem. Eruvin.* 56. 2.

COMMENTARIUM IN CAPUT SEXTUM.

[1] A*Dspersione &c. Maimonides ad cap. XIV.* 4. *Negaim* . Hæc omnia facilia sunt e Lege , de Levitis autem dicitur dum elegisset eos Dominus in deserto ad ministerium suum , novaculam super totam eorum carnem ducendam esse , vestesque abluendas, ut mundi essent , hæc vero tonsio in deserto tantum obtinuit , & non postea .

[2] *In 24. classes &c. Maimonides de vasis Sanctuarii cap. III.* 9. Samuel vates , itemque rex David omnes omnino Levitas distribuit in curias viginti quatuor . Earum unaquæque plenam hebdomadam ministrabat ; tum vero princeps cujusque curiæ cunctos curiales suos distinguebat in familias . Jam singulis hebdomadæ diebus ministrabant certi quidam , atque hisce diariis ministris suum cuique munus assignabant familiarum principes.

[3] *Ætas qua apti &c. Siphri ad cap. VIII. Num.* 24. *Hæc est lex Levitarum*. Annis , non macula fiebant illegitimi ; quia erat argumentum ; si quando non oberant anni , oberant maculæ, hic ubi oberant anni , non erit æquum , ut obsint maculæ ? *Hæc est Lex Levitarum* , annis fiebant illegitimi , sed maculis non reddebantur illegitimi Levitæ. *Cumque quinquagesimum annum ætatis impleverint* . Alter textus dicit ; *hæc est Lex Levitarum a vigintiquinque annis &c. Num. VIII.* 24. Alter textus dicit, *A trigesimo anno &c. Num. IV.* 3. & hoc loci dicit , *a vigintiquinque annis &c.* quomodo conciliantur textus ? Nempe viginti quinque annos natus ministerio suo addiscendo operam dabat , & trigesimo *suæ ætatis*, anno ministrabat, & quinquagesimo redibat ; ego putabam omne ministerium ibi comprehendi ; ideo dictum est ; *servire cessabunt* , *eruntque ministri fratrum suorum in Tabernaculo Fœderis* ; nos docet , quod redibat ad claudendas portas, & ad ministerium filiorum Gherason . R. Jehuda dicit, cum dictum sit in Lege , *a viginti quinque annis* , cumque etiam dictum sit , *servire cessabunt*, ego putabam , eum, qui ministrat trigesimo anno , vigesimo quinto non ministrare , ita ut etiam Sacerdos vigesimo quinto non ministraret ; ideo dictum est ; *servire cessabunt , eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo Fœderis* . Anni excludebant Levitas , sed non excludebant Sacerdotes ; & erat argumentum in contrarium ; si ubi non maculis excluditur , annis excluditur , ubi excluditur maculis , non erit æquum , ut annis excludatur? ideo dictum est ; *eruntque ministri fratrum suorum* . Anni excludebant Levitas , & non excludebant Sacerdotium . Priusquam in terram Levitæ ingrederentur, a trigesimo usque ad quinquagesimum annum Levitæ legitimi erant , & Sacerdotes , postquam duo pili eis crevissent , in perpetuum , sed postquam in terram ingressi sunt, nonnisi vocis causa Levitæ excludebantur . *Maimonides ibidem* . Nemo Levita munus suum effecturus admittebatur in atrium , quin prius esset quinquennio ministerium edoctus ; habemus enim in Lege ; *Hæc est lex Levitarum a viginti quinque annis &c.* Atqui alio loco a Lege dicitur : *A trigesimo anno &c.* Quo igitur pacto Lex sibi conciliatur? Nempe quinquennium istud in addiscenda ministerii ratione ponebatur . Etenim ministerium inire non poterat , quin jam vir grandis esset , quippe cum scriptum sit ; *Virum , virum secundum officium suum &c.*

[4] *Quod autem anno 50. &c. Maimonides ibidem* . Quod autem de Levitis in Lege dicitur ; *Cumque quinquagesimum annum ætatis impleverint , servire cessabunt* ; præceptum in id tempus erat, quo Sanctuarium , seu tabernaculum deportaretur ex uno loco in alium , non item in ea quæ post insecuta sunt tempora . Nam postea Levitam neque anni , neque corporis vitium ministerio faciebant inhabilem ; vox erat una , quæ cum in Levita confecta senio foret, hominem suis Sanctuarii muneribus faceret inhabilem . Ac mihi quidem sic videtur , omnino carmini canendo deinceps hunc haud idoneum esse , verum idoneum fuisse , qui poneretur etiam in numero janitorum . *Tosaphta Chulin cap. I.* 16. Sacerdotes , quibus duo pili crevissent , atque etiamsi senes facti essent , sunt idonei , & macula excludebantur ; Levitæ a trigesimo anno usque ad quinquagesimum erant idonei , neque macula excludebantur ; ecce quod erat legitimum in Sacerdotibus , in Levitis erat illegitimum , & quod in Levitis erat legitimum , erat illegitimum in Sacerdotibus ; de quonam tempore hæc dicta sunt ? pro tentorio conventus deserti , sed in domo sempiterna , Levitæ nisi voce non excludebantur . *Tosaphta Sekalim cap. III.* 27. Levita non introibat in atrium ad *fungendum* munere suo , nisi quinquennio studuisset , juxta versiculum qui dicit , *Hæc est lex Levitarum a viginti quinque annis &c.* Num. 8. 24. & alio loco dicit, *a trigesimo anno* ; ibid. cap. 4. 23. 30. 39. si dictum est, *a viginti quinque annis* , cur dictum est *a trigesimo anno ?* & si dictum est , *a trigesimo anno* , cur dictum est *a viginti quinque annis ?* nisi quod his annis a viginti quinque usque ad triginta studio operam dabant , & deinde ad ministerium admovebant .

[5] *Lineæ tamen . &c. Maimonides ibidem* . cap. X. 13. Quod autem in vaticinationibus reperias amictos Sacerdotes amiculo lineo, non summi Sacerdotes fuere . Nam summi Sacerdotis amiculum e lino non erat . Quin etiam ejusmodi amiculo Levitæ quoque velabantur . Samuel enim vates erat Levita , atque de illo scriptum legimus ; *Puer accinctus ephod lineo* 1. *Reg. II.* 18. amiculo videlicet isto velabantur & vatum filii , & quicunque idoneus erat , quem Spiritus Sanctus invaderet atque obsideret , quo palam fieret hominem illum assecutum esse gradum summi Sacerdotis , qui per amiculum & rationale fundit oracula afflatu divino .

[6] *Arcam Dei &c. R. Levi ben Gerson ad Num. VII.* 9. Datur hoc in loco Kehathitis præceptum portandi Arcam in humeris , propter Sanctitatem Arcæ , & reliquarum rerum sanctarum , quas ferebant &c.

[7] *Non quidem &c. Siphri ad cap. XVIII.* 2. *Num. Sed & fratres tuos* , ego putabam , quod etiam Israelitæ comprehenderentur ; ideo dictum est , *de tribu Levi* , ego putabam , quod etiam mulieres comprehenderentur ; ideo dictum est , *fratres tuos* , excluduntur mulieres , *sume tecum* R. Akiba dicit, dictum est hoc loci *tecum* , & dictum est alibi *tecum* , sicuti *τὸ tecum* ibi agit de Levitis , etiam hoc loci *τὸ tecum* agit de Levitis , ut de cantu Levitæ moneantur super eorum suggestu ; *præstoque sint & ministrent tibi* ; in tuo ministerio creabuntur præfecti & quæstores ; tu dicis , quod *τὸ & ministrent tibi , denotet* , quod creabuntur ex his præfecti & quæstores ; an ego non dicam , quod ministerio suo tibi ministrent ? ideo dictum est , *excubabuntque Levitæ ad præcepta tua , & ad cuncta opera Tabernaculi* , etiam ego dicere possum , quod suo ministerio tibi ministrabunt ; ideo dictum est ; *ego dedi vobis fratres vestros Levitas de medio filiorum Israel , & tradidi domum Domino* . Domino ipsi dati sunt, & non Sacerdotibus ; igitur tu non debebis explicare juxta ultimam , sed juxta primam interpretationem ; & elige ex his præfectos , & quæstores . *Tu autem & filii tui ministrabitis in Tabernaculo testimonii* ; Sacerdotes intus , & foris Levitæ, An ego non dicam , utrique intus ? ideo dictum est ; *sint autem tecum , & excubent in custodiis tabernaculi* ; cur igitur dicit, *tu autem & filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii ?* Sacerdotes intus , & foris Levitæ . *Excubabantque Levitæ ad præcepta tua , & ad cuncta opera Tabernaculi* ; hoc est quod diximus , tibi in ministerio tuo ministrabunt , & elige ex his quæstores , & præfectos. *Ita duntaxat , ut ad vasa Sanctuarii* ; hæc est Arca; & pariter dictum est ; *alii nulla curiositate vi-*

videant quæ ſunt in Sanctuario, priuſquam involvantur; Num. 4. 20. R. Nathan dicit, hinc ſignificatur cantus ex lege; ſed poſtea hoc ab Eſdra explicatum fuit. R. Chanania filius fratris R. Jehoſuæ dicit, id non eſt neceſſe; quia jam dictum eſt; *Moſes loquebatur, & Deus reſpondebat ei*. Exod. 19. 19. Hinc ſignificatur ex lege cantus. *Ita duntaxat ut ad vaſa ſanctuarii, & ad altare non accedant*; hæc eſt præmonitio, *ne & illi moriantur*; hæc eſt pœna; ego non probo niſi pro Levitis, qui audiunt, pœnam, & præmonitionem; de Sacerdotibus pro miniſterio Levitarum unde probatur? ex eo quod dicit, *ne & illi moriantur, & vos percatis ſimul*; ex uno ad alterum miniſterium unde probatur? ex eo quod dicit, *& vos pereatis ſimul*. & jam volebat R. Jehoſua filius Chananiæ opem ferre R. Juhanani filio Gudgedæ, eique dixit, ne accedas, quia jam reus es mortis, quia ego ſum ex Janitoribus, & tu ex cantoribus. Rabbi dicit, id non eſt neceſſe, quia jam dictum eſt; *nolite perdere populum Caath de medio filiorum Iſrael, ſed hoc facite ei ut vivant &c. Num.* 4. 18. 19. ego non probo niſi pro filiis Caath, pro filiis Ghereſon, & pro filiis Merari unde probatur? Ex eo quod dictum eſt, præcipe *Aaron & filiis ejus*. Ibid. 3. 10. Diſco pro Levitis, qui præmonentur, & puniuntur pro miniſterio ſacerdotum, & pro ſacerdotibus; pro Levitarum miniſterio unde probatur? Ex eo quod dictum eſt; *cum proficiſcendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum*, ibidem I. 51. Ab uno ad alterum miniſterium unde probatur? ex eo quod dictum eſt, *caſtrametabuntur ante tabernaculum fœderis, id eſt ad orientalem plagam*; Ibid. 3. 38. Quid neceſſe erat, ut hoc diceretur, *ne & illi moriantur, & vos pereatis ſimul?* quia venit Kore ad poſtulandum contra Aaron; pro ipſo ex hoc propoſito omnes admonentur. *Sint autem tecum*; hoc eſt quod jam diximus, quod Sacerdotes intus miniſtrarent, & foris Levitæ. *Maimonides de vaſis ſanctuarii cap. III. 9.* 10. Omnibus autem Levitis erat interdictum, ne altaris obirent munera, hoc enim ſibi vult Legis illud, *ita duntaxat, ut ad vaſa ſanctuarii, & altare non accedant, ne & illi moriantur* (Num. 18. 3.) videlicet altaris effecturi munera; nam idem hos attingere fas erat. Atque ut Levitis interdictum erat, ne ſacerdotum munia capeſſerent, ſic etiam Sacerdotibus interdictum fuit, ne fungerentur Levitarum muneribus; Nimirum hoc illud eſt, quod a Lege dicitur, *ne & illi moriantur, & vos pereatis ſimul*. Quin etiam ſancitum erat, ne Levitæ ipſi alter alterius efficeret opus, non navaret operam janitori cantor, nec cantori janitor; ait enim Lex, *unumquemque juxta officium, ac onera ſua. Num.* 4. 49. Ac ſi munia Sacerdotum eſſent executi Levitæ, vel ſi quis horum Levitarum in alio opere atque ſuo adjuviſſet, morte multaretur divinitus; hoc enim ſignificat Legis illud, *ne & illi moriantur*; Sacerdos autem, qui Levitæ munere fungeretur, omnino morte non multaretur, verum contra legem vetantem feciſſet.

[8] *Sacerdotes ſolos &c.* etiam Levitas ſi opus eſſet. *Maimonides de Templo cap. VII.* 23. Qui erat in cœnaculo locus ſancto ſanctorum directo oppoſitus, in eum ſemel in hebdomada intrabant luſtraturi ecquid in ædificio reficiendum eſſet. Atque in templum cum introibant operæ, vel ad reficiendum aliquid, vel ad eximendum inquinamentum, has omnes operas, omnes jus erat Sacerdotes eſſe integros; qui ſi non reperirentur integri, ſacerdotes intromitterentur aliquo vitio corporis affecti, his etiam deficientibus, adhiberentur Levitæ &c.

[9] *In cantu, & excubiis &c. Maimonides ibidem* cap. III. 2. Hæc igitur erant eorum officia, atque munera, ut Sanctuarium cuſtodirent, ut partim eorum janitores eſſent, qui ſanctuarii portas aperirent, ac clauderent, partim cantores, qui quotidie canerent ad rem divinam. Eſt enim in Lege; *miniſtrabit in nomine Domini Dei ſui, ſicut omnes fratres ejus Levitæ. Deut. XVIII.* 7. Ecquod igitur eſt in nomine Domini miniſterium? Cantus videlicet carminis. Canebant igitur ad omnia univerſæ Eccleſiæ holocauſta debita, itemque ad feriarum pacifica ſacrificia, quo tempore fieret vini libatio. Nam voluntate cum Eccleſia donaret holocauſta æſtiva quædam, & cum libamenta ſeparatim fierent, carmen non canebant.

[10] *Cantorum inſtrumenta &c. Toſaphta Erachin cap. II.* Non diminuendum erat de novem cytharis, ſed addi poterat. In ſuggeſto non conſiſtebant pauciores, quam duodecim Levitæ, ſed his ſemper poterant adjungi contra novem cytharas, duo nablia, & unam tubam juxta verſiculum qui dicit; 1. *Paral. XXV. 9. Ipſis & filiis ejus, & fratribus ejus duodecim*; quando dicit *prima*, nos docet, etiam eam in eo numero comprehendi. *Maimonides ibidem*. Quibus igitur fidibus utebantur? Nabliis, tibiis, cytharis, tubis, & cymbalis. Nablia nec pauciora duobus adhibebantur, nec plura ſex; neque pauciores duabus, nec plures duodecim tibiæ, tubæ non pauciores duabus, nec plures quam centum & viginti, cytharæ non pauciores quam novem, ſed augebantur ad infinitum.

[11] *Nablia &c. Aben Ezra, ad Jeſ. V. ſcribit in* nablio *eſſe decem foramina. R. Salomon ibidem*. Quare (*inquit*) vocatur nomen ejus *Nebel*? quia *Menabbel* ſtulteſcere facit omnia inſtrumenta muſica. *Kimchi ad Jeſ. XXII. 24. ſcribit*. Nablia diverſa eſſe cum clavis & chordis, & omnia tamen appellari nablia. *In Aruch ſcribitur eſſe* utrem, utriculum, *quo muſicam exercent, inflando. Et ibidem ſcribitur* eſſe lignum rotundum cum nervis ſive chordis, hinc inde extenſis. *In Schilte Haggibborim cap. VIII.* 7. נבל eſt inſtrumentum muſicum apud nos ſatis notum, quod vernacule vocatur *liuto*, in lingua ſancta vero נבל appellatur, vel quia maxima ſua ſuavitate ſtulta & abſurda reddit omnia cætera inſtrumenta muſica, uti in Medraſch Tillim dicitur, vel quia figura ſua lagenam vini refert, quæ in medio concava, atque ventre, & collo inſtructa eſt.

[12] *Cythara &c. Toſaphta Erachin cap. II.* 5. R. Jehuda dicit; Cythara Sanctuarii conſtabat ſeptem fidibus juxta verſiculum qui dicit, *Pſalm. XV.* 11. שבע *lætitia in conſpectu tuo*; tempore Meſſiæ conſtabit octo, juxta verſiculum qui dicit *in fine pro octava Pſalm. XI.* ideſt octava corda. Poſt illud tempus, conſtabit decem, juxta verſiculum qui dicit *Pſalm.* XXII. 2. *Confitemini Domino in cythara, in pſalterio decem chordarum pſallite ei. Gemara Erachin fol.* 13. *col.* 2. R. Jehuda dicit. Cythara Sanctuarii ſeptem chordarum fuit, q. d. *Pſalm.* XV. 2. שבע *lætitia in conſpectu tuo*. Verum in diebus Meſſiæ habebit octo q. d. *Pſalm.* XI. 1. *præfecto ſuper Scheminith*, intellige ſuper cytharam octochordam. In ſeculo tandem futuro decem habebit *chordas* q. d. *Pſalm.* XXII. 2. *Confitemini Domino in cythara, in pſalterio decem chordarum pſallite ei. In Schilte Haggibborim cap. IX. fol.* 8. *Inſtrumentum illud, quod hebraice* dicitur סנור in lingua vernacula *Arpa*, eſtque inſtrumentum ligneum factum inſtar portæ latæ apertæ abſque valvis, & cujus limen ſuperius latum, inferius autem anguſtum eſt, quoniam ambæ poſtes *inferius* ſibi invicem incumbunt, itaut inſtrumentum hoc infra figuram referat portæ Teri, & unum latus *τοῦ* Kinnor intus concavum fuit, atque hoc latus proprie dicitur כבור, in quo quatuor rotunda foramina ſunt, duo ſuperius, & duo inferius &c.

[13] *Et cymbalum &c. Gemara Erachin fol.* 10. *col.* 2. Cymbalum fuit in Sanctuario, quod ex ære conſtabat, ſuavis admodum ſoni, quum vero fractum eſſet, miſerunt Sapientes Alexandriam Ægypti, indeque evocarunt Artifices, qui illud reficerent, at poſtea ſonus ejus tam ſuavis *ut antea* non extitit; Abſtulerunt itaque id quod additum fuerat, ut reficeretur, tum ſonum priſtinum recuperabat. *In quem locum ita Raſchius*. צלצל ſunt duo vaſa, quæ ſibi invicem colliſa, acutum reddunt ſonum, quæ vernaculo cymbala appellari ſolent. *In Schilte Haggibborim loco citato*. Vox צלצל idem denotat ac vox מצלתים, ſic enim explicat R. D. Kimchi p. m. ad rad. צלל, ubi dicit, his vocibus denotari duo vaſa ænea, quæ colliſa inter ſe edant tinnitum. Verum juxta meam ſententiam clangor ipſe, vel tinnitus *excitatur* ſicut fieri ſolet in tubis, quæ etiam ex ære, atque ex duabus partibus conſtant, & quarum clangor excitatur partim ore, partim etiam miniſterio manuum, *eas nimirum* extendendo, ac reducendo, ſublevando, ac deprimendo.

[14] *Qui ore canebant &c. Maimonides ibidem*. Jam ſingulis quidem diebus in ſuggeſto non conſiſtebant pauciores, quam duodecim Levitæ, qui carmen ad rem divinam concinerent, ſed his ſine fine poterant adjungi. Hi quidem carmen non canebant niſi voce; etenim præcipuus eſt in miniſterio Sancto, vocum can-

cantus; verum aſtabant ibidem alii qui fidibus canerent. Horum erant alii Levitæ, alii genere clari Iſraelitæ, qui Sacerdotibus collocarent filias. Nam in ſuggeſtum aſcendebat nemo, niſi claro genere natus. Jam qui fidibus canebant, his non poterat duodecim illorum voce canentium abſolvi numerus.

[15] *Primo autem die &c. Maimonides de Sacrificiis jugibus cap. VI. 6. 7.* 8. Cum daretur vinum libanti, ſtabant Sacerdotes duo ad menſam adipum, hi duas manibus tenebant buccinas; ſtabat ad cornu altaris Sacerdotum Antiſtes, & ſudaria præ manu tenebat. Tum buccinatores clangorem edebant rectum, fractum, & rectum, iidemque veniebant, & aſtabant ad præfectum cymbalo, unus ad ejus dextram, & ad lævam alter. Remorabatur libationem parumper, qui eam facturus erat, agitabat ſudaria Antiſtes, hic cymbalo, ille buccina cantabant; concinebant Levitæ carmen, cujus ad articulum clangor edebatur, & populus omnis, qui in atrio aderat, adorabat. Atque ad ſingulos carminis articulos edebatur clangor, ad clangores ſingulos populus adorans erat. Jam inter ſacrificium juge faciendum clangores edebantur novem, ut ante diximus. Omnino carmen nunquam canebatur niſi ſuper Eccleſiæ univerſæ holocauſta, & victimas ejus pacificas lege præſcriptas; verum enim ſuper holocauſta voluntaria, quæ ſacrificabantur ex eo, quod in conclavi oblationis ſupererat, cum eſſent Eccleſiæ, carmen tamen nullum canebatur. Et ſuper ea, quæ ſeparatim per ſe ſacrificabantur libamina, itidem carmen nullum canebatur. Hæc igitur ſunt a Levitis cantitata carmina. Primo hebdomadæ die canebant. *Domini eſt terra & plenitudo ejus*. Secundo die canebant, *Magnus Dominus & laudabilis nimis in civitate Dei noſtri, in monte Sancto ejus &c.* tertio canebant: *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat*. Quarto canebant: *Deus ultionum Dominus: Deus ultionum libere egit*. Quinto canebant: *Exultate Deo adjutori noſtro, jubilate Deo Jacob*. Sexto canebant. *Dominus regnavit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe*. Et Sabbatho canebant Pſalmum Cantici in die Sabbathi. Canebant ad ſacra, quæ addebantur Sabbatho carmen hoc, *Audite Cæli &c.* id dividebant in capita ſex, quorum initia ſunt, *Audite*, *Memento*, *Conſtituit*, *Vidit*, *Utinam*, Levabo, ſic ut per homines ſex prælegi ſolet in Synagogas. Singulis igitur Sabbathis canebant caput unum. Itaque carmen illud totum abſolvebant ſex Sabbathis, tum redibant ad principium Sabbatho ad veſperam canebant. *Tunc cecinit Moyſes &c. & quis ſimilis tibi &c.* Ad ſacrificium quod addebatur principio anni canebant; *Exultate Deo adjutori noſtro &c.* Quod ſi principium anni incideret in Hebdomadæ diem quintum, canebant, *Divertit ab oneribus dorſum ejus &c.* Jam principio anni ad veſperam canebant: *Vox Domini concutientis deſertum &c.* Kalendæ cum inciderent in Sabbathum, carmen Sabbathi præ carmine Kalendarum negligebatur, id adeo, ut ederetur in vulgus ad eum diem accidiſſe Kalendas. Sabbatho cum Sacrificiis, quæ quotidianis addebantur antequam horum, quæ addebantur, ſacrificiorum vinum libaretur, adolebant illas duas thuris acerras &c.

[16] *Levitæ autem Janitores &c. Kimchius in* 1. *Paral.* XXVI. Inter omnes janitores erant viginti quatuor juxta numerum reliquarum claſſium; ſex ad latus orientale, ſex ad ſeptentrionale, ſed ad meridionale, in Aſuppim duo & duo, hoc eſt omnino quatuor, quatuor ad occidentale, & duo in Parbar; ecce quatuor & viginti. Rabbini noſtri eos diſtribuerunt in viginti quatuor loca &c. *Maimonides de Templo cap. VIII.* 4. Cuſtodia ejus ſic deſcripta ſit oportet, ut Sacerdotes cuſtodiant intus, & foris Levitæ, & ſingulis noctibus perpetuo cuſtodiant quatuor & viginti manipuli in locis diverſis viginti quatuor, in tribus videlicet Sacerdotes, & Levitæ in viginti uno reliquis. *Et paucis interjectis*. Levitæ vero poſiti erant ad quinque portas, quæ in monte ædis erant, & intra montem ad quatuor ejus angulos, & ad quatuor angulos atrii videlicet extrinſecus, quoniam in atrio ſedere licebat nemini, & ad atrii quinque portas item extrinſecus. Nam portam ardoris, & portam ſplendoris cuſtodiebant Sacerdotes. En igitur loca duodeviginti. *Siquem Levitam dormientem præfectus montis ædis offendiſſet, verberabat, ejuſque veſtimenta comburebat. Maimonides ibidem.*

[17] *A Moſe prædictum &c. Abarbanel ad Deut.* 33. 8. 10. *fol.* 414. 1. 2. 3. *ſcribit*; Tres dignitates tribui Levi aſſignari, primo Deum conſulendi per Urim, & Thummim; 2. ut filii Levi eſſent Doctores juſtitiæ in Iſrael; 3. offerendarum Victimarum, & ſacri ſuffitus cura ipſis commiſſa.

[18] *Uti Jacobus &c. Targum hanc Geneſ. locum ita interpretatur*; diſpergam tribum Levi per Academias filiorum Iſraelis.

[19] *Denique Judices &c. Maimonides de Synhedriis cap.* 2. Præceptum vero divinum eſt, ut eligantur in Synhedrio magno Sacerdotes, & Levitæ, juxta illud Deut. 27. 9. *Accedes ad Sacerdotes & Levitas*.

[20] *Nethinæi &c. a Joſ.* 9.27. *quia illic dicit* ויתנם, *idcirco vocati fuerunt* נתינים, *i. e. dati conſtituti ad certa munia, addititii, adjuncti*.

[21] *Gibeonitæ &c. Gloſſa ad Jevamoth fol.* 78. 2. Nethinæi ſunt Gibeonitæ, qui proſelyti facti ſunt tempore Joſuæ, & conſtituti ſunt ab ipſo Servi ad hauriendum aquas, & ſecanda ligna. *Bartenora ad cap. VIII.* 3. *Jevamoth*. Nethinæi ſunt Gibeonitæ, qui proſelyti facti ſunt tempore Joſuæ, quos conſtituerunt ad findendum ligna, & hauriendum aquam.

[22] *Spuriorum &c. ex Godice MS. Ez. Hechajim Hileh. Nidda cap. latine reddito a cl. Wagenſeilio*. Iſraelita ducens mulierem notham, aut Iſraelitis nupta homini notho, ſi poſt ſponſalia ſimul thorum ingreſſi deprehendantur, flagris cædendi ſunt, ob violatum interdictum (Deut. 23. 2.) *Non ingrediatur mamzer, hoc eſt de ſcorto natus in eccleſiam Domini*. Atque tam marem quam fœminam Scriptura æternum (*a congregatione Domini, ſive connubiorum cum genuinis Judæis jure*) arcet, quia additur, *uſque ad decimam generationem*, quod idem eſt ac ſi dicatur, *nunquam*. Quod ſi citra Sponſalia concumbant, aut ſi fiant ſponſalia citra concubitum, pœna flagrorum, connubio ſpurio irrogata, locum non habet, nunquam de illegitimis commixtionibus ſumitur, niſi præceſſerint ſponſalia, excepto ſolo caſu, quo Pontifex cum vidua conſuevit. Nunc vero explicabo, quis homo nothus cenſeatur. Si quis ullam fœminam, quarum concubitus lege prohibetur, incluſo etiam eo, qui exterminii reatum adjunctum habet, concubitu, ſive per violentiam, ſive per conſenſum, ſive per errorem, ſive conſulto id fiat, conpreſſerit, tum proles, quæ naſcitur, notha eſt. Sed cum menſtruata, ſiquis comcumbat, inhoneſta proles eſt, notha vero non item. Cum quis τῶν ἔξω, aut ſervus cum Iſraelitide concumbit, ſive innupta ſive nupta ſit ſive item per errorem aut conſulto id fiat, necnon, cum quis repudiatam poſt contractas cum alio nuptias, reducit, ſimiliter, cum quod aliorum præceptorum ad rem maritalem attinentium violatum eſt, quia conſanguinitatis reſpectus ceſſat, proles eſt legitima. Si quis ex alienigenis, aut ſi quis ſervus cum muliere notha concumbat, proles notha eſt. Nothus ex ταῖς ἔξω fœminam comprimens, proles τῶν ἔξω numero eſt, quod ſi vero Judæorum ſacris adhæreat, æque legitima ac proſelyti reliqui, reputatur. At ſi idem mulierem ſervam comprimat, proles ſervilis conditionis eſt, ea tamen manumiſſa legitima evadit, cæterorum libertorum ad inſtar, ac tam proſelytus quam libertus iſti licite cum Iſraelitide connubia contrahunt; eſto regula. *Proles ſervitutis, aut a ſacris peregrinitatis reſpectu, matrem ſequitur, neque patris ulla habetur ratio*. Conceſſere ſapientes homini notho facultatem ducendi ſervam, ut proles poſſit reddi legitima, nam ſi manumittatur, conſequitur ingenuitatem. Si quis ex parte ſervus, ex parte ingenuus cum aliena conjuge concumbat, vitium prolis nulla ratione corrigi poteſt, nam nothum eſſe & ſervum eſſe hic commiſcentur. Si quis τῶν ἔξω cum ſerva, quæ aquarum luſtratione Judæorum ſacris initiata ſit, concumbat, proles ſervilis eſt conditionis. Si ſervus luſtratione aquæ Judæorum ſacris initiatus cum τῶν ἔξω muliere concumbat, proles ejuſdem cum matre cenſetur eſſe peregrinitatis. At ſi quis τῶν ἔξω cum ſerva pagana concumbat, aut ſi τῶν ἔξω ſervus cum pagana muliere libera concumbat, proles patrem ſequitur. Homini notho licet ducere proſelytam, & proſelytæ licet nubere homini notho, ſed proles quæ naſcitur notha eſt, nam ea ſemper conditionem ejus, quæ inter parentes loco deteriore eſt, induit: (*Interim illud conjugium non eſſe illicitum, probatur*) quia ſcriptum *loco ſupra allegato; in Eccleſiam Domini.*

ni. Atqui congregatio τῶν ἔξω non vocatur congregatio Domini. Proselyta cum nupsit proselyto, filiumque peperit, etiamsi hujus conceptio, & nativitas in Judaicæ religionis sanctimonia accidisse deprehendatur, tamen adhuc ei fœminam notham matrimonio sibi jungere licet, quod idem de nepote quoque ejus verum est, usque dum peregrinitatis nomen evanescat, nec de proselytismo amplius constet, tum enim conjugium cum muliere notha porro nefas habetur. Eadem ratio est servi manumissi, & prolis, quæ nata ex proselyto, & Israelitide, aut ex proselyta, & homine Judæo; nam & hi cum nothis nuptias facere non possunt, cum per omnia Judæis ingenuis similes sint. Qui dubie nothus est, etsi ex lege Divina non prohibetur cum Judæa ingenua matrimonium contrahere, scriptum est enim; non ingredietur Mamzer, quod de homine certo, non vero dubie notho capere oportet; Nihilominus sapientes sinceritatis familiarum studiosissimi, vetarunt etiam dubie nothos cum ingenuis conjugia inire. Jam vero exponam quis dubie nothus dicatur. Quisquis init fœminam, de qua dubitatio est, esse ejus commercium prohibitum, uti cum quis concumbit cum ea, quam maritatam vel non maritatam, repudiatam, vel non repudiatam esse, incertum est (*proles dubie notha nascitur*.) Sic vulgo quæsitus, qui matrem quidem suam novit, sed patrem vero non habet cognitum (*dubie nothus est*.) Tales item sunt, nati ex innupta, in cujus conditionem nunquam fuit inquisitum. Similiter nati ex matribus surdis, mutis, phreneticis (*dubie nothi sunt*.) Quin & ii, quorum mater dixerit; *Iste N. qui nothus homo est, vel iste N. Nethinæus me compressit*, iis etiam ipsis, qui patres perhibentur, prolem agnoscentibus, tamen adhuc dubie nothi sunt, uti enim cum isto mater se commiscuit, ita & cum aliis scortatam esse, suspicio est. Sic partus expositus, id est repertus in platea, cujusque pater & mater ignorantur, pro dubie notho habetur. Si partus hujusmodi tollatur, atque veniant qui parentes sese venditantes, hanc prolem suam esse dicant, non eis fides habetur, postquam de ejus expositione fama innotuit. Sed si annonæ caritas fuerit, habenda fides est; nam ex penuria infantem exposuisse videntur, & siluisse quoad tolleretur. Si infans expositus, reperiatur circumcisus, aut fasciis involutus, aut sale consperfus, aut oculos fucatus, aut amuleto collum ornatus, aut si sub arbore reperiatur opertus, aut in Synagoga vicina, aut in platearum lateribus, suspicio est esse legitimum. At si reperiatur infans in media via, aut procul ab urbe, etiamsi jacuerit sub arbore, aut in Synagoga, etiamsi reperiatur suspensus ex arbore, ita ut feræ ad illum pertingere possint, pro illegitimo habendus. De reliquo, vere notho cum muliere notha matrimonium contrahere fas est; at dubie notho, & vulgo quæsito, nec ingenuam Judæam, nec vere aut dubie notham ducere licet; metus enim, ne alteruter horum contrahentium sit nothus, alter non sit (*atque sic Lege divina prohibitum ineatur conjugium*) Pariter expositi, vulgo quæsiti, & dubie nothi, si inter se matrimonium contrahant, per divortium separantur, atque proles plane uti parentes, dubia est. Hujus vero sortis proli aliter consuli non potest, quam ut cum τοῖς ἔξω affinitatem contrahat, atque tum proles conditionem ejus, qui inter parentes deteriore loco est, sequitur. Nimirum si vulgo quæsitus, aut expositus ducat proselytam, aut libertam; aut si proselytus vel libertus ducant vulgo quæsitam, aut expositam, ibi proles sive vulgo quæsitorum, sive expositorum naturam induit. *Tosaphta Kidduscin cap. V.* Proselytus, & servus libertate donatus, nothus, & nethinæus, שתוקי (*idest qui cognoscit matrem suam, sed ignorat patrem*) *& e trivio collectus*, & omnes, quibus interdictum est introire in congregationem, inter se conjugia inire possunt, verba R. Meyr; R. Jehuda dicit, quatuor sunt congregationes, congregatio Sacerdotum congregatio Levitarum, congregatio Israelitarum, & congregatio Proselytorum; & reliqui inter se conjugia inire possunt, & sapientes dicunt, tres sunt congregationes, congregatio Sacerdotum, congregatio Levitarum, & congregatio Israelitarum. R. Eliesér dicit, ex his omnibus, quibus in Ecclesiam ingredi non licet, certus cum certa conjugium inire potest, certe nothus cum incerta, incertus cum incerta conjugium inire non potest; hi sunt incerti, שתוקי, e trivio collectus, & Cuthæus, & pariter dicebat R. Eliesér, Nothus nothæ non nubet, neque Cuthæus Cuthææ; hisque similes sunt שתוקי, & e trivio collectus. Proselyto & servo libertate donato cum notha inire conjugium licet, & proles notha est; R. Jehuda dicit; proselyto nubere nothæ non licet; Proselytus, & servus libertate donatus, & profanus Sacerdotis filiæ nubere possunt. *Maimonides de vetitis congressibus cap. XV.* Quinam est Spurius, de quo fit mentio in Lege? est ille, qui nascitur ex quolibet concubitu, qui Lege prohibetur, excepta muliere menstruata, cujus proles inhonesta est, sed notha non appellatur; Sed si quis concumbat cum fœmina, cujus concubitus lege prohibeatur, sive per violentiam, sive per consensum, sive consulto, sive per errorem, proles notha est; tam mares, quam fœminæ in perpetuum illegitimi sunt, juxta versiculum qui dicit; *non ingreditur Mamzer, hoc est de scorto natus in Ecclesiam Domini. Deut.* 23. 2. Tam nothus, qui duxerit Israelitidem, tam Israelita, qui nothæ nupsisset, si concubuerint post matrimonium, quadraginta plagis vapulant; Si despondissent, neque concubuissent, aut citra sponsalia concubuissent, 40. plagis non vapulant propter spurium connubium; quia nemo 40. plagis vapulat propter illegitima connubia, quæ præcepto negativo interdicuntur, nisi præcesserint sponsalia præter summum Pontificem, qui cum vidua concumbat, sicuti explicabitur; Si quis repudiatam reduxerit, postquam alii illa nupserit, proles legitima est, quia non est turpitudo. Si Gentilis & servus concumbat cum Israelitide, sive innupta, sive nupta ea sit, sive per violentiam, sive consulto id fiat, proles legitima est; si servus cum notha concumbat, proles notha est, & si nothus cum gentili concumbat, proles ethnica est; si natus fiat proselytus æque legitimus ac reliqui proselyti reputatur; si cum serva concumbat, natus est servus, si liberasset, natus est legitimus uti reliqui servi libertate donati, eique cum Israelitide connubium inire licet. Regula generalis hæc est. Qui nascitur ex servo, ex gentili, & ex serva, & ex ethnica, sequitur matrem, nec ulla patris ratio habetur; hac de causa concessere notho facultatem ducendæ servæ, ut ejus filii purificentur, nam si manumittantur, ingenuitatem consequuntur; neque interdicitur serva notho propter bonum filiorum. Si quis partim servus, & partim liber cum aliena conjuge concumbat, hoc vitium nulla ratione corrigi potest; nam nothi, & legitimi naturam in se continet; qua de causa ei prohibita est serva, & ejus filii deprehendantur ei similes in perpetuum. Si gentilis cum serva baptyzata concumbat, natus est servus, si servus baptyzatus cum gentili concumbat, natus est gentilis, proles sequitur matrem; sed si gentilis cum serva gentili concumbat, aut si servus gentilis cum gentili ingenua concumbat, proles sequitur patrem. Notho licet proselytæ nubere, & pariter nothæ proselyto nubere licet, filiique amborum nothi sunt, quia natus sequitur conditionem ejus, qui inter parentes deteriore loco est; juxta dictum *in Ecclesiam Domini*, & congregatio gentilium non vocatur congregatio Domini. Si proselyta proselyto nupserit, & filium pepererit, quamvis conceptus & natus esset cum Sanctitate, ei notha licita est, pariterque nepoti, & pronepoti, usque dum evanescat *peregrinitatis nomen*, neque de ejus proselytismo amplius constet; tum ei interdicta est notha; eadem est ratio proselyti, & servi libertate donati. Si Proselytus Israelitidi, & Israelita proselytæ nupsisset, natus omni modo est Israelita, eique notha illicita est. Tres sunt nothi; nothus certus, nothus incertus, & nothus ex dicto Rabbinorum; quinam est nothus certus? Qui ex certa turpitudine nascitur, uti explicavimus; quinam est nothus incertus? qui nascitur ex fœmina, de qua dubitatio est, esse ejus commercium prohibitum; e. g. qui nubit fœminæ, quæ dubiis sponsalibus desponsata, aut dubio repudio repudiata sit, & his similibus. Quinam est nothus dicto Rabbinorum? Mulier, quæ sibi mortuum maritum audisset, & nubit, & maritus vivit, & primus maritus cum ea concumbit, dum secundo nupta est, natus est nothus dicto Rabbinorum. Mulierem innuptam, quæ scortata conciperet, si interrogarent, quinam hic fœtus est, quo natus hic est; si dicat, est filius legitimus, cum Israelita concubui, fide digna est, & filius legitimus est, quamvis plerique in

ea

ea urbe, in qua scortatur, sint illegitimi. Si minus esset interrogata mater, donec moriatur, aut surda, aut muta, aut stulta esset, aut diceret, cum N. notho, aut cum N. Nethinæo concubui, etiamsi hi, *qui parentes perhibentur*, prolem suam esse dicant, natus dubie nothus est, uti enim cum isto sese commiscuit, ita & cum alio scortatam esse suspicio est; & hic natus vocatur שתוקי, qui cognoscit matrem, sed ignorat patrem, & pariter filius, qui in foro deprehenditur, & qui collectus vocatur, dubie nothus est, quia ignoramus quisnam ille sit. *Et nonnullis, interjectis*. Legis instituto, illi, qui dubie nothus est, licet ingredi in congregationem juxta versiculum, qui dicit; *Non ingredietur Mamzer hoc est de scorto natus in Ecclesiam Domini*; certe notho non licet ingredi in congregationem, at licet dubie notho. At Sapientes, ut nobilitarent genealogias, vetarunt etiam dubie nothos in congregationem ingredi; hac de causa certe notho licet nubere certe nothæ; sed dubie notho, sive sit שתוקי, sive collectus, non licet connubium cum Israelitide inire. Neque ei licet nothæ nubere, neque dubie nothæ; fieri potest ut eorum alter non sit nothus, & alter certe nothus, & nothus ex dicto Rabbinorum potest nubere nothæ ex dicto Rabbinorum, & pariter reliquis ex incerto patre natis inter se inire connubia non licet. Quo pacto hoc intelligitur? Taciturni, & e trivio collecti, & dubie nothi inter se connubia inire non possunt, & si nubant, non cohabitabunt, sed repudio separabuntur, & natus est dubius, uti ejus parentes, & his hoc modo consuli potest, ut proselytæ nubant, & natus ejus conditionem, qui deteriore loco sit, sequitur. Quo pacto hoc intelligitur? Taciturnus, & collectus si nubat proselitæ, aut ingenuæ, aut proselytus, & servus si nubat taciturnæ, aut collectæ, natus est taciturnus, & collectus. *Et paucis interjectis*. Manifestum est, quod taciturnus taciturnæ nubere non potest, neque collectus collectæ, quia incerti sunt; sed certe nothi, & Nethinæi inter se conjugia inire possunt, & natus est nothus; & taciturnus, & collectus fœminis Nethinæis, & reliquis proselytis nubere possunt & natus est incertus.

[23] *Nethinæorum &c. Non solum Nethinæi, sed etiam Ammonitæ, & Moabitæ in perpetuum ab Ecclesia excluduntur; ex Codice M. S. Ez. Hechajim Nidda cap.* 10. Omnes proselyti justitiæ quarumcumque gentium, item servi manumissi in omnibus negotiis eodem loco, quo originarii Israelitæ habentur, atque fas iis est, intervenire sacro cœtui (*hoc est ut proselyti, & manumissi mares*) ducant Judæas fœminas, & ut (*proselytæ, aut manumissæ mulieres*) nubant Judæis maribus Q. S. E. (num. 15. 15.) *unum præceptum erit, atque judicium vobis*. At vero si ex Ammonitis, & Moabitis, Ægyptiis item, & Idumæis quis sacris Judæorum initietur, in omnibus quidem eodem cum originario Israelita jure utitur, solam facultatem contrahendi matrimonia si excipias. Atque dispar quoque (*horum populorum*) ratio est. Nimirum Ammonitæ, & Moabitæ mares nullo unquam tempore cum Judæis affinitatem contrahere possunt. Q. S. E. Deut. 23. 3. *Ammonites, & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt in Eccclesiam Domini in æternum*. Quod & de nepotibus illarum, universaque posteritate capiendum. At traditione a Mose in monte Sinai percepta, & ad nos derivata tenemus, fœminas istarum gentium (*siquæ Judaicam religionem amplectuntur*) illico ortarum ex aliis nationibus instar licite cum Judæis nativis matrimonium inire. Ratio hujus rei est, quia haudquaquam consuetudo fert, ut fœminæ itinerantibus pane & aqua occurrant. Atqui Scriptura ideo Ammonitas & Moabitas jure connubiorum cum Judæis privavit, quod pane & aqua non occurrerunt Judæis ex Ægypto proficiscentibus. Atqui secundum R. Jose Kartrasensem (*ista ratio Ammonitarum propria est*) de Moabitis vero hoc præcipue obtinet causa, quia Bileamum adversus Judæos duxerunt: (*Quod enim ad priorem illam attinet*) constat sane Moabitas Judæis peregrinantibus panem & aquam non denegasse, prout S. E. Deut. 2. 28. 29. *Alimenta pretio vende nobis, ut vescamur &c. Sicut fecerunt filii Esau, qui habitant in Seir, & Moabitæ, qui morantur in Ar.* Atque rursus (*hæc ratio, quam R. Jose Kartrasensis assignat, tantum viros concernit*) neque enim fœminæ conducere solent (*qui imprecentur;*) quantum ad Ægyptios & Idumæos attinet, horum fœminæ etiam (*tantoque magis mares*) per duas generationes cum Judæis originariis nuptias contrahere prohibentur, sed in tertia generatione interdictum cessat. *Q. S. E. Deut.* 23. 8. *Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in Ecclesiam Domini*. Ægyptia, quæ prægnans Judæorum sacris adhæsit, ejus partus in secundo generationis gradu est constitutus, Ægyptius secundi gradus, qui duxit Ægyptiam primi gradus, aut Ægyptius primi gradus, qui duxit Ægyptiam gradus secundi, creant sobolem tantum secundi gradus. Q. S. E. *Qui nati fuerint ex eis tertia generatione*. Itaque scriptura generationum rationem habuit. Proselytus Ammonites, qui duxit Ægyptiam, horum proles reputatur pro Ammonitica; Ægyptius si ducat Ammonitidem, nascitur soboles Ægyptia. Quippe inter paganos adhuc proles sequitur patrem, sed inter factos proselytos parentem viliorem. Proselyti septem populorum, *quorum nomina Deut. VII. recitantur*, ex lege divina statim (*postquam superstitionem ac impietatem deseruerunt*) licite matrimonia cum Judæis contrahunt, atque soli ex his Gibeonitæ Judaicam religionem amplexi sunt, dictique fuere Nethinæi (*sive dedititii*) Nam Josua dedit, *mancipavitque eos sacro ministerio* ad findenda ligna, hauriendamque aquam. Atque horum etiam fœminis, *nedum maribus* conjugia cum originariis Judæis inire vetavit, sed sub certa temporis constitutione, superstite nimirum Templo Domini, Q. S. E. *Jos.* 9. 23., *in domum Dei*. Cæterum David postea interdictum hoc extendit etiam ad istud tempus, quo templum non erat superfuturum, ob illorum imprudentiam & crudelitatem, non enim pepercerunt Sauli, & ejus filiis, sed ipsos occiderunt; Unde in Esdra. 8. 20. *Et de Nathinæis quos dederat David & principes ad ministeria Levitarum*. Ecce quod hic loci interdictum, nullam templi existentis involvit conditionem. *Maimonides ibidem cap. XII.* 17. Omnes Gentiles, quando fiunt proselyti, omnibusque legis præceptis se subjiciunt, & servi manumissi sunt omnimodo Israelitis similes, juxta versiculum qui dicit. *Unum præceptum erit atque judicium vobis &c.* Et statim Dei ecclesiam intrare possunt, modo ut proselytus, aut servus manumissus Israelitidem ducat, aut Israelita proselytæ aut servæ manumissæ nubat, exceptis duntaxat quatuor populis, nempe Ammon, Moab, Ægyptii, & Edom, quia ex his gentibus siquis proselytus fiat, ut Israelita omni modo reputatur, si illud excipias, quod non possit cum congregatione inire connubia. Quænam est eorum lex? Ammon & Moab in æternum prohibentur tam mares quam fœminæ, juxta versiculum qui dicit; *Ammonites & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini &c.* Ritus Mosis ex Monte Sinai, quod mares Ammonita, & Moabita quocumque tempore prohibentur Israelitidem ducere, etiam nepos usque ad finem mundi; sed mulieri Moabitidi, & Ammonitidi statim licet uti reliquis gentibus. Ægyptii tam mares quam fœminæ in prima & secunda generatione prohibentur ingredi in Israel, in tertia ætate permittitur, juxta versiculum qui dicit, *qui nati fuerint ex eis*. Ægyptiæ prægnantis, quæ fit proselyta, filius in secundo generationis gradu constituitur. Ægyptius secundi gradus si duxisset Ægyptiam primi gradus, aut Ægytius primi gradus si duxisset Ægyptiam secundi gradus, natus est secundi gradus, juxta dictum versiculum, *qui nati fuerint ex eis*; Textus generationum rationem habet. Proselytus Ammonita si duxisset uxorem Ægyptiam, filius est Ammonita, proselytus Ægyptius si duxisset uxorem Ammonitidem, natus est Ægyptius. Regula generalis est; in omnibus gentibus, partus sequitur marem; & quando judaicam religionem amplexi sunt, parentem viliorem. Siquis de septem populis, qui factus esset proselytus, non prohibetur ex lege in Ecclesiam intrare; constat ipsorum nullos religionem Judaicam amplexos esse, nisi unos Gabaonitas; & Josua decrevit, ut tam mares quam fœminæ Ecclesiam intrare prohiberentur, quoad staret Sanctuarium, juxta versiculum qui dicit, *ligna cædens aquasque comportans in domum Dei mei*. Jos. 9. 23. Eorum segregatio ad domum sanctam applicatur. Hi sunt, qui vocantur Nethinæi, quia eos applicuit ad ministerium Sanctuarii; venit postea David, & decrevit, ut nunquam in Ecclesiam intrare possent,

sent, etiam ad illud tempus, quo templum non erat superfuturum; atque ita explicatur in libro Esdræ; *& de Nathinæis quos dederat David, & principes ad ministeria Levitarum*, vide igitur, quod eos ad sanctam domum non applicet. Qua de re ita decrevit de his David, & ejus consilium? Quia in his viderunt sævitiam & crudelitatem; tum cum quæsierunt septem filios Saul electi Domini, ut eos crucifigerent, eosque sine ulla misericordia occiderunt. *Post victoriam Sanacherib omnibus gentibus, nullo habito discrimine, extemplo Ecclesiam intrare licet. Tosaphta Kiddusin.* v. 5. Ægyptio, qui duxisset uxorem Ægyptiam, Idumæo, qui duxisset Idumæam, in primo & secundo gradu non licet, in tertio permittitur *Ecclesiam intrare*. R. Jehuda Beniamin proselytus Ægyptius dixit; ego eram socius discipulorum R. Akibæ, mihique dixit, ego sum proselytus Ægyptius, & uxorem duxi proselytam Ægyptiam; & ecce, quod ego ducam pro meo filio uxorem, filiam proselytæ Ægyptiæ, ut filius mei filii Ecclesiam intrare possit juxta versiculum qui dicit: *qui nati fuerint ex eis tertia generatione intrabunt in Ecclesiam Domini*; ei respondit R. Akiba, errasti Beniamin; decretum fuit, quod postquam ascendit Sanacherib, & confudit omnes gentes, neque sunt in locis suis Ammonitæ, & Moabitæ, & Ægyptii, & Idumæi, sed Ammonita potest ducere Ægyptiam, & Ægyptius Ammonitidem; & unus ex his potest conjugia inire cum omnibus terræ familiis; & quivis ex qualibet terræ familia cum horum singulis potest conjungi. *Maimonides ibidem*. Quando ascendit Sanacherib Rex Assyriæ, confudit omnes gentes, & inter se commiscuit, easque ex suis terris transmigrare fecit; & isti Ægyptii, qui modo Ægyptum incolunt, sunt alienigenæ, & pariter Idumæi, qui habitant in campo Edom; cum sint commixtæ hæ quatuor gentes interdictæ cum reliquis mundi gentibus, quæ licitæ sunt, omnibus facultas permissa est; quia quicumque se ab his segregat, ut fiat proselytus, creditur ex majori parte segregatus; Quando quis his temporibus fit proselytus sive fit Idumæus, sive Ægyptius, sive Ammonita, sive Moabita, sive Æthiops, sive sit ex reliquis gentibus, tam mares, quam fœminæ, extemplo Ecclesiam intrare potest.

[24] *Ut vidua &c. Maimonides ibidem XVII.* Tres mulieres omnibus Sacerdotibus interdictæ sunt, repudiata, scortum, & profana; & summo Sacerdoti quatuor, tres supradictæ, & vidua; sive sit Sacerdos unctus oleo sacræ unctionis, sive auctus vestibus, sive Sacerdos summus, qui munere fungatur, sive summus Sacerdos quem elegissent, & postea Sacerdotio spoliassent, & pariter Sacerdos unctus in bellum, omnes præcepto ducendæ virginis tenentur, & a vidua prohibentur.

[25] *Licet &c. Tosaphta Horajoth cap. II.* 11. Sacerdos præfertur Levitæ; Levita Israelitæ, Israelita notho, nothus Nethinæo, Nethinæus proselyto, proselytus servo manumisso. *Hierusal. Horajoth fol.* 48. 2. Summus Pontifex præferendus est prophetæ, propheta uncto in bellum, unctus in bellum præfecto ephemeriæ, præfectus ephemeriæ capiti familiæ, caput familiæ consiliario, consiliarius thesaurario, thesaurarius Sacerdoti privato, Sacerdos privatus Levitæ, Levita Israelitæ, Israelita Notho, Nothus Nethinæo &c.

[26] *Urbes Leviticæ &c. Maimonides de Jubilæo cap.* IV. Quamvis tribui Levi nulla sit pars in terra, nihilominus jamdudum jussi sunt Israelitæ, ut iis urbes habitandas darent cum suis suburbiis. Sunt autem urbes istæ perfugii urbes, & præter has 42. alia oppida. Cum vero Messiæ tempore alias addituri sunt perfugii urbes, omnes Levitarum erunt.

[27] *Omnes has 48. &c. Maimonides Rozeach cap.* VIII. 7. Universæ civitates Levitarum erant urbes refugii, & unaquæque illarum reputabatur urbs refugii, juxta versiculum qui dicit; *Et exceptis his alia quadraginta duo oppida; idest simul quadraginta octo cum suburbanis suis. Num.* XXXV. 6. 7. Textus æquiparat, sibi invicem omnes, ut sint urbes refugii. *Bartenora ad cap. II. 4. Maccoth. Ad urbes receptus*, etiam quadraginta & duæ civitates Levitarum omnes recipiunt homicidam.

[28] *Usque ad mortem Pontificis &c. Non Pontificis magni solum, sed etiam belli causa uncti morte exules liberabantur. Codex Maccoth cap. IV.* 6. Æquali jure Sacerdos unctus oleo unctionis, & cultu Sacerdotali investitus, & qui abiit ministerio Sacerdotali, atque ex sententia R. Jehudæ, etiam qui belli causa unctus est (morte sua) restituunt homicidas. *In Tosaphta Maccoth cap. II. 5. negatur, morte Sacerdotis belli causa uncti homicidam liberari*. R. Simeon dicit, unctus belli causa non restituebat homicidam. *Mors summi Pontificis, qua exules in suas patrias restituebantur, præfigurabat mortem nostri Sacerdotis maximi Jesu Christi, qua ab æterno exilio ad cœlestem patriam restituendi eramus.*

[29] *Sex enim &c. Siphri ad cap. XXXV. Num. Decernite quæ urbes esse debeant in præsidia fugitivorum.* Sex civitates refugii erunt una cum primis, tu dicis cum primis, ego dicam fortasse præter primas; quando dicit; *tres erunt trans Jordanem, & tres in terra Chanaan.* Eæ sunt Bezer in deserto, in terra planitiei Tribus Ruben, Ramot in Galaad pro Tribu Gad, & Gollan in Bassan Tribus Manasse, & e contra tres in terra Chanaan juxta versiculum qui dicit; *Decreveruntque Cedes in Galilæa montis Nephtali, & Sichen in monte Ephraim, & Cariatharbe, ipsa est Hebron in monte Juda.* Jos. XX. 7. Deprehenditur, fuisse pares duas tribus cum dimidia trans Jordanem novem tribus cum dimidia, quæ erant in terra Chanaan; Hinc discere possumus, crebra fuisse homicidia in terra Galaad. *Tosaphta Maccoth cap. II.* Tres civitates separavit Moses trans Jordanem; & quando venerunt in terram, tres alias separarunt; verumtamen neutræ recipiebant homicidam, nisi postquam subacta, ac divisa fuit terra. Post victoriam, & divisionem terra obligata fuit ad decimam, & ad annum Sabbathicum; tum utræque receperunt homicidam. Tres civitates separavit Moses in terra Chanaan, & respondebant tribus, quæ erant trans Jordanem, instar duorum ordinum, qui sunt in vinea, Hebron in Judæa e regione Bezer in deserto, Sechem in monte Ephraim contra Ramot in Galaad, Cedes in Galilæa contra Gollan in Bassan; & quamvis separasset Sechem in monte Ephraim, non recipiebat homicidam, & separavit Cariatharbe ejus loco, quoad subegerunt Sechem, & quamvis separasset Cedes in Galilæa, non recipiebat homicidam, & separarunt Nimla ejus loco, donec subegerunt Cedes, & hæ tres erant tripartitæ, ut tantum esset spatii ab Hebron ad meridiem, quantum ab Hebron ad Sechem, & tantum ab Hebron ad Sechem, quantum a Sechem ad Cedes. *Maimonides Rozeach cap. VIII.* Est præceptum affirmativum, ut separentur civitates refugii, juxta versiculum qui dicit; *Tres civitates separabis tibi. Deut.* XIX. 2. nec separabantur civitates refugii nisi in terra Israelis; & erant sex, tres separavit Moses trans Jordanem, & tres Josue in terra Chanaan. *Etiam altare servabat homicidam. Maimonides ibidem cap. V.* 10. Altare tutum receptum dabat. Nam scriptum extat de illo, qui consulto occidebat, *ab altari meo evelles eum. Exod.* XXI. 14. Igitur qui per errorem occiderat, in altari non occidebatur; quamobrem, qui ex errore occiderat, refugisset ad altare, eoque se contulisset vindex sanguinis, ut eum interficeret, occidebatur ejus causa æque ac si eum occidisset in aliqua civitate sui refugii. Non dabat refugium nisi tectum altaris domus sempiternæ duntaxat, nec dabat receptum nisi uni Sacerdoti, qui eo tempore immolaret, sed alieno, aut Sacerdoti, qui non immolaret, tum cum occiditur, aut immolaret, sed non teneret tectum altaris, sed prope adstaret, aut apprehenderet unum de ejus cornibus, *altare* non erat refugium. Et pariter, qui refugisset super altare, non ibi relinquebatur, sed custodibus ad urbem refugii deducendus tradebatur. *Gemara Maccoth fol.* 12. 1. R. Juda nomine Rabh dicit, duos errores Joabus erravit, cum ut 3. *Reg. II.* 28. scriptum est; *fugit ergo Joab in Tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris.* Unus est, quod cum altare non liberet nisi eum, qui in ipsius vertice est, ille solum cornua prehendit. Alter est, quod cum nullum altare eripiat nisi altare Templi ille ad aram silunticam confugit. Abai dicit, in eo etiam valde erravit Joabus, quod cum altare nonnisi Sacerdotem salvum faciat, dum sacris operam dat, *ipse ad illud fugerit*, cum peregrinus esset.

[30] *Non tamen idem jus &c. Maimonides ibidem cap.* VIII. 7. Quodnam discrimen intercedit inter civitates refugii, quæ refugii causa separatæ erant, & reliquas civitates Levitarum? Civitates refugii, quæ refugii

fugii cauſa ſeparatæ erant, & reliquas civitates Levitarum ? Civitates refugii recipiebant tam eos , qui ſcientes, quam eos , qui inſcii eo confugerunt ; ſed reliquæ civitates Levitarum non recipiebant niſi ſcientes. Et homicida , qui incolebat aliquam civitatem refugii, domicillum abſque mercede habebat , in reliquis Levitarum Civitatibus merces ab eo Domino ædis ſolvenda erat . *Bartenora ad cap. II.* 4. *Maccoth. Ad urbes receptus ;* Etiam quadraginta & duæ civitates Levitarum omnes recipiunt homicidam; verum ſex illæ civitates , quarum in Miſna facta eſt mentio, ſemper in libertatem vindicant, tam eum , qui ſciens, quam eum, qui inſciens eo aufugit; quadraginta vero & duæ civitates tantum liberant , ſi cum intentione libertatis obtinendæ eo aufugerit homicida , & liber eſt , ſi eum deprehendat ſanguinis redemtor.

[31] *Atque tria aſyla &c. Toſaphta Maccoth cap. II.* 10. Tres civitates ſeparavit Moſes trans Jordanem , & poſtquam in terram ingreſſi fuerunt, tres alias ſepararunt , & tempore futuro præter haſce ſex , tres alias ſeparabunt, quæ novem erunt . R. Nehorai dicit tres pro ſingulis tribus ſunt ſex; ſunt omnino duodecim , & tres præter eas omnes, erunt quindecim . *Maimonides ibidem cap.* VIII. 3. Diebus Regis Meſſiæ præter haſce ſex, addentur tres aliæ civitates juxta verſiculum qui dicit; *addes tibi tres alias civitates & ſupradictarum trium urbium numerum duplicabis* , *Deut.* XIX. 9. Sed unde illæ addentur ? Ex urbibus Kenizæorum, Kenæorum , & Kadmonæorum ; nam fœdus cum Abrahamo patre noſtro propter illas initum eſt (*Geneſ.* XV. 9.) Hucuſque autem nondum ſubactæ ſunt . *Cum autem dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos. Deut.* XIX. 8.

[32] *Suburbia bis mille &c. Sotah cap. V.* 3. Eadem die porro differebat R. Akiba (*Num.* XXXV. 5.) Contra orientem duo millia erunt cubiti &c. Alio loco vero dicitur v. 4. *Quæ a muris civitatum forinſecus, per circuitum , mille paſſuum ſpatio tendentur* . Non igitur de mille cubitis accipi poteſt; nam etiam bis mille cubiti deſignantur. Quin nec accipi poteſt de bis mille cubitis ; nam memorantur etiam mille cubiti. Quomodo iſta *concilianda? ſcilicet* mille cubiti ad ſuburbium *ſpectant* , bis mille vero cubiti ad terminum Sabbathicum. R. Elieſer F. R. I. G. mille cubitos de ſuburbio , bis mille cubitos de agris , & vineis accipit. *Maimonides de Jubilæo cap. IV.* 2. Suburbia oppidorum jampridem ſunt expoſita in lege, quod ſint (*Num. cap. XXXV.*) 3000. ulnarum in quamvis plagam a muro urbis extrorſum, q. d. (*Num.* XXXV. 4.) *Quæ a muris civitatum forinſecus per circuitum, mille paſſuum ſpatio tendentur*. Et infra . V. S. dicit. *Contra orientem duo millia erunt cubiti*. Priores mille ulnæ ſuburbium ſunt , at 2000. quæ metiuntur extra ſuburbium, ſunt pro agris, & vineis.

CAPUT SEPTIMUM.

De Synedriis.

§. I. Tria genera conſiliorum.

QUandoquidem, uti mox indicavimus, ex ſacerdotibus & Levitis potiſſimum conſeſſus judicum conſtabant , ad hunc locum diſquiſitio de iis pertinet. Fuiſſe autem Judæi tradunt tria genera conſiliorum. 1. Synedrium magnum. 2. Synedrium viginti trium virorum. 3. Conſeſſum trium . Præter quæ memorantur quidem בית דין של כהנים. [1] *conſilium ſacerdotum*. *Ketuvoth.* 1. 5. & בית דין של כהן גדול [2] *conſilium Pontificis Maximi Gem. Hier. Ketuvoth.* 28. 3. בית דין של מומחין [3] *conſilium exercitatorum virorum*, qui de vitiis primogenitorum judicabant : ſed de quibus vix liquet , & quot membris conſtiterint & quem in finem fuerint inſtituta . Sacerdotes autem & reges intelligendos eſſe nomine שופטים, uti membra ſynedrii per זקנים, tradunt Judæi in *Gem. Sota*. 45.

§. II. Synedrium magnum.

II. Synedrium magnum, סנהדרין גדולה של ישראל dictum in *Midraſch Schir Haſſchirim*. 9. 1. & alibi, [4] non confundendum eſt cum conſilio dicto כנסת הגדולה *Synagoga magna*, quod perpetuum non erat, & ex 120. viris conſtabat, & in alium finem fuit inſtitutum . Erat hoc ſummum totius populi conſilium , unicum modo, & conſidens Hieroſolymis, ubi a tempore Simeonis Ben Schetach [5] uſque ad 40. annos ante excidium templi ſecundi in [6] conclavi Gazith , & quidem parte ejus quæ erat in חיל , habebatur, & de cauſis gravioribus & ad univerſum populum ſpectantibus ſumma cum auctoritate decernebat.

§. III. Rationes pro antiquitate ſynedrii.

III. [7] Tradunt Judæi hoc Synedrium a Moſe juſſu Dei inſtitutum *Num.* 11. 17. ne in ſolum Moſen onus judicandi populum recumberet , & rationes quæ ſuadent illud continuatum fuiſſe temporibus ſecutis uſque ad excidium templi ſecundi & ulterius hæ ſunt . I. Quod ſi Moſes ſynedrio hoc indiguit, impar ferendo oneri ſibi impoſito, utique Joſua, aliique viri pii qui ei ſucceſſerunt , nec ſapientia æquare Moſen potuere , æque , imo magis , ſynedrio indiguerint , adeoque non videatur probabile eos voluiſſe conſilium prudentiſſime a Moſe inſtitutum abrogare , ſeque ipſos tacite ſupra Moſen extollere . II. Quia memorantur *Joſ.* 24. 1. *Jud.* 2. 7. *Pſ.* 122. 5. ſeniores, judices , throni judicii conſidentes Hieroſolymis , quos judices credibile eſt fuiſſe eos quos Deus inſtituit potius quam qui aliunde originem & auctoritatem arceſſerent. III. Quia reipublicæ Iſraeliticæ forma a piis regibus reſtituta fuiſſe legitur ad formam priſtinam quam vivente Moſe habuit . IV. Quia *Matth.* 23. 2. ſcribæ & Phariſæi dicuntur ſedere in cathedra Moſis, omnia itaque quæ illi mandaverint eſſe facienda. Ita in Targum *Pſ.* 45. 1. appellantur *ſedentes in Synedrio Moſis* יתבי סנהדרין דמושה. Confer Hilarium in *Pſ.* 2. V. Quia limitibus ſuis coercita fuit poteſtas regis , ſic ut contra virorum principum in populo poteſtatem nil agere poſſet . *Jerem.* 38. 4. 5. Hæc potiſſima ſunt quæ eo tendunt, ut ſynedrii antiquitas & origo a Moſe repetatur : quam-

vis negari non possit, sæpe nullum synedrium in republica Israelitica fuisse, vel quum reges impii principatum tenebant, vel quum aliis gentibus Israelitæ parere coacti sunt (quando Pascha & aliæ partes cultus sacri intermissæ sunt quarum tamen origo nihilominus a temporibus Mosis repetitur) & per prophetas divino spiritu instinctos sæpe quædam cum auctoritate facta esse, quæ ceteroquin ad synedrium pertinuissent.

§. IV. *Rationes contra synedrii antiquitatem.*

IV. 8 Ab altera parte non desunt rationes, quibus hoc synedrium recens esse nec antiquius temporibus Casmonæorum demonstrare conantur. I. Quod in historiis judicum & regum nulla plane fiat synedrii mentio, quæ non magis videtur omitti potuisse, quam mentio senatus in historia Romana. II. Quod tempore judicum sæpe in idololatriam sint prolapsi, quodque etiam reges ita secutus fuerit populus, ut si pii essent, aut impii, ipsi quoque eorum mores sequerentur: atqui videtur huic crimini synedrium, si aliquod fuisset, obviam fuisse iturum. III. Quod & judices & reges omnia fecerint pro arbitrio, inconsulto synedrio: Vide 1. *Sam.* 8. 1. 2. *Sam.* 10. 2. & 1. *Reg.* 3. 16. IV. Quod *Jud.* 21. 25. legatur, regem non fuisse in populo Israelitico, ideoque unumquemque fecisse quod volebat. Quibus verbis synedrium certe eo tempore nullum fuisse ostenditur. V. Quod *Jud.* 19. 29. Levita ad 12. tribus miserit, ut scelus a Benjaminitis commissum vindicarent; non ad synedrium.

§. V. Membra, ex quibus componitur.

V. 9 Personæ in hoc synedrium adlectæ LXXI. fuere. *Sanhedrin* 1. 6. quapropter in *Echa Rabbati* 59. 2. סנהדרין של שבעה ואחת dicitur. 10 Plerumque erant e tribu Levi, quamvis & si ex illa tribu nullus fuisset legitimum tamen esset synedrium; 11 qui antea in urbibus suis personam judicis jam sustinuerant, deinde in synedrio viginti triumvirali montis templi, tum in illo quod ad ostium atrii erat, unde tandem in hoc adlegebantur. *Gem. Sanhedrin.* 88. 2. 12. Inter illos eminebat הנשיא *Princeps* vel *Præses* (quem male quidam existimant semper Pontificem fuisse) non confundendus cum academiæ rectore, ראש ישיבה, licet serioribus temporibus, quum synagogæ & scholæ confundi cœpere, ita nonnunquam appellatus sit, & in eamdem personam utraque, quamvis distincta, dignitas collata fuerit. 13 Secundus a præside appellabatur אב בירת דין *pater domus judicii;* tertius חכם *sapiens*. 14. Hi in synedrium intrantes diversis cerimoniis excipiebantur. *Gem. Horajoth.* 13. 2. Præterea erant in synedrio 15 scribæ duo, qui suffragia judicum in acta referebant, stantes עומדים, uti legitur in *Sanhedrin* IV. 3. At in *Schir Hasschirim Rabba* legitur *fol.* 22. 2. eos sedisse שני סופרי דיינין שיושבים לפניהם, 16 lictores duo, & nonnunquam rei ipsi vel partes litigantes, aut causarum patroni, & testes duo ab una, duo ab altera parte, & 17 tres ordines candidatorum 23. *Sanhedrin.* IV. 3. 4.

§. VI. Munus eorum, judicare, & pœnas irrogare.

VI. 18 Decernebat hoc synedrium de rebus majoris momenti tam politicis quam sacris, privatis quam publicis, uti de integra tribu, gerendo bello, sacerdotibus. *Sanhedrin.* 1. 5. Et sacerdotes non tantum ac pseudoprophetas sed ipsos reges (qui adsciscì in synedrium magnum non solebant, quia eis contradicere non licebat, uti scribunt Judæi) in eo judicatos fuisse Hebræi tradunt, ex ejus arbitrio ordinata fuisse synedria minora, & pœnas capitales reis inflictas. 19 Hæ autem 4. fuere apud Judæos, quas describunt Talmudici in *Sanhedrin.* VI. & VII. 20 Lapidatio, 21 combustio, 22 decollatio, & 23 strangulatio. Crucifixio pœna Judaica non fuit, licet id quidam colligant ex 2. *Sam.* 21. 6. *Num.* 25. 4. *Jos.* 8. 29. *Jos.* 10. 26. 24 nam illa suspensio non erat hominum virorum sed mortuorum, adeoque pœnæ consequens, non pœna. Minores erant, 25 flagellatio 39. ictibus peragi solita 2. *Cor.* 11. 24. *Joseph. Ant.* IV. 8. licet Deus *Deut.* 25. 3. quadraginta præceperit, & R. Juda in illa quoque sententia fuerit, 40. ictus infligi reo oportere (vide *Macchot.* III. 10.) & 26 excommunicatio, cujus species levior נדוי etiam שמתא dicta fuit, gravior חרם: quibus addi possunt 27 bonorum adjudicatio fisco (*Ezr.* 10. 8.) talio, 28 exilium, & 29 carcer. Quarum tamen pœnarum irrogatio non ad solum synedrium magnum sed & minorum jura pertinebat.

§. VII. Tempus.

VII. 30 Synedrium magnum considere solebat quotidie a sacrificio jugi matutino ad vespertinum. *Gem. Sanhedrin.* 88. 2. Synedrium viginti triumvirale & consessus trium considebat 31 die secundo & quinto hebdomadis, nec ultra horam diei sextam. *Ketuvoth.* 1. 1. 32. Sabbathis autem & in ימים טובים non solebant judicare: si tamen judicarent, non in atrio sed in חיל considebant.

§. VIII. Locus Synedrii M.

VIII. Olim quidem ad ostium tabernaculi judices consedisse dicuntur. *Num.* 11. 24. tam in solitudine quam terra Canaan, ita ut Synedrium fuerit semper *vicinum altari*, בצר המזבח, uti in *Mechilta* legitur 62. 1. In templo autem locum synedrii ex Sacro Codice definiri posse ex *Jerem.* 35. 3. quidam putant, ita ut prope portam orientalem consederit, & locus לשכת השרים *Conclave Principum* dictus fuerit. In templo secundo conclave celeberrimum לשכת הגזית ei destinatum fuit, partim in atrio partim

in

in חיל situm, ita ut judices 33 forma semilunari in parte minus sancta, חיל, considerent. Vide *Echa Rabbati*. 56. 3. Multi 34 hunc locum λιθόστρωτον *Joh.* 19. 13. appellari volunt, sed nec nomen *Gabbatha* huic loco datum cum notissimo *Gazith* convenit, nec tribunal Pilati in conclavi Gazith fuit, aut ille ut præses, vel ut judex, ibi considere potuit (illud enim Judæi, hoc Pilatus passus non fuisset) & alia loca fuere Hierosolymis, quæ λιθοστρώτε nomen merentur sive quæ lapidibus majoribus concinne strata essent. Hieronymus certe in *lib. de nomin. Hebr.* & interpretes Græci *Esth.* 1. 7. רצפה vertunt λιθόστρωτον, & Varro λιθόστρωτα pavimenta vocat. vide *Nonium Marcellum p.* 157.

IX. 35 Quadraginta annis ante templi secundi excidium (quod tempus exit fere in æræ Christianæ annum 30.) migrasse dicitur hoc synedrium e conclavi Gazith (quo 36 tamen rediisse aliquando ad tempus volunt, ut in causa Jesu) 37 in tabernas חנוית quæ in monte templi erant, quo tempore דיני נפשות *judicia capitalia* sibi ademta fuisse Judæi conqueruntur in *Gem. Schabbath.* 15. 1. quod convenit cum eorum voce *Johan.* 18. 31. ἡμῖν ὀκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι ὀδένα quod Hebraice est, uti in *Gem. Berachoth.* 58. 1. extat, לית לן רשותא למקטל. Quibus verbis licet varia interpretatio dari a viris doctis soleat, videntur tamen ita esse intelligenda, uti sonant; 38 non licuisse videlicet Judæis occidere quemquam. Hoc convenit cum statu Judææ quæ in formam provinciæ a Romanis erat redacta, relegato Archelao, χώρα εἰς ἐπαρχίαν περιγραφεῖσα, uti Josephus loquitur *lib.* 11. *de bell. c.* 11. tributa solvebat, soli Cæsari se subjectam agnoscebat *Joh.* 19. 15. & a procuratoribus Cæsaris, qualis erat Pilatus, regebatur. Hi habebant jus gladii, uti ipse Pilatus præ se fert *Joh.* 19. 10. Horum erat judicium ferre de injuriis, si quas Judæi sibi existimarent illatas esse ab aliis, quicunque tandem essent, uti Cuspius Fadus ostendit apud *Joseph. Antiq.* xx. 1. quod & ex jure ac consuetudine præsidum & procuratorum in provinciis Romanis clarum est. Quod si aliquando Judæorum synedrium alios condemnavit & jus vitæ ac necis exercuit, veluti cum Ananus convocato synedrio Jacobum condemnavit (vide Josephum *l.* xx. *Antiq. cap.* 8.) hinc jure factum esse non probatur: hoc enim ipsis non licuisse (ὀκ ἐξὸν ἦν Ἀνάνῳ) Romani ostenderunt, adeo ægre ferentes absente procuratore Cæsaris id factum fuisse, ut pontificatu propterea Ananus exutus sit. Quare Eusebius *lib.* 11. *eccles. histor. cap.* 23. factum narrans diserte notat Judæos τὴν ἀναρχίαν captasse uti καιρὸν εἰς ἐξεσίαν, quoniam videlicet ἐξεσίαν alias non habebant. Negari quidem non potest seniores populi Judaici sæpe in consilium fuisse adhibitos a procuratoribus, quum de rebus Judaicis, quarum ignari erant procuratores, plerumque ageretur, ita tamen ut summa potestas & ἐξεσία ἐπὶ πᾶσιν, ut Josephus loquitur, *Antiq.* XVIII. 1. penes procuratores fuerit. Confer *Act.* 25. 5. & 15.

§. IX. Ante mortem Christi transiit in tabernas.

X. Postea translatum est hoc synedrium ex tabernis ad ipsam urbem Hierosolymam, & inde ad alia loca, quæ omnia in *Gem.* 39 *Rosh haschana* 31. 1. 2. recensentur.

§. X. Dein ad alia loca.

1. לשכת חנוית Conclave Gazith.
2. חנוית Tabernæ in monte Templi.
3. ירושלים Hierosolyma.
4. יבנה Jasne. Hic post excidium urbis fuit, præside R. Jochanan Ben Zaccai.
5. אושה Usha, vivente R. Gamaliele.
6. יבנה Jasne, iterum, vivente eodem.
7. אושה Usha, vivente R. Simeone filio Gamalielis.
8. שפרעם Sepharam. Hic & præcedenti loco fuit præside R. Simeone, filio Gamalielis Jasnensis.
9. בית שערים Bet Shearim. In *Gem. Nidda* 27. 1. videtur בפר שערים nuncupari. Hic & duobus locis sequentibus fuit præside R. Juda Sancto. *Gem. Ketuvoth* 103. 2.
10. ציפורי Sepphoris.
11. טבריא Tiberias.

XI. Præsides synedrii magni hos Judæi recensent ab Ezra usque ad Rabban Gamalielem filium R. Judæ sancti: per quos nempe prognatam volunt legem oralem.

§. XI. Præsides Synedrii.

1. 40 *Ezra*.
2. 41 *Simeon justus*.
3. 42 *Antigonus Sochæus*, ita dictus a patria urbe Soco סוכו sita in limitibus Judææ & regionis Philistæorum. Hujus discipuli Sadok & Baithos sectis Sadducæorum & Baithosæorum nomen & originem dederunt.

Quinque זוגות,

sive virorum paria, quorum prior præses synedrii fuit, posterior אב ב"ד.

Vid. *Chagiga* 11. 2. ubi tamen Juda ben Tabbai præponitur Simeoni ben Shetach,

quia videlicet, uti in *Gemara Chagiga* 16. 2. monetur, ea Misna tantum proponit sententiam R. Meir, quum sapientes, quos nos heic sequimur, statuant Simeonem ben Schetach fuisse præsidem synedrii, & Judam ben Tabbai a præside secundum. Nota nec hos decem, nec ullos antea, [43] titulo Rabbi dictos fuisse.

4. [44] *Jose ben Joeser & Jose ben Jochanan.*
5. [45] *Josua ben Perachia & Nittai Arbelita.*
6. [46] *Simeon ben Schetach & Juda ben Tabbai.*
7. [47] *Schemaja & Abtalion.*
8. [48] *Hillel & Schammai.* אבות העולם dicti a R. Simeone ben Jochai. *Gem. Hier. Chagiga.* 77. 4. qui titulus Abrahamo & Isaaco datur in *Echa Rabbathi.* 58. 1. [49] Antea Menachem socius Hillelis fuerat, sed postea ipse cum 80. paribus discipulorum se regi Herodi addixit, & transiit לעבודת המלך *Gem. Chagiga.* 16. 2. Hi Herodiani appellari queunt, uti alii qui vel in aula regia versabantur vel partibus ejus erant addicti, βασιλικοὶ Josepho dicti & οἱ Ἡρώδειοι, quare hi ad Christum missi sunt consultum de tributo Cæsari dando, cui deditum esse Herodem noverant. *Matth.* 22. 16.
9. [50] *Rabban Simeon*, filius Hillelis. Quem *Luc.* 2. 25. innui multi putant: sed obstat illum Hilleli parenti suo successisse annis aliquot post Christum natum, id est, annis sexaginta ante templi excidium: quod concipi non potest de viro, qui Christum publice Messiam esse confessus fuerat.
10. [51] *Rabban Gamaliel*, filius Simeonis, dictus הזקן *Senior*, cujus mentio fit *Act.* 22. 3. & 5. 34. cujus discipulus erat Samuel parvus, postea factus apostata; quem multi eumdem ac Paulum faciunt.
11. [52] *Rabban Simeon* filius Gamalielis, qui in excidio urbis periit.
12. [53] *Rabban Jochanan ben Zaccai.*
13. [54] *Rabban Gamaliel Jasnensis.*
14. [55] *Rabban Simeon*, filius ejus.
15. [56] *Rabbi Juda* Sanctus, filius ejus.
16. [57] *Rabban Gamaliel*, filius ejus.

§ XII. Synedrium 23. virorum.

XII. Synedrium minus סנהדרין קטנה (*Midras Coheleth.* 98. 2.) [85] constabat ex 23. judicibus, eratque in omni loco, [59] ubi plures essent incolæ quam 120. non universim, sed tales, qui apti erant ad illa munera, quæ mox indicabuntur. [60] Hierosolymis duo erant ejusmodi synedria, unum ad ostium montis templi, alterum ad ostium atrii. *Sanhedrin.* 1. 6. [61] Numerum horum incolarum ita ineunt Gemarici in *Gem. Sanhedrin.* 17. 2. judices 23., tres ordines 23. virorum, e quibus, ubi opus erat, allegebantur in consessum judicum (id est, 69. viri) 10. otiosi synagogæ, 2. scribæ consessus, 2. lictores, 2. partes litigantes, 2. testes falsi, 2. iis oppositi, 2. alii iis oppositi, collector eleemosynarum, medicus unus, chirurgus, librarius, lanio, & ludi magister. Nec sacer codex nec Josephus synedrii hujus viginti triumviralis meminerunt, uti nec consessus virorum trium, quoniam non semper idem judicum numerus videtur fuisse. Josephus autem consessus septem judicum καθ᾽ ἑκάστην πόλιν, in singulis urbibus, mentionem facit *Antiq.* IV. 8. [62] Hoc quoque judicia capitalia exercuit. *Sanhedrin.* 1. 4.

§. XIII. Consessus trium.

XIII. [63] Consessus minimus judicum trium nunquam synedrium appellatur uti priora duo, sed בית דין, eratque in locis, [64] quæ 120. incolas istos, de quibus mox, non continerent. Hi non de causis capitalibus, דיני נפשות, qualis erat blasphemi, & ligna colligentis die sabbathi, sed levioribus, decernebant; [65] & flagellationem irrogare, non pœnas capitales, poterant. *Sanhedrin.* 1. 2. & III. 1. *Nidda.* VI. 4. Tales causæ erant דיני ממונות veluti quum Moses *Num.* 36. 6. de filiabus Zelopchadi, & alibi de immundis qui impediti fuerant pascha celebrare, judicavit. Vide Targum ad *Levit.* 24. 12. [66] Præterea erant דיני קנסות, quando indicebantur mulctæ, veluti in lege præscriptæ ob damnum passum, ut si homo homini, bos bovi, bos homini, homo bovi, nocuisset. *Exod.* 21. 18. Hæc דיני קנסות in his regionibus etiam Judæis permissa sunt, sed nonnisi magistratu nostro concedente. [67] In hoc consessu quilibet esse judex poterat, uti spurius, & peregrinus, modo mater ejus Israelitis fuisset: [68] sed ad judicia capitalia nonnisi sacerdotibus, Levitis, & nobilioribus Israelitis, quibus cum affinitatem contrahere sacerdotes non detrectarent, aditus patebat. *Sanhedrin.* IV. 2. *Jevamoth.* XII. 1.

§. XIV. *De judice proselytorum*

XIV. Ita quidem Israelitæ judicabantur: [69] verum proselyti qui inter Judæos habitabant, non fruebantur eodem jure, sed vel ab uno judice poterant judicari, & ad unius (quod cæteroquin Deus vetuerat *Deut.* 17. 7.) etiam propinqui testimonium ad mortem condemnari. Quum autem proselytorum nomen duas hominum species notare possit,

poſſit, obſervandum eſt hic illos proſelytos intelligi, qui נרי תושב ſive נרי שער, [70] *proſelyti inquilini* & נרים אוכלים נבילות in *Siphra fol.* * 278. 1. & alibi dicuntur, quibus concedebatur in terra Iſraelitica (non Hieroſolymis) habitare [71] modo obſervarent præcepta, data partim Adamo partim Noacho. 1. [72] De vitando cultu ſiderum. 2. [73] Honore nomini & rebus divinis habendo. [74] Homicidio vitando. 4. [75] Et ſtupro. 5. [76] Ac rapina. 6. Colendo magiſtratu. 7. [78] Non edendo membro vivi animalis. *Siphra fol.* * 295. 1. Alii erant *proſelyti juſtitiæ* נרי צדק dicti *Gem. Bava kama* 113. 2. & *Gem. Jevamoth.* 48. 2. נרי בני ברית *proſelyti fœderati*, *Siphra fol.* * 195. 1. qui & נרים נרורים *proſelyti tracti Gem. Avoda Zara.* 24. 1. *Gem. Jevamoth.* 79. 1. confer *Job.* 6. 44. Hi ab ſacris gentium ad Judaiſmum plane (nam ſi vel [79] minimo præcepto nollent obedire, non recipiebantur. *Siphra fol.* * 195. 1.) tranſierant, & pari modo quo Judæi judicabantur. [88] Tribus ritibus initiabantur olim, [81] nunc duobus; 1. Circumciſione. 2. Baptiſmo, ſive immerſione totius corporis. *Edujoth.* v. 2. *Peſachim.* VIII. *ult.* cujus originem ab *Exod.* 19. 10. aut *Gen.* 35. 2. repetunt: quamque quum pueri æque ac grandes natu ſubirent, minus mirum videri debet de pædobaptiſmo legem ſingularem in N. T. non fuiſſe latam. 3. Sacrificio. Per hæc tria olim Iſraelitæ in fœdus Dei intrarunt. *Exod.* 12. 48. & 19. 10. ac 25. 5. Talem proſelytum velut [82] infantem modo genitum Judæi conſiderant (נר שנתנייר כקטן שנולד דמי in *Gem. Jevamoth.* 22. 1. & 48. 2. & 62. 1.) ſic ut conſanguinei ejus quos inter gentes habet non cenſeantur ejus conſanguinei eſſe. Hinc lucem accipiunt *Job.* 3. 5. 1. *Petr.* 1. 23. 2. *Cor.* 5. 17.

COMMENTARIUM IN CAPUT SEPTIMUM.

[1] CONſilium Sacerdotum. *Babyl. Joma fol.* 66. 1. In Gemara *dicitur*. Decretum ſtatuerunt Ἀρχιερεῖς, & non permiſerunt Iſraelitam hircum emiſſarium deducere in eremum. *In Gloſſa vero.* Conſilium Sacerdotum hoc non permiſit. *Chetubb.* Concilium Sacerdotale exigit pro dote virginis 400. Zuza, nec hoc prohibuerunt Sapientes. *Fuit hoc conſilium appellatum* Βουλευτῶν. *Babyl. Joma* 8. Traditio R. Judæ. Quid? Num fuit conclave Βουλευτῶν? Nonne conclave פרהדרין? Primo vocabatur conclave Βουλευτῶν; at cum pecunia Pontificatus emeretur, annuatimque mutaretur, ſicut annuatim mutantur πρόεδροι Regis, ideo exinde vocatum eſt conclave פרהדרין.

[2] *Conſilium Pontificis &c. Hieroſol. Chetubb. fol.* 28. 3. R. Bon bar Chaija quæſivit coram R. Zeira. Quid ſi producat pater *virginis* teſtes ad falſificandum teſtes mariti? Si falſi evadant teſtes patris, flagellandus eſt ille, & centum Selaim ſolvet in conſeſſu triumvirali, teſtes autem lapidandi per conſenſum viginti-triumviralem &c. Putavit R. Zeira duplicis judicii hoc eſſe; at R. Jeremias nomine R. Abhu, unius tantum judicii. At Traditio contrariatur τῷ R. Abhu; Nam *apprendenteque Senes urbis* (*Deut.* XXII. 18.) eſt ad conſeſſum triumviralem, *ad portam* (*Ibid.* 24.) vult conſeſſum ſummi Sacerdotis.

[3] *Conſilium exercitatorum &c. Vide Codicem de Primogenitis cap. IV.*

[4] *Non confundendum eſt &c. Bartenora ad caput I. Pirche Avoth. Viris Synagogæ magnæ*, quæ centum & viginti Senioribus conſtabat, cujuſmodi erant Zerobabel, Seraja, Mordechai, Bilſan &c. qui fuerunt tempore Eſdræ, quando e captivitate babylonica redierunt in terram Iſraelis, & inter illos fuit Haggæus, Zacharias, Malachias, Nechonia filius Hachaliæ, & ſocii eorum, & hi vocantur *viri Synagogæ magnæ*, quia priſtino ſtatui coronam reddiderunt. *Juchaſin fol.* 13. 2. Eſdra fuit caput omnium, fuitque ille receptor traditionum viceſimus ſecundus. Et totum Synhedrium ejus conſtitit ex centum & viginti Senioribus.

[5] *Uſque ad* 40. *annos &c. Shabbath fol.* 51. Quadraginta annis ante deſtructionem Templi Synhedrium loco ceſſit, & ſedit in Hhanoth, ſeu Tabernis.

[6] *In Conclavi Gazith &c. Joma fol.* 27. 1. Conclave Gazith erat ſpecies Baſilicæ magnæ, eratque dimidium ejus in loco ſancto, dimidium alterum in profano, duoque habuit oſtia, quorum unum verſus Sanctum, alterum verſus profanum aperiretur, *ideſt unum in atrium, alterum in Chel. Maimonides de Synhedriis cap. XIV.* Cum primum extructum eſt templum, conſidebat Synedrium magnum in conclavi Gazith, quod erat in atrio Iſraelis, atque locus, in quo Senatores conſidebant, erat in parte profana, quia in atrio ſedes nemini, niſi Regibus ex ſtirpe Davidis conceſſa eſt. *Et de Templo cap.* V. 17. In conclavi lapidis quadrati conſidebat Senatus ſupremus. Atque hoc conclave dimidium profanum, oſtiaque habebat duo, alterum in Sancto, alterum in profano. Senatus in dimidio profano conſidebat. *Vide Middoth cap. ultim.*

[7] *Tradunt Judæi &c. Codex de Synedriis cap.* 1. 6. Unde conſtat LXXI. fuiſſe iſtius Synhedrii judices? Ex eo quod dicitur. Num. XI. 16. *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael.* His Moſes junctus erat. *Maimonides de Synhedriis cap. I.* Cujus numerus erat 71. ſecundum illud quod dicitur; *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael*, Et Moſes iis præfectus erat, ſecundum illud, *facieſque ibi ſtare tecum*,

De antiquitate Synhedrii referemus loca omnia, quæ ex veteribus Targumim Elia collegit. Et ſeptuaginta Palmæ contra ſeptuaginta ſeniores Sanhedrin in Iſrael. *Exod. XV.* 27. *In Gemara Hyeroſol.* Prudentiores in mundo judices Sanhedrin, ſeptuaginta Sapientes qui explicabant &c. Num. XXI. 18. 12. T. H. Pro aſſeſſoribus Sanhedrin Moſis. *Pſalm.* XLV. 1. *Sic Pſalm.* LXXX. 1. de exilio Sanhedrin. *Pſalm.* LXIX. 1. *in Venetis*. Et in conſeſſu Judicum ſapientum laudabunt eum. *Pſalm.* CVII. 32. *Hebr.* in conſeſſu Seniorum. Et ſapientes aſſeſſores Synhedrii. *Cant.* IV. 1. Propter meritum aſſeſſorum Synhedrii, qui occupati ſunt in Lege, & illuminant judicium. *Cant. V.* 12. Et deſcendit in Babyloniam ad concilium Sapientum. *Cant.* VI. 1. Et ſedet in domo doctrinæ cum ſociis collegii, & reliquis populis, qui auſcultant vocem principis Scholæ, & diſcunt ab ore ejus verbum Legis. *Cantic.* VIII. 13. Notum eſt omnibus aſſeſſoribus portæ Synhedrii magni populi mei *Ruth.* III. 11. Et Boas aſcendit ad portam domus judicii, in locum Synhedrii, & conſedit illic cum Sapientibus. *Ruth.* IV. 1. Senes ex porta Synhedrii ſublati ſunt. *Thren.* V. 14. Et quicquid petebant a me doctores Collegii. *Eccleſ.* 11. 10. Ego & doctores Collegii magni ibid. v. 4. *In Venetis*. Et doctores Sanhedrin collegii magni periti jurium & doctrinarum, qui dati ſunt per manum Moſis. *Eccleſ. XII.* 12. *in Venet.*. Et Mardochæus ſedebat in conſeſſu, quem aptaverat ipſi Eſthera in porta Regis. *Eſther* 11. 21. *in Venet.* Cumque vidiſſet Haman Mardochæum, & pueros operam dantes Legi in conſeſſu, quem aptaverat ipſi Eſther in porta Regis. *Eſther V.* 9. *in Venet. Et in*

ejuſdem libri Targum ſecundo: in quibus ſedent ſeptuaginta judices judicantes judicium coram Rege Salomone. *Eſther.* I. 2. Et *Pſalm.* CXL. 10. Achitophel caput Synhedrii diſcipulus meus. *Item*. Surrexit e medio Synhedrii ſui. *Num. XXV. 7. in Jon. Abarbanel ad Joſ. XXIII. 2. fol.* 37. 1. Vocavit Joſua univerſum Iſraelem, & Seniores comparebant coram ipſo, qui erant Synhedrin ac ſapientes gubernantes populum; & Principes Tribuum, qui ſunt capita Tribuum, & Judices qui fuere in ſingulis urbibus, & executores. *Et in commentar. in lib. Judaic. cap. XIX. & XX. fol. 69.* 2. Quum non eſſet Rex vel Judex in Iſraele, congregatus fuit univerſus Iſrael cum toto Synhedrio, & hæc congregatio univerſalis fuit loco Regis, & repræſentavit judicium totius Iſraelis. *Et ad Ezech. VIII.* 11. Septuaginta viri de ſenioribus domus Iſraelis, & illi ſunt LXX. viri Synhedrii. *Et Kimchius al l. c.* Septuaginta viri Synhedrii. Quo ipſo demonſtratur, quod eis initio dederit LXX. Seniores, qui docerent eos viam bonam, ſed illi ſeduxerunt eos, ſicut ait *Iſaias cap. III.* 12. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt. Denique omnium ætatum conſtans eſt Hebræorum ſententia ac traditio Synhedrium a Moſe fuiſſe inſtitutum, & uſque ad excidium Templi ſecundi in Republica Judaica floruiſſe. Vide cl. Seldenum de Synhedriis.*

[8] *Ab altera parte non deſunt &c. Vide cl. Conringii diſſ. de Republica Hebræorum.*

[9] *Perſonæ in hoc Synhedrium &c. Toſaphta de Synhedriis cap.* III. 11. R. Jehuda dicit Synedrium 70. & Moſes cum iis in eodem numero. *Maimonides de Synhedriis cap.* 1. Quot Synhedria ſunt fixa in Iſrael, & quot eorum numeri? Collocabant primo Domum Judicii magnam in Templo, cujus numerus erat 71. ſecundum illud quod dicitur; *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael Num. XXI.* 16. Et Moſes iis præfectus erat, ſecundum illud, *faciesque ibi ſtare tecum. (Ibidem)*

[10] *Plerumque erant &c. Maimonides ibidem cap. II.* Non conſtituebant in Synhedrio niſi Sacerdotes & Levitas, & Iſraelitas genere nobiliſſimo (patricios) dignos, ut Sacerdotibus poſſent copulari, ſecundum id quod dicitur, *facieſque ibi ſtare tecum*; hoc eſt, ſimiles erunt tibi in ſapientia, timore, & genere. Præceptum vero divinum eſt, ut eligantur in Synhedrio magno Sacerdotes & Levitæ juxta illud, *venieſque ad Sacerdotes Levitici generis &c. Deut. XVII.* 9.

[11] *Qui antea in urbibus &c. Toſaphta de Synhedriis cap. VII.* 3. Ex eo loco (*ideſt a Synhedrio magno*) mittebantur, qui inquirerent, quis eſſet ſapiens & humilis, manſuetus, & pius, & bonæ exiſtimationis, & apud homines gratioſus; iſque Judex in ſua civitate creabatur; poſtquam fuiſſet judex in ſua civitate, aſcendere, & conſidere eum faciebant in monte Templi; inde aſcendere, & conſidere eum faciebant in Hel; inde aſcendere, & conſidere eum faciebant in conclavi Gazith. *Maimonides ibidem*. Dicunt Sapientes, morem fuiſſe ut e Synhedrio magno mitterent per univerſam terram ſanctam & inquirerent de quolibet, qui ſapiens eſſet, timens peccatum, manſuetus, probatæ rebus in diſcriminandis indolis, atque apud homines gratioſus; virum ejuſmodi in urbe illius judicem, inde etiam eum ad introitum montis Templi evexiſſe, inde ibidem ad oſtium atrii, atque inde demum ad Synhedrium magnum 70. virorum. *Vide Toſaphta Sekalim cap. III.* 28.

[12] *Inter illos eminebat &c. Maimonides ibidem cap. I.* Quicumque cæteris aliis ſapientia præſtabat, eum conſtituebant caput ſuper ſe, atque is erat Synhedrii caput, quem ſapientes appellabant ubique Principem, is vero conſtituebatur loco Moſis magiſtri noſtri.

[13] *Secundus a præſide &c. Maimonides ibidem*. Conſtituebant etiam majorem aliquem intra ſeptuaginta, & virum doctiorem Capiti ſecundum, qui a dextra illius ſedebat, is vocabatur Pater Synhedrii.

[14] *Hi in Synhedrium &c. Toſaphta de Synhedriis. Cap. VII.* 20. 21. Quando Princeps ingrediebatur, omnis populus ei aſſurgebat, atque ita ſtabat, donec ei diceebat, *ſedete*. Quando ingrediebatur Pater Synhedrii, inter duos ordines ei aſſurgunt ab utraque parte, donec ingrederetur, & in ſuo loco conſideret. Quando ſapiens ingrediebatur, ſeu ſtarent, ſeu conſiderent, ingrediebatur, & conſidebat in loco ſuo. Filii Sapientum, & diſcipuli ſapientum, quando eorum opera cætui neceſſaria erat, etiam ſuper capita populi incedere poterant; & quamvis dixerunt, probroſum eſſe diſcipulo, ſi ultimus ingrediatur, ſi tamen neceſſitatis cauſa exiſſet, reverti & conſidere in ſuo loco poteſt. Filii ſapientum & diſcipuli ſapientum, ſi doctrinæ capaces ſunt, convertunt facies ſuas verſus faciem Patris, ſi minus, convertent facies verſus populum. R. Eleaſer filius R. Zadock dicit in loco convivii, veluti ſervi miniſtrabunt. *Gemara Menacoth cap. II. 6.* Ait R. Johannes ſub R. Simeone filio Gamalielis hoc ita inſtitutum eſſe. R. S. F. G. princeps erat. R. Meyr Sapiens. R. Nathan pater Senatus. Intranti R. Simeoni F. G. omnis mundus aſſurgebat. Similiter intrantibus illis. Tum R. F. G. A. L. Hi nolunt diſcrimen eſſe inter me & illos. Inſtituit igitur, ut, quomodo jam deſcriptum eſt, quilibet exciperetur. Eo die non aderant, *quo id conſtitutum eſt*. Poſtridie intrantes videns non ita ſibi, ut Principi aſſurgi &c. *Maimonides de ſtudio Legis Cap. VI.* 5. Cum ingrediatur Princeps, omnes aſſurgunt, nec rurſus ſedent, priuſquam iis dicat, *diſcumbite*. Si autem præfectus Senatus intret, duo ordines aſſurgunt, & ab utraque parte ſtant, donec ingrediatur, & locum ſuum capiat, cæteri autem in ſuis locis manent. Si Doctor ingrediatur, unuſquiſque ad quatuor cubitorum diſtantiam aſſurget, unus ſtabit, alterque ſedebit, & ita per vices, quoad ſe in ſua ſede collocaverit. Quandocumque neceſſarium eſt, ut doctorum filii, & diſcipuli ſint præſentes, populorum capita tranſiliunt, ſuaque loca occupant; dedecet autem ſapientum diſcipulos poſt alios ingredi. Si neceſſitatis gratia exeat, ad ſuum locum debet reverti. Sapientum filii ſi doctrinæ eſſent capaces, facies ſuas verſus patris faciem convertebant, ſin incapaces, tum ora ſua verſus populum flectebant.

[15] *Scribæ duo &c. Maimonides de Synhedriis cap. I.* Omni in loco, in quo erat Synhedrium, bini adſtabant Judicum ſcribæ coram eis, unus a dextra, alter a ſiniſtra, unus ſcribebat verba abſolventium, alter vero verba condemnantium.

[16] *Lictores duo &c. Maimonides ibidem.* שוטרים *miniſtri*, hi ſunt qui utuntur baculo, & loro (flagello) & circumeunt in plateis, & tabernis, ut rectificent, & ordinent portas & menſuras, atque percutiant cunctos inique agentes ex ore judicum. Et in quocumque viderint turpitudinem rei, cum afferunt in domum judicii, quæ judicet eum juxta delictum ſuum.

[17] *Et tres ordines &c. Toſaphta de Synedriis VIII.* 4. Tres ordines diſcipulorum ſapientum ſtabant coram eis, majores in primo, ſecundi in ſecundo, & tertii in tertio ordine, præter hos nullus erat ordo, ſed qui ſocium quatuor ulnas anteiret, locum meliorem occupabat. Miniſtri Judicum, Reus, teſtes, & qui poſſent eſſe falſarii, & qui hoſce poſſent convincere, ſtabant inter ordinem exteriorem & populum, nec erat neceſſe, ut notus fieret reus, quia prope primum teſtem eum ſtatuebant. *Maimonides ibidem cap. I.* In quolibet Synhedrio minori collocabant coram Synhedris tres ordines diſcipulorum ſapientum, in ſingulo ordine erant viginti tres. Ordo primus proximus erat Synhedrio, ſecundus inferior illo, tertius illo inferior; in quolibet ordine ſedebant ſecundum dignitatem ſuam. Si diſſenſus eſſet inter collegas, adeo ut neceſſe eſſet ordinare eis quemquam ad augendum ſuum numerum, ordinabant ex primo ordine majorem & priorem, & primus ordinis ſecundi ſurgens ſedebat in fine ordinis primi, ita ut compleretur ejus defectus. Parili modo primus ordinis tertii ſurgens ſedebat in fine ordinis ſecundi. Deinde eligebant ex populo reliquo unum, & collocabant eum in fine ordinis tertii, atque ad hunc modum, ſi neceſſe eſſet, binos aut tres ordinare, ſe res habuit.

[18] *Decernebat hoc &c. Maimonides ibidem cap. V.* Non conſtituebant Regem niſi 71. Judicum conſenſu, parili modo nonniſi nutu Synhedrii Majoris ſingulis Tribubus aut urbibus Synhedrium minus conſtituebatur; ſic Tribus, quæ tota defecerit, aut Pſeudo-propheta, aut ſummus ſacerdos (*Quod falſum eſt. Decet (inquit Aben Ezra ad cap. IV. 14. Levit.) ſummum Pontificem arguere populum peccatorum, quæ committit, at nemo eſt, qui arguat ipſum Pontificem niſi ipſemet*) non judicatur niſi a Synhedrio magno, videlicet in judiciis capitalibus; verum quoad judicia pecuniaria a tribus judicantur. Non judicabant ſenem rebellem niſi 71. Judices, nulla urbs ob univer-

ſalem

salem idolatriam plectitur, nisi hujus Synhedrii majoris decreto, sic etiam non potabant mulierem declinantem nisi 71. Judices. Urbs aut atrium nonnisi his jubentibus amplificatur, neque bellum arbitrarium suscipitur nisi ex illorum auctoritate, non exibant quiquam ad intervalla inter cadaver occisi & circumjacentes urbes mensuranda citra decretum Synhedrii magni secundum id quod dicitur; *Quicquid autem gravius erat, referebant ad eum. Exod.XVIII.26.*

[19] *Hæ autem 4. fuere &c. Tosaphta Sanhedrin cap. IX.* 16. Quatuor supplicii genera a Synhedrio infligebantur, lapidatio, combustio, gladius, strangulatio. Dixit R. Eleasar filius R. Zadoik, ego eram puerulus, & super alicujus humero sublatus eram, & vidi filiam Sacerdotis, quæ scortata erat in Hierosolyma aggestis circumquaque fascibus Vitium fuisse combustam; ita dixerunt, erat puer, nec testimonium a pueris recipitur. R. Jehuda dicit; Textus dicit; *diliges amicum tuum sicut te ipsum. Levit. XIX.* 18. delige pro eo mortem meliorem quam possis ei infligere. Quomodo fiebat? Caput impositum trunco securi præcidebatur. Ei dixerunt; turpius hoc genere mortis nullum est. Eis respondit; equidem hoc genus mortis est turpissimum; sed hoc fiebat, ne ea morte afficeretur, qua a Gentilibus *rei* afficiebantur, Etenim Sacer textus dicit; *nec in statutis eorum ambulabitis. Levit. XVIII.* 3. *Maimonides ibid. cap.* XIV. Quatuor suppliciorum genera capitalium Synhedrio tradita sunt, lapidatio, combustio, gladius, strangulatio.

[20] *Lapidatio &c. Tosaphta Sanhedrin cap. IX.* 9. Quando decem cubitos abest a loco lapidationis, ei dicebant, *Confitere*. Narratur historia de quodam, qui eductus est, ut lapidaretur, ei dixerunt *confitere*; dixit. *Sit mors mea expiationi pro omnibus peccatis meis; & si commisi hoc delictum, cujus causa ducor ad mortem, ne mihi ignoscatur, neque noxæ sit magistratui Israelis*; Quando hæc relata sunt sapientibus, eruperunt lachrymæ ab oculis eorum, & dixerunt; fieri non potest, ut reducatur, cum jam judicium latum sit, sed sui sanguinis sui testes rationem reddent &c. Quando a loco lapidationis aberat quatuor cubita, vestes ei detrahebantur. Maris anteriora velabantur, mulieris & anteriora, & posteriora, quia mulier tota est turpitudo, verba R. Jehudæ, quæ dicebat nomine R. Elieseris; & Sapientes dicunt: Mas nudus lapidabatur, mulier vero nuda non lapidabatur. Locus lapidationis altus erat geminam hominis staturam, & ipse statura altera erat; ecce, quod tres staturas altus deprehendebatur. R. Simeon filius Eleasaris dicit, lapis ibi erat ejus ponderis, ut a duobus hominibus ferri posset, qui in pectus ejus immittebatur ad observandum præceptum lapidationis; & quando suspendebatur, alter testis ligabat, alter solvebat ad observandum præceptum suspendendi. Dicebat R. Meyr, quidnam nos docet versiculus qui dicit, *quia maledictus a Deo est, qui pendet in ligno? Deut. XXI.* 23. Cuinam hoc simile est? duobus fratribus, quorum alter alteri similis est; unus dominatur universæ terræ, alter grassatur; post aliquod tempus qui grassatur, capitur, & suspenditur & omnes, qui prætereunt eam viam, & vident hunc suspensum, & putant Regem esse suspensum. Ideo dictum est; *maledictus a Deo est, qui pendet in ligno*. Gladius quo occidebatur, ille, qui morte dignus erat, sudarium, quo strangulabatur, lapis, quo lapidabatur, & furca, in qua suspendebatur, sepelienda omnia erant, nec cum eo sepeliebant. Quando absumta caro erat, legati magistratus ossa coacervabant, & in eorum sepulchris sepeliebant; etiamsi esset maximus Regum, non sepeliebatur in sepulchro suorum majorum, sed in sepulchris, quæ statuerant magistratus. Duo sepulchra constituta erant a magistratu, alterum pro lapidatis, & pro combustis, alterum pro strangulatis, & pro securi percussis; & similiter dicebat David. *Ne perdas cum impiis Deus, animam meam. Psalm. XXVI.* 9.

[21] *Combustio &c. Maimonides ibidem cap. XV.* Comburendi fimo immergebantur usque ad genua; tunc linteum durius molliori involutum collo ejus circumdatum a testibus hinc inde trahebatur, usque dum os aperiret, in quod stamnum, aut plumbum liquefactum injiciebant, quo viscera comburerentur.

[22] *Decollatio &c. Maimonides ibidem*. Præceptum de gladio puniendis tale erat, ipsius caput gladio præsecabatur, eo modo ac Reges facere solebant.

[23] *Strangulatio &c. Maimonides ibidem*. De strangulandis hæc habemus, damnatus etiam fimo usque ad genua immergebatur, tum linteum durius collo ejus circumdatum, molliori involutum hinc inde trahunt donec exspiret.

[24] *Nam illa suspensio &c. Maimonides ibidem*. Præceptum vero affirmativum Legis est, ut blasphemus & idolatra suspendantur secundum illud, *quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno*. Quod de blasphemo intelligunt, atque de idolatra quoque dicitur; *quoniam adversus Dominum rebellis fuit. Num. XV.* 30. Vir autem suspenditur non vero mulier, secundum illud. *Quando peccaverit homo quod morte plectendum est*, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo. Quomodo autem suspendendi institutum erat? Postquam lapidati sunt infigunt in terram trabem, ex qua lignum exstat, dein manibus revinctis eum suspendebant prope solis occasum, e vestigio autem solvitur, si pernoctet, transgrediuntur præceptum negativum, secundum id quod dicitur; *Non permanebit cadaver ejus in ligno*, nam præceptum Legis est, ut omnes Synhedrii damnati eodem in die sepeliantur, secundum illud, *sed in eadem die sepelietur. Deut. XXI.* 23. Quod non tantum ad Synhedrii damnatos spectat, sed etiam ex cæteris, ut mortuum pernoctare sinant, interdictum est &c.

[25] *Flagellatio &c. Tosaphta Maccoth cap. IV.* 14. Pœna flagellationis a tribus infligenda erat, unus verberabat, alter numerabat, & tertius legebat; Non commutandum pro eo flagellum erat, non debebat hoc esse longum, sed breve &c. *Maimonides ibidem cap. XVI.* Quomodo autem fit flagellatio? Manibus verberandi columnæ hinc inde alligatis, lictor vestem ejus arripit, sive rumpatur, sive diffuatur, donec pectus denudet, atque post eum lapis positus est, cui insistebat minister habens in manu sua lorum taurinum complicatum, primo ut ex simplici fiat duplex, iterum ut ex duplici fiat quadruplex, in illo duo lora asinina sunt, quæ ascendant & descendant. Latitudinem palmi lorum habet, longitudinem quo extremitas ejus ad os ventris pertingere possit, manubrii autem longitudo palmi est. Oportet, ut percutiens magis sapientia, quam viribus præstet, lorum autem duabus attollit manibus, una ferit quantum potest, infligens ei inter mammas ictuum trientem, trientemque uni, alterumque alteri infligit humero. Qui vapulat non stat, neque sedet, sed inclinat juxta illud; *prosternent & coram se facient verberari. Deut. XXV.* 2. cæditque ut reum judex aspicere possit, *percutit eum*; inde discimus, quod simul bini non vapulant; dum minister eum cœdebat, judicum præcipuus clamabat. *Nisi custodieris & feceris omnia verba legis hujus &c. Augebit Dominus plagas tuas &c. Deut. XXVIII.* 58. 59. Attendit, ut absoluto verberum numero, etiam absolvat versiculos istos, si vero non absolverit, iterabat, idque faciebat, usque dum verberum numerus esset finitus. Judicum vero secundus numerabat, tertius ministro dicebat, *percute*, atque dum vapulat, lictor reum secundum istius judicis numerum cœdebat. *Et cap. XVII.* Flagellationis reo juxta ipsius robur verbera infligebantur, secundum illud; *pro mensura peccati erit & plagarum modus. Deut. XXV.* 2. Et quando postea statim subjicitur; *Ita duntaxat ut quadragenarium numerum non excedant*, licet reus sit robustissimus instar Samson. Minora semper debili ac robusto verbera infligebant; nam si debili plures plagas, quam ferre posset, infligerent, procul dubio moreretur, idcirco Rabbinorum decretum est, ne reo licet robustissimo plures plagas infligerent, quam triginta novem, nam si unam adderet fieri posset, ut numerum quadragenarium ipsi quidem debitum, facile transgrederetur. *Peccarunt Rabbini, qui quadragenarium verberum numerum a Deo constitutum in puniendo reo non observarunt. Erant præterea rebellionis, seu contumaciæ verbera quorum nullus erat definitus numerus, sed reus usque ad mortem cædebatur. R. Nathan in Aruch*. Verberatio juxta Legem est eorum, qui transgressi sunt negativa præcepta, quæ fit juxta certum modum, & admonitionis causa, flagello constante triplici loro, sed qui affirmativa præcepta transgressus est, eum verberant usque ad mortem, non flagello triplici loro constante. Similiter quicumque peccaverit in verba Sapientum, eum verberant absque numero & modo, & vocant hæc *rebellionis* verbera, quia rebel-

lis

lis fuit contra verba Legis, & contra verba Scribarum.

[26] *Et excommunicatio &c.* נדוי *erat leviſſima excommunicationis ſpecies; ſed* נזיפה, *id eſt correptio, aut increpatio excommunicatione ideſt* נדוי *levior erat, quia increpatio abſolutione opus non habuit.* נזיפה (*inquiunt Rabbini*) eſt cum vir quis illuſtris alium corripit, dicens, quam impudens eſt N., vel aliquid iſtiuſmodi. Conditio autem hominis correpti hæc eſt. Abſcondit ſe & domi continet ut pudefactus, ne faciem ejus videat, qui pudefecit, nec coram eo ſtet aperto capite. Diminuat etiam de riſu ſuo, & de verbis ſuis, & de negotiis ſuis, & ſe contriſtet coram videntibus. At non opus eſt, ut ab hominibus ſe retrahat, quin cum iis comedat, & bibat, & eos ſalutet. Nec opus eſt, ut eum placet, qui illum increpavit, nec opus habet abſolutione, ſed cum correptionem in ſe ſuſceperit, tempuſque excurrerit, ſolutus eſt. *Babyl. Moed Katon fol. 16. 1.* Correptio non eſt minus quam in ſeptiduum, ſicut dicitur, *Si pater ejus ſpuiſſet in faciem illius, nonne debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi? Num. XII. 14. Correptionis hæc exempla ibi adducuntur.* R. Simeon filius Rabbi (*Judæ*) & Bar Kaphra ſederunt legentes, cumque difficilis nimis eſſet locus, quem legerunt, dixit R. Simeon τῷ Bar Kaphra, & quidnam dicere hac in re poteſt Rabbi? Abiit *R. Simeon*, & patri ſuo hoc dixit, qui ideo ſuccenſuit. Venit Bar Kaphra eum viſitatum. Dixit ei o Bar Kaphra, ego te non novi. Novit ille quid ſibi is vellet; ſubiit ergo correptionem triginta diebus. *Et rurſus.* Præcepit aliquando Rabbi, ne magiſtri diſcipulos ſuos doceant in plateis, verba iſta myſtice huc applicans; *juncturæ femorum tuorum ſicut monilia Cantic. VII. 1.* Prout femur eſt in abſcondito, ſic verba Legis in abſcondito. Prodiit R. Chaija, & duos filios fratris ſui docuit in platea, Rabh ſcilicet, & Barbar Channah. Audiit hoc Rabbi, & ſuccenſuit. Venit R. Chaija eum viſitatum; Dicit ei, o Aija quiſnam leget tibi in platea? Novit ille, quare in eum verba talia effunderet, ſuſcepit ergo correptionem per triginta dies. *Hinc illuſtrari poteſt 1. Timoth. V. 1.* Seniorem ne increpaveris &c.

Excommunicatio autem abſolutione opus habuit, quæ non erat minus quam triginta dies. Hieroſ. Moed Katon fol. 81. 3. Excommunicatio *Niddui* non erat minus quam in triginta dies, ſicut dicitur; *Sed uſque ad menſem dierum, donec exeat per nares veſtras &c. Num. XI. 20. excepta uxore liberis, & famulis, a reliquorum conſortio prohibebantur. Piske* הראש *in Moed Katon cap. III.* Hæc eſt conditio excommunicati. Non edunt, nec bibunt cum eo, nec ſedent intra quatuor cubitos ab eo (uxore & liberis, & famulis exceptis, quibus permiſſum eſt juxta eum ſedere.) Cum gratias agunt *ad cibum*, eum non conjungunt in gratiarum actione, nec eum adhibent ad rem quamvis, quæ eget decemviratu. At cuivis licet cum eo colloqui, & conducit is operarios, & conducitur ipſe in operarium *Templum adire excommunicato licuit. Middot cap. II. 2.* Omnes qui intrant in templum ſecundum conſuetudinem ingrediuntur via dextra, ac circumeunt, egrediunturque ſiniſtra; excepto eo cui aliquid accidit, qui circumambulabat ad ſiniſtram. Interrogatus, quid tibi quod ad ſiniſtram circumeas? Reſpondit, quia ego ſum excummunicatus; cui alter, ille qui hanc ædem habitat, indet cordi tuo, ut auſcultes verbis ſociorum tuorum. *Viginti quatuor cauſæ excommunicationis erant. Maimonides de ſtudio Legis cap. VI. 13.* Viginti quatuor de cauſis, quæ deinceps ſequuntur, tum viri tum fœminæ excommunicantur. 1 Qui ſapientem etiam mortuum contemnit. 2 Qui ſenatus miniſtrum contemtu excipit. 3 Qui proximum ſuum *ſervum* vocat. 4 Is quem accerſivit, cuique diem indixit Senatus, nec tamen eo coram ſe ſiſtit. 5 Qui ſcribarnm verba, multo magis, qui verba Legis nihili æſtimat. 6 Qui latæ de ſe ſententiæ non paret, excommunicatur, quoad ſatisfecerit. 7 Qui aliquid noxium poſſidet, veluti canem rabidum, aut ſcalam fractam, eum excommunicant, niſi noxia iſtiuſmodi removeantur. 8 Eum qui fundum ſuum vendit Idolatræ, excommunicant, niſi ſe omne præſtare damnum promittat, quod ab Idolatra Iſraelitæ proximo ſuo anguſtiis oppreſſo infertur. 9 Qui in Idolatrarum tribunalibus contra Iſraelitam teſtem ſe præbet, & vi ejus teſtimonii contra jus Iſraeliticum ab eo pecuniam extorquet, excommunicatur, quoad eam reſtituerit. 10 Sacerdos mactator qui dona non ſeparat, nec alteri Sacerdoti tradit, excommunicatur, uſque dum ea tradat. 11 Qui diem feſtum ſecundum in captivitate inſtitutum profanat, licet ejus obſervatio conſuetudini debeatur. 12 Qui poſt meridiem pridie Paſchatis aliquid negotii facit. 13 Qui nulla de cauſa nomen Dei pronunciat, aut id de rebus inanibus jurando expreſſerit. 14 Qui ad profanandum nomen divinum alios quoquo modo inducit. 15 Qui alios ad res ſacras comedendas extra locum ſacrum ſollicitat. 16 Qui extra terram Sanctam annos ſupputat, aut menſium initia ſtatuit. 17 Qui in ſemitis Cœci offendiculum ponit. 18 Qui populum impedit a præſtando præcepto. 19 Mactator ſub cujus manu ſacrificium erat temeratum. 20 Mactator qui cultrum ſuum præſente ſapiente non examinaverit. 21 Qui ſe ad dicendum incapacem reddit. 22 Qui uxorem ſuam dimittit & poſtea, cum ea ſocietatem init, & cum ea mercaturam exercet, adeo ut iterum conjungantur, una cum uxore excommunicantur, quamprimum ad Senatum. 23 Sapiens malæ famæ. 24 Qui quemquam ſine juxta cauſa excommunicat. *Cap. VII. ibidem formulam excommunicationis, anathematis, abſolutionis nos docet.* Quæ erat excommunicationis forma? *N. erit in Shammata.* Si autem præſens eſſet, dicebat; *Hic N. eſt in Shammata.* In Anathemate autem dicebat, *Sit N. Anathematizatus, & maledictus, & ipſum maneant diræ, & execratio, & excommunicatio.* Quomodo autem quemquam ab excommunicatione, aut anathemate ſolvunt? Ei dicunt, *ſolutus ſis & immunis. Tres indocti, aut unus ſapiens poterant quemvis ab excommunicatione, & anathemate ſolvere. Maimonides ibidem.* Quot homines ſunt neceſſarii ad aliquem vel ab excommunicatione, vel anathemate ſolvendum? tres vulgares & indocti, & unus auctoritate donatus excommunicatione, aut anathemate liberare poteſt. Potuit autem ſtudioſus in loco in quo manet Magiſter, excommunicationem aut anathema tollere. Si tres, qui aliquem excomunicant, loco diſceſſerint, iſque ad iſtud crimen, cujus gratia, excommunicatur, pœnitentiam ageret, tunc alii tres venient, & eum abſolvent. Si quis haud cognoverit, a quo fuerit excommunicatus, Principem adibit, eumque Princeps abſolvet. Excommunicatio conditionalis alicujus ipſius ore pronunciata, abſolutionem requirit. Doctor qui aut alium aut ſe ipſum juxta alterius ſententiam ob rem excommunicatione dignam excommunicat, ſemetipſum abſolvere poteſt. Qui in ſomno eſt excommunicatus, a Decemviris in conſtitutionibus verſatis, abſolvi debet, etſi hominem ſe excommunicantem cognoverit; & ſi eos non ſtatim inveniat per unius milliaris ſpatium, diligenter eos quærat, ſi tales non reperiat, eum abſolvant, qui ſcripturam legere poſſunt; ſi neque tales inveniantur, eum decem homines legis ignari abſolvent; at ſi tot in iſto loco non offenderit, tres eum ab excommunicatione liberare poſſunt. Siquem præſentem excommunicaſſent, abſolutionem ei niſi præſenti non concedunt; at ſi abſentem excommunicaſſent, ſive ſit præſens, ſive abſens, eum abſolvunt. Non neceſſe eſt, ut inter excommunicationem & abſolutionem multum temporis intercedat; ſed in eodem momento eumdem & excommunicant, & abſolvunt, modo reſipiſcat, & ad bonum ſe convertat. Si viſum fuerit Senatui aliquem per plures annos excommunicatum eſſe, eum pro peccati ratione excommunicatum manere volunt. Etiamſi Senatui placuerit quemquam ſtatim anathemate ferire, aut alium quempiam, qui cum illo comederit, aut biberit, aut qui intra quatuor cubitos ab ipſo ſteterit, facere licuit ad eum corrigendum, & ad Legem ſæpe muniendam, ne effrœni protervia abripiantur peccatores.

Quæ excommunicato eſſent obſervanda, legimus in Piſke Haroſh artic. 51. in Moed Katon. Lugens & excommunicatus prohibentur tonderi. Lugens tenetur ad velandum caput; excommunicatus non. Lugens die primo privatur Phylacteriis; excommunicatus non; Lugenti prohibetur ſalutatio; excommunicato permittitur; multo magis licet cum eo colloqui; Lugenti prohibetur, ut operam det Legi; excommunicato permittitur. At anathematizato prohibetur verſari in Lege; verum ille exponit ſibi ipſi, & facit ipſe ſibi tabernu-

bernu-

bernulam pro victu suo. Lugens tenetur ad scissionem vestimenti; excommunicatus non. Lugenti prohibetur ne faciat aliquod opus; excommunicato permittitur; Lugenti prohibetur ne se lavet; excommunicato permittitur. Lugens non induit sandalia, excommunicatus induit; Lugens non coit cum uxore, excommunicatus coit &c. *Et apud Maimonidem ibidem*. Quæ observanda sunt ab excommunicato, & quomodo adversus illum alii se gerere teneantur? Sicuti Lugenti non permittitur, ita nec illi capillos tondere, aut vestes lavare, quandiu est excommunicatus. Excommunicatum ad convivium non invitant, nec in quocunque negotio, quod ad decem viros spectat, in eorum numerum illum cooptant, & quatuor cubitos ab eo sedebant; at aliis ille legem repetere potest, & illi alii legunt, ab aliis mercedem accipit, aliosque mercede conducit. Si manente excommunicatione moriatur, aliquem mittit Senatus, ut feretro ejus lapidem imponat, ad judicandum eum lapidibus ab iis obrui, quoniam a congregatione est separatus; nec necesse est monere, quod ejus gratia non planxerunt, neque feretrum ejus comitati fuerunt. Anathematizati conditio erat multo gravior, quod neque aliis Scripturam legere licebat, neque ei legere cuiquam permittitur, at solus legit, ne legis scientiam oblivioni traderet; nec mercede ipse conducitur, nec alii mercedem ab eo accipiunt, nec cum eo negotiantur, aut operam exercent nisi parce, ut habeat, quo vitam sustentet.

Si quis triginta dies fuerit excommunicatus, nec absolutionem petierit, iterum excommunicatur, & si triginta alios dies absolutionem non petierit, anathemate eum feriunt. Maimonides ibidem. Si quis triginta dies excommunicatus manserit, nec absolvi petierit, eum iterum excommunicant, & si alios triginta dies excommunicatus manserit, nec absolutionem rogaverit, tum eum anathemate feriunt. *Babyl. Moed Katon fol.* 16. Excommunicant eum, & post triginta dies iterum excommunicant, & post sexaginta anathematizant. *Rabbena Asher fol.* 34. 2. Anathematizant dicendo, *sit sub anathemate*. Et hoc longe gravius est, quam vel *Niddui* vel *Shammatha*, nam in hoc est excommunicatio & maledictio, & prohibitio usus quorumvis hominum, nisi, in his rebus solum, quæ ad vitam sustentandam pertinent, & non anathematizant, nisi cum se obduraverit contra Consessum semel iterumque. Ratio horum processuum redditur in Moed Katon l. c. Unde est, quod nuntium ei mittunt a Consessu? Quia scriptum est. *Misit ergo Moses, ut vocaret Dathan, & Abiron*. Unde est quod ad judicium citant? Quia scriptum est, *Dixitque ad Core, tu, & omnis congregatio tua*. Unde quod coram viro aliquo magno & eminenti? Quia scriptum est; *coram Domino*. Unde quod coram N. vel tali viro? Quia scriptum est; *Tu & omnis congregatio tua & Aaron*. Unde quod indicunt ei tempus statutum comparendi? Quia scriptum est; *die crastino*. Num. XVI. Unde quod de tempore in tempus? Quia scriptum est; *Vocate nomen Pharaonis regis Ægypti, tumultum adduxit tempus*. *Jerem.* XLVI. 17. Unde quod Shammatizant? Quia scriptum est; *maledicite Meroz*. Unde quod anathematizant? Quia scriptum est *maledicite*. Unde, quod maledictus est, qui cum eo edit, & bibit, & stat intra quatuor cubitos cum eo? Quia scriptum est, *maledicite habitatoribus ejus*. Judic. V. 23. Unde quod crimina ejus publicant in Synagoga? Quia scriptum est; *Quia non venerunt ad auxilium Domini. Ibidem*. Unde quod bona ejus in fiscum referunt? Quia scriptum est; *Quicunque non venerit intra triduum secundum consilium Principum & seniorum, perdetur omnis substantia ejus*. Unde quod contendimus cum eo, & maledicimus ei, & percutimus & crines ejus vellicamus, & adjuramus eum? Quia scriptum; *Et objurgavi eos, & maledixi; & cæcidi ex eis viros, & decalvavi eos*. Unde quod ligamus, constringimusque eum? Quia scriptum est; *Aut ad mortem, aut exilium, aut confiscationem bonorum, aut incarcerationem*. *Horrendæ Anathematizationis exemplum legitur in* Pirke *R. Eleasaris cap.* 38. Congregarunt totam Ecclesiam seu cœtum populi in templum Domini, & introduxerunt 300. Sacerdotes & 300. pueros, quibus erant in manibus 300. buccinæ, & 300. libri Legis. Hi clangebant, cantantibus interea & psallentibus Levitis, & excommunicabant Cuthæos per mysterium nominis Tetragrammati, & per scripturam descriptam in Tabulis *Decalogi*, & per anathema Fori superioris seu cœlestis, & per anathema Fori inferioris, ita ut nemo Israelitarum unquam in posterum comederet buccellam aliquam Cuthæorum. Hinc etiam inolevit, eum, qui comederit carnem Cuthæorum, habendum veluti qui comederit carnem porcinam. Neque Cuthæos proselytos fieri, neque eis esse partem in resurrectione mortuorum juxta illud quod scriptum est; *Non ad vos simul nobiscum attinet instauratio Domus Dei nostri*. Nec scilicet nec in hoc seculo, nec in futuro. Et præterea non esse eis partem, seu hæreditatem aut possessionem Hierosolymis juxta id quod itidem scriptum est; *Vobis autem non est pars, & justitia & memoria in Jerusalem*. Miserunt autem anathema ad Israelitas, qui in Babylonia. Quin & sæpius iterarunt in eos anathema. Etiam & adjecit Cyrus Rex anathema, quod stabilivit in eos perpetuum. *Alterum horrendioris Anathematis exemplum legitur in Sepher Colbo fol.* 144. I. Ex decreto Civitatum, & Sanctorum jussu, nos anathematizamus, adjuramus, exterminamus, excommunicamus, maledicimus, & execramur volente Deo & Ecclesia, per librum hujus Legis, per 613. præcepta in eo conscripta, per anathema, quo anathematizavit Josua Hierichuntem, per maledictionem, qua maledixit Elisha juvenibus, & per maledictionem, qua maledixit Gihezi puero suo, & per excommunicationem, qua excommunicavit Barak Meroz, & per excommunicationem, qua viri Synagogæ magnæ sunt usi, & per excommunicationem, qua usus est Rab. Jehuda filius Rab. Jehezkiel hujusmodi in re, & per omnia anathemata, imprecationes, diras, excommunicationes, atque exterminationes, quæ factæ sunt a tempore Mosis magistri nostri, & deinceps, per nomen Acetheriel. Jah. Dom. exercituum, per nomen Michael principem illum magnum, per nomen Mittatron, cujus nomen est ut nomen magistri sui, per nomen Sandalipon, qui ligat ligamenta Domino suo, per nomen nominis quadraginta duarum literarum, per nomen ejus, qui apparuit Mosi in rubo per nomen quo divisit Moses mare; per nomen *Sum qui sum*, per mysterium nominis tetragrammati, per scripturam, quæ scripta est super tabulas, per nomen Domini exercituum, Deum Israel sedentem super Cherubim, per nomen Sphærarum, & circulorum, & animalium Sanctorum, & Angelorum ministrantium, per nomen universorum Angelorum, qui Deo supremo ministrant. Quilibet scilicet Israelita, & quælibet Israelitis scienter & sponte violans quicquam eorum, quæ observanda esse jam denuntiantur, maledictus sit Domino Deo Israelis sedenti super Cherubin. Maledictus sit per nomen gloriosum & lucidum, quod exprimit ore suo Pontifex maximus in die Expiationum. Maledictus sit per Cœlum & terram, maledictus sit a Deo Omnipotenti. Maledictus sit a Michaele Principe illo magno; maledictus sit a Mittatron cujus nomen est ut nomen magistri sui. Maledictus sit ab Acetheriel, Jah Dom. exercituum. Maledictus sit a Seraphin & orbibus, & animalibus Sanctis & Angelis, qui ministrant coram Deo supremo in Sanctitate ac munditie. Si natus fuerit in mense Nisan, quem Angelus dictus Uriel, ut princeps classis, cui subest, gubernat, maledictus sit ab eo, & ab universa Classe ejus. Et si natus fuerit in mense Jiar, quem Angelus dictus Tzephaniel, ut princeps classis, cui subest, gubernat, maledictus sit ab eo, & ab universa classe ejus. Et si natus fuerit in mense Sivan &c. *Scilicet similis fit atque eisdem verbis imprecatio pro quolibet mense. Angelus qui præest mensi Sivan, Amariel ibi nuncupatur, qui Thamuz, Peniel, qui Ab, Barachiel; mensis Elul prætermittitur præfecti nomen; Tisri mensis Angelus dicitur Tzuriel; Marchvvescan habet Zacaliel; Casleu Adoniel, Tebet Anael, Sebat Gabriel, Adar Rumiel; Sed alia nomina etiam Angelorum signis seu mensibus interdum ab eis assignantur. Quæ omnia superstitionem, & Theologiam Chaldaicam sapiunt. Dein sequitur*. Maledictus sit a septem Angelis constitutis super septem diebus Hebdomadis, & a tota eorum classe, & potestate adjutrice. Maledictus sit a quatuor Angelis, qui præficiuntur quatuor cardinibus anni, & ab universa eorum classe, atque potestate adjutrice. Maledictus sit a septem palatiis; maledictus sit a principibus Legis; nomine coronæ, & nomine sigilli. Maledictus sit

sit a Deo magno, forti, & lucido; ex coitu ejus sit ei confusio; veloci cadat ruina. Deus, Deus spirituum, universæ carni eum destruat, & perdat. Deus, Deus spirituum universæ carni eum subdat. Deus, Deus spirituum universæ carni prosternat. Deus, Deus spirituum universæ carni eum deprimat. Deus, Deus spirituum universæ carni eum exscindat. Ira Domini & turbo violentus cadat super caput impiorum. Angeli perditionis in eum incurrant. Maledictus sit in omnibus, ad quæ se divertat. In terrore exeat anima ejus. Ex angina moriatur. Non exeat, non redeat ei spiritus. Phtisi, febre, uredine, siccitate, gladio, marcore, ictero feriatur, neque ante exitium eis liberetur. *Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur. Psalm. XXXVI. 15. Fiant tanquam pulvis ante faciem venti; & Angelus Domini coarctans eos. Ibid. XXXIV.* 5. Sit via ejus tenebræ, & lubricitates, & Angelus Domini eum persequatur. Veniat ei desolatio inopina, & rete suum, quod abscondidit ipse, eum deprehendat: *Expellet eum de luce in tenebras, & de orbe transferet eum. Job. XVIII. 18. Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum. Ibid. XV. 24. videbunt oculi ejus interfectionem suam, & de furore Omnipotentis bibet. Ibid. XXI. 20. & induit maledictionem sicut vestimentum. Psalm. CVIII. 18. Devoret pulchritudinem cutis suæ. Job. XVIII. 13. Propterea Deus destruet te in finem, evellet te, & emigrabit de tabernaculo tuo. Psalm. LI. 7. & Dominus non ignoscat ei, sed tunc quam maxime furor ejus fumet, & zelus contra hominem illum, & sedeant super eum omnia maledicta, quæ scripta sunt in hoc volumine; & deleat Dominus nomen ejus sub cœlo; & consumat eum in perditionem ex omnibus tribubus Israel, juxta maledictiones, quæ in libro legis hujus, ac fœderis continentur; Deut. 29. 20. Vos autem qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi usque in præsentem diem. Ibid.* 10. 4. Is qui benedixit Abrahæ, Isaaco, Jacobo, & Mosi, & Aaroni, Davidi, & Salomoni, & prophetis Israel, & iis qui inter Gentes, pii sunt, totam hanc Congregationem Sanctam benedicat cum omnibus congregationibus sanctis, excepto tantum eo, qui anathema hoc violaverit. Deus ex misericordia sua custodiat eos, salvos eos faciat, atque eripiat eos ex omni Erumna ac miseria, atque prolonget dies eorum, atque annos eorum, & mittat benedictionem & eventum prosperum omni operi manuum eorum, atque eos vindicet festinanter cum omnibus Israelitis aliis: Atque ita sit voluntas ejus, & decretum. Amen.

Nonnulli tres faciunt excommunicationis species, scil. נדוי, שמתא, & חרם; *plerique tamen duas tantum faciunt, nullumque discrimen inter* נדוי & שמתא *agnoscunt*

[27] *Bonorum adjudicatio &c. Eorum tantum, qui a Rege damnabantur, publicabantur bona. Maimonides Melachim cap. IV.* Omnium interfectorum Regis facultates cedunt Regi.

[28] *Exilium &c. Exsulatum in aliquam civitatem Refugii, abibant, qui aliquem imprudentes occiderant, ibique habitabant usque ad mortem summi Pontificis. Vide* Codicem Maccoth. cap. II. *& Maimonidem in* Rozeach

[29] *Et carcer &c. Siquis iterum, & tertio idem crimen patrarit, cujus causa antea vapulaverit, includebatur carceri, & afflictionis pane vescebatur. Codex Sanhedrin cap. IX.* 5. Si quis loris cæsus reciderit, jussu judicum arcæ inditus hordeo cibatur, donec venter ejus rumpatur. Si quis sine testibus cædem fecerit, inditus arcæ cibatur pane ærumnæ, & aqua angustiæ. *Maimonides de Synhedriis cap. XVIII.* Si quis in foro ob negativum violatum in se excisionem continens, semel iterumque vapulasset, e. g. quod adipem comederit, ob quod vapulat, idque iterum faciat, & vapulat, si tertio istius criminis reus declaretur, non verberabant ipsum, sed tradebant carceri, qui locus erat angustus, statura ejus non altior, nec ejusmodi, ut in eo decumbere posset, ubi ei panem & aquam miseriæ dabant, usque dum languesceret, & dein hordeo eum satiabant, usque dum venter ejus rumperetur. Si quemquam violantem negativum continens in se excisionem, aut mortem a Synhedrio infligendam præmonuissent, si vero capite suo annueret, aut sileret, nec tamen suscepit in se admonitionem, non eum interficiebant, aut flagellabant, similiter si secundo istius criminis reus sit, non verberabant, nec interficiebant, sed si tertio transgrediatur, & ipsum, præmoneant, licet capite annueret, aut sileret, eum carceri, donec moreretur, tradebant.

Præterea supplicium capitale homini in ipso crimine deprehenso, in atrocioribus delictis, Zelotis, idest privatis zelo ductis, infligi permissum erat. Codex Sanhedrin cap.IX.6. Si quis ex sacra supellectili quid furetur, maledicat per idolum, concumbat cum pagana, Zelotæ incurrunt in eum. Si quis Sacerdos in impuritate sacra obierit, non fratres ejus Sacerdotes eum in judicium adducunt, sed juvenes Sacerdotum extra atrium protracti cerebrum fustibus elidunt *Maimonides ibidem.* Quicumque ministerii vasa ex templo furatus fuisset, & maledicus, & qui cum Aramæa (*gentili*) rem habet, eorum supplicium non pertinet ad Synhedrium, sed Zelotypi irruunt in eum, utque occidant, permissum est. Similiter si Sacerdos in templo in immunditia ministrasset, Sacerdotes eum ad Synhedrium non ducebant, sed juvenes Sacerdotes eum adducunt extra atrium, & contundunt ipsi cerebrum.

[30] *Synhedrium magnum &c. Tosaphta Sanhedrin cap. VII.* 1. Ibique (*idest in conclavi Gazith*) sedebant a Sacrificio jugi matutino usque ad sacrificium juge vespertinum. *Maimonides ibidem cap. III.* A quo tempore Judices sedebant in judicio, & Synhedrio minore, & collegio trium virorum? Eorum autem sessio erat paulo post matutinam precationem, usque ad horam diei sextam; verum Synhedri majoris Synhedrii sedebant a Sacrificio matutino usque ad Sacrificium vespertinum.

[31] *Die secundo & quinto &c. Bartenora ad cap. I. 1. Meghilah, Nisi quod pagi anticipent diem congregationis*, diem septimanæ secundum, aut diem quintum, qui veniunt ante diem decimum quartum, qui sunt dies congregationis, quibus villici congregantur in civitatibus, & judicant; nam Senatus sedet ad judicandum die secundo & quinto ex constitutione Esdræ.

[32] *Sabbathis autem &c. Tosaphta Sanhedrin ibidem.* Sabbathis autem & diebus festis non eo ingrediebatur, sed solum in Scholam, quæ erat in monte Templi. *Maimonides ibidem.* Diebus autem Sabbathicis & festis omnes sedebant in Schola, quæ erat in monte templi.

[33] *Forma semilunari &c. Codex Sanhedrin cap. IV.* 3. Synhedrium instar horrei dimidiati fuerit orbiculare, ut unus alterum contueri posset. *Tosaphta Sanhedrin cap. VIII.* 2. Synhedrium Sedebat ut dimidiata area orbicularis, ut unus alterum contueri posset. Princeps erat in medio, & seniores sedebant ad ejus dextram & sinistram. Dixit R. Eleasar filius R. Zadok; quando R. Gamaliel sedebat in magistratu in Jabne, meus pater sedebat ad dextram, & Seniores ad ejus sinistram; cur aliquis sedebat ad dextram Senis? propter honorem senis. *Maimonides ibidem* cap. I. Reliqui autem sedebant ut in area semicirculari, ita ut caput Synhedrii omnes possent videre.

[34] *Multi hunc locum &c. Vide cl. Leighfooti horas hebraicas ad cap. XIX. 2. Joan.*

[35] *Quadraginta annis &c. Hierosl. Sanhedrin* 24. 2. Traditio; quadraginta annis ante vastatum templum ablata sunt Judicia capitalia ab Israele. *Vide Babyl. ibidem. fol. 41. 1. & Avodah Zarah fol. 8. 2. & Schabbath fol. 15. 1. Juchasin fol. 51. 1. & Maimonidem de Synhedr. XIX. 13.*

[36] *Quo tandem rediisse &c. Avodah Zarah fol. 8.* 2. Quum pro tempore viderent necessarium esse, contulerunt se ad istud conclave. *Et Chetubb. fol.* 30. 1.

[37] *In tabernas &c. Babyl. Avodah Zarah fol. 8.* 2. Traditio est. Quadraginta annis ante desolationem domus transmigravit Sanhedrin ex camera dolata, & sedit sibi in tabernis, & non judicarunt amplius judicia animarum. *Et in Bereschith Rabba. Dixit* R. Rachmon; Cum migrassent Sanhedrin de camera dolata, & ablata fuissent ab iis judicia animarum, consuerunt cilicium super cutem suam, & depilaverunt caput suum, & dixerunt, væ nobis quia recessit sceptrum de Juda, & nondum venit Messias, hoc est autem quod dicitur *Amos, VIII.* 10. *Et inducam super omne dorsum vestrum saccum, &*

& ſuper omne caput calvitium , & ponam eam quaſi luctum unigeniti , & noviſſima ejus quaſi diem amarum .

[38] *Non licuiſſe &c. Ipſi Hebræi fatentur , poſtquam deſeruerunt conclave Gazith, licet aliquando in eo conſederint, non licuiſſe ſibi exercere Judicia capitalia . Gemara Chetuvoth ſol.* 30. 1. Traditio R. Chajæ . A die quo excisum eſt templum , quamvis ceſſavit Synhedrium , tamen non ceſſarunt quatuor mortes . Nam qui reus erat lapidationis , aut ille decidit de tecto , aut beſtia aliqua eum dilaceravit ; qui reus erat combuſtionis , aut cecidit in aliquod incendium, aut ſerpens aliquis eum momordit , qui reus occiſionis, aut traditus eſt Regno Ethnico, aut latrones invaſerunt eum ; qui reus ſtrangulationis , aut ſubmerſus eſt in aliquo fluvio , aut ſuffocatus eſt angina . *Objicitur; quare dicitur*, a die quo excisum eſt Templum , *& non dicitur* , quadraginta annis ante excidium Templi? *Reſpondet Gloſſa* . Aliquando pro neceſſitate temporis rediit Synhedrium ad conclave Gazith &c. *Aſi excipit*. Verum ad judicia capitalia cauſa homicidii redierunt nunquam , nam ratio migrationis erat propter homicidia, quia viderunt, quod multiplicati fuerunt homicidæ &c. *Conſtans & perpetua eſt apud Hebræos quadraginta ante excidium Templi annis ſibi ablata fuiſſe judicia capitalia , ideoque ab iis conclave Gazith fuiſſe deſertum. Immo in uno conclavi Gazith judicia capitalia exercere ſibi licuiſſe ſcribunt . Babyl. Sanhedrin ſol.* 24. 2. Traditio eſt . Quadraginta annis ante deſolationem Domus tranſmigravit Sanhedrin ex conclavi Gazith , & ſedit ſibi in Chanouth. Et non judicarunt amplius judicia animarum. *Gloſſa R. Salomonis* . Quia non judicant judicia animarum in omni loco, ſed quamdiu Sanhedrin ſedet in Camera dolata, ſicuti dicitur *Deut. XVII. 8. Surge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus &c. & facies quodcumque dixerint, qui præſens loco , quem elegerit Dominus , & docuerint te &c Ibid.* 10. Docet quod locus impedit . *Et in Bereſchit Rabba ſuper illud Geneſ. XLIX.* 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda; Dixit R. Moſch haddarſan* . Hæc eſt camera dolata, quæ data eſt in parte Judæ ſicut dictum eſt *Pſal.* LXXVII. 68. *Et repulit tabernaculum Joſeph &c. Sed elegit tribum Juda montem Sion quem dilexit* ; montem ſignatum in lege &c. *Et dux de femore ejus &c.* Illi ſunt habitantes Jabets cuſtodientes ſententias in Iſrael in Synhedrio magno , quod ſedebat in camera dolata in parte Judæ, ſicut dicitur 1. *Paral.* 11. 55. *Cognationes quoque ſcribarum habitantium in Jabes*. Sed vult dicere tibi, quod non data fuerit poteſtas Synhedrio judicare judicia animarum niſi omni tempore , quo ſedent in camera dolata; quia poſtquam inde migraverunt ad alium locum, ceſſaverunt judicia animarum, ſicut dicitur *Deut.* XVII. 10. *Et facies quodcumque dixerint, qui præſens loco* . Docet quod locus fuerit impediens. *Hæc omnia ante Meſſiæ adventum , ut ipſi fatentur , quemadmodum ſupra vidimus , accidere debebant, ut Jacobi prophetia impleretur*.

[39] *Gemar. Roſch &c Gloſſa in hunc locum*. Quum præſidi viſum ſit in hunc vel illum locum ſedem mutare, Synhedrium etiam iſthuc migravit; movente rurſus præſide ſeu filio ſuo, movit iterum Synhedrium . Tempore Rabban Jochananis Jabnæ conventus agitur; tempore Rabban Gamalielis Uſhæ aliquantiſper agens, Jabnen mox rediit, & inde rurſus tempore Rabban Simeonis filii Uſham petiit. *Maimonides de Synhedriis cap.* XIV. Cum primum extructum eſt templum, conſidebat Synhedrium magnum in conclavi cœſi lapidis , quod erat in atrio Iſraelis, atque locus, in quo Senatores conſidebant , erat in parte profana , quia in atrio ſedes nemini , niſi Regibus ex ſtirpe Davidis conceſſa erat . Turbato rerum ordine , migrarunt de loco ad locum , idque decies factum eſt , poſtrema migratio fuit ea, quæ facta eſt Tiberiadem.

[40] *Ezra &c. Pirke Avoth cap.* I. 1. Moſes accepit legem de Synai, & tradidit eam Joſuæ, & Joſua vero Senioribus, Seniores Prophetis , Prophetæ tradiderunt eam viris Synagogæ magnæ, *cujus erat princeps Eſdra* .

[41] *Simeon juſtus &c. Pirke Avoth ibidem*. Simeon juſtus fuit de reliquiis Synagogæ magnæ . Is dixit , ſuper tres res mundus conſiſtit, ſuper legem , ſuper cultum , & ſuper retributionem beneficiorum . *Celebratur mirum in modum in ſcriptis Hebræorum . Placavit Alexandrum Templi & Hieroſolymæ excidium minitantem. Megillath Taanith cap. IX.* In diem vigeſimum primum incidit dies montis Gerizim , quo a luctu abſtinendum . Dies, quo Cuthæi ſive Samaritani acceſſerunt ad Alexandrum Macedonem , petentes ut Templum deſtrueretur , dicendo ; vende nobis in monte Moria partem terræ , qua quinque Cori ſeminari poſſint , quam menſuram ille ipſis dedit . Venerunt autem *proditores* , & hoc ipſum Simeoni juſto indicarunt. Quid ille faciebat? Induebat veſtes Sacerdotales , quibus cum eſſet involutus & amictus, viri Hieroſolymitani dignitate conſpicui eum comitati ſunt, milleque Senatores, & juvenes Sacerdotes pulſantes inſtrumenta , quibus in Templo miniſtrabant, & faces incenſæ ardebant coram ipſis tota nocte . Hi, ab hoc , illi ab altero latere incedebant . Interrogabat *Alexander Mac : illos Cuthæos ;* Quinam illi ſunt? Reſponderunt ipſi proditores : illi ſunt Judæi, qui contra te rebellant . Cum perveniſſent uſque ad Antifras , obortus eſt ipſis ſol . Cum pertingerent *Judæi* ad primam Regis cuſtodiam , alter alteri obviam veniebat. Excubias agentes interrogabant eos *Judæos*; quinam vos eſtis? Quibus reſpondebant, nos ſumus viri Hieroſolymitani, venimuſque ut benevolam faciem Regis accipiamus . Quando vidit Alexander Macedo Simeonem juſtum , deſcendit de curru ſuo, ſeſeque incurvavit coram eo. Dicebant ei *proditores*, an tantus Rex, quantus tu es, ſeſe coram hoc Judæo incurvet? Reſpondit eis . Imaginem ejus ego video, quando in prælium deſcendo, & victor evado. Interrogavit eos *Judæos*: Quare veniſtis? Reſponderunt ei, rogatum venimus, ne locus , quo nos pro te & regno tuo preces fundimus , devaſtetur. Illinc te ſeducant, ut ipſis eum des? Dixit eis. Quinam ſunt illi? reſponderunt ei; illi ſunt Cuthæi, vel Samaritani, qui coram te conſiſtunt. Tum dicebat eis , ecce illi in manus & poteſtatem veſtram traduntur. Quid igitur *Judæi* illis faciebant? perforabant calcaneos eorum hominum, & in equorum ſuorum caudis eos ſuſpenſos raptabant, & trahebant ſuper tribulis & ſpinis uſque dum venirent ad montem Gerizim, quem arabant , viciſſque ſeminabant , quemadmodum illi quærebant facere templo noſtro . Diem ergo quo hoc Cuthæis fecere , pro feſto celebrari inſtituerunt . *Vide Joma ſol. 69. 1. Cum morti proximus eſſet ſtatuit ſibi Oniam filium ſucceſſorem in Pontificatu , qui ob controverſiam , quam habuit cum Shimei fratre ſuo, in Æ gyptum fugit, ubi templum Heliopolitanum condidit . Menachoth ſol.* 109. 2. Simeon juſtus moriens dixit , Onias filius meus miniſtrabit mea vice . Invidit ei frater ejus Shimei , ſenior eo exiſtens annis duobus & dimidio . Dicit ei ; Ades , & edocebo te normam miniſterii; induit ei אונקלי , & cinxit eum בצילצול, ſtatuitque eum juxta altare , & dixit fratribus ſuis Sacerdotibus , videte quidnam hic voverit, præſtiteritque uxori ſuæ , hoc nempe ; quo die miniſtravero ego in ſummo Sacerdotio , induam pectorale tuum , & cingar cingulo tuo . Machinati ſunt fratres ejus Sacerdotes ei necem , aſt ille aufugit , & evaſit in Alexandriam Ægypti , ſtruxitque ibi altare, obtulitque ſacrificia Idolatriæ . Hæc ſunt verba R. Meyr . At dicit ei R. Juda ; Res ita ſe non habuit, ſed non agnovit Onias , Shimei fratrem ſuum eſſe ſe ſeniorem annis duobus & dimidio. Verum tamen ei invidit Onias, & dixit ei ; Veni , & edocebo te normam miniſterii. Ea propter Sacerdotes machinati ſunt necem Oniæ . Aſt ille aufugit Alexandriam Ægypti, atque ibi ſtruxit altare , obtulitque in eo ſacrificia nomini Dei, ſicut dicitur . *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti &c. Iſai.* XIX. 19. *Hoc loco Iſaiæ abutuntur Hebræi , quum Propheta Jeſu Chriſti in Ægyptum adventum reſpexerit* .

Poſt mortem Simeonis Juſti omnia in deterius vergere cœperunt in Republica Judaica. Toſaphta Sotah cap. XIII. 10. - - - - 13 Simeon juſtus audivit vocem in Sancto Sanctorum *dicentem*; irritum redditum eſt decretum miniſterii profani , quod minabatur hoſtis in templum introductum , & occiſus fuit Gaskalnas , & ejus decreta irrita facta ſunt ; & Syriaca lingua id audivit . Quamdiu vixit Simeon juſtus, lucerna occidentalis ſemper arſit, poſt ejus mortem, extinctam invenerunt; ex eo tempore in poſterum aliquando extinctam , aliquando accenſam invenerunt . Vivente Simeone juſto ſtrues ignis ſemper arſit , ordinabant eam mane , & per totum diem vigebat , & ſuper eam

eam offerebant Sacrificia jugia & addititia, & eorum libamina, neque ei addebant nisi duo segmenta ligni una cum sacrificio jugi vespertino, ut observaretur præceptum lignorum, juxta versiculum; *Quem nutriet Sacerdos. Levit. VI.* 12. Post mortem Simeonis justi elanguit vigor struis; quando eam mane ordinabant, per totum diem ei ligna supplebant. Vivente Simeone justo, emissa est benedictio in duos panes frumenti novi, & in panem propositionis; duo panes frumenti novi distribuebantur in Pentecoste Sacerdotibus, & panis facierum in festo omnibus custodiis, & in Sabbatho Curiæ ea hebdomada ministranti; nonnulli eorum manducabant ad satietatem, & aliis, post comestionem ad satietatem aliquid erat reliquum; & unicuique ad quantitatem olivæ portio cedebat; post mortem Simeonis justi non emittebatur benedictio in panem facierum, nec in panes frumenti novi; modesti manus retrahebant, & non accipiebant, & gulosi inter se dividebant, & unicuique ad quantitatem fabæ duntaxat portio cedebat. Narratur historia in Tsippori de quodam, qui cepit partem suam pro parte socii, tamen non ei cessit portio nisi ad fabæ quantitatem, & eum filium usurpatorem in perpetuum appellarunt. Eo anno quo mortuus est Simeon justus, dixit, hoc anno ego moriar; Ajunt illi; quomodo scis? eis respondit: in omnibus reliquis Vigiliis diei expiationum, Senex vestibus albis indutus, & vestibus albis velatus mecum in Sanctum Sanctorum ingreditur, mecumque egreditur; hoc anno mecum ingressus est, sed mecum non egressus est. Post festum per septiduum ægrotavit, & mortuus est; post mortem Simeonis justi intermiserunt benedicere nomine ineffabili. *Et Hierof. Joma fol.* 43. 3. Omnibus diebus Simeonis justi, vix pervenerat caper emissarius ad medium præcipitii montis, cum jam in frustula comminueretur; at mortuo Simeone justo aufugit in desertum, & comestus est a Saracenis. Dum viveret Simeon justus, sors Dei prodiit semper ad manum dextram, mortuo Simeone justo prodiit quandoque ad dextram, quandoque ad sinistram. Omnibus diebus vitæ Simeonis justi, lingula coccinea semper dealbuit, mortuo Simeone justo, aliquando dealbuit, aliquando rubuit. Omnibus diebus vitæ Simeonis justi lucerna occidentalis semper arsit, eo mortuo aliquando arsit, aliquando extincta est. Omnibus diebus vitæ Simeonis justi, ignis in altari viguit, & valuit, & post imposita mane duo ligni segmenta, aliud quid non imposuerunt per totum diem; ast eo mortuo elanguit vigor adeo, ut per totum diem supplere cogerentur. Omnibus diebus vitæ Simeonis justi, emissia est benedictio in duos panes, & panes Propositionis, ita ut unicuique Sacerdoti cederet portio ad minimum ad quantitatem olivæ, forentque qui ad satietatem comederent, forentque, quibus post comestionem ad satietatem aliquid esset reliquum, at mortuo Simeone justo, retracta est ista benedictio, cessitque tantillum unicuique, ut modesti manus retraherent, gulosi extenderent.

[42] *Antigonus Sochæus &c. Pirke Avoth ibidem.* Antigonus vir Sochæus accepit a Simeone justo; is dicebat. Ne sitis tanquam servi, qui serviunt magistro ea conditione, ut recipiant mercedem, sed estote tanquam servi, qui serviunt magistro non ea conditione ut recipiant mercedem, sitque timor Dei super vos. *In quem locum ita Maimonides.* Huic vero Antigono duo olim erant discipuli, unus nomine Zadoc, alter Baitos, qui cum hoc dictum ab ipso audivissent, exierunt, & unus alteri dixit, magister clare dixit, quod homini nec præmium, nec pœna, nec ulla spes sit reliqua post hanc vitam; nam sententiam illius male intellexerant; unus autem in perverso hocce conceptu confirmaverat alterum, & e gremio Israelis exierant relinquendo Legem, & quisque suam nactus est sectam, quæ Sadducæos, & Baitosæos peperit. Et quemadmodum istis non integrum erat aliquam fovere congregationem, quia notum erat, hancce depravatam fidem dissipare congregatos; & idcirco multo minus hoc permissum erat eorum sequacibus. Hinc factum est, ut aliquam rem crediderint, quam coram populo negare non poterant, nam si eam pronunciassent, verbum Legis eos occidisset. Dixit ergo unus alteri in congregatione sua, quod Legem Mosis credebat, sed Traditioni contradicebat, quod ea falsa esset; & hoc, ut se ab observatione præceptorum, acceptorum decretorum, ac institutorum liberarent; nam si expositio eorum arbitrio commissa fuisset, quisque pro lubitu aggravare, & allevare potuisset, quoniam fundamentum horum non credebant, sed ea tantum, quæ hominibus accepta erant, quærebant; postea inde orti sunt maledicti isti sectarii, qui vocantur Carim (*quod falsum, ut alio loco demostrabimus*), & inter sapientes nostros vocantur Sadducæi, & Baitosæi, & hi fuerunt ii, qui Traditioni oblocuti sunt, & sacram scripturam exposuerunt juxta propriam eorum mentem, rejecta prorsus sapientum doctrina, contra id quod scriptum est *Deut.* XVII. 11. *Antigonus Soco oriundus, quæ erat urbs, ut scribit* Abarbanel in præf. ad Nachalath Avoth, *sita in limitibus Judææ.* Confer *Jos.* 15. 35. 48.

[43] *Titulo Rabbi &c. Aruch in voce* אבי״. Secula vetustiora, quæ digniora erant, opus non habuerunt titulo vel Rabban, vel Rabbi, vel Rabh, aut ad sapientes Babylonis insigniendos, aut sapientes terræ Israeliticæ; nam ecce ascendit Hillel e Babylone, & nomini ejus non additus est titulus Rabbinatus; atque ita erat de iis, qui nobiles erant in Prophetis; Haggæus Propheta (*non Rabbi Haggæus*). Esdra non ascendit e Babylone &c. (non *Rabbi Esdra*) quos non insignierunt titulo Rabbinatus, cum nomina eorum proferrent. Ac non audivimus initium hoc habuisse nisi in Præfectis *Synedrii* a Rabban Gamaliele sene, & Rabban Simeone filio ejus, qui periit in excidio templi secundi, ac a Rabban Jochanane ben Zaccai, qui omnes fuerunt præfecti. Ac titulus etiam Rabbi incepit a promotis *ad Præsbiteratum* ex illo tempore, R. Zaddok, & R. Eliefer ben Jacob; effluxitque res a discipulis Rabban Jochanan ben Zaccai & ultra. Ordoque in ore omnium sic est, major est Rabbi quam Rabh, & major est Rabban, quam Rabbi, & major est, qui nomine suo *simplici* vocatur, quam Rabban.

[44] *Jose ben Joefer &c. Pirke Avoth ibidem.* Jose filius Joefer vir Zeredah, & Jose filius Jochanan vir Hierosolymitanus acceperunt ab eo; Jose filius Joefer dixit; sit domus tua domus conciliabuli pro sapientibus, & esto pulverizans te in pulvere pedum eorum, atque bibe cum siti verba eorum. Jose filius Jochanan vir Hierosolymitanus dixit; Esto domus tua aperta versus plateam, sintque pauperes filii domus tuæ, neque multiplices colloquium cum muliere; cum sua uxore dixerunt, quanto minus cum uxore proximi sui. Hinc est, quod dixerunt Sapientes; omni tempore, quo homo multiplicat colloquium cum muliere, accersit malum sibimetipsi, & impeditur a studio Legis, tandemque descendit in Gehennam. *Sotah cap. IX.* 9. Jose filio Joefer Zeridensi, & Jose Jochananis filio Hierosolymitano mortuis, sublati sunt viri botruosi, prout S. E. (*Mich. VII.* 1.) *Non est botrus ad comedendum, præcoces ficus desideravit anima mea. A tempore hujus Jose usque ad Hillelem duo semper præfuerunt Synhedrio, quorum primus Synhedrii princeps, alter pater appellabatur; Juchasin* 18. A tempore illo (τοῦ *R. Jose*) inceperunt paria, & ad Hillelem & Schamæum usque continuarunt, in quo tempore numerari possunt quinque tales combinationes.

[45] *Josua ben Perachia &c. Pirke Avoth ibidem.* Jehoschua filius Perachiæ, & Nithæus Arbelites acceperunt ab illis; filius Perachiæ dicebat, fac tibi præceptorem, & acquire tibi sodalem, estoque judicans omnem hominem ad lancem innocentiæ. Nithæus Arbelites dicit; Elonga te a vicino malo, nec associes te impio. Neque a corde dimoveas vindictam (Dei ob admissum peccatum). *Ob iram Januai, sive Alexandri Regis Jehosua filius Perachiæ in Ægyptum fugere coactus est. Babyl. Sanh. fol.* 107. 2. Cum Jannai occideret Rabbinos, abierunt R. Jehosua ben Perachiæ, & Jesus Alexandriam in Ægypto. *Impii isti Nebulones mirum quantum hallucinentur, qui istum Jehosuam ben Perachiæ Jesu Christi æternæ sapientiæ magistrum faciant, quum Jehosua centum & plus annis vixerit ante Christi nativitatem. Audi, & ride, Abrahamum ben Dior in Sepher Hakkabbala.* Historici Israelitarum dicunt Josuam filium Perachiæ fuisse præceptorem Jesu Nazareni, atque juxta hunc computum vixit tempore Jannæi Regis. Verum historici Gentium dicunt eum sub Herodis imperio natum, & sub Archelao filio ejus suspensum esse. Inter quos non exigui momenti discrimen est; differunt enim horum sententiæ pluribus quam 110. annis

nis &c. *Abarbanel in Daniel. scribit Jesum esse manifestatum circa vastationem Templi secundi ; idemque in commentario ad Jes. 52. dicit Jesum Hierosolymis esse suspensum in fine Templi secundi . Et R. David Gans* . Jesus Nazarenus (*inquit*) natus est in Bethlehem Judæ sesquimilliari distante Hierosolymis anno mundi 3761. Cæsaris Augusti 42.

46 *Simeon ben Schetach &c. Pirke Avoth ibidem*. Jehuda filius Tabæi , & Simeon filius Schatachæi acceperunt ab eis. Jehuda filius Tabæi dicit; ne facias temetipsum , sicut judices instructorii, cumque steterint in conspectu tuo, qui judicio contendunt, erunt in oculis tuis tanquam impii ; cum vero amoti fuerint a conspectu tuo, sint in oculis tuis tanquam innocentes , ob id quod receperunt super se judicium. Simeon filius Schatachæi dicit , multum examina testes, & tanto cautus esto in verbis tuis ; ne fortassis ex illis fallere discant. *Disputatur apud eruditos, uter ex his fuerit Princeps Synedrii , Jehuda ne , an Simeon ? In hoc loco Jehuda præponitur Simeoni , sicuti in Gemara Chagiga 16. 2. R. Abraham ben Zacuth*. Omnium (*inquit*) Duumvirorum prior erat Princeps, posterior Pater Synhedrii . Sed de Simeone ben Setach, & Juda ben Tabbai adhuc disputatur. R.Meyr enim Jehudam ben Tabbai principem fuisse existimat, & Simeonem ben Setach Patrem Synhedrii ; verum Sapientes contrarium statuunt . *Celeberrimus Simeon ben Setach fuit . Cum ab Rege Alexandro omnes sapientes interfecti essent , unus Simeon ab ejus sorore, quæ Regi nupta erat , morti ereptus est , & occultatus . Conclave Gazith dicitur exstruxisse ; A Synhedrio Sadducæos omnes , ubi* regnabant , ejecit . *Megillath Taanith cap. X.* Die vigesimo octavo Mensis Tebeth consessus Synhedrii magni circa judicia restitutus & reformatus est . Quoniam Sadducæi sedebant in Synhedrio , quod tunc earum erat partium , & Rex Jannai cum Salminum Regina simul consideret, nullus autem Israelitarum (Pharisæorum) illi interesset præter Simeonem ben Schetach , usuvenit , ut responsa & decisiones juris anxie quærerent , nec possent (Sadducæi) probationes ex Lege adferre ; tum proposuit iis Simeon ben Schetach hanc conditionem, ut ille, qui argumenta sciret ex Lege adducere, dignus demum esset assessor Synhedrii, qui vero nesciret ea adferre , indignus esset , qui in eo sedem haberet . Accidit aliquando casus dubius, & disceptatione dignus inter eos , neque poterant (Sadducæi) argumentum ex Lege adducere præter unicum seniorem, qui blaterabat ei obloquens , concede mihi (inquit) tempus , & cras tibi respondebo. Tempore concesso , cum ille rem secum sedato & composito animo consideraret , & probationibus ex Lege se destitutum esse animadverteret sequenti die eum puduit venire, & in Synhedrio magno assidere. Tunc Simeon ben Schetach unum ex discipulis suis in locum ejus suffecit , dicens , non diminuendum esse numerum in Synhedrio septuaginta virali . Eodem modo perrexit quotidie, usque dum omnes (Sadducæi) summoti essent , totumque Synhedrium ex Israelitis (Pharisæis) juxta ipsius sententiam esset constitutum . Itaque diem illum , quo abolitum est Sadducæorum Synhedrium , & Israelitarum restitutum fecerunt diem festum . *Cap. VI. 4. Sanhedrin dicitur Simeon iste octoginta mulieres una vice suspendisse* . At S. A. Mas suspenditur , non item mulier. Quibus R. Eliefer : Atqui , annon R. Simeon filius Schetach mulieres suspendit Askalone? Quinimo responsum est ab ipsis , octoginta suspendit una vice, quum tamen ne bini quidem judicentur die uno.

47 *Schemajah & Abtalion &c. Pirke Avoth ibidem*.
Schemajah & Abtalion acceperunt ab illis . Schemajah dicit, dilige opus , & ama magisterium , neque nimium familiaris fias magistratui . Abtalion dicit ; cauti estote sapientes in sermonibus vestris , ne forte peccetis peccatum (quod meretur) exilium , & tranferamini in locum aquarum malarum , quas bibent discipuli , qui venient post vos, invenieturque nomen Dei profanatum . *Proselyti justitiæ ex Sanheribi nepotibus fuisse dicuntur. R.Gedalia in catena Cabbalæ scribit* ; fuisse eos ex nepotibus Sanheribi , qui proselytus factus est post multas strages , quas ediderat in Israele, & licuisse iis judicare Israelem , quia matrem habuerant Israeliticam . *R. Juchasin pag. 17. maxime laudantur* . Quod fuerint sapientes maximi , & opera ipsorum fuisse , ut opera filiorum Aaron, Hillelemque, & Schammæum ipsos præceptores habuisse.

48 *Hillel & Schammai &c. Pirke Avoth ibidem*. Hillel & Shammai acceperunt ab illis. Hillel dicit , esto ex discipulis ipsius Aaron, qui diligebat pacem, sectabat pacem , diligebat homines , & applicabat eos ad Legem . Idem Hillel dicebat qui celebre reddit nomen suum , quique non auget doctrinam , interibit ; & qui plane non discit , dignus est ut occidatur ; quique proprii commodi gratia , servit , sub corona peribit . Idem Hillel dicebat , si non ego mihi , quis mihi ? Et cum ego mihimetipsi , quid ego ? Et si non modo , quando ? (*Hæc Pelagianismum sapiunt* .) Schammai dicit ; Fac legem tuam fixam; loquere parum, & fac multum; excipe quemvis hominem placido vultu . *Hillel & Schammai maximis inter se inimicitiis claruere; Hillel vero Schammai doctrina & fama clarior & magis celebratus. Me dies deficeret , si recensere vellem omnia, quæ de Hillelis sapientia , & gloria in Hebræorum libris inveniuntur . Pauca & illustriora recensuisse satis erit . Erat Babylonius habitus ex stirpe Davidis* . Nam liber genealogicus (*inquit Hieros. Taanith 68.* 1.) repertus est Hierosolymis, in quo scriptum erat, Hillelem ortum esse e familia Davidis per uxorem ejus Abitalem . Cum explanasset difficultatem , quæ proposita ei fuerat , an Pascha pelleret Sabbathum , Principatum adeptus est . *Hieros. Pesachim fol.* 33. 1. Excidit aliquando traditio filiis Beteræ ; nam cum incideret dies decimus quartus (quo celebrandum *Pascha*) Sabbatho , ignorarunt num Pascha pelleret Sabbathum , necne . Dixerunt autem , adest Babylonius quidam , Hillel nomine, qui ministravit Schemajæ , & Abtalioni ; novit is , num Pascha pellat Sabbathum , necne . Miserunt ergo , atque eum vocarunt, dixeruntque , num unquam in diebus tuis audivisti (*idest Traditione accepisti*) cum dies decimus quartus incidit in Sabbathum , an Pascha pellat Sabbathum, necne ? Respondit ille ; estne nobis Pascha tantum unum Sabbatum pellens annuatim ? Annon plurima Paschata pellunt Sabbathum annuatim ? nempe Sacrificium juge . Hæc probavit argumentis a pari , a minori ad majus &c. Ast ab eo hoc non receperunt, usque dum diceret, sic & sic eveniat mihi , hoc audivi a Schemaja atque Abtalione. Cum hoc illi audirent , prostiterunt illico , atque illum ad præfecturam promoverunt . *Maximi habita ejus doctrina apud Hrbræos. Audi portenta , & vide . Hieros. Berachoth fol.* 3. 2. Usque dum missa est Bath Kol , cuivis licuit facere juxta gravia aut levia Scholæ Schammai, aut juxta gravia aut levia Scholæ Hillelis. Jasnæ cœlitus missa est vox dicens , utriusque verba sunt verba Dei viventis , sed certa rei determinatio est secundum Scholam Hillelis . Quique in verba Scholæ peccat, mortem meretur. *Simeonem filium, Gemalielem nepotem , & Simeonem pronepotem in Principatu successores habuit . Babyl. Schabb. fol.* 15. 1. Hillel & filius ejus Simeon , atque ejus filius Gamealiel , atque ejus filius Simeon principatum gesserunt per annos centum ante vastatum Templum.

49 *Antea Menachem &c. Juchasin fol.* 19. Hillel & Shammai acceperunt legem Traditionis ab Shamajah , & Abtalione . Primo fuerunt Hillel, & Menachem ; sed Menachem abscessit ad ministerium Regis Herodis cum octoginta viris eleganter vestitis, uti refertur Chagiga . Atque hæc res etiam memoratur a Josepho ben Gorion, quod Menachem fuerit clarus sapientia, Prophetæ non absimilis, quod varias prædictiones fecerit , prænuntiaritque Herodem magnum cum juvenis esset , quod foret Rex . Herodes etiam senem Hillel magno in honore habuit ; namque hi homines Regem illum esse non ægre ferebant . Senior etiam Schammai Herodem prædixit regnaturum . Nam cum Herodes in judicium vocatus esset coram Sanhedrin ob homicidium, illi personam ejus respiciebant, Schammai autem dixit, illum Regem futurum , & illos occisurum. Nec tamen Herodes manus injecit in Hillel, Schammai , Menachem, aut eorum necessarios , sed honore eos prosecutus est .

50 *Rabban Simeon &c. Successit patri Hilleli, initium ejus principatus ignoratur ; Tzemach David fol.* 36. A patre suo (*inquit*) Hillele traditiones circa annum notatum accepit , & patre defuncto constitutus est Princeps ; at tempus initi Principatus ejus

non

non reperi in ullo authore. *Et R. Gans;* Tempus protractionis Principatus ejus itidem ignoratur. *Teſte eodem R. Gans, primus hic fuit Rabban nomine decoratus, quo titulo ſeptem Hillelis poſteri honeſtati fuere.*

[51] *Rabban Gamaliel &c. Pirke Avoth ibidem.* Rabban Gamaliel dicit; Fac tibi magiſtrum, & abſtrahe temetipſum a re dubia, neque aſſueſcas ſæpius dare decimas per conjecturas. *Sotah* IX. 15. Mortuo R. Gamaliele ſene, evanuit honos Legis, ſimulatque mundities & ſanctimonia intermortua. *Ejus familiæ permiſſum fuit addiſcere ſapientiam Græcorum. Sotah fol.* 49. 1. Dicit Samuel nomine Rabban Simeonis; Mille pueri fuerunt in ſchola patris mei, quorum quingenti didicerunt Legem, & quingenti ſapientiam Græcam, & non eſt ſuperſtes quiſquam ex iſtis præter meipſum hic, & filium patruelis mei in Haſia .... Permiſerunt familiæ Rabban Gamalielis ſapientiam Græcam, quoniam illi cognati erant ſanguini regio. *Sub finem ejus vitæ confecta eſt oratio contra Sadducæos a Samuele parvo, qui a multis creditur Paulus Apoſtolus. Babyl. Berachoth* 2. Tradunt Rabbini Simeonem Pekolæum in ordinem redigiſſe octodecim orationes ſeriatim coram Rabban Gamaliele in Jafne. Dixit Rabban Gamaliel Sapientibus; Num quis eſt, qui novit orationem inſtituere in Sadducæos? proſtitit Samuel parvus, atque inſtituit &c. *Precatio illa hæc eſt.* Apoſtatis a fide nulla ſit expectatio, & omnes omnino hæretici ſubito pereant, & regnum ſuperbiæ eradicetur, & confringatur cito in diebus noſtris. Benedictus ſis, o Domine Deus, deſtruens impios, & humilians ſuperbos. *R. Gamalielis fit mentio etiam Avodah Zarah cap. III. 4. Lavabat aliquando R. Gamaliel* Acone in Balneo Veneris; aderat ibi etiam Proculus Philoſophi filius, & ipſum interrogavit. Quid tibi cum Veneris Balneo? Annon ſcriptum eſt in Lege veſtra, *non adhærebit manui tuæ quicquam ex Anathemate?* Reſpondit ille. In Balneo non diſputo; poſtquam laviſſet, dixit. Ego non ſum in limites ejus ingreſſus, ſed illa in meos. Antequam enim illa erat, nos jam Balneum hoc habebamus. Nec nos unquam dicimus; faciamus Balneum formoſum Veneri, ſed dicimus, faciamus Venerem formoſam Balneo. *In Avoda Zaral p. 11. & cap. VII. Schabbath Onkeloſum proſelytum authorem Paraphraſis Chaldaicæ ultra 80. Minas Syrias in ejus funere profudiſſe ſcribunt.*

[52] *Rabban Simeon &c. Pirke Avoth ibidem.* Simeon filius ejus dicit, omnibus diebus meis educatus fui inter filios ſapientes, & non inveni utilius quippiam corpori, taciturnitate. Neque ſermo eſt fundamentum, ſed opus; & qui multiplicat verba, adducit peccatum. Rabbi Simeon filius Gamalielis, inquit, ſuper tribus rebus mundus conſiſtit, ſuper judicio, ſuper veritate, & ſuper pace, ſicut dicitur; Veritatem, judicium & pacem judicate in portis veſtris. *Et Sotah. ibidem.* Mortuo R. Simeone filio Gamalielis venerunt locuſtæ. Et auctæ ſunt calamitates. *Occiſus fuit in Clade Hieroſolymitana. Magillath Taanith cap.* XIII. Die vigeſimo quinto occiſus eſt R. Simeon filius Gamalielis, & R. Iſmael filius Eliſæ, nec non R. Chanina vicarius Sacerdotum.

[53] *R. Jochanan &c. Pirke Avoth cap.* II. 8. R. Jochanan filius Zaccai accepit ab Hillel, & Schammai; is dixit, ſi didiciſti multam Legem, non eſt ut tibi ipſi bonum adſcribas, ad hoc enim creatus es. Quinque diſcipuli fuerunt ipſi Rabbino Jochanan, ſcilicet R. Elieſer filius Hircani, R. Jehoſchnah filius Chananiæ, & Rabbi Joſe Sacerdos, & R. Simeon filius Nethaneel, & R. Eleaſar filius Arach, horum laudem ſic contulit; Eleazar filius Hircani ciſterna calce linita, quæ nec guttulam perdit. Jehoſchuah filius Chananiæ, beata genetrix ejus. Joſe Sacerdos pius eſt, Simeon filius Nethaneelis timet peccatum, Eleaſar filius Arach eſt tanquam fons, qui ſcaturiendo magis, atque magis invaleſcit. Idem quoque dixit, ſi fuerint omnes ſapientes Iſrael in lance Stateræ, & Rabbi Elieſer filius Hircani in lance altera, ſuperabit omnes. Abba Saul dixit nomine ipſius R. Jochanan, ſi fuerint omnes ſapientes Iſrael in lance ſtateræ, Rabbique Elieſer filius Hircani cum illis extiterit, atque Rabbi Eleaſer filius Arach extiterit in lance altera, omnes ſuperabit. Idem Rabbi Jochanan dixit ad diſcipulos ſuos, exite & videte, quænam ſit via bona, cui adhærere debeat homo? Reſpondit ei Ribbi Elieſer, oculus bonus. R. Jehoſchuah, ſocius bonus. R. Joſe, vicinus bonus; R. Simeon dixit, qui prævidet futurum. R. Eleaſar, cor bonum; quibus reſpondit (R. Jochanan) Video ego verba R. Eleaſaris in ſe ſummatim complecti verba veſtra. Idem (R. Jochanan) dixit ad eos, exite & videte, quænam eſt via, a qua ſe alienet homo? R. Elieſer dixit, oculus malus. R. Jehoſchuah, ſocius malus. R. Joſe inquit, vicinus malus. R. Simeon dicit, qui mutuum accipit, & non reſtituit; qui enim mutuum accipit ab homine, perinde eſt ac ſi a Deo accipiat, ſecundum illud, quod dicitur, *Juſtus miſeretur & commodat.* R. Eleaſar dicit, cor malum; dicit ad eos, video ego verba R. Eleaſaris filii Arach, in ſe tanquam in ſumma complecti verba veſtra.

Fuit Pontifex maximus; Abrogavit confeſſionem Decimarum, & officia excitantium a ſomno &c. Sotah IX. 10. Jochanan Summus Pontifex abrogavit confeſſionem Decimarum; quin & officia excitantium a ſomno, & ſacrificantium victimas abrogavit. Uſque ad ejus ætatem pulſabat malleus Hieroſolymis. Et tum temporis non amplius quærebatur, num quid decimatum eſſet? *Vide Codicem de Decimis ſecundis cap. V. 15. Diſputavit cum Sadducæis de tempore oblationis manipuli Paſchalis; Megillath Taanith cap. I. de non comedendo munere Pecoris, ibidem cap.* VIII. *de libris Hæreticorum, quod polluant manus;* Cap. IV. *6. de lotione manuum. In Sepher Hakkabbala legitur ejus vitæ brevis hiſtoria.* Operam dedit 40. annis mercaturæ, & 40. annis Legem docuit, omnemque ſapientiam ejus ætatis, & docuit Iſraelitas 40. annis, & judicavit eos; Vaſtato autem Templo ſecundo aſcendit Jafnem, & illic judicavit Iſraelem, & conſtituit conſtitutiones, & ſepimenta Legis uſque ad diem mortis ſuæ in Jafne. Dicitur audiviſſe e ſacratiſſimo penetrali nuntium victoriæ eorum, qui Antiochiæ bellum commiſerant. *Gemara ad cap. VII. Sotah.* Atqui extat Traditio, Jochananem Pontificem, audiviſſe vocem e ſacratiſſimo penetrali prodeuntem, dicentemque. *Vicere Juvenes, qui iverant ad prælium committendum in Antiochia.* Cum oſtia Templi veſperi obſerata, mane aperta inventa eſſent, exclamavit R. Jochanan ben Zaccai. *O templum, Templum (uti legitur in Hieroſol. Joma fol.* 43. 3.) *quare te perturbas? Fatum tuum novimus, te nempe eſſe excindendum;* Nam dicitur; Aperi o Lebanon portas tuas, ut exedat flamma cedros tuas. *In obſidione Hieroſolymæ in caſtra Veſpaſiani deductus ejus gratiam ſibi conciliat. Echa Rabbati fol.* 64. 2. R. Jochanan ben Zaccai elatus eſt ut mortuus extra Hieroſolymam; abiit ille ad exercitum Veſpaſiani, & dixit, ubi eſt Rex veſter; & dixerunt Veſpaſiano; Judæus quidam cupit te Salutare. Adveniat, inquit ille. Cum R. Jochanan adveniſſet, ipſum ſic ſalutavit. Super te o Rex ſit pax. Vive Domine Imperator; Reſpondit Veſpaſianus, tu me ſalutas ac ſi Rex eſſem; & ego Rex non ſum, & ſi hæc audiret Rex, talem virum interficeret. Regeſſit R. Jochanan; Quamvis nunc Rex non ſis, Rex tamen eris; nam Templum hoc non deſtruetur niſi per manum Regis. Es. X. 24. *Morti proximus terrore magno affectus eſt. Babyl. Berachoth fol:* 28. 2. Cum jam langueſceret Rabban Jochanam ben Zaccai, acceſſerunt Diſcipuli ejus eum viſitatum, quos videns ille incepit flere. Cui illi, o lucerna Iſraelis, columna dextra, mallee ſtrenue, unde iſte lachrymæ? Quibus ille, ſi me adducturi eſſent coram Rege carnis, & ſanguinis, qui hodie hic eſt, & cras in ſepulchro, ſi ille mihi iraſceretur, ira ejus non eſt ſempiterna; ſi ille me in vincula conjiceret, vincula ejus non ſunt æterna, ſi me occideret, occiſio iſta non foret æterna, poſſemque eum forſan verbis placare, aut mollire munere; at me adducturi ſunt coram Rege Regum, Domino Sancto Benedicto, qui vivit & permanet in ſecula, atque in ſecula ſeculorum, qui ſi mihi ſuccenſeat, ira ejus eſt æterna, ſi me vinciat, vinculum ejus eſt æternum, ſi me occidat, occiſio ejus eſt æterna, quemque non poſſum vel verbis placare, vel mollire munere. Atque inſuper ſunt coram me duæ viæ, una ad Paradiſum, altera ad Gehennam, neſcioque ego, qua via ſint me ducturi. Nonne igitur flerem?

54 *Rabban Gamaliel &c. Succeſit in principatu R. Jochanani filio Zaccai, uti legitur in Sepher Hakkabala*. Rabban Gamaliel filius R. Simeonis ben Gamaliel occiſi in vaſtatione Urbis, præſes fuit Senatus in Jabne, & princeps poſt obitum R. Jochananis ben Zaccai, & maritus ſororis ejus erat R. Elieſer fil. Hyrcani. *Dictus Jaſnenſis, quia Jaſne Synhedrio præſuit. Gloſſa in Babyl. Roſh Hashanah fol. 31. col. 1. 2.* Tempore Rabban Jochananis Jabne conventus agitur; tempore Rabban Gamalielis Ushæ aliquantiſper agens, Jabnen mox reddit, & inde rurſus tempore Rabban Simeonis filii Usham petiit. *Loco ejus præſes factus Rab Elieſer filius Azariæ, uti legitur apud Tzemach David*. R. Elieſer ben Azariah inter Sacerdotes opulentiſſimus loco Rabban Gamalielis præſidatum obtinuit, dein Gamalieli junctus, & præſidatu comes fuit. *Cauſa, cur Principatu ſpoliatus fuerit, refertur in Hieroſ. Taanith fol. 67. 4.* Interrogavit R. Joſhuam quidam ex Diſcipulis ſuis, quid putas de oratione veſpertina? Reſpondit is, ex arbitrio pendet. Idem de Rabban Gamaliele quærit, quid putas de oratione veſpertina? Reſpondit is, puto eſſe pietatis officium a ſingulis neceſſario perſolvendum. Inquit ille, quomodo tum dixit R. Joshua, preces veſpertinas ex arbitrio pendere? Videſis, inquit Gamaliel, & cras, cum ego in cœtum venerim, tu adeſto, & quæſtionem hanc propalam proponito. In cœtum diſcipulus prodiit, & Gamalielem interrogavit, quid putas de oratione veſpertina? Reſpondit is, puto pietatis officium a ſingulis neceſſario perſolvendum. Quare itaque, *inquit Diſcipulus*, dixerit Rabban Joshua, eam ex arbitrio pendere? Dixit Rabban. Gamaliel R. Joshuæ, tunc eam dixeris arbitrio pendere? Reſpondit, nequaquam, dixit ei, aſſurgito, ut in te teſtimonium ferant; ſurrexit itaque, & pedibus ſtetit R. Joshua, dum interim Rabban Gamaliel Legem interpretatus ſedit. Id univerſo cœtui diſplicuit. Inquiunt itaque R. Heſpithio interpreti, dimitte populum; & dixerunt R. Zinnun miniſtro; dic, incipe, & dixerunt omnes, incipe; necnon pedibus ipſi etiam ſteterunt; & dixerunt ei *Rabban Gamalieli*, quis eſt, quem ſcelera tua non moleſtarunt? Et mox R. Elieſerem ben Azariah præſidem conſtituunt, utcumque juvenem ſedecim annos natum, indole tamen & moribus gravem. R. Akibala rei indignatus dixit, non eſt, quod is legis peritior me ipſo ſit, ſed nobiliori ſtemmate prognatus in iſtud faſtigium ſcandit. Felix quem parentela nobilitavit; felix, cui clavus pertinet a quo pendeat; qualem vero clavum ſibi jactitat R. Elieſer ben Azariah? Equidem decimus ab Eſdra æſtimatur. Quot diſcipulorum iſthic aſſidentium ſubſellia numerantur? R. Jacob bar Suſi ait octoginta præter populum, qui a tergo ſtetit. R. Joſi ben R. Bon ait trecenta. Rabban Gamaliel ſingulos ſtatim domatim adiit, ut eos placaret &c. Sed poſtea Seniores ei reconciliati ſunt, eumque in Principatum reſtituerunt. *Cum a Tito ad necem quæreretur Rubban Gamaliel precibus Rabban Jochananis ſervatus fuit, uti legitur in Sepher Hakkabbala*. Et volebat Titus Rabbi Gamalielem filium Rabbi Simeonis neci dare; verum interceſſit Rabban Jochanan ben Zaccai, & annuit ipſius precibus Imperator.

55 *Rabban Simeon &c. Legimus in Juchaſin pag. 67.* Rabban Simeonem tertium ubique in Miſna intelligi debere, quando traditio abſolute ſub nomine R. Simeonis profertur. *De Principatu deturbare eum R. Meyr, & R. Nathan conati ſunt, quod Senatum reprehenderit, quod ſibi introeunti æque ac illis aſſurrexiſſet*. Dixit R. Meyr. Jubeamus ipſum (*uti legitur in Gemara Menachoth cap. II.*) de pedunculis diſſerere, quum hæſitabit, dicemus illi; quis recenſebit omnes laudes Dei? Ille nimirum, qui eas recenſere poteſt. Sic movebimus illum a Principatu, & tu Princeps eris, ego autem pater Senatus. *Et Abraham ben Dior in Sepher Hakkabbala*. Et convenerunt (*inquit*) in eo R. Meyr, & R. Nathan, ut pudefacerent illum (*ſcilicet Simeonem*) quoniam eo ſapientiores erant. Sed innotuit Simeoni hoc conſilium. Unde poſtea R. Meyr, & R. Nathan propriis nominibus non citantur, ſed nominibus eorum præteritis dicunt, pro dixit R. Meyr, *alii dicunt* pro dixit R. Nathan, *ſunt qui dicant*.

56 *R. Jehuda &c. eo die quo Akiba occubuit, natus eſt, unde Judæi dicunt*. Eo die occidit lux Iſraelis, & iterum orta eſt. *Rabbinorum omnium celeberrimus, Miſnæ author, ſapientia, doctrina, opibus, Antonini Cæſaris amicitia clarus. Audi Lector ejus elogium ex Maimonide in præfatione ſua ad Miſnam*. Poſt quos cum proceſſu temporis ventum eſt ad *Rabbenu Hakkadoſch*, qui fuit ſeculi ſui Phœnix, atque unicum temporis decus, vir certe, in quo (in unum) collegerat Deus dotes eximias, & virtutes ob quas apud contemporaneos ſuos meritus eſt appellari *Rabbenu Hakkadoſch*, cum nomen ipſi eſſet *Judah*, quique in ſummo ſcientiæ & celſitudinis gradu conſtitutus fuit, ſicut dixerunt, a diebus Moſis uſque ad Rabbi non vidimus Legem & nobilitatem ſimul (conjunctas) in ſummo etiam pietatis (*pietas & ſanctitas in eo eſſe non poteſt, qui in Chriſtum non credit*) & humilitatis, & abſtinentiæ a voluptatibus gradu, uti etiam dixerunt; *ex quo mortuus eſt Rabbi, ceſſavit humilitas, & timor peccati*; hominum inſuper eloquentiſſimus, & linguæ hebraicæ callentiſſimus, adeo ut explicationem verborum Legis difficiliorum e ſermone ſervorum & miniſtrorum ipſius diſcerent Sapientes, ſicuti in Gemara manifeſtum eſt; cuique tanta fuit opum copia, & rerum omnium affluentia, ut de ipſo dicerent, (*Audi portenta, & ride*) *Præfectus ſtabulorum Rabbi ditior erat Sapore Rege*; Ipſe beneficentiam erga literatos, & ſtudioſos exercens, Legem in Iſraele confirmavit, ſententiis, dictis, & differentiis ore traditis a Moſe uſque ad tempora ſua collectis, cum & ipſe ex iis eſſet, qui ore tradita referebant, utpote qui referret, quæ acceperat a *Simeone* patre ſuo, ut ille a *Gamaliele* patre ſuo, ille a *Simeone* patre ſuo, ille a *Gamaliele* patre ſuo, ille a *Simeone* patre ſuo, ille ab *Hillele* patre ſuo, ille a *Schemajah* & *Abtalione* præceptoribus ſuis, ille a *Juda Tabbæi* filio, & *Simeone Shatahi* filio, illi a *Joſua Pherakæi* filio, & *Nathæo Arbelita*, illi a *Joſe Joeſeri* filio, & *Joſe* Jochananis filio, illi ab *Antigono ſocenſi*, ille a *Simeone juſto*, ille ab *Eſdra* (*pleræque traditiones quæ in Miſna, non Moſaica, ut* Judæi *fabulantur, ſed humana ſulciuntur auctoritate, magnam tamen philologiæ ſacræ lucem afferre poſſunt*) ille, *inquit* ab *Eſdra*, quoniam ipſe e ſuperſtitibus Synagogæ magnæ fuit, *Eſdra* vero a *Baruco Neriæ* filio præceptore ipſius; *Baruc* autem *Neriæ* filius a Jeremia, ut & Jeremias ſine dubio acceperat a Prophetis, qui alii ab aliis acceperant uſque ad Seniores, qui Joſuæ, quæ ipſe a *Moſe* retulit, accepta tulerunt. Collectis igitur ſententiis & dictis iſtis manum admovit componendæ *Miſnæ*, quæ omnium, quæ in Lege ſcripta ſunt, præceptorum explicationem contineret, partim traditionibus a *Moſe*, cui pax, ore acceptis, partim conſequentiis argumentationum elicitis, de quibus nulla eſt diſſenſio conſtans, partim concluſionibus circa quas contigit diſſenſio inter duos argumentandi modos &c. *Tſippori incredibili omnium Hebræorum dolore occubuit. Hieroſol. Sotah.* Erat illa diei Sabbathi paraſceve, congregatique ſunt omnium vicinarum urbium incolæ ad plangendum R. Jehudam, ita ut decem & octo Synagogæ replerentur, contuleruntque ſe Beth-Schearimum *Sententiæ ejus aliquot cap. II. Pirke Avoth referuntur*. Ribbi dicit, quenam eſt via recta, quam eligat ſibi homo? Omnis videlicet ea, quæ decori eſt verſanti in ea, & unde gloria ad illum redit ab hominibus. Æque cautus eſto in ſervando levi aliquo præcepto atque gravi, ſiquidem ignoras retributionem mercedis præceptorum, & confer damnum præcepti cum mercede ejus, & mercedem tranſgreſſionis cum damno ejus. Tria item diligenter attende, & nunquam incides in manus tranſgreſſionis. Conſidera quid ſupra te ſit; oculus videns, & auris audiens, & quod omnia facta tua in libro adſcribuntur.

57 *Rabban Gamaliel &c. Pirke Avoth ibidem*. Rabban Gamaliel filius ipſius Rabbi Jehudah principis dicit; pulchra eſt diſciplina legis cum artificio aliquo adjuncto, labor enim utriuſque oblivifci facit peccati. Omne quoque ſtudium, cui non eſt junctum aliquod exercitium, tandem diſſipatur, trahitque ſecum iniquitatem. Quicunque item occupati ſunt negotiis Reipublicæ, debent hoc ipſum facere propter Deum. Quoniam meritum patrum ipſorum patrocinatur ipſis, & juſtitia eorum durat in perpetuum. Denique & ego (Deus) dignos vos judico multa ner-

mercede, perinde ac si fecissetis (præcepta). *Priusquam R. Jehuda ejus pater moreretur constituit eum Principem Synhedrii. Gemara Chetuvoth cap. XII.* Simeon filius meus sit *Chacam*, Gamaliel filius meus *Princeps*, Chanina filius Chammæ *caput consessus*. *Et R. Abraham in Hakkabala fol. 28. c. 2.* R. Chanina filius Chammæ, defuncto R. Juda principe, caput consessus fuit, uti jusserat R. Juda; & socii ejus erant posteri R. Judæ, R. Osaja, R. Simeon, R. Gamaliel, & R. Elieser &c. *Hi misnicorum ultimi fuerunt, quos sequuti sunt* Gemaristæ, *seu* אמוראים, *quibus successerunt* גאונים, *& his filii Ascher, & filii Nephtali. A Josua Levita in suo tractatu, qui inscribitur* ספר הלכות עולם, *ita per ætates distribuuntur in cap. II.* Hæc sunt secula Sapientum Misnæ. Seculo primo vixit *Simeon Justus* cum seculi sui hominibus. Seculo secundo *Antigonus Sochæus*, & *R. Eleasar filius Harsumi*, cum seculi istius viris aliis. Seculo tertio *Jose filius Joezeri Iseradensis, & Jose filius Johannis Hierosolymitæ*, cum seculi sui hominibus. Seculo quarto *Johannes filius Matthæi, Josua filius Perachiæ, & Nathæus Arbelensis*. Seculo quinto *Honis circularis, Judas filius Tabæi, Simeon filius Setahi*, aliique. Seculo sexto, *Akabias filius Mehaleelis, Schemaja, & Abtalion*. Seculo septimo *Sammæus, Hillel, D. Judes filius Bethiræ, & Nohounia filius Kakanæ* cum seculi sui hominibus. Seculo octavo Dominus *Gamaliel senex*, & Nahum scriba, aliique. Seculo nono, Dominus *Simeon filius Gamalielis, & R. Ismael filius Elisæi* Sacerdotis magni cum cæteris. Seculo decimo *R. Johannes filius Zachæi, R. Eliezer filius Jacobi*, & reliqui istius ætatis sapientes. Seculo undecimo *Eliezer filius Hircani, & R. Josua filius Hananiæ, R. Eleaser filius Arachi*, & reliqui istius ætatis. Seculo duodecimo *R. Tarphon, R. Akiba, R. Eleaser filius Azariæ*, aliique plurimi. Seculo decimo tertio, *R. Meyr, R. Judas, R. Jose, & R. Simeon*, cum reliquis istius ætatis sapientibus. Seculo decimoquarto *R. Judas princeps* (is est Rabbenu Hakkadosch.) *R. Ismael filius R. Joses Galilæi*, & alii quamplurimi. Hi ipsi sunt *Misnicorum* postremi. Sequentes sunt Sapientes Gemaræ secundum ætatum seriem dispositi. Primo seculo vixerunt *R. Chija, R. Oschaja, Levi, & filius Kapparæ*, cum aliis multis. Seculo secundo *R. Johannes, & Resch Lakisch*, cum ætatis suæ sapientibus. Seculo tertio *M. Houna, M. Judas, M. Nahman, M. Ase, & Oula*, atque ejus ætatis homines. Seculo quarto, *M. Hasda, & Rabba f. Nahmanis, M. Joseph, & M. Schescbath* cum cæteris. Seculo quinto, *Abæus, & Rabba*, aliique plurimi. Seculo sexto *M. Papa, M. Pepi, M. Houna f. R. Josuæ, M. Jemar, M. Zabid*, & cæteri ætatis istius homines. Seculo septimo, *M. Cahna & Rafram f. Papæ*, item *Amimar, & Mar-Zoutra, D. Ase, & Rab Ina*, qui hunc *Gemaricorum* ordinem claudunt &c. Postea sequti sunt Domini *Sebotæi*, qui alias conjecturas proposuerunt, quorumque hæc sunt nomina, *M. Aha, M. Gebiha, & M. Ahadbovi*, aliique plurimi. Deinde subsequti sunt *Sublimes* (q. dicas altissimos totius mundi) *M. Judas sublimis, D. noster Nathanael, & D. noster Hai* cum aliis multis. Denique singulis seculis subsequti sunt sapientes, intelligentes, rerumque periti, quorum celebretur memoria.

[58] *Constabat ex 23. &c. Tosaphta Sanhedrin cap. III. 12.* Unde probatur Synhedrium minus constare debere ex 23.? ex eo quod dicit; *& judicabunt cœtus &c. & eripient cœtus* &c. decem qui absolvant, decem qui damnent; tres alii; unde probatur? ex eo quod dicit. *Non sequeris turbam ad faciendum malum Exod. XXIII. 2.* Si igitur cum iis esse non possis in malo, intelligo, quod cum iis esse possis in bono; Ego dicere possem, quod cum iis nullo modo esse possis in malo; idcirco dicit, *non sequeris turbam ad faciendum malum*, etiam in malo; dicere igitur debes; quoniam Lex dixit, *in ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur. Deut. XVII. 6.* Et interfice ex ore eorum, qui abolent paritatem suffragiorum; sicuti testes debent esse duo, etiam illi erunt duo; nec judicium parili numero constat, adjungitur alius; Ecce viginti tres. *Maimonides Sanhedrin cap. V.* Unde vero probatur, quod judicia capitalia non judicantur nisi a viginti tribus? licet hoc per traditionem accepimus, tamen scriptura dicit; *Et judicabit cœtus &c. & eripiet cœtus &c.* cœtus enim judicat, cœtus eripit, *cœtus judicat*, sunt illi judices, qui reos pronuntiant, *cœtus eripit*, sunt qui innocentes pronuntiant; nullus enim cœtus minus est 10; ergo inveniuntur 20. adduntque adhuc tres, ne judices sint æquales, & ut res plurimorum Judicum suffragiis decidatur.

[59] *Ubi plures essent incolæ &c. Tosaphta Sanhedrin Ibidem.* R. Jehuda dicebat, in quacunque urbe essent tres ordines, quorum singuli viginti tribus constarent, & lictores pro judicibus, & reus, & testes, duo qui possent esse falsarii, & duo, qui hosce possent convincere, conveniens est, ut in ea Synhedrium constituatur. R. Nehemia dicit; quando in ea sint 230., decisio est juxta ejus sententiam. R. Meyr dicit, quod in ea sint 237 homines. *Vide Maimonidem cap. I. Sanhedrin.*

[60] *Hierosolymis duos &c. Maimonides ibidem.* Constituebant insuper bina Synhedria Viginti trium virorum, alterum ad portam atrii, alterum ad portam montis Templi *Tosaphta Chagigah* II. 10. duo erant Hierosolymæ Synhedria, alterum in monte templi, alterum in Hel.

[61] *Numerum horum &c. Maimonides ibidem.* Et quare nullum Synhedrium viginti trium virorum, constituunt nisi in urbe, in qua sint 120 incolæ? ideo quod synhedrium habet esse viginti trium, quibus accedere debebant tres ordines, quorum quilibet constat ex 23. & decem otiosi Synagogæ, duo scribæ, duo inspectores, duo litigatores, duo testes, duo qui possent esse falsarii, & duo, qui hosce possent convincere, duo elemosynæ collectores, præter unum insuper, qui cum iis eam erogaret, & Medicus, & Chirurgus, & libellarius, & pædagogus, ecce sunt centum viginti; *Vide quæ supra citavimus ex Tosaphta*.

Si qua difficultas circa Legem orietur, consulebant Synhedrium suæ civitatis, si minus explicata esset, adibant Synhedrium sedens juxta aditum montis Sanctuarii, si minus ab eo explicaretur, consulebant Synhedrium, quod considebat ad ostium atrii, si adhuc esset inexplicata, adibant Synhedrium magnum, quod considebat in conclavi Gazith. Tosaphta Sanhedrin cap. VII. Dixit R. Jose, ab initio non erant dissensiones in Israel, sed considebat synhedrium septuaginta virale in conclavi Gazith, & alii magistratus viginti trium in civitatibus Israel, & duo Synhedria, quæ tribus & viginti constabant, erant Hierosolymis, alterum in monte Templi, & alterum in antemurali, si cui aliqua difficultas suborta esset, adibat primo Synhedrium, quod erat in sua Civitate, si minus in suæ civitate Synhedrium esset, adibat Synhedrium, quod suæ civitati proximum esset, si cognovissent legem, ei pronunciabant; si minus, ipse, & princeps *ejus* Synhedrii, adibant Synhedrium, quod considebat in monte Templi, si cognoverant legem, de qua erat quæstio, ei pronunciabant; si minus, ipsi, & princeps *ejus* Synhedrii adibant Synhedrium, quod considebat in antemurali; si cognoverant, ei pronunciabant; si minus, omnes adibant Synhedrium magnum, quod considebat in conclavi Gazith; quamvis constare deberet 71. non poterat constare minus 23. si quis abire vellet, antea inspiciebat, si remanerent 23, abibat, si minus, non abibat, ibique considebant a sacrificio jugi matutino usque ad sacrificium juge vespertinum. Diebus Sabbathicis & festis eo non ingrediebantur, sed duntaxat in Scholam, quæ erat in monte Templi. Proponebatur quæstio coram eis, si cognoverant legem, ei pronunciabant, si secus, enumerabantur, si plures essent, qui immundarent, immundabant, si plures essent, qui purificarent, purificabant. E loco illo egrediebatur decisio Legis pro Israele. Postquam multiplicati sunt discipuli Schammai & Hillelis, qui non satis studio dederunt operam, multiplicatæ sunt controversiæ in Israel, & factæ sunt quasi duæ Leges. *Vides imaginem quamdam disciplinæ Christianæ Ecclesiæ; Primo agebatur causa in sua Diœcesi, appellabatur deinde ad concilium Provinciale, inde ad concilium nationale, postremo vel ad Pontificem maximum, vel ad Generale Concilium, ubi causa definiebatur. Vide Tosaphta Chagigah. cap. II. 10.*

[62] *Hoc quoque judicia &c. Maimonides ibidem cap. V.* Judicia capitalia non exercentur minus quam a viginti tribus, quique constituunt Synhedrium minus, sive sint capitalia hominis, sive bestiæ; idcirco non judicabant bovem lapidandum, aut bestiam initam, vel

vel ineuntem (e. g. jumentum fœmineum initum a viro, bovem aut ſimile aliud jumentum ineuntem fœminam humanam, niſi coram 23 judicibus. Similiter leo, urſus, & panthera, qui cicures ſunt, quique poſſeſſores habent, ac alium interfecerunt, judicantur a 23; verum ſi aliquem ſerpens interfecerit, unicus eum interficit; qui diffamat non judicatur in principio niſi a viginti tribus, quia in cauſa ejus reſidet pars quædam juris capitalis, nam ſi verum ſit quod diffamaverit, lapidatur filia, ſi vero ipſius diffamatio falſa fuerit, & pater ipſius puellæ repetit, ut multetur, tunc ille diffamator a tribus judicatur. *Vide cap. III. Toſaphta ibid.*

[63] *Conſeſſus minimus &c. Toſaphta Sanhedrin cap. I.* Cauſæ pecuniariæ a tribus judicabantur, Rabbi dicit, a quinque, ut judicium definiatur a tribus, conventio a tribus, verba R. Meyr, & Sapientes dicunt, ab uno; impoſitio manuum ſuper beſtias, & impoſitio manuum Seniorum a tribus Judicibus; R. Jehuda dicit, a quinque &c. Sapientes dicunt; diffamatio Virginis Iſraelitæ, eo tempore, quo de ejus morte agitur, a viginti tribus judicabatur, ſi cauſa pecuniaria, a tribus; ſicuti judicium fit a tribus, ita etiam conventio a tribus fieri debet. *Maimonides ibidem*. Judicia multæ, veluti rapinæ, damna, compenſatio dupli, & quadrupli, & quintupli, & puellæ violator, & ſeductor &c. non judicantur niſi a tribus Judicibus מומחים *expertis*, qui ſunt promoti in terra Iſrael; Verum reliqua judicia pecuniaria, veluti confeſſiones debiti, mutua, non neceſſe eſt ut a tribus expertis judicentur, ſed a tribus hominibus vulgaribus, aut uni experto, atque promoto facultas judiciaria eſt conceſſa.

[64] *Quæ 120. incolas &c. Maimonides ibidem cap. I.* In urbe vero, in qua non inveniuntur 120 incolæ conſtituebant tres judices, quoniam Synhedrium nullum minus eſt tribus, ut ſcilicet haberet plus minuſque, quoties inter collegas de aliqua re quæſtio eſſet. Ea vero in urbe, in qua non erant bini ſapientes illuſtriores, quorum alter poſſet docere, & explicare totam legem, alter vero peritus eſſet ad audiendum ſimul, etiam ad interrogandum, & reſpondendum, non collocabant in ea Synedria, licet in ea eſſent mille Iſraelitæ; Synedrium, in quo erant duo ejuſmodi ſapientes, alter ad audiendum, alterque ad loquendum, pro Synhedrio quidem ſumendum, ſi vero tres erant, Synhedrium erat mediocre, ſi quatuor ad loquendum periti, Synhedrium erat ſapientiæ. *Toſaphta Sanhedrin cap. VIII.* Quodvis Synhedrium in quo eſſent duo periti ad loquendum, omneſque ii, qui periti erant ad audiendum in Synhedrium poterant cooptari; ſi tres erant periti ad loquendum, vocabatur Synhedrium mediocre, ſi quatuor, vocabatur Synhedrium ſapientiæ.

[65] *Et flagellationem &c. Maimonides ibidem cap. V.* Vapulatio fit a tribus, licet poſſibile ſit ut moriatur dum vapulat. *Et ibidem cap. XVI.* Licet vapulatio a tribus Judicibus peragatur, tamen illa neci proxima eſt. Ex lege recentioribus temporibus hanc verberum pœnam omni loco irrogabant triumvirales rite ordinati, non vero privati e vulgo.

[66] *Præterea erant &c. Codex de Synhedriis cap. I.* Judicia pecuniaria a tribus, de rapinis, & læſione a tribus, de damno, vel dimidio damni, de reſtitutione dupli, & quadrupli, & quintupli a tribus &c. *In quem locum ita Maimonides. Judicia pecuniaria* etiam comprehendunt judicia de furto & læſione, ſine dubio quod omnia judicia pecuniaria, iis quæ de furto & læſione agunt; exceptis, treſviri qui non ſunt juriſperiti, expedire poſſunt, & unus eorum ſi ſit expertus inter multos, ita ut ſcientia illius legalis valde excellat, & apud plebem clariſſima ſit, & hoc norint ſapientes, qui illum probaverant, judiciumque illius acceptarunt. Furti autem & læſionis judicia a tribus tantum, qui juriſperiti ſunt, peragi poſſunt, propterea autem ſuum diviſit ſermonem, & non dixit, judicia pecuniaria furti, & læſionis a tribus. Scias volo, quod nullum Synhedrium vocetur *domus juris perita*, quæ judicare poſſit de furto & læſione, niſi ea quæ terræ Iſraelis affinis eſt, & ab illius Synhedrio ſit ſpectata. *Damnum & dimidium damni*, & ſi damnum & dimidium damni ingrediantur damna, hoc tamen ita dixit auctor, quia de damnis loqui volebat, quod is qui damnum intulit, plus ſolvet quam damnum quod intulit, ut ſit nimirum ſolutio duplex, quadruplex, & quintuplex; idcirco locutus eſt de caſu, in quo is qui damnum intulit, minus ſolo & quam pretium damni, quod intulit, quod eſt dimidium damni; & quandoquidem fecit mentionem dimidii damni, etiam damni integri mentionem fecit, etſi hoc ingrediatur damna.

[67] *In hoc conſeſſu &c. Maimonides ibidem cap. II.* Si in Synhedrio triumvirorum eſſet peregrinus, ille illegitimus erat, donec mater ipſius eſſet ex Iſrael. Si vero unus *ex collegio triumvirorum* eſſet ſpurius, aut ſi totum collegium ex ſpuriis conſtaret, legitimi ad judicandum habebantur.

[68] *Sed ad judicia capitalia &c. Maimonides ibidem.* Non conſtituebant in Synedrio niſi Sacerdotes & Levitas, & Iſraelitas genere nobiliſſimo (*patricios*) & dignos ut Sacerdotibus poſſent copulari, ſecundum id quod dicitur, *facieſque ibi ſtare tecum*. *Num.* XI. 16. hoc eſt ſimiles erunt tibi in ſapientia, timore, & genere.

[69] *Verum proſelyti &c. Maimonides Melachim cap.* IX. 14. Porro filius Noæ (*ideſt Noachides, ſive Gentilis non idolatra*) occidi poteſt ad unum teſtem, & per unum judicem ſine præmonitione etiam ex teſtimonio propinquorum, ſed non ex teſtimonio fœminæ, nec etiam fœmina eos judicaverit.

[70] *Proſelyti &c. Maimonides Iſuria Biah cap.* 14. Qualiſnam eſt is, quem proſelytum inquilinum vocamus? Gentilis erat, qui in ſe ſuſceperat, a cultu extraneo abſtinere, ac cætera obſervare, quæ in Noachidarum, ſeu omnium Hominum communi jure continentur. Nec circumcidebatur ille, nec baptizabatur, ſed admittebant eum, veluti unum ex piis e Gentibus mundi. Ideo autem nuncupatur inquilinus, quoniam licuit nobis ei ſedes inter nos aſſignare in territorio Iſraelitico. *Vide Babyl. Avoda Zarah. V.* a Moſe magiſtro noſtro, atque ejuſmodi ſint, ut ſententia humana in ea præ cæteris, quæ legis corpore habentur, pronius inclinet. Liquet etiam præter hæc Noacho mandatum traditum eſſe de membro animalis viventis, juxta illud; *excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis*. *Geneſ.* IX. 4. Ita fiunt ſeptem præcepta. Atque ad hunc modum ſe res habuit per univerſum terrarum orbem uſque in Abrahæ tempora. Inſuper autem illi præceptum datum eſt de Circumciſione &c.

[71] *Modo obſervarent &c. Babyl. Sanhedrin fol.* 56. 1. Traditur a Rabbinis ſeptem præcepta imperata eſſe Noachidis, de judiciis, de maledictione Numinis, de cultu extraneo, de revelatione Turpitudinum, de ſanguinis effuſione, de rapina *ſeu* furto, de membro animalis viventis, ex ſententia Rabbi Canina ben Gamalielis de ſanguine. *Et in Bereſchith Rabba paraſch.* 34. De ſeptem rebus mandata acceperunt Noachidæ, de cultu extraneo, de revelatione Turpitudinum, de homicidio, de maledictione Nominis Divini, de judicio, de rapina *ſeu* furto, de membro animalis viventis; Rabbi Chanina filius Gamalielis dixit, etiam de ſanguine animalis viventis. *Et Maimonides ibidem*. De rebus ſex mandata accepit Adam, *ſeu* primus homo, de cultu extraneo, de maledictione Nominis, de Homicidio, revelatione Turpitudinum, de rapina *ſeu* furto, & de judiciis; tametſi hæc cuncta apud nos ſint recepta.

[72] *De vitando cultu &c. Maimonides Melachim cap.* IX. 2. Noachides qui idolatra eſt, reus eſt atque is, qui idola colit juxta ipſorum ritus vel modum. Et propter quamcumque idolatriam domus judicii Iſraelis occidit aliquem, propter eam interficitur Noachides, & propter quam domus judicii Iſraelis aliquem non occidit, propter eam non occiditur Noachides. Et licet non occidatur, nihilominus ab omni (idolatria) prohibetur. Atque adeo ipſi non permittitur erigere ſtatuam, & plantare lucum, aut facere imaginem, & ſimilia ad ornatum.

[73] *Honore nomini &c. Maimonides ibidem*. Noachides, ideſt, blaſphemat nomen Dei, ſive blaſphemet nomine Jehovæ, ſive cognomine, omni lingua, reus eſt mortis.

[74] *Homicidio vitando &c. Maimonides ibidem*. Noachides qui hominem occidit, etiamque infantem in utero matris, ob id occidendus eſt; quoque ſi occidat vulneratum, aut liget aliquem & objiciat Leoni, vel relinquat in fame, uſque dum moriatur. Quandoquidem enim eum quocumque modo occidit, interficiendus eſt. Pariter ſi perſequentem occiderit, ubi ſe ipſum liberare poterat mutilato uno ex ejus membris, ob id interficiendus eſt.

75 *Et ſtupro &c. Maimonides ibidem*. Sex concubitus filiis Noachi ſunt illiciti, nempe cum matre, uxore patris, ideſt noverca, conjuge viri alicujus, ſorore ex eadem matre, maſculo, beſtia: uti dicitur; *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum*, ideſt uxorem patris ſui, *& matrem ſuam*, ad literæ ſenſum, & *adhærebit uxori ſuæ*, ideſt non uxori proximi ſui, nec maſculo, *& erunt duo in carne una Geneſ.* 2. 24. ad removendam beſtiam feram, & volucres, quia ille & iſtæ non ſunt una caro. Dictum eſt pariter; *Alias autem & vere ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi in uxorem. Ibid. XX.* 12. Noachidas reus eſt mortis ob congreſſum cum ea, quæ a patre fuit ſeducta, vel vi compreſſa, nam illa eſt uti mater. Omni ratione quoque reus eſt ob concubitum cum noverca, etſi poſt mortem patris. Reus pariter eſt ſuper maſculo ſeu puero, ſeu adulto, ut ſuper beſtia vel parva, vel magna; at ille ſolus occidendus eſt. Non enim occidunt beſtiam, quia Noachidæ non acceperunt præceptum de interficienda beſtia, ſed ſoli Iſraelitæ. Noachides non eſt reus ob concubitum cum conjuge proximi ſui, niſi cum ea congrediatur, poſtquam marito ſuo concubitu conjugata fuerit. At ob concubitum cum deſponſata, vel introducta modo in thalamum, ſed non cognita concubitu a marito, non ſunt hinc rei, quia dicitur; *habet enim virum. Ibid. XX.* 3. Quomodo hæc dicta? De filio Noachi, qui congreditur cum filia Noachi; ſed Gentilis qui congreditur cum Iſraelitide, reus eſt; ea ſi fuerit juvencula deſponſata, ob id eſt lapidandus per jura Iſraelis. Si congrediatur cum ea poſtquam in thalamum eſt deducta, & tamen necdum ſubacta a viro, ecce is ſtrangulandus erit, juxta jura Iſraelis. At ſi congrediatur cum fœmina maritata viro Iſraelitæ, ecce eſt uti ille, qui congreditur cum uxore gentilis proximi ſui, & interficientur gladio. Noachides, qui junxit ancillam ſuo ſervo, & cum ea deinde fuit congreſſus, ecce iſte ob id occidendus eſt, propterea quod ſit uxor proximi ſui. At non eſt reus ob eam uſquedum res ſit manifeſta, & populus dicat de ea, illa eſt ex domo ſervi ipſius. Ex quo tempore vero redibit ad (*Domini*) licentiam? Ex quo ille ſeparavit eam a ſuo ſervo, & caput ejus detexit in platea. Ex quo tempore uxor proximi ejus fiet ſicut repudiata apud nos? Quum (*maritus ejus*) ex ſua domo eam egredi fecerit, & dimiſerit ſibi, vel quando ipſa exiverit ex ejus poteſtate, & ſibi abeat. Nam non ſunt apud illos divortia libello repudii, neque eorum res dependet ex domo judicii, ſed omni tempore, quo ille, aut illa ſeparari voluerint, ſeparentur. *Caſtigandus hoc loco Maimonides, qui ſcribit, licuiſſe Noachidæ ſcortari cum fœmina libera, aut ſerva.*

76 *Ac rapina &c. Maimonides ibidem*. Noachides reus eſt ob furtum ſive a Gentili, ſive ab Iſraelita quid furatus fuerit; & idem eſt, ſi furatus ſit, aut rapuerit pecuniam, aut hominem, vel etiam a mercenario mercedem detraxerit, & ſimilia. Etiam operarius, qui edit præter tempus ſui laboris, propter omne *quod edit*, reus eſt; ecce ille comprehenditur inter fures. Quod tamen ſic ſe non habet in Iſraelita. Et ſic reus eſt ob id quod æſtimatione minus eſt pruta. Noachides autem ſi furatus ſit, quod minus eſt æſtimatione pruta, & alius veniat, & furetur id ab eo, ambo ob id occidendi.

77 *Colendo magiſtratu &c. Maimonides ibidem*. Quomodo præceptum eſt illis (Noachidis) de Judiciis? debent conſtituere judices & præſides in unaquaque regione ad judicandum ſecundum ſex præcepta, & ad erudiendum populum. Quicumque autem filius Noæ tranſgreditur unum ex ſeptem præceptis iſtis occidendus eſt gladio. Ideoque omnes Sichemitæ erant rei mortis. Nam ecce Sichem rapuit *Dinam*, & illi (Judices) viderunt id, & non animadverterunt, nec judicarunt eum &c. *Et ibidem cap. X.* 11. Debet domus judicii Iſraelitarum conſtituere judices iſtis Proſelytis (inquilinis) qui cogitant judicare eos ſecundum jura ipſorum, ne perdatur mundus. Si videatur conſultum conſtituere judices ex ipſis Noachidis, conſtituunt, at ſi videatur ponendos eſſe ex Iſraele, ponunt. Duo Gentiles Idolatræ, qui coram te veniunt ad judicia ſecundum jura Iſraelis, ſi velint judicari juxta legis jura, judicantur. At cum unus vult, & alter non vult, non cogunt eum judicari, niſi ſecundum jura ſua. Cum vero fuerit Iſraelita, & Gentilis Idolatra, ſi conveniat Iſraelitæ judicari ſecundum jura Noachidarum, judicabunt ſecundum eorum jura, & dicent Gentili, talia ſunt jura veſtra; at ſi convenit illi, ſecundum noſtra jura judicari, judicabunt ſecundum jus Legis, & dicent Gentili, talia ſunt jura noſtra. Ac mihi videtur, quod ſic agendum non ſit cum Proſelytis inquilinis, ſed quod debeant judicari ſecundum eorum jura. Pariter mihi videtur, quod ſemper conveniat agere cum Proſelytis inquilinis ſecundum mores terræ & retributionem piorum, uti cum Iſraelita; nam ecce juſſi ſumus eos ſuſtentare, uti dicitur; *Peregrino qui intra portas tuas eſt, da ut comedat. Deut. XIV.* 21. Atque illud quod dicunt ſapientes, non duplicant illis pacem, non eſt dictum de Proſelyto inquilino; Quamquam de Gentibus juſſerunt ſapientes ut ægrotos eorum viſitaremus, mortuos ipſorum ſepeliremus, uti mortuos Iſraelis, pauperibus illorum nutrimentum daremus inter pauperes Iſraelis propter viam pacis; nam ecce dicitur; *Suavis Dominus univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. Pſalm. CXLIV.* 9. Atque etiam dictum eſt. *Viæ ejus viæ pulcbræ, & omnes ſemitæ illius pacificæ. Prover. III.* 17.

78 *Non edendo &c. Maimonides ibidem cap. IX.* 12. Si quis mactaverit beſtiam, licet in ea ſucciderit utrumque ſignum, quamdiu tamen ſemovet illa, membrum aut caro illius ſeparata prohibetur Noachidis ratione (prohibiti) membri animalis viventis. Omne quod prohibetur Iſraeli ratione membri animalis viventis, prohibetur etiam Noachidis. At ſunt ob quæ Noachidæ fiunt rei, non Iſraelitæ. Nam Noachidæ idem eſt beſtia cicur, & fera, immunda, & munda; pariter fiunt ob eas rei ex ratione membri animalis viventis; etiamque membrum & caro, quam ſeparant a motitante, licet Iſraelita abſcidiſſet utrumque ſignum; ecce tamen (Noachidæ) prohibentur ſub ratione membri vivi animalis.

79 *Si vel minimo &c. Babyl. Becoroth. fol.* 30. 2. Si Gentilis adveniret, ut in ſe ſuſciperet capita Legis excepto unico aliquo, eum non admittebant.

80 *Tribus ritibus &c. Maimonides Iſſuri Biah cap. XIII.* Tribus ritibus Iſraelitæ in fœdus intrarunt Circumciſione ſcil., Baptiſmo, & Sacrificio. Ritus circumciſionis *peractus* erat in Ægypto; nam dictum eſt: *Si quis autem circumciſus non fuerit, non veſcetur ex eo. Exod. XII.* 48. Moſes igitur magiſter noſter circumcidit eos, quippe omnes in Ægypto violaſſent fœdus circumciſionis excepta ſola tribu Levi, & propterea de iis dictum eſt; *Et pactum tuum ſervaverunt. Deut. XXXIII.* 9. Ritus autem Baptiſmi *peractus* erat in deſerto mox ante datam Legem, ut dictum eſt; *Et ſanctifica illos hodie, & cras, laventque veſtimenta ſua. Exod. XIX.* 10. Et ritus etiam ſacrificii *peractus erat in deſerto*, uti dictum eſt; *Miſitque juvenes de filiis Iſrael, & obtulerunt holocauſta* (*Exod. XXIV.* 5.) id eſt; ſacrificabant pro univerſo cœtu Iſraelitico. Et ſic in perpetuum, quotieſcumque aliquis Gentilis voluerit in fœdus intrare, & ſtationem habere ſub alis divinæ majeſtatis, ſuſcipereque in ſe jugum Legis, opus eſt ei circumciſione, Baptiſmo, & Conciliatione *per ſparſionem ſanguinis* Sacrificii, ſed ſi fœmina ſit, opus eſt ei tantum Baptiſmo & Sacrificio, uti dictum eſt, *ſicuti vos, ſic erit proſelytus*, id eſt, ſicuti vos *in fœdus ingreſſi eſtis* Circumciſione, Baptiſmo, & Conciliatione *per ſparſionem ſanguinis* ſacrificii, ſic etiam proſelytus in perpetuum *ingreditur in illud* circumciſione, Baptiſmo *per ſparſionem ſanguinis* Sacrificii. Et quid eſt Sacrificium Proſelyti? *Reſp.* Holocauſtum ex pecore, aut duo turtures, aut duo columbarum pulli, utrique in holocauſtum. *Idem in præfatione ad Codicem Sevachim*, Peregrinus Gentilis vero nunquam hac in parte conſiderabatur ut Iſraelita, niſi Religionem Judaicam amplexus fuiſſet ſub tribus ſequentibus ritibus, videlicet Circumciſione, Baptiſmo, & Sacrificio, eodem modo quo Iſraelitæ jugum præceptorum in ſe ſuſceperunt; nam eos circumcidit Propheta in Ægypto, quum iis legem de Paſchate dabat, atque præcipiebat, ne quiſquam præputiatus comederet de iſto; porro ſe quoque baptizarunt in deſerto ante Legis dationem, & holocauſta offerebant, ac pacifica, ſicuti ſcriptum eſt *Exod. XXIV.* 5. *Miſitque juvenes de filiis Iſrael, & obtulerunt holocauſta*. Et poſtea data fuit Lex. Sacrificium vero offerebat Proſelytus e duobus turturibus, vel duobus columbæ pullis conſtans,

ſtans, utriſque in holocauſta. Et hoc colligitur ex eo quod dicitur Num. IX. 14. Et in libro *Siphri* dicitur; quod ſicuti Iſraelitæ non receperunt fœdus niſi tribus ritibus, Circumciſione ſcil. Baptiſmo, & Sacrificio, ita quoque neque peregrini abſque his tribus: (porro ibidem objicitur,) dicat aliquis, quemadmodum Iſraelitæ ad holocauſta, & ſacrificia pacifica obligantur, ita etiam Proſelyti, idcirco ſcriptum eſt; Num. XV. 3. ועשיתם אשה, at quibus pecuniis? omnia namque holocauſta cedunt igni, & nihil exinde tibi integrum eſt, neque holocauſtum fieri poteſt niſi e volucribus, videlicet, quod non ſint pecuniæ, quibus emunt ſacrificia, & non ſimul ex iis aliquam utilitatem caperent, ſed omnino in altare abſumuntur, præter holocauſta ex avibus deſumta; nam pecudum in holocauſta oblatarum pellis cedit Sacerdotibus. Et ut rem paucis expediamus, unam avem adducere nequit, nam in tota Lege non invenimus unam avem offerri; hinc dixerunt, omnes Legis nidi dimidia ex parte ſunt holocauſta, Proſelyti holocauſto excepto, quod totum igni abſumendum erat.

[81] *Nunc duobus &c. Maimonides Iſſure Biah cap. XIII.* 5. Sed hiſce diebus, quia jam Sacrificium non eſt *in uſu*, tantum opus eſt circumciſione & baptiſmo. *Priuſquam Proſelytum circumcidant, ac baptizent, eum atque etiam admonent. Maimonides ibidem cap. XIII.* 14. Quoniam præceptum ſtabilitum ſit, ut cum veniat Proſelytus, vel Proſelyta ut initiaretur, inquirant de eo, annon forte propter divitias, quas accepturus ſit, vel propter dominium, quod aſſecuturus ſit, vel propter timorem veniat, ut in *noſtram* religionem admittatur, & ſi vir ſit, ut inquirant de eo, annon forte collocaverit oculos ſuos in aliquam fœminam Judaicam, & ſi fœmina ſit, ut inquirant de ea, annon forte collocaverit oculos ſuos in aliquem adoleſcentem ex adoleſcentibus Iſraelis, & ſi non inveniant in iis aliquam talem cauſam, notam iis faciant gravitatem jugi Legis, & moleſtiam, quam in obſervatione illius patiuntur populi terræ, ut recedant: ſed ſi *nihilominus Proſelytiſmum in ſe* recipient, & non *omnino* recedent, de iiſque *ſatis* perſpectum habeant, quod ex amore *religionis ad eam* convertantur, *tum* eos recipiant, juxta quod dictum eſt (*de Rutha Proſelyta*) *Videns ergo Noemi quod obſtinato animo Ruth decreviſſet ſecum pergere, adverſari noluit.* (*Ruth.* I. 18.) *Etiam Proſelytos cathechizant. Maimonides ibidem cap. XIV.* Quomodo admittent Proſelytum hiſce diebus? Cum venerit, ut initiaretur, & inquiſiverint de eo, & non invenerint *aliquam* cauſam *iniquam converſionis* illius, dicent illi, quid percepiſti *in nobis*, quod venis, ut fias Proſelytus? nonne cognoſcis quod Iſraelitæ hiſce temporibus ſint doloribus afflicti, & exagitati, & extorres, & diſſipati, & quod afflictiones continuo ingerantur iis? Si reſpondeat, hæc cognoſco, nec tamen dignus ego, *qui recipiar inter illos*, ſtatim illum admittunt. Et fundamenta Religionis ei nota facient, qualia ſunt unitas Dei, & prohibitio Idolatriæ, & de his prolixe agent: nota etiam ei facient aliqua præcepta leviora, & aliqua graviora, ſed de his non prolixe agent, & ei etiam notam facient iniquitatem *detentionis* ſpicilegii, rei oblivione relictæ, auguli, & decimarum ſecundarum; notas etiam ei facient pœnas præceptorum; quomodo? Dicent ei, ſcito tu, quod priuſquam accederes ad religionem hanc, ſi comederes adipem, non puniendus eras pœna exciſionis, nec ſi profanares Sabbathum, puniendus eras pœna lapidationis; ſed jam poſtequam proſelytus factus ſis, ſi comedas adipem, puniendus es pœna exciſionis, & ſi profanes Sabbathum, puniendus es pœna lapidationis, ſed non eum multis gravabunt, nec ſollicite ei incutient minutiora, ne forte in cauſa ſint, ut depellant eum, avertantque a via recta ad viam iniquam; nam in initio non trahunt hominem, niſi mollibus benevolentiæ verbis, uti in ſcriptura dicitur; *In funiculis Adam traham eos. Oſee. XI.* 4. Et poſtea; *in vinculis charitatis.* Sicuti notas ei faciunt præceptorum pœnas, ſic etiam nota ei facient præceptorum præmia, & declarabunt ei, quod ex obſervatione horum præceptorum acquiret vitam *æternam* in mundo futuro, & quod nemo ſit perfecte juſtus, niſi vir ſapiens, qui obſervat hæc præcepta, etiam & cognoſcit ea. Dicent etiam ei, ſcito tu, quod mundus futurus non reſervetur niſi juſtis, iique ſunt Iſraelitæ, & quod hoc quod obſerves Iſraelitas in afflictionibus eſſe in hoc mundo ideo eſt, quod felicitas *mundi futuri* reſervetur iis; nam non poſſunt multa felicitate frui in hoc mundo, ſicut gentes *terræ*, ne forte ſuperbiat animus eorum, iique in errores abducantur, & perdant præmium ſeculi futuri, juxta id quod dicitur; *incraſſatus eſt dilectus & recalcitravit. Deut. XXXII.* 15. *&c. & paucis interjectis.* Et prolixe agent de hac re, ut amorem in eo excitent, ſi vero reſiliat, & non velit *proſelytiſmum in ſe* ſuſcipere, abeat in viam ſuam, ſed ſi ſuſcipiat, non morabuntur eum, quin ſtatim eum circumcident, & ſi *prius* circumciſus fuiſſet, eliciunt ab eo ſanguinem fœderis *ex præeuntis ſcilicet circumciſionis cicatrice, & tum* morabuntur eum, donec perfecte ſanetur *vulnus illius*, & deinde baptizabunt illum. Et triumviri ſtabunt ſurſum juxta eum, notaque ei facient aliqua præcepta leviora, & aliqua graviora ſecunda vice, dum ipſe adhuc ſtet in aquis, ſed ſi fœmina ſit, *quæ initiatur*, fœminæ eam collocabunt in aquis collo tenus, & judices ſtabunt extra, & nota facient ei aliqua præcepta leviora, & aliqua graviora, dum ipſa adhuc eſt in aquis; poſtquam vero baptizata ſit coram illis, avertent facies ſuas, & egredientur, ne videant eam, cum aſcendat ex aquis. *Vide Schulchan Aruch in Hilcoth Gerim Sect.* 268. *ſubſect.* 2.

Circumciſio, & Baptiſmus coram tribus adminiſtrari debet. Schulchan Aruch ibidem ſect. 268. *ſubſect.* 3. Omnes actus proſelyti, ſive doceant eum præcepta, ut acceptet ea, ſive circumciſio fiat, ſive baptiſmus, neceſſario fieri debet coram tribus idoneis ad judicandum *de illis*, & interdiu.

Quando circumcidunt proſelytos ita benedicunt. Maimonides de Circumciſione cap. III. 4. Qui circumcidit proſelytos, benedicit. Benedictus tu es Domine Deus noſter, Rex mundi, qui ſanctificavit nos per præcepta ſua, & præcepit nobis circumcidere proſelytos, & ſtillare facere ſanguinem fœderis ex illis; nam niſi foret ſanguis fœderis, non conſervarentur cœli & terra &c. *Schulchan Aruch ibidem.* Qui circumcidit proſelytos benedicit. Benedictus tu es Jehovah Deus noſter Rex mundi, qui ſanctificaſti nos præceptis tuis, & præcepiſti nobis circumcidere proſelytos, & ſtillare facere ex illis ſanguinem fœderis; nam niſi eſſet ſanguis fœderis hujus, non poſſent ſtare cœlum & terra &c.

Si proſelytus, antequam Judaicam amplecteretur religionem, circumciſus fuiſſet, non benedicebant. Maimonides ibidem cap. III. 6. Proſelytus, qui circumciſus eſt, antequam fieret proſelytus, & puer qui natus eſt ita, ut eſſet circumciſus, quando ſtillare faciunt ex illo ſanguinem fœderis, non opus habent ulla benedictione. *Schulchan Aruch ibidem. Sect.* 265. *ſubſect.* 3. Si proſelytus circumciſus fuit, antequam fieret proſelytus, aut ſi minorennis circumciſus natus eſt, tum quando ſtillare faciunt ex eo ſanguinem fœderis, non opus habent benedictione.

[82] *Velut infantem &c. Maimonides Iſſuri Biah cap. XVI.* 11. Gentilis enim qui proſelytus fit, *uti* & ſervus qui manumittitur, *habendus* eſt tanquam infans recens natus, omneſque conſanguinei, quos habuit, dum adhuc gentilis fuerat, vel dum adhuc ſervus fuerat, jam deſinunt *ulterius haberi* pro conſanguineis illius &c.

CAPUT OCTAVUM.

De Regibus.

§. I. Mandatum de regis electione.

I. DAtum [1] fuisse Israelitis præceptum de rege eligendo contendunt Judæi ex *Deut.* 17. 15. sic ut in ipsa regis petitione non peccaverint, sed petitionis modo & scopo, ut similes essent aliis gentibus: [2] quamvis vero similius sit, ibi agi de rege ex Israelitis eligendo tum quum dicerent regem se velle qualem aliæ gentes haberent, non vero juberi illic electionem regis: & 1. *Sam.* 8. 6. 7. & 1. *Sam.* 12. 17. 19. peccatum eorum ipsa regis petitio dicitur. Quod si mandatum ipsis fuit regem eligere statim ac terram ingressi essent, cur id omiserunt per tot sæcula?

§. II. Theocratia ante reges.

II. Aboleverunt ita Israelitæ, electo rege, formam regiminis theocraticam, qua hactenus usi fuerant: quando videlicet Deus singulari ratione ea præstitit, quæ regum esse solent, leges nempe policitas ferens, easque pœnis sanciens, bellum pacemque indicens, in præliis antecedens, & signum dans proficiscendi aut manendi, prospiciens iis de annona aliisque ad vitam necessariis, jus dicens ipse in causis gravioribus, in reliquis judices alios vicarios sibi substituens, aulam suam, ignem, mensam, & ministros in populo Israelitico habens, & quæ plura sunt talia: quare quum regem sibi ex hominibus vellent, Deus se spretum agnoscit, ne sit rex super illos, 1. *Sam.* 8. 7.

§. III. Rex qualis eligendus.

III. Rex [3] debebat esse, non regina, qui Hebræis imperaret, [4] nec ex gentibus, etiamsi inter eas Idumæi fratres Israelitarum respectu originis dicantur. *Deut.* 2. 4. & 23. 9. [5] Quare rex Agrippa, qui מקהל גרים *ex cœtu proselytorum* erat, quum publice coram populo legeret, in *Deut.* 17. 15. incidens, generis sui conscius, in lacrymas solvebatur, quem populus hac acclamatione solatus est: אל תירא אגריפס אחינו אתה אחינו אתה *Non est quod timeas, Agrippa. Et tu frater noster es. Et tu frater noster es. Sota* VI. 8.

§. IV. Unctio regum, secundum placita Judæorum.

IV. [6] De unctione, qua reges inaugurabantur, tradunt Judæi eam factam fuisse oleo המשחה, sive unctionis, ex קרן *cornu*, [8] & quidem juxta fontem 1. *Reg.* 1. 33. si reges essent ex stirpe Davidica, [9] alios vero oleo אפרסמון *opobalsami*, ex פך *lenticula*. *Gem. Hier. Schekalim.* 9. 1. *Gem. Horajoth.* 12. 1. *Midrash Choeleth.* 104. 4. confer 1. *Sam.* 10. 1. & 1. *Sam.* 16. 13. Sic ut secundum hanc opinionem reges hi [10] eodem oleo quo sacerdotes uncti fuerint: quod tamen videtur repugnare verbis *Exod.* 30. 32. quæ supra expendimus. [11] Præterea nullos reges parentibus suis succedentes unctos fuisse volunt, nisi lite iis mota de imperio, uti Salomoni per Adoniam 1. *Reg.* 1. 18. & 39. Joaso per Athaliam 2. *Reg.* 11. 12. Jehu ob Joramum quem occidit 2. *Reg.* 9. 1. Johacazo ob fratrem Jojakim 2. *Reg.* 23. 30. Quæ tum in Misna, tum Gemara *Horajoth.* 11. 2. pluribus disputantur, ut & in *Gem. Kerituth.* 77. 2. *Gem. Hier. Sota.* 21. 3.

§. V. Secundum alios.

V. Alii vero distinguunt unctionem privatam & publicam. Privata est prænunciatio regni futuri, uti quum Samuel 1. *Sam.* 10. 1. Saulem unxit, & [12] fiebat per prophetam, & quidem oleo communi. Publica est ipse actus regiæ inaugurationis, ut cum 2. *Sam.* 2. 4. & 2. *Sam.* 5. 3. David primum a viris Judæ, dein Israelitis unctus est. Hanc fieri consuevisse volunt per sacerdotem. Sic Jojada unxit Joasum, 2. *Reg.* 11. 12. Sadok Salomonem. 1. *Reg.* 1. 39. Hæc fiebat oleo unctionis quo sacerdotes ungebantur, aut oleo sancto, non oleo communi, quod urgente necessitate sine dubio adhibuisset Sadok 1. *Reg.* 1. 38. & nisi sanctum fuisset oleum, non tam facile Salomoni Adonia cessisset, aut tanta asseclarum ejus fuisset consternatio. 1. *Reg.* 1. 49. Sanctum ergo fuit & in loco sancto asservatum. *Ps.* 89. 21. etiamsi idem non fuisse statuatur ac oleum unctionis, uti & oleum lychnuchi sanctum dicitur, licet non esset oleum unctionis.

§. VI. De regibus non unctis.

VI. Quod porro Judæi tradunt de regibus quibusdam non unctis, qui tranquille parentibus in imperio succedebant, multis non probatur, quum omnes reges uncti videantur, & voces *rex & unctus* ut synonimæ passim permutentur, uti *& ungere* ac *constituere* regem. Ita Judæi ipsi משיחה sive *unctionem* dicunt significare principatum aut magnitudinem, ענין קצינות וגדולה. Confer 1. *Sam.* 2. 10. *Ps.* 105. 15. 1. *Reg.* 19. 15. *Jud.* 9. 8. 2. *Sam.* 1. 14. 21. Locus ultimus omni emphasi destituitur, si credamus ob solum dissidium reges ungi consuevisse, & videretur indicare reges illos, quibus lis de imperio mota fuerat, majori quam reliquos, sanctitate gavisos fuisse, quod haud facile quispiam sibi persuadeat.

§. VII. Jus regum & officium.

VII. [13] Officium & jus regis describitur, *Deut.* 17. 16. unde liquet, non licuisse ei multos equos alere ad pompam, [14] ne ob hanc quoque causam ad Ægyptios animus

eorum

eorum inclinaret. Ægyptiis enim Judæi aliique Cœlesyriæ populi maxime erant dediti : τῇ οἰκίᾳ ταύτῃ μᾶλλον ἀεί πως οἱ κατὰ κοίλην Συρίαν ὄχλοι προσκυνοῦσι, scribit Polybius *Hist. lib.* v. [15] Salomon tamen ex Ægypto equos arcessivit 1. *Reg.* 10. 29. & postea plurimi Judæi ibi habitaverunt. [16] Nec uxores multas sibi adsciscere licebat, id est, uti Judæi volunt in *Sanhedrin*. 11. 4. non ultra octodecim tam legitimas uxores, quam pellices, quod colligunt ex 2. *Sam.* 3. 2. & 2. *Sam.* 12. 8. [17] Nec magnam vim auri & argenti in usus privatos corradere licebat. [18] Exemplum quoque legis (משנה תורה, per quod alii duo exempla intelligunt) describere jussus est & perpetuo illud secum ferre, ut suos & subditorum suorum mores secundum id componeret. [19] Denique se efferre superbe supra alios non debuit, sed ab omni fastu semotus mansuetudinem & comitatem Mosis, viri mitissimi & ob hoc quoque maximi, quæ *Num.* 12. 3. celebratur, imitari, in regendis subditis suis.

§. VIII. Quod jus diversum erat a moribus regum, a Samuele descriptis.

VIII. [20] Longe aliter Samuel describit rationem agendi qua reges uterentur, qui iis imperarent. 1. *Sam.* 8. 11. & appellat eam משפט המלך (ut 1. *Sam.* 2. 13. & alibi) *mores regum* tyrannicos videlicet & illegitimos, quippe qui directe oppositi sunt juri regio *Deut.* 17. descripto, quique si jus regis continerent, vineam Nabotho jure suo adimere potuisset Achabus 1. *Reg.* 21. 2. [21] Hæc autem sex capita ibi memorantur. 1. [22] Filios vestros assumet ut ante currum suum eant, & [23] messem regis colligant, agros arent, & arma aliaque conficiant; filias, ut cibos & unguenta ei præparent. 2. [24] Agros, vineas, & oliveta optima veris dominis erepta distribuet inter servos suos. 3. [25] Decimas capiet e vineis & agris, & dabit eas servis suis. 4. [26] Servos vestros & ancillas & asinos in usus suos convertet. 5. [27] Decimas capiet de pecoribus. 6. [28] Servi ejus eritis. Confer *Deut.* 20. 11. & *Nehem.* 9. 37. ubi corpora & jumenta subesse regibus & proventum terræ iis cedere inter pœnas reputatur.

§. IX. Privilegia regum & quæ illos decent.

IX. [29] Triginta sunt quæ de regibus Judæi notant. Baal Aruch ad vocem מלך ad hunc numerum ea redigit, petita ex *Misna Sanhedrin. cap.* 11. *misn.* 2. [30] 1. Non judicat. 2. Nec judicatur. 3. Non dicit testimonium. 4. Nec de eo dicitur. 5. [31] Calceum non tradit. 6. Nec alii id faciunt ob uxorem ejus. 7. Non ducit jure leviratus. 8. Nec conjux ejus nubit. 9. Nemo privatus viduam ejus ducit. 10. [32] Si propinquus moritur non egreditur palatio. 11. Ipse in lecto, populus humi accumbit, quum epulum funerale datur. 12. [33] In bellum ducit ex consilio synedrii M. 13. [34] Diruit itineris causa quod vult. 14. Et viam sibi facit quam latam vult. 15. [35] Offertur ei ex spoliis ut dimidium capiat si velit. 16. Et primus suam partem capit. 17. Uxores habeat, non ultra octodecim. 18. Equos ne alat multos. 19. Aurum & argentum ne corradat. 20. Scribat librum legis. 21. Ferat secum in bello. 22. Referat domum. 23. Secum habeat in loco judicii. 24. Et ad mensam. 25. [36] Non equitant super equum ejus. 26. Nec sedent super thronum ejus. 27. Nec sceptro ejus utuntur. 28. [37] Nec nudum eum vident. 29. Nec cum tondetur. 30. Nec cum lavatur.

§. X. Insignia regum.

X. Ceremoniæ inaugurationis & insignia regum aliquo modo colliguntur [38] ex ludicro ritu quo Judæi Christum regem salutarunt *Matth.* 27. 28. chlamyde eum coccinea velantes, [39] coronam capiti imponentes, arundinem dantes in dexteram, & genu submisso eum Regem nuncupantes. Sic quoque *Philo lib. in Flaccum* narrat de Judæis Alexandrinis eos quendam, cui nomen Κάραβας, in loco alto constituisse, & diadema papyraceum, βύβλον ἀντὶ διαδήματος, dedisse, & stoream pro chlamyde, χαμαιστρωτὸν ἀντὶ χλαμύδος, & frustum arundinis pro sceptro, βραχὺ παπύρου τμῆμα ἀντὶ σκήπτρου, & eum salutasse Μάρον, id est, Κύριον παρὰ Σύροις. Nam ܡܪܐ Syris *Domus* est.

§. XI. Auctoritas regum.

XI. Magna erat auctoritas regum tam in pace quam bello. Israelitæ ob hæc duo potissimum reges petierunt 1. *Sam.* 8. 20. [40] ut eos judicarent, & bella eorum gererent. Josephus tamen vehementer eam auctoritatem imminuit quum *Antiq.* IV. 8. de rege scribit nihil nisi de consensu Senatus ei agere licuisse, μηδὲν πρασσέτω δίχα τοῦ ἀρχιερέως καὶ τῆς τῶν γερουσιαστῶν γνώμης, & doctores Misnici quum penes synhedrium magnum summam rerum fuisse scribunt, nec in id unquam adscitos, nisi qui e stirpe Davidica ortum ducebant, [41] qui judicabant & judicabantur : *Jerem.* 21. 12. & 22. 3. unde tritum illud, de reliquis regibus מלך לא דן ולא דנין אותו *Regem nec judicare nec judicari. Sanhedr.* 11. 2. [42] Dicuntur tamen membra synhedrii M. ita pertimuisse regis præsentiam, ut cum Jannæus rex arcessitus a præside synhedrium intrasset, judices sententiam suam proferre non auderent, sed cogitabundos se simularent, quos præses Simeon ben Shetach his verbis corripuit, בעלי מחשבות אתם יבוא בעל מחשבות ויפרע מכם *Num vos cogitabundos fingitis? veniet Deus, qui cogitationes novit & vos ulciscetur*. Gem. *Sanhedrin*. 19. 2. *Ibid.* 37. 2. est יודע מחשבות pro בעל מחשבות quod indicat eo sensu quo nos reddidimus illud esse reddendum. Idem liquet ex *Mechilta* 62. 1. ubi legitur יודע ובעל מחשבות.

COM-

COMMENTARIUM IN CAPUT OCTAVUM.

1 D*Atum fuisse &c. Tosaphta Sanhedrin cap. IV.* 9. Pariter dicebat R. Jehuda, tria præcepta imperata fuerunt Israelitis, quando ingressi sunt in terram Sanctam, ut sibi instituerent Regem, ut exstruerent domum electionis, & excisione exscinderent semen Amalek; igitur cur tempore Samuelis puniti sunt? quia proposuerunt esse instar reliquarum gentium. R. Jehuda dicit, quia seditiose fecerunt juxta versiculum qui dicit; *dixistis mihi, nequaquam, sed Rex imperabit nobis*: 1. *Reg. XII.* 12. R. Eleaser filius R. Jose dicit; Seniores, qui inter eos erant, recte, & ordine petiverunt juxta id quod dixerunt; *constitue nobis Regem, ut judicet nos, sicut & universæ habent nationes. Ibid. VIII.* 5. *Maimonides Melachim cap. I.* Tria præcepta accepit Israel, cum ingressus est terram, ut sibi Regem constitueret, quia dicitur. *Eum* (Regem) *constitues. Deut. XVII.* 15. ut exscinderet semen Amalek: *delebis nomen ejus sub cœlo. Ibid. XXV.* 19. Et ut ædificaret domum electam. *Sed ad locum . . . . & habitet in eo, venietis. Ibid. XII.* 5. Constitutio Regis præcedit bellum Amalek, quia dicitur; *me misit Dominus ut ungerem te in Regem, super populum ejus Israel &c. nunc ergo vade, & percute Amalek* 1. *Reg. XV.* 1. 3. Et excidium seminis Amalek præcedit exstructionem Domus, ceu dicitur; *Factum est autem cum sedisset Rex in Domo sua, & Dominus dedisset ei requiem undique, ab universis inimicis suis, dixit ad Nathan prophetam, videsne quod ego habitem in domo cedrina &c.* 2. *Reg. VII.* 1. 2. At cum constitutio Regis præcepta sit, cur Deo benedicto non placuit, quod Regem petierint a Samuele? Quia petiverunt murmurando, non vero ut præceptum observarent, potius quod fastidio Samuelem haberent, uti dicitur; *non enim te abjecerunt, sed me &c.* 1. *Reg. VIII.* 7.

2 *Quamvis vero &c. R. Bechai ad Parasch. scoph. col.* 6. Non erat voluntas Dei O. M. ut esset Rex in Israel alius quam ipsemet. Ipse enim Altissimus est Rex ille, qui ambulat in medio castrorum, & provide attendit ad particularissima quæque. Non opus erat illis Rege alio. Nam populus electus, cujus Rex est Dominus universi, quid facerent cum Rege, qui caro tantum est & sanguis? *Et post pauca.* Scriptum est (*Ose. XIII.* 11.) *Dabo tibi Regem in furore meo*; is est Saul Rex primus; *Et auferam in indignatione mea*, is est Sedechias Rex ultimus, qui ablatus fuit per manum Nebu cad-Nezaris, & contigit ipsi malum, quod contigit. *Rabba Bar Nachmoni in Desar. Rabba Parasch. Schophet col.* 4. Ait Deus Optimus Maximus Israeli, mi fili! Sic cogitavi ut essetis liberi ab imperiis, unde hoc? quia dicitur (*Jerem.* II. 24.) *Onager assuetus in solitudine*. Sicut ergo asinus sylvestris adolescit in deserto, nec timet ullum hominem super se, sic reputavi ne esset metus regni super vos. At vos non hoc quæsivistis; sed (ut in textu sequitur) *in desiderio animæ suæ attraxit ventum*. Non est hic ventus aliud, quam Regnum. Unde hoc? quia dicitur. (*Dan.* VII. 2.) *Ecce quatuor venti cœli pugnabunt ad mare magnum. R. Levi ben Gerson ad* 1. *Reg.* VIII. Tandem fuerunt Reges illi causa deceptionis Israelis, ut alienaretur a Domino Deo, usque dum abducerentur in exilium a terra sua.

3 *Rex debebat esse &c. Maimonides Melachim cap. I.* 6. Non collocant mulierem in regno, quia dicitur (Deut. XVII. 5.) *super te Regem*, neque (scriptum est) Reginam; sic & in omnibus præfecturis Israeliticis, non constituunt nisi viros. *Tyramidem per septem annos invasit Athalia.* 2. Chron. XXII. 10. *Regnavit etiam Alexandra uxor Alexandri Jannæi.*

4 *Nec ex gentibus &c. Maimonides ibidem cap. I.* 4. Non constituunt Regem ex cœtu Proselytorum nequidem post multas generationes, usque dum mater sit ex Israele, quia dicitur; *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. Deut.* XVII. 15. Neque in regno tantum, sed etiam in omnibus præfecturis, quæ sunt in Israele, non ducem exercitus, non præfectum quinquagenis, non decurionem, non præfectum fossæ, ex qua in agros aquæ distribuuntur. Nec opus est dicere Judicem, aut Principem, quod non debet esse nisi ex Israele, quia dicitur; *ex numero fratrum tuorum constitues Regem.*

5 *Quare Rex Agrippa &c. Legitur in Medrasch super illud Deut.* XVII. 15. *e numero fratrum tuorum constitues Regem. Non poteris* alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. *Cum Agrippa pervenisset ad versum istum flevit, donec oculi ejus emiserunt lacrymas; Omnis vero Israel dixit ipsi*: ne timeas, frater enim noster es tu. *In Glossa ad cap.* VI. 8. *Sotah. legitur Herodem vere fuisse fratrem, quia nasceretur ex matre Israelitide. Agrippa Rex*: Rex Israel erat e stirpe Herodis; illius diebus destructum est templum. *Stillaverunt occuli ejus* lachrymas &c. Quia ille scripturæ textus excludebat eum a Regno. *Frater noster es tu.* Mater enim ejus erat Israelitis. *Assentatoriam fuisse hujusmodi acclamationem contendit Maimonides ad loc. cit. Sotah.* Cæterum Rex Agrippa erat Alienigena, non e matre Israelitide, ideo nullo modo eum in Regem eligere licebat, eo quod scriptum est *Deut.* XVII. 15. *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* Quæ exponit traditio, omnia onera quæ imposueris tibi, nonnisi ex propinquis tuis tibi impones. Et quod dixerunt ipsi, *noster frater es*, id propter regni pacem dixerunt. Et sapientes dixerunt, tunc factos fuisse reos excidii Israelitas, eo quod adulati sunt Agrippæ. *Si hujus Agrippæ tempore dirutum est templum, & Hierosolyma, uti vidimus in Medrasch super cap.* XVII. 15., erit *Agrippa secundus, quintus Herodianorum*; *Legimus apud Authorem Tzemach David in parte prima* 4. *millenarii*. Antipater (*inquit an.* 697.) vir strenuus in bello, sapiens in artibus, & scientia instructus, duxit uxorem e semine Regio Idumæorum, cujus nomen erat Kiphron, & peperit illi filium, vocavitque eum Herodem, & secundum Josephum fuit hic Herodes a patre suo ex nobilibus Judæ, non ex semine Edom, sed tantum a matre sua. *Et ad ann.* 761. Archelaus rex secundus e stirpe Herodis regnavit post obitum patris sui; *Anno* 770. Herodes Antipater, quem etiam Tetrarcham quidam vocant filius Herodis primi, & frater Archelai, fuit rex tertius e stirpe Herodis. *Et ad ann.* 781. Agrippa filius Aristobuli suspensi filii Herodis primi fuit quartus e stirpe Herodis. *Et ad ann.* 804. Agrippa secundus filius Agrippæ primi, rex fuit quintus e stirpe Herodis &c. *Et ad ann.* 825. Agrippam quoque regem, & Monebazum filium ejus secum deduxit Vespasianus, cum Hierosolyma discederet Romam &c.

6 *De unctione &c. Duabus de causis hanc unctionem Deum præcepisse scribit Abarbanel ad Exod. XXX.* 23. *&c.* Primum ut esset signum electionis Divinæ. Secundo ut idoneus efficeretur is, qui ungeretur ad recipiendum influxum divinum; per illam siquidem unctionem providentia Divina uncto adhærescebat. Idcirco in Sacerdotibus & Regibus propter illorum prærogativam, & propter eorumdem præparationem ad recipiendum influxum superiorem; nimirum quod ad summum Sacerdotem attinet, quum Spiritus Sanctus super eum residebat; quoad Regem vero spectat, quum prospere ac feliciter agebat; ideo in quam, in his necessariæ fuerunt actiones duæ *affusio, & inunctio* respectu duarum istarum causarum. *Differebat unctio Regia ab unctione Sacerdotali. Abarbanel ibidem artic.* 6. Rex ungebatur inter oculorum palpebras in formam coronæ, ut innueretur Deum S. Benedictum eum elegisse e medio Israelitarum, cujus capiti Diadema Regium & coronam Celsitudinis imponeret &c. Forma unctionis Sacerdotis magni non erat eadem ac Regum, etsi affusio utriusque esset communis. Dixerunt in Gemara; Tradunt magistri nostri; Quomodo ungunt Reges? in modum coronæ; Sacerdotes vero in modum *Caph. In Gemara vero Cerituth c.* 1. *dicunt non in modum Caph, sed Chi x unxisse Sacerdotes.* Quomodo ungebant Reges? per modum coronæ. Sacerdotes vero quomodo? *per modum Chi*. Dixit R. Menaschiah *per modum Chi* græci, i. e. infundebatur oleum super caput Aaronis & hac illac descendebat instar quatuor guttarum pretiosarum, *Vide Maimonidem cap. I. de vasis Sanctuarii, & ejus commentarium ad cap.* 1. *Cerithuth.*

7 Cer-

[7] *Cornu &c. Tosaphta Sanhedrin cap. IV.* 17. Non ungebantur Reges nisi cornu; Rex Saul & Rex Jehu vasculo uncti fuerunt, David & Salomon cornu uncti fuerunt, Saul & Jehu vasculo uncti fuerunt, quia eorum imperium interrumpendum erat, David & Salomon cornu uncti fuerunt, quia eorum imperium fuit sempiternum. *Abarbanel in præfatione in libr. Josuæ.* Quo autem unctus fuerit explicarunt sapientes nostri, dicentes; Reges domus David ungunt oleo unctionis, & vas in quo oleum illud est, vocatur cornu. Reges autem Israelis non ungunt, nisi illis fuerit controversia, & etiam sic non ungunt eos nisi oleo balsami; ideo vocatur vas in quo illud est. פך

[8] *Et quidem juxta fontem &c. Tosaphta ibidem Cap. IV.* 16. Non possunt ungi Reges nisi juxta fontem juxta versiculum qui dicit: *ad eos tollite vobiscum servos Domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam, & deducite eum in Gihon. 3. Reg. cap.* I. 33. *Maimonides Melachim cap.* I. 11. Cum ungunt Reges domus Davidis, non ungunt nisi ad fontem. *& cap.* I. 11. *de Vasis Sanctuarii*. Non ungebatur Rex nisi ad fontem. *& Abarbanel ibidem*. In quonam vero loco ungebatur? Reges Jehudæ, qui vere fuerunt Reges, tradiderunt unctos fuisse Hierosolymis & juxta fontem. Ex 3. *Reg.* I. 33. ubi David jubet filium suum Salomonem deducere ad Gihon fluvium, & ibi in Regem ungere, in signum, Regnum ejus instar fontis perenne fore. Reges vero Israelis non unxerunt Hierosolymis, neque juxta Fontem, sed in omni loco, si ei controversia mota fuerit.

[9] *Alios vero oleo &c. Maimonides ibidem*. Non ungunt Regem Israelis oleo unctionis, nisi oleo opobalsami.

[10] *Eodem oleo &c. Maimonides de Vasis Sanctuarii cap.* I. 7. A Mose reliquis deinceps temporibus hoc oleo solos ungebant summos Pontifices, Sacerdotem fecialem, & e gente Davidica Reges. *Abarbanel ad Exod. XXX.* 23. *&c. artic.* 13. Jam retuli supra, non confectum fuisse oleum unctionis nisi semel, nempe in deserto, nec aliud fiet præterea in posterum, sed in futuro seculo diebus Mesiæ. Deus S. benedictus restituet populo suo oleum illud unctionis a Mose confectum, eoque ungentur Reges, & summi Sacerdotes illorum temporum.

[11] *Præterea nullos &c. Tosaphta Sanhedrin cap.*IV. 16. Nec ungebantur Reges, nisi belli civilis causa; Cur unxerunt Regem Salomonem? Adoniæ causa, & Jehu propter Jehoram, & Johasum propter Athaliam, & Joacham propter ejus fratrem Joachim, qui duobus annis eo natu major erat. Rex ungebatur, sed ejus filius non ungebatur, Sacerdos magnus, & filius Sacerdotis magni, etiam usque ad decem generationes ungebantur. *Maimonides Melachim cap.* I. 12. Non ungunt Regem filium Regis, nisi sit aliquod dissidium, aut bellum. Ungunt enim ut cesset dissidium. Ideo unxerunt Salomonem propter Adoniam, & Joasum propter Athaliam, & Jeochasum propter Jehojakim fratrem. *Et de Vasis Sanctuarii cap.* I. 10. Non ungebatur Rex, si Regis erat filius, regnum enim a patribus hæreditate perpetua traditur liberis, cum a Lege dicatur; *ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus super Israel. Deut.XVII.*20. Hic idem, si quæ esset de regno contentio, ungebatur, ut sic palam fieret omnibus unum hunc verum, ac legitimum esse Regem, & controversia dirimeretur. Itaque Salomonem propter Adoniæ contentionem unxerunt; unxerunt & Joam propter Athaliam, & Joacham propter ejus fratrem Joakimi, Jehum vero unxit Elisæus non oleo unctionis, sed oleo balsamino. *Abarbanel in præfatione ad lib. Josuæ*. Qui fuit unctus? fuit Rex, quem Deus primo elegit, ut Saulem, Davidem, Jeroboamum, Jehu. Non ungitur in Regem filius Regis, quia jam unctus est per unctionem patris sui primam; nisi tamen fuerit controversia, aut lis de hæreditate regni; hoc enim casu ungunt filium Regis ad dubium tollendum. Ideo unxerunt Salomonem propter Adoniam, et Joasum propter Athaliam, & Jehoachasum propter Jehoajakimum.

[12] *Et fiebat per prophetam &c. Omnium Regum unctionem factam esse per prophetas contendunt scriptores Hebræi. Abarbanel ibidem*. Qui unxit fuit propheta tantum. Nam neque Sacerdos magnus, nec quivis alius homo potest ungere Regem, sed duntaxat propheta, sicut Samuel unxit Saulem, & Davidem, Nathan Salomonem, & Achijas Jeroboamum. *Et ad Exod. XXX.* 23. *&c.* Indeque factum est, ut Regum inunctio peracta sit per manus prophetæ, qui esset de Discipulis Mosis Doctoris nostri; ac si unctio & ungens admonerent Reges, quum inungerentur, & quasi dicerent, memores estote Legis Mosis, ejusque vestigiis insistite, postquam uncti estis oleo optimo ab illo confecto, vosque omnes illi successistis. Ea causa est, quamobrem olei hujus divini lecythus semper repositus fuerit in Arca Dei &c. *Et nonnullis interjectis*. Causa hujus rei est manifesta ex iis, quæ retuli. Posteaquam enim unctio signum est electionis divinæ, decuit eam peragi per manus prophetæ. *Quis enim adsuit in consilio Domini? Jerem. XXIII.* 18. ut eum scire possit, quem elegerit in Regem super Israel, *& vidit & audivit sermonem ejus. Ibidem*; voluntatemque quum diceret, 1. *Reg. IX.* 17. *iste dominabitur populo meo*. Quis, inquam, scire potest, præter prophetam?

[13] *Officium, & jus Regis &c. Tosaphta Sanhedrin cap.IV.* 8. Non multiplicabit sibi equos, ex equis ad pompam etiam unum, juxta versiculum qui dicit; *Non multiplicabit sibi equos* (*Deut. XVII.* 16.) R. Jehuda inquit, Textus dicit. *Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, & curruum &c.* 2. *Paral. IX.* 28. & recte egit, quia textus dicit; *Juda, & Israel numerabiles, sicut arena maris in multitudine*. 3. *Reg. IV.* 20. Quando vero dicit, *equitumque duodecim millia. Paral. ibidem*; quod reliqui erant ad pompam; privato vero id omne permissum est. *Maimonides Melachim cap.* III. 3. Nec multiplicabit sibi equos præter eos, qui sufficiunt currui suo. Etiam unus equus adornatus aut phaleratus ad currendum coram ipso ex more reliquorum Regum prohibitus est. *Targum Uzielidis binos equos ad pompam Regi videtur concedere*. Tantum non multiplicet sibi ultra duos equos, ne forte magnates ejus equitent super illos, & superbiant, & irritum reddant verbum Legis, sicque rei fiant reatu exilii Ægyptiaci.

[14] *Ne ob hanc quoque causam &c. Aben Ezra ad Deut.*XVII. Propterea quod equi tunc ex Ægypto afferebantur, ut e Salomonis facto constat; præcipere opus erat, ne studio equorum peccandi occasionem præberet populo, & in Ægyptum redeundi. Notorium est, quomodo eos inde Deus redemerit; hunc omnino afficerent contumelia, si reverterentur illuc. *Bechai Paras. Scoph.* Ratio mandati ascripta est lateri ejus, scilicet ne populum reduceret in Ægyptum, unde tum temporis equos educebant, quod e facto Salomonis agnoscimus; ideo addit; *ut nequaquam amplius per eamdem viam revertamini. Deut. XVII.* 16.

[15] *Salomon tamen &c. a R. David Kimchi reprehenditur Salomon, quod ostentationis causa tot equorum millia aluerit ad* 3. *Reg. IV.* 26. *fol.* 370. *col.* 2. Dixerunt sapientes nostri f. m. quod transgressus fuerit Legem de non multiplicandis equis, cujus sensus est, ne sibi multiplicet equos otiosos, & non necessarios. Postquam ergo ei nonnisi duodecim millia equitum, & vero quadraginta millia stabulorum equis repletorum erat, plurimos equos otiosos, & non necessarios habebat. Et quid sibi hoc vult tandem, quod Salomon equos & equites tantopere multiplicavit, cum tamen nullum omnino bellum fuerit? Nempe nonnisi ad gloriam & magnificentiam fecit, ut eum comitarentur, si quando e loco ad locum procederet.

Et postea plurimi &c. Maimonides Præcept. negativ. 46. *Judæo in Ægypto habitare licuisse negat*; Præceptum 46. monet, ut caveamus nobis perpetuo ab habitando in terra Ægypti, ne discamus opera eorum, neque in viis eorum inhonestis ambulemus, & hoc est illud quod Deut. XVII.16. dicitur; *ut nequaquam amplius per eamdem viam revertamini*. Pridem vero hæc dehortatio iterata est tribus vicibus, observantibus id Gemaristis. Tribus, inquiunt, locis commonefecit Deus ne reverterentur in Ægyptum, & totidem vicibus reversi sunt, & pœnas propterea dederunt. Cæterum tria illa loca sunt hæc: primus, cujus modo memoravimus ex *Deut. XVII.* 16. alter est *Deut. XXIIX.* 68. *per viam de qua dixi tibi, ut eam amplius non videres*. Tertius Exod. XIV. 13. *Ægyptios enim quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis in sempiternum*. Quæ verba etsi videri poterant esse historica, & rei gestæ commemorativa, tamen Kabbala

bala nos docet comprehendere in se prohibitionem. Porro in Gemara Massecheth Succa fol. 51. col. 2. declaratur, quod Alexandria quoque sit ex urbibus ad habitandum interdicta, cujus quidem limites territoriales in longitudine & latitudine quadringenta utrimque milliaria continent, adeoque universa terra Ægypti prohibita est ad habitandum in ea. At licet tamen eo proficisci mercaturæ exercendæ causa, aut per eam transeatur in aliam regionem. Sic in Gemara Hierosol. Massecheth Sanhedrin fol. 29. col. 4. exponunt: ad habitandum, inquiunt, redire tibi in Ægyptum non licet, sed licet ob mercaturam, & ad subigendam terram. *Nescio quo pacto hæc scribere potuerit Maimonides, qui in Ægypto vitam totam suam egerit, dum Regis esset Medicus, ibique mortuus sit, unde cognomento Ægyptius dictus est. Ægyptus semper ab innumeris Judæis habitata fuit. Hierosol. Succah fol.* 55. *col.* 2. Fuerunt aliquando Alexandriæ, qui numerum exeuntium ex Ægypto duplo excederent, *Et Babyl. fol.* 51. *col.* 2. Fuit aliquando tempus (*extructo Alexandriæ Templo*) cum sexaginta myriades ibi essent sexaginta myriadibus duplo plures quam olim sub Mose ex Ægypto exierunt. *Et Philo in Flaccum fol.* 752. *scribit*. Quod non minus, quam decies centena millia Judæorum habitarent Alexandriam totamque regionem, quanta patet a Catabathmo Lybiæ usque ad terminos Æthiopiæ. *Bechai Paras. Schop. temporariam fuisse vult hanc prohibitionem*. Hoc erat præceptum horarium, ne discerent opera eorum; erant enim tunc Ægyptii notoriæ, & publicatæ impietatis. Itaque non prohibet habitationem ibi in æternum.' Ecce quot Synagogæ ibi huc usque! Si nefas esset, pii Israelitæ neutiquam ibi congregarentur, nec Sapientes omnium ætatum id ubique ulla reprehensione sic tolerassent. *Et Abarbanel in dissertatione de statu & jure Regio*. Prohibitio (*inquit*) enim reditus in Ægyptum non est facta nisi generationi Mosis, sicut legimus in Gemara Hierosolymitana in fine Sanhedrin, & id adductum est a R. Mose Nachmanide.

[16] *Nec uxores &c. Tosapta Sanhedrin ibidem*. Non multiplicabit numerum uxorum, quando sunt similes Jezabeli, sed si essent similes Abigail, licitum est, verba R. Jehudæ. *Babyl. Sanhedrin*. Quod dicitur *Deut. XVIII.* 17. *Non habebit uxores plurimas*; id intelligendum est, non esse multiplicandas ultra octodecim; unde hoc constat? inde, quod 2. *Reg. III.* 2. *seqq.* dicitur natos Davidi filios Hebron, primum Ammonem ex Achinoham Jesrelitide, secundum Chileabum ex Abigaele, terrtium Absalomem ex Mahacha, quartum Adoniam ex Chaggith, quintum Schephatjah ex Abhital, sextum Jethraam ex Hegla uxore Davidis (*en sex uxores*). *Atqui* scriptum est iterum 2. *Reg. XII.* 8. *& si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora* (hebræus legit), *totidem, & totidem*. Bis totidem sunt duodecim, quæ summam faciunt octodecim. Atqui, inquies, Michalem quoque duxerat. Resp. Hegla eadem est, quæ Michal, sed unde ipsi nomen Hegla? quia eam instar עגלה *vitulæ* in delitiis habebat, ut Samson de uxore sua Judic. XIV. 18., *nisi arassetis* בעגלתי *in Vitula mea*. *Et paucis interjectis*. Atqui porro extat 2. *Reg. V.* 13. *Accepit ergo David concubinas, & uxores de Jerusalem*. Resp. Hoc ipsum fecit ad explendum numerum octodenarum. *R. Salomon Jarchi ad Deut. XVII.* Non multiplicet (*inquit*) sibi uxores ultra octodecim; invenimus enim quod David habuerit sex (*aut plures* 2. *Reg. V.* 13.) Et tamen illi dicitur 2. *Reg. XII.* 8. *Et si parva sunt ista addam tibi sicut illæ sicut illæ* (h. e. bis totidem alias) *Targum Jonathan ben-Uziel*. Non multiplicet sibi uxores ultra octodecim, ne depravent cor ejus. *R. Bechai Paras. Scoph.* Octodecim pro numero mulierum Davidis, quarum sex expressæ sunt, duodecim vero sub repetita voce, *quot illæ, quot illæ*, concessæ intelliguntur. *Maimonides Melachim cap. III.* 2. Non multiplicabit sibi uxores. Ex traditione autem didicerunt, quod assumere modo possit XVIII. uxores, seu conjuges, seu concubinas, ut omnes simul sint nonnisi XVIII. *R. Abraham ben David in hassagoth ad hunc Maimonidis locum fol.* 288. *col.* 2. *negat ex locis S. Scripturæ adductis numerum Regiarum conjugum definiri posse*. Ego dico id quod de numero octodenario hic dicitur, impossibile esse, cum David jam tum uxores & concubinas (*illas quæ* 2. *Reg. V.* 13. *memorantur*) habuerit, cum Nathan propheta ei diceret Dei nomine; *addjiciam tibi sicut has & sicut illas*; adeoque numerus octodenarius emergit, exceptis illis.

[17] *Nec magnam vim auri &c. Maimonides ibid. cap. III.* 6. Non coacervet aurum, & argentum, ut asservet in thesauris suis, quibus superbiat, aut delectetur. Sed colligat quantum debet exercitui suo, servis, & ministris; totumque illud reponat in Gazophylacio domus Dei, ut ibi præsto sit ad necessitates Reipublicæ atque bellorum. Ecce hoc omnino præceptum est, nec prohibitum nisi privatim sibi ipsi congregare pro thesauro, quia dicitur (*Deut. XVII.*) *neque argenti & auri immensa pondera*. *R. Bechari in Paras. Schoph. fol.* 223. *col.* 2. Legem de non multiplicando auro & argento sic exposuerunt Rabbini nostri, ut exciperetur id quod dandum est hospitibus, puta, quod annuatim in exercitus erogandum, qui cum Rege toto anno ingrediuntur, & egrediuntur. Saltem illud illicitum est, ne inde privatum conficiat thesaurum, sibique appropiet &c. causa est ne exaltet cor suum. Si enim colligeret thesaurum auri & argenti, confideret in illo, & perderet fiduciam in Deum O. M. Congruit autem, ut maxime Rex in Deo quærat fiduciam suam; & thesaurum suum, & propugnaculum suum; sicut dicitur (*Job. XXII.* 25.) *Eritque Omnipotens contra hostes tuos, & argentum coacervabitur tibi*, Si quis multiplicat ligna, multiplicat etiam flammas. *Abarbanel in dissertatione de statu & jure Regio*. Posthæc præcipit de divitiarum & opum nimio studio ac desiderio, dum dicit, *neque argenti & auri immensa pondera*. Id in Siphre sic explicant. *Sibi seu pro se non multiplicabit, sed multiplicabit ad stipendia danda aliis, ministris, militibus, & equitibus, h. e. non studebit divitiis propter se, sed pro usibus necessariis ad bella, ad cultum Dei, & gloriam populi sui*. Verum Scriptura de hoc nihil commemoratur; quod palam sit, si sectetur divitias, certo futurum, ut eas comparet iniquis mediis per violentiam, & oppressionem subditorum: *Bechai ibidem scribit hæc tria præcepta a Salomone fuisse violata*. Invenimus de Salomone primate totius mundi, quod lupus fuerit in cunctis tribus; multiplicavit enim equos (3. *Regum IV.* 26.) *Et habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum*. Multiplicavit etiam mulieres (*Ibid. XI.* 3.) *Fueruntque ei uxores quasi Reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ*. Sic quoque argentum quod ita multiplicavit. (*Ibid. X.* 21.) *nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis*. Nempe fretus sapientia sua, cor obfirmavit contra Legem, & impegit in hisce. *Et Aben Ezra ad Deut. XVII.* Ne multet Israel, sicut Salomo fecit, qui collegit argentum instar lapidum in Hierusalem (*Ibid. X.* 27.) ut populus præ insatiabili ejus amore opum murmuraret (*tacite dum viveret, sed aperte post obitum*) diceretque (*filio successori* 3. *Reg. XII.* 4.) *Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis*. Sunt quidam, qui putant propter ædificia murmurasse; at non est verum, quia Proselyti laborarunt in structura domus &c.

[18] *Exemplum quoque Legis &c. Tosaphta Sanhedrin cap.* IV. 11. 15. Et scribet sibi Legem ut in ea recta voluntate studeat, nec poterit uti eo (*Pentateucho*) quod ei reliquerunt sui patres, sed tantum suo, juxta versiculum, qui dicit; *describit sibi* (*Deut.* XVII. 18.) ut scriptum sit suo nomine; nec privato facultas est in eo legendi, juxta præceptum, *legetque* (*Ibidem*) ipse, sed non privatus; & recondebatur in consessu Sacerdotum, & in consessu Levitarum, & in consessu Israelitarum, qui poterant nubere filiabus Sacerdotum, si proficiscebatur ad bellum; illud (*Pentateuchum*) erat secum, si ingrediebatur, secum ferebat, si considebat inter Synhedros, secum erat si ingrediebatur in balneum, collocabat super portam; atque ita David dicebat; *Providebam Dominum in conspectu meo semper*. (*Psalm.* XV. 8.) R. Jehuda dicit: habebat Pentateuchum ad dextram, & Tephilin ad sinistram &c. *Et paucis interjectis*. Cur dictum est, *describet sibi Deuteronomium Legis*? Nos docet, quod duas Leges describere debebat, unam, quæ introibat, & exibat cum eo, & alteram, quæ semper domi suæ reposita erat, & quæ introibat, & exibat cum eo, non introibat cum eo in hypocaustum, non in balneum, juxta versiculum qui dicit; *Et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ &c.*

(*Deut.*

(*Deut. ibid.*) in loco, ubi in eo possit legere. Ex rebus dictis argumentari potest; Si de Rege Israelis, qui unus rebus publicis incumbebat, dictum est; *legetque illud omnibus diebus vitæ suæ*; reliqui homines quanto magis *legere* debebunt? Huic simile invenis; *Josue vero filius Num repletus est Spiritu Sapientiæ, quia Moses posuit super eum manus suas*. (*Deut.* XXXIV. 9.) Et similiter Legis; *Minister ejus Josue filius Nun, puer, non recedebat de tabernaculo* (*Exod.* XXXIII. 11.) Et similiter dictum est; *Non recedat volumen Legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus* (*Josue* 1. 8.) Si de Josua filio Nun, qui cura occupatus fuit terræ subjiciendæ, & Israeli dividendæ, dictum est, *non recedet volumen Legis hujus &c.* quanto magis reliqui homines tenebuntur. *Gemara Sanhedrin fol.* 21. *col.* 2. Dixit Rabba; Etiamsi a parentibus relictus sit cuipiam liber Legis, jubetur tamen ipse describere, juxta illud *Deut.* XXXI. 19. *Nunc itaque scribite vobis canticum istud*. Subjecit Abai; & num Rex sibi scribet ipse librum Legis, ut non utatur eo, quem ab aliis forte accepit? Numquid Rex scribere tenetur, non item plebejus? Plebejus non habet opus gemino exemplari; at, ut traditione accepimus, quod de Rege dicitur *Deut.* XVII. 18. *describet sibi Mischneh &c.* id exigit, ut duo Legis exemplaria in suum usum scribat, unum quod cum ipso exeat, & redeat, alterum, quod in Archivis repositum maneat. *Maimonides Melachim cap.* III. Tempore cum occupaverit Rex solium regni sui, describat librum Legis ipsemet, ultra codices, quos reliquerunt sibi antecessores patres, & corrigat e libro authentico, qui est in atrio Sanctuarii, ex ore (*recognoscentis*) Senatus magni LXXI. virorum. Quod si parentes illi nullum reliquerunt, aut (*casu quodam vel vetustate*) periit illud, describat duo exemplaria, unum quod asservet in thesauris suis, nempe illud ipsum, quod præceptum est singulis Israelitis; alterum nunquam removeatur ab ipso, nisi cum vadit ad latrinam, aut balneum, vel loca impura, in quibus legere nefas est. Quando exit in prælium, habeat secum, quando revertitur, aut assidet judicio, immo cum convivatur, habeat in conspectu suo. *Abarbanel in dissertatione de statu & jure Regio*. Et quia potestas Regis magna est, neque subjectus est judiciis Legis, sicut Judex, ne cogitet se plane exemtum a Lege esse, sed ut serio Deum timeat, neque a præceptis ejus recedat, ideo præcepit Deus; *describet sibi Deuteronomium*, exemplar duplex Legis, per quod videtur intelligi liber *Deuteronomii* (quia liber ille continet *repetitionem Legis*) in quo præcipua Legis capita continentur, & est liber quantitate parvus, ut secum eum instar Enchiridii portare possit. Sed Rabbini nostri *in Sanhedrin* tradiderunt capite כהן גדל esse totum *Librum Legis*, quia præceptum est, ut singuli Israelitæ habeant librum Legis unum, Rex autem debebat habere duos, unum in Archiviis suis, & alterum, quem continue secum deferat, sive egrediatur in bellum, sive sedeat pro judicio, sive sit in prandio, semper eum ad manus debebit habere. Hujus rei duæ dantur causæ, sive duo fines. Primus indicatur, quando dicitur, *ut discat timere Dominum Deum suum* (*Deut.* XVII. 19.) dum nimirum discit primam Legis partem, in qua habentur historiæ admirandæ, & insignes; secundus, quando dicitur; *& custodire verba, & ceremonias ejus, quæ in Lege præcepta sunt* (Ibid. dum nempe studet in parte ejus altera, quæ præcepta continet.

[19] *Denique se offerre &c. Maimonides Melachim cap.* II. 6. Sicut Scriptura ipsi magnum tribuit honorem, & unusquisque eum honorare debet, sic illa quoque ipsi præcipit, ut cor ejus sit humile, & contritum, quia dicitur, *& cor meum conturbatum est intra me* (*Psalm.* CVIII. 22.) Nec ille assuescet extollere animum suum in Israele, plusquam sufficit uti dicitur; *Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos* (*Deut.* XVII. 20.) Pariter benignus erit erga parvos & magnos, & intrabit ad eorum vota, & propter ipsorum emolumenta, nec negliget minimum honorem, qui in parvis est. At cum loquetur ad cœtum populi, plurali numero loquetur mollia, sicut dicitur; *Audite me fratres mei & populus meus*. (1. *Paral.* XXVIII. 2.) Et dictum est; *Si hodie obedieris populo huic & servieris &c.* (3. *Reg.* XII. 7.) Adeo semper studebit abundantiori mansuetudini. Non est nobis major doctore nostro Mose, & ille dixit tamen; *Nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum* (*Exod.* XVI. 8.) *Et tulit labores, onus, murmura, & iras eorum, sicut nutrix gestat lactaneum*. Scriptura appellat Regem *pastorem ad pascendum Jacob populum Dei*. *Et consuetudo Pastoris est expressa in Prophetia, nempe pascere gregem, agniculos brachio colligere, & in sinu portare*. *Psalm.* LXXVII. 71. *Jes.* XL. 11. *R. Levi ben Gerson ad* 20. *Cap. Misl.* Gratia quam impertit Rex populo suo, trahit illorum animos ad se, quod est quasi fulcrum throno suo. Propter illud exaltabunt eum, & submittent se ad servitia ejus. Fidelitas autem perficit stabilitatem Regni. Qui sanitatem quærit, ei non convenit, ut destruat ipse corpus suum, & sæviat in propriam carnem, ut solent mente capti; sed opus est ut faciat sibi misericordiam, & prospiciat valetudini membrorum; per hoc custoditur, & inde venit ipsi reciprocum auxilium, sicut e contrario illis ægrotantibus ægrotat ipse. Consimilibus mediis firmatur thronus, & majestas Regis, ut serviant ipsi ex amore; at qui eos onerat intolerabili jugo, quod ferre nequeunt, is causatur, ut recalcitrent sibi. *Abarbanel in dissertatione sæpe citata*. Exinde commemoratur, quare tum serio moneatur, ut timeat Deum, & custodiat omnia verba Legis, quod commune erat omnibus Israelitis; dicitur ergo id ideo fieri; *Nec elevetur in superbiam super fratres ejus*; vult nimirum dicere. *Quia Rex est, & ipsa natura Principatus, & Regni causatur ut se efferat, ideo opus esse, ut in specie ei injungatur, & præcipiatur, ut timeat Dominum Deum suum, & cupiditatem suam refrænet, ac deprimat, ne cor suum efferatur super fratres suos, neque superbiat ob Regnum suum*. Eodem modo reddit rationem, quare in specie ipsi præcipiatur observatio Legis; Dicit id ideo fieri; *Ne declinet a præcepto ad dextram, aut sinistram*. Vult dicere; *Etiamsi non adeo rigide sit subjectus judiciis Legis; monitus tamen erit, ne transgrediatur eam, neque declinet ab ea ad dextram, aut ad sinistram*, sicut ait David. *Etenim servus tuus custodit ea*. (*Psalm.* XVIII. 12.)

[20] *Longe aliter Samuel &c. Tosaphta Sanhedrin cap.* IV. 9. R. Jose dicit, ea omnia, quæ dicta sunt in sectione Regis, permissa sunt Regi. R. Jehuda dicit; Non dicta fuit ea Sectio nisi ad perterrefaciendum populum. *R. David Kimchi s. h. l.* Dissentiunt nostri doctores f. m. de jure regni. R. Jehuda inquit non dictum esse hunc textum, nisi ad terrendum eos. *Idem sentit ibidem R. Levi ben Gerson*; existimo, quod non sint concessa Regi talia, sed voluerit Samuel ipsis terrorem incutere, monstrando quid ausurus sit Rex, postquam corroboratus fuerit in Regno suo, & illos coacturus. *Abarbanel in dissertatione sæpe citata*. Postea præcipit Samueli, ut licet ipsis morem gerat, simul tamen contestetur, quid ipsis tandem sit eventurum, ac proinde ipsis etiam indicet judicium. seu jus Regis &c. Ideo quod dicitur, *Audi vocem populi in omnibus &c.* (1. *Reg.* VIII. 7.) non est præceptum novum, jam enim de hoc præceperat, sed intentio & sensus ejus est; Nunc ergo quamvis auscultes, & pareas voci eorum, simul tamen etiam, *contestare eos qui mores, quæ actiones illius sint futuræ, & prædic eis jus Regis*. In Massecheth Sanhedrin cap. כהן גדל dissentiunt de hoc dicto Rabbini nostri. *Rabbi Jose dixit quicquid hic de Rege dicitur, id licitum ei fuit*. *R. Jehuda dixit, non fuerunt dicta nisi ad eos perterrefaciendos*. R. Mose ben Maimon in libro suo de Judicibus, ubi de juribus Regum agit cap. 1. scribit. *Sententia pronunciatur juxta R. Jose*: Verum sensus litteralis Scripturæ hoc non docet, sed quod vera sit explicatio R. Jehudæ, dictum scilicet hoc esse ad eos perterrefaciendos, quia Lex nihil quicquam Deut. XVII. dicit de hac re, ubi tamen locus conveniens fuisset, sed dicit; *Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dextram vel sinistram*, quod nos docet de jure, & secundum Legem, res istas ei non fuisse licitas & concessas, quæ hic de jure Regis dicuntur. Quod si Moses nihil de eo dixit in Lege, non certe datum est præceptum novum post ejus mortem sicut dicunt; *Nullus propheta facultatem habet in Lege aliquid innovandi*. Quomodo ergo dicemus hoc fuisse præceptum generale de Regibus datum per Samuelem? Sic scripsit R. Levi ben

ben Gerſon. *Regi non permiſſa & licita fuiſſe iſta, ſed dicere tantum Samuelem, quid Rex facturus ſit, ubi Regnum ejus potentia confirmatum, & roboratum fuerit*. Et ego quoque exiſtimo vocari משפט המלך *judicium* ſeu *jus Regis* non hoc ſenſu, quaſi eſſet ejus jus, ſed quia ipſi dixerunt, *conſtitue nobis Regem*; reſponſum fuit eis, *Bene* (*habebitis Regem*) *Et hoc erit ejus judicium*, hoc eſt, *hæc ratio judicandi, quam ille obſervaturus eſt erga vos*; *Rapiet omnia veſtra*, idque ut intelligant illum non exerciturum eſſe tale judicium, quale ipſi petant, ſed omnia ipſorum ad ſe pro ſuo lubitu raptaturum. Ideo non dicit abſolute; *& prædic eis jus Regis*, ſed addit inſuper, *qui imperaturus eſt vobis*; hoc eſt *illius Regis* quem *vos poſcitis, & qui regnaturus eſt ſuper vos, hoc erit judicium, quod inter vos exercebit*; poſtea ſubjungitur, quod Samuel populo Regem a ſe petenti, *retulerit omnia verba Domini*. Hoc vero in electione Regis non legitur (1. Sam. 10.) Sed poſteaquam ſortes projeciſſet dicitur; *Locutus eſt autem Samuel ad populum legem regni, ſcripſitque in libro* (1. *Reg*. X. 25.) Senſus itaque hujus loci eſt, Samuelem indicaſſe populo omnia verba Dei, hæc nimirum; *Non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos; juxta omnia opera ſua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de Ægypto uſque ad diem hanc, ſicut dereliquerunt me, & ſervierunt Diis alienis, ſic faciunt etiam tibi*. (1. *Reg*. VIII. 7. 8.) Poſtquam vero projeciſſet ſortes, ſignificavit ipſis judicium Regni h. e. judicium, quod Reges exercere ſoleant in populo, aut quod ſcriptum eſt in Lege de Rege, & quod ipſimet dixerunt ad Joſuam; *Quicunque rebellaverit ori tuo, occidetur*. *Et ait*; *hoc erit jus Regis &c.* Dicit Regem non facturum judicium, & juſtitiam populo ſuo, ſed judicium, quod ipſi petierint, & quod illum facturum ſibi perſuadeant, eſſe res malas, & turpes, quarum meminit; vocat hoc *jus Regis* per Antiphraſin. *Maimonides, quod valde miror, contrariam amplexus ſententiam, omnia hæc Regi licita fuiſſe ſcribit cap*. IV. *Melachim*. Atque porro quæ dicta ſunt in ſectione de Rege, competunt Regi.

[21] *Hæc autem ſex &c. Maimonides ibidem*. Et mittit in omnes terminos Iſraelis, aſſumitque ex populo fortes & heroas, ut ex iis faciat exercitum, etiam currui ſuo & equitatui. Porro ex illis conſtituit ſatellites, & viros, qui currant ante faciem ejus, uti dicitur, *& ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarum*. (1. *Reg. VIII*. 11.) Pariter aſſumit ex formoſis, qui inter eos ſunt, ut ſint miniſtri, & coram ipſo conſiſtant, ceu dicitur, *& juvenes optimos & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo*: (*Ibid. v*. 16.)

[22] *Filios veſtros &c. Abarbanel l. c. Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum*; h. e. accipiet ex filiis veſtris, ut pedes currant ante currus ſuos, & ante equites ſuos. *R. David Kimchi ad* 3. *Reg. I*. 5. Curſores hi præcedebant eum armis, more Regibus uſitato, ante quos præcedere ſolent pedites arma geſtantes, quemadmodum de Abſalomo quoque dicitur 2. *Reg. XV*. 1. quod quinquaginta curſores ante ſe habuerit. Cæterum in ſcriptis Rabbinorum noſtrorum quæritur, quænam hæc fuerit majeſtas? Et reſpondetur, fuiſſe his curſoribus ſplenem exemtum, & plantas pedum excavatas, *h. e. carne deſtitutas*. *Quæ leguntur in Gemara Sanhedrin cap. II. pag*. 183. Dixit R. Jehuda docuiſſe Rabum, quod omnibus illis ſplen exemtus, & plantæ pedum excavatæ fuerint.

[23] *Et meſſem Regis &c. Abarbanel ibidem*. Sic accipiet eos *aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum, & curruum ſuorum*. Interpretes dicunt, illos hæc facturos fuiſſe pro mercede non gratis. Regi tamen præ aliis omnibus id faciendum, ut qui eos præcedat. Et hoc favet ſententiæ eorum, qui dicunt hæc Regi fuiſſe conceſſa, & de ejus jure. Secundum autem meam expoſitionem, ſenſus literalis horum verborum eſt, Regem ſumturum ex filiis eorum quoſdam, ut peditum loco ſerviant ad currendum ante ipſum, juvenes ſcilicet ad hoc aptos & idoneos; alios ut ſint principes, alios qui terram ejus colant immunes a negotiis regni; alios pro artificibus, & opificibus. Poſteaquam egit de filiis, loquitur etiam de filiabus, & dicit, Regem ex illis ſumturum pro Unguentariis, Coquinariis, & Panificis ſuis. Moris enim inter ipſos fuit, ut edulia & cibos Regum mulieres præpararent, idque procul dubio, nulla accepta mercede, ſed gratis. *Maimonides ibidem*. Similiter aſſumit ex omnibus artificibus, quibus opus habet, ut faciant ejus opera, ipſiſque dat mercedem iis debitam. Porro capit omnes beſtias & ſervos, & ancillas ad ſua negotia, & dat mercedem eorum, ſicut dicitur; *aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum & curruum ſuorum &c.*

[24] *Agros vineas &c. Maimonides ibidem*. Porro capit agros, olearia, & vineas ſuis ſervis, quando eum ad bellum ſequantur, ut ibi ſe diffundant, ſi alibi non ſit quod edant; attamen numerat pretium eorum, ſicut dicitur; *Agros quoque veſtros, & vineas*. *Abarbanel ibidem. Agros quoque veſtros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis*. Hæc, inquit, major adhuc eſt violentia, quod fundos veſtros accipiet, & inter ſervos ſuos eos eſt diſtributurus. Iſtud iterum docet, quod non agatur hic de jure & judicio, ſed de oppreſſione, & violentia maxima. Nam ſi hoc juris fuit, cur non accepit Rex Acab vineam Nabothi Iſraelitæ? Cur Jezabelem oportuit contra ipſum teſtari, quod maledixerit Deo & Regi, ut morte afficeretur, & Achab vineam accipere poſſet, ſi de jure potuit accipere agros & vineas? Rabbini noſtri ſcribunt, *non accipere potuiſſe ipſum vineas & agros ipſos, ſed fructus illorum, ſi ſervi illius opus haberent iis ad bellum proficiſcentes, & per loca illa tranſeuntes, non haberent aliud quod comedant, attamen pro pretio*. Ego vero dico, quod non reperimus in Scriptura, de eo non poſſe, eam explicari ſecundum ſenſum literalem; item hæc omnia ex hac hypotheſi dici, quaſi ea Regi fuiſſent permiſſa, quæ hic dicuntur. Hinc, qui hanc ſententiam ſequuntur, omnia diverticula, omneſque vias quærunt, qua eam tueantur. Sed, ut dixi, continetur hic duntaxat turpium, & vitioſarum actionum recenſio ſecundum ſenſum literalem.

[25] *Decimas capiet &c. Maimonides ibidem*. Regi competunt decimæ ex ſemente, ex arboribus, & beſtiis, quia dicitur; *Sed & ſegetes veſtras, & vinearum redditus addecimabit*. *Abarbanel ibidem*. *Sed & ſegetes veſtras & vinearum redditus addecimabit*; vult dicere, Rex, uti voluerit, capiet decimas ab omnibus proventibus. Hoc adhuc prioribus gravius eſt; Sic enim aſſimilabitur Levitis, & pauperibus, & faciet menſam ſuam ſicut menſam Altiſſimi.

[26] *Servos veſtros &c. Abarbanel ibidem*. *Servos etiam veſtros, & ancillas, & juvenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo*. Vult dicere; aliud quoque jugum vobis imponet, videlicet, quod præter decimas de proventibus, inſuper, ſervos, ancillas, aſinos, & juvenes illorum, quibus ipſimet opus habent ad agriculturam, accepturus ſit pro miniſtris & famulis ſuis, ita ut non poſſint ipſi facere opus ſuum.

[27] *Decimas capiet de pecoribus &c. Abarbanel ibidem*. *Greges quoque veſtros addecimabit*; vult dicere; Quamvis Decimæ Altiſſimo ſoli debeantur ab iis, quæ ſubeunt horreum & torcular, non contentus ille decimam Levitarum de his accipere, accipiet eas etiam de pecoribus, quod eſt omnium duriſſimum. Sub pecoribus autem etiam boves comprehenduntur.

[28] *Servi ejus eritis &c. Abarbanel ibidem*. *Voſque eritis ei ſervi*. Hoc eſt etiam corpora veſtra non erunt libera. Nam ex vobis mancipia faciet, & eritis ſicut Servi Chananæi. Rabbini noſtri hoc explicant de Tributis, quæ ipſis ſit impoſiturus quia quod hic dicitur, *voſque eritis ei ſervi*, id alibi dicitur, *& ſerviet tibi ſub tributo. Deut. XX*. 11. Addit jugum & tyrannidem ejus ita violentam futuram, *ut clamaturi ſint ad Dominum*. Dicit hoc ideo, quia hominibus non licet rebellare Regi ſuo, ſicut David dicit; *Quis immittens manum ſuam in unctum Domini, innocens erit?* Poſſunt autem clamare ad Dominum ſub tyrannide Regis ipſorum. Et quamvis Dominus propinquus ſit omnibus invocantibus eum, tamen dicit; *Et non exaudiat vos Dominus in die illa*; quod ſcilicet eos jam præmonuerat, ipſi vero non auſcultarint. Sequitur. *Noluit autem populus audire vocem Samuelis*, h. e. gravis fuit auris eorum, ne audirent, ſed reſponderunt ei; nequaquam; *rex enim erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes &c.* Volunt dicere; non obſtantibus omnibus, quas adduxit, ratio-

tio-

tionibus, ſe tamen velle Regem, & quoad oppreſſionem, & expilationem interminatam, futuras ut univerſæ gentes, atque toleraturas onus illud Regis, & Principum, ſicut illæ; hanc vero utilitatem ab eo accepturos, ſcil. *judicabit nos rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis*. Dicunt hoc ut innuat, Samuelem ob ſuam ſenectutem, Eli item, qui anteceſſor ejus fuit, quamvis eſſent Judices, non tamen proceſſiſſe ad bella ante filios Iſraelis; Regem vero proceſſurum. Volunt ergo dicere; Quod licet Rex exerceat omnem iſtam Tyrannidem & iniquitatem, quam dixit Samuel, ſit tamen facturus inter eos judicium, & proceſſurus in bellum, ac propterea æquum eſſe, ut patienter ferant jugum ejus propter alias utilitates, quas ab ipſo ſint percepturi; ſi accipiat, & tollat de bonis ipſorum, eos tamen ſervaturus ſit ab oppreſſoribus aliis ſuo judicio, & ab inimicis per ſua bella, atque ita utilitatem ejus fore generalem, damnum particulare. Immo quicquid ab ipſis accepturus ſit, non fore expilationem, aut oppreſſionem, ſed æquum & juſtum pro ſervitio quod ipſis præſtet. Quia enim ſit miniſter & judex populi, liberatorque ipſorum ab hoſtibus, æquum eſſe, ut ab illis accipiat, quæ ſibi neceſſaria.

[29] *Triginta ſunt &c. Abarbanel in præfatione ad lib. Joſuæ*. Quarta differentia eſt in rebus quæ ad dignitatem, ſeu majeſtatem Regis pertinent ſecundum Legem, quas Judices non habuerunt, earum quædam pertinuerunt ad ipſius honorem, veluti quod nemini fas erat ſedere in ſolio ipſius, equo ejus vehi, ſceptro vel quoquam alio ornamento ejus uti, ducere ipſius viduam, Leviri jus non præſtabat, vel ejus cauſa calceum exuebat, nec vice verſa, nec Leviratus jure uxorem ejus quiſquam ducebat, prohibitum erat a quoquam videri nudus cum eſſet in balneo, vel quando tondebatur; omnes Iſraelitæ, immo & profeta proſternebat ſe coram eo. Omnes iſtæ dignitates, & aliæ, quas commemorant Sapientes noſtri, indultæ fuerunt Regi.

[30] *Non judicat &c. Maimonides de Synedriis cap. II.* Reges Iſraelis non judicabant, neque judicabantur, quia non alligati ſunt verbis Legis, ne forſitan damnum inde oriatur.

[31] *Calceum non tradit &c. Toſaphta Sanhedrin cap. IV.* 5. Calceum non tradebat, nec ejus fratres ſuæ uxori calceum tradebant; jure Leviratus nullam ducebat, nec Leviratus jure ejus uxor ab ullo ducebatur; R. Jehuda dicit, ſi volebat tradere calceum, ei poteſtas erat; ei dixerunt, deprehenditur parvi facere honorem regium; nemo poterat nubere ejus viduæ juxta verſiculum qui dicit; *ſed erant clauſæ uſque in diem mortis ſuæ viduitate viventes* (2. *Reg. XX.* 3.) *Maimonides Melachim cap. II.* 3. Ille non exuit calceum, quia dicitur, *& ſpuat in ejus faciem*, id enim contemtus foret; & ſi vel vellet, non auditur, quia ſi Rex honorem ſuum remittit, tamen remiſſus non eſt. Ac ſicut non exuit calceum, ſic fratriam jure Leviratus non ducit. Pariter cum fieri non poſſit ut ipſius uxor, ceu fratria ducatur, ſic nec propter illam exuitur calceus, ſed illa ſemper ſedebit in ſua ſolitudine.

[32] *Si propinquus moritur &c. Toſophta Sanhedrin ibidem*. Rex Iſrael non conſiſtebat in ordine, ut alii eum conſolarentur, nec conſiſtebat in ordinibus, ut alios conſolaretur; nec prodibat, ut epulum funebre aliis exhiberet, ſed alii veniebant ad epulum ei exhibendum juxta verſiculum qui dicit; *Cumque veniſſet univerſa multitudo cibum capere cum David clara adhuc die*. (2. *Reg. III.* 35.) *Maimonides ibidem*; Si quis ipſi moriatur non exit ex porta palatii ſui. At cum epulo funerali eum reficiunt, populus ſedet in terra, ille vero in ſtrato. *R. Moſe Mikoz. præc. affirm.* 114. *arbitrarium hoc fuiſſe ſcribit*. R. Jehuda inquit, ſi vult exire poſt feretrum, licet; ſic enim invenimus factum a Davide, quod egreſſus ſit poſt capulum Abneri (2. *Reg. III.* 31.) Sunt tamen qui hoc feciſſe dicunt, ut ſe populo purgaret, atque vehementius perſuaderet, Abnero ſe mortis cauſam non fuiſſe, ideo inter viros & mulieres palam diſcurſitaſſe (*verſ.* 37.)

[33] *In bellum ducit &c. Commentum Rabbinicum; cum Regum temporibus nullum Synhedrium fuerit. Maimonides Melachim cap. V.* Rex non gerit primum bella, *niſi bella præcepti*. Et quodnam eſt bellum præcepti? contra ſeptem Nationes, & Amelekitas; etiam illud, quod auxilia confert Iſraeli, ut liberetur a manu hoſtis inſurgentis; deinde gerit *bella arbitrii*. Hæc ſunt quæ cum cæteris gentibus ad terminos Iſraelis extendendos, & ad augendam majeſtatem & famam geruntur. Ad bella præcepti non opus eſt accipere poteſtatem vel conſenſum a Synhedrio magno; ſed exit Rex ex ſua poteſtate omni tempore, quin compellit populum ad exeundum, ſed in bellis arbitrii non educit populum niſi ex ſententia Synhedrii magni.

[34] *Diruit itineris &c. Bava Bathra fol.* 99. 2. Via privata eſt quatuor cubitorum, via ab urbe in urbem eſt octo cubitorum, via ad civitates refugii eſt triginta duorum cubitorum. Via Regis non habet menſuram, nam Rex poteſt ſepes perfringere, ut ſternat ſibi viam; *Maimonides ibidem*. Rex perrumpit, ut ſibi viam faciat, nec ſunt qui manu vel vi impediant. Neque viæ Regis æſtimatio eſt, niſi in quantum eſt neceſſum. Porro obliquas non facit ſibi vias propter vineam illius, aut agrum iſtius, ſed recta procedit, ac ſua bella perſequitur.

[35] *Offertur ei ex ſpoliis &c. Maimonides ibidem*. At reliquam prædam, quam ſpoliant prædatores, ponunt coram ipſo, & ille primum capit dimidium, atque alterum prædæ dimidium dividunt omnes præfecti exercitus cum populo.

[36] *Non equitant ſuper equum &c. Toſaphta Sanhedrin* cap. IV. 6. Non equitant ſuper ejus equum, nec poterant uti ejus corona, neque reliquis inſignibus regiis; quando moriebatur, omnia hæc cum eo comburebantur, juxta verſiculum, qui dicit *Jerem. cap. XXXIV.* 5. *& ſecundum combuſtiones Patrum tuorum &c.* Sicuti comburebantur pro Regibus, ita etiam comburebantur pro Principibus (*Synhedrii*) ſed non pro privato. Quidnam pro iis comburebatur? eorum feretrum, & omnia inſtrumenta, quibus utebantur. *Maimonides ibidem cap. II.* Non equitant in ejus equo, non ſedent in ejus throno, non utuntur ſceptro ejus, & corona, nec ullo ex ſervitii inſtrumentis. Quando moritur, omnia comburuntur coram ipſo. Pariter nec utuntur ejus ſervis, ancillis, & miniſtris ejus, niſi alius Rex. Quare Abiſag erat licita Salomoni, ſed vetita Adoniæ. *R. Bechai Paraſ. Schoph.* Non inequitant ejus equo, non inſident ſolio, non utuntur ſceptro, non attingunt coronam. Summa, nemo uſurpat quicquam utenſilium illius; ideo cum moritur, comburuntur iſta omnia coram ipſo. Abſtinent ſervis ejus, & ancillis, & miniſtris omnes præter alium Regem ſucceſſorem.

[37] *Nec nudum eum &c. Maimonides ibidem*. Vetitum eſt eum videre, ubi eſt nudus, aut tondetur, vel quando eſt in balneo, aut abſtergitur.

[38] *Ex ludicro ritu &c. Ex his non poſſunt illuſtrari ceremoniæ & inſignia Regum Hebræorum, cum a militibus Romanis, non a Judæis peracta ſint*.

[39] *Coronam capiti &c. Gemara Avodah Zarah fol. XLIV. col.* 1. Dixit R. Jehuda, dixiſſe Rabum, quod teſtimonium fuerit hoc domus Davidis, ut omni ad Regnum apto corona pulchre congrueret; omni vero, qui regno indignus eſſet, non congrueret. *Et ad Gemaram Sanhedrin. fol.* 21. *col.* 1. *addit Gloſſa*: Impoſuit *Adonia* capiti ſuo coronam Regni, ſed non congruit ei, propterea quia virgula aurea intra coronæ concavitatem ab uno ejus latere ad alterum tranſiit, ut nullius capiti apte inſideret, niſi cui depreſſa eſſet in capite cavernula, & hæc ipſa erat teſtimonium domui Davidis, ut quiſquis dignus eſſet regno, ei conveniret corona; quicunque vero indignus, ei nullo modo quadraret. *Joſippus de bello Judaico pag.* 186. *Herodis funus deſcribens*. Poſuerunt eum in loculo operto auro, incluſis hinc inde lapidibus pretioſis. Stratum quoque quod erat ſubter ipſum, erat deauratum, & impletum pretioſis lapidibus. Sic ſuper caput ejus erant Sindon plena lapidibus pretioſis, & ſuper ipſam Sindonem Corona Regia affixa loculo in ſiniſtra parte, & in dextra ejus erat ſceptrum regium.

[40] *Ut eos judicarent &c. Abarbanel in præfatione ad lib. Joſue* De Regibus etiam, quod illorum gubernatio circa utrumque verſata fuerit, res eſt clara, ſicut ex eo patet, quod Iſraelitæ dixerunt, cum Regem peterent; *Et judicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis* (1. *Reg. VII.* 20.)

[41] *Qui judicabant, & judicabantur &c. Maimonides de Synhedriis cap. II.* Reges Davidis licet illi non conſtituerentur in Synhedrio, tamen ſedebant, & judicabant populum, & a populo, ſi ſuper ipſos ſit jus,

jus, judicabantur. *Quantum nugatur hic Maimonides, ut extollat supra Reges Synhedrii auctoritatem, cujus nullum in Regum Historia vestigium reperimus; quanto melius Bar-Nachmoni in Desar Rabb. Paras. Scoph. ad Psalm. XVI. 2. De vultu tuo judicium meum prodeat, scribit*; quod nulla creatura judicet Regem, nisi Deus optimus maximus solus. *Et Glossa in Medrach Scochad tobb. fol. 14. col. 2. ad hæc ipsa verba, de vultu tuo judicium meum prodeat*; Nota (*inquit*) hic, quod Rabbini nostri docent, Regem nec judicare, nec judicari. Dixit R. Jochanan, dixisse Davidem coram Deo, *ego quidem Rex sum, sed & tu o Deus Rex es*. O quam pulchrum est Regi judicare Regem! Hoc sibi vult istis verbis; *De vultu tuo judicium meum prodeat. Omnium optime Hieronymus*; de Davide loquens, *Rex erat, alium non timebat*.

[42] *Dicuntur tamen &c. Gemara Sanhedrin pag.* 19. Historia; Contigit, ut aulicus quidam Regis Jannæi homicidium committeret. Ibi Simeon filius Setach dixit collegis; cavete ne id impune dimittatis atque personæ adulemini; ideo significarunt illi; servus tuus occidit quempiam; misit eum Rex judicio, citarunt ipsum Regem; veni tu quoque hic, nam Lex dicit (*quod si bos cornupeta &c. Exod. XXI. 29.*) contestetur coram Domino suo, idest veniat possessor bovis, & stet pro ipso in judicio. Jumentis autem æquiparantur servi. Comparavit ergo Rex, & assedit. Dixit ipsi Simeon ben Sætach &c.

CAPUT NONUM.

De prophetis, & sectis post prophetas exortis.

§. I. Nomen & dignitas.

I. Pontificibus & regibus [1] proximum dignitatis gradum in populo Judaico Prophetæ tenebant, quare & Josephus *lib.* 1. *de bell. cap.* 3. τρία hæc nuncupat τὰ κρατιστεύοντα, τὴν ἀρχὴν τοῦ ἔθνους, καὶ ἀρχιερωσύνην καὶ προφητείαν. Vulgo quidem prophetarum nomen tribuitur iis, qui numine divino afflati futura prædixerunt: sed vox נביאים, qua prophetæ appellantur (quamvis & ante ראים dicti sint, 1. *Sam.* 9. 9.) latioris est significationis, nec ad solam futurorum prædictionem restringenda. *Exod.* 7. 1. quin aliquando per *interpretem* מתורגמן redditur uti *Exod.* 7. 1. quo multi referunt τὸ προφητεύειν 1. *Cor.* 14. 1. At præcipue illos notat quibus a Deo aliquid revelatur sive res sint præteritæ, præsentes, sive futuræ. In V. T. [2] primum Abrahamo id nomen datum legitur, *Gen.* 20. 7. Magnus iis honos ab hominibus piis semper delatus fuit, quum legati essent a Deo missi: & tradunt Judæi nullius mortalium cadaver licuisse Hierosolymis sepelire [3] præter reges e gente Davidica & prophetas. Vide & *Scheuvoth.* 11. 2.

§ II. Index eorum ante & post latam legem.

II. Omnes, quibus id nomen datum est, 48. [4] numero fuisse dicuntur sexus masculini, & septem fœminini. *Gem. Megilla.* 14. 1. Possunt autem commode in duo dividi, respectu temporum. 1. [5] Ante legem latam. 2. post legem. Prima periodus complectitur Adamum, Noachum, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Josephum, Jobum, [6] Bileamum &c. Altera initium capit a Mose, quem omnium prophetarum maximum fuisse, & [7] plura opera miranda præstitisse quam reliquos prophetas Judæi credunt, quare ἀρχιπροφήτης Philoni *lib. de nom. mutat.* & ראש נביאים in *Midrasch Esther* 123. 1. dicitur, & in *Zohar ad Numerorum lib. fol.* 145. 2. [8] legitur uti luna est respectu solis, ita cæteros prophetas esse respectu Mosis, כל שאר נביאין לגבי משה כסיהרא לגבי שמשא. Post Mosen comprehendit illa Aharonem, Eldad & Medad, Josuam, illum cujus mentio 1. *Sam.* 2. 27. Samuelem, Nathanem, Gad, Davidem, Salomonem, Ahjam Siloniten, Semajam, Iddo, Azariam, Oded, Aniam, Jehu, Eliam, Micham, Jahazielem, Eliezerem, Elisam, Zachariam filius Jojadæ, Oded, Uriam, Jonam, Hoseam, Amos, Joelem, Jesaiam, Micham, Nahum, Habacuc, Obadiam, Zephanjam, Jeremiam, Ezechielem, Haggai, Zachariam, Malachiam, & alios anonymos. [9] Danielem vulgo Judæi numero prophetarum eximunt, uti & Davidem ac Salomonem; non, quia nimis clare tempus adventus Messiæ prædixit, uti multi putant, sed quia revelationem a Deo ipsi factam [10] *somnium* vocat. Vide *Daniel.* 7. 1. & 8. 27. 1. *Reg.* 3. 15. quamvis auctor *Seder olam rabba*, & alii, eum inter prophetas recenseant.

§. III. De Prophetis sub Templo II.

III. Prophetarum ultimus sub V. Test. statuitur vulgo & a Judæis in *Gem. Bava Bathra* 14. 2. & Christianis (quamvis nonnulli iis Zachariam Joannis Baptistæ parentem adnumerent *Luc.* 1. 14. quem alii Simeoni, Agabo & reliquis N. Test. prophetis adjiciunt) Malachias, quem R. Josua Ben Korcha Ezram, alii Haggæum, R. Nachman Mordechæum (in *Gem. Megilla.* 15. 1.) alii hoc nomine dictum fuisse volunt. Verum Josephus de Juda quodam Esseno *Antiq.* XIII. 19. de Pollione. *lib.* XV. 5. Manahemo, *lib.* XV. 13. Johanne Hyrcano, lib. XIII. 18. narrat eos futura prædixisse, & alii putant credibile non esse spatio quatuor circiter sæculorum Deum hoc dono privasse populum suum, nullis novis criminibus ei invisum; quo referunt *Joh.* XI. 50. *Luc.* 2. 26. 27. 36. & argumentum *Psal.* 44. *commate* 7. ubi dicunt Israelitæ se non oblitos fuisse Dei, & *comm.* 18. quum tamen, si hoc respiciat captivitatem Babylonicam, dici nequeat; quoniam ob peccata sua traditi sunt *Nehem.* 9. 30. quare videtur ad tempora Antiochi Epiphanis referendum. Sic quoque *Ps.* 74. 9. dicitur

non

non esse propheta, & templum igne vastatum, *commate* 7. Concedunt tamen illi prophetas canonicos Veteris Testamenti post Malachiam nullos fuisse & τ̃ προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχὴν illi intervallo negatam, uti Josephus *l.* 1. *c. Apionem* fatetur. Quamvis dici possit illos psalmos antea compositos describere statum secuturorum temporum: sic ut Antiochi tyrannis prædicatur futura, non narretur præsens, aut præterita.

§. IV. Oraculum Templi II Bath Kal.

IV. [11] Quidam prophetarum defectum templo secundo stante compensatum volunt voce cœlesti, בת קול dicta, *Gem. Sanhedrin.* 11. 1. *Gem. Jevamoth.* 9. Notat nomen *filiæ vocis* nil aliud quam vocem. Sic Syrus interpres in principio *Ps.* 137. voces appellat ܒܢܬ ܩܠܐ *filias vocum.* Idem *Hebr.* 3. 7. & 15. modo habet ܩܠܐ modo ܒܪܬ ܩܠܐ. Confer eundem *Gal.* 4. 20. & *Rom.* 10. 16. In *Midrasch Coheleth* 120. 1. de lobis pulmonis dicitur *inde egredi filiam vocis*, id est, *vocem*, משם בת קול יוצאת & in *Vajikra Rabba*, ubi eadem repetuntur, legitur משם יוצא הקול unde videmus קול & בת קול esse idem. Falluntur autem qui putant Bat Kol tantum attribui templo secundo. Judæi etiam [12] Abrahami & Mosis ævo auditam Bat Kol scribunt in *Midrasch Coheleth.* 112. 1. *Gem. Horajoth.* 11. 2. Et Davidis *Gem. Moed. Katon.* 16. 2. & [13] Salomonis. *Gem. Rosh Hasschana* 21. 2. & Nebucadnezaris. *Midrasch Schir Hasschirim.* 18. 1.

§. V. Munus Prophetarum.

V. [14] Munus eorum varium erat, respectu rerum quas iis Deus mandaverat, voluntatem divinam revelare, populum monere, corripere, docere, vel voce vel scriptis, futura prædicere, operibus mirandis veram religionem confirmare, [15] indigentibus opem ferre, de rebus gravioribus respondere, aliaque hujus generis præstare, quæ passim memorantur in sacris literis, quarum consignatio etiam iis, instinctu divino actis, debetur.

§. VI. Inauguratio.

VI. [16] Huic muneri initiatos eos fuisse unctione olei, uti reges & sacerdotes, quidam colligunt ex *Psal.* 105. 15. & 1. *Reg.* 19. 16. Alii tamen putant in loco priori non necessario per unctos intelligendos esse Prophetas, quum prophetæ fuerint, diu antequam oleum sacrum confectum fuit, & postquam illud inter Judæos defecit, & si veri prophetæ omnes oleo sacro uncti fuissent facilius a falsis potuissent discerni; & posteriorem locum conferri debere cum 1. *Reg.* 19. 20. ubi Elisam inauguratum fuisse sola pallii injectione, non unctione, legitur. Certe משח sive *ungere* pro *inaugurare* aut *promovere ad dignitatem* usurpatur aliquando; quare Chaldæus interpres רבי ponit pro משח *Exod.* 28. 41. & 29. 7. *Levit.* 7. 35. Et Judæi משיחה notionem habere גרולה *magnitudinis* fatentur. Sic interpres Armenus, scholiaste Syro laudatus, *Act.* 1. 20. ἐπισκοπὴν αὐτοῦ reddit ܠܡܫܝܚܘܬܗ *unctionem ejus*, quod *Psal.* 109. 8. est פקודתו. Græci eodem modo usi sunt voce χειροτονεῖν. Ita Alexander M. (vid. *Joseph.* XIII. 5.) scribit ad Jonathanem, χειροτονοῦμεν σε σήμερον Ἀρχιερέα, id est, *constituimus pontificem.*

§. VII. Vestes.

VII. Vestibus eos distinctos fuisse a reliqua Hebræorum turba videtur colligi posse ex *Zach.* 13. 4. ubi אדרת שער *pallium hirsutum* vel villosum iis tribuitur, & 2. *Reg.* 1. 8. ubi Elias בעל שער, *pilosus* vel *pellitus* appellatur. Huc facit quod *Hebr.* 11. 37. oberrasse amicti *pellibus caprinis & ovillis* legantur, ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν, quorum verborum ultima ne glossam esse male receptam in contextum suspicemur Cyrillus facit qui ita hæc citat *lib.* VI. *c. Julianum* & Clemens ipse *in epistola ad Chorintios.*

§. VIII. Sectæ post Prophetas ortæ.

VIII. Tempore prophetarum nefariæ idololatriæ sæpius se reos fecerunt Israelitæ (ob quam destructum præcipue templum primum fuisse legitur, *Jerem.* 44. 22. *Gem. Joma.* 9. 2.) & præter infandum illud scelus in adoratione vituli aurei commissum [17] (cujus pœnam se in hunc usque diem ferre existimant) omnes fere gentium vicinarum Deos, [18] Molochum, [19] Baalem, [20] Adrammelech, Anamelech, [21] Kiun, [22] Remphan, [23] Camos, [24] Tammuz, [25] Astaroth, [26] Baalpeor, [27] Baalzebub, [28] Baalberith & alios coluerunt. At nullæ inter eos toto illo temporis spatio sectæ exortæ fuisse leguntur. Verum post prophetarum excessum sollicite sibi caverunt ab idololatria, quam in hunc usque diem execrantur, & sectæ inter eos exoriri cœperunt, quarum præcipue tres sunt, Sadducæi, Pharisæi, & Essæi.

§. IX. Sadducæi.

IX. [29] Sadducæi, צדוקים, ita dicti a Sadok, discipulo Antigoni Sochæi, antiquissimam sectam Judæorum constituunt. Nata illa creditur ex male intellectis vel in malignum sensum detortis verbis magistri eorum. *Pirk avoth* 1. 3. [30] Negabant resurrectionem mortuorum & consequens [31] præmium pœnamve post hanc vitam, uti & existentiam angelorum, & spirituum. *Act.* 23. 8. [32] Rejiciebant præterea traditiones & explicationes Pharisaicas Sacri Codicis. Ex quo fonte manarunt plurima in quibus abeunt a Pharisæis, quæque in Sacro Codice longe aliter ac illi interpretantur, quale est, [33] quod falsum testem non occidendum dicant antequam reus occisus sit, quod gallinas non comedant, putantes esse animal immundum, דוכיפת dictum *Levit.* 11. 19. [34] quod libamen aquæ rejiciant, quodque circa [35] suffitum die expiationis adolendum,

[36] vac-

[36] vaccam rufam, aliaque diverſum ſentirent a Phariſæis. [37] Præterea in pœnis inſligendis erant ſeveriores aliis omnibus Judæis. *Joſeph. Antiq.* xx. 8. Cum Sadducæis conveniſſe in nonnullis ſaltem capitibus [38] Herodianos (de quibus vide ſupra) colligitur ex *Matth.* 16. 6. ubi ζύμη Φαρισαίων ϗ Σαδδουκαίων nuncupatur; quæ *Marc.* 8. 15. Ζύμη Φαρισαίων ϗ Ἡρώδου.

§. X. Num ſolum pentateuchum pro S.S. habuerint.

X. Sunt qui eos ſolum Pentateuchum pro verbo Dei habuiſſe ſcribant; ſed idoneis teſtimoniis deſtituti; nam in *Cod. Sanhedrin* initio capitis *Chelek* ipſe R. Gamaliel [39] reſurrectionem mortuorum contra Sadducæos demonſtrat non ex Pentateucho tantum ſed & prophetis ac hagiographis. Hæc opinio ex ea nata videtur, quod Joſephus eos ſoli legi ſcriptæ Moſis adhærere tradat (*Antiq.* 13. 18.) oppoſite nempe ad traditiones, quodque Chriſtus *Matth.* 22. 31. reſurrectionem mortuorum ex Pentateucho demonſtraverit contra Sadducæos, quum ex aliis libris ſacri codicis clariora teſtimonia mutuari potuiſſe videretur. Denique nata eſt hæc opinio aut firmata ex eo, quod Sadducæi [40] communi cum Samaritanis nomine כותיים *Cuthæi* appellantur, Samaritani autem ſolum Pentateuchum pro libris divinis agnoſcant.

§. XI. Baithoſæi.

XI. Condiſcipulus Sadoci, ביתוס *Baithos*, nomen dedit ſectæ Baithoſæorum, quos male nonnulli cum Eſſæis confundunt, ac ſi ביתוסים componeretur ex בית אוסים *ſecta Eſſæorum*, quum *Baithos* nomen ſit ſatis notum, *Avoda Zara*. v. 2. *Bava Mezia*. v. 3. *Gem. Hier. Ketuvoth*. 30. 2. *Gem. Bava Bathra* 13. 2. *Gem. Hier. Eruvin*. 23. 3. *Gem. Gittin*. 56. 1. *Gem. Peſachim*. 37. 1. Videtur natum ex Græco Βοηθὸς. Non ſatis diſtincte liquet qua in re a Sadducæis diverſi fuerint; quibuſcum in eo convenerunt, quod reſurrectionem negaverint, ex male detortis Antigoni verbis, quod crimen utrique & Sadoco & Baithoſo tribuitur. Quidam putant Sadducæos fuiſſe iis pejores: ſed quum Judæi nomina Sadducæorum, Cuthæorum, מינים, *hæreticorum*, Baithoſæorum, Epicuræorum, & Karæorum ſæpe confundant, & vera in iis ludant tanquam ſynonymis, vix aliquid certi de Baithoſæis ſtatui poſſe videtur. In *Gem. Hier. Joma*. 39. 1. & *Siphra fol.* * 169. 1. quædam narrantur ſingularia de Baithoſæis, uti quod libationem aquæ rejicerent, & [41] quod ſuffitum incendendum eſſe extra ſanctum ſanctorum & deinde inferendum dicerent: ſed hæc etiam Sadducæi dicebant, ſic ut credibile ſit aut eoſdem fuiſſe Baithoſæos & Sadducæos, aut certe haud multum diverſos.

§. XII. Karæi.

XII. Karæi, קראים & בני מקרא, *ſcripturarii*, ita dicti quod rejectis traditionibus plurimis Phariſæorum ſenſum literalem פשוט Sacri Codicis obſervent, & hac parte oppoſiti τοῖς רבנים, [42] quando ita appellari cœperint vix conſtat. Memoratur in Miſna Eliezer quidam הקראי *Karæus*. Et alibi quoque in Baſileenſi & Amſtelodamenſi Talmudis editione in Miſna *Megilla* קראים Karæi memorantur; ſed quum in prima, quæ Veneta eſt, pro ea vox מינות legatur, quas voces confundere Judæi ſolent, vix inde certo colligas Karæos proprie dictos ibi innui; nec ſolet nomen ſectæ nominibus Rabbinorum unquam addi. Non [43] ſunt habendi pro Sadducæis aut eorum propagine, licet cum iis in rejectione legis ore propagatæ, ſive traditionum, conveniant. Præterea ab aliis Judæis diſcrepabant in [44] die feſti novilunii, quem non ex calculo Aſtronomico, ſed apparitione Lunæ figendum autumabant; in tempore jugulandi agnum paſchalem, quod אחר שקיעת השמש [45] *poſt ſolis occaſum* ſtatuunt; & perſonis ad paſcha edendum idoneis, quas Karæi [46] ſolos mares eſſe dicunt; in tempore quo [47] reliquiæ cœnæ paſchalis comburi debebant, quod ipſo die 15. fieri debuiſſe contendunt; quum Rabbanitæ non die 15., qui eſt יום טוב, ſed die 16.; aut ſi dies 16. ſit ſabbathum, die 17. id fieri oportere ſtatuant; in [48] tempore oblationis manipuli paſchalis quem illi מחרת השבת *craſtina ſabbathi* hebdomadalis, non ſabbathi, ſive diei primi feſti azymorum, putant offerendum fuiſſe, unde & pentecoſte in alia tempora incidit; in [49]. ceremoniis feſti tabernaculorum, geſtatione mali citrei & לולב, [50] ac libatione aquarum, quos ritus Karæi negligebant. [51] Etiam in operibus Sabbatho prohibitis diſſentiebant cum Rabbanitis, qui licita eſſe illa opera putabant, quæ fiunt ſine concurſu præſenti agentis, licet iis cauſam præbuerit, uti lychnum habere ardentem die ſabbathi ſi ante ſabbathum accenſus ſit, pati ut deſtillent olivæ in ſabbatho preſſæ ante ſabbathum, molas die ſabbathi ſinere agitari paratas ante ſabbathum.

§. XIII. Phariſæi, & eorum origo.

XIII. [52] Phariſæi, [53] פרושים, ἀφωρισμένοι, interpretibus Epiphanio & Suida (quo Pauli verba ſpectare vulgo creduntur *Rom.* 1. 1.) ita dicti ſunt, quod vitæ ſanctimonia, ſive vera ſive ficta, ſe ab aliis ſepararent. Creduntur [54] propago fuiſſe ה׳ חסידים Chaſidæorum, quos generis nobilitas, & ſtudium pietatis, ac ardor pro religione, commendabant; quique ἀγαθοὶ Græce dicuntur *Job.* 7. 12. *Rom.* 5. 7. In *Siphra fol.* * 200. 1. quod *Levit.* 19. 1. Deus jubet קרושים תהיו explicatur per פרושים היו & ſimiliter *fol.* * 215. 1. Deus dicit, uti ipſe פרוש eſt, oportere illos eſſe פרושים. Et *fol.* * 231. ubi de Naziræis, dicitur נזרה eſſe פרשה. A tempore [55] Simeonis Ben Shetach & dein-

deinceps ſit eorum mentio in ſcriptis Hebræorum. At non ſimul orta eſt hæc ſecta, ſed lapſu temporis incrementa cœpit, prout traditiones magis magiſque in honore eſſe cœperunt, & שׂין *ſepes* [56] Legi facta eſt.

§. XIV. Inſtituta eorum theoretica.

XIV. Quod ſingulare huic ſectæ erat, verſabatur circa res credendas & faciendas. Ad prius genus pertinet, quod jactarent ſe præ aliis notitiam legis Divinæ habere & traditiones πατροπαραδότους magni facerent, atque inſtituta humana populo obtruderent pro divinis *Matth.* 15. 9. *Marc.* 7. 8. 13. [57] quod fato & providentia Dei res omnes regi aſſeverent, contra ac Sadducæi; quare Joſephus modo ſcribit illos εἱμαρμένῃ καὶ Θεῷ προσάπτειν πάντα, & λέγειν τινὰ καὶ οὐ πάντα εἱμαρμένης εἶναι, modo illos credere πράττεσθαι εἱμαρμένῃ πάντα, ita tamen ut hominis arbitrium non tollant & Dei βουλευτηρίῳ res gerantur. [58] Sunt qui dogmatibus Phariſaicis μετεμψύχωσιν adnumerent, quod Joſephus ſcribat eos credere animas piorum in aliud corpus migrare, μεταβαίνειν εἰς ἕτερον σῶμα; alii vero putant his verbis tantum innui animarum immortalitatem, ita ut hoc corpore relicto, in aliud glorioſum, non ſubſtantia, ſed qualitate diverſum (confer *Luc.* 9. 29. εἶδος ἕτερον) tranſeant: ut ita de Sadducæis tradat, eos negare animarum præmia aut pœnas poſt hanc vitam; de Eſſæis, animas ſine corporibus permanſuras; de Phariſæis, manſuras quidem animas, ſed ita ut in alterum corpus migrent, uti *lib.* III. *de Bell.* 14. dicit de animabus in cœlo ἁγνοῖς πάλιν ἀντενοικίζονται σώμασιν. Huc quoque trahunt nonnulli *Matth.* 16. 14. ac ſi credidiſſent Phariſæi [59] animam Eliæ in Chriſtum migraſſe: verum Phariſæos id crediſſe illic non legitur, ſed vulgo creditum fuiſſe; & ita Chriſtus Elias dici non magis potuiſſet, quam ille in quo anima Eliæ ante Eliam fuit; & probabilius eſt homines crediſſe, vel prophetam alium ex mortuis reſuſcitatum *Luc.* 9. 7. 8.

§. XV. Inſtituta practica.

XV. In praxi opera eorum [60] ad inanem oſtentationem erant comparata, ut ab hominibus conſpicerentur, & famam pietatis ſibi acquirerent, *Matth.* 23. 5. Huc ſpectant [61] frequentes luſtrationes *Marc.* 7. 3. 4. [62] jejunia *Luc.* 5. 33. & 18. 12. *Matth.* 19. 14. [63] decimarum exacta ſolutio etiam de rebus minimis dum graviora legis capita negligerent *Matth.* 23. 23. [64] preces longæ & [65] in locis publicis [66] ac frequenter peractæ *Matth.* 6. 5. *Luc.* 5. 33. [67] obſervatio ſabbathi eo uſque ut geſtationem lecti, [68] ſpicarum evulſionem ad ſedandam famem, [69] ſanationem ægrorum, eo die prohibitam cenſerent *Matth.* 12. 2. *Luc.* 6. 7. *Joan.* 9. 16. [70] vitatio conſortii aliorum hominum, quos ne tangere quidem audebant. Dicuntur etiam Phariſæi dilataſſe phylacteria ſua *Matth.* 23. 5. [71]. Per quæ intelliguntur vulgo תפילין compoſita ex certis ſacræ legis pericopis, quæ thecis incluſæ capiti & manui ſiniſtræ adaptatæ a Judæis geſtabantur. Alii tamen dubitant, an illorum phylacteriorum dilatatio, quæ ea illegitima fuiſſe redditura videtur, ibi intelligatur: quamvis certum ſit aliquas partes phylacteriorum potuiſſe dilatari, veluti קציצה *nodum*, vaſculumve in quo membranæ includuntur, & cujus magnitudo definita non eſt, ſic ut vel majus ſit vel minus pro arbitrio dominorum. Epiphanius in ἀνακεφ pag. 134. φυλακτήρια ſcribit fuiſſe clavos ſive ſegmenta purpuræ, σήματα πορφύρας veſtibus intexta, idemque *lib.* I. *contra hæreſes*, *pag.* 33. Τὰ δὲ σήματα τῆς πορφύρας φυλακτήρια εἰώθασιν οἱ ἠκριβωμένοι μετονομάζειν. Scilicet ne quis eos tangeret, ἵνα μηδεὶς ἅψηται, geſſiſſe eos & hæc φυλακτήρια & [72] fimbrias in oris veſtium majores & quatuor corymbos malorum punicorum ſpecie e pallio pendentes ibidem legitur: ſic ut illa φυλακτήρια dicta credi poſſit, quod eorum ope tuti præſtarentur a contactu hominum aliorum. Confer *Chagiga*. II. 7. *Mikavoth*. IX. 6. Fimbriis quoque veſtium longioribus uſi ſunt, quæ cum φυλακτηρίοις junguntur *Matth.* 23. 5. uti Judæi quoque תפילין ציצית jungunt de quibus *Num.* 15. 38.

§. XVI. Eſſæi.

XVI. Eſſæi, Ἐσσαῖοι, ita nuncupati ſunt, uti quidam volunt, per apocopen a חסידים *Chaſidæis*, vel ab אסא quod multi ex iis medicinam exercerent, vel חסה, quod ad loca deſerta confugerent, vel veroſimilius a Græco ὅσιοι. Philo ipſe eos dictos παρὰ τὴν ὁσιότητα ſcribit. Chryſoſtomus *hom.* 47. *in Acta cap.* 22. Eſſæos ὁσίους appellari notat: & nomen Θεραπευτῶν ipſis datum [74] non ad medicinam corporis, ſed animi, pœnitentiam videlicet, referendum eſt. Origo eorum non arceſſenda eſt a [75] Rechabitis, *Jerem.* 35. 2. quod non ſectæ, ſed familiæ nomen eſt, ortæ non e populo Dei ſed Kenitis (הקינים uti *Chron.* 2. 55. in libris accuratis ſe inveniſſe Judæi teſtantur, non הקינים) quique alia inſtituta ſervabant; verum a [77] temporibus Antiochi Epiphanis, quum plurimi ad loca deſerta fugerent, licet demum Hyrcano imperante expreſſa eorum mentio fiat. Quidam ex iis erant κοινόβιοι, alii μόναχοι: utrique abſtemii [77] vitam agebant a voluptatibus remotam, [78] plerumque cœlibes, [79] bona privata non habentes, [80] a jurejurando alieni, [81] nec ementes nec vendentes, [82] in martyriis conſtantiſſimi, ſemper occupati [83] in cultu Dei & operibus iis quæ ab ἐπιτρόποις ſive præfectis juſſa erant, [84] vitantes ἑτεροδόξων qui ipſorum ſectæ

non

non erant addicti commercia : unde in N. T. altum de iis silentium. Quare cum Pythagoreis in multis conveniebant, uti Sadducæi cum Epicuræis, Pharisæi cum Stoicis.

§. XVII. Scribæ.

XVII. Solent sectis Judæorum adnumerari Scribæ, Γραμματεῖς. Nomen quidem scribarum apud Judæos late patet, & eos nonnunquam notat, qui præfecti aut שטרים nuncupantur. Ita *Deut.* 20. 5. 9. Versio Samaritana habet ספרים, Græca Γραμματεῖς, quam & confer *Exod.* 5. 6. 10. Aliquando [85] vox scribæ prophetam indicat. Vide *Targum Ps.* 62. 12. Pro מחוקק *Deut.* 33. 21. ספרא in Targum legitur. [86] Judæi doctores suos סופרין appellant, uti quum dicunt חביבין דברי סופרין מדברי תורה *amabiliora esse verba scribarum quam verba Legis divinæ*, in *Midrasch Schir Haschirim*. 6. 2. & Christus quidem hos doctores fuisse indicat, quum eos in cathedra Mosis sedere cum Pharisæis affirmat *Matth.* 23. 2. quumque *Marc.* 1. 22. populum docuisse leguntur : confer *Matth.* 17. 10. [87] Multa eos cum Pharisæis communia habuisse liquet non ex eo tantum quod passim in evangeliis jungantur : vide *Matth.* 23. 13. *& seqq.* sed quod diserte *Luc.* 20. 46. scribis tribuantur, quæ alias Pharisæis. Vid. *Matth.* 23. 6. & *Marc.* 12. 39. [68] Fuisse tamen etiam inter eos, qui cum Pharisæis non facerent colligitur ex *Act.* 23. 9. & *Luc.* 11. 44. Auctoritate illos valuisse inter Judæos ex eo quod Christum examinarint & eorum jussu captus & iis traditus fuerit. *Marc.* 10. 33. *Luc.* 22. 2. Commemoratur denique 1. *Macc.* 7. 12. Synagoga scribarum Συναγωγὴ γραμματέων : & gradus quosdam dignitatis inter eos fuisse patet ex eo quod 2. *Macch.* 6. 18. legitur τῆς τῶν πρωτευόντων γραμματέων. Josephus *lib.* VII. 12. *de bello* ἱερογραμματεῖς memorat. Hi judicabant portenta plurima præsagire excidium Hierosolymorum, & non videntur alii esse ac hi Γραμματεῖς.

§. XVIII. Legis doctores.

XVIII. Νομικοὶ denique aut νομοδιδάσκαλοι creduntur sectam singularem constituisse : [89] suntque qui eos Karæos fuisse putent, qui legem scriptam, מקרא, neglecta orali docerent. A Pharisæis distingui videntur *Luc.* 11. 45. sed tamen Gamaliel & Pharisæus & νομοδιδάσκαλος appellatur *Act.* 5. 34. & hi multa cum iis habebant communia. Vid. *Luc.* 5. 17. & 7. 30. & 14. 3. Sic ut eosdem fuisse illos ac scribas probabile sit, nam & *Matth.* 9. 3. & *Marc.* 2. 6. scribæ appellantur, qui *Luc.* 5. 17. νομοδιδάσκαλοι, & Epiphanius ἐν ἀνακεφαλ. *p.* 113. idem scribit, & huc facit *Luc.* 11. 45. dictum Νομικοῦ ad Christum scribas corripientem, *etiam nos afficis injuria*. Sed quibus in rebus aut hi Νομικοὶ aut scribæ cum Pharisæis convenerint, & quibus dissenserint, vix reor accurate explicari posse. Profani scriptores, uti Strabo & alii, JCtos, & ἐπιστήμονας vel ἐξηγητὰς τῶν νόμων appellant νομικούς. Memorat & Josephus duos legum doctores quos modo σοφιστάς, modo ἐξηγητὰς τῶν νόμων vocat *Antiq. lib.* 17. 8. & *de boll.* 1. 21.

COMMENTARIUM IN CAP. NONUM.

[1] P*Roximum dignitatis &c. Hierosol. Horajoth*. 48. 2. Rex præferendus est summo Pontifici, summus Pontifex prophætæ. *Tosaphta Horajoth. cap.* II. 10. Rex præferebatur summo Pontifici, juxta versiculum qui dicit; *& dixit Rex ad eos, tollite servos domini vestri &c. ita Hebræus*. Summus Sacerdos præferebatur prophetæ, juxta versiculum qui dicit; *& ungat eum ibi Sadoc Sacerdos, & Nathan propheta*. (3. Reg. I. 34.) Præfertur Sadoc Nathani; verum tamen dictum est; *Audi Jesu Sacerdos magne tu & amici tui* &c. crederem, quod homines essent e trivio; ideo sequitur, *quia viri portendentes sunt*; *Zachar.* 3. 8. Non dabat signum nisi unus propheta, juxta versiculum qui dicit; *& prædixerit signum, atque portentum. Deut.* 13. 1.

[2] *Primum Abrahamo &c. Maimonides More Nevochim part.* 2. *cap.* 39. Cui autem copiose elargita fuit influentia, veluti Abrahamo p. m. is congregavit homines, & per modum doctrinæ instructionis, & informationis ad veritatem vocavit quam apprehenderat. Ita docere solebat Abraham, & per demonstrationes speculativas ostendere, quod mundus habeat Deum unum solum, quod is creavit omnia alia, quæ extra vel præter ipsum sunt, & quod non sit serviendum figuris istiusmodi externis, aut ulli creaturæ, & ad ista sermonibus blandis, suavibus, & jucundis, beneficiis denique homines allexit & attraxit.

[3] *Præter reges &c. Maimonides de templo cap.* VII. 14. Præterea autem hæc de urbe Hierosolyma edicta sunt &c. sepulchrum ne servant præter illa Gentis Davidicæ, & Oldæ prophetissæ sepulchra, quæ in ea fuerant ab primorum usque prophetarum temporibus.

[4] *Numero fuisse &c. Megillah circa finem*. Tradunt magistri quadraginta & octo prophetas vaticinatos fuisse Israelitis, & nihil eos imminuisse, aut addidisse isti, quod scriptum est in Lege præter lectionem historiæ Estheris.

[5] *Ante legem latam &c. Maimonides Mose Nevochim par.* II. *cap.* 39. Sic dicunt Sapientes nostri de Prophetis, qui antecesserunt ipsum (Mosem) Domus judicii Eberi, domus judicii Methusalemi, schola Methusalemi, omnes fuerunt prophetæ, & docebant homines instar concionatorum, doctorum, præceptorum &c.

[6] *Bileamum &c. Maimonides ibidem part.* II. *cap.* 45. Scito etiam Bileamum eo tempore, quo pius, & bonus fuit, ex hoc genere fuisse; hinc enim dicitur de eo; *Dominus autem posuit verbum in ore ejus*, *Num.* 23. 5. nam perinde est ac si diceret, illum per Spiritum Dei loquuturum; In hunc sensum ipsemet de se dicit; *dixit auditor sermonum Dei. Ibid.* 24. 4.

[7] *Et plura opera &c. Maimonides ibidem part.* II. *cap.* 35. Nam meo judicio vox prophetæ analogice vel ambigue dicitur de Mose & de aliis; & sic eadem ratio est miraculorum ipsius, & miraculorum aliorum prophetarum. Miracula enim ipsius non sunt de genere miraculorum reliquorum prophetarum. Quod prophetia ejus sit diversa, & distincta a prophetis omnium, qui antecesserunt ipsum, id apparet ex eo quod dicitur, *Qui apparui Abraham &c. nomen meum* יהוה *non indicavi eis*. Exod. 6. 3.

Nam

Nam hinc apparet apprehensionem ipsius non fuisse eamdem, quæ fuit Patriarcharum, sed excellentiorem, ac proinde multo magis præstantiorem quoque apprehensione aliorum, qui præcesserunt. Quod prophetia ipsius fuerit nobilior, quam prophetia illorum, qui sequuti sunt ipsum, id ex eo colligitur, quod dicitur; *& non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem*. *Deut.* 34. 10. Hinc enim manifeste colligitur, quod apprehensio ejus fuerit distincta ab apprehensione omnium eorum, qui sequuturi erant ipsum in Israele qui sunt *Regnum Sacerdotale & gens Sancta*, inter quos est Dominus; & per consequens etiam multo excellentior apprehensione Prophetarum sive Vatum Gentilium. Quod vero etiam magna differentia sit inter miracula ipsius, & miracula reliquorum Prophetarum, quæ vel ipsi fecerunt, vel ipsis facta fuerunt, tantum singularibus quibusdam hominibus nota, ac coram paucis perpetrata fuerint, ut signa Eliæ & Elisæi. An non enim vides, quod Rex Israelis illa admiratus fuerit, & a Gechasi petierit, ut illa sibi indicaret? sicut ait; *Narra mihi omnia magnalia, quæ fecit Elisæus*; cui respondit Gechasi. *Domine mi Rex*; *Hæc est mulier, & hic est filius ejus, quem suscitavit Elisæus*. 4. *Reg.* 8. 4. 5. eadem est ratio miraculorum prophetarum reliquorum, Mose excepto. Propterea indicat quoque Lex de ipso, quod in seculum non surrecturus sit propheta, qui tam libere in oculis amicorum, & inimicorum, assentientium, & dissentientium miracula sit patraturus, sicut ipse fecit, sicut dicitur: *& non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses &c. in omnibus signis, atque portentis, quæ misit per eum ut faceret in terra Ægypti Pharaonis, & omnibus servis ejus, universæque terræ illius; & cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram universo Israel*. *Deut.* 34. 10. 11. 12. Quibus verbis duo comprehenduntur, *primo* quod nullus propheta sit surrecturus, qui apprehensurus sit eo modo, & ea mensura, qua Moses, & qui faciat secundum opera ejus, *deinde* quod signa sive miracula ipsius facta fuerint *Pharaoni, & omnibus servis ipsius, & universæ terræ ejus*, qui erant ab ipso diffidentes, & adversarii ejus, *& in oculis totius Israel*, qui fuerunt amici & fautores ejus, sicut dicitur, *coram universo Israel*. Hoc autem de nullo alio ante ipsum, neque etiam post eum reperitur, aut reperietur, quemadmodum sufficienter hoc antea jam a nobis demonstratum est. Neque te debet hic seducere illud, quod in historia Josuæ, solem ad horas illas, vel ad horas aliquot in cursu suo sistentis, legitur. *Tunc locutus est Josue &c. in conspectu filiorum Israel*. *Jos.* 10. 12. Non enim dicitur, *in conspectu totius Israel*; sicut de Mose; Sic coram paucis contigit, quod Elias fecit in monte Carmelis. Quod dixi *ad horas illas* (paulo ante in facto Josuæ) ideo feci, quod per *Kejom thamim* sicut diem integrum, mihi videtur intelligi dies maximus, & longissimus; (*Thamim* enim idem est quod *Schalem* perfectus.) & idem esse, ac si dixisset, quod dies ille apud ipsos in Gibeone fuerit sicut dies magnus, & longus in æstate.

8 *Legitur uti luna &c. Maimonides de fundamentis Legis cap. VII.* Omnia quæ diximus sunt modus prophetiæ communis omnibus prophetis tam prioribus, quam posterioribus præter Mosem magistrum nostrum; principem omnium Prophetarum. Quænam differentia est inter Prophetiam Mosis & reliquorum omnium Prophetarum? Quod omnes prophetant in somnio, vel visione, sed Moses Magister noster in vigiliis conspiciebat, atque stabat juxta id quod dicitur. *In veniendo Moses ad Tentorium conventus loqueretur cum eo, & audivit vocem, sermocinantem secum*. Omnes prophetæ opera Angeli prophetizabant, idcirco quicquid videbant, ista sub ænigmate & similitudine intuebantur; Moses autem m. n. non interventu Angeli sicut dicitur; ore enim ad os loquor ei; Sic dictum est; *Loquebatur autem Dominus facie ad faciem*. Item dicitur; *& non per figuras Dominum videt*, ad indicandum non fuisse ibi similitudinem, sed conspexisse rem clare, absque ænigmate sine parabola, quod etiam Lex testatur de eo, palam, & non per ænigmata, quia non prophetizabat in ænigmate, sed perspicue rem in visione intuebatur. Omnes prophetæ exhorrescebant, atque attoniti erant, ac languescebant (*Quod recte negat Albo lib. 3. cap. 10., cum ista agendi ratio non conveniat genio Spiritus prophetiæ, sed potius impuro spiritui.*) Sed Moses m. n. non similiter, quod & scriptura ait; *quemadmodum quis alloquitur amicum suum*, q. d. sicuti quis non reformidat audire sermones socii sui, ita poterat intellectus Mosis m. n. intelligere verba prophetiæ, & perfectus in sua permanebat constantia. Omnes prophetæ non quolibet tempore cum vellent vaticinabantur; non eodem modo Moses m. n. sed omni tempore quo volebat, Spiritu Sancto amictus erat, & residebat super eum prophetia, neque opus habebat ad eam mentem suam disponere ac præparare; erat enim dispositus, & accinctus stabat tanquam Angelus ministerii, idcirco quolibet tempore poterat prophetizare juxta id quod dicitur; *State ut consulam, quid præcipiat Dominus de vobis*; & in hoc confidebat Deo, sicut dicitur. *Abi alloquere eos; Revertimini ad tabernacula vestra, at tu consiste hic mecum*.

9 *Danielem vulgo &c. Maimonides ibidem part. II. cap. 45. Undecim Prophetiæ gradus recenset*. Posteaquam igitur hactenus veritatem prophetiæ juxta id quod tam ex ratione, & speculatione, quam ex Lege nostra de ea colligere possumus, declaravi, necessarium nunc est, ut gradus Prophetiæ juxta duo illa fundamenta tibi recenseam. Non omnis autem, qui est in aliquo graduum illorum propheticorum, quos sic appello, ideo quoque propheta est. Verum primus & secundus sunt gradus ad prophetiam, unde ii, qui ad duos illos gradus pervenerunt, non numerantur inter prophetas illos, de quibus egimus hactenus, licet aliquando generaliter & late prophetæ nuncupentur, eo quod propinqui admodum sint prophetis. Præterea non debet te seducere in istis gradibus, quod in libris Prophetarum invenis, prophetæ alicui interdum obtigisse prophetiam ex uno modo istorum graduum, & deinde quod eidem prophetæ obtigerit prophetia ex modo alio, & alio in gradu. Nam quod illos gradus attinet, fieri potest, ut una prophetia prophetæ offeratur in gradu hoc, & alio tempore prophetia alia in gradu inferiori, quam erat prior. Quemadmodum enim propheta non prophetat continue toto vitæ suæ tempore, sed aliquando prophetiæ donum habet, aliquando vero prophetia ab eo aufertur; sic prophetat aliquando in gradu supremo, & excellentissimo, & postea in gradu inferiori; quinimo fieri potest, ut semel tantum per totam vitam perveniat ad summum illum gradum, & postea ipsi denegetur, vel fieri potest ut in gradu inferiori permaneat, donec Prophetia ejus cesset. Necessario enim aufertur prophetia ab omnibus reliquis prophetis (*excepto Mose*) ante mortem ipsorum, idque vel brevi, vel diu, sicuti patet exemplo Jeremiæ de quo dicitur, *ad finiendum*, vel *quo finiebatur verbum Domini in ore Jeremiæ*) ita Hebræus 2. Paral. 36. 22.) & Davidis de quo legimus, *hæc autem sunt verba David novissima*. 2. Reg. 23. I. Idem enim judicium est de omnibus. His itaque sic præmissis, incipiam nunc tibi gradus istos recensere, & enumerare.

Primus gradus Prophetiæ est, cum quis auxilio divino ita instructus est & præditus, ut eo moveatur, & animetur ad magnum & heroicum aliquod facinus perpetrandum (ut verbi gratia ad Ecclesiam totam, vel insignem aliquem hominem a vi & tyrannide improborum liberandum, vel ad multis hominibus benefaciendum) illumque motum in se sentit, & animadvertit; hoc donum vocatur *Spiritus Domini*, de homine virtute illa prædito dicitur, quod *insiliet in te spiritus Domini*. 1. Reg. 10. 6., vel *induerit eum Spiritus Domini*. Jud. 6. 34. vel *requiescet super eum Spiritus Domini*. Isai. II. 2. & similia alia; & hic est gradus *Judicum Israelis* omnium, de quibus in genere dicitur; *Cumque Dominus Judices suscitaret*. Jud. 2. 18. *erat autem Dominus cum Judice, & servabat eos*. Est hic gradus etiam præstantissimorum *Consiliariorum Israelis* omnium, sicuti id speciatim in Regibus & Judicibus quibusdam declaratur; *factus est ergo super Jephte Spiritus Domini*. Judic. XI. 29. sic de Samsone; *irruit itaque in eum Spiritus Domini*. *Ibid.* 14. 19. De Saule. *Et insiluit Spiritus Domini in Saul, cum audisset verba hæc*, I. Reg. II. 6. Ita de Amasa cum incitasset eum Spiritus Sanctus ad suppetias David ferendas; *Spi-*

Spiritus vero induit Amasai &c. I. Paral. 12. 18. Hac virtute quoque præditus fuit Moses inde ab eo tempore, quo virilem ætatem assequutus est. Ideoque illius vi impulsus fuit, ut Ægyptium interficeret, & duorum illorum litigantium alterum, injustam causam habentem, reprimeret. Hæc virtus adeo fortis & robusta fuit in ipso, ut eo quoque tempore, cum timeret, & fuga sibi consuleret, atque ut peregrinus & exul in terra Midiam habitaret, tamen iniquitatem aliquam committi videns, ab ea vindicanda & amovenda temperare sibi non potuerit, eamque ferre nequiverit, sicut dicitur; *surrexitque Moyses, & defensis eis.* Exod. 2. 17. Hæc virtus exseruit se in Davide, postquam oleo unctionis unctus fuit, sicut scriptura de ipso ait, *& directus est Spiritus Domini a die illa in David. & deinceps* I. Reg. 16. 13. Propterea prævalebat urso, & leoni, & tandem etiam Philistæo. Verumtamen horum nullum induxit virtus ista ad aliquid loquendum vel dicendum, sed excitat tantum eos, qui illa præditi sunt, ad insigne & aliquod nobile factum, & quidem non quodvis, verum in specie ad oppressos, sive unum aliquem particulariter, sive totum aliquem cœtum, & Ecclesiam, juvandos vel faciendum aliquid, quod ad illorum liberationem conducit, & prodest. Quemadmodum vero non omnis, qui somnium verum videt, propheta est, ita non de omni, qui peculiari auxilio instructus est ad quamlibet promiscue rem, ut acquisitionem divitiarum, aut ad aliud quid sibi solum proprium, & conducens (*h. e. ad aliud aliquod privatum commodum*) dicitur quod *habeat Spiritum Domini, aut Spiritus Domini sit cum ipso, & quod fecerit id quod fecit per Spiritum Sanctum* sed dicitur hoc tantum de eo, qui magnum aliquod bonum fecit, aut tale quid, unde id provenit, ut fuit prosperitas Josephi in domo Ægyptii, quæ fuit prima causa rerum magnarum, quæ postea evenerunt, sicut notum est.

Secundus gradus est cum homo in se sentit rem vel facultatem quampiam exoriri, & super se quiescere, quæ eum impellit ad loquendum, ita ut loquatur vel de scientiis & artibus, vel psalmos & hymnos, vel utilia ac salutaria vivendi præcepta, vel res politicas, & civiles vel denique divinas, & quidem inter vigilandum, & in vigore sensuum ordinario. Et hic est, de quo dicitur, quod *loquatur per Spiritum Sanctum.* Hac specie Spiritus Sancti instinctus Psalmos suos scripsit David, Proverbia, Ecclesiasten, & Canticum Canticorum Salomon. Hoc afflatu scripti sunt Danielis, Jobi, & Chronicorum libri, & reliqua Hagiographa, unde etiam *Kethubhim* h. e. Hagiographa appellantur, quia *Kethubhim* h. e. scripta sunt per Spiritum Sanctum. De Libello Esther palam dicunt Sapientes nostri, *Libellus Esther per Spiritum Sanctum dictatus est.* De ejusmodi Spiritu Sancto dixit David. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam.* 2. Reg. 23. 2. vult enim dicere, Spiritum Sanctum impulisse eum ad ea loquenda. Ex hoc enim censu fuerunt 70. *Seniores*, de quibus dicitur; *cumque requiesset in eis Spiritus, prophetaverunt nec ultra cessaverunt. Num.* II. 25. Tales fuerunt Eldad, & Medad, tales fuerunt Sacerdotes illi omnes, qui interrogabantur per Urim, & Thummin, sicut Sapientes nostri dicunt, *Majestas divina habitat super eum, & loquitur per Spiritum Sanctum.* Talis fuit Jecheziel filius Zachariæ, de quo in libro Paral. legimus; *super quem factus est Spiritus Domini in medio turbæ, & ait, attendite omnis Juda, & qui habitatis Hierusalem hæc dicit Dominus vobis &c.* 2. Paral. 20. 14. 15. Talis fuit Zacharias filius Jehojadæ Sacerdotis de quo ita scriptum legimus. *Spiritus autem Dei induit Zachariam filium Jehojadæ Sacerdotis, & stetit desuper populum, ac dixit eis, sic dixit Deus &c.* 2. Paral. 10. 14. Talis fuit Azarias filius Iddo sicut dicitur. *Azarias autem filius Obed facto in se Spiritu Dei, egressus est in occursum Asa, & dixit ei.* 2. Paral. 15. 1. 2. Et tales fuerunt omnes ii, de quibus simile quid legitur. Scito etiam Bileamum eo tempore, quo pius, & bonus fuit, ex hoc genere fuisse. Hinc enim dicitur de eo; *Dominus autem posuit verbum in ore ejus, Num.* 23. 5. Nam perinde est ac si diceret, illum per Spiritum Dei loquuturum. In hunc sensum ipsemet de se dicit. *Dixit auditor sermonum Dei.* Ibid. 24. 4. Sed hoc in primis notatu dignum est, quod David, Salomon, & Daniel ad istud genus referantur, non vero ad Jesajæ, Jeremiæ, Nathanis, Achijæ Schilonitæ, & aliorum similium; nam quæcumque David, Salomon, & Daniel dixerunt, a Spiritu Sancto acti dixerunt, & loquuti sunt. Quod vero ait David; *Dixit Deus Israel mihi loquutus est fortis Israel.* 2. Reg. 23. 3. ejus sensus est, quod Deus ipsi per Nathanem, vel alium aliquem bonum quippiam promiserit, sicut ibi, *& ait Dominus ad eum.* 1. Reg. 2. 1. Item. *Dixit itaque Dominus Salomoni: quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum &c.* 3. Reg. XI. 11. Hic etiam comminatur ei malum per Achijam Schilonitam, vel alium quempiam; sic quod dicitur de Salomone; *in Gabaon apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens &c.* Ibid. 3. 5. Id non fuit mera, & pura prophetia, sicut illud ubi dicitur; *Factus est sermo Domini ad Abraham per visionem dicens.* Genes. 15. 1. aut sicut ibi. *Audivit eum per visionem noctis vocantem se & dicentem sibi &c.* Genes. 46. 2. aut sicut prophetia Jesaiæ, & Jeremiæ. Nam etsi cuilibet istorum quoque oblata fuerit Prophetia in somnio Prophetiæ, tamen simul indicatum fuit illis, quod sit Prophetia, & quod Prophetia illis obvenerit. Sed in hoc negotio Salomonis, & quidem in fine ejus dicitur: *Is igitur evigilavit Salomon, & intellexit, quod esset somnium.* 3. Reg. 3. 15. Sic in apparitione secunda. *Apparuit ei Dominus secundo, sicut apparuerat ei in Gabaon.* Ibid. 9. 2. de qua manifeste liquet, quod non nisi somnium fuerit. Hic autem gradus inferior est eo, de quo dicitur; *per somnium loquar ad illum.* Num. 12. 6. Nam qui prophetant in somnio, non vocant illud amplius somnium, postquam prophetia pervenit ad eos in somnio, sed simpliciter dicunt, quod prophetia fuerit. Ita postquam Patriarcha Jacob expergefactus est ex somnio prophetiæ, non dixerit quod fuerit somnium, sed rotunde ait; *Vere Dominus est in loco isto.* Genes. 28. 16. & item. *Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan.* Ibid. 48. 3. Et definitive pronuntiat, quod fuerit prophetia. Sed de Salomone dicitur, *Is igitur evigilavit Salomon, & intellexit, quod esset somnium.* Sic invenies quod Daniel, licet in somniis suis viderit Angelum, ejusque verbum audiverit, somnia tamen illa appellet, etiam postquam per ea cognovit, quæ cognovit; ut, *Tunc Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est.* Dan. 2. 19. Item; *& somnium scribens.* Ibid. 7. 1. Item. *Videbam in visione mea nocte &c.* Ibid. vers. 2. Item. *Et visiones capitis mei conturbaverunt me.* Ibid. vers. 15. Item. *Et stupebam ad visionem, & non erat qui interpretaretur.* Ibid. 8. 27. Nullum autem iterum est dubium, quin iste gradus sit inferior eo, de quo dicitur; *per somnium loquar ad illum.* Hinc unanimi consensu retulit Gens nostra librum Danielis inter libros Hagiographos, non vero inter Prophetas. Ideo monui te, quod licet in ista prophetiæ specie, quæ contigit Danieli, & Salomoni, Angelum viderint, tamen non invenerint, & deprehenderint in sese, quod prophetia pura sit, sed somnium tantum, veritatem rerum aliquarum ipsis notam faciens. Proinde etiam pertinet ad eos, qui loquuntur per Spiritum Sanctum, ad secundam videlicet Prophetiæ speciem. Hinc in ordinandis Scripturis Sanctis nullam differentiam fecerunt inter Proverbia, Ecclesiasten, Danielem, Psalmos, Ruth, & Estherem, quia omnes isti libri per Spiritum Sanctum scripti sunt; generaliter tamen etiam prophetæ vocantur.

Tertius gradus, qui est primus prophetiæ veræ est eorum, qui dicunt; *& fuit verbum Domini ad me*, vel simile quid, quod huc tendit. Consistit autem in hoc, cum Propheta videt Parabolam in somnio, & cum omnibus illis conditionibus, quas præmisimus, quæ in vera prophetia requiruntur; & cum in illo ipso somnio prophetico sensus Parabolæ illius ei declaratur, quid nempe per illam significetur. Tales sunt Parabolæ Zachariæ.

Quartus gradus est, cum propheta verbum aliquod clare & distincte audit in somnio prophetiæ, sed non videt loquentem illud, quemadmodum accidit Samueli in principio prophetiæ ejus, sicut exposuimus.

Quintus gradus est quando vir aliquis in somnio loquitur cum propheta, sicut in quibusdam prophetiis Ezechielis dicitur. *Et locutus est ad me idem vir; fili hominis.* Ezech. 40. 4.

Sextus gradus est, quando Angelus cum ipso loquitur in somnio, quod frequentissimum est, ut cum di-

ci-

citur. *Et dixit ad me Angelus Dei in somnio*. Genes. 31. 1.

Septimus gradus est cum propheta existimat Deum secum loqui in somnio Prophetiæ, ut Jesajas inquiens; *Vidi Dominum;* Isai. 6. 1. Item. *Et audivi vocem Domini dicentis, quem mittam? & quis ibit nobis?* Ibid. vers. 8. Item Michæas filius Jemla; *vidi Dominum*. 3. Reg. 22. 19.

Octavus gradus est cum offertur ipsi visio in visione prophetica, & cum Parabolas videt, sicut Abrahamo factum est in visione segmentorum. Parabolæ enim illæ contigerunt interdiu in visione, sicut notum est. Genes. 15.

Nonus gradus est, quando audit verba in visione, sicut de Abrahamo legimus; *Statimque sermo Domini factus est ad eum, non erit hic hæres tuus*. Ibidem vers. 4.

Decimus gradus est quando videt virum secum loquentem in visione prophetiæ, sicut iterum Abraham Mamre, & sicut Josua in Jericho. Genes. 18. Jos. 5. 13.

Undecimus gradus, quando videt Angelum loquentem secum in visione, ut Abraham in ligatione Isaaci. Atque hic gradus meo judicio supremus est inter gradus Prophetarum, de quibus nos docent Scripturæ Sacræ post ea quæ dicta sunt de perfectione rationalitatis Viri, sicut requirit speculatio, & post conditiones illas, quæ fuerunt in Mose doctore nostro p. m. Sed an fieri possit ut propheta aliquis alius præter Mosem in visione Prophetiæ videat, ac si Deus ei loqueretur? id absurdum est meo judicio, neque eo pertingere mihi videtur facultas imaginatrix. In reliquis enim prophetis (excepto Mose) nullibi id reperimus. Ideo clare ac perspicue hac de re ait Lex, *in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*. Num. 12. 6. ubi somnio attribuit loqutionem; vel sermonem, Visioni vero conjunctionem intellectus, & influentiam ejus dum ait; *in visione* & vadda *notum me faciam, vel notus fiam ei* (est enim & *vadda* futurum Hithpahel a verbo *Jada* scivit cognovit) nequaquam autem dicit, quod in visione aliquid auditurus sit a Deo. Propterea quando inveni, quod Scripturæ dicant de verbo aliquo, quod Propheta illud a Deo audiverit, & quod in visione factum fuerit, dixi apud me; vel dicendum est, quod verbum illud, quod audivit, in somnio factum fuerit, & nequaquam congruat, ut tale quid accidat in visione, ita sc. ut Creator alicui ostendat, ac si ipse cum eo loqueretur, id quod convenit cum eo, quod ex sensu literali Scripturæ discimus; vel dici potest, quod omnis Visio, in qua mentio fit sermonis alicujus auditi, ab initio sit visio, sed postea tam profunda fiat, ut in somnium convertatur, quemadmodum explicuimus in dicto illo; *sopor irruit super Abraham*. Gen. 15. 12. Ad quod Sapientes nostri dicunt; *hic est sopor Prophetiæ*. Proinde omnis sermo, qui auditur, quocunque etiam modo id fiat, in somnio auditur, sicut ait Scriptura: *per somnium loquar ad illum*. Visione vero prophetiæ nihil apprehenditur nisi similitudines, & apprehensiones intellectuales, propter quas pertingunt *homines* ad scientias & disciplinas, quantum quidem per speculationem fieri potest, sicut exposuimus, & hoc est quod Scriptura sibi vult, dum ait; *in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*. Juxta hanc ergo ultimam expositionem octo tantum erunt prophetiæ gradus (*nam si falsum sit audiri sermonem in visione, concident tres ultimi gradus*) & eorum supremus, ac perfectissimus erit, cum quis prophetat generaliter in visione, etiamsi vir tantum cum eo loquatur (*h. e. cum generaliter in visione prophetia alicui offertur.*) Verum objicies mihi forte hoc loco, & dices; inter gradus prophetiæ numerasti & hunc, quod propheta quandoque audiat Deum secum loquentem, ut Jesaias, & Michæas. Istud vero, quomodo quadrat, cum fundamentum nostrum sit, omnes prophetas audire sermonem mediante Angelo, præter unicum Mosem, de quo dicitur, *ore enim ad os loquor ei?* Num. 12. 8. Respondeo omnino ita se rem habere, & quod medium illud fuerit facultas imaginatrix, qua audiverunt, quod Deus loquatur cum ipsis in somnio prophetiæ. Moses vero audivit ex Propitiatorio inter duos Cherubinos sine ministerio facultatis imaginatricis. Verum in commentariis nostris Gemaricis jam exposuimus differentias prophetiæ illius, & sensum dicti istius, *ore enim ad os loquor ei, sicut loquitur vir cum socio suo &c.* Tu si placet inde pete. Non enim opus est, ut quæ semel dicta sunt, repetantur.

[10] *Somnium &c. Maimonides ibidem part. 2. cap. 36. omnes Prophetias aut per omnium, aut in visione contigisse contendit*. Quando Deus ait, *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, bammareh in visione apparebo ei, Bachalom per somnium loquar ad illum*, perspicue nobis naturam, & quidditatem prophetiæ indicat, dicendo, quod sit perfectio, quæ venit vel per *Chalom somnium*, vel per *Mareh visionem*. Mareh (*visio*) nomen est verbale, deductum a verbo Raah (*vidit*) & significat, quod ad facultatem imaginatricem tanta perveniat actionis perfectio, ut homini res ita appareat, ac videatur, ac si exterius sibi exhiberentur, eamque sensibus externis perciperet. In istis autem duabus partibus, somnio inquam & *visione* continentur omnes Prophetiæ gradus, sicuti explicabitur. *Et cap.* 41. Non existimo necesse esse, ut tibi explicem, quid sit somnium; verum operæ pretium est, ut scias quid sit Mareh *visio*, de qua dicitur, *Bemareh in visione apparebo ei*, quæ vocatur Mareh hannebhuah *visio prophetica*. Item *manus Dei*; item Machaseh. Est autem terror quidam panicus, qui occupat Prophetam inter vigilandum, sicut ex Daniele patet, quando ait; *Vidi visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quicquam virium*. Item. *Et audiens jacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ*. Dan. 10. 8. 9. Sermo enim Angeli, quo ipsum allocutus est, & illius erectio, facta utique fuerunt in visione Prophetiæ. In tali autem negotio sensus omnes a suis functionibus quiescunt, & venit influentia illa super facultatem rationalem, ac ab ista diffunditur in facultatem imaginatricem, hocque pacto opus suum perficit, & absolvit; quandoque autem incipit Prophetia in visione Prophetica, & postea multiplicatur terror & passio illa vehemens, quæ sequitur perfectionem operationum facultatis imaginatricis, & tum demum venit Prophetia, sicuti contigit Abrahamo. In principio enim Prophetiæ illius dicitur; *factus est sermo Domini ad Abraham in visione*. Genes. 15. 1. Et in fine ejusdem; *sopor irruit super Abraham &c.* Ibid. vers. 12. Item. *Dictumque est ad eum* Ibid. vers. 13. *non est verisimile eo terrore, quo Pithia, divinos Vates fuisse correptos*.

[11] *Quidam Prophetarum &c. Tosaphta Sotah cap.* XIII. 5. Postquam mortui sunt Aggæus, Zaccharias, & Malachias, cessavit spiritus Prophetiæ ab Israel; nihilominus res per *filiam vocis* intelligebant. Contigit, quod cum ingressi essent sapientes in conclave Ben Gariæ in Jericho, edita fuerit ipsis *filia vocis*, iisque dixerit, est vir inter vos, qui spiritu prophetico dignus esset, sed seculum ejus est indignum. Proinde oculos suos convertebant ad Hillelem senem, in hora mortis suæ dicebant, ubi est humilis, ubi est pius discipulus Esdræ. Præterea contigit, quod cum essent ingressi sapientes in Jabne, edita fuerit *filia vocis*, quæ dixit, est inter vos vir, qui spiritu Prophetico dignus esset, sed suum seculum est indignum; & omnes respexerunt Hillelem senem, & quando mortuus est dixerunt, ubi est pius, ubi est humilis discipulus Esdræ? Præterea altera vice stabant in Jabne, & audiverunt *filiam vocis* dicentem; est hic vir, qui spiritu prophetico dignus esset, sed suum seculum est indignum, & omnes respexerunt Samuelem parvum, & quando mortuus est dixerunt, ubi est pius humilis, ubi est pius discipulus senis Hillelis? Etiam ille in momento suæ mortis dicit; Simeon, & Ismael occidendi sunt, & reliqui suorum sociorum sunt excindendi, & reliquus populus erit depopulandus, & angustiæ magnæ ab Judicio expectandæ sunt; eaque lingua Syriaca dixit; etiam pro Jehuda decreverunt, ut dicendum esset, ubi est humilis, ubi est pius discipulus Samuelis parvi? sed morte repentina sublatus est. *Vide hæc omnia Gemar. Sotah fol.* 48. *col.* 2. *Hierosol. Schab. fol.* 8. 3. Dixit R. Elieser, sequuntur auditum *filiæ vocis*; *Et paulo post*. R. Jochanan, & R. Simeon ben Lachisch desiderarunt videre faciem Samuelis (doctoris Babylonici) sequamur, inquiunt, auditum filiæ vocis. Juxta scholam ergo itinerantes, audiverunt vocem pueri istud legentis. (1. Reg. 25. 1.) ושמואל מת & *Samuel mortuus est*; Hoc observarunt, & sic evenit, nam *mortuus est* Samuel Babylonicus. R. Jonah, & R. Josah

sah profecti sunt ad R. Acha ægrotantem, sequamur, inquiunt, auditum *filiæ vocis*. Audiverunt vocem fœminæ cujusdam vicinæ suæ dicentis, extinguitur lucerna; cui illa, ne extinguatur, nec extinguatur lucerna Israelis. *Discordant inter se Rabbini, in definiendo, quid fuerit filia vocis. R. Levi ben Gerson 2. Reg.* 1. 27. Existimo (*inquit*) ego filiam vocis esse speciem quamdam perfectionis, & excellentioris Divinationis. *Maimonides more Nevochim part.* 2. *cap.* 42. Hager Ægyptia non fuit prophetissa, neque Manoah & uxor ejus prophetæ, quia sermo iste, quem audiverunt, vel qui ascendit in mentem ipsorum, fuit instar *filiæ vocis*, cujus frequentem mentionem faciunt sapientes nostri, & quæ talis res est, quæ cum quoque comitari potest, qui non est præparatus. *Schem tobh ad hunc locum*. Juxta mentem (*inquit*) Rabbi Mosis *filia vocis* est, cum homo ita fortis est in imaginatione, ut existimet audire vocem extra animam. *Elias Levita in Thisbi scribit*. Cabalistæ dicunt, quod sit vox proprietatis cujusdam Divinæ, quæ vocatur Kol. *Quæ de* בת קול *idest* filia vocis *narrantur, sunt meræ fabulæ, aut Dæmonum præstigiæ*.

[12] *Abrahami &c. Targum Jonath. & Hierosol. Filia vocis* egrediebatur e cœlo. Genes. 38. 26. *Targum Jonath. & Hierosol. Num.* 21. 7. *Filia vocis* egrediebatur e terra, & audita fuit vox illa in cœlis.

[13] *Et Salomonis &c. Erubhin fol.* 21. Dicit Samuel. Eo tempore, quo Salomon instituit Erubhin, & lotionem manuum, prodiit Bath Kol, *filia vocis*, & dixit mi fili; *si sapiat cor tuum lætabitur & meum*.

[14] *Munus eorum &c. Maimonides de fundamentis Legis. Cap. VII.* 11. Propheta potest esse cujus fuerit prophetia tantum de seipso ad dilatandum mentem, & augendum notitiam suam, usque dum cognoscat, quod antea ipsi erat incognitum de istis rebus magnis. Potest etiam fieri ut mittatur ad populum, sive ad incolas civitatis aut regni alicujus ad præparandum istos, & indicandum, quid illis sit faciendum, vel ad dehortandum illos ab operibus suis impiis, quæ sunt in manibus eorum. Quando autem illum Deus mittit, dat ei signum, aut prodigium ut cognoscat populus, Deum vere illum misisse. *Idem More Nevochim part.* 2. *cap.* 39. Quod attinet prophetas illos, qui fuerunt post Mosem, nosti quæ concionum ipsorum ratio fuerit, quod videlicet corripuerint, vel admonuerint homines, eosque ad custodiendam Legem Mosis vocaverint, mala quævis comminando eam derelinquentibus, & bona omnia pollicendo juxta eam incedentibus.

[15] *Indigentibus opem &c. Maimonides More Nevochim part.* 2. *cap.* 38. Duas istas facultates, *fortitudinis* sc. sive *magnanimitatis*, *& Divinationis* in Prophetis fortissimas, & vehementissimas esse necesse est. Quando autem ipsis accedit influentia intellectus, supra modum roborantur; ita ut quemadmodum nosti, eo res pervenerit, ut quidam (*virtute sc. magnanimitatis & fortitudinis*) nudo suo baculo potenti Regi prævaluerit, & totam gentem intrepide ex servitute ejus eripuerit, postquam nempe ei dictum fuit. *Ego ero tecum*. Exod. 3. 12. *Vide quæ supra dicta sunt ad primum gradum Prophetiæ*.

[16] *Unctione olei &c. Abarbanel ad 3. Reg.* 1. *de unctione loquens*; ut esset signum divinæ electionis; propterea enim, ut res aliqua, aut persona, quam eligeret Deus, distingueretur a rebus aliis, & a fratribus suis, conveniens erat, ut fieret in ea quædam actio, qua distingueretur, & ea ipsa documento erat, electam esse. Atque idcirco ungebatur, ut illa unctio esset signum, & indicium distinctionis ad exaltandum eam.

[17] *Cujus pœnam &c. Sanhedrin fol.* 102. 1. R. Oschaja dicit; usque ad tempora Jeroboami Israelitæ suxerunt a vitulo uno. Ast exinde porro a duobus & tertio vitulo. R. Isaac dicit; Non est vindicta aliqua, quæ invadit mundum, in qua non sit vigesima quarta pars libræ vituli primi, sicut dicitur; *ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum. Exod. XXXII.* 34. Dicit R. Chaninah; Post viginti quatuor generationes (*Glossa; regnante Zedekiah*) exactus est hic versiculus, sicut dicitur; *Et clamavit in auribus meis voce magna dicens; appropinquaverunt visitationes urbis, & unusquisque vas interfectionis habet in manu sua. Ezech.* IX. 1.

[18] *Molochum & Ammonitarum Deus præcipue a Tyriis & Carthaginensibus cultus; Plerique scriptores Hebræorum non combustos pueros, aut puellas Molocho, sed inter duas pyras traductos, ac februatos volunt. Maimonides de Idolatria cap. VI.* 5. Quomodo agebant? Accendebant ignem magnum; sumebat aliquis de semine suo, & tradebat sacerdotibus ignem colentibus. Hi sacerdotes reddiderunt filium patri suo, postquam in manus eorum traditus fuisset, ut eum per ignem traduceret permissu ejus. *Sacerdotis* pater filii traducit filium suum permittentibus sacerdotibus per ignem. Traducit autem eum pedibus (*idest pedibus eum transire cogit*) ab una extremitate ignis ad aliam per medium flammæ. Non quod eum combusserint Molocho, quemadmodum filios filiasque suas aliis Idolis combusserunt. At totus hic cultus, qui fiebat Molocho, absolvebatur sola transitione per ignem. Ideo qui hunc cultum alteri idolo quam Molocho præstat, liber est. *Idem More Nevochim part.* 3. *cap.* 37. Itaque notum est ex natura hominum maximum eorum metum timoremque versari circa opes & liberos ne eos amittant; ideo cultores ignis istis temporibus publicarunt, quod filii patris, qui filios atque filias per ignem non traduxit, moriantur; nullum itaque dubium est, quin propterea quilibet magna promtitudine acceleraret, ut hoc præstaret ob pondus rei, cum ob timorem de filio amittendo, tum ob facilitatem negotii, cum nihil fuerit peragendum, nisi ut per ignem traduceretur. *Et paucis interjectis*. Observa etiam, quod vestigium istius operis supersit usque in hunc diem, & in terrarum orbe divulgatum sit. Nonne vidisti obstetrices sumere parvulos puerulos fasciis involutos, eosque imponere fumo ingrati odoris super ignem, ac hinc inde eos movere in medio fumi istius, qui ex igni ascendit? Et hæc sine dubio est species translationis per ignem. *Vide ejus commentarium ad Codicem Sanhedrin VII.* 7. *Jarchius ad verba Levitici XVIII.* 21. de semine tuo non dabis להעביר Molocho *sic commentatur*. Est cultus Idolatricus Idoli, cujus nomen est Molech. Hoc modo Idolatria perficitur. Filium suum tradit sacrificulis. Faciunt duas pyras magnas ignis, & traducunt filium pedibus inter duas pyras ignis. *Ad verba* לא תתן non dabis, significatur (*inquit*) traditio sacrificulis, להעביר למלך, notatur traductio per ignem. *Et ad Deut. XVIII.* 10. *Nec inveniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem*. Est cultus (*inquit*) Molochi. Fecit nempe (*qui filium traduxit*) struem ignis ab hac & ab ista parte, filiumque inter duas ignis pyras traduxit. *Vide R. Levi ben Gerson ad* 4. *Reg. XXIII.* 10. 11 *Non omnes qui per ignem traducti essent, periisse demonstrari potest exemplo impii Achazi, qui filium igni traduxit, qui postea sibi in Regno successit*; 4. *Reg. XVI.* 3. 26. *Alii vero, & rectius meo judicio Molocho immolatos, & combustos pueros fuisse contendunt. Et Jalkut R. Simeonis*. Fuit autem Moloch imago concava, habens septem conclavia, unum aperiebant similæ offerendæ, aliud turturibus, tertium ovi, quartum arieti, quintum vitulo, sextum bovi; qui vero velebat offerre filium, huic aperiebatur septimum cubiculum, & facies hujus Idoli erat ut facies Vituli; manus planæ dispositæ ad recipiendum ab adstantibus, & saltabant interim, quo puer in idolo succenso igne cremabatur, percutientes tympana, ne pueri ejulatus audiretur. *Et R. David Kimki ad cap. XXXIII.* 10. 11. *posterioris Regum*. Et opus Moloch (*inquit*) exponitur in expositione; dicunt sapientes nostri f. m., quamvis quælibet delubra Idolatriæ fuerint in civitate Hierosolymitana; Molech tamen fuit extra civitatem. Cæterum faciebant imaginem cavam positis intus septem conclavibus. Quicunque similam offerebat, aperiebant ipsi primum ex istis ordinibus, qui pullos columbarum, aperiebant ipsi secundum, ei, qui ovem, aperiebant tertium, qui arietem, quartum, qui vitulum, quintum, qui bovem, sextum. Ita & illi, qui obtulit filium suum, aperiebant septimum. Facies autem ipsius *Moloch* erat instar vituli, manus vero habebat expansas instar hominis, qui manus aperit, ut ab alio aliquid accipiat. Accendunt ipsi ignem; sacrificuli autem imponunt puerulum manibus Molochi. Puerulus reddit animam. At qua de causa dicitur (תפת והנם *Thophet & Hinom*?) quod strepitum fecerint בתופת (*tympanis*) ne pater audiret vocem puerili sui, & ipsius misereatur, & pœniteat. *Hinom* dicitur,

quia

quia puerulus ſtrepitum facit, & vox ejus aſcendit. Alii putant dici *Hinom*, quia ſacrificuli dicunt, proſperum tibi eſt, ſuave tibi eſt, jucundum tibi eſt. *Jarchius ad Jerem. cap. VII. 31. Et ædificaverunt excelſa Topheth quæ eſt in valle filii Ennon, ut incenderent filios, & filias ſuas igni.* Is eſt (inquit) Molech, idolum ex ære; Accendunt autem eum inferius, manus habet expanſas, ac quodammodo elatas; Dant puerum in ejus manus, comburitur, & ejulat (rugit) ſacrificuli autem pulſant tympana, ne pater audiat ejulatum filii, & ne incaleſcant ipſius miſericordiæ. Tophet *dicitur* ob nomen Toph (*Tympani*) Hinnom propter fremitum filii. *Pene ſimilem Molochi deſcriptionem legimus apud Diodorum Siculum Biblioth. Hiſt. lib. XX.* Erat vero apud eos ænea Saturni (*ſeu Molochi*) ſtatua, quæ manus ſupinas, terram demiſſas exporrigebat, ut impoſitus puer devolveretur, & in voraginem igne repletam caderet.

Qui primus ſacrificia tam horrenda inſtituerit, fuit Saturnus, uti legitur in Philonis. Phœnicum hiſtoria; Saturnus igitur, quem Phœnices Iſrael vocant, regioni dominans poſt mortem tandem ſacratus eſt in ſtellam Saturnum. Ille ex ſponſa Anobret dicta, unigenitum filium ſuſcepit, quem ideoque vocarunt Jeoud; unigenito filio apud Phœnices ita etiam hodie vocato. Cum teterrima belli clades regionem invaderet, ille filium venuſte ornans, atque altare rite parans, illum ſacrificavit. *Hic Abrahamus indigitatur, quem Phœnices unigenitum filium ſuum Iſaac ſacrificaſſe crediderunt. Phœnices, & Carthaginenſes præ cæteris Gentibus, hujuſmodi Sacrificiis infames fuere. Euſebius de laudibus Coſtantini.* Phœnices ſingulis ſacrificarunt dilectos unigenitos pueros. *Athanaſius orat adverſus Græcos.* Phœnices & Cretes Saturnum honorant puerorum victimis. *Lactantius Inſtit. lib. 1. cap.* 21. Carthaginenſes Saturno humanas hoſtias ſoliti fuerunt immolare, & cum victi eſſent ab Agathocle Rege Siculorum iratum ſibi Deum putaviſſe, itaque ut diligentius piaculum ſolverent, ducentos nobilium filios immolaſſe. *Vide Diodorum Siculum Biblioth. xx. Juſtin. Hiſtor. xviii. Euſeb. de præparat. Evangel. iv. Minut. Felic. Cyrillum contra Julianum lib. iv.*

[19] *Baalem &c. Baal idem ac Babyloniis Bel, a Phœnicibus vocatus Baal. Hoc nomine Thurum Nini Regis ſucceſſorem appellatum Cedrenus putat.* Huic Marti (*inquit*) primam ſtatuam erexerunt Aſſyrii, & eum uti Deum adorarunt, nuncupantes eum Baal, quod interpretatur Mars bellorum numen. *Prinſquam ab Idolatris hoc nomen profanaretur, erat veri Dei nomen. Oſe. cap. II. 16.* Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me Iſhi, *ideſt*, Vir meus, & non vocabit me ultra Baali, ideſt בעלי, *nimirum Baal meus, Dominus meus.* Et auferam nomina Baalim de ore ejus, & non recordabitur ultra nominis eorum. *Erat idem ac Saturnus ac Sol.* Lingua punica (*inquit Servius*) *Bal* Deus dicitur; apud Aſſyrios autem *Bel* dicitur quadam ſacrorum ratione & Saturnus & Sol. *Erat Idolum Tyrium, quod Achabus introduxerat in Iſraelem: vide 3. Reg. XVI. 31.*

[20] *Adramelech, Anamelech &c. Qui 4. Reg. XVII. 31. Dii Sepharvaim appellantur, ubi legimus his æque ac Molocho fuiſſe filios immolatos, atque combuſtos.* Hi autem, qui erant de Sepharvaim, comburebant filios igni Adramelech, & Anamelech Diis Sepharvaim. *Ego nullus dubito, quin Molochus ſub nominibus Adramelech, & Anamelech a Sepharvaim cultus fuerit; Liberorum immolatio, qua hi Dii colebantur, me adducit, ut id credam, & prætermittam nominum ſimilitudinem: Locum citatum 4. Regum XVII. 30. 31. ita exponunt Rabbini in Babyl. Sanhedrin cap. VII.* Homines Babelis fecerunt Succoth; Quid hoc fuit? Gallina. Homines Cuthæ fecerunt Nergal, quid fuit? Gallus. Homines Chamath fecerunt Aſchima, quid fuit? hircus calvus. Hævei fecerunt Nibchan & Tartac; quid fuit? Canis, & Aſinus. Sepharvæi combuſſerunt filios & filias igne Adramelecho, & Anamelecho Diis Sepharvæorum. Quid fuerunt? mulus & equus. *Eadem leguntur in Hieroſol. Avodah Zarah cap. III. fol. 42. ſed Gallinæ adduntur pulli ſui; Adramelech & Anamelech, pro Mulo & Aſino, Pavonem & Phaſianum exponit, alii* פסיוני *coturnicem interpretantur.*

[21] *Kium &c. Teſtatur Aben Ezra Saturnum apud Perſas & Iſraelitas CHIJUN vocari. Et in Etymologico Perſico-Turcico, cui nomen Daniſtan, cap. I. ubi omnia Stellarum nomina enumerantur,* כיואן *pro Saturno recenſetur; Et in Lexico Arabico, cui titulus Camus,* כיון *explicatur per* זחל Zohalo, *apud Arabes Saturni nomen. Et apud Plautum Pœnul. Act. 5. Scen. punic. 1. & 2. ſic punicæ illæ voces a Petito leguntur* תמונה שאל וחק מוני לכיון; *imago quæ Deus eſt, & ſculptile, & imago Chijuni.*

[22] *Remphan &c. Nonnulli putant Remphan dici quaſi* רעם פעם, *tonans Juppiter ſcilicet Altitonans; alii dici volunt a* רף *arabico voracitate, quod Saturnus pueros devoraſſe dicitur; alii quaſi* רף, *vel a* רפא, *quod gigantem, ideſt fortem & potentem Regem notat; vel ſi mavis a* רפה, *remiſſum eſſe, deficere, quo fortaſſe deſignatur Remphis Rex Ægypti, vir contemtus, & odio habitus, puſilli animi, & avarus, ut ait Diodorus, non Rex, ſed bonus fuerit œconomus. Vide cl. Jamblonſki diſſertationem de Remphan.*

[23] *Chamos &c. Moabitarum Idolum. Jerem.* XLVIII. 7.13. & ibit Chamos in tranſmigrationem; Sacerdotes ejus, & principes ejus ſimul &c. & confundetur Moab a Chamos &c. *Hieronymus ad Eſai. V.* In Nabo (*inquit*) erat *Chamos* idolum conſecratum, quod alio nomine appellatur Beel-phegor. *Philo Judæus Allegor.* II. *Chamos* (*inquit*) ſonat ut contrectatio, *ſive* ut palpatio. *Nonnulli Saturnum arbitrantur* a כמש *abſcondidit fiet* כמוש *abſconditus. Ejus cultus aperto capite peragebatur.* Clamoſchi cultus (*inquit Maimonides*, peragebatur nudatione capitis, & ut quis veſtes ſutiles non induat, quæ omnia apud illos manifeſta ſunt, & fuerunt ante conditam legem Iſmaelitarum. *Plutarchus etiam Quæſt. Rom. ait Saturno ſacra* aperto capite facta fuiſſe, quod non licebat cæteris Diis.

[24] *Tammuz &c. Hujus Idoli fit mentio Ezech.* VIII. 14. Et introduxit me per oſtium portæ domus Domini, quod reſpiciebat ad aquilonem, & ecce mulieres ſedebant plangentes התמוז. *Maimonides More Nevochim part.* III. *cap.* XXIX. *de Tammuz, ex Zabiorum libro cui titulus* העבודה הנבטייה *hæc refert.* Et in libro iſto narratur de quodam viro ex Prophetis Idolatris, cujus nomen eſt Tammuz, quod vocaverit Regem ad colendum ſeptem ſtellas, & duodecim ſigna, Regem autem eum occidiſſe occiſione horrenda. Narratur etiam quod eadem nocte, qua moriebatur, omnes imagines ex finibus terræ congregatæ ſint ad Templum, quod erat Babyloniæ dicatum magnæ imagini aureæ, quæ eſt imago ſolis, quod imago iſta pendula fuerit inter cœlum & terram, ut ceciderit in medium Templi; imagines omnes quæ erant circa eam, inceperunt flere ſuper Tammuz, & indicare quid ei acciderit; omnes imagines fleviſſe, & lamentatas fuiſſe tota nocte; oriente autem aurora avolaſſe & reverſas fuiſſe ad extremitates terræ. Et hic quidem erat mos perpetuus, ut initio menſis Tammuz eum lugerent, atque plorarent filii hominum. *Jarchius ad l. c. Ezech. refert Thammuz fuiſſe Idolum, cui oculi erant plumbei, ut intus calefactum lachrymas emitteret.* Eſt quædam imago, quam intus calefaciunt; oculi ejus intus ſunt plumbei, qui calore liquefacti videntur plorare. *Et Kimchius ad l. c.* Sunt (*inquit*) qui exponunt מבכות (*flentes*) per Epitheton vel antiphraſin, quaſi dicerent lætificantes Tammuz, quo tempore faciebant feſtum Idolo, tunc enim mulieres accedebant, ut eum exhilararent. Sunt qui exponunt, quod aliqua ſolertia aquam attulerint ad oculos Idoli, quod Tammuz dictum fuit, ut lachrymaretur, quibus lachrymis peteret ut coleretur; Sunt etiam qui exponunt per combuſtum ex dicto (*Dan.* III. 19.) בבות, *ſuccendere fornacem.* Quaſi diceres, quod flerent eum, quia combuſtus fuit, cum igni comburerentur filii, atque filiæ eorum.

Quanto melius Hieronymus hunc locum interpretatur! Quem nos (*inquit*) Adonidem interpretati ſumus, & Hebræus & Syrus ſermo תמוז vocat, unde quia juxta Gentilium fabulam in menſe junio amaſius Veneris & pulcherrimus juvenis occiſus, & deinceps revixiſſe narratur, eumdem junium menſem eodem appellabant nomine, & anniverſariam ei celebrant ſolennitatem, in qua plangitur a mulieribus quaſi mortuus, & poſtea reviviſcens canitur atque laudatur. *Hujus feſti ritus a Luciano in lib. de Dea Syria narrantur.* Vidi & Bybli templum magnum Veneris Bybliæ, in quo & ritus Adonis peragunt. Cognovi & ipſe ritus illos. Dicunt autem id factum eſſe, quod Adonis in ſua regione apro per-

percuſſus fuerit, & in rei memoriam verberantur ſingulis annis, lamentantur, & ſacra faciunt; magnus ideo luctus per totam regionem animadvertitur. Finitis tandem verberibus atque lachrymis, inferias agere incipiunt Adonidi tanquam mortuo. Sequenti autem die vivere eum dicunt, & in aera mittunt, & capita detondent, ut ſolent Ægyptii mortuo Apide. *Et nonnullis interjectis*. Sunt etiam nonnulli Byblii, qui dicunt apud ſe ſepultum eſſe Oſirin Ægyptium, luctuſque & ſacra hæc non Adonidi, ſed Oſiridi cuncta fieri. Caput ſingulis annis ex Ægypto Byblum defertur, ſeptem diebus quo ſpatio a ſe diſtant, inde ad hanc civitatem navigant. Adferunt autem illud venti divina quadam navigatione. Nuſquam alio fertur, ſed ſolum Byblum, quod maximum eſt miraculum. Hoc quovis fit anno, ut & me tum præſente Bybli factum eſt, atque caput ipſum ex papyro formatum ego aſpexi. *Veriſimile eſt Eſaiam cap.* XVIII. *ad hæc reſpexiſſe, ubi ait*. Væ terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina Æthiopiæ, qui mittit in mare legatos, & in vaſis papyri ſuper aquas. Ite angeli veloces ad gentem convulſam, & dilaceratam, ad populum terribilem poſt quem non eſt alius ad gentem expectantem, & conculcatam &c.

Variis nominibus apud varias gentes Tammuz celebratus fuit Auſonius Epigr. 30.

Ogygia me Bacchum vocat
Oſirim Ægyptus putat
Myſi Phanacem nominat
Dionyſon Indi exiſtimant
Romana ſacra Liberum,
Arabica gens Adoneum
Lucaniacus Pantheum

[25] *Aſtaroth &c. Kimchius eam derivat a* עשתרות *gregibus, vel ab imaginibus ad formam ovium factis; R. Elias Levita a Victimarum multitudine; alii ab urbe Aſteroth in dimidia Tribu Menaſſe. Alii eam volunt fuiſſe Salamo Babyloniorum, alii Aſſyriorum Mylittam, alii Ægyptiorum Iſidem, alii Arabum Alilath, alii Syrorum Atergatim, alii Cypriam Venerem, plerique Lunam; Abarbanel ad cap.* XLIV. *Jerem. de Regina Cœli loquens*. Opinantur (*inquit*) Interpretes שמלכת השמים *Reginam Cœli* eſſe nomen de omnibus omnino ſtellis uſurpatum, quod illæ opificium Dei ſint, quod creavit, & א deficere in מלכת. Sunt ex illis qui arbitrantur hac voce deſignari ſolem, qui omnium maxima ſtella ſit in cœlis. Cæterum ego jam ante quid ſentiam tibi notum feci, quod nempe Baal, quem coluerunt, fuerit reſpectu ſolis, atque is dictus ſit Molech, quia ille eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ (*Job.* 41. 25.) Aſcherah vero cui ſerviebant, fuit reſpectu lunæ, quæ & ipſa Regina cœli vocabatur, quemadmodum Scriptura Solem nomine Molech appellat, ſic vocat Lunam nomine Reginæ cœli. Et ut Sol reſpectu Lunæ Baal dicitur; quod reſpectu Lunæ ſit inſtar Domini, qui de ſuo decore & ſplendore uxori ſuæ communicat, ſic etiam Luna vocatur Aſcherah, quod nomen eſt fœminini generis, quaſi illa ſit fœmina Solis, quia illius deſiderio tenetur. *Nonnulli Aſtaroth non Deam aliquam, ſed lucos ſignificare ſibi perſuadent*. LXX. *locum Judic.* II. 13. dimittentes eum, colentes Baalim; ואת האשרות ita interpretantur καὶ ἐλάτρευσαν τῇ Βαὰλ καὶ τοῖς Ἄλσεσι, ideſt Baal, & lucos colebant; & 1. Reg. VIII. 4. pro Aſtaroth τοῖς Ἄλσεσι, Ἀσταρὼθ reddunt, *Aquila vero ſubſtituit τοῖς Ἀστάρτης ἀγάλμασι*, ſimulacra Aſtartis. *Vide cl. Seldeni de Diis Syris Synt.* 2. *cap.* 2.

[26] *Baal-Peor &c. Erat idem ac Priapus. Hieronymus ad Oſeæ cap. IX.* Ipſi autem educti de Ægypto fornicati ſunt cum Madianitis, & ingreſſi ſunt ad Beelphegor Idolum Moabitarum, quem nos Priapum poſſumus appellare. Denique interpretatur Beelphegor idolum tentiginis habens in ore, ideſt in ſummitate pellem, ut turpitudinem membri virilis oſtenderet. *Et ad Oſeæ cap.* IV. Iſtiuſmodi Idolatria erat in Iſrael, colentibus maxime fœminis Beelphegor ob obſcœni magnitudinem. *Eadem ſcribit Philo Judæus in libro περὶ τῶν μετονομαζομένων*. Illi vero ſacris impiis Beelphegor initiati, atque omnia corporis oſtia ad recipienda, quæ ab externo infunduntur flumina, dilatantes (interpretatur enim Beelphegor ſuperius os pellis) mentem gubernatricem diluvio obruerunt, & in imum gurgitem impulerunt. *Origenes Num. Homil. XX. nihil aliud dicit fuiſſe niſi Idolum turpitudinis*. Beelphegor (*inquit*) Idoli nomen eſt, quod apud Madianitas præcipue a mulieribus colebatur. In hujus ergo Idoli myſteriis conſecratus eſt Iſrael. Interpretationem nominis ipſius cum requireremus attentius inter hebræa nomina, hoc tantum invenimus ſcriptum, quod *Beelphegor* ſit *ſpecies turpitudinis*. Noluit tamen declarare quæ vel qualis ſpecies vel cujus eſſet turpitudinis, honeſtati credo conſulens qui interpretatus eſt, uti ne auditum pollueret audientium. Igitur cum multæ ſint turpitudinum ſpecies, una quædam ex plurimis turpitudinis ſpecies *Beelphegor* appellatur. *Ejus cultus a Jarchio ad Num.* XXV. 3. ita *deſcribitur*. Eo quod diſtendebant coram illo foramen Podicis, & ſtercus offerebant; & hic erat cultus ejus. *Et in Codice Sanhedrin cap.VII.* 6. *legimus*. Qui ſe nudat coram Baalpeor, is ordinarium illi cultum defert. *In quem locum ita Bartenora. Qui ſe ipſum denudat coram Baalpeor*, alvum exonerat coram ipſo. *Et Maimonides More Nevochim part.* 3. *cap.* 36. Tu vero ſcis (*inquit*) quod ſervitium idoli, quod vocabatur Pahor (*Peor*) in temporibus illis erat, ut diſcooperiret ſe homo verſus eum. Et idcirco præceptum eſt Sacerdotibus, ut facerent braccas, quibus cooperirent operienda in hora ſacrificii, & præterea non aſcendebant per gradus ad altare, ne diſcooperirentur.

[27] *Baalzebub &c. Erat Idolum Accaromitarum*, 4. *Reg. cap.* I. 2. Ite conſulite Beelzebub Deum Accaron. *Et v.* 3. Numquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron? *Joſephus de Ochoziæ caſu loquens τῶν Ἀκκάρων Θεὸν Μῦαν eum appellat, ideſt* Accaronitarum Deum Muſcam, uti & LXX. *Juppiter & Hercules Muſcarum depulſores a Gentilibus colebantur. Clemens Alexandrinus in Protreptico* Ἀπομυίῳ Διὶ θύουσιν Ἠλεῖοι, Ῥωμαῖοι δὲ Ἀπομυίῳ Ἡρακλεῖ: *Etiam Pauſania in Arcadicis & Eliacis, ſcribit Herculi & Jovi* Muſcarum depulſoribus *fuiſſe ſacrificatum ſingulis annis. Beelzebub denotat Deum ſtercoreum; & eos qui idolo ſacrificarent, vocarunt Judæi ſtercorantes. Hieroſ. Berachoth fol.* 12. 2. Etiam illis, qui manus ſuas extenderunt בזבול in ſtercorario (*ideſt in Idoleo; vel Idolatria*) eſt ſpes. Illos adducere (*in Eccleſiam*) quia manus ſuas expanderunt בזבול in ſtercorario non potes, atqui eos rejicere non potes, quia egerunt pœnitentiam. *Et paulo poſt*. Qui videt eos מזבלין ſtercorantes (*ideſt ſacrificantes*) Idolo, dicat; Sacrificans Diis alienis ſit anathema. *Miſdras. Schir. fol.* 2. 1. De Joſepho dicitur (*cum hera ejus eum allicere vellet ad adulterium*) quod venit in domum ut perageret negotia ſua. R. Jehuda dicit, quod erat dies ſtulteſcendi, וזיבול, & ſtercorandi, erat dies theatrorum; *ubi gloſſa* זיבול; eſt vox contemtus, ut ſic in tractatu Avodah Zarah exponitur a R. Solom. & Toſaphoth, quod ſcilicet ſignificat זיבוח ſacrificare (*Idolis*.) Et probant ex Hieroſ. Berachoth, ubi dicitur; Qui videt locum, מזבלין ubi ſtercorant (*ideſt ſacrificant Idolo*) dicat, ſacrificans Diis alienis, ſit anathema.

[28] *Baalberith &c. Significat Baalberith dominum fœderis. Vide Judic. cap.* VIII. 33.

[29] *Sadducæi &c. Maimonides in Avoth cap.* I. 3. Dicit autem pius iſte Antigonus Deo non ſerviendum eſſe ea conditione, ut mercedem & remunerationem accipiant ab ipſo, ſed inſtar ſervorum, qui obligati ſunt ſervire Dominis ſuis ſine remuneratione, ideſt ex mero amore, quemadmodum exponitur cap. X. Codicis Sanhedrin. Nihilominus tamen non excluditur timor ſive reverentia, ideo addit, *ſitque timor Dei ſuper vos*. Nam Lex timorem Dei inculcat *Deut.* VI. 13. Ad hæc Sapientes dixerunt ſervite ex amore, & timore. Et porro dixerunt, is qui amat non obliviſcetur quicquam de eo quod ipſi præceptum eſt ut faciat; neque is qui timet quicquam faciet de eo quod ipſi vetitum eſt, quia timor primarium locum habet in præceptis negativis, & multo magis in præceptis verbotenus traditis. Huic vero Antigono duo olim erant diſcipuli, unus nomine Sadoc, Alter Baithus, qui cum hoc dictum ab ipſo audiviſſent, exierunt, & unus alteri dixit; magiſter clare dixit, quod homini nec prœmium, nec pœna, nec ulla ſpes reliqua ſit poſt hanc vitam, nam ſententiam illius male intellexerant; Unus autem in perverſo hoc conceptu confirmavit alterum, & e gremio Iſraelis exierunt relinquendo Legem, & quiſque ſuam nactus eſt ſectam, quæ Sadducæos, & Baitoſæos

ſæos peperit. *Juchaſin fol.* 15. 2. Sadoc & Baithus fuerunt capita hæreticorum; errarunt enim circa verba Magiſtri eorum &c. *Aliter narratur in Avoth R. Nathan cap. V.* Antigono Sochæo erant duo diſcipuli, qui erant δευτεροῦντες verba ejus diſcipulis ſuis, & diſcipuli ſui diſcipulis ſuis. Proſtiterunt illi, & docuerunt poſt eos, & dixerunt. Quid viderunt Patres noſtri, ut dicerent; poſſibile eſt, ut operarius præſtet opus ſuum per totum diem, & non recipiat mercedem veſperi? Verum ſi noſſent Patres noſtri, quod eſt alius mundus & reſurrectio mortuorum, non ſic dixiſſent &c. *Et in Aruch in* ביתוסין? Antigono Sochæo erant duo diſcipuli, quorum nomina Sadoc & Baithus. Dictavit ille iis. *Ne ſitis ſicut ſervi qui famulantur hero, ideo ut recipiant præmium &c.* Abierunt illi, & ſic dictaverunt diſcipulis ſuis, & diſcipulorum diſcipulis; לא אמרו פירושו, *at non expoſuerunt ſenſum*. Proſtiterunt illi poſt eos, & docuerunt, & dixerunt; Si Patres noſtri noſſent, quod eſt reſurrectio mortuorum, & remuneratio juſtorum in mundo futuro, non ſic dixiſſent; Proſtiterunt illi, & ſepararunt ſe a Lege &c. & ab iis prodierunt duæ ſectæ malæ Sadducæi & Baithuſæi.

30 *Negabant reſurrectionem &c. Joſephus Judaic. lib. 2. cap.* 12. Animæ autem permanentiam negant. *Abraham Zacuth*. Ajunt animam mori cum corpore.

31 *Præmium, pœnamve &c. Abraham Zacuth*. Opinio Sadducæorum eſt non eſſe mercedem aut pœnam. *Origenes fragmento in Matthæum*. Definiunt Phariſæi mortuorum reſurrectionem, ſperantes aliquod futurum ſeculum. Sadducæi contra cenſent poſt hanc vitam, nihil homini repoſitum præmii, ſive ad virtutem profecerit, ſive nunquam vel ſtuduerit a vitiorum terminis excedere.

32 *Rejiciebant præterea &c. Maimonides ad cap. X.* 3. *Sanhedrin*. Cæterum Sadducæi & Baithuſæi omnem traditionem negantes, & Legem ſcriptam, & in eam conſiderationes ſuas tantum admittentes, non ſunt ex hac claſſe &c. *Elias Levita*. Antigonus a Socoh duos habuit diſcipulos Sadochum & Baithum, qui nequiſſimi evaſerunt, & Legem non ſcriptam denegarunt, idque tantum credebant, quod in ſcripta Lege ſcriptum erat. *Joſephus Antiquit. lib.* 13. *cap.* 18. Phariſæi multa tradebant populo ut ad Legem pertinentia, Traditionibus a Patribus traditis, & in Lege non contentis, quæ propterea Sadducæi rejiciunt, ajuntque ſcripta vim Legis obtinere debere; tradita autem tantum non eſſe obſervanda. De quibus magnæ interdum inter eos diſputationes erant.

33 *Quod falſum teſtem &c. Codex Maccoth cap.* I. 6. Teſtes mendaces non occiduntur, niſi lata jam de reo ſententia; nam quod Sadducæi dicunt, niſi morte affectus ſit, Q. D. Exod. XXI. 23. *animam pro anima*, reſponſum illis eſt a Sapientibus, annon præceptum extat, Deut. XIX. 19. *Reddetur ei ſicut fratri ſuo facere cogitavit?* Scilicet fratre ejus vivo; At ſi ita, quare dicitur, *Animam pro Anima?* Forte an ex eo tempore, quo teſtimonium eorum receptum eſt? Nota dictum *Animam pro anima*. En igitur non ſunt interficiendi, niſi perlata in reum mortis ſententia. *Toſaphta Sanhedrin cap. VI.* 10. Dixit R. Jehuda filius Tabai, poſſim ego videre conſolationem, quod verum eſt, quod falſum teſtem occiderim, ut hoc ex mente Baithuſæorum evellere dicentium non occidi teſtem, niſi morte affectus ſit accuſatus (*contra quem ſit teſtatus*;) Ei reſpondit Simeon filius Sciatach, poſſim videre conſolationem, quod eſt verum, quod effuderis ſanguinem innocentem; quia dixit Lex; *in ore duorum aut trium teſtium peribit qui interficietur. Deut.* 17. 6. Duobus teſtibus; & quod duo ſint, qui falſi convicti ſunt; quemadmodum teſtes duo eſſe debebant, ut morte *aliquem* afficerent, etiam falſi ad damnandum duo eſſe debent &c.

34 *Quod libamen aquæ &c. Succah cap. IV.* 9. Effuſio aquæ quomodo ſe habebat? amphoram auream quæ continebat tres logos implebat e Siloach; dum perveniebat ad portam aquæ, buccinabant, clangebant, & buccinabant, aſcendebat gradus, & vertebat ſe ad ſiniſtram, duæ pelves argenteæ illic erant. R. Jehuda dicit, ex calce erant, ſed facies habebant nigras propter vinum, & perforatæ ut exigua foramina duo, unum erat latum, alterum anguſtum, ut ambo eodem tempore conſumerent. Ea quæ ad occidentem, erat aqua impleta, quæ vero ad orientem, vino impleta erat. Si aquam infudiſſet in eam, quæ vinum continere debebat, aut vinum infudiſſet in eam, quæ aquam continere debebat, ſatisfaciebat debito ſuo. R. Jehuda dicit, unum Logum omnes octo dies fundebat, & ei, qui fundebat, dicebant, *Leva manum tuam*, nam aliquando fundebat ſuper pedes ſuos, & totus populus eum petebat citreis ſuis. *In hunc locum ita Maimonides*. R. Jehuda dicit, quod Logum aquæ tantum fundebat omnes octo dies feſti, nam fuſio aquæ eſt traditio Moſis de Sinai; Et comprendit alluſiones in Lege occultas, & illi qui non credunt Legi orali, non credunt libamen aquæ. Propterea ſi aquas ſuper pedes fuderit, petebat eum citreis ſuis populus, quia habebatur Sadducæus, qui non credebat libamen aquæ. *Narrat Gemara in hunc locum fol.* 48. *in hoc tumultu, quum populus Sacerdotem Sadducæum, qui non rite libaverat aquam, occidiſſet, fractum fuiſſe unum ex cornibus altaris*. Eo die fractum fuit unum ex cornibus altaris, adduxerunt vero maſſam ſalis, qua *rupturam* obſtruxerunt, non eo fine ac ſi illa *cornu fractum* ad miniſterium iterum aptum reddere deberet, ſed ne altare *aliqua ſui parte* mutilum appareret, quoniam omnis ara clivo, aut cornu, aut fundamento, aut denique quadratura carens, *ad miniſterium ſacrum* ineptum eſt; R. Joſe filius Jehudæ dicit, etiam ſi cingulo careat.

35 *Quodque circa ſuffitum &c. Siphra ad cap. XVI. Levit.* 12. 13. *Ultra velum intrabit in Sancta, ut poſitis ſuper ignem aromatibus coram Domino*. Ne extra præparet, & intro ingrediatur, quia Sadducæi dicebant, quod extra præparet, & intro ingrediatur, ſi coram Rege terreno ita fit, eo magis coram Deo; Et dictum eſt, *quia in nube apparebo ſuper oraculum* (*Levit.* XVI. 2.) Eis dixerunt ſapientes; etiam dictum eſt; *ut poſitis ſuper ignem aromatibus coram Domino* (*Ibid. XVI.* 13.) Non imponebat niſi intus. *Joma cap.* I. 5. Tradebant eum ſeniores Synhedrii magni ad ſeniores Sacerdotes, qui eum in conclave excelſum domus Abtines evehebant, adjurabant eum, & dimittebant & ibant, & dicebant. Domine Sacerdos magne, nos legati ſumus Synhedrii magni, & tu legatus noſter, & legatus Synhedrii magni, adjuramus per eum, cujus nomen habitat in hoc templo, quod non mutabis quicquam ex omnibus iſtis, quæ tibi diximus, ipſe diſcedebat, & flebat, illique diſcedebant & flebant. *In quem locum ita Bartenora. Adjurabant eum*, ne eſſet Sadducæus, & ne ſuffitum imponeret thuribulo extra, & deinde introduceret intra velum, quia Sadducæi exponunt id quod dicitur *Levit. XVI.* 3. *quia in nube apparebo ſuper oraculum*, quod Pontifex maximus intrare debet intra velum cum ſuffitus fumo, & tum apparere fumus ſupra Propitiatorium; ſed ita non eſt; nam Scriptura ibidem verſ. 13. *ut poſitis ſuper ignem aromatibus coram Domino*; unde conſtat intra Sanctum Sanctorum igni imponendum eſſe ſuffitum. *Maimonides de die expiationum cap.* I. 7. Stante Templo ſecundo nata eſt hæreſis apud Iſraelitas. Sadducæi (cito pereant) extitere, qui Legi ſine ſcripto traditæ fidem derogarunt, hi contendebant ſuffimentum diei expiationum ſuper igni ponendum intra templi ſpatium illud, quod erat ante velum, idemque, cum fumum exhalaret, introferendum eſſe intra Sanctum Sanctorum; & rationem ſubjiciebant, quod in Lege ſit; *Quia in nube apparebo ſuper oraculum*; nempe volebant iſtam eſſe ſuffimenti nubem; at ſapientibus quaſi per manum traditum eſt igni non ſuperponi ſuffimentum niſi intra Sanctum Sanctorum ante Arcam fœderis, *ut poſitis ſuper ignem aromatibus coram Domino*. Quoniam igitur in Templo ſecundo metuendum erat ne ad hæreſim inclinaret Pontifex, vigilia ſolemnitatis expiationum jurejurando adigebatur, atque ei ſupradicti ſenes ita dicebant; Domine Pontifex, nos ſumus legati ſenatus, tu vero legatus noſter ſimul & Senatus, nos te jubemus jurare per eum, cujus nomine inſcribitur hæc auguſta Domus, te nihil quicquam eorum, quæ tibi tradidimus immutaturum. Protinus & ipſe fletum aliquo recedebat, quod in ſuſpicionem hæreſeos veniſſet, pariter & ſenes illi fletum abibant aliquo, quod in ſuſpicionem vocaſſent hominem, cujus erat occulta voluntas, quæ fortaſſis nihil vitii conceperat.

36 *Vaccam ruſam &c. Miſna Parah. cap. III.* 7. Sacerdotem vero Vaccam combuſturum pollutum dicebant ob Sadducæos, ne diceret hæc fieri circa oc-

ca-

caſum ſolis. Imponunt ei manus ſuas, dicuntque ei, domine Pontifex maxime immerge te ſemel, tum is deſcendit, ſe immergit, aſcendit, & abſtergit ſe. *Toſaphta Parah cap. II.* 7. 8. Et immundabant Sacerdotem Vaccam combuſturum propter Sadducæos, ne dicerent, immolandū eſſe ab iis, quibus ſol occubuerat. Narratur hiſtoria de quodam, cui occubuerat ſol, qui venit Vaccam combuſturus; hoc ſcivit Rabban Jochanan filius Zaccai, & venit, eique manus impoſuit, eique dicit, quantum domine mi Pontifex maxime tibi convenit, ut ſis Pontifex maximus, abi ſemel te immerge; deſcendit, ſe immerſit, & aſcendit. *Maimonides Parah cap. I.* 13. 14. Omnes qui laborarunt in Vacca ab initio uſque ad finem, ſi fuerint loti die, legitimi ſunt ad opus Vaccæ, ut conſecrent, & ſpargant de cinere ejus, atque etiamſi ſol eorum non occiderit. Quod idem dicitur in omni ſeparatione, *Vir mundus* tamen hic intelligitur, nempe mundus ad decimas ſecundas, & ſi mundus non ſit ad Theruma. Quod ſi tamen occiderit ſol, tum admittitur mundus ad Vaccam. Dixerunt Sadducæi, quod opus Vaccæ legitimum non ſit, niſi occidente ſole. Eam ob cauſam Domus Judicii ſub Domo ſecunda immundabant Sacerdotem comburentem Vaccam reptili quodam, vel alia ſimili ratione, ubi ſe immergebat in aquas, atque poſtea demum illi admovebat manus ad remoram ponendam verbis illis ſuperborum illorum, qui docent duntaxat, quicquid ipſis in mentem venit, neque ſequuntur traditionem communem; Sic etiam omnia vaſa, in quæ condunt cineres Vaccæ, die lota fuere.

[37] *Præterea in pœnis &c. Megillath Taanit cap. IV.* Die decimo quarto Tammuz amotus eſt liber decretorum, quo etiam non eſt lugendum. Quia in iſto libro a Sadducæis ſcriptum & ſtatutum erat, ut ſi homines hæc vel illa patraſſent, hi damnarentur ad lapidationem, illi ad combuſtionem, hi gladio punirentur, illi ſtrangularentur. Et cum (hæc decreta) ſcripſerunt, homo quidam (Iſraelita) interrogabat, ibat & videbat id quod in libro ſcriptum erat, dicebatque (ad Sadducæos) unde vos noſtis hunc eſſe reum lapidationis, illum vero combuſtionis, hunc eſſe occidendum, illum ſtrangulandum? Neſciverunt ex Lege rationem adducere, in qua exſtat *Deut. XVI.* 11. *quam docebunt te*, quod indicatur, conſtitutiones literis non conſignari in libro. Porro Baithuſæi dicebant, *Exod. XXI.* 24. Scriptum eſſe, *oculus pro oculo, dens pro dente*. Ergo ordinarunt, ut ſi quis ſocio ſuo dentem ejecerit, ei rurſus dens ejiceretur, ſi quis ſocium excœcaverit, ille rurſus excœcaretur, ut fierent æquales. Et quando dicitur *Deut. XXII.* 17. *Expandet veſtimentum coram ſenioribus civitatis*, intellexerunt verba ſicut ſcripta ſunt; & Legem *Deut. XXV.* 9. *ſpuetque in faciem illius*, explicarunt, *ſpuetque in faciem illius*, non in faciem, i. e. coram eo in terram. Reſponderunt eis (*Sadducæis*) Sapientes. Annon ſcriptum eſt *Exod. XXIV.* 12. *Legem, ac mandata quæ ſcripſi* (hæc eſt Lex ſcripta) *ut doceas eos* (hæc eſt Lex oralis)? Alius Codex habet; *Legem quam ſcripſi, & præceptum ad docendum eos*, i. e. Legem oralem. Pari modo reperitur ſcriptum: *Deut. XXXI.* 19. *Nunc itaque ſcribite vobis canticum iſtud, & docete filios Iſrael*. Hæc eſt Scriptura; ſed cum additur; *& ore decantent*; hæ ſunt conſtitutiones. Illum ergo diem, quo irritum reddebant ſcriptum decretorum, fecerunt diem feſtum. *Joſephus in Judaicis lib.* 2. Sadducæorum genus etiam erga ſe invicem moribus ferum eſt, & in converſatione erga ſocios crudeles ſunt quaſi erga exteros.

[38] *Herodianos &c. Probabile eſt Herodianos cum Sadducæis conſenſiſſe, cum Phariſæi Sadducæis infenſiſſimi ob mortem Herodis diem feſtum inſtituerint. Megillach Taanith cap. IX.* In ſeptimum menſis hujus (cisleu) incidit dies feſtus, dies nempe quo mortuus eſt Herodes, quoniam inimicus erat ſapientum. Lætitiæ enim eſt coram Domino, quando homines mali a mundo removentur, ſicut dicitur *Deut.* 2. 15. 17. &c. *Herodes ſapientum, hoc eſt Phariſæorum fuit inimiciſſimus. Babyl. Bava Bathra fol.* 3. 2. Herodes fuit ſervus familiæ Aſmonææ. Oculos conjecit in puellulam (*ex iſta familia*) Die quodam audiit Bath Kol dicentem; quicunque ſervus jam rebellaverit, proſpere rem geret. Inſurrexit in Dominos ſuos, atque omnes occidit. *Et paulo poſt*. Dixit Herodes, quis eſt qui interpretatur hæc verba; *Eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit, de numero fratrum tuorum? Deut. XVII.* 15. Rabbini (*interpretati ſunt*). Surrexit, atque occidit omnes Rabbinos, relicto ſolum Baba ben Buta, quem conſuleret. Ad eum defecit Menahen vir clarus inter Phariſæos cum octoginta diſcipulis; *Juchaſin fol.* 19. Hillel & Shammai acceperunt Legem Traditionis ab Shemajah & Abtalione. Primo fuerunt Hillel & Menahem, ſed Menahem abſceſſit ad miniſterium Regis Herodis cum octoginta viris eleganter veſtitis, uti refertur in Haggiah.

[39] *Reſurrectionem &c. R. Tanchum fol.* 13. 3. Dixit R. Simeon ben Jochai, Deus Sanctus benedictus nomen ſuum juſtis non adjungit dum vivunt, ſed tantum poſt mortem eorum, ſicut dicitur, *Sanctis qui in terra ſunt. Pſalm. XVI.* 3. Quandonam ſunt ſancti? Cum in terra reponuntur; nam dum vivunt, nomen ſuum Deus iis non adjungit, eo quod de iis non certum ſit, malum affectum eos non abducturum; at cum mortui ſunt, nomen ſuum iis adjungit. Aſt invenimus Deum nomen ſuum adjunxiſſe Iſaaco dum viveret. Geneſ. XXVIII. 13. *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac*. Reſpondent Rabbini, pulverem ejus reſpexit, ac ſi collectum ſuper altare; R. Berachiah dixit, ex quo cœcus factus eſt, fuit ſicut mortuus. *Hieroſ. Berachoth fol.* 5. 4. Juſti etiam in morte dicuntur vivi, atque impii etiam in vita dicuntur mortui. Aſt unde probatur quod impii etiam in vita dicuntur mortui? Ex eo, quod dicitur; *Non delectatus ſum morte mortui*. Num ille qui dicitur מת jam eſt mortuus? Atque unde probatur, quod juſti etiam ſub morte dicantur vivi? ex eo quod ſcribitur; *Et dixit ei; Hæc eſt terra de qua juravi Abraham Iſaac, & Jacob*. לאמר. Quid ſibi vult vox לאמר! Dicit ei, abi, & dic patribus, quodcunque promiſi vobis, præſtiti filiis veſtris. *Babyl. Berachoth fol.* 18. 1. Viventes norunt, quod morientur; iſti ſunt juſti, qui in morte ſua dicuntur vivi, ſicut dicitur; *& Benajah filius Jehojadæ filii viri viventis. Et paulo poſt*. Mortui nequicquam norunt. Iſti ſunt impii, qui etiam in vita eorum dicuntur mortui ſicut dicitur ואתה חלל רשע נשיא ישראל; *Et tu mortue impie princeps Iſraelis*.

[40] *Communi cum Samaritanis &c. Samaritanorum dogmata amplexi ſunt Abraham Zacuth.* Et tum Sadocus & Baithus famoſi extiterunt inter Antigoni diſcipulos. Et hæc erat hæreſeos origo. Illi enim tempore Antigoni tutoris ſui ad templum montis Gerizim deficiebant, & ibi præcipui evaſerunt. *Juchaſin fol.* 14. 2. Et tunc temporis Sadoch & Baithus diſcipuli Antigoni eminebant, atque hinc initium ſchiſmatis, cum ſcilicet diebus Antigoni multi recederent ad montem Gerizim. *Mardochæus Karæus cap. V.* Cumque Sadochus & Baithus diſcipuli Antigoni, qui erat diſcipulus Simeonis juſti, in hæreſin deficerent, Joſe, ben Joezer, & Joſe ben Jochanan, ac cœtus eorum, qui curam habebant ſanctæ doctrinæ ex civitate eos ejecerunt; abierunt itaque illi cum aſſeclis ſuis, & adjunxerunt ſe Cuthæis in domo Sanctuarii, quæ erat in monte Gerizim. Cuthæi itaque, Sadducæi, & Baithuſæi metropolin principatus ſui urbem Samariam conſtituentes, perſtiterunt, donec Jochanan Sacerdos filius Simeonis Sacerdotis, & Rex Hyrcanus dictus, ſurgeret, bellumque inferret regno Græcorum, qui Cuthæos & Sadducæos ſuffulciebant. Hic itaque Samariam metropolin Cuthæorum & Sadducæorum devaſtavit, & ædem loco Sanctuarii in monte Gerizim exſtructam deſtruxit; ipſos vero depreſſit, ſubegit, & ad internecionem delevit, ſicut R. Gedalias ex ſcriptis Majorum ſuorum *in catena Traditionis pag.* 25. Et Joſephus cap. 28. libri ſui ad Judæos ſcripti teſtantur.

[41] *Et quod ſuffitum &c. Hoc commune cum Sadducæis Baithuſæi habuere, ut contenderent ſuffimentum extra eſſe incendendum. Toſaphta Joma cap. I.* 7. Cur ſeparabatur & flebat? quia neceſſe erat ut eum adjurarent; cur neceſſe erat, ut eum adjurarent? quia narratur de quodam Baithuſæo, qui extra ſuffitum fecerat, & exiit nubes ſuffitus, & fumo tota domus repleta eſt, quia Baithuſæi contendebant extra ſuffitum eſſe incendendum, juxta verſiculum qui dicit, *quia in nube apparebo ſuper oraculum* (*Levit. XVI.* 2.) Eis dixerunt ſapientes, nonne dicitur, *& operiat nubes ſuffitus*? (Ibid. v. 13.)

[42] *Quando ita appellari &c. R. Jehuda Levi au-*

ctor

ctor Libri Koſari Karaiſmi initia refert ad tempora Regis Jannæi. Poſt hunc fuerunt Jehuda ben Tabbai, & Simeon fil. Schetach, eorumque collegæ. Horum temporibus incepit Karaiſmus. *Etiam in aniquiſſimo libro, qui inſcribitur Megillath Taanith, fit mentio Karæorum, cap. II.* Die vigeſimo tertio Karæi Hieroſolymis egreſſi ſunt. *Antiquiſſimam originem prædicant Karæi; præcipue Schammai adverſario acerrimo Senioris Hillelis Rabbanitarum principis gloriantur. Mardochæus Karæus in tractatu de Karæis cap. IX. ubi ſeries chronologica Sapientum Karæorum exponitur.* Abtalion tradidit eam R. Hilleli; R. Hillel tradidit eam ſtudioſis Kabbalæ, qualem acceperat a Simeone ben Schetach. At Semaja tradidit eam R. Schammai; R. Schammai ſenior ille venerabilis & pius tradidit aſſeclis Scripturæ, quos rupes æterna cuſtodiat atque ſervet, iis præbens auxilium, perdens vero hoſtes & adverſarios eorum, qui malum iis machinantur; Amen. Amen. R. Schammai tradidit eam R. Cahana Sacerdoti ben Eliveni qui aquas munditiei paravit vaccæ rufæ ſub domo ſecunda filio Abiatharis, filio Jedajæ Sacerdotis, & R. Jochanan fil. Acub Haſſaccai Principi ac Synhedrio ejus, aliiſque cum eo ſapientibus. Rau Cohana Sacrdos tradidit R. Simei filio ſuo; Et R. Simei Sacerdos tradidit R. Jochanan filio ſuo, & Schepheth Princeps traddidit R. Anan filio ſuo, & Jochanan Sacerdos tranſtulit ad Zadoc filium ſuum, & R. Anan Princeps tradidit R. Nathan Rezuzitha filio ſuo, & R. Zadoc Sacerdos tradidit R. Ezechiel filio ſuo, & R. Nathan Rezuzitha Princeps tradidit R. Nehemiæ filio ſuo, & R. Ezechiel Sacerdos tradidit R. Achitob filio ſuo, & R. Nehemia Princeps dedit R. Ocba filio ſuo, & R. Achitob Sacerdos tradidit R. Jeſchua filio ſuo, R. Ocba Princeps tradidit R. Aba Mar Principi filio ſuo, & R. Jeſchua Sacerdos tradidit R. Nathanael Sacerdoti filio ſuo, & R. Nathanael Sacerdos tradidit R. Heman Sacerdoti filio ſuo; & R. Huna Princeps tradidit R. Nathan filio ſuo, & R. Heman Sacerdos tradidit R. Oni Sacerdoti filio ſuo, & Oni Sacerdos tradidit R. Zephaniæ filio ſuo, & R. Nathan Princeps tradidit R. Cahana filio ſuo, & R. Cahana Princeps tradidit eam Mar Soutra filio ſuo; & R. Mar Soutra Princeps tradidit eam R. Choni filio ſuo, & R. Choni Princeps tradidit eam R. Caphnai filio ſuo, & R. Zephaniah Sacerdos tradidit eam R. Schemarja Sacerdoti filio ſuo, & R. Chaphnai Princeps tradidit eam R. Chaninai filio ſuo, & R. Chaninai Princeps tradidit eam R. Boſthenai filio ſuo; & R. Boſthenai Princeps tradidit eam R. Chaſdai filio ſuo, & R. Schemarja Sacerdos tradidit eam R. Souta filio ſuo, & R. Chaſdai Princeps tradidit eam domino noſtro David filio ſuo; R. Souta Sacerdos, & R. David Princeps tradiderunt eam R. Anan Principi, ſuper quem pax ſit. Atque ille eſt, qui doctrinam veritatis iterum puram reddidit populo, poſtquam abſcondita fere erat. Purgavit autem, & manifeſtavit argumentis manifeſtiſſimis, veriſque, ac demonſtrationibus validis expoſuitque animam ſuam morti. Factumque hoc eſt tempore Abuaſaar Regis anno &c. (4402. ab. O. C. i. e. A. C. 642.) Fuit is Princeps captivitatis totius populi Iſraelitici in Babylonia. Et oppoſuit ſe diſcipulis R. Hillel, & veſtigia ejus prementibus, ſectatique eum ſunt multi ex fratribus noſtris, quia illis explicavit veritatem, & veſtigiis ejus inſtiterunt omnes, quibus timor Dei cordi erat. Hinc ad R. Saul Principem filium ejus ab eo delata eſt (doctrina). R. Saul vero tranſtulit ad R. Joſiam Principem filium. Iſte ad R. Beniamin Haondi. Ille detulit ad R. Daniel Haccomtzi, & R. Jitzchack Habbotzeri, & R. David Hammikamatz ad R. Noach, ideſt ad R. (Schelomo ben Jerucham, & R. Joſeph fil. Noach, & ad Rab Jacob fil. Jitſchack) Karkeſeni, & ad Rab Chaſur ben Maſchiach, & ad Rab Abraham ben Jitzchack Habbotzri. Eorum ætate fuit R. Saadias Gaon p. m. Happitomi; hic fuit diſcipulus R. Schalmon ben Jerucham. Atque R. Joſeph iſtius Saadiæ tempora attigit, ita ut æquales fuerint, & R. Joſeph illi ſe opponens, argumentis ſuis negotium faceſſiverit, ſicut commemorat in libro ſuo Maor, quem compoſuit anno 4690. poſt. O. C. i. e. A. C. 930. Hi tranſtulerunt ad Rab David fil. Boaz fil. Jehoſchaphath fil. Joſiæ Principis, & ad Rab Abovali, & ad Rab Amram, & ad Rab Saadia Bagi ben Abraham Habbotzri, & ad Rab Jacob ben R. Joſeph ben R. Abraham Habbotzri, & ad R. Joſeph videntem ben R. Jacob Hakkarkezeni, ille eſt qui compoſuit *magnum librum præceptorum*, ubi deſcendit etiam ad ſingularia, & ſubtilia quæquæ pulcherrimo modo. Hic tranſtulit porro ad Salomonem Principem, & R. Aaron Aboval Pirga, & R. Abraham Hurſulani Babylonium, & ad Joſeph Babylonium, & ad R. Zidka fil. Schomron Babylonium, & ad R. Chananja ben Jacob Babylonium, & ad Rab Joſeph Abraham ben Alan Babylonium, & ad Rab Eſra fil. Raboa, & ad Rab Jacob fil. Abraham fil. Gallati. Illi tranſtulerunt ad Rab Jeſcua ben Rab Eli, qui expoſuit totam Legem, Prophetas, & Agiographa, fecitque librum *Recti* ſuper omnibus præceptis, & ad Rab Jepheth Hallevi p. m. qui explicuit Legem, & fecit librum præceptorum. Illi tranſtulerunt ad R. Levi fil. R. Japheth Hallevi, & ad Rab Iſrael, & ad Rab Habbozri; ille totam Legem explicuit, tranſtulitque doctrinam ad Rab Eli, & ad Rab Bozani Babylonium, & ad Rab Iſaac ben Eli ben Rab Jitzchack, & ad Rab Iſſachar ben Minzouri. Illi tranſtulerunt ad R. Chaſdai ben Hiſchiæ ben Schelomo Principis, & ad Rab Abuali Sarga ben Aſer. Illi ad Rabbinum noſtrum Aharon Hahitati, & R. Japheth fil. Zair. Illi tranſtulerunt eam ad R. David ben Bozaz Haddamith, & ad Doctorem noſtrum Boas fil. Schelomo Principis fil. David, fil. Rab Chaſdai Principis, ſuper quem pax. Hucuſque adjuvit nos Deus, ut veram translationem inveniremus, quæ catena eſt, ſecundum quam deducta eſt doctrina veritatis, prout unus ad alium tranſtulit inde uſque a tempore Moſis Magiſtri noſtri, ſuper quem pax. Eſtque hoc præſidium certiſſimum, ut eruamus oculos dicentibus, quod doctrina ſcripturariorum ſit nova. Ideo coactus fui exponere veritatem ex libris ſapientum noſtrorum quos illi manibus ſuis ſcripſerunt. Scripti autem illi, erant annos fere trecentos, cum eos invenirem in Ægypto ope viri ſua ætate eximii, ſapientis perfecti, Principis Dei, Rabbenu Samuel Principis (cuſtodiat eum rupes ejus, & Redemtor ejus) fil. R. Schelomo Principis. *En tibi originem, ſeriem, & ſucceſſionem Sectæ, quamvis in Europa uſque ad noſtra tempora delituerit, in Ægypto & in Aſia celeberrimæ, Rabbanitis maxime inſenſæ.*

43 *Non ſunt habendi &c. Ipſi Rabbanitæ diſtinguunt Karæos a Sadducæis. Mardocheus Karæus in ſuo tractatu de Karæis cap. III.* Afferamus probationem reſponſionis ad quæſtionis primæ partem primam ex ipſis Rabbanitarum, ac duorum potiſſimum celebratiſſimorum virorum ſcriptis. Alter illorum ſapiens *Jehuda Levi* auctor libri *Coſari* eſt, qui a Rege Coſari de conditione & ratione traditionis doctrinæ interrogatus, in calce tractatus tertii libri laudati ita ſcribit. *Poſt hunc fuerunt Jehuda ben Tabbai, & Simeon fil. Schetach, eorumque collegæ. Horum temporibus incepit Karaiſmus propter aliquid quod contigit inter Sapientes & Jannæum Regem, qui fuit Sacerdos, matremque habuit ſuſpectam & contaminatam, quia in captivitate abducta fuerat. Hoc ei quidam ex Sapientibus tacite exprobrans dixit illi;* Jannai Rex, ſufficiat tibi corona Regni, relinque coronam Sacerdotii ſemini Aaronis. *Suaſerunt itaque ſocii ejus ipſi, ut ſapientes vexaret, perderet, in exilium ejiceret, & occideret.* His *ille reſpondit*, ubi perdidero ſapientes, a quo diſcemus Legem? *Reſponderunt illi*, ecce adeſt Lex ſcripta, complectens præcepta omnia, qui voluerit, veniat, & diſcat, neque eſt, quod ſollicitus ſis de Lege orali. *In exilium ire itaque juſſit Sapientes, inter quos Simeonem fil. Schetach generum ſuum. Sic Rabbinorum dignitas diminuta fuit ad tempus, conatique ſunt illi vindicare Legem ingenio, & ratiocinationibus, ſed ſuccubuerunt labori, nec perficere potuerunt, donec Simeon fil. Schetach & diſcipuli ejus Alexandria ex Ægypto revocati ſunt; atque adeo Rabbanitarum doctrina reſtituta fuit. Radices autem egerunt cum viris Legem oralem rejicientibus, & argumentis ſubtilibus ſententiam confirmantibus, ſicut adhuc hodie eos facere vides. Sed Sadducæi & Baithuſæi ſunt hæretici & Epicuræi negantes ſeculum futurum, ſuntque iidem illi, contra quos in precibus noſtris oramus. Karæi autem de fundamento multum laborant, in eliciendis vero conſequentiis nimis ingenio indulgent, & fieri poteſt, ut noxa afferatur ipſis quoque radicibus magis quidem ex ſtultitia quam intentione ipſorum.* Hucuſque verba R. Ju-

Judæ Levitæ. Eodem modo Sapiens R. *Levi* fil. *Abraham* in libro suo quem dixit *Liviat Chen* oratione III. sect. xx. ubi meminit temporis festi Christianorum (Pentecostes) in eumdem semper diem incidentis, loquitur ; *causa cur illi semper festum certo cuidam diei alligent, hæc est, quod phrasin*, crastina Sabbathi, *de die Sabbathum proprie dictum sequente accipiunt, quemadmodum etiam eodem sensu interpretantur Sadducæi & Karæi*. Hucusque verba R. *Levi* Levitæ. Et sapiens & subtilis philosophus, eximius Rabbi *Caleb* fil. *Eliæ* ex Karæis, postquam in libro suo, quem *decem sermones* vocavit, sermone IV. laudatorum virorum verba attulit, hæc addit; *& apparet ex verbis duorum illorum scriptorum, quod Karæi a Sadducæis & Baithusæis sint distincti, jam vero duorum testium ore, quorum alter candide rem exposuit, alter vero a Regis ira magis sibi timuit, quam ut rem aliter ac gesta est, edisseret. Propterea uterque verum dixerunt, & prout res habebat, ita professi sunt, etsi vel centum, immo mille etiam Sapientes dixerint, Karæos esse Sadducæos, mendacia tamen proferunt, quia partium studio & æmulatione, victoriæque cupiditate ducti disputant. Quanto minus verba eorum (Karæorum) recipientur ab illis, qui ad eorum (Traditionariorum) jussa se accommodant, sicut etiam nunquam a contentiosis istis hominibus pro Scripturariis habebuntur. Occludunt illi oculos mentis, multiplicant mendacia, linguaque sua injusta proferunt. Et quamvis primo intuitu & ex tralatitia consideratione prout a simplicibus & vulgo hominum, quos scilicet æmulationis, & contentionis studium vexat, judicatur, Karæos, Sadducæos, & Baithusæos esse, ex iis apparere possit, quæ R. Moses Maimonides in commentario suo in Capitula Patrum ad caput, cujus hoc est initium*. Antigonus Sochæus &c. *in hanc sententiam tradit*. Et vocantur in illis regionibus, h. e. in Ægypto Karæi, qui Sapientibus Sadducæi, & Baithusæi audiunt, atque hi sunt, qui opponere se traditioni aggressi sunt. *Hactenus ille. Nihilominus idem Maimonides re accuratius considerata, & procul habito zelo ac odio, Karæos a Sadducæis & Baithusæis distinctos habuit. Quando enim* ait; & vocantur in illis regionibus Karæi, *id sibi vult, quod vulgo ita fuerint appellati sensu improprio & tralatitio, quia discrimen non fecerunt inter utrumque cœtum, sed absolute communia jusserunt esse harum Sectarum nomina, ut Sadducæi dicerentur Karæi, hi vero vicissim Sadducæi, donec vulgus Karæos, qui in Ægypto erant, ex Sadducæis ortos existimaret, cum tamen Sapientioribus & veritatis magis gnaris, Sadducæi & Baithusæi aliæ essent sectæ, & ejusmodi quidem hæretici, qui dissentirent a cæteris in Lege scripta interpretanda, quanto magis in recipienda traditione, cujus nullum est in Lege præsidium. Quod ipsum innuunt verba ejus*. Illi sunt qui traditioni se opponere aggressi sunt, *quia ipsorum ætate non fuit traditio repugnans Legi scriptæ, eique adversa, & cujus nullum est in ea præsidium, sicut commemoravimus in præfatione generali, sed extitit tantum expositio, quam Sapientes in Lege suscipiebant ex constitutionibus, sepimentis, & modis certis, quorum in ipsa Lege scripta indicium exstabat; tantum abest, ut dextram sinistram, & sinistram dextram dicerent. Sadochus vero & Baithus initium faciebant contradicendi etiam illis, in quibus Israelitæ omnes consentiebant*. Hucusque verba R. *Caleb* ben Eliæ. Idem Sapiens Doctor noster *Caleb* loco ex laudato libro commemorato ita ait. *Atque istæ sectæ* (h. e. Sadducæi, & Baithusæi) *secundum nostram & fratrum nostrorum Rabbinatarum sententiam Epicurei sunt, & hæretici negantes seculum futurum, quod est dogma Legis, & fidei fundamentale. Hi ipsi in libris sectæ Sadducæorum, & Baithosæorum appellantur*. Sic Rab Doctor noster Jehuda Haddassi Haelbel in libro Eschol copher præcepto I. alphabeto 76. & 77. monet, *quod Sadducæi, quamvis fuerint ex filiis Israel, abnegarunt tamen res, quæ extant in Lege, & falsissima persuasione animos inducebant, ac si miraculum quoddam fieri deberet, ad se vel convertendos, vel confutandos in eo, quod vetarent repudia. Menses etiam suos omnes ita numerabant, ut 30. omnino diebus absolverentur. Neque Pascha & octavum diem Azereth unquam celebrabant die Sabbathi, sed die profesto. Tribuebant etiam similitudinem corporis Creatori* (utinam eos Deus ex terra viventium eradicet, Sela. Psalm. 411. 7.) *& præter hæc alia mala dogmata, & ementitos fidei articulos afferebant quemadmodum commemorat de iis & narrat David ben Meduaz al Mikmatz in nonnullis libris suis*. Quamvis itaque Baithusæi multas res de Lege inficiantur, iidem tamen non assentiuntur sententiis, quæ traduntur a secta Sadducæorum. Nihilominus tamen utrique statuunt optime & præclare, quod festum Pentecostes non nisi die primo celebrari debeat, quæ etiam sententia est asseclarum Scripturæ. Qui igitur ait, Karæos esse Sadducæos & Baithusæos, non loquitur recta, quia ex sententia nostra illi Hæretici sunt & Epicurei. Enimvero quoniam nos Scripturæ assèclæ, inficiamur Kabbalam, quam amplectuntur fratres nostri Rabbanitæ, ideo quod nullum ejus est in Lege præsidium, & de ea dicitur (Ezech. XIII. 7.) Deus locutus est, quamvis is non sit locutus; illi autem h. e. Sadducæi & Baithusæi inter cæteras res multas, quas de Lege, & fundamentis fidei negant, etiam hanc traditionem mendacii arguunt, in qua re proinde nobis cum illis convenit: hinc factum est, ut illi nomen eorum in nos simpliciter devolverint, vocantes nos Sadducæos & Baithusæos. *Vides Lector Rabbanitarum ipsorum testimoniis Karæos a Sadducæis & Baithusæis fuisse distinctos, quamvis in nonnullis ritibus eadem cum illis sensisse ipsimet fateantur.*

[44] *In die festi &c. Tikkoun Hakkarin M. S. citatum a Triglandio in cap. IV. dissert. de Secta Karæorum*. Nos (*inquit*) Karæi non ita hanc rem facimus ut Rabbini, sed capita mensium singula suo constituta tempore & loco &c. Hoc (*Karæorum institutum*) verum probumque est. Namque illi faciunt sacrificium in mense suo, secundum id quod scriptum extat in Lege, *Holocaustum novi mensis in mense suo*, at vero si faciant novilunium citra apparitionem (*Lunæ*) hoc sibi non recte constabit; neglecta enim apparitione facient v. g. mensem cavum qui sit plenus, atque ita in isthoc mense, qui præteriit, facient duo sacrificia, unum initio, alterum in fine, & sequens mensis sine sacrificio abibit, quod magnum est peccatum & iniquitas. *Magnas excitavit turbas inter Karæos & Rabbinitas hæc disputatio an constituendum esset necne novilunium ex calculo Astronomico, an ex apparitione Lunæ. Audiamus hac de re Abarbanelem ad Exod. cap. 12. uberrime contra Karæos disserentem latine redditum a clar. Houtingio ad cap. II. Rosch Haschanna*. Cavillantur Karaitæ, atque explodunt Israelitarum Sapientes, eo quod per Calendaria atque computus, lunam Pharisæi sanctificarent, cum statuant Legis præceptum esse, ut secundum Phasin luna sanctificaretur, illudque probant ex illo Exod. XII. 2. *Mensis iste vobis principium mensium*; nam non vocamus חדש mensem, nisi cum Luna innovata appareat, sicuti dicitur *Psalm.* 80. 4. *Buccinate in Neomenia tuba. Quando mensis transibit. Amos* 8. 5. Præcepit vero Deus ut ad Phasin Lunæ, dum renovata apparet, mensem sanctificarent, sicuti dicitur. *Observa mensem novarum frugum. Deut.* 16. 1. quasi diceret, quod observarent phasin innovationis lucis novilunii ad figendum mensem Martium. Si jam vero præceperit Deus, ut mensem ad apparitionem Lunæ consecrarent, & hoc antiquitus erat inter Israel florente eorum Republica, quomodo ergo venit in mentem istorum Sapientum mutare præceptum, & irritum facere id, quod Lex de præcepto ad phasin præceperat, & figere novilunia per computus ad eorum libitum, cum dicant, cessante Synhedrio etiam cessare visionem, & excogitent sibi quam multas supputationes ad proprium arbitrium? Annon Israelitæ usque ad R. Gamalielem sua novilunia figebant ad phasin Lunæ? Et non est cogitandum phasin tantum obtinuisse in terra Israelitica; nam clare constat R. Akibam intercalasse annos, & fixisse extra terram novilunia non per computus neque ritu eorum. Omnes autem Rabbinorum interpretes explicant versum illum Levit. 23. 4. *Quas celebrare debetis temporibus suis*, etiamsi erretis, etiamsi decepti sitis ab aliis, tamen non sunt mihi statuta tempora nisi quæ consecrata sint. Si jam vero illorum computus esset divinæ auctoritatis, sicuti accipiunt, quomodo ergo possent errare, & ab aliis decipi? Verum durum erat prioribus illis, qua auctoritate statuerunt lectionem Megillæ, quandoquidem scribitur: Hæc sunt statuta quæ præcepit Deus per manum Mosis, & nulli prophetæ data est, potestas innovandi, ergo quomodo Mardochæus, & Esther addiderunt lectionem Megillæ? Sed non durum fuit illis figere computus, & mutare Novilunii fictionem per phasin. Propterea

autem quod argumenta iſta, & præter hæc alia extant in verbis & commentariis Karaitarum, ideo dignum eſt ut unicuique reſpondeamus verbis pacis & veritatis, & ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam. Et probabo præceptum illud Exod. 12. 2. promulgatum, nempe *Menſis iſte vobis principium menſium* non explicandum eſſe, quomodo menſis conſecrari, & qua in quantitate Luna apparere debeat; nam hoc in loco non vocatur חדש a phaſi & innovatione Novilunii, ſed tantum præcepit Deus ut facerent hoc in liberationis memoriam, & omnibus annis iſte menſis, in quo egreſſi fuerant, eſſet principium omnium menſium, & ab eo ſuos numerarent menſes pro principio; nam explicavi nomen חדש aliquando dici de menſis initio, e. g. *Cras erit novilunium*, 1. *Reg.* 20. 5. conſequitur ergo jam neceſſario, fundamentum iſtius præcepti in eo conſiſtere, ut menſis Niſan conſtituatur pro capite & principio omnium menſium totius anni. Verum enimvero quomodo חדש conſecrari debeat ſive per apparitionem, ſive per computum, hoc non expoſuit nobis Sacra Scriptura; nam ſi Scriptura obligaret, ut ſecundum Phaſin ſanctificarent, explicandum erat ad quem terræ locum hæc per phaſin conſecratio pertinet; nam certo ſcimus aciem viſus omni in loco ſecundum terræ latitudinem immutari, ſicuti ſcribit R. Aben Ezra. Si vero ſecundum calculum conſecrandum eſſet novilunium, explicare debebat modum; quis enim eſt qui non ſapit, qui non intelligit, qui non novit, apud Ægyptios olim in uſu fuiſſe, ut menſes & annos ſuos numerarent? Sic & cæteræ gentes etiam ſuos annos in terra ſua numerabant ſecundum generationes, & notum eſt hoc non pendere a fictione חדשים ſecundum phaſin Lunæ, ſed ſecundum computus ſibi conſuetos, idcirco non neceſſe fuit, ut nobis Sacra Scriptura modum ſanctificandi menſes, aut annos explicaret; nam procul dubio tum temporis Moſi in monte Sinai oſtenſus, atque explicatus fuit modus Lunam ſanctificandi ſecundum phaſin & ſupputationes, & fundamenta ad deducendum ex iis; Lex enim noſtra deciſionibus Moſaicis ex monte Sinai allegata eſt; ſic enim reſpondit auctor Regi Coſri, quando dictum fuerit, *Menſis iſte vobis principium menſium*, an non dubitabat num vellet dicere menſes Ægyptios inter quos vivebat, vel menſes Chaldæorum, qui fuerant cum Abrahamo in Ur Chaldæorum? num vellet proponere menſes ſolares, vel menſes lunares, aut annos lunares, & ſtudium ad conciliandum cum annis ſolaribus, ſicuti fit in doctrina intercalationis? Si vero חדש ſanctificari ſecundum phaſin debeat, quomodo fiet, ſi ingraveſcant nubes pluviarum, ne luna appareat? neceſſario ergo confitebuntur Karaitæ præter hoc dictum, quod Deus dixerit Moſi *Exod.* 12. 2. *Menſis iſte vobis principium Menſium*, etiam accepiſſe Moſen explicationem iſtius præcepti, & hinc proveniſſe inter gentem noſtram originem, & fundamenta Calendarum. Et quomodo excogitari poteſt, ſtante Republica Hebraica non fuiſſe in uſu niſi conſecrare ſecundum apparitionem, & defeciſſe Calendaria, & curſus Solis & Lunæ jam ab omnibus populis obſervatos? Nam in confeſſo eſt apud R. Chanael Lunæ fictiones inter Iſraelitas non ſolum obtinuiſſe ſecundum phaſin, ſed etiam ſecundum ſupputationem, quod probatur ex eo, dum nempe per 40 annos proficiſcebantur in deſerto, columna nubis eos interdiu obtegebat, & noctu columna ignis, ita ut per omnes annos neque interdiu ſolem, neque noctu lumen videre potuerint, ſecundum id quod dicitur Nehem. 9. 19. *Et tu in miſericordia tua non dereliquiſti eos in deſerto, columna nubis non receſſit ab iis interdiu, ut deduceret eos per viam, & columna ignis noctu, ut illuſtraret eos*: unde ergo poterant tantum figere חדשים novilunia ſecundum phaſin Lunæ? ſed certe & ſine dubio iſtius præcepti fundamentum eſt, ut ſacrificetur ſecundum computum. Accipimus autem per oralem traditionem, quod 12 ſunt menſes anni, ab iiſque quinque ſunt pleni, unuſquiſque habens 30 dies, & quinque ſunt defecti, unuſquiſque 29 dierum, reliqui vero duo aliquando ſunt perfecti ſcilicet 30 dierum, aliquando vero defecti 29 dierum, contigit etiam, unum ex iis eſſe plenum 30 dierum, alterum vero defectum 29 dierum, qui duo menſes ſunt מרחשון, & כסליו, ac etiam per oralem traditionem accipimus, novilunium Tiſrinum eſſe initium ac caput anni, & unumquemque menſem ſecundum Moſis e monte Sinai deciſionem habere 29 & dimidium diei, & 793. minuta; ergo fundamentale iſtius præcepti non conſiſtit in eo, ut חדש ſanctificetur ſecundum phaſin, ut iſti homines velint, ſed ut novilunium Niſan ſit caput menſium annorum. Et quare Deo placuiſſet ut conſecrarent per duos teſtes, qui aliquando falſa propter incognitam cauſam poterant teſtari, & non ſanctificarent per ſupputationem, quæ ſine dubio & errore evidentiſſima eſt demonſtratio; falſum enim eſt id, quod aſſerunt homines iſti dicendo, florente Rep. Iſraelitica non conſecraſſe niſi ſecundum phaſin; nam invenies Jonathano dixiſſe Davidem: *ecce cras novilunium eſt, & ſedebo cum Rege* 1. Reg. 20. 5. Unde autem ſciebat David cras fore novilunium niſi per calculum? nam ſi per ראייה phaſin, poterat fieri quod craſtino non appareret Luna, & non figerent novilunium. Hoc vero accedebat inſuper, & res ipſa arguit illos fixiſſe duos dies novilunii ſicut dicitur 1. Reg. 20. 24. *& abſcondit ſe David in agro, fuitque novilunium, & ſedebat Rex ad cibum*, & ſcribitur v. 27. *& fuit poſtridie a novilunio diei ſecundi, cum vacaret locus Davidis*; Hoc autem intelligendum eſſe de alio novilunio minime convenerit, nam Scriptura vocat eum חדש ſecundum, & Saul dicebat: *Quare non venit filius Iiſchai tum heri, tum hodie ad cibum?* loco citato v. 27. & v. 34. dicitur, *& ſurrexit Jonathan a menſa accenſus ira, neque comedit cibum in die ſecunda novilunii*. At non clare & evidenter conſtat illos iſto menſe binos Neomeniæ dies celebraſſe ſecundum noſtram conſuetudinem moremque apud Iſraelitas invaluiſſe, ut ſecundum computum ſuas Neomenias figerent, ita tamen ut cum phaſi conveniat, verum ſupputatio eſt totius rei fundamentum, idcirco invenies explicatum in Scriptura id quod dicitur. 1. Paral. 12. 32. *Et ex filiis Iiſſacar erant qui ſciebant tempora, ut noſcerent Iſraelitæ, quid ſibi faciendum eſſet, primores illorum ducenti, quorum omnium fratres ex præſtituto agebant*. Nulla enim res alia ad figenda tempora & ſtatuta ſequitur, quam ſupputatio, quæ eſt intercalationis arcanum; verum Lunæ apparitio eſt res nota, & ſenſu apprehenſibilis, nam cum Luna appareat, omnes ſciunt novilunium, ac conſequenter in diem decimum quintum incidere feſtum Azymorum, & caput anni in primum Tiſri, & diem expiationis in decimum iſtius menſis, feſtumque Tabernaculorum in diem XV. menſis Tiſri. Verum ſupputatio non eſt data niſi ſapientibus, qui ſupputant; & Iſraelitis indicant Neomeniarum fictionem, & Dei ſtatuta, ita ut Iſraelitæ iis obtemperent, & hoc eſt quod dicitur 1. Paralip. 12. 32. *Ut noſcerent Iſraelitæ quid ſibi faciendum eſſet, primores illorum ducenti, quorum omnium fratres ex præſtituto agebant*. Et ſic conſueti ſunt Iſraelitæ per 1100. annos; a diebus ſcilicet Moſis uſque ad Antigoni tempora, qui erat caput ac præſes captivitatis, & Synhedrii, ſub cujus ductu & auſpicio duo erant diſcipuli Sadoch & Baithus; cum vero illis explicaret, ne ſitis inſtar ſervorum, qui Domino miniſtrant, ea intentione ut accipiant prœmium; tunc enim in ambiguo hæſerunt, & putarunt, quod non futura eſſet neque merces neque pœna poſt hanc vitam, egreſſi ſunt in progeniem nequiorem. Cum vero iſtius ſeculi ſapientes intercalationis ſcientiam, atque ſupputationem (quæ illis decore erat tradita) defenderent, inceperunt nequiores iſti diſcipuli ab iis dirumpere traditionis ſcientiam, & præceptorum explicationem, & appoſuerunt ſe fictioni Noviluniorum, cum dicunt quod fundamentale iſtius præcepti non ſit, ut novilunia per ſupputationem figantur, ut inde neceſſe ſit ſapientia decora, ſed ſecundum phaſin Lunæ per duos teſtes ſive ſtultos ſive ſapientes. Tunc autem coacti ſunt iſtius ſeculi ſapientes illorum fundamenta abnegare probationibus perfectis & firmis. Similiter quoque dixit Rabban Gamaliel, ne curetis de videnda luna; ſupputatio enim eſt fundamentum, ſicuti accepi a majoribus meis, quod Lunæ innovatio non minor ſit quam 29 & dimidium diei 793. minuta, hoc vero indicat, R. Gamalielem nullo modo nixum fuiſſe fundamento apparitionis Lunæ, ſed ſupputationi. Et legitur in Miſna (tractatu Roſch Haſchana) ſi viderant Synhedrium & omnis Iſrael, ſi inveſtigati erant teſtes, & tamen non ſufficiebat dicere ſanctificatum, eo quod immineret crepuſculum, clare conſtat, menſem iſtum

esse intercalatum, hæc vero est probatio sufficiens, quod penes illos non erat fundamentum per phasin Lunæ; nam si esset fundamentum, ut secundum apparitionem sanctificarent, quomodo autem fit, quod post phasin intercalabant menses? Et adhuc aliquid majus exstat in eodem tractatu ad probandum, nempe si venirent duo testes, & dicebant, vidimus Lunam in tempore suo, scilicet die 30 & nocte intercalationis, quæ est finis diei 30, non apparuit, tamen illos testes accepit Rabban Gamaliel, si nitebatur apparitionis fundamento, non vero supputationi; evidens autem est, eo quod non apparuerit nocte intercalationis, illos fuisse testes falsos, ergo sine dubio constat, quod Rabban Gamaliel nitebatur supputationi, non vero testium testimonio; sic etiam invenitur de Gamaliele, sicut dicunt, figuras Lunæ ipsum habuisse in conclavi in tabula parieti affixa, quas idiotis ostendebat; intentio enim istius Rabbini erat, quod hoc fecerit, ut discipulis Sadochi atque Baithi explicaret scientiam cursus Lunæ singulis mensibus; nam sciebat Rabbinus iste formas & figuras Lunæ singulorum mensium, num longa, num brevis, quam alta debebat esse in sphæra, & ad quam terræ partem debebat declinare, & singulis mensibus hoc explicabat discipulis; nempe hoc mense figura Lunæ tali & tali modo declinata erit, & eandem figuram, quam discipulis suis ostendebat, testabantur testes singulis noviluniis. Ex eo enim patebit, præcepti fundamentum non consistere in eo ut sanctificetur secundum phasin, sed secundum supputationem, & tunc cessabunt litigia. Verum cum accipiebant testes, hoc erat in memoriam, non vero erat fundamentum secundum phasin, sed secundum calculum, ideo dicunt legem hanc de Calendario datam fuisse Mosi in monte Sinai, & potestatem concessam Synhedrio figendi annos intercalandique secundum libitum, ita tamen ut conveniat cum arcano Calendarii. Et jam ostendam notificationem hanc a Synhedrio pendere ex eo quod scribitur 2. Paral. 30. 2. *Inito ergo consilio Regis & principum, & universi cœtus Jerusalem decreverunt facere Phase mense secundo*; & non transgressus est Rex sanctus iste præceptum illud de observando mensem Martium, quod erat in mense primo, neque transgressus est præceptum ad offerendum sacrificium suum in tempore suo, neque comedendum dedit Israelitis fermentata in Paschate mense primo, absit hoc, neque ordinavit festum ad celebrandum Pascha in mense secundo; nam Scriptura hoc non concedit, ut Pascha mense secundo celebrarent nisi pro pollutis, ut ederent Pascha; sed Azyma, & festum polluti etiam comedebant, & celebrabant illud mense primo. Verum Caraitæ prævaricatores & scelesti illi, Regem Hiskiam prægrandis sceleris accusarunt, dicuntque ipsum transgressum fuisse præceptum hoc, quod erat edoctus ab Achaso patre suo, quæ accusatio sane insolens est; nam testatur Scriptura de Hiskia, ipsum justum & perfectum fuisse 2. Paral. 29. neque recessit ab omnibus Dei præceptis neque sinistrorsum, neque dextrorsum; similiter etiam tali modo Deum, precabatur loco citato: *Recordare quæso, quod continue coram te ambulavi, & id quod bonum erat in oculis tuis feci*. In hoc autem cardo rei versatur, sicuti exposuit Aben Ezra; Pascha quod Rex celebrabat, fuisse mense secundo recte in tempore suo; verum Regis error in eo erat positus, quod annum in fine Mensis Adar debuisset intercalare, sed deceptus intercalavit mensem Nisan in Nisan, & hæc erat potissima ratio, quia Israelitæ omnes non poterant tempestive congregari, & Sacerdotes mundificari, & sanctificari. Sit vero ut sit, ex eo enim colligimus, omnes istas res, & similia, veluti annorum intercalationes, noviluniorum fictiones pendere a Synhedrio magno Hierosolymitano, & hoc quod illi faciunt, est secundum Legem; & hoc quod dicitur in Lege: *ne addas aliquid, neque ab eo quid diminuas*, non aliter est intelligendum, nisi de populo vulgari, ne illi scilicet ad libitum & intellectum suum sanctificent, & super ingenium sapiant circa præcepta, sicut Caraitæ faciunt, sed ut Prophetas, & Sacerdotes, & Judices audiant, quia Deo adjuvantur. Similiter etiam Regi Cosri scripsit Chaber, quod impossibile est, ut totum Synhedrium in re legali erret, idcirco rei veritatem Scriptura pendere fecit a loco quem elegerit Deus, & obligati sumus legere volumen Esther, observare lucernas dedicationis, manuum lavationes, & ciborum commixtiones, & super hæc omnia hanc pronunciare benedictionem; *Qui Sanctificavit nos in præceptis suis &c.* Idcirco totum hoc doctoribus Legis & Synhedrio Deus attribuit; verum Caraitæ ut sese a moribus Sapientum Israelitarum elongarent, contempserunt illorum sapientiam, & intellectum in re Astronomica, & calendariis, de quibus tamen dicitur in S. S. *Hæc enim est sapientia vestra, & intellectus vester in oculis populi*, tunc elegerunt sibi modum sanctificandi ad phasin Lunæ, ut ostenderent sese esse elongatos a vera traditione. Verum enim vero hæc res nullo modo eventum suum sortita est; nam in confesso est, illos omni modo opus habere traditionibus ad novilunii ac anni sensum sciendum, sicuti supra demonstravi, quomodo & quando sanctificari debent, velut si per tres aut quatuor menses nubes fuerint, scribunt illos tunc figere novilunii innovationem nempe tres menses plenos, dicuntque nos necessario debere annum intercalare propter illud Deut. 16. 1. *Observa mensem novarum frugum*; & quemadmodum mensium intercalationes non fiunt nisi a diebus, sic etiam non intercalant annos nisi a mensibus; & secundum verba Rabbinorum menses tu debes numerare ad formandum annum, non dies, illi etiam sequuntur Rabbinorum ordinationem, qui ordinarunt Lunæ circumvolutionem per 19 annos, & decreverunt intercalare septem annos, tertium scilicet & sextum, octavum, 11. 14. 17. & 19; ex eo enim clare patet etiam Caraitas traditionibus & supputationibus in figendis Noviluniis & annorum intercalatione nixos fuisse. Et mirum mihi videtur quomodo sapientes illorum pudore non afficiuntur, dum sanctificant חדש sine differentia loci; nam sunt Caraitæ, qui degunt in terra Israelitica, qui talem diem sanctificant, & qui sunt in Damasco alium sanctificant diem, & sic in aliis locis etiam, ita ut illi in uno loco edant azyma in Paschate, & faciant opus in die Expiationis secundum scientiam hominis alterius loci; nam forsitan illi uno nituntur teste, aliique duobus aliis, & pro eo quod Israelitæ essent una gens in terra, sicuti admonuit ipsos Deus, ut *ipsis esset una lex unumque judicium*, factæ sunt in eos multæ leges, ac variæ constitutiones, diversaque scita, deque iis nihil aliud est dicendum, nisi quod ita fuit sententia alicujus Rabbini; ergo revertentur ad credendam Cabalam. Sic etiam potius utuntur alicujus privati aut privatorum traditionibus, quam quod nituntur Prophetarum institutis & traditionibus; sectantur enim illi tales, qui explicant secundum suas opiniones. Jam vero explicabitur tibi istius præcepti intentionem esse, ut mensis Nisan constituatur in caput & principium mensium annorum in memoriam liberationis ex Ægypto, nulloque modo Deum præcepisse, ut novilunium secundum phasin sanctificarent, sed modo aliquo verifico & exacto quam maxime possibili, & fundamenta scientiæ Calendarii data fuisse Mosi magistro nostro in expositione quam ab ore accepit, ut arcanum menses sanctificandi, annosque intercalandi summo traderet Synhedrio. Idcirco dixit Scriptura de hoc præcepto: *Dixit quoque Dominus ad Mosem & Aaron*, in terra Ægypti quia illis datum est præceptum loco summi Synhedrii, & solvitur hoc modo quæstio tertia, & dixit in terra Ægypti ad denotandum quod fictio istius חדש primi erat secundum terram Ægyptiacam, *& dixit*. Exod. XII. *mensis iste vobis*, quia Israelitæ consueti erant mensibus Ægyptiacis, jam vero præcepit in memoriam liberationis ne facerent amplius.

* *Cum ad indicandum Judæis procul dissitis novilunium in editissimis montibus facibus uterentur, cum semel Cuthæi, idest Caraitæ his facibus Rabbanitas decepissent, Synhedrium Hierosolymitanum, a quo Neomenia consecrabatur, decrevit, ut per nuncios novilunium significaretur. Rosch Haschana* cap. II. 2. 3. Olim ad novilunium indicandum flammas elevarunt, ut cum Cuthæi (*idest Caraitæ*) malitiose idem intempestivo tempore facerent, decretum est, ut nuncii ad illud significandum egrederentur. Flammas autem sic extulerunt: accipiebant bacillos longos e cedro, & cannas, & ligna pinguia, & stupam lini, & hæc filo colligabant, deinde unus in fastigium montis oliveti ascendebat, ignem admovebat, atque flammam hinc illinc sursum deorsumque agitabat, usque dum videret

deret alium idem in proximi montis cacumine facientem, ſicque fiebat in monte tertio. Unde autem has flammas elevarunt? a monte ſc. Oliveti uſque ad Sartebam, tunc a Sarteba uſque ad Gerophinam, a Gerophina vero uſque ad Gauram, a Gaura uſque ad bet Baltin, a bet Baltin non recedebant, ſed hinc illinc ſurſum atque deorſum agitabat, uſque dum videret ante ſe totam captivitatem inſtar tædarum. *Ibidem legimus aliquando a Baithuſæis, ideſt a Karæis teſtes fuiſſe corruptos, qui de Novilunio coram Synhedrio teſtari debebant.* Si teſtem non noverant, alium cum ipſo mittebant, ut ille deinde de ipſo teſtimonium reddat. Ab initio acceperunt teſtimonium de Novilunio de quovis indiſcriminatim; poſtquam autem Baithuſæi omnia depravarunt, ſtatuerunt ne teſtimonium acciperent niſi ab hominibus probe notis. *Gemara ad hunc locum.* Antea teſtimonium de novilunio accipiebant ab omnibus hominibus. Tradunt Rabbini, quid eſt quod Baithuſæi depravarunt? hoc nempe, illos operam aliquando dediſſe; ut phariſæos deciperent, & ad hoc exequendum alios conduxiſſe pro 400. Zuſis, unum de gente noſtra, alterum de gente illorum, quippe primo ſuum de novilunio proponebat teſtimonium, atque exibat. Phariſæo vero dicebant, dic quomodo lunam vidiſti, reſpondebat illis, aſcendebam verticem alicuis montis, ac videbam eam inter duas petras recubantem, caput ejus ſimile erat vitulo, cervoque ſimiles erant ejus aures, cornua hædo erant ſimilia, caudaque ejus requieſcebat inter duo latera, & intuitus ſum eam, & admiratus ſum, & receſſi quaſi retrorſum. Si vero vos mihi non credatis, ecce paratas habeo 200. Zuſas colligatas in hoc ſudario; dicebant vero ipſi, quis te coegit? Reſpondebat illis, audivi quod Phariſæos Baithuſæi decipere ſtudebant, dixi, abibo ego, & indicabo illis (*Phariſæis*) ne forte veniant homines improbi & ſceleſti, ac Rabbinos decipiant; dixerunt ipſi (*Rabbini*) 200. Zuſas pro dono dabimus tibi, & qui mercede te conduxit, extendatur, atque alligetur columnæ. Ab eo tempore & deinceps ſtatuerunt, ne teſtimonium de novilunio acciperent niſi ab hominibus, quorum integritas & fides ipſis eſſet perſpecta, atque cognita. *His de cauſis ad conſtituenda Novilunia Rabban Gamaliel lunæ phaſes domi ſuæ in tabula depictas habebat. Roſch Haſchana cap. II. 8.* Phaſes lunæ habuit R. Gamaliel in tabula conclavis ſui, quas idiotis oſtendebat, deinde interrogabat, an Lunam ita vel ita vidiſtis &c.

45 *Poſt ſolis occaſum &c. R. Eliahu Karæus in libro* ארחת. Et propterea ſciſſi ſunt ſapientes Iſraelis in duas Confeſſiones magnas. Una Confeſſio erant ſapientes Karæorum dicentes, quod Paſcha mactandum ſit poſt occaſum ſolis, quoniam hoc tempus eſt, quod proprie vocatur inter duas veſperas. Confeſſio ſecunda erat Beth Hillel, ſtatuens quod inter duas veſperas ſit a tempore quo ſol inclinat ad latus Occidentis, ideſt a ſexta hora & dimidia, ſi diem numeres ab ortu.

46 *Solos mares &c. Idem ibidem.* Domus Hillel utique obligant mulieres ad ejus (*Paſchatis*) oblationem, *ſic ajunt*, ſed ſi a Paſchate primo impediantur, ſecundum iis eſſe liberum, hoc eſt rem pendere ex illarum arbitrio, ſive velint, ſive nolint facere oblationem. Quod ſane merito ſubit mirari; cum enim obligantur ad Paſcha primum, & non ad ſecundum. Cum ecce inter Paſcha primum & ſecundum nullum diſcrimen ſit quod quidem attinet ad obligationem. Summa eſt, ſapientes noſtros, ſupra quos pax, deciſiſſe dicendo nullos ad hoc teneri, niſi mares jam pubertatem adeptos. *Rabbanitæ contrariam ſcientiam acerrime tuentur. Maimonides de Sacrificio Paſchali cap. V. 8.* Mulieres ſi per oppreſſionem, per imprudentiam, per inquinamenti, per itineris longi cauſam ad ſecundum Paſcha detruderentur, omnino Paſcha ſecundum ſolutum ipſis erat; immolabant ſi vellent, ſi nollent, non immolabant. Quamobrem ad Paſcha ſecundum pro ſolis ejuſmodi mulieribus victimam Paſchalem ſabbatho mactare nefas erat, eadem ut ſabbatho mactaretur, & nomine talis alicujus mulieris ſodalitio cuidam adjunctæ licebat.

47 *Quo reliquiæ &c. R. Eliahu ibidem &c.* equidem de comburendis reliquiis ſtatuit Beth Hillel, quod ſint cremandæ die XVI; ſic enim ſciſcunt, a quo tempore tu comburis? tempore exitus tui ex terra Ægypti (*Deut. 16. 6.*) ac ſi hoc vellet dicere, quod ferendæ eſſent in domum combuſtionis die XVI. (*eo nempe ſupponunt Iſraelitas egreſſos.*) *ideoque ſic exponunt illud dictum Exod. 12. 10. nec remanebit quicquam ex eo uſque mane; ſiquid reſiduum fuerit igne comburetis*; ponitur mane juxta (*alterum*) mane, ut inde diſcas, quod reſiduum comburetur mane diei ſecundi. At certe ſapientes noſtri, ſuper quibus pax, cenſuerunt, quod eſſet comburendum die XV. ſecundum ſimpliccm & aptiſſimum ſenſum; nam illud *mane* (*quod ajunt bis repeti*) *eſt* unum idemque mane diei XV. *Audiamus Rabbanitas cap. VII. 10. Peſachim.* Oſſa, nervi, & reliquiæ comburuntur decimo ſexto die; ſi decimus ſextus dies inciderit in Sabbathum, comburunt decimo ſeptimo, quia non polluunt ſabbathum, neque diem feſtum.

48 *In tempore oblationis &c. R. Eliahu Ibid. cap. 1.* de probationibus quas adducit domus Hillel, quod מחרת השבת craſtina Sabbathi. Levit. 13. 15. ſit craſtina diei feſti, ſive primus VII. dierum Azymorum &c. Cæterum ſapientes Iſrael & tempore quo numerabant (*dies Pentecoſtes*) ſcindebantur in duas partes. Una erat opinio Doctorum Kabbalæ, qui dicebant eſſe conſentaneum, ut numerandi initium fieret a veſpera, eodem modo quo dies in Lege a veſpera ad veſperam computantur. Altera erat ſapientum ſcripturæ, qui ſtatuebant convenire, ut numerarent a mane, quoniam initium erat ſumendum a die oblationis manipuli, quem offerebant mane, habita ratione dierum ſacrificialium, qui procedunt a mane uſque ad mane .... Utique ſapientes noſtri conſueverant numerare a mane eo tempore, quum offerebatur manipulus. *Rabbanitarum ſententia firmioribus ſuffulta argumentis mihi videtur. Megillath Taanith cap. I.* Et poſt octavum diem uſque ad finem ſolennitatis (Paſchalis) reſtitutum eſt feſtum ſeptimanarum (Pentecoſtes) quibus diebus ne quidem eſt lugendum. Quodnam illud eſt? eſt Azereth (quinquageſimus dies.) At revera non eſſet neceſſe, ut omnes iſti dies feſti ſcriberentur in hoc volumine, niſi de hiſce diſputatum fuiſſet cum Baithuſæis (*Charæis.*) Hi enim contendebant, Azereth, ſive quinquageſimum diem eſſe (quotannis) poſt Sabbathum. Rabban Jochanan eos adiit, & dixit; unde vos ſtolidi hoc habetis? Nemo inter eos repertus eſt, qui ei quicquam reſponderet, præter unum ſeniorem, qui garrulo ſermone contra eum oblocutus dixit; Moſes magiſter noſter amavit Iſraelem, & novit, Azereth unum duntaxat diem celebrari, ideo ſeſe excitavit, & ordinavit illum poſt Sabbathum, ut ſeſe duos dies continuos oblectarent. Tunc prælegit (Rabban Jochanan) illi ſcripturæ locum, qui exſtat Deut. 1. 2. *Undecim diebus de Horeb per viam montis Seir uſque ad Cadesbarne.* Si Moſes magiſter noſter amavit Iſraelem, quid cauſæ eſt, quod cum quadraginta annos (loco undecim dierum) retardavit in deſerto? Reſpondit ei *Baithuſæus*; Rabbi, tune hoc ipſo *reſponſo* me dimittes? Dixit ei *R. Jochanan*, ſtultiſſime omnium hominum, an lex noſtra perfecta comparari debet cum veſtro inani ſermone? Reſpondit *Baithuſæus*. Quid eſt quo me dimittes? Dixit ei, *R. Jochanan*: In ſcriptura legimus, Levit. 23. 15. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbathi &c.* Numerus ille non poteſt aliunde dependere, quam a ſeptimanis. Hinc ſequens comma habet: *uſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, ideſt quinquaginta dies*. Quomodo hoc eſt intelligendum? R. quando dies feſtus incidit in Sabbathum, ab eo ſeptem ſeptimanæ numerari debent. Si vero incidat in diem poſt Sabbathum, inde numerandi ſunt quinquaginta dies. Inde intelligitur, cum Lex dicit, *ab altera die Sabbathi*, ejus ſenſum eſſe a craſtino primi diei feſti Paſchatis. Sed R. Elieſer dixit, non opus eſſe eo *R. Jochananis reſponſio*, cum in Lege exſtet *Deut. 16. 9. 10. ſeptem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in ſegetem miſeris, & celebrabis diem feſtum hebdomadarum &c.* Numeratio dependet a domo Judicii, excepto Sabbatho Bereſchith (hebdomadali) quod unuſquiſque enumerare poteſt. R. Jehoſchua dixit. In Lege habetur: *Numera dies, & ſanctifica novilunium; numera dies, & ſanctifica Azereth.* Quando novilunium propinquum eſt adventui tuo, cognoſcitur. R. Iſmael dicit; Lex dicit Levit 23. 10. 17. Adfer Omer in paſchate, & adfer duos panes in Azereth; ſicut illic eſt feſtum (A. C. & *initium feſti.*) ita hic quoque eſt feſtum, & primus dies feſti. R.

Jehu-

Jehuda ben Betiræ, dictum eſt, inquit, *Sabbathum* infra Levit. 23. 16. (de Azereth) *&* *Sabbathum* ſupra verſ. 15. (de Paſchate.) Sicut ergo illic (verſ. 16. ubi de Azereth ſermo eſt) vox *Sabbathi* ſignificat feſtum, atque initium feſti, & quidem proximum ipſi (initio numerationis facto poſt primum diem feſti) ita & hic, quando legimus, *ab altero die Sabbathi* ſenſus ejus eſt a craſtino primi diei Paſchatis. *Maimonides de Sacrificiis Jugibus & Addititiis cap. VII.* 11. Cum primum adveſperaſceret meſſorum unus omnes aſtantes ita rogabat; *Jam occubuit ſol? Et reſpondebant ei, ſic eſt. Hæccine falx meſſoria? Reſpondebant ei: ſic eſt. Hæccine arca? reſpondebant ei, ſic eſt.* Quod ſi Sabbathum eſſet, idem rogabat, *Eſtne Sabbathum hodie? Et reſpondebant ei eſt*; tum deinde rogabat; *metamne? & illi reſpondebant mete.* Atque harum rogationum, & reſponſionum unaquæque ter repetebatur. Quorſum igitur hæc tam multa? Ad refellendos heterodoxos illos, qui ſtante templo ſecundo a communione Judæorum recedentes, Legis illud *altero die Sabbathi* pertinere ad *Sabbathum Geneſeos* pugnabant. Nos autem auditione accepimus hoc loco agi non de Sabbatho, ſed de ſolennitate Paſchatis, quod idem ſemper Prophetis viſum eſt, & Synhedriis cujuſque ætatis, qui manipulum iſtum ferebant decimo ſexto die Niſan, ſive ille dies communis, ſive Sabbathum foret. Etenim eſt in Lege (Levit. 23. 14.) *Panem & polentam, & pultes non comedetis ex Segete uſque ad diem qua offeratis ex ea Deo veſtro.* Atque ſcriptum videmus. *Et comederunt de frugibus terræ die altero (Paſchatis) azymos panes & polentam.* At enim dixerit aliquis; Paſcha illud in Sabbathum inciderat, quod utique quibuſdam inſanis viſum eſt; quomodo vero Scriptura licentiam novarum frugum comedendarum refert ad rem minime neceſſariam de certa cauſa, ſed caſu fortuito cadentem? Cum igitur ſcriptura rem conſtituat in poſterum diem Paſchatis, perſpicuum eſt poſterum diem Paſchatis demum cauſam eſſe, quæ permitteret novis veſci frugibus, nec in quem ille hebdomadæ diem incideret, quicquam fuiſſe curandum: *Vide Codicem Menachoth.*

[49] *In ceremoniis feſti &c. Hæc leguntur in Cod. Manuſcripto, cui titulus*, Sepher Mitzvot R. Levi ben Jephet Karaitæ, *fol.* 425. Et præter has quinque ſpecies, licet quoque & aliis tabernacula ſtruere; nam non dicit Scriptura ex his ſolis eſſe conſtruenda. Neque Eſdra novum de hac re ex ſe ipſo tradidit præceptum, quoniam ſuo tempore Prophetæ adhuc dum erant ſuperſtites, & illud quod citat, *exite in montana, & afferte &c.* ſatis indicat Moſem omnia, quæ adhuc in manibus eorum erant præcepta, explicuiſſe, ſicut e. g. quando iis præcipit, ne comedant quicquam cum ſanguine Levit. 19. 26. hujus præcepti ſenſum innotuiſſe omnibus Iſraelitis patet ex facto Saulis circa hunc caſum 1. Reg. 14. 33. 34. Facit utique hoc ad refutandum eorum ſententiam, qui dicunt, veram Scripturæ explicationem hauriendam eſſe ex traditionibus a Moſe in Sinai acceptis; nam illi diverſimode legem explicant. Et niſi nobis explicatum eſſet in facto Saulis citato præceptum circa ſanguinem, nunquam nobis exponere potuiſſent, quid illud ſibi vellet. Sic niſi Eſdra eodem modo nobis expoſuiſſet ea quæ tabernacula concernunt, ex verbis ſane Rabbanitarum de his nunquam fuiſſemus edocti; id quod indicio eſt, Legem una cum ejus interpretatione relictam fuiſſe patribus noſtris eorumque filiis ſicut dicitur: *obliti ſunt cubilis ſui. Jerem.* 50. 6. Et iterum: *rejecerunt Legem tuam poſt terga ſua. Nehem. 9. 26.* Et niſi divinum auxilium Legi adfuiſſet, quod conſervavit pios quoſdam inter Iſraelitas captivos, periiſſet Lex cum Iſraele. Verum indidit in cor Iſraelis omneſufficiens Deus, ut plurimis libris hæc complecterentur, atque etiam unum vel alterum tranſcriberent, quo in perpetuum ſubſiſterent. Quare & injungit Malachias in obſignatione prophetiæ dicens: *mementote Legis Moſis ſervi mei.* Etenim ſi Lex nota fuiſſet Iſraelitis ex traditionibus, utique non dixiſſet; *mementote Legis Moſis ſervi mei.* Quum vero moneat, ut hujus ſint memores, eopſe verba (*traditiones*) Rabbanitarum abolentur. Et quoad Lulaf, quod Rabbanitæ nonniſi unicum numero aſſumendum putant, hoc omni caret fundamento. Nam hoc nonniſi ſtante templo faciebant, ſicut dicitur; *Coram Domino Deo veſtro. Levit.* 23. 40. Quoad Tabernacula vero, ſtruenda illa ſunt ſuper tectis & in atriis ſicut dicitur, *Unuſquiſque ſuper tecto ſuo, & in atrio ſuo. Nehem.* 8. 16. Sic Lex quoque nullam plane mentionem facit, quod unum tabernaculum ſub alio ſtrui poſſit, quemadmodum neque modum ſtructuræ eorum, neque ex quibus ſpeciebus conſtare debeant, tradit. Verum Eſdræ facto edocemur, ex quibus ſpeciebus, & ubi ſtrui debeant, ſicut dicitur. *Et faciebant ſibi Tabernacula quiſque ſuper tecto, & in atrio ſuo.* l. c. *R. Eliahu ibidem.* Non ſecundum ea quæ dixerunt patroni Kabbalæ quod dictum illud, *capietis vobis de primo fructu arboris Hadar*, ſignificet qui *manet* in ſua arbore, ideſt *malum citreum*, & ramos palmarum eſſe Loulabh, ubi ex ipſorum judicio deficit ו. Illam vero periodum וענף עץ עבות explicant de arbore in qua folia ſunt quaſi triplicata ſecundum analogiam *loci Exod.* 28. 14. מעמה עבות quod triplicatum quid importat. Verum id eſt contra linguæ qualitatem, in iſto enim ע cum Kamets eſt, in hoc cum Scheva. Sed ſapientes *noſtri* vocabulum עבות interpretati ſunt ſecundum rationem iſtius *Ezech.* 31. 3. inter עבתים ..... & hæc Cedri eſt ſpecies, licet alii accipiunt de arbore piſtacea. *R. Levi ben Jephet Karaita M. S. ſupracitatus.* Quum lex dicit Levit. XXIII. 40. *Sumetiſque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente*, per fructum arboris pulcherrimæ ipſam palmam intelligit, quæ omnium arborum ſpecioſiſſima eſt; *ſcriptum enim eſt* כפת *abſque* ו *copulativo*, non וכפת; ad indicandum nimirum, quod fructus arboris pulcherrimæ nihil aliud ſint quam ipſæ ſpathæ palmarum. Quoad vero ramos arboris denſæ, indigitantur iis, frondes oleæ, myrti omniumque arborum ſpecioſarum. Et hæc eſt ſententia Karæorum. *Rabbanitæ vero contra pugnant. Hieroſol. Succa* 53. 4. Scriptum extat Levit. XXIII. 40. *fructus arboris pulcherrimæ*, quo indigitatur arbor cujus & fructus & lignum pulchra ſint, at quænam illa? haud dubie malus Aſſyria. Quid ſi Malogranatum diceremus? *Non quadrat, nam* fructus quidem ipſius pulcher, aſt lignum ſecus; Quid ſi ſiliquam arborem? *Minime, nam* lignum quidem habet elegans, ſed fructum non item. Quare *iterum* malus Aſſyria eſt, *quæ utramque harum qualitatum explet.* R. Levi vocem הדר explicat, *quaſi eſſet compoſitum ex* ה *emphatico &* דר *atque adeo deſignet talem fructum*, qui in arbore moratur de anno in annum (*ſeu ut Plinius exponit*; Arbor ipſa omnibus horis pomifera eſt, aliis cadentibus, aliis matureſcentibus, aliis vero ſubnaſcentibus.) R. Tamchuma dicit, Aquilam *Paraphraſtem Græcam vocem* הדר transferre per ὕδωρ *aquam* quia arbor hæc in aquoſis ſive irriguis locis creſcere ſolet. *Et Babyl. Succa fol.* 35. 1. Rabbi dicit, ne legas הדר ſed הדיר *caula*, quid autem eſt caula? *eſt locus* qui *oves* magnas & parvas, mundas & immundas continet. Sic & hic (*cum malo Aſſyria*) *comparatum eſt*; nam illa magna & parva, integra & rejectanea ſimul fert *poma*, id quod in nullis aliis fructibus fieri obſervamus, ſicuti in hoc fit; donec enim minores ſuccreſcant, priores jam ad juſtam pervenere magnitudinem. R. Abahu ne legas הדר *pulchrum* ſed cum ה emphatico הדר *permanens* q. d. *talem fructum*, qui in arbore ſua de anno in annum permanet. Ben Aſai dicit, ne legas הדר ſed הידור ὕδωρ, quia Græci aquam ita appellare ſolent; aſt quænam illa arbor quæ ad omnes aquas creſcere ſolet? Reſp. Hæc malus Aſſyria eſt. *R. Moſes Nachmanides comment. in Legem fol.* 212. 2. Probabile mihi videtur arborem illam quæ in lingua Chaldaica *Etrog* appellatur in lingua ſancta *Hadar* vocari. Vos enim אתרוג *deſiderium* ſignificat. Unde vocabulum נחמד *deſiderabilis Gen.* II. 2. chaldaice interpretatur דמרגג *quod idem ſignificat.* Item illud לא תחמוד *ne concupiſces Exod.* 20. 17. Chaldaice vertimus לא תרוג *quod iterum eodem recidit.* Porro in inſtrumentis dotalibus hanc phraſin ſolemus adhibere. Ex omnibus pulchris & deſiderabilibus bonis &c. *Vocab...* adeoque חמדה & הדר *deſiderii & decoris* ſenſu æquivalent. Arbor præterea ejuſque fructus eodem nomine veniunt, quem morem *loquendi ſcriptura* in multis aliis fructibus retinet: e. g. ficu, nuce, malogranato, olea, & ita porro (*quæ æque arborem ac fructum ejus denotant.*) Idem hic quoque obtinet; arbor enim & fructus ejus in lingua Chaldaica, *Etrog* in lingua ſancta, *Hadar* vocatur. *Pro ramis ligni denſarum frondium Myrtum deſignari volunt Rabbanitæ. Gemara Succa fol.* 32. 2. T. M. Per ramos arbo-

arboris denſæ *Levit.* 23. 40. *intelligendi ſunt tales rami*, quorum folia lignum operiunt; aſt quænam *arbor* hanc qualitatem habet? Myrtus. Quid ſi dicemus oleam *innui*? Requiritur foliorum frequentia, quæ *in olea* non eſt. Quid ſi caſtaneam? Neceſſe eſt ut frondes tegant lignum, quod *in caſtanea* non fit &c. *Porro* tradunt Magiſtri *loc. cit. innui ramos* perplexos inſtar operis implexi, & catenæ fere ſimiles, & ſic *iterum* myrtus eſt. R. A. fil. Jacobi dicit, per ramos arboris denſæ *porro innuitur* talis arbor cujus lignum & fructus ejuſdem ſaporis ſint, & hoc in myrto *deprehenditur*. Tradunt quoque myrtum foliis frequentem *tantum* legitimum eſſe; at ſi his frequens non ſit, rejectaneum; Quando autem pro frequente haberi poteſt? Dicit R. Jehuda, quum tria ſemper folia in eodem nido *juxta ſe invicem* locata ſunt, *caulemque cingunt*. *R. Mordechai in Levuſch hachur cap. 646. num.* 1. Ramus arboris denſæ, de quo in Lege mentio eſt, interpretandus eſt de ramo talis arboris, cujus frondes foliis adeo frequentibus ſunt inſtructæ, ut lignum ſuum operiant. Talis autem myrtus eſſe ſolet. Neque ullam ex cæteris arborum ſpeciebus bonis pulchriſque reperire licet, quæ ita comparata ſit &c. Quum vero additur, *denſæ*, *ſenſus eſt*, oportet tria ad minimum folia ex eodem nido prodeant, hoc eſt, ut tria folia ſibi mutuo connexa ex eodem culmo in circuitu proſtent, ſic ut neutrum ex iis altero depreſſius ſit. Et ſi hoc modo in circulo proſtant, tum certe undequaque lignum ſuum operiunt, & tum *revera* frondium denſarum nomen merentur.

50 *Ac libatione aquarum &c. Maimonides in caput IV. 2. Succa.* Aquarum libatio in feſto Tabernaculorum traditio Moſis e Sinai eſt. Dantur tamen abſtruſa quædam ejus ſigna in Lege; verum illi, qui Legi orali fidem denegant, etiam huic libationi aquæ denegabunt.

51 *Etiam in operibus Sabbatho &c. R. Eliahu in Adderet p.* כט. Quicunque partem faciet alicujus operis (*vetiti*) cenſetur ac ſi opus feciſſet contra ſententiam doctorum Kabbalæ docentium, cum talem haud appellandum, niſi opus compleverit totum. *Ibidem p.* לד. Statuunt quod quicquid eſt vetitum Iſraelitæ agere in Sabbatho, interdictum eſt illi ex eo utilitatem quoque capere in Sabbatho, etiamſi actum ſit ab extraneo. *Idem in* ענין שבת *p.* לד. Sapientes Iſraelis hic diſcedunt in duas magnas ſententias, (confeſſiones.) Una eſt doctorum Kabbalæ, quod ſi quis *accendat*, aut extinguat ſit una ex *matricibus operum* quadraginta minus una, atque verſum (*citatum*) hoc ſenſu exponunt, quod vetetur tantum flammæ immiſſio in ellychnium ipſo die Sabbathi. Cenſentque ſi Iſraelita ignem accendat ad lucernam ſexto die, ita ut reperiatur adhuc ardens die Sabbathi haud eſſe interdictum .... Et generatim permittunt omnia opera, quæ effectum ſortiuntur ſine præſenti concurſu (conjunctione) inceptoris, etſi illis cauſam præbuerit; v.g. aperire aquæductum, dum adhuc dies Sextus eſt, ut hortum irriget Sabbatho. Alligare molas ut molere poſſint Sabbatho. Premere olivas cum adhuc dies ſextus, ut diſtillent in Sabbatho, & plane eodem modo allucere lampada die ſexto, ut ardeat in Sabbatho. Hæc omnia & his ſimilia vocantur ipſis ex ore Sapientum, opera producta ſine præſenti concurſu inceptoris, qui tetigit impulitve unica tantum vice (*die licito.*) Secunda vero ſententia eſt doctorum Karæorum qui vetant, omnia opera Sabbatho in effectum deducenda. Judicantque omnia acta quæ ſic producuntur in genere *præceptorum negativorum* eſſe reputanda *opera* per modum tranſitus (*aut reſidui.*)

52 *Phariſæi &c. Septem erant ſpecies Phariſæorum.* Phariſæus Sichemita. *Babyl. Sotah fol.* 22. 2. Hic facit ut Sichem. *Gloſſa:* Qui circumciſus eſt, ſed non in honorem Dei. *Hieroſol. Berachoth fol.* 13. 2. Portat præcepta ſua ſuper humeros ſuos; *id eſt ut explicat Aruch in* פרוש ligna ad conficiendum tabernaculum *in feſto Tabernaculorum*, aut aliquid iſtiuſmodi.

Phariſæus percuſſus vel illidens. *Babyl. ibidem.* Qui illidit pedes ſuos. *Gloſſa:* Qui incedit in humilitate, calce pedis hujus pollici iſtius contiguo, nec pedes a terra extulit, ita ut illiderentur pollices ad Saxa. *Aruch ibidem* Qui longe ſe retraxit, ne homines in viis premeret, & pedes ſuos alliſit ad ſaxa. *Hieroſol. ibidem.* Percute me (*aut* circumda me) & tamen ego præſtabo mandatum.

Phariſæus ſanguinem eliciens. *Babyl. ibidem.* Sanguinem elicit ad parietes. *Gloſſa.* Se talem præ[illegible]tit, ac ſi obturatus eſſet oculis, ne aſpiceret fœminam; atque hinc in parietes caput illiſit, emiſitque ſanguinem. *Aruch ibidem.* Se ad parietes ita compreſſit, ne tranſeuntes premeret, ut ex illiſione ſanguinem eliceret. *Hieroſol. ibidem.* Præſtat unum præceptum, ac unum officium, ac ſanguinem elicit ad unumquodque.

Phariſæus mortarii. *Aruch ibidem.* Incedens in tunica fluente, mortarii inſtar erat, cujus os ſcilicet deorſum verſum eſt. Sic ille fluente veſte, ſupra erat arctior, latior infra. *Hieroſol.* Qui dicit: Quodcumque meum eſt, ego ſub[illegible]ho, ac præſto mandatum.

Phariſæus qui dicit, noſcam quid ſit officium meum, & præſtabo. *Hieroſ.* Præſtiti officium, ut præſtetur mandatum ſecundum illud. *Aruch.* Quaſi diceret; Non eſt qui oſtendat mihi in quo ſim tranſgreſſus.

Phariſæus timoris, *ſicut* Jobus.

Phariſæus amoris, ſicut Abrahamus. *Hieroſ.* Inter hos omnes non eſt aliquis amoris dignus præter Phariſæum amoris. *Vide Lector hominum inſaniam, & hypocriſin.*

53 פרישים *&c. Judæi ſcribunt* פרוש & פרושים, *Græcus Textus novi Teſtamenti, Joſephus, Syriacus, & Arabicus ſcribunt* φαρισαῖοι, & פרישא *Phariſch*. פרש, *Paraſh* (*ut inquit Elia Levita*) diviſionem ſignificat, & ſeparationem, ſemelque tantum in Scriptura reperitur. בתוך צאנו נפרשות *Ezech.* 34. 12. (diſperſæ illius aut ſeparatæ oves, πρόβατα διακεχωρισμένα, in LXX. *Latine* oves ſeparatæ Rabbini tamen noſtri f. m. ea voce multum uſi ſunt, unde nomen *Paruſh* & *Paruſhim*, hoc eſt *Phariſæus* & *Phariſæi*; virique erant ſeparati a viis reliquorum hominum, quemadmodum erant Nazaritæ. *Aruch.* Phariſæus eſt is, qui ab omni ſe immunditia ſeparat, ab omnibus immundis cibis, atque communi populo, qui, quis in cibis ſeligendis ordo ſervandus ſit, non intelligit &c.

54 *Propago fuiſſe &c. A R. Abrahamo in Juchaſin inter Chaſidæos multi Phariſæi, immo Phariſæorum principes recenſentur.* Veritus ſum (*inquit*) dicere, liber Haſidæorum propter ſapientes Haſidæos, qui memorantur hoc nomine, Joſe filius Joezer, & R. Joſe Sacerdos, & R. Jehuda fil. Baba, & R. Jehuda fil. Ilai, qui promotus fuit ab eo, & David Rex, & Eſdra, & Hellel, & Baba filius Buta (*qui erat diſcipulus Sammæi ſenis Phariſæi*) & R. Akiba, & Samuel parvus, *Maimonides* טומאה אוכלים *cap.* 6. *paragr. ult.* Quamvis licitum ſit & cibos immundos comedere, atque humores immundos bibere, attamen priſci Haſidæi cibum communem in puritate comedebant, & toto vitæ tempore ſibi ab omnibus immunditiebus cavebant; hi appellantur Phariſæi.

Ubi de Naziræis &c. Onkelos Geneſ. 49. 16. נזירה *interpretatur* דגברא פרישא דאחוהי ſuper virum qui ſeparatus eſt a fratribus ſuis.

55 *Simeonis ben-Schetach &c. Hic fundamenta Rabbiniſmi, ideſt Phariſæiſmi tempore Jannæi Regis feciſſe creditus eſt; uti legimus in Codice M. S. R. Moſis Beſchitzi, qui inſcribitur* מטה אלהים. Et R. Schammai accepit a R. Schemajah, & R. Schemajah rurſus accepit a R. Jehuda ben Tabbai, cujus tempore Iſrael in duas ſectas fuit diviſus. Socius vero (*aut collega*) R. Jehudæ fuit Simeon ben Shetach, qui ab illo ſe ſejunxit, pro lubitu *omnia agens &c.* Idem confirmat R. Japheth. Nittai Arbelita, & Joſua ben Perachjah tradiderunt (lampada) Jehuda ben Tabbai, & Simeoni ben Shetach, & hoc tempore molitus eſt Simeon ben Shetach deſtruere, quæ exarata ſunt in Scriptura veritatis, ſi abſque Jehuda ben Tabbai fuiſſet, qui ſtetit in fiſſura, veramque doctrinam, hoc eſt filiorum Scripturæ, aſſeruit argumentis evidentiſſimis, quæ adducebat ad veræ religionis ſtabilimentum. Poſt hunc Jehudam docendi provincia obtigit Semajæ & Abtalioni, Abtalion tradidit eam Hilleli magiſtro, magiſter Hillel vero Kabbaliſtis, quemadmodum acceperat a præceptore ſuo Simeone ben Shetach. At Schemajah tradidit doctrinam Rabbi Schammai, & Rabbi Schammai ſenex honoratiſſimus ac pientiſſimus filiis Scripturæ (Karæis)

56 *Sepes legi jacta eſt &c. Rabbini Maſoram ſic vocant, quod genuinam legis lectionem cuſtodiat. Elias Levita in præfat. III. Maſoreth.* Poſt laborem illum, quem præſtiterunt Maſorethæ, impoſſibile eſt ut cecide-

ciderit, vel cadere possit mutatio, aut depravatio quædam ullo modo in ullos libros biblicos, unde etiam non frustra dixerunt Rabbini nostri; Masora est sepes Legis. *Præterea sepem legis vocant constitutiones & decreta Sapientum, quibus divinorum præceptorum observatio muniatur. Maimonides in cap. I. Pirke Avoth & facite sepem pro Lege*, idest facite decreta atque jurisconsulta, quibus homo a peccatis abstrahitur, sicut scriptum est *Levit.* 18. 30. *& custodietis custodiam meam*. Quæ verba exposuerunt, custodiæ meæ facite custodiam.

[57] *Quod fato &c. Josephus Origin. lib.* 18. *cap.* 2. Fato quæcunque geruntur, tribuunt. Etiam Deo. *Josephus capit. Jud. lib.* 2. *cap.* 12. Fato & Deo universa deputant. *Abraham Zachutus de Pharisæis*. Credunt Deum nosse sive curare omnes res, & astrum juvare. Agnoscunt tamen liberum arbitrium. *Idem ibidem*. Credunt planetam juvare, nihilominus relinquitur liberum arbitrium in manu hominis. *Iterum Josephus. Orig. Judaic. lib.* 18. *cap.* 2. Voluntatem hominis non privant impetu a seipso pendente. Quippe sic Deo placitum esse, ut certo temperamento miscerentur in unum fati decretum, & ratio humana, si quis vellet accedere vel ad virtutem vel ad vitium. Liberum arbitrium a Deo juvari *scribit R. David Psalm.* 119. 170. Deus liberat hominem a peccato; nam licet dederit ei liberum arbitrium, si tamen rectus est (*sed rectus esse sine ejus gratia nullo modo potest*) adjuvat eum in via bona.

[58] *Sunt qui dogmatibus &c. Præexistentiam potius, quam animarum transmigrationem credidere. Avodah Zarah fol.* 5. 1. Dixit R. Jose, non veniet filius Davidis, usque dum consummatæ fuerint animæ quæ sunt in Guph. Repositorium (*ait R. Salom.*) & nomen ejus est Guph, atque a creatione formatæ sunt omnes animæ quæ erant nascendæ, atque ibi repositæ.

[59] *Animam Eliæ &c. Ante adventum Messiæ, & ante diem judicii Eliam venturum credunt Judæi. David Kimchius ad verba ista Malachiæ. Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam*. Restituet (*inquit*) Deus animam Eliæ, quæ ascendit olim in cœlum in corpus creatum instar corporis ejus prioris; nam corpus ejus primum ad terram rediit, cum ille ascenderit in cœlum, unumquodque elementum in elementum suum. Cum autem vivificaverit Deus in corpore, mittet cum ad Israelem ante diem Judicii, qui est dies Domini magnus & terribilis; atque ille patres, natosque admonebit simul, ut ad Deum convertantur, & qui convertentur, liberabuntur a die judicii &c. *Elias Levita i Thisb.* Elias floruit in diebus Gabaa utinam ita Deus faxit, ut in nostro ævo adveniat Elias, & impleatur versus illius vaticinium, quo legitur, *Ecce ego mitto vobis Eliam*. Sic orat auctor Elias. *Babyl. Erubhin fol.* 43. 2. Si dicat quispiam, ecce ego sum Naziræus eo die quo venit filius Davidis, permittitur bibere vinum Sabbathis & diebus festis. *Glossa*. Si dicis, forte veniet vesperiis Sabbathi, atque evangelizabit Sabbatho; respondere licet textum istum; *Ecce ego mitto vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini*, illum prædicaturum esse eo ipso die quo advenerit. Certi sunt Israelitæ, Eliam nec vesperiis Sabbathorum venturum, nec vesperiis dierum festorum propter laborem &c. Ante adventum Filii Davidis adveniet Elias ad Evangelizandum de eo. Non venit Messias primo Sabbathi, quia Elias non veniet Sabbatho.

[60] *Ad inanem ostentationem &c. Maimonides ad cap.* III. 4. *Sotah.* Sapientes autem vocantur *Pharisæi* eo quod separati sint a malis hominibus; qui sequuntur mundi concupiscentiam; hi vero expectant prœmium mundi futuri, & sequuntur conditiones bonas. Dantur etiam aliqui homines, qui sunt hypocritæ, & apparent ac si separati essent a malis operibus, & malis moribus ac rebus mundanis, cum tamen intentio eorum mundana est. Dixerunt sapientes nostri, septem sunt genera Pharisæorum sive solitariorum; quales sunt ii, qui sancti fiunt ob res mundanas, ut honore afficiantur ab aliis, & hi propter divitias comparandas, vel conservandas sancti fiunt, qui non habentur veri sancti, & a mundo separati, qualis fuit pater noster Abraham. Reliqua sex genera continent homines pejores, qui opera superflua instituunt, & peragunt, & magni habendi sunt hypocritæ ad fallendum homines. Et sapientes ista opera superflua præter Legem ab ipsis instituta vocarunt מכות פרושים *vulnera Pharisæorum*. Quod autem Misna de illis dicit; *ecce hi orbi interitum afferunt*, vult quod ejusmodi homines corrumpunt essentiam ac conservationem mundi. *Quis non miretur Maimonidem Pharisæos acerrime accusantem? Bartenora in l. c. vulnera Pharisæorum* qui se ipsum vulnerat ad ostentandum se aliis, quod est afflictus & verecundus, ut is qui incedit lento gradu, & pedem vix levat a terra, quomodo fit ut pedes ejus vulnerentur a lapidibus, & hujusmodi in Gemara vocantur פרוש נקפי *Pharisæus vulneratus*. Qui vero est abstemius, & oculos claudit ne mulieres aspiciat, & hoc modo caput suum vulnerat ad parietem, ut exeat inde sanguis, is vocatur פרוש קיזאי *Pharisæus sanguinolentus*, sive is qui e capite suo sanguinem educit propter sanctitatem & hypocrisin. *Hæc sunt quæ orbi interitum adferunt*, quia aliis hominibus ostendere volunt sanctitatem suam, & intrinsecus aliter videri ac extrinsecus. *Jannai Rex moriens uxorem monet, ut sibi caveat ab hujusmodi hominibus. Babyl. fol.* 22. 2. *ut sibi caveat* ab hominibus pictis, Pharisæos simulantibus, quorum opera sunt sicut opera Zimri, attamen expectant mercedem Phincasi. *Glossa*. צבועין homines isti picti ii sunt, quorum externa forma non respondet naturæ eorum, at colorati sunt, quoad extra, at interius eorum non est sicut exterius, eorumque opera mala sunt sicut opera Zimri, at mercedem Phincasi requirunt, hominibus dicentes, ut se honorent veluti Phincasum. *Assimilantur a Christo Salvatore sepulchris dealbatis. Matth.* XXIII. 27. 28. Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia; sic & vos a foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate. *Dealbabant Judæi sepulchra, ut prætereuntes sibi ab immunditie caverent. Hierosol. Maaser Sheni* fol. 55. 3. Nonne sepulchra notant ante mensem Adar? Immo, at supponitur abstersos esse colores. Quam autem ob causam sic pingunt? Ut par sit hæc res causæ leprosi. Clamat ille, *immundus immundus*; atque hic pariter, immunditia ore suo ad te clamat, & dicit, *ne appropinques &c. Glossa*. A decimo quinto mensis Adar investigarunt, atque ubicumque sepulchrum invenerunt, cujus abluta ab imbribus esset dealbatio, eam restaurarunt, ut locus immundus dignosceretur, atque ut inde declinarent sacerdotes comesturi Trumam. *Glossa ad Schekalim*. Sepulchra calce notarunt ad formam ossium, quam aquæ infusam circa sepulchrum fuderunt, ut dignoscerent inde omnes, locum istum immundum esse, ideoque ab eo esse declinandum. *Glossa in Babyl. Moed Katon fol.* 5. Notas fecerunt in sepulchra calce alba instar ossium &c.

[61] *Frequentes lustrationes &c. Præter legales lustrationes, usitatissima erat lotio manuum apud Judæos; inexpiabili scelere se obstrictos putabant, si illotis manibus orarent, aut ederent. Challah fol.* 58. 2. R. Jose nomine R. Shabeni, & R. Chajush nomine Simeonis ben Lachish, *inquiunt*; Tenetur quivis quatuor milliaria ire ad lavandum manus. Traditum est lotionem ante cibum esse pro lubitu, a cibo esse de jure. Ante cibum vero, non item e cibo quædam preces recitandæ sunt. R. Jacob bar R. Isaaci dixit; An dicis eum qui lavat preces recitare, & tamen lotionem arbitrio relinquis? Dicunt teneri quatuor milliaria ire ad lavandum, & tamen rem arbitrariam esse affirmas. *Nugatores isti lotionis manuum Salomonem auctorem faciunt Erubhin fol.* 21. Dicit Samuel; eo tempore quo Salomon instituit Erubhin, & lotionem manuum, prodiit Bath Kol, & dixit, mi fili; *si sapiat cor tuum, lætabitur & meum. Nonnulli Hillelem, & Shammai. Hierosol. Shabb. fol.* 3. 4. Hillel & Shammai decreverunt de munditia manuum; R. Jose ben Rabbi Bon nomine R. Levi dicit; Antea exhibita erat ista Traditio, sed ipsorum exciderat memoria, prostant hi secundi, & statuunt secundum mentem priorum. *Mortis reus existimabatur, qui manuum lotionem neglexisset. Erubhin* fol. 21. 2. Historia est de R. Akiba, quod erat vinctus in carcere, & ministrabat ei R. Josua הגרסי, lector. Attulerunt ei in dies aquam per mensuram. Die quodam occurrit ei custos carceris, & dicit ei. Hodie nimium aquæ habes ..... effudit dimidium, & dedit ei dimidium,

& de-

& dedit ei dimidium. Cum perveniret ad R. Akibam, totam rem ei enarravit. *Dicit ei R. Akiba*. Da mihi aquam ut lavem manus; dicit alter; Non sufficit aqua ut bibas, num sufficit ut laves manus? Cui ille, quid faciam, in re ubi est reatus mortis? Præstat ut moriar ipse *siti* quam ut transgrediar mentem collegarum. *O hominis amentiam! Fabulantur Shibtum esse quemdam dæmonem, qui nocet iis qui non lavabant manus. Glossa ad hæc verba Babyl. Taanith. fol.* 20. 2. *Res Shibtæ fuit*. Shibta ex dæmonibus fuit, qui iis nocent, qui non lavant manus ante cibum. *Aruch* Shibta est spiritus malus, qui manibus hominum insidet noctu, & si quis cibum suum tangat illotis manibus, cibo isti insidet iste spiritus, & ab eo est periculum. *Discrimen faciunt inter lotionem & imersionem manuum. Maimonides in præfatione ad Codicem* ידים. Monendum est in hac præfatione, quod נטילת ידים *lotio manuum* non sit idem quod טבילת ידים *immersio manuum*, nam lotio manuum requiritur pro eo qui panem edet, licet panis sit profanus &c. Sed pro rebus sacris, idest sacrificiis edendis non sufficit lotio manuum, sed immersio earum requiritur, sive sciverit, quod manus ipsius immundæ essent, sive non sciverit, sicuti expositum est capite secundo codicis de festis solennibus. Etenim differentia est inter lotionem & immersionem manuum, quia lotio manuum fieri debet aquis haustis, quæ effunduntur e vase quovis modo super manus, ut si aquæ haustæ collectæ sint in lavacro, tum ineptæ sunt ad lotionem manuum, nam aquæ species mutata esse debet, & pro qualibet manu requiritur copia quartarii Logi, vel plus, & hoc est quod per modum quæstionis dixerunt, aquæ speciei, vasis, & mensuræ cura habenda est. Sed immersio manuum fieri nequit in aquis haustis, sed in aquis lavacri, & requiritur quadraginta satorum copia, sicuti in codice de Lavacris expositum est; porro tam lotio, quam immersio manus usque ad articulum fieri debet, quod memoria tenendum est. *Non solum manus, sed vasa & calices crebro baptizabant. Shabb. fol.* 118. 1. Catinos in quibus comedit vespere, abluunt ut comedat in iis mane. Mane abluunt eos, ut in iis comedat meridie. Meridie abluunt eos, ut in iis comedat ad Mincham. Post Mincham ulterius non proluit iterum; verum pocula, lagenas, & utres proluit, & sic per totum diem. *Etenim vasa polluebantur interius & exterius. Pesachin fol.* 17. 2. Omnia quæ habent exterius & interius, si inquinetur interius eorum, inquinatur etiam exterius; at vero si inquinetur exterius eorum, non inquinatur interius. *Hinc illustrantur loca Matthæi*, ex XXIII. 25. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis &c. *Et Marci* VII. 4. Et alia multa sunt quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, & urceorum, & æramentorum &c.

[62] *Jejunia &c. Bis in Sabbatho idest die secundo & quinto jejunabant. Glossa ad Hieros. Megillah fol.* 75. 1. Rationem quare de die secundo & quinto decretum est si quæras, respondendum est ex eo, quod dicitur in Midras de Mose, quod scilicet ascendit in montem ad tabulas secundas recipiendas die Hebdomadis quinto, descenditque pacato jam Deo die Hebdomadis secundo. Cum ergo tempus gratiæ esset ascensio ista, ac descensio, de diebus secundo & quinto sic statuerunt; ideoque etiam die secundo & quinto jejunare sunt soliti. *Alii aliam assignant causam. Megillath Taanith*. Decreverunt doctores nostri f. m. jejunandum esse diebus secundo & quinto propter tria videlicet ob destructum templum, ob legem conflagratam, & ob probrum divini nominis. *Hinc illustratur illud Lucæ* 18. 12. jejuno bis in Sabbatho. *At viri Stationis quater in sua hebdomada jejunabant. Codex Taanith cap. IV*. 3. Viri Stationis quatuor dies in hebdomada jejunabant a die scilicet secundo usque ad quintum. *Maimonides de vasis Sanctuarii cap. VI*. 3. Quid igitur faciebant homines illi vel Hierosolymæ, vel in Synagogis longe dissitis? Primum jejunabant suæ hebdomadæ die secundo, itemque tertio, quarto, & quinto. *In Jejuniis vetita erat unctio & lotio. Babyl. Joma fol.* 77. 2. Traditio Rabbinorum; Prohibitum est *in jejuniis* lavare partem corporis æque ac totum corpus, si vero sit luto aut stercore fœdatus, lavet pro more, & ne sit sollicitus. Prohibitum etiam est ungere partem corporis, æque ac totum corpus; at vero si ægrotet, aut si capite exoriatur scabies, ungat pro more &c. *Salvator noster Pharisæorum hujusmodi mores in jejunio reprehendit, Matth.* VI. 17. Tu autem cum jejunas unge caput tuum, & faciem tuam lava: *externo enim fuco illi turpitudinem animi obvelabant*.

[63] *Decimarum exacta solutio &c. etiam olera, cyminum, & alia hujusmodi decimabant. Codex Maaser cap.* I. 1. Regula generalis traditur de decimis. Quicquid in escam cedit, & custoditur, & incrementum habet e terra ad decimas solvendas tenetur. Porro etiam alia traditur regula. Quicquid ab initio & in fine etiam esui idoneum est, quantumvis servari solet ut esca incrementum capiat, illud tenetur & dum parvum est, & cum grande evasit. *In quem locum ita Maimonides. Quicquid ab initio & in fine edule est*, uti sunt olerum species, quia simul ac nata sunt, & post incrementa eorum idonea sunt esui, quæ eo fine relinquuntur in terra, ut renascantur, & hæc est plurimorum olerum natura; & propterea, obligantur ad decimas sive ea fuerint parva sive magna, quia in utroque casu idonea sunt esui. *De anetho, quod a Judæis* שבת *appellatur Oketsim cap.* 3. 4. *fit mentio, ubi R. Salomon*; שבת est de genere herbarum & decimatur & quoad semen & quoad herbam. *Glossa in Babyl. Avodah Zarah* fol. 7. 2. שבת lingua Romana est anethum, & decimatur, sive colligatur viride, sive maturum. *Etiam Cyminum decimabatur. Codex Demai cap.* II. 1. Res istæ decimantur dubiæ omni loco, palatha, dactyli, siliquæ, oryza, & cyminum. *Quicquid edebant, vendebant, & emebant decimabant. Codex Demai cap.* II. 2. Qui in se suscipit haberi fide dignus, decimat quicquid comedit, quicquid vendit, & quicquid comparat.

[64] *Preces longæ &c. Specimen Battologiæ Judæorum vide in notis ad cap. IV. Tosaphta Joma in formula Confessionis Judaicæ. Octodecim quotidie preces a Judæis recitandæ erant. Codex Berachoth cap. IV*. 3. Rabban Gamaliel dicit, singulis diebus quisque recitat preces octodenas. R. Josua dicit, quod ad Scopum octodenarum faciat. R. Akiba censet, si cui precatio expedita sit in ore, octodenas precabitur, sin minus, quod ad scopum octodenarum faciat. R. Elieser dicit, qui preces suas pensum facit, ejus preces non sunt supplicatoriæ. R. Josua dicit, qui proficiscitur per locum periculosum, precatur precationem brevem, (quæ ad scopum octodenarum faciat) sic. *Salvum præsta Domine populum tuum, residuum Israelis, in omni transitus diverticulo sint necessitates eorum in conspectu tuo; Benedictus tu Domine qui exaudis preces*.

[65] *Et in locis publicis &c. Hierosol. Taanith*. Dixit R. Jochanan; Vidi ego R. Jannai stantem atque orantem in plateis Tsipporis, & progredientem ad quatuor cubitos, atque orantem orationem addititiam.

[66] *Ac frequenter peractæ &c. Hierosol. Taanith*. Omnis multiplicans orationem exauditur.

[67] *Observatio Sabbathi &c. Principalia opera quæ vetita erant in Sabbatho, erant quadraginta uno minus. Codex de Sabbatho cap. VII*. 2. Patres operum (sive principalia opera) sunt quadraginta uno minus; Serens, arans, metens, manipulans, (sive colligens in manipulos) triturans, ventilans, purificans, molens, cribrans, pinsens, coquens, tondens lanam, dealbans eam, & excutiens eam, & tingens eam, nens, & stamen subtegens, & inducens duo *fila* in spatium filorum, & texens fila duo, & rumpens fila duo, ligans, & solvens, & suens duas suturas, dissecans eo fine, ut consuat, venans capream, mactans eam, & decorians eam, saliens eam, & parans pellem ejus, & radens eam, & discindens eam, scribens duas literas, & delens, ut scribat duas literas, ædificans, & destruens, extinguens, & accendens, percutiens malleo, educens rem e potestate in potestatem (*id est e loco privato in locum publicum*, & contra.) Hi sunt Patres operum quadraginta uno minus.

[68] *Spicarum evulsionem &c. Maimonides Scabb. par.* 7. 8. Qui Sabbatho frumentum metit ad quantitatem ficus reus est. Qui vellit & qui metit, perinde rei sunt; Qui quicquam evellit quod enascitur, reus est perinde ac si meteret.

[69] *Sanationem ægrorum &c. Si vitæ periculum adesset, licitam in Sabbatho sanationem esse putabant*. Tan-

Tanchum, *fol.* 9. *col.* 2. Periculum vitæ pellit Sabbathum, inquiunt nostri Sapientes, necnon circumcisio, & illius sanatio. *Maimonides ad cap. XVIII.* 3. *Shabb.* Est namque (*inquit*) apud nos regula, *quod propter ægrotum de quo est periculum profanant Sabbathum*; ut tamen non perpetrent prævaricationem Sabbathi parvuli, nec alienigenæ, nec populi terræ, ne assuefaciant seipsos profanationi Sabbathi, & leve quidem ipsis sit, tanquam qui nesciunt, quod hanc profanationem Sabbathi non permiserint committere, nisi propter necessitatem maximam, & coactionem, sed ut faciant istud præcipui viri Israelis. Quod si ægrotus sit, de quo non est periculum, faciunt quæ ipsi necessaria sunt per alienigenam. *Idem in suo tractatu de Sabbatho cap.* II. 16. Die Sabbathi periculo vitæ liberant animam, neque a consessu judiciali potestas ideo petenda est. Is qui antevertit ad liberandum, maximam laudem meretur. Quomodo? Si quis infantem, qui in mare prolapsus est, vidit, ille expandit rete, atque illum educit, licet simul pisces extrahat. Siquis audivit infantem in mare immersum fuisse, expandit rete ad extrahendum, extrahitque pisces, ille prorsus liber est. Qui intendit pisces extrahere, extraxit simul infantem, liber est, licet non audiverit illum immersum fuisse, quandoquidem una infantem eduxit, liber tamen est. *Joseph Karo Orach Chajim n.* 328. Propter morbum, quem Medici periculosum habent, Sabbathum profanare licet, laboret ægrotus carnis aliqua exteriore parte. Si unus Medicus affirmat, morbum periculosum esse, alter vero negat, Sabbathum tamen profanatur, uti venam secando, hypocaustum calefaciendo.

[70] *Vitatio consortii &c. Codex Chagigah cap.* II. 7. Vestimenta plebejorum sunt calcatio pro religiosis. In quem locum ita Maimonides. *Religiosi* (Pharisæi) sunt illi, qui comedebant profanum cum purificatione, & qui semper separati erant ab immunditie, sic etiam curabant cibum & potum, ut mundi essent. *Conculcatio Pharisæis*; idest quando Pharisæi tangebant vestes plebejorum, polluebantur, perinde ac si tetigissent calcationem seminiflui, & necesse erat ut se immergerent. *Maimonides* טומאת אוכלין *cap.* 16. Quamvis permissum sit edere edulia immunda, & bibere poculenta immunda, religiosi tamen antiqui comederunt communem victum suum in munditia, & caverunt sibi ab immunditia omnibus diebus suis, atque illi vocantur Pharisæi. Atque res hæc est summæ Sanctitatis, & via summæ religionis, ut se scilicet homo segreget, & separet a vulgo, utque eos nec tangat, nec cum iis comedat, nec bibat, nam separatio talis inducit in puritatem corporis ab operibus malis, puritas corporis inducit in sanctitatem animæ ab affectibus malis, Sanctitas animæ inducit in similitudinem, sicut dicitur; & sanctificabimini, & sancti eritis, quia ego Deus, sanctificans vos, sanctus sum. *Vide ridiculam sanctitatem. Ab indoctis, & a vulgo velut angue abstinebant. Babyl. Sotah fol.* 22. 1. Legit quis scripturas, & recitat Mishnam, & tamen non famulatur discipulis sapientum; quid de eo? R. Eliefer dicit, hic est e populo terræ. R. Samuel bar Nachmani dicit; ecce hic est rudis. R. Jannai dicit; Ecce hic est Cuthæus; R. Achabar Jacob dicit, ecce hic est magus. *Et paulo post*. Quisnam est עם הארץ populus terræ? R. Meir dicit, ille qui Shemam non recitat mane & vesperi nec recitat cum orationibus. At sapientes dicunt; ille, quicunque non reponit Phylacteria. Ben Azzai dicit, ille, cui non est fimbria in veste sua; R. Jochanan ben Joseph dicit; ille qui non erudit filios suos in doctrina Legis; alii dicunt; ille, qui etiamsi legat scripturas, & repetat traditiones, tamen non famulatur discipulis Sapientum, hic est populus terræ, *vel plebejus*. Legit scripturas, & non repetit traditiones? Ecce hic est rudis. *Glossa in hunc locum*. Populus terræ is est, de quo est suspicio de decimis, & munditia. *Maimonides ad cap. IV. Avoth.* Populus terræ est homo qui præditus quidem est dotibus moralibus, non vero intellectualibus, h. e. qui versatus est in communi vivendi modo, non autem habet Legis notitiam; vocatur autem populus terræ, quod bonum incolam se præbet hujus terræ, atque inter regionum cœtus.

[71] *Per quæ intelliguntur &c. de* תפילין *vide notas ad cap. X. partis primæ.*

[72] *Et fimbrias oris &c. Fortasse hic describitur* פרוש מדוכיא *Pharisæus mortarii de quo Aruch*. Incedens in tunica fluente, mortarii instar erat, cujus os scilicet deorsum versum est; sic ille fluente veste, supra erat arctior, latior infra. *Miris laudibus celebrant Hebræi Phylacteriorum sanctitatem. Gemara Schabb. cap.* 2. Quicumque alligata habet precatoria capiti aut brachio, & Zizit vestimento, atque schedulam liminarem ostio, munitus est adversus peccatum, hæc enim eximia sint μνημόσυνα, atque angeli eripientes eum a peccatis. Q. D. *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripit eos. Psalm.* 33. 8. *Maimonides Thephillin IV.* 24. Magna est sanctitas Phylacteriorum; quocunque enim tempore affixa sunt capiti, vel brachio hominis, humilis est, atque veretur Deum, neque indulget risui, aut inutili meditationi, neque animo voluit pravas cogitationes, sed contemplatur mens ejus in verbis veritatis, ac justitiæ. Itaque debet homo sedulo curare, ut quotidie præcepto isti satisfiat, sic enim præceptum est; & hoc referunt de Rab discipulo Rabbenu Hakkedosch, quod nunquam viderint eum procedentem quatuor cubitos absque Lege, Zizith, aut frontalibus. Qui se assuefacit Thephillin, is producit dies suos, quia dicit Dominus; *propter illa vivent*.

[73] ציצית *&c. Fimbriarum præceptum deducunt Judæi ex Num. XV.* 38. Loquere filiis Israel, & dices ad eos, ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas. *Et ex Deut XXII.* 12. Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris. *Siphri ad Num. XV.* 37. 38. *Dixit quoque Dominus ad Moysen &c. ut faciant sibi fimbrias*, etiam fœminæ in eo creduntur comprehensæ. R. Simeon absolvit fœminas a fimbriis, quia est præceptum affirmativum, quod habet tempus fixum; hanc regulam generalem dicebat R. Simeon, a quovis præcepto affirmativo, quod habet tempus fixum, liberæ sunt fœminæ, & observatur a viris, & non a mulieribus, ab idoneis, & non a profanis. R. Jehuda filius Betheræ dicit, præcipue absolvunt Sapientes a fimbriis mulieris sudarium, ejus vero pallium ea de causa obligarunt, quod aliquando maritus eo operiatur. *Faciant sibi fimbrias*, non explicantur hæ fimbriæ nisi pro re, quæ e veste prodeat, & in quavis mensura, & jam ingressi fuere seniores scholæ Schammai, & seniores scholæ Hillelis in conclave Jonathanis filii Betheræ, & dixerunt, fimbrias non habere mensuram; & pariter dixerunt palmam (*festi tabernaculorum*) non habere mensuram. *Faciant sibi fimbrias*. Ego credebam, quod faceret seorsim ex uno filo; ideo dictum est, *funiculos in fimbriis facies*; ex quot filis? Non erunt tribus pauciora, verba Scholæ Schammai; & Schola Hillelis dicit, tria lanea, & quartum hyacinthinum; decisio est juxta opinionem Scholæ Schammai; qua de re hæc dicta sunt? pro suo principio; sed earum oræ, & extremitates ex qualibet quantitate constent; ego putabam, quod totas ex funiculis conficere deberet; ideo dictum est; *fimbrias*; quo pacto hoc intelligitur? ut funiculi ab angulo prodeant, & a funiculis fimbriæ. *Per angulos palliorum*. Ego poteram existimare etiam illam vestem, quæ tribus angulis constet; vestis quinque, septem, octo angulorum in eo etiam comprehenditur; ideo dictum est; *per quatuor angulos pallii tui*. Deut. 22. 12. Excluduntur vestes, quæ tribus, quinque, septem, octo angulis constent. Ego has excludam, & includam pulvinos, & cervicalia; ideo dictum est, *quo operieris*. Ibid. Ego crederem ibi comprehendi operimentum nocturnum; idcirco dictum est; *quas cum viderint*. Num. 15. 39. interdiu, non noctu; si vestis esset parata ad usum diurnum & nocturnum, obligata erit ad fimbrias; si has excludimus, operimentumne cœci quoque excludemus? ideo dictum est, *faciant sibi fimbrias*, quilibet. *Per angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas*; ut *filum* hyacinthinum sit netum, & contortum, ego non probo nisi pro hyacinthino, quod sit netum & contortum, pro albo unde probatur? Tu ita argumentaris; dixit enim lex, ut ponatur *filum* hyacinthinum, & album, sicuti hyacinthinum opus est, ut sit netum, & contortum, etiam album erit netum & contortum. *Per angulos palliorum ponentes*, super texturæ locum, & non in ora, si super oram posuisset, legitimæ sunt (fimbriæ) Rabbi excludit, super oram, & super ipsum an-

angulum. R. Eliesер filius Jacobi dicit esse illegitimas, quia lex dicit *per quatuor angulos*, non vero per octo. *Per angulos palliorum ponentes*, cur dictum est? quia dictum est, *ut faciant sibi fimbrias*; ego crederem, quod eas una cum veste texeret; idcirco dictum est, *ponentes*; igitur quo pacto sibi faciendum est? illas *vesti* adsuet. Quod quatuor inter se fimbriæ impediant; & quatuor omnes sint unum præceptum; R. Ismael dicit; sunt quatuor præcepta; R. Eleasar filius R. Simeonis dicit; cur ejus nomen dicitur תכלת? quia primogenitis filiis orbati sunt (*a voce Chaldaica* תכל *quæ Hebraicæ* שכל *respondet*) Ægyptii, juxta versiculum qui dicit; *factumque est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti*. Exod. 12. 29. alia glossa, quia confecti sunt (*ab Hebraico* כלה) Ægyptii in mari; alia glossa, cur nomen ejus appellatum fuit ציצית? quia prospexit Deus super domos patrum nostrorum in Ægypto, juxta versiculum, qui dicit; *vox dilecti mei, ecce iste venit saliens*. Cantic. 2. 8. & dictum est. *Similis est dilectus meus capræ*. Ibid. vers. 9. & dictum est *en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, & prospiciens per cancellos*. Ibid. R. Chanina filius Antigoni dicit, quicunque observat præceptum Zizit, quid de eo dictum est? *Hæc dicit Dominus exercituum; in diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Judæi*. *Zach*. 8. 23. Et quicunque abolet præceptum fimbriarum vestis, quid dictum est? *Et tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ex ea*. Job. 38. 13. R. Meyr dicit; & videbitis illas, non dictum est; sed, *& videbitis illum* (sic Hebræus;) a textu docemur, quod quivis observat præceptum Zizit, habetur dignus, qui videat faciem divinitatis, quod color hyacinthinus est similis mari, & mare simile firmamento, & firmamentum simile throno divino, juxta versiculum qui dicit; *& super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum*. Ezech. I. 26. *Quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini ..... Et faciant ea*. Hæc est sectio *Audi*, tu dicis sectionem *Audi*, an ego non possum dicere esse eam *sectionem* quæ incipit, *si ergo obedieritis mandatis meis*? Deut. XI. 13. dixisti? exi, & vide, quænam est illa sectio; in qua continetur imperium Dei, & Idolatria aboletur? Id non invenies nisi in sectione *Audi*; Eccur sectio, *si ergo obedieritis*, non præfertur sectioni *Audi*? dixisti? præferenda est sectio, in qua continetur susceptio imperii Dei, & in qua aboletur Idolatria, sectioni; *si ergo obedieritis*, quæ nihil aliud imperat, nisi ut addiscamus; & quod præferatur sectio Zizit sectioni, *si ergo obedieritis*; dixisti? præferenda est illa sectio, quæ noctu & interdiu observatur, sectioni Zizit, quæ non observatur nisi interdiu; & quia non leguntur tres *sectiones* vesperi, quemadmodum tres in aurora leguntur, quia dictum est, *quas cum viderint*, interdiu, & non noctu. R. Simeon filius Johai dicit, præfertur sectio *Audi*, quæ præcipit ut addiscamus, sectioni, *si ergo obedieritis*, quæ nihil aliud præcipit, nisi ut doceamus, & præfertur disciplina, doctrina, observatio, & executio sectioni Zizit, quæ unam tantum executionem respicit; hac de causa data fuit lex ad discendum, ad docendum, ad observandum, & ad exequendum. *Quas cum viderint, recordentur*, docemur, quod quivis observat præceptum Zizit, existimatur ac si omnia præcepta Legis observaret. Hinc argumento a minori ad majus argumentari poteris; si quis observat præceptum Zizit, existimatur ac si cuncta Legis præcepta observaret, quanto magis pro reliquis Legis præceptis? *Nec sequantur cogitationes suas*; hæc est hæresis, juxta versiculum qui dicit; *& inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius, qui placet Deo, effugiet illam, qui autem peccator est &c*. Eccles. 7. 27. *Et oculos*, hæc est lascivia, juxta versiculum qui dicit; *hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis*. Jud. 14. 3. *per res varias fornicantes*; hæc est Idolatria juxta versiculum, qui dicit; *& fornicati sunt cum Baalim*. Ibid. 8. 33. R. Nathan dicit; ne quis, dum bibit in suo calice, sui socii calice utatur; Alia glossa; *nec sequatur cor suum* (*ita Hebræus*) docemur, quod oculi cor sequantur; aut ego dicam, quod cor oculos sequatur; dixisti? nonne cœcus etiam omnes mundi abominationes facit? Quid igitur dicit, *nec sequantur cor suum*? quod oculi cor sequantur. R.

Ismael dicit, *nec sequantur cor suum*, cur dictum est? quia textus dicit. *Lætare ergo juvenis in adolescentia tua*; Ecclesiast. XI. 9. dicam igitur sive in via recta, sive in qualibet via sit, ideo dictum est; *nec sequantur cor suum*. *Sed magis memores præceptorum Domini faciant ea*; ut consideretur memoria æque ac actio. *Sintque sancti Deo suo*. Hæc est sanctitas omnium præceptorum; at ego dicam, quod sit sanctitas Zizit; dixisti? de quo agitur? de sanctitate præceptorum. Rabbi dicit; hæc est sanctitas Zizit; at ego dicam esse sanctitatem corporis (*pro reliquis præceptis*.) Quando dictum est, *sancti estote* Levit. 19. 2. Ecce jam dicta omnia præcepta; quid igitur significabit, *sintque sancti Deo suo*? Hoc denotat sanctitatem Zizit; docemur, quod Zizit Israeli sanctitatem adjiciat. *Ego Dominus Deus vester*. Alienum videtur ab hoc loco propositum exitus ab Ægypto. Verum propterea ne dicat, ego utar aliis coloribus, & cœruleo, qui hyacinthino sint similes, quis me palam prodet? *Ego Dominus Deus vester*; scitote, quid fecerim Ægyptiis, qui eorum actiones, quæ occultæ erant, omnibus evulgavi. Hinc licet argumentari a minori ad majus; si ex mali parte, quæ minor est, qui clam agit, Deus evulgat, quanto magis boni partem? alia interpretatio; cur commemoratur exitus Ægypti pro singulis præceptis? cuinam hoc simile est? Regi, qui amici sui filium in captivitatem abductum redimit, at quando redimit, non redimit uti suum filium, sed uti suum servum, quia si aliquid ei præceperit, & non paruerit, semper ei significare possit; tu es meus servus; quando in provinciam ingreditur, ei dicit, indue mihi calceum, remove a meo conspectu hæc vasa, eaque in hypocaustum transfer. Ille filius incipit esse contumax; at ipse ei libellum redemtionis suæ ostendit, significatque suum esse servum. Ita quando Deus redemit prolem Amici sui (*Abrahami*) non redemit uti filios, sed uti servos, quia si aliquid jusserit, eique dicto non fuerint audientes, significare possit, vos estis mei servi. Quando egressi sunt in desertum, nonnulla præcepta levia, & aliqua gravia jubere incepit, nempe Sabbathum, adulteria, Zizit, & Tephilin; inceperunt Israelitæ esse contumaces, iisque significavit; vos estis mei servi, hac lege vos redemi, ut ego decernam, & vos observetis. *Ego Dominus Deus vester*, cur iterum dictum est? nonne jam dixerat, *ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti*? quid necesse erat, ut iterum diceret, *ego sum Dominus Deus vester*? ne Israelitæ dicerent, cur hæc nobis præcepit Deus? nonne ut hæc observantes, præmium consequeremur? Sin minus observabimus, præmium non assequemur; juxta id quod Israelitæ Ezechieli dicebant juxta versiculum qui dicit; *venerunt viri de senioribus Israel, ut interrogarent Dominum, & sederunt coram me*. Ezech. 20. I. ei dixerunt; servus, quem ejus dominus vendiderit, nonne ex ejus potestate exit? eis respondit, maxime. Quandoquidem nos Deus vendidit, & ejus potestate liberati sumus, mundique gentium imperio subjecti sumus. Illis dixit; servus, quem vendat dominus eo pacto, ut recuperare possit, exitne ex ejus potestate? *Neque cogitatio menti vestræ fiet dicentium; erimus sicut Gentes, & sicut cognationes terræ, ut colamus ligna & lapides; vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in mana forti, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos*. Ibid. 32. 33. *In manu forti*; hæc est pestilentia, juxta versiculum qui dicit; *ecce manus mea erit &c*. Exod. 9. 3. *Et in brachio extento*, hic est gladius, juxta versiculum qui dicit, *& gladius ejus evaginatus in manu sua extenta super Hierusalem*; sic Hebræus; *& in furore effuso*, hæc est fames; Postquam ego contra adduxero hæc tria supplicia unum post aliud, deinde super vos vel invitos regnabo. R. Nathan dicit; nullum est *præceptum*, quod prope se præmium non habeat; exi & addisce ex præcepto Zizit. Narratur historia de quodam viro, qui diligenter observabat præceptum Zizit, cum audisset, meretricem, quæ longinquam insulam incolebat, non minori pretio, quam quadringentis aureis nummis sui copiam facere, ei misit quadringentos nummos aureos, diemque congressus indixit; quando dies advenit, adiit, stetitque ad portam suæ domus; ingressa est ancilla, eique dixit, advenisse jam virum illum, qui quadringentos nummos ei miserat, cui diem indixerat, eumque jam esse ad portam suæ domus; ingredi eum jus-

jussit; quando ingressus est; septem lectos argenteos ei paravit, excepto uno, qui ex auro constabat, & erat superior, & inter singulos erant gradus argentei, *sed lecti superioris gradus* erant aurei; Cum jam cum ea concumbere gestiret; quatuor ejus Zizit in faciem ejus resilierunt, eique se veluti quatuor viri repræsentarunt, statim surrexit, pronusque in terram cecidit; ea quoque surrexit, pariterque prona in terram cecidit, eique dixit; per Idolatriam Romæ (*Roma tum ethnica erat*) non te dimittam, donec mihi dixeris, si quid in me vitii videris; ei respondit; per sacrificium, nihil in te vitium deprehendi; Tuæ enim formæ nihil comparari potest in universo terrarum orbe; sed præceptum leve nobis imperatum est, in quo scriptum est; ego sum Dominus Deus vester, bis; ego sum Dominus Deus vester promtus ad remunerandum; ego sum Dominus Deus vester paratus ad puniendum. Ei dixit per sacrificium te non dimittam, nisi mihi scripseris nomen tuum, & nomen civitatis tuæ, & nomen Scholæ, ubi Legem didicisti; & ipse ei scripsit nomen suum, & nomen civitatis suæ, & nomen præceptoris sui, & nomen Scholæ, in qua Legem didicit; & illa surgens distribuit ex opibus suis triens Imperio, triens pauperibus, & triens sibi reservavit, & venit, stetitque in Schola R. Hija, eique dixit, fac me proselytam; ei respondit, num alicui ex meis discipulis oculos adjecisti? ostendit ei scripturam, quam suis manibus tenebat; & ipse illi dixit, abi & fruere quod comparasti, easque culcitas, quas illicite tibi straverat, licite tibi sternat. Hoc est præmium hujus præcepti in hoc mundo, in alterio nescio, quantum futurum sit. *Maimonides capite primo* ציצית. Ramus alæ vestis adpositus & ex eadem indumenti specie constans ציצית vocatur, eo quod capitis cirros plane repræsentet. Q. S. E. (*Ezech.* 8. 3.) *apprehendit me* בציצת *in cincinno capitis mei*. Atque hic ramus nuncupatur albus, eo quod colore istum imbuere præceptum nobis haud sit. Ipsorum vero fil-orum numerus in divina Lege definitus non legitur. Adhibetur filum laneum, expansi cœlestis colorem exhibens, quod ramo isti alligatur, & hyacinthinum audit; Quoties hoc filum circumduci debeat, æstimari ex Lege non potest. Hoc de *Zizith* mandatum duo complecti deprehenditur, esse nimirum ad alam ponendum ramum ex illa prodeuntem, ac huic ramo hyacinthinum filum circumvolvendum, prout dicitur (*Num. XV.* 38.) *ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas*. Hyacinthinum filum albo non obstat, uti nec hoc illi; nam qui hyacinthino destituitur, album duntaxat adhibet, si quis vero utroque utatur ita ut abscindatur diminuaturque album ad alam usque, solo hyacinthino remanente, bene se habet. Tametsi vero duo hæc invicem impedimento sibi non sint, nequaquam tamen duo quis præcepta esse arbitretur, cum unicum tantum idque affirmativum sit. Antiquioris ævi sapientes pronunciarunt hæc *verba*, *& erit vobis in peniculamentum*, docere, quod duo illa unicum mandatum conficiant. At quatuor fimbriæ mutuo se impediunt, quum quatuor istæ unicum quoque præceptum efficerent; Unde qui pallium induit, ex quo filum vel album vel hyacinthinum vel duo unius coloris dependent, is unicum saltem mandatum affirmativum observavit. Jam vero qua ratione fimbriæ conficiunt. Ab angulo pallii, ubi texturæ finis apparet, initium fit, ac sursum ad trium digitorum exactam longitudinem nodus prægrandis protenditur, in quo quatuor fila colliguntur, ac in medio duplicantur. Quandoque etiam octo fila triplicata una ab extremitate suspensa videre licet. Octo qui fila texit, quatuor ad minimum digitorum longitudinem conficere illa debent, sin superent, & ad unius vel duarum quoque ulnarum longitudinem ascendant, genuina quoque habentur. Digiti quoad longitudinem æquales sibi omnes sunto. Ex hisce octo filis unicum hyacinthinum esse debet, reliqua septem alba. Licet filum album prehendere, & in eo super cætera fila nodum ad latus vestis facere, atque hoc in stata relinquere. Licet filum hyacinthinum sumere, ac duos nodos in ea regione ubi albi fili nodus cernitur, facere, eademque costringere. Atque tres hi nodi nomine חוליה h. e. *articulus* vocantur. Dein relicto exiguo spatio ad secundum articulum progressus fit, filo duntaxat hyacintino connectendum. Ulterius tum progredi fas est, & tertium nectere articulum. Et sic ad ultimum usque articulum, in quo duo ex filo hyacinthino nodi sunt faciendi, negotium absolvitur. Ultimus albi fili nodus claudit omnia, quoniam ex albo pariter initium fiebat; Sanctitatem quippe & reverentiam attollere non demittere convenit. Enim vero qui fit, ut ab albo filo sumatur initium? ideo ut eadem species ad oram vestis accedat. Adeoque hac ratione cum quatuor alis res conficitur. Quotnam articuli in qualibet ala constituendi sunt? Non pauciores quam septem, nec plures quam tres atque decem, id quod unum ex præstantissimis est mandatis. Si quis unicum saltem articulum super ea (*sc. ala*) ligaverit, aut si quis hyacinthinum filum super multas fimbrias alligaverit, bene se habet. Porro in filo hyacinthino, ut omnes articuli tertiam partem triplicatorum filorum occupent, duæ autem tertiæ illorum partes ramum conficiant necesse est; denique separare hæc decet, donec fiant veluti cincinni capitis.

[74] *Non ad medicinam &c. etiam Medicinæ operam dedisse testatur Josephus Halos. l. 2. c.* 12. Summum autem studium veterum scriptis adhibent, ea maxime inde quæ animo, & corpori expediant, eligentes. Hinc illis morborum remedia, stirpes medicæ, quamque vim propriam singuli lapides habeant rimantibus, conquiruntur. *Abraham Zacuth*. Intendunt in sapientiam Legis, e qua educunt sapientias physicas ad intelligendas naturas stirpium & animalium.

[75] *A Rechabitis &c. Siphri ad Num. X.* 29. Hobab (*a* חבב) quia amavit Legem, quod ex omnibus Proselytis neminem invenimus, qui legem plus amaret quam Itro, & sicut Itro amavit Legem, ita ejus filii Legem amarunt, juxta versiculum qui dicit; *Vade ad domum Rechabitarum & loquere eis verba Domini. Jerem.* 35. 2. Quoniam hæc domus diruenda erat, judicarunt æque ac si diruta jam esset, juxta versiculum, qui dicit; *Et domum non ædificabitis, & sementem non seretis &c. Obedivimus ergo voci Jonadab filii Rechab patris nostri in omnibus quæ præcepit nobis Jerem. ibid. vers.* 7. 8. Quia obediverunt præcepto Jonadab sui patris, Deus eos doctrina ornavit, juxta versiculum qui dicit; *cognationes quoque scribarum habitantium in Jabes, canentes atque resonantes, & in tabernaculi comorantes*; *Hi sunt Cinæi qui venerunt de Calore patris domus Rechab* 1. *Paral.* 11. 55. Tirgnatim (a תרועה) quia audiverunt clangorem a monte Sinai. Tirgnatim (*Chaldaice ita sonat*) quia jejunabant, & clangebant; Tirgngatim (*a Chaldæo* תרעא) quia stabant ad portam Hierosolymæ. Scemangtim (*a voce* שמע) quia audiverunt præceptum sui patris Sochatim (*a voce* סך) quia se oleo non ungebant. Sochatim (*a voce* סוכות) quia habitabant in Tabernaculis, habitantes in Jabes; illi Cinei qui venerunt; qui erant in terra Israel, & iverunt ad Jabes in Arod, ut ab eo Legem addiscerent, juxta versiculum qui dicit; *Invocavit vero Jabes Deum Israel ibidem cap. IV.* 10. Et Deus eum ad illum adducit, quem petierat; ipsi erant viri pii, a quonam addiscere debebant? Et ipse pius erat, quemnam docere debebat? Venerunt viri pii, ut a viro pio addiscerent, juxta versiculum qui dicit, *Filii autem Cinæi cognati Mosis ascenderunt de civitate palmarum. Judic. cap.* 1. 16. Et unde probatur filios Jonadabi filii Rechabi fuisse posteros Itro? ex eo quod dicit; *Hi sunt Cinæi qui venerunt de calore patris Rechab*. Quodnam præmium hac de causa assecuti sunt? *Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias; Hæc dicit Dominus exercitum Deus Israel; Pro eo quod obedistis præcepto Jonadab patris vestri, & custodistis omnia mandata ejus, & fecistis universa quæ præcepit vobis; propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel, non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus.* (*Jerem. XXXV.* 18. 19.) R. Jehosua dicit, Num proselyti ingrediebantur in templum? Cum nemo Israelitarum in templum ingredi posset. Sed sedebant inter Synhedros, & docebant verba Legis; & alii dicunt quod eorum filiæ nuberent Sacerdotibus, & eorum nepotes offerrent super altare.

[76] *A temporibus Antiochi &c. Abraham Zacuth Hessæos a Juda Galilæo, qui autor fuerat Judæis, ut a Romanis deficerent, originem habuisse scribit*. Judas innovavit sectam tertiam eorum, qui Hesseni vocantur. *Et mox*: Opinio Naziræorum, qui vocantur Esseni. Hi sunt sancti, sive pii, & inceptor fuit Judas Galilæus. Hi etiam fuerunt causa Judæis rebellandi contra Romanos, quia dicebant, non convenit, ut dominetur super hominem alius quam Dominus solus,

ne-

neque debet vocari Dominus nisi Deus benedicendus. *Constat ex historia Hessæos ante tempora Judæ Galilæi floruisse; Josephus non tertiæ sed quartæ sectæ. Judam Galilæum autorem facit, Orig. lib.* 18. *cap.* 2. Quartæ autem (*inquit*) studium sapientiæ sectantium viæ primus autor fuit Judas Galilæus; Hi cætera cum Pharisæis consentiunt, nisi quod constantissimo libertatis amore flagrant, credentes solum Deum Dominum habendum, ac principem.

77 *Vitam agebant &c. Porphyrius apud Eusebium Præpar. Evang. lib.* 9. *cap.* 3. a voluptatibus abhorrent tanquam a scelere, continentiam, & cupiditatum victoriam virtutis loco dicunt. *Abraham Zacuth*. Moribus erant præditi optimis, odio habentes lucrum, & custodientes se ipsos a scortatione.

78 *Plerumque cœlibes &c. Porphyrius ibidem*. Nuptiis abstinent illi quidem, sed alienos liberos dum ad capessendas disciplinas molles adhuc, & flexibiles ii sunt, educandos suscipiunt, quos perinde ut propinquos & affines habent, suisque moribus instituunt; Atque hoc non eo consilio faciunt, quasi matrimonium, quæque ipsius beneficio propagatur, sobolem ac posteritatem exterminatam velint, sed ut procacem mulierum petulantiam effugiant. *Cum duo Essenorum species essent; harum altera a conjugio non abstinebat. Josephum Halos. lib.* 2. Est autem aliud Essenorum collegium, cibos quidem & mores, legesque similes cum prioribus habens, distans vero opinione de conjugio; maximam siquidem vitæ hominum partem successionem scilicet, amputare eos qui abstineant nuptiis arbitrantur; quippe si in eamdem velint omnes ire sententiam, defecturum confestim genus humanum. Nihilominus tamen cum tanta ipsi moderatione conveniunt, ut per triennium explorent valetudinem fœminarum, & si constanti purgatione apparuerint idoneæ partui, ita eas in matrimonia asciscunt; nemo tamen cum prægnante concumbit, ut ostendant, quod nuptias non voluptatis, sed liberorum causa inierint. *Abraham Zacuth*. Divisi sunt Esseni in duas sectas quoad conjugium. Secta una ex illis ducunt uxores ad conservationem speciei, postquam probaverint eas tribus annis, si aptæ sint ad pariendum, quod cognoscunt ex ratione menstruorum; cæterum quando gravidæ sunt, non congrediuntur cum eis amplius, ut ostendant se ad conservationem generis humani, non ad voluptatem duxisse. Et secta ex illis non ducunt uxorem omnino, quia putant non inveniri fœminam, quæ custodiat fœdus mariti sui perfecte. *Vide Plinium lib.* 5. *cap.* 17. *& Solinum cap.* 35.

79 *Bona privata &c. Porphyrius ibidem*. Divitias aspernantur admirabili omnium inter sese rerum communione conjuncti usque adeo, ut neminem, qui alterum opulentia superet, invenire possis. Lex enim apud illos est, ut qui hoc vitæ institutum profiteri velint, suas ii facultates ad communem Sodalitatis universæ rationes conferant, atque ita nec in quoquam egestatis, humilitas, nec immodica vis opum ac fortunarum appareat, sed potius confusis ac permixtis singulorum inter se rebus, una omnium sit tanquam Fratrum eademque possessio. *Abraham Zacuth*. Omnes ipsi divitias inter se communes habent. Nam quicumque ingrediuntur morem eorum, conferunt opes suas in thesaurum. Inde aluntur, & sufficienter præbentur illis cibus & vestes. Inde quoque dant iis quibus volunt, sed non dant quicquam proximis suis nisi cum venia majorum. Quod accipere quis noluerit e thesauro quantum satis est, detinent cum in macilentia.

80 *A jurejurando alieni &c. Abraham Zacuth*; custodiunt se ipsos a juramento. *Vide Josephum Halos lib.* 2. *cap.* 12. *Qui vero hoc institutum amplectebantur, jurejurando se obstringebant, sectæ constitutiones religiose servaturos. Porphyrius ibidem*. Porro hujus in sectæ atque instituti societatem venire cupienti, non continuo patet ingressus, sed ei foris annum integrum manenti genus idem vitæ præscribunt, ac dolabellam, cingulum, vestemque candidam tradunt. Qui postquam hoc temporis intervallo abstinentiæ temperantiæque suæ documenta dedit, propius quidem ad instituti communionem accedit, ac purioribus aquis una cum cæteris lustrari incipit, necdum tamen ad convictum admittitur. Nam post tolerantiæ probationem, aliis duobus annis mores ejus explorant, quibusque exactis, si dignus habeatur, in consortium tandem accipiunt. Priusquam tamen communem cibum attingat, horrendi sese illius juris jurandi formula obstringit; in primis quidem, pium se ac religiosum adversus numen futurum, deinde illibata humanæ societatis jura servaturum, adeoque nec sponte, nec alterius jussu in cujusquam injuriam adductum iri, sed potius & injuriosos omnes odio habiturum, & illatas probis injurias conjuncta voluntate subiturum. Addit præterea constantis & integræ cum erga cæteros omnes, tum præsertim erga præsides se fidei fore, quod nulli sine Dei numine imperandi jus obveniat. Quod si forte sibi aliquando deferetur, daturum se operam, ne potestati suæ labem inurat, nec in veste corporisve cultu præ aliis, quibus imperabit, eximium quicquam, aut splendidum habiturum. Ad hæc veritatis amorem ac studium, hominumque mendacium fugam, manus a furto, animum ab iniquo quæstu purum ac sincerum, plana suis apertaque omnia, apud alienos vero altum, quodque ne præsenti quidem necis timori cedat, eorum de rebus silentium pollicetur. Ad extremum fore, uti nec aliter, quam acceperit, cum aliis sectæ suæ dogmata communicet, & ab omni latrocinio caveat, institutique sui libros, & Angelorum nomina pari diligentia studioque conservet. Hujusmodi ergo est Sacramenti formula. *Excepto hoc juramento, in omni reliqua vita se a jurejurando abstinebant*.

81 *Nec mentes &c. Porphyrius ibidem*. Non in singulari quadam Civitate universi, sed in singulis plurimi domicilium collocant, ac procul advenientibus ejusdem Sectæ sociis invicem ac mutuo putent omnia, ut quisque primus eos aspexerit, illis obviam continuo perinde ac notis & familiaribus procedunt. Quare dum iter ad profectionem aliquam suscipiunt, nihil secum expensarum causa deferre solent. Immo nec vestem calceosve mutant, donec priora vel discissa omnino fuerint, vel ipsa vetustate detrita; nec emunt inter se, venduntve quicquam, sed alter cum altero suis de rebus, prout opus habet, accommodat, vicissimque ab eo, quod sibi usui sit, accipit; qui tametsi nihil mutui rependant, eos tamen, a quibuscumque velint, accipere nihil vetat. *Abraham Zacuth*. Non venditur quicquam inter eos, sed dant indigenti gratis.

82 *In martyriis &c. Porphyrius ibidem*. Atque hoc perpetuo vivendi genere eo tolerantiæ pervenerunt, ut nec equuleo fidibusve torti atque distracti, nec cæteris omnibus cruciatuum machinis tentati, ut vel legum suarum autori maledicant, vel inusitatum cibum attingant, alterutrum ab se unquam extorqueri patiantur; Cujus rei singulare Romano bello specimen ac documentum dedere. Nunquam enim ipsis exprimi aut erga tortores mollior ac blandior ulla vox, aut oculis lachrymula potuit, sed in mediis tormentorum doloribus subridendo, carnifices ipsos dicteriis salibusque mordebant, animumque suum tanquam denuo recepturi, placide atque hilariter emittebant. Quippe apud ipsos enim constans hæc sententia obtinuit, corpora quidem interitui esse obnoxia, nec solida ex materia perennique consistere; animos tamen immortales vitam agere sempiternam, qui tametsi tenuissimo ac subtilissimo ex æthere, naturæ quodam impetu detracti, corporibus ad tempus illigentur, eorum aliquando tamen vinculis expediti, sic tanquam servitute diuturna liberati, exultent deinceps, ac sublimes ferantur. *Abraham Zacuth*. Et ipsi fortes sunt in fide sua, si moriendum sit pro nomine Dei, & pro uncto ejus. Innotuit autem fortitudo eorum in bello, quod Israelitæ gesserunt cum Romanis, ne comederent cibum pollutum, & ne loquerentur rebellionem contra Mosem. Nam eorum membra igne combusta fuerunt, neque tamen verba deprecationum locuti sunt ad percussores. Contra ex illis quidam subsannabant eos, & recipiebant pœnas hilari vultu, cum reputarent, licet corpus corrumpatur, tamen animas interitus expertes esse. Quod si vincta est anima in corpore, nihilominus soluto vinculo tempore mortis ascendit ipsa sursum, nec est ullum velum dividens; & animæ bonæ abeunt ultra Oceanum in paradisum inferiorem sub linea æquinoctiali; malæ autem animæ abeunt ad interitum in terram tenebrarum, & umbræ mortis.

83 *In cultu Dei &c. Porphyrius ibidem*, Jam vero singulari erga Numen pietate ac religione sunt. Nihil enim profani ante Solis ortum loquuntur, sed pa-

trias

trias quaſdam ei preces nuncupant, quaſi ut illuceſcat obſecrando. Tum ad eam quam quiſque novit, artem Præſidum ſeſe juſſu conferunt, in qua perpetuo & continenti ad quintam horam labore verſati, eundem ſimul in locum denuo conveniunt, ac lineis præcincti frigida corpus abluunt, moxque ab ea luſtratione proprium in domicillium, quo alterius ſectæ nemini pedem inferre licet, una omnes confluunt, atque ab omni labe puri, non aliter in cœnaculo, quam in delubro ſanctiore verſantur. His ergo placide ac quiete ſedentibus, panes a piſtore, unumque ſingulis ex eodem cibo ferculum a coquo non ſine decore & ordine apponitur. Cibos autem puros licet ac mundos, certis precibus Sacerdos ante conſecrat (nec ulli niſi præmiſſa precatione quicquam guſtare fas eſt) idemque confecto prandio cuncti iterum bene precatur, ſicque tam ſub finem, quam ſub initium, Deo cultum honoremque perſolvunt. Inde ſacris quaſi veſtibus poſitis, rurſum opus quiſque ſuum ad veſperam uſque repetit, quo tempore cœnam eodem quo prandium, ritu ſumunt, conſidentibus ſimul hoſpitibus ſiqui forte advenerint. *Abraham Zacuth*. Antequam oriretur ſol, non loquebantur niſi de laudibus Dei benedicti &c. Poſt preces eunt parumper negotiatum, & ad faciendum opus ſuum, & hoc licentia majorum ſuorum. Poſt lavant corpus aqua frigida ad debilitandum deſiderium coitus, expanduntque ſuper caput ſuum ſudarium album. Poſt lotionem ſedent ordine, & ponunt ante unumquodque linteum; coquus autem dat unicuique ſcutellam cocti edulii, & ante benedicit Sacerdos proferens eam, poſt benedicunt ipſi quoque, & dant laudem Deo benedicto, deinde redeunt ad opus ſuum uſque ad veſperam. Veſperi veniunt domum, & adducunt hoſpites quicquid præparaverint illis. *Siqui contra Sectæ inſtituta peccarent, exquiſitiſſimis pœnis puniebantur*. *Porphyrius ibidem*. Quiſquis autem gravioris criminis peractus ab iis, ac propterea ejectus fuerit, eum male perire neceſſe eſt; Nam & jurejurando moribuſque conſtrictus, ne aliorum quidem eſcis uti poteſt, ſed herbis aliquandiu victitando, miſere tandem fame contabeſcit. Quare multos ipſi miſeratione commoti, ſupremam ad neceſſitatem adductos, receperunt, rati videlicet, graves ſatis peccatorum ſuorum pœnas ab iis eſſe hoc ad mortem uſque cruciatu perſolutas. *Abraham Zacuth*. Jus dicturi inter ſe congregantur centumviri, qui eos quos deprehenderint reos & improbos, expellunt e cœtu ſuo. Qui autem ſectæ violatores ſunt, eos cibant herbis malis donec attenuetur corpus eorum, & moriantur fame. Quandoque accidit cum vident vicinos morti, ut eos ſin gratiam recipiant, expiatum ſatis hoc modo peccatum arbitrantes. Cæterum quicunque hunc morem, ingreditur, non licet ei comedere e manu aliorum.

[84] *Vitantes &c. Porphyrius ibidem*. Proprium in domicilium, quo alterius ſectæ nemini pedem inferre licet, una omnes confluunt &c. *Et paucis interjectis*. Cæterum nullo unquam ædes aut clamore aut ſtrepitu polluuntur, ſed aliis alii modeſte atque ordine loquendi locum cedunt; adeoque omnibus qui foris illuc adveniunt, horrendi inſtar myſterii eorum, qui domus iſtius ſepti continentur, ſilentium eſt.

[85] *Vox Scribæ prophetam &c*. 1. *Reg. X.* 10. *Hebr.* חבל נביאים *Liga Prophetarum*, *Targum* סיעת ספריא *cœtus ſcribarum*. *Ibid. verſ. II.* Hebr. Num. etiam Saul כנביאים *inter prophetas? Targum* האף שאול בספריא, *num etiam Saul inter ſcribas?*

[86] *Judæi doctores &c. Elias Levita ſcribit hoc nomine Significari ſapientes, qui ſpecialiori nomine vocantur* רבנים *Rabbini*, *Magiſtri*, *Doctores Legis*. *Codex Sanhedrin cap. X.* 3. Gravius peccatur circa verba סופריל *Scribarum*, *ſeu Sapientum*. *Berachoth fol.* 45. 2. Si duo ſimul comedant qui ſunt סופרים, *Scribæ*, *ſapientes*, uterque gratias aget pro ſe ſingulatim; at vero ſi unus ſit סופר *Scriba*, *Sapiens &c*.

[87] *Multa eos cum Phariſæis &c. S. Epiphanius Hæreſ. XIV*. Duabus hiſce Sectis apta conſecutione cohæret alia quædam hæreſis Phariſæorum, eadem cum iis ſentiens, Scribas intelligo, quos interpretari licet Legis doctores; *Idem in reſponſo ad Epiſtolam Acacii & Pauli*. Mortuorum apud illos reſurrectio ut & apud Scribas defenditur, iidem Angelos ac Spiritum S. eſſe non negant. Vitæ autem eximium inſtitutum præſeferunt.

[88] *Fuiſſe tamen &c. Origenes tractat.* 24. *in Matth.* Qui ergo non recedunt a litera Legis, Scribæ dicuntur, qui autem majus aliquid profitentes dividunt ſe ipſos quaſi meliores a multis, ſecundum hoc *Phariſæi* dicuntur. *In deſcriptione Scribarum*, *ab Origene Karæi deſigantur*, qui non recedebant a litera Legis. *S. Hieronymus in Iſai. cap. VIII. ſcribit* ex duabus familiis Sammai & Hillelis ortas eſſe Scribas & Phariſæos. *Karæi Sammai principe & autore ſuæ ſectæ glorianti*, *ut ſupra vidimus*.

Suntque qui eos Karæos &c. Vide cl. Triglandii Diatriben de Secta Karæorum cap. VI. S. Epiphanius Hæreſ. XIV. Nomicos a Scribis non diſtinguit; Duabus hiſce Sectis, apta conſecutione cohæret alia quædam hæreſis Phariſæorum, quos interpretari licet legis doctores, cum ipſis enim & faciunt Nomici; At vero diverſa rurſus ab his ſtudia ſequebantur Phariſæi, ſeveriora vivendi inſtituta habentes.



CAPUT

CAPUT DECIMUM.

De Naziræis.

§. I. Nomen.

I. NAziræi, נזירים, Ναζιραῖοι, vel Ναζειραῖοι, ut est in onomastico Origenis, Ναζηραῖοι, Ναζαραῖοι, uti *Jud.* 13. 5. 7. 1. *Macch.* 3. 49. *Thren.* 4. 7. appellantur, distinguendi sunt a Ναζωραίοις, quod patriam & sectam indicat. Incolæ videlicet urbis Nazareth Ναζωραίοι appellantur locis 10. in Novo Testamento, & in 4. Ναζαρηνοὶ: idemque esse Ναζωραῖος & Ναζωρηνὸς liquet ex collatione *Marc.* 14. 67. & *Matth.* 26. 71. Secta quoque Ναζωραίων memoratur ab Epiphanio, & Hieronymo. Ita dicuntur quasi *separati* ab aliis certo vivendi genere ex voto, omnium maximo, quo quis non res suas sed se ipsum Deo sacrat: quare μεγάλην εὐχὴν dici Philo tradit: vel quod נזר *coronam* Dei, promissos capillos, gererent. *Num.* 6. 7.

§. II. Species.

II. Dividuntur in species duas, respectu sexus, [1] mares & fœminas. Vide *Num.* 6. 2. *Nazir.* IX. 1. Præterea distinguuntur respectu temporis. I. In Naziræos qui in perpetuum se devoverunt, & dividebantur iterum in נזירי עולם [2] *Naziraeos perpetuos*, ἁπλῶς ita dictos, qui ad hæc duo tenebantur, alendos capillos (quos tam si incommodo iis essent semel quotannis tondere licebat, quod exemplo Abschalomi probant *Gem. Nazir.* 4. 2. & *Mechilta.* 25. 2.) & abstinentiam a vino, qui si polluuntur tres pecudes offerunt & tondentur, & in נזירי שמשון [3] *Naziræos Schimschonæos*, quibus tondere capillos nunquam licuit, quique polluti nihil offerunt. *Nazir.* 1. 2. II. נזירי זמן קצוב *Naziræos ad tempus devotos*, vel נזירי ימים (in *Mechilta* 25. 2.) id est, [4] minimum ad 30. dies, [5] qui non tantum capillos alere, a vino abstinere, sed puros se servare a mortuis debebant. *Nazir.* 1. 3. Confer *Edujoth.* IV. 11. & VII. 5.

§. III. Leges Naziræatus tēporarii.

III. Posterioris Naziræatus leges *Num.* 6. 2. & *seqq.* enarrantur. In *Nazir.* VI. 1. ea quæ Naziræis prohibita sunt tria esse dicuntur. 1. Immundities. 2. Tonsura. 3. Quicquid a vite proficiscitur. Alias solent leges Naziræatus ad hæc 10. capita referre, 2. præcepta videlicet & 8. interdicta, quæ in serie præceptorum & interdictorum sunt 365-374. Horum etiam Hieronymus meminit in *comm. ad Amos* 1. *pag.* 1386.

1. [6] Ut comam alat.
2. Se non radat.
3. [7] Abstineat vino, aceto, & omni potu inebriante.
4. Ne uvas recentes comedat.
5. Ne passas. Confer Hieronymum in *Jes.* VI. *pag.* 55.
6. Ne acinorum nucleos comedat.
7. Ne corticem uvarum edat.
8. [8] Ne domum mortui ingrediatur.
9. Ne polluatur ob mortuos [9] exceptis 6. propinquis *Lev.* 21. 2. memoratis, & mortuo præcepti, מת מצוה: sic ut sanctitas eorum conveniat hac parte cum sanctitate sacerdotum.
10. Ut finito tempore Naziræatus offerat ea, quæ a Deo præscripta sunt; quemadmodum & si casu pollutus sit, id est, [10] si quis ad latus ejus mortuus fuerit, quando primum 7 dies immundus esse, se radere die septimo & capillos sepelire, cinere vaccæ rufæ aspergi die tertio & septimo, & die octavo munus suum i. e. agnum pro delicto, afferre, *Num.* 6. 10. & denuo tot dies, quot ante voverat, in Naziræatu transigere debuit. *Nazir.* III. 3.

§. IV. Voti solutio.

IV. Ea autem quæ exacto tempore Naziræatus peragenda fuere sex sunt.

1. [11] Ut agnus offeratur in holocaustum.
2. Agna in sacrificium piaculare.
3. Aries in sacrificium salutare.
   Hæc & præcedentia solent שלש בהמות *tres pecudes* Naziræorum appellari. Vid. *Gem. Hier. Nazir.* 54. 2. *Midrasch Coheleth.* 107. 3. ubi historia 300. Naziræorum, quibus 900. pecudes partim Rex Jannæus partim Schimeon Ben Schetach ad hunc usum donabat.
4. Simila infermentata oleo mixta, & רקיקי מצות oleo uncta, cum ferto & libaminibus eorum offerantur.

6. [12]

5. Capillos radat ad ostium tabernaculi, vel stante templo in conclavi Naziræorum, & eos conjiciat in ignem sub olla in qua sacrificium salutare coquitur.

6. [12] Armus coctus arietis, placenta azyma cui oleum immixtum est & רקיק sive laganum, azyma quoque (sed quibus pro pane azymo in Paschate uti non licuit. *Pesachim.* 11. 5.) oleo uncta a sacerdote imposita manibus Naziræi agitentur una cum pectore & femore crudo, quæ cedunt sacerdotibus *Num. 6. 20.*

§. V. De voto Pauli num fuerit Naziræatus.

V. Votum Pauli *Act.* 18. 18. se tondentis Cenchreis, non erat votum Naziræatus: sed longe diversum. Nam non fuit *tonsura munditiei*, תגלחת טהרה uti Judæi loquuntur, id est, tonsura Naziræi voto suo soluti, quoniam illa non alibi quam in templo fieri debuit: nec fuit *tonsura immunditiei* תגלחת טומאה, id est tonsura Naziræi qui ante dies Naziræatus sui impletos polluitur, quoniam illa tonsura fieri debuit in terra Israelitica, vel in tali loco unde spatio diurno ad templum aliquis pervenire potest; nam die septimo jubetur tonderi & octavo afferre sacrificium. [13] Nec licebat Naziræo esse extra terram Israeliticam. *Nazir.* III. 6. Si quis vovisset Naziræatum extra terram, proficisci debuit in terram & illic votum implere. *Edujoth.* IV. 11. [14] Helena idcirco regina Adiabenorum Naziræa fuit per 21. annos, quamvis modo septennii Naziræatum vovisset, quia extra terram voverat, & circa finem alterius septennii polluebatur. *Nazir.* III. *6.* Sic quoque Naziræatus locum non habuit, [15] nisi stante tabernaculo & templo; quoniam voto solvi non potuere, nisi ad tabernaculum vel templum accessissent. Hinc I. *Macc.* 3. 50. Naziræi voto solvi non poterant templo partim polluto partim destructo.

COMMENTARIUM IN CAP. DECIMUM.

[1] M*Ares & fœminas &c. Siphri ad cap. VI. 2. Num. Vir sive mulier*, ut considerentur viri æque ac mulieres; quia erat argumentum (in contrarium) si ubi considerantur minorennes æque ac majorennes, non considerantur viri æque ac mulieres, hoc loci, ubi non considerantur minorennes æque ac majorennes, non erit æquum, ut ne considerentur mulieres æque ac viri? ideo dicit, *Vir sive mulier*, ut considerentur mulieres æque ac viri. *Maimonides de Naziræis cap.* II. 16. Gentiles non habent votum Naziræorum, juxta versiculum qui dicit; *Loquere ad filios Israel. Num. VI.* 2. Mulieres & Servi habent votum Naziræorum, & pater & maritus possunt solvere votum Naziræorum, in mulieribus.

[2] *Nazyræos perpetuos &c. Tosaphta Nazir. Cap. I.* 4. R. Jehuda dicit, ego sum Naziræus sicut est messis æstatis, aut sicut sunt spicæ septennii; ille est Naziræus perpetuus, & tondetur semel intra triginta dies, donec dicat; hoc ego in animo habui; Ego sum Naziræus sicut est numerus capillorum capitis mei, sicut pulvis terræ, sicut arena maris, ille est Nazyræus perpetuus, & tondetur semel intra triginta dies. Rabbi dicit; Iste non tondetur semel intra triginta dies, quia hic non appellaretur Naziræus perpetuus. Si diceret ego sum Naziræus hinc usque ad abyssum terræ usque ad cœlum, ille est Naziræus perpetuus; en ego sum Naziræus omnibus diebus meis, is est Naziræus perpetuus, si diceret, ego sum Naziræus centum ducentum annos, ille non est Naziræus perpetuus. *Maimonides Nazir. cap. III.* 12. Siquis diceret; Ego sum Naziræus perpetuus, aut ecce ego sum Naziræus omnibus diebus vitæ meæ, ille est Naziræus perpetuus, & si dixisset ecce ego sum Naziræus mille annos, ille est Naziræus eo tempore definito quod dixit, & quamvis fieri non possit, ut homo vivat mille annos. Quodnam discrimen est inter Naziræum perpetuum, & Naziræum temporis definiti? Quod Naziræo temporis definiti vetitum sit se tondere usque ad finem dierum sui voti juxta versiculum qui dicit; *omni tempore separationis suæ novacula non transibit super caput ejus usque ad completum diem. Num. VI.* 5. Et Naziræus perpetuus, si aggravata esset coma ejus, potest leviorem reddere novacula semel intra duodecim menses, & adducet pro suo sacrificio tres bestias, quando se tondebit, juxta versiculum qui dicit; *Semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum Cæsaries. 2. Reg. XIV. 26.* & sibi tondebat; & Absalom erat Naziræus perpetuus, & hoc constat ex traditione; & Naziræus perpetuus, qui pollutus esset, afferet sacrificium immunditiei, & se tondebit tonsura immunditiei juxta morem Naziræi temporis definiti.

[3]. *Naziræos Schim-schonæos &c. Tosaphta ibidem.* R. Jehuda dicit, qui Naziræatum vovet Schim schonæum, polluitur mortuis, quia ipse Samson mortuis polluebatur. R. Simeon dicit; Ecce ego sum veluti Samson, nihil dixit, qui nullum Naziræi verbum ab ejus ore prodiit. *Maimonides ibidem* Samson non erat Naziræus perfectus, quia Naziræatum non voverat, sed Angelus eum separare fecerat ab immunditie; Quænam erat ejus lex? Vetitum erat ei vinum, & vetita erat tonsio; ei licitum erat mortuis se polluere; & hoc constat ex traditione; Qua de re siquis dixisset; ecce ego sum Naziræus Schimschonæus, ille est Naziræus a tonsione, & a vino in perpetuum, neque se tondebit singulis annis, veluti reliqui Naziræi; & ei licitum est se mortuis polluere; & si dixisset, in mente habui alium virum, cujus nomen est Samson, non est Naziræus; & qui vovisset Naziræatum Schimschonæum, non potest petere absolutionem pro suo voto, quia separatio Samsonis fuit perpetua. Si quis dicit, ecce ego sum veluti Samson filius Manoach, veluti maritus Dalidæ, veluti is, qui extulit portas Gazæ, velut ille cui eruerunt oculos Philistæi, ille est Naziræus Schimschonæus, quamvis fieri possit, ut ab alio viro, hæc agi potuerint.

[4] *Minimum ad 30. dies &c. Maimonides cap. III.* Simplex separatio est triginta dierum quomodo hoc intelligitur? Siquis dixisset; Ecce ego sum Naziræus, non erit Naziræus minus triginta diebus.

[5] *Qui non tantum &c.* Maimonides ibidem cap. I. Naziræatus est votum ex genere votorum prohibitionis juxta versiculum qui dicit; *cum fecerint votum ut sanctificentur &c.* num. VI. 2. & est præceptum affirmativum, ut faciat sibi crescere cæsariem sui capitis, juxta versiculum qui dicit; *crescente cæsarie capitis ejus. Ibid. vers.* 5. Et si se totondisset in diebus separationis suæ, violat præceptum negativum, juxta versiculum qui dicit; *Novacula non transibit per caput ejus. Ibidem.* Pariter vetitum est, ut se polluat mortuis, & edere, quod ipsi prohibuit sacer textus; *quicquid ex vinea esse potest omnibus diebus separationis suæ;* Si prævaricatus esset, & se totondisset, &

se

ſe polluiſſet, aut de vite vini ediſſet, bis vapulat, ſemel propter præceptum, *non faciet irritum verbum ſuum*. *Num. XXX.* 3. quod includit omnes ſpecies votorum; & iterum, quod prævaricatus ſit unum ex his, quæ præciſe ſunt vetita Naziræo.

6 *Ut comam alat &c. Siphri ad cap. VI. 5. Num. Omni tempore ſeparationis ſuæ*. Textus eum educit a generali vini, & venit ad tonſionem. *Omni tempore voti ſeparationis ſuæ*; ejus votum pendet ab ejus ſeparatione, non ejus ſeparatio pendet ab ejus voto; *novacula non tranſibit per caput ejus*; ut conſideretur tam is qui tondet, quam qui tondetur. *Novacula non tranſibit caput ejus*. Ego non probo niſi pro Novacula, ſi evulſerit, ceciderit, & totonderit, unde probatur quod vapulet? Ex eo quod dicit, *Sanctus erit*; quocunque modo, verba R. Joſiæ; R. Jonathan dicit; de novacula textus agit; igitur ſi evulſiſſet, cecidiſſet, & totondiſſet, non vapulat. *Uſque ad completum diem quo Domino conſecratur*; Unde probatur, quod ſi quis dixiſſet, ecce ego ſum Naziræus ſimpliciter, ſit ad diem trigeſimum primum, & ſi ſe die trigeſimo totondiſſet, debito ſatisfaciat? Ex eo quod dicitur; *uſque ad completum diem, quo Domino conſecratur*; & jam completi ſunt dies ſeparationis ſuæ. Aut dicam, etiamſi dixiſſet, ecce ego ſum Naziræus centum dies, ſi ſe totondiſſet die trigeſimo primo, quod debito ſatisfaciat? Idcirco dicit; *uſque ad completum diem ſeparationis ſuæ*; neque adhuc completi ſunt dies ſeparationis ſuæ; ego non probavi niſi pro illo, cujus ſeparatio eſt definita; de Naziræo perpetuo unde probatur? ex eo quod dicit; *Omni tempore ſeparationis ſuæ .... ſanctus erit*, ad comprehendendum Naziræum perpetuum. *Sanctus erit*; hæc eſt ſanctitas capilli; tu dicis, quod ſit ſanctitas capilli; nonne poteſt eſſe ſanctitas corporis? quando dicit, *Domino conſecratur*; agitur de ſanctitate corporis; Quid igitur ſignificat, *ſanctus erit?* Hoc eſt pro ſanctitate capilli. *Sanctus erit*. Cur dictum eſt? quia dicit; *radetur Naziræus ante oſtium tabernaculi fœderis*; Ego non probabam niſi pro eo, qui ſe radat juxta præceptum ſuum, quod ejus coma prohibita ſit, & prohibeat; ſi latrones totondiſſent, unde probatur? ex eo quod dicit, *ſanctus erit*, quocunque modo. *Sanctus erit*, cur dictum eſt? quia dictum eſt, *creſcente cæſarie capitis ejus*; Ego non probabam niſi pro eo, cui eſt cæſaries, quod ſervare debeat cum ſanctitate capilli, de eo, cui deeſt cæſaries, unde probatur? Ex eo quod dicit, *ſanctus erit*, quocunque modo, verba R. Joſiæ. R. Jonathan dicit, non opus eſt; quia jam dictum eſt, *quia conſecratio Dei ſui ſuper caput ejus eſt*; ſive ei ſit, ſive non ſit coma; Quare igitur dictum eſt *ſanctus erit*? propterea quod dicitur, quod ſimplex Naziræus ſit triginta dierum, quia textus dicit *ſanctus* יהיה, יהיה numerice deſignat triginta dies. *Creſcente cæſarie capitis ejus*, cur dictum eſt? quia dictum eſt; *Et die ſeptimo radet capillos capitis*. *Levit. XIV.* 9. dicerem, quod Naziræus etiam in eo comprehenderetur; quo pacto ego explicabo, *creſcente cæſarie capitis ejus?* pro omnibus Naziræis excepto leproſo; quomodo ego explico, *radet capillos capitis?* pro omnibus aliis leproſis, excepto Naziræo, quia dictum eſt, *& radet*, etiam Naziræus. *Creſcente cæſarie capitis ejus*, cur dictum eſt? quia dictum eſt; *quicunque ergo maculatus fuerit lepra .... habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum*. *Levit. XIII.* 44. 45. פרוע ſignificat, nutrire cæſariem; tu dicis, vocem פרוע ſignificare, nutrire cæſariem, & ego explicabo juxta ſignificationem ſuam (*ut ſignificet nudum, diſcoopertum*). Tu ita argumentaris; dictum eſt hic פרוע, & dictum eſt alibi פרוע, ſicut eo loci ſignificat nutrire comam, etiam hoc loci פרוע ſignificat nutrire comam. *Omnibus diebus ſeparationis ſuæ*; ut conſiderentur dies, qui ſunt poſt ſeparationem ſuam, æque ac dies qui ſunt intra ſeparationem ſuam, uſquedum adducatur ſacrificium; an ego non poſſum dicere, quod non ſit obſtrictus niſi donec compleat ſeparationem ſuam? Tu ita argumentaberis; Vetitum eſt ei vinum, vetita eſt etiam tonſio; ſi ex vino vidi, quod conſiderentur dies poſt ſeparationem æque ac dies intra ſeparationem, uſque dum adducatur ſacrificium; Etiam in tonſione pro eo conſiderabuntur dies poſt ſeparationem æque ac dies intra ſeparationem uſque dum adducatur ſacrificium. Inſuper *probatur argumento* a minori ad majus; ſi in vino, quod non deſtruit ſeparationem, conſiderantur pro eo tam dies qui ſunt poſt ſeparationem, quam dies qui ſunt intra ſeparationem, uſque dum adducatur ſacrificium; in tonſione, quæ deſtruit ſeparationem, non erit æquum ut conſideremus tam dies, qui ſunt poſt ſeparationem, quam dies, qui ſunt intra ſeparationem, uſque dum adducatur ſacrificium? Non eſt argumentum, quod ſi dixiſti in vino, quod nunquam permiſſum eſt in ſuo genere, & ideo conſiderantur pro eo tam dies poſt ſeparationem, quam dies, qui ſunt intra ſeparationem, uſque dum adducatur ſacrificium, dices pro tonſione, quæ permiſſa eſt in ſuo genere (*ſc. in Naziræo leproſo*)? & ideo non conſiderabimus pro ea dies poſt ſeparationem æque ac dies intra ſeparationem uſque dum adducatur ſacrificium. Ecce immundities, quæ probabit, & permiſſa eſt a ſuo genere (*ſc. in mortuo præcepti*) Et pro ea conſiderantur dies poſt ſeparationem æque ac dies, qui ſunt intra ſeparationem, uſque dum adducatur ſacrificium; & ipſa probabit pro tonſione, quod quamvis permiſſa ſit a ſuo genere, neceſſe ſit, ut conſideremus pro ea dies, qui ſunt poſt ſeparationem æque ac eos, qui ſunt intra ſeparationem, uſque dum adducatur ſacrificium. Non eſt argumentum; quod ſi dixiſti pro immunditie, quæ deſtruit totum, idcirco conſiderantur pro ea dies poſt ſeparationem æque ac dies, qui ſunt intra ſeparationem, uſque dum adducatur ſacrificium; dices pro tonſione, quæ non deſtruit totum? idcirco non conſiderabimus pro ea dies poſt ſeparationem æque ac dies intra ſeparationem uſque dum adducatur ſacrificium. Igitur argumento probare non poſſum; ideo dictum eſt; *poſt hæc poteſt bibere Naziræus vinum*. Et quod Naziræus poteſt bibere vinum; ſed vox ſupervacanea eſt; ut argumentetur a pari, dicitur hic Naziræus, & dicitur ſupra Naziræus, ſicuti in Naræo ſupra dicto, conſiderantur pro eo dies poſt ſeparationem æque ac dies infra ſeparationem, uſque dum adducatur ſacrificium, etiam in Naziræo hoc loci dicto conſiderantur dies poſt ſeparationem æque ac dies intra ſeparationem uſque dum adducatur ſacrificium. *Creſcente cæſarie capitis ejus* cur dictum eſt? quia dicit, *uſque ad completos dies*; ego putabam, ſi dixiſſet abſolute Naziræus, ecce ego ſum Naziræus, legendum eſſe pro eo *uſque ad completos dies*; ego per hunc pluralem numerum putabam deſignari duos dies; ideo dictum eſt, *creſcente cæſarie capitis ejus*; quamdiu nutrietur coma? non minus triginta diebus; ſed ultra menſem, *nutrietur* vel menſem & unum diem, vel menſem & duos dies. *Maimonides Nazir cap. V.* 12. Naziræus, qui comam totondiſſet vapulat ſive novacula, ſive forpice, ſi a radice abſciderit, eſt idem, ac ſi novacula *cecidiſſet*, pariterque ſi ſua manu evulſiſſet, reus eſt. Qui radit æque ac ille, qui raditur juxta verſiculum qui dicit, *novacula non tranſibit per caput ejus*; & ſi ex ea reliquiſſet tantum, ut ejus extremitas ad ſuam radicem flecti poſſit, non vapulat; quia hoc non eſt ſimile novaculæ. Si impoſuiſſet capiti ſuo aromata, quæ pilos evellunt, & evulſiſſet, non vapulat, ſed violat præceptum affirmativum, quod dicit; *creſcente cæſarie capitis ejus*. Naziræus qui radit totum caput, non vapulat niſi ſemel; & ſi eum monuiſſent pro ſingulis capillis, ne te radas, ne te radas, & ille pergit ſe radere, pro ſingulis capillis vapulat. Naziræus poteſt pectere ſuam cæſariem manu, & unguibus fricare, nec habet curam, ſi cadat aliquis capillus, quia ejus intentio non eſt, ut ſibi cadat capillus, & poteſt fieri ne cadat; ſed non pectet pectine, nec gleba terræ ſe fricare, quia certe evellit capillos, ſi ita fecerit, vapulat.

7 *Abſtineat vino &c. Siphri ad Num. cap. VI. 3. A vino & omni quod inebriare poteſt*; *Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione ...... non bibent &c.* ut fiat vinum præcepti (*ſc. vinum ſanctificationis ſabbathi &c.*) vinum arbitrarium; Quia erat argumentum (*in contrarium*) Quoniam lugenti primo die non licet bibere vinum, & Naziræo non licet bibere vinum; ſi didici in lugente primo die non conſiderari vinum præcepti uti vinum arbitrarium; etiam in Nazireo non conſiderabitur vinum præcepti uti vinum arbitrarium. *Et probatur argumento* a minori ad majus, ſi in lugente conſideratur cibus præcepti uti vinum præcepti, in Naziræo, in quo non conſideratur cibus præcepti uti vinum præcepti, non erit æquum, ut non conſideretur vinum præcepti uti vinum

num arbitrarium? Ecce Sacerdos miniſtrans, qui probabit; In quo non conſideratur cibus præcepti uti vinum præcepti & conſideratur pro eo vinum præcepti uti vinum arbitrarium; & ille probet pro Naziræo, in quo quamvis non conſideretur cibus præcepti uti vinum præcepti, pro eo conſideratur vinum præcepti uti vinum arbitrarium; & inſuper probatur argumento a minori ad majus; ſi in Sacerdote miniſtrante, in quo non conſideratur fex cibi uti cibus, comeſtio uti potus, neque uvarum comeſtio uti vini potus, conſideratur vinum præcepti uti vinum arbitrarium; in Naziræo, in quo conſideratur tam fex cibi quam cibus, comeſtio uti potus, & uvarum comeſtio, uti vini potus non erit æquum, ut conſideretur vinum præcepti uti vinum arbitrarium? minime; quod ſi dixiſti pro Sacerdote miniſtrante, quia (*ſi peccat*) reus eſt mortis, & ideo pro eo conſideratur vinum præcepti uti vinum arbitrarium, dices pro Naziræo, in quo non eſt pœna mortis, non eſſe idcirco conſiderandum vinum præcepti uti vinum arbitrarium? Ideo dictum eſt. *A vino & שכר abſtinebunt*, ut conſideretur vinum præcepti uti vinum arbitrarium. R. Joſe Galilæus dicit, *a vino & שכר abſtinebunt*, cur dictum eſt? ſed quia dictum eſt; *& comedes in conſpectu Domini Dei tui in loco quem elegerit, ut in eo nomen illius invocetur. Deut. XIV. 23.* Ego poſſem id intelligere etiam in Naziræo, & explicabo; *Et comedes in conſpectu Domini Dei tui*, pro reliquis omnibus vinis, excepto vino præcepti, vel etiam vino præcepti, & explicabo, *& comedes in conſpectu Domini Dei tui* pro cæteris omnibus hominibus excepto Naziræo, vel etiam pro Naziræo, ideo dictum eſt, *a vino & שכר abſtinebunt*, ut conſideretur tam vinum præcepti quam vinum arbitrarium. Aba Chanen nomine R. Elieſeris dicit, cur dictum eſt, *a vino & שכר abſtinebunt?* quia erat argumentum; cum ei vetita ſit immundities, & pariter vinum vetitum ſit; ſi didici pro immunditie non conſiderari mortuum præcepti uti mortuum arbitrarium, etiam pro vino non conſiderabimus vinum præcepti uti vinum arbitrarium; idcirco dictum eſt, *a vino & שכר abſtinebunt*; idem eſt vinum Siceræ, & idem eſt Sicera ac vinum; ſed Lex ſolet loqui duobus Synonimis; Pariter tu dicis vocem שחיטה eſſe eamdem ac זניחה, & זניחה eamdem ac שחיטה, קמיצה eſſe eamdem, ac הרמה, & הרמה eamdem ac קמיצה, עמוקה eſſe eamdem ac שפלה, & שפלה eſſe eamdem ac אות עמוקה, eſſe eamdem, ac מופת, & מופת eſſe eamdem ac אות; ſed Lex ſolet loqui duobus Synonimis etiam hoc loco, *a vino & שכר abſtinebunt* idem eſt יין ac שכר, & שכר idem ac יין, ſed loquitur Lex duabus Synonimis. R. Eleaſar Kaphar dicit יין eſt vinum dilutum, & שכר eſt merum; An ego non poſſum dicere יין eſſe merum, & שכר eſſe vinum dilutum? Idcirco dictum eſt; *Et libabitis יין quartam partem hin per agnos ſingulos libantes שכר in Sanctuario Domini.* Vinum purum libatur, & tu dilutum non libas; Igitur tibi dicendum eſt juxta primam explicationem, non juxta ultimam. יין eſt dilutum, & שכר eſt merum. *Abſtinebunt*; hæc vox יזיר non oſtendit niſi ſeparationem; & pariter tu legis; *ut caveant ab his quæ conſecrata ſunt filiorum Iſrael. Levit. XXII. 2.* Et, dictum eſt. *Quæ ſponte gignet humus, non metes, & uvas primitiarum tuarum non colliges quaſi vindemiam. Ibid. XXV. 5.* Et dictum eſt. *Ipſi autem intraverunt ad Beelphegor, et abalienati ſunt in confuſionem. Oſ. IX. 10.* Et dictum eſt *Numquid flendum eſt mihi in quinto menſe vel ſanctificare me debeo! Zachar. VII. 3.* Igitur יזיר nihil eſt quam ſeparatio; etiam hoc loci deſignat ſeparationem a vino; *abſtinebunt*; ego poſſem exiſtimare a ſua merce, a ſua medicina (*ſc. vini mercaturam & medicinam facere*) Idcirco dictum eſt, *a vino & שכר abſtinebunt*, ſed licita eſt ei ſua mercatura, & medicina. Acetum ex שכר; nos docet, quod pro eo conſideretur tam vinum quam acetum; quia erat argumentum (*in contrarium*) Cum Sacerdoti miniſtranti vetitum ſit vinum, & Naziræo etiam vinum vetitum ſit; ſi ego didiceram a Sacerdote miniſtrante, quod pro eo non conſideretur tam acetum quam vinum, dicerem, quod etiam in Naziræo non conſiderandum eſſet tam acetum quam vinum; & inſuper *probatur argumento a minori ad majus*; Si in Sacerdote miniſtrante, qui *ſi, peccat*, reus eſt mortis non conſideratur tam acetum quam vinum, in Naziræo, qui *ſi peccat* non eſt reus mortis, non erit æquum, ut non conſideratur acetum uti vinum; Idcirco dictum eſt; *Acetum ex vino & acetum ex שכר non bibet*; quia pro eo conſideratur acetum æque ac vinum, & ſicuti pro eo conſideratum fuit vinum præcepti uti vinum arbitrarium; ita pro eo conſideratur acetum præcepti uti acetum arbitrarium, *& ex qualibet alia potione. Et quicquid de uva exprimitur, non bibent.* Ecquid prætermiſerat textus quod non dixiſſet? Verum jam dixit; *A vino & שכר abſtinebunt, acetum ex vino, & acetum ex שכר non bibent.* Quid neceſſe erat ut hoc diceret; *& ex qualibet alia potione, & quicquid de uva exprimitur, non bibent?* Nobis indicat, quod ſi uvas in aquam infudiſſet, quod Lex vetat, ſi vinum ſapiat. Ex hoc tu potes argumentari pro reliquis Legis interdictis; quia, ſi in eo quod ex vite exprimitur, cujus interdictum non eſt perpetuum, neque ejus interdictum eſt interdictum utilitatis, & poteſt licitum fieri poſt interdictum, conſideratur ſapor æque ac ipſa ſubſtantia; in reliquis rebus a Lege vetitis, quarum interdictum eſt perpetuum, & eſt interdictum utilitatis, & nunquam licitæ fiunt poſt interdictum, non conſiderandus erit ſapor æque ac ipſa ſubſtantia? *Uvas*, cur dictum eſt? Quia erat argumentum, quamvis non diceret; ſi damnat propter id, quod e fructu exprimitur, non damnabimus propter ipſum fructum! Sed ſi ita diceres, punires ex argumento a minori ad majus; ideo dicit *uvas*, *ut* diſcas, non puniri ex argumento a minori ad majus; *recentes*, ad includendum uvam omphaciam; tu dicis *recentes* ad includendum uvam omphaciam; at ego dicam *recentes* ad excludendum ſiccas, quando vero dicit *ſiccas*, ecce *ſiccas* omnes explicatas; igitur cur dicit *recentes?* ad includendum uvam omphaciam; quia erat argumentum (*in contrarium.*) Damnatur propter vinum, & damnatur propter uvas; ſicuti vinum eſt fructus perfectus; etiam uvæ quando ſint fructus perfectus; ideo dicit *recentes* ad includendum uvam omphaciam. Hiſſi filius Akibæ dicit; ſi dixiſſet, *& ſiccas*, ego putaſſem omnes fructus ſiccos; quando dicit *recentes & ſiccas* de quo agitur? de eo, quod a vite exprimitur. *Cunctis diebus quibus ex voto Domino conſecrantur, quicquid ex vinea eſſe poteſt.* Venit textus ad te docendum, quod ſi ediſſet ex omnibus ad quantitatem olivæ, vapulat; Hinc tu potes conjecturam facere de reliquis omnibus Legis interdictis. Quia ſi in eo, quod ex vite exprimitur, cujus interdictum non eſt perpetuum, & ejus interdictum non eſt interdictum utilitatis, & licitum fit poſt interdictum, componuntur omnia ſimul ad efformandam quantitatem olivæ; in reliquis rebus a Lege vetitis, quarum interdictum eſt perpetuum; & quarum interdictum, non erit æquum, ut una omnia componantur ad efformandam quantitatem olivæ? *Quidquid ex vinea eſſe poteſt*; ego putabam quoque folia & pampinos in eo comprehendi; Idcirco dictum eſt מחרצנים ועד זג *non comedent*; ſicuti præcipue fructus explicatus eſt, & fæx, ita etiam ego non comprehenderi debeo niſi fructum & fæcem fructus; & excludere folia & pampinos, qui non ſunt fructus, neque fæx fructus. R. Elieſer dicit; *cunctis diebus quibus ex voto Domino conſecrantur, quicquid ex vinea eſſe poteſt*, etiam folia & pampinos comprehendi; igitur cur dictum eſt מחרצנים ועד זג? ad oſtendendum, quod minor numerus acinorum diſignet duos, זג unum, verba R. Eleaſaris filii Azariæ; Quid ſunt חרצנים, & quid זגים? חרצנים ſunt pars exterior, & זגים pars interior, verba R. Jehudæ: R. Jochanan dicit; ne erres; In tintinnabulis jumenti, exterius vocatur *Zugh*, & interius appellatur *Naghinbal*. מחרצנים ועד זג *non comedent*. Diſcimus, quod non abſolvit comeſtio, quæ facit moleſtiam (*ſcilicet ſi ſaturi comedamus.*) Quia erat argumentum (*in contrarium*) Si in die expiationum, qui gravis eſt, abſolvitur ob comeſtionem, quæ facit moleſtiam, in Naziræo, qui levis eſt, non abſolvetur ob comeſtionem, quæ facit moleſtiam? *Non comedent*, cur dictum eſt? Quia dictum eſt, *quicquid ex vinea eſſe poteſt*. Eſt generale; *a vino & ſicera abſtinebunt*; acetum vini, & acetum שכר eſt particulare, generale, & particulare; non intelligendum eſt in generali, niſi quod explicat particulare; ſicuti particulare explicatum eſt fructus & fæx fructus; ita ego non comprehendam niſi fructum & fæcem fructus ad includendum חרצנים & זגים, qui

qui ſunt fructus & fæx fructus; Aut ego dicam; ſicuti in particulari explicatus eſt fructus perfectus; ita ego non includam niſi fructum perfectum; Quid dixiſti? Quinam eſt fructus perfectus, quem non explicaverit? Non debes argumentari juxta ultimum modum, ſed ſolum juxta primum; ſicuti particulare explicatur fructus, & fæx fructus; ita non comprehendam niſi fructum, & fæcem fructus; Si igitur per argumentum hoc didici, quid neceſſe erat ut diceret מחרצנים ועד זג *non comedent*? Sed ut diſceres, quod generale, quod vis addere ſuper particulare, non potes id ſtatuere ut particulare, ut educatur a generali, niſi textus id deſignet, quemadmodum tibi in Naziræo deſignavit. *Cunctis diebus, quibus ex voto Domino conſecrantur*; ut conſiderentur dies, qui ſunt poſt ſuam ſeparationem, uti dies, qui ſunt intra ſuam ſeparationem, uſque dum adducat ſacrificium; quia ego poteram dicere, quod non vapularet niſi uſque dum compleat ſeparationem ſuam; Ideo dictum eſt; *poſt hæc poteſt bibere Naziræus vinum*; poſt omnes operationes; verba R. Elieſeris. *Maimonides Nazir cap. V.* Tria vetita ſunt Naziræo, immunditiès, tonſio, & quod e vite exprimitur, tam fructus quam fæx fructus; ſed ſicera dactylorum, & ficuum, & alia hujuſmodi licita ſunt Naziræo; & Sicera quæ vetita eſt in Lege, eſt ſicera, in qua miſcetur vinum, quod exprimitur e vite. Quomodo hoc intelligitur? Si Naziræus ediſſet ad quantitatem olivæ ex fructu uvarum vel recentium vel ſiccarum, vel ex uva omphacia, aut ediſſet ad quantitatem olivæ ex fæce fructus, ſcilicet e corticibus, id eſt e cortice exteriori, vel ex acinis, qui in uva continentur, qui ſunt ii, qui ſeruntur, vapulabit. Et pariter ſi bibiſſet quartarium (*Logi*) vini, aut ediſſet ad quantitatem olivæ ex vino glacie concreto, quod eſt fructus, aut bibiſſet quartarium aceti, quod eſt fæx fructus, vapulat; ſed folia, & pampini, & aquæ vitis, & uva omphacia, priuſquam ſuccoſa fiat, licitæ ſunt Naziræo, quia non ſunt fructus, neque fæx fructus, ſed quaſi lignum conſiderantur. Omnia interdicta vitis una componuntur; quomodo hoc intelligitur. Si quis compoſuiſſet uvas recentes cum ſiccis, aut cum uva omphacia, & corticem, aut acinum, & ex hac commixtione ediſſet ad quantitatem olivæ, vapulat; & pariter ſi unum poſt alterum comediſſet, dum ad quantitatem olivæ comederit, vapulat; & pariter ſi ex commixtione vini & aceti bibiſset, vapulat. Res licita non componitur cum vetita; quomodo hoc intelligitur? Si vinum & mel una commixtum eſſet, quamvis omnino vinum ſapiat, & ex ea commixtione bibiſſet; & pariter ſi ficus ſiccas cum uva ſicca tutudiſſet, & uvam ſiccam omnino ſaperent, & ex ea commixtione comediſſet, non vapulat, niſi de re vetita in commixtione ſit olivæ quantitas, in quantitate trium ovorum, & quantitatem trium ovorum comediſset, juxta reliqua interdicta omnibus æqualia, quemadmodum explicavimus in *conſtitutionibus de cibis vetitis*. Et pariter ſi ſuum panem in vinum infudiſſet, & vini quantitas erat quartarium in quantitate trium ovorum panis, & comediſset quantitatem trium ovorum, quod deprehendatur vini quartarium bibiſse, vapulat; & ob hæc & his ſimilia dictum eſt in Lege; & *quicquid de uva exprimitur*; ad vetandum id, in quo vinum miſceretur, & ejus ſapor eſſet uti vini ſapor; verum ut in eo ſit ſapor, & fundamentum, uti in reliquis ciborum interdictis. Si vinum, & alia ſimilia cum mele commixta eſſent, neque vinum ſaperent, licita ſunt Naziræo, ſi vini ſaporem haberent, neque continerent quartarium ad quantitatem cibi trium ovorum, Rabbinorum ſtatuto vetita ſunt, uti explicavimus in *conſtitutionibus de cibis vetitis*, & rebellionis verberibus plectitur. Naziræus qui ex uvis comediſset ad quantitatem olivæ, & ex acinis ad quantitatem olivæ, & ex corticibus ad quantitatem olivæ, & ex uvis ſiccis ad quantitatem olivæ, & vini quartarium bibiſset; etiamſi racemum expreſſerit, & ex eo quartarium bibiſset, quinquies vapulat; quia horum ſingula ſeorſim continent præceptum negativum; & ſextum vapulat propter præceptum, *non faciet irritum verbum ſuum* (*Num. XXX.* 3.) quod omnibus votis commune eſt. Et pariter ſi ex acinis comediſset ad quantitatem olivæ, aut ex uvis ad quantitatem olivæ, bis vapulat, ſemel pro acinis, aut uvis, & iterum ob præceptum, *non faciet irritum verbum ſuum*. Idem jus obſervatur in Naziræo, qui ſe raderet, aut ſe pollueret, bis vapulat, ſemel propter præcipuum interdictum ipſius, & iterum propter interdictum commune omnibus votis, quod eſt, *non faciet irritum verbum ſuum*. Naziræus, qui bibiſset quartarium vini, & quartarium aceti, non vapulat niſi ſemel, quia non debet vapulare pro vino ſeorſum, & pro aceto ſeorſum, quia non ſcriptum eſt; *vinum non bibet, & acetum non bibet*; Sed ita dicit; *acetum ex vino & acetum ex vino non bibet*; Hoc enim ſignificat, quod non bibet vinum, nec quidlibet, in quo vinum commixtum ſit, quod eſt ſicera; atque etiamſi factum eſset acetum, cum non repetierit, niſi unum nomen, non vapulat pro uno ſeorſim, & pro altero ſeorſim; Si Naziræus toto die biberit vinum, quamvis in conſpectu Dei reus ſit pro ſingulis quartariis, non vapulat niſi ſemel pro vino, & iterum pro præcepto, *non faciet irritum verbum ſuum*, uti explicavimus; At ſi eum pro ſingulis quartariis monuiſsent, eique dixiſsent, *ne bibas, ne bibas*, & is bibit, pro ſingulis vicibus, quibus biberit, vapulat.

[8] *Ne domum mortui &c. Siphri ibidem ad Verſ. 6. Omni tempore conſecrationes ſuæ ſuper mortuum non ingredietur*; ecce textus, quod eum educit a genere tonſionis, & venit ad docendum immunditiem. Super animam mortui non ingredietur; ego putabam in eo comprehendi animas beſtiarum; idcirco dictum eſt. *Nec ſuper patris quidem & matris ..... funere contaminabitur*. De qua re agitur? de animabus hominum. R. Iſmael dicit, non neceſse eſt; quia jam dictum eſt, *non ingredietur*, de iis animabus, quæ polluunt, textus agit; & quænam ſunt illæ? Illæ ſunt animæ hominum; Igitur cur dictum eſt; *Nec ſuper Patris quidem & Matris ..... funere contaminabitur*? Pro patre & matre non polluetur, ſed poteſt ſe polluere mortuo præcepti; ſed prius quam dixiſset, ego argumento deducebam; Cum ſummus Sacerdos non poſset ſe ſuis conſanguineis polluere, neque Naziræus ſe ſuis conſanguineis poſſit polluere; ſi de conſaguineis ſummi Sacerdotis didici, quod ille mortuo præcepti poſſit ſe polluere, etiam Naziræus mortuo præcepti ſe polluet; & inſuper *probatur argumento* a minori ad majus; Si Sacerdos ſummus, cujus Sanctitas eſt perpetua, poteſt ſe polluere mortuo præcepti (*ſcilicet mortuo, qui inſepultus reperiatur*.) Naziræus, cujus ſanctitas non eſt perpetua, non erit æquum, ut ſe mortuo præcepti polluere poſſit? Minime; quod ſi dixiſti pro Sacerdote ſummo, qui non affert ſacrificium pro ſua immunditie idcirco poteſt ſe polluere mortuo præcepti; idem dices in Naziræo, qui affert ſacrificium pro ſua immunditie; idemque non debebit mortuo præcepti ſe polluere; idcirco dictum eſt; *Nec ſuper patris quidem & matris*; Pro patre & matre non poteſt ſe polluere, ſed poteſt ſe polluere pro mortuo præcepti; Annon dicere poſſum, quod pro patre & matre, non poſſit ſe polluere, ſed pro reliquis mortuis poſſit ſe polluere? Dixiſti? *Probatur in contrarium argumento* a minori ad majus; Si Sacerdos vulgaris, qui conſanguineis ſe poteſt polluere, & reliquis mortuis non poteſt ſe polluere, Naziræus, qui conſanguineis non poteſt ſe polluere, non erit æquum, ut ne reliquis mortuis poſſit ſe polluere? Quidnam igitur nos docet dicendo, *nec ſuper patris quidem & matris ...... funere contaminabitur*? patre ſuo & matre ſe non polluet; ſed poteſt pollui mortuo præcepti. Sed priuſquam id diceret, mihi conſtabat argumento; Dictum eſt generale in ſummo Sacerdote & dictum eſt generale in Naziræo; ſicuti generale dictum in ſummo Sacerdote eſt, ne conſanguineis ſe pollueret, etiam generale dictum in Naziræo eſt, ne conſanguineis ſe polluat; ego argumentum deducam a Sacerdote vulgari; dictum eſt generale in Sacerdote vulgari, & dictum eſt generale in Naziræo, ſicuti generale dictum in Sacerdote vulgari eſt, ut conſanguineis ſe pollueret, ita generale dictum in Naziræo, ut conſanguineis ſe polluat, ideo dictum eſt; *nec patris quidem, & matris & fratris ſororiſque funere contaminabitur*; ſed mortuo præcepti polluetur; ſi eſſet ſummus Sacerdos, patre & matre non polluetur, ſed mortuo præcepti polluetur, ſi mactatum iret ſuum Sacrificium Paſchale, ſuo fratre non polluetur;

tur; ſed mortuo præcepti polluetur; ſi eſſet Sacerdos vulgaris, ſua ſorore non polluetur, ſed mortuo præcepti polluetur; ſed pro filio & filia ſua non dictum eſt, ut hinc diſcamus, quod etiam minorennes (*filii legendum potius arbitror*) Naziræi eſſe poſſint. *Funere non contaminabitur*; eorum funere non poteſt ſe polluere, ſed eorum lepra, & fluxu ſe polluere poteſt; non probo niſi pro Naziræo; pro ſummo Sacerdote unde probatur? ex eo quod dicit, *ſuper matre ſua. Levit. XXI.* 11. quod non erat neceſſe; neque enim opus erat; quia conſtabat argumento a minori ad majus; ſi ubi Sacerdos polluitur ſuo fratre germano, Summus Sacerdos ſuo patre non polluitur, quando Sacerdos vulgaris fratre uterino non polluitur, non erit æquum, ut Sacerdos magnus ſua matre non polluatur? Si igitur hoc argumento uti poteram, cur dictum eſt *ſuper matre ſua?* In Sacerdote magno eſt ſupervacaneum, ad argumentandum a pari; dictum eſt hoc loci *ſuper matre ſua*, & dictum eſt alio loco (in Naziræo) *ſuper matre ſua*; ſicuti in ſua matre eo loco dicta poteſt ſe polluere in eorum lepra, & in eorum fluxu, ita etiam in ſua matre hoc loco dicta poteſt ſe polluere in eorum lepra, & in eorum fluxu; *funere non contaminabitur*, eorum funere non polluetur, ſed poteſt conſiſtere in eorum funere, & in ordinibus. *Quia conſecratio Dei ſui ſuper caput ejus eſt*, vel habeat, vel non habeat cæſariem, verba R. Nathan. *Omnibus diebus ſeparationis ſuæ Sanctus erit Domino*; cur dictum eſt? Sed quia dixerat, *uſque ad completum diem &c.* Ego non habebam argumentum niſi pro ea ſeparatione, quæ finem habet, pro Naziræo perpetuo unde probatur? ex eo quod dicit, *omnibus diebus ſeparationis ſuæ. Sanctus erit Domino*; Hæc eſt Sanctitas corporis; tu dicis Sanctitatem corporis; at ego dicam eſſe ſanctitatem cæſariei; at quando dicit; *ſanctus erit*, ecce ſanctitatem cæſariei, jam dictam; igitur cur dicit, *ſanctus erit Domino?* Hæc eſt ſanctitas corporis. *Maimonides Nazir cap.V.* 17. . . . 21. Naziræus qui ſe polluiſſet mortuo immunditie ſeptem dierum, tam immunditiis, pro quibus raditur, uti declarabitur, quam immunditiis pro quibus non raditur, vapulat, ſi ſe pluries mortuo polluiſſet, quamvis in conſpectu Dei pœna dignus ſit pro ſingulis vicibus, a magiſtratu non vapulabat niſi ſemel, & ſi ſingulis vicibus præmonitus fuiſſet, & ille pergit ſe polluere, pro ſingulis vicibus reus eſt; hoc vero intelligi poteſt, quando ſe polluiſſet, & receſſiſſet, & deinde iterum tetigiſſet, aut extuliſſet (mortuum) aut fuiſſet tentorium, ſed ſi tangeret mortuum, & adhuc mortuus eſt in ejus manu, & tangit alterum mortuum, non reus eſt, niſi ſemel, quamvis præmonuiſſent ſingulis vicibus, dum perſeverat in ſua prævaricatione. Naziræus qui domum ingreſſus eſſet, ibique moratus eſſet, donec eo loci aliquis mortuus eſſet, aut introjerit in tentorium mortui, in ſcamnum, capſam aut armarium, & veniret ſocius, & ſponte ejus conſenſu aperiret capſæ tectum, bis vapulat, ſemel propter præceptum *non ingredietur*, & iterum *propter præceptum non contaminabitur*, quia immundities & ingreſſus fuerunt eodem tempore, ſed ſi ingreditur plerumque, immundities præcedit ejus ingreſſum, quia ſtatim ac ingreditur, naſus & digiti ſuorum pedum fiunt immundi, neque reus eſt, niſi totus ingrediatur. Si ingreſſus eſſet in tentorium mortui, aut in locum ſepulchrorum ex ignorantia, & poſtquam introiverit, ei innotuerit; & præmonuerint, neque exilierit ſed ibi conſtiterit, vapulat; ſi ibi tamdiu moretur, ut ſe humi proſternere poſſit, uti immundus, qui ingreditur in Sanctuarium. Qui polluit Naziræum, ſi Naziræus, pollui paſſus ſit, Naziræus vapulat, & qui eum polluit, prævaricatur præceptum, *nec coram cœco pones offendiculum*. Et ſi inſcius eſſet Naziræus, & qui eum polluit, de induſtria agat, nemo eorum vapulat; At quare qui polluit Naziræum? Quia dicit textus, *polluetur caput conſecrationis ejus*, non vapulat, niſi ſciens ſe ipſum polluat. Naziræus purus, qui ſeipſum polluiſſet, vapulat, etiam propter præceptum, *non tardabis reddere. Deut. XXIII.* 21. quia retardat ſeparationem puritatis, & facit opus; & pariter ſi feciſſet votum ſeparationis in loco ſepulchrorum, vapulat, propter præceptum, *non tardabis reddere*; Hinc diſcas, quod Naziræus, qui ſe ipſum polluit, quater vapulat propter præceptum, *non contaminabitur*, (& propter præceptum) *non faciet irritum verbum ſuum*, & propter præceptum *non tardabis reddere*, & propter præceptum, *non ingredietur*, quando ingreſſus & immundities eodem tempore fieret, uti explicavimus.

[9] *Exceptis ſex propinquis &c. Ne his quidem exceptis; cum Scriptura dicat. Num. VI.* 7. Nec ſuper patris quidem & matris, & fratris, ſororiſque funere contaminabitur.

[10] *Si quis ad latus ejus. Siphri ad Num. VI.* 9. *Si autem mortuus fuerit ſubito quiſquam coram eo* ad excludendum dubium; erat enim argumentum, ſi ubi non conſideratur violentum uti voluntarium (*quemadmodum in uxore adulterii ſuſpecta*) conſideratur dubium uti certum, hoc loci ubi conſideratur violentum, non erit æquum, ut conſideretur dubium uti certum? Idcirco dictum eſt. *Sin autem mortuus fuerit* ut excludatur incertum. *Subito* ad includendum coactum; nam erat argumentum contrarium; ſi quando conſideratur dubium uti certum, non conſideratur coactum uti voluntarium, hoc loci, ubi non conſideratur dubium uti certum, non erit æquum, ut non conſideretur coactum uti voluntarium? Idcirco dictum eſt; *ſubito*, ad includendum coactum; improviſo ad includendum errorem; & conſtat argumento; ſi ubi non tenetur, qui de induſtria agit, qui per errorem agit; hoc loci, ubi obligatur, qui de induſtria agit, non erit æquum, ut obligandus ſit, qui per errorem agat? Et unde probatur, quod obligetur, qui de induſtria agat? dixiſti? *probatur argumento* a minori ad majus; ſi in juramento propter depoſitum non tenetur, qui ex errore peccat, tenetur, qui de induſtria agit; hoc loci ubi obligatur qui per errorem agit, non erit obligandus, qui de induſtria agat? Non eſt argumentum; quod ſi dixiſti in juramento propter depoſitum, ubi non vapulat, dices in hoc, qui vapulat? Quoniam vapulat, non debebit afferre ſacrificium; idcirco dictum eſt; *& deprecabitur pro eo, quia peccavit ſuper mortuo*, verba R. Joſiæ. R. Jonathan dicit *ſubito* hic eſt error, improviſo, hæc eſt violentia. *Polluetur caput conſecrationis ejus*; pro eo, qui erat purus, & ſe polluit, textus agit; is tenetur ſibi radere cæſariem, & afferre ſacrificium, & ob abſolvendum illum, qui voviſſet Naziræatum in loco ſepulchrorum; quia erat argumentum contrarium; ſi ille qui erat purus, & ſe polluit, tenetur radere cæſariem, & afferre ſacrificium; ille qui erat immundus ab initio, non erit æquum, ut teneatur ſibi radere cæſariem & afferre ſacrificium? idcirco dictum eſt, *polluetur caput conſecrationis ejus*; pro eo qui erat purus, & ſe polluit, textus loquitur; ille tenetur ſibi radere cæſariem, & afferre ſacrificium, & ob abſolvendum illum, qui vovit Naziræatum in loco ſepulchrorum. *Quod radet*; ſuum caput debet radere, ſed non debet radere omnes ſuos pilos; quia erat argumentum (*in contrarium*). Cum raderetur Leproſus afferebat ſacrificium, & cum raderetur Naziræus afferebat ſacrificium; ſi pro leproſo didici, quod omnes pilos raderet, etiam Naziræus omnes pilos radere debebit. Minime; quod ſi dixiſti in leproſo, qui ſecunda vice ſe radebat, idcirco omnes pilos radere debebat, dices in Naziræo, qui ſecunda vice ſe non radebat, ideoque omnes pilos non radet? Levitæ probent, qui ſecunda vice ſe non radebant, & tamen omnes pilos radebant, & ipſi probent pro Naziræo, quod quamvis ſecunda vice ſe non raderet, omnes pilos radere deberet; idcirco dictum eſt; *quod radet*. Suum caput radet, ſed omnes pilos non radet. *In eadem die purgationis ſuæ*, in die aſperſionis ſuæ, in ſeptima; tu dicis in die aſperſionis ſuæ in ſeptima, aut ego dicam in octava; ideo dictum eſt *ſeptima*; ſi dictum eſt in ſeptima, ego poſſum dicere, quamvis aſperſio peracta non ſit; idcirco dictum eſt, *in eadem die purgationis ſuæ*, in die aſperſionis ſuæ, in ſeptima; ego non probo niſi pro ſeptima; pro octava, nona, decima unde probatur? ex eo quod dicit, *quod radet*. Ego non probabam niſi pro die, pro nocte unde probatur? ex eo quod dicit, *quod radet*. Ex hoc eſt quod dixerunt, tonſio immunditiei quomodo intelligitur? ſe radebat, & deinde adducebat (*ſacrificium*); ſin adduxiſſet, & poſtea ſe raſiſſet, debito non ſatisfaciebat. *In octava autem die* ad excludendam ſeptimam, tu dicis ad excludendam ſeptimam, nonne potius erit ad excludendam nonam? Dixiſti? *probatur argumento* a minori ad majus. Si *dies* illa, quæ vetitæ proxima eſt, licita eſt, illa, quæ licitæ pro-

proxima eſt, non erit æquum, ut ſit licita, ecce tempus comeſtionis ſacrificii Paſchalis, quod probabit (*in contrarium*) quod id, quod vetito proximum eſt, ſit licitum, & id quod licito proximum eſt, ſit vetitum; Quare non debes mirari in hoc, quod quamvis proximum vetito ſit licitum, tamen quod eſt proximum licito, ſit vetitum. Si hoc argumento uti non poſſumus; id deducam a ſacrificiis; ſtatuitur tempus ſacrificiis, & ſtatuitur tempus offerentibus; ſicuti tempus ſtatutum pro ſacrificiis reddit legitimum octavum, & ab octavo in poſterum, etiam tempus dictum in offerentibus reddet legitimum octavum, & ab octavo in poſterum; & inſuper *probatur argumento* a minori ad majus. Si tempus, quod dictum eſt in ſacrificiis, ubi includit textus excluſa, reddit legitimum octavum, & ab octavo in poſterum, tempus quod dictum eſt in offerentibus, ubi excluduntur excluſi, non erit æquum, ut reddat legitimum diem octavum, & ab octavo in poſterum? Non valet argumentum, quod ſi dixiſti in tempore, quod eſt dictum in ſacrificiis, quod uſurpatur pro omnibus ſacrificiis, idcirco reddit legitimum octavum, & ab octavo in poſterum, dices pro tempore offerentium, quod non reſpicit omnia ſacrificia (*ſed unum tantum Naziræi*)? Idcirco non erit legitimus octavus, & ab octavo in poſterum. Non poſſum igitur uti argumento; ideo dictum eſt *octava*; dictum eſt hic *octava*, & dictum eſt eo loci *octava*, ſicuti octava eo loci dicta redditur legitima octava & ab octava in poſterum, etiam octava hoc loci dicta reddetur legitima octava & ab octava in poſterum. *duos turtures vel duos pullos columbæ*, hinc eſt quod dixerunt, non afferebantur turtures pro filiis columbæ, nec filii columbæ pro turturibus. *Sacerdoti in introitu fœderis teſtimonii*, diſcimus, quod ille, omnibus, quæ opus erant, teneretur, ut afferret, donec adduxiſſet ad portam tentorii conventus. *Facietque ſacerdos unum pro peccato*; quod unus ſeparandus ſit in ſacrificium pro peccato, & alter in holocauſtum, ego non probo niſi pro ſeparatione ſacerdotis, ſeparatio dominorum unde probatur? dixiſti? *probatur argumento* a minori ad majus; ille qui non faciebat ſanctificationem, ſeparationem faciebat, ille qui faciebat ſanctificationem, non erit æquum, ut faciat ſeparationem? Et huic ſimile dices pro puerpera; *ſumet duos turtures vel duos pullos columbarum. Levit. XII.* 8. Hinc diſcimus ſeparationem ſacerdotis, & ſeparationem dominorum, diſcimus nidum inexplicatum & nidum explicatum. *& deprecabitur pro eo, quia peccavit ſuper mortuo*. Quidnam eſt? pro qua anima peccavit, ut indigeat expiatione? quia vini abſtinentia propriam animam afflixit; Quare hinc argumentari poteſt a minori ad majus, ſi hic qui ſuam animam non afflixit niſi vino, eget expiatione, eo magis qui propriam animam omnibus rebus affligit? (*Hæc interpretatio ridicula eſt*). R. Iſmael dicit de Naziræo immundo textus agit juxta id quod dictum eſt; *Et deprecabitur pro eo, quia peccavit ſuper mortuo. Sanctificabitque caput ejus in die illo, & conſecrabit Domino dies ſeparationis illius*, diſcimus, quod incipiat numerare a die, quo ſe raſerit. *Et conſecrabit Domino dies ſeparationis illius*. Omnia ſacrificia Legis pro delicto retardabant expiationem, excepto hoc; R. Iſmael dicit; Hoc quoque eam retardabat, juxta id quod dicit, & *conſecrabit Domino*. Quando *conſecrabit Domino*? quando prius attulerat *ovem anniculam immaculatam pro peccato; ita tamen ut dies priores irriti fiant*; Ille, cui reliqui erant poſtremi, iterum numerare incipiebat; unde probatur, quod ſi dixiſſet, ecce ego ſum Naziræus centum dies, & pollutus eſſet die centeſimo minus uno, omnes deſtrueret? ex eo quod dicit, *ita tamen & dies priores irriti fiant*; ille, cui poſtremi dies reliqui erant, deſtruebat; dicamne, quod ſi centeſimo die pollutus eſſet, omnes deſtruere deberet? ideo dictum eſt, *dies priores irriti fiant*; ille, cui reliqui erant dies poſtremi, iterum numerabat, non iſte, cui dies poſtremi non erant reliqui. An hoc dicam, quod ſi vel initio diei centeſimi pollutus eſſet, iterum omnes numerare inciperet? ideo dicit, *dies priores irriti fiant*, ille, cui dies poſtremi reliqui erant, deſtruebat. *Quoniam polluta eſt ſanctificatio ejus*. Immundus deſtruebat omnia, tonſio vero non deſtruebat omnia. At erat argumentum contrarium. Cum vetita ſit immundities, & vetita etiam ſit tonſio, ſicuti immundities deſtruebat omnia, ita etiam tonſio omnia deſtruere debebit; *& probatur argumento* a minori ad majus; Si immundities, pro qua non conſideratur qui polluit uti ille qui polluitur ob deſtruendum omnia; tonſio, pro qua conſideratur tam qui radit, quam qui raditur, omnia deſtruere non debebit? ideo dictum eſt, *quoniam polluta eſt ſanctificatio ejus*. Immundities deſtruit omnia, ſed tonſio non deſtruit omnia. Ego non probo niſi pro diebus ſuæ immunditiei, quod ei non annumerentur, dies ſuæ definitionis unde probantur? Ecce argumentum. Quoniam pro diebus ſuæ immunditiei, ſe radere, & ſacrificium afferre, pro diebus ſuæ definitionis debebat ſe radere, & ſacrificium afferre; ſi didici, quod dies ſuæ immunditiei ei non annumerarentur, ita etiam dies ſuæ definitionis ei non annumerabantur. Minime; quod ſi dixiſti pro diebus ſuæ immunditiei, in qua priores irriti fiebant, idcirco ei non annumerantur, idem dices pro diebus ſuæ definitionis, in qua priores dies irriti non fiunt? idcirco ei annumerabuntur. Dixiſti? probatur argumento a minori ad majus; Si illi, qui naziræatum vovit in loco ſepulturæ, & debet radere ſuam cæſariem, dies ſuæ ſeparationis non annumerantur, dies definitionis ſuæ, qui non obligant ad radendam cæſariem, ſuam propter ſuam ſeparationem, non erit æquum, ut ei non annumerentur? Et idem argumentum fiet pro diebus ſuæ enumerationis; dicemus igitur, quod ſicuti dies ſuæ definitionis ei non annumerantur, ita etiam dies incluſionis ſuæ illi non annumerarentur; minime; quod ſi dixiſti pro diebus ſuæ definitionis, in quibus debebat ſe radere, & afferebat ſacrificium, & ideo ei non annumerabantur, idem dices pro diebus ſuæ incluſionis (*loquitur de Naziræo leproſo*) in quibus debebat ſe radere; & afferebat ſacrificium; idcirco ei non annumerabantur; hinc eſt quod dixerunt; dies definitionis leproſi, & dies ſuæ enumerationis ſunt ſimiles, ſed dies ſeminiflui, & ſeminifluæ, & dies incluſionis leproſi ſunt ſimiles, & annumerantur. *Et conſecrabit Domino dies ſeparationis illius*, ut conſiderentur dies, qui ſunt poſt ſeparationem, uti dies, qui ſunt intra ſeparationem, uſque dum afferat ſacrificium; & unde probatur, quod teneatur imunditie, uſque ad finem ſuæ ſeparationis? Tu ita argumentaberis; Quoniam vetitum eſt ei vinum, & vetita eſt ei immundities, ſi didici de vino, quod conſiderentur dies poſt ſuam ſeparationem uti dies intra ſuam ſeparationem, uſque dum afferatur ſacrificium; etiam pro immunditie conſiderabuntur dies poſt immunditiem uti dies, qui ſunt intra immunditiem, uſque dum afferatur ſacrificium. Non probas; quod ſi ita dixiſti pro vino, *ratio* eſt, quia nonquam a ſuo genere permiſſum fuit; idcirco conſiderantur dies poſt ſuam ſeparationem uti dies intra ſeparationem, uſque dum afferatur ſacrificium, idem dices pro immunditie, quæ permiſſa eſt a ſuo genere? quare non conſiderandi erunt dies qui ſunt poſt ſeparationem uti dies, qui ſunt intra ſeparationem uſque dum afferatur ſacrificium; ecce tonſio, quæ probabit, quæ permiſſa eſt a ſuo genere (*in Naziræo leproſo*) & pro ea conſiderantur dies poſt ſeparationem uti dies, qui ſunt intra ſeparationem, uſque dum afferatur ſacrificium; illa probabit pro immunditie, quod quamvis permiſſa ſit a ſuo genere (*in mortuo præcepti*) in ea conſiderandi ſint dies poſt ſeparationem, uti dies qui ſunt intra ſeparationem, uſque dum afferatur ſacrificium, inſuper *probatur argumento* a minori ad majus; ſi in tonſione, quæ non deſtruit omnia, conſiderantur dies poſt ſeparationem uti dies qui ſunt intra ſeparationem, uſque dum afferatur ſacrificium, in immunditie, pro qua numerantur iterum omnes dies, non erit æquum, ut conſiderandi ſint dies poſt ſeparationem uti dies qui ſunt intra ſeparationem, uſque dum afferatur ſacrificium? minime; Quod ſi dixiſti pro tonſione, *ratio* eſt, quia conſideratur tam ille qui radit, quam qui raditur, quare conſiderantur etiam dies poſt ſeparationem uti dies intra ſeparationem, uſque dum afferatur ſacrificium, idem dices pro immunditie, in qua non conſideratur qui polluit uti ille qui polluitur? idcirco non conſiderabuntur pro ea dies qui ſunt poſt ſeparationem uti dies, qui ſunt intra ſeparationem uſque dum afferatur ſacrificium; ecce vinum, quod contrarium probabit, in quo non conſideratur qui facit bibere, uti

ille

ille qui bibit, & in eo considerantur dies post separationem, uti dies qui sunt intra separationem usque dum afferatur sacrificium; illud probabit pro immunditie, quod quamvis in ea non consideretur tam qui polluit, quam qui polluitur, considerandi sint pro ea dies post separationem uti dies qui sunt intra separationem usque dum afferatur sacrificium; Præterea *probatur argumento* a minori ad majus; si in Vino, pro quo non iterum numerare incipit, considerantur dies post separationem uti dies intra separationem usque dum afferatur sacrificium; in immunditie, quæ destruit omnia, non erit æquum, ut considerandi sint dies post separationem uti dies intra separationem usque dum afferatur sacrificium? Non valet argumentum; quod si dixisti in vino, *ratio est*, quod nunquam permissum fuit a suo genere, & ideo considerantur pro eo dies post separationem uti dies intra separationem usque dum afferatur sacrificium, idem dices pro immunditie, quæ permissa est a suo genere; idcirco pro ea considerabuntur dies, qui sunt post separationem, uti dies, qui sunt intra separationem, usque dum afferatur sacrificium; Quoniam igitur iterum ut antea argumentabatur, idcirco dictum est; *post hæc potest bibere Naziræus vinum*. Itane vero? Naziræus bibit vinum? Nisi vox supervacanea sit, argumentari potest a pari, dicitur eo loci *Naziræus*, & dicitur hoc loci Naziræus, sicuti eo loci considerantur dies post separationem uti dies intra separationem usque dum afferatur sacrificium, etiam Naziræus hoc loco commemoratus requirit, ut considerentur dies post separationem uti dies intra separationem usque dum afferatur sacrificium.

Maimonides Nazir cap. VI. 3. Naziræus qui pollutus esset tam de industria quam ex ignorantia, etiamsi eum polluissent violenter, destruit omnia, & se radet pro immunditie, & adducit sacrificia pro immunditie, & incipit numerare dies separationis juxta versiculum; *ita tamen ut dies priores irriti fiant. Num. VI. 12.* Atque etiamsi se pollueret in die, in quo complentur dies separationis suæ, in fine diei, destruit omnia. Si pollutus esset post diem absolutionis, quo die afferebat sacrificia puritatis, nisi se polluisset, destruit tantum triginta dies; Quid faciet? Adducet sacrificia immunditiei, quando erit purus, & se radet tonsura immunditiei, & incipiet numerare separationem triginta dierum, & se radet tonsione puritatis, & adducet sacrificia puritatis, & si pollutus esset postquam unus e sanguinibus sparsus esset, nihil destruet, sed afferet alia sacrificia puritatis, quando erit purus. Si pollutus esset postero die, qui dies est, in quo ei liceret nutrire cæsariem, si se rasisset post absolutionem, nihil destruit, quamvis nondum detonsus sit; cum jam compleverit separationem suam, eaque omnia, quæ cum ea conjuncta sunt. Si pollutus esset in die, in quo fecit votum, aut in secundo, non destruit, sed cum iis complebit, postquam attulerit sacrifitia juxta versiculum qui dicit, *dies priores irriti fiant*, dum sint dies priores, idcirco, si a tertio die in posterum pollutus esset; omnes priores destruit; si dum mortuo immundus est vovisset Naziræatum, quiescit super eum separatio, & si iterum se polluerit, aut biberit vinum, aut se totonderit, 40 plagis vapulat; & si moratus esset in immunditie sua multos dies, ei non annumerantur, donec se aspergat aqua tertia & septima die, & in septima se immergat, & sua dies septima pro sua separatione annumeratur huic, qui vovit dum esset immundus; sed Naziræus purus qui polluitur non incipit numerare nisi a die octavo in posterum. Qui vovit separationem in loco sepulchrorum, separatio quiescit in eo, etiamsi ibi moratus esset multos dies, ei non annumerantur, & 40 plagis vapulat, quod ibi moratus sit; & si eum præmonuissent, ne ibi voveret separationem; non radet suam cæsariem, quando ex eo loco prodit, & si polluitur in loco sepulchrorum hujusmodi immunditia, pro qua raditur Naziræus, non raditur, neque affert sacrificium immundiciei. *Et nonnullis interjectis*. Tonsura immunditiei quomodo fit? Naziræus, qui pollutus est iis immunditiis, pro quibus se radere debet, aspergitur aqua tertia & septima die; & tondebitur in septima, & se immerget in septima post aspersionem, uti fieri solet in reliquis immunditiis mortui, & expectabit, ut occidat sibi sol, & afferet sua sacrificia die octava, quæ sunt duæ turtures, aut duo filii columbæ, unum in holocaustum, & alterum in sacrificium pro peccato, & agnum anniculum, & destruuntur omnes dies præcedentes, & incipit numerare suam separationem, & si in octava tonsus sit, eodem die afferet sacrificia. At quando incipit numerare? quando attulit suum sacrificium pro peccato, sed suum holocaustum, & suum sacrificium pro delicto non obstant, quominus numeret. Si se aspersisset in tertia & in septima, & se non immersisset, & multos dies moratus esset, quando se immergit, expectabit donec occidat sibi sol, & deinde insequenti die afferet sua sacrificia, si se immersisset, & cunctatus esset ad offerenda sua sacrificia, non incipit enumerare, nisi afferat suum sacrificium pro peccato, sed suum holocaustum, & suum sacrificium pro delicto non impediunt, uti explicavimus. Quando Naziræus tondetur tonsura immunditiei, non opus est, ut se radat ad portam Sanctuarii, & conjiciat capillos suos in ignem; sive se raserit in provincia sive in Sanctuario; Nullus usus fieri potest suæ cæsariei; & sepeliendus est; & ejus cinis interdicta erat æque ac reliquarum rerum cinis, quæ sepeliebantur; & qui se radit in sanctuario super igni sacrificii pro delicto, satisfacit debito. Naziræus qui pollutus esset multis immunditiis, sive eum præmonuissent inter unam & alteram immunditiem, sive eum non præmonuissent inter unam & alteram immunditiem, non debet adducere pro suis immunditiis nisi unum sacrificium; At pro quo casu hæc dicta sunt? Quando secunda vice se polluisset, priusquam attulisset sacrificia, primæ immunditiei, & quamvis multos dies retardasset post suam purificationem, priusquam afferret sacrificium pro suo peccato, iisque diebus pollutus esset, non affert nisi unum sacrificium; At si pollutus esset, & purificatus esset & attulisset sacrificium pro suo peccato, atque iterum se polluisset, postquam attulisset sacrificium pro suo peccato, quamvis non attulerit sacrificium pro suo delicto, & suum holocaustum, aliis sacrificiis tenetur.

[11] *Ut agnus offeratur &c. Siphri ad cap. VI. 13. Num. Ista est lex consecrationis*, tam pro Naziræo ad tempus, quam pro Naziræo perpetuo; *Ista* pro sacrificio puritatis. Nonne possum dicere etiam pro sacrificio immunditiei? ideo dictum est; *cum dies quos ex voto decreverat, complebuntur*. Non dixi nisi pro eo, cujus separatio definita est; *adducet eum*; aliine eum adducebant, an is seipsum adducebat? Hoc est unum ex tribus iis, quæ exponebat R. Ismael in Lege; Hinc simile tu dicis; *ne forte sustineant iniquitatem delicti. Levit. XXII. 16.*; aliine faciebant sustinere, an ipsi sponte sustinebant? Simile huic tu dicis, *sepelivit eum in valle. Deut. 34. 6.* Aliine eum sepeliverunt, an is seipsum sepeliit? etiam hoc loco tu dicere debes, quod is seipsum adduceret, & non ab aliis adduceretur. *Et offeret oblationem ejus Domino agnum anniculum immaculatum*, ad excludendum maculatum, *& ovem anniculam immaculatam*, ad excludendam maculatam; *& arietem immaculatum hostiam pacificam*; discimus pro Naziræo, quod debebat afferre tres bestiolas. *Canistrum quoque panum azymorum*, generale, *qui conspersi sint oleo*, particulare, generale, & particulare; nihil est in generali nisi id, quod est in particulari; Quia erat argumentum; quoniam Sacrificium Eucharisticum tenetur pane, & aries Naziræi tenetur pane, si didici e Sacrificio Eucharistico, quod quatuor speciebus teneatur; etiam Naziræus quatuor species afferre deberet; ideo dictum est, *canistrum quoque panum azymorum*, generale, *qui conspersi sint oleo*, particulare, generale, & particulare, nihil est in generale nisi id, quod est in particulari. *Arietem vero immolabit hostiam pacificam ..... & libamenta*; Nonne etiam dicere possum in sacrificio pro peccato? & probari potest argumento. Leprosus radebatur, & afferebat sacrificium, & Naziræus radebatur, & afferebat sacrificium; si didici in leproso, quod ejus sacrificium pro peccato & pro delicto libaminibus teneretur; ita dicam in Naziræo, quod ejus sacrificium pro peccato & pro delicto libaminibus teneretur, idcirco dictum est; *Arietem vero immolabit hostiam pacificam Domino offerens simul canistrum azymorum*. Aries erat in generali, cur prodiit e generali? ad docendum super

per

per totum generale; ſicuti Aries eſt diſtinctus, & afferebatur ex voto & ſponſione, & libaminibus tenebatur; ita quoque reliqua omnia, quæ afferentur ex voto & ſponſione, libaminibus tenebuntur; excluduntur ſacrificium pro peccato, & ſacrificium pro delicto, quæ quoniam non adducebantur ex voto & ſponſione, libaminibus non tenebuntur. Eccur erat in generali, & prodiit? uti pro pane argumentetur; nunc textus iterum eum nominat, ut ad ſuum generale reducat. *Tunc radetur Nazaræus ante oſtium tabernaculi fœderis*, pro pacificis textus agit; tu dicis, quod textus agat de pacificis; An ego non poſſum explicare *ante oſtium tabernaculi fœderis*, juxta ſuum ſenſum? Si ita dicas, eſſet contemtus ſpecies; igitur quod dicit, *Tunc radetur Nazaræus ante oſtium tabernaculi fœderis*, de pacificis textus agit; At ego dicam *ante oſtium tabernaculi fœderis* juxta ſuum ſenſum. Dixiſti. Dicit Lex; *Non aſcendes per gradus ad altare meum*. Exod. 20. 26. Eo magis, ne eo loci radi poſſit; Quid igitur ſignificat; *Tunc radetur Nazaræus ante oſtium tabernaculi fœderis*? de pacificis textus agit. R. Ishak dicit; pro pacificis textus agit, tu dicis pro pacificis textus agit; nonne ego poſſum dicere, *ante oſtium tabernaculi fœderis* juxta ſenſum ſuum? idcirco dictum eſt; *cæſarie conſecrationis ſuæ*. In loco quo coquebat, ibi radebatur; Aba Chanen dicit nomine R. Elieſeris, *Tunc radetur Nazaræus ante oſtium tabernaculi fœderis*; Igitur niſi apertum fuiſſet oſtium, non radebatur. *Tolletque capillos ejus & ponet ſuper ignem, qui eſt ſuppoſitus ſacrificio, pacificorum*. Omnimodo; ego non probo niſi ſub ſacrificio pacificorum, ſub ſacrificio pro peccato, & ſub ſacrificio pro delicto unde probatur? ex eo quod dicit; *ſuppoſitus ſacrificio*; quocunque modo; non probo niſi in Sanctuario, pro provincia unde probatur? ex eo quod dicit *ſuper ignem*, quocunque modo.

Maimonides Nazir cap. VIII. Tonſura munditiei quomodo intelligitur? Quando Naziræus complevit dies ſeparationis ſuæ, adducit tres beſtiolas, agnum in holocauſtum, & agnam in ſacrificium pro peccato, & arietem in pacifica; Si tria hæc adduxiſſet, neque ſe explicuiſſet; quæ conveniens erit in ſacrificium pro peccato: offeretur in ſacrificium pro peccato, & quæ conveniens erit pro pacificis, in pacifica, & quæ pro holocauſto, offeretur in holocuſtum. Et afferet una cum ariete in pacifica ſex decimas, & duos decimæ trientes e ſimila, & ex his coquet viginti placentas, decem placentas azymas, & decem lagana azyma, & hæc viginti unget quartario olei, & hæc quantitas habetur ex traditione Moſis e Sinai. (*Traditio humana eſt.*) Et has viginti *placentas* uno vaſe adducet; & primum mactabit ſacrificium pro peccato, & deinde holocauſtum, poſtremo pacifica, & poſtea radetur; ſi raſus fuiſſet, poſtquam mactavit ſacrificium pro peccato, & holocauſtum, ſatisfacit debito. Et coquet aut elixabit pacifica; & accipiet de juſculo ſacrificiorum pacificorum, & capillis ſuis imponet; & poſtea ollæ pacificorum ſubjiciet; ſin autem ollæ ſacrificii pro peccato ſuppoſuiſſet, ſatisfacit debito. Ubinam radetur ſua cæſaries? in atrio mulierum in conclavi Naziræorum, quod erat in angulo Orientali auſtrali, & ejus capilli in ignem injiciebantur; & ſi raſus eſſet in provincia, ſatisfacit debito; Verum ſive in provincia ſive in Sanctuario raſus eſſet, capillos ſuos ollæ ſubjiciet; neque radetur, donec apertum ſit oſtium tabernaculi conventus juxta verſiculum qui dicit *ad oſtium tabernaculi fœderis*, non ut radatur e regione oſtii; hoc enim foret contemtus Sanctuarii. *Et nonnullis interjectis*. Si raſus eſſet ſuper pacificis, quæ reproba deprehendantur, ejus tonſio irrita eſt, ſibique ſua pacifica nihil proſunt; ſi raſus eſſet ſuper ſacrificio pro peccato, & deprehenditur non fuiſſe mactatum titulo ſacrificii pro peccato, & deinde attulit pacifica, et holocauſtum, & obtulit juxta ritum eorum, ejus tonſio irrita eſt; ſibique ſua ſacrificia nihil proſunt; ſi raſus eſſet ſuper holocauſto, & ſuper pacificis, & ſuo titulo non mactaſſet, & deinde attuliſſet alia ſacrificia, ut ſuo titulo offerrentur, ejus tonſio irrita eſt, ſibique ſacrificia nihil proſunt; ſi ſuper his tribus raſus eſſet, & unum ex his legitimum deprehendatur, ejus tonſio legitima eſt, & afferet reliqua ſacrificia, & juxta ritum ſuum offerentur.

[12] *Armus coctus &c. Siphri ad Num. VI. 19. & armum coctum arietis*; Non coquebatur niſi integer; R. Simeon filius Johai dicit, non intelligitur coctus, niſi coctus ſit cum ariete; *tortamque abſque fermento unam*; ſi frangeretur, aut eſſet deficiens; erat illegitima; *& laganum azymorum unum de caniſtro*; & ſi frangeretur, aut eſſet deficiens, illegitimum erat; *Et tradet in manus Nazaræi, poſtquam raſum fuerit caput ejus*; Non peragebatur (agitatio) niſi raſa fuiſſet ejus ſeparatio; ſed adducebantur ejus ſacrificia, poſtquam raſa fuiſſet ejus ſaparatio. *Elevabit in conſpectu Domini* agitabat deducendo & adducendo ſurſum & deorſum, juxta verſiculum qui dicit, אשר הונף ואשר הורם; comparat agitationem cum elevatione; ſicuti agitatio fiebat deducendo & adducendo, ita etiam elevatio fiebat deducendo & adducendo; & ſicuti elevatio fiebat ſurſum & deorſum, ita etiam agitatio fiebat ſurſum & deorſum; Hinc eſt, quod dixerunt, præceptum agitationis; hujuſmodi fuiſſe, ut fieret deducendo & adducendo, ſurſum & deorſum; hoc erat præceptum agitationis; *in conſpectu Domini* ad orientem, quia ubicunque dicitur *in conſpectu Domini*, intelligitur ſemper ad orientem, donec clarius ſe explicet textus. *& ſanctificata Sacerdoti erunt ſicut pectuſculum quod ſeparari juſſum eſt, & femur*. Cur dictum eſt? Quia dictum eſt; *pectuſculum enim elevationis, & armum ſeparationis tuli*. *Levit.* VII. 34. Ego intelligerem, quod in eo comprehenderentur etiam pacifica Naziræi; ecce textus, quod ea educit a ſuo generali; Vidimus ablationem armi; ego non probabam niſi pro ablatione armi; ablatio pectuſculi & femoris unde probantur? Erat argumentum (*ad probandum.*) Si pacifica privati; quæ non tenebantur ablatione armi, tenebantur ablatione pectuſculi, & femoris, pacifica Naziræi, quæ tenebantur ablatione armi, non erit æquum, ut teneantur ablatione pectuſculi & femoris? Si igitur uti poteram argumento, cur dictum eſt; *& ſanctificata Sacerdotis erunt, ſicut pectuſculum quod ſeparari juſſum eſt*? Sed omne, quod erat in generali, & prodiit, ad aliquid novi docendum, tu non potes reducere ad ſuum generale, niſi id textus ad ſuum generale reducat; verba R. Elieſeris. *Iſta eſt lex Nazaræi*; ego non probaveram niſi pro eo tempore, pro generationibus unde probatur? Ex eo quod dicit, *iſta eſt lex*; verba R. Joſiæ; R. Jonatham dicit, eſt veluti clauſula rerum ſupra dictarum; *cum voverit oblationem ſuam Domino tempore conſecrationis ſuæ*, & non conſecrationem ſuam pro oblatione ſua; *oblationem ſuam Domino tempore conſecrationis ſuæ*, & non oblationem alienam pro conſecratione ſua. *Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap.* IX. 9. Sacrificium ſi fuiſſet Aries Naziræi, eximebantur exta, & ſecernebantur pectus & femur, & reliquum arietis coquebatur in atrio mulierum, tum Sacerdos ex ariete coctum armum ſumebat, ſimul & partem decimam panis ejus, qui ſacrificio adhiberetur, quæ conjungebantur cum pectore, femore & extis, cunctaque collocabantur in Naziræi manibus, tum manibus offerentium manus ſuas ſupponebat Sacerdos, & cuncta agitabat ita ut ſupra poſuimus.

[13] *Nec licebat Naziræo &c. Maimonides Nazir. cap. II.* 21. Naziræatus non obſervatur niſi in terra Iſraelis, Siquis Naziræatum extra terram voviſſet, pœna afficitur, & cogunt, ut ſe conferat in terram Iſraelis, & ut ſit Naziræus in terra Iſraelis juxta numerum dierum (quos voverit.) Idcirco ſiquis voviſſet hoc tempore extra terram, cogunt, ut ſe conferat in terram Iſraelis, ad obſervandum ibi ſeparationem donec moriatur, aut donec exſtruatur ſancta Domus, & afferat ſua ſacrificia, cum completi fuerint dies voti ſui. Et eo tempore, quo vivit extra terram Iſraelis, vetitum eſt ei bibere vinum, ſe polluere mortuis, & ſe radere, & omnibus legibus, quas ſecum affert ſeparatio, tenetur; & quamvis ii dies ei non annumerentur, ſi prævaricatus eſſet, & bibiſſet, & ſe raſiſſet, aut attigiſſet mortuum, & alia hujuſmodi, 40. plagis vapulat. *Legimus tamen cap. I. 7. Toſaphta Nazir.* Naziræatus obſervatur in ipſa terra Iſraelis, & extra terram

Iſrae-

Iſraelis. *Hoc vero explicatur a Maimonide in commentario ad cap. III. 6. Codicis Nazir.* Naziræus nequit commorari extra terram Iſraelis propter immunditiem. Id autem quod dicunt in Toſaphta, quod *Naziræatus obſervatur in terra Iſraelis & extra terram Iſraelis*, vult, quod is qui obſtrinxerit ſe Naziræatui extra terram Iſraelis, propter pœnam eo tenetur, propterea aſcendet in terram Iſraelis, & illic obligatus erit ad Naziræatum.

14 *Helena idcirco &c. de Regina Helena vide quæ diximus ad caput. II. Toſaphta Joma.*

15 *Niſi ſtante tabernaculo &c. Maimonides ibidem cap. II. 20.* Votum ſeparationis obſervatur tam ſtante quam diruto templo; idcirco ſiquis voviſſet Naziræatum hoc tempore, eſt Naziræus perpetuus, quia templum non habemus, in quod poſſit afferre ſua ſacrificia, poſtquam completi fuerint dies voti ſui.



PARS



PARS TERTIA
DE
REBUS SACRIS.

CAPUT PRIMUM.

De sacrificiis generatim, & ritibus ad sacrificia spectantibus.

§. I. Nomen sacrificiorum.

I. OMNES oblationes, quæ secundum voluntatem Dei certis ritibus ei sacratæ consumebantur, [1] generali nomine קרבנות appellantur. Dicitur etiam *Dona* מתנות *Exod.* 28. 38. *Ezech.* 20. 26. 39. & Δῶρα. *Matth.* 5. 23. & 23. 18. & κορβᾶν est δῶρον *Marc.* 7. 11. uti & Josephus *Antiq.* IV. 4. Κορβᾶν δῶρον σημαίνει. [2] Hæc quum vel ex animalibus constet, vel ex farina oleove vino & thure, in duas species dispescuntur, quarum illa, videlicet cruentæ oblationes, *Sacrificiorum* nomen vulgo accepit, hæc vero, id est, incruentæ, *Fertorum & libaminum*. Quæ fere conveniunt cum nomine זבחים, quod prioribus, & מנחות ac נסכים, quod posterioribus datur: [3] quamvis זבח de holocausto avium recte dici negent Judæi, quod קרבן est, & זבח proprie id est quod cultro jugulatur.

§. II. Species diversæ.

II. Quum vero plurium sacrificiorum in sacro Codice fiat mentio, ad certas species referenda sunt, ut distinctius de iis agi possit. Sunt qui in tres species ea dividant, unam eorum quæ Deo cedebant, ut holocausta, alteram, quæ Deo & sacerdotibus veluti piacularia, tertiam quæ dominis, uti agnus paschalis. Sed Judæi in *Siphra & Gem. Rosch hasschana*. 4. 1. & alibi vulgo [4] quatuor recensent tam publica quam privata שלה חטאת ואשם ושלמים. 1. Holocausta. 2. Sacrificia piacularia. 3. Sacrificia pro delicto, & 4. Salutaria. Quibus addunt tria privata, דומים לשלמים, quæ similia sunt salutaribus, בכור מעשר ופסח. 5. Primogenita animantium. 6. Decimas eorundem, & 7. Agnum paschalem. Quem ordinem nos quoque in eorum descriptione servabimus, ubi prius illa quæ pluribus sacrificiis communia sunt hoc capite breviter indicaverimus.

§. III. Qualia debita, & arbitraria.

III. Sacrificia porro in species diversas a Judæis distribuuntur. Nonnunquam in duas, quarum una est חובה sacrificia *debita* ob mandatum Dei uti decima animantium, altera רשות *arbitraria*. In *Siphra fol.** 23. 2. canon est generalis, omnia sacrificia, quæ quis offert, quia lege tenetur illa offerre, nonnisi [6] ex re profana esse offerenda, quoniam eadem res nequit bis Deo consecrari, כל דבר שהוא בא בחובה לא יבא אלא מן החולין בכל מקום לא יביאו אלא מן החולין. [7] Excipiuntur tamen ferta נסכין, quæ semper ex profanis, nunquam e sacris debent desumi, sive sacrificia, quorum sunt appendices, sint debita & חובה sive non. *Siphra fol.** 23. 2.

§. IV. Quæ & quot publica.

IV. Solent præterea Judæi dispescere sacrificia in [8] quatuor alias species. I. In Publica. II. Privata. III. Publica privatis similia. IV. Privata similia publicis. [9] Publica *pellunt sabbathum & immunditiem*, דוחין טומאה ושבת, sed privata nequaquam. *Si-*

phra fol. 97. I. [10] Publicis nihil addendum erat nec de illis detrahendum. In publicis, a Deo juſſis, [11] nunquam animal ſexus fœminei oblatum fuit. *Temura.* II. I. אין הציבור מביאו נקבה, *Siphra fol.* 105. I. [12] nec aves. *Siphra fol.* 64. I. [13] In publicis non habebat locum permutatio victimarum, אין הציבור ממירין *Siphra fol.* 105. I. [14] Publica ſacrificia piacularia non coguntur mori (אין חטאת ציבור מהת) uti privata, [15] ſiquidem tale quid ei acciderat quale in *Joma* VI. 2. memoratur. Publicorum, ſi holocauſta eſſent, delatio ad altare per ſolos ſacerdotes fiebat, privatorum etiam [16] per Pontificem M. ſi vellet *Joma* II. 7. Hirci quoque erant in omnibus ſacrificiis publicis ſeriei mox dandæ §. IV. excepto primo, ſecundo, & quinto. Erantque [17] *hi hirci ſacrificia piacularia* שעירי חטאת. In *Midraſch Schir Haſſcherim* 24. 3. legitur ubique in lege Dei de hircis dici quod fuerint לחטאת *piaculares*, excepto hirco offerendo die feſto Pentecoſtes בעצרת אין כתיב חטאת *de Azereth haud ſcriptum eſt* חטאת, quia ſcilicet Iſraelitæ illo die legem accipientes ab omni peccato erant puri. Fateor illud חטאת omitti *Num.* 28. 30. ubi legitur שעיר עזים אחד לכפר עליכם, ſed notatu dignum eſt interpretes Alexandrinos illic vocem לחטאת legiſſe, reddentes χίμαρον ἐξ αἰγῶν ἕνα ΠΕΡΙ ΑΜΑΡΤΙΑΣ ἐξιλάσασθαι περὶ ὑμῶν. Et fuiſſe hircum hunc piacularem patet ex adjecta voce לכפר *ad expiandum*, & loco parallelo *Levit.* 23. 19. ubi diſerte legitur fuiſſe חטאת. Cæterum ſacrificia undecim publica enumerantur. I. [18] Agni duo in ſacrificio jugi ſive quotidiano. *Exod.* 29. 38. *Num.* 28. 3. 8. *Ezr.* 3. 5. *Neh.* 10. 33. *Eccleſ. Siracid.* 45. 17. II. [19] Additamentum ſabbaticum, quum duo agni præterea offerebantur *Num.* 28. 10. III. [20] Additamentum novilunii, duo juvenci, aries, & 7. agni in holocauſta & hircus in ſacrificium piaculare, *Num.* 28. 11. quod ſacerdotes comedebant. *Joſeph. Antiq.* III. 10. *Peſachim* VII. 4. IV. [21] Oblatio feſti azymorum: quum per 7. dies quotidie idem quod in novilunio offertur. *Num.* 28. 16. 25. *Deut.* 16. 2. V. Agnus in holocauſtum die oblationis manipuli. VI. [22] Additamentum diei עצרת feſti pentecoſtes, quod idem erat ac in novilunio. *Levit.* 23. 17. *Num.* 28. 27. VII. Oblatio ejuſdem diei, videlicet cum panibus duobus, juvencus, arietes duo, 7. agni in holocauſta, hircus in ſacrificium piaculare, & 2. agni in ſalutare. *Lev.* 23. VIII. [23]. Additamentum novi anni, quum præter ſacrificia jugia & addititia novilunii offerebantur juvencus, aries, & 7. agni in holocauſta & hircus in ſacrificium piaculare. *Num.* 29. 2. IX. [24] oblatio diei expiationis, juvencus, aries, & 7. agni in holocauſta, hircus in ſacrificium piaculare. Præterea hircus, emiſſarii ſocius, in ſacrificium piaculare, aries in holocauſtum. *Num.* 29. 8. X. [25] Oblatio primo die feſti tabernaculorum, 13. juvenci, arietes 2., 14. agni, & hircus in ſacrificium piaculare. Ex arietibus, agnis, & hircis numerus idem per omnes dies hujus feſti offerebatur, ſed juvencorum numerus decreſcebat indies, ſic ut ſeptimo die 7. eſſent offerendi juvenci, duo arietes, 14. agni & hircus in ſacrificium piaculare. *Num.* 29. 12. XI. [26] Oblatio diei octavi עצרת feſti tabernaculorum, juvencus, aries, 7. agni in holocauſta, & hircus in ſacrificium piaculare. *Num.* 29. 36.

§. V. Quæ privatæ.

V. [27] Privata (id eſt יחיד, unius hominis ſive ſit perſona publica ſive privata, ſive pontifex maximus ſive alius) ſunt quinque, videlicet. I. [28] Offerendo ob peccatum dictum vel facto commiſſum. II. Ob [29] aliquid quod corpus tangit, quales oblationes 6 ſunt. 1. [30] Maris aut fœminæ fluxu laborantis. 2. [31] Leproſi. 3. [32] Menſtruatæ. 4. [33] Puerperæ. 5. [34] Polluti a mortuo. 6. [35] Proſelyti. III. [36] Ob aliquid, quod bona tangit, ut ſi quis haberet primogenita animantium, decima &c. IV. [37] Ob certum tempus quod advenit, uti עולת ראיה *holocauſtum præſentiæ* in 3. feſtis majoribus, קרבן חגיגה *oblatio celebritatis*, & שלמי שמחה *ſalutaria læta*. V. [38] Ob votum vel promiſſum, uti oblatio Naziræi.

§. VI. Publica quaſi privata, & vice verſa.

VI. [39] Publica, ſed privatis ſimilia, erant ob errorem a populo commiſſum &c. *Levit.* 4. 13. *Num.* 15. 24. 25. 26. [40] Privata, ſed quæ ſpeciem habebant publicorum, quod a ſtato tempore nec ob ſabbathum nec immunditiem eorum qui illa jugularent aut ſanguinem ſpargerent dimoveri nequiverint, ſunt agnus paſchalis, juvencus in ſacrificium piaculare & aries in holocauſtum, quos P. M. die expiationis offerebat, & propterea hæc pellebant ſabbathum. *Temura.* II. I.

§. VII. Quæ ſanctiſſima & minus ſancta.

VII. Diſtinguunt Judæi inter קדשי קדשים *Sacrificia ſanctiſſima*, & קדשים קלים *minus ſancta*. *Zevachim.* V. I. 7. *Gittin.* II. 8. *Edujoth.* VIII. 6. Hæc in *Siphra fol.* 131. 2. ita diſtinguuntur, in המיוחדים לשם ea quæ Deo dantur, & quæ לשם ולבעלים Deo dantur & dominis offerentibus. Sacer Codex hanc diſtinctionem confirmat, & quemadmodum *ſancta ſanctorum*, id eſt *ſanctiſſima*, nuncupat altare exterius *Exod.* 29. 37. & 40. 10. & interius *Exod.* 30. 10. ſuffitum *Exod.* 30. 36. vaſa tabernaculi interiora *Num.* 4. 19. reliquias fertorum poſt pugillum exceptum comedendas a ſacerdotibus *Levit.* 2. 3. & 10. 12. & 24 9. *Num.* 18. 9. res devotas per חרם *Lev.* 27. 28.

ita

ita quoque ex sacrificiis *piacularia* קדש קדשים, id est, *sanctissima* appellantur *Levit.* 6. 17. & *sacrificia pro delicto Levit.* 7. 1. & 14. 13. [50] Quibuscum quoniam holocausta conveniebant, jugulanda videlicet jussu Dei eodem loco sanctiore, id est, ad septentrionem altaris, *Levit.* 14. 13. & Deo tota consecrata in altari exteriori, [51] cumque iis etiam salutaria publica comedenda a sacerdotibus ephemeriæ ministrantis in atrio, loco sancto, ideo quatuor species sacrificiorum sanctissimorum statuuntur. 1. Holocausta omnia. 2. [52] Sacrificia piacularia omnia. 3. Sacrificia pro delicto omnia. 4. Sacrificia salutaria, non omnia, sed duntaxat publica. Reliqua, id est, salutaria privatorum hominum, primogenita animantium, decima eorundem, & agnus paschalis, minus sancta appellantur. Sacrificia sanctissima jugulabantur ad septentrionem altaris. *Levit.* 14. 13. *Levit.* 6. 18. 22. & 10. 17. [53] Sacrificia minus sancta ad ortum vel austrum. Sacrorum sanctissimorum, sive ea publica sive privata essent, [54] pelles erant sacerdotum, [55] exceptis illis victimis piacularibus quæ integræ comburi debuerunt *Levit.* 4. 11. & 16. 27. at sanctorum levium, sive minus sanctorum, redibant ad dominos. *Zevachim* XII. 3. *Siphra fol.* 82. 1. [56] Sanctissimis quoque aut vesci omnino non licuit, [57] aut solis sacerdotibus masculis, & quidem in loco sancto, id est, in atrio magno: [58] verum sacrificiis minus sanctis & viri & fœminæ vescebantur, etiam in urbe Hierosolymitana, [59] exceptis sacrificiis primogenitorum animantium, quibus soli vescebantur sacerdotes. *Levit.* 6. 11. *Sota.* 11. 7.

§. VIII. Gradus 10 sanctitatis in sacrificiis.

VIII. [60] Gradus sanctitatis in sacrificiis varii a Judæis statuuntur in *Zevachim.* x. 2. & *Siphra fol.* 94. 1.

1. Sacrificii piacularis sanguis, quia expiat, est sanctissimus, שהוא מרצה, & sanguine holocausti sanctior.
2. Membra holocausti sanctiora sunt ablegminibus sacrificii piacularis quia omnia cedunt in אשים *ignita*.
3. [61] Sacrificium piaculare sanctius est sacrificio pro delicto, quia sanguis adspergitur 4. cornibus, & infunditur fundamento altaris.
4. Sacrificium pro delicto sanctius est sacrificio תודה & ariete Naziræi, quia est e numero sanctissimorum.
5. Sacrificium תודה & aries Naziræi sanctiora sunt τοῖς שלמים sacrificiis salutaribus, quia eduntur die uno & requirunt panem.
6. Sacrificia salutaria sanctiora sunt primogenitis, quia requirunt 4. sparsiones sanguinis, impositionem manuum, libamina & agitationem חזה ושוק pectoris atque femoris.
7. Primogenitum sanctius est decimis animantium, quia sanctitas ejus incipit ab nativitate, & a sacerdotibus comeditur.
8. [62] Decima animantium sanctiora avibus oblatis, quia sunt veri nominis זבח sacrificium cultro jugulatum, & sanguis eorum ac ablegmina sunt sancta sanctorum, & semper altari cedunt, quod non ita est in sacrificiis avium.
9. [63] Avium oblationes sanctiores fertis, quia sanguine constant.
10. [64] Fertum peccatoris sanctius ferto נדבה, quia pro peccato est.

§. IX. Locus sacrificiorum peragendorum.

IX. Sanctissima jugulabantur, & sanguis eorum excipiebatur, ad septentrionem altaris *Lev.* 1. 11. *Lev.* 6. 25. *Lev.* 7. 2. *Levit.* 23. 19. Hoc [65] nomine intelligitur omne spatium atrii a latere altaris septentrionali usque ad murum atrii septentrionalem. *Siphra fol.* 63. 2. Sed minus sancta sive sacra levia jugulari poterant in omni loco atrii, excepta parte ad septentrionem & occidentem altaris. *Levit.* 3. 2. 8. ubi plaga septentrionalis non est definita ut in sanctissimis: & quia ibidem dicitur ad introitum tabernaculi debuisse offerri, colligunt inde Judæi non ante reseratas templi fores jugulari licuisse. *Zevachim.* v. 6. [66] Cæterum non nisi in loco quem Deus elegit, *Deut.* 12. 14. id est, templo Hierosolymitano, sacrificare licuit, postquam id exstructum fuit; & eo loco quem designavimus: secus qui faceret, diceretur שוחט או מעלה בחוץ *jugulans vel offerens extra*. Victima loco illegitimo jugulata comburebatur; quod Judæi colligunt ex *Levit.* 6. 23. *Temura.* VII. 6. & [67] qui hoc prudens faceret, pœnam כרת *excidii* meruerat, qui imprudens, חטאת קבועה *sacrificium piaculare fixum* offerre debuit. [68] Quod si victimæ ab eo jugulatæ aptæ non essent ut offerrentur in altari, pœnæ hujus reus non habebatur. [69] Hodie si quis extra locum atrii victimas sacrificaret, quæ idoneæ essent, ut intra atrium sacrificarentur; licet templum non sit, reus tamen esset.

§. X. Tempus sacrificiorum.

X. [70] Lex communis omnia sacrificia tangebat, quod interdiu debuerint offerri; id Judæi colligunt ex *Levit.* 7. 38. adeoque de die jugulari victima & sanguis ejus adspergi debuit. [71] Quod si de die victima altari fuisset admota, noctu in altari adolere ablegmina licuit, uti & membra holocaustorum, usque ad auroram diei sequentis.

Megilla II. 6. quamvis usque ad mediam modo noctem ea adolere consuevisse, & quantum poterant operam darent, ut de die forent consumta.

§. XI. Animalia sacrificiis apta quot & qualia.

XI. [72] Quinque sunt species animalium, quas sibi offerri Deus jussit, tres ex genere quadrupedum, quæ distinguebantur in minores, quæ annum ætate non superabant, & majores quæ omnino, duas ex avibus, הבקר כבשים עזים תורים ובני יונה *boves*, *oves*, *capras*, *turtures*, & *pullos columbæ*. [73] Ita quidem ut voce פר indicetur juvencus infra triennium ætatis (R. Meir tamen juvencos 4. & 5. annorum putabat esse legitimos כשרים. *Siphra*. *fol*. 94. I.) עגל infra primum ætatis annum, כבש agnus infra primum ætatis annum, ab octavo die nativitatis *Levit*. 22. 27. איל mas ovium & caprarum intra primum & secundum ætatis annum, & שעיר עזים *hircus caprarum* supra annum ætatis primum, infra secundum. *Para*. I. 3. *Gem*. *Rosch hasschana* 10. I. *Siphra fol*. 94. I. 2. Tres autem hæ species animalium respectu ætatis & sexus evadunt duodecim, his nominibus in sacris literis distinctæ: vide *Menachoth*. VIII. 7.

Sexts masculini.	Sexus fæminini.
1. פר, *juvencus*.	1. פרה, *vacca*.
2. עגל, *vitulus*.	2. עגלה, *vitula*.
3. איל, *aries*.	3. רחל, *ovis*.
4. טלה, *agnus*.	4. טליה, *agna*.
5. שעיר, *caper*.	5. שעירה, *capra*.
6. גדי, *hœdus*.	6. גדייה, *hœda*.

Turtures autem debeant esse adulti, & ex columbis non nisi pulli. *Siphra fol*. 64. 2. Nam principium splendoris utrosque reddit פסולין *Chullin*. I. 5. id est, turtures tum demum legitimi sunt quum plumæ splendent: sed pulli columbæ tum fiunt illegitimi. [75] Ad holocaustum nonnisi animalia sexus masculini admittebantur ex quadrupedum speciebus modo memoratis, sed ex turturibus & pullis columbarum tam mares quam fæminæ: *Gem*. *Temura*. 114. I. *Siphra fol*. 48. I. [76] ad sacrum piaculare eædem 5. species animalium, mares æque ac fæminæ: [77] ad sacrificium pro delicto soli agni mares: [78] ad sacrificia salutaria mares & fœminæ ex tribus speciebus quadrupedum, nullæ aves, שלמים לא בשרו לבא מן העוף, *Siphra fol*. 48. I. & 64. I. & 86. I. [79] Decima & primogenita generis sive masculini sive fœminini legitima erant. *Siphra fol*. 86. I. Agnus paschalis masculus esse debuit. [80] Hæc autem oportebat esse תמימים *perfecta*, *non* בעלי מומין *vitiata*. *Malach*. I. 8. [81] Sed in avibus non attendebatur ad sexum vel vitia. תמות וזכרות בבהמה ואין תמות וזכרות בעופות uti legitur in *Siphra fol*. * 239. 9. quia nempe *Levit*. 22. 19. tantum de quadrupedibus jubetur. [82] Erant ad perlustrandas victimas constituti. מבקרי מומי קדשים, μωμοσκόποι nuncupati a Clemente Romano, Philone, Chrysosthomo & Clemente Alexandrino, [83] qui ex teruma conclavis mercedem percipiebant: vide supra. *Lev*. 22. 20. [84] Vitia ejusmodi, quæ hominum æque ac pecudum erant, 50. Judæi recensent, quæ pecoribus propria 23. [85] Præterea permutare illa animalia Deo sacrata non licebat *Levit*. 27. 10. quod si factum esset, utrumque animal Deo sacrum erat. Vide codicem *Temura*, qui de hoc argumento agit.

§. XII. Munda animalia sacrificanda.

XII. [86] Munda hæc esse animalia debuerunt & quidem ex domesticis. Sunt enim בהמות *animalia domestica* & חיות *fera*. [87] Ex domesticis tria sunt genera animalium mundorum, quæ comedere Judæis licebat eademque sacrificare, *bos*, videlicet, *ovis*, & *capra*. Ex feris septem sunt munda. 1. cervus, 2. caprea. 3. יחמור. 4. אקו. 5. דישון. 6. תאו. 7. זמר. Vide de his *Tanchuma* 55. 3. ubi voce בהמות latius sumta dicitur esse non nisi עשר בהמות טהרות בעולם [88] *decem animalia munda in orbe*. *Deut*. 14. 4.

§. XIII. Inde argumentum pro creophagia ante diluviū.

XIII. Distinctio animalium in munda & immunda jam ante diluvium fuit *Gen*. 7. 2. quumque & sacrificia fuerint, & pastæ legantur oves pinguissimæque laudentur ut optimæ, & pelles animalium usum amictus præbuerint, probabile est etiam carne usos ad alimentum patres ante diluvium. Accedit carnium usum post diluvium fuisse licitum, nec usquam legi antea licitum non fuisse, nec rationem ullam esse discriminis hac parte temporum ante diluvium & post diluvium. Præterea dominium hominis in animantia concessum id suadet. quum v. g. pisces certe usui sint hominibus fere nulla alia ratione quam alimentum præbendo: & post diluvium illud hominis privilegium latius quam antea patuisse non sit verosimile; quod tamen fuisset, si tum demum creophagia generi humano esset concessa.

§. XIV. Distinctio rituum ad sacrificia pertinentium.

XIV. Varii ritus fuere, quibus victimæ Deo offerri consuevere. In his autem partes aliæ sacerdotum erant, [89] aliæ dominorum offerentium. Judæi vulgo hæc quinque. 1. Manuum impositionem. 2. Jugulationem. 3. Excoriationem. 4. Dissectionem. 5.

Lotio-

Lotionem viſcerum, a dominis peragi potuiſſe tradunt; at quinque alia. 1. [90] Sanguinis exceptionem. 2. [91] Sparſionem. 3. Ignis accenſionem. 4. Lignorum diſpoſitionem in altari. 5. Delationem membrorum ad altare, & quodcumque in altari peragendum erat, ad functiones ſacerdotales referunt. *Siphra fol.* 54. 1. Confer *Joma.* 11. 7. Cujus diſtinctionis fundamentum eſt in deſcriptione rituum ad ſacrificia ſpectantium *Levit.* 1. 3. 4. & *ſeqq.* ubi quædam præſtare jubetur dominus victimæ, quædam ſacerdos. Nos & hos ipſos ritus, quales fuerint, luſtrabimus, & alios, qui ſub his continentur, vel præter hos in ſacris literis & ſcriptis Judæorum memorantur, ſuis locis inſeremus.

§. XV. Conſtitutio victimæ ante faciem Dei

XV. Requiritur ante omnia ut victima addncatur a domino qui eam Deo offert, & conſtituatur ante faciem Dei: olim quidem ante oſtium tabernaculi, id eſt, in atrio *Levit.* 1. 3. poſtea in atrio interiori templi לפני יהוה *coram facie Dei*, [92] facie ad occidentem verſa (*Siphra fol.* * 133. 1.) uti & de ipſis Levitis, qui agitandi fuere ut ſacrificium תנופה *agitationis* (quod alii de *ſeparatione* eorum a populo intelligunt) & quibus manus imponebantur, bis dicitur הקרבת לפני יהוה *duces eos in conſpectum Dei*. *Num.* 8. 9. Ad quem ritum reſpicere videtur Paulus *Rom.* 12. 1. voce παραςῆσαι, quum vult nos *conſtituere* corpora noſtra in ſacrificium vivum, ſanctum, & gratum Deo. Sacrificia autem ſanctiſſima eo ducebantur [93] per portam atrii ſeptentrionalem, quæ oblationis dicitur; [94] minus ſancta per auſtralem: quod ſi victimæ teneræ eſſent, pedibus ligatis portabantur a dominis. Vide *Malach.* 1. 13.

§. XVI. Impoſitio manuum.

XVI. [95] Hanc ſequebatur impoſitio manuum, vel manus, ut quidam volunt, licet probabilius ſit utramque manum victimis fuiſſe impoſitam, quæ per enallage numeri ſæpe per ידו indicatur. Confer *Num.* 27. 18. & 22. In *Siphra fol.* * 176. 1. legitur, quoniam Aharon dicitur utramque manum impoſuiſſe hirco die expiationis, eſſe canonem generalem, omnem impoſitionem fieri duabus manibus בנייז אב לכל סמיכות שיהיו בשתי ידים. Hæc autem in eo conſiſtebat, quod dominus vel domini, [96] ſi plures eſſent, unus poſt alium (nam unus poterat agitare pro omnibus ſociis, ſed non manus imponere. *Siphra fol.* * 38. 1.) [97] manus ſuas antea lotas [98] maximo niſu (בכל כוחו) imponeret capiti victimæ [99] occidentem ſpectantis. [100] In atrio hanc fieri oportebat: ſi enim extra atrium jam impoſuiſſent manus, debuerunt iterum in atrio manus imponere. *Siphra fol.* 50. 2. Debebat illa fieri [101] ab ipſo domino, non ejus vicario. *Siphra fol.* 50. 2. nec ea legitime peragebatur a ſtulto, minorenni, ſervo, ſurdo, aut cœco. Qui Iſraelitæ non erant, non imponebant manus victimis ſuis, אין עכ׳ום סומכין *Siphra fol.* 42. 2. & * 38. 1. [102] uti nec mulieres אין בנות ישראל סומכ׳. Ibidem *fol.* 43. 1. Diſtinguebat tamen R. Schimeon inter victimas רשות, liber oblatas, quibus putabat mulieres manus poſſe imponere, & ſacrificium debitum ſive חובה, dicebatque ſibi narraſſe R. [103] Eleazarem, vitulum ſacrificio ſalutari deſtinatum ad atrium mulierum fuiſſe deductum & manus ipſi impoſuiſſe mulieres, non quidem quod mulierum eſſet manus imponere, ſed ut illis id poſtulantibus morem gereret. In commentario ad hunc locum, Corban Aharon dicto, obſervatur hoc ſacrificium רשות fuiſſe, quoniam ſi חובה fuiſſet, non fuiſſet neceſſe vitulum ad atrium mulierum deducere, ſed mulieres ipſæ intrare in atrium magnum potuiſſent uti Naziræa & ſuſpecta adulterii. Victimis privatis omnibus imponebantur manus, [104] excepto ſacrificio primogenitorum ex animantibus, decimis, atque agno paſchali, quoniam de manibus imponendis hiſce nihil jubetur in ſacris literis, etiamſi uti de agno paſchali ſigillatim multa præcipiantur, & ſub generali nomine ÷ שלמים, quibus *Levit.* 3. 2. jubentur manus imponi, non poſſunt cenſeri eſſe comprehenſa: nam ibi Deus legem tulit de iſtiuſmodi שלמים in quibus arbitrium offerentis locum habet, ſi velit offerre, ſi ex illo genere animalium, ſi ex alio, *Levit.* 3. 1. 6. &c. ſed primogenita & decima animantium atque agnus paſchalis certo tempore debuerunt adduci atque adeo ſunt alius ſpeciei. *Siphra fol.* 83. 2. quibus addi debent oblationes [105] ex avibus. [106] Victimis publicis non imponebantur manus niſi his duabus, hirco dimittendo die expiationis, *Levit.* 16. 21. cui Pontifex, & juvenco ob peccatum ignorantiæ, [107] cui tria membra ſynedrii manus imponebant. *Levit.* 4. 15. Ita quidem Judæi tradunt הסמיכה אינה נוהגת אלא בקרבן יחיד in *Siphra fol.* 50. 1. licet 2. *Chron.* 29. 23. hircis piacularibus, pro toto populo oblatis, manus impoſitæ legantur, [108] & hinc R. Schimeon collegerit victimis omnibus piacularibus publicis, quarum ſanguis ædi ſacræ inferri debuit, manus impoſitas fuiſſe, כל חטאת ציבור שדמה נכנס לפנים טעונה סמיכה. *Siphra fol.* 100. 1. & 105. 1. [109] Eodem tempore quo manus imponebantur, dominus peccata ſua confitebatur, [110] ea transferens in victimam: quod ſi [111] ſacrificium ſalutare eſſet, Deum laudabat.

§. XVII. Agitatio.

XVII. Erant tamen victimæ quædam, quibus non ſtatim manus imponebantur, Poſt-

postquam essent adductæ, sed quæ agitandæ fuere coram facie Dei *Levit.* 14. 12. & 23. 20. In *Siphra fol.* * 247. 2. בנין אב & canon generalis traditur, [112] omnes agitationes fieri ope sacerdotis. Hæc actio תנופה appellatur, & non victimas tantum vivas, sed & membra quædam earum & ferta nonnulla spectat. *Exod.* 29. 27. *Levit.* 7. 34. & 8. 27. *Num.* 5. 25. *Menachoth.* v. 7. *Siphra fol.* 42. 2. & * 38. 1. [113] Sed distinguenda est illa agitatio, qua membra jugulatæ victimæ agitebantur, uti pectus & femur dextrum, חזה ושוק, victimarum salutarium cum אימורים *ablegminibus*, ab hac agitatione vivarum victimarum quam hic explicamus, & quæ jugulationem præcessit. [114] Consistebant autem in eo (vide *Gem. Kiddufchin.* 36. 2. *Gem. Succa.* 37. 2.) quod victimam impositam manibus domini sacerdos stans in atrio ad ortum altaris manibus suis, quas supponebat manibus domini, agitaret versus quatuor oras. 1. Promovendo eam 2. Reducendo, 3. Sursum elevando 4. deorsum ducendo: quæ his verbis in *Menachoth.* v. 6. & *Siphra fol.* * 40. 2. notantur מוליך ומביא מעלה ומוריד. Eadem phrasi utuntur in *Rosch haschana* 11. 2. ubi de facibus in monte olivifero accensis agunt, quæ his 4. modis quatiebantur, ut aliis innotesceret consecratio novilunii. Sunt qui sex motus in hoc ritu distinguunt, antrorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum, sursum & deorsum. Sed Judæi [115] non nisi quatuor norunt, ita quidem ut תנופה *agitatio* apelletur duplex motus, promovendi & reducendi, i e. מוליך ומביא, & תרומה *elevatio* reliqui duo motus attollendi & demittendi, quos indicant voces מעלה ומוריד: ita ut nunquam fuerit agitatio sine elevatione. *Siphra fol.* * 40. 1. Alii tamen, quia *agitatio* תנופה uti quid proprium pectori sive חזה salutarium adscribitur, & *elevatio* תרומה femori dextro *Levit.* 7. 30. 32. uti & in ariete inaugurali *Exod.* 29. 27. putant agitationem sine elevatione uni, alteri elevationem sine agitatione, convenisse. Sed *Levit.* 10. 15. de utroque & חזה & שוק התרומה התנופה dicitur quod debeant הניף agitari. Voces תרומה & תנופה etiam ut synonymæ permutantur *Exod.* 38. 24. *Num.* 31. 52. [116] Mulieres nunquam agitabant, nisi suspecta adulterii & Naziræa. *Num.* 5. 18. *Num.* 6. 2. & 19. *Kiddufhin* 1. 8. Gentes nunquam agitabant. *Siphra fol.* * 38. 1. Cæterum in *Menachoth* v. 7. [117] tres species rerum agitandarum ita recensentur.

1. שלמי יחיד *sacrificia salutaria privata* agitantur jugulata, non viva, & iis imponuntur manus.
2. שלמי ציבור *sacrificia salutaria publica* agitantur & jugulata & viva: nec iis imponuntur manus.
3. אשם מצורע *sacrificium pro delicto leprosi* agitatur non jugulatum sed vivum. Ei imponuntur manus. Holocausta non indigebant agitatione אין העולות טעונות תנופה. *Siphra fol.* 43. 2.

Ex [118] his omnibus *in Siphra fol.* * 38. 1. comparatio instituitur inter impositionem manuum & agitationem hoc modo.

1. Quod impositio manuum, si plures victimam unam adeferant, ab ominibus & singulis debeat fieri, non ab uno pro omnibus sociis. Secus se res habet in agitatione.
2. [119] Quod impositio manuum locum habeat in sacrificiis publicis æque ac privatis, sed ex istis in quibus impositio manuum locum habet tantum privata agitentur.
3. Quod manus non imponantur nisi rebus animatis, sed res inanimatæ uti panes Pentecostales & placentæ ac lagana Naziræi etiam agitentur.

§. XVIII. Jugulatio.

XVIII. [120] Eodem loco, quo munus impositæ erant, victima jugulabatur: [121] & quidem nulla mora interposita. *Gem. Berachoth.* 42. 1. Victimæ nempe [122] constrictæ ad annulos in loco jugulationis ad septentrionem altaris, si essent sacrificia sanctissima, quorum erat שחיטת צפון, at si minus sancta, [123] in quovis loco atrii, vulgo tamen ad orientem, gula & arteria aspera, quæ Judæi שתי הסימנין *duo signa* vocant, [124] manu prehensa, cultro sacro, dicto סכין, incidebantur, ut sanguis in vas המזרק influat. [125] Peragi jugulatio potuit etiam ab Israelita *Lev.* 1. 5. licet essent victimæ sanctissimæ, & jugulans mulier, servus, vel immundus esset, sic ut atrium ei intrare non liceret; [126] si modo extra atrium constitutus cultro in atrium porrecto jugulasset. *Zevachim* 111. 1. *Gem. Hier. Joma* 39. 2. *Midrasch Schemuel.* 52. 1. videlicet שחיטה כשרה בזרים ובנשים ובעבדים ובטמאים אפילו בקדשי קדשים: *Siphra fol.* 53. 2. atque ita omnes hujus ritus periti jugulare poterant, [127] excepto surdo, stulto, [128] & minorenni, qui animum advertere ad actum sacrum non poterant. *Chullin.* 1. 1. Sacerdotes tamen

tamen has partes plerumque in ſe ſuſcepiſſe videntur, aut, ſi hi non ſufficerent, Levitæ 2. *Chron.* 29. 24. 34. quod etiam ex ſortibus aliquo modo liquet, de quibus ſupra.

§. XIX. Quibus rebus vitiaretur.

XIX. Quinque autem res jugulationem reddebant illegitimam. I. שהייה, [129] *Mora*, ſi quis in actu jugulationis cultrum ad tempus retraheret ante perfectam jugulationem. II. דרסה, [130] *Preſſio*, ſi quis ſine משיחה jugularet, & jugulum perrumperet cæſim magis quam ductim: debuit enim eſſe מוליך ומביא, cultrum promovens & reducens. III. [131] *Occultatio*, ſi culter in jugulatione abſconderetur. IV. נרמה, [132] *Aberratio*, ſi culter ſupra *annulum* הטבעת aberraverit. *Chullin.* I. 3. V. עיקור *Eradicatio*, ſi totum jugulum abſcinderet. Ad hæc bene attendere debuit, quicunque victimam jugularet, & aliquoties ſe exercere in hoc actu coram ſapientibus antequam ſolus jugularet. [133] Præterea non licebat duas victimas uno ductu cultri jugulare. *Siphra*, *fol.* * 201. 2. [134] nec bovem & fœtum ejus uno eodemque die *Levit.* 22. 27. [135] Ea re quater in anno, quando animalia emebantur ſtatim jugulanda & edenda, venditor animalis debuit ſignificare ſe illius animalis matrem aut fœtum vendidiſſe ut jugularetur. Quatuor illa tempora erant 1. Veſpera (intellige id more Judaico pro toto die qui feſtum antecedit) diei feſti ultimi, i. e. octavi tabernaculorum. 2. Veſpera diei feſti primi Paſchatis, i. e. diei 15. Niſan. 3. Veſpera Pentecoſtes. 4. Veſpera novi anni civilis. *Siphra fol.* * 244. 2.

§. XX. Unguesectio avium.

XX. [136] Necabantur quidem aves (vide *Chullin.* II. I.) ſed alio modo: מליקה appellatur hic ritus: [137] nec dicuntur זובחין *ſacrificantes*, nec זבח eſt *Siphra fol.* * 32. I. ſed חונקין *ſtrangulant* eas. שחט quidem de avibus uſurpatur in *Midraſch ſchir haſſcherim*, יונה פושטה צווארה לשחיטה *columba collum extendit ut juguletur*, & in *Chullin.* II. I. Sed hoc alio ſpectat: nam ut de profanis nil dicam, [138] in ſacris etiam avis leproſi appellatur שחוטה *jugulata*, non מלוקה *ungue ſecta*: & ſi ſacerdos avem leproſi מלק ungue ſecuiſſet, erat פסולה temerata. *Siphra fol.* * 129. 2. & *fol.* * 190. I. [139] Sacerdos duos pedes avis apprehendebat duobus digitis manus ſiniſtræ, minimo videlicet & qui ei proximus erat, alas vero duobus aliis, atque ita inter pollicem & indicem collum retortum ungue ſecabat. Hæc inter functiones ſacerdotales difficillima fuiſſe dicitur, vide *Siphra*, *fol.* 66. 2. *Gem. Joma* 47. 2. & 49. 2. *Gem. Zevachim.* 64. 2. [140] Judæi volunt in holocauſtis avium caput a corpore plane fuiſſe ſeparatum, [141] ſed in ſacrificiis piacularibus inciſum quidem, ſed non penitus ablatum. *Siphra*, *fol.* 67. I. & 125. I. *Zevachim.* VI. 4. 5. Confer *Levit.* I. 16. 17. & 5. 8. [142] Poterat illa peragi in quavis parte altaris: [143] ſed ſolebat fieri ad cornu euroauſtrale, quia vicinum erat loco cineris, [144] quo ingluvies avis & plumæ projiciebantur, ſiquidem eſſet holocauſtum: ſed ſi ſacrificium piaculare ad cornu notozephyrinum. *Siphra fol.* 67. I. *Zevachim.* VI. 2. at ſanguis exprimebatur ad altare, ſi holocauſtum eſſet, [145] ſupra lineam rubram; ſi piaculare ſacrum, infra. *Zevachim.* 6. 2.

§. XXI. Sanguinis exceptio.

XXI. Sanguis victimarum excipiebatur vaſe argenteo, מזרק dicto in V. T. & כוס in Siphra. Ἄιμνιον Græci vocant & σφαγεῖον, Philo φιάλην, idque ſat magnam ſanguinis copiam continere poterat: quo facit phraſis *Zach.* 9. 15. מלאו כמזרק. Hæc actio קבלה & לקיחה dicitur. [146] Fieri illa debuit eodem loco quo victima jugulata erat: [147] quod ſi jugulatio facta eſſet in plaga auſtrali, exceptio ſanguinis in plaga ſeptentrionali, aut vice verſa, victima habebatur temerata, פסולה. *Siphra fol.* 110. I. Philo *lib. de victimis*, *p.* 838. alium fuiſſe ſcribit qui jugularet, alium qui ſanguinem exciperet. Aliquando manu, non vaſe, ſanguis excipi ſolebat: [148] veluti quum vacca rufa jugulabatur, manu ſiniſtra ſacerdos ſanguinem excipiebat, & digitum manus dextræ immittens in ſanguinem ſiniſtra contentum eum ſpargebat verſus ædem ſacram. Illegitimum enim eſſe ſanguinem vaccæ rufæ, niſi exceptum manu, דם פרה לא היה כשר אלא ביד legitur in *Siphre.* 20. 3. Ita [149] quoque quum leproſus in porta Nicanoris conſtitutus ſanguine victimæ jugulatæ adſpergi debuit, duo ſacerdotes ſanguinem excipiebant, unus vaſe, alter manu. Qui vaſe exceperat, ſanguinem ad altare ſpargebat, qui manu, ibat ad leproſum & illum tingebat. *Negaim.* XIV. 8. *Gem. Zevachim.* 47. 2. Confer *Levit.* 4. 25. [150] Quod ſi uno vaſe ſanguis omnis contineri non poſſet, & quatuor vaſis eſſet exceptus, ſacrificiumque eſſet piaculare, quod requirit 4. מתנות ſive ſparſiones ſanguinis, peragit ſacerdos ſparſionem unam ex ſanguine unius vaſis, alteram ex altero atque ita porro, ut ita reliquiæ ſanguinis in unoquoque vaſe ſint quas Deus juſſit effundere ad baſin altaris. *Siphra fol.* 110. I. Quod ſi ex uno tantum vaſe ſparſiones 4. feciſſet, reliquias ſanguinis in uno illo vaſe ad baſin effundebat, ſed ſanguinem qui in tribus reliquis vaſis erat, effundebat לאמה in canalem templi, qui in atrio erat & ducebat verſus vallem Kedron. *Siphra ibidem*. Quod ſi ſanguis ſacrificii piacularis qui altari interiori debet aſpergi exceptus fuerit duobus vaſis,

ſis, & unum vas ſanguine repletum delatum ſit extra atrium, alterum tamen quod intra atrium manſit idoneum cenſetur ut ex eo fiat adſperſio. [151] Si autem contra ſanguis ſacrificiorum piacularium, adſpergendus altari exteriori, duobus vaſis exceptus fuerit & unum vas illatum in Sanctum, alterum vas putabat R. Joſe idoneum ut ex eo fiat adſperſio, ſed ſapientes contra dicunt eſſe פסול. *Siphra fol.* * 17. 2.

§. XXII. Varii modi ſpargendi ſanguinem.

XXII. Sequitur ſparſio ſanguinis זריקה, ſecundum illud Talmudicum in *Gem. Hier. Terumoth.* 45. 2. מקבל ואחכ' זורק *excipit ſanguinem & dein ſpargit*. Hæc הזייה etiam dicitur, unde ſacerdos appellatur מזה בן מזה, *ſpargens, filius ſpargentis*. Nuncupatur etiam נתינה *datio*, quomodo & ſanguis Chriſti ὑπὲρ ἡμῶν ἐδόθη, quæ verba ſunt Clementis in epiſtola ad Corinthios, temere ſollicitata, & apud Fabium Pictorem *lib.* XVI. *Juris Pontificii* legitur, *aquam manibus dato*. Quatuor diverſis modis ſanguis victimarum, a ſacerdote agitatus ſi metus eſſet ne concreſceret, ſpargebatur, 1. Ad cornua altaris exterioris. 2. In ſancto & ſancto Sanctorum. 3. Ad angulos 4. altaris exterioris: 4. Ad baſin altaris. Duæ priores ſparſiones [152] digito fiebant, poſteriores vaſe. Hic ritus ex præcipuis eſt qui ad ſacrificia requiritur, עיקר הקרבן, [153] quum ipſam expiationem peccati tum demum factam eſſe Judæi credant quando victimarum ſanguis altare humectabat: ſecundum verba Gemaræ *Zevachim.* 26. 2. כיון שהגיע דם למזבח נתכפרו בעלים *quum ſanguis attingit altare, expiantur peccata offerentium*: quo & illud *Hebr.* 9. 22. facit, χωρὶς αἱματεκχυσίας ἐ γίνεται ἄφεσις, *ſine effuſione ſanguinis* (non illa modo effuſione qua ex corpore victimæ effluit, ſed qua affunditur altari) *non fit remiſſio peccatorum*. [154] Sic ante ſparſionem ſanguinis jus non habebant ſacerdotes in pelles victimarum: [155] nec ante illam licuit Naziræo vinum bibere, aut pollui mortuis. *Nazir.* VI. 9. nec licebat carne victimæ veſci, quod ex *Levit.* 19. 26. eliciunt in *Siphra fol.* * 210. 1.

§. XXIII. Adſperſio ſanguinis ad 4 cornua altaris.

XXIII. Ut autem diſtinctius intelligatur ritus adſperſionis ſanguinis ad quatuor cornua altaris, quæ propria eſt victimis piacularibus quæ comedebantur, *Levit.* 4. 7. (quæ ſparſiones 4. מתנות nuncupantur, aut ſparſiones 4. quæ valent octo, מתנות ארבע שהן שמונה) [156] notandum eſt ſacerdotem ſanguinem detuliſſe ad altare, & conſcenſo clivo per locum tranſitus qui ad orientem clivi erat perrexiſſe ad circuitum medium, & ad cornu altaris quod inter orientem & auſtrum erat ſubſtitiſſe. Hoc loco digitum indicem manus dextræ in ſanguinem intingebat, & illum exemtum admoto ungue pollicis ita premebat, ut ſanguis angulum illius cornu adſpergine tingeret. *Gem. Zevachim.* 53. 1. Ἅιματι δεύει τ̃ γωνιῶν τὰς ἐξοχὰς, ſcribit de hac ſparſione Joſephus *Antiq.* III. 10. Reliquias ſanguinis digito adhærentes, quibus aliud cornu adſpergere non licuit (ad unamquamque enim ſparſionem intingere denuo digitum in ſanguinem debuit, ſecundum canonem Judæorum על כל הזייה טבילה) ad marginem vaſis abſtergebat: dein ad cornu alterum perrexit, repetito eodem ritu; tum ad tertium, denique ad quartum, ſive notozephyrinum, in quo omnes ſanguinum adſperſiones & effuſiones deſinebant, & ad cujus baſin in foramen auſtrale reliquiæ ſanguinis effundebantur, ad torrentem Kedron deferendæ. *Meila.* III. 2.

§. XXIV. Sparſio in æde ſacra.

XXIV. [157] Illarum autem victimarum piaculiarium, quæ comburebantur, ſanguis inferebatur in ædem ſacram, ubi ſparſiones vel in ſancto ſanctorum vel ad cornua altaris ſuffitus fiebant ita ut a cornu quod inter ortum & ſeptentrionem eſt inciperet & dextram verſus pergendo cornu quod inter ortum & auſtrum eſt ultimo tingeretur, quod in altari exteriori primum tingi ſolebat. Vide *Siphra fol.* * 175. 1. *Joma.* V. 5. [158] & reliquum ad baſin altaris exterioris in foramen occidentale effundebatur. Vid. *Levit.* 4. 7. & 8. 15. Quia videlicet id foramen propinquius erat exeunti ex æde ſacra: [159] ſecundum canonem R. Joſe in *Siphra fol.* * 168. 2. quod ex æde ſacra ad altare exterius defertur & viciſſim ab altari ad ædem ſacram, a loco maxime vicino deſumitur, aut ad maxime vicinum defertur. Vacca quidem rufa comburebatur, ſed uti multa habebat ſingularia, ita non tantum cum pelle & fimo ſed & ablegminibus (quæ ceteroquin in altari adolebantur *Levit.* 8. 16.) tanta quanta igne conſumebatur: [160] nec ſanguis in ædem ſacram inferebatur, ſed quicquid ſupererat præter ſanguinem manu ſacerdotis ſparſum verſus ædem ſacram, igni cedebat.

§. XXV. Sparſio ſanguinis ad 4 latera altaris.

XXV. [161] Sanguis holocauſtorum, uti & ſacrificiorum pro delicto & ſalutarium, tam privatorum quam publicorum, adſpergebatur altari hac ratione quæ multum diverſa eſt ab adſperſione ſanguinis ſacrificiorum piacularium. Sacerdos ſanguinem vaſe exceptum deferebat ad angulum altaris qui orientem & aquilonem interjacet, & ibi ſanguinem ex vaſe ſpargebat in ipſum angulum, infra lineam rubram, ita ut ſanguis hac & illac inſtar Græci Γ diffuſus latus orientale & aquilonare (זוית המזבח, *Zach.* 9. 15.) humectaret. Hoc appellant Talmudici ſparſiones duas quæ efficiunt quatuor.

Dein-

Deinde ad angulum notozephyrinum pergens eodem ritu duo latera altaris occidentale & auſtrale adſpergebat & reliquias ſanguinis effundebat ad baſin.

§. XXVI. Effuſio ſanguinis ad baſin.

XXVI. [162] Denique in ſacrificiis primogenitorum ex animantibus, decimis eorumdem, & agno paſchali ſufficiebat, uti Hebræi tradunt, ſanguinem effundi ad fundamentum altaris: quo cum caruerit angulus altaris euroauſtralis, uni ex reliquis tribus ille affundi debuit: ſolebat autem fieri ad angulum altaris notozephyrinum: ſic ut hic unica tantum ſparſio requiratur. *Num.* 18. 17. *Zovachim.* V. 8.

§. XXVII. Effuſio ſanguinis in canalem templi.

XXVII. Nonnunquam ſanguis [163] effundebatur in canalem templi אמה dictum, per quem in torrentem Kedron deferebatur. Hæc effuſio שפיכה dicitur & locum habebat in ſacrificiis pro delicto dubio, ſi poſt jugulationem victimæ intelligatur offerentem non peccaſſe. [164] Tunc videlicet caro in בית שרפה, [165] *loco combuſtionis*, cremabatur & ſanguis infundebatur in canalem templi. Ita quidem R. Eliezer opinabatur, ſecundum cujus tamen opinionem הלכה non eſt. *Kerituth.* VI. 1.

§. XXVIII Excoriatio

XXVIII. [166] Excoriatio, ad quam non requirebatur ([167] poterat tamen adhiberi, 2. *Chron.* 29. 34.) opera ſacerdotis, fiebat poſt ſparſionem ſanguinis. Ut [168] autem hæc commodius peragi poſſet, octo columnæ lapideæ ad ſeptentrionem altaris erant collocatæ, quibus impoſita erant ligna cedrina, quæ tranſtra appellari poſſunt. *Middoth.* III. 4. Hinc ſuſpendebantur victimæ, [169] ita ut pedes poſteriores perforarentur. [170] Pelles autem ſacrificiorum ſanctiſſimorum erant ſacerdotum. De holocauſtis certe expreſſa lex eſt *Levit.* 7. 8. & de cæteris id colligitur quia ea ſunt ſacrificia ſingulari ratione לשם, *Deo*, ſacrata, & in loco ſancto edenda data a Deo miniſtris ſuis, non לבעלים, *dominis* offerentibus, veluti ſacrificia minus ſancta quorum pelles domini recipiebant. Ideo quia pellis non eſt דבר ראוי למזבח, *aliquid altari conveniens*, quum ſacerdotes carnem haberent illorum ſacrificiorum, etiam pelles nanciſcebantur. Ita differunt in *Siphra fol.* * 20. 2. Quod autem in ſola holocauſti deſcriptione pellis fiat mentio dandæ ſacerdoti, inde eſt quia illic excoriari jubetur victima. Ea re addi æquum erat cui pellis danda ſit, ne quis putaret pellem eo deferri oportere ubi caro comburenda erat, i. e. ad altare. Verum in reliquorum ſacrificiorum deſcriptione non erat id addere neceſſarium, quia ſemper העת הולך אחר בשר *pellis ſequitur carnem. Ibidem in Siphra.*

§. XXIX. Diſſectio & lotio.

XXIX. Hanc [171] ſequebatur diſſectio victimæ in partes, *Levit.* 1. 6. caput, femora, armos, atque ita porro decenti ordine, ad quem vulgo creditur ſpectare τὸ ὀρθοτομεῖν 2. *Tim.* 2. 15. [172] Aliud eſt קליעה de qua legitur in *Joma* VI. 7. quando juvencus & hircus comburendi extra urbem incidebantur במקלעות, ut ablegamina in altari cremanda eruerentur: nec tamen diſſecabantur ut holocauſta ſed membra cohærebant. [173] Viſcera autem & pedes holocauſtorum lavabantur (*Levit.* 1. 9.) in conclavi lavantium, ſtante videlicet templo II. & dein referebantur ad menſas marmoreas poſitas inter columnas, ubi eadem accuratius lavabantur, excepto ventriculo, & ut quidam volunt inteſtinis, bile, liene, & ſi quid aliud hominum alimento minus conveniens eſt; quum ob eandem rationem etiam pellis in altari offerri non conſueverit, aut menſæ Dei (quo nomine altare *Malach.* 1. 7. nuncupatur) imponi. Hæc omnia videntur, antequam ad altare deferrentur, ſpongia ſiccata fuiſſe, ut flammam citius conciperent, cujus ritus Hebræi meminerunt in enarrando holocauſto arietis ab Abrahamo oblati, loco Iſaaci. Vide *Tanchuma* 78. 4. *Schecalim.* VI. 4. Poteſt & hoc ſub καθαροποιεῖν comprehendi, quam vocem de ſacerdotibus circa victimas occupatis Joſephus uſurpat, *Antiq.* III. 10.

§. XXX. Delatio ad altare.

XXX. His peractis deferebantur membra victimæ a loco jugulationis, per ſpatium inter altare & ædem ſacram, uſque ad menſam marmoream ad occidentem clivi altaris, & inde ad altare, ſi holocauſtum eſſet, & quidem ſi ex minori pecore, [174] per ſex ſacerdotes. *Siphra fol.* 59. 2. *Schecalim.* VIII. 8. Quid ſinguli tulerint, dictum eſt ſupra. Quod ſi non eſſet ovis vel capra, ſed aries, duo ſacerdotes inteſtina portabant. His ſi addamus unum qui ſertum, alterum qui libamen, portabat, intelligitur ad ſacrificium ovis & capræ 8. ſacerdotes requiſitos fuiſſe, ad arietis 11. (nam duo ſertum, duo libamen portabant) ad bovis 24. quia majores partes erant & per plures portandæ. Ita legitur in *Echa rabbati*. 62. 1. [175] Diverſis quoque locis in altari reponebantur partes victimarum offerendarum antequam in ignem altaris porricerentur. Vide *Schecalim.* VIII. 8. *Gem. Succa.* 54. 2. חלבי תמיד, *membra* (nam nomine חלבי omnia membra victimæ intelligi כל איברי דעולה קרי חלבי Judæi monent) *ſacrificii jugis* collocabantur in clivo altaris medio ad ortum מחצי כבש ולמטה *infra partem clivi mediam*. Sacrificia addititia, מוספין, ad occaſum infra partem clivi mediam. Sacrificia noviluniorum infra כרכוב, ambitum altaris ſupremum. [176] Quando autem delata erant ſacrificia ad altare, ſanctificabat illa altare מקדש את הראוי לו *Siphra fol.* * 1. 2. confer *Matth.* 23. 19. Sic ut quæ ſemel eo adſcendiſſent, non deſcenderent etiamſi pollue-

luerentur (נפסלו) [177] verum ſanguis & נסכין ſive ſerta & libamina ſi polluantur deſcendunt, quoniam non ſunt לאישים igni deſtinata. Ita R. Joſua putabat: ſed R. Gamaliel etiam hæc deſcendere oportere dixit. [178] R. Schimeon ſerta ſeparata (הבאין מפני עצמה) dixit non deſcendere, quia altare illa ſanctificat plane uti holocauſta, quorum ſpeciem habent quia ſeparatim offeruntur, ſed ſerta ſacrificiis juncta (הבאין עם הזבח) omnino deſcendere. *Ibidem in Siphra.*

§. XXXI. Salitio & collocatio ſuper ignem.

XXXI. [179] Deinde ſaliebantur partes victimarum in ipſo clivo על גבי הכבש *Gem. Menachoth.* 21. 2. At in ſummo altaris, בראשו של מזבח, ſaliebantur pugillus farinæ, thus, pulvis ſuffitus, fertum ſacerdotum, fertum pontificis maximi, ferta libaminum, & holocauſta avium. Adhibebant plerumque ad hunc uſum ſal Sodomiticum, petitum ex lacu aſphaltite; quod ſi illud haberi non poſſet, licebat uti מולח איסתרוקנית, id eſt, [180] ſale Oſtracinenſi. Urbs Oſtracine vicina fuit Rhinoculuris & lacui Sirbonis, cujus aquæ forſitan huic ſali conficiendo fuere adhibitæ. [181] Partes ſalitæ in ignem ſoci altaris immittebantur, quod הקטר dicitur in ſacris literis & ſcriptis Talmudicis.

§. XXXII. Comeſtio.

XXXII. [182] Quædam ſacra comedebantur ex parte, uti victimæ piaculares & pro delicto (ſi non eſſent totius populi vel pontificis maximi; eæ enim extra caſtra comburebantur) uti & quædam ex ſertis. Hæc autem tria, ut & ſalutaria publica, nonniſi a ſacerdotibus familiæ miniſtrantis iiſque maribus & quidem in atrio magno comedebantur. *Num.* 18. 10. [183] Sed ſalutarium privatorum pectus & femur comedebantur a fœminis æque ac maribus mundis *Num.* 18. 11. (confer *comma* 18.) per totam urbem. *Levit.* 10. 14. Ita quoque ſe res habebat cum decimis & agno paſchali. Primogenitis vero ſoli ſacerdotes veſcebantur. [184] Sorte autem diſtribuebantur ſancta edenda inter ſacerdotes. Vide *Schabboth.* XXIII. 2. [185] licebatque iis ea aſſata, elixa, cocta, pro arbitrio comedere. *Zevachim.* X. 7.

§. XXXIII De פגול ſive ſacrificio rejectaneo.

XXXIII. In [186] quatuor actibus, videlicet 1. jugulatione, 2. exceptione ſanguinis 3. delatione ejus ad altare vel 4. oblatione victimæ (quæ 4. his vocibus indicantur השוחט המקבל ומהלך והזורק [187] ita ut in ſertis quæ etiam פגולים fieri poterant hi quatuor actus convenirent cum 1. pugilli acceptione. 2. impoſitione pugilli in vas ſacrum. 3. adductione. 4. incenſione thuris) poterat ſacrificium fieri פגול rejectaneum, ἄθυτον voce Alexandrina ab interpretibus V. T. Græcis nuncupatum, ſic ut nec ſacerdoti nec Iſraelitæ, cujuſcunque ſexus foret, id comedere liceret, ſecundum Legem *Deut.* 14. 3. Ita quidem Talmudici docent in *Zeuachim* 11. 2. quamvis alii exiſtiment verba illa Dei aliovorſum dicta eſſe, non iſthuc quod iſti opinantur. Credunt id rejectaneum fieri, ſi ſacerdos, dum victimam jugulat, vel ſanguinem excipit, profanas intentiones circa illam concipit, & ſibi proponit illam edere extra tempus a Deo comeſtioni deſtinatum, aut adolere ablegmina ejus. [188] Cogitationes quæ polluunt (פוסלין) ſacrificia, ita ut ſanguis ſpargi & caro edi nequeat ad tres referri poſſunt מחשבת שנוי השם מחמבת המקום, ומחשבת זמן, id eſt, 1. nomen ſacrificii non ſuum ſive illegitimum, ſi holocauſtum offerre proponat nomine ſacrificii piacularis, 2. locum illegitimum, 3. tempus: ſed ſola cogitatio de tempore reddit ſacrificium פגול. [189] Hujus mali propoſiti & inde ortæ pollutionis pœna ſolum ſacerdotem ſequitur, & illum qui ſciens de illo ſacrificio comederit. [190] Si quis autem inſcius de eo comediſſet, offerebat חטאת קבועה *ſacrificium piaculare fixum.* Ne autem rejectaneum redderetur hoc modo ſacrificium, aderant jugulationi qui ſacerdotes admonerent, ne committerent ejuſmodi facinus היו מהירין אותם בעת ששוחטים שלא יפגל אחד מהזבחים *Schir haſſchirim rabba fol.* 22. 1. [191] Habebatur ſane inter res pollutas hæc maxime impura, in qua פגול locum habebat, & pejor quam טמא quod pollutum erat & alia polluit, uti טמא pejus eſt quam פסול quod pollutum quidem erat ſed non polluit alia.

§. XXXIV Tempus comeſtionis.

XXXIV. [192] Tempus comeſtioni deſtinatum in ſacrificiis piacularibus, pro delicto, ac ſalutaribus publicis (quibus additur hoc reſpectu ſacrificium תודה, & aries Naziræi) erat יום ולילה dies jugulationis & nox ſequens *Levit.* 7. 15. [193] ſed in reliquis ſacrificiis ſalutaribus privatis, primogenitis animantium, & decimis, erant שני ימים ולילה dies jugulationis, nox, & dies ſequens uſque ad occaſum ſolis. [194] Agni paſchalis comeſtio uſque ad mediam noctem erat permiſſa, non ulterius: [195] quod conſtitueret Judæorum doctores, ut eo longius a peccato homines arcerentur, ſepem legi circundantes, uti loquuntur Gemarici, licet ſecundum mandatum Dei tota nox apta eſſet ad comeſtionem, & qui modo ante ortum auroræ comediſſet, officio ſuo ſatisfecerat, quod Hebræi dicunt, יצא ידי חובתו [196] Quod autem extra tempus comeſtioni deſtinatum ſupererat, igne cremari, & quidem interdiu, debuit. *Levit.* 7. 17. In *Mechilta* 6. 1. hæc tria אכילת פסחים ואכילת זבחים והקטר חלבים *comeſtionem agnorum paſchalium, & ſacrificiorum comedendorum & adolitionem adipum* ſecundum legem Dei licita eſſe ſcribunt uſque ad ortum auroræ.

XXXV.

§. XXXV. Comeſtionis locus.

XXXV. [197] In atrio magno, vel intra vela ſtante tabernaculo, nonnulla comedi a ſacerdotibus debuere, nonnulla extra atrium fuere licita. [198] Quum Schilunte eſſet tabernaculum, ſanctiſſima quidem intra vela comedebantur, ſed minus ſancta in omni loco unde Schilo videri poterat. *Megilla.* I. II. Ut autem diſtinctius intelligatur, quæ extra atrium comedenda a ſacerdotibus fuerint, examinanda ſunt 24. מתנות, ſive *dona*, quæ ſacerdotibus dabantur, & partim ex animantibus, partim e rebus inanimatis conſtabant; quæque reſpectu comeſtionis aut uſus diſtinguuntur, de quibus ſupra egimus.

§. XXXVI Perſonæ comedentes.

XXXVI. Ad ſacrificiorum quorundam comeſtionem ipſi domini admittebantur, uti agnum paſchalem, decima, & ſalutaria: [199] ad ſanctiſſima autem, & ad omnes illas decem res, quas ſupra recenſuimus, nomine קדשי המקדש, ſoli ſacerdotes, quos liquido conſtabat eſſe ex poſteris Aaronis *Nehem.* 7. 65. & quidem mundi, iique mares. *Levit.* 6. 22. [200] Ad illa quæ Hieroſolymis comedi debuere, ſacerdotes eorumque uxores & filiæ, ac filii apti erant. *Num.* 18. 11. etiam ſervi & ancillæ: [201] non tamen illa tradebantur, niſi ſacerdotibus ephemeriæ miniſtrantis, qui ex 24. donis 19. accipiebant. [202] Sed ad omnes promiſcue ſacerdotes pertinebant, & dari poterant cui aliquis vellet, 1. Primitiæ. 2. Decimæ e decimis. 3. Placenta, הלה, 4. Armus, maxillæ, & ventriculus animantium profanorum. 5. Primitiæ lanæ tonſæ. [203] Alii tamen paulo aliter ea diſtinguunt. Vide ſupra.

§. XXXVII. Combuſtio

XXXVII. [204] Nonnullæ erant victimæ quæ comburebantur, vel in altari exteriori, uti holocauſta; [205] vel extra urbem, qui locus בית הדשן dicitur quod cineres altaris eo deferrentur. *Meila.* II. 4. & בית שרפה *Joma.* VI. 7. *Kerituth.* VI. 4. uti illæ quarum ſanguis in ædem ſacram fuerat illatus, aut quæ tempore non ſuo erant jugulatæ uti agnus ſacrificii jugis, deceptis lunæ fulgore ſacerdotibus, ante ortum ſolem jugulatus ad בית שריפה legitur fuiſſe deductus in *Joma* III. 2. Præterea erat locus aliquis combuſtionis in monte templi לפני הבירה, id eſt, ἄντικρυς τῆς Βάρεως (Baris, quod idem eſt ac בירה, nomen erat arcis templo adſitæ, quæ poſtea turris Antonia dicta eſt teſte Joſepho) ſi hoſtiæ piaculares cremandæ fuiſſent, & poſtquam elatæ fuerant ex atrio, vitium contraxiſſent. Denique in ipſo atrio omnes victimæ ſanctiores in atrio temeratæ comburebantur: nam ſi extra atrium vitium contraxiſſent, extra atrium debuere conſumi etiam victimæ ſanctiores. *Schecalim* VIII. 7. Confer *Siphra fol.* * 18. 1. *Temura.* VII. 6. Prima combuſtio a ſacerdote fieri debuit, ad reliquas alii quoque erant idonei. [206] Erant præterea victimæ, quarum אימורים, *ablegmina*, comburabantur in altari exteriori, & quidem e tribus ſanctioribus ſacrificiorum ſpeciebus, ſacrificiis piacularibus, ſacrificiis pro delicto, & ſalutaribus publicis, quæ אימורי קדשי קדשים *ablegmina ſacrificiorum ſanctiſſimorum* nuncupantur, diſtincta ab אימורי קדשים קלים *ablegminibus ſacrificiorum minus ſanctorum*, id eſt 1. Sacrificiorum ſalutarium privatorum, 2. Primogenitorum animantium. 3. Decimorum animantium, & 4. Agni Paſchalis. Vide *Echa Rabbati.* 54. 3. *Midraſch Eſther* 127. 2. *Seder olam rabba cap.* 7. [207] Denique comburebantur quædam in ædibus privatis, uti reſiduum ex ſacrificiis minus ſanctis aut פסולי בשר קדשים קלים: quia illa fas erat edere tota urbe Hieroſolymitana, etiam tota urbe cremare fas erat: ſed nonniſi interdiu combuſtio, qualiſcunque fuerit, peragi debuit, uti docetur in *Siphra fol.* * 28. 1.

§. XXXVIII Series rerum comburendarum.

XXXVIII. Non videtur inconveniens huic loco, dum de combuſtione agimus, ſeriem exhibere rerum illarum, quas Judæi comburendas fuiſſe tradunt, quaſque ſepeliendas; quum natura ſacrificiorum hinc lucem accipiat, & omnes illæ res ſacræ dici poſſint. [208] Comburenda hæc ſunt 1. כל הקדשים, omnia ſacra, tempore aut loco non ſuo jugulata, & ſerta contaminata. 2. Sacrificium pro delicto dubio, ſi ante ſparſionem ſanguinis domino innotuerit ſe nihil deliquiſſe. 3. Sacrificium ex ave pro delicto dubio. 4. תרומות ſive primitiæ pollutæ, 5. Miſcella vineæ *Deut.* 22. 9. 6. Præputium arborum. ערלה. *Levit.* 19. 23. Confer codicem *Orla* 7. Capilli Naziræi mundati *Num.* 6. 18. R. Juda his addit fermentum tempore Paſchatis. *Temura.* VII. 5.

§. XXXIX. Series rerum ſepeliendarum.

XXXIX. [209] Sepelienda vero hæc ſunt. 1. Victimæ vel altari ſacratæ vel reficiendo templo, quæ mortuæ ſunt. 2. Quæ abortum fecere: quod ſi ſecundinas enixæ fuiſſent, ſolæ ſecundinæ comburebantur. 3. Bos lapidandus. *Exod.* 21. 28. &, quæ illo nomine continentur, jumenta, feræ & aves quæ nocere poſſunt. 4. Vitula decollanda, *Deut.* 21. 4. 5. Avis leproſi. *Levit.* 14. 7. 6. Capilli Naziræi immundi. 7. Primogenitus aſini. 8. Caro lacte condita *Deut.* 14. 21. *Exod.* 23. 19. & 34. 26. (quæ tria loca indicantur in *Gem. Kidduſchin.* 57. 2. notaturque eſſe interdictum, 1. אכילה, *edere*. 2. בשול, *coquere*. 3. הנאה, *fructum inde percipere*) & 9. Beſtiæ profanæ aut feræ in atrio jugulatæ. *Temura.* VII. 4. Nunquam illa quæ comburenda erant, licebat ſepelire, aut comburere ſepelienda.

COMMENTARIUM IN CAP. PRIMUM PARTIS TERTIÆ.

[1] GEnerali nomine קרבנות *&c. Abarbanel in præfat. in Leviticum cap. I.* Omnino res divina vocabatur קרבן quod est proxima conjunctio, duas ob causas, ipsamet altaribus conjungebatur, & hos a quibus fiebat, quam arcte Deo conjungebat; ex quo illud quod Deut. IV. 7. Scriptum videmus; *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster &c.*

[2] *Hæc cum vel ex animalibus &c. Abarbanel ibidem.* Verbum זבח quod est *immolatio*, & verbum קרבן, quo notatur *sacrificium*, non sunt nomina ita consonantia, ut semper unum & idem significent. Omnino immolatio omnis est eadem ac sacrificium, contra vero omne sacrificium non est idem ac immolatio; immolari dicebatur ea demum quadrupes, quæ primum jugulabatur, tum adolebatur in ara; nam immolatio jugulatio est, licet hoc ex eo cognosci, quod scriptum legimus; *Deut. 12. 21. Occides de armentis & pecoribus quæ habueris, sicut præcepi tibi. Et paucis interjectis:* Fertum quoque sacrificium appellatur, id autem erat inanimum, in quod immolatio non cadit; quod cum ita sit, sacrificium patet latius quam immolatio; nimirum eo nomine vocabatur quæcunque quadrupes rite mactata inferebatur in aram, quæque volucris, insuper etiam fertum, cum huic vocabulum immolationis neutiquam conveniret.

[3] *Quamvis* זבח *&c. Abarbanel ibidem.* Ex quo existit, ut quævis immolatio sacrificium esset, quod in ara adoleretur, & genus sacrificiorum quoddam non esset immolatio; ut sacrificium illud, quod volucri fiebat, quoniam ea non jugulabatur, non erat immolatio.

[4] *Quatuor recensent &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Sevachim.* Sacrificiorum genera sunt quatuor, sacrificium pro peccato, sacrificium pro reatu, holocaustum, pacificum, vel id quod pacifico simile est, præter hæc quatuor nullum aliud in tota Lege occurrit sacrificii genus, sive in privatum sive in publicum offeratur commodum. *Abarbanel ibidem cap. II.* Erant victimarum pro formis primariis inter se differentibus genera quatuor, sacrificium solidum, sacrificium piaculare, sacrificium pro delicto, & sacrificium pacificum; ac præter hæc quatuor omnino nullum licet in nostra Lege reperire sacrificium neque publicum neque privatum.

[5] *Quibus addunt &c. Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. 1. 2. 3.* Atque omnium sacrificiorum tam publicorum quam privatorum genera quatuor erant, holocaustum, hostia pro peccato, hostia pro delicto, & pacifica. Præterea autem erant tria genera sacrificiorum, privatorum videlicet, ea fuerunt Agnus Paschalis, animantes primogenitæ, atque decimæ.

[6] *Nonnisi ex re profana &c. Codex Menachoth cap. VII. 6.* Unde tenemus eum qui dixerit, *En super me Eucharisticum*, non offerre nisi de profano? ex eo quod dicitur Exod. 12. 2. *Et mactabis Pascha Deo tuo ex ovibus & jumento.* Sed annon Pascha duntaxat ex agnis & capris offertur? & cum res ita sit, quare dicitur *ex ovibus & jumento*? ad omne id quod ex ovibus & jumentis venit cum Paschate comparandum; nempe quemadmodum Pascha ex debito veniens, e profano duntaxat venit; ita quoque omne id, quod ex debito venit, e profano duntaxat venit. Propterea si quis dixerit, *en super me eucharisticum en super me pacifica*, quandoquidem illa ex debito, e profano tantum veniunt. Libamina etiam ubique e profano tantum veniunt.

[7] *Excipiuntur tamen &c. Tosaphta Menachoth. cap. VIII. 36.* Libamina quolibet casu adducenda sunt de profano duntaxat; hinc dixerunt; libamina & munera, munus animantis, & ejus libamina, & panis sacrificii Eucharistici non adducenda sunt de frumento non decimato, e de prima decima, ex qua sit ablata ejus separatio, & de secunda decima, & de rebus sanctificatis, quæ non redemtæ essent, de eo, quod cum ablatione commixtum sit, & de frugibus novis, & de fructibus anni Sabbathici, & si adduxisset, illegitima sunt; ne dici quidem necesse est non posse afferri ex arborum præputio, & ex seminibus vineæ heterogeneis *Maimonides de ratione Sacrificiorum faciendorum cap. II. 13.* Libamina non sumebantur nisi de communibus; non igitur sumebantur nec de oblatione nec de decimis, nec de primitiis. Quin etiam Sacrificii Eucharistici, quo cum panis ex decimis offerebatur, libamina tamen non sumebantur nisi de communibus. *Ibidem cap. XVI. 17.* Si nuncupando voto ita dixisset; en ego recipio me laturum Sacrum Eucharisticum de pecunia decimæ secundæ, & panem ejus de communibus, huic in manu erat, ut ferret sic, ut voverat. Quanquam si cuncta de communibus tulisset, voto se liberasset utique. Item si voto nuncupando diceret; en ego voveo sacrum Eucharisticum ipsumque, panemque ejus de decimis, inde ferre licebat; Nec vero panem ejus ferret de frumentis decimæ secundæ, sed de pecunia e decima secunda redacta, itidem ut victima, quæ & ipsa pecunia decimæ secundæ coemebatur. Cum vero nominatim dixisset se sacrificii panem oblatutum de decimis, tamen ejusdem libamina de pecunia decimæ secundæ non ferret. Nimirum libamina nisi de communibus ferebantur nunquam, quemadmodum alio loco disputavimus; De his enim scriptum videmus: *Tunc offeret offerens oblationem suam; Num. 15. 4.* Id autem hoc sibi vult, ut ea offerat de suo, non autem de illis, quæ jam aliquo pacto ad Deum pertineant.

[8] *In quatuor alias &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Sevachim.* Præterea tibi dico, quod sacrificia in quatuor dividuntur genera, quæ sunt sacrificium pro toto cœtu, sacrificium pro homine privato offerendum, quod sacrificio pro cœtu simile est, & id quod contra se habet. *Abarbanel ibidem cap. III.* Causas efficientes sacrificia nunc dico non rei divinæ administros Sacerdotes, qui faciebant ad aram, sed homines rem divinam facientes, eos qui victimas & cætera libamenta ad sacrificia facienda præbebant, seu illi voto promissoque tenerentur, seu propter admissas in se culpas sacrificiis iis astringerentur. Ad quem locum tractandum omnis sacrificiorum ratio distribuetur in genera quatuor; unum erit sacrificiorum illorum, quæ communiter fiebant ab universo Israelitarum cœtu; alterum sacrificiorum privatorum, quæ singula singulorum erant Israelitarum propria, suaque, tertium erat sacrificiorum publicorum eorum, quæ reddebant speciem sacrificiorum privatorum, quartum contra sacrificiorum privatorum eorum, quæ imitabantur sacrificia publica.

[9] *Publica pellunt Sabbathum &c. Tosaphta Temura cap. I. 14.* Sacrificia cœtus pellunt sabbathum & immunditiem; sacrificia privata non pellunt Sabbathum neque immunditiem, verba R. Jehudæ; ei dixit R. Jacob: Invenimus in frixis Sacerdotis uncti, & in juvenco diei expiationum, & in sacrificio Paschali, quæ erant sacrificia privata, quæ pellunt Sabbathum & immunditiem; invenimus in juvenco, qui afferebatur pro omnibus præceptis, & in hircis, qui afferebantur pro Idolatria, & in sacrificio festi, quæ sunt sacrificia cœtus, tamen non pellunt Sabbathum & immunditiem. Regulam generalem dicebat R. Jacob; omne sacrificium, cujus a Lege tempus fixum est, neque fieri poterat in vigilia Sabbathi, pellebat Sabbathum, & omne sacrificium, cujus tempus a Lege fixum non est, & quod fieri poterat in vigilia Sabbathi, non pellit Sabbathum.

[10] *Publicis nihil addendum &c. Abarbanel ibidem.* Atque hæc erant sacrificia publica certa perennia, quibus nihil erat unquam nec addendum nec adimendum, quorum singula Sabbathum elevabant. *Maimonides in præfatione ad Codicem Sevachim.* Atque hæc sunt Sacrificia cœtus stricte dicta, & semper oblata, ita ut iis nihil demi nec addi possit, & omnia destruunt quietem Sabbathicam, & immunditiei accessum,

cessum, uti in Tractatu Pesachim expositum est.

[11] *Nunquam animal &c. Maimonides ibidem*. Quando autem omnia sacrificia enumeraveris, invenies quod nullo in sacrificio cœtus inveniatur genus fœmineum, neque in sacrificiis privatis quæ his similia sunt.

[12] *Nec aves &c. Tosaphta Temura cap.* I. 16. In his inter se differunt pecora & aves, quod pecus pellit Sabbathum & immunditiem, & observatur tam a cœtu quam a privato &c. Sed non aves.

[13] *In publicis non habebat &c. Tosaphta Temura &c. cap. I.* 15. In Sacrificiis privatis locum habet commutatio, vel a multorum societate offeruntur &c. Sed non in sacrificiis publicis.

[14] *Publica Sacrificia &c. Temura cap. II.* 2. Sacrificium expiatorium privatum, quo expiati sunt domini ipsorum, mori debet, at non publicum. R. Jehuda dicit, mori debet; Dixit R. Simeon, sicut invenimus de filio sacrificii expiatorii, & de mutatione expiatorii, atque expiatorio, cujus domini mortui fuerint, quod de privato dicta sunt verba, & non de publico, sic etiam eorum quibus domini expiati sunt, & quorum annus transiit, verba sunt dicta de privato, & non de publico. *In quem locum ita Maimonides quibus expiati sunt domini*, si sacrificium separatum fuerit, & postea perierit, atque aliud pro ipso separatum, & oblatum fuerit, & deinde primum recuperatum fuerit. Cæterum ex iis quæ in hoc tractatu diximus, tibi constabit, quod sacrificium expiatorium publicum non habeat filium, quia omnia sacrificia publica sunt mascula, etiam expiatorium, sicuti brevibus exposuimus in prologo. Neque expiatorium publicum commutari potest, quia universalis Ecclesia nunquam commutare solet, neque de expiatorio publico dici potest, quod domini ipsius objerunt, quia tota Ecclesia non moritur. Nobis vero hypothesis est, quod una tribus extingui non possit, quanto minus omnes Israelitæ. Sed cujus sacrificii domini expiati sunt, cujusque annus transiit, istud accidere potest in Ecclesia, sed non clare dictum est, an ad hoc teneatur expiatorium publicum, an vero in privato id obtineat tantum. Cæterum nobis traditio Mosaica est, quod quinque expiatoria moriantur. *Tosaphta Temura cap. I.* 15. In sacrificiis privatis locum habet commutatio, & in societate multorum afferuntur, & eorum nonnulla sacrificia pro peccato debent mori, & sacrificium pro peccato e sexu fœmineo, & sacrificium pro delicto dubio, & adducantur e decimis, & ad manuum impositionem tenentur, quod non fit in sacrificiis publicis.

[15] *Siquidem tale quid &c. Tosaphta Joma cap.* III. 10. Juvencus & hircus diei expiationum qui amissi essent, & substituti essent alii in eorum locum, & priusquam immolarentur, inventi essent priores, ad pastum ablegabantur; donec vitio afficerentur, & vendentur, & eorum nummi impendentur in holocausta voluntaria, quia sacrificium pro peccato cœtus non moriebatur. R. Jehuda dicit moriebatur; dicit etiam R. Jehuda, si effusus esset sanguis occidebatur emissarius, si moriebatur emissarius, effundebatur sanguis. *Maimonides cap. V. 16. de die expiationum*. Si perditis solennitatis expiationum juvenco & hirco, in eorum locum substituerentur alii, atque his sacrificatis reperirentur priores, pascerentur, donec vitio afficiebantur, tum vero venderentur, atque pretium eorum impenderetur in holocausta voluntaria, & si priores reperirentur, antequam essent isti posteriores immolati, priores utique sacrificarentur, & isti posteriores pascerentur interdum dum afficiebantur vitio, tum deinde venderentur, atque pretium eorum in holocausta voluntaria impenderetur: *Idem de sacris temeratis cap. IV*. Partus hostiæ pro peccato, & commutatio hostiæ pro peccato, cujus est jam mortuus dominus, & hostia pro peccato perdita si reperiretur post factam domini expiationem, istæ videlicet morerentur oportebat. Si postrema ista reperiretur postea quam altera hostia separata ac jugulata fuerit, sed ante aspersum altari sanguinem, dubium erat utrum mori illam, an pasci oportebat, donec aliquo vitio afficeretur, & hanc ipsam ob causam mori sinebatur. Jam cum dicitur mori illas jus esse, non sic accipiendum est quasi instrumento, manu occiderentur, sed introducebantur domum, quæ occludebatur interea dum illæ mortuæ fuerant. Atque hæc omnia usque a Mose (*a Rabbinis potius*) tradita sunt; verum enim ad solam hominis privati hostiam pro peccato spectant. Etenim Ecclesiæ hostia pro peccato amissa si reperiretur post factam expiationem, seu illa fuerit ad sacrificandum idonea, seu non fuerit, pasceretur, donec aliquo vitio fuerit affecta, tum venderetur, ac pretium ejus in holocaustum voluntarium impendebatur. Jam vero de Ecclesiæ hostia pro peccato nihil horum dici potest, *partus commutatio cujus est mortuus dominus*; cunctæ enim Ecclesiæ victimæ mares erant; neque Ecclesia victimæ mutationem faciebat, ut alio loco disputabitur, neque porro Israelitæ simul omnes moriebantur. Juvencus & hircus diei expiationum si amissi fuerint, & eorum loco alii substituerentur, item & hirci Idolatriæ si amissi fuerint, & eorum loco substituerentur alii, pascerentur, donec fuerint affecti vitio, tum venderentur, atque redacta ex illis pecunia in holocaustum voluntarium impenderetur; namque Ecclesiæ hostia pro peccato nulla sinebatur mori; sed qua de causa non sacrificabantur ipsi pro holocausto voluntario, quandoquidem mares erant? Ne forte id fieret & post expiationem, si quando fieret ante.

[16] *Per Pontificem &c. Non legimus in Misna c. Pontificem si vellet, ad altare deferre potuisse privatorum holocausta (poterat enim etiam sine sorte quotidie deferre publica) sed per unum Sacerdotem vulgarem privatorum holocausta ad altare potuisse deferri; Sic ait Misna*. De quibus dicta sunt hæc de Oblationibus universi cœtus, sed de oblationibus unius si velit offerre, offerat. *Ubi Bartenora*. Nimirum id quod diximus omnes Sacerdotes illos necessarios esse ad quamlibet bestiam, eo necessarium esse projicere sortem. *Si velit offerre*, si unus Sacerdos solus velit offerre totam bestiam, & sine sorte.

[17] *Hi hirci &c. Tosaphta Sebuvoth cap. I.* Quod in eo non sit notitia in principio, sive in principio sit, sive sit notitia in fine, hirci festorum, & hirci noviluniorum expiant, verba R. Meyr; R. Jehuda, & R. Simeon disputant in hircis; pro eo, in quo non sit notitia neque in principio neque in fine, & pro mundo, qui edisset immundum, hirci festorum expiabant, verba R. Jehudæ; R. Simeon dicit, hirci Festorum expiabant; non vero hirci noviluniorum; & consentit R. Simeon, quod hircus, qui non offertur in festo, in novilunio sit offerendus, si non fuisset oblatus in novilunio, sit offerendus in die expiationum, nisi offerretur in die expiationum, sit offerendus in sequenti festo, quia ab initio non fuerunt sanctificati nisi ea mente, ut super altare exterius essent offerendi. R. Simeon dicit, duo & triginta hirci singulis annis a cœtu offerebantur, unus & triginta foris (*sc. in altari exteriori*) & comedebantur, & unus intus, & non edebatur, & hircus, qui emittebatur in desertum, duodecim in duodecim noviluniis, septem in Paschate, & octo in festo Tabernaculorum, duo in die expiationum, unus in principio novi anni, & duo in festo Pentecostes, unus pro pane facierum, & alter causa diei; & si primus expiaverat, alter super quo expiabat? super immunditie, quæ inter unum & alterum accidisset, & dicunt, quod Israelitæ duos hircos singulis diebus afferre deberent, sed Deus rationem habuit facultatum Israelitarum. R. Simeon dicebat; gravior est immundities Sanctuarii, & rerum sacrarum, quod omnia præcepta in Lege descripta uno tantum hirco expiabantur, & immundities Sanctuarii & rerum sacrarum duobus & triginta hircis expiabantur. Omnia peccata in Lege descripta semel singulis annis expiabantur, & immundities Sanctuarii, & rerum sacrarum singulis mensibus expiabantur, juxta versiculum, qui dicit. Ezech. 5. II. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nisi pro eo, quod Sanctum meum violasti, in omnibus offensionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis &c.* id est sunt graves abominationes, & opprobria, quæ patrasti, sed immundities Sanctuarii, & rerum sanctarum est reliquis omnibus gravior. *Siphra Paras. Achare Mot sect.* 4. Pro quo expiabant alii hirci? pro immunditie Sanctuarii, atque rerum sanctarum; & qualis erat immundities Sanctuarii, & rerum Sanctarum, pro quibus alii hirci expiabant? Qui immundi de industria in Sanctuarium ingrediebantur, & Sancta (attingebant) hirco interiori expiabantur. Hinc dixerunt; omnis immundities, in quo sit notitia ab initio & in fine, sed ignorantia in medio, tenebatur Sacrificio ascendente, & descendente. Si erat notitia ab initio, non autem no-

titia

titia in fine, hircus qui fiebat intus (sc. cujus sanguis spargebatur intra velum) & dies expiationum suspendebant, donec ei innotesceret, & tunc offerebat sacrificium ascendens & descendens. Non erat notitia ab initio, sed erat notitia in fine, hircus qui fiebat foris, & dies expiationum expiabant, juxta versiculum *præter sacrificium pro peccato diei Expiationis*; pro quo expiabat unus, expiabat alter; sicuti interior non expiabat, nisi pro eo, in quo erat notitia, etiam exterior expiabat pro immunditie, in qua erat notitia; & pro ea re, in qua non erat notitia neque in principio neque in fine, hirci festorum, & hirci noviluniorum expiabant, verba R. Jehudæ; R. Simeon dicit, hirci festorum expiebant, sed hirci noviluniorum non expiabant, & pro quo expiabant hirci noviluniorum pro homine mundo, qui comedisset immundum. R. Meyr dicit, omnium hircorum expiatio erat æqualis pro eo qui polluisset Sanctuarium, & res sanctas. R. Simeon dicebat; Hirci noviluniorum expiabant pro mundo, qui comedisset immundum, & (*hirci*) festorum expiabant pro ea immunditie, in qua non erat notitia nec ab initio, nec in fine, & (*hirci*) diei expiationum expiabant pro eo in quo non erat notitia ab initio, sed erat in fine. Ei dixerunt, qualis erat lex quando unus offertur pro altero? Eis respondit, offerantur; ei dixerunt si eorum expiatio non erat æqualis, quomodo offerebantur? Eis respondit, omnes offerebantur pro immunditie sanctuarii, & rerum sanctarum. R. Simeon filius Jehudæ, ejusdem nomine dicit, hirci noviluniorum expiabant pro mundo, qui comedisset immundum, præstabant ipsis hirci festorum, qui expiabant pro mundo, qui comedisset immundum, & expiabant pro illa immunditie, in qua non erat notitia nec ab initio, nec in fine; præstabant iis *hirci* diei expiationum, qui expiabant pro mundo, qui comedisset immundum, & pro ea immunditie, in qua non erat notitia nec ab initio, nec in fine, & pro ea, in qua non erat notitia ab initio, sed erat notitia in fine. Interrogaverunt eum, dicebat ille, ut offerretur unus pro altero? ei dixit, utique ei dixerunt, sint *hirci* diei expiationum pro noviluniis, sed quo pacto *hirci* noviluniorum offerentur pro die expiationum ad expiandum expiatione, quæ illis non convenit? Eis respondit, omnes offerebantur ad expiandum pro immunditie sanctuarii & rerum sanctarum; & pro immunditie sanctuarii & rerum sanctarum de industria introducta hircus, qui intus fiebat in die expiationum, expiabat, & pro reliquis transgressionibus Legis levibus, & gravibus, peccatis, & erroribus tam notis, quam ignotis tam contra præcepta affirmativa, quam negativa, & pro iis *peccatis*, quæ vel excisionem, vel pœnam forensem capitalem merebantur, hircus emissarius expiabat. Vide Codicem Sebuvoth cap. I. 2. —— 6.

[18] *Agni duo &c. Maimonides in præfatione ad tractatum Sevachim*. Horum genus primum est Sacrificium, quod pro toto cœtu offertur, quodque juge est, etiam die Sabbathi, singulis noviluniis, & festis, quibus nihil addi nec demi potest. Jugia vero sacrificia e duobus agnis fiebant, erantque holocausta, unum matutinum, alterum vero vespertinum, atque hæc simpliciter holocausta jugia vocantur. *Abarbanel ibidem cap. III.* Primum igitur genus est sacrificiorum publicorum, quæ singulis diebus, & singulis Sabbathis, & singulis Calendis, & singulis diebus festis iisque Deo sacris præfinito fiebant, nihil eis quidquam vel addendum, nec detrahendum unquam; omni huic generi species subjectæ sunt undecim quas nunc edisseram. Ac prima species est sacrificiorum jugium; namque binis agnis sacrificia solida quotidie fiebant duo, unum mane, & vesperi alterum, atque hæc illa sunt, quæ proprie dicuntur sacrificia solida jugia.

[19] *Additamentum Sabbathicum &c. Maimonides ibidem*. Porro his accedebant duo agni in holocaustum diei Sabbathi post juge matutinum, & ante juge vespertinum; omnia vero quæ singulis Sabbathis offerebantur quatuor erant holocausta non pura, duo enim quæ addebantur sunt ea, quæ vocabantur מוסף שבת *additamentum Sabbathi*. *Abarbanel ibidem*. Secunda species est sacrificiorum faciendorum insuper ad Sabbatum; Sabbato videlicet extra sacrificia jugia fiebant etiam binis agnis solida sacrificia duo, quæ inter matutinum & vespertinum sacrificium juge media peragebantur; ad Sabbathum igitur fiebant agnis quaternis quatuor sacrificia solida, quorum erant partim jugia, partim ejus diei sacri præcipua.

[20] *Additamentum Novilunii &c. Maimonides ibidem.* Singulis vero noviluniis duobus jugibus accedebat additamentum aliquod e duobus juvencis, uno ariete, & duobus agnis anniculis constans, quæ omnia animantia in holocausta offerebantur, & hircus caprarum in sacrificium pro peccato, atque hæc omnia vocabantur מוסף ראש הרש *additamentum novilunii*, eo quod jugibus sacrificiis addebatur. Quolibet igitur novilunio duodecim offerebantur holocausta, atque hircus unus in sacrificium pro peccato, non pauciora. Si vero novilunium incideret in Sabbatum, quatuordecim fiebant holocausta, duo in jugia, duo agni in additamentum Sabbathi, & decem in additamentum novilunii, ut & hircus novilunii in sacrificium pro peccato, quomodo erunt quindecim Sacrificia. *Abarbanel ibidem*. Tertia species erat sacrificiorum illorum, quæ jugibus ante dictis adjungebantur ad Calendas; calendis enim ad illa jugia juvenci duo, aries, & agni septem addebantur anniculi, quibus omnibus solida fiebant sacrificia, præterea autem & hircum, quo sacrum piaculare fiebat; ita calendis, si calendarum præcipua sacrificia sacrificiis jugibus conjungas, fiebant sacrificia solida duodecim, & unicum hirco piaculum. Quæ si calendæ in Sabbathum inciderent, priva Sabbathi sacra conficerentur etiam, ut simul una fierent sacrificia solida sedecim, & hirco piaculum.

[21] *Oblatio festi Azymorum &c. Maimonides ibidem.* Festorum autem sacrificia se habent secundum Legis præscriptum, nempe in diebus festi Azymorum per omnes septem dies quotidie offerebant aliquod additamentum præter duo jugia sacrificia, & præter additamentum Sabbathi, quod simile erat additamento novilunii, quod e duobus juvencis, ariete uno, septemque agnis constabat, quæ in integrum decem sunt holocausta, & præterea quotidie offerebatur hircus in sacrificium pro peccato, & die secundo festi Azymorum, qui dies est, quo offerebatur Omer, addebant agnum in holocaustum. *Abarbanel ibidem*. Quarto loco ponamus id quod sacrificabatur ad Azymalia. Septem erant illæ continuæ feriæ, quarum singulis itidem ut calendis præter jugia sacrificia præcipua fiebant sacrificia solida juvencis duobus, & ariete, & agnis septem, & hirco sacrum piaculare; tum ad harum eam, quæ incidebat in Sabbathum, Sabbathi sacra præcipua quoque fiebant; proin illa feriarum sacrificia fiebant solida quatuordecim, & hirco piaculare sacrificium. Quintum obtinebat locum solidum illud sacrificium, quod agno fiebat ad secundum diem Azymaliorum, cum obnoveretur Deo manipulus novarum frugum.

[22] *Additamentum diei &c. Maimonides ibidem*. Die autem Pentecostali præter duo jugia addebant duo sacrificiorum genera, quorum unum sive additamentum diei simile erat additamento novilunii, quod fiebat e duobus juvencis, ariete, & septem agnis, omnes in holocaustum, præter hircum in sacrificium expiationis pro peccato. Alterum genus offerebatur cum duobus panibus, sicuti Lex dicit, unus juvencus, septem agni, omnes in holocausta, & unus hircus in sacrificium pro peccato, & duo agni in sacrificium pacificum, quo modo fiet ut die Pentecostis offerant sedecim agnos, duos agnos in sacrificium pacificum, tres juvencos in holocaustum, tres arietes, & duos hircos caprarum in sacrificium expiationis pro peccato, quæ in integrum viginti sex conficiunt sacrificia. *Abarbanel ibidem*. Sexta fuerit species ea præcipua sacra quæ fiebant ad solennitatem illam, quæ Hebdomadalia dicuntur; hæc erant prorsus eadem, atque præcipua sacrificia calendarum; ariete uno, binis juvencis, & septennis agnis solida sacrificia, & hirco sacrificium piaculare fiebant. Septimum ad hæc ipsa Hebdomadalia simul cum duobus panibus novis Deo tunc offerendis sacrificabantur etiam juvencus, & arietes duo, & agni septem, quibus omnibus solida sacrificia fiebant, insuper & hircus quo fiebat sacrum piaculare, præterea autem & alii duo agni, quibus sacrificia pacifica fiebant; jam eadem solennitas cum incidebat in Sabbathum, Sabbathi præcipua sacrificia conjungebantur superioribus sic, ut ad eam fierent omnino solida sacrificia sex & viginti, & binis hircis piacula duo.

[23] *Additamentum novi anni &c. Maimonides ibidem.*

dem. Cæterum novo anno præter accessorium novilunii & duo jugia offerebatur accessorium quoddam ex juvenco, ariete, septemque agnis in holocausta, & ex uno hirco caprarum in sacrificium pro peccato. *Abarbanel ibidem*. Octavum ad primum anni diem præter jugia & præcipua sacrificia calendarum etiam ob diei solennitatem præcipuam sacrificabantur juvencus, & aries, & agni septem, & hircus, hoc uno piaculare, cæteris solida fiebant sacrificia; si esset autem, ut primus anni dies incideret in Sabbathum, Sabbathi præcipua sacrificia supra dictis adjungebantur; tum igitur ad hunc solennem diem omnino fierent solida sacrificia viginti tria, & binis hircis piacularia duo.

[24] *Oblatio diei expiationis &c. Maimonides ibidem*. Die expiationis peccatorum cœtus offerebat juvencum, arietem & septem agnos, omnes in holocausta, & hircum in expiationem pro peccato sicuti additamentum novi anni proprie dictum; & propterea hircum in expiationem pro peccato, qui adjunctus erat hirco emissario, atque iste hircus comburebatur, sicuti in Lege declaratur, & porro arietem in holocaustum de quo *Levit. cap. XVI. Abarbanel ibidem*. Nonum sacrificabatur ad solennem Expiationum diem juvencus & aries & agni septem, quibus universis solida fiebant sacrificia, & hircus quo fiebat piaculum itidem, ut ad primum anni diem; porro mactabatur & alius hircus hirci illius emissarii consors, quo item fiebat piaculum; & hircus iste posterior ex edicto Legis igni consumebatur totus, tum etiam fiebat ariete sacrificium solidum, de quo præcipitur ex Legis distinctione, quæ *Levitici* e cap. XVI. 1. *post mortem* inscribitur.

[25] *Oblatio primo die &c. Maimonides ibidem*. Primo autem Tabernaculorum die festo præter duo jugia offerebatur addimentum tredecim juvencorum, duorum arietum, & quatuordecim agnorum, omnes in holocausta, & tandem hircum in expiationem pro peccato, in integrum triginta sacrificia. Cæterum quolibet festi istius die offerebantur duo arietes, quatuordecim agni, & hircus in expiationem pro peccato. Juvenci vero diminuebant in dies unum detrahendo eo usque ut septimo die septem juvenci offerrentur, duo arietes, & quatuordecim agni, omnes in holocausta, & tandem hircus in expiationem pro peccato, quæ in summa conficiunt viginti quatuor sacrificia. *Abarbanel ibidem*. Decimum ad primum umbraculorum diem extra jugia fiebant etiam sacrificia solida juvencis tredecim, duobus arietibus, & agnis quatuordecim, insuper etiam hirco piaculum; & hæc eadem solennitas cum incideret in Sabbathum, tum ea fiebant omnia sacrificia solida tria & triginta, atque hirco piaculum; porro autem singulis deinceps umbraculorum diebus totidem sacrificabantur & arietes & agni, simul & hircus; juvencorum autem gradatim fiebat decessio, diminuebatur ex eis in singulos dies unus, ut septimo umbraculorum die mactarentur omnino juvenci septem, arietes duo, atque agni decem & quatuor, quibus totidem fierent solida sacrificia, insuper & hircus unus, quo sacrum piaculare fieret.

[26] *Oblatio diei octavi &c. Maimonides ibidem*. Sed octavo festi Tabernaculorum die offerebatur accessorium præter duo jugia, quod constabat ex juvenco, ariete, & septem agnis, omnes in holocausta, & unus hircus in expiationem pro peccato. Hæc vero quæ memoravimus sacrificia, vocabantur istis accessoria, quia præter duo jugia offerrebantur; etenim quando aliquod eorum accidebat in Sabbatho, offerebatur accessorium Sabbathi, & postea accessorium diei, ut, si novi anni dies incideret in Sabbathum, prius offerebant sacrificium juge matutinum, postea accessorium Sabbathi, & postea accessorium diei novilunii, & postea accessorium diei, & tandem juge vespertinum; hæc semper in memoria tenenda sunt; sed hæc ulterius exponentur omnia capite decimo tractatus Sevachim. Atque hæc sunt sacrificia cœtus stricte dicta, & semper oblata, ita ut iis nihil demi nec addi possit, & omnia destruunt quietem Sabbathicam; & immunditiei accessum, uti in tractatu Peſachim expositum est. Cæterum jam expositum est, quod in sacrificiis cœtum Israeliticum spectantibus non continentur pacifica præter duos agnos in festo Pentecostis offerendos, neque sacrificium pro reatu; sic etiam quod in sacrificiis cœtus duo tenenda sunt quod ad sacrificium pro peccato attinet, nimirum ut residua eorum comedantur, & quod residua eorum comburenda sint, videlicet hircus die expiationis tantum. *Abarbanel ibidem*. Undecimum ad octavam umbraculorum solennitatem adeo præcipuam extra sacrificia jugia mactabantur juvencus & aries & agni septem, cunctisque fiebant sacrificia solida, tum etiam hircus, quo fiebat sacrum piaculare; quæ solennitas cum incideret in Sabbathum, Sabbathi sacrificia præcipua quoque jugibus addebantur. Atque sacrificiis in illis hic servabatur ordo. Primum omnium sacrificiorum juge matutinum excipiebant præcipua Sabbathi, cum adesset, sacrificia; quod si Sabbatho haberentur etiam aut calendæ aut feriæ quædam, aut simul utræque, præcipuis Sabbathi sacrificiis proxima erant calendarum præcipua sacrificia, quæ proxime sequebantur præcipua sacrificia feriarum, ita si esset, ut primus anni dies in Sabbatum incurreret, primum fieret sacrificium juge matutinum, deinde sacrificia præcipua Sabbathi, tum sacrificia præcipua calendarum, post sacrificia præcipua diei solennis, a quo annus inchoabatur, postremo sacrificium juge vespertinum, quemadmodum Tractatu Gemarico de sacris demonstratur. Atque hæc erant sacrificia publica certa, perennia, quibus nihil erat unquam nec addendum, nec adimendum, quorum singula Sabbathum elevabant. Etenim in sacrificiis publicis ut ante commemoravi, prorsus hostia pro delicto nulla fuit, neque porro sacrificia pacifica præter ea, quæ fiebant binis agnis ad Hebdomadalia duntaxat. Erat autem in publicis sacrificiis sacrificium piaculare duplex, unum quod igni cremabatur totum, & alterum cujus maxima pars Sacerdotibus comedenda, superioris erat generis piaculare sacrificium illud, quod ad solennitatem expiationum demum hirco fiebat. De primo genere, quod ad publica pertinebat sacrificia, satis dictum est.

[27] *Privata &c. Maimonides ibidem*. Secundum genus est quo sacrificium pro homine privato dividatur in quinque partes, quarum prima est, qua homo obligatur ad sacrificium propter aliquod opus ab ipso factum aut verbum ab ipso prolatum. Secunda quia tenetur ad sacrificium in casum quendam, qui corpori ipsius accidit. Tertia qua ad sacrificium obligatur ob casum, qui bonis ipsius accidit. Quarta, qua tenetur dum advenerit certum tempus. Quinta qua tenetur ad sacrificium propter modum vovendi. *Abarbanel ibidem*. Alterum genus. Erat sacrificiorum privatorum, cui partes subjectæ quinque fuerant; erat una, si privatus homo ideo quod fecerat quidpiam, aut dixerat, sacro astringeretur; altera si privatus homo obstringeretur sacrificio propter causam, quæ in corpore hominis ipso inesset; tertia, si privatus homo alligaretur sacro ob causam aliquam, quæ in ejus re familiari extitisset; quarta, si privatus homo sacro alligaretur; propterea quod certum quoddam venisset tempus; quinta, si privatus homo sacro se alligasset voto promissoque faciendo, quarum vide nunc sodes explanationem.

[28] *Offerenda ob peccatum &c. Maimonides ibidem*. Prima itaque pars ea est, quam tibi dicam, videlicet quod excidia in Lege memorata sunt triginta sex, sicuti in tractatu Keritot exponitur, atque ex illis tria sunt, ob quæ non tenetur sacrificio privato is qui ex ignorantia peccaverit, ut si quis Agnum Paschalem non paraverit in tempore suo, vel circumcisionem intermiserit, vel blasphemaverit, cujus ratio exponitur cap. II. tractatus Horajoth, & in principio tractatus Keritot. Reliqua triginta tria obligant ad sacrificium expiationis pro peccato, siquis ea ex ignorantia transgressus fuerit, si vero dubitaverit an transgressus fuerit necne, tenetur sacrificio pro reatu dubio, præter eum qui Sanctuarium, ejusdemque res sanctas polluerit, qui non tenetur sacrificio pro reatu dubio, sicuti in principio tractatus Keritot exponitur. Sacrificium vero propter peccatum in ignorantia commissum contra aliquod præceptum hoc erat: siquis Israelita in casu Idolatriæ erraverit, offerat capram anniculam in expiationem pro peccato suo, si is sit Rex, sive Sacerdos unctus, sive idiota e plebe. Si vero quis in Sanctuario, ejusdemve rebus sanctis ex ignorantia peccaverit, agnam offerat, aut capram; at si ob paupertatem suam talem pecudem assequi nequeat, duos columbarum pullos offerat, vel duos turtures, unum in holocaustum, & alterum in ex-

expiationem pro peccato. Et ſi neque hæc animalcula aſſequi poſſit, decimam Ephæ partem offerat, ſicuti lex præſcribit. Porro in hocce ex ignorantia peccato commiſſo nullum eſt diſcrimen, ſive quis ſit Rex, vel Sacerdos unctus, vel plebejus. Si vero quis errore aliquid e reliquis triginta & uno peccatum commiſerit, tum inter perſonas diſcrimen eſt; nam ſi plebejus ſit is qui erravit, quem lex vocat עם הארץ *populum terræ*, tenetur capram offerre, vel agnam in expiationem pro peccato. Si vero princeps ſit ſive Rex quo nemo ſuperior eſt, offerat hircum caprarum. Si Sacerdos unctus ſit, & cum iis conditionibus, quas in tractatu Horajoth capite ſecundo expoſuimus, offerat juvencum in expiationem pro peccato, atque hicce juvencus comburi debet ſecundum Legem, & vocatur *juvencus qui offertur pro omnibus præceptis &c. Abarbanel ibidem*. Erat una ſi privatus homo ideo quod fecerat quidpiam, aut dixerat, ſacro aſtringeretur. Siquis enim feciſſet imprudens contra aliquod Legis edictum, quod pœnam interminaretur exitium, is ſacro piaculari aſtringeretur, idemque cum ambigeret, feciſſet contra necne, ſacrificium pro delicto dubio ac ſuſpenſo faceret, oportebat; neque tamen erat eorum, quæ cum pœna ſanciuntur exitio, omnium eadem ratio. Siquis victimæ Paſchalis immolationem tempore ſuo conſulto prætermiſiſſet, aut præputii circumciſionem, pœna erat exitium; idem hoc ſi neglexiſſet imprudens, ſacrificio piaculari non aſtringeretur, quia enim immolatio victimæ Paſchalis, & præputii circumciſio jubendo ſanciuntur; ſacro autem piaculari, niſi qui contra vetitum aliquod per imprudentiam commiſerat, divina Lex aſtringebat neminem. Nimirum in hanc rem dicitur. *Levit. IV.* 13. *fecerit quod contra mandatum Domini eſt*. Item ſi quis Dei numen maledictis violaſſet, pœna foret exitium, idem ſi feciſſet imprudens, ſacro piaculari non aſtringeretur; eſt enim *Num. XV.* 29., *qui peccaverint ignorantes*; hic autem excluditur impium in divinam majeſtatem maledictum, quod factum quidem certe nullum eſt. Quin etiam qui templum ſacraque polluerat, is, inquam, qui cum eſſet inquinatus, in templum auguſtum introierat, ſacrumve comederat per audaciam, exitio coerceretur, & lueretur imprudentia ſacro piaculari quidem; verum enim huic imprudentiæ generi Legi conſtituitur ſacrum piaculare non illud ſtatum, ſed cum hac exceptione, *qui ſi tenuior eſt, & facultas ejus non ſuppetit*, & quæ ſequuntur. De cæteris autem triginta ſex Legis edictis exitium interminantibus, ſi quis contra unum aliquod feciſſet imprudens, ſacro piaculari aſtringeretur; ſin addubitaret utrum contra quoddam eorum feciſſet, an non, opus eſſet, ut faceret ſacrificium pro delicto dubio ſuſtinendo. Quid vero? Quo tandem ſacrificio expiabatur imprudentia in his edictis cum exitio ſancitis? Maimonides quidem talem in rebus ipſis ponit varietatem, ut ſi Deo vano cultum & honorem imprudens adhibuiſſet aliquis, piaculum faceret hirco anniculo, nec quidquam referret utrum hic aliquis Rex, an unus de multis eſſet, aut Sacerdos unctus; ſin autem per imprudentiam templum ſacraque polluiſſet, vel ove, vel capra piaculum faceret; qui ſi tenuior eſſet, immolaret binis aut turturibus, aut pullis columbinis, quorum altero ſolidum, altero ſacrificium piaculare fieret; ſi vero ne hoc quidem facultates ſinerent, offerret decumam Ephæ ſimilaginis, ſicut explicate declaratur in ſacris literis. At vero de cæteris erroribus cum agitur, in errantibus vult hominibus eſſe differentiam; ut ſi imprudentia eſſet unius de multis, qui fere dicitur apud Scriptores ſacros, *unus de populo terræ*, ſacrum piaculare faceret beſtia fœmina de pecore capirno aut oviarico; ſin eſſet imprudentia principis, aut Regis, qui comprehenditur etiam nomine principis, fieret hirco piaculum; ſin autem imprudentia foret Sacerdotis uncti, ac concurrerent omnes illæ conditiones, de quibus diſputatur capite ſecundo tractatus illius Gemarici, qui eſt de reſponſis & decretis Senatus, ſacrificium piaculare fieret juvenco, qui cremabatur, & juvencus de cunctis officiis neglectis ſacrificandus vulgo vocabatur. Sic his de rebus ſentit Maimonides. Contra R. Levi Gerſomi filius commentariis ſuis in Pentateuchum pugnat in cultu vani numinis eandem, atque in cæteris noxiis eſſe imprudentiæ rationem, ſed illius viri doctrina excellentis, quam hujus ſententia probabilior eſt.

[29] *Ob aliquid quod corpus tangit &c. Maimonides ibidem*. Secunda pars, qua quis ad Sacrificium obligatus eſt propter caſum aliquem, qui in ſua ipſius perſona contigit, ut ſi ſeminifluus ſit, aut Leproſus, vel Naziræus mortuo aliquo pollutus, ſive ſciens, ſive inſciens pollutus eſt, perinde habet; ſub hoc caſu quoque continetur menſtrua & puerpera. *Abarbanel ibidem*. Pars altera fuit, ſi privatus homo obſtringeretur ſacrificio, propterea quod in ejus ipſius corpore obortum eſſet aliquid; cadebat hoc in homines ſex, primum in virum profluvio genituræ, mulieremque profluvio ſanguinis temeratam &c.

[30] *Maris ac fœminæ &c. Maimonides ibidem*. Sacrificium vero, quod Seminifluus, & Seminiflua offerre debebat peracta purificatione, duobus e turturibus fiebat, vel e duobus columbarum pullis, quorum unus in holocauſtum, alter in expiationem pro peccato parabatur. *Abarbanel ibidem*. Primum cadebat in virum profluvio genituræ, mulieremque profluvio ſanguinis temeratam, qui cum luſtrabantur, ſacrificabant par turturum, aut pullorum columbinorum, quorum uno fiebat ſolidum, & altero piaculare ſacrificium.

[31] *Leproſi &c. Maimonides ibidem*. Sed Leproſus duos adducat agnos, unum in ſacrificium pro reatu, atque hoc vocatur אשם מצורע *ſacrificium pro reatu leproſi*, alterum in holocauſtum, in expiationem pro peccato agna offerebatur. Si is pauper eſſet, duos turtures offerebat, aut duos columbæ pullos, unum in expiationem, alterum in holocauſtum, agnum vero in ſacrificium pro reatu. *Abarbanel ibidem*. Deinde in affectum lepris, qui cum convaluiſſet, agnos præbebat duos, unum ad ſolidum, & alterum ad ſacrificium pro delicto, id quod ſacrificium pro delicto leproſi dicitur; item & agnum ad piaculare ſacrificium; idem ſi præ rei familiaris anguſtiis non poſſet, turtures aut pullos columbinos præbebat duos, quorum uno piaculare fiebat, & altero ſacrificium ſolidum, & præterea agnum ad ſacrificium pro delicto.

[32] *Menſtruatæ &c. Abarbanel ibidem*; tum in mulierem menſtrualem, quæ itidem ut mulier profluvio ſanguinis affecta, ſacrificabat par turturum, aut pullorum columbinorum ita, ut eorum altero ſolidum fieret, & altero piaculare ſacrificium.

[33] *Puerperæ &c. Maimonides ibidem*. Puerperæ autem ſacrificium fiebat ex agno anniculo in holocauſtum, & e columbæ pullo aut turture in expiationem pro peccato. Si vero pauper ſit, duos columbæ pullos offerat, unum in holocauſtum, alterum in expiationem pro peccato, & agnum in ſacrificium pro reatu. *Abarbanel ibidem*. Deinde puerpera faciebat agno anniculo ſacrificium ſolidum, & turture, pullove columbino piaculare; quod ſi facultates non paterentur, ferret pullos columbinos duos, unum ad ſolidum, & alterum ad piaculare ſacrificium.

[34] *Polluti a mortuo &c. Abarbanel ibidem*. Poſt, ſi quis Naziræus cum eſſet, ſeſe ſciens aut imprudens funeſtaſſet, offerret æque ac ille, qui factus erat e Lepris ſanus, par turturum aut pullorum columbinorum, quorum altero ſacrificium ſolidum, & altero piaculare fieret, & agnum anniculum, quo fieret ſacrificium pro delicto.

[35] *Proſelyti &c. Maimonides ibidem*. Peregrinus gentilis vero nunquam hac in parte conſiderabatur ut Iſraelita, niſi religionem Judaicam amplexus fuiſſet ſub tribus ſequentibus ritibus, videlicet circumciſione, baptiſmate, & ſacrificio, eodem modo quo Iſraelitæ dum jugum præceptorum in ſe ſuſcipiebant; nam eos circumcidit propheta in Ægypto, quum iis Legem de Paſchate dabat; atque præcipiebat: ne quiſquam præputiatus comederet de iſto; porro ſe quoque baptizarunt in deſerto ante Legis dationem, & holocauſta offerebant, ac pacifica ſicuti ſcriptum eſt Levit 25. 5. וישלח את נערי בני ישראל ויעלו עולות, & poſtea data fuit Lex. Sacrificium vero offerebat Proſelytus e duobus turturibus, vel duobus columbæ pullis conſtans; & hoc colligitur ex eo, quod dicitur Num. 9. 14. & in libro *Siphri* dicitur, quod ſicuti Iſraelitæ non receperunt fœdus niſi tribus, circumciſione ſcilicet, baptiſmate, & ſacrificio, ita quoque neque peregrini abſque his tribus (porro ibidem objicitur,) dicat nonnemo, quemadmodum Iſraelitæ

tæ ad holocauſta, & ſacrificia pacifica obligantur, ita etiam proſelyti; idcirco ſcriptum eſt Num. 15. 3. ועשיתם אשה *& facietis ignitum*; at quibus pecuniis? omnia namque holocauſta cedunt igni, & nihil exinde tibi integrum eſt; neque holocauſtum fieri poteſt niſi e volucribus, videlicet quod non ſint pecuniæ, quibus emunt ſacrificia, & non ſimul ex his aliquam utilitatem caperent, ſed omnino in altare abſumuntur, præter holocauſta ex avibus deſumpta; nam pecudum in holocauſta oblatarum pellis cedit Sacerdotibus; & ut rem paucis expediamus, unam avem adducere nequit; nam in tota Lege non invenimus unam avem offerri, hinc dixerunt, omnes Legis nidi dimidia ex parte ſunt holocauſta, Proſelyti holocauſto excepto, quod totum igni abſumendum erat. *Abarbanel ibidem*. Poſtremo, ſi cultum divinum ſuſciperet extraneus homo, tribus omnino rebus ſimilis & par, cæteris Iſraelitis evadebat, præputii circumciſione, corporis lotione, & ſacrificio, uno & altero videlicet ſacrificio ſolido, quod fiebat duobus aut turturibus, aut pullis columbinis, quippe quod iiſdem rebus ipſimet Iſraelitæ præparati ſunt ad accipiendam Legem divinam; id enim in eo libro, qui *Siphri* eſt inſcriptus ad diſtinctionem illam cui titulus, *mitte tibi viros qui explorent* his verbis diſſeritur. Quod autem *Num.* 15. 14. dicitur; *Tam ſi peregrinatur apud vos alienigena*, hujus ea vis eſt, quemadmodum fœdus cum Iſraelitis factum erat his tribus rebus, circumciſione præputii, corporis lotione, & religione ſacrorum; eodem modo fieri cum alienigena debebat etiam. Dices; cur non igitur, ſicut cum Iſraelitis fœdus ſancitum ſanguine circumciſi præputii, & victimarum pacificarum, ita cum alienigena ſanciebatur? Quia dedocebant hoc verſus ſuperioris inſequentia verba; *& facturus eſt ſacrum igni abſumendum*, quæ ſignificabant, ut talis homo immolaret, quod igni abſumeretur totum ſic, ut nihil prorſus inde percipere fas eſſet; nihil autem erat ejuſmodi, niſi ſacrificium ſolidum quod volucri fiebat; iterum dico, ſi excipias ſacrificium ſolidum, quod volucri fiebat, non erat ut quiſquam unquam ſumtum faceret in ſacrificium, quod in ara totum adoleretur ita, ut nec ulla commoditas inde veniret ſacerdotibus; ſacerdotes enim, ſi ſacrificium ſolidum quadrupede fieret, corium ejus ſaltem auferebant. Toſaphta Sekalim cap. III. 21. Proſelyto non licebat comedere ſacrificia, ſi ſuum nidum non attuliſſet, ſi obtuliſſet vel unum columbum, poterat veſperi edere ſacrificia. Omnes ii, qui ex Lege debebant afferre nidos, dimidium in ſacrificium pro peccato, & dimidium in holocauſtum afferebant, excepto nido Proſelyti, qui quamvis ex debito veniebat, ambo in holocauſtum offerebantur, ſi ſoluiſſet afferre ſuam obligationem ex pecoribus, afferre ei licebat, ſi attuliſſet holocauſtum ex pecoribus propter ſuam expiationem, debito ſatisfaciebat, ſi munera, & libamina, debito non ſatisfaciebat, non dixerunt avium nidum; niſi ad allevandum.

36 *Ob aliquid quod bona tangit &c. Maimonides ibidem*. Tertia pars eſt qua quis ad ſacrificium obligatur ob caſum aliquem qui accidit ipſius bonis, nempe quod decumas pecudum, & primogenita ſpectat, quæ utraque ſimilia ſunt pacificis, niſi quod pecudum decimas comedant poſſeſſores earum Jeroſolymæ, ut decimas ſecundas; primogenitum vero oblatum, ſi perfectum ſit, comedunt ipſum Sacerdotes, ſicuti in tractatu Bechoroth exponitur. Sic etiam ſi quis adduxerit primitias, offerat ſacrificium pacificum, uti ſecundo capite tractatus Biccurim exponitur. *Abarbanel ibidem* Tertia pars erat illud, ſi privatus homo alligaretur ſacro ob cauſam aliquam, quæ in bonis ejus exorriretur; talis erit primogenita, decumaque beſtia, quarum ambarum immolendarum erat ratio eadem, atque victimarum pacificarum, niſi quod beſtia decuma comederetur Jeroſolymæ a domino item ut decumæ ſecundæ; & primogenita ſi ſana & integra foret immolaretur, ac comederetur a Sacerdotibus, ſicut demonſtratur tractatu illo Gemarico, qui eſt de primitiis animantium; atque etiam, ſicut ibidem traditur, fructuum primitiæ cum offerrentur, fiebat una ſacrum pacificum.

37 *Ob certum tempus &c. Maimonides ibidem*. Quarta pars eſt, qua quis ad ſacrificium obligatur, dum advenerit certum aliquod tempus; nempe in tribus feſtis; nam quilibet Iſraelita in omni feſto ſolenni tenetur offerre holocauſtum, atque hoc vocatut עולת ראיה *holocauſtum apparitionis*. Cæterum ſacrificium pacificum & id quod vocatur חגיגה *Chagiga* eo quod ſcriptum eſt *Deut.* 16. 15. תחוג ליהוה אלהיך. Præterea aliud ſacrificium pacificum offerebatur præter *Chagigam*, quod vocabatur שלמי שמחה *pacifica lætitiæ, de quo ſcriptum eſt Deut.* 16. 14. ושמחת בחגך. Cæterum jam ſtricte expoſuimus horum trium ſacrificiorum ſenſum, & quinam ad ea obligantur, quomodo, quo tempore, capite primo, & ſecundo tractatus *Chagiga*; Et hæc omnia omnino ex debito offeruntur, videlicet ſacrificium apparitionis coram Domino, Chagigæ, & lætitiæ. Verum ſacrificia pacifica diei decimi quarti menſis Niſan, quæ a privatis hominibus offerebantur ſimul cum ſacrificio Paſchali, de quo ſcriptum eſt *Deut.* 16. 2. וזבחת פסח ליהוה אלהיך צאן ובקר. Quæ ſacrificia ſunt ſpontanea, ſicuti expoſuimus capite ſexto Peſachim. Quod autem Gemara Chagigam vocat ſacrificium cœtus, id factum eſt, quia univerſus cœtus id offerebat; ego vero illa in tres partes ſacrificiorum pro privatis retuli, eo quod quiſque privatus ea pro ſe offerebat, & ſabbathum non pellebant neque immunditiem. *Abarbanel ibidem*. Quarta pars erat ſacrificiorum, quibus homo privatus aſtringebatur ad tempus conſtitutum; erant tria in anno ſtata tempora feriata, quibus ſingulis ſinguli Iſraelitæ ad diem maxime feſtum & Deo ſacrum juſſi fuerant primum facere ſacrificium ſolidum, id quod dicebatur ſacrificium ſolidum ejus, qui ſeſe Deo in conſpectum daret; dein & ſacrificia pacifica, quæ ſacrificia ſolennia vocabantur, quo ſpectat illud quod præſcriptum eſt *Deut. 16. 15. Septem diebus Domino Deo tuo feſta celebrabis*; tum præter ſacrificia pacifica illa ſolemnia juſſi fuerant & alia facere ſacrificia pacifica, quæ vulgo dicebantur ſacra pacifica hilaritatis, de quibus ibidem verſu proxime ſuperiori verba habentur iſta; *& epulaberis in feſtivitate tua*; hæc autem ipſa ſacra ut ab aliis plura fierent, & ab aliis pauciora, item a quibus, quomodo, quando ea conficijus eſſet, primo & ſecundo capite tractatus illius Gemarici de ſacrificiis ſolennibus copioſe diſputatur. Atque hæç tria fieri neceſſe erat, ſolida, inquam, ſacrificia eorum, qui Deo apparebant, ſacrificia pacifica ſolennia, & ſacrificia pacifica hilaritatis: illud ſolutum erat & liberum ut decima & quarta die Menſis Niſan pridie Paſchæ quiſque faceret ſacrificium pacificum ſolenne, de quo ſcriptum legitur *Deut. 16. 2. Immolabiſque Phaſe Domino Deo tuo de ovibus & de bobus*, ſicut demonſtratur capite ſexto tractatus Gemarici qui eſt de ſacris Paſchalibus. Quod ſacrificium ſolenne ſi vocetur in Gemara ſacrificium publicum, cauſa & ratio eſt, quia fiebat ab univerſa multitudine; ego vero illud hic adſcripſi privatorum ſacrificiorum numero, quippe quod & a ſingulis ſeorſim fiebat, nec Sabbathum elevabat, aut inquinamentum.

38 *Ob votum vel promiſſum &c. Maimonides ibidem*. Quinta pars eſt, qua obligatur ad ſacrificium propter votum, ſi e. g. quis Naziræatum voverit pro tempore, vel votum aliquod fecerit. Si igitur qui ſe ad Naziræatum obſtrinxerit pro tempore, tum offerat ſacrificium purificationis, quum tempus illud adimpletum fuerit, nimirum agnum anniculum in holocauſtum, agnamque anniculam in expiationem pro peccato, & arietem in ſacrificium pacificum. Alterum autem genus, quod vocatur נדר, ſe habet hoc ſenſu, ſi dixerit, *promitto holocauſtum, vel promitto pacificum*. Sed נדבה hoc eſt, ſi quis voverit, manum ſuam præſenti animo imponat animali, *hoc ſit holocauſtum, vel hoc ſit pacificum*. Differunt autem נדר & נדבה in aliquibus; nam ſi quis נדר voverit, & ſacrificium iſtud perierit, tenetur ad reſtitutionem illius, at non ita ad נדבה. Cæterum תודה, *ſacrificium Euchariſticum* eſt ſi dixerit, *en ſuper me ſit ſacrificium Euchariſticum*, atque hoc idem eſt cum קרבן שלמים *ſacrificio pacifico*, & cum eo venit מנחה, *donum*, ut in tractatu Menachoth exponitur. Ex iis igitur quæ tibi dixi, manifeſtum erit neminem in נדר, neque in נדבה vovere poſſe ſacrificium expiationis pro peccato, neque ſacrificium pro reatu, ſed holocauſtum vel pacificum duntaxat, quod e volucribus & pecude fiebat. Sic etiam tibi dixi, quod volucribus non fiunt ſacrificia pacifica; atque hæc omnia ſunt ſacrificia a privatis offerenda, quæ

neque jura ſabbathi violant , neque immunditiem elevant . *Abarbanel ibidem* . Quinta pars erat ſacrificiorum illorum , quibus ſe homo privatus alligabat voto promiſſoque faciendo , ut ſi quis Naziræatum voviſſet in certum tempus , tempore exacto , faceret agno anniculo ſacrificium ſolidum , & piaculare ſacrificium ove annicula , & ariete ſacrificium pacificum . Atque ſimplex & abſolutum ſacrificii votum concipiebat , qui univerſe diceret , *recipio in me ſacrificium ſolidum* , recipio in me ſacrificium pacificum ; promiſſum autem faciebat qui animantem propriam quamdam deligeret , ei manum imponeret , ſimul ita diceret , *hac ego ſacrificium ſolidum* , *hac ego ſacrificium pacificum fieri volo ;* fuit igitur , ut alio loco jam expoſui , hoc diſcrimen inter votum & promiſſum , qui teneretur illo , rei nuncupatæ damnum præſtabat ſcilicet , qui hoc , non item ; nec vero cuiquam , ut ante demonſtravi , vel vovere licebat , vel promittere ſeu ſacrificium piaculare , ſeu ſacrificium pro delicto ; ſacrificium ſolidum , atque pacificum demum ex voto promiſſoque fiebant ; & illud quidem volucri pariter , & quadrupede ; hoc autem volucri , quemadmodum ſupra poſui , fiebat nunquam. Explicavi univerſa ſacrificia privata , de quibus erat genus alterum , quorum omnium una ratio communis erat , ut nec ſabbathum , nec inquinamentum elevarent .

39 *Publica , ſed privatis &c. Maimonides ibidem* . Tertium genus continet ſacrificium a cœtu offerendum , quod ſacrificio pro privatis aliquo modo ſimile eſt , nimirum , ſi Synhedrium magnum erraverit , & & de induſtria rem illicitam pronunciaverit licitam , tum tenetur pœna excidii ; ſi vero ex ignorantia peccaverit , tenetur ſacrificio expiationis fixo , & quum cœtus fecerit ex dicto ipſorum , ſicuti exponitur in tractatu Horajoth , is tenetur ſacrificio expiationis pro peccato . Et ſi hoc in caſu Idolatrico factum ſit , tenetur holocauſto e juvenco , & ſacrificio pro peccato ex hirco caprarum ; & ad huncce juve cum & hircum tenentur omnes Iſraelis Tribus , uti in tractatu Horajoth expoſitum eſt . Hi autem hirci comburebantur , eo quod ſunt ſacrificium expiationis pro peccato cœtus ; & de juvenco pro re occulta offerendo dicit Lex , quod is comburendus ſit Levit. 4. 21. חטאת הקהל , ad hoc in Siphra dixerunt , hoc omnium reliquorum ſacrificiorum pro cœtus peccatis præcipuem eſt ac veluti pater , quod comburendum eſt , atque hi peccata expiantes hirci vocantur שעירי עבורה זרה *hirci Idolatriæ* , ſive hirci pro Idolatriæ peccatis offerendi , quia Synhedrium eos offerebat pro errore Idolatrico . Si vero in cæteris Synhedrium erraſſet præceptis , uti expoſitum eſt in Codice Horajoth , tenetur juvenco in ſacrificium pro peccato , atque is vocatur *juvencus pro re occulta ;* Nam Levit. 4. 13. dicitur , ונעלם רבר , ſed in aliquibus locis vocatur *juvencus qui venit pro omnibus præceptis* . Lex vero de iſto dicit quod comburi debet , & ad eumdem offerendum tenentur omnes Tribus , ſicuti in tractatu Horajoth exponitur . Et propterea hæc genera retulimus inter ſacrificia cœtus , & quod ſcriptum eſt de ipſo Levit. 4. 14. והקריבו הקהל . Et Num. 15. 24. ועשו כל הערה , & verſu 25. וכפר הכהן על כל עדת בני ישרשל , & ibid. verſu 26. ונסלח לכל עדת בני ישראל . Et hoc ſimile eſt ſacrificio pro peccato offerendo , etenim ſabbathum non violat , nec immunditiem elevat , quemadmodum ſacrificium quod pro privatis offertur . *Abarbanel ibidem* . Tertium genus complectebatur ſacrificiorum privatorum ea , quæ publicis ſacrificiis ſimilia erant ; nam ſenatus ſupremus ſi per errorem facere licere reſpondiſſet id , quod admiſſum per audaciam exitio , & per imprudentiam ſacrificio piaculari luebatur , idque maleficium populus illius reſponſo & decreto in errorem inductus factitaſſet , non hic , quemadmodum traditur in tractatu illo Gemarico , qui *reſponſa ſenatus* inſcribitur , ſed ille ſacro piaculari aſtringeretur . Senatus igitur in dijudicando cultu vani numinis cum erraſſet , error requirebat , ut juvenco ſacrificium ſolidum , & hirco ſacrum piaculare fieret , atque hoc ut fieret ab unaquaque Tribu . Hirci iſti videlicet igni abſumebantur omnes , quippe cum eſſent piaculum univerſorum ; namque juvencus ob errorem ſacrificandus igni cremabatur juſſu Dei immortalis , & idem Dei immortalis oraculo piaculum eccleſiæ nominabatur ; atqui , uti dicitur in libro *Siphra* inſcripto , piaculorum , quæ ab univerſo cœtu fiebant , omnium communis erat iſta Lex , ea ut igni cremarentur . Atque hirci illi , quoniam iis piacularia fiebant , propterea quia ſenatus in decernendo de cultu vani numinis erraverat , hirci Idolatriæ paſſim appellantur . Idem ille ſenatus ſi de cæteris officiis reſpondens erraſſet , error requirebat , ut juvenco ſacrum piaculare fieret ; atque hic eſt iſte , qui juvencus ob errorem Eccleſiæ dicitur , quia enim in principio capitis , ubi ſancitur , uſurpatur hoc verbum *per errorem* ; & idem nonnumquam juvencus de cunctis officiis ſacrificandus appellatur ; hic ut igni cremaretur , Lege ſancitum eſt , & ut ab unaquaque tribu ſacrificaretur , jus erat ; id adeo cauſæ eſt , cur hoc genus ſacrificiorum numeretur etiam in ſacrificiis publicis , etenim hoc de genere verba habentur iſta . *Levit.* 4. 14. *Eccleſia præbento* . Et *Num.* 15. v. 24. 25. 26. *multitudo offeret vitulum &c. & rogabit ſacerdos pro omni multitudine filiorum Iſrael &c. Et dimittetur univerſæ plebi filiorum Iſrael* . Verum idem habetur in ſacrificiorum privatorum numero , quia ſacrificia privata imitabatur eatenus , ut nec Sabbathum nec inquinamentum elevaret .

40 *Privata ſed quæ &c. Maimonides ibidem*. Quartum genus eſt privatorum ſacrificiorum , quæ publicis aliquomodo ſimilia ſunt ; nam ſacrificium Paſchale quarto decimo die menſis Niſan mactabatur a quolibet Iſraelita , ſicuti in tractatu Peſachim expoſitum eſt . Pariter juvencus expiatorius , & aries holocauſticus , qui offerebatur a Pontifice maxime die expiationis , quemadmodum dicitur *Levit.* 16. 3. cæterum in tractatu Joma jam expoſitus eſt omnium ordo , atque ea quæ de combuſtione Juvenci in Lege conſignata ſunt . Et hoc genus quodammodo ſimile eſt ſacrificio cœtus ſive publico , eo quod Sabbathum violat , & immunditiem elevat , eo quod nobis hypotheſis eſt , quod nullum ſacrificium , cui tempus fixum eſt , violet jura ſabbathi , vel immunditiem elevet . Ne autem erres in ſenſu *Chagigæ* , quia per omnes ſeptem dies offerri poteſt , atque etiam in feſto Pentecoſtis exhiberi poteſt omnes ſeptem dies , quemadmodum in tractatu *Chagiga* exponitur , & propterea neque Sabbathum elevat neque immunditiem . Quando omnia ſacrificia enumeraveris , invenies quod nullo in ſacrificio cœtus inveniatur genus fœmineum , neque in ſacrificiis privatis , quæ his ſimilia ſunt . Neque ullum eſt cœtus ſacrificium expiatorium , quod comburendum eſt , niſi hircus diei expiationis , qui hirci emiſſarii ſocius erat , ut & hirci pro Idolatria offerendi , ac juvencus pro re occulta . *Abarbanel ibidem* . Venio nunc ad quartum genus ſacrificiorum , quo revocantur ſacrificiorum privatorum illa , quæ publicorum referebant ſimilitudinem , talis erat victima Paſchalis , quam quiſque mactabat ad decimam & quartam diem menſis Niſan , de quo fuſe diſputatur in tractatu Gemarico , qui eſt de ſacris Paſchalibus ; tale porro cum piaculum juvenco , tum ariete ſacrificium ſolidum a ſummo ſacerdote faciendum ad ſolennem expiationum diem , de quo ſcriptum legimus *Levit.* 16. 3. *Vitulum pro peccato offeret* , & reliqua ; hujus enim juvenci exuſtio ſimilitudinem ſacrificii publici referebat , ut quæ ſabbathum & inquinamentum elevaret ; ſed cuicumque ſacrificio non erat præſtitutum tempus certum & ratum , id non elevabat neque ſabbathum , neque inquinamentum . Ac ne quem forte decipiat ratio ſacrificiorum ſolennium , hæc obire per totam hebdomadam ; immo enim ſacrificia ſolennia , quæ ad Pentecoſten fieri jus erat , illa etiam ipſa per univerſam hebdomadam inſtaurare licebat ſic , ut docetur tractatu Gemarico de ſacris ſolennibus , & eam ob cauſam nec Sabbathum nec inquinamentum elevabant .

50 *Quibuſcum quoniam holocauſta &c. Maimonides ad cap. V. Sevachim*. קרשי קרשים *ſancta ſanctorum* , ita vocantur holocauſta , expiatio pro peccato , & ſacrificium pro reatu . Lex vero de ſacrificio pro peccato & reatu dicit , קרשי קרשים . Et holocauſtum includimus , eo quod aſſimilatur ſacrificio pro peccato & pro reatu in mactatione & exceptione ſanguinis , quemadmodum exponetur . Locus vero holocauſti mactandi hiſce verbis deſcribitur *Levit.* I. 11. *Immolabitque ad latus altaris quod reſpicit ad aquilonem* . Et de ſacrificio pro peccato dicitur *Levit.* 4. 33. *& immolabit eam in loco , ubi ſolent cædi holocauſtorum hoſtiæ* . Et de ſacrificio pro reatu ſcriptum eſt

est *Levit. 7. 2. Idcirco ubi immolabitur holocaustum immolabitur & victima pro delicto*. Ad hæc dixerunt sapientes, hæc res principalis est pro omnibus sacrificiis expiatoriis ut ad septentrionem duntaxat mactentur.

[51] *Cumque iis etiam &c. Bartenora ad cap. V. 5. Sevachim*. Cæterum de sacrificiis pacificis cœtus scriptum est prope sacrificium pro peccato, Levit. 23. 19., ut eo nos doceat, quod pacificorum jus simile sit sacrificii pro peccato, nempe quod intra cortinas duntaxat comedi debent, atque a sacerdotibus masculis; attamen sanguis quater spargi non debet, ut sacrificii pro peccato; nam inter omnia sacrificia non est ullum, quod quatuor habet sparsiones, nisi sacrificium pro peccato tantum. *Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. V. 3.* Porro pacifica publica cum hostia pro peccato comparantur hoc Legis edicto, *Facietis & hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum*. *Levit. 23. 19.* Itaque & illa itidem, ut hostia pro peccato, sanctissima erant, & eodem atque illa loco jugulabantur. *Et ibidem cap. IX. 4.* Pacifica Ecclesiæ ita fiebant, jugulabantur, & aspergebatur sanguis ita, ut ante dictum est, detrahebatur inde pellis, atque eximebantur exta, quæ aspersa sale adolebantur; reliqua a sacerdotibus masculis in atrio comedebantur itidem, ut hostia pro peccato, & hostia pro delicto, quippe quæ erant sanctissima, ut supra diximus. *Et ibidem cap. X. 3.* Hostia pro peccato & hostia pro delicto & festorum reliquiæ non comedebantur nisi a sacerdotibus masculis, qui erant in atrio. Quæ cum comederentur, in ipso templo comedebantur, scriptum est enim: *Sacrificium & quicquid pro peccato atque delicto......in Sanctuario comedes illud; mares tantum edent ex eo. Num. 18. 10.* Jam sacrificia pacifica Ecclesiæ erant instar hostiæ pro peccato, & hostiæ pro delicto, sicut antea posuimus.

[52] *Sacrificia &c. Codex Sevachim cap. V. 2. --- 5.* Juvencorum, qui comburi debent, atque hircorum qui comburi solent, jugulatio fit in aquilone, & acceptio sanguinis eorum in vasis ministerii in aquilone &c. Peccatorum totius cœtus, & unici, ista autem sunt peccata seu sacrificia pro peccatis cœtus, Hirci noviluniorum, & festorum solennium mactatio in aquilone fit, atque acceptio sanguinis eorum in vasis ministerii in aquilone &c. Holocausti, & sancti sanctorum mactatio fit in aquilone, atque acceptio sanguinis ejus in vasa ministerii in Aquilone &c. Sacrificiorum pacificorum cœtus, & delictorum (delicta vero ista sunt hæc, delictum rapinæ, delictum prævaricationum, delictum ancillæ cum probro dimissæ, delictum Naziræi, delictum leprosi, delictum dubium) mactatio fit in septentrione, & acceptio sanguinis in vasis ministerii in septentrione. *Maimonides ibidem cap. V.* 3. Jam victimas sanctiores non esse jugulandas nisi ad latus altaris aquilonare, inde concluditur, quod de holocausto scriptum videmus, *immolabitque ad latus altaris quod respicit ad aquilonem. Levit. I. 11.* & de hostia pro peccato dicitur, *in loco ubi mactatur holocaustum, mactabitur hostia pro peccato, ibid. 6. 25.* atqui ut hæc, sic & illud sanctius appellatur. Porro & de hostia pro delicto scriptum est; *ubi immolabitur holocaustum, mactabitur & victima pro delicto*. Ibid. 7. 2. Porro pacifica publica cum hostia pro peccato comparantur hoc Legis edicto; *facietis & hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum*. Ibid. 23. 19. Itaque & illa itidem ut hostia pro peccato sanctiora erant, & eodem atque illa loco jugulabantur.

[53] *Sacrificia minus Sancta &c. Codex Sevachim cap. V. 6---8.* Sacrificiorum Eucharisticorum & arietis Naziræi, quæ sunt Sancta Levia, mactatio fit quolibet atrii loco &c. Sacrificiorum pacificorum, quæ sunt Sancta levia, mactatio in quolibet atrii loco (fieri solet) &c. Primogeniti, Decimarum, Paschatis, quæ sunt Sancta Levia, mactatio ubique in atrio fit &c. *In quem locum ita Bartenora*. Mactatio eorum fieri potest in omni atrii loco; tres Legis Sectiones de Pacificorum mactatione loquuntur, una de jumento, altera de agno, tertia de capra, de jumento dicitur Levit. 3. 2. ושחטו אתו פתח אהל מועד; de agna & capra dicitur Levit. 3. 8. לפני אהל מועד ad omnia atrii latera legitima dicenda, nam antea intelligitur omnis locus ante היכל *palatium*. *Maimonides ibidem cap. V. 4.* Quod autem victimas minus sanctas per atrium totum etiam post templum jugulari licebat, inde efficitur quod de Pacificis ita præcipiatur: *immolabitur introitu tabernaculi Testimonii*. Levit. 3. 2. quo loco quoniam nulla potissimum plaga his victimis decernitur permittuntur omnes. Eadem erat reliquarum minus Sanctarum ratio. Quæ si templo in ipso jugulatæ fuissent, idoneæ tamen essent; verum enim in templi tecto jugulatæ vitiosæ forent, nam ad jugulationem tectum nullum, sed unum atrii solum erat idoneum. Pacifica si jugulata fuissent, antequam referatæ fuerint templi fores, vitiosa forent. Nam quod est a Lege, dicitur, *Introitu Tabernaculi Testimonii*, hujus est ea vis, ut tabernaculi sit apertum ostium; Itaque si fores ei vel obditæ fuerint, pro obserato habebatur, at oppositum ei velum, nihil vitiabat.

[54] *Pelles erant Sacerdotum &c. Tosaphta Sevachim cap. XI. 7---20.* Holocaustum totum Deo offerebatur, & pelles dabantur Sacerdotibus; Sanctissimorum sanguis & adipes altari, & pellis & caro dominis. Regula generalis est; omne quod habebat carnem, habebat pellem, & omne, quod non habebat carnem, non habebat pellem, excepto holocausto, in quo explicat textus; *Sacerdos qui offert holocausti victimam habebit pellem ejus*. Levit. 7. 8. Si mactasset extra tempus, aut extra locum suum, cum jus nullum altare habuisset in ejus carne, non poterant Sacerdotes ejus pellem acquirere. Holocausti Sanctitatis pellis non erat Sacerdotum; verba R. Jehudæ; & Sapientes dicunt, ejus pellis erat Sacerdotum; R. Jose filius R. Jehudæ addit etiam holocaustum Proselytorum, mulierum, & servorum, quia textus facer dicit, *holocaustum viri*; illos excludit; ei dixerunt; nonne dictum est, *Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem ejus*? Igitur cur dictum est *holocaustum viri*? Nisi quod holocausti, quod viro ascendit, pellis erat Sacerdotum, sed holocausti, quod viro non ascendit, pellis non erat Sacerdotum. Si mactasset, neque excoriasset, neque tempus habuit aspergendi sanguinem donec pollutus fuerit sanguis, sanguis aspergendus erat, & pellis & caro erant interdictæ, si sparsus erat sanguis, pellis & caro licitæ erant. Si mactasset, & non excoriasset, neque habuisset tempus aspergendi sanguinem, donec inquinatum sit sacrificium, pellis reproba est, si excoriasset, & inquinata esset pellis, & deinde aspersisset sanguinem, pellis licita est, verba Rabbi: R. Simeon dicit pellis reproba est. Si mactasset, & non excoriasset, si aspersisset sanguinem, & deinde pollutum esset sacrificium, pellis interdicta est, R. Eliefer filius R. Simeonis dicit, excoriabit pellem. Si mactasset, & excoriasset, & aspersisset sanguinem, & deinde inquinatum fuisset sacrificium; omnes sentiunt pellem esse licitam. Si mactasset, & non excoriasset, neque tempus habuit aspergendi sanguinem, donec exiit (*sc. extra atrium*) sanguis; aut mactasset, & excoriasset, & non habuit tempus aspergendi sanguinem, donec exiit; sanguis spargetur, pellis & caro reprobæ sunt; & quamvis aspersisset sanguinem, pellis & caro interdictæ sunt. Si mactasset, & non excoriasset, neque tempus habuit aspergendi sanguinem, donec exiit sacrificium (*scil. extra atrium*) pellis vetita est; Si mactasset, & excoriasset, & exiit sacrificium, & deinde aspersisset sanguinem, pellis licita est, verba Rabbi. R. Eliefer filius R. Simeonis dicit, pellis interdicta est. Si mactasset, & non excoriasset; & aspersisset sanguinem, & postea exisset sacrificium, pellis interdicta est, verba Rabbi. R. Eliefer filius R. Simeonis dicit, excoriabit pellem cum carne; si mactasset, & excoriasset, & aspersisset sanguinem, & deinde exisset sacrificium, omnes sentiunt pellem licitam esse. Si mactasset, & non excoriasset, & tempus non habuit aspergendi sanguinem, donec pernoctaverit sanguis; aut mactasset, & non excoriasset, & tempus non habuit aspergendi sanguinem, donec pernoctaverit sanguis, sanguis spargetur, pellis & caro interdictæ sunt, & quamvis sparsus esset sanguis, pellis & caro reprobæ sunt. Si mactasset, & non excoriasset, & tempus non habuit aspergendi sanguinem, donec pernoctaverit Sacrificium, pellis vetita est; si mactasset, & non excoriasset, & pernoctavit sacrificium, & deinde sparsit sanguinem, pellis interdicta est, verba Rabbi. R. Eliefer filius R. Simeonis dicit, excorianda

da est pellis cum carne. Si mactasset, & excoriasset, & aspersisset sanguinem, & deinde pernoctavit sacrificium; omnes sentiunt, pellem licitam esse. Rabbi dicit; Sanguis permittit pellem seorsum, quando conjuncta est cum carne; si profanatio aliqua in eo accidat seu ante, seu post sanguinum aspersionem, is ipsi similis est. R. Eliefer filius R. Simeonis dicit, non sanguis permittit pellem seorsum, quando illa cum carne est, pro ea sparsus esset sanguis, una hora permittitur; idcirco si ei reprobi aliquid contingat, etiamsi post aspersionem sanguinum, una cum carne pellem excoriabit. Ab initio introducebant pelles Sanctitatum in conclave loci Parvæ, & vesperi distribuebant singulis familiis, quæ in eo die ministrassent; sed principes sacerdotum veniebant, & sibi eas violenter capiebant; jusserunt deinde, ut vigilia Sabbathi cuicunque custodiæ distribuerent; sed etiam accidebat, ut principes Sacerdotii sibi violenter eas caperent; surrexerunt domini, & Deo eas sanctificarunt. *Maimonides ibidem cap.* V.! 20. Victimarum sanctiorum seu publicarum seu privatarum pelles Sacerdotum erant; scriptum est enim: *Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem ejus*; victimarum autem minus sanctarum pelles redibant ad dominos. Porro cujus holocausti carnem altare non obtinebat, ejusdem nec pellem consequebantur sacerdotes. Nimirum istis Legis vocibus *Holocaustum viri*, hæc est subjecta sententia, id demum holocaustum, quo vir litatur. In quibuscunque victimis sanctioribus vitium oboriretur ante, quam pelle fuissent exutæ, pelles sacerdotum non erant, contra si postquam pelles detractæ fuissent. Jam pelles omnes inter se viri curiæ ministrantis dividebant ad quamque Sabbathi vigiliam. Siquis holocaustum suum refectioni templi consecrasset, item & siquis universa bona sua dedicasset, & in his essent animantes mares, quos jus erat holocausta fieri, eorum pelles neutiquam Sacerdotum erant. Namque dictum illud, *holocaustum viri*, excludit holocaustum ærarii sacri; Itaque pelles istæ veniebant in sumtus reficiendi templi. Atqui in ratione holocausti uno & eodem loco habebantur vir & mulier, & gentilis & servus, horum omnium holocaustorum pelles Sacerdotum erant; Namque dictum illud, *viri*, nisi sacrum ærarium excludit nihil.

[55] *Exceptis illis &c. Tosaphta ibidem. cap.* XI. 4. In omnibus sacrificiis, quorum sanguis intus ferebatur, Sacerdotes nullam partem habebant; sed sanguis & adipes erant altaris, pellis & caro educebantur ad locum combustionis.

[56] *Sanctissimis quoque &c. Sacrificia, quibus vesci non licuit, erant juvencus diei expiationum, juvencus qui offertur pro omnibus præceptis, juvencus pro re occulta, hircus diei expiationum, & hirci pro idolatria commissa offerendi; Hæc omnia una cum pelle comburebantur.*

[57] *Aut solis Sacerdotibus &c. Tosaphta Sevachim cap.* VI. 12. Ubinam hæc omnia sacrificia comedenda erant? Sacrificium pro peccato, & pro delicto, & sacrificia pacifica cœtus, & sacrificium volucris pro peccato, & sacrificium pro delicto dubio, & logus olei leprosi, & duo panes frumenti novi, & panis facierum, & reliquiæ munerum, & manipulus, cuncta erant Sanctitates Sanctitatum, & comedenda erant intra cortinas, & edenda erant a Sacerdotibus masculis quovis modo ciborum una die & una nocte usque ad noctis dimidium; nemo residui causa pro iis reus erat, nec intentione reddebantur abominanda, nisi ascenderet columna auroræ, & distribuebantur Sacerdotibus tam perfectis quam maculatis. *Maimonides ibidem cap. X.* Præceptum est jubens ut comedatur hostia pro peccato, item & hostia pro delicto; scriptum est enim, *comedent ut sit placabile sacrificium. Exod.* 29. 33. nempe comedebant Sacerdotes, & expiabantur domini. Eadem ratione sacrificia reliqua, quæ a Sacerdotibus comedebantur, ut comederentur, præceptum erat. Item præceptum est jubens, ut reliquiæ fertorum comedantur, scriptum est enim; *reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis. Levit.* 6. 16. Hostia pro peccato, & hostia pro delicto, & fertorum reliquiæ non comedebantur nisi a Sacerdotibus masculis, qui erant in atrio. Quæ cum comederentur, in ipso templo comedebantur, scriptum est enim: *Sacrificium & quicquid pro peccato atque delicto .... In sanctuario comedes illud, mares tantum edent ex eo. Num.* 18. 9. 10. Jam sacrificia pacifica Ecclesiæ erant instar hostiæ pro peccato, & hostiæ pro delicto, sicut antea posuimus.

[58] *Verum sacrificiis &c. Tosaphta Sevachim ibid.* Primogenitum, & ablatum a Sacrificio Eucharistico, & aries Naziræi edi poterant a viris, a mulieribus, a servis, & abancillis; regula generalis hæc est; omnes, qui comedere poterant primitias, poterant etiam ex his rebus comedere; & omnes qui de oblationibus edere non possunt, ex his rebus comedere non possunt. Pacifica, & decima, & undecima ex decima comedi poterant duobus diebus, & nocte una, die uno, & ejus nocte, & die postero, & quando advesperascebat, residui causa pœna pro iis tenebantur, & intentione abominanda reddebantur, nec nisi die comburebantur; & semper dies sequitur noctem; & cum sermo habetur de comestione sanctitatum, nox sequitur diem. *Maimonides ibidem cap. X.* 4. Pacificorum pectus & femur comedebantur a Sacerdotibus maribus juxta atque fœminis; nam ad illa spectat id quod scriptum legimus, tibi dedi & filiis tuis, ac filiabus tuis. *Num.* 18. 11. Item & quicquid demebatur de sacrificio Eucharistico, & de ariete Naziræi, scriptum est enim: *omnes oblationes Sanctuarii, quas offerent filii Israel Domino, tibi dedi & filiis, ac filiabus tuis. Ibid. vers.* 19. Eadem ratio erat animantium primogenitarum, de quibus scriptum videmus; *carnes vero in usum tuum cedent sicut pectusculum consecratum & armus dexter. Ibid.* 18. 18. Jam quæcumque comedebantur a Sacerdotibus fœminis, comedebantur & a Sacerdotum servis, atque etiam ab horum servorum uxoribus item ut oblatio prima. Porro hæc omnia comedebantur in urbe tota, scriptum est enim; *Pectusculum quoque quod oblatum est, & armum qui separatus est, edetis in loco mundissimo. Levit.* 10. 14. non dicitur in loco sancto, quod esset atrium, sed *mundissimo* quod erat universa Israelitarum castra, quibus postmodum respondebat urbs Hierosolyma. Eadem erat ratio decimarum, & agni Paschalis, quippe quæ itidem, ut pacifica erant sacrificia minus sancta. Jam fenestræ & mœnium spissitudo pro interiori spatio putabantur.

[59] *Exceptis Sacrificiis &c. Codex Sevachim cap. V.* 8. Primogenitum editur a Sacerdotibus; decimæ vero ab omnibus hominibus. *Maimonides Biccurim cap. I.* 10. Quinque illa Hierosolymis tantum licita, leviora sancta sunt, permissaque & maribus & fœminis, de quibus extat; *Primitias autem, quas voverint, & obtulerunt filii Israel, tibi dedi & filiis tuis, ac filiabus tuis. Num.* 18. 11. Etiamsi autem ita res se habeat, illa tamen solis maribus Sacerdotibus tradebatur, quoniam ad viros custodiæ pertinebant; sic de primogenito pinguedo & sanguis offerebatur, nec alius, quam vir ea offerebat.

[60] *Gradus Sanctitatis &c. Tosaphta Sevachim cap. X.* 1. Quicquid altero frequentius est, id etiam alterum præcedit, & quicquid altero sanctius est, præcedit alterum; juvencus Sacerdotis uncti, & juvencus cœtus, qui una ibi existerent, juvencus uncti præcedit juvencum cœtus in omnibus suis operationibus; etenim Sacerdos unctus expiabat, & cœtus expiabatur; satius est, ut præcedat id, quod expiabat, illud quod expiabatur juxta versiculum qui dicit; *ut roget pro se & pro domo sua, & pro universo cœtu Israel. Levit.* 16. 17. Juvencus qui offerebatur pro omnibus præceptis, præcedit hircos congregationis, & hirci congregationis præcedunt hircum principis, & hircus principis præcedit capram privati, & capra privati præcedit agnam privati. *Maimonides de sacrificiis jugibus & addititiis cap. IX.* 2. Quod sacrificium usu frequentius, id & ordine prius erat. Et quod sacrificium sanctius esset, id quoque erat ordine prius; nam si sacrificium usu frequentius, & sacrificium sanctius adessent, utrumvis horum alteri præferre licebat. Si per nefas aut oblivionem victima minus usitata, aut minus sancta fuisset jugulata prior, eadem prorsus sacrificaretur, post demum jugularetur victima magis usitata, aut magis sancta. Quæ si fuissent simul una jugulatæ, alterius victimæ sanguis agitabatur, donec victimæ magis usitatæ, magisque sanctæ sanguis sparsus esset. Sanguis hostiæ pro peccato anteibat sanguini holocausti; nam sanguis hostiæ pro peccato expiabat; membra holocausti anteibant membris hostiæ pro peccato, quia holocaustum igni absumebatur totum. Sin affuissent sanguis ho-

hostiæ pro peccato, & membra holocausti, optio erat Sacerdoti præferendi quod malebat. Item & ex sanguine holocausti & extis hostiæ pro peccato, sicut etiam ex sanguine holocausti & sanguine hostiæ pro delicto, Sacerdoti erat in manu præferre quod ipse malebat.

61 *Sacrificium piaculare &c. Maimonides ibidem*. Hostia pro peccato anteibat hostiæ pro delicto, quippe illius sanguis spargebatur & in quatuor altaris cornua, & in basim, omninoque omnes, quæ in Lege commemorantur, hostiæ pro peccato anteibant cunctis hostiis pro delicto, excepta hostia pro delicto hominis leprosi, quia ista pro delicto hostia immolabatur idcirco, ut hominem istum porro sacris idoneum redderet. Hostia pro delicto anteibat sacrificio Eucharistico & arieti Naziræi, quia enim illa sanctior est. Sacrificium Eucharisticum, & aries Naziræi anteibant pacificis ideo, quod illa uno diei spatio comedi oportebat, & panes adhiberi sibi postulabant; jam sacrificium Eucharisticum & ipsi arieti Naziræi anteibat, quippe quo quatuor fertorum genera inerant. Pacifica anteibant bestiæ primogenitæ, namque pacifica sanguinis aspersiones requirebant duas, quæ quatuor aspersionum speciem præberent; porro eadem requirebant manuum impositionem, agitationem, & libamina. Bestia primogenita anteibat bestiæ decimæ, quippe quod bestia primogenita esset ab utero sancta, atque a solis Sacerdotibus comederetur.

62 *Decima animantium &c. Tosaphta ibidem*. Decima præcedit aves; dicit R. Simeon, nonne Decima sanctitates levis est, & aves sanctitates sanctitatum? Itane vero? Præcedent sanctitates leves sanctitates sanctitatum? Dic igitur, in Decima sunt adipes, qui sunt sanctitates sanctitatum, qui non sunt in avibus. *Maimonides ibidem*. Bestia Decima anteibat avibus, quod illa victima esset, & partes aliquas haberet sanctiores, sanguinem & exta.

63 *Avium oblationes &c. Tosaphta ibidem*. Sacrificium pro peccato volucris præcedit holocaustum in offerendo, & etiam in separando; non est dicendum; hoc pro meo holocausto, & hoc pro meo sacrificio pro peccato; sed dicendum; hoc pro meo sacrificio pro peccato, & hoc pro meo holocausto. Sacrificium avis pro peccato puerperæ præcedit agnam. *Maimonides ibidem*. Aves anteibant fertis, quia aves quidem certe variis e sanguinis generibus unum erat. Quod si immolanda foret hostia pro peccato volucris, & bestia decima, præcedebat bestia decima, quippe quæ victima esset, si esset immolanda hostia pro peccato volucris & bestia decima, & porro quadrupes in holocaustum, quoniam holocaustum anteibat bestiæ decimæ, & hostia pro peccato volucris anteibat holocausto etiam quadrupedi, primum sacrificabatur hostia pro peccato volucris, deinde holocaustum, & postea bestia decima.

64 *Fertum peccatoris &c. Maimonides ibidem*. Viri fertum anteibat ferto mulieris, fertum triticeum anteibat ferto hordeaceo, ferto voluntario anteibat fertum peccatoris eam ob causam, quod istud ob peccatum offerretur; cum vero & fertum voluntarium, & fertum mulieris in suspicionem adulterii vocatæ adessent, eorum quod malebat, Sacerdos præferebat.

65 *Hoc nomine &c. Tosaphta Sevachim cap. VI.* Quis vocabatur septentrio altaris, ubi legitimum erat, ut mactarentur sanctitates sanctitatum? Spatium altaris septentrionale usque ad parietem atrii septentrionalem, e regione totius altaris, & patebat triginta cubitos, verba R. Meyr; R. Eleasar filius, R. Simeonis addit spatium contra locum, qui intercedebat inter Ulam & altare usque ad spatium, quod erat e regione conclavis secespitarum; & patebat duos & viginti cubitos; & Rabbi addit spatium ambulacri Israelitarum undecim cubitos latitudinis, & centum octuaginta septem longitudinis, & spatium ambulacri Sacerdotum, undecim latitudinis, & centum octuaginta septem longitudinis, spatium parietis septentrionalis usque ad parietem atrii orientalem; & sicuti mactabatur a latere septentrionali, ita excipiendus erat sanguis a plaga septentrionali. *Vide Maimonidem de Templo cap. V. 13.—— 16. & ejus commentarium ad cap. V. codicis Sevachim*.

66 *Cæterum non nisi in loco &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Sevachim*. Et quod nullum sacrificium offerendum sit nisi in sanctuario, in quocunque id fiat loco. Quandoquidem enim Deus nobis in Lege significavit locum sacrificiis destinatum esse montem Moriam, idcirco nullo in loco terræ Israeliticæ sacrificium offerri potest præterquam Hierosolymis, ubi est mons Moria, sicuti in tractatu Middoth exponitur. *Et in tractatu de ratione sacrificiorum faciendorum cap. XVIII.* Omnia sacrificia omnino cum pecorum & avium, tum vero fertorum jubendo sancitum erat, ut in *domo selecta* fierent; namque scriptum videmus; *ibique facies quæcunque præcipio tibi. Deut.* 12. 14. Item & jubendo sancitum erat, ut quisquis extra terram sanctam degens sacrificia pecorum debebat, his inde ad *domum electam* agendis semetipse fatigaret; scriptum est enim; *Quæ autem sanctificaveris & voveris Domino, tolles &c. Deut.* 12. 26. Atqui id quasi per manus traditum est hoc loco agi de sacris hominis extra terram sanctam degentis, ut ille in his ad *Domum electam* deducendis occuparetur usque. *Abarbanel in præfatione ad Leviticum*. Neque porro fierent (*Sacrificia*) usquam nisi in templo augusto, quod erat Hierosolymis exædificatum in loco constituto ad montem Moriam.

67 *Et qui hoc prudens &c. Maimonides ibidem*. Quicumque extra atrium quid sacrificasset, jussum fecisset initum simul & vetitum prodidisset; scriptum est enim; *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris. Deut.* 12. 13. Et quisquis ibi sacrificasset ex contumacia, pœna ejus erat excidium, quemadmodum scriptum videmus; *Qui obtulerit holocaustum, sive victimam, & ad ostium tabernaculi non adduxerit, interibit de populo suo; Levit.* 17. 8. 9. Sin autem sacrum ibi fecisset imprudens, statum pro peccato sacrificium ferret. Immo & qui victimas jugulasset extra atrium, licet easdem non obtulisset, nihilominus tamen si fecisset prudens, pœna ejus erat excidium; habemus enim in Lege; *Quilibet .... si occiderit bovem .... sive capram .... sanguinis reus erit, quasi sanguinem fuderit, sic peribit. Ibid. vers.* 3. 4. Quas easdem si jugulasset imprudens, statum pro peccato sacrificium ferret. Sed unde habemus cautum esse ne quid extra atrium juguletur? Ex collatione scilicet, videmus enim in Lege scriptum. *Ibi offeres holocausta tua. Deut.* 12. 14. porro autem; *ibique facies quæcunque præcipio tibi. Ibid.* Quemadmodum igitur nequid extra atrium offeratur, quoniam ejus rei pœna est, aperte cavetur, siquidem in Lege est, cave ne offeras holocausta tua. *Ibid. vers.* 13. Item & nequid extra atrium fiat, quo verbo comprehenditur etiam jugulatio, quando pœna aperte adscribitur, sane cautum est. Neque enim scriptura ulla de re pœnas exigit, nisi eam ne facerent homines præmonuerit. Si quis extra atrium jugulasset victimas & obtulisset, duplicem pœnam subibat, unam, quia jugulasset, alteram quod obtulisset. Si quis intra atrium jugulasset victimam, & hanc eamdem extra atrium obtulisset, plecteretur, quod obtulisset, rursumque si extra atrium jugulasset, & obtulisset intra atrium, de jugulatione plecteretur.

68 *Quod si victimæ &c. Tosaphta Sevachim cap. XII.* 16. Regula generalis est; In omni quod sacrificii nomen habet, & idoneum est, ut intus offeratur, pœna est & in eo quod non habet sacrificii nomen, neque idoneum est, ut intus offeratur, nulla est pœna, si foris factum esset. R. Eleaser filius R. Simeonis dicit; etiam in omni eo, quod sacrificii nomen habet, & quod idoneum est, ut intus offeratur, si intus alienus fecisset opus ei simile, tenetur pœna, excepta mactatione. *Maimonides ibidem*. Nemo plectebatur de jugulatione victimarum, nisi illæ forent idoneæ, quæ in altari sacrificarentur. Si quis igitur extra atrium jugulasset aliquam earum animantium, quæ altari prohibebantur, aut unam ex hostiis pro peccato iis, quas naturali morte occumbi jus erat, pœna liberabatur; nam quod est in Lege, *coram Tabernaculo Domini*. Levit. 17. 4. hujus ea vis est, ut quicquid non erat idoneum quod inferretur in tabernaculum Domini, de eo plecteretur nemo. Si quis extra atrium victimam jugulasset eam, quæ tempore etiam indigeret aut ipsa per se, aut domini gratia, pœna liberaretur, quando victima tunc ipsum non erat idonea, quæ intra atrium ingrederetur.

69 *Hodie si quis extra atrium &c. Maimonides ibidem cap. XIX.* 15. Si quis his temporibus hostias jugularet atque sacrificaret extra atrium, pœna teneretur, quippe cum sint idoneæ, quæ sacrificentur intus.

tus. Nimirum si templum nullum est, tamen sacrificare licet, quia prima loci dedicatio valuit in præsens & in posterum. *Quæ falsissima sunt; diruto enim secundo templo, amplius sacrificari non licuit.*

[70] *Lex communis &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Sevachim.* Et quod nihil offerri possit nisi de die, sicut dicitur Levit. 7. 38. ביום *in die quo mandavit filius Israel* dicitur *in die* & non in nocte. *Et in tractatu de ratione Sacrificiorum faciendorum cap. IV.* Nulla sacrificia fiebant nisi interdiu; Nam quod est in Lege ביום *in die quo mandavit filiis Israel ut offerrent oblationes suas*, id significat sacrificia interdiu esse offerenda, non item noctu; Itaque nisi de die victima jugulabatur nulla; neque porro sanguis altari aspergebatur nisi de die, quo fuisset hostia jugulata; Nam quod est in Lege: *Si voto vel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die.* Ibid. vers. 16. hujus ea vis est, ut quo die juguletur hostia, eodem altari admoveatur. Etenim ubi sol occubuerat, profanus evaserat hostiarum sanguis. *Abarbenel ibidem.* Nec unquam *sacrificia* nisi interdiu fierent, id adeo quod est Levit. 7. 38. ביום *in die quo mandavit filiis Israel ut offerrent oblationes suas*, quod sapientes nostri, quos honoris causa nomino, ita sunt interpretati, de die sacrificia facienda scilicet, de noctu non item. *Tosaphta Sevachim cap. VI.* 3. & quemadmodum interdiu mactandum erat, ita etiam interdiu erat sanguis excipiendus, si interdiu mactasset, & *sanguinem* noctu excepisset, aut noctu mactasset, & interdiu excepisset, reprobum est, donec interdiu mactet, & interdiu sanguinem excipiat.

[71] *Quod si de die &c. Codex Megillah cap. II.* 5. 6. Totus dies legitimus est ad legendum Megillam, & ad legendam hymnum, & ad buccinandum buccina, & ad sumendum ramum Lulab, & ad orationes addititias, & ad sacrificia addititia, & ad confessionem juvencorum, & ad confessionem decimarum, & ad confessionem diei Expiationum, ad impositionem manuum, ad mactandum, ad agitandum, ad adducendum, ad pugillo capiendum, ad incendendum, ad ungue secandum, & excipiendum sanguinem, & ad spargendum, & ad aquas declinantis ad adulterium mulieris bibendas, & ad decollandum vitulam, & ad purificationem Leprosi. Tota nox legitima est ad messem Omer, & ad adolendum adipes & membra. Hæc regula generalis est, res, cujus præceptum est de die, legitima est totum diem; res, cujus præceptum est de nocte, legitima est totam noctem *Maimonides ibidem.* Quicquid autem per admotionem de die factam licitum erat redditum, idest tota deinceps nocte in altare admittebatur ut si victimarum sanguis altari de die fuisset aspersus, earum exta porro tota nocte licebat addere usque ad existentem auroram. Item & holocaustorum membra licebat adolere tota nocte usque ad auroram exsurgentem; verum ut a peccato homines amoverent, caverunt Sapientes, ut exta & membra holocausti duntaxat ad mediam noctem adolerentur. Cum vero liceret exta adolere nocte, consulto tamen non retardabantur; sed enim sacerdotes dabant operam, ut omnia de die adolerent ea re, quia præceptum exsequi suo tempore acceptius erat. Ecce tibi exta & holocausti membra ad olere quanquam nocte licebat, tamen hora sua sabbatho derogabat, nec ad ejus exitum proferebatur. Quæcunque non sacrificabantur nisi de die, veluti pugillus ferti, thus, suffitus, fertaque illa, quæ igni consumebantur, licebat etiam sub occidentem solem sacrificare sic, ut porro per seipsa tota nocte consumerentur, veluti membra holocausti. Quæ simul cum victima offerebantur libamina, ea non sacrificabantur nisi interdiu; habemus enim in Lege; *In libamine, & in . . . . . pacificis. Num.* 29. 39. ubi Libamina pacificis comparantur; sicuti igitur pacifica de die, ita libamina quoque de die sacrificanda fuere; verum enim illa quæ seorsum veniebant libamina noctu consecrabantur, atque sacrificabantur. Itaque si quando contingerent, ut libamina seorsum venirent, nocte consecrabantur, atque sacrificabantur, tum surgente aurora sic tanquam holocausti membra profana fiebant. Erat idonea tota dies ad manus imponendas, ad victimam jugulandam, ad volucris caput retortum ungue secandum, ad sacrum adolendum, ad sacrum altari admovendum, ad sanguinem aspergendum, ad sacrum agitandum, ad pugillum fertis eximendum, atque ad sacra extraordinaria facienda. Et tota nox erat idonea ad exta & holocausti membra adolenda. Ad summam quicquid in diem præceptum erat, tota die rite fiebat, & quicquid præceptum erat in noctem, rite fiebat tota nocte. Attamen homines strenui præceptis exsequendis maturius accingebantur.

[72] *Quinque sunt species &c. Maimonides ibidem cap. I.* Omnino omnium animantium, ex quibus sacrificia fiebant, genera sunt quinque, boves, & oves, capræ, turtures, & pulli columbarum. *Abarbanel in præfatione ad Leviticum. cap. I.* Jam divina Lege commemoratur universe, sacrificiorum aliqua bestiis cicuribus esse facienda, & ista quidem his tribus quadrupedum generibus, bobus, ovibus, & capris, aliqua volucribus, & hæc turturibus modo, columbarumque pullis; nonnulla terræ frugibus, atque fructibus, atque hæc ea sunt, quæ ferta dicuntur; in his tria erant rerum genera, panis, vinum, & oleum, quæ etiam thure augebantur. Nec vero dubium est, quin sacrificiorum ea, quæ fiebant his tribus quadrupedum generibus, bubulo, oviarico, ac caprino, grata Deo in primis ac accepta fuerint, ex quo nec in publicis sacrificiis turtures, aut columbarum pullos reperias, nec ullum fertum voluntarium, sed trinis illis quadrupedum generibus paulo ante dictis demum fiebant. Commodum erit igitur nunc rerum causam subjicere, cur ista, quæ commemoravi cunctis e rerum generibus ad sacrificiorum materiam delecta fuerint, quo loco tractando sequar quod singulari vir ingenio & doctrina Maimonides lumen mihi prætulit. Ac primum triplex illud animantium genus bubulum, oviaricum, caprinum, præcipue rei divinæ dicatum est, ac consecratum duabus de causis; una, quia natura, habitu, pabulo hæc tria genera sunt animantium ratione & oratione carentium præstantissima; altera est, quia hæc tria genera sunt inventu facilia; nam eam ob rem omnino feris sacrificium fiebat nullum, quia enim hoc oneris imponi nobis noluit Deus optimus, ut in rem divinam ferremus id, cujus investigatio summam haberet difficultatem; & eam ipsam ob rem constitutum erat, ut quæ sacra oportebat volucrium genere fieri, fierent solis turturibus, & columbarum pullis. R. Levi enim Gersoni filius commentariis suis in Legem ita disseruit, & recte disseruit hac de re quidem; ego vero videre mihi videor duas alias etiam subesse caussas; earum una est his tribus animantium generibus repræsentari patres nostros eximia sanctitate viros; & Abrahami quidem Symbolum esse bovem, nam hic cicurum animantium maximus, ille patrum, præterea autem de illo scriptum videmus. Genes. 18. 7. *Ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum.* Isaaci vero symbolum pecus oviaricum, quod a buculo proximum est excellentiæ gradu; tum vero pro eo ad immolandum constricto substituit arietem pater ejus, uti scriptum est Genes. XXII. 13. *arietem . . . . quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Erat autem Jacobi typus pecus caprinum, quod est ratione generis inferius oviarico; hinc videas Genes. 27. 9. Jacobo edici. *Et pergens ad gregem, affer mihi duos hædos optimos*; & horum inde coriis ejusdem obduci manus atque cervices ad faustam patris precationem excipiendam. Quod autem pecorum illa tria genera trium patrum essent symbola, Deus eximio suo cultori imperat id quod Genes. 15. 9. legitur; *Sume*, inquit, *mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium*, id ipsum indicari volens, sicut eo loci jam exposui; turturi vero columbinoque pullo, significare Mosem, & Aaronem, ut ibidem demonstravi; atque haud scio an eam ob rem etiam turtures & columbini pulli sacrificiis deligerentur. Habes causarum unam. Altera causa fuit; cur ista genera quadrupedum atque volucrium sacrificiis potissimum destinarentur, quod his assimilabatur Israelitica gens; videre licet eam apud Prophetas alias cum bove conferri, *quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel.* Ose. 4. 16. alias appellari; *vaccas pingues.* Amos. 4. 1. item dicitur, *Ephraim vitula docta* Ose. 10. 11. Et sexcenta hujusmodi alia; nimirum eam ob causam cœtus universus per errorem cum peccaret, piaculum buculo faciebat, tum eamdem habere vocabulum & agni, & ovis; *Grex dispersus Israel.* Jerem. 50. 17. *Ecce ego ipse judico inter pecus pingue & macilentum.* Ezech. 34. 20. ex quo etiam publica quotidie bina bi-

binis agnis fiebant ſacrificia, mane unum, & alterum veſperi; Similiter vocabulum ovis. *Vos autem greges mei, greges paſcuæ meæ*. Ezech. 34. 31. *Grex perditus factus eſt populus meus*. Jerem. 50. 6. & innumera hujus generis alia; tum eidem nomen eſſe capræ, & hirco; eſt enim apud Eſaiam prophetam cap. 25. 3. *Super hoc laudabit te populus fortis*, ſed hoc poſtremum verbum fortis & vim *capræ* continet. Eſt & apud Jeremiam 48. 17. de gente; *quomodo confracta eſt virga fortis, baculus glorioſus?* ubi verbum ultimum ſimiliter interpretari licet *capram*; eodem valet & oraculum illud, quod eſt apud Ezechielem 7. 24. *& quieſcere faciam ſuperbiam potentium*. Et 24. 21. *Superbia imperii veſtri*. Unde fiebat, ut pro univerſa gente noſtra ſacrificaretur hircorum ille, cui ſors obtigerat ea, qua inſcriptum erat DOMINO. Dictum eſt a ſapientibus noſtris f. m. caprarum eſſe genera tria, quorum in numero poſuerunt Iſraelitas unum. Cum igitur hæc tria genera beſtiarum eſſent ſymbolum noſtræ gentis, gens noſtra comparata fuit ad illas apud prophetam Eſaiam cap. 53. cum de miſeriis & ærumna hujus noſtræ captivitatis cecinit. *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet*; nam verbum illud צאן, item & hoc alterum רחלים communiter oviaricum, & caprinum pecus ſignificat. (*Inſanit Abarbanel. Judæi fere omnes antiqui hunc locum de Meſſia interpretantur. Vide quæ annotavimus ad cap. 2. Toſaphta Joma.*) Ergo præceperat eis Deus ut ſua ſacrificia hiſce facerent beſtiis, quæ eſſent ipſorum ſymbola; ita ut velut ſuo ipſorum ſanguine, & carne ſacrificium facerent; ideoque dicitur Levit I. 2. *Homo qui obtulerit ex vobis hoſtiam Domino*; cujus vis, ut ſacrificium eorum eſſet ex ipſis, hoc eſt ipſorum e ſymbolis, ſeu bobus, ſeu minoribus beſtiis, ovibus, & capris. Quod ſi cujus facultates non paterentur, is juſſus erat immolare turturibus, & pullis columbinis quia enim gens noſtra cum his etiam componitur; dictum eſt enim de noſtrorum hominum genere Cant. 2. 14. *Columba mea in foraminibus petræ*; tum ibidem verſ. 12. de precibus gentis noſtræ more poetico dicitur; *tempus putationis advenit, vox turturis audita eſt in terra noſtra*. R. Moſes autem Nachmanides vult e volucrium generibus hæc duo duntaxat ſacrificiis eo delecta, quod ut turtures nonniſi cum ſuis ſe conſortibus conjungunt, & columbæ conſortes ſuas deſerunt nunquam; ſic & Iſraelitarum genus uno ſolo Deo conjungitur in perpetuum; probe. Equidem hanc ego rationem confirmatam invenio cap. 8. libr. de ſententiis Philoſophorum, in quo totidem verbis ſcriptum eſt. Omnino columba cum una certa fœmina conſueſcit, niſi ea moriatur; ac raro admodum evenit, ut etiam cum altera rem habeat; De turturibus autem eſt ſuus cuique fœminæ mas; huic illa ſuccumbit, & præterea nulli. Hactenus ibi. Fieri etiam poteſt, ut deligerentur turtures & pulli columbini propterea quod iſtæ volucres (*ut poetæ delirarunt*) in ditione ac poteſtate ſint ſtellarum; ſtellas dico Jovis & Veneris, de quibus eo libro, qui principium Sapientiæ inſcribitur, ita diſputatur; Stella Jovis tuetur ædes precibus religioſis, & reliquo divino cultui ſacras, cunctas regiones puras, & e volucribus columbas; ſtellæ veneris amor juſtitiæ, ſacra & auguſta loca ſubjecta ſunt, & ex avibus turtures. *Ab* Ethnicis, *Diis omnia animantium genera immolata, porcos, capras, hircos, arietes, oves, agnos, boves, equos, mulos, aſinos, leones, lupos, camelos, elephantos, cervos, canes, mures, aquilas, columbas, turtures, gallos, gallinas, paſſeres &c. legimus apud cl. Saubertum de Sacrificiis cap. 23.*

73 *Ita quidem &c. Maimonides de ratione Sacrificiorum faciendorum cap.* 1. 12. 13. 14. Omnino ad omnia ſacrificiorum genera animantes poſt octavum ab ortu diem ſatis erant idoneæ, ſed ſi res erat in integro poſt triceſimum ab ortu diem immolabantur. Excipiebantur agnus Paſchalis, animantes primogenitæ, & decimæ, quas, etiamſi res erat integra, licebat poſt octavum ab ortu diem immolare. In ſacris numerabantur & horæ, ac ſi hora vel una redundarent, aut indigerent, vitioſa forent; ut ſi quod ſacrificium ex præſcripto Legis oportet eſſe annuum, id vitioſum eſſet, ſiquidem ad annum ætatis ſpatium hora una accederet; immo ſi victima tum eſſet annua cum jugularetur, & cum ſanguis ejus altari aſpergeretur, ad annum hora accederet una, victima illa quoque vitioſa erat, namque victima opus erat, ut uſque ad conſperſionem ſanguinis annua eſſet. Eadem erat omnium Sacrorum ratio. Ubicunque a Lege agnus, agnaque dicitur, aut in multitudine agni, annuos eſſe oportebat, ubi vero aries, & arietes, mares eſſe bimos. Incipiebat autem aries appellari animans, cum primum alterius anni diem unum & triceſimum attigerat. Nam die triceſimo ejuſdem anni non erat idoneus neque ad arietem, qui פלגים dicitur. Jam ubi dicitur a Lege vitulus; annuum eſſe conveniebat, ub juvencus bimum, ubi dicitur hircus caprarum, bimum eſſe oportebat, ; nam ſecundo ætatis anno toto hircus ſimpliciter appellatur. *Et in præfatione ad Codicem Sevachim*. Scias itaque voces כבשים כשבים כשב כבש denotare oves anniculas; השׂ vero uſurpatur de ovibus ac capris; ſed quoties dicitur איל, aut אילים toties deſignantur agni maſculi biennes; & cum dicitur שה בן שנה intelliguntur agni & capræ parvulæ; Quum vero dicitur פר, aut פרים tum deſignantur jumenta triennia; & ſi dicatur שנל intelligendus eſt vitulus anniculus; per שעיר עזים intelligi debet caper anniculus & majorennis, ſed hæc omnia quoque exponentur in tractatu *Parah* qui occurrit in libro Miſnico ſexto. *Abarbanel ibidem cap.* 2. Nunquam nec temeratæ vitio, nec ſenio affectæ, quia enim natura animantium minus perfecta fit in ſenectute; Senectus autem aderat bovi quidem, quum tres annos ad dierum numerum exactos natus erat, & beſtiæ minori, quæ כבש dicitur, & eadem literis inverſis כשב etiam appellatur, ubi duos annos compleverat; hoc enim tempore ætatis exacto, porro in his beſtiis incipiunt naturæ vires inclinari. Curabat autem magnopere divina Lex ut altaribus admoverentur res integræ dum erant ſuaviſſimæ, & in ſuo genere optimæ; hinc ſancitum erat, ut turtures ſacrificarentur majores, minores autem columbæ, quia enim ſunt ejuſmodi meliores. Erunt igitur in ea re tenenda iſta, nomen illud כבש ſeu כשב cum in Lege divina commemorantur tenero pecori tribui, agno, vel hœdo intra unum ætatis annum; nomine איל item & in multitudinis numero אילים dici in Lege divina mares ovium juxta ac caprarum intra alterum ætatis annum; in eadem Lege divina pecori bubulo, priuſquam tres annos complerit in utroque numero juvenci, ſeu buculi dari vocabulum, & intra primum ætatis annum vituli, & hircum caprarum appellari, qui totum annum exegerit, quæ omnia ſic ut prodidi, demonſtrantur in tractatu illo Gemarico, qui *Vacca* inſcribitur.

74 *Turtures autem &c. Maimonides de rebus altari interdictis cap. III.* 2. Non erant ad ſacrificium idonei turtures parvi, & culumbarum pulli grandiuſculi quoque ad ſacrificium non erant idonei; namque his vocibus *Turturem ſive pullum columbæ* Levit. 14. 30. hæc eſt ſubjecta vis. Itaque neutri erant ad ſacrificium idonei, cum primum plumæ verſicolores in collo rutileſcebant; Sed quod tandem ad tempus pulli columbæ erant ad ſacrificium idonei? Nempe interea dum replebatur ſanguine locus, ſi foret evulſa penna. Et turtures incipiebant eſſe ad purificandum idonei, ex quo tanquam inauratas alas habere viderentur.

75 *Ad holocauſtum nonniſi &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Sevachim*. Holocauſtum id ipſum erat, quod penitus igni conſumi debebat, ſive id pro toto cœtu, ſive homine privato offerebatur, & conſtabat tantum ex ovibus maſculis, jumento, capris, aut columbarum pullis, & turturibus tam maſculis, quam fœminis. *Et in tractatu de ratione Sacrificiorum faciendorum cap.* 1. 8. Si fiebat holocauſtum ex quadrupedibus, ſoli mares admittebantur; admittebantur autem agni, capri, boves, majores, minoreſque; at ex turturibus & columbarum pullis mares & fœminæ promiſcue admittebantur. *Abarbanel ibidem*. Nunquam ſacrificium ſolidum fiebat nec pecore bubulo, neque oviarico, neque caprino niſi mari; rurſum idem fiebat turturibus & pullis columbinis ſine delectu maris & fœminæ.

76 *Ad ſacrum piaculare &c. Maimonides in præfatione ad codicem Sevachim*. Sacrificium pro peccato . . . . . . conſtabat e maſculis, fœminiſque animantibus in quinque ſpeciebus. *Et in tractatu de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. I.* 9. Ad hoſtiam pro peccato omnino hæc quinque animantium genera admittebantur æque mares ac fœminæ majores atque minores.

77 Ad

[77] *Ad ſacrificium pro delicto &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Sevachim*. Sacrificium pro reatu . . . . Ex ovibus maſculis tantum parabatur tam e parvulis, quam ex adultis. *Et in tractatu de ratione ſacrificiorum faciendorum ibidem*. Ad hoſtiam pro delicto agnii mares tantum admittebantur, atque ex hoc ipſo genere admittebantur nunc majores nunc minores.

[78] *Ad ſacrificia ſalutaria &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Sevachim*. *Pacificum* ex avibus, videlicet e turturibus, columbarumque pullis nunquam parabatur, ſed & e tribus quadrupedum ſpeciebus tam e parvulis, quam ex adultis, maſculis fœminiſque. *Et in tractatu de ratione ſacrificiorum faciendorum ibidem*, Ad pacifica mares & fœminæ ex agnis & capris, bobuſque adhibebantur, majores, minoreſque, non adhibebantur autem ad pacifica volucres.

[79] *Decima &c. Toſaphta de Primogenitis cap. VII.* Decima animantium obſervatur in magnis & in parvis, in maſculis, & in fœminis.

[80] *Hæc autem &c. Maimonides de rebus altaris interdictis cap.* 1. Jubente præcepto ſancitum eſt, ut ſacrificia cuncta ſint integra, & lecta; nam quod dicitur, *immaculatum offeret, ut acceptabile ſit*. Levit. 22. 21. hoc videlicet præceptum eſt jubens. Siquis autem animantem vitio affectam altari dedicaſſet, is legem vetantem violaſſet, & verberibus adeo multaretur, dictum eſt enim; *Si maculam habuerit, non offeretis*. Ibid. verſ. 20. Num hoc traditione habemus hac monitione caveri ne beſtiæ vitio affectæ dedicentur? Si quis igitur vel in pretium ejuſmodi beſtias dedicaſſet, verberibus multaretur; hoc enim eſt ſacra contemnere. *Et paucis interjectis*. Si quis animantem vitio affectam ſacrificii nomine jugulaſſet, verberaretur, quia de vitioſis animantibus ſcriptum legitur; *Non offeretis ea Domino*. Levit. 22. 22. Atqui hoc quaſi per manus traditum eſt, admonitionem iſtam ad eum pertinere, qui animantem jugularet. Item & qui altare vitioſarum animantium ſanguine reſpergeret, verberaretur, eandem videlicet ob cauſam; quia de his in Lege eſt: *non offeretis ea Domino*, quam admonitionem & ad reſpergentem ſpectare traditum eſt. Item ſi quis animantium vitioſarum exta in altari adoleret, verberaretur; nam quod eſt in Lege; *Nec adolebitis ex iis ſuper altare Domini*. Levit. 22. 22. id videlicet adipes ſignificat. Ex quo cognoſcitur illud, ſi quis animantem vitioſam primum offerret, idemque deinde jugularet, tum ejus ſanguine altare aſpergeret, poſt ejus exta in altari adoleret, eum verberum multatione quater coercendum fuiſſe. *Abarbanel ibidem*. Boves, oves, capræ ſinceræ demum & integræ ſacrificabantur, nunquam nec temeratæ vitio, nec ſenio affectæ.

[81] *Sed in avibus &c. Toſaphta Chulin cap. III. 9.* Hæc ſunt diſcerpta in volucribus, cui ventriculus perforatus eſt, cui guttur exciſum, interdictæ ſunt; ſi a muſtela vulnerata ſit in capite, in loco, ubi facit diſcerptum, interdicta eſt; quæ perforata ſit in cerebro, ſi pellis ejus perforata ſit, illegitima eſt; quæ in corde perforata ſit uſque ad ejus vacuum, illegitima eſt. Quomodo perſcrutantur? R. Simeon filius Eleaſaris dicit nomine R. Jehudæ; perſcrutantur manu, non acu; ſi os perforatum eſſet, illegitima eſt, ſi minus, legitima; ſi in ignem cecidiſſet, & ejus inteſtina contracta eſſent, illegitima eſt; in hiſce inteſtinis dixerunt de ventriculo, jecore, & corde. *Et nonnullis interjectis*. Hæc in avibus bene ſe habent, ſi guttur perforatum ſit vel fiſſum in longitudinem, licita eſt; ſi eam percuſſerit muſtela in loco, ubi non facit diſcerptum, legitima eſt; ſi perforatum eſſet cor & non e regione ejus vacui, legitima eſt, ſi de tecto decidiſſet & fracta eſſent ejus membra, aut ſi ab ejus ſocio impulſa eſſet, & ejus membra fracta eſſent, & mactaſſet, legitima eſt, ſi extemplo aſſurrexiſſet, quacunque ratione ſit, legitima eſt; ſi ingluvies perforata ſit, legitima eſt; Rabbi dicit, etiamſi omnino deficeret; ſed ab eo ſapientes diſſenſerunt. Si ejus alæ fractæ fuerint, ſi pedes fracti fuerint, aut ejus alæ deplumatæ; R. Jehuda dicit, ſi omnino deficerent, illegitima eſt. *Avis* ſanguine correpta, fumo affecta, frigefacta, quæ herbam mortiferam comediſſet, quæ gallorum excrementa ediſſet, legitima eſt. Quæ a ſerpente, & a cane rabido morſa eſt, diſcerpti cauſa legitima eſſet, ſed illicita eſt propter animarum periculum. *Maimonides ibidem cap. III.* Omnino vitio non temerabantur volucres, & harum mares & fœminæ uno & eodem loco habebantur. Neque enim præcipitur *Maſculus immaculatus* (Levit. 22. 19.) niſi de quadrupedibus ſolis. Sic erat enim de vitiis avium minutis. Verum ſi volucri totum exaruiſſet corpus, aut oculus effoſſus eſſet, abſciſſuſve pes, ab altari prohiberetur; nihil enim immolandum, quod parte ſui careret; Similiter cum eſſet exortum in volucri vitiorum aliquod eorum, quæ lethaliter afficiunt, & propter quæ habetur volucris eſu nefas, item in ſacrificium temerabatur.

[82] *Erant ad perluſtrandas &c. Primogenitis etiam perluſtrandis ſtatuebantur certi homines periti in vitiis eorum dignoſcendis. Codex de Primogenitis cap. IV. 6.* Si quis mercedem ſumſerit ad primogenita inſpicienda, non mactant dicto illius, niſi fuerit doctor probatus ut Ela in Jabne; etenim Sapientes ei permiſerunt quatuor aſſarios pro parvo pecore inſpiciendo, & ſex pro magno tam perfecto quam vitioſo.

[83] *Qui ex teruma conclavis &c. Gemara Cethuboth fol.* 106. 1. Tradidit Rab Iſaac bar Raddipa, R. Amme dixiſſe, exploratores vitiorum Jeroſolymitanos accipere mercedem ſuam ex oblatione conclavis. *Maimonides Sekalim cap. IV.* 4. Exploratores vitiorum, qui Hieroſolymæ ſunt . . . . mercedem ſibi ex oblatione conclavis accipiunt.

[84] *Vitia ejuſmodi &c. Toſaphta de Primogenitis cap. IV.* Omnes maculæ faciunt illegitimas ſanctitates, & reprobant primogenitum. Fiſſa ſi ſit auricula tam per manum hominis, quam per decretum cœli; ſed quænam vocatur læſio? Quando in eam introducit digitum, & aſtringit. Ad quam quantitatem perforata eſſe debet? uſque ad granum viciæ, R. Joſe filius R. Jehudæ dicit, uſque ad granum lentis; at ad quam menſuram exſiccatum? uſque dum, ſi perforaretur, non emitteret ſanguinem. R. Joſe filius Meſſullam dicit, uſque dum conteratur; & ambæ opiniones ſunt fere ſimiles. Quænam vocatur דק, tela? quæ ſe diffundit ſuper oculum, neque fovea in ima parte oculi, ſi in ea verruca fuerit, & cecidiſſet, ſi in ea fuerit os, mactari poteſt, ſi minus, non eſt mactandum. Albugo fixa eſt quadraginta dierum; & aquæ fixæ octuaginta dierum, verba R. Meir, & ſapientes dicunt albugo fixa octuaginta dierum, & aquæ fixæ octuaginta dierum; ſi comediſſet humidum & ſiccum ex agro humido, & non humidum & ſiccum ex campo arido, ſi comediſſet humidum, & poſtea ſiccum, non habet vitium, ſiccum & poſtea comediſſet humidum, vitioſa habetur; ſemper vitioſa habetur, donec comederit prius humidum, & poſtea ſiccum. R. Chanania filius Antigoni dicit, albugo intra octuaginta dies ter viſitatur, quia fieri poteſt, ut abeat, & redeat. R. Simeon filius Eleaſaris dicit, ſi ab oculis aquæ diſtillarent, certum eſt, aquas tranſitorias eſſe, ſi diſtillare deſierint, certum eſt eſſe aquas fixas. Si interſtitia naſi perforata ſint, ſi foramina interius conſpiciantur, mactare non debet, ſi exterius, mactare poteſt. Quiſnam eſt dens geminus? dens geminus interior (*molaris, qui duobus ſimilis eſt*) atque etiam idem dens geminus. R. Jehoſua filius Capoſai dicit, non mactabatur primogenitum niſi pro exterioribus (*dentibus geminis*). R. Chanania filius Antigonis dicit; interiorum nulla habetur ratio. Si caudæ extremitas deficeret in animantibus ſanctis, ſi pellicula pudendi ad quamlibet quantitatem, mactari poteſt; de quanam pellicula dicitur? de ſacculo exteriori, & non de ipſo pudendo; accidit, ut lupus eum *beſtiæ* extirpaverit, atque iterum ei creverit uti antea, ita dicit R. Joſe filius Meſſullam. Si cauda ex oſſe & non e vertebra læſa fuerit, vel caudæ extremitas in duas partes diviſa eſſet; aut caro intereſſet inter unam & alteram vertebram ad quantitatem ipſius vertebræ, mactari poteſt; ſi unum haberet ſacculum, aut unum teſticulum haberet, poteſt mactari; ſi haberet duos quamvis in altero (ſacculo) neque eſſet magnus niſi ad quantitatem fabæ, mactari non debet. Dicit R. Joſe, contigit in quadam vacca familiæ Menachem, quod ſtatuerint vitulum ſuper hoc tignum, & teſticulos ei compreſſerint, & unus tantum prodierit lateri affixus, & mactatus fuit, & alter inventus fuit affixus lateri; & hanc rem rogarunt R. Akibam, qui permiſit; & quando hæc coram R. Jochanam filio Nuri narrata fuerunt, dixit, Akiba vobis comedendum

cada-

cadaver apposuit. Si fuissent adempta cornua, & ungulæ, & cum his membrum, mactari potest. Quis vocatur superfluus? qui habet tres oculos, & quinque pedes; deficiens? qui habet tres pedes, & unum oculum; quis claudus? est ille, cujus latera e loco suo prosiliunt; si costarum major pars fracta esset, si maculam interiorem haberet, non est macula, quia textus dicit; *si cœcum fuerit, si fractum*. Levit. 22. 21. sicuti si sit cœcus, aut claudus, sunt maculæ apertæ, neque redeunt, ita etiam quælibet alia macula. Dixit R. Jose filius Messullam, Amela numerabat maculas in Jabne coram sapientibus, & ei concesserunt; & tres præterea addidit; & ei dixerunt, non audivimus nisi unam, nempe, si rota sui oculi sit rotunda ut hominis, & os simile ori porci, & maxima pars linguæ ablata sit. Et R. Chanina filius Antigoni dicit; si maxima pars elocutionis linguæ sublata sit; magistratus, qui post eos fuit, dicit, hæc sunt vitia. Si maxilla inferior sit superiori major, est vitium. R. Simeon filius Gamalielis dicit, si superior sit inferiori major ut porci, vitium est; si os obclusum, si pedes se simul collidant, si sponte facit, mactari potest, si aeris causa, mactari non debet, si aures conduplicatæ cum una cartilagine, non debet mactari, cum gemina cartilagine, mactari potest. R. Chanania filius Gamalielis, si ovis cauda habeat tres vertebras, non debet mactari, si duas, mactari potest. Si cauda vituli non pertingit ad vertebram femoris, mactari potest; de qua vertebra locuti sunt? R. Chanina filius Antigoni dicit, de vertebra, quæ est in medio femoris, nempe in conjunctura superiori, non vero usque ad conjuncturam inferiorem. Sunt quædam quasi vitia, quibus mactabatur in sanctuario, & non potest mactari in provincia; נמום צומק צומם; Quid est נמום? quod caret cornibus; צומק? quod caret auribus; צומם? id, cujus aures duplicatæ sunt. R. Elngai dicit; ermaphrodita est primogenitum, & secum habet maculam, & cum ea mactari potest; & sapientes dicunt, sanctitas in eo non quiescit, sed exibit, & pascet in grege. R. Simeon inquit, Textus dicit: *de primogenitis quæ nascuntur in armentis, & in ovibus tuis, quicquid est sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo*; in quocunque loco, ubi sexus masculinus exprimitur, excluditur obturatum, & hermaphrodita. *Vide codicem Misnicum de primogenitis cap. VI., & Maimonidem de ratione adeundi templi cap. VII. & VIII. & de rebus altari interdictis cap. II.*

85 *Præterea permutare &c. Maimonides Temura cap. I.* Si bestiam Deo sacram cum alia commutasset aliquis verberibus coerceretur sic, ut sacratæ bestiæ permutationem seorsim sequeretur sua cujusque pœna verberum; nam hac de re in Lege est, *& mutari non poterit*. Levit. 27. 10. Qui si nihil effectum dederat, ita traditum erat nostris de vetito neglecto, nisi quod effectum redderetur, verberibus multari neminem, præter eum qui jusjurandum jurasset, sacratam bestiam mutasset, & socium execraretur interposito horribili Dei nomine, neque enim posse contra hæc tria vetita fieri, quin aliquo pacto quid effectum daretur, & hac de causa eum, qui contra commiserit, verberibus multari; Quid vero? Quid erat, inquiet aliquis, quod ob mutationem sacratæ bestiæ quis verberaretur? id enim ne fieret vetando sancitum est; verum hoc vetitum solvitur in jussum illud; *quod si mutaverit, & ipsum quod mutatum est, & illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino*. Levit. ibidem. Id erat scilicet; in hoc loco insunt cogens unum & duo vetantia præcepta; præterea autem patet latius id, quod hic vetando, quam quod jubendo sancitum; etenim multitudo, hominesque societate rerum inter se conjuncti, si sacræ pecudis in locum aliam subdidissent, subdita nullatenus consecraretur, & tamen nihilominus iidem ne committerent, ut sacram pecudem pecude mutarent alia, cautum erat. Singularis homo igitur si in locum sacræ pecudis pecudem suffecisset vel ipso Sabbatho, & pecus suffecta sacra foret, & ipse verberibus damnaretur; sin autem ex consociatis hominibus unus communem inter se victimam consecratam alia bestia commutasset, aut commutasset aliquis hostiam publicam, cujus esset ipsemet particeps, & socius, verberibus addiceretur quidem, sed bestia in locum victimæ substituta sacra non esset. Et sive sciens, seu quis imprudens in locum sacratæ pecudis pecudem aliam subdidisset, pecudem subditam sacrasset, & verberibus multaretur, ut, si quis vellet dicere, hac ego bestia muto illam, qua facturus eram sacrificium solidum, ita dixisset, hac ego bestia muto illam, qua facturus eram sacrificium pacificum; succedaneæ bestiæ rata consecratio fuisset, & homo verberibus multaretur. Bestia, quæ in alterius bestiæ consecrationem successisset, alteri, si ei submitteretur, consecrationem non participabat. *Idem ibidem paragr.* 15. Quæ bestia summissa bestiæ consecratæ consecrationem participarat, ea deinceps consecrationis suæ religionem nihil impertiebat ei bestiæ, quæ sibi summitteretur; neque porro fœtus bestiæ consecratæ religionem dicationis suæ conferebat summissæ bestiæ, videmus enim in Lege scriptum; *& ipsum quod mutatum est, & illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino*; quibus verbis hæc est subjecta vis, ut haberet locum ista præscriptio non in fœtu bestiæ consecratæ, sed in ipsa, & haberet locum in ea bestia, quæ fuisset ipsimet bestiæ consecratæ summissa, non item in ea, quæ bestiæ summissæ summissa po ea fuisset. Si vero consecratæ bestiæ primum bestia summitteretur una, tum eidem & altera, & sic deinceps ad usque mille numero, omnes religione tenerentur, & de singulis, ut ante dictum est, daretur seorsim pœna verberum.

86 *Munda &c. Tosaphta Maccoth cap.* IV. 4. Qui sanctificat maculatum altari, violat quinque præcepta negativa, nempe præceptum non mactandi, non sanctificandi, non aspergendi ejus sanguinem, non incendendi ejus adipem, non adolendi partem ipsius juxta versiculum qui dicit; *immaculatum offeret, ut acceptabile sit, omnis macula non erit in eo. Levit.* 22. 21. R. Jose filius R. Jehudæ dicit, etiam præceptum non excipiendi ejus sanguinem; si sanctificasset, & non mactasset, una tantum pœna tenetur, si sanctificasset, & mactasset, & aspersisset ejus sanguinem, pro singulis reus est. Qui sanctificat Animal, a quo mulier inita sit, & quod ab homine initum sit, & separatum (*ad cultum idolatricum*) & pro Numine cultum, donum meretricis, pretium canis pro omnibus hisce nominibus prævaricatur.

87 *Ex domesticis &c. Siphra ad cap. XI. 2. Levit. Hæc sunt animalia quæ comedere debetis ex cunctis animantibus terræ*. Unus sensus nos removet ab altero sensu; dixerat enim Deus: *quasi olera viventia tradidi vobis omnia. Genes.* 9. 3. Putabam omnia permissa esse; Ideo dicit; *Hoc est animal, quod comedere debetis, bovem, & ovem, & capram, cervum, & capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelo pardalum*. Deut. 14. 4. 5. Crederem totum animal fuisse permissum; ideo dicit: *excepto quod carnem cum sanguine non comedetis*. Genes. 9. 4. interdicit membrum animalis viventis; *quam ob causam non comedunt nervum filii Israel*. Ibid. 32. 32. Interdicit nervum luxatum. *Adipem ovis, & bovis, & capræ non comedetis*. Levit. 7. 23. Interdicit adipem. *Sanguinem quoque omnis Animalis non sumetis in cibo*; Ibid. vers. 26. Interdicit sanguinem; Crederem permissa esse, sive mactarentur, sive non mactarentur; ideo dicit, *occides ---- & comedes*. Deut. 12. 21. Ego non probo (esse permissos) nisi agnos & capras, qui jam expressi sunt, unde probo ad includendum animal ex his duabus speciebus constans? ex eo quod dicit, *de cunctis animantibus, & jumentis* (sic Hebræus.) Non probavi nisi pro ipso animali, & jumento, sed animal ex specie ipsius animalis, & jumentum ex specie ipsius jumenti, immundum, quod sit a mundo generatum & purum, quod nascatur ex animali immundo unde probatur esse permissum? ex eo quod dicit, *de cunctis animantibus*, quodlibet animal, *& jumentis*, quodlibet jumentum, &c. Hoc est חיה (quod feram denotat) *quod comedere debetis, de cunctis animantibus terræ*; docemur, quod animal sub nomine חיה, *feræ* comprehendatur. Unde probatur, quod etiam fera sub nomine animalis comprehendatur? *Hoc est animal quod comedere debetis, bovem, & ovem, & capram, cervum, & capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelo pardalum.*

88 *Decem &c. Maimonides de cibis vetitis cap.* I. 8. Ex omnibus bestiarum ferarumque, quas educat orbis, speciebus, nonnisi decem nostris summus Legislator mensis impertivit. Has nominatim Lex enumerat

Deut. 14. 4. 5. quæ sunt, *bos*, *ovis capra*; septem ferarum species, *cervus*, *caprea*, *bonasus*, *dama*, *tragelaphus*, *dorcas*, *&* *rupicapra*. His animalibus vesci licet cum cognatis cuique specierbus; sic urus & bison ad speciem bovis pertinent; sed decem hæ species omnes cum cognatis & inferioribus divisas habent ungulas, pastumque ruminant.

[89] *Aliæ dominorum &c. Gemara Joma ad cap.* II. 7. Traditur, quod excoriatio & sectio earum in hoc adæquantur, quod opus utrumque ab extraneo fieri possit. Dixit Cheskiah, unde hoc probatur? quia dicitur; *Et offerent filii Aaron Sacerdotis ignem super altare*. Impositio ignis postulat Sacerdotium, excoriatio, & sectio non postulat Sacerdotium. *Et Maimonides in hæc verba Misnæ supra citatæ* excoriationis & sectionis horum & illorum par ratio est *ita commentatur*. Idest quod actiones illæ legitime fiunt etiam per alienigenam qui non est Sacerdos, propterea alienigenæ licet mactare, excoriare, & secare tam sacrificia cœtus, quam hominis specialis, & hoc fundamentum tibi jam dixi in tractatu Pesachim eo loco in quo diximus; inde ab exceptione sanguinis & ulterius est præceptum quod Sacerdotes peragant. *Et de ratione adeundi Templi cap.* IX. 6. Nam ut homo alienus victimas jugularet licebat etiam sanctiores, sive eæ privati hominis, sive totius essent Ecclesiæ. Etenim quod in Lege est: *Immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filii Aaron &c.* Levit. I. 5. id declarat tum demum operari sacerdotes juberi, cum victimæ fuerit exceptus sanguis. Quin etiam hominibus alienis licebat pelle victimam exuere, eandem in partes dissecare, tum ad altare ligna ferre, nam quod a Lege de membris hostiæ dicitur, *adolebitque ea Sacerdos super altare*, id significat translationem membrorum ad collem. Nempe membrorum translatio per sacerdotes ut fieret, necesse erat, lignorum translatio non item.

[90] *Sanguinis exceptionem &c. Maimonides ad cap. III. Sevachim*. In sanguine vero excipiendo requiritur persona Sacerdotis, nam sapientes dixerunt: *ab exceptione sanguinis & deinceps ministerium sacerdotale incipit*.

[91] *Sparsionem &c. Maimonides de ratione adeundi templi cap.* IX. 3. De aspersione, ut si homo alienus templi penetralia, partesque exteriores asperserit victimarum sanguine, aut quamcumque de præscriptis sanguinis aspersionibus effecerit, aut etiam perfecerit aliquam earum aspersionum, quas oporteat in hominis leprosi sacrificiis procurandis effici, is mortem meruisset utique. De adolendo enim si hostiæ membra, si plenum ferti pugillum, si thus in altari adoleverit, immo si victimæ membra, quæ non essent igni consumta, convert rit, ita, ut eorum acceleraret consumtionem, mortem mereretur, siquidem id quod adoleverit, oleæ magnitudinem exæquaret; item si aureo in altari suffimentum incendisset, mortem meruisset, ubi ex eo adolevisset ad oleæ magnitudinem. Nam qui ad solennem expiationum diem in Sancto Sanctorum suffimentum incendisset, hac de causa mortem non ante meruisset, quam plenum pugillum suum adolevisset; hic enim est modus a Lege constitutus. Jam in altari, si quis duo ligni segmenta composuisset, idem fecisset, ac si membra hostiæ adolevisset, nam & ligna sacrificii genus est. Atque alienus si quid sacri funderet, si quid misceret, si quid concideret, si quid sale aspergeret si quid tollendo agitaret, si quid altari admoveret, si vel panes propositionis, vel thuris acerras in mensa disponeret, si concinnaret lucernas, si ignem in altari accenderet, si plenum pugillum de ferto eximeret, si hostiarum sanguinem exciperet, ea omnia profana erant quidem; sed enim is, quoniam monitus erat, ne quidquam istorum faceret, verberibus coercebatur; mortem vero non merebatur ideo, quia istiusmodi operatio non erat perfecta, sed eam consequebatur etiam alia operatio.

Ut victima adducatur &c. Siphra ad cap. I. 3. Levit. Ad ostium tabernaculi testimonii ipse se ei comitem dabat, deducebatque ad ostium tabernaculi congregationis.

[92] *Facie ad occidentem &c. Idem legimus in juvenco diei expiationis Joma* III. 8. Ibat ad juvencum suum, & juvencus stabat inter vestibulum & altare capite posito in meridie & facie in occidentem versa, & Sacerdos stabat in oriente, facie in occidentem versa. *In quem locum ita Bartenora*; Inter Ulam & altare, tota plaga septentrionalis atrii apta erat pro statione juvenci juxta Legem, quia tota erat לפני יהוה *coram Domino*.

[93] *Per portam atrii &c. Hæc vocatur VI. 3. Sekalim porta oblationis*; e regione istarum portarum in septentrione adhærent occidenti porta Jeconiæ, porta oblationis &c. *In quem locum ita Bartenora*; *porta oblationis*, nam illic oblationes introducebantur sanctissimæ, & mactabantur ad septentrionem. *Etiam Middot* 1. 5. *hujus portæ fit mentio*. Ad septentrionem erat porta prominentiæ..... Huic succedebat porta oblationis. *In quem locum iterum Bartenora. Porta oblationis*, per istam Sancta Sanctorum introducebantur, quæ ad septentrionem mactabantur.

[94] *Minus sancta &c. Per australem portam introducta fuisse primogenita, quæ minus Sancta erant, scribit idem Bartenora ad Middot cap. I. 4. ubi legimus*; Septem erant portæ in atrio magno, tres ad aquilonem, tres ad austrum, una in oriente. Ad austrum erat porta ardoris, porta oblationis &c. *Porta ardoris* (inquit Bartenora) quæ ita vocatur quia per eam ducebant ligna pro strue in altari disponenda. Secunda erat porta primogenitorum, quia per illam primogenita intrabant, quæ ad meridiem mactabantur.

[95] *Hanc sequebatur &c. Menachoth cap.* IX. 8. Manuum impositio in reliquiis præcepti fiat in capite cum ambabus manibus. *Tosaphta Menachoth cap.* X. Et victimæ suæ cornibus imponebat ambas manus, neque victimæ ipsi manus imponebat, neque manum suam alteri imponebat, nihilque esse debebat, quod separaret inter manus & cornua. *Bartenora ad cap.* IX. 8. *codicis Menachoth cum duabus manibus*, nam de hirco emissario scriptum est, *& posita utraque manu super caput ejus*. *Levit.* 16. 21. Hinc colligimus fundamentum pro omnibus sacrificiis, quod scil. ambæ manus adhiberi debeant.

[96] *Si plures essent &c. Menachoth cap. IX.* 9. Impositio manuum in quibusdam gravior est agitatione, & contra; nam unica agitatio sufficit pro omnibus sociis, sed unus nequit imponere manus pro omnibus sociis. *Tosaphta Menachoth cap. X.* 17. Quini si unicum sacrificium attulissent, omnes ei imponebant manus, neque omnes simul una imponebant, sed singuli imponebant manus, & abibant. *Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. III.* 9. Homines quini si simul hostiam offerrent unam, ei manus imponebant universi, non illi simul una, sed alius post alium.

[97] *Manus suas ante lotas &c. Tosaphta Menachoth ibidem*. Sicuti mactatio fiebat a puris, ita etiam a puris manuum impositio facienda erat. *Maimonides ibidem*. Jam qui manus imponebat, purus esset oportebat, quanquam si quis immundus imposuisset, actum erat.

[98] *Maximo nisu &c. Maimonides ibidem*. Qui manus imponebat, eas capiti pecudis pro viribus applicabat.

[99] *Occidentem spectantis &c. Tosaphta Menachoth ibidem*. Hostia stabat ad septentrionem facie in occidentem versa, & qui imponebat manus stabat in oriente facie ad occidentem versa. *Maimonides ibidem.* Sic igitur fiebat manuum impositio. Si hostia fuisset sanctior, sistebatur ad septentrionem ita ut ad occidentem spectaret; & qui manus imponebat, consistebat in oriente sic, ut ad occidentem spectaret.

[100] *In atrio hanc &c. Maimonides ibidem*. Manuum impositio nisi in atrio non fiebat. Si facta fuisset, rursus & intus fieri oportebat. Quod si hic, qui victimam offerebat, omnino staret extra atrium, sed manus intromitteret, atque victimæ imponeret, legitima fuisset impositio, siquidem totis viribus fieret.

[101] *Ab ipso Domino &c. Menachoth ibidem*. Omnes manus imponere possunt, excepto surdo, stulto, & minorenni, cœco, gentili, servo, legato, & muliere. *Maimonides ibidem*. Victimis igitur manus imponebant omnes, præter surdum, mente captum, natu minorem, servum, mulierem, cœcum, & alienigenam. Neque manuum impositio per procuratorem, sed per solos Dominos fiebat; nam quod est in Lege, *ponet manum suam*. *Levit.* 3. 8. id excludit manum uxoris, manum servi, & manum procuratoris.

[102] *Uti nec mulieres &c. In codice Sekalim cap. VI.*

3. *fit*

3. *fit mentio portæ mulierum, per quam intrabant mulieres ad manus suas imponendas. Ita eo loci commentatur Bartenora. Porta mulierum*, eo quod per eam intrabant mulieres ad manus suas imponendas Sacrificiis juxta sententiam R. Josis dicentis, mulieres spontaneæ oblationi manus imponunt sacrificiis. Sed juxta sententiam R. Jehudæ, & R. Simeonis ad assistendum sacrificiis.

103 *R. Eleazarem &c. Siphra fol.* 3. 2. Filii Israelis imponunt manus, at gentiles non imponunt manus; filii Israelis imponunt manus, at filiæ Israelis non imponunt manus. Dicit R. Jose, dixit mihi Abba Eliefer; erat aliquando nobis vitulus pro sacrificio pacifico, & duximus eum in atrium mulierum, & mulieres imposuerunt ei manus; non quod impositio manuum pertineat ad mulieres, sed ut eis mos gereretur.

104 *Excepto sacrificio &c. Menachoth ibidem*. Omnia sacrificia privata requirunt impositionem manuum, primogenito, decimis, Paschate exceptis. *Maimonides ibidem*. Quascunque homo privatus seu debitas seu voluntarias immolabat victimas quadrupedes, præter bestiam primogenitam, decimam, atque agnum Paschalem, iis adhuc vivis manus imponebat, quia scriptum est: *ponetque manum suam super caput victimæ suæ*, quod cunctis intelligendum esse sacrificiis præter agnum Paschalem, bestiam primogenitam, & decimam per manus traditum est.

105 *Ex avibus &c. Maimonides ibidem*. Victima volucris non requirebat manuum impositionem.

106 *Victimis publicis &c. Menachoth ibidem*. Nulla sacrificia publica requirunt impositionem manuum, juvenco excepto, qui offertur pro omnibus præceptis, & hirco emissario. R. Simeon dicit, etiam hirco pro Idolatria offerendo manus imponuntur. *Tosaphta Menachoth ibidem*. Nulla sacrificia publica requirebant impositionem manuum, excepto juvenco, qui offerebatur pro omnibus præceptis; & hirci pro Idolatria offerendi etiam requirebant impositionem manuum, verba R. Jehudæ. R. Simeon dicit, hirci pro Idolatria non requirebant impositionem manuum; quis eorum loco adducebatur? hircus emissarius; ei dixit R. Simeon, nonne verum est non impositas fuisse manus nisi a dominis? Hirco Emissario Aaron, & ejus filii imponebant manus una simul. Respondit ei R. Jehuda, ipsi quoque cum eo expiabantur. *Maimonides ibidem*. Non imponebantur autem manus hostiis publicis, exceptis duabus, hirco emissario, & juvenco propter ignorantiam.

107 *Cui tria membra Synedrii &c. Codex Sanedrin cap. I.* 3. Impositio manuum seniorum, itemque decollatio junicis a tribus *peragitur*, sententia R. Simeonis; R. Jehuda quinos assignat. *Tosaphta Sanedrin cap.* 1. Impositio manuum super hostias, & impositio manuum seniorum a tribus Judicibus *peragitur*. *Maimonides ibidem*. His enim manus imponebant (*idest hostiis publicis*) viri e senatu tres. *Alii vero a duodecim Tribuum principibus juvenco publico manus impositas fuisse contendunt. Thargum Jonath. in Levit.* 4. Duodecim seniores congregationis, qui regendis duodecim Tribubus præpositi sunt, imponent manus suas capiti juvenci. *Ubi Glossa marginalis*. Non sum in sententia vel τοῦ Rab, vel R. Salomonis, quorum unus dicit tres, alter vero quatuor imposuisse manus, res enim manifesta est ex eo quod scriptum est; *Et ponent seniores populi manus super caput ejus*. (*Levit.* 4. 15.) quod significat, seniores totius congregationis; resque enim inde apparet, quia tota congregatio peccavit; quare autem tres aut quinque tantum manus suas imponerent? sed erant duodecim, uniuscujusque Tribus unus.

108 *Et hinc R. Simeon &c. Tosaphta ibidem*. Regulam generalem dicebat R. Simeon, omnia sacrificia, quæ afferebantur propter prævaricationem præcepti cogniti, & eorum sanguis intus afferebatur, requirebant impositionem manuum, ea vero, quæ propter prævaricationem præcepti cogniti non adducebantur, neque eorum sanguis intus (*idest in Sancta Sanctorum*) afferebatur, non requirebant impositionem manuum.

109 *Eodem tempore &c. Tosaphta ibidem*. Confitebatur super ea (hostia) pro delicto prævaricationis, super hostia pro peccato peccata levia, super hostia pro delicto culpas graves, super holocausto pro manipulo oblivione relicto, & angulo, quæ nullam aliam habebant confessionem, verba R. Jose Galilæi: ei dixit R. Akiba, quidnam holocaustum expiabat? id cui præscripta est pœna; pœna præceptis negativis præscripta est; etiam hic præscripta est; sed quidnam holocaustum expiabat? præcepta affirmativa, & præcepta negativa, quæ affirmativis reparantur. *Maimonides ibidem*. Sic igitur fiebat manuum impositio; Si hostia fuisset sanctior, sistebatur ad septentrionem ita, ut ad occidentem spectaret, & qui manus imponebat, consistebat in oriente sic, ut occidentem respiceret, positisque inter hostiæ cornua manibus peccata confitebatur, nempe super hostia pro peccato peccata, & super hostia pro delicto delicta, super holocausta confitebatur violata præcepta jubentia, & violata præcepta vetantia, quæ in jubentia dissolvuntur. Confitens ita dicebat; Peccavi, inique egi, prævaricatus sum, commisi hoc & illud, ad pœnitentiam revertor, atque ecce piaculum meum. Si hostia foret pacifica, manus huic imponebantur quocumque atrii loco jugulatio fiebat.

110 *Ea transferens &c. R. Levi ben Gerson ad Exod. XXIX.* 10. Impositio hæc manuum ambarum erat, eoque spectabat, ut hinc intelligeretur removeri ab his peccata ipsorum, & ad hoc animal quodammodo transferri. *Et ad Levit.* 1. 4. eo pertinebat manuum impositio, ut se quisque peccata sua a se removere, & ad hoc animal transferre indicaret. *Nachmanides ad Levit.* 1. Æquum erat, ut sanguis suus funderetur, & ut cremaretur corpus. Creator autem pro clementia sua hanc ab eo accepit victimam, ut rem vicariam, & λύτρον ejus, ut hujus sanguis sanguine ejus vice profunderetur, anima scilicet vice animæ. *Abarbanel in præfat. ad Leviticum*. Dignus erat offerens, cujus sanguis funderetur, corpusque cremaretur pro peccato suo. Deus autem pro clementia sua, ut ipsi vicariam, & ut λύτρον ejus hanc ab eo accepit hostiam, cujus sanguis effusus est sanguinis ejus vice, animaque vice animæ ejus. *Vide notas ad cap. II. Tosaphta Joma.*

111 *Si sacrificium salutare &c. Maimonides ibidem*. Ac mea quidem sententia super pacificis nihil confitendum, sed hymnus erat dicendus.

112 *Omnes agitationes &c. Bartenora ad cap. IX. 9. Menachoth*. Quod autem Sacerdos suam manum ponat sub manu domini sacrificii, atque ita agitatio fiat, dominique manus interstitium aliquod faciat, id nihil refert, quia fundamentum agitationis situm est in domino.

113 *Sed tistinguenda est &c. Tosaphta Menachoth cap. VII.* 17. Quomodo agitabat pacifica privati? secernebat ab iis duos renes, & reticulum jecoris, & caudam agni, pectus, & femur, hisque addebat armum, & panem, & dominorum manibus imponebat, & Sacerdos manum suam dominorum manui supponebat, & agitabat huc & illuc, sursum & deorsum. *Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. IX. 6.* In istis tribus generibus hæc erat faciendi ratio, jugulabantur hostiæ, & excipiebatur sanguis ita, ut diximus, deinde corium erat detrahendum, atque eximenda exta, tum in artus dissolvenda caro, post secernendum erat pectus, & femur dextrum, & his conjuncta exta imponebantur offerentium manibus, quibus manum suam Sacerdos supponebat, atque omnia ante Dominum agitabat in parte orientis, nam quicquid agitari oportebat, in parte orientis agitandum erat. Qualis igitur erat ista agitatio? Nempe movebatur huc & illuc, sursum & deorsum. Quod si sacrificium esset Eucharisticum, sumenda de pane, qui huic adhibebatur, pars decima, quæ cum pectore, femore, & extis conjungeretur, tum cuncta in manibus offerentium agitabantur sic, ut modo diximus. Atque in manibus offerentium hic erat rerum disponendarum ordo; in ipsis offerentium manibus collocabantur adipes, super hos autem pectus & femur, & super ista duo renes, & reticulum jecoris, & cum adhiberetur panis, is collocabatur superior, tum cuncta simul agitabantur. Sacrificium si fuisset aries Nazíræi, eximebantur exta, & secernebantur pectus, & femur, & reliquum arietis coquebatur in atrio mulierum; tum Sacerdos ex ariete coctum armum sumebat, simul & partem decimam panis ejus, qui sacrificio adhiberetur, quæ conjungebantur cum pectore, femore, & extis, cunctaque collocabantur in Nazíræi manibus, tum manibus offerentium manus suas supponebat Sacerdos, & cuncta agitabat ita, ut supra posuimus.

[114] *Consistebat autem &c. Tosaphta ibidem*. Quomodo fiebat agitatio duorum panum frumenti novi? unam placentam uni agno, & alteram alteri imponebat. Sacerdos agni manui suam manum supponebat, & alter Sacerdos manum suam Sacerdotis manui supponebat, & agitabat huc & illuc, sursum & deorsum, & hæc erat ejus agitatio. R. Jose filius Messullam dicit agni pani imponebantur juxta versiculum qui dicit; והניף הכהן אותם על הלחם *primitiarum elevatione*. Levit. 23. 20. Ei dixerunt, nonne dictum est, *cumque elevaveritis coram Domino cum duobus agnis? sic Hebræus* ei respondit; invenimus rem indecisam; ei dixerunt, quid invenimus in ariete initiationis? panem supra collocatum; etiam hoc loci panis supra collocabatur. *Maimonides de sacrificiis jugibus, & addititiis cap. VIII.* 11. Atque hæc erat ratio agitandi panis simul cum duobus agnis pacificis: adducebantur agni duo adhuc viventes, quoniam in Lege est; *cumque elevaverit eos ...... elevatione*. Quanquam si sacerdos eorum utrumque seorsum agitasset, bene fuisset. *Bartenora ad cap. V. 6. Menachoth*. Sed proprie non supra panem agitabit sacerdos, sed prope eos agnos, uti dixit Rabbi in Beraita, & ita decisio est. *Et Maimonides ibidem*. Sed jam aliquoties diximus, quod hi duo agni sunt pacifici, quos offerunt panis gratia in festo hebdomadarum. In Beraita quoque a Rabbi dicitur de duobus panibus cum duobus agnis, hanc oblationem ponendam esse ad latus illius, istam vero ad istius, atque ita agitandum esse; & ita decisio est. Nam hypothesis nobis est secundum Rabbi dicentem, *super panem* & non requiritur ut superimponat, quia per id quod dicitur *super panem*, notat cum pane, etsi seorsim veniat.

[115] *Nonnisi quatuor &c. Siphri ad cap. VI. 20. Num. Elevabit in conspectu Domini*, agitabat deducendo & adducendo sursum & deorsum juxta versiculum qui dicit: אשר הונף ואשר הורם comparat agitationem cum elevatione, sicut agitatio fiebat deducendo & adducendo, ita etiam elevatio fiebat deducendo & adducendo; & sicuti elevatio fiebat sursum & deorsum, ita etiam agitatio fiebat sursum & deorsum. Hinc est quod dixerunt, præceptum agitationis hujusmodi fuisse, ut fieret deducendo & adducendo, sursum & deorsum; hoc erat præceptum agitationis, *in conspectu Domini* ad orientem, quia ubicunque dicitur in *conspectu Domini*, intelligitur semper ad orientem, donec clarius se explicet textus.

[116] *Mulieres nunquam &c. Tosaphta Menachoth X.* 20. Agitatio peragebatur a Sacerdotibus, Levitis, Israelitis, Proselytis, & servis libertate donatis, profanis, nethinæis, nothis, eunucho per manum hominis, & eunucho solis, vulnerato confusione, & exsecto virilibus, non peragebatur a gentilibus, nec a mulieribus, nec a servis, nec a minorenibus. *Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. IX.* 16. Si sacrificium offerret mulier, omnino illa agitationem non faceret, faceret autem sacerdos. Nam sacrificium illius agitari necesse erat, atqui ipsa ad agitationem faciendam non erat idonea; etenim nulla unquam mulier nisi quæ in suspicionem adulterii vocata erat, aut Naziræa sacrorum agitationem faciebat, quemadmodum alio loco diximus. *Codex Chiduscin cap. I.* 8. Impositio manuum (quæ fit sacrificio) & agitationes, & adductio, & pugillatio, & suffitus, & sectio, quæ fit ungue, aspersio, & receptio sanguinis, incumbunt viris, non mulieribus, excepto dono mulieris adulterii suspectæ, & Nazirææ, quæ agitant.

[117] *Tres species rerum &c. Tosaphta Menachoth cap. VIII.* 11. 12. R. Simeon dicit, tres *sacrificiorum* species requirunt tria præcepta, & singula duo, sed in illis non continetur tertium, & hæc sunt, sacrificia pacifica congregationis, sacrificia pacifica privati, & sacrificium pro delicto leprosi. Sacrificia pacifica privati requirunt impositionem manuum dum vivunt, & agitationem dum mactata sunt, sed in iis non obtinet agitatio, dum vivunt. At ubi eorum agitatio fiebat? in sacrificiis pacificis congregationis. Sacrificia pacifica congregationis requirunt agitationem, & viva & mactata. At in quibus obtinet manuum impositio? in sacrificio pro delicto leprosi. Sacrificium pro delicto leprosi requirebat impositionem manuum, dum viveret, & agitationem, postquam mactatum esset; ubinam erat ejus agitatio? in sacrificiis pacificis congregationis.

[118] *Ex his omnibus &c. Codex Menachoth* cap. IX. 9. Impositio manuum in quibusdam gravior est agitatione, & contra; nam unica agitatio sufficit pro omnibus sociis, sed unus nequit imponere manus pro omnibus sociis. Nec quicquam gravioris momenti in agitatione continetur, quia agitatio in sacrificiis privatis & in publicis obtinet, tam in vivis quam in mactatis, tam in animatis, quam non animatis, quod non est in manuum impositione.

[119] *Secus se habet &c. Tosaphta Menachoth cap. X.* 21. Si quini attulissent unum Sacrificium, unus tantum illud agitabat pro omnibus, qui mittit per alium sacrificium suum, sacerdos pro eo agitabat, & pro muliere Sacerdos etiam agitabat. *Maimonides ibidem*. Homines duo, si societatem offerendorum pacificorum iinissent, eorum alter, siquidem socius licentiam dedisset, agitationem faceret, immo si centum fuissent, unus pro omnibus agitationem faceret, non erat ita de manuum impositione.

[120] *Eodem loco &c. Codex Menachoth cap. IX.* 8. Mactatio quoque fiat, ubi impositio, nam mactatio sequitur impositionem manuum. *Maimonides ibidem cap. III.* 12. Eodem loco, quo fiebat manuum impositio jugulabatur animans, & impositionem continuo sequebatur jugulatio.

[121] *Et quidem nulla mora &c. Maimonides ibidem*. Quanquam jugulatio si facta sit alio loco, item si retardata sit, nihilo secius legitima fuisset. *In Commentario tamen ad cap. IX. 8. Menachoth scribit nullam fuisse moram interponendam inter manuum impositionem & mactationem; & mactatio consequitur impositionem manuum*, ei juncta est absque ulla temporis mora, quia dicitur, *ubi manus imponunt, ibi mactabunt*, si vero quis manum extra atrium templi imposuerit, denuo imponat in loco ubi mactatum est, ut manus impositio cum mactatione conjungatur, ne alia actio inter utramque intercedat, uti Lex præscribit.

[122] *Constrictæ ad annulos &c. Jochanam Pontifex maximus curavit, ut viginti quatuor annuli pro viginti quatuor Sacerdotum curiis in solo atrii infigerentur, hisce immittebantur victimarum colla, quando mactabantur, non enim hostiæ ligabantur. Bartenora ad cap. IV. Tamid.* Jochanam vero Pontifex maximus sex ordines fecit annulorum, in quolibet ordine quatuor annulos pro viginti quatuor custodiis Sacerdotum, & hi solo erant infixi in modum arcus. Quia vero sacrificium juge non ligabant, sicut dixit Misna in principio capitis, pectus istius pecudis in annulos istos immittebant, quum mactabatur, & caput annuli in terra ponebatur. *Isti annuli erant ad septentrionem altaris, ubi mactabantur hostiæ Sanctissimæ. Middoth cap. III.* 5. Ad septentrionem altaris erant annulorum sex ordines, quorum singuli continebant quatuor, sunt qui afferant fuisse quatuor, quorum singuli continerent sex, ad quos mactabant victimas *Maimonides de templo cap. V.* 14. Ad harum mensarum latus erat annulorum spatium patens quatuor supra viginti cubitos, in quo mactabantur victimæ. Erant (*ut inquit Bartenora ad loc. cit. Middoth*) hi positi ad septentrionem altaris, quia sanctissima sacrificia ad septentrionem mactabantur.

[123] *In quovis loco atrii &c. Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. V.* 4. Quod autem victimas manus sanctas per atrium totum etiam post templum jugulari licebat, inde efficitur, quod de pacificis ita præcipiatur, *immolabitur introitu tabernaculi testimonii*, quo loco quoniam nulla potissimum plaga his victimis decernitur, sane permittuntur omnes; eadem erat reliquarum victimarum minus sanctarum ratio. *Vide Codicem Sevachim cap. V.*

[124] *Manu prehensa &c. Maimonides ibidem cap. IV.* Hoc igitur modo res tota fiebat; apprehendebat manu signa pecudis, quæ signa protrahebantur simul cum venis versus pateram suppositam, tum signa illa resecabantur aut ambo prorsus, aut amborum pars major, ut exciperetur vase supposito sanguis omnis; Culter autem jugulationis sursum extollebatur, ne sanguis ex eo distillaret, sed ex gutture ipso deflueret. Qui in cultro sanguis inerat abstergebatur in ora pateræ. *Et in commentario ad cap. II. Codicis Sevachim*. Sacrificiorum vero rite mactandorum ordo hic sit: capiat sacerdos pecudis cervicem, removeatque

cannas

cannas illius, & venas exterius, donec illa ſint e regione orientis, & tum mactet, ita ut ſanguis in vaſe totus excipiatur, atque hoc voluerunt ſapientes dum dixerunt: venæ in vas aliquod reponantur.

[125] *Peragi jugulatio &c. Toſaphta Chulin cap. I.* Omnes recte mactare poſſunt, etiam Samaritanus, etiam incircumciſus, etiam Iſraelita apoſtata. Beſtia Idolatriæ cauſa mactata, interdicta eſt; & ab ſimia mactata, interdicta eſt; quia textus dicit; *occides de armentis . . . . . & comedes*. Deut. 12. 21. non quod Idolatra mactaverit, nec quod ſimia mactaverit, nec quod ſeſe mactaverit. Si Iſraelita mactaverit, & Idolatra poſt eum mactationem perfecerit, beſtia interdicta eſt; ſi vero beſtiæ ambas gutturis cannas, aut ambarum cannarum majorem partem ſecuiſſet, legitima eſt; ſi Idolatra incepiſſet mactationem, & eam Iſraelita perfeciſſet beſtia legitima eſt. Si in beſtia mactaſſet quod facit diſcerptum, & Iſraelita venit, & perficit mactationem, licet eam comedere. Iſraelita & Idolatra ſi caperent cultrum, & una ſimul mactarent, etiamſi alter ſuperius, & alter inferius conſiſteret, mactatio legitima eſt; ſi cœcus, qui mactandi artem calleret, mactaſſet, ejus mactatio legitima eſt; ſi puer mactandi artem ſciret, beſtia ab eo mactata permiſſa eſt. *Maimonides de ſacris temeratis cap. I.* Qui non erant idonei ad operandum ſacris, iiſdem nihilominus licebat, ut de integro jugularent victimas etiam ſanctiores; excipitur homo immundus, qui ſi res erat in integro, non jugulabat ne tum quidem, cum ſtaret extra atrium, atque manus extendens victimam jugularet intra atrium, id adeo ne forte victimæ carnem attingeret. Qui ſi per nefas jugulaſſet victimam, nihilominus idonea fuiſſet. Item de juvenco ſummi Sacerdotis die ſolenni expiationum offerendo, quanquam in Lege eſt, *& immolabit eum Aaron*. Levit. 16. 11. nihilominus tamen ſi jugulatus eſſet ab homine alieno, idoneus fuiſſet; & Vaccam rufam ſi jugulaſſet homo alienus, eadem fuiſſet tamen idonea.

[126] *Si modo extra atrium &c. Maimonides ad caput III. Sevachim.* Scias itaque, quod ab initio permiſſum ſit extraneo, ſive cuilibet Iſraelitæ, & fœminæ, atque ſervo ut mactet ſacrificia, & quod auctor dicit משחטי *qui mactant*, innuere videtur, quod hæ perſonæ ab initio non mactant, & hoc propter immunditiem, nam ab initio non mactabant, ne carnem attingant. Ne vero objicias in eo quod immundus ſacrificia mactare poteſt, quoniam mactatio ſtricte in atrio fieri poteſt, licet immundo ſit prohibitum intrare atrium, ſicuti diximus in tractatu Schevuot. Hoc tamen fieri poteſt, quandoquidem culter mactatorius eſt magnus, ita ut mactare poſſit, licet extra atrium ſtet, vel ſi ex errore intret atrium.

[127] *Excepto ſurdo &c. Codex Chulin cap. I.* Omnes mactare poſſunt, & mactatio ipſorum recta eſt, ſurdo, ſtulto, & minorenni excepto, ne perdant mactationem eorum.

[128] *Et Minorenni &c. Maimonides de ſacris temeratis cap. I. 6.* Victimas non jugulabat parvulus, etiamſi natu major ad illum aſtabat, nam victimæ requirebant animi applicationem, quæ non cadit in parvulum. Immo ſi ejus animadverſio cognoſceretur e factis, ea acciperetur non in partem leviorem, ſed in ſeveriorem, ut ſi victimam holocauſti ſtantem in parte auſtrali parvulus traxiſſet ad partem aquilonarem, atque jugulaſſet, hic cum eſſet perſpicuum animum ejus intendi in jugulationem victimæ, temerata fuiſſet tamen.

[129] *Mora, ſi quis in actu &c. Toſaphta Chulin cap. II. 7.* Si tamdiu expectaſſet, ut rurſus mactare poſſet, reproba eſt; R. Simeon dicit, tamdiu ut poſſit aliam beſtiam viſitare. Si mactaſſet æſophagum, & tamdiu expectaverit, ut mactare poſſet, & poſtea guttur abſciderit, aut cultro æſophagum implicaſſet, aut guttur abſcidiſſet, aut cultrum ſub gutture implicaſſet, aut cultrum ſub ambobus implicaſſet, & abſcidiſſet, R. Isbab dicit, cadaver eſt, & onere polluit. R. Akiba dicit, reputatur diſcerptum, & mactatione fit purum; ei reſpondit R. Isbab, an non meminiſti R. Jehoſuam docuiſſe, quodcunque animal, quod mactatione fit cadaver, cadaver reputatur; & onere polluit, ante mactationem diſcerptum eſt, & mactatione fit purum? R. Akiba iterum cum R. Isbab ſenſit. Si gutturis minorem partem mactaſſet, & tamdiu expectaſſet, ut mactare poſſet, & poſt ambo mactavit, aut guttur perforaſſet, & poſt ambo mactaſſet, diſcerptum eſt, & mactatione fit purum. *Maimonides ad cap. II. 3.* Chulin. *Spatium mactationis*, eſt alterius mactationis ſpatium, intra quod pecudem elevare, deponere & mactare poſſit. Et quamvis avis ſit id quod mactatur, dixerunt tamen, ſpatium mactandi parvum pecus etiam pro ave.

[130] *Preſſio &c. Toſaphta Chulin cap. I.* Præceptum mactationis ſit deducendo (*cultro*) & reducendo, ſi deduxiſſet, & non reduxiſſet, aut ſi reduxiſſet, & non deduxiſſet, *mactatio* recta eſt, ea tamen conditione, ut culter ſit tam longus, ut deduci & reduci poſſit; ſi deduxiſſet, & reduxiſſet, quamvis in cultro non eſſet plenitudo duorum beſtiæ collorum, legitima eſt.

[131] *Occultatio &c. Maimonides ad cap. 2. 4. Chulin.* Si itaque culter abſconſus fuerit iſto mactandi tempore, quod ad mactationem requiritur, ſive ſub veſte abſcondatur, ſive ſub pecoris lana, ſive ſub corio, quicquid huic ſimile eſt, prohibitum eſt, niſi totus culter tempore mactandi in aperto ſit.

[132] *Aberratio &c. Toſaphta Chulin ibidem.* Præceptum mactationis eſt, ut fiat ab annulo uſque ad pulmonem, ſi inferius aut ſuperius mactaſſet, reproba *mactatio eſt*. R. Chanina filius Antigoni dicit, recta eſt, ſi reliquiſſet plenitudinem fili ſuper totam faciem illius. R. Joſe filius R. Jehudæ dicit, ſuper faciem maximæ partis illius inſtar dimidiæ lunæ, recta eſt. *Bartenora ad cap. II. Chulin.* Quinque vero res, quæ mactationem deſtruunt hæ ſunt, tardatio, conculcatio, occultatio, aberratio, & extirpatio.

[133] *Præterea &c. Maimonides de ſacris temeratis cap. I. 4.* Non licebat uno & eodem tenore duas jugulare beſtias altari ſacras, quanquam ſi quis jugulaſſet idoneæ tamen fuiſſent.

[134] *Nec bovem & fœtum &c. Toſapta Chulin cap. V.* Præceptum, *non immolabuntur una cum fœtibus ſuis*, obſervantur in beſtia heterogenea, & in Cavi; R. Elieſer dicit, in beſtia heterogenea ex ovibus & capris obſervatur, & non obſervatur in Cavi.

[135] *Ea re quater &c. Toſaphta Chulin cap. V. 8.* Quatuor anni temporibus, ſi quis pecus vendiderit proximo ſuo, ei ſignificare debet, dicendo, matrem vendidi ut mactetur, filiam vendidi, ut mactetur, atque hoc in veſpera diei ultimi feſti Tabernaculorum, & ultimo die feſto Paſchatis, & veſpera Pentecoſtes, & in veſpera novi anni; & juxta opinionem R. Joſe Galilæi etiam in veſpera diei expiationum in Galilæa, qui eſt dies feſtus. Dixit R. Jehuda; quo caſu hæc dicta ſunt? Si dies expiationis in ſecundam Sabbathi diem incidat; ſed ſi in quamlibet aliam hebdomadæ diem inciderit, non opus eſt, ut ei ſignificetur, quia unus uno die, & alter altero mactare poteſt.

[136] *Necabantur &c. Toſaphta Chulin cap. I. 12.* Mactatio inſtrumento facienda eſt, & ungueſectio manu. Hinc tibi dicendum eſt, quod id quod eſt legitimum in mactatione, ſit reprobum in ungueſectione, & quod eſt legitimum in ungueſectione, ſit reprobum in mactatione; ſi intus avis mactatio fieret, reproba erat, & ungueſectio legitima, ſi foris ungueſectio fieret, illegitima erat, & mactatio recta. Hinc tibi dicendum, locum, qui legitimus erat pro mactatione, fuiſſe illegitimum pro ungueſectione, & eum, qui legitimus erat pro ungueſectione, fuiſſe illegitimum pro mactatione.

[137] *Nec dicuntur &c. Abarbanel in præfat. ad Leviticum cap. I.* Verbum זבח, quod eſt *immolatio*, & verbum קרבן, quo notatur *ſacrificium*, non ſunt nomina ita conſonantia, ut ſemper unum & idem ſignificent. Omnino immolatio omnis eſt eadem ac ſacrificium, contra vero omne ſacrificium, non eſt idem ac immolatio; immolari dicebatur ea demum quadrupes, quæ primum jugulabatur, tum adolebatur in ara, nam immolatio jugulatio eſt, licet ex eo cognoſci, quod ſcriptum legimus Deut. 12. 21. *Occides de armentis, & pecoribus quæ habueris, ſicut ego præcepi tibi*. Ex quo exiſtit, ut quævis immolatio ſacrificium eſſet, quod in ara adoleretur, & genus ſacrificiorum quoddam non eſſet immolatio, ut ſacrificium illud, quod volucri fiebat, quoniam ea non jugulabatur, non erat immolatio.

[138] *In ſacris etiam &c. Codex Negaim cap. XIV.*

Quo-

Quomodo purificant leprosum? is adducit phialam testaceam novam, eique quartarium aquæ vivæ imponit, & adducit duas aves libertatis, quarum unam שחט *mactat*.

[139] *Sacerdos duos pedes &c. Tosaphta Sevachim cap. VII.* 4. Quomodo fiebat unguesectio sacrificii pro peccato volucris? apprehendebat duas alas duobus digitis, & ambos pedes duobus suis digitis, & extendebat ejus collum super digitos suos, & unguesecabat e regione cervicis, & non separabat, & de ejus sanguine spargebat super parietem altaris, & sicuti discindenda erat una gutturis canna, aut major pars ipsius, ita etiam unguesecanda una ex cannis, aut alterius pars major. *Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. VII.* 6. Jam hostia pro peccato, quando erat volucris, sic immolabatur. Sacerdos collum ejus contortum unguesecabat in altaris cornu inter meridiem & occidentem intermedio, ita ut paulo supra posuimus, atque unguem infigebat adeo, ut ambo signa prorsus abscinderet, aut alterius majorem partem, caput autem a corpore non dividebat, si divisisset, vitiasset, & verberibus multaretur; est enim in Lege: *& retorquebit caput ejus ad pennulas ita, ut .... non penitus abrumpatur*, tum ex ejus sanguine altaris crepidinem aspergebat subter mediam partem, & reliquum sanguinis dabat operam, ut in fundamentum distillaret sic, ut scriptum legimus: *quicquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentum ejus*. Levit. 5. 8. 9. Namque ex eo cognoscitur & altaris crepidini sanguinem aspergendum, & reliquum esse profundendum in altaris fundamentum. Nimirum hæc est inferior crepido. Atque hæc distillatio sanguinis necessario requirebatur in hostia pro peccato si volucris erat; neque enim altari ex illa quicquam, quam sanguis obveniebat; reliquum enim a Sacerdotibus masculis sic tanquam caro quadrupedis hostiæ pro peccato comedebatur. Jam volucris hostia pro peccato, dum ejus collum retortum unguesecabatur, sic apprehendi oportebat, ut ejus duo pedes, & alæ duæ inter duos Sacerdotis digitos interpositæ essent, sic ut per transversos hos duos digitos extenderetur collum, & retortum unguesecaretur. Quæ quidem operatio erat una ex difficillimis, quæ in templo fiebant, operationibus. Quanquam Sacerdos si rationem mutasset, & victimam quacunque alia parte apprehendisset, nihilo secius idonea fuisset.

[140] *Judæi volunt &c. Tosaphta Sevachim ibidem*. Sicuti fiebat unguesectio sacrificii pro peccato volucris, ita etiam facienda erat unguesectio holocausti volucris; sed in holocausto volucris dividebat, & de ejus sanguine exprimebat super parietem altaris, & si de cervice expressisset, illegitimum erat, de corpore, erat legitimum, si expressisset super pontem, & super cornu, & super basim, erat illegitimum, si e loco superiori unius cubiti spatio fecisset, erat legitimum, si a loco inferiori cubiti spatio, legitimum erat. R. Simeon, & R. Jochanan filius Beroka dicebant, in summitate altaris fiebat. *Maimonides ibidem cap. VI.* 20. Sin esset holocaustum e volucri, sic fiebat. Ascendebat Sacerdos in collem, & conversus ad gyrum altaris procedebat ad cornu medium inter meridiem & orientem. Hic caput avis ad cervices retortum a collo dividebat, si non divideret, vitiosum holocaustum erat, tum capitis sanguinem item & sanguinem corporis exprimebat ad altaris crepidinem paulo supra filum, quod erat in altari medio; quod si capitis sanguinem expressisset, non expressisset sanguinem corporis, vitiosum erat holocaustum, sin autem corporis expressisset sanguinem, non expressisset capitis, bonum erat. Tum capitis eam partem, in qua facta torsio fuisset, convertebat ad altare, atque aspersam sale in ignem porriciebat, tum veniebat ad volucris corpus, ex quo ingluviem manu evellebat, eamque pelle & pluma circumdatam, & cum hac simul consequentia viscera, quæ ad cineris receptaculum projiciebat. Tum alas ejus findebat non cultro, sed manu, verum enim non abscindebat, *non secabit*. Levit. I. 17. quanquam si abscidisset, bene fuisset tamen, tum aspersam sale volucrem in ignem porriciebat. Si non esset ingluvies evulsa cum plumis, & visceribus, si non esset aspersa sale volucris, denique si post sanguinis expressionem aliud quid esset immutatum, bene fuisset tamen. Jam quod ad secandi rationem ungue pertinet, Sacerdos volucris caput ungue resecabat a cervicibus. Qui si vellet unguem secando collo deducere reducereque licebat, rursusque deducendo ungue simul & semel collum volucris præcidere.

[141] *Sed in Sacrificiis &c. Bartenora ad cap. VI.* 4. *Sevachim*; *sed non separat* caput scil. a corpore, sed spinam dorsi abscindebat, necnon maximam carnis partem adhærentem donec ad æsophagum vel cannam pervenisset, & tum unam duntaxat cannam auferebat, & ungue secabat, uti scriptum est *Levit.* 5. 8. ולא יבדיל *& non penitus abrumpatur*.

[142] *Poterat illa peragi &c. Tosaphta Sevachim ibidem*. R. Eleaser filius R. Simeonis dicit; Sacrificium pro peccato volucris, quod juxta ritum unguesecuisset, & omnino separasset, est legitimum, si unguesecuisset in quolibet atrii loco, est legitimum, si expressisset ejus sanguinem ad quamlibet altaris partem, est legitimum, si aspersisset, neque expressisset, est legitimum, ita ut inferius aspergat de sanguine vitali contra basim, & si legitimum erat, comedebatur a Sacerdotibus.

[143] *Sed solebat fieri &c. Maimonides ibidem. cap.VII.* 9. Ad hujus hostiæ collum retortum ungue secandum partes altaris erant idoneæ omnes, sed sanguinis sparsionem oportebat infra dimidiam partem altaris fieri. Quæ si esset in quovis altaris loco facta, bene haberet tamen, si modo tantillum sanguinis vitalis fuisset inferiori parti altaris aspersum. In cornu altaris meridiei & occidenti intermedio fiebant tria in parte superiori, & in inferiori quoque tria; in inferiori mactabatur hostia pro peccato si volucris erat, admovebantur ferta, & effundebantur reliquiæ sanguinis holocaustorum, hostiarum pro peccato comedendarum, hostiarum pro delicto, & pacificorum. Et fiebant item tria in parte superiori, nempe libatio aquæ ad solennitatem Tabernaculorum, porro libatio vini, quod in quotidianis libaminibus fundebatur, tum mactatio holocaustorum volucrium, si quando foret magna illorum copia. Namque si nimiam illam multitudinem capere non posset cornu altaris meridiei & orienti medium, sacerdotes sese vertebant ad cornu altaris meridiei & occidenti intermedium, ubi holocausta illa peragerent.

[144] *Quo ingluvies &c. Maimonides ad cap. VI.* 2. *Sevachim*. Holocausto autem avium locum assignamus in orientali parte altaris, quia ea pars est prope locum effusionis cineris, ubi ingluvies cum pluma rejiciebatur.

[145] *Supra lineam rubram &c. Middoth cap. III.* Filum vero coccineum cingebat altare medium ad discernendum inter sanguines superiores & inferiores. *In quem locum ita Bartenora. Et filum coccineum cingebat medium illius*: filum rubrum undequaque cingebat altare circa medium ab altitudine illius in fine quinti cubiti, qui est unus cubitus de altitudine circuitus סובב dicti: *ad discernendum inter sanguines superiores*, nam sanguis sacrificii pro peccato e pecore desumti, & holocausti ex avibus spargebatur supra filum coccineum, *& inferiores*; & ad discernendum inter reliqua sacrificia, quorum sanguis infra filum coccineum spargitur. *Tosaphta Sevachim cap.* VI. Erat filum coccineum in medio altaris, ab eo & inferius erant quinque cubiti, ab eo & superius erant quinque cubiti, quod omnes illi (*sanguines*) qui infra spargebantur, legitimi erant a filo rubro & inferius, & ii omnes, qui supra spargebantur, legitimi erant a filo rubro & superius: verba R. Meyr, & sapientes dicunt, quando hæc consideranda sunt? in holocausto volucris; de sacrificio pro peccato pecoris non spargebant nisi super cornu.

[146] *Fieri illa debuit &c. Codex Sevachim cap.V.* Quisnam est locus sacrificiorum, quæ sunt sancta sanctorum? Eorum mactatio *fiat* in aquilone . . . . atque acceptio sanguinis eorum in aquilone in vasa ministerii. *Tosaphta Sevachim cap. VI.* Quemadmodum mactabatur ad aquilonem (*in sacrificiis sanctissimis*) ita excipiendus erat sanguis ad plagam aquilonarem. *Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap.V.* Cunctarum igitur victimarum sanguis excipiebatur manu sacerdotis in vas sacrum; locus autem jugulandi & sanguinis excipiendi non erat idem in omnibus. Victimarum enim sanctissimarum jugulatio, item & sanguinis illarum receptio fiebat tantum ad latus altaris aquilonare in toto illo spatio, quod principio hujus libri definivimus. Victimarum autem minus

nus ſanctarum jugulationem ſanguiniſque receptionem per totum atrium fieri licebat.

[147] *Quod ſi jugulatio &c. Toſaphta Sevachim cap. VI.* 2. Si quis cum eſſet ad auſtrum, manum porrigat ad aquilonem, & mactet, ejus mactatio legitima eſt; ſi excepiſſet ſanguinem, reprobum eſt; ſi caput, & majorem partem ſui corporis ad aquilonem inflexiſſet, & mactaſſet, perinde erat, ac ſi eſſet omnino in aquilone. Si victima tremens ad auſtrum abiſſet, rediſſetque ad aquilonem, recta operatio eſt. Sanctitates leves mactabantur intus (*intra atrium*) & eorum ſanguis intus excipiebatur: ſi intus mactaſſet, & foris excepiſſet, aut foris mactaſſet, & ſanguinem intus excepiſſet, eſt reprobum, donec intus mactet, & ſanguinem intus excipiat. Si eſſet foris, & intro manum extendiſſet, & mactaſſet, recta operatio eſt; ſi excepiſſet ſanguinem, illegitima eſt; ſi caput & majorem ſui corporis partem intromiſiſſet eſt illegitima, niſi omnino ingreſſus eſſet, ſi victima tremens foras abiſſet, & intrus reducta eſſet, eſt reproba operatio. *Maimonides de ſacris temeratis cap. I.* 7. 12. Victimæ ſanctiores ſi fuerint jugulatæ ad auſtrum, ſi fuerit earum exceptus ſanguis ad auſtrum, temeratæ fuiſſent. Si quis cum eſſet ad auſtrum, manum porrigeret ad aquilonem, & victimam jugulaſſet, iſta jugulatio idonea foret. Si quis cum ſtaret ad auſtrum, manum porrigeret, ac victimæ ſanguinem exciperet in parte aquilonari, iſta excipiendi ratio neutiquam idonea fuiſſet. Sin autem caput, & majorem corporis partem inflexiſſet ad aquilonem, perinde erat, ut ſi in parte ſtaret aquilonari. Quod ſi victima jugulata ad aquilonem tremens abiſſet ad auſtrum, immo etiamſi tum fuiſſet ad auſtrum adducta, tamen idonea fuiſſet. Eadem ſi tremens ad auſtrum abiſſet, rediſſetque ad aquilonem, ibique ejus eſſet exceptus ſanguis, bene eſſet. Et ſi quis cum ſtaret extra atrium manum porrigeret intus, ac victimas minus ſanctas, quæ forent intra atrium, jugulaſſet hæc utique jugulatio fuiſſet idonea. Si quis autem cum ſtaret extra atrium manum porrigeret intus, ac victimæ ſanguinem exciperet, modus excipiendi non eſſet idoneus, non ſi caput etiam atque majorem corporis partem intromiſiſſet. Quin etiam miniſter ſi eſſet intra atrium totus, & peniculamentum ejus eſſet extra, miniſterium ejus temeraretur; nam quod eſt in Lege: *Quando intratis in tabernaculum teſtimonii* (*Levit.* 10. 9.) id hoc ſibi vult homines penitus ingreſſos opus eſſe. Si hoſtia tremens exceſſiſſet atrio, poſtquam ejus erat exceptus ſanguis, idonea fuiſſet; immo etiam exta, & caro victimarum minus ſanctarum ſi efferentur atrio ante ſanguinis aſperſionem, victimæ tamen erant idoneæ, ut inferius ediſſeretur.

[148] *Veluti cum vacca ruſa &c. Toſaphta Parah. cap. II.* 10. Quomodo operabatur? dextra mactabat, & excipiebat (*ſanguinem*) ſiniſtra, & digito dextro aſpergebat, & ſi ſecus feciſſet, operatio reproba erat. R. Jehuda dicit, dextra mactabat, eique, qui proximus ſibi erat, cultrum porrigebat, & ſiniſtra excipiebat, & dextræ imponebat, & digito dextro aſpergebat, ſi ſecus feciſſet, operatio illegitima eſſet. *Maimonides Parah cap.* III. mactabat dextra manu, & excipiebat ſanguinem manu ſiniſtra, atque ſpargebat digito manus dextræ de ſanguine, qui in manu erat ſiniſtra, ſepties verſus templi ſanctum ſanctorum.

[149] *Ita quoque &c. Maimonides de indigentibus piaculi cap. IV.* 2. Hæc igitur in tali homine luſtrando tenebatur ratio. Leproſus extra atrium Iſraelitarum contra portam orienti ſoli reſpondentem, quæ porta Nicanoris erat, in ipſo limine ſtabat ſpectans in occidentis ſolis partes . . . . . . deinde leproſi hominis hoſtiam pro delicto viventem prehendebat ſacerdos, & cum logo olei ſimul agitabat ad orientem verſus, quam in partem agitari conveniebat, quicquid ſacrorum agitabatur, quanquam ſi ſeparatim agitaſſet utrumque, bene fuerat; tum idem ad portam deducebat hoſtiam leproſi hominis, qui porrectas in atrium manus ei imponebat; continuo jugulabatur hoſtia, cujus ſanguinem excipiebant Sacerdotes duo, unus ſacro vaſe, is aræ ſanguinem exceptum inſpergebat; alter manu dextra, qui porro eum in lævam infundebat, digito indice dextro ſpargebat; hic ſi contra quam oportuerat, læva manu primum excepiſſet, ſanguinem, temeraſſet. Qui ſacerdos vaſe ſacro partem ſanguinis exceperat, prior eum delatum aræ aſpergebat, inde leproſum ad hominem veniebat, qui ſanguinem exceperat manu ſacerdos. Conſiſtebat intus ſacerdos, leproſus homo foris &c.

[150] *Quod ſi uno vaſe &c. Toſaphta Sevachim cap.* VIII. 32. Sanguis hoſtiæ pro peccato ſi receptus eſſet in pateras quatuor, atque ex unaquaque patera ſuper quatuor cornua aſperſerit, omnes effundendæ erant ad baſim; ſi vero de una tantum patera quatuor aſperſiones feciſſet, effundebatur ad baſim, & *reliquæ pateræ* in foſſam effundebantur. R. Elieſer filius R. Simeonis dicit, etiamſi una tantum ex his *pateris* quatuor aſperſiones feciſſet, omnes ad baſim effundebantur. *Maimonides de ſacris temeratis. cap.* II. 21. Sanguis hoſtiæ pro peccato ſi receptus eſſet in pateras quatuor, atque ex unaquaque patera fieret una aſperſio, porro quicquid in unaquaque reliquum fuiſſet, funderetur ad altaris baſim, juxta Legis edictum: *reliquum fundet ad baſim ejus*; ſin aſperſiones quatuor de una & eadem patera, reliquiæ pateræ ejus funderentur ad baſim altaris, pateræ autem reliquæ in foſſam effunderentur.

[151] *Si autem &c. Codex Sevachim cap. VIII.* 12. Si ſacrificii pro peccato ſanguinem accepit duobus in poculis, efferturque unum ex illis foras, id tamen quod intus eſt, rectum eſt; ſi portatur unum eorum introrſum; R. Joſe licitum pronunciat externum, verum ſapientes dicunt reprobum. Dixerit licet R. Joſe Galilæus; ſi propter locum, cujus profanat cogitatio, hoc eſt exteriorem, non facimus reliquum exportato ſimilem, nonne loco, de quo cogitatio non reprobum reddit, h. e. interiori hoc juris erit, ut non faciamus reliquum illato ſimilem? Si quid illatum fuerit ad expiandum, etiamſi nondum expiaverit, reprobatur, ſunt verba R. Elieſeris. At R. Simeon dixit, uſque dum expiat; R. Jehuda inquit, ſi per errorem intiluerit, bene habebit. *Toſaphta Sevachim cap. VIII.* 29. Si ſanguinem ſacrificii pro peccato duabus pateris accepiſſet, ſi earum altera polluta eſſet, aut effuſa eſſet, aut foras educta eſſet, aut inferius effuſa eſſet, altera legitima eſt; *& probatur argumento* a minori ad majus pro interioribus, quod ſi earum una foras educeretur, reproba erit, & ecce argumentum; ſi ubi cogitatio non facit reprobum locum exteriorem, non excludit ſanguis exportatus ſanguinem illatum, ubi cogitatio non facit reprobum interiorem, non erit æquum, ut non excludat ſanguis illatus exportatum? Idcirco ſcriptum eſt; *præſertim cum de ſanguine illius non ſit illatum intra Sancta*. *Lev.* X. 18. Quando intra illatus eſt, eſt legitimus, ſi foras efferatur, non eſt amplius legitimus. *Maimonides de ſacris temeratis. cap. II.* 15. Si ſanguis hoſtiæ pro peccato pateris exciperetur duobus, atque earum altera portaretur foras, quæ remanſiſſet intus, idonea erat ex qua fierent aſperſiones; ſin earum altera intra templum inferretur, atque ex eadem intrà templum aſperſiones fierent, & altera quoque patera exterior temeraretur, nam quod eſt in Lege, *cujus ſanguis infertur*, id ſignificat vel parte ſanguinis in ſanctum illata ad expiandum, hoſtiam prorſus temerari; ſi quis in templum intuliſſet ſanguinem hoſtiæ pro peccato ad expiandum, nec expiationem patraſſet, ſed idem nulla facta aſperſione ſanguinem e templo reportaſſet, ſanguis, quoniam in ſancto expiatio patrata non eſſet, idoneus erat, ex quo foris aſperſiones fierent, ſiquidem per imprudentiam erat in templum illatus, nam ſi contumaciter inferretur, temeraretur ſcilicet.

[152] *Digito fiebant &c. Victimarum pro peccato ſanguines digito, reliquarum vero vaſe aſpergebantur. Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. V.* 9. ex cunctis ſacris ſola hoſtia pro peccato erat, quæ requirebat, ut ſanguinis aſperſio per digitum fieret, quia enim de illa ſcriptum legimus: *cumque intigerit digitum in ſanguine. Levit.* 4. 6.

[153] *Quum ipſam expiationem &c. Maimonides de ſacris temeratis cap.* II. 10. Verum enim offerentium delicta expiabantur, ubi primum victimarum ſanguis tetigiſſet. *& Bartenora ad cap.* II. *Sevachim*. *Si quis effudit illum ſuper clivum, non e regione fundamenti*, tum illegitimus eſt ſanguis, poſſeſſorum vero ſacrificii omnino expiantur peccata!, niſi quod caro non comeditur, eo quod dicitur de ſanguine Levit. 17. 11. *& ego dedi illum vobis, ut ſuper altare in eo*

ex-

expietis pro animabus veſtris; quandoquidem igitur ſanguis ad altare pervenit, idcirco poſſeſſorum peccata expiata ſunt.

[154] *Sic ante ſparſionem &c. Codex Sevachim IV.* 4. Holocauſti ſanguis propriam facit carnem ejus altari, & pellem ejus ſacerdotibus. *In quem locum ita Bartenora: & pellem ejus Sacerdotibus*, eſt pellis holocauſti oblati, quæ non prius pertinet ad ſacerdotes quam poſt ſparſionem ſanguinis.

[155] *Nec ante illam &c. Toſaphta Nazir cap.* IV. 13. Si ſuper uno aliquo ſparſus eſſet unus de ſanguinibus, & ſe polluiſſet, R. Elieſer dicit, deſtruit omnia & ſapientes dicunt, afferet ſua reliqua ſacrificia, & ſe purificabit. Narratur hiſtoria de Marianne Tarmuditha, ſuper qua ſparſus fuerat unus de ſanguinibus, venerunt, eique dixerunt de ſua filia, quod periclitaretur, & abiit, invenitque eam mortuam, & ſe pro ea immundavit; dixerunt ſapientes, afferat reliqua ſua ſacrificia, & ſe purificabit, quia ſanctificatus eſt ejus capillus ſanguine. *Vide Maimonidem cap. 8. Nazir.*

[156] *Notandum eſt &c. Toſaphta Sevachim cap.* VI. 7. Quomodo faciendæ erant aſperſiones ſacrificii pro peccato cætus, & privati? Aſcendebat ſuper clivum, & ſe convertebat ad circuitum, & veniebat ad cornu meridionale orientale, intingebat digitum ſuum indicem manus dextræ, eumque ſubſtinebat duobus digitis magnis, altero ex una, altero ex altera parte, & aſpergebat, & deſcendebat ſanguis contra aciem cornu, uſque dum totus ſanguis conſumeretur, qui ſuo digito inerat. Si aſperſiſſet ex una & altera parte cornu, recta erat operatio, a cornu & interius, erat illegitima, ſi mutaſſet ordinem aſpergendi in cornibus, erat illegitima, ſi aſperſionum vel unam omiſiſſet, erat reproba; vel una ſi deficeret aſperſio, erat illegitima, & effundebat reliquias ſanguinis, & effluebant ad fundamentum meridionale, verba R. Joſe filii R. Jehudæ; & R. Elieſer filius R. Simeonis dicit, in ſuo loco ſtabat, & effundebat ſuper fundamentum meridionale. *Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap.* V. 7. Hoſtiæ pro peccato illæ quæ comedebantur, requirebant aſperſiones ſanguinis quatuor in quatuor cornibus altaris exterioris, nempe ſupra dimidiam partem altaris, id adeo quia de hoſtia pro peccato ſcriptum eſt, *ſuper cornua altaris*. Levit. 4. 7. Atque hic erat agendi modus. Sacerdos cum ſanguinem hoſtiæ patera exceperat, eum ad altare transferebat. Hic dextræ manus digitum pollici proximum in ſanguinem intingebat, tum pollicem ad partem altaris unam, & ad alteram proximum pollici digitum applicabat, & abſtergendo deducebat contra aciem cornu altaris tandiu, dum omnino omnis ſanguis, qui digito inhærebat, abſumeretur. Item faciebat in ſingulis altaris cornibus. Qui ſi in proximo a cornu cubitali ſpatio alterutri lateri ſanguinem induceret dumtaxat, ſatis expiaſſet. At enim ad unumquodque cornu digitum in ſanguinem intingeret oportebat, & cum unum e cornibus ſanguine prorſus infeciſſet, digitum in ora pateræ abſtergebat, deinde digitum denuo in ſanguinem intingebat. Nam quicquid ſanguinis in digito reſiduum er..t ex uno altaris cornu, id alteri inducere cornu nefas erat. Ex cunctis ſacris ſola hoſtia pro peccato erat, quæ requirebat, ut ſanguinis aſperſio per digitum fieret, quia enim de illa ſcriptum legimus, *cumque intinxerit digitum in ſanguine*, Levit. 4. 6. Oportebat autem ut ſanguinis adeſſet ſatis ad intingendum digitum, non autem ut digito quaſi detergeretur ſanguis. Initium igitur faciebat ſacerdos ab aſcenſu in collem, unde ſe convertebat ad dextram, & per gyrum ambulabat. Ac primum quidem ſanguine imbuebat altaris cornu meridiei & orienti intermedium, deinde quod huic erat proximum cornu orienti ac ſeptentrioni intermedium inficiebat, tum quod proximum erat ab iſto cornu ſeptentrioni & occidenti medium, poſt quod huic eratp roximum occidenti & meridiei medium. Sanguinis reliquias effundebat ad baſim ejus cornu, quod poſtremum obleverat; nam quod ſcriptum eſt: *reliquum autem ſanguinem fundet juxta baſim altaris holocauſtorum* (Ibid. 4. 18.) ſignificat baſim auſtralem.

[157] *Illarum autem &c. Toſaphta ibidem*. In juvencis, & hircis comburendis inter mactandum & aſpergendum eorum ſanguinem, introibat, & ſtabat inter altare aureum, & candelabrum; altare erat illo interius, intingebat, & aſpergebat ſepties e regione Sancti Sanctorum, quotieſcunque ſpargebat, intingere debebat. Si ſuper cornu aſperſiſſet ex una parte ad alteram, legitima erat operatio, ſi a cornu & interius, erat reproba, ſi aſperſionum ordinem mutaſſet in cornibus, illegitima erat, ſi vel unam omiſiſſet ex aſperſionibus, reproba eſt. Exibat, & effundebat reliquias ad baſim occidentalem altaris exterioris, & *reliquias* altaris exterioris, effundebat ad ejus baſim auſtralem. R. Simeon dicit, ambas ad baſim occidentalem, & ambæ miſcebantur in foſſa, & effluebant in torrentem Cedron; & olitoribus ad ſtercorandum vendebantur, & in ipſis prævaricabantur, verba R. Simeonis; R. Meyr & Sapientes dicunt, nulla erat prævaricatio in Sanguinibus. *Maimonides ibidem*. Qui cremabantur juvenci, item & hirci, horum ex ſanguine ſingulorum fiebant aſperſiones ſeptem contra velum, quod Sanctum a Sancto Sanctorum dividebat, item & aliæ quatuor aſperſiones ad altaris aurei cornua quatuor. Quodcunque ſanguinis genus erat aſpergendum altari aureo, Sacerdos ingreſſus conſiſtebat inter altare & candelabrum ſic, ut haberet altare ante ſe. Jam altaris cornua aſpergebantur de loco exteriori, initium fiebat ab cornu orienti & ſeptentrioni intermedio, tum procedebat ad cornu ſeptentrioni & occidenti intermedium, inde ad intermedium occidenti & meridiei, & denique ad cornu meridiei & orienti intermedium. Quem ſacerdos unctus de quovis præcepto violato mactabat juvencum, hujus juvenci ſanguinem excipiebat ipſemet unctus Sacerdos, atque intus aſpergebat; quem ſi ſanguinem excepiſſet, aſperſiſſetque Sacerdos privatus, bene fuiſſet tamen. Jam hircorum de Idolatria mactandorum, qui hirci quoque cremabantur, illorum ſanguis quo loco, quoque modo ſit ſpargendus a Lege quidem non declaratur; verum quia univerſæ Eccleſiæ erant hoſtiæ pro peccato, de illis ex juvenco ob errorem, qui juvencus & ipſe erat Eccleſiæ hoſtia pro peccato, judicabatur quoad omnia, quæ in iſtum dicuntur de aſperſione ſanguinis, & de ratione cremandi, & de polluendo homine, qui cremabat. *At ſanguines juvenci, & hirci diei expiationum, quæ etiam erant hoſtiæ pro peccato, octies inter vectes arcæ, totidem ad velum, quater ad quatuor cornua altaris aurei, & ſepties in medio altari aſpergendi erant. Toſaphta Joma in fine capitis ſecundi, & principio tertii*. Sanguinem a miſcente ſumebat, intrabat in locum, quem prius intraverat (*in Sanctum Sanctorum*) ſtabatque in loco quo conſtiterat, & ſpargebat ex i'lo ſuper velum contra duos vectes Arcæ ſemel ſurſum & ſepties deorſum, nec intuebatur ad ſpargendum ſurſum aut deorſum, ſed inſtar alicujus manuum attollentis. R. Jehuda dicit nomine R. Eleaſaris, ita numerabat, ſemel, ſemel, & ſemel, ſemel & bis, ſemel & ter, ſemel & quater, ſemel, & quinquies, ſemel & ſexies, ſemel & ſepties, deinde ibat ſiniſtrorſum uſque ad velum neque ad velum ſpargebat, & ſi ſpargebat, ſpargebat. Dixit R. Eleaſer filius R. Joſe, ego illud vidi Romæ guttis ſanguinis inſperſum, & mihi dixerunt, iſtæ ſunt de ſanguinibus diei expiationum. Et exibat, ut circumiret altare, unde incipiebat? a cornu orientali aquilonari, aquilonari occidentali occidentali meridionali, meridionali orientali, loco quo inceperat in ſacrificio pro peccato ſuper altare exterius, eodem in altari interiori finiebat, ſuper ſingula ſpargebat ab inferiori parte ad ſuperiorem, excepto eo ſolo, quod ſpargebat coram ipſo, quod ſpargebat a parte ſuperiori ad inferiorem. R. Jehuda dicit nomine R. Elieſeris: in loco ſuo ſtabat, & mundabat, & ſuper omnia ſpargebat a parte inferiori ad ſuperiorem, excepto eo ſolo, quod erat coram eo, quod ſpargebat a parte ſuperiori ad inferiorem. Spargebat ſuper puritatem altaris ſepties, non ſpargebat ſuper cinerem, nec ſuper prunas, ſed ſolum ſuper tectum altaris, & ipſe inflectebatur ſuper parietem, in ſingulis aſperſionibus infuſio requirebatur. *Maimonides ibidem*. Juvencus & hircus diei expiationum requirebant ſuas quiſque aſperſiones, octo inter vectes arcæ, & totidem ad velum, tum autem ſanguis juvenci cum hirci ſanguine confundebatur, & quatuor inde faciebant aſperſiones in quatuor cornibus altaris aurei intra templum ſiti; porro ſeptem aſperſiones in medio hoc altari.

[158] *Et reliquum ad baſim &c. Toſaphta Joma ibidem*. Vix dum perfecerat aſperſiones interiores, exibat,

bat, reliquiaſque ſanguinis in lembum occidentalem altaris exterioris effundebat, & illas altaris exterioris in lembum meridionalem effundebat. R. Simeon dicit, utraſque in lembum occidentalem, & utræque in foſſa miſcebantur, & pro illis prævaricabantur, verba R. Meyr, & ſapientes dicunt, non erat prævaricatio in ſanguinibus. *Maimonides ibidem*; Atqui ſanguis omnium, quæ cremabantur, hoſtiarum pro peccato intra templum portabatur, ubi fierent ex eo aſperſiones illæ, quæ a Lege edicuntur, reliquum autem ſanguinis effundebatur in baſim occidentalem altaris exterioris, quod exeunti a templo primum ſe offerebat.

[159] *Secundum canonem &c. Toſaphta Joma ibidem.* Dixit R. Joſe; hoc erat ſignum. Omnis (*ſanguis qui prodibat*) e loco interiori, ut foris aſpergeretur, incipiebat ab eo, quod proximum erat interiori, & ille, qui offerebatur e loco exteriori, ut intus aſpergeretur, dabatur ſuper id, quod proximum erat exteriori. *Gemara Sevachim fol.* 58. 1. Hæc eſt regula, quicquid ex ara interiori ſumitur in exteriorem deponendum, deponitur in eo exteriori loco, quo nullus interiori eſt vicinior, & quicquid ex ara exteriori capitur inferendum in interiorem, ex eo loco capitur, quo nullus eſt interiori vicinior.

[160] *Nec ſanguis in ædem &c. Codex Parach. cap. III.* 9. Quum immerſiſſet digitum ſepties ſpargebat e regione ſancti ſanctorum. *Maimonides Parach. III.* 2. Mactabat dextra manu, & excipiebat ſanguinem manu ſiniſtra, atque ſpargebat digito manus dextræ de ſanguine, qui in manu erat ſiniſtra, ſepties verſus templi Sanctum Sanctorum.

[161] *Sanguis holocauſtorum &c. Toſaphta Sevachim ibidem.* Holocauſti, & commutati holocauſti, & hoſtiarum pacificarum publicarum, & victimarum pro delicto, & ſacrificiorum Euchariſticorum, & arietis Nazaræi, & ejus pacificorum, & pacificorum, quæ offerebantur cauſa Sacrificii Paſchalis, & Sacrificii Paſchalis, cujus præterierit tempus, quomodo ſanguines aſpergebantur? Veniebat ad cornu Orientale ſeptentrionale, ſpargebat verſus orientem & ſeptentrionem ad cornu occidentale auſtrale, ſpargebat ad occidentem & ad plagam auſtralem, verba R. Nehemiæ: & R. Elieſer filius Jacobi dicit, veniebat ad cornu orientale ſeptentrionale, aſpergebat ad orientem & aquilonem, ad ſeptentrionale occidentale, aſpergebat ad occidentem; R. Simeon vir ex Mizpa legebant in ſacrificio jugi, veniebat ad cornu orientale ſeptentrionale, aſpergebat ad orientem, & ſeptentrionem, ad ſeptentrionale occidentale aſpergebat ad occidentem, ad auſtrale, aſpergebat ad plagam auſtralem; ſi aſperſiſſet ſupra cornu ex una parte ad aliam, legitima erat operatio, a cornu & interius, erat illegitima, ſi cornuum aſperſionem mutaſſet, legitima erat, ſi aliquam omiſiſſet, aut ſi ſemel aſperſiſſet, legitima erat, reliquias ſanguinis effundebat inferius. *Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum ibidem.* Omnium horum trium Sacrorum, holocauſti, hoſtiæ pro delicto, & pacificorum tam publicorum quam privatorum ſanguis uno & eodem modo aſpergebatur uſque. Hæc igitur erat agendi ratio. Sacerdos cum victimæ ſanguinem patera exceperat, eadem illa duas aſperſiones obliquas efficiebat infra dimidiam partem altaris in cornibus duobus, uno videlicet inter orientem & ſeptentrionem intermedio, & altero inter occidentem & meridiem interpoſito. Jam aſpergendo dabat operam, ut altaris cornu circumdaretur ſanguis ita, ut ſpeciem literæ *gamma* præferet, id adeo ut per aſperſiones duas quatuor altaris parietes ſanguine inficerentur, quippe de holocauſto & de pacificis dictum eſt, *per circuitum*. (Levit. 1. 12. & 3. 3.) atque eadem erat ratio hoſtiæ pro delicto. Porro reliquiæ ſanguinis effundebantur in fundamentum ad partem auſtralem.

[162] *Denique in ſacrificiis &c. Toſaphta Sevachim ibidem.* Primogeniti & Decimæ, & ſacrificii Paſchalis, ſanguines unica aſperſione effundebat contra baſim, ſi effudiſſet, ſed non contra baſim, operatio erat illegitima. *Maimonides ibidem.* Animantium primogenitarum, decimarum, & Agni Paſchalis ſuus cujus ſanguis unicam requirebat dumtaxat aſperſionem; nimirum fundebatur contra fundamentum in quovis ex tribus altaris cornibus; nam altaris cornu meridiei & orienti medium fundamento caruiſſe ſupra poſuimus. Quod autem horum cujuſque ſanguis unam duntaxat requirebat aſperſionem, ex eo cognoſcitur, quod de primogenitis dictum eſt, *ſanguinem tantum eorum fundes ſuper altare*; (*Num.* 18. 17.) atque de decimarum, & Agni Paſchalis itidem ac de primogenitorum ſanguine ſparſionem duntaxat unam eſſe faciendam auditione accepimus.

[163] *Effundebatur in canalem &c. Codex Sevachim VIII.* 7. Si commixtus fuerit (ſanguis) cum ſanguine reproborum, effundatur in ſtagnum. (Sic etiam ſi commixtus fuerit) cum ſanguine expreſſo, effundatur in ſtagnum; ſi abſque deliberatione effuderit, legitimus eſt. Si commixtus fuerit ſanguis perfectorum cum ſanguine vitiatorum, effundatur in lacum; ſi poculum cum poculis; R. Elieſer inquit, ſi oblatum fuerit unum poculum, offerant *reliqua* omnia pocula. Verum enimvero Doctores dicunt, etiamſi oblata fuerint cuncta, uſque ad unum ex illis, (attamen hoc) effundatur in lacum. Si commixti (ſanguines) fuerint ii, qui deorſum effundendi, cum iis, qui effundendi ſurſum; R. Elieſer ait; effundantur *omnes* ſurſum. Nam reputo deorſum effundendos, ſurſum effuſos, ac ſi eſſent aquæ, deinde revertens, effundat deorſum. Aſt ſapientes dicunt, effundantur in lacum, quod ſi non conſideraverit, atque effuderit, bene habebunt &c. Si (ſanguines) effundendi intus, commiſcentur cum iis, qui effundi debent foris, in ſtagnum effundantur. Si quis tamen ſparſit foris, rediitque, ac ſparſit intus, rectum eſt; ſed ſi quis reverſus eſt, ſparſitque foris; R. Akiba illegitimum ducit, ſapientes autem pro recto habent; dixit quidem R. Akiba, quemvis ſanguinem, qui ad expiandum in templum illatus, reprobum eſſe. E contrario ajunt ſapientes, de ſacrificio pro peccato tantum valere. R. Elieſer tamen addit quoque oblationem pro reatu, quia dicitur, כחטאת כאשם. *Toſaphta Sevachim cap. VIII.* 21. Si commixtus eſſet cum ſanguine reproborum, in lacum effundendus eſſet, aut cum ſanguine expreſſo, ſi ei dixit, quod non ſpargat, & ſi ſparſit, reputatur idem, ac ſi eſſet in aqua, ſi defecerit ejus color, eſt illegitimus, ſi ſecus eſt legitimus; R. Elieſer idoneum putat ſanguinem expreſſum. Si commixtus eſſet cum ſanguine animantis, quæ cum muliere coiit, aut ab homine inita eſt, aut ſeparata, aut cultui idolatrico oblata eſt, aut, quæ merces meretricis, aut pretium canis, aut heterogenea, aut diſcerpta, aut egrediens per coſtam, vel poculum cum altero poculo, aut ipſe ſanguis commixtus eſſet, in canalem effundendus eſt. Si poculum cum centum poculis commixtum eſſet, R. Elieſer dicit, ſi poculum unum obtuliſſet, omnia pocula offerenda ſunt, & ſapientes dicunt, etiamſi omnia ablata eſſent, excepto ex iis uno, effundendum eſt in canalem. Dixit R. Jehuda, non diſputarunt R. Elieſer & ſapientes de ſanguine holocauſti, qui commixtus eſſet cum ſanguine ſacrificiorum, quod omnes conſentiunt, offerendos eſſe, aut de eo *ſanguine* qui commixtus eſſet cum ſanguine animantis, quæ cum muliere coiit, aut ab homine inita eſt, aut cultui idolatrico oblata eſt, aut, quæ eſt merces meretricis, aut pretium canis, aut heterogenea, aut diſcerpta, aut egrediens per coſtam, aut quando vitiati ſanguis cum ſanguine jam commixto commixtus eſſet, aut unum poculum cum centum poculis, quod omnes conſentiunt, effundi oportere in canalem, ſed controverſia oritur de eo, quando commixtus eſſet vitiati ſanguis cum perfecto, quod R. Elieſer dicit, eſſe offerendum, & ego judico ſanguinem vitiati cum perfecto eſſe inſtar aquæ, & ſapientes dicunt in canalem effundendum. Si ſanguines deorſum aſpergendi commixti eſſent cum iis, qui ſurſum aſpergendi erant; R. Elieſer dicit, aſpergantur omnes ſurſum, & ſapientes dicunt, in canalem erant effundendi; & inferiores ei prodeſſe poterant, ſi ſurſum aſperſiſſet, & non pœnituiſſet; utrique conſentiunt, quod iterum deorſum aſpergat; neque hi, neque illi proſunt. *Et paucis interjectis.* Si ſanguines intus aſpergendi commixti eſſent cum iis, qui foris aſperguntur, in canalem effundendi ſunt; ſi foris aſperſiſſet, & non pœnituiſſet, iterum intus aſpergat, & exteriores ei proſunt, ſi aſperſiſſet foris & poſtea intus, & non pœnituerit, neutri proſunt, quando commixti fuerint cum ſacrificio pro peccato, quia ſacrificium pro peccato, cujus ſanguis intus inferretur, eſt interdictum; R. Elieſer dicit; etiam ſacrificium pro delicto, quia textus dicit, כחטאת באשם. Mai-

Maimonides de ſacris temeratis cap. II. 11. Si qui erat altari aſpergendus in parte ſuperiori ſanguis cum ſanguine miſceretur eo, qui aſpergebatur parti altaris inferioris, totum ſimul in foſſam effundebatur, & ipſæ victimæ temeratæ erant. Vel reliquiæ ſanguinis hoſtiæ pro peccato ſi confunderentur cum ſanguine holocauſti, licet totum hoc oporteret alioquin altaris parti inferiori aſpergi, nihilominus in foſſam funderetur. Si quis nihil percunctatus ſanguinem ita mixtum aſperſiſſet altari ſupra & infra, bene fuiſſet; ſi quis cum altari ſupra aſperſerat de ſanguine ita mixto, tum demum quæſiſſet, idem & altari aſpergeret infra, atque hæ duæ illius aſperſiones ſimul probarentur. Si ſanguis interiori altari aſpergendus commiſceretur eo ſanguine, quem altari exteriori aſpergi oportebat, totum hoc in foſſam funderetur. Quod de ſanguine ita mixto ſi quis nihil quæſiſſet, atque altari inferiori ſimul & exteriori aſperſiſſet, bene eſſet, ſeu aſperſiſſet interiori prius, quam exteriori, ſeu contra. Sic erat enim de quovis hoſtiarum ſanguine, quem oportebat altari exteriori aſpergi præter ſanguinem hoſtiæ pro peccato. Nam ſi quando ſanguis hoſtiæ pro peccato altari exteriori aſpergendus miſceretur cum ſanguine hoſtiæ pro peccato, quem interiori altari aſpergi jus erat, atque ſanguis ille mixtus aſpergeretur primum altari exteriori, tum interiori, rectum eſſet; ſin primum interiori, tum deinde altari exteriori aſpergeretur, pravum; ſanguis enim hoſtiæ pro peccato ſimul ut in templum erat illatus, interdicebatur tota hoſtia; hoſtia enim hominis privati, quæ alioquin comedenda fuerat, quia ſcriptum eſt in Lege: *Hoſtia enim quæ cæditur pro peccato, cujus ſanguis infertur &c. Levit. 6. 30.* Sic ſe res habebat, ſiquidem ſanguis per templi portam inferebatur, nam verbum illud Legis *infertur* ſignificat viam illam, qua quiſque templum ingredi ſolebat. *Et paucis interjectis*. Sanguis hoſtiarum, ſi commiſceretur cum ſanguine animantium, quæ ab altari Lege prohibentur, aut etiam cum ſanguine victimarum, quæ per jugulationem temeratæ fuiſſent, mixtum hoc totum in foſſam infunderetur; immo vero ſi pateræ libatæ fuiſſent omnes extra unam, ea in foſſam funderetur, atque victimæ illæ cunctæ fuiſſent temeratæ. Nam ſi miſceretur cum ſanguine vi expreſſo, omnino in foſſam funderetur; verum enim ſi quis nihil percunctatus ſanguinem iſtum altari aſperſiſſet, rectum eſſet.

[164] *Tunc videlicet caro &c. Toſaphta Kerituth cap. IV.* 10. Si quis afferat ſacrificium pro delicto dubio adipis, & ſanguinis, ſed mox ei innotuerit, quod non peccarit, ſi nondum mactatum eſt, egredietur & paſcat in grege; ſi vero poſtquam mactatum eſt, relinquetur, donec ejus forma mutata ſit, & exibit ad locum combuſtionis. *Maimonides ibidem cap. IV.* 19. Si quis hoſtiam pro delicto dubio obtuliſſet, tum ſe non peccaſſe, aut peccaſſe pro certo comperiſſet, idque antequam hoſtia jugulata eſſet, eam paſci jus erat, uſque dum vitio afficeretur, tum pretium ejus impendi in holocauſtum voluntarium; etenim de ſuis cuique peccatis dolet animus. Sic igitur habendum erat, hominem, quoniam ob peccatum dubium hoſtiam ſegregaverat, eam conſecrare animo conſtituiſſe. Et ſi quis, ut hoſtiam pro peccato ſegregaret, adduceretur per quoſdam peccati teſtes, tum iſti falſitatis convincerentur, pretium hoſtiæ impenderetur in holocauſtum voluntarium. Quod ſi poſt jugulatam hoſtiam demum rem pro certo comperiſſet, hoſtiæ ſanguis effunderetur, caro autem cremaretur ſic, ut reliqua ſacra temerata, ſin rem pro certo comperiſſet poſt aſperſum altari ſanguinem hoſtiæ, caro ſic, ut cunctarum hoſtiarum pro delicto, a Sacerdotibus comederetur.

[165] *Loco combuſtionis &c. Scilicet in atrio. Tres erant loci combuſtionis, quorum primus erat atrium templi, ubi ſancta reproba comburenda erant, & adipes ſanctorum levium, quæ reproba facta ſunt, & juvenci hircique, qui comburuntur, quibus aliquid reprobi accidit tam ante, quam poſt ſparſionem ſanguinis. Secundus comburendi locus erat mons templi, ibique juvenci hircique comburuntur, ſi quid reprobi illis acciderit poſt exitum ex atrio, qui locus vocatur* בירה. *Tertius comburendi locus vocabatur locus cineris, qui extra Hieroſolymam ſitus erat, ubi comburebantur juvenci hircique, qui comburendi erant. Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. VII.* 3. Locus ad urenda ſacra deſtinatus erat triplex, unus in atrio; hic comburebatur quicquid ex ſacris vitiatum fuerat, & exta hoſtiarum minus ſanctarum, ſi quando temeratæ fuerant, & hoſtiæ pro peccato cremandæ ex hircis juvenciſque, in quibus aut ante, aut poſt ſanguinis ſparſionem vitium erat natum, ut ſi fuiſſent inquinatæ, ſi extra atrium ante tempus exceſſerint, ſi earum caro aut exta noctem totam præterita fuiſſent &c.

[166] *Excoriatio &c. Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. V.* 18. Omnino hoſtiarum omnium ſanguis poſtquam erat aſperſus altari, tum denique adolebantur ipſæ; Item hoſtiis primum detrahebatur pellis, tum exta extrahebantur, nec detrahebatur pellis uſque dum ſparſus fuerat ſanguis.

[167] *Poterat tamen &c. porro ad excoriationem Sacrificii jugis adhibebatur. Tamid cap.* IV. 2. Non frangebat pedem (*Sacerdos, qui mactabat*) ſed perforabat eum, tum excoriabat.

[168] *Ut autem hæc &c. Tamid cap.* III. 5. Qui deſignatus erat ad ſacrificium juge, attrahendo illud ivit ad locum lanionum, illi qui deſignati erant ad fruſta, iverunt poſt eum; domus lanionum erat ad ſeptentrionem altaris, & in ea octo columnæ breves, ſupra quibus aſſeres cedri quadrati, uncique ferrei eis affixi erant, quorum ſinguli tres habebant ordines, ad quos ſuſpendebant ad detrahendam pellem. *In quem locum ita Bartenora. Ad ſeptentrionem altaris* ſacrificii jugis holocauſti, nam holocauſta ſeptentrionale latus requirunt. *Quadrati cedri aſſeres*, aſſeres quadrati cedrini erant ſuper columnis; uncini in forma duplicis literæ וו. eis infixi erant, iſtis cedri quadratis, & iis pecudem apponebant. *Tres ordines*, ſc. uncinorum, unus e regione alterius erat, ad pecudes parvas & magnas iis appendendas.

[169] *Ita ut pedes &c. Tamid ibidem*. Non frangebat pedem, ſed perforabat eum in medio curvaturæ pedis, ſuſpendebatque eum, tum excoriabat. *Maimonides ibidem cap. V.* 5. Holocauſti laniandi modus erat iſte, non frangebantur pedes poſteriores, ſed his perforatis ſuſpendebatur hoſtia, atque pelle nudabatur.

[170] *Pelles autem &c. Codex Sevachim cap.* XII. 2. 3. 4. In cujuſcunque carne nullum acquiſivit jus altare, in ejus cute etiam Sacerdotes nihil juris habent, dicitur namque, *holocauſtum viri*, hoc eſt holocauſtum, quod aſcendit viro. Holocauſtum quod mactatur abſque mentione nominis ſui, non quidem imputatur ſuo domino (tamen pertinet) pellis ad Sacerdotes. Sive holocauſtum viri ſit, ſive mulieris, pelles eorum Sacerdotibus (competunt.) Pelles Sanctorum Sanctorum *ſunt* Sacerdotum, argumentando a minori ad majus; Nam ſi in holocauſto, in cujus carne nihil juris habent, pellem tamen ſibi acquirunt, æquum non magis erit de Sancti Sanctorum, quorum acquirunt carnem, ut acquirant etiam pellem eorum? (In contrarium) altare non præbet argumentum, quippe quod nihil omnino juris in pelle habet. Nullorum Sanctorum, in quibus obtingit profanatio ante excoriationem, pelles ſunt Sacerdotum, ſin poſt excoriationem, pelles illorum ſunt Sacerdotum. Dixit R. Chanina præfectus Sacerdotum, a diebus vitæ meæ non vidi educi in locum combuſtionis. Inquit R. Akiba, ex ejus verbis diſcimus, quod ſi quis excoriat primogenitum, & reperitur diſcerptum, Sacerdotes pelle ejus fruuntur. Verum enim vero Sapientes ajunt; itaque ita ſe habeat, attamen non videmus ullam demonſtrationem, igitur educitur in locum combuſtionis. *Maimonides ibidem cap. V.* Victimarum Sanctiorum ſeu publicarum ſeu privatarum pelles Sacerdotum erant; ſcriptum eſt enim, *Sacerdos qui offert holocauſti victimam, habebit pellem ejus;* Victimarum autem minus ſanctarum pelles redibant ad dominos. Porro cujus holocauſti carnem altare non obtinebat, ejuſdem nec pellem conſequebantur Sacerdotes; Nimirum iſtis Legis vocibus *holocauſtum viri*, hæc eſt ſubiecta ſententia, id demum holocauſtum, quo vir litatur. In quibuſcunque victimis ſanctioribus vitium oborirctur ante, quam pelle fuiſſent exutæ, pelles Sacerdotum non erant, contra, ſi poſtquam pelles detractæ fuiſſent. Jam pelles omnes inter ſe viri curiæ miniſtrantes dividebant ad quamque Sabbathi vigiliam.

[171] *Hanc ſequebatur diſſectio &c. Tamid cap.* IV. 2. 3: Non frangebat pedem, ſed perforabat eum in medio curvaturæ pedis, ſuſpendebatque eum, tum exco-

excoriabat, deſcendens uſque dum appropinquaret ad pectus, quando appropinquabat ad pectus, abſcindebat caput, deditque illud ei, cui obtigerant ea, abſoluta excoriatione, corde fiſſo eduxit ſanguinem; findebat manus, deditque illas cui obtigerant, aſcendendo ad pedem dextrum abſcindebat eum, deditque illi cui obtigerat, & cum eo duo ova, diffindebat, omniaque erant aperta coram facie ſua, ſumebat adipem, & impoſuit loco mactati capitis ſuperne, ſumebat inteſtina, & dedit ei, cui obtigerant ad lavandum .... Sumebat cultrum, & ſeparabat pulmonem ab hepate, & reticulum hepatis ab hepate, non autem removebat illud ex loco ſuo, perforabat pectus, dabatque ei, cui obtingebat, aſcendebat ad latus dextrum, quod abſcindebat, & deſcendebat ad ſpinam dorſi, non attingebat eam, donec appropinquaret ad duas coſtas tenues, abſcindebat, dabatque ei, cui obtingebat, cum jecore ipſi appendente, accedens ad collum, relinquebat hinc & inde duas coſtas, abſcindebat illud, dabatque ei cui obtingebat, appendebant ipſi aſpera arteria, cor, & pulmo; accedens ad latus ſiniſtrum relinquebat duas tenues coſtas ſuperne & inferne, ita etiam cum dextro latere fiebat, binæ & binæ ſupernæ, binæ & binæ inferne, abſcindebat illud, & dabat ei, cui obtingebat ſimul cum ſpina dorſi & liene ipſi appendente, hoc erat quidem magnum, ſed dextrum vocant magnum, quia jecur ipſi appendebat, accedens ad cuſpidem ſpinæ dorſi abſcindebat eam, dabatque cui obtingebat, ſimul cum cauda, reticulo hepatis, & duobus renibus ſumebat pedem ſiniſtrum, dabatque ei cui obtingebat. *Maimonides ibidem cap.* VI. 5. ----- *9.* Holocauſti laniandi modus erat iſte; non frangebantur pedes poſteriores, ſed his perforatis ſuſpendebatur hoſtia, atque pelle nudabatur. Quod ſi bos erat, huic non ſuſpenſo pellis detrahebatur uſque ad pectus; huc cum ventum eſſet, caput abſcindebatur, quod tribuebatur uni ſacerdotum. Porro præcidebantur crura, quæ dabantur ſacerdotum alteri, atque reliqua pellis detrahebatur; porro findebatur cor, ut ſanguis inde promeretur; amputabantur inde pedes anteriores, & dabantur alii; tum ſacerdos redibat ad pedem dextrum e poſterioribus, quem abſciſſum dabat alii, & cum iſto pede ſimul ambos teſticulos, poſthæc beſtia diffindebatur adeo, ut viſcera nudarentur. Hinc ſublato adipe operiebatur capitis ea pars, qua jugulata fuerat animans, porro eximebantur inteſtina, quæ dabantur alii . . . . . Tum cultro ſejungebatur a jecore pulmo, item & ſejungebatur a jecore jecoris reticulum, at jecur ipſum loco non movebatur, præcidebatur inde pectus, & dabatur alii, tum petebatur latus dextrum hoſtiæ, qua proſcindenda deſcendebatur ad ſpinam dorſi, hæc autem ſpina non tangebatur uſque donec ad coſtas illas duas molles ventum eſſet, tum enim præcidebatur, atque alii dabatur, & jecur ex illa pendebat. Inde guttur, cui conjunctæ relinquebantur utrinque coſtæ duæ, abſcindebatur ita, ut ex eo aſpera arteria, & cor penderent, atque dabatur alii. Petebatur inde latus ſiniſtrum, cui conjunctæ relinquebantur coſtæ molles duæ ſupra, & duæ infra, & tantundem relimquebatur ex oppoſito latere. Itaque lateribus duobus coſtæ conjunctæ relinquebantur quatuor. Hoc igitur latus abſciſſum una cum ſpina dorſi dabatur alii, atque lien ex eodem pendebat. Poſtea præcidebatur extrema ſpina dorſi, & dabatur alii, cum hac autem erat conjuncta cauda, & reticulum jecoris, & duo renes; denique de pedibus hoſtiæ poſterioribus ſiniſter ablatus dabatur alii; atque hoc ordine holocauſtum quadrupes reſolvebatur in artus, nimirum hoc illud eſt, quod a Lege dicitur: *detractaque pelle hoſtiæ concidet eam in membra ſua*. (*Levit.* 1. *6.*)

172 *Aliud eſt* קליעה *&c. Maimonides de die expiationum cap.* III. 7. Et Pontifex poſtquam hircum emiſſarium delecto homini abducendum tradiderat, redibat ad juvencum, & hircum, quorum ſanguine ſanctum ſanctorum reſperſum fuerat: his diſciſſis eximebat exta, quæ primum vaſe reponebat, tum adolebat in altari; idem & carnem eorum reliquam in majora ſecabat truſta, quæ eadem quadam veluti implicatione colligata relinquebat, non diſſolvebat, tum eadem aliis tradebat deportanda ad eum locum, quo cremabantur. *R. Salomon Jarchi ad Joma VI.* 7. Quatuor homines duos vectes ferebant, duo ante, & duo pone; portabant vectes juxta ſe, & juvencus & hircus iis imponebantur, alterum ſuper alterum vehebant, & alterum ſub altero incurvabant, velut opus implexum, & integri erant, niſi quod eorum diſſectus erat ut viſcera educerentur. *Bartenora ibidem. Incidebat eos inciſionibus* in formam citri, qui קליעה dicitur; erant autem integri hircus & juvencus cum pelle, carne, & ſtercore, & aperiebatur ipſis tantum venter ad educenda viſcera.

173 *Viſcera autem &c. Tamid ibidem*. Ventrem lavabant in domo, ubi lavabant omnem neceſſitatem ejus, inteſtina autem abluebant ter ad minimum, ſuper menſis marmoreis, quæ erant inter columnas. *Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. VI. 6.* ſecedebat iſte (*cui ſc. data erant inteſtina*) atque illa diluebat aqua ſic, ut a Lege dicitur, *inteſtina vero & pedes lavabunt aqua* (*Levit.* I. 13.) non lavabantur autem vino, non potione diluta, nec quovis alio liquore; aquæ vero erant omnes ad hoc idoneæ. Jam de diluendi modo, abdomen quidem apud templum tantum quantum opus erat, cætera vero inteſtina ter ad minimum lavabantur, nempe in menſis illis marmoreis, quæ inter columnas ſitæ fuerant.

His peractis &c. Tamid ibidem. Omnes ordine ſtabant cum membris in manibus ſuis, primus cum capite & pede, caput dextra tenebat, converſis ad brachium naribus; cornibuſque inter digitos poſitis, pars ea colli qua mactabatur ſurſum erat, adepſque ipſi ſuperimpoſitus; dextrum pedem ſiniſtra tenebat, & pars ea, qua pellis extrahebatur, exterius collocata erat; ſecundus cum duabus manibus, dextram dextra, ſiniſtram ſiniſtra tenebat, & pars ea, qua pellis extrahebatur, exterius collocata erat; tertius cum ſpina dorſi & pede, ſpinam dorſi dextra tenebat, & cauda inter digitos pendente, ipſique reticulum hepatis & renes adjungebantur, pedem ſiniſtrum ſiniſtra tenebat, & pars ea, qua pellis extrahebatur, exterius collocata erat; quartus cum pectore & gutture, pectus dextra tenebat, & guttur ſiniſtra, duabus coſtis inter digitos poſitis; quintus cum duobus lateribus, dextram dextra tenebat, ſiniſtram ſiniſtra, & pars ejus, qua pellis detrahebatur, exterius collocata erat; ſextus cum interioribus patera reconditis, ipſiſque crura ſuperimpoſita erant; ſeptimus cum ſimila; octavus cum fixis; nonus cum vino; ibant, eaque in medio ponticuli verius occidentem interne collocabant.

174 *Per ſex Sacerdotes &c. Joma cap. II.* 3. Novem, decem, undecim, & duodecim ad ſacrificium juge offerendum deſignabantur, non pauciores nec plures, quomodo? ipſe cum novem aliis, die feſto unus præterea ipſis jungebatur, qui ſitulam aquæ manu tenebat, ecce decem; ad ſacrificium inter duas veſperas offerendum undecim deſignabantur, ipſe cum novem aliis, quibus duo jungebantur, qui duo ſegmenta lignorum manibus tenebant. Die Sabbathi undecim, ipſe cum novem aliis, quibus duo addebantur, qui duo vaſcula thuris, quod panibus Propoſitionis imponebatur, manibus tenebant; in Sabbatho autem, quod feſto incidebat, unus inſuper adjungebatur, qui ſitulam aquæ manu tenebat. Arieti offerendo undecim deſignabantur, carni quinque, vino, ſimilæ, & inteſtinis, unicuique duo. Juvenco offerendo viginti quatuor deſignabantur, capiti & pedi, unus capiti, & pedi duo, pectori & gutturi, unus pectori, & gutturi tres, duabus manibus duo, duabus coſtis duo, vino, ſimilæ, inteſtinis, unicuique tres; *Toſaphta Joma cap. I.* 13. Illis dicebat præfectus, venite, & ſortimini &c. quis membra ad collem portaturus, caput, pedem, duas manus, ſpinam dorſi, pedem, pectus, gulam, duas coſtas, inteſtina, ſimilam, & frixa, & vinum? Hæc ſunt verba R. Simeonis viri ex Miſpa. R. Joſe dicit, caput & pedem, & duas manus, pectus & gulam, & duas coſtas, ſpinam dorſi & pedem; dixit filius Azai R. Akibæ nomine R. Jehoſuæ juxta modum, quo animal ſolet incedere, offerebant, caput & pedem, pectus & guttur, duas manus, & duas coſtas, ſpinam dorſi, & pedem. Tredecim Sacerdotes digni habebantur in ipſo, aliquando quatuordecim, aliquando quindecim. Arietem undecim offerebant; Agnos cœtus octo, dum cum ipſis non erant frixa; juvencum viginti quatuor offerebant; caput & pedem, duo accipiebant pedem, & eum faciebant aſcendere prope altare, tres accipiebant, & offerebant ſuper altare.

Maimonides ibidem. Jam membra holocauſti plures ad collem altaris transferebant Sacerdotes, nempe ſi fuiſſet holocauſtum e minori pecore, transferebatur per Sacerdotes ſex. Primus igitur caput hoſtiæ atque poſterioribus e pedibus alterum portabat. Is dextra tenebat caput ſic, ut nares converteret ad brachium ſuum, cornua inter digitos intereſſent, & ſurſum tolleretur locus jugulationis, qui erat adipe opertus, læva vero de pedibus hoſtiæ poſterioribus dextrum geſtabat ita, ut pars illa pedis, in qua pellis inerat, exterior eſſet. Alter geſtabat anteriores hoſtiæ pedes duos, dextrum dextra, læva lævum, & in qua parte illorum pellis inerat, hæc foras ſpectabat. Tertius geſtabat inferiorem partem ſpinæ dorſi, & alterum ex poſterioribus hoſtiæ pedibus; hic dextra ſpinam dorſi ferebat, hoſtiæque cauda videlicet erat inter digitos ejus inſerta, ſimul & reticulum jecoris, itemque & duo renes. Porro læva lævum ex pedibus hoſtiæ poſterioribus ferebat, cujus ea pars, in qua pellis inerat, foras ſpectabat. Quartus pectus hoſtiæ, gutturque gerebat; is dextra pectus tenebat, & læva guttur, & quæ gutturi fuerant conjunctæ coſtæ, has idem inter digitos ſuos diſpoſitos habebat. Quintus hoſtiæ duo latera, dextrum manu dextra, & lævum læva ferebat ita, ut in qua parte pellis adhærebat, ea foras ſpectaret. Sextus in patina ferebat inteſtina, quibus erant ſuperpoſita genua, ſcilicet ſi holocauſtum ovis eſſet, caprave; nam ſi fuiſſet aries; inteſtina transferebantur per homines duos. Atque etiam ſimila libaminum ferebatur ab uno, & ab altero vinum; verum enim holocauſtum ſi fuiſſet aries, & ſimilam ferebant duo, & duo alii vinum. Ex quo cognoſcitur cuncta ad altare transferri per homines octo, ſi mactaretur ovis, caprave, ſin aries; per undecim; quod ſi bos immolaretur, cuncta transferebantur ad altare per homines quatuor & viginti. Primus enim transferebat caput; ſecundus & tertius dextrum e pedibus hoſtiæ poſterioribus; ferebant quartus & quintus partem inferiorem ſpinæ dorſi; ſextus & ſeptimus ſiniſtrum e pedibus hoſtiæ poſterioribus; pectus transferebat octavus, gutttur autem tres ſimul transferebant, nonus, decimus, & undecimus; transferebantur duo pedes anteriores per homines duos; item & duo latera per homines duos; & inteſtina, ſimila, vinum, unumquodque per homines tres. En igitur quatuor & viginti. Nullum autem bovis membrum in multas partes dividebatur, nam quod eſt in Lege: *Concidet eam in membra ſua* (Levit. I. 6.) ex eo concluditur, membra holocauſti porro in fruſta concidenda non eſſe.

[175] *Diverſis quoque locis &c. Toſaphta Sekalim cap. III.* 20. Membra ſacrificii jugis quando dixerunt ponenda eſſe inferius, ponuntur in dimidia parte pontis inferiori, orientem verſus, & quando dixerunt, ponuntur ſuperius, intelligitur in dimidia parte pontis ſuperiori, occidentem verſus. R. Chanania filius Akaſciæ dicit, utraque ponebantur in dimidia parte pontis inferiori; cæterum ſacrificia jugia ponebantur occidentem verſus, & addititia orientem verſus, & *Sacrificia* Noviluniorum ponebantur infra dimidium ambitus altaris; qualis eſt ambitus altaris? inter unum & alterum cornu in ſpatio ambulacri Sacerdotum &c. *Et Maimonides de Sacrificiis Jugibus &c. cap. VI.* 3. Jam membra *Sacrificii jugis* reponebantur ad aquilonem intra dimidiam collis partem inferiorem, eorum autem, quæ quotidianis addebantur, ſacrificiorum membra ponebantur intra dimidiam partem collis inferiorem ad orientem; nam quæ Kalendis immolabantur hoſtiæ, earum membra reponebantur in ſummo altari inter cornua, eo videlicet loco, quo Sacerdotes incedebant; hoc enim modo palam fiebat adeſſe Kalendas. *Holocauſta tantum publica, non privata per plures Sacerdotes ad collem & altare portabantur. Joma cap. II.* 3. De quibus dicta ſunt hæc? De oblationibus univerſi cœtus, ſed de oblationibus unius, ſi velit offerre, offerat. *Toſaphta Joma cap.* I. 14. Hoc vero intelligitur de ſacrificiis cœtus, ſed ſacrificia privata quicunque volebat offerre, offerebat. *Et Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. VI.* 19. Jam hæc omnia intelligenda ſunt de holocauſto videlicet publico. Nam holocauſti privati membra, ut a paucioribus aut a pluribus ad altare transferrentur, omnino licebat.

[176] *Quando autem delata &c. Toſaphta Sevachim cap. IX.* 2. Sacrificium Paſchale, & ſacrificium pro peccato, quæ non eorum titulo mactata eſſent, & ſuper altare aſcendiſſent, non deſcendebant, omnia ſacrificia, quæ ſuper altare aſcendiſſent, & illegitima inventa eſſent, non deſcendebant; oſſa, nervi, & cornua, & ungulæ, quæ ſuper altare aſcendiſſent, & illegitima inventa eſſent, non amplius aſcendent. Animantes pater & filius, qui ſuper altare aſcendiſſent, deſcendent, quia altare non ſanctificat, niſi quod eſt ipſi conveniens. Beſtia, quæ cum muliere coit, vel ab homine inita eſt, ſeparata, cultui Idolatrico oblata, merces meretricis, pretium canis, & heterogenea, diſcerptum, egrediens per coſtas matris, quæ aſcendiſſent ſuper altari, deſcendent, quia eorum profanatio non contigit in Sanctuario. Regula generalis eſt; cujuſcunque profanatio contigit in Sanctuario, Sanctuarium admittit illud, ſi profanatio in Sanctuario non contigit, Sanctuarium non admittit illud, excepto maculato, quod R. Simeon nomine R. Akibæ dicit. Avis maculata eſt legitima. R. Chanina vicarius Sacerdotum dicit; dejiciebat pater meus vitiata ex altari. Qua de cauſa dixerunt, quod id, quod pernoctat, egrediens, & pollutum, ſi aſcendiſſent, non deſcendant? Quia pernoctans eſt legitimum in pacificis, & egrediens eſt legitimum in excelſis, & pollutum eſt legitimum in congregatione. Pugillus, & thus, & munus Sacerdotis uncti, & munus libaminum, quæ aſcendiſſent, & illegitima deprehenderentur, non deſcendunt; ſed ſuffitus, qui ſuper altare aſcendiſſet, deſcendet, quia altare non ſanctificat niſi quod eſt ipſi conveniens. Holocauſtum, quod aſcendiſſet ſuper altare & interdictum reperiretur, prope atrium comburendum eſt. Membra quæ in atrio pernoctaſſent, poterant per totam noctem ſuper altare aſcendere; quæ vero erant in colle aut in vertice altaris omni tempore poterant aſcendere. Quemadmodum ea quæ aſcendiſſent, non deſcendebant, ita etiam quæ deſcenderunt, non aſcendebant, & ſi iterum aſcendiſſent, iterum deſcendent. Pugilli, quem igni impoſuiſſet, reliquiæ licitæ ſunt; ſi adipes igni impoſuiſſet, caro permiſſa erat. Si igni impoſuiſſet abominandum, reſiduum, & immundum, tenetur pœna pro abominando, reſiduo, & immundo. Holocauſtum mactatum, quod ſuper altare aſcendiſſet, aut vivum aſcendiſſet, & mactaſset, excoriabit, & dividet, & faciet deſcendere ſanguinem, & infra aſperget, faciet deſcendere inteſtina, & aqua lavabit, & iterum faciet aſcendere, & faciet deſcendere pellem pro Sacerdotibus; & totum rurſus comburet. Sacrificia mactata, quæ aſcendiſsent ſuper altare, excoriabit, & dividet, & faciet deſcendere ſanguinem, & infra aſperget, faciet deſcendere inteſtina, & aqua lavabit, & faciet deſcendere carnem, & pellem pro dominis, & iterum reliquum incendet; ſi viva aſcendiſsent, deſcendent, & inferius mactabuntur. Nihil aliud conſecrabat altare exterius, quam id, quod ipſi conveniens erat. Vaſa ſacra liquidi ſanctificabant liquida, & menſuræ aridi ſanctificabant arida, nec vas liquidi arida ſanctificabat, nec aridi menſura liquidum ſanctificabat; nec ſanctificabant, niſi iis implerentur, non ſanctificabat niſi eorum vacuo, non ſanctificabant niſi intra *Sanctuarium*; ſi perforata eſſent, aut ſi pars aliqua deficeret, aut fracta eſsent, ſi facere poterant priſtinum opus, quod facere ſolebant, dum integra eſsent, ſanctificabant, ſecus, non ſanctificabant.

[177] *Verum ſangnis &c. Codex Sevachim cap. IX.* Nihil diſſentiunt Rabban Gamaliel atque R. Joſua niſi circa ſanguinem & libamina. Nam Rabbane Gamaliele dicente, non deſcendant, contra (recte) vult R. Joſua, ut deſcendant. *Toſaphta Sevachim ibidem*. Non eſt controverſia inter verba Rabbanis Gamalielis, & verba R. Joſue niſi circa ſanguinem & libamina; ſanguinem juxta opinionem Rabbanis Gamalielis ſpargebat ſuper ignem, & in pateris reponebat.

[178] *R. Simeon &c. Codex Sevachim ibidem*. Ait R. Simeon, ſi ſacrificium legitimum, libamina vero illegitima, item ſi libamina juſta, ſed ſacrificium profanum, immo ſi utrumque reprobum, ſacrificium non deſcendat, libamina autem deſcendant. *Maimonides de ſacris temeratis cap. III.* 13. Victima & libamina temerata ſi fuiſsent in altare ſublata, omnino victima non deſcenderet, quippe quæ erat idonea ad cremandum, libamina vero deſcendebant; Item & liba-

libamina ſeorſum per ſe ipſa fieri ſolita, ſi temerata in altare ſuſtollerentur, deſcendebant.

[179] *Deinde ſaliebantur &c. Toſaphta Menachoth cap.* 2. Tribus in locis reponebatur ſal in conclavi ſalis, in ſummitate collis, & in vertice altaris in angulo meridionali occidentali; e ſale, quod erat in conclavi ſalis, ſaliebantur membra; ex eo, quod erat in vertice altaris in angulo meridionali occidentali, ſaliebantur reproba (*legendum puto exta*) ſanctiſſimorum, & adipes ſanctitatum levium, pugillus, & thus, & munus Sacerdotum, & munus Sacerdotis uncti, & holocauſtum avis; eo vero, quod erat in ſummitate collis, & quod erat ſuper altare, uti non poterant, neque pro eo prævaricabantur, & pro eo, quod membris imponebatur, omnino prævaricabantur. *Maimonides de rebus altari interdictis cap. V.* 13. Tribus igitur locis ſal diſtribuebatur, in conclavi ſalis, in colle, atque in ſummo altari. In conclavi ſalis ſaliebantur victimarum pelles, in colle membra victimarum, & in ſummo altari ſaliebatur id, quod e ferto oblato Sacerdos pugillo tollebat, & thus, eaque fertorum genera, quæ igni conſumebantur, & holocauſtum ex avi.

Sal Sodomiticum &c. Gemara Menachoth. fol. 21. 1. Cur hic poſitum eſt תמלח ad ſignificandum id quod traditur ſal eſſe adhibendum (*vide Levit.* 2.) Fieri ergo ne poteſt תבונוהו? Atqui *ſalies* ſcriptum eſt; ſi ſaliendum an ſufficiat, ſi muria condias? At ſale utendum hic. *Neque ceſſare facies ſal*: Levit. 2. 13. Tale ſal ſumas, quod non deſinit eſſe. At quale id eſt? Sal Sodomiticum; atque unde probas, quod ſi ſal Sodomiticum haberi nequeat, aliud arte factum adhiberi queat, quod איסתרוקנית vocatur? Scriptura ait, *offeres*; offeres qualecumque ſal; offeres undequaque, offeres etiam in Sabbatho, offeres etiam in impuritate. Quid autem ſibi vult denique illud תבונוהו? Dixit Rabba filius Ulæ; ita quoque dicit; an forte ita copioſe injiciet, quemadmodum ſtipulæ injiciuntur in lutum? Cui Abai reſpondit; ſi hæc eſt interpretatio vocis, debuiſſet dixiſſe יתבוננו. Sed Abai; An forte poterit illud facere ſicut ædificium? Cui Rabba reſpondit, ſi hic eſſet hujus vocis ſenſus, debuiſſet יבננו dixiſſe; ſed dixit Rabba, יכול תבוניהו. Quid eſt תבוניהו? Dixit Rabh Aſche; an forte indet tantum ſaporem, ut diſcerni poterit? Atqui Scriptura dicit, *ſalies*. Quomodo hoc facit? Capit membrum *offerendum ſuper altari*, eique inſpergit ſal, deinceps rurſus vertit illud, & inſpergit ſal, & tum offert &c.

[180] *Sale oſtracinenſi &c. Eſt ſal* איסתרוקנית (*auctore Raſchio ad l. ſupracitatæ Gemaræ*) quod ex fundo eruitur, & per hominum manus præparatur.

[181] *Partes ſalitæ in ignem &c. Maimonides ad cap. III. 2. Menachoth*. Porro dixerunt, quod ſacrificium requirit ſal, at non totum munus; immo quicquid in altare offerendum eſt, ut comburatur, abſque ſale accedere nequit, niſi ligna tantum.

[182] *Quædam Sacra &c. Toſaphta Sevachim cap. VI.* 12. Quonam loco hæc omnia ſacrificia comedenda erant? Sacrificium pro peccato, & pro delicto, & ſacrificia pacifica cœtus, & ſacrificium pro peccato ex ave, & ſacrificium pro reatu dubio, & logus olei leproſi, & duo panes frumenti novi, & panis facierum, & reliquiæ munerum, & manipulus, omnia erant ſanctitates ſanctitatum, & comedenda erant intra cortinas, & comedenda erant a Sacerdotibus maſculis, quovis modo condita, uno die & una nocte, neque ad dimidium noctis, nec in iis pœna tenebatur pro reſiduo, nec cogitatio abominanda faciebat, niſi aſcenderet columna auroræ. Sacerdotes tam perfecti quam maculati inter ſe dividebant. *Siphri ad cap. XVIII. 9. Hæc ergo accipies de his quæ ſanctificantur, & oblata ſunt Domino*; exi, & vide, quænam ſit ex ſanctitatibus ſanctitatum quæ tota combureretur, ex qua partem habeas, quæ licita ſit? Tu non reperis niſi holocauſtum animantis. *Omnis oblatio*, duo panes, & panis facierum. *Et ſacrificium*; hoc eſt munus peccatoris, & munus ſpontaneum; *& quicquid pro peccato*, hoc eſt ſacrificium pro peccato privati, & ſacrificium pro peccato ex ave, & ſacrificium pro peccato ex beſtia; *atque delicto*. Hoc eſt ſacrificium pro delicto certo, & ſacrificium pro delicto dubio, & ſacrificium pro delicto Naziræi, & ſacrificium pro delicto leproſi; *redditur mihi*, hoc eſt furtum Proſelyti, *in Sancta Sanctorum*; hic eſt logus olei leproſi, *tuum erit, & filiorum tuorum*; id eſt pro tuo merito, & pro merito filiorum tuorum. *In Sanctuario comedes illud*; paciſcitur textus pactum cum Aarone pro ſanctitatibus ſanctitatum, ne ederentur niſi in loco ſancto. R. Jehuda filius Beteræ dicit, ſi Gentiles per atrium vagarentur, unde probatur potuiſſe comedi ſanctitates ſanctitatum etiam in ipſo templo? ex eo quod dicit: *In Sanctuario comedes illud. Mares tantum edent ex eo*. Paciſcitur textus pactum cum Aarone pro ſanctitatibus ſanctitatum, ne edantur niſi a maſculis Sacerdotis; *Quia conſecratum eſt tibi*. Quid id dicendum erat? quia ego poteram dicere, ego non probo, obſervanda cum ſanctitate niſi tantum ea quæ comedi poterant, quæ ad edendum apta non erant; unde probatur? ex eo quod dicit: *quia conſecratum eſt tibi*: *Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. X.* Præceptum eſt jubens, ut comedatur hoſtia pro peccato, item: & hoſtia pro delicto; ſcriptum eſt enim: *comedent ut ſit placabile ſacrificium*. Exod. 29. 33., nempe comedebant Sacerdotes, & expiabantur domini. Eadem ratione ſacrificia reliqua, quæ a Sacerdotibus comedebantur, ut comederentur, præceptum erat. Item præceptum jubens eſt, ut reliquiæ fertorum comedantur; ſcriptum eſt enim: *reliquam autem partem ſimilæ comedet Aaron cum filiis ſuis*. Levit. 6. 16. Hoſtia pro peccato, & hoſtia pro delicto, & fertorum reliquiæ non comedebantur niſi a Sacerdotibus maſculis qui erant in atrio, quæ cum comederentur, in ipſo templo comedebantur; ſcriptum eſt enim: *Sacrificium, & quicquid pro peccato, atque delicto . . . . . in Sanctuario comedes illud, mares tantum edent ex eo*. Num. 18. 9. Jam ſacrificia pacifica Eccleſiæ erant inſtar hoſtiæ pro peccato, & hoſtiæ pro delicto, ſicut antea poſuimus.

[183] *Sed ſalutarium privatorum &c. Toſaphta Sevachim ibidem*. Primogenitum, & quod ablatum erat a ſacrificio Euchariſtico, & ab ariete Naziræi, comedi poterant a viris, mulieribus, ſervis, & ancillis; regula generalis hæc eſt; qui poteſt edere de primitiis, de his quoque poteſt edere, & qui non poteſt de primitiis comedere, de his edere non poteſt. Pacifica, & decima, & undecima decimæ poterant edi duobus diebus & una nocte, uno die & ejus nocte, & die poſtero, & quando adveſperaſcit, tenetur pœna pro reſiduo; & cogitatio illegitima ea faciebat propter abominandum, nec comburebantur niſi die; & ubique dies ſequitur noctem; ſed cum ſermo habetur de comeſtione ſanctitatum, nox ſequitur diem. *Maimonides ibidem*. Pacificorum pectus & femur comedebantur a Sacerdotibus maribus juxta atque fœminis, cum ad illa ſpectat id quod ſcriptum legimus: *Tibi dedi, & filiis, ac filiabus tuis. Num.* 18. 11. Item & quicquid demebatur de ſacrificio Euchariſtico, & de ariete Naziræi, ſcriptum eſt enim; *omnes oblationes Sanctuarii, quas offerent filii Iſrael Domino, tibi dedi, & filiis, & filiabus tuis. Ibid. v.* 19. Eadem erat ratio animantium primogenitarum, de quibus ſcriptum videmus; *Carnes vero in uſum tuum cedent ſicut pectuſculum conſecratum, & armus dexter. Ibid.* 18. 18. Jam quæcunque comedebantur a Sacerdotibus fœminis, comedebantur & a Sacerdotum ſervis, atque etiam ab horum ſervorum uxoribus item ut oblatio prima. Porro hæc omnia comedebantur in urbe tota, ſcriptum eſt enim: *Pectuſculum quoque quod oblatum eſt, & armum qui ſeparatus eſt, edetis in loco mundiſſimo*; *Levit.* 10. 14. non dicitur in loco ſancto, quod eſſet atrium, ſed *mundiſſimo* quod erat univerſa Iſraelitarum caſtra, quibus poſtmodum reſpondebat urbs Hieroſolymæ. Eadem erat ratio decimarum & agni Paſchalis; quippe quæ itidem, ut pacifica erant ſacrificia minus ſancta; jam feneſtræ & mœnium ſpiſſitudo pro interiori ſpatio putabitur. Pacifica comedebantur quo die mactata fuerant, & tota nocte conſequenti, & poſtero die toto ad occaſum ſolis, quia ſcriptum eſt; *eadem ſimiliter edetur die, ſed & ſi quid in craſtinum remanſerit, veſci licitum eſt. Et ſi quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit &c. Levit.* 7. 16. 18. Ex quo intelligitur ea comedi per dies duos & noctem unam, tam portionem Sacerdotum, quam portionem dominorum. Eadem erat ratio primogenitarum animantium, & decimarum, quæ itidem ut pacifica, ſacrificia erant minus ſancta. Sacrificium vero Euchariſticum quanquam erat & ipſum ſacrificium minus ſanctum, ta-

men

men non comedebatur niſi eodem die mactationis & nocte inſequenti. Namque de hoc ita præceptum eſt; *cujus carnes eadem comedentur die , nec remanebit ex eis quicquam uſque mane* . *Levit.* 7. 15. Similiter & aries Naziræi, & qui ſacrificiis iſtis adhibebantur panes ſacrificiorum inſtar erant , nec quicquam inter portionem Sacerdotum, & portionem offerentium differebat. Eadem erat ratio hoſtiæ pro peccato, & hoſtiæ pro delicto, & pacificorum Eccleſiæ, & reliquiarum fertorum, quæ omnia una die nocteque comedebantur ; nam quod ſcriptum eſt , *eadem comedentur die*, ad cuncta ſpectat ſacrificia præter pacifica , de quibus Lex nominatim explicat , & primogenita ac decimas, quæ ſunt iſtorum ſimilia ; quæcumque comedebantur una die nocteque, ex edicto Legis quidem comedi licuit uſque dum aurora ſurgeret ; ſapientes autem quo homines a peccato amoverent , edixerunt ne comederentur niſi ad mediam noctem . Sacrificia cuncta ſeu ſanctiora, ſeu minus ſancta non comedebant niſi homines mundi , & iidem circumciſi ; etenim purgatus ab inquinamento, qui jam ſolis occubitum expectaſſet, necdum piaculare ſacrum feciſſet , is etiam ſacrificiis non veſcebatur . Obſtructus ne ſacrificiis veſceretur , interdictum erat , quia erat dubium, utrum is eſſet incircumciſus. Androgynus autem , ut mihi quidem videtur ſacrificiis minus ſanctis veſceretur licebat.

184 *Sorte autem &c. Toſaphta Sevachim cap. XI.* 5. 6. Sacerdotes non partiebantur carnem contra carnem , & aves contra aves , & aves contra munera, nec munera contra munera juxta verſiculum qui dicit: *Et omne ſacrificium ſimile . . . . ſive oleo conſperſa , ſive arida fuerit cunctis filiis Aaron menſura æqua per ſingulos dividetur* . *Levit.* 7. 9. 10. Homo partecipabat, quamvis eſſet maculatus, minorennis non partecipabat , quamvis eſſet perfectus; at minorennis quando partecipabat de ſanctitatibus Sanctuarii? quando in eo duo pili conſpicerentur ; ſed non ſinebant eum immolare ſacrificium, niſi barbatus eſſet. Rabbi inquit, ego dico, niſi compleverit viginti annos, ut præſit operationibus domus Domini . *Siphra ad cap. VII. 6. Levit. Omnis maſculus* , ad includendum maculatos; in quonam? ſi ad comedendum; jam dictum eſt, ſi ad diſtribuendum; jam dictum eſt ; ſi pro iis qui perpetuis vitiis maculati ſunt ; jam dictum eſt ; ſi pro iis , qui temporalibus vitiis inquinati ſunt ; jam dictum eſt; ſi ita eſt; cur dictum eſt , *omnis maſculus* ? ad includendum maculatos ; quod ego poteram dicere; ego non habeo niſi pro illo , qui perfectus natus ſit , & poſtea maculatus factus ſit , pro eo , qui naſcitur maculatus ab utero matris ; unde probatur? ex eo quod dicit, *omnis maſculus* . *Et ad verſum 9. ejuſdem capitis*. *Sacerdotis qui offert eam , erit*. Poſſem credere, pro eo uno? ideo dicit : *cunctis filiis Aaron . . . . . dividetur* ; poſſem credere , omnibus? ideo dicit, *ejus erit Sacerdotis a quo offertur* . Quomodo hoc intelligitur ? Hoc intelligitur pro familia Sacerdotum, qui eam offerebant . Unde probatur, quod in diſtributione non poſſent opponere ſacrificia muneribus? Ex eo quod dicit: *Et omne ſacrificium ſimilæ quod coquitur in clibano . . . . . cunctis filiis Aaron . . . . . dividetur* . Poſſem credere , non potuiſſe eos opponere in diſtributione munera cocta in clibano ſacrificiis , ſed potuiſſe ea opponere cæteris muneribus? idcirco dicit: *Et quicquid in craticula*, *vel in ſartagine præparatur . . . . cunctis filiis Aaron*. Poſſem credere non oppoſuiſſe munera ſacrificiis, ſed potuiſſe opponere aves muneribus? ideo dicit, *& in ſartagine . . . . cunctis filiis Aaron . . . . dividetur* . Poſſem credere ne potuiſſe quidem opponere aves muneribus, ſed munera muneribus opponere potuiſſe? ideo dicit : *ſive oleo conſperſa . . . . cunctis filiis Aaron* . Poſſem credere non potuiſſe opponere munus lebetis muneri ſartaginis , & munus ſartaginis muneri lebetis , ſed potuiſſe opponere munus ſartaginis alterius ſartaginis muneri , & lebetis munus muneri lebetis ? idcirco dicit ; *ſive arida fuerit cunctis filiis Aaron*. Poſſem credere non potuiſſe opponere ſanctitates ſanctitatum , ſed opponere potuiſſe ſanctitates leves? ideo dicit; *æqua per ſingulos*; & confeſtim dicit: *Si pro gratiarum actione oblatio fuerit*; Quemadmodum opponere non poterant ſanctitates ſanctitatum, ita etiam opponere non poterant ſanctitates leves. *Vir*, æque ac alter vir dividebat, quamvis maculatus, ſed minorennis non dividebat , quamvis eſſet perfectus. *Maimonides ibidem*. De holocauſto ſcriptum legitur; *Sacerdos qui offert holocauſti victimam*, *habebit pellem ejus*. Levit. 7. 8. & de hoſtia pro peccato ſcriptum legitur; *Sacerdos qui offert*, *comedet eam*. Ibid. 6. 26. Et de hoſtia pro delicto ita dicitur: *Ad ſacerdotem , qui eam obtulerit , pertinebit* . Ibid. 7. 7. & de pacificis ſcriptum videmus : *Et erit ſacerdotis , qui fundet hoſtiæ ſanguinem* . Ibid. v. 14. & de ferto dicitur; *Ejus erit Sacerdotis, a quo offeretur* . Ibid. v. 9. In his omnibus Scriptura non loquitur niſi de ſacerdotibus idoneis , ut qui ſacerdos erat idoneus ad rem divinam faciendam, hic quoque ejus partem ad veſcendum obtineret , & qui non erat idoneus , cum ſacrificium fieret , ut ſi immundus erat , is nullam ejus partem ad veſcendum acciperet, ne veſperi quidem cum jam purgatus eſſet. Jam omnia dividebantur inter ſacerdotes ejus familiæ quæ de die miniſtrabat. Hi omnes omnia inter ſe ſanctuarii ſacra partiebantur ita ut æquabilis eſſet eorum partitio , neque plus obtingeret ei , qui ad aram fecerat , quam ejus fratri , qui ſimul una in ſanctuario occupatus nihil ad aram fecerat. Quid eſt igitur, quod Scriptura diſcernat ferta cocta a ferto ſimilaginis? etenim de coctis ſcriptum videmus : *Omne ſacrificium ſimilæ quod coquitur in clibano . . . . ejus erit ſacerdotis a quo offertur*. *Sed omne munus oleo conſperſum*, *aut aridum cunctis filiis Aaron menſura æqua per ſingulos dividetur* . Nempe fertum coctum ſi diſpertiretur inter ſacerdotes familiæ miniſtrantis, & vel hoc panis unicuique obtingeret, quod oleæ magnitudinem adæquaret, id nihilominus aptum ipſi fuiſſet , quippe quod extemplo comederet ; ſimilago vero ſi divideretur inter eos unicuique forſan obveniſſet plena manus, aut eo minus , quod neutiquam ad depſendum , vel ad coquendum erat idoneum ; erat igitur rationi conſentaneum , ut partiendo opponeretur ferto fertum, non vero ejuſdem generis fertum unum , & idem ſeorſim inter omnes ſacerdotes familiæ miniſtrantis divideretur æqualiter ; quare neceſſe fuit , ut de iſto Scriptura nominatim diceret; *cunctis filiis Aaron menſura æqua per ſingulos dividetur* . Levit. 7. 10. cujus eſt ea vis, ut hoc genus ferti ſeorſum inter ſe partiantur. Hinc edictum illud ſapientum, nunquam partiendo fertum ferto opponendum, nec ſartaginis pulpamentum unum alteri ſartaginis pulpamento , nec ſimilago ſimilagini , ſed cujuſque ferti reliquiæ ſeparatim dividendæ . Porro partiendo non opponebatur volucri volucris, nec hoſtia pro peccato hoſtiæ pro peccato , nec pectus & femur, pectori & femori , ſed unamquamque portionem ſacerdotes inter ſe partiebantur æqualiter. Non partiebantur cum natu minori ſacrificia ne minus ſancta quidem , tametſi eidem ſacrificia etiam ſanctiora eidem ad comedendum præbere licebat . Similiter cum muliere , androgynoque nulla omnino ſanctuarii ſacra partiebantur, ſcriptum eſt enim *Vir cum fratre*. Sacerdos autem, qui corporis vitio laborabat ſeu perpetuo ſeu temporali , nec vero quicquam referebat , utrum cum vitio natus, an primum integer , tum deinde vitio temeratus eſſet, is ſacra participabat , & comedebat , quia enim ſcriptum eſt ; *veſcetur tamen panibus , qui offeruntur in ſanctuario &c.* Ibid. 21. 22. Sic enim erat, ſiquidem idem ad comedenda ſacra fuerat idoneus ; ſin autem immundus eſſet , neutiquam ſacra participaſſet , uti ea veſperi comederet. Summus ſacerdos veſcebatur ſacris nulla facta partitione , namque ſumebat ex eis , quicquid ipſi complacitum erat.

185 *Licebatque iis &c. Toſaphtæ Sevachim cap. X.* 9. licet Sacerdotibus in omnibus Sacrificiis variare in comeſtionibus ; licet munera fervida perfundere aqua , & inde oleum extrahere , & in ea dare condimenta profana , & condimenta Thrumæ, verba R. Simeonis. R. Meyr dicit , condimenta profana , & non condimenta Thrumæ , ne profanationi obnoxia reddantur , & ejus comeſtio minuatur . Vinum & iis ſimile . Non coquendum eſt ſacrificium pro peccato , & ſacrificium pro delicto cum eo quod ſeparatum eſt de ſacrificio Euchariſtico , & aries Naziræi cum primogenito , & cum eo , quod ſeparatum eſt de Pacificis , quia eorum comeſtio minuitur , & comedendi tempus , nec pacifica heſternæ diei cum ſacrificio pro peccato & pro delicto hujus diei, quia minuitur eorum comeſtio , & comedendi locus , & comedendi tempus , ſed ſacrificium pro peccato & ſacrificium pro delicto una ſimul coqui poſſunt , ſa-

cri-

crificium Eucharisticum, & Aries Nazirræi una simul coqui possunt; Primogenitum & ablatum e pacificis una simul coqui possunt, quia æqualia sunt. *Maimonides ibidem*. Sacrificia licebat quovis modo ad vescendum condire. Atque etiam Sacerdotes suam portionem sacrificiorum seu minus sanctorum seu sanctiorum quovis modo ad vescendum condire fas erat. Et variare pulpamenta, eaque comedere tosta, cocta elixa, hisque condimenta commiscere communia, non item oblationis primæ, ne forte oblatio prima veniret in manus hominis minus idonei. Porro licebat ut ex reliquis horum ossibus quivis complacita sibi vasa faceret. Si haberent ex his pastum nimis modicum, adjungebant cibi communis aut oblationis primæ tantum, quantum ad saturitatem sufficiebat; si contra pastum ex his haberent amplum, nihil adjungebant neque cibi communis, neque oblationis primæ, ne pastus fieret immanis: eadem tenebatur ratio in reliquiis fertorum. Non coquebatur hostia pro peccato, vel hostia pro delicto cum eo, quod demebatur de sacrificio Eucharistico, aut de ariete Nazirræi, namque comedentium numerus ad pauciores redigeretur, & locus his edendis idoneus redderetur angustior. Porro id quod demebatur de sacrificio Eucharistico & de ariete Nazirræi non coquebatur cum primogenito, aut cum pectore & femore pacificorum, quod his edendis minus temporis relinqueretur. Porro autem id quod de pacificis hesternis erat demtum, non coquebatur cum hodierna hostia pro peccato, & hostia pro delicto, quod his minor comedentium numerus relinqueretur, simul & comedendi locus & tempus angustiora redderentur. Sed enim hostiam pro peccato concoquere cum hostia pro delicto licebat, & sacrificium Eucharisticum cum ariete Nazirræi; item & primogenitum cum pectore & femore pacificorum; si quod sacrificiorum Sanctiorum, aut carnis abominandæ frustum, aut denique residuum quid concoqueretur cum frustis aliis, hæc forent hominibus alienis interdicta, concessa Sacerdotibus. Caro sacrificiorum Sanctiorum, aut minus sanctorum si concocta fuisset cum carne desiderii, ista quidem desiderii caro hominibus immundis interdicta, mundis concessa fuisset.

[186] *In quatuor actibus &c. Tosaphta Sevachim.* II. 8. Omnia sacrificia, quæ mactasset & non eorum titulo, si excepisset sanguinem, & detulisset, & sparsisset extra tempus suum, aut mactasset extra tempus suum, & excepisset sanguinem, & detulisset, & sparsisset non eorum titulo, sunt abominanda, in iisque est pœna excidii, tum vero, cum oblatum sit permittens juxta præceptum suum. Quomodo intelligitur oblatum esse permittens juxta præceptum suum? Si cum silentio mactasset, & excepisset, & aspersisset sanguinem extra tempus suum, aut mactasset extra tempus, & ivisset & aspersisset sanguinem cum silentio, hoc modo offertur permittens juxta præceptum suum. Quomodo intelligitur non offerre permittens juxta præceptum suum? Si mactasset extra locum suum, & excepisset sanguinem, & detulisset, & aspersisset extra tempus suum, aut mactasset extra tempus suum, & excepisset sanguinem, & detulisset, & aspersisset extra locum suum, aut mactasset, & excepisset, ivisset, & aspersisset extra locum suum, vel anteisset cogitatio temporis cogitationem loci, vel anteisset cogitatio loci cogitationem temporis est reprobum, neque est pœna excidii. R. Jehuda dicit, etiam in hoc, si anteisset cogitatio temporis cogitationem loci, est abominandum, & tenetur excidio, si anteisset cogitatio loci cogitationem temporis, est reprobum, & non tenetur excidio. Quomodo intelligitur, anteisse cogitationem temporis cogitationem loci? Si mactasset extra tempus, & excepisset sanguinem, & detulisset, & aspersisset extra locum suum. Quomodo intelligitur, cogitationem loci anteisse cogitationem temporis? Si mactasset extra locum suum, & excepisset, & ivisset, & aspersisset extra tempus suum. *Siphra ad cap. VII. 18. Levitici. Nec proderit offerenti*. Cogitatione fit reprobum, & non die tertio. Possem credere, quod cogitatio non faceret illegitimum sacrificium nisi in aspersione sanguinis? Unde probo ad includendam mactationem, & exceptionem sanguinis? ex eo quod dicit ואם האכל יאכל *si comedendo comederit* ad includendam mactationem, & exceptionem sanguinis; possem credere includendas reliquias sanguinis, & combustionem adipum, & carnis comestionem? ideo dicit, המקריב אותו *qui obtulerit istud*. Aspersio comprehensa erat in genere, cur prodiit? ad argumentandum; Sicuti aspersio est opus distinctum, a qua pendet expiatio, ita etiam omne aliud opus distinctum, a quo pendeat expiatio, & includo mactationem, & exceptionem sanguinis, a quibus pendet expiatio, & excludo reliquias sanguinis, & combustionem adipum, & comestionem carnis, a quibus non pendet expiatio. R. Meyr dicit; fit illegitimum in asportatione, quia fieri non potest ministerium (*aspergendi sanguinis*) sine asportatione. R. Simeon dicit, non est cogitatio in asportatione; quia fieri non potest operatio sine mactatione, & sine exceptione sanguinis, & sine aspersione, sed fieri potest sine asportatione; *potest enim* mactare prope altare, & aspergere. R. Eleaser dicit, asportatio in locum necessarium cogitatione fit illegitima, sed asportatio in locum non necessarium cogitatione non fiebat illegitima, quia cogitatio non reprobat nisi in eo, quod pro ministerio necessarium est, & in eo, qui ministerio necessarius est, & in loco, qui legitimus est pro ministerio. Possem credere, quod cogitatio non reprobet nisi in comestione carnis; unde probo ad includendum aspersionem sanguinis, & combustionem adipum, & reliquiarum effusionem? ex eo quod dicit: ואם האכל יאכל *& si comedendo comederit*; comestio hominis, & comestio altaris. Vidimus de sacrificiis, quæ duobus diebus comedebantur, quod cogitatione reprobarentur in tertio; unde probatur pro sacrificiis, quæ uno die comedebantur? Argumento deducam; edebantur sacrificia duobus diebus, & edebantur sacrificia uno die; quemadmodum sacrificia, quæ duobus diebus eduntur, cogitatione reprobabantur, etiam sacrificia, quæ uno die eduntur, cogitatione secundi diei reprobantur; sed sufficit, ut deductum deducenti sit simile; sicuti hæc pro tertio die, etiam illa pro tertio die. Ego alio modo argumentabor. Sacrificia eduntur uno die, & sacrificia eduntur duobus diebus; quemadmodum sacrificia quæ eduntur duobus diebus, cogitatione comedendi ea extra tempus suum, quod est dies tertius, reprobantur, ita etiam sacrificia, quæ uno die eduntur, cogitatione comedendi ea extra tempus suum, quod est secundus dies, reprobantur. Itane? Si reprobat cogitatio pro tertio die, quia id non est tempus legitimum pro ullo sacrificio, reprobabitne cogitatio pro secundo die, qui legitimus est ad comedendas sanctitates leves? Idcirco dictum est; *si comedendo comederit* ad includendum sacrificia, quæ uno die comedebantur, quod cogitatio pro secundo ea debeat reprobare. *Maimonides ad cap. II. 3. Sevachim*. Scriptum est Levit. 7. 18. *Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti*. Dixerunt sapientes, præbe aures tuas ad ea quæ dicuntur, de intentione comedendi de sacrificio die tertio textus loquitur, vel non loquitur; sed de eo, qui comederit de sacrificio suo die tertio? Respond. postquam id fuit legitimum, denuo illegitimum fieri nequit. Porro quoque ex eo, quod Lex dicit המקריב אותו *qui obtulerit istud*, colligitur, quod sacrificium in ipso offerendi actu fit illegitimum, & ex eo quod dicitur לא יחשב *non imputabitur*, colligitur cogitatione sive intentione id fieri illegitimum (nam חשב notat cogitare). Cæterum jam expositum est, quod si intentio damnum creaverit in uno horum casuum, quo sacrificium fit illegitimum, scil. inter mactandum, vel inter sanguinem excipiendum in scutella, vel inter adducendum ad altare, vel inter spargendum in altare, istud sacrificium vocatur פגול *abominandum*, & is qui de hoc comederit, tenetur pœna excidii, sacrificium vero non est acceptum, neque possessoribus imputatur. Jam ita decisio juris est, sive quis intenderit de sacrificio isto comedere extra tempus suum, sive intenderit comburere adipes illius extra tempus suum; dicimus tamen id duobus modis, etsi Lex locuta sit de esu extra fixum tempus ואם האכל יאכל *& si comedendo comederit*. Dixerunt autem Sapientes de duplici comestione loqui Legem, quarum una est, quæ fit ab hominibus, altera vero ab altari; propterea sicut caro quæ idonea est, ut ab hominibus comedatur, fit פגול *abominanda*, si intenderit eam extra fixum tempus comedere; sic etiam adipes *abominandi* facti sunt, si intenderit eos altari exhibere comedendos extra tempus eis fixum. Si vero infortu-

nium

nium hocce non acciderit inter offerendum, & quicquam de carne residui post fixum tempus, quod aptum est in cibum, reliquum fuerit, hoc vocatur נותר *residuum*, & non פגול *abominandum*.

[187] *Ita ut in sertis &c. Tosaphta Menachot. cap.* II. Si quis munus pugillo colligat ad comedendas reliquias foris, aut quantitatem olivæ foris, vel ad pugillo collecta foris comburenda, aut olivæ quantitatem foris, aut thus illius foris comburendum, aut quantitatem olivæ de ejus thure comburendum foris, reprobum est, attamen excidium non habet locum in isto. Si ad reliquias die crastino comedendas, vel olivæ quantitatem e reliquiis die crastino, vel ad pugillo collecta die crastino comburenda, vel quantitatem olivæ de pugillo collectis die crastino, vel ad thus illius die crastino comburendum, abominatio est, & pœna excidii obtinet. Omnia munera, quæ pugillo collegisset non eorum titulo, si asportasset, & combussisset extra tempus suum, aut asportasset, & combussisset non eorum titulo, abominanda sunt, & in his obtinet pœna excidii, dummodo offerat permittens juxta præceptum suum. Sed quomodo intelligitur permittens oblatum esse juxta præceptum suum? Si pugillo collegisset cum silentio, indidissetque vasculo, & portasset extra tempus suum, aut pugillo collegisset extra tempus suum, & vasculo indidisset, & asportasset, & combussisset cum silentio, aut pugillo collegisset, & vasculo indidisset, & asportasset, & combussisset cum silentio, id est, quod oblatum fuit permittens juxta præceptum suum. Quo pacto intelligitur non oblatum fuisse permittens juxta præceptum suum? Si pugillo collegisset extra tempus, & vasculo indidisset, & adduxisset, & combussisset intempestive; aut pugillo collegisset extra tempus suum & vasculo indidisset, & asportasset, & combussisset extra locum suum, vel anteisset cogitatio temporis cogitationem loci, vel cogitatio loci anteisset cogitationem temporis, est reprobum, neque in eo obtinet excidium. R. Jehuda dicit, in hoc casu, si anteisset cogitatio temporis cogitationem loci, est abominandum, & in eo obtinet pœna excidii; & si anteisset cogitatio loci cogitationem temporis, est reprobum, & non obtinet excidium. *Maimonides de sacris temeratis cap.* XIII. 6. Ferta vero, de quibus demebatur plenus pugillus, ea temerabantur inter operationes quatuor, inter demendum pugillum, inter pugillum in vase reponendum, inter transferendum pugillum ad altare, & inter pugillum in ignem projiciendum. *Volucres vero inter resecandum ungue collum, & eorum sanguinem exprimendum tantum temerabantur. Maimonides ibidem.* Volucris autem hostia temerabatur omnino inter operationes duas, inter resecandum ungue collum, & inter exprimendum ejus sanguinem.

[188] *Cogitationes quæ &c. Siphra ibidem.* Possem credere, quod cogitatio tantum extra tempus reprobaret; unde probatur etiam extra locum suum? Probo argumento. Tempus reprobat sacrificium, & atrium (*si extra atrium, reprobum erat*) reprobat; sicuti pro tempore cogitatio reprobat, etiam cogitatio pro atrio reprobare debebit. Itane? Si reprobat cogitatio pro tempore, id erat, quia tempus observabatur etiam in excelsis, reprobabitne cogitatio pro atrio, quod atrium in excelsis locum non habebat? Idcirco dicit in sectione: *sancti eritis. Si quis . . . . die tertio comederit, irrita fiet oblatio; quod non erat necesse*, ut amplius diceretur; sed si non potest explicari de *cogitatione* extra tempus suum, explicabis *de cogitatione extra locum suum. Maimonides Ibidem.* Tria cogitationum erant genera, quibus temerabantur victimæ; hæc erant; si cogitando mutaretur nomen, si cogitando mutaretur locus, si cogitando mutaretur tempus. Jam cogitando mutabatur nomen, si victima non immolaretur suo nomine; ut siquis immolando holocausto cogitaret immolare victimam pacificam, si primo aditu victimam immolaret nomine holocausti, & nomine hostiæ pacificæ, contrave; si victimam non immolaret nomine offerentis; sic cogitando mutabatur nomen. Jam mutabatur cogitando locus, si quis victimam immolaret suo nomine scilicet, at ea mente, ut extra atrium vel sanguinem spargeret, vel aliquam partem ejus ad adolendum idoneam adoleret, vel ut quid de victima ad comedendum aptum comederet extra locum eum, quo comedi jus erat; hoc modo mutabatur cogitando locus. Etenim quibus de victimis horum aliquid cogitabatur, eæ dicebantur victimæ extra locum suum immolatæ. Tertium erat, si cogitando mutaretur tempus, ut si mactaretur hostia nomine quidem suo, sed ea mente, ut vel ejus sanguis spargeretur post solis obitum, quod tempus ad sanguinis aspersionem neutiquam erat idoneum, vel ut ex ea quid aptum ad adolendum, adoleretur postera die post exortam auroram, quo quidem tempore id adolendum non erat; vel ut ex ea quid aptum ad comedendum, comederetur post tempus id, quo comedi conveniebat; nempe hoc pacto mutabatur cogitando tempus. Quibus igitur de victimis cogitabatur istorum aliquid, eæ dicebantur victimæ extra tempus suum immolatæ. Atque illud est quod passim dicitur *abominandum*, de quo etiam Lege commemoratur.

[189] *Hujus mali &c. Maimonides ibidem cap.* XVIII. Quisquis de sacris cogitationem minus rectam suscipiebat, is contra vetitum faciebat; est enim in Lege; *non imputabitur*. Nam id quidem quasi per manus traditum est, hac sanctione caveri etiam, ne cogitando corrumpat sacra minister. Etenim id si committebat, idem faciebat ac si sacra vitiis afficeret, non verberaretur tamen, quia cogitatione nihil effectum dabat. Quodcunque sacrum dicitur temeratum fuisse seu id cogitatione, seu facto, seu quocunque interveniente vitio redderetur temeratum, si quis ex eo tantum quantum est olivæ magnitudo, comederet sciens, verberibus multaretur; est enim in Lege; *ne comedat ullam abominationem*. Deut. 14. 3. Etenim auditione accepimus hanc scripturæ admonitionem ad sacra sola temerata pertinere. Et siquis de sacris vitio affectis comederet ad magnitudinem olivæ, ille quoque verberibus multaretur, nam & ipsa comprehenduntur his verbis, *ullam abominationem. Ib.* Manendum igitur erat donec in ipsis exoriretur vitium aliud, & postea denique vitiosa comedebantur sic ut supra disputavimus. Sed enim quæcunque erant ex dubio temerata, de his verberabatur nemo.

[190] *Si quis autem &c. Maimonides ibidem.* Quodcumque sacrum cogitatione temporis alieni sic, ut ante diximus, abominandum fuerat redditum, ex eo siquis ad olivæ magnitudinem comederet sciens, pœna erat excidium; nam id significatur hoc Legis edicto; *Quæcunque anima tali se edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit*; Levit. 7. 18. siquis autem tantumdem ex eo comederit imprudens, statam hostiam pro peccato ferebat.

[191] *Habebatur sane &c. Tosaphta Sevachim cap. V.* 11. ----- 16. Gravius est abominandum, quam residuum, & immundum, & residuum & immundum *gravius est* quam abominandum, quia abominandum fit cogitatione, & fit ante aspersionem sanguinum, & si qua pars sacrificii, abominanda facta sit, totum abominandum factum est; quod non contingit in residuo & immundo. Gravius est residuum & immundum; quia in iis rebus, in quibus propter abominandum non infligitur pœna, infligitur propter residuum & immundum; in residuo infligitur pœna pro residuo & immundo, quod non contingit in abominando. Gravius est abominandum & residuum, quam immundum, & immundum *gravius est* quam abominandum & residuum, quod abominandum & residuum fit una notitia, & immundum duabus notitiis; pro abominando & residuo tenetur sacrificio fixo, & pro immundo sacrificio ascendenti & descendenti; abominandum & residuum nunquam permissa fuere a suo genere; & immundum permissum est a suo genere. Gravius est immundum, quia immundum observatur in animanti, & observatur post aspersionem sanguinum; & si pars membri polluta fuerit, totum pollutum est, quod non contingit in abominando & residuo. Gravius est immundum, quam egrediens, & egrediens *gravius* quam immundum; quia immundum observatur in sanctitatibus sanctitatum, & in sanctitatibus levibus, & observatur in sanctitatibus provinciæ, quod non fit in egrediente. Gravius est egrediens; quia egrediens nunquam permittitur a suo genere, neque id lamina sacerdotis expiat, quod non fit in immundo. De quonam immundo egerunt? de immundo qui edisset carnem puram, & carnem immundam; sed purus, qui edisset carnem pollutam, & qui ederet de sanctitatibus post aspersionem sanguinum, aut de holocausto, aut de adipibus, tam ante quam post sparsionem eorum sanguinum, 40. pla-

plagis vapulat. Regula generalis hujus rei eſt; quod non ſit reus in ſacrificio, niſi pro abominando, reſiduo, & immundo.

[192] *Tempus comeſtioni &c. Codex Sevachim cap. V.* 3. 5. *6.* Peccatorum (totius) cœtus, & unici; iſta autem ſunt peccata, ſeu ſacrificia pro peccatis cœtus. Hirci noviluniorum, & feſtorum ſolennium &c. eduntur intrinſecus intra cortinas in memoriam Sacerdotii de omni cibo diu & noctu uſque ad dimidium noctis &c. Sacrificiorum pacificorum cœtus & delictorum &c. eduntur intus intra cortinas a maſculis Sacerdotibus quocunque genere cibi, die nocteque uſque ad dimidium noctis &c. Sacrificiorum Euchariſticorum, & Arietis Naziræi, quæ ſunt ſancta levia &c. eduntur in tota urbe (Hieroſolyma) a quocunque homine quocunque genere cibi per totam diem, & dimidium uſque noctis. Elevatum ex illis ſimili ſe habet modo (ut ſuperius) niſi quod elevatum editur tantum a Sacerdotibus, mulieribus eorum, filiis eorum, ſerviſque eorum. *Siphra ad cap. VII.* 15. *Levit. Cujus carnes eadem comedentur die.* Hinc diſcimus, quod ea ſacrificia, quæ uno die comederentur, niſi eo uno die comedi non poſſent. Hoc loci non habeo niſi pro ſacrificio Euchariſtico, unde probo ad includendum etiam panem? ex eo quod dicit: *ſacrificii ſui*; unde probo ad includendum partus, & elevata? ex eo quod dicit; *carnes*; unde probo pro ſacrificio pro peccato, & pro delicto? ex eo quod dicit: *ſacrificii*; unde probo ad includendum pacifica Naziræi, & pacifica, quæ offerebantur cauſa Sacrificii Paſchalis? ex eo quod dicit: *de carnibus victimæ Pacificorum. Eadem comedentur die.* Non probo comedendas niſi uno die tantum; unde probo principium etiam eorum ſanctificationis non debuiſſe fieri niſi ea mente, ut uno tantum die comederentur? a textu qui dicit: *Si immolaveritis hoſtiam pro gratiarum actione Domino ut poſſit eſſe placabilis, eadem die comedetis eam.* (Levit. 22. 29. 30.) Quod dici non oportebat; ſed cum ejus propoſitum non ſit pro comeſtione, explicabimus pro ſanctificatione, quod principium etiam ſanctificationis fieri non debuiſſet, niſi ea mente, ut uno die comederetur. Non probavi niſi pro ſacrificio Euchariſtico; unde probo pro omnibus aliis ſacrificiis, qui uno die comedebantur, ſacrificari non debuiſſe niſi ea mente, ut uno die comederentur? ex eo quod dicit; *ſi immolaveritis hoſtiam*: ad includendum omnia illa, quæ uno die comederentur, ut ea mente ſacrificarentur, ut uno die ederentur: *nec remanebit ex eis quicquam uſque mane.* Sed poteſt comedere per totam noctem; quænam igitur eſt cauſa, quod ſapientes dixerint, uſque ad dimidium noctis? ad amovendam prævaricationem; ſed cogitatione non reprobantur; ſed reſidui cauſa in his pœna obtinet, uſque dum appareat aurora.

[193] *Sed in reliquis Sacrificiis &c. Codex Sevachim ibidem.* Sacrificiorum Pacificorum, quæ ſunt ſancta levia &c. eduntur etiam in tota urbe (Hieroſolyma) a quovis homine, quolibet eſcæ genere, ſed duobus diebus, atque nocte una. Elevatum ex illis ſimile eſt illis, niſi quod elevatum manducatur *ſolum* a Sacerdotibus, eorum mulieribus, filiis, ſerviſque. Primogeniti, decimarum, Paſchatis, quæ ſunt ſancta levia, mactatio ubique in atrio fit &c. Diſtincta tamen ſunt in comeſtione ſui. Primogenitum editur a Sacerdotibus; decimæ vero ab omnibus hominibus. *Eædem* comeduntur in tota urbe a quovis homine omni genere cibi, duobus diebus & nocte una. *Siphra ibidem. Si voto vel ſponte quiſpiam obtulerit hoſtiam*; venit ad nos docendos pro iis ſacrificiis, quæ poterant comedi duobus diebus, illis duobus diebus fuiſſe comedenda. Hinc non probabis niſi pro pacificis; unde probo ad includendum ſacrificium Feſti? Includam etiam ſacrificium Feſti, quod ſuo tempore afferetur; unde probo ſacrificium Feſti, quod cauſa Paſchatis affertur, ſacrificium Feſti, quod compenſationis cauſa adducitur, pacifica, quæ inter dies ſolennes afferuntur, pacifica quæ poſt ſolennitatem afferuntur? ex eo quod dicit; *ſi voto vel ſponte.* Cum textus dicit; *non remanebit de carnibus ejus quod immolatum eſt veſpere in die primo uſque mane* (Deut. 16. 4.) docet pro ſacrificio Feſti diei quartæ decimæ, potuiſſe comedi duobus diebus & una nocte. Ego dicere poteram uno die & una nocte; idcirco dicit; *uſque mane*; ſignificatur ſecundum mane; an ego dicere non poſſum primum mane? Quem locum inveniam, unde probem pro ſacrificio Feſti, potuiſſe comedi duobus diebus, præter hunc? ex eo quod dicit; *ſi voto vel ſponte.* Et unde probo ad includendum commututationes, & fœtus? ex eo quod dicit: *voto; ſi voto vel ſponte.* Unde probo ad includendum primogenitum, & decimam? ex eo quod dicit; *hoſtiam. Si .... quiſpiam obtulerit hoſtiam, eadem ſimiliter edetur die.* Hinc non probo niſi comedenda eſſe duobus diebus; unde probatur, principium eorum ſanctificationis fieri non debuiſſe niſi ea mente, ut duobus diebus ederentur? ex eo quod dicit; *Si immolaveritis hoſtiam pacificorum Domino, ut ſit placabilis, eo die quo fuerit immolata, comedetis eam, & die altero* (Levit. 19. 5. *6.*) Quod dici non oportebat. Sed cum explicari non poſſit pro comeſtione, explicabitur pro immolatione, etiam principium ſacrificii faciendum non eſſe niſi ea mente, ut duobus diebus comedatur. Non probo niſi pro pacificis; unde probo pro omnibus iis, quæ duobus diebus comedebantur, immolanda non fuiſſe niſi ea mente, ut duobus diebus ederentur? ex eo quod dicit; *ſi immolaveritis hoſtiam pacificorum*, ad includendum omnia ſacrificia, quæ duobus diebus ederentur, in principio eorum immolationis debuiſſe eſſe mentem, ut duobus diebus comederentur. *Eadem ſimiliter edetur die*, præceptum erat, ut primo die comederetur; credere poſſem duobus diebus? idcirco dicit; *ſiquid in craſtinum*; igitur diſcimus præceptum eſſe duobus diebus; ideo dicit, *ſiquid in craſtinum remanſerit*; ſiquid remaneat, remaneat. Ego putare poſſem, ſi totum remanſerit, reprobum eſſe; idcirco dicit: *veſci licitum eſt.* Putare poſſem edi potuiſſe veſperi diei inſequentis. Et argumento. Sacrificia edebantur uno die, & ſacrificia edebantur duobus diebus; quemadmodum ſacrificia, quæ uno die edebantur, licita etiam erant nocte inſequenti, ita etiam ſacrificia, quæ duobus diebus comedebantur, inſequenti nocte licita eſſe debebunt: Idcirco dicit *in craſtinum*, uſque ad craſtinum comedi poterant, ſed nocte diei tertii comedi non poterant.

[194] *Agni Paſchalis &c. Codex Sevachim ibidem.* Paſcha vero non editur niſi noctu, nec editur niſi ad dimidium noctis.

[195] *Quod conſtituerunt &c. Codex Berachoth cap. I.* 1. Neque hoc duntaxat; verum ubicumque dixerint ſapientes, uſque ad mediam *noctem*, præceptum valet donec aſcenderit columna auroræ. De adolendis adipibus & membris præceptum valet uſque dum aſcenderit columna auroræ. Et quæcunque comedenda ſunt eodem die, præceptum de illis valet, donec aſcenderit columna auroræ. Si ita, quare dixerunt Sapientes, uſque ad mediam noctem? ut procul arcerent homines a tranſgreſſione.

[196] *Quod autem &c. Sipra ibidem.* Poſſem credere ſtatim fuiſſe comburendum, & argumento adductus; ſacrificia comedebantur uno die, & ſacrificia duobus diebus comedebantur; quemadmodum ſacrificia quæ uno die comedebantur, ſtatim ac præterierat tempus legitimum eorum edendorum, comburebantur; ita etiam ſacrificia, quorum comedendorum cauſa duo dies deſtinati erant, ſtatim poſtquam præterierat tempus ea comedendi, comburenda erant; idcirco dicit, *in diem tertium*; interdiu comburebantur, non noctu comburebantur; dicam igitur, in tertio comburetur, & præterito tertio non comburetur; idcirco dicit, *comburetur*, etiam in perpetuum. *De carne* & non de oſſibus, & non de nervis, & non de cornibus, & non de ungulis; *victimæ*, excludit fœtum, & ſecundinam; *in diem tertium, igni comburetur*; ſtatuit principii conſtitutionem pro omnibus ſacrificiis combuſtis, quæ niſi interdiu non comburebantur. *Maimonides de ſacris temeratis cap. XIX.* Jubendo ſancitum eſt, ut ſacra contaminata cuncta comburantur; eſt enim in Lege; *Caro quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, ſed comburetur igni. Levit.* 7. 19. Item jubendo ſancitum eſt, ut comburatur quicquid e ſacro reſiduum fuerit; ſcriptum eſt enim. *Quicquid autem ſuperfuerit de carne victimæ, igni comburetur.* Atqui reſiduo includitur & abominatio; nimirum illegitima ſacra cuncta comburebantur. *Et nonnullis interjectis.* Victimæ pacificæ quamvis eſſent interdictæ ab ineunte nocte tertia, non cremabantur niſi interdiu ſuo, vel alieno tempore. Et quicquid abominandum erat, item non cremabatur niſi interdiu.

[197] *In atrio magno &c. Maimonides de Primitivis* cap.

cap. I. 3. 4. Sacerdotes octo ex illis donis nonnisi in Sanctuario intra atrii muros comedere possunt; quinque ex his Hierosolymis tantum &c. Octo illa quorum usus nonnisi in Sanctuario est licitus, quænam sunt? Caro sacrificii pro peccato, sive sit sacrificium pro peccato ex volucere, sive ex pecude; Caro sacrificii pro reatu tam dubio quam certo; sacrificia pacifica totius cœtus, residuum manipuli, reliquiæ fertorum Israelis, duo panes, panes propositionis, & logus olei leprosi. En ea quæ in Sanctuario solum erant consumenda. Quænam vero sunt quinque illa, quæ Hierosolymis absumi debuerunt? Pectus & armus Pacificorum; ablatum a sacrificio confessionis; ablatum ab ariete Nazirræi; pecudis puræ primogenitum, & primitiva; his Hierosolymis tantum vesci erat licitum.

[198] *Quum Schilunte esset &c. Codex Sevachim cap. XIV.* 4. —— 8. Antequam erectum esset Tabernaculum, fuerunt excelsa licita, & cultus per primogenitos fiebat, postquam erectum est Tabernaculum, prohibita fuerunt excelsa, & cultus per Sacerdotes factus est. Sancta Sanctorum edebantur intra vela, sancta levia in totis castris Israelis. Ubi venerunt in Gilgal, atque licita fuerunt excelsa, sancta sanctorum edebantur intra vela, sancta levia quolibet in loco. Cum venerunt in Schilo prohibita esse ceperunt excelsa; non tamen fuit illic contignatio, sed structura lapidum inferius; & aulæa superius; & ille fuit quietis locus. Tum sancta sanctorum edere solebant intra aulæa, sancta levia & decimas secundas, quousque prospectus dabatur (vel exibat). Cum venissent in Nob & Gibeon, permittebantur excelsa; sancta autem sanctorum comedere solebant intra aulæa, sancta levia in omnibus urbibus Israelis. Cum venerunt in Jerusalem, prohibita sunt excelsa, neque amplius fuerunt licita. Nam hæc erat possessio. Sancta autem sanctorum mos erat manducare intra aulæa: sancta levia & decimas secundas intra murum. *Vide Tosaphta Sevachim cap. XIII.*

[199] *Ad Sanctissima autem &c. Maimonides ibidem.* Dona illa octo, quorum usus in Sanctuario tantum conceditur, sunt sancta sanctorum, seu sanctissima, illaque a nemine nisi a masculis Sacerdotes inter poterant comedi, ut suo loco explicatum dabimus. De his enim S. Scriptura dicit: *Omnis masculus de genere Sacerdotali vescetur &c. Levit.* 6. 29.

[200] *Ad illa quæ Hierosolymis &c. Maimonides ibidem.* Quinque illa Hierosolymis tantum licita leviora sancta sunt, permissaque & maribus & fœminis, de quibus exstat; *Tibi dedi & filiis tuis ac filiabus tuis jure perpetuo. Num.* 18. 11.

[201] *Non tamen illa &c. Maimonides ibidem.* Etiamsi autem ita se res habeat, illa tamen solis maribus Sacerdotibus tradebantur, quoniam ad viros custodiæ pertinebant: sic de primogenito pinguedo & sanguis offerebatur, nec alius quam vir ea offerebat; sic quoque pelles de Sanctis Sanctorum, Ager possessionis, Anathemata, & rapina Proselyti tantum a viris custodiæ, ut patebit, accipiebantur. Ita quoque pretium redemtionis filii Sacerdotum masculorum erat, prout de eo legitur; *Dabisque pecuniam Aaron & filiis ejus. Num.* 3. 48. Etiam primogenitum asini maribus Sacerdotibus dabatur, quoniam omnium primogenitorum eadem ratio, ut maribus non fœminis traderentur. *Vide Challah cap. IV.* 9.

[202] *Sed ad omnes &c. Maimonides ibidem.* Ecce facile videbis dona fœminis juxta ac maribus data esse quinque numero; primitiæ, primitiæ decimarum; Placenta, dona e pecudibus, & primitiæ detonsæ lanæ. Unde vero mihi evinces primitias lanæ sectæ datas quoque Sacerdotum fœminis? Ex eo quod scriptum est; *Primitias frumenti, vini, & olei, & lanarum partem ex ovium tonsione. Deut.* 18. 4. Quomodo se res cum primitiis frumenti habet? Absque dubio traditæ sunt fœminis æque ac maribus; ergo & primitiæ lanæ sectæ. *Vide Challah ibidem.*

[203] *Alii tamen &c. Vide ibidem Maimonidem.*

[204] *Nonnullæ erant victimæ &c. Codex Sevachim cap. V.* 4. Holocausti, & sancti sanctorum mactatio fit &c. obligatur ad excoriationem, divisionem, & ut totum fiat in ignita. *Maimonides in præfat. ad Codicem Sevachim.* Holocaustum id ipsum erat, quod penitus igni consumi debebat.

[205] *Vel extra urbem &c. Tosaphta Joma III.* 19. Quonam loco comburebantur? in receptaculo magno cineris extra Hierosolymam ad septentrionem Hierosolymæ extra tria castra, & hastæ Sacerdotum extrinsecus eminebant propter turbam populi, ne progrederentur, & in ignem caderent. *Tosaphta Sevachim XI.* 4. Ex omnibus sacrificiis, quorum sanguis intro ferebatur, Sacerdotes non partecipabant, sed sanguis, & adipes erant altaris, pellis & caro exibant ad locum combustionis; ubinam comburebantur? in receptaculo magno cineris extra Hierosolymam ad septentrionem Hierosolymæ extra tria castra. *Maimonides de ratione Sacrificiorum faciendorum cap. VII.* 2. Jam hostiæ pro peccato illæ, quæ cremabantur, sic immolabantur, jugulabantur, atque sanguis eorum spargebatur ita, ut supra disseruimus; deinde patefactis extrahebantur exta, hæc imposita vase aspergebantur sale, atque in ignem projiciebantur; reliqua efferebantur ex urbe, atque in eosdem ac holocaustum artus resolvebantur, nempe simul cum pelle, tum cremabantur ad cineris receptaculum. Locus ad urenda sacra destinatus erat triplex, unus in atrio, hic comburebatur quicquid ex sacris vitiatum fuerat, & exta hostiarum minus sanctarum, si quando temeratæ fuerant, & hostiæ pro peccato cremandæ ex hircis juvencisque, in quibus aut ante aut post sanguinis sparsionem vitium erat natum, ut si fuissent inquinatæ, si extra atrium ante tempus excesserint, si earum caro aut exta noctem totam præterita fuissent. Alter erat locus in monte ædis, cui *Castrum* nomen erat, in eo comburebantur hostiæ pro peccato cremandæ, si quidem in illis postquam ex atrio excesserant vitium exortum fuisset. Tertius extra Hierosolymam erat, atque hic ille est, qui *cineris receptaculum* appellabatur, hic cremabantur hostiæ pro peccato cremandæ tum videlicet, cum ex præscripto cremabantur. *Vide ejusdem Maimonidis commentarium ad cap. XII.* 5. *Cod. Sevachim.*

[206] *Erant præterea &c. Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. I.* 18. Ex hostiis pro peccato quæ comedendæ erant, partes quædam super altare comburebantur; item & ex hostiis pro delicto & pacificis; partes illæ sunt quæ exta dicuntur. Erant autem in bobus & capris adeps, qui intestina operit, quo quidem & illa pinguedo comprehenditur, quæ est super ventriculum; præterea autem duo renes cum pinguedine in horum parte superiori existente, conjuncta etiam pinguedine, quæ est ad ilia, porro reticulum jecoris cum minuta particula jecoris. Quod si fieret ex ovium genere sacrificium, his partibus addebatur cauda tota cum aliquot etiam vertebris de spina dorsi, sic ut revellerentur e renibus usque, quia enim scriptum; *e regione spinæ tollet eam. Levit.* 3. 9. Atque exta omnia comburebantur in altari exteriori. Si bestia mactabatur gravida, cum matris adipe non confundebatur adeps fœtus, tametsi vivus post menses completos reperiretur. Matris igitur adeps altari admovebatur tantum, fœtus autem pro matris aliquo membro putabatur. *Idem in præfatione ad Codicem Sevachim. Vox* אימורים, *adipes*, de qua superius aliquoties diximus, notat id quod in altare comburebatur e sacrificio pro peccato, reatu, & pacifico, eo quo tibi dicam modo, nimirum; si pacificum fiebat ex jumento, comburebant omnem adipem, qui interius tegebat intestina, ut & duos renes cum adipe suo, heppatisque reticulum, quæ extremitas est interior ex ipso prodiens, ut pollex e manu; atque hæ res comburebantur e sacrificio pacifico e capris confecto. Verum si ex ovibus constet, præterea comburunt totam caudam cum juncturis ipsius, illam scilicet caudam, quæ est inter duo femora, quam lanii vocant שדרא *spinam dorsi*. Eæ vero partes, quas de sacrificio pacifico comburunt, sunt eædem, quas de sacrificio pro peccato comburunt, & de sacrificio pro reatu, non plures, nec pauciores, atque hæ omnes partes vocantur אימורים *adipes* sive res igni consumendæ. *Abarbanel in præfatione in Leviticum cap. II.* Jam erat sacrificium piaculare duplex, unum, cujus exta in altari adolebantur; ac sacrum piaculare buculo vel caprino pecore cum fieret, erant exta adeps, qui intestina operit, & duo renes cum sua pinguedine, & reticulum jecoris; atque hæc est ima illa fibra jecoris, quæ ita procedit ex ipso, ut accedat ad digiti pollicis similitudinem; sin autem piaculare sacrum fieret pecore oviarico, præter partes ante dictas cauda tota jam proximis spinæ vertebris adolebatur etiam, hæc adeo nos-

noſtris dicuntur אימורים ab אמר edicendo, quia enim hæc victimæ piacularis ut adolerentur, edixerat Deus, cætera Sacerdotes mares ut comederent in atrio.

[207] *Denique comburebantur &c. Codex Peſachim cap. III.* 8. Sic etiam ſiquis exierit Jeroſolymis, & illi in mentem venerit, quod in poteſtate ſua datur caro ſancta, & tranſgreſſus fuerit Zophim, comburet eam in loco ſuo; ſin minus, redibit, & comburet eam ante templum lignis ſtruis. Quouſque vero redeant? R. Meyr dicit, hoc & illud requirit quantitatem ovi. R. Jehuda dicit, hoc & illud requirit quantitatem olivæ. Sapientes dicunt, caro ſancta requirit quantitatem olivæ; & fermentum quantitatem ovi. *Bartenoræ in hunc locum. Quando in poteſtate ſua eſt caro ſancta*, quæ profanatur? quando exit (e loco ſancto) quia murus Jeroſolymæ ſeparatio eſt quod ad leves ſanctitates. *Si tranſierit Zophim*, eſt nomen loci, unde conſpicitur templum; *comburet eam in loco ſuo*, & non imponetur ipſi ut neceſſario redeat. Sin minus, redibit, & comburet eam ante templum, quia de rebus ſanctis ſcriptum eſt Levit. 6. 23. לא תאכל באש תשרף, comburetur igitur loco quo comeditur caro. *Toſaphta Peſachim cap.* III. 13. Quando prætererit Zophim, combu et eam in loco ſuo, ſin minus, redibit, & comburet ante templum lignis ſtruis; igitur non dixerunt, illi redeundum, niſi ad allevandum. Quouſque vero redibit? Filius Beteræ dicit, uſque ad quantitatem duorum ovorum, & neminem inveniens, qui eam ſententiam ſequatur; ſi comburere velit ante templum ſuis lignis, aut ſuper tectum ſuum lignis ſtruis, non auſcultatur. *Maimonides de ſacris temeratis cap. XIX.* 7. 8. Reſiduum victimarum minus ſanctarum domi ſuæ cremabant domini. Cum aliquis urbe Hieroſolyma egreſſus meminerit ſe carnem ſacram ferre, ſi jam prætereiſſet Zophin, carnem hanc eodem ipſo loco cremabat; ſin hunc terminum nondum præteriſſet, atque haberet ejuſmodi carnis tantum, quanta eſt oliva, aut eo plus, revertebatur Hieroſolymam, ut carnem iſtam in Urbe cremaret. Qui ſi hoſpes eſſet, & nullam adeo domum in Urbe haberet, carnis id cremabat ante templum, adhibebatque ligna in altaris uſum deſtinata.

[208] *Comburenda hæc &c. Toſaphta Temura cap. IV.* 14. Sacrificium pro peccato volucris, quod pro dubio oblatum eſt, & ſacrificium pro reatu dubio, & profana, quæ mactata eſſent in atrio, R. Simeon dicit, comburenda eſſe, R. Jehuda, dicit eſſe ſepelienda. Quomodo ſepeliebatur ſacrificium pro peccato volucris? Canali aquæ ſuperimponebant, & illud volvebatur, & deſcendebat in torrentem Cedron. R. Iſmael filius Berokæ dicit; erat feneſtra ad occidentem collis altaris, unum cubitum lata & longa, quæ vocabatur רבוכה, in quam conjiciebant ſacrificium pro peccato volucris, ibique relinquebant, donec ejus forma mutaretur, & tum exibat ad locum combuſtionis. Reproba ſanctitiſſimorum, & adipes, & quæ afferuntur cum ſanctitatibus levibus, & cum ſanctitatibus ſanctitatum, quæ intus polluta eſſent, & munera, & ſimila, & vinum, & oleum intus comburebantur; quomodo comburebantur? Vinum & oleum conjiciebant in ignem, quemadmodum reproba ſanctitatum levium, & adipes ſanctiſſimorum, qui foris polluti eſſent, & ſacrificium Paſchale, cujus major pars egreſſa eſſet, ante templum lignis ſtruis comburebantur. *Maimonides de Sacris temeratis cap. XIX.* 10. Hæc igitur erat comburenda, caro ſacrorum contaminata, reſidua, temerata; item fertum ſacrum, ſi contaminatum fuerit, ſi temeratum, ſi reſiduum; & hoſtia pro delicto, ſi quis eam animi dubius obtulit, tum ante ſanguinis aſperſionem pro certo comperit ſe nihil deliquiſſe, & volucris hoſtia pro peccato dubio, & cæſaries Naziræi puri, & arborum præputia, & admiſta vineæ ſemina, & ſi quid erat ejuſmodi, quod comburi non ſoleret, uti liquores, vel ex admiſtis vineæ ſeminibus expreſſis, id humandum erat.

[209] *Sepelienda vero &c. Maimonides ibidem cap. XIX. II.* Illa vero ſepelienda, quæcunque victimæ ſeu altari, ſeu reficiendi templi ſacratæ per ſe ipſæ mortuæ fuiſſent, & quæ abortum fecerint, nam ſi ſint enixæ ſecundas, ſolæ ſecundæ ſepeliebantur, & bos lapidandus, & vitula decollanda, & ungues hominis leproſi, & cæſaries Naziræi polluti, & primogenitus aſini, & caro lacte condita, & beſtiæ profanæ in atrio mactatæ. Quæcunque ſacra humabantur, earum erat interdictus cinis, rurſus erat licitus cinis eorum, quæ cremabantur; excipe cinerem altaris tam exterioris, itemque cinerem candelabri. Nunquam ea quæ cremanda fuerant ſepeliebantur, nec quæ ſepelienda cremabantur. At enim hæc cremare gravius eſſet; verum ipſorum cinis fieret levior, nam ſepultorum cinis interdictus erat. *Alii cenſent beſtias, quæ altari, ſeu reficiendo templo ſacratæ per ſe ipſæ morerentur, fuiſſe comburendas, non ſepeliendas, uti legimus in Toſaphta Temura cap. IV.* 13. Tam ſanctitates altaris, quam ſanctitates reficiendi templi cauſa, quæ mortuæ eſſent, aut polluerentur, ſunt comburendæ.

CAPUT SECUNDUM.

De Holocauſtis.

§. I. Nomen.

I. DE ſeptem generibus ſacrificiorum ante memoratis acturi ab holocauſtis initium facimus. Appellantur ea עולות, Græcis interpretibus καρπώματα *Exod.* 30. 9. ὁλοκαυτώματα *Exod.* 10. 25. Philoni & aliis ὁλόκαυστα, & Latine *ſolida*, quod tota, paucis exceptis quæ mox indicabuntur, igne conſumerentur: unde & nomen כליל *Pſal.* 51. 21. (quod alii de ferto ſacerdotum intelligunt) & גמירא iis tribuitur.

§. II. Diſtinctio ab aliis ſacrificiis.

II. Hieronymus ad *Ezech.* 45. *p.* 1042. ſcribit, [1] *Holocauſtum eſſe quod totum offertur Deo & ſacro igne conſumitur*, idemque ad *Jeſ.* 56. *pag.* 411. [2] *Holocauſta ſunt, quæ ſuper altare integra concremantur. Victimæ & hoſtiæ, quarum pars offertur altari, pars ſacerdotibus traditur.* Heic diſtinguuntur holocauſta a reliquis ſacrificiis, veluti *Exod.* 18. 12. Jethro obtuliſſe legitur עולה וזבחים, quod Hieronymus reddit, *holocauſta & hoſtias*. Joſephus etiam *lib.* III. *Antiq. cap.* 10. ubi dinſtinxiſſet ἱερουργίας omnes in duos, publicas videlicet ac privatas, ſubjungit utramque κατὰ δύο τρόπους *duobus modis* fieri, aut enim ὁλοκαύτωμα eſſe, quod totum igne conſumitur, vel eſſe χαριστήριον & in epulum offerentium cedere: ſubditque χαριστηρίοις ſive ſacrificiis ſalutaribus piacularia & pro delicto, quia modo non multum diverſo a ſalutaribus, ὁμοίως τῷ προειρημένῳ τρόπῳ τῶν χαριστηρίων ἱερουργίας, illa offeruntur. Videtur tamen & hæc eſſe ratio quam ob rem jungantur toties עולות וזבחים, quod illa זבחים notent ſacrificia ſalutaria, & inter omnes ſeptem ſacrificiorum ſpecies, ſola hæc duo ſint quæ libere offerebantur, quum ad reliqua

liqua lege tenerentur. Sic junguntur עולות ושלמים alibi, & apud Josephum ὁλοκαυτώσεις καὶ χαριστήριοι θυσίαι frequenter.

§. III. Præstantia.

III. Holocausta dignitate excellunt præ aliis sacrificiis, quod tota Deo cederent, flammis in altari exteriori comburenda, quum reliquorum portio ad sacerdotes aut dominos offerentes rediret. Philo propterea *lib. de victimis*, *pag.* 838. ab holocaustis initium se facere describendorum sacrificiorum scribit, quod illa essent præstantissima, τὴν ἀρχὴν ποιησαμένους ἀπὸ τῆς ἀρίστης· ἀρίστη δέ ἐστιν ἡ ὁλόκαυτος. Moses etiam *Levit.* I. 3. ab holocaustis exordium ducit legum a Deo de sacrificiis latarum.

§. IV. Antiquitas.

IV. Creduntur [3] vulgo omnium sacrificiorum antiquissima, quod Jobus, Abrahamus, *Gen.* 22. 13. & ipse Noachus *Gen.* 8. 20. עולה Deo obtulisse legantur. An vero sacrificium Abelis, qui מבכורות צאנו ומחלביהן *de primogenitis pecudum suarum & adipe earum* Deo munus obtulit, ad holocausta potius referri debeat, quam ad sacrificiorum speciem quintam id est primogenitorum animantium, multi dubitant; licet respectu rituum magnam differentiam fuisse concedant inter Abelis sacrificium primogenitorum & illud quod stante republica Judaica offerebatur. Porro oblatio Caini, quæ ante sacrificium Abelis describitur *Gen.* 4. 3. & appellatur מנחה מפרי האדמה *munus e fructu terræ*, a nonnullis in censum τῶν שלמים sive sacrificiorum salutarium referri solet, quum frugum primitiæ una cum agnis duobus sacrificium salutare constituentibus oblatæ legantur *Lev.* 23. 17. & 19. sed præstat eam *fertis* מנחות annumerare. Disputatum fuit olim de hac re inter R. Lazarum & R. Josen filium Chaninæ in *Gem. Hier. Megilla.* 72. I. & in *Shir haschirim rabba.* 29. 4. R. Lazar dicebat Abelem & alios ante Mosen, quos בני נוח appellant, obtulisse שלמים, quia legitur *Gen.* 4. 4. מחלביהן: sed R. Jose dicebat fuisse עולות; ideoque, quum in Levitico legitur. hæc est Lex τῶν שלמים, addi אשר יקריבו, *quæ offerent*, deinceps videlicet, quoniam holocausta jam olim obtulerant. Verum & de holocaustis legitur יקריבו æque ac de salutaribus.

§. V. Divisio.

V. Erant illa duorum generum: Publica, qualia agni sacrificii jugis, & Privata, qualia agnus leprosi. Præterea dispesci possunt in illa quæ Israelitæ offerebant, & quæ a Gentibus offerebantur: [4] sola enim inter omnes sacrificiorum species holocausta tam avium quam quadrupedum fuerunt, quæ gentes offerre Deo poterant. Ea tamen lege ut holocaustum esset illius speciei quæ נדר ונדבה erat (nam nonnisi talia sacrificia a Gentibus recepissent) quapropter holocaustum puerperæ non admittebatur, etiamsi Gentes id offerre voluissent. *Siphra fol.* * 239. I. sic aves, ferta, vinum, thus & ligna si vovissent Gentes, ea Judæi recipiebant. *Siphra ibidem*. [5] Sacrificia piacularia & pro delicto a Gentibus non recepissent Judæi. *Siphra fol.* 87. 2. [6] Salutaria autem recipiebant quidem a Gentibus, sed offerrebant ea ut holocausta. [7] Non licebat Judæo hostias has gentium extra atrium sacrificare aut offerre animalia vitiata. [8] Quum sub Romanis essent Judæi, hostias ab iis datas sacrificabant: unde Tertullianus in *Apolog. Cujus & Deum victimis, & templum donis, & gentem fœderibus aliquamdiu Romani honorastis*. Vide Josephum de *Bell.* II. 30. Eleazar autem filius Ananiæ persuasit sacerdotibus ministrantibus ne holocaustum ab Ethnicis acciperent: & hinc origo tumultuum contra Romanos. Hebræi scriptores narrant hostias a Romanis missas ad templum Hierosolymitanum a Bar Kamza, scelerato homine, clam mutilatas vitiatasque fuisse ut evaderent בעלי מומין, & quum proptera illas offerre recusarent Judæi, Romanis id significasse homines alios, Imperatori, sive השולטן, dicentes אילין קורבנייא דאת משלח ליהודאי למיקרבינהו אינון אכלין להון ומקרבין אוחרינן בחילופייהו *Hostiis, quas mittis Judæis ut eas offerant, non utuntur: sed alias earum loco offerunt*. Ita legitur in *Echa Rabbati*. 82. 3. Imperator Augustus jusserat quotidie in templo holocausta, agnos duos videlicet, & taurum, offerri pro se, διετάξατο ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων ἀνάγεσθαι θυσίας ἐντελεῖς ὁλοκαύτους τῷ ὑψίστῳ θεῷ καθ' ἑκάστην ἡμέραν, αἳ μέχρι νῦν ἐπιτελοῦνται. Ἄρνες εἰσὶ δύο καὶ ταῦρος τὰ ἱερεῖα, οἷς Καῖσαρ ἐφαίδρυνε τὸν βωμόν. Sunt verba regis Agrippæ in epistola ad Cajum, quæ leguntur apud Philonem, *Legatione ad Cajum. p.* 1036. [9] Si cum his holocaustis Gentes *ferta & libamina*, נסכים, misissent, offerebantur: si non, ære publico emta holocaustis addebantur: quæ sententia est R. Simeonis, *Gem. Menachoth.* 73. 2. *Schecalim.* VII. 6. Huc referunt Judæi verba *Deut.* 7. 16. ואכלת את כל העמים quia videlicet Israelitæ edunt נסכיהם של אומות העולם *ferta Gentium*. vide *Midrasch schir hasschirim.* 36. 3. Cæterum in his gentium holocaustis & fertis multa erant singularia: [10] manus iis non imponebantur, [11] leges de פגול & נותר in iis locum non habebant, id est, non fiebant rejectanea mala intentione sacerdotis (de qua antea actum est) nec necesse erat ut reliquiæ post tempus comestioni destinatum comburerentur. *Zevachim.* IV. 5.

§. VI. Animalia & eorum oblatio.

VI. [12] Quinque erant animalium species, e quibus holocausta parari poterant, boves, oves, capræ, turtures, & pulli columbarum: quorum tria priora sexus masculini esse debuerunt. *Levit.* I. 3. 10. Josephus, *Antiq.* III. 10. Ἄῤῥενα ὁλοκαυτοῦται πάντα.

Atque

Atque ita Hebræi, אין עולה נקבה. Cui legi contraria non eſt oblatio vaccarum a Bethſemitis in holocauſtum, 1. *Sam. 6.* 14. qui caſus plane erat extraordinarius, & שעת הוראת uti Judæi dicunt in *Gem. Avoda Zara*. 24. 2. vel combuſtio vaccæ ruſæ, quod ſacrificium proprie non erat. Hæc ſi integra eſſent & immaculata nec morbo aut ſenio confecta (id eſt, [13] bos ſupra triennium ætatis, agnus ſupra biennium) in tabernaculum aut templum deducta, & quo dictum eſt modo ſupra *cap.* 1. jugulata, [14] pelle nudata, ad altare delata, in altari conflagrabant, & quidem omnes omnino animalium partes excepto ventriculo, &, ut quidam volunt, inteſtinis, liene, & folliculo fellis. [15] Eximebatur etiam ex victima גיד הנשה, *nervus luxationis*, & in pomum cineris, quod erat ſupra altare, conjiciebatur. vide *Chullin*. VII. 1. & *Gen.* 32. 33. [16] Nervus hic e ſanctis æque ac profanis animalibus, quum jugulantur, eximi debet, tam intra quam extra terram Iſraeliticam, ſive ſtante templo ſive non. Pelles holocauſtorum cedebant ſacerdotibus, qui inde quæſtum percipiebant uberrimum: ita Philo notat *lib. de Sacerdotum honoribus. pag.* 833. Δορὰς προςάττει τὰς ὑπηρετοῦντας ταῖς θυσίαις ἱερεῖς λαμβάνειν, οὐ βραχεῖαν ἀλλ᾽ ἐν τοῖς μάλιστα πολυχρήματον, δωρεάν.

§. VII. Holocauſtum avis.

VII. Si aut turtures aut pulli columbarum in holocauſtum offerrentur, eo modo, quo capite primo indicavimus, [17] ſacerdos avem unguefecuit in quavis parte altaris ſed plerumque ad angulum, euroauſtralem, & ſanguine omni ex capite & corpore avis, ראש וגוף, expreſſo ad latus altaris [18] ſupra lineam rubram (quum ſanguis holocauſtorum e quadrupedibus infra illam ſpargeretur. *Siphra fol.* 125. 2.) [19] caput a corpore ſeparatum & in ſummo altaris ſalitum in ignem injecit: [20] dein ingluvie & extis minus aptis ad hominis alimentum, &, ut quidam volunt, etiam plumis, in locum cineris ad orientem altaris abjectis, [21] alis nequaquam avulſis, corpus ipſum avis ſalitum igni tradidit. *Levit.* 1. 14. 17. [22] In *Kinnim:* 1. 1. notatur omnia ſacrificia ex avibus quæ erant voluntaria, נדר ונדבה, holocauſta eſſe debuiſſe, quæ autem erant debita & lege mandata, חובת, poſtulaſſe unam avem in holocauſtum, alteram in ſacrificium piaculare.

COMMENTARIUM IN CAPUT SECUNDUM.

[1] HOlocauſtum eſſe &c. *Abarbanel in præfatione in Leviticum cap. III.* Holocauſtum igitur igni conſumebatur in ara totum, ſeu id publicum ſive privatum fuerat, nihil inde redibat ad dominum, nec ad Sacerdotes quidem perveniebat de eo pars ulla quæ comederetur, ſed totum adolebatur præter corium, quod erat Sacerdotis ejus, qui huic ipſi ſacro operaretur.

[2] *Holocauſta &c. Codex Sevachim. X.* 2. Sanguis ſacrificii pro peccato antecedit ſanguinem holocauſti, propterea quod expiat. Membra holocauſti præcedunt adipes ſacrificii pro peccato, propterea quod conſumuntur tota igni. *Maimonides de ſacrificiis Jugibus &c. IX.* 5. Membra holocauſti anteibant membris hoſtiæ pro peccato, quia holocauſtum igni abſumebatur totum.

[3] *Creduntur vulgo &c. Legimus ante erectum tabernaculum holocauſta tantum fuiſſe oblata in Gemara Babyl. Sevachim cap. XIV. fol.* 115. Et univerſa animalia rite offerebantur ſive jumentum, ſeu pecus, ſeu fera, ſive avis, idque tam fœminea quam maſcula tam vitioſi quam integri corporis, modo ex mundis eſſent, non item immunda; & victimæ ſic oblatæ fuere cuncta holocauſta. *Atque Gloſſa*. Quod non offerebant alia præter holocauſta.

[4] *Sola enim &c. Codex Sekalim cap. I.* 5. Si autem Idolatra aliquis aut Cuthæus *ſiclum* pendere vellet, ab illis non reciperent. Neque etiam ab illis recipiunt nidos profluvio laborantium, nec nidos puerperarum, nec ſacrificia pro peccatis aut reatu. Accipiunt tamen votiva & voluntaria munera ab ipſis. In ſumma ab *Gentili* qui vovet & ſponte offert accipiunt, ab illo vero qui non vovet, nec ſponte offert, non accipiunt. Hoc innuit Esdra dicens (cap. IV. 3.) *Non eſt vobis & nobis ut ædificemus domum Domino Deo noſtro. In quem locum ita Bartenora. Nidos ſeminifluorum, & ſeminifluarum*, turtures & pullos columbarum, quos ſeminiflui, & ſeminifluæ offerre debebant, ſed hæc tractant tantum de Cuthæis; quia inter Gentiles non habentur ſeminiflui, nec ſeminifluæ. *Quicquid votivum, aut voluntarium eſt, id recipiunt e manibus eorum*, docet Baraita, quod ſcriptum eſt Levit. 22. 18. איש איש *vir vir* id dicitur ad includendum Gentiles, qui ut ipſe Iſraelita vovere poſſunt vota ac dona voluntaria, ſed ex hoc loco tantum holocauſtum eruimus ab illis offerri poſſe, quia ſcriptum eſt, אשר יקריבו ליהוה עולה: Sed unde eruitur ab ipſis offerri ſacrificium Pacificum? ex eo quod dicitur לכל נדריהם. Sed unde includimus eos poſſe offerre aves, dona, vinum, thus, & ligna? ex eo quod dicitur, לכל נדריהם ולכל נבותם. Ita illud expoſitum eſt per Esdram, quando Cuthæi Iſraelitas adjuverunt, & miſerunt ad eos, dicentes; *Ædificemus vobiſcum, quia ita ut vos quærimus Deum veſtrum*; ſed reſponſum eſt ipſis; *non eſt vobis & nobis ut ædificemus domum Domino Deo noſtro, ſed nos ipſi ſoli ædificabimus Domino Deo noſtro. Toſaphta Sekalim cap.* I. 7. Emuntur argento Sacrificia a Gentilibus pro cœtu, & ab eis recipiuntur holocauſta, & pacifica, aves, & munera, ligna, & thura, & ſal; verba R. Joſe Galilæi; ei reſpondit R. Akiba; etiamſi toto die prædicare pergeres, (nunquam mihi perſuadebis) potuiſſe ab iis recipi niſi tantum holocauſta, & pacifica. Nihil ab iis recipi poteſt pro inſtauratione domus, & ſi quid conſecraſſent, eorum conſecratio eſt conſecratio. *Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap.* III. 2. Atque a viris æque & mulieribus, ac ſervis quævis ſacrificiorum genera accipiebantur, a Gentilibus autem holocauſta tantum, quia ſcriptum videmus; *de manu alienigenæ non offeretis panes Deo veſtro*; nam in holocauſtum quidem a Gentili etiam idola colente vel volucris accipiebatur.

[5] *Sacrificia piacularia &c. Maimonides ibidem*. Non accipiebantur autem pacifica, non ferta, non hoſtiæ pro peccato, non hoſtiæ pro delicto, nec holocauſta quidem ea, quæ votiva, voluntariave non erant, veluti holocauſta puerperæ, atque horum ſimilia, quæ neque ex voto neque ex ſponſione offerebantur.

[6] *Salutaria autem &c. Maimonides ibidem*. Gentilis enim ſiquando pacifica offerret, ea pro holocauſtis immolabantur. Nimirum Gentilis id animo intendiſſe hoſtiam ſuam Deo adoleri. Idem igitur Gentilis ſi quando pacifica voviſſet, & eadem homini Iſraelitæ tradidiſſet eo, ut hæc eidem Iſraelitæ piaculo eſſent, ea ſic tanquam pacifica Iſraelitarum Iſrae-

litæ

litæ comedebant; sin eadem tradidisset Sacerdoti, Sacerdos comedebat.

[7] *Non licebat Judæo &c. Maimonides ibidem cap.* XIX. 16. Ethnicorum hostias siquis nostrorum extra atrium jugulasset, pœnam promeruisset, item & siquis extra atrium sacrificasset. Ethnicos enim ipsos quocunque loco Domino holocausta sacrificare fas erat, si modo ea in ara abs se extructa sacrificarent, verum nostris interdictum erat, ne istis operam darent, neu eorum mandata conficerent, quia enim nobis interdicitur ne extra Sanctuarium sacrificaremus. Rursus nostris licebat ut istos instituerent, & erudirent ad ritum sacrificandi Deo Optimo Maximo.

[8] *Quum sub Romanis &c. non solum a Romanis, sed a Persis, Macedonibus, & Syris victimas Judæi acceperunt. De Cyro Persarum Rege I. Esdræ. 6. 9. ita legimus.* Quod si necesse fuerit, & vitulos & agnos in holocaustum Deo cœli, frumentum, sal vinum, & oleum, secundum ritum Sacerdotum, qui sunt in Jerusalem, detur eis per singulos dies, ne sit in aliquo querimonia. *Josephus scribit Origin. lib. II. cap. 8. Alexandrum Magnum summo cum honore a Pontifice Hierosolymis exceptum, ibique immolasse* juxta Sacerdotis præscriptum. 2. *Macchab.* III. 2. 3. *legimus Seleucum Syriæ Regem suppeditasse omnes sumtus ad sacrificia facienda.* Fiebat ut & ipsi Reges, & principes locum summo honore dignum dicerent, & templum maximis muneribus illustrarent; ita ut Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstaret omnes sumtus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. *Legimus ibidem vers. 35. Heliodorum Seleuci Regis Quæstorem Hierosolymis sacrificia Deo obtulisse, & vota vovisse.* Heliodorus autem hostia Deo oblata & votis magnis promissis ei, qui vivere illi concessit, & Oniæ gratias agens, recepto exercitu, repedabat ad Regem.

[9] *Si cum his holocaustis &c. Siphri ad Num. cap. XV.* 13. *Omnis indigena sic faciet*; cur dictum est? quia dictum est; *Omne animal quod vel contritis, vel tusis, vel sectis, ablatisque testiculis est, non offeretis Domino.* (Levit. 22. 24.) Hæc non potes recipere, sed ea potes recipere pro jugibus; postquam didicimus, Gentilem posse afferre holocaustum, ego argumento, uti antea, uti possum; Israelita affert holocaustum, & Gentilis potest afferre holocaustum; dicam igitur, quod quemadmodum Israelita libamina afferebat, ita etiam Gentilis libamina afferre deberet; idcirco dictum est; *Omnis indigena sic faciet.* Israelita affert libamina, & Gentilis non affert libamina. Hinc est quod dixerunt, quod si Gentilis a provincia maritima sua holocausta misisset, neque cum iis libamina misisset, offerebantur de bonis cœtus. *Maimonides ibidem cap.* III. 5. Gentiles cum holocaustum ferebant, non ferebant simul & libamina; dictum est enim, *omnis indigena sic faciet*; Itaque libamina illa de publico offerebantur, quia scriptum est: *secundum numerum hostiarum, quas immolabitis, ita facietis pro sua cuique mensura. Num.* 15. 12. *R. Jom Tob in Toseph. ad Codic. de Siclis cap.* VII. 6. Et jure merito; nam idem quoque dicendum est ad id, quod supra de Cuthæo (*vel Gentili*) scripsit *Maimonides*, & ex Codice Mischnico desumsit, nimirum; si non misit una cum eo *Sacrificio* nummos ad libamina, his enim verbis indicat, si missi sunt, tum offerri *libamina ex illis nummis*, quos misit. *Et in cap. 3. Constit. de ratione Sacrificiorum faciendorum* statuit Gentiles non offerre libamina. Hic vero de Siclis ita per accidens ibi doceri. Et quod attinet ad verba R. J. Korkos, quæ a Ceseph Mischne pro ratione afferuntur, cur Maimonides non decidat secundum Mischnam nostram, vidi in iis latere errorem, nam scripsit *R. Korkos*, *Maimonidem* innixum fuisse Mischnæ, & Baraitæ, quæ initio *Codicis de Sacrific. commutat.* occurrit, & addidit, a Mischnicis ibidem doceri Gentiles, cum Sacrificiis non ferre simul libamina; quod bis, ter, & sæpius repetiit, ut innueret *hanc doctrinam* in Mischna *inveniri*. Verum pace hujus viri dixerim, ipsum in errorem lapsum esse per typographum, qui ad sectionem Baraitæ impressit מתניתא, cum tamen nullo modo sectio Mischnica est.

[10] *Manus iis &c. Siphra ad caput I. Levit. 4. loquere filiis Israel . . . . . Ponetque manum super caput hostiæ.* Filii Israel imponebant manus; sed Gentiles *manus* non *imponebant*. Quænam actio erat major (*generalior*), actio ne agitationis, an *actio* manuum impositionis super caput? major erat actio agitationis, quam actio manuum impositionis super caput; quia agitatio fiebat tam in animantibus, quam in rebus inanimatis, sed impositio manuum super caput non fiebat nisi in rebus animatis. Si igitur exclusi Gentiles ab agitatione, quæ est actio generalior, non excludere eos debebam ab impositione manuum super caput, quæ est actio minus generalis? Tu dicis, hac parte, quod sit generalior actio agitationis, quam *actio* manuum impositionis super caput. Ecce ex alia parte magis generalis actio impositionis manuum, quam *actio* agitationis; quia manuum impositio observatur ab omnibus sociis, sed agitatio ab uno tantum fiebat. Si igitur eos excludo ab agitatione, quæ est minus usitata, excludam ab impositione manuum, quæ est magis usitata. Igitur cum obtineat in agitatione id quod non obtinet in impositione manuum, & in impositione manuum, id quod non obtinet in agitatione; necesse est ut dicat; *loquere filiis Israel*, Israelitæ manus imponebant, sed Gentiles manus imponere non poterant. *Maimonides ibidem.* Porro autem holocaustis Gentilium non imponebantur manus.

[11] *Leges de* פגול *&c. Tosaphta Sevachim.* IV. 9. Pro sanctitatibus sanctuarii (aliud exemplar, pro sanctitatibus Gentilium) non rei fiunt nomine residui & immundi, iis uti non possunt, neque in iis prævaricantur, nec commutari possunt, sed tenentur libaminibus, verba R. Simeonis; dixit R. Jose, ego judico in omnibus aggravandum. In quo casu dicta sunt hæc? pro sanctitatibus altaris, sed pro sanctitatibus instaurandæ causa domus, fatetur R. Simeon, in iis prævaricari; & in iis rebus, in quibus non rei fiunt nomine abominandi, fiunt rei nomine residui & immundi; dici non potest nomine abominandi residui & immundi in sacrificio; etenim non rei fiunt nomine abominandi, residui, & immundi nisi post aspersionem sanguinum. *Maimonides de sacris temeratis cap.* XVIII. 24. De sacris Ethnicorum nulla ferebatur pœna propter abominationem, residuum, & immundum.

[12] *Quinque erant Animalium &c. Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. I.* 8. Si fiebat holocaustum ex quadrupedibus, soli mares admittebantur; admittebantur autem agni, capri, boves, majores, minoresque. At ex turturibus, & columbarum pullis, mares & fœminæ promiscue admittebantur. *Vide ejus præfationem ad Codicem Sevachim.*

[13] *Bos supra triennium &c. Codex Parah cap. I.* 2. *R.* Jose Galilæus dicit, juvenci biennes sunt, sicuti Lex dicit; ופר שני בן בקר תקח לחטאת. Sapientes vero dicunt etiam triennes. R. Meyr dicit, etiam quadriennes, & quinquennes legitimi sunt, sed vetulos non adducunt honoris ergo. Agni sunt anniculi, arietes biennes, omnes vero de die in diem. Tredecim menses natus inidoneus est, sive sit aries, sive agnus. R. Tarphon eum vocat vervecem Ben Azai eum vocat punctatum. R. Ismael eum vocat monetam abrogatam. Si obtulerit eum, tum adducit cum eo libamina arietis, sed de sacrificio ipsius ei nihil cedit. Natus tredecim menses & unum diem est aries. *Maimonides ibidem.* In sacris numerabantur & horæ; ac si hora vel una redundarent, aut indigerent, vitiosa forent; ut si quod sacrificium ex præscripto Legis oporteret esse annuum, id vitiosum esset, siquidem ad annuum ætatis spatium hora una accederet, immo si victima tum esset annua cum jugularetur, & cum sanguis ejus altari aspergeretur, ad annum hora accederet una, victima illa quoque vitiosa erat; namque victima opus erat, ut usque ad conspersionem sanguinis annua esset; eadem erat omnium sacrorum ratio. Ubicunque a Lege agnus, agnave dicitur, aut in multitudine agni, annuos esse oportebat, ubi vero aries, & arietes, mares esse bimos. Incipiebat autem aries appellari animans, cum primum alterius anni diem unum & trigesimum attigerat. Nam die trigesimo ejusdem anni non erat idoneus neque ad agnum, neque ad arietem, atque ille est, qui פלנים dicitur. Jam ubi dicitur a Lege vitulus, annuum esse conveniebat, ubi juvencus, bimum, ubi dicitur hircus caprarum, bimum esse oportebat; nam secundo ætatis anno hircus simpliciter appellatur.

[14] *Pelle nudata &c. Codex Sevachim cap. V. 4.* Holocausti, & sancti sanctorum mactatio fit in aquilone, ac acceptio sanguinis ejus in vasa ministerii in aquilone; sanguis ejus debet aspergi duabus aspersionibus, quæ sunt quatuor, obligatur ad excoriationem, divisionem, & ut totum fiat in ignita.

[15] *Eximebatur etiam &c. Maimonides ibidem cap. VI. 4.* Holocausto laniato frusta portabantur omnia in collem, in quo salirentur, tum efferebantur ad summam altaris partem. Hic sublatus nervus ille luxatus projiciebatur in cineres, qui medio in altari jacebant, atque membra porriciebantur in ignem.

[16] *Nervus hic &c. Tosaphta Chulin cap. VII.* Nervus luxatus observatur in animanti heterogeneo, & in Cavi, & in utroque femore, in femore dextro, ac sinistro. R. Jehuda dicit, non observatur nisi in uno; & ratione adducimur, ut sit dextrum; hæc est regula generalis: quodcumque animal habet coxam & femur, nervus luxatus in eo observatur, & quodcumque non habet coxam femoris, nervus luxatus in eo non observatur; observatur in fœtu, & ejus adeps est interdictus, verba R. Meyr. R. Jehuda dicit non observatur in fœtu, & ejus adeps licitus est; nec lanii sunt fide digni de nervo luxato; verba R. Meyr; & sapientes dicunt, fide digni sunt de ipso, & de adipe. Si quis miserit femur concisum socio suo, necesset est, ut tollat omnino nervum luxatum. Si integrum miserit, non est necesse, ut tollat nervum luxatum. Qui emit a lanio femur concisum, non est necesse, ut tollat ab eo nervum luxatum; si vero integrum, ut ab eo nervum luxatum tollat necesse est; qui vendit Gentili femur concisum, non opus est, ut ab eo separet nervum luxatum; sed ea tamen conditione, ne illud ei vendat coram Israelita, quia ab eo iterum emere potest; duabus de causis dixerunt, non vendendam carnem cadaverum & discerptorum gentili, quia potest iterum ea comedenda præbere Israelitæ; alia causa: quod nemo ex errore comedat; & duabus de causis dixerunt; quod Israelita Gentili non dicet; accipe mihi carnem, propter dubium cadaverum, & discerptorum. Nervus luxatus quærendus est, & ex omni loco, in quo fuerit, tollendus est; ejus adeps licitus est. R. Jehuda dicit; tollet a crure femoris; duo sunt nervi; exterior, qui carni proximus est, vetitus est; & pro eo reus est; interior ossi proximus est vetitus, sed pœna pro eo tenetur. Qui de nervo luxato ederit ad quantitatem olivæ, reus est. R. Jehuda dicit, non tenetur, donec de ambobus edat; si edisset, & non ad quantitatem olivæ, reus est. R. Jehuda absolvit, donec contineat quantitatem olivæ; si de duobus nervis de duobus femoribus duorum animalium, octuaginta plagis vapulat; R. Jehuda dicit non vapulat nisi quadraginta. *Et nonnullis interjectis.* Observatur in animali puro, & non observatur in immundo; R. Jehuda dicit, etiam in immundo; quia eorum interdictum fuit antequam Moses acciperet Legem. Dixerunt R. Jehudæ; nonne dictum est; *quam ob causam non comedunt nervum filii Israel &c. eo quod tetigerit nervum &c. Genes.* 32. 32. Sed filii Israel isti sunt ii, qui steterunt coram monte Sinai; igitur cur eo loci scriptum fuit? ad significandum nobis qua de causa vetitum fuerit. *Maimonides de cibis vetitis cap. VIII.* Nervi luxati interdictum observari solet tam in feris quam pecudibus mundis, immo & in iisdem ratio ejus habetur, cum discerptæ sunt, vel cadaveris, & in fœtu maturo, qui non est partu æditus, immo & in sacrificiis, sive ea comedantur, sive non, nervoque tam sinistri, quam dextri femoris abstinetur. Lege tamen nonnisi illa nervi pars vetita est, quæ est vicina acetabulo femoris; Sic enim dictum est (Genes. 32. 33.) *Nervum qui est super acetabulum femoris.* Reliqua autem nervi pars, tam quæ supra acetabulum femoris est, quam quæ sub illo pergit usque ad finem ejus, ut & adeps qui nervo adhæret, tantum ex Scribarum decreto prohibetur. Duplex autem est nervus, interior qui propius ad os accedit, isque Lege vetitus est, & superior, (*scil. exterior*) & hic verbis Scribarum.

[17] *Sacerdos avem &c. Siphra ad cap. I. 15. Levit. Offeret eam.* Quid hoc dicendum erat, *offeret eam Sacerdos, & retorto ad collum capite &c.?* Nos docet hanc divisionem ab uno Sacerdote faciendam esse; quia est argumentum (in contrarium). Si pecus, cui assignatur plaga septentrionalis, non obligatur ad Sacerdotem, divisio, quæ *necessario* non facienda erat ad septentrionem, obligabitur ad Sacerdotem? idcirco dicit, *offerat eam Sacerdos*; docemur divisionem fieri non potuisse nisi a solo Sacerdote. Crederem, eam cultro divisisse, & argumento *adductus*. Si mactatio, quæ Sacerdotem non requirit, instrumento facienda est, divisio, quæ Sacerdotem requirit, instrumento non erit facienda? Ideo dicit Sacerdos .... *ac rupto volucris loco.* Dixit R. Akiba; Ecquid tibi in mentem venire potest, alienum ad altare accedere posse? Si ita est, igitur cur dicit, *offeret eam Sacerdos, & retorto ad collum capite &c.?* docemur divisionem ipsa manu Sacerdotis factam fuisse. Possem credere potuisse illum eam dividere tam supra, quam infra? & argumento probabo; si de animanti, cujus sacrificium pro peccato supra fiebat, holocaustum infra offerebatur; ex volucri, cujus sacrificium pro peccato infra fiebat, holocaustum non erit infra faciendum? ideo dicit; *dividet eam, & adolebit super Altare.* Altare relationem habet tam ad adolitionem, quam ad divisionem, sicuti adolitio fiebat supra, ita etiam divisio supra fiebat. *Et dividet*; divisio in cervice fiebat; crederem in qualibet colli parte; ego ita argumentor; dicitur hoc loco unguesectio, & dicitur alibi (Levit. v. 8.) unguesectio, sicuti eo loci exprimitur in cervice, etiam hoc in cervice; igitur dicam, quod sicuti eo loci dividebat, sed omnino non separabat, ita etiam hoc, dividebat, sed non separabat; ideo dicit; *& retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris.* Et unde probatur capitis adolitionem seorsum fieri? Quando dicit; *offeret eam Sacerdos ad altare;* loqueretur de corpore; sed hic non ita dixit; sed tantum de capite suo adolebit; sed hæc est adolitio corporis seorsum, igitur deprehendimus adolitionem capitis seorsum, & adolitionem corporis seorsum. *Et decurrere faciet sanguinem*, sanguinem totius, accipiebat caput & corpus, & de utroque exprimebat; *super crepidinem altaris*; & non super parietem pontis, non super parietem basis, non super parietem templi, super parietem superiorem; crederem super parietem inferiorem? deducitur argumento; In Bestia, cujus sacrificium pro peccato supra fiebat, holocaustum fiebat infra, in volucri, cujus sacrificium pro peccato infra fiebat, holocaustum non infra fiet? ideo dicit; *offeret eam ad altare, & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris.* Altare, quod dicitur pro adolitione, est idem quod dicitur pro expressione sanguinis; sicuti adolitio supra fiebat, ita etiam supra sanguinis expressio. Quomodo faciebat? ascendebat super pontem, & ambitum circumibat, & veniebat ad cornu meridionale orientale, ibique ungue secabat caput e regione cervicis, & separabat, atque exprimebat sanguinem super parietem altaris; si fecisset (*expressionem*) etiam cubitum infra suos pedes, erat legitima. R. Nehemia, & R. Eliefer filius Jacobi dicit; omnis expressio sanguinis non est facienda nisi in vertice altaris. *Vesiculam vero gutturis & plumas*, removebit; hoc est guttur; crederem, quod cultro eradicaret, & removeret; ideo dicit, & plumas, cum pluma removebit. Aba Jose filius Chanen dicit; cum eo ventriculos removebat; *projiciet*, legitimam, non reprobam; non sacrificium pro peccato volucris; illam projiciet, non holocaustum animantis projiciebatur. Tamen erat argumentum; si in eo casu, in quo pellis idonea redditur, excluduntur vasa stercoris, in casu, in quo excluditur pellis, non excludenda erunt vasa stercoris? ideo dicit: illam *projiciet*, non holocaustum animantis projiciet; *prope altare*; prope altare; *ad orientalem plagam*; ad orientem pontis; in loco in quo cineres effundi solent; ubi reponebatur cinis. R. Chanina filius Antigoni dicit; duo cineris loci erant, unus ad orientem Pontis, & alter ad orientem altaris; in eum *locum*, qui erat ad orientem pontis, projiciebantur volucris ingluvies, & cineres, qui removebantur ex altari interiori, & e candelabro, & in eo, qui erat ad orientem altaris, comburebantur reproba sanctissimorum, & membra sanctitatum levium. *Confringetque*, legitimam, non reprobam; illa ungue secabatur, non animantis holocaustum unguesecabatur; verumtamen erat argumentum; si volucris holocaustum, quod non obligatur ad divisionem, obligatur ad unguesectionem, holocaustum ani-

animantis , quod obligatur ad divisionem, non erit obligandum ad unguesectionem . Ideo dicit; *confringetque* , illud unguesecabatur , non holocaustum animantis unguesecabatur ; *&* *plumas* ; ad reddendam idoneam pellem. Erat argumentum (in contrarium). Si ubi idonea redduntur vasa stercoris, excluditur pellis, ubi excluduntur vasa stercoris , non exlcudenda erit pellis? Ideo dicit, *cum alis suis*, ad reddendam idoneam pellem. *Et non secabis*; crederem, quod si separaret, esset illegitimum (sacrificium), ideo dicit; *& adolebit*; si igitur (absolute) & adolebit, crederem etiam, quando cultro divisisset ; ideo dicit, *eam*; qua ratione idoneam facis in separatione , & excludis in unguesectione ? postquam inclusit textus , excludit; ego idoneam facio in separatione, quæ est post acceptationem , & excludo in unguesectione , quæ est ante acceptationem . *Holocaustum*, quamvis expressisset sanguinem corporis, & nonexpressisset sanguinem capitis; & possem dicere etiam , quando expressisset sanguinem capitis, & non expressisset sanguinem corporis? Ideo dicit, *eam &c.*

[18] *Supra lineam rubram &c.* Codex *Kinnim cap. I.* 1. Sanguis sacrificii expiatorii ex avibus spargitur infra, ejusdem sacrificii e pecore sanguis spargitur supra. Sanguis holocausti ex avibus spargitur supra, ejusdem sanguis ex pecore spargitur infra; si in utroque secus fecerit, reproba sunt.

[19] *Caput a corpore &c.* Codex *Sevachim cap. 6.* 5. Holocaustum ex ave quomodo solet fieri? ascendit in clivum , respicitque ad ambitum, quando venit ad cornu meridionale orientale ungue secat caput ejus e regione cervicis ejus, & separat, atque exprimit sanguinem ejus super parietem altaris , accipit caput , ac obvertit locum discerptionis ejus altari, & abstergit illud sale, tandemque abjicit super ignita . *Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum. VI.* 21. Tum capitis eam partem, in qua facta torsio fuisset convertebat ad altare, atque aspersam sale in ignem porriciebat.

[20] *Dein ingluvie &c.* Codex *Sevachim ibidem*. Mox venit ad corpus & removet ingluviem cum pennis, ac viscera egredentia cum illa , abjicitque ea in locum cineris. *Maimonides ibidem* . Tum veniebat ad volucris corpus, ex quo ingluviem manu evellebat , eamque pelle, & pluma circumdatam , & cum hac simul consequentia viscera, quæ ad cineris receptaculum projiciebat.

[21] *Alis nequaquam &c.* Codex *Sevachim ibidem* . Dividit quidem, non tamen separat , quod si vero separaverit, nihilominus rectum est. Tandem abstergit illud sale, atque abjicit super ignita . *Maimonides ibidem*. Tum alas ejus findebat non cultro, sed manu, verum enim non abscindebat; scriptum est enim, *non secabit*. Levit. I. 17. quanquam si abscidisset, bene fuisset tamen; tum aspersam sale volucrem in ignem porriciebat.

[22] *In Kinnim &c. Maimonides in hunc locum. Ordo nidorum*. Quando in mentem revocaveris ea quæ dicta sunt a nobis in prologo hujusce libri, invenies eum, qui ex Lege obligatur, duos turtures, vel duos columbæ pullos offerre , unum offerre debere in holocaustum, & alterum in sacrificium pro peccato expiando. Præterea quoque in prologo hujusce libri exposuimus , quod neque votum, neque oblatio spontanea offertur nisi de pacificis & holocaustis, & quod ex avibus non offeruntur pacifica, idcirco exponitur: quod si quis adduxerit votiva sacrificia vel oblationes spontaneas, ea dumtaxat in holocausta offerantur. Sed auctor in hocce tractatu non meminit sacrificii peregrini, quod e duobus turturibus, vel e duobus columbæ pullis constabat, qui in holocaustum offerebantur, uti ego in præfatione hujus libri exposui. *Siphri ad cap. XV. 3. Num. adolentes odorem suavitatis Domino?* dixisti? exi, & vide, quodnam sit illud sanguinis genus, quod totum igni comburebatur, nullaque ex eo pars superabat; tu id non reperis nisi in holocausto volucris; si dixisset adducere unam avem, non poterat ; quia in tota Lege non invenimus , unam tantum avem offerri ; hinc est quod dixerunt; ex omnibus Legis nidis dimidium erat holocaustum , & dimidium erat sacrificium pro peccato , excepto *nido* Proselyti, qui totus igni comburebatur. *Tosaphta Sekalin cap. III.* 21. Omnes ii qui tenentur offerre nidos ex Lege, dimidium offerebant in sacrificia pro peccato, & dimidium in holocausta , excepto nido Proselyti, qui quamvis & debito veniebat, ambo in holocausta offerebantur.

CAPUT TERTIUM.

De sacrificiis piacularibus.

§. I. Nomen.

I. SEcunda sacrificiorum species חטאת appellatur, Græcis interpretibus περὶ ἁμαρτίας, Josepho περὶ ἁμαρτάδων, Latine vulgo sacrificium piaculare . [1] Vocem חטאת explicant in *Gem. Hier. Joma* . 40. 4. & *Siphra fol.* * 167. 1. per שגגות *errores* , veluti פשע per מרדים *rebelliones* & עונות per זדונות *commissa de industria*. In Targum חטאתם *Gen.* 18. 20. redditur חובתהון *debitum eorum* , uti & *Matth. 6.* 12. ὀφειλήματα appellantur peccata, & *remittere debitum* ibidem , quod Chaldæi dicunt שבק חובין : vide Targum *Exod.* 32. 32. Certe qui non per errorem , sed sciens prudensque peccaverat , ἑκουσίως ἁμαρτάνων , non expiabatur culpa ejus ullo sacrificio piaculari , οὐκ ἔτι ἁμαρτιῶν ἀπολείπεται θυσία. *Hebr.* 10. 26. [2] Debet etiam animus adesse erroris sui conscius cum dolore : &, uti Philo fatetur *lib.* III. *de vita Mosis*, sacrificia ab hominibus pravis , qui se non corrigunt oblata , nil promovent , quoniam sacrificia *nequaquam abolent ipsa peccata* , *sed in memoriam revocant* , οὐ λύσιν ἁμαρτημάτων ἀλλ' ὑπόμνησιν ἐργάζονται. Paulus quoque in Epist. ad Hebræos *cap.* 10. 3. in sacrificiis factam ἀνάμνησιν ἁμαρτιῶν , *commemorationem peccatorum* agnoscit . Ita & in *Siphra fol.* * 252. 1. legitur חטאת ואשם אין מכפרים אלא על השבים *sacrificia piacularia & pro delicto non expiant peccata nisi resipiscentium* . Ista sunt sacrificia stultorum , *Ecclesiast.* 4. *ult.* quæ ab iis offeruntur qui non resipiscunt, דמקרבין קרבניא על חוביהון ולא תיבין מן עובדיהון Ita est in Targum eo loco . *Si enim in sceleribus permanentes putaverimus votis atque sacrificiis redimere nos* , *vehementer erramus* , sunt verba Hieronymi ad *Jerem.* 14. *pag.* 597.

§. II. Distinctio sacrificiis pro delicto.

II. Sunt inter Judæos & Christianos, qui sacrificia hæc sub uno genere & nomine ἱλαστικῶν cum אשמות, sacrificiis pro delicto, quæ nobis tertia species est, comprehendunt , quod utraque pro culpis commissis eodem nomine [3] חטאת (vide *Zevachim*. IV. 6. & *Siphra fol.* 84. 2.) offerrentur, & [4] neutris ferta aut libamina addi consueverint , quæ holocaustis & sacrificiis salutaribus addebantur ; quod neutra fierent ex

voto

voto vel promisso; quodque nihil ex his duobus sacrificiis domini comederent, sed pars altari, pars sacerdotibus, cederet. Nos tamen, quum hæc duo sacrificia habeant distincta nomina, culpæ quoque quæ unum & alterum postularunt, & 5 animalia ad oblationem idonea, & ritus diversi sint, separatim ea exponi debere arbitramur. Adde quod nomen ἱλαςικῶν non his tantum sed & aliis sacrificiis conveniat. Noachus holocausto ἱλαςικῷ Deum placavit. *Gen.* 8. 21. & in *Tanchuma* 52. 4. holocaustum scribunt esse ἱλαςικὸν, עולה מכפרת על עונותיהם של ישראל *Holocaustum expiat peccata Israelis*. Ita & in *Siphra fol.* 107. 1. quamvis sacrificia piacularia & pro delicto sint זמינין לכפרה *expiationi unice destinata*, & ideo a sacerdotibus edantur, uti est in *Zohar in Levit.* 11.

III. Erant ea vel publica vel privata, uti supra cap. 1. videri potest. Inter illa autem magnum intercedebat discrimen. [6] Ex publicis nulla comburebantur præter 1. שעיר יום הכיפ' hircum die expiationis offerendum, socium hirci emissarii, & 2. שעירי ע"ז hircos ob idololatriam, & 3. פר עלם juvencum ob errorem: *Lev.* 4. 13. cætera enim a sacerdotibus comedebantur. [7] Publica omnia masculis, privata constabant animalibus fæminis, excepto hirco principis, juvenco ob errorem pontificis uncti, על כל המצוות (*Levit.* 4. 2.) & ejusdem juvenco die expiationis offerendo. *Gem. Temura*. 116. 1. [8] Privata nulla comburebantur præter 1. על כל מצוות *Lev.* 4. 2. juvencum ob errorem P. M. 2. פר יום הכיפור, & ejusdem juvencum die expiationis offerendum, quem statim memoravimus, sed comedebantur.

§. III. Publica & privata, qua in re diversa.

IV. [9] Dividuntur quoque sacrificia piacularia I. In *fixa* & *non variantia*, quæ sive a divite sive a paupere offerrentur, eamdem oblationem postulabant; quum ut Judæi volunt in *Siphra fol.* 88. 2. peccatum erat 1. Per errorem. 2. Contra præceptum negativum, sive *interdictum* מצות לא תעשה, qualia ex Pentateucho collecta a Judæis sunt 365., uti præcepta affirmativa sive mandata, מצוות עשה sunt 248, quæ juncta 613. efficiunt. 3. [10] Opere, non verbo. 4. Quod si data opera admissum fuisset, pœnam *excidii* כרת meruisset, quæ pœna a Deo infligitur, [11] distincta tamen a morte cœlitus inflicta מיתה מידי שמים, uti liquet ex *Siphra fol.* 51. 1. & quidem [12] ob sex & triginta res, quæ recensentur in *Kerituth.* 1. 1. veluti 1. si quis rem habuerit cum matre. 2. cum noverca. 3. cum sponsa; atque ita porro. & II. In [13] *Sacrificia variantia*, quæ plus a divite quam a paupere offerri jubebant. Illam speciem קבוע Judæi appellant, quasi sacrificium *fixum* aut definitum, hanc עולה ויורד *crescens* & *decrescens* (*Kerituth.* 11. 3. *Gem. Horaioth.* 8. 2.) sive *majus & minus*, quod pro facultatibus hominum offerentium augeretur vel minueretur.

§. IV. Piacularia fixa.

V. [14] Sacrificia posterioris generis, sive variantia, a sex hominibus offerri poterant. I. [15] Leproso, qui a lepra mundatus agnum unum ad holocaustum, alterum ad sacrificium pro delicto, & agnam ad sacrificium piaculare afferebat: quod si facultates ejus id non paterentur, turtures duos, aut pullos columbæ, alterum ad holocaustum, alterum ad sacrificium piaculare, & agnum ad sacrificium pro delicto. *Levit.* 14. 21. II. [16] Puerpera, quæ agnum anniculum ad holocaustum & pullum columbæ vel turturem ad sacrificium piaculare, [17] offerebat die 41. a puerperio, si masculum, die 81. si fæminam peperisset. Quod si pauper esset, turtures aut pullos columbæ duos, unum ad holocaustum, alterum ad sacrum piaculare, uti Maria obtulit. *Luc.* 2. 24. Confer *Levit.* 12. 4. III. [18] Qui rem sibi cognitam celaverat, de qua *Levit.* 5. 1. id est, si testimonium ab eo requiratur, & juret se id præbere non posse. IV. Qui inscius falso juraverat. V. [19] Qui quum pollutus esset, inscius rem sacram comederat. VI. Qui pollutus existens templum intraverat. Hi quatuor agnam aut capram ad sacrificium piaculare offerebant: quod si pauperes essent, turtures duos vel pullos columbæ, alterum ad holocaustum, alterum ad sacrum piaculare. *Lev.* 5. 2. 3. &c. Quod si ne hoc quidem præ paupertate sibi comparare possent, decimam partem ephæ similaginis, sine oleo & thure, in sacrum piaculare offerebant, quod *fertum peccatoris* appellatur. In *Kerituth.* 11. 4. & in Gemara ejusdem tractatus, 37. 2. [20] quinque tantum recenseri videntur, qui sacrificium hujusmodi ex genere sacrificiorum variantium afferunt, sed hoc inde est quod quem nos quinto & sexto loco memoravimus, pro uno censeant, aut ita jungant על טומאת מקדש וקדשיו, qui tamen *capite* 1. *Kerituth. m.* 1. distinguuntur uti duo טמא שאכל את הקדש והבה למקדש טמא *immundus qui sacra comedit, & qui in templum ingreditur.*

§. V. Variantia.

VI. [21] Quædam sacrificia piacularia comedebantur a sacerdotibus, quædam comburebantur. In *Siphra fol.* 49. 1. & alibi prior species appellatur nomine חטאות החיצונות *sacrificiorum piacularium exteriorum*, id est, quorum sanguis altari exteriori adspergebatur; posterior autem חטאות הפנימיות *sacrificiorum piacularium interiorum*, quod sanguis eorum adspergeretur במזבח הפנימי *altari interiori*. [22] Illorum, quæ prioris ge-

§. VI. Sacrificia exteriora, quæ comedebantur.

neris erant, ſanguis 4. cornibus altaris exterioris adſpergebatur a ſacerdote, altare a dextra circumeunte. *Zevachim*. v. 3. אימורים Deo dabantur in altare, & in focum quidem majorem, ubi adolebantur. Hæc *ablegmina*, *interanea*, vel *adipes* appellari ſolent. [23] In Codice ſacro *Lev.* 4. 8. quinque res diſtinctæ nomine ablegminum recenſentur.

1. כל חלב המכסה על הקרב, id eſt, omnis adeps tegens inteſtina.
2. Adeps qui eſt על הקרב.
3. Renes duo.
4. Adeps qui eſt על הכסלים,
5. יותרת על הכבד על הכליות. Ἐπίπλοον, *omentum ſupra jecur, juxta renes*.

יותרת reddunt Judæi per טרפס τράπεζαν. Eſt τράπεζα, uti & ὄνυξ, μάχαιρα, πύλαι, χάνεον, pars hepatis ita dicta. Vide ſcholiaſten Nicandri *pag.* 27. & Rufum Epheſium *de nominibus partium corporis humani*, *cap.* 28. Solebat autem hepar, quum apponitur in cibis (uti altare erat menſa Dei) involvi omento. Athenæus, *lib.* III. Δειπνοσοφ. *cap.* 25. ἥπατα περιειλημμένα τῷ καλεμένῳ ἐπίπλῳ. Philo, *lib. de victimis*, ad tria hæc refert 1. *adipem*; 2. *lobum hepatis*. 3. *renes duos*, τὸ ςέαρ, λόβον ἥπατος, καὶ νεφρὲς δύο. Joſephus autem *Antiq.* III. 10. *renes*, *omentum*, & *omnem adipem cum lobo hepatis*, τὲς νεφρὲς, καὶ τὸν ἐπίπλεν καὶ πάντα τὰ πιμελῆ σὺν τῷ λοβῷ τε ἥπατος, addens, ſi agni ſint victimæ, caudam. [24] Nota hunc quoque adipem triplicem, inteſtinorum, renum, & iliorum, eſu interdictum fuiſſe Judæis *Lev.* 7. 23. [25] Caro ipſa victimæ comedebatur a ſacerdotibus *Lev.* 6. 19. intra vela, ſtante tabernaculo, at in atrio magno, ſtante templo, & quidem eo die, & nocte ſequenti, non tamen integra, ut ſapientes conſtituerunt, ſed uſque ad medium. [26] Si vero ex avibus ſacrificium piaculare fieret, nil præter ſanguinem [27] infra lineam rubram altaris expreſſum, [28] quod plerumque fiebat ad angulum notozephyrinum (*Zevachim*. VI. 2.) altari cedebat, caput non avellebatur: *Lev.* 5. 8. & vel gula vel arteria aſpera ſecabatur: [29] nam in jugulatione quadrupedum, & gula, & arteria aſpera שני סימנין perrumpebantur, ſed in ave altera tantum, בהמה ניתרת בשני סימנין ועוף ניתר בסימן אחר. *Midras Coheleth.* 109. 2. [30] Ipſo corpore veſcebantur ſacerdotes. *Zevachim* IV. 4.

§. VII. Interiora quæ comburebantur.

VII. Quæ ex poſteriori genere erant, non in altari ut holocauſta, [31] ſed extra caſtra, in loco cineris, vel ſtante templo, extra urbem, ἐν προαςείοις, uti Joſephus ſcribit, [32] diſſecta in partes, comburebantur. Hæc erant omnia illa, quorum ſanguis inferebatur in ædem ſacram, [33] ubi ſpargebatur coram velo & ad cornua altaris interioris, at reliquum effundebatur ad baſin altaris exterioris. *Lev.* 4. 3. 12. & 6. 23. *Hebr.* 13. 11. [34] ita tamen ut אימורים eorum ex corpore extracta in altari exteriori adolerentur. [35] Pellis ipſa non detrahebatur his victimis. *Lev.* 1. 17. [36] & quum altare carnem non nanciſceretur, etiam ſacerdotes jus in pellem non habebant. *Zevachim* XII. 2. Confer *Levit.* 10. 16. ubi Moſes indignabatur hircum piacularem pro peccato populi combuſtum fuiſſe, quum comedendus fuiſſet: [37] *Quare*, inquit, *non comediſtis illum in loco ſancto? Nam ſanguis ejus non eſt illatus in ſanctuarium interius*, id eſt, in ædem ſacram. *Omnino comedendus fuiſſet in loco ſancto, quemadmodum præcepi*.

§. VIII. Diſtinctio perſonarum hoc ſacrificium offerentium.

VIII. Inter illa quæ ſacrificio piaculari propria ſunt hoc eſt, [38] quod ſanguines ejus digito aſpergerentur altari ſive exteriori ſive interiori, non effunderentur ex vaſe; quodque, quum in reliquis ſacrificiis nihi intereſſet, ſive a principe ſive ab homine privato offerrentur, ſed idem omnium jus eſſet, [39] in hoc ſacrificio differentia eſſet inter perſonas offerentes. [40] Ita ſi ſacerdos unctus vel P. M. peccaſſet, juvencum dabat in ſacrificium piaculare, qui comburebatur extra caſtra vel urbem, quum ablegmina in altari eſſent oblata. [41] Ita quoque ſe res habet cum cœtu qui per imprudentiam erraverat. [42] Si princeps peccaverat vel judex, hircum caprarum offerebat, cujus ablegminibus in altari adolitis ipſe comedebatur. [43] Si privatus peccaverat, fæminam ovem vel capram debebat offerre.

§. IX. Rigor in hoc ſacrificio ſingularis.

IX. Magnus erat rigor, חומר, in offerendo ſacrificio piaculari, major quam in aliis ſanctiſſimis. Omne quod attigerat carnem victimæ illius, יקדש *Levit.* 6. 19. [44] Quicquid ſanguine ejus (antequam altari adſperſus eſſet) inficiebatur erat pollutum: & veſtimentum ſanguine ejus infectum lavari debuit in loco ſancto ſive atrio; [45] vas teſtaceum in quo coctum fuit ſacrificium piaculare, in atrio quoque confringi debuit, vas æneum ibidem mundari & immergi. *Levit.* 6. 20. *Zevachim*. II. 4. Huc ſpectat, quod in *Chagiga* II. 7. legitur בגדי קדש מדרס לחטאת *veſtes ſacras eſſe inſtar ſtrati ab homine fluxum paſſo conculcati reſpectu ſacrificii piacularis*. In *Siphra fol.* * 186. 2. canon generalis legitur בניין אב כל שדמו נכנס לפנים השורפו מטמא בגדים [46] *Victima, cujus ſanguis in ædem ſacram infertur, polluit veſtes illius qui eam comburit*. [47] Aberat quoque εὐωδία (quæ ſacrificio piaculari Chriſti *Eph.* 5. 2. adſcribitur) nec thus huic ſa-

ſacrificio addebatur (quod εὐωδίαν Græci nuncupare ſolent, uti Maximus Tyrius diſſ. 34. Α'ραβες πέμπυσι εὐωδίαν) nihil olei, nullum fertum, nulla libamina, quæ & ipſa ὀσμὴ εὐωδίας appellantur in *Eccleſ. Syrac.* 50. 18. *Non addet ei thus, quia ſacrificium piaculare eſt*, legitur *Levit.* 5. 11.

COMMENTARIUM IN CAPUT TERTIUM.

[1] V*Ocem* חטאת *&c. Toſaphta Joma cap. II.* Quomodo confitebatur? Ah Domine deliqui, rebelis fui, & peccavi coram te, ego, & domus mea: ah Domine, remitte quæſo, delicta, & rebelliones, & peccata, quæ deliqui, & in quibus rebellis fui, & quæ peccavi coram te ego, & domus mea, juxta quod ſcriptum eſt in Lege Moyſis ſervi tui; *In hac die expiatio erit veſtri*. (Levit. XVI. 30.) & dictum eſt; *confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſrael, & univerſa delicta, atque peccata eorum* (ibid. v. 21.) verba R. Meyr; & ſapientes dicunt, iniquitates ſunt peccata ex ſuperbia commiſſa, delicta ſunt rebelliones, peccata ſunt peccata ex errore commiſſa. *Maimonides ad cap. IV. 2. Codicis Joma*. Hic vero ordo, quem in tribus confeſſionibus deſcriptum vides, עויתי פשעתי חטאתי, pertinet ad R. Meyr, qui nititur verbis illis quæ dicta ſunt Levit. XVI. 21. Confiteatur omnes עונות filiorum Iſrael, & univerſa פשעיהם, & omnia חטאתם; ſed ita ſe res non habet, nam intentio horum tantum eſt includere ſpecies peccatorum; nam עונות ſunt peccata, quæ homo committit ex ſuperbia, חטאים ſunt peccata quæ homo committit ex errore; פשעים ſunt peccata quæ homo committit ex negationibus, & rebellionibus contra Deum benedictum, committendo peccata magna, ut is qui elevat jugum Dei in ſe receptum, ut profanatio Sabbathi & Idolatria.

[2] *Debet etiam animus &c. Toſaphta Joma cap. IV.* 14. Sacrificium pro peccato, & ſacrificium pro delicto, & mors, & dies expiationis non expiant omnia ſimul, ſi defuerit pœnitentia, juxta verſiculum qui dicit; *ſolum in die decimo menſis hujus &c. affligetiſque animas veſtras &c. Levit.* 23. 27. Si pœnitentiam agat, pro ipſo expiat, ſi ſecus, pro ipſo non expiat. R. Eleaſer ait: textus ſacer dicit; *& abſolvendo non abſolvet*. Abſolvit pœnitentes, ſed non abſolvit, qui non ſunt pœnitentes. R. Jehuda dicit, mors & dies expiationis una cum pœnitentia expiant, pœnitentia cum morte expiat, & dies mortis eſt idem ac pœnitentia. *Maimonides de pœnitentia I.* 3. Hinc fit, quod peccatores & rei, cum oblationes ſuas pro peccatis vel per errorem vel per contumaciam commiſſis adducunt, per ſacrificia non expiantur, niſi prius pœnitentiam agant, & confeſſionis formulam repetant. *Gloſſa R. Salomoth ſuper Pſalm.* 49. *Non in ſacrificiis tuis arguam te*, ideſt, ſi non obtuleris mihi ſacrificia, & non fuerint coram me holocauſta tua jugiter, non ego ero ponens cor meum, & oculos meos ſuper hujuſmodi. *Numquid comedo carnem taurorum, & bibo ſanguinem hircorum?* non comedi ſacrificia, quia non opus habeo comeſtione, ſed tranquillitas ſpiritus ipſa eſt coram me, quia ego dixi, & non eſt voluntas mea facta; *immola Deo ſacrificium laudis* (ſeu confeſſionis.) confitere, & convertere ad me, & iſtud eſt ſacrificium, quod placet mihi, & quod ego volui; *ſacrificium laudis* (ſeu confeſſionis,) *honorificabit me*, adducens ad me ſacrificium pœnitentiæ ac confeſſionis peccatorum ſuorum ipſe honorabit me; *& illic iter*, qui convertitur ad me, ipſe eſt, qui ponit viam peccatoribus ad pœnitentiam, *quo oſtendam illi ſalutare Dei*.

[3] *Eodem nomine* חטאת *&c. Toſaphta Sevachim cap. V.* 18. Sub ſex titulis ſacrificium ſacrificatur: ſub titulo ſacrificii, ſub titulo ſacrificantis, ſub titulo ſacrificii pro delicto, ſub titulo ignitorum, ſub titulo odoris; & ſacrificium pro peccato & pro delicto ſub titulo חטא *peccati*. *Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. IV.* 11. Jam in mactanda hoſtia pro peccato, & hoſtia pro delicto animus erat applicandus peccato illi, cujus cauſa ſacrum fiebat.

[4] *Et neutris ſerta &c. Codex Menachoth cap. IX.* 6. Omnia ſacrificia publica, & privata requirunt libamina, primogenitis, decimis, Paſchate, ſacrificio pro peccato & pro reatu exceptis. Sed ſacrificium pro peccato & reatu leproſi requirit libamina. *Maimonides in præfatione ad Codicem Menachoth*. Præterea neque ſacrificium pro peccato, neque ſacrificium pro reatu requirunt munus libaminum, quia Num. 15. 3. de libaminibus dicitur נדראו נדבה או במועריכם; dixerunt ſapientes, quicquid cum נדר, vel cum נדבה accedit, id requirit libamina, & excipiuntur ſacrificia pro peccato, & pro reatu, quæ non veniunt cum נדר, *voto* neque נדבה *oblatione ſpontanea*. Et propterea neque primogenitum, neque animantia cætera, neque ſacrificium Paſchale, quia neutrum ex iſtis venit cum voto neque cum oblatione ſpontanea. *Idem de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. II.* 2. 3. Sed enim volucribus, hoſtiis pro delicto, itemque & hoſtiis pro peccato libamina adhibebantur nulla. Excipe hominis leproſi hoſtiam pro peccato, & ejuſdem hoſtiam pro delicto, quarum libamina nominatim a Lege decernuntur. Non autem adhibenda eſſe libamina hoſtiis pro peccato, & pro delicto inde habetur, quod in Lege eſt, *vota ſolventes vel ſponte offerentes*. Num. 15. 3. quo quidem comprehenditur id, quod ex voto vel ſponte offerebatur; excluditur autem hoſtia pro peccato, & hoſtia pro delicto, & beſtia primogenita, & decima, & agnus Paſchalis, quæ quoniam neque ex voto neque ſponte offerebantur, libaminum non indigebant.

[5] *Et animalia &c. Quæ animalia in ſacrificio pro peccato, quæque in ſacrificio pro delicto adhiberentur, vidimus ſupra; qui vero ritus in utriſque adhiberentur, infra videbimus.*

[6] Ex *publicis nulla &c. Maimonides in præfatione* ad Codicem *Sevachim*. Hi autem hirci (ideſt hirci pro Idolatria) comburebantur, eo quod ſint ſacrificium expiationis pro peccato cœtus; & de juvenco pro re occulta offerendo dicit Lex, quod is comburendus ſit; Levit. 4. 21. חמאת הקהל, ad hoc in Siphra dixerunt; hoc omnium reliquorum ſacrificiorum pro cœtus peccatis præcipuum eſt, ac veluti pater, quod comburendum eſt; atque hi peccata expiantes vocantur *hirci Idolatriæ*, ſive hirci pro peccatis Idolatriæ offerendis, quia Synhedrium eos offerebat pro errore Idolatrico. Si vero in cæteris Synhedrium erraſſet præceptis, uti expoſitum eſt in Codice Horajoth, tenetur juvenco in ſacrificium pro peccato, atque is vocatur *juvencus pro re occulta cœtus*; nam Levit. 4. 13. dicitur, ונעלם דבר; ſed in aliquibus locis vocatur, *juvencus qui venit pro omnibus præceptis*. Lex vero de iſto dicit, quod comburi debet, & ad eumdem offerendum tenentur omnes Tribus, ſicuti in tractatu Horajoth exponitur &c. *Idem ad cap. XII. 5. Sevachim*. Jam aliquoties expoſuimus, quod juvenci qui comburuntur, ſunt juvencus diei expiationis, juvencus qui offertur pro omnibus præceptis, & juvencus pro re occulta. Hirci autem ſunt, hircus diei expiationis, & hirci pro Idolatria commiſſa offerendi: *Abarbanel in præfatione ad Leviticum cap. III.* Ex hac igitur ſacrificiorum commemoratione cognoſcitur omnino ſacrificium publicum beſtia fœmina fieri nullum, nec ejuſmodi quidem ſacrificium publicum, quod eſſet privato ſimile ſacrificio; de cunctis autem piacularibus publicis non exuri niſi hircum ſolenni Expiationum die ſacrificandum, conſortem illum hirci averrunci, qui publicitus deducebatur in ſolas terras; & hircos Idolatriæ, & eum qui ob errorem ſacrificabatur, juvencum, cætera vero a vivis Sacerdotibus comedi.

[7] *Publica omnino &c. Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. I.* 15. Omnia ſacrificia publica fiebant omnino animantibus maſculis; Atque hoſtia pro peccato publica ſumebatur vel e grege caprarum, vel ex armento bonum, non item e grege ovium; in holocauſtum vero publicum boves ſemper

& agni ſumebantur, caprinum pecus nunquam. Hoſtia pro peccato privata ſemper erat beſtia fœmina, ea comedenda Sacerdotibus erat, nec erat bos unquam. Excipiuntur ternæ hoſtiæ pro peccato, principis, quæ hircus erat, ac comedebatur, Sacerdotis uncti, juvencus erat, & comburebatur; hic vero juvencus ob quodvis præceptum violatum mactabatur; tertia hoſtia pro peccato erat etiam juvencus, quem ſummus Sacerdos ſolenni die Expiationum immolabat in hoſtiam pro peccato, quæ item igni conſumebatur. *Abarbanel ibidem*. Cognoſcitur etiam cætera ſingulorum hominum ſacrificia piacularia beſtiis fœminis, tria ſingulorum hominum piacularia fieri beſtiis maribus, nempe Rex cum per errorem id admiſerat, quod per audaciam exitio, & per imprudentiam factum ſtato luebatur ſacro piaculari, piaculum hirco faciebat; præterea autem erat juvencus de cunctis officiis ſacrificandus, quo expiabatur erratum Sacerdotis oleo inuncti, & ejuſdem juvencus, quo ad ſolennem Expiationum diem faciebat ſuum ac ſuorum piaculare ſacrum.

[8] *Privata nulla &c. Maimonides ibidem*. Hoſtiæ pro peccato publicæ comedebantur omnes præter hircos ſolennitatis Expiationum, quorum alter emittebatur, & *hircos Idolatriæ & juvencum ob errorem*; atque *juvencus ob quodvis præceptum violatum* mactandus, *& juvencus ob errorem* immolandus, *juvenci comburendi* nominabantur, itemque *hirci Idolatriæ hirci comburendi* nominabantur. Ex quo intelligitur quinas eſſe hoſtias, quæ comburebantur, privatas duas, & publicas tres. *Abarbanel ibidem*. Porro cognoſcitur nullum ſingulorum hominum piaculum exuri præter juvencum illum de cunctis officiis ſacrificandum, nec omnino ſingulorum hominum piacula fiebant unquam pecore bubulo, ſi excipias unum illum juvencum de cunctis officiis ſacrificandum, & alterum ſolenni Expiationum die mactandum, qui ambo exurebantur toti. Ex quibus univerſis intelligitur cuncta ſingulorum hominum ſacra piacularia comedi, tum ea fieri beſtiis fœminis, nec fieri pecore buculo, excipi autem ſacrificium piaculare principis, quod fiebat mari caprini pecoris, & juvencum de cunctis officiis ſacrificandum, item & juvencum die ſolenni Expiationum mactandum, qui cum mares tum bubuli pecoris erant, & exurebantur ambo. Jam nomen illud juvencum de cunctis officiis ſacrificandum duxerunt ex eo, quod in hanc rem edicitur; Levit. 4. 1. *Anima quæ peccaverit per ignorantiam, & de univerſis mandatis Domini, quæ præcepit, ut non fierent, quippiam fecerit*.

[9] *Dividuntur quoque &c. Maimonides de noxiis imprudenter admiſſis. Cap. I.* Qui per imprudentiam contra vetantium præceptorum aliquod ejuſmodi quid effectum dederat, quod cum pœna ſanciretur exitio, is oportebat, ut ſacrum piaculare faceret, quod ejus erratum ut hoſtia piaculari lueretur, jubendo ſancitum erat. Etenim cujuſcunque facinoris conſulto patrati pœna erat exitium, id imprudenter admiſſum hoſtia piaculari luendum erat.

[10] *Opere non verbo &c. Maimonides ibidem*. Excipiuntur hæc tria facinora: ſupremum numen maledictis violaſſe, prætermiſiſſe præputii circumciſionem, & victimæ Paſchalis immolationem; circumciſio præputii videlicet, & victimæ Paſchalis immolatio jubendo præcipiuntur, ſacrum autem piaculare non fiebat, niſi ſi per errorem erat aliquid commiſſum contra præceptum vetans, quia enim a Lege dicitur; *Et de univerſis mandatis Domini quæ præcepit ut non fierent, quippiam fecerit*. Levit. 3. 2. Jam Deum, qui verbis ſacrilegis læſerat, is nihil effectum dederat; Lex autem cum ita dicat; *qui peccaverint ignorantes*. Num. 15. 29. Excludit impium in Divinam majeſtatem maledictum, quod factum quidem certe nullum eſt. Si quis igitur vanum numen Deum ſuum agnoſſet, tametſi pœna iſti flagitio conſtituta erat exitium, tamen homo ſi ſciens ſcelus id in ſe ſuſcepiſſet, lapidibus percuteretur, ſin autem in ſe turpitudinem iſtam admiſiſſet imprudens, ſacrificio ſolutus erat, quod nihil effectum reddidiſſet, & a Lege dicatur; *faciat quidquam. Levit. 4. 27. O acumen vere Rabbinicum?*

[11] *Diſtincta tamen &c. R. Salomon Jarchi vult excidium de illis dici, quorum ſemen una cum vita, & diebus ipſorum exſcinditur; itaque juxta ejus mentem* exſcindi *dicitur ille, qui moritur abſque liberis; & diſtinguitur excidium a morte per manus cœli, quia mors iſta infligitur tantum peccanti, excidium extenditur quoque ad ſemen ejus. Alii contendunt fuiſſe diſcrimen inter reos excidii & reos mortis per manus cœli, quod excidium ſit uſque ad annum quinquageſimum, mors per manus cœli poſt quinquageſimum annum. Alii putant excidium probari ex numero dierum morbi, nam ſi homo die tertio morbi ſui moriatur, dicitur exſciſus a populo ſuo, ſic inter excidium & mortem per manus cœli, hæc erit differentia, quod mors per manus cœli dignoſcatur ex notione annorum, excidium vero ex notione dierum morbi. Alii ſentiunt, mortem per manus cœli excidio leviorem eſſe, nam eum, qui reus eſt excidii, manet adhuc pœna etiam poſt mortem; ejus autem, qui reus eſt mortis per manus cœli, expiatio abſolvitur, quando moritur: Vide Abarbanelem ad Num.* 15. 30.

[12] *Ob ſex & triginta &c. Maimonides ibidem*. Jam univerſa maleficia, quorum imprudenter admiſſorum cauſa ſtatum ſacrum piaculare faceret unuſquiſque, inveniuntur eſſe iſta, quæ hic ſubjiciuntur, tria & quadraginta numero; corpus miſcuiſſe cum matre, cum ſocru, cum avia materna, cum avia paterna, cum filia, cum nepte e filio, cum privigna, cum privignæ filia, cum privigni filia, cum ſorore germana, cum ſorore conſanguinea, cum amita, cum matertera, cum uxoris ſorore, cum noverca, cum uxore patrui, cum nuru, cum fratria, cum muliere viro nupta, cum muliere menſtruali, cum maſculo, cum patre, cum patruo, cum beſtia, denique mulier ſi pecudi ſuccubuiſſet; habes viginti ſex vetita exitium interminantia, quæ ad inceſtos monſtroſoſque concubitus pertinent. Jam nunc reliqua decem & ſeptem, quæ ad cætera pertinent flagitia, perſequemur. Idoli colendi cauſa quid effeciſſe, natum ſuum vivum comburendum dediſſe deteſtabili Molocho, facto divinum, & ariolum egiſſe, Sabbathum profanaſſe, ad ſolennem expiationum diem cibum potumque cepiſſe, ad ſolennem expiationum diem opus feciſſe, ſacrorum reliquias comediſſe, ad Paſcha panem fermentatum ediſſe, comediſſe adipem, comediſſe ſanguinem, comediſſe ſacrum, poſteaquam evaſiſſet tetrum & abominandum, extra atrium jugulaſſe victimas, extra atrium ſacrificium feciſſe, oleum unctionis ſuum ad uſum paraſſe, ſuffimentum ſuum ad uſum condiviſſe, oleo unctionis aliquid contra fas unxiſſe; habes omnino tria & quadraginta maleficia, quæ cum erant inſcienter admiſſa, ſtatum ſacrum piaculare fiebat. Sed qua tandem hoſtia ſacrum hoc piaculare faciendum, cum horum unum inſcienter admiſſum erat? Nempe ſi vanum Idolum inſciens coluiſſet aliquis, ab eo piaculare ſacrum annicula capra fieret, ſic ut expreſſe præſcribitur in Legis capite, qui inſcribitur; *Mitte tibi. Num.* 13. Jam nihil differebat inter hominem privatum, & regem, pontificem, Sacerdotemque ferialem in iſto peccati genere; omnino in errore cultus extranei erant omnes inter ſe pares. De cæteris autem quadraginta duobus maleficiis imprudenter admiſſis, homo privatus capram vel ovem immolabat; nam hac hoſtia facere piaculare ſacrum unus de multis homo jubetur hoc Legis capite, cujus eſt initium; *locutus eſt. Levit.* 4. Jam ob eorum aliquid inſcienter admiſſum a Rege ſacrum piaculare capra fiebat, & a Sacerdote unctione olei conſecrato fiebat ſacrum piaculare juvenco, qui comburebatur, ſicuti eodem capite Legis explicatur. Nihil intererat, utrum unus aliquis, an multi quid horum imprudenter admiſerint; id enim ſignificat verſus iſte; *una lex erit omnium, qui peccaverint ignorantes. Num.* 15. 29.

[13] *In variantia &c. Maimonides ibidem*. Erat igitur ſtatum hoc ſacrum piaculare, quod beſtia quadrupede tantum fiebat; illud autem ſacrum inæquabili varietate diſtinctum non erat ratum & fixum, ſed ab homine locuplete fiebat beſtia quadrupede, a paupere vero, tum volucri, tum mola, quæ partem Ephæ decumam contineret.

[14] *Sacrificia poſterioris &c. Maimonides ibidem cap. X.* Quod ſacrificium inæquabili varietate diſtinctum erat, id facere jubebantur iſti ſex. Leproſus, puerpera, conſcius alicujus rei, qui prudens, vel imprudens dediſſet jusjurandum nihil ſibi iſtius rei eſſe cognitum, qui incogitans futile jusjurandum juraſſet, & idem falſum, inquinatus ſi rem ſacram imprudens ediſſet, & inquinatus in templum ſi veniſſet imprudens.

[15] *Leproſo &c. Maimonides ibidem*. Qui vero a lepra-

prarum colluvie purus evaserat, is præbebat ad rem divinam pecudes tres, in his agnos duos, unum ad sacrificium solidum, & alterum ad hostiam pro delicto, tum vero agnam ad sacrum piaculare. Quod si facultates non finerent, præbebat turtures, aut columbæ pullos duos, unum ad sacrificium solidum, & alterum ad sacrum piaculare, præterea autem præbebat agnum in hostiam pro delicto.

[16] *Puerpera &c. Maimonides ibidem*. Atqui puerpera si dives erat, agnum anniculum ad sacrificium solidum præbebat, & columbæ pullum, aut turturem ad sacrum piaculare. Cujus si res non pateretur id ab ea fieri, fieret eo minus, turtures aut columbæ pullos præberet duos, unum ad sacrificium solidum, & alterum ad sacrum piaculare. Quin etiam huic si satis esset facultatis ad præbendum anniculum agnum, ad ejus adhibenda libamina non esset, nihilo secius pauperis sacrum faceret.

[17] *Offerebant die 41. &c. Maimonides de indigentibus piaculi cap. I. 5.* Jam puerpera quadragesimo die, quam natus puer, vel octogesimo die quam puella nata fuerat, non faciebat suum Deo sacrum, sed expectabat solis obitum, crastinoque die, qui dies erat unus & quadragesimus a nato puero, vel unus & octogesimus a nata puella, sacrificium faciebat suum; hic est enim ille dies, quem præstituit præscriptum Legis istuc: *Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ pro filio, sive pro filia deferet &c.* Quæ si ante completum dierum numerum sacrum faceret, non liberaretur debito; non, si pro superiore quodam partu fecisset intra numerum dierum pro partu posteriori observandum.

[18] *Qui rem sibi cognitam &c. Maimonides de noxiis imprudenter admissis cap. X. 4.* Jam conscius rei cujuspiam, qui dederat jusjurandum nihil hac de re sibi notum esse, quique futile jusjurandum jurarat incogitans, item qui temeratus in Templum venerat imprudens sacrificaret aut agnam, aut hædam, quales cunctæ statæ hostiæ piaculares erant. Quod si præ rei familiaris angustiis non posset, duos præberet turtures, aut totidem columbæ pullos, unum ad sacrificium solidum, & alterum ad sacrum piaculare. Sin nec volucres quidem liceret per facultates præbere, præberet decimam partem Ephæ similaginis. Nimirum hoc illud est, quod *sertum peccatoris* vulgo dicitur.

[19] *Qui quum pollutus &c. Maimonides ibidem*. Omnino hæc omnia sacra dilucide Lex explicat, & quisquoque horum alligaretur, excipe tamen temeratum hominem, qui templum intrasset imprudens, quique sacrum edisset; nam a Lege quidem in hunc locum ita dicitur. *Si peccaverit anima, & audiverit vocem jurantis &c.* Item. *Anima quæ tetigerit aliquid immundum &c.* Item. *Anima quæ juraverit &c. Agat pœnitentiam &c.* Levit. V. 1. 2. 4. 5. Verum hoc nostri auditum habent, hic inquinamenti sacro alligari eum, qui contaminatus cum esset, in sacrarium introisset, sacrumve comedisset insciens, sed vero isthæc ipsa traditio ex Lege nihilominus liquido efficitur. Nimirum homini, qui sacrum comederit inquinatus, divina Lex expresse pœnam constituit exitium, & huic itidem, qui contaminatus in sacrarium introjerit. *Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis.* Ibid. VII. 20. Tum de homine, qui templum augustum minus pure adierit, ita dicit; *peribit anima illius de medio Ecclesiæ, quia Sanctuarium Domini polluit.* Num. 19. 20. Ex hoc igitur, quod de templo & ejus sacris temeratis hominem exitio Lex addiceret, consequens erat illud, ut constituendis sacrorum generibus etiam explicate diceret quo tandem sacro alligaretur is, qui per imprudentiam hæc commiserat eadem.

[20] *Quinque tantum &c. Tosaphta Keritut cap. I. 9.* Quinque afferunt sacrificium ascendens & descendens; in ipsis est pauper & dives; est in ipsis pauper pauperum, leprosus, & puerpera pauper, & dives, afferunt unum vice unius, qui polluit Sanctuarium, pauper pauperum affert duo loco unius, hinc est, quod numeratur decima Æphæ pro pretio monetæ. *Siphra ad cap. V. 7.* Sin autem non potuerit offerre pecus, non ei dicitur, quod mutuo accipiat, neque in suo artificio se exerceat, si haberet agnum, & inopia urgeatur: unde probatur, quod debeat afferre sacrificium pauperis? ex eo quod dicit; *offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino*; duos afferet, & non unum. Quia ego poteram argumentari; Hic afferebat juxta vires suas, & leprosus afferebat juxta vires suas; quemadmodum leprosus afferebat unum pro uno, etiam hic; quoniam dives afferebat unum animal, ita dicam, quod pauper unum avem debeat afferre; ideo dicit, *duos turtures, vel duos pullos columbarum*; duos afferet, & non unum.

[21] *Quædam Sacrificia &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Sevachim*. Sacrificium pro peccato duplex est, quorum unius adeps offerebatur in altare, ejusdemque reliquiæ comedebantur a Sacerdotibus masculis in atrio templi, alterius vero reliquiæ igni consumebantur.

[22] *Illorum quæ prioris &c. Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. V. 7.* Hostiæ pro peccato illæ quæ comedebantur, requirebant aspersiones sanguinis quatuor in quatuor cornibus altaris exterioris, nempe supra dimidiam partem altaris, id adeo quia de hostia pro peccato scriptum est; *super cornua altaris*. Levit. 4. 7.

[23] *In Codice sacro &c. Siphra ad cap. III. 3. Levit. Et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino adipem qui operit vitalia, & quicquid pinguedinis est intrinsecus*; Quid id dicendum erat? quia dictum est: *Omnis adeps Domini erit* (vers. 16.) *nec sanguinem nec adipem omnino comedetis* (Ibid. vers. 17.) *Siquis adipem qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo* (Ibid. cap. VII. 25.) possem credere etiam adipem laterum? ideo dicit, adipem qui operit vitalia; possem credere non fuisse inclusum in pœna, sed fuisse inclusum in præmonitione? ideo dicit, *adipem qui operit vitalia*; excludam adipem bestiarum profanarum, sed non excludam adipem bestiarum consecratarum? ideo dicit, *adipem qui operit vitalia*; possem credere non fuisse comprehensum in pœna, sed fuisse comprehensum in præmonitione? ideo dicit, *adipem, qui operit vitalia*; possem credere non fuisse comprehensum in præmonitione, sed cum alio adipe offerri potuisse? ideo dicit, *adipem qui operit vitalia*. Excludam omnes hujusmodi *adipes*, & non excludam adipem fœtus qui vitalia operit? ideo dicit *duos renes cum adipe*, possem credere non fuisse comprehensum in pœna, sed fuisse comprehensum in præmonitione? ideo dicit: *duos renes cum adipe*; possem credere non fuisse comprehensum in præmonitione, sed fuisse offerendum? ideo dicit: *duos renes cum adipe, in sacrificio pro delicto*, quod non erat necesse ut diceret; dum eruitur argumento a minori ad majus: si pacifica, in quorum nonnullis cauda non offerebatur, adipe & duobus renibus obligabantur; in Sacrificium pro delicto, in quo, cujuslibet esset speciei, cauda offerebatur, non offerendi erunt & ejus adeps, & duo renes? Igitur cur dicit, *duos renes cum adipe in sacrificio pro delicto?* ut doceamur ab eo, quod quemadmodum adeps, & duo renes dicti in sacrificio pro delicto, excludunt a genere fœtum, ita adeps, & duo renes hoc loco dicti excludunt a genere adipem, qui reperitur in ventre fœtus. *Adipem, qui operit vitalia*, R. Ismael dicit ad includendum adipem, qui est super intestina coaguli. R. Akiba dicit ad includendum adipem qui est super minuta intestina; *duos renes*, & duos renes, non eum, cui sit unus, aut tres renes, *cum adipe quo teguntur ilia*, non carnem, quæ super ea sit; *quo teguntur ilia*. Hic est adeps, qui est super os, quod collocatum est super coxam, & conjungitur cum cauda; hæc est opinio R. Akibæ. R. Jose Galilæus dicit ad includendum adipem, qui est super os prope ilia, ubi renum adeps conjungitur. R. Ismael dicit; quemadmodum adeps, qui operit ventrem, pellicula tenui operitur, & decorticatur, ita non includendus est alius adeps, nisi qui pellem habeat, & decorticetur. R. Akiba dicit, sicuti adeps, qui ventrem operit, expansus est, & pellem habet, & decorticatur, ita mihi non includendus est nisi adeps, qui sit expansus, suamque pellem habeat, & decorticetur. *Et reticulum jecoris*. Res dubia est, an ablaturus sit a jecore cum reticulo, an a reticulo cum jecore; quando vero dicit, *& reticulum jecoris a sacrificio pro peccato, & adolebit ea super altare*; deciditur, ut accipiat a ecore cum reticulo.

[24] *Nota hunc quoque &c. Maimonides de cibis vetitis cap.* VII. Qui tantum adipis, quantum est oliva, comedit sciens volensque, is excidii reus est, sed qui

errore

errore aliquo comedit, is tenetur offerre sacrificium pro peccato fixum. Et Lex cum tantum esse reum expressis verbis docet, qui adipem de tribus mundarum pecudum speciebus comedit. Sic enim dicitur (Levit. VII. 23.) *Adipem ovis, & bovis, & capræ non comedetis*. Reus itaque est, qui adipem horum animalium comedit, sive ea legitime mactata, sive discerpta, sive cadavera fuerint. Sed reliquarum pecudum & ferarum, sive mundæ sint, sive immundæ, adeps eodem loco habetur, ac caro. *Et nonnullis interjectis*. Tres sunt adipis species, quas comedentes rei sunt excidii; adeps nimirum qui est super ventriculum, & qui est super duos renes, & qui est super coxas. Sed cauda vesci licet; illa enim nonnisi respectu sacrificiorum vocatur adeps, quemadmodum etiam adipis nomen tribuitur ipsis renibus, & reticulo jecoris, quando de sacrificiis sermo est. Sicut tu adipem terræ, vel adipem renium tritici vocas, quod in iis optimum est. Quia igitur hæ partes sacrificiorum elevari solent, ut in honorem divinum comburantur, adipis nomine ornari possunt. Nulla enim pars vel res est præcipue bona, quin Deo consecrata hoc nomine inprimis digna videatur. Sic Legislator de consecratione decimarum loquens. (Num. XVIII. 30. 32.) *Cum sustuleritis, inquit, adipem ejus de illo*. Adeps, qui est supra omasum & abomasum, est ille ipse adeps, qui vocatur adeps supra ventriculum, & adeps ille, qui est super radices femorum ab interiori parte, est ille ipse adeps, quem scriptor sacer appellat adipem, qui est super coxas. Est autem super ventriculum adeps plexus instar retis, qui vetitus est, & est vas productum instar lobi, quo vesci licet; Vasis, quæ sunt in adipe, vesci non licet, nec tamen qui ea comedunt, rei sunt excidii. Adeps quem caro tegit, licitus est; eum enim, qui est super coxas, prohibuit Scriptura, non vero eum, qui est inter coxas. Sic & adeps, qui supra renes est, esui concessus foret. Quamvis autem ita res se habeat, auferri solet album illud, quod intra renes conspicitur, antequam comedantur, nec tamen opus est curiose scrutando illud eruere. Est instar duorum filamentorum adipis in radicibus coxendicis prope caput femoris, quæ dum animal vivit, observari possunt, dum autem mortuum est, caro carni adhærescens hunc adipem ita obtegit, ut videri nequeat, nisi divulsa carne; quamvis autem ita sit, adeps ille vetitus est. Hic enim accenseri nequit illi adipi, quem caro tegit. Cæterum ubicumque reperitur adeps sub carne latens, carneque undique tectus, nec videri potest, nisi dissecta carne, illo vesci licet &c. *& paucis interjectis*. Duæ membranæ renes vestiunt, qui superiorem comedunt, rei sunt excidii, utpote cum hæc ad adipem, qui super renes est, pertineat; inferioris autem eadem est ratio, quæ reliquarum membranarum & vasorum, quibus vesci quidem non licet, ita tamen ut peccato pœna excidii non sit proposita.

[25] *Caro ipsa &c. Maimonides ad cap. V. 3. Sevachim*. Cæterum de sacrificio expiationis pro peccato dicit Lex, Levit. 6. 19. במקום הקדש תאכל בחצר אהל מועד, nimirum ut comedatur in loco sanctissimo intra vela; Templi vero atrium convenit cum spatio intra vela in Tabernaculo; præterea Lex dicit Levit. 6. 22. כל זכר בכהנים יאכל. Et comedi debet eo die, eademque nocte, idcirco sanctitas sanctitatum comedenda est eodem die ac nocte. Sapientes autem statuerunt tempus, ut homines a pecatis arcerent, quemadmodum in principio tractatus Berachoth expositum est. *Bartenora ibidem*; *intrinsecus intra cortinas*, nam in Tabernaculo cortinas convolvebant ad atrii tentorii conventus, & de sacrificio pro peccato dicitur. Levit. 6. 19. במקום הקדש תאכל בחצר אהל מועד. Templo autem constructo murus atrii erat pro cortinis. *A masculis Sacerdotibus*, nam de sacrificio pro peccato, de sacrificio pro reatu, & de munere dicitur Levit. 6. 22. *Omnis vir inter Sacerdotes comedet illud &c. Die isto ac nocte*, quia scriptum est Levit. 7. 13. ובשר זבח תודת שלמיו ביום ההוא יאכל; hinc colligitur quod sacrificium Eucharisticum uno die comedendum sit. Sed unde colligimus de sacrificio pro reatu? Resp. ex eo, quod dicitur זבח sacrificium. *Usque ad dimidium* noctis. Sapientes Legi addiderunt sepimentum aliquod, ut homines a peccatis arcerent, uti scriptum est Levitici VII. 15. לא יניח ממנו עד הבקר.

[26] *Si vero ex avibus &c. Siphra ad cap. V. 8. Levitici*. *Dabitque eos*, avis non redimitur, *Sacerdoti*, docemur, eum fuisse obligatum iis omnibus rebus, quæ necessariæ erant ad afferendum; *qui primum offerens pro peccato*; quid necesse erat ut diceretur? si est, ut doceamur, quod sacrificium pro peccato in omnibus suis operationibus anteiret holocaustum, jam dictum est; *alterum vero adolebit in holocaustum* (Ibid. vers. 10.) Si ita est, cur igitur dicit, *qui primum offerens pro peccato*? ut efformetur principii constitutio pro omnibus sacrificiis pro peccato, quæ cum holocaustis afferebantur. Tam sacrificium pro peccato volucris cum holocausto volucris, quam sacrificium pro peccato volucris cum holocausto pecoris, quam sacrificium pro peccato pecoris cum holocausto pecoris, sacrificia pro peccato semper anteibant holocausta, quæ cum ipsis afferebantur. *Retorquebit caput ejus ad pennulas, ita ut collo hæreat, contra id quod cervicem respicit*; & pariter dicit textus, *sedens contra me* (Num. XXII. 5.) *& non penitus abrumpatur*; si abrupisset, erat reprobum. Et asperget de sanguine ejus parietem altaris, cum ipso animanti Sacrificii, super *parietem altaris*, non super parietem clivi, non super parietem basis, non super parietem templi, super parietem inferiorem; possem dicere super parietem superiorem? Et ecce argumentum. Si holocaustum e pecore est infra, ejus sacrificium pro peccato erat supra, holocaustum e volucri erat supra, non futurum erit ejus sacrificium pro peccato supra? ideo dicit, *quicquid autem reliquum fuerit faciet distillare ad fundamentum ejus*; quod reliquiæ ejus sanguinis exprimantur super basim. Quænam est ista? hæc est paries inferior.

[27] *Infra lineam rubram &c. Codex Kinnim cap.* I. 1. Sanguis sacrificii expiatorii ex avibus spargitur infra, ejusdem sacrificii e pecore sanguis spargitur supra. Sanguis holocausti ex avibus spargitur supra, ejusdem sanguis ex pecore, spargitur infra si in utroque secus fecerit, reproba sunt.

[28] *Quod plerumque &c. Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum* 7. 9. Ad hujus hostiæ collum retortum ungue secandum partes altaris erant idoneæ omnes, sed sanguinis sparsionem oportebat infra dimidiam partem altaris fieri. Quæ si esset in quovis altaris alio loco facta, bene haberet tamen, si modo tantillum sanguinis vitalis ex hostia fuisset inferiori parti altaris aspersum. In cornu altaris meridiei & occidenti intermedio fiebant tria in parte superiori, & in inferiori quoque tria. In inferiori mactabatur hostia pro peccato; si volucris erat &c.

[29] *Nam in jugulatione &c. Codex Chulin cap.* II. 1. Si quis unam in ave duasque in animante cannas disciderit, mactatio ipsius est legitima; huic similis est, si maxima pars unius discissa sit. R. Jehuda dicit, donec venas disciderit, si unum dimidium in ave, & totam cum dimidio in animante, mactatio ipsius illegitima est. Si maximam partem unius in ave disciderit, & maximam partem duorum in animante, mactatio est legitima.

[30] *Ipso corpore &c. Tosaphta Sevachim cap.* VII. 5. Si erat legitima *hostia pro peccato volucris*, edebatur a Sacerdotibus, si secus, projiciebatur super cinerem.

[31] *Sed extra castra &c. Siphra ad cap. IV.* 12. *efferet extra castra*, extra tria castra; aut ego dicam, extra unum castrum; & quando dictum est in *juvenco* congregationi *extra castra*, quod non erat necesse ut diceretur, quia jam dicit, *atque comburet sicut priorem vitulum*; si ita est, cur dictum est, *extra castra*? ad indicandum secundum castrum. *In locum mundum*, ut sit locus mundus; & si immundus, mundabit illum, ut sit locus decens pro iis, *ideo ubi cineres effundi solent*; ut ibi jam sit cinis, qui antecedat cinerem, qui ibi reponebatur; R. Eleaser filius Jacobi dicit, ut sit locus declivis. *Incendetque ea*, legitima non reproba; *super lignorum Struem*; Quid necesse erat ut id diceret? quia dici poterat, quoniam dicta est combustio interius, & dicta est combustio exterius; sicuti combustio dicta interius fiebat lignis idoneis pro strue, etiam combustio dicta exterius (dicerem) lignis idoneis pro strue; idcirco dicit *super lignorum strue* ad includendum omne, quod intelligitur lignum; etiam palea, etiam fœno; *igni*, non in calce, neque in cinere calido; *cremabuntur*, quamvis non adesset cinis, *cremabuntur*, usque dum in suo corpore ignis accensus sit.

[32] *Dissecta in partes &c. Siphra ibidem. Pellem vero &*

ro & omnes carnes cum capite, & pedibus, & inteſtinis, & fimo, & reliquo corpore efferet; totum efferebat. Poſſem dicere, quod deberet integrum efferre, & integrum comburere? Ideo dicit *cum capite, & pedibus*; ſicuti caput, & pedes ejus, dicta alibi (*ſcil. in holocauſto*) dividebantur, etiam hoc loco dividebantur. An dicam, ſicut ibi caput & pedes ejus excoriabantur, etiam hoc loci excoriarentur? ideo dicit, *& inteſtinis, fimo*. *Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap.* VII. 2. Jam hoſtiæ pro peccato illæ, quæ cremabantur, ſic immolabantur; jugulabantur ita ut ſupra diſſeruimus, deinde patefactis extrahebantur exta, hæc impoſita vaſe aſpergebantur ſale, atque in ignem projiciebantur, reliqua efferebantur ex urbe, atque in eosdem, ac holocauſtum artus reſolvebantur, nempe ſimul cum pelle, tum cremabantur ad cineris receptaculum.

33 *Ubi ſpargebatur &c. Siphra ibidem ad verſ.* 5. *Accipiet*; dicitur hoc loco *accipere*, & dicitur alibi (*Exod.* 24. 6.) *accipere*, ſicuti acceptio eo loci dicta cum vaſe *fiebat*, etiam hic cum vaſe: *Et accipiet unctus*. Ego non probo niſi pro uncto oleo ſacræ unctionis, pro veſtibus aucto; unde probatur? ex eo quod dicit *Sacerdos*. Si adhibes *hanc vocem* ad includendum alium Sacerdotem, cur dicit *& accipiet Sacerdos unctus*? Sed præceptum eſt, ut accipiat *ſanguinem* Sacerdos unctus, ſed ſi alius ſacerdos accepiſſet, miniſterium eſt legitimum. *De ſanguine vituli*, de ſanguine vituli, non de ſanguine carnis, nec de ſanguine expreſſo, de vitulo accipiet *ſanguinem*, *& inferet illum* legitimum & non reprobum; *in tabernaculum Teſtimonii*, ad excludendum ejus ſacrificium pro præcepto particulari, (*ideſt pro Idolatria offerendum*) cujus ſanguis non ſpargebatur ſuper altare aureum. *Cumque intinxerit digitum*; non ut tollat ſanguinem de vaſe inſtar detergentis; *cumque intinxerit digitum in ſanguine aſperget*; in ſingulis aſperſionibus digiti intinctio *neceſſaria erat*. *Digitum*, dicitur hoc loci *digitus ſuus*, & dicitur alibi (*in leproſo*) digitus ſuus, ſicuti digitus eo loci dictus dexter, ſignificatur aptior manus dextræ, etiam digitus hoc loci dictus dexter ſignificatur aptior manus dextræ; *in ſanguine*, ut ibi ſit ſatis ſanguinis, ut intingi poſſit; *aſperget*, non guttatim *aſperget*, non ut cum vaſe aſpergat; *in ſanguine*, de quo agitur. *Septies*; ut numerare deberet ſepties, non ſemel; & (poſtremo) ſepties. *Coram Domino*, poſſem credere in tota domo; ideo dicit, *contra velum*; poſſem credere contra totum velum; ideo dicit, *Sanctuarii*, docemur, quod daret operam, ut aſpergeret contra Vectes. *Ponetque de eodem ſanguine*, de ſanguine, de quo agitur, *ſuper cornua* (dicit) duo cornua, & ulterius, dicit, cornua; ecce quatuor verba R. Simeonis. R. Jehuda dicit; *quod eſt in tabernaculo teſtimonii*, ad includendum omnia cornua tabernaculi teſtimonii; *altaris thymiamatis*, ut altare thymiamate initietur; *thymiamatis*, ut ſit de bonis cœtus; *thymiamatis gratiſſimi*, ut in eo ſint aromata; *coram Domino*, quid neceſſe erat ut id diceret? Dixit R. Nehemia, quia invenimus in juvenco, qui offerebatur in die Expiationum, quod ultra altare interius ſtabat, & aſpergebat ſuper velum quo tempore aſpergebat; poſſem credere etiam in hoc idem eſſe faciendum, ideo dicit, *altaris thymiamatis coram Domino*, & non Sacerdos coram Domino. *Omnem autem reliquum ſanguinem fundet*, ut includeret ſanguinem juvenci diei Expiationum ad effuſionem; *fundet*, non ſtillando fundet; *fundet* & non ſparget, *in baſim altaris holocauſti*, non in baſim altaris exterioris; erat argumentum in contrarium. Altare exterius fuit dignum aſperſione ſanguinum, altare interius fuit dignum aſperſione ſanguinum; quemadmodum in altari exteriori quo loco aſpergebantur ſanguine cornua, eodem (*loco*) ſanguis in baſim effundebatur, etiam in altari interiori, quo loco cornua ſanguine aſperguntur, eodem (loco) ſanguis in baſim erit effundendus. Quando deinde dicit in juvenco congregationis *juxta baſim altaris holocauſtorum*, quod ſupervacaneum erat, ut id diceret, ea tantum de cauſa dicit, ut doceamur, quod nulla baſis ratio haberetur pro ipſo altari interiori; & quando dicit in Principe, *in baſim ejus* (*ſcilicet altaris holocauſtorum*) quod non erat neceſſe, ut diceret; ſi proprias reliquias non recipiebat altare interius, reliquiaſne altaris exterioris recipiet? Aut hac phraſi; Baſimne habebat altare interius? Si ita eſt, cur dictum eſt *in baſim altaris holocauſti?* ut ſit baſis in altari holocauſti; *in baſim altaris holocauſti in introitu tabernaculi*. Hæc eſt baſis occidentalis. *Maimonides ibidem cap. V.* 11. 16. Atqui ſanguis omnium, quæ cremabantur, hoſtiarum pro peccato, intra templum portabatur, ubi fierent ex eo aſperſiones illæ, quæ a Lege edicuntur; reliquum autem ſanguinis effundebatur in baſim occidentalem altaris exterioris, quod exeunti e templo primum ſe offerebat. Ecce igitur locus & numerus aſperſionum, quæ harum e ſanguine victimarum fiebant. Juvencus & hircus diei Expiationum requirebant ſuas quiſque aſperſiones, octo inter vectes Arcæ, & totidem ad velum; tum autem ſanguis juvenci cum hirci ſanguine confundebatur, & quatuor inde fiebant aſperſiones in quatuor cornibus altaris aurei intra templum ſiti, porro ſeptem aſperſiones in medio hoc altari ſic, ut tractatu de ratione faciendi rem Divinam die ſolenni expiationum explicabitur. Quod ſi non fuerit attentus animus his aſperſionibus intus faciendis, nihilo ſecius bonæ forent. Qui cremabantur juvenci, item & hirci, horum ex ſanguine ſingulorum fiebant aſperſiones ſeptem contra velum, quod Sanctum a Sancto Sanctorum dividebat, item & aliæ quatuor aſperſiones ad altaris aurei cornua quatuor. Quodcunque ſanguinis genus erat aſpergendum altari aureo, ſacerdos introgreſſus conſiſtebat inter altare & candelabrum ſic, ut haberet altare ante ſe. Jam altaris cornua aſpergebantur de loco exteriori; initium fiebat ab cornu orienti & ſeptentrioni intermedio, tum procedebatur ad cornu ſeptentrioni & occidenti intermedium, inde ad intermedium occidenti & meridiei, & denique ad cornu meridiei & orienti intermedium. Quem Sacerdos unctus de quovis præcepto violato mactabat hircum, hujus hirci ſanguinem excipiebat & ipſemet unctus Sacerdos, atque intus aſpergebat. Quem ſi ſanguinem excepiſſet aſperſiſſetque Sacerdos privatus, bene fuiſſet tamen. Jam hircorum de Idolatria mactandorum, qui hirci quoque cremabantur, illorum ſanguis quo loco, quoque modo ſit ſpargendus, a Lege quidem non declaratur; verum quia univerſæ Eccleſiæ erant hoſtiæ pro peccato, de illis ex juvenco ob errorem, qui juvencus & ipſe erat Eccleſiæ hoſtia pro peccato judicabatur quoad omnia, quæ in iſtum dicuntur de aſperſione ſanguinis, & de ratione cremandi, & de temerando homine, qui cremabat.

34 *Ita tamen &c. Siphra ibidem. Et adipem vituli*; ad includendum adipem juvenci diei Expiationum ad duos renes & reticulum jecoris, *pro peccato*; ad includendum hircos pro peccato Idolatriæ ad omne id, quod hoc loco dicitur, *auferet*, ab integro. *Sicut aufertur de vitulo hoſtiæ pacificorum*. Quidnam explicatum eſt in ſacrificio pacificorum, quod hic non ſit explicatum? Sed ſicuti pacifica (offerenda ſunt) eorum nomine, etiam hoc ſuo nomine; ſicuti pacifica mundo pacem adducebant, ita etiam hoc pacem mundo adducit. Aut ego dicam; ſicuti pacifica caudæ ſeparatione obbligabantur, etiam hoc caudæ ſeparatione obligaretur; ideo dicit, *de vitulo hoſtiæ*. Juvenco pacificorum æquiparavi, non pacificorum agno æquiparavi. R. Jehuda filius Simeonis dicit; ſicuti pacifica mundo pacem adducunt, etiam hoc mundo pacem adducit. An ego dicam, ſicuti pacifica cœtus pellebant Sabbathum & immunditiem, etiam hoc pellet Sabbathum & immunditiem? ideo dicit, *de vitulo hoſtiæ*, pacificis vituli æquiparavi, non æquiparavi pacificis agni. *Et adolebit ea ſuper altare holocauſti*, non ſuper altare interius. Erat argumentum contrarium. Altare exterius fuit dignum aſperſione ſanguinum, & altare interius fuit dignum aſperſione ſanguinum; quemadmodum in altari exteriori, ubi in cornibus ſanguis aſpergebatur, ibi ejus adipes adolebantur, etiam in altari interiori, ubi ſanguis in cornibus aſpergebatur, ibi etiam ejus adipes eſſent adolendi. Quo pacto obſervo præceptum: *non offeretis ſuper eo thymiama compoſitionis alterius, nec oblationem, nec victimam?* (Exod. 30. 9.) pro illis ſanctitatibus, quarum ſanguinum aſperſione non fuit dignum, ſed pro ſanctitatibus, quarum ſanguinum aſperſione fuit dignum, dicam, quod quemadmodum earum ſanguinum aſperſione fuit dignum, ita deberet eſſe dignum adolitione earum adipum; idcirco dicit: *& adelebit ea ſuper altare holocauſti*, & non ſuper altare interius.

35 *Pel-*

[35] *Pellit ipsa &c. Maimonides ibidem cap. V.* 18. Excipi debent hostiæ pro peccato illæ, quæ cremabantur, quibus omnino pellis non detrahebatur, ideo quia de his dictum fuit, *cum pelle & carnibus.* (*Levit.* 8. 17.)

[36] *Et quum altare carnem &c. Tosaphta Sevachim cap. XI.* 7. Regula generalis est; omnis, qui habebat carnem, habebat pellem, & qui non habebat carnem, non habebat pellem, excepto holocausto, in quo exprimit textus; Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem ejus. Levit. 7. 8. *Maimonides ibidem.* Porro cujus holocausti carnem altare non obtinebat, ejusdem nec pellem consequebantur Sacerdotes.

[37] *Quare, inquit &c. Siphra in hunc locum. Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto?* Quid? comesane fuit extra locum sanctum? nonne combusta fuerat? juxta dictum, *exsustum reperit*; si ita est cur igitur dicit; *cur non comedistis &c.?* extra cortinas elata fuerat? quia sacrificium pro peccato, quod extra cortinas offertur, est reprobum, non probo nisi pro hoc tantum; unde probo ad includendum sanctitates sanctitatum? Ex eo quod dicit, *sancta sanctorum*; unde probatur, quod comestio sanctitatum erat Israeli expiationi? ex eo quod dicit, *& data vobis, ut portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu Domini*; Quomodo erat igitur? Sacerdotes edebant, & domini expiabantur. Præsertim cum de sanguine illius non sit illatum intra sancta; dicit, *ejusne sanguis illatus est?* Quia sacrificium pro peccato, cujus sanguis infertur, est reprobum. R. Jose Galilæus dicit, hinc probatur, quod sacrificium pro peccato, cujus sanguis infertur in sanctum interius, sit reprobum, neque sacrificium pro peccato erat illegitimum, si sanguis ejus non inferretur, *intra*, ego non probo, nisi quando in partem interiorem inferretur; unde probo, si in totum templum? ex eo quod dicit, *intra sancta; & comedere debueritis eam in sanctuario?* Docemur intus esse comedendam; unde probatur, intus quoque fuisse comburendam? ex eo quod dicit; *comedendo comedere debueritis in Sanctuario*, possem credere, etiamsi foris polluta fuisset, intus fuisse comburendam? ideo dicit, *eam*. Quemadmodum in hac designatur immundities interior, & combustio interior, excluditur illa, quæ foris polluitur, quæ nisi foris comburenda non erat.

[38] *Quod sanguines &c. Maimonides ibidem cap. V.* 9. Ex cunctis sacris sola hostia pro peccato erat, quæ requirebat, ut sanguinis aspersio per digitum fieret; quia enim de illa scriptum legimus: *cumque intinxerit digitum in sanguine.* (Levit. 4. 6.) Oportebat autem ut sanguinis adesset satis ad intingendum digitum, non autem ut digito quasi detergeretur sanguis.

[39] *In hoc sacrificio &c. Codex Horajoth cap. II.* 6. Ob omnia præcepta Legis, ob cujus peccatum de industria commissum, tenentur excidio, sin ex errore, sacrificio pro peccato, singularis homo adducet agnam & capram; princeps vero hœdum, Sacerdos unctus & senatus adducet juvencum. Sed pro Idolatriæ peccato homo singularis, princeps, & Sacerdos unctus adducit capram, & senatus juvencum & hœdum, juvencum in holocaustum, & hœdum in sacrificium expiationis pro peccato.

[40] *Ita si Sacerdos &c. Siphra ad cap. IV.* 3. *Levit. Unctus*, possem credere, quod iste unctus sit Rex? ideo dicit Sacerdos; *Sacerdos*, ego poteram credere Sacerdotem unctum vestibus; ideo dicit, *unctus*; a voce *unctus* ego poteram etiam credere unctum belli causa; ideo dicit; *unctus*, ille unctus, quo nullus unctus superior est; *unctus qui peccaverit*, quid dicendum id erat? Sed ego poteram intelligere pro peccatis antecedentibus (suam unctionem). Sed id argumento probabatur. Si Princeps, qui afferebat sacrificium propter ignorantiam actionis, non afferebat pro peccatis antecedentibus (suum principatum.) Unctus qui non affert sacrificium propter errorem actionis, non erit æquum, ne afferat pro peccatis præcedentibus? Non valebat argumentum; quod si dixisti in Principe; is non afferebat sacrificium pro peccato, postquam principatu amotus esset; id dices in uncto, qui aferebat suum sacrificium pro peccato, etiamsi Sacerdotio amotus esset? Igitur quoniam afferebat sacrificium pro suo peccato, etiamsi *Sacerdotio* amotus esset, ita dices, quod afferre debent etiam pro peccatis præcedentibus; ideo dicit, *unctus quando peccaverit*, quando peccaverit, postquam unctus fuerit, non quando privatus peccavit. R. Simeon dicit, si ei innotuerit suum peccatum, antequam summus Sacerdos electus sit, & postea sit electus, non debet afferre sacrificium, sed si postquam electus fuerit, ei innotescat peccatum, tenetur. *Unctus peccaverit;* possem credere fuisse præceptum, ut peccare deberet? ideo dicit, *si peccaverit*; si peccaverit. *Delinquere faciens populum;* ecce unctus similis cœtui; sicuti cœtus non afferebat sacrificium pro peccato nisi propter ignorantiam præcepti una cum errore actionis; ita etiam unctus non afferebat sacrificium pro peccato nisi propter ignorantiam præcepti una cum errore actionis; poterat id erui argumento. Cœtus amovetur a genere, & unctus etiam amovetur a genere; quemadmodum cœtus non afferebat nisi propter ignorantiam præcepti una cum errore actionis, ita etiam unctus non debet afferre nisi propter ignorantiam præcepti una cum errore actionis. Sed ita potes a pari argumentari: Princeps amovetur a genere cœtus, & unctus amovetur a genere cœtus; sicuti Princeps afferebat propter unum errorem actionis, etiam unctus debet afferre propter errorem actionis. Sed videamus, cui sit similius, si erit simile cœtui, a cœtu deducemus, si Principi, a Principe deducemus. Cœtus afferebat pro sacrificio juvencum, & non afferebat sacrificium pro reatu dubio; & unctus afferebat pro sacrificio juvencum, & non afferebat sacrificium pro reatu dubio; quemadmodum Ecclesia non afferebat nisi propter ignorantiam præcepti una cum errore actionis, etiam Sacerdos unctus debet tantum afferre propter ignorantiam præcepti una cum errore actionis. Sed hoc alio modo a pari argumentari potes; Princeps propter peccatum Idolatriæ capram afferebat, & afferebat sacrificium pro reatu certo; & unctus afferebat capram pro peccato Idolatriæ, & afferebat sacrificium pro reatu certo; quemadmodum Princeps afferebat sacrificium propter solum errorem actionis, ita unctus afferet sacrificium propter unum errorem actionis; idcirco dicit; *propter peccatum populi*, assimilatur unctus Ecclesiæ; sicuti Ecclesia non afferebat sacrificium pro peccato nisi propter ignorantiam præcepti cum errore actionis, ita Sacerdos unctus non debet afferre sacrificium pro peccato nisi propter ignorantiam præcepti cum errore actionis. Igitur, quemadmodum cœtus si doceret, & alii ejus dicto facerent, tenetur sacrificio, ita dicere potero, quod etiam Sacerdos, si doceret, & alii ejus dicto facerent, teneatur sacrificio; idcirco dicit, *peccaverit*; pro suo peccato debet afferre sacrificium, sed non pro eo *peccato* quod alii peccarent; *offeret pro peccato suo*; docemur, quod afferret sacrificium pro peccato suo, etiam postquam a *Sacerdotio* amotus fuerit. Ego in contrarium argumentabar. Si Princeps, qui afferebat sacrificium propter errorem unius actionis, non afferebat sacrificium, postquam *a Principatu* amotus fuerat; Sacerdos unctus, qui non afferebat propter errorem actionis, non erit æquum, ne afferat postquam *a Sacerdotio* amotus fuerit? ideo dicit; *offeret pro peccato suo;* discimus, quod debeat afferre sacrificium pro peccato suo, etiamsi a Sacerdotio fuerit remotus. Possem credere, quod etiamsi peccaret una cum cœtu, deberet afferre juvencum pro seipso; argumentor in contrarium; Princeps eruitur e genere cœtus, & unctus eruitur e genere cœtus; quemadmodum Princeps si solus peccat, pro se affert, si cum cœtu peccat, cum cœtu expiatur, ita unctus si solus peccet, solus sacrificium afferet, & si cum cœtu peccet, cum cœtu expiabitur. Non probat; quod si dixisti in Principe, qui expiatur cum cœtu in die expiationum, id dices in Sacerdote uncto, qui non expiatur cum cœtu in die expiationum? Igitur quoniam non expiabatur una cum cœtu in die expiationum, pro se ipso debet afferre juvencum; idcirco dicit, *si peccaverit*; quo pacto est igitur? Si solus peccat, pro se uno sacrificium affert, si una cum cœtu peccat, cum cœtu expiatur. *Juvencum* possem credere senem; ideo dicit, *vaccæ filium* (*ita textus Hebræus*), si filium, possem credere parvulum; ideo dicit, *juvencum*; Quo pacto ergo intelligitur? triennem juxta opinionem Sapientum; R. Meyr dicit, etiam quatriennes, & quinquennes sunt legitimi; sed non afferebantur decoris gratia. R. Jose Galilæus dicit; quid dicendum id erat, *bovem autem secundum de armento tu accipies pro peccato?* Numer.

mer. VIII. 8. Si, ut diſceremus, quod eſſent duo. Jam dixit: *e quibus unum facies pro peccato, & alterum in holocauſtum Domini*. (Ibid. verſ. 12.) Si ita eſt, cur igitur dicit: *bovem autem ſecundum de armento tu accipies pro peccato? ut ſit* biennis. Rabbi dicit, quid neceſſe erat ut diceret; *bovem autem ſecundum de armento tu accipies pro peccato?* Si ut doceremur, quod eſſent duo; jam dictum eſt: *e quibus unum facies pro peccato, & alterum in holocauſtum Domini*; ſi ita eſt, cur dicit: *bovem autem ſecundum de armento tu accipies pro peccato?* Sed quia dictum eſt: *e quibus unum facies pro peccato, & alterum in holocauſtum Domini*. Poſſem credere, quod ſacrificium pro peccato holocauſtum antecederet, & omnes ejus operationes? ideo dicit: *bovem autem ſecundum de armento tu accipies pro peccato*; ſi a textu: *bovem autem ſecundum de armento tu accipies pro peccato* (docendi ſimus) dicere poſſim, holocauſtum antecedere ſacrificium pro peccato, & omnes ejus operationes; ideo dicit: *e quibus unum facies pro peccato, & alterum in holocauſtum Domini*; quo pacto erat igitur? Sanguis ſacrificii pro peccato antecedebat ſanguinem holocauſti, cujus cauſa Deus acceptabat ſacrificium; membra holocauſti antecedebant adipes ſacrificii pro peccato, quia tota igni abſumebantur. R. Simeon dicit, quid neceſſe erat, ut diceret; *bovem autem ſecundum de armento tu accipies pro peccato?* Si ad docendum, quod eſſent duo; jam dictum eſt: *e quibus unum facies pro peccato, & alterum in holocauſtum Domini*; ſi ita eſt igitur, cur dictum eſt; *bovem autem ſecundum de armento tu accipies pro peccato?* quia ego poteram dicere, quod hoc ſacrificium pro peccato comedi poſſet; ideo dicit; *bovem ſecundum*, ſecundum holocauſto; quemadmodum holocauſtum non comedebatur, ita etiam hoc ſacrificium pro peccato non edebatur. Huic ſimile dixit R. Joſe (in textum) *Sed & qui venerant de captivitate filii tranſmigrationis obtulerunt holocautomata Deo Iſrael, vitulos duodecim pro omni populo Iſrael, arietes nonaginta ſex, agnos ſeptuaginta ſeptem, hircos pro peccato duodecim, omnia in holocauſtum Domini* (*Eſdr. VIII.* 35.) Poteſte eſſe ſacrificium pro peccato, & holocauſtum? Sed quemadmodum holocauſtum non comeditur, ita etiam illud ſacrificium, pro peccato comeſtum non fuit. R. Jehuda dicit, pro peccato Idolatriæ illud adduxerunt. R. Simeon dicit; ubicumque textus dicit *vitulum* ſimpliciter, deſignatur anniculus, juxta verſiculum, qui dicit; *& vitulum atque agnum anniculum* (Levit. IX. 3.) *filium bovis*, deſignatur biennis, juxta verſiculum: *Tolle de armento vitulum pro peccato, & arietem in holocauſtum, utrumque immaculatum* (Ibid. 3.) etiam annis immaculatos; *juvencum* ſimpliciter; deſignatur triennis, & etiam quatriennis, & quinquennis eſt legitimus; ſed ſenes non adducebant honoris cauſa. *Et adducet*, etiam poſt diem expiationum, *juvencum, juvencum*, illum debet adducere, & non poteſt adducere (aliud animal) ejus vice. Erat argumentum in contrarium: ſi idiotæ, cujus ſacrificium pro quovis præcepto non eſt æquale ejus ſacrificio diei expiationum, ſacrificium pro quovis præcepto æquale eſt præcepto particulari (Idolatriæ) Sacerdotis uncti cujus ſacrificium, pro quovis præcepto æquale eſt ejus ſacrificio diei expiationum non poterit ſacrificium pro quovis præcepto æquale eſſe præcepto particulari (Idolatriæ)? Ne mireris de Sacerdote uncto, quod quamvis ejus ſacrificium pro quovis præcepto ſit æquale ejus ſacrificio diei expiationum, non debeat eſſe æquale ejus ſacrificium pro quovis præcepto ejus ſacrificio pro præcepto particulari; quia textus dicit: *& adducet*. Ego credere poteram, quod poſſet afferre commutationem; ſed dicit, *juvencum*; juvencum adducet, & non adducet commutationem. *Ponetque manum ſuam ſuper caput ejus*; ad includendum juvencum diei expiationum ad impoſitionem manuum. Jam id argumento deduci poterat: ſi iſte (juvencus) qui duabus confeſſionibus non tenebatur, nec oratione, *Ah Domine*, impoſitione manuum tenebatur; juvencus diei expiationum, ſuper quem recitandæ erant duæ confeſſiones, & oratio, *Ah Domine*, manuum impoſitione non tenebitur? Minime; quod ſi dixiſti in his, qui adducebantur propter peccatum cognitum, id dices pro juvenco diei expiationum, qui non afferebatur propter prævaricationem præcepti cogniti? Quoniam non afferebatur propter prævaricationem præcepti cogniti, manuum impoſitione teneri non deberet; ideo dicit; *ponetque manum ſuam ſuper caput ejus*, ad includendum juvencum diei expiationum ad manuum impoſitionem. *Et immolabit eum Domino*, ad plagam ſeptentrionalem. *Vide Codicem Horajoth cap. II. Toſaphta Horajoth cap. I. & Maimonidem de noxiis imprudenter admiſſis cap. XV.*

[41] *Ita quoque ſe res &c. Siphra ibidem ad verſ.* 13. *Quod ſi omnis* עדה *Iſrael*; poſſem credere, quod textus loquatur de toto cœtu; ſed dicitur, hoc loco עדה, & dicitur alibi (Num. 15. 24. & 35. 24.) עדה; ſicuti עדה eo loci dicta intelligitur de Magiſtratu, etiam עדה hic dicta intelligitur de magiſtratu; aut ego dicam, quod ſicuti עדה eo loci dicta ſit Synhedrium vigintitriumvirale, ita etiam hic ſermo habeatur de Synhedrio vigintitriumvirali; ideo dicit עדה *Iſrael*, admirabilis domus judicii; & quænam eſt? Synhedrium magnum, quod conſidebat in conclavi Gazith. Si quis ex iis eſſet proſelytus, aut ſpurius, aut Gabaonita, aut Sexex, qui nunquam genuiſſet filios, poſſem dicere, quod tenerentur; ideo dicit, עדה, ſicuti עדה eo loci dicta eſt, ut omnes idonei ſint ad judicandum, ita עדה hic expreſſa eſt, ut omnes idonei ſint ad judicandum. Si abeſſet maximus Synhedrii, (*ſcilicet Princeps*) aut aliquis ex iis ſe ignorare diceret, aut iis diceret, quod errarent, poſſem etiam credere, quod tenerentur (hoc ſacrificio). Ideo dicit, עדה *Iſrael per imperitiam fecerit*; donec omnes docuerint. *Per imperitiam fecerit*; poſſem credere, quod tenerentur propter errorem actionis? ideo dicit, *ignoraverit*, ונעלם דבר *& occulta ſit res*. Igitur non tenetur niſi propter ignorantiam præcepti, & errorem actionis. Quoniam Idolatria exiit a genere (Præceptorum) ut de ſe ipſa ageret, poſſem credere, quod pro ea tenerentur propter unum errorem actionis? ideo dicit hoc loco *ab oculis cœtus* (*ſic Hebræus*), & illic dictum eſt *ab oculis cœtus*, ſicuti *ab oculis cœtus* eo loci dictum intelligitur de magiſtratu, ita etiam *ab oculis cœtus* hic dictum intelligitur de magiſtratu; & ſicuti *ab oculis* ibi dictum intelligitur propter ignorantiam præcepti cum errore actionis, ita etiam *ab oculis* hic dictum intelligitur propter ignorantiam præcepti cum errore actionis. ונעלם דבר, *ſi res occulta ſit*, non quod ſit occultum totum præceptum; quomodo hoc intelligitur? Si dicerent; non eſt præceptum menſtruæ in Lege; non eſt præceptum Sabbathi in Lege; non eſt præceptum Idolatriæ in Lege, dicamne, quod teneantur? ideo dicit, *ſi res occulta ſit*, non quod ſit occultum totum præceptum. Sed ſi dicerent; eſt præceptum menſtruæ in Lege, ſed qui cum ea, quæ menſtruum de die in diem expectat, rem habeat, liber eſt; Sabbatum memoratur in Lege, ſed qui educit ex uno ad alterum locum, aut e loco privato in publicum, liber eſt. Eſt præceptum Idolatriæ in Lege, ſed qui coram ea ſe incurvat, liber eſt; poſſumne dicere, quod ſacrificio abſolvantur? Ideo dicit, *ſi res occulta ſit*, non totum eſſentiale (præcepti) quoniam Idolatria exiit a genere, ut de ſeipſa ageret, poſſem credere, quod tenerentur propter ignorantiam totius præcepti? ideo dicit hoc loci, *ab oculis*, & dictum eſt illic *ab oculis*, ſicuti *ab oculis* hoc loci dictum excludit totum eſſentiale præcepti, etiam *ab oculis* ibi dictum excludit eſſentiale præcepti. Si Senatus docuiſſet, & feciſſet, poſſem credere, quod teneretur? ideo dicit, *turba*, *& fecerit*; documentum pendet a Senatu, & executio a cœtu. *Mandatum Domini*, non mandatum Regis, neque mandatum Senatus, mandata dicta in Sacerdote uncto ſunt eadem mandata, quæ hic commemorantur; *mandatum Domini*, non omnia mandata Domini; excludit auditum vocis, & labiorum pronunciationem, & pollutionem Sanctuarii, & rerum ſanctarum. *Ex omnibus præceptis Domini, quæ fieri non debent, & deliquerint*: ſicuti (Deus) repetit a privato, ita etiam repetit a cœtu. Si ſcirent, quod docuerint, & erraverint, & neſciant, quid docuerint, poſſem credere, quod tenerentur? ideo dicit; *& poſtea intellexerit peccatum ſuum*, non quod intelligant peccatores *peccatum ſuum*; *offeret*. Si duæ tribus peccaſſent, offerent duos juvencos, ſi tres, tres offerent; aut ego dicam, ſi duo idiotæ peccaſſent, duos juvencos offerent, ſi tres, tres offerent? ideo dicit עדה, cœtus tenetur, & omnes, & ſinguli cœtus tenentur. Quo pacto id intelligitur? Si duæ tribus peccaſſent, afferent duo juvencos, tres, tres afferent, & reliquæ

Mmm tri-

tribus, quæ non peccarunt, earum causa afferent juvencum, quod etiam istæ, quæ non peccarunt, peccatorum causa afferunt; id eruitur ex eo quod dicit, עדה, ad obligandum omnes, & singulos cœtus; hæc sunt verba R. Jehudæ R. Simeon dicit, septem tribus, quæ peccassent, offerebant septem juvencos, & senatus pro iis unum juvencum offerebat, quia dictum est hic עדה, & dictum est alibi עדה, sicuti עדה eo loci loquitur de senatu, etiam hic de senatu. R. Meyr dicit, si septem tribus peccassent, aut earum major pars, & pro iis senatus juvencum offerret, omnes absolvuntur; quia dictum est hoc loci עדה, & dictum est alibi עדה, sicuti עדה alibi dicta loquitur de Senatu, etiam hic de Senatu. R. Simeon filius Eleasaris suo nomine dicit; si peccassent sex tribus, & essent major pars cœtus, aut septem tribus, quamvis non essent ejus major pars, tenentur. *Et ponent seniores populi*, possem credere seniores e trivio; ideo dicit, *seniores populi*; An inde dicam omnes seniores cœtus? ideo dicit *populi*; populi honestissimos. Quot erant? *Et ponent*, duo, *seniores*, *duo*; nunquam magistratus pari numero constabat; erant igitur quinque, verba R. Jehudæ. R. Simeon dicit; *& ponent seniores*, duo, nec magistratus pari numero constabat; erant ergo tres; *manus*, manus omnium & singulorum privatorum: *manus super caput juvenci*, juvencus tenebatur impositione manuum, sed hirci, qui pro Idolatria afferebantur, impositione manuum non tenebantur, verba R. Jehudæ. R. Simeon dicit; Juvencus tenebatur impositione manuum seniorum, sed hirci pro Idolatria non tenebantur impositione manuum seniorum; quia dicebat R. Simeon: quodcunque sacrificium pro peccato cœtus, cujus sanguis inferebatur, tenebatur impositione manuum. *Immolatque vitulo in conspectu Domini*, in plaga septentrionali; dictum est hic contra velum, & dictum est alibi (*in juvenco uncti*) contra velum, sicuti contra velum, quod ibi dictum est (intelligitur) contra velum sanctitatis, etiam contra velum, quod hic dictum est, est contra velum sanctitatis. *Sic faciens & de hoc vitulo, quomodo fecit & prius, & rogante pro eis*. Quid necesse erat, ut id diceret? ad repetendum aspersiones (sanguinis) quod si vel unam omisisset, erat illegitimum sacrificium; possem credere, quod venisset præsens textus ad demonstrandum, quod etiamsi de septem aspersionibus unam omisisset, fieret illegitimum sacrificium. Quoniam semper invenitur, quod effusio septem aspersionum in quocumque casu potest reprobare *sacrificium*; & unde probabo pro aspersione quatuor, de quibus si unam omitteret, fieret reprobum sacrificium? Ex eo quod dicit; *sic faciens*. *Et de hoc vitulo* ad includendum juvencum diei expiationum; *quomodo fecit & prius* ad includendum juvencum Sacerdotis uncti; *pro peccato* ad includendum hircos Idolatriæ; possem dicere, includendos esse hircos solennitatum? ideo dicit *pro peccato*. Quid tibi persuadet, ut includas hircos Idolatriæ, & excludas hircos solennitatum? Postquam textus inclusit, excludit; includo hircos Idolatriæ, qui afferebantur pro sacrificio præcepti cogniti, & excludo hircos solennitatum, qui non offeruntur pro sacrificio præcepti cogniti; *rogante pro eis*; etiamsi non imposuissent manus, *propitius erit eis Dominus*, quamvis non effudisset reliquias sanguinis. Quid tibi persuadet, ut idoneum reddas in impositione manuum, & pro reliquiis sanguinis, & excludas aspersiones? Postquam inclusit textus, excludit. Idoneum reddo pro impositione manuum, & pro reliquiis sanguinis, quia non impediebant expiationem, & excludo aspersiones, quæ obstabant expiationi. *Ipsum autem vitulum efferet extra castra*, extra tria castra, *atque comburet sicut & priorem vitulum*. Hinc igitur eruitur, quod si juvencus sacerdotis uncti, & juvencus congregationis ibi una simul adessent, juvencus Sacerdotis uncti præcederet in omnibus suis operationibus. Possem credere, quod etiam hirci pro Idolatria præcederent? *Et probari potest* argumento; si juvencus, qui est unus, præcedit, juvencus & hircus præcedere non debebunt? ideo dicit, *juvencum*, juvencus est prior, sed hirci Idolatriæ non sunt priores. Aut ego dicam, unum juvencum fuisse comburendum, non vero hircos Idolatriæ? ideo dicit: *quia est pro peccato multitudinis*. Argumentum principale pro omnibus sacrificiis pro peccato congregationis, quod sint comburendi. Sed erant etiam hirci solennitatum, qui erant sacrificia pro peccato congregationis; possem credere ipsos etiam fuisse comburendos? idcirco dicit, *ipsum*; quid tibi persuadet ut includas hircos pro Idolatria, & excludas hircos solennitatum? Postquam inclusit textus, excludit; includo hircos pro Idolatria, qui afferebantur pro sacrificio præcepti cogniti, & excludo hircos solennitatum, qui non afferebantur pro sacrificio præcepti cogniti. Verumtamen erat juvencus diei expiationum, qui non afferebatur propter prævaricationem præcepti cogniti, & comburendus erat; Quid? nonne ille erat distinctus, cujus sanguis inferebatur? excluduntur isti, quorum sanguis non inferebatur; *quia est pro peccato*, ut sint omnes ejus operationes titulo sacrificii pro peccato; *ipsum*; excludit, si alio titulo combussisset; *Vide Codicem Horajoth, Tosaphta Horajoth ibidem, & Maimonidem ibidem*. *Cap.* XII. XIII. XIV.

Pro peccato vero Idolatriæ Senatus juvencum in holocaustum, & hircum in sacrificium pro peccato offerebat. Siphra ad cap. XV. 22. *Num. Quod si per ignorantiam prætereritis*. Idolatria erat in numero omnium præceptorum, pro quibus cœtus debet juvencum, & textus eam removet a suo genere, ad eam aggravandam, & obligandam sacrificio fixo, quod cœtus pro ea debeat offerre juvencum in holocaustum, & hircum in sacrificium pro peccato; ideo hæc sectio dicta est; *Quod si per ignorantiam prætereritis*; de Idolatria textus agit, tu dicis de Idolatria; an non potero dicere, quod agat de quovis reliquorum præceptorum? Idcirco dictum est; *Quod si per ignorantiam prætereritis*; præcipue agit textus de præcepto singulari. Quodnam est hoc præceptum? est præceptum Idolatriæ; an non etiam dicam, esse quamlibet prævaricationem cujusvis reliquorum præceptorum Legis? ideo dictum est; *quod si per ignorantiam prætereritis &c. oblitaque fuerit facere*; veniunt omnia præcepta ad docendum pro uno præcepto. Quemadmodum ille, qui prævaricatur omnia præcepta, rejicit ab se divinum jugum, & abnegat fœdus, & male interpretatur divinam Legem, ita sit unum præceptum, quod rejiciat ab se divinum jugum, abneget fœdus, & male interpretetur divinam Legem. Quodnam est hoc præceptum? Hoc est *præceptum* Idolatriæ, juxta versiculum qui dicit; *& transgrediantur pactum illius*. Deut. XVII. 2. Hoc pactum non est aliud nisi Lex, juxta versiculum qui dicit: *hæc sunt verba fœderis*. Ibid. XXIX. 1. Rabbi dicit; dictum est hoc loci *omnia*, & dictum est alibi (Ibid. XIII. 18.) *omnia*, sicuti illa omnia eo loci dicta agunt de Idolatria, ita omnia hic dicta agunt de Idolatria. *Quæ locutus est Dominus ad Moysen*; unde probatur id quod dicis, quod qui confitetur Idolatriam, abneget decem præcepta? ex eo quod dicit, *Quæ locutus est Dominus ad Moysen*. Et alibi dicit. *Locutusque est Dominus cunctos sermones hos*. Exod. 20. 1. unum *locutus est Deus &c. nonne verbum meum est instar ignis*? sic Hebræus. Et unde probatur etiam pro eo, quod præceptum fuit Moysi? ex eo quod dicit; *omnia, quæ per Moysem præcepit Deus*. Sic Hebræus. Et unde probatur etiam pro eo, quod per Prophetas præceptum fuit? ex eo, quod dicit; *a die quo præcepit*. Sic Hebræus. Et unde probatur etiam pro eo, quod jussi fuere patriarchæ? ex eo quod dicit, *& ultra generationes vestras*. Sic Hebræus. Et unde probatur etiam pro eo, quod præcepit Deus primo homini: ex eo quod dicit: *præcepitque ei dicens*. Nos textus docet, quod qui confitetur Idolatriam, abnegat decem præcepta, & id quod per Moysen præceptum fuit, & id quod prophetis præceptum fuit, & id, quod jussi fuere patriarchæ, & qui abnegat Idolatriam, confitetur totam Legem. *Oblitaque fuerit facere multitudo*; præcipue agit textus de hoc singulari præcepto; & quodnam est? est Idolatria. *Offeret vitulum de armento*; cur dictum est? quia erat argumentum: si quando cœtus non offerebat juvencum in holocaustum, offerebat juvencum in sacrificium pro peccato, hic ubi cœtus offerebat juvencum in holocaustum, non erit æquum, ut offerat juvencum in sacrificium pro peccato? ideo dictum est: *Offeret vitulum de armento holocaustum &c. & sacrificium ejus ac liba*. An ego dicam etiam pro sacrificio pro peccato? idcirco dictum est; *ut cæremoniæ postulant*; juxta ordinem consuetum. *Hircumque caprarum*. Cur dictum est? quia erat argumentum; si quando cœtus non offerebat juvencum in holocaustum, offerebat duos hircos in sacrificium pro peccato,

to, hic ubi cœtus debebat offerre juvencum in holocaustum, non erit æquum, ut debeat offerre duos hircos in sacrificium pro peccato? idcirco dictum est, *hircumque pro peccato. Et rogabit Sacerdos pro omni multitudine filiorum Israel*. Unde probatur id quod dicis, quod si una e Tribubus morata esset, & non obtulisset, impediretur expiatio? ex eo quod dicit; *& rogabit Sacerdos pro omni multitudine filiorum Israel, & dimittetur eis*; ego possem credere, si peccaret tam per ignorantiam, quam ex industria; ideo dicit: *quoniam non sponte peccaverunt*. Rabbi dicit; unde probatur id quod dicis, quod si pars congregationis per ignorantiam, & pars ex industria peccasset, Deus eos judicet, ac si omnes per ignorantiam peccassent? ex eo quod dicit; *quoniam non sponte peccaverunt. Nihilominus offerentes incensum Domino*. R. Josia dicit, si una tribus dicto senatus fecisset, & reliquæ tribus non fecissent; unde probatur, quod pro ea offerre debeant? ex eo quod dicit, *nihilominus offerentes incensum Domino*. R. Jonathan dicit, ego non probo, nisi quod tribus, quæ dicto senatus fecisset, offerre debeat, si dicto Synhedrii magni fecisset; unde probatur, quod reliquæ tribus ipsius causa offerre debeant? ex eo quod dicit, *nihilominus offerentes incensum Domino*. R. Jehuda dicit, tribus quæ dicto sui senatus egisset, tenetur, reliquæ tribus liberæ sunt; si dicto Synhedrii magni fecisset, illa tribus offert juvencum, & reliquæ tribus omnes ejus causa offerunt; ecquid ejus causa offerunt? duodecim juvencos. R. Simeon filius Johai dicit, juvencum pro Senatu. At pro quo casu hæc dicta sunt? pro reliquis præceptis, sed pro Idolatria, debet offerre juvencum, & hircum in holocaustum, & hircum in sacrificium pro peccato; hac de causa hæc sectio dicta est. Major pars tribuum reputatur pro omnibus tribubus, & major pars cœtus reputatur pro toto cœtu. *Nihilominus offerentes incensum Domino*, hoc est holocaustum, *& pro peccato*, hoc est sacrificium pro peccato; *atque errore suo*. Sacrificium suum pro peccato juxta suum errorem, sicuti suus error pro omnibus actionibus, ita suum sacrificium pro peccato pro omnibus actionibus. *Et dimittetur*, non probo nisi pro viris; pro mulieribus unde probatur? ex eo quod dicitur, *& dimittetur universæ plebi filiorum Israel, & advenis, qui peregrinantur inter eos*; quia casus proponitur pro Israelitis, includendi sunt proselyti. *Quoniam culpa est omnis populi, per ignorantiam*, ad excludendum Sacerdotem unctum; quia erat argumentum; cum offerat cœtus sacrificium pro omnibus præceptis, & offerat sacrificium pro Idolatria, ita etiam unctus cum offerat sacrificium pro omnibus præceptis, & offerat sacrificium pro Idolatria; quemadmodum didici pro cœtu, quod sicuti offerebat sacrificium pro omnibus præceptis, idem offerebat causa Idolatriæ, ita dicam pro Sacerdote uncto, quod afferet idem sacrificium pro Idolatria, quod afferebat pro omnibus præceptis. Præterea *probatur* argumento a minori ad majus; si quando cœtus non offerebat juvencum, Sacerdos unctus offerebat juvencum, hic ubi cœtus offerebat juvencum, non erit æquum, ut Sacerdos unctus offerat juvencum? Idcirco dictum est; *Quoniam culpa est omnis populi per ignorantiam. Quod si anima una nesciens peccaverit*. Idolatria inclusa erat in omnibus præceptis, pro quibus idiota affert agnam, aut capram, Princeps hircum, Sacerdos unctus, & senatus juvencum, textus hoc loco eruit a suo genere, ad aggravandum super eam, & ad obligandam eam sacrificio fixo, quod tam idiota, quam Princeps, & Sacerdos unctus debeant offerre capram anniculam in Sacrificium pro peccato; hac de causa dicta est hæc sectio. De Idolatria textus agit, an ego dicere non possim, quod agat de quovis reliquorum præceptorum Legis? dixisti? de quo agitur? de Idolatria. R. Isach, dicit de Idolatria textus agit, an ego dicere non possim, quod agat de quovis reliquorum præceptorum Legis? Tu ita argumentaris. Cœtus inclusus erat in genere, & eruit eum textus a suo genere, & distinguit ejus sacrificia; idiota erat in genere, & eruit a suo genere textus, & distinguit ejus sacrificia, sicuti ibi agitur de Idolatria, ita etiam hic agit textus de Idolatria. *Quod si anima nesciens peccaverit*, ut excludat eam, quæ de industria peccaverit; *offeret capram anniculam*; hoc ædificat argumentum principale pro omni loco, in quo dicitur capra, quod necesse sit, quod sit anicula. *Et deprecabitur pro ea Sacerdos, quod inscia peccaverit*; peccata, quæ commiserat, efficiunt, ut hoc quoque peccatum committat. *Quod inscia peccaverit*, ad excludendum subtilitates Idolatriæ; quia erat argumentum: si in præceptis levibus, tenetur pro eorum minutiis, pro Idolatria, quæ gravis est, non erit æquum, ut teneatur pro ejus minutiis? idcirco dictum est; *quod inscia peccaverit; impetrabitque ei veniam*; ad excludendum dubium; etenim erat argumentum: si pro levibus præceptis, pro eorum dubio tenetur, pro Idolatria, quæ gravis est, non erit æquum, ut teneatur pro dubio? idcirco dictum est: *impetrabitque ei veniam*; cœtus & Sacerdos unctus non offerebant sacrificium pro reatu dubio. *Et dimittetur illi*; perfecta erit dimissio, ut in reliquis Legis dimissionibus. *Tam indigenis*, cur dictum est? quia dictum est: *omnis qui de genere est Israel manebit in tabernaculis* (Levit. 23. 42.) Ego credebam, quod etiam mulieres comprehenderentur; idcirco dictum est, *tam indigenis*. Hoc ædificat argumentum principale, quod quotiescumque exprimitur *indigena*, de maribus textus agat. Alia explicatio; *tam indigenis* cur dictum est? quia erat argumentum: Israelitæ jubentur pro Idolatria, & Proselyti jubentur pro Idolatria, si didici pro Israelita, quod affert (sacrificium) propter errorem Idolatriæ, ita dicerem, quod etiam Proselyti adducere deberent propter errorem Idolatriæ, idcirco dictum est; *indigenis*, Israelita adducit propter errorem Idolatriæ, & Proselytus non adducit propter errorem Idolatriæ. *Lex una erit omnium*, idiotæ, Principis, & Sacerdotis uncti; quia erat argumentum; cœtus affert sacrificium pro præceptis, & affert sacrificium pro Idolatria; sicuti didici pro cœtu, quod afferat idem sacrificium pro Idolatria, quod affert pro omnibus præceptis, ita dicam, quod Sacerdos unctus debeat afferre idem sacrificium pro Idolatria, quod affert pro omnibus præceptis. Et præterea *probatur* argumento a minori ad majus: si quando cœtus non afferebat juvencum, Sacerdos unctus afferebat juvencum, hic ubi cœtus affert juvencum, Sacerdos unctus non debebit afferre juvencum? ideo dicit: *una lex erit omnium; qui peccaverint ignorantes*. R. Jehuda filius Betheræ dicit, ecce, qui ignorans peccat in Idolatria similis illi, qui de industria peccat; sicuti Idolatria est actio distincta, quod sit reus excidii, qui de industria peccat, & per ignorantiam sacrificii pro peccato, ita etiam in qualibet actione, pro qua si per malitiam ageret reus esset excidii, si per ignorantiam faciat, debebit afferre sacrificium pro peccato. *Vide Codicem Horajoth; Tosaphta Horajoth, & Maimonidem ibidem*.

42 *Si Princeps peccaverat &c. Siphra ibidem; Si peccaverit princeps*. O beata illa ætas, in qua ejus princeps affert sacrificium propter suum errorem. Si propter ignorantiam affert sacrificium, quid dicendum est, quid sit facturus propter malitiam? Si ejus princeps affert sacrificium pro peccato, quid dicendum est, quid sit facturus idiota? *Princeps*, ego possem dicere principem unius Tribus, uti erat Nachscion, ideo dicit: *& fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur*; & alibi dicit: *ut discat timere Dominum Deum suum*. Deut. XVII. 19. Sicuti ibi agitur de principe, cui nemo est superior nisi Dominus Deus suus, etiam principi, qui hoc loco dicitur nemo est superior, nisi unus Deus suus. *Si peccaverit Princeps*; Quid dicendum erat (*peccaverit*)? quod possem dicere, quod afferre deberet pro peccatis præcedentibus. Argumentor: si Sacerdos unctus, qui afferebat sacrificium suum pro peccato, postquam *e Sacerdotio* remotus esset, & non afferebat pro peccatis præcedentibus, Princeps, qui non afferebat sacrificium suum, postquam *e principatu* remotus esset, debebit afferre pro peccatis præcedentibus? Non valet argumentum; quod si dixisti pro Sacerdote uncto, qui ne quidem pro solo errore actionis afferebat, id dices de Principe, qui affert pro solo errore actionis? Quoniam affert pro solo errore actionis, afferet etiam pro peccatis præcedentibus; idcirco dicit, *peccaverit* quando peccabit, cum sit Princeps, & non quando peccavit, cum esset idiota. R. Simeon dicit, si ei innotuerit (peccatum) priusquam crearetur Princeps, & postea Princeps creatus est, tenetur, si (innotuerit) posteaquam princeps creatus est, liber est. *Princeps*; possem fortasse existimare, quod

quod teneretur (peccare); ideo dicit, *ſi peccaverit*, ſi peccaverit. *Et fecerit unum* ad obligandum pro ſingulis; Quo pacto intelligitur? Si ediſſet adipem, & iterum adipem ejusdem ſpeciei in duabus ignorantiis, aut duarum ſpecierum in una ignorantia, tenetur duobus ſacrificiis pro peccato; ſi adipem & ſanguinem tam in una ignorantia, quam in duabus ignorantiis, tenetur duobus ſacrificiis pro peccato. Si ſit pœna lapidationis bis pro uno peccato in duabus ignorantiis, aut pro duobus peccatis in una ignorantia, tenetur duobus ſacrificiis pro peccato; ſi pœna lapidationis & combuſtionis, tam in una ignorantia, quam in duabus ignorantiis, tenetur duobus ſacrificiis; *quod Domini lege prohibetur*, & non præceptum Regis, & non præceptum Senatus. Præcepta quæ dicta ſunt in Sacerdote uncto, & præcepta quæ dicta ſunt in congregatione, ſunt eadem, quæ hic dicuntur, *unum e pluribus quod Domini lege prohibetur*; & non omnia præcepta Domini, excludit auditum vocis, & pronunciationem labiorum, & immunditiem Sanctuarii & rerum ſanctarum; *per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur*; nos docet, quod afferebat propter ſolum errorem actionis; *& peccaverit*; nos docet, quod offerebat ſacrificium pro reatu dubio. Id probo argumento. Si idiota, qui non afferebat ſacrificium ex animantibus maſculis, afferebat ſacrificium pro reatu dubio, Princeps qui afferebat ſacrificium ex animantibus maſculis, cum ei innotuiſſet peccatum ſuum, non debebit afferre ſacrificium pro reatu dubio? Sacerdos unctus contra probet, qui afferebat ſacrificium ex animantibus maſculis, cum ei innotuiſſet peccatum ſuum, & non afferebat ſacrificium pro reatu dubio. Ne mireris de Principe, quod quamvis afferat, cum ei innoteſcat peccatum ſuum, animantem marem, non afferat ſacrificium pro reatu dubio, ideo dicit; *& peccaverit*; nos docet, quod afferret ſacrificium pro reatu dubio. Aliud argumentum: idiota exiit e genere congregationis, & Princeps exiit e genere congregationis; ſicuti idiota affert ſacrificium pro reatu dubio, etiam Princeps afferet ſacrificium pro reatu dubio. Sed potes argumentari alio modo: Sacerdos unctus exiit e genere congregationis, & Princeps exiit e genere congregationis; quemadmodum Sacerdos unctus non affert ſacrificium pro reatu dubio, ita Princeps non afferet ſacrificium pro reatu dubio. Sed videamus, cui ſit ſimilior. Deducendus eſt ille, qui affert pro ſolo errore actionis, ab eo, qui affert pro ſolo errore actionis, & non probabit Sacerdos unctus, qui non afferebat pro ſolo errore actionis. Sed potes argumentari alio modo: deducendus eſt ille, qui affert, cum ei innoteſcat peccatum; animantem marem, ab eo, qui affert, cum ei innoteſcat peccatum, in ſacrificium animantem marem, & non probabit idiota, qui non afferebat, cum ei innotuerat peccatum, animantem marem, ideo dicit, *& peccaverit*, nos docet, quod afferebat ſacrificium pro peccato dubio. *Et poſtea intellexerit peccatum ſuum*; non quod alii ei indicaverint, ego non excludam, niſi quod ei ancilla indicaverit, unde probo, ſi mulier indicaverit? excludam, ſi mulier indicaverit, quia non eſt legitima ad teſtificandum, unde probabo, quod indicaverint conſanguinei? excludam conſanguineos, qui non ſunt legitimi pro eo ad teſtificandum; unde probabo, ſi indicaſſet unus teſtis? excludam unum teſtem, qui eum non poteſt obligare niſi ad jusjurandum; unde probabo, ſi duo indicaſſent? ex eo quod dicit; *& poſtea intellexerit peccatum ſuum*, non quod alii ei indicaverint. Poſſem credere, etiamſi cum iis non contradiceret? ideo dicit; *& poſtea intellexerit peccatum ſuum*; includam, quando duo ei dixerint, qui etiam illum ad mortem poſſunt adducere; unde probabo etiam pro uno teſte, qui ei diceret; includam unum teſtem, qui eum ad jusjurandum obligare poteſt; unde probabo ad includendum ejus conſanguineos? includam, ſi ei dixerint conſanguinei, qui poſſunt pro aliis teſtificari; unde probabo, etiamſi ſi ei dixerit mulier etiamſi ſi ancilla dixerit? ideo dicit; *& poſtea intellexerit peccatum ſuum*. *Offeret hoſtiam* Dixit R. Meyr, ſi duo poſſunt eum adducere ad mortem, quod eſt grave, non debebunt eum adducere ad ſacrificium, quod eſt leve? ei dixit R. Simeon; ſi dixerit, ego ex propoſito peccavi, liber eſt (*a ſacrificio*) R. Meyr dicit; ſi dixiſſet ab initio, ego ex propoſito peccavi, ei fides habetur, ſed ſi tota die cum iis diſputaret, & tandem dicit, ego ex propoſito peccavi, non auſcultatur. Huic ſimile dicit R. Meyr; ſi ei dixiſſent, es Naziræus; tacite mecum pactus eram, ſed ſi tota die contradiceret, & tandem fateretur, quod ſecum tacite pactus eſſet, non auſcultatur. *Peccatum ſuum*. Quid dicendum id erat? unde probas, ſi cum eo domi uxor menſtrualis, & ſoror fuerint, & cum earum altera errorem commiſerit, & neſciret, cum qua errorem commiſerit. Si fuerit Sabbathum, & dies Expiationis, feceritque opus in crepuſculis veſperis alterius eorum, & neſciret, in quo opus fecerit; ſi fuerit adeps & reſiduum coram eo, & edit ex eorum altero, & neſciat, quodnam ex illis ederit. R. Elieſer eum obligat ad ſacrificium pro peccato, & Jehoſua abſolvit. Propoſuit R. Elieſer hoc dilemma: ſi per errorem congreſſus ſit cum uxore, tenetur, ſi per errorem cum ſorore congreſſus ſit, tenetur; ſi profanaverit Sabbathum, tenetur, ſi diem expiationum, tenetur, ſi edit adipem, tenetur; ſi edit reſiduum tenetur. Ei reſpondit R. Jehoſua; *& poſtea intellexerit paccatum ſuum*. nos docet, quod non teneatur, niſi præciſe intellexerit peccatum ſuum. Dixit R. Joſe; non diſſenſerunt ſuper eo, qui opus faciat; omnes enim conſentiunt, quod abſolvatur, quando ego poſſim dicere, quod partem operis fecerit hodie, & partem cras; ſed diſputatio oritur inter eos ſuper illo, qui in ipſo die opus faciat, & neſciat, an opus fecerit in Sabbatho, an in die expiationum; aut ſuper illo, qui facit opus, & neſcit, cujuſnam generis opus fecerit; R. Elieſer eum obligat ad ſacrificium pro peccato, R. Jehoſua abſolvit; R. Jehuda dicit; R. Jehoſua eum etiam abſolvebat a ſacrificio pro reatu dubio. R. Iſmael, & R. Simeon Scheſuræus dicunt non diſſenſerunt ſuper re, quæ eſt ejuſdem tituli, quin reus ſit; ſuper qua re igitur diſſenſere? ſuper re, quæ eſt duorum titulorum; nam R. Elieſer eum obligat ad ſacrificium pro peccato, & R. Jehoſua abſolvit; & R. Jehuda dicit, etiam in re, quæ eſt unius tituli, R. Jehoſua abſolvit. Quo pacto hoc intelligitur? Si ei eſſent duæ uxores menſtruales, & duæ ſorores domi; & intenderit cum altera congredi, & cum altera congreſſus ſit; *Si eſſent* fici & uvæ coram eo, & intendit colligere ficos, & colligit uvas, uvas, & colligit ficos, nigras, & colligit albas, albas, & colligit nigras. R. Elieſer eum obligat ad ſacrificium pro peccato, & R. Jehoſua abſolvit. Miror ego, ſi in hujuſmodi caſu eum abſolvat R. Jehoſua, ſi ita eſt igitur, cur dictum eſt, *peccatum ſuum?* excludit eum, qui (opus faciens) ad aliud animum intenderet. *Afferet*, etiam poſt diem expiationum, *hoſtiam ſuam*, hoſtia ſua abſolvitur, non vero hoſtia ſui patris abſolvitur. Poſſem dicere, quod non abſolveretur hoſtia patris ſui, quam pro peccato levi in peccatum grave ſeparaſſet, & pro peccato gravi in peccatum leve, ſed quod poſſet abſolvi hoſtia patris, quam ſeparaſſet pro peccato levi in peccatum leve, & pro peccato gravi in peccatum grave; ideo dicit, *hoſtiam ſuam*; ſua hoſtia abſolvitur, non vero hoſtia ſui patris abſolvitur. Poſſem credere, quod non abſolveretur hoſtia ſui patris ex pecore, quam ſeparaſſet pro peccato levi in peccatum grave, & pro gravi in leve, & pro gravi in grave, & pro levi in leve; quia pariter non poterat ſe radere beſtia voti Naziræatus ſui patris, ſed quod abſolveretur hoſtia ſui patris pecunia, quam ſeparaſſet a peccato levi ad grave, a gravi ad leve, a levi ad leve, a gravi ad grave, quia pariter poterat ſe radere pecunia ſui patris tum cum eſſet inexplicata, non vero cum explicata eſſet; ideo dicit, *hoſtiam ſuam*, hoſtia ſua abſolvitur, non vero hoſtia patris abſolvitur. Poſſem dicere, quod non abſolveretur hoſtia ſui patris, ſed alia hoſtia ſui ipſius abſolveretur; ideo dicit *hoſtiam ſuam*, donec ſit ejus ſacrificium titulo ſacrificii pro peccato. Poſſem dicere, quod abſolveretur ſacrificio ſui ipſius, beſtia, quam ſeparaſſet a peccato levi pro peccato gravi, & a gravi pro levi, & a gravi pro gravi, & a levi pro levi; quia pariter ſi eam ſeparaſſet, quod ediſſet adipem, & afferret pro ſanguine, aut pro ſanguine, & afferret pro adipe, hoc eum non obligat ad ſacrificium prævaricationis, neque pro eo expiat; ſed quod abſolveretur ſacrificio ſui ipſius, pecunia, quam ſeparaſſet a peccato levi pro gravi, & a gravi pro levi, & a gravi pro gravi, & a levi pro levi; quia pariter ſi ſeparaſſet pro adipe, & attuliſſet

pro

pro ſanguine, & pro ſanguine, & attuliſſet pro adipe, teneatur ſacrificio prævaricationis, & expiet; ideo dicit; *hoſtiam ſuam*, hoſtiam pro peccato ſuo, donec ſit ejus ſacrificium tituli ſacrificii pro peccato. *Hircum*, & non hircum caprarum, nec commutationem. Erat argumentum in contrarium; ſi privati, cujus ſacrificium pro omnibus præceptis non eſt æquale ejus ſacrificio diei expiationum, eſt æquale ſacrificium pro omnibus præceptis ejus ſacrificio pro præcepto particulari (*Idolatriæ*); Principis, cujus ſacrificium pro omnibus præceptis eſt æquale ejus ſacrificio diei expiationum, non debebit eſſe æquale ſacrificium pro omnibus præceptis ejus ſacrificio præcepti particularis? Sacerdos unctus contra probet, cujus eſt æquale ſacrificium ſacrificio diei expiationum; & non eſt æquale ejus ſacrificium pro omnibus præceptis ſacrificio præcepti particularis. Non probat; quod ſi dixiſti in Sacerdote uncto, qui neutram affert ex ovibus, dices de Principe, qui utrumque ex ovibus affert? Igitur quoniam utrumque affert ex ovibus, erit æquale ejus ſacrificium pro omnibus præceptis ſacrificio præcepti particularis; ideo dicit, *hircum*, & non hircum caprarum, nec commutationem; *maſculum*, & non fœminam, *immaculatum*, & non vitiatum. *Ponetque manum ſuam ſuper caput ejus*, ad includendum hircum Nachſcionis ad impoſitionem manuum, verba R. Jehudæ. R. Simeon dicit ad includendos hircos pro Idolatria adimpoſitionem manuum. R. Simeon dicit, omne ſacrificium, cujus ſanguis inferebatur, tenebatur impoſitione manuum. *Cumque immolaverit eum*, & non quod ei ſubſtitutum eſt. Quando poſtea dicit *cumque mactaverit eum*, & non ejus commutationem, nec ejus partum, nec quod ei ſubſtitutum eſt; Hinc dicit R. Simeon; quinque ſacrificia pro peccato moriebantur, partus ſacrificii pro peccato, & quod ſacrificio pro peccato ſubſtitutum eſt, ſacrificium pro peccato, cujus domini mortui, aut expiati eſſent, aut cujus præterierit annus. Tu non potes dicere partum ſacrificiorum pro peccato pro cœtu, quia cœtus non offerebat fœminam, nec commutationem ſacrificii pro peccato in cœtu, quia non commutabat, nec ſacrificium, cujus mortui eſſent domini, quia cœtus non moritur, quod expiati ſint domini, & quod præterierit annus; poſſem credere, quod mori deberent etiam pro cœtu; dixiſti? dicere non potes, res ignotæ a cognitis cognoſcendæ ſunt, ſicuti partus ſacrificii, & id quod ſacrificio ſubſtitutum eſt, & ſacrificium, cujus mortui eſſent domini, loquuntur de privato, & non de cœtu, etiam caſus, quod ſi expiati eſſent, & præterierit annus, loquitur de privato, & non de cœtu. *Cumque immolaverit eum in loco, ubi ſolet mactari holocauſtum*. Ubinam mactabatur holocauſtum? in plaga ſeptentrionali, etiam hoc in plaga ſeptentrionali. Itane? Ex hoccine loco diſco? nonne dictum eſt: *in loco quo mactabitur holocauſtum, mactabitur hoſtia pro peccato*? cur exiit igitur? ad obligandum, quod ſi non mactaretur in plaga ſeptentrionali, eſſet reprobum. Tu dicis, quod hac de cauſa exierit; aut ego dicam, quod exierit ad nos docendos, quod nullum aliud niſi hoc ad ſeptentrionem obligaretur; ideo dicit, *in loco ubi ſolet mactari*. Hic habemus pro iſto; pro reliquis omnibus ſacrificiis unde probatur? ex eo quod dicit: *cumque immolaverit eum in loco, ubi ſolet mactari holocauſtum*, ad includendum reliqua ſacrificia pro peccato, quod non eſſent mactanda niſi in ſeptentrione. Aut ego dicam, quod non includat niſi ſui ſimilia, ſicuti hoc eſt ſacrificium particulare pro peccato, maſculum, fixum, expians, & offerebatur ex genere ovium, & adducebatur pro peccato cognito, ita ego non includam niſi ſacrificia ſimilia, & quænam includam? Hircos Idolatriæ, qui ſunt ſacrificia pro peccato, maſcula, fixa, & expiantia, & afferebantur ex ovibus, & adducebantur pro peccato cognito. Aut includam juvencos qui comburebantur, qui erant ſacrificia pro peccato, maſcula, fixa, expiantia, & adducebantur pro peccato cognito, quamvis non afferrentur ex genere ovium; aut includam hircos ſolennitatum, qui erant ſacrificia pro peccato, maſcula, fixa, expiantia; & afferebantur ex ovibus, quamvis non offerrentur pro peccato cognito. Probatum eſt, quod hæc omnia ſint includenda. Quando autem dicit, *cumque immolaverit*, includit ſacrificium pro peccato Idolatriæ, quod erat ſacrificium pro peccato fixum, expians, & ex genere ovium, & adducebatur pro peccato cognito, ſed non erat maſculum, aut hircum diei expiationum, qui erat ſacrificium pro peccato maſculum, fixum, expians, & adducebatur ex ovibus, ſed non erat pro peccato cognito; Verumtamen probabile eſt, quod utraque includantur. Quando vero dicit; *cumque immolaverit*, eſt ad includendum ſacrificium pro peccato illius, qui polluerat Sanctuarium, quod erat ſacrificium pro peccato expians, & adducebatur ex ovibus, & offerebatur pro peccato cognito, ſed non erat maſculum, nec fixum; aut includam ſacrificium Naziræi, quod erat ſacrificium pro peccato fixum, & expians, & afferebatur ex ovibus, ſed non erat maſculum, nec adducebatur pro peccato cognito; probabile eſt, quod utraque includantur, quando iterum dicit, *cumque immolaverit*, ad includendum ſacrificium pro peccato leproſi, quod non eſt fixum, ſed expians, ſed cum incluſerimus ſimilia, & diſſimilia, cur hoc loci igitur exiit? ad obligandum, quod ſi non mactaſſet in ſeptentrione, ſit reprobum. Poſſem credere; quod ſi hoc unum non eſſet mactatum in ſeptentrione, eſſet reprobum, ſed reliqua omnia ſacrificia pro peccato, præceptum præciſum eſſet, ut in ſeptentrione mactarentur, ſed ſi non mactaſſet in ſeptentrione, legitima eſſent; ideo dicit; *& mactabit ſacrificium pro peccato in loco ubi ſolet mactari holocauſtum*; principii conſtitutio pro omnibus ſacrificiis pro peccato, quod ſi non in ſeptentrione mactarentur, ſint reproba. *Quia pro peccato eſt*, ut fiant omnes ejus operationes titulo ſacrificii pro peccato, *ille*, ad excludendum, quando alio titulo mactaſſet. *Tinget ſacerdos digitum in ſanguine hoſtiæ pro peccato*, ut accipiat ſanguinem dextra, *digitum tinget*, ut aſpergat ſanguinem dextra. R. Simeon dicit; exprimitur ne in eo manus? Quoniam igitur in eo non exprimitur manus, ſi ſiniſtra accepiſſet erit legitimum; *tangens cornua altaris holocauſti*, & non cornua altaris interioris; erat argumentum in contrarium: Sacerdos unctus exiit a genere idiotæ, & Princeps etiam exiit a genere idiotæ, ſicut ſanguis ſacrificii Sacerdotis uncti inferebatur, etiam Principis ſacrificium inferri debebit; idcirco dicit: *tangens cornua altaris holocauſti*, & non cornua altaris interioris. *Et reliquum ſanguinem fundens ad baſim ejus*, & non ad baſim altaris interioris, ad baſim altaris holocauſti, aſſignat baſim altari holocauſti. Dicit R.Imael; ſi reliquiæ ſacrificii pro peccato, quæ non erant expiantes prius effundebantur, holocauſtum, quod erat expians, non effundendum erit ſuper baſim. Dicit R. Akiba, ſi reliquiæ ſacrificii pro peccato, quæ ſunt expiantes, prius effundebantur ſuper baſim altaris, holocauſtum, quod erat expians, & decens ad expiandum, non effundendum erit ſuper baſim? ſi ita eſt, cur dictum eſt: *in baſim altaris holocauſti*, ut ſit baſis in altari holocauſti; *in baſim altaris holocauſti in introitu tabernaculi*; hæc eſt baſis meridionalis. Poſſem credere, quod eſſet baſis occidentalis, dixiſti? minime. Invenimus, quod in ejus egreſſu a templo non effundebat ſanguines niſi in baſim illi propinquiorem, ita in ejus deſcenſu ab altari non effundebat ſanguines niſi in baſim ipſi propinquiorem; quænam erat iſta? hæc erat baſis meridionalis. *Adipem vero adolebit ſupra, ſicut in victimis pacificorum fieri ſolet*, ſicuti explicatum eſt in adipe ſacrificii pacificorum, quod ſit adeps ſeparatus, opertus pellicula, & decorticetur, duo renes, & reticulum; etiam hoc loci, quod adeps ſit ſeparatus, cum pellicula, & decorticetur, & duo renes, & reticulum; *rogabitque pro eo*, ut ejus nomine expiatio ſit, ut non expiet pro duobus eodem tempore; & Sacerdos pro ſe ipſo expiet; *& dimittetur ei*, nihil ei reliquum erat pro die expiationum; poſſem etiam credere, etiamſi non adduceret, idcirco dicit *pro eo*.

43 *Si privatus peccaverat &c. Siphra ibidem. Quod peccaverit anima per ignorantiam de populo terræ ut faciat quidquam*; hæ ſunt excluſiones, qui ſua opinione facit, & qui facit Senatus doctrina *adductus*. Quomodo hoc intelligitur? Si docerent Synhedri ad prævaricandum quodvis ex præceptis in Lege deſcriptis & iret idiota, & per ignorantiam ejus dicto faceret, ſive ipſi facerent, & cum ipſis ille faceret, ſive ipſi facerent, & ille poſt eos faceret, ſive ipſi non facerent, & ille faceret, poſſem credere, quod teneretur; ideo dicit; *Quod ſi peccaverit anima per ignorantiam .... ut faciat quidquam*; hæ ſunt excluſiones,

nes, qui sua opinione facit, tenetur, at non is, qui facit Senatus doctrina *adductus*. Et R. Simeon dicit; si Synhedri docerent, & cognoscerent errorem suum, eosque pœniteret, sive adduxerint, sive non adduxerint eorum expiationem, & iret idiota, & eorum dicto opus faceret, liber est; & R. Meyr eum obligat. Et R. Eliefer dicit, dubium est; & Soncos dicit, dubium est ejus opus; si sua opinione facit, tenetur, si senatus sententia, liber est; quo pacto est id? Si Synedri docerent, & unus ex iis cognosceret errorem suum, aut coram iis esset discipulus eruditus, qui docere posset, veluti Simeon filius Azai, & iste iret, & eorum dicto faceret, possem credere, quod liber esset; ideo dicit: *ut faciat quidquam*, qui sua opinione facit, tenetur. Tu dicis, quod hac de causa istæ exclusiones dicuntur: *Quod si peccaverit anima .... ut faciat quidquam*. Aut ego dicam, si unus fecisset, tenetur, duo aut tres, qui fecissent, liberi sunt; ideo dicit, *de populo terræ*; etiamsi multi essent. Ego quoque dicam; minor pars congregationis, quæ faceret, tenetur, quia magistratus non affert pro illis juvencum, sed major pars congregationis, quæ fecisset, libera est, quia judices Synhedrii afferunt pro iis juvencum; ideo dicit *de populo terræ*, etiamsi major pars, etiamsi omnes. *De populo terræ*, excludit principem, *de populo terræ*, excludit Sacerdotem unctum; fortasse dicis, jam exiit Sacerdos unctus, quod juvenco teneatur, & principes hirco; quod poteram dicere, quod propter ignorantiam præcepti actionis debeat afferre juvencum, & propter errorem solius actionis debeat afferre agnam aut capram; idcirco dicit *de populo terræ*, excludit principem, *de populo terræ*, excludit Sacerdotem unctum *de populo terræ*, excludit apostatam. R. Simeon filius Jose dicit nomine R. Simeonis; quid id dicendum erat, *per ignorantiam, ut quidquam faciat*? Qui peccatum cognoscens non facit, tenetur sacrificio, si per ignorantiam fecerit; excluditur apostata, qui peccatum cognoscens, faciet. *Ut faciat quidquam;* qui sua opinione facit, tenetur, qui sententia Senatus facit, liber est, si unus ex iis errorem cognosceret, aut coram eis esset discipulus eruditus, qui docere posset, veluti Simeon filius Azai, & iret, & eorum dicto faceret, possem credere, quod liber esset; ideo dicit: *ut faciat quidquam* qui sua opinione facit, tenetur, qui Senatus sententia facit, non tenetur *ut faciat quidquam*, qui facit totum opus, & non qui partem facit; quomodo hoc intelligitur? duo qui furcillam caperent, & colligerent, baculum, & excuterent, calamum, & scriberent, cannam, & in locum publicum offerrent, possem credere, quod tenerentur; ideo dicit; *ut faciat quidpiam*; qui totum opus facit, tenetur, & non qui partem facit. Si ficuum patinam, & in locum publicum educerent, tignum, & in locum publicum efferrent, R. Jehuda dicit, si unus efferre non potest, & duo efferrent, ambo tenentur. R. Simeon dicit, quamvis unus non possit educere, & duo efferrent, liberi sunt, idcirco dicit: *ut faciat quidquam*; unus qui fecisset, tenetur, duo, aut tres, qui fecissent, liberi sunt. *De his quæ Domini Lege prohibentur*; non Regis lege, non lege Senatus. Præcepta, quæ præscripta sunt in Sacerdote uncto, & in cœtu, & in Principe sunt eadem, quæ hic commemorantur. *De his quæ Domini Lege prohibentur;* non omnia, quæ Domini Lege prohibentur; excludit auditum vocis, & labiorum pronunciationem, & immunditiem Sanctuarii, & rerum sanctarum; *quæ Domini lege prohibentur; atque delinquunt*, nos docet, quod afferret sacrificium pro reatu dubio. *Et cognoverit peccatum suum;* non quod alii indicent; possem etiam dicere, quamvis ille non negaret; ideo dicit; *& cognoverit peccatum suum*, offeret. *Offeret capram immaculatam;* unde probatur, quod esse deberet annicula? argumento. Iste afferebat sacrificium pro peccato, & leprosus afferebat sacrificium pro peccato; sicuti leprosus afferebat anniculam, etiam iste anniculam. Non valet argumentum. Quod si dixisti in leproso, libaminibus tenebatur, id dices in hac, quæ libaminibus non tenebatur. Sacrificium Naziræi probet, quod libaminibus non tenebatur, & anniculum esse debebat; minime. Quod si dicis in sacrificio pro peccato Naziræi, quod secum habet alios sanguines, dices in hoc, quod alios sanguines secum non habet? Probet sacrificium pro peccato Idolatriæ, quod non habet secum alios sanguines, & erat anniculum. Minime; si dixisti in sacrificio pro peccato Idolatriæ, erat fixum, id dices in hoc, quod non est fixum? quoniam igitur non est fixum, non erit necesse, ut sit anniculum, idcirco dicit; *una lex erit omnium, qui peccaverint ignorantes. Num. XV. 29.* Igitur qui ignorans facit est similis Idolatriæ; sicuti sacrificium pro peccato Idolatriæ debebat esse anniculum, etiam hoc debebat esse anniculum; aut ego dicam, quemadmodum sacrificium pro peccato Idolatriæ, quod esset capra, etiam hoc, quod esset capra, quando dicit, *erit* ad includendum hircos solennitatum, *omnium* ad includendum hircos Idolatriæ, *qui peccaverint* ad includendum hircum Principis. *Ponetque manum super caput hostiæ quæ pro peccato est*, ad includendum sacrificium pro peccato Idolatriæ ad manuum impositionem; *& immolabit eam in loco holocausti*; ne mactetur nisi in plaga septentrionali; *in loco holocausti, tolletque*, ne debeat tollere sanguinem nisi in plaga aquilonari. Hinc dixerunt, si mactasset in septentrione, & excepisset sanguinem in meridie, aut mactasset in meridie, & excepisset in septentrione, facit reprobum (*sacrificium*,) donec mactet in septentrione, & excipiat in septentrione. *Reliquum fundet*. Et supra dicit, *& reliquum sanguinem fundens*; si sacrificii pro peccato sanguinem quatuor poculis excepisset, & ex hoc unam *aspersionem* dedisset, & ex hoc unam, & ex hoc unam, unde probatur, omnes in basim fuisse effundendos? ex eo quod dicit: *reliquum fundet*. Unde probatur, etiamsi non aspersisset nisi ex uno illorum quatuor aspersiones, omnes in basim esse effundendos? ex eo quod dicit: *reliquum fundet*. Igitur quo pacto erat? In basim eum effundebat, iique in canalem defluebant. R. Eleaser filius R. Simeonis dicit; & unde probatur, etiamsi quatuor aspersiones non aspersisset nisi ex uno illorum, omnes in basim fuisse effundendos? ex eo quod dicit: *reliquum fundet*; Quo pacto igitur erat? in basim effundebat, iique in canalem defluebant. *Omnem autem adipem auferens, sicuti auferri solet de victimis pacificorum;* Quid explicavit in sacrificio pacificorum? adipem separatum cum pellicula, & qui decorticatur, etiam hoc loci separatum cum pellicula, & qui decorticatur, *rogabitque pro eo*, ut ejus nomine sit expiatio, ne expiet pro duobus eodem tempore, *& dimittetur ei;* nihil ei sit reliquum pro die expiationum; aut possem dicere, etiamsi non adduceret; ideo dicit; *ei*. *Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ovem scilicet immaculatam*. R. Simeon dicit, agni semper antecedunt capras, possem credere, quod iis perfectiores essent; ideo dicit; *Sin autem .... obtulerit victimam pro peccato, scilicet ovem immaculatam*, nos docet, quod ambæ sint ejusdem æstimationis. Turtures præcedunt columbis in quolibet loco, possem credere, quod iis perfectiores essent? ideo dicit: *& pullum columbæ, sive turturem pro peccato;* Levit. XII. 6. docemur, quod ambo sint ejusdem æstimationis. Pater præcedit matrem in quolibet loco; num forte præterea, quod honor patris excedat honorem matris? ideo dicit: *unusquisque matrem suam, & patrem suum timeat*; docemur, quod uterque sit ejusdem æstimationis; sed dixerunt Sapientes, quod pater præcedat matrem in quovis loco; quia ipse (filius) & mater ejus obligantur ad honorem patris. Quid dicendum erat? *obtulerit: obtulerit*? unde probas, quod ille, qui separasset sacrificium pro suo peccato, & amisisset, & alius ejus loco separasset, & postea primum inventum esset, & ambo illic adessent, unde probatur, quod utrum voluerit, possit offerre? ex eo quod dicit: *obtulerit, obtulerit*; possem credere, quod utrumque adducere deberet; idcirco dicit: *sin autem ...... obtulerit victimam*, unam offert, non duas. Possem credere, quod pro duobus peccatis non deberet offerre, sed ambas pro uno peccato offerre deberet; idcirco dicit: *obtulerit victimam*, unam offert, non duas offert. *Ponet manum suam super caput ejus*, ad includendum sacrificium pro peccato Naziræi, & sacrificium pro peccato leprosi, & sacrificium pro peccato illius, qui polluerat Sanctuarium ad impositionem manuum; *& mactabit eam*, ut mactare debeat titulo sacrificii pro peccato; *sumetque Sacerdos de sanguine ejus*, ut debeat sumere ejus sanguinem titulo sacrificii pro peccato; *rogabitque pro eo, & pro peccato ejus*; ut expiatio sit titulo peccati. Hinc dixerunt; si mactas-

set

ſet alio titulo, ſi alio titulo excepiſſet, ſi alio titulo adduxiſſet, ſi alio titulo aſperſiſſet, eſt illegitimum. *Omnem quoque adipem auferens, ſicut auferri ſolet adeps arietis, qui immolatur pro pacificis*; Et quid explicatum eſt in agno ſacrificii pacificorum? adeps ſeparatus, cum pellicula, & qui decorticatur, & duo renes, & cauda. *Rogabitque pro eo, rogabitque pro eo, rogabitque pro eo*; quid dicendum id erat? argumenti cauſa; quia ego dicere poteram; dicti ſunt ſanguines infra, & dicti ſunt ſanguines ſupra, quemadmodum ſanguines dictos infra ſi una aſperſione effudiſſet, expiabat, ita ſanguines dictos ſupra ſi una aſperſione effudiſſet, expiaret. Sed hoc modo argumentari poſſem; dicti ſunt ſanguines interiores, & dicti ſunt ſanguines exteriores, ſicuti ſi de ſanguinibus interioribus vel unam aſperſionem omiſiſſet, non expiabat, ita de ſanguinibus exterioribus ſi vel unam aſperſionem omiſiſſet, non expiabat. Videamus cui ſit ſimile. Explicandi ſunt ſanguines, qui exterius aſperguntur, & non probabunt ſanguines, qui interius aſperguntur? an forte hac parte comparare non potes? Explicandus eſt ſanguis ſacrificii pro peccato ſuper cornua a ſanguine ſacrificii pro peccato ſuper cornua, nec probabunt inferiores, quorum in ſacrificio pro pecato ſanguis ſuper cornua non aſpergebatur; idcirco dicit, *rogabitque pro eo*, etiamſi ter tantum aſperſiſſet; *rogabitque pro eo*, quamvis bis tantum aſperſiſſet; *rogabitque pro eo*, etiamſi ſemel tantum aſperſiſſet.

4 *Quicqud ſangnine &c. Toſaphta Sevachim cap. X.* 11. Tam ſacrificium pro peccato exterius, quam ſacrificium pro peccato interius obligat ad lotionem veſtium, juxta verſiculum qui dicit: *legitimum ac ſempiternum erit in generationibus veſtris de ſacrificiis Domini*. Levit. VI. 18. Sacrificii pro peccato volucris ſanguis non obligat ad lotionem veſtium; ſacrificii pro peccato reprobi ſanguis non obligat ad lotionem veſtium, ſi tempore aliquo fuiſſet legitimum, & deinde repobum factum eſt, ejus ſanguis obligat ad lotionem veſtium, verba R. Jacobi. R. Simeon dicit, quamvis aliquo tempore fuerit legitimum, & poſtea reprobum factum ſit, ejus ſanguis non obligat ad lotionem veſtium. Si ſuper cornu effudiſſet, & ſuper clivum, & ſuper baſim, non amplius pro eo tenetur, ſi ſua manu effudiſſet, dum ſpargeret ſuper vas, tollere poteſt, & purum eſt; ſi effudiſſet ſuper pellem, priuſquam decorticaſſet, lotione non tenetur, poſteaquam decorticaverit, lotione tenetur, verba R. Jehudæ. R. Eleaſer dicit, etiam poſtquam decorticaverit, lotione non tenetur, niſi in loco ſanguinis; quod poteſt immundari, lotione tenetur. Ubinam lavandum eſt? interius, ſi foris eductum eſſet, inferet, & interius lavabit. *Siphra ad cap. VI. 27. Levitici. Si de ſanguine illius veſtis fuerit aſperſa*, de ſanguine legitimi, & non reprobi. R. Akiba dicit ſiquo tempore fuiſſet legitimum, & poſtea reprobum factum eſſet, ejus ſanguis obligat ad lotionem. Sed quando nullo tempore fuit legitimum, & reprobum factum ſit, non obligat ad lotionem; & R. Simeon dicit, quamvis aliquo tempore fuerit legitimum, & reprobum factum fuerit, ejus ſanguis non obligat ad lotionem, *de ſanguine illius*, & non de ſanguine ſanctiſſimorum. Argumentor; ſi ſacrificia pro peccato interiora, quæ non ſunt æqualia exterioribus in exterſione, & immerſione, ſunt iis æqualia in lotione (veſtium); ſanctitates ſanctitatum, quæ ſunt æquales ſacrificiis pro peccato exterioribus, in deterſione, & immerſione (vaſorum), non debebunt iis æquales eſſe in lotione (veſtium)? Idcirco dicit, *de ſanguine illius, de ſanguine illius*, & non de juſculo illius. Argumentor; ſi ſanguis qui non obligat ad deterſionem, & immerſionem (vaſorum), obligat ad lotionem (veſtium), juſculum, quod obligat ad deterſionem, & immerſionem (vaſorum), non obligabit ad lotionem veſtium? ideo dicit *de ſanguine illius*, & non de juſculo illius. *Veſtis*, ſi veſtis pars ſanguine aſperſa eſſet, poſſem putare, quod tota veſtis lavanda eſſet? ideo dicit, *veſtis fuerit aſperſa, lavabitur*, locus *veſtis ſanguine* aſperſus erit lavandus, & non tota veſtis obligatur ad lotionem. Si de ſanguine colli aſperſa eſſet veſtis, credere poſſem, quod eſſet lavanda; ideo dicit: *ſi de ſanguine illius veſtis fuerit aſperſa, lavabitur in loco ſancto*, e loco, qui idoneus eſt ad aſpergendum, obligat ad lotionem, ſed ille, qui non eſt legitimus ad faciendas aſperſiones, non obligat ad lotionem; ſi ei *veſtis* aſperſa eſſet ex aſpergentis manu, priuſquam aſperſiones faceret, obligatur ad lotionem, ſi, poſtquam aſperſiones feciſſet, non obligatur ad lotionem, ſi e vaſi ſuper pavimentum effuſus eſſet, & collegiſſet, obligat ad lotionem, e collo animantis, non obligat ad lotionem, e cornu, & baſi non obligat ad lotionem. *Veſtis* non habeo niſi veſtem; unde probo ad includendam etiam pellem poſtquam eadem detracta ſit? ex eo quod dicit: *fuerit aſperſa, lavabitur*; poſſem etiam includere pellem, priuſquam detracta ſit? ideo dicit *veſtis*, ſicuti veſtis, apta eſt ad recipiendam immunditiem, etiam reliqua omnia idonea ad recipiendam immunditiem, verba R. Jehudæ. R. Eleaſer, dicit, *veſtis*; non habeo niſi veſtem; unde probo ad includendum omnia, quæ immunditiem recipere poſſint? ex eo quod dicit: *fuerit aſperſa, lavabitur*. Sicuti veſtis idonea eſt ad recipiendam immunditiem, & lavari poteſt, ita etiam omnia, quæ recipere poſſunt immunditiem; excluditur ea res, quæ non poteſt recipere immunditiem, neque lavari poteſt; *lavabitur in loco ſancto*; docemur, quod lotio in loco ſancto fieret. Quomodo eſt igitur? Veſtis, quæ extra cortinas educta eſſet, reducenda eſt, & lavanda in loco ſancto; non probo niſi pro lotione in loco ſancto; unde probo pro frangendis vaſis teſtaceis in loco ſancto? ex eo quod dicit: *lavabitur in loco ſancto, vas autem fictile . . . . . confringetur*. Hinc dixerunt; veſtis, quæ extra cortinas educta eſſet, reducenda eſt, & lavanda in loco ſancto; ſi polluta eſſet extra cortinas, laceranda eſt, & reducenda, & lavanda in loco ſancto. Vas fictile, quod extra cortinas elatum eſſet, reducendum eſt, & frangendum in loco ſancto, ſi extra cortinas pollutum eſſet, perforandum eſt, & referendum, & frangendum in loco ſancto. Vas æneum, quod extra cortinas elatum eſſet, referendum eſt, & detergendum, & lavandum eſt in loco ſancto. *Vide Maimonidem de ratione ſacrificiorum faciendorum. cap. VIII.*

5 *Vas teſtaceum &c. Toſaphta Sevachim ibidem.* R. Simeon dicit, ſanctitates leves non obligant ad defricanda, & lavanda vaſa cum immerſione, ſed obligant ad ſimplicem lotionem ſaporis gratia. Agni illegitimi non obligant ad defricationem & immerſionem. R. Jacob dicit, ſiquo tempore legitimi fuerint, & poſtea reprobi facti ſint, vaſa obligantur ad defricationem, & immerſionem. R. Simeon dicit, quamvis aliquo tempore legitimi fuerint, cum reprobi facti ſint, non obligant ad defricationem, & immerſionem, ſed ad lotionem tantum. Vaſa teſtacea ſervari non poſſunt, ſed frangenda ſunt; ubinam frangenda ſunt? intus, ſi elatum eſſet, referendum eſt, & interius frangendum. R. Tarphon dicit, ſi in eo coxiſſet a principio feſti, per totum feſtum in eo coquet, poſt feſtum non tenetur ad defricationem, & immerſionem. Dixit R. Nathan, non agit R. Tarphon niſi pro ſanctitatibus levibus; ubinam defricanda, & immergenda erant? intus, ſi elata eſſent, referenda ſunt, & intus detergentur, & immergentur. Quomodo defricabantur, & immergebantur? in loco, ubi comedebatur, defricanda, & immergenda erant, uſque ad tempus, quo edebatur, defricanda, & immergenda erant; ſi in eo coxiſſet ſanctitates ſanctitatum, defricandum, & immergendum eſt; ſanctitates leves, defricandum, & detergendum eſt pro ſanctitatibus levibus; ſanctitates ſanctitatum, & ſanctitates leves, defricandum, & immergendum, & in his tenebatur ratio ejus rei, quæ gravior erat; ſi immerſiſſet, & non defricaſſet, aut defricaſſet, & non immerſiſſet, in edendis tenebatur ratio ejus rei, quæ gravior erat. Gravius eſt jus in lotione, quam in defricatione, & immerſione, & in defricatione, & immerſione, quam in lotione; quod hæc obſervatur in ſacrificiis pro peccato interioribus, & obſervatur ante aſperſionem ſanguinum, quod non eſt in defricatione, & immerſione; & gravius eſt jus in defricatione & immerſione, quod defricatio, & immerſio obſervatur in ſanctitatibus ſanctitatum, & in ſanctitatibus levibus; ſi qua in parte vaſis decoctum eſſet, totum defricandum, & immergendum eſt, quod non obſervatur in lotione. *Siphra ibidem*; *vas autem fictile*; non probo niſi pro vaſi fictili; unde probo ad includendum vaſa terrea? ex eo quod dicit; *Vas autem fictile in quo cocta eſt, confringetur*; non habeo niſi quando in eo coxerit; ſi fervens in illud evacuaverit, unde probo? ex eo quod dicit, *in quo cocta*

cta

Eta est confringetur. Non habeo nisi pro vasi fictili, in quod fervens evacuavisset, vas æneum, in quod evacuavisset fervens unde probatur? ex eo quod dicit; *in quo cocta est, confringetur. Quod si vas æneum fuerit*; non habeo nisi pro vasi æneo; unde probo ad includendum cætera omnia metalla? ex eo quod dicit: *quod si vas æneum fuerit*, docemur, quod poterat semel, bis, ter coquere, & tum defricabat, & lavabat; non habeo nisi pro vasi æneo, in quo poterat semel, bis, ter coquere, & tum defricare, & lavare; unde probo pro vasi testaceo, in quo posset semel, bis, ter coquere, & tandem frangere? ex eo quod dicit: *confringetur, quod si vas æneum fuerit*. R. Tarphon dicit, si coxisset in eo in principio festi, per totum, festum in eo coquere potest: & sapientes dicunt usque ad tempus comestionis; defricabitur, & lavabitur aqua; defricabitur uti calix defricatur, & lavabitur, uti calix lavatur; aqua frigida defricatur, & lavatur; veru & craticula in aqua ferventi expurgabantur; *defricabitur & lavabitur aqua*; possem credere, quod sicuti lotio alibi dicta erat in quadraginta Satis aquarum, etiam hæc esset in quadraginta. Satis aquarum; ideo dicit *aqua* in quantalacumque aqua, *aqua* & non vino, *aqua* & non mixta, *aqua*, ad reddendam idoneam quamlibet speciem aquarum, eo magis labri aquam. Possem credere, quod etiam pro illegitimo defricandum, & lavandum esset; ideo dicit: *defricabitur & lavabitur aqua; omnis masculus de genere Sacerdotali vescetur de carnibus*; legitimum obligat ad defricandum, & lavandum. R. Jacob dicit; si quo tempore fuerit legitimum, & postea illegitimum factum fuerit, obligat ad defricandum & lavandum, & illud, quod nunquam fuerit legitimum, & postea reprobum factum fuerit, non obligat ad defricandum, & lavandum. R. Simeon dicit, quamvis aliquo tempore fuerit legitimum, & reprobum factum fuerit, non obligat ad detergendum, & lavandum; si in eo sancta & profana coxisset, sanctitates sanctitatum, & sanctitates leves, si in ipsis sit portio, quæ saporem præbeat, in comedendis tenebatur ejus rei ratio, quæ gravior erat, & obligant ad defricationem, & lotionem, & tactu profanantur.

46 *Victima cujus sanguis &c. Tosaphta Sevachim cap. XI.* 22. Juvenci qui comburebantur, & hirci qui comburebantur, quo tempore juxta eorum præceptum comburerentur, comburebantur in receptaculo cineris, & polluebant vestes; si non comburerentur juxta eorum præceptum, comburebantur in monte templi, nec polluebant vestes. *Tosaphta Joma cap. III.* 18. Juvenci comburendi, quamvis non polluebant vestes, polluebant cibos & liquores, verba R. Meyr, & Sapientes dicunt, caper emissarius non polluebat cibos & liquores, quia esset vivus, nec vivus polluit cibos & liquores; quando polluebant vestes? a quo muris atrii exibant, verba R. Meyr. R. Jehuda dicit, quando perveniebant ad locum combustionis. R. Simeon dicit, quando magna ex parte igni correpti essent. Quonam loco comburebantur? in receptaculo magno cineris extra Hierosolymam ad septentrionem Hierosolymæ, extra tria castra, & hastæ Sacerdotum extrinsecus prominebant propter turbam populi, ne progrederentur, & in ignem caderent; tam ille qui comburebat, quam qui combustionis tempore opem ferebat, immundabat vestes, sed qui struem disponit, & qui ignem accendit, vestes non polluebat. *Tosaphta Parah. VI.* 11. Qui comburit vaccam, & juvencos, & qui emittit hircum, polluunt vestes; vacca & juvenci, & hircus emissarius non polluunt vestes, sed polluunt cibos & liquores; & sapientes dicunt, vacca & juvenci qui comburebantur polluunt cibos, & liquores, sed hircus emissarius non polluit cibos & liquores. R. Simeon dicit, vacca polluit cibos, & liquores, quia habuit tempus licitum; juvenci qui comburebantur, & hirci qui comburebantur, non polluunt cibos & liquores, quia nunquam tempus licitum habuerunt. R. Jehuda dicit, vacca quando mactata est, polluit onere sicut ejus cinis. *Polluebant vestes, quia peccatis onustæ erant. Maimonides More Nevochim part. 3. cap.* 47. Vestes eorum, qui vaccæ rufæ, hircisque combustis operabantur, eadem de causa polluebantur, qua vestes ejus, qui hircum in deserta ducebat, qui quidem hircus ob multa, quæ ferebat peccata, id quod tangebat, contaminare solebat. R. Levi ben Gerson ad Levit. 16. Intelligas (inquit) oportet, eum, qui juvencum, & hircum extra castra comburendos afferebat, impurum factum esse, ejusdemque vestes pollutas fuisse, quippe cujus eadem ratio fuit atque ejus, qui hircum in deserta duxit. Enimvero combustæ illæ victimæ idcirco quia peccata portabant, extra castra cremabantur, quemadmodum etiam & hircus iste, propterea quod peccata portabat, procul castris educebatur.

47 *Aberat quoque &c. Codex Menachoth cap. V.* 3. 4. Nonnulla requirunt oleum & thus, oleum & non thus, thus & non oleum, neque oleum neque thus. Nonnulla oleum & thus requirunt, ut munus similaginis, sartaginis, asieni, placentarum, & laganorum, & munus Sacerdotum, & Sacerdotis uncti, munus Gentilium, & mulierum, & munus Omer. Libaminum vero munus oleo indiget, at non thure. Panis facierum indiget thure, at non oleo. Duo panes & munus peccatoris, ac Zelotypiæ nec oleum, nec thus requirit. Propter oleum seorsim, & propter thus seorsim tenetur. Si ei oleum affuderit, id reprobum fecit, si thus, colligat id. *Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. XII.* 7. Quæcumque super altare sacrificabantur ferta, oleum, & thus requirebant; olei logum pro similaginis unaquaque decima, & pugillum thuris pro ferto toto, seu illud ex una tantum decima, seu ex decimis sexaginta constaret &c. Excipiuntur autem ferta Zelotypiæ, & peccatoris; de hoc enim scriptum est: *Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet. Levit.* 5. 11. Num. 5. 15. Quæ si quis adhibuisset, tum ferta sacrificasset, de oleo seorsum, & seorsum de thure verberum ictibus unde quadraginta multaretur.



CA-

CAPUT QUARTUM.

De ſacrificiis pro delicto.

§. I. Nomen.

I. SUccedit ſacrificium quod אשם Hebræis, Græcis τῆς πλημμελείας, (πλημμελεῖν Suidas reddit per ἀτακτεῖν, ὑβρίζειν καὶ ῥαθυμεῖν Gloſſæ πλημμελέω, *delinquo*) Latinis dici ſolet ſacrificium pro reatu, vel delicto : quod nomen licet id a ſacrificio piaculari non ita videatur diſtinguere, uti nomina Hebræa poſtulant, quia tamen aptius aliquod non occurrit, & uſu hæc appellatio invaluit, nos quoque Hieronymum & alios ſecuti τὸ אשם *ſacrificium pro delicto* nuncupabimus.

§. II. Differentia ſacrificiorum pro delicto a piacularibus.

II. [1] Mire ſe torſerunt tum Judæi tum Chriſtiani in diſtinctione invenienda inter ſacrificium pro delicto ſive אשם, & piaculare ſive חטאה, vel potius inter culpas ipſas, aut peccata quæ hoc & quæ illud ſacrificium poſtulabant. Difficultas maxime in peccatis tribus prioribus conſiſtit, qua ratione illa a reliquis peccatis diſtinguantur, & peculiarem ſpeciem conſtituant, ita ut ſingulari ritu ſacrificia pro iis offerri debuerint. Nam duo poſteriora conſtat in eo convenire quod hominem reum faciant ob contractam immunditiem ex caſu, quem evitare non erat in ejus poteſtate, uti ſi ad latus Naziræi homo moreretur, vel lepra quiſpiam infectus fuiſſet. Illa non ſatis apte videntur peccata חטאות dici poſſe: quia tamen hominem reum conſtituebant, & peccata ejus meruerant, ut is caſus ei eveniret, pro contracta immunditie אשם offerre debuit.

§. III. Joſephi & Philonis ea de re ſententia.

III. Ex collatione Sacri Codicis, Joſephi, ac Philonis, quorum uterque ex genere ſacerdotali ortum traxit, aliquid videtur erui poſſe, quod lucem huic argumento inferat. Pro peccatis iſtis tribus aries offerri debuit, uti Moſes teſtatur. Joſephus autem *Antiq.* III. 10. ait arietem fuiſſe oblatum ab homine qui peccaverat, ita ut ſibi quidem conſcius eſſet ſe peccaſſe, ſed a nullo alio redargui poſſet aut criminis convinci, ὁ δὲ ἁμαρτὼν μὲν, ἑαυτῷ δὲ συνειδὼς καὶ μηδένα ἔχων τὸν ἐλέγχοντα κριὸν θύει. Philo quoque de victimis agens ſcribit, *pag.* 844. ſi quis arguente conſcientia ſua crimen admiſſum confeſſus fuerit & ſuus ipſe fiat accuſator, eum ſacrificium pro delicto obtuliſſe, ἐάν τις δόξας ἐκπεφευγέναι τὸν ἀπὸ τῶν κατηγοριῶν ἔλεγχον αὐτὸς ἑαυτοῦ γένηται κατήγορος ἔνδον ὑπὸ τοῦ συνειδότος ἐλεγχθείς. Unde ſuſpicari licet tria illa peccata clam ſine teſte commiſſa fuiſſe, ſic ut per alios teſtes non potuerint illum ejus criminis convincere. Hinc culpa minor erat hujus, qui non per teſtes, ſed vim conſcientiæ, convictus crimen erat confeſſus. Nam & qui convincitur de rapina per alios ſolvebat duplum *Exod.* 22. 9. ſed ſi ipſe ſponte fateatur, non ſolvebat. *Levit.* VI. 2. Confer *Bava Kama.* IX. 8. Hinc quoque videtur eſſe quod pro toto cœtu ſi aberraverit, & peccatum id ei indicatum fuerit, offeratur חטאה, non vero אשם, quod publicum non fuit: [2] quia nunquam in totum cœtum cadit ſacrificium pro delicto dubio, aut pro certo, quod ſine teſte commiti debuit. *Lev.* 4. 14. Confer *Lev.* 4. 23. & *Pſalm.* 69. 6. אשמותי *delicta mea* (quæ videlicet clam ſine teſte commiſi) *tibi non ſunt abſcondita*, quamvis alios lateant. Huc quoque refero quod *Hoſ.* 5. 15. Deus ſe receſſurum minatur, donec יאשמו, i. e. conſcientia arguente ſe reos agnoſcant, quærantque faciem ipſius.

§. IV. Sacrificium pro delicto dubio.

IV. Dividi ſolent illa in duas ſpecies, reſpectu cauſarum quæ eorum oblationem requirunt. [3] Harum prima eſt אשם תלוי *ſacrificium pro delicto dubio*, *Levit.* 5. 18. ſi quis dubitet an illa commiſerit peccata, quæ ſi ex induſtria eſſent commiſſa excidio teneretur, ſi ex errore, ſacrificio piaculari fixo; quod quidem eſſe proprie dictum ſacrificium pro delicto plurimi contendunt, quodque Hebræi [4] volunt obligare privatum quemlibet & principem, non vero pontificem maximum aut Senatum, ſecundum *Lev.* 4. 14. qui non tenentur ſacrificare niſi ob peccatum notum. Tale Chaſidæi quotidie offerebant, & [5] id אשם חסידים nuncupatur. *Kerituth.* VI. 3. In *Gem. Hieroſ. Jevamoth.* 5. 3. culpa, ob quam ſacrificium pro delicto dubio offerri debet, ita illuſtratur. [6] Si quis ex duabus portionibus, quarum una eſt adeps eſu interdictus, id eſt, חלב, a carne ſeparabilis, alteram comederit, nec ſcit comederitne cibum interdictum an licitum, teneretur offerre ſacrificium pro delicto dubio : *Siphra fol.* 133. 2. *Kerituth.* V. 5. [7] vel ſi certo ſciat ſe adipem, cibum interdictum, comediſſe, at de quantitate dubitet, num tantum comederit, quantum olivæ magnitudinem æquat, offert אשם תלוי ſive *ſacrificium pro delicto dubio*. Sed ſi una ſit in menſa patina vel portio, & dubitet an ſit cibus licitus vel illicitus, non tenetur ad ſacrificium. Videlicet, quando comedens poteſt eadem actione peccare & non peccare (uti in duobus prioribus exemplis) tenetur ad ſacrificium hoc: ſed quando non poteſt ſimul peccare & non

peccare (ut in posteriori exemplo, ubi necessarium est ut vel peccet vel non peccet) non tenetur. Sic in *Gem. Hier. Beracoth*. 2. 2. legitur: [8] qui die Veneris circa initium sabbathi viderit tres stellas mediocris magnitudinis & operatus fuerit, tenetur offerre sacrificium piaculare, חטאת, quia peccavit: [9] Qui viderit unam, & operatus fuerit, liber est a sacrificio. Qui viderit duas stellas & fuerit operatus, quia dubium est an sit dies vel nox, adeoque an peccaverit, nec ne, tenetur offerre sacrificium pro delicto dubio. Sic quoque qui circa finem sabbathi conspectis duabus stellis opus fecerit, tenetur ad hoc sacrificium pro delicto dubio.

§. V. De eo si dubium tollatur inter sacrificandum.

V. [10] Quod si quis adduxerit sacrificium pro delicto dubio, jamque jugulaverit victimam & sanguis ejus adspersus sit altari, & tunc (antequam caro victimæ comesta est) ipsi innotescat se revera peccasse, aut certior fiat se non peccasse, alterutrum verum est, aut nihil omnino esse offerendum siquidem non peccavit, aut sacrificium piaculare si peccavit. Carnem quidem victimæ tunc licet comedere. [11] Verum si sanguis nondum sit adspersus altari & contingat aliquem certum evadere se peccasse aut, non, sanguis effunditur in canalem templi & caro victimæ comburitur in בית שריפה. [12] Quod si sanguis victimæ necdum adspersus altari, in vase quo exceptus est, fuerit, & tunc offerens certus fiat se aut peccasse aut non peccasse, R. Jose existimabat sanguinem nihilominus adspergi altari & carnem victimæ licere comedere (אפילו הדם בכוס יזרק והבשר יאכל) uti est in *Siphra fol.* 135. 2. [13] Quod si victima nondum jugulata sit, quando domino offerenti constat se aut peccasse aut non peccasse, pastum ducitur victima una cum grege reliquo, & habetur in numero animalium profanorum (חולין גמריך) nam illud animal non habet sanctitatem nisi quia offerens id consecravit, quoniam credebat id sibi esse necessarium: sed postquam comperit sibi id non esse necessarium, aboletur illa sanctitas. Hæc quidem est sententia R. Meir: sed sapientes talem victimam voluerunt pascere donec labem contrahat, qua inepta redditur altari, & tunc vendi, ita ut pretium ejus cedat in sacrificium voluntarium נדבה, id est, holocaustum, cui ex publico adduntur נסכים. R. Eliezer censebat illam esse offerendam, si non pro hoc, certe pro alio, peccato. *Siphra ibid. & Corban Aharon*.

§. VI. Sacrificium pro delicto certo.

VI. [14] altera species אשם ודאי *sacrificium pro delicto certo*, secundum doctrinam Hebræorum, privatum, principem, & Pontificem maximum obligat, non vero senatum, quod secundum 5. casus, in lege definitos & hoc ordine in *Massechet Zevachim c.* 5. *m.* 5. memoratos, [15] quintuplex est.

1. אשם גזילות, [16] ob rapinam. *Levit.* 6. 2.
2. אשם מעילות, [17] ob res sacras inscienter in usum suum conversas. *Levit.* 5. 15.
3. אשם שפחה חרופה, [18] ob concubitum cum serva despecta Domino. *Levit.* 19. 20.
4. אשם נזיר [19] ob immunditiem contractam ex repentina cujusdam morte ad latus Naziræi *Num.* 6. 10. [20] Ex eo nihil unquam se comedisse, nihil semel quum ex *Daroma*, דרום, aliquis ad eum venisset, Simeon justus profitetur *Gem. Hier. Nazir.* 51. 3. Et de eodem ibidem legitur quod nec de sacrificio piaculari unquam comederit. לא אכל חטאת מימיו
5. אשם מצורע, [21] ob purgationem a lepra. *Lev.* 14. 12. offerendum, postquam ז׳ ימי ספירה *septem dies inter duas tonsuras* præteriissent.

§. VII. Animalia offerenda.

VII. [22] Tria priora sacrificia arietem (איל) requirunt offerendum, [23] quartum & quintum agnum, כבש. Agnum leprosi utrumque, & qui holocausto & qui sacrificio pro delicto erat destinatus בני שנה [24] *anniculos* esse debuisse legitur in codice Pentateuchi Samaritano & Græco. *Levit.* 14. 10. quas voces codex Hebræus non agnoscit. [25] Nonnisi masculi huic sacrificio inserviunt (unde simul colligunt Judæi culpam אשם esse leviorem ה׳ חטאת) & oblatio capræ, de qua *Levit.* 5. 6. non in אשם proprie dictum sed חטאת sacrificium piaculare cessit: nec turturum aut pullorum columbæ substitutio locum hic habuit. [26] Arietis vel agni jugulati sanguis adspergebatur e vase סביב, i. e. *duabus adspersionibus quæ erant quatuor*, שתי מתנות שהן ארבע, ut loquuntur Judæi, [27] infra lineam rubram altaris: caro erat sacerdotum ministrantium, qui eam comedebant. *Levit.* 7. 7. [28] Ablegmina cremabantur in altari, quæ eadem videntur fuisse ac in sacrificiis piacularibus, supra *cap.* 3. §. 6. recensitis. In *Levitico cap.* 7. 3. & 4. illa enumerantur; verum si conferas cum ablegminibus sacrificii piacularis *Levit.* 4. 8. non recensetur inter ablegmina sacrificiorum pro delicto את כל החלב אשר על הקרב *omnis adeps qui juxta intestina est*, qui inter illa quæ ablegmina sacrificiorum piacularium constituunt secundum locum tenet. Verum in Pentateucho Samaritano ea verba, quæ mox dedimus & Hebræus non agnoscit, extant *Levit.* 7. 3. & Græci interpretes ea quoque habent, καὶ πᾶν τὸ στέαρ τὸ ἐπὶ τῶν ἐνδοσθίων.

COM-

COMMENTARIUM IN CAPUT QUARTUM.

1 M*Ire ſe torſerunt &c. Vide notam ad cap. I. Toſaphta Joma.*

2 *Quia nunquam &c. Codex Horajoth cap.* 2. 7. Sacrificium pro reatu dubio obligat quemlibet privatum, & principem, ſed Sacerdotem unctum, & ſenatum non obligat. Sacrificium pro reatu certo obligat quemlibet privatum Principem, & Sacerdotem unctum, at non Senatum.

3 *Harum prima eſt &c. Maimonides de noxiis imprudenter admiſſis cap. VIII.* Quod cumque peccatum per imprudentiam admiſſum ſtato ſacro piaculari luendum erat, id ſi cui eſſet minus compertum, hoſtiam requirebat eam, quæ delictum ſuſpenderet. Jam minus compertum eſſe peccatum alicui dicebatur, cum is ambigeret, erraſſet in aliqua re, necne, hic immolare hoſtiam pro delicto ſuſtinendo jubebatur; verba Legis ſunt iſta: *Anima ſi peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Lege Domini prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem ſuam; offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti juxta menſuram æſtimationemque peccati, qui orabit pro eo, quia neſciens fecerit &c.* Atque hæc eſt illa, quæ vulgo dicitur hoſtia pro delicto ſuſtinendo, quippe qua expiatione dubium hominis admiſſum ſuſpenderetur interea dum pro certo comperiret, ſe commeruiſſe culpam imprudenter, quam deinde ſtata hoſtia piaculari luebat.

4 *Volunt obligare &c. Toſaphta Horajoth cap. I.* 12. Non tenentur pœna propter præceptum affirmativum, & præceptum negativum Sanctuarii, & non offertur ſacrificium pro reatu dubio propter affirmativum, & negativum Sanctuarii, & offertur ſacrificium pro reatu dubio propter affirmativum, & negativum mulieris menſtrualis. Dixit R. Simeon, cur tenetur pœna propter præceptum affirmativum mulieris menſtrualis? quia in ea continetur præceptum negativum; & præterea R. Jehuda dicebat in his rebus regulam generalem, quando Idiota tenetur ſacrificio pro reatu dubio, Princeps ei ſimilis eſt, & unctus, & Synhedrii liberi ſunt, quando is tenetur ſacrificio pro reatu certo Princeps & unctus ei ſunt ſimiles, & Synhedrii liberi ſunt. *Maimonides ibidem cap. XII.* 2. Senatus ſi dubitaret reſpondendo erraſſet, necne, nihil erat, quod ſacrum pro dubio delicto ſuſtinendo faceret; his enim Legis verbis; *& poſtea intellexerit peccatum ſuum.* (Levit. 5. 14.) hæc eſt ſubjecta vis, ut erratum agnoſceret prius, quam ſacro obligaretur, ſicut deinceps explicabitur. Et cap. XV. 7. Sacerdos unctus ſi dubitaret an per errorem commiſiſſet, ut contra Legem decerneret juxta atque faceret, necne, nullum ab eo fieret pro dubio delicto ſuſtinendo ſacrificium; is enim perſonam ſuſtinebat eamdem, atque publicum illud conſilium; id vero ſi non ſatis certo ſciret a ſe per imprudentiam decretum eſſe nefas, nullum pro dubio delicto ſuſtinendo ſacrum conficeret. Contra Princeps incertus deliquiſſet, necne, ſic tanquam unus de multis ſacrificium pro delicto dubio ſuſtinendo faceret, non pendebat enim ejus a decreto erratum. *Vide Codicem Horajoth cap. II.*

5 *Et id* אשם חסיסיר *&c. Toſaphta Kerituth cap. IV.* 5. R. Elieſer dicit, poteſt quis offerre ſacrificium pro reatu dubio quocunque die, & quacunque hora voluerit, & appellabatur ſacrificium piorum. Dixerunt de Baba ben Buti, quod offerebat ſacrificium pro reatu dubio quocumque die, excepto die expiationum poſtero; quadam die dixit, per hoc Sanctuarium, quod ſi mihi permiſiſſent, obtuliſſem, ſed mihi dixerunt, expecta donec dubites de peccato; & ſapientes dicunt, non offertur ſacrificium pro reatu dubio, niſi propter id, quod ſi ex malitia fuerit a quopiam factum, exciſionis, ſin ex errore, ſacrificii pro peccato reum facit.

6 *Si quis ex duabus &c. Toſaphta Kerituth cap. III.* Si quis ediſſet fruſtum adipis ſacri, & fruſtum profani, & utrum ederit, neſcierit, offeret ſacrificium pro peccato, & ſacrificium pro delicto dubio; & juxta verba. R. Akibæ adducet duo ſacrificia pro reatu dubio: ſi alterum ediſſet, afferet ſacrificium pro peccato, & ſacrificium pro reatu certo; ſi alter primum, & alter ſecundum ediſſet, hic orietur controverſia inter R. Simeonem & R. Joſe. Si fruſtum ſacri, & fruſtum profani ediſſet primum, & poſtea iterum ediſſet ſecundum in una ignorantia, afferet ſacrificium pro peccato, & ſacrificium pro reatu certo; in duabus ignorantiis, afferet duo ſacrificia pro peccato, & ſacrificium pro reato certo. Si de fruſto abominandi, & de fruſto profani eorum alterum ediſſet, & utrum ex iis ederit, ignoraverit, afferet ſacrificium pro reatu dubio, ſi ſecundum ediſſet, afferet ſacrificium pro peccato, & ſacrificium pro delicto certo; ſi ediſſet primum, & adveniſſet alter, & ediſſet ſecundum, afferent paciſcentes ſacrificium commune pro peccato, & comedetur; verba R. Simeonis, & R. Joſe abſolvit; conſentit vero R. Joſe, quod alter afferat ſacrificium pro delicto dubio, & alter adducat ſacrificium pro delicto dubio. Si de fruſto adipis abominandi, & de fruſto profani, eorum alterum ediſſet, & ignoraverit, quodnam de his manducarit, afferet duo ſacrificia pro delicto dubio, ſi ediſſet ſecundum, afferet duo ſacrificia pro peccato, ſi ediſſet etiam primum, & accedens alius ediſſet ſecundum, hic etiam controverſia eſt inter R. Simeonem & R. Joſe. Si de fruſto adipis abominandi, & de fruſto reſidui, eorum alterum ediſſet, & neſciat, quodnam de his ederit, afferet duo ſacrificia. R. Elieſer dicit afferet ſacrificium pro peccato, & ſacrificium pro reatu dubio; & ſi ediſſet ſecundum, afferet tria ſacrificia pro peccato; ſi ediſſet primum, & accedens alius ediſſet ſecundum, hic etiam diſſentiunt R. Simeon, & R. Joſe. De fruſto abominandi, & de fruſto reſidui ſi eorum alterum ediſſet, & ignoret, quodnam ex his comederit, R. Elieſer eum obligat ad ſacrificium pro peccato, & R. Jehoſua abſolvit; ſi ediſſet ſecundum, afferet duo ſacrificia pro peccato. De fruſto adipis abominandi, de fruſto adipis reſidui, ſi eorum alterum ediſſet, & ignoraſſet, quodnam ex his comediſſet, afferet ſacrificium pro peccato, & ſacrificium pro reatu dubio, & juxta verba R. Elieſeris afferet duo ſacrificia pro peccato; ſi in eadem ignorantia ſecundum ediſſet, afferet duo ſacrificia pro peccato, & ſacrificium pro reatu certo; ſi in duabus ignorantiis, afferet tria ſacrificia pro peccato, & ſacrificium pro reatu certo. De fruſto adipis abominandi ſancto, & de fruſto reſidui, ſi eorum alterum ediſſet, & neſcierit, quodnam ex his comederit, afferet ſacrificium pro peccato, & ſacrificium pro reatu dubio, & juxta verba R. Akibæ afferet ſacrificium pro peccato, & duo ſacrificia pro reatu dubio; & juxta verba R. Elieſeris afferet tria ſacrificia pro peccato, ſi ſecundum in una ignorantia ediſſet, afferet tria ſacrificia pro peccato, & ſacrificium pro reatu certo; in duabus ignorantiis, afferet quatuor ſacrificia pro peccato, & ſacrificium pro reatu certo. *Maimonides ibidem cap. VIII.* 6. Quodcumque peccatum certum ſtato ſacro piaculari luebatur uno, id incertum & unica hoſtia dubio delicto conſtituta ſuſpendebatur. Et quodcumque certum admiſſum ſacris piacularibus multis lueretur, hoc incertum item ſuſpenderetur multis hoſtiis dubio delicto conſtitutis; conveniebat numerus. Quemadmodum quis per errorem unum comederat & adipem & ſanguinem, & rem divinam præter tempus legitimum relictam, & offam ſacri turpificati, ſacris piacularibus aſtringebatur quatuor; ſic ſi dubitaret hoſne jam nunc commemoratos, an legitimos cibos propter appoſitos cepiſſet, quatuor immolare hujuſmodi hoſtias, quæ delicta ſuſpenderent, cogebatur. Item ſi quis addubitaret utrum cum uxore ſua rem habuiſſet, an cum ſimul habitante muliere conſanguinea tali, qualem ſi probe ſciret ſubactam a ſe per errorem, aſtringeretur octo ſacris particularibus, jus erat ab eo totidem immolari hoſtias dubium delictum ſuſpendentes. Si quis poſtea quam offis e duabus comederat alteram, dubitaret utrum adipis an pinguedinis offam comediſſet, tum idem poſt hunc ſcrupulum injectum, cum denuo duabus ex offis alteram comederat, addubitaret etiam offam adipis an pinguedinis comediſſet, duas immolaret hoſtias ejuſmodi, quibus incerta delicta ſuſpenderentur. Nimirum ut explorata

notitia intermedia erratum dirimebat adeo, ut oporteret compluribus ſacris piacularibus lui, ſic intermedia dubitatio diſcriminabat erratum eatenus, ut hoſtiæ complures ejuſmodi requirerentur, quæ noxias incertas ſuſpenderent. Si quis igitur offas adipis comediſſet quinque per errorem unum, ſingulas ſcilicet olivæ magnitudine pares, atque poſt primam particulam comeſam injectus eſſet homini ſcrupulus, & dubitatio, itemque poſt comeſam particulam alteram, & ſic deinceps poſt unamquamque particulam comeſam, ſuam quæque particula poſtularet hujuſmodi hoſtiam, quæ requirebatur ad ſuſpendendam incertam noxiam. Si quis duabus ex offis pinguedinis & adipis unam ediſſet, atque eam, quæ valeret ad ſuſpendendum incertum delictum, hoſtiam immolaſſet adeo, quod utram tandem harum duarum offarum comediſſet, ignoraret, idemque deinceps comediſſet imprudens & offam alteram, ſacrum piaculare faceret; ſin alius hanc alteram offam imprudens ediſſet, hic quoque mactaret eam, quæ ad incertum delictum ſuſpendendum valebat, hoſtiam; id quod jam alio loco explicavimus. Ex duabus offis adipis profani & ſacri præter tempus legitimum relicti, ſi quis ediſſet unam, & ignoraret utram, hic ſacrum piaculare faceret nomine comeſi adipis, & ſacri præter tempus relicti nomine immolaret hoſtiam illam, quæ noxiam incertam ſuſpenderet. Idem ſi deinceps per errorem alterum offam etiam ediſſet, ſacra piacularia faceret tria, quæ ſi offa altera valeret obolo, inſuper immolaret hoſtiam certo delicto conſtitutam, id adeo quod abuſus ſacro fuiſſet. Jam his duabus ex offis ſi comediſſet unus unam, & alteram alter interveniens, uterque ſacrum piaculare faceret, inſuper & hoſtiam immolaret eam, quæ noxiam incertam ſuſpenderet; etenim ita judicabatur de cæteris horum ſimilibus.

[7] *Vel ſi certo ſciat &c. Toſaphta Kerituth cap. II.* 5. Quando dubitaverit an peccaverit, necne, affert ſacrificium pro reatu dubio; ſi peccaverit, & neſciverit, quodnam peccatum commiſerit, afferet ſacrificium pro peccato; ſi peccaverit, & cognoverit ſe peccaſſe, & oblitus fuerit, quodnam peccatum commiſerit, afferet ſacrificium pro peccato, & mactabit nomine ejus peccati, quod commiſerit, & poſtea iterum afferet ſacrificium pro peccato propter notitiam, & ſuo nomine mactabitur, & comedetur. *Maimonides ibidem*. Nunquam vero aſtringebatur hoſtia illa delicto incerto conſtituta quiſquam, niſi eſſet ipſamet interdictio certa, rataque; rem exemplis illuſtremus. Si quis adipis aliquid ediſſet, neſciret autem utrum illud aliquid exæquaret olivæ magnitudinem, an eo minus eſſet; ſi appoſitis ex offis duabus adipis, & pinguedinis, alteram comediſſet, & ignoraret utram, ſi cum uxorem ſuam, & ſororem ſecum in unis ædibus haberet, cum earum altera congrederetur, ſic ut neſciret utram, ſi ſabbathum & diem profeſtum vocaret in dubium, ideſt ſi alterutrum impendiſſet operi faciundo, & neſciret utrum, ſi probe ſciret ſe feciſſe Sabbatho opus, verum enim neſciret illud cujus eſſet generis, utique mactaret hoſtiam delicto incerto ac ſuſpenſo conſtitutam, atque ita erat, & de cæteris horum ſimilibus. Siquis autem unam aliquam offam appoſitam, de qua non liqueret eſſetne pinguedinis an adipis, is hoſtia delicto ſuſpenſo conſtituta ſolutus eſſet ideo, quod hic omnino certa ſubeſſet interdictio nulla &c.

[8] *Qui die veneris &c. Maimonides de Sabbatho cap. V.* Veſpere Sabbathi candelam accendunt, quique eam accendit, accendere debet, dum adhuc dies eſt, ante ſolis occaſum. A ſolis occaſu ad apparitionem uſque mediarum ſtellarum, ſpatium illud vocatur, בין השמשות, interſolium, dubiumque eſt utrum ſpatium illud ad diem, an ad noctem pertineat. Quare candelas eo tempore non accendunt, quique opus aliquod facit eo tempore ſub veſperam Sabbathi, aut ſub exitum Sabbathi ex ignorantia, tenetur oblationem offerre pro peccato, atque hæ ſtellæ non ſunt magnæ, & quales interdiu videri poſſunt, ſed parvæ quæ nocte tantum videntur, mediæque magnitudinis. Cumque tres mediæ hujuſmodi ſtellæ videri poſſunt, nox haud dubie tum eſt.

[9] *Qui viderit unam &c. Gemara Berachoth*. Apparet ſtella una? certe adhuc dies eſt; duæ? dubitatur an dies ſit; tres? nox eſt abſque dubio. *Et paucis interjectis*. Veſpera Sabbathi ſi quis opus facit poſt viſam ſtellam unam, abſolvitur, ſi poſt duas tenetur ad ſacrificium pro tranſgreſſione dubia, ſi poſt tres, tenetur ad ſacrificium pro peccato. Itemque in exitu Sabbathi, ſi opus aliquod facit poſt viſam ſtellam unam, tenetur ad ſacrificium pro peccato; ſi poſt duas ad ſacrificium pro tranſgreſſione dubia; ſi poſt tres, abſolvitur.

[10] *Quod ſi quis &c. Sin jam ſparſus ſanguis, comedatur caro. Maimonides de ſacris temeratis cap. IV.* 19. Sin rem pro certo comperiſſet poſt aſperſum altari ſanguinem hoſtiæ, caro ſic ut cunctarum hoſtiarum pro delicto a Sacerdotibus comederetur.

[11] *Verum ſi ſanguis &c. Codex Kerituth cap. VI.* Si vero poſteaquam mactatum, demum notum ei factum fuerit, ſanguis de eo effundatur, & caro exeat in locum combuſtionis. *Maimonides ibidem*. Quod ſi poſt jugulatam hoſtiam demum rem pro certo comperiſſet, hoſtiæ ſanguis effunderetur, caro autem cremaretur ſic ut reliqua ſacra temerata.

[12] *Quod ſi ſanguis &c. Codex Kerituth. ibidem.* R. Joſe ait, licet etiamſi ſanguis ſit adhuc in poculo, *tamen* ſpargatur, caroque manducetur.

[13] *Quod ſi victima &c. Codex Kerituth ibidem.* Si quis attulerit oblationem pro reatu dubio, ſed *mox* notum factum fuerit ei, quod non peccarit, egrediatur, ac paſcat in grege, hæc R. Meyr; ſed ſapientes dicunt, paſcat donec contaminatum fuerit, tunc vendatur, & cedat pretium ejus in munus ſpontaneum. R. Elieſer inquit, offeratur, nam ſi non offeratur pro peccato hoc, offeretur pro peccato alio. *Toſaphta Kerituth cap. IV.* 2. Qui attulerit ſacrificium pro peccato, & ſacrificium pro delicto, & notum ei factum fuerit, quod non peccavit, priuſquam mactatum ſit, egrediatur, ac paſcat in grege, poſtquam mactatum ſit, ejus forma mutabitur, & exibit in locum combuſtionis. *Maimonides ibidem*. Siquis hoſtiam pro delicto dubio obtuliſſet, tum ſe non peccaſſe, aut peccaſſe pro certo comperiſſet, idque ante quam hoſtia jugulata fuiſſet, eam paſci juſſerat, uſque dum vitio afficeretur, tum pretium ejus impendi in holocauſtum voluntarium; etenim de ſuis cuique peccatis dolet animus. Sic igitur habendum erat, hominem quoniam ob peccatum dubium hoſtiam ſegregaverat, eam conſecrare animo conſtituiſſe. Et ſiquis ut hoſtiam pro peccato ſegregaret, adduceretur per quoſdam peccati teſtes, tum iſti falſitatis convincerentur, pretium hoſtiæ impenderetur in holocauſtum voluntarium.

[14] *Altera ſpecies. Codex Horajoth cap. II.* 7. Sacrificium pro reatu dubio obligat quemlibet privatum, & principem, ſed ſacerdotem unctum, & ſenatum non obligat. Sacrificium pro reatu certo obligat quemlibet privatum principem, & Sacerdotem unctum, at non ſenatum. Propter vocis auditum, labiorumque pronunciationem, immunditiem ſanctuarii, ejuſdemque rerum ſanctarum non obligatur ſenatus, privatus autem, princeps, & ſacerdos unctus obligantur. Sed Pontifex maximus non obligatur propter immunditiem ſanctuarii, & ejuſdem rerum ſanctarum, ſunt verba R. Simeonis. Quid autem offerant? Sacrificium aſcendens, & deſcendens. R. Elieſer dicit, princeps offerat hircum. *Maimonides de noxiis imprudenter admiſſis cap.* IX. 10. Jam in ejuſmodi culpa, propter quam certa fuit hoſtia pro delicto immolanda, Rex, Sacerdos, Pontifex, & unus de multis plane pari conditione fuerant.

[15] Quintuplex eſt &c. *Toſaphta Kerituth cap. I.* 17. Quinque ſunt ſacrificia pro delicto, ſacrificium pro delicto furti, ſacrificium pro delicto prævaricationis, ſacrificium pro delicto ſervæ deſponſatæ, ſacrificium pro delicto Naziræi, & ſacrificium pro delicto leproſi. *Maimonides ibidem cap. IX.* 1. Omnino quinque de cauſis immolabatur hoſtia pro delicto ea, quæ quoniam non erat de dubio, certa hoſtia pro delicto paſſim appellatur. En illæ tibi, de flagitio in ancilla deſponſata commiſſo, de rapina, de ſacri diminutione, de labe Naziræatus inquinati, & de lepris tum cum denique luſtraretur.

[16] *Ob rapinam &c. Maimonides ibidem*. Ad rapinam quod attinet, quicumque ex Iſraelitæ bonis ceperit quod oboli eſſet, vel eo pluris, id clepſerit, rapuerit; depoſitum, commodatum, nomine ſocietatis in commune datum, aut quoquo modo creditum interverterit, abnegarit, & idem prudens vel imprudens abjurarit, maleficii expiandi cauſa hoſtiam pro delicto immolaret, atque hæc eſt illa, quæ vulgo dici-

dicitur, *hostia pro delicto rapinarum*, id vero divina Lex aperte dicit, hac hostia pro delicto non expiari hominem isto maleficio obstrictum, nisi rem interversam suo domino restituerit, sed enim sorti, quæ fuerat addenda quinta pars, expiationi nihil obstabat. Atque tractatu de Jurejurando jam hoc nos accurate disputavimus, isto perjurio ubi quis obstrictus esset, adeoque immolare commemoratam hostiam pro delicto deberet, & rursum ubi quis solutus eodem esset, porro quemadmodum numerus hostiarum pro delicto tum æquaretur cum perjuriis, tum plus una debita non esset.

17 *Ob res sacras &c. Codex Meila cap. V.* Si quis e sancto pretium Prutæ perceperit, etsi non nocuerit, prævaricatus est, it R. Akiba; sapientes dicunt, in omni re in qua non est damnum, non obtinet prævaricatio, nisi donec ei nocuerit; in omni vero re, in qua non obtinet damnum, quia commodum ex ipsa percepit, prævaricatus est. *Tosaphta Meila cap.* II. Siquis e sancto prætium prutæ perceperit, prævaricatus est, & si commodum perceperit, & non nocuerit, & si sacro nocuerit, & ex eo commodum non perceperit, non prævaricatus est, donec veniat, & habeat mentem commodi percipiendi, itaut coniungatur una simul & ejus commodum, & sacri damnum, in re, in qua obtinet damnum, & tum cum commodum percipit, nocet, & per alium, qui ejus præcepto paret. R. Akiba dicit, si commodum percipiat, quamvis non nocuerit, prævaricatus est; e. g. si ex armillis, torquibus, inauribus, & annulis commodum percepisset, quamvis nihil sacro nocuerit, prævaricatus est. Fatentur contra sapientes R. Akibæ, in iis rebus, in quibus est damnum, si vero commodum percepisset, & non nocuerit, non prævaricatus est. *Maimonides de sacrorum abusu cap. I.* Interdictum erat ne privatus homo fructum ullum perciperet ex rebus Deo sacris, nec vero quidquam differebat inter res altari sacras, & eas, quæ templo reconcinnando dicatæ fuerant. Si quis igitur ex rebus Deo sacris utilitatem pro obolo ceperit, prævaricatione se obstrinxerit. *Et paucis interjectis*. Siquis autem imprudens se prævaricatione obstrinxisset, & fructum ex sacris perceptum exolveret, & insuper adderet quintam ejus partem, porro autem præberet arietem duobus siclis emptum, qui sacrificaretur in hostiam pro delicto prævaricationis, qua de re scriptum legimus; *Anima si ...... per errorem in his, quæ Domino sunt sanctificata, peccaverit, offeret pro delicto suo &c. ipsumque quod intulit damni restituet, & quintam partem ponet supra &c.* Levit. 5. 15. 16. Jam ut exolveretur sors addita quinta parte, & insuper hostia immolaretur, jubendo sancitum erat. Sortis solutio, atque immolatio hostiæ pro delicto obstabat, quominus delictum expiaretur, accessio quintæ partis non obstabat, nam quod a Lege dicitur, in Ariete hostia pro delicto, ex eo efficitur illud arietem illum in hostiam pro delicto mactandum expiationi obstitisse scilicet, at non obstitisse quintæ partis accessionem; *Vide ejus tractatum de noxiis imprudenter admissis IX.* 8.

18 *Ob concubitum &c. Codex Kerituth cap.* II. 4. Quid vero interest inter ancillam, ac inter personas (ob incestum) prohibitas? (Hoc interest) quod nec in multa par hisce est, nec in sacrificio. Nam omnes personæ prohibitæ obligantur ad sacrificium pro peccato, at ancilla ad oblationem pro delicto. Omnes personæ prohibitæ ad fœmininum, at ancilla ad masculum sacrificium. Omnes personæ prohibitæ sive viri sive fœminæ sint, æquales sunt quoad plagas quadraginta, & quoad sacrificium, sed quoad ancillam non exæquavit (Deus) virum fœminæ quoad plagas quadraginta, neque fœminam viro quoad sacrificium. In omnibus etiam incestibus æquavit corrumpentem (tantum) absolventi ipsum actum, & reus fit *homo* singulis congressibus. Hoc rigoris tantum constituit quoad ancillam, quod æquavit in ea facienti ex proposito eum qui ex errore. Quænam est ancilla? Etiam omnis illa, quæ ex dimidia parte est ancilla, ex dimidia autem parte libera, quoniam dicitur, והפדה לא נפדתה, redimendo *plene* non est redempta. Sic R. Akiba. R. Ismael quidem ait, atque hæc est ancilla certa, & *perfecta*. R. Eleasar vero ben Azariæ respondet: omnes mulieres prohibitæ expresse sunt (tanquam liberæ) nec quicquam nobis addendum relictum est, nisi ea, quæ ex dimidia parte est ancilla, & ex dimidia parte libera. *Tosaphta Kerituth cap.* I. 13. Hæc intercedunt inter ancillam desponsatam, & reliquas omnes turpitudines; reliquæ omnes turpitudines Legis tenentur excidio, si de industria factæ fuerint, & si ex errore, sacrificio pro peccato, & propter ignorantiam, oblatione dubia, quod non observatur in ancilla desponsata; in reliquis omnibus turpitudinibus Legis consideratur tam coactum, quam voluntarium, tam si fuerit, quam si defuerit intentio, tam incipiens, quam absolvens &c. & pœna statuta est pro singulis congressibus, quod non observatur in ancilla desponsata, in omnibus turpitudinibus consideratur tam minorennis, quam majorennis, ut pœna majorennis afficiatur, & in ancilla desponsata, si cum ea minorennis congrederetur absolvitur; in omnibus turpitudinibus ambo 40 plagis vapulant, & in ancilla, ea 40 plagis vapulat, & ille non vapulat, in omnibus turpitudinibus ambo afferunt sacrificium, & in ancilla is adducit, & ea non adducit; omnes turpitudines tenentur sacrificio pro peccato, & in ancilla sacrificio pro delicto; omnes turpitudines tenentur ad fœmininum, & pro ancilla ad masculum sacrificium; omnes turpitudines pro singulis congressibus tenentur sacrificio, at in ancilla uno tantum pro omnibus congressibus. Pro omnibus turpitudinibus Legis Senatus tenetur sacrificio propter earum legem, quod non observatur in ancilla desponsata, pro omnibus turpitudinibus. Sacerdos sive docuisset legem, sive exequutus esset, tenetur *sacrificio*, & propter ancillam desponsatam, quamvis non docuisset, debet afferre sacrificium pro reatu certo. R. Ismael dicit, de ancilla Chananæa textus loquitur nupta servo Chananæo; alii dicunt ejus nomine nupta ingenuo. R. Akiba dicit, per Legem, quod sit dimidium ancilla, & dimidium libera nupta ingenuo. *Maimonides ibidem*. Ac primum de desponsata ancilla, si subegisset eam aliquis sciens, insciens, is hostiam pro delicto commemoratam immolaret, dummodo grandis ancilla sciens, volensque se homini dedisset, & quæ eadem jugatum sibi virum experta jam esset, quæ verberibus coerceretur; hic enim Legis versus in hebraico textu (בקרת תהיה) ...... *Pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium tabernaculi arietem*, hoc vult scilicet, mulierem multari verberibus, & a viro fieri sacrificium. Jam hoc traditum est nostris, mulier ejusmodi verberibus cum damnaretur, tum & sacro alligari virum, rursum cum illa verberibus esset soluta, solutum sacrificio illum esse pariter. Puer novem annos, & diem unum natus si subegisset ancillam desponsatam, hæc verberibus cæderetur, & ab illo sacrum fieret. Ac mihi quidem videtur sacrum hoc ab illo cum adolevisset, & ratione uteretur, demum faciendum esse. Jam illam, de qua Lege commemoratur, ancillam desponsatam disputatione de concubitibus interdictis exposuimus, quæ fuerit &c. Cum ejusmodi ancilla qui cubuerat sæpenumero, unam dumtaxat immolaret hostiam pro delicto, necesse erat; sæpius, inquam, ancillam ejusmodi quis aut prudens subagitarit, aut semel per imprudentiam, culpamque rescierit, tum eamdem subegerit iterum per imprudentiam, culpamque rescierit, & sic centies, omnino hostiam pro delicto mactaret unicam, qua totum hoc maleficium procuraretur, & expiaretur quicquid in eo contumaciter, quicquid imprudenter admissum esset, ita si cum una & eadem ancilla tali rem habuisset. Verum enim si complures ejusmodi subegisset ancillas, vel per errorem unum, suam cujusque ancillæ causa hostiam pro delicto immolari jus erat. Siquis postea, quam talem ob ancillam a se subagitatam consecrarat hostiam pro delicto, denuo subagitasset eam ipsam suam cujusque subagitationis nomine hostiam pro delicto immolari conveniret; consecratio videlicet hostiæ pro delicto, illa maleficium quasi distraxisset, perindeque fuisset, ut si post hostiam pro delicto rite mactatam ancillam eamdem iterum amplexus esset. Similiter hujusmodi unam aliquam ancillam quinquies per errorem eumdem amplexus esset aliquis, idemque deinde rescierit amplexum unum, & hujus ergo hostiam pro delicto consecrarit, tum rescierit & alterum amplexum, ejus causa hostiam pro delicto alteram consecraret, oportebat; amplexus enim istos uno errore implicarat omnes; verum, quoniam alterum eorum post consecratam hostiam pro delicto demum rescierat,

rat, perinde fuerat, ac si ancillam istam secundo amplexus esset post consecratam hostiam pro delicto. Scilicet in ancilla tali labentis inscienter, atque scienter peccantis jus erat idem.

[19] *Ob immunditiem contractam &c. Tosaphta Kerituth ibidem*. Naziræus, qui se polluisset, atque iterum se polluisset, afferet unum omnino sacrificium; si septimo suo die se polluisset, atque iterum septimo suo die se polluisset, pro singulis pollutionibus afferet sacrificium, & sapientes dicunt, unum sacrificium pro omnibus, donec adduxerit suum sacrificium pro peccato.

[20] *Ex eo nihil unquam &c. Siphri ad Num. cap. VI.* 1. Dixit R. Simeon justus, non comedi unquam sacrificium pro delicto nisi semel, quando ad me accessit quidam a plaga meridionali oculis & aspectu pulcherrimus, capillis crispatis; ei dixi, quid vidisti, quid tibi persuasit, ut cæsariem tam pulchram tibi corrumperes? & is mihi respondit; ego eram pastor in mea civitate, & cum aquam e fonte haustum ivissem, meamque formam aspexissem, & mei ipsius amore incensus me extuli, meaque impulsio (tentatio) me a mundo ejicere volebat. Dixi, o scelesté, tu eo, quod tuum non est, superbis, & quod pulvis futurum est, & a vermiculis corrumpendum est? ego voveo ad gloriam Dei te radere; statim eum rasi, & osculatus sum in facie, eique dixi; utinam tui similes multiplicari possint in Israel, qui beneplacitum Dei faciant! & propter te observetur: *Vir sive mulier cum fecerint votum ut sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare*. *Tosaphta Nazir cap. IV.* 8. Dixit R. Simeon justus, non comedi unquam sacrificium pro delicto Naziræi nisi semel; contigit, ut ad me quidam accederet a plaga meridionali, cumque eum oculis & aspectu pulcherrimum vidissem, cujus cæsaries crispata, vittisque impleta erat; eique dixi quid tibi persuasit, ut tam pulchram cæsariem tibi corrumperes? mihi respondit; ego eram pastor in mea civitate, cumque aquas e fonte haustum ivissem, meamque formam aspexissem; mea tentatio me commovit, meque e mundo ejicere volebat; eidem dixi; Impia, tu re superbis, quæ tua non est, re, quæ futura est pulvis, & vermes; ecce ego ad Dei gloriam voveo me radere; declinavi caput meum, eumque osculatus sum, eique dixi; utinam tui similes multiplicari possint in Israel, qui Dei beneplacitum faciant! & propter te observatus est textus: *Vir sive mulier cum fecerint votum, ut sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare*.

[21] *Ob purgationem a Lepra &c. Codex Kerituth cap. II.* 3. Quinque afferunt oblationem unam propter multa peccata; item quinque afferunt oblationem ascendentem, & descendentem &c. Leprosus qui multis plagis affectus est. Qui vero si attulerit aves suas, & denuo percussus fuerit, non satisfaciunt pro eo, usque dum attulerit sacrificium pro peccato suo. R. Jehuda inquit, donec attulerit oblationem pro reatu suo. *Tosaphta Kerituth cap. I.* 10. Leprosus qui plagis percussus esset, & iterum plagis sæpius percussus esset, pro omnibus (*plagis*) unum affert sacrificium; si suas aves attulisset, & iterum plagis percussus esset, pro singulis (*plagis*) afferet sacrificium, verba R. Elieseris; & sapientes dicunt, unum sacrificium pro omnibus, usque dum attulerit suum sacrificium pro delicto, si suum sacrificium pro delicto attulisset & postea plagis percussus esset, atque iterum attulisset suum sacrificium pro delicto, atque iterum plagis percussus esset, pro singulis (*plagis*) afferet sacrificium pro delicto. R. Simeon dicit, pro omnibus unum sacrificium pro delicto, usque dum afferat suum sacrificium pro peccato.

[22] *Tria priora &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Sevachim*. Sacrificium a quolibet privato offerendum, licet cum serva desponsa rem habuerit, sive sciens, sive insciens, fiebat ex ariete in sacrificium pro reatu, & hoc vocatur *sacrificium pro reatu certo*, vel etiam *sacrificium pro reatu servæ desponsæ*. Pariter siquis pretium prutæ e rebus sanctis percepenit, prævaricatus est, & in sacrificium pro reatu debet arietem, atque hoc vocatur *sacrificium pro reatu prævaricationis*, ea tamen conditione, quum ex ignorantia peccaverit, nam si de industria, non tenetur ad sacrificium prævaricationis, quia sancta non profanantur de industria, sed in sanctitate sua manent. Porro in jurejurando testimonii, vel depositi ad sacrificium tenetur, si mentitus sit, sicuti exponetur cap. secundo tractatus Kerituth. Sacrificium autem quod offerre tenetur is, qui mentitus est in jurejurando testimonii, idem est, quod offerre tenetur is, qui sanctuarium, ejusdemque res sanctas polluerit. Verum Sacrificium, quod ob jusjurandum depositi offerendum est, nimirum, siquis depositum negaverit, & falso juraverit, fiebat ex ariete in sacrificium pro reatu. Si vero quis furto quicquam abstulisset, & falso jurasset, tenetur arietem offerre in sacrificium pro reatu. Cæterum si ei sint a quoquam bona, sive in commercio, sive ea invenerit, sive furatus fuerit, vel decipiendo acceperit, negando pecuniam quam solvere debebat pro talibus bonis, & super hoc casu juraverit, arietem offerre tenetur in sacrificum pro reatu, atque hoc vocatur *sacrificium pro reatu rapti*. Et non refert sive sciens sive insciens fecerit, dummodo arietem offerat in sacrificium pro reatu, quemadmodum ostendimus cap. IX. tractatus Bava Cama. Quum vero quis in ignorantia temere juraverit, eodem tenetur sacrificio, quo is, qui sanctuarium ejusdemque res sanctas polluerit.

[23] *Quartum, & quintum &c. Maimonides ibidem*. Sed leprosus duos adducat agnos, unum in sacrificium pro reatu, atque hoc vocatur *sacrificium pro reatu leprosi*; alterum in holocaustum, in expiationem pro peccato agna offerebatur. Si is pauper esset, duos turtures offerebat, aut duos columbæ pullos, unum in expiationem, alterum in holocaustum, agnum vero in sacrificium pro reatu. *Abarbanel in præfatione ad Leviticum cap. III.* Cadebat hoc in homines sex &c. deinde in affectum lepris, qui cum convaluisset, agnos præbebat duos, unum ad solidum, & alterum ad sacrificium pro delicto, id quod sacrificium pro delicto leprosi dicitur, item & agnam ad piaculare sacrificium; idem si præ rei familiaris angustiis non posset, turtures, aut pullos columbinos præbebat duos, quorum uno piaculare fiebat, & altero sacrificium solidum, & præterea agnum ad sacrificium pro delicto. *Et paucis interjectis*. Post si quis Naziræus cum esset, sese sciens aut imprudens funestasset, offerret æque, ac ille, qui factus erat e lepris sanus, par turturum, aut pullorum columbinorum, quorum altero sacrificium solidum, & altero piaculare fieret, & agnum anniculum, quo fieret sacrificium pro delicto.

[24] *Anniculos esse &c. Tosaphta Kerituth cap. IV.* 7. Sacrificium Naziræi, & sacrificium pro reatu leprosi, si duodecim mensium ætatem excedentia adduxisset, illegitima sunt, si minus quam duodecim menses nata, etiam ab octavo nativitatis die, legitima sunt. *Codex Sevachim cap.* X. 5. Omnia Sacrificia pro reatu quæ sunt in Lege, offeruntur bimula, atque emuntur ex argento siclorum; excepta oblatione pro reatu Naziræi, oblationeque pro reatu leprosi, quæ offeruntur anniculæ; nec emuntur ex siclorum argento.

[25] *Nonnisi masculi &c. Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. I.* 10. Ad hostiam pro delicto agni mares tantum admittebantur, atque ex hoc ipso genere admittebantur nunc majores, nunc minores.

[26] *Arietis vel agni &c. Codex Sevachim cap. V.* 5. Sacrificiorum pacificorum cœtus, & delictorum (delicta vero sunt hæc: delictum rapinæ, delictum prævaricationum, delictum ancillæ cum probro dimissæ, delictum Naziræi, delictum leprosi, delictum dubium) mactatio fit in septentrione, & acceptio sanguinis in vasa ministerii in septentrione, & sanguis eorum debet spargi duabus aspersionibus, quæ sint instar quatuor; *Maimonides ibidem cap. V.* 6. Omnino horum trium sacrorum holocausti; hostiæ pro delicto, & pacificorum tam publicorum, quam privatorum sanguis uno & eodem modo aspergebatur usque. Hæc igitur erat agendi ratio. Sacerdos cum victimæ sanguinem patera exceperat, eadem illa duas aspersiones obliquas efficiebat infra dimidiam partem altaris in cornibus duobus, uno videlicet inter orientem & septentrionem intermedio, & altero inter occidentem & meridiem interposito. Jam aspergendo dabat operam, ut altaris cornu circumdaretur sanguis ita, ut speciem literæ gamma præberet, id adeo ut per aspersiones duas quatuor altaris parietes sanguine inficerentur, quippe de holocausto & de pacificis scriptum est: *per circuitum* (*Levit. I. 3. & III. 3.*) eadem

dem erat ratio hoſtiæ pro delicto. Porro reliquiæ ſanguinis effundebantur in fundamentum ad partem auſtralem.

[27] *Infra lineam rubram &c. Siphra ad Levit. cap. VII.* 1. *&* 2. *Hæc quoque lex hoſtiæ pro delicto*, pro domo ſeculorum. *Hæc*, non obſervabatur in excelſis. *Lex hoſtiæ pro delicto*, lex una pro omnibus ſacrificiis pro delicto, ut eorum ſanguis infra aſpergatur. Ecquid? undenam in contrarium deducitur? Sed cum dicat textus; *ſicut enim pro peccato, ita & pro delicto ad Sacerdotes pertinet hoſtia*. Levit. 14. 13. (Dicerem). Quemadmodum ſacrificii pro peccato ſanguis aſpergebatur ſupra, ita & ſacrificii pro delicto ſanguis eſſet ſupra aſpergendus? ideo dicit: *ſancta ſanctorum eſt . . . . ſanguis ejus . . . . fundetur;* ad includendum omnia ſacrificia pro delicto, & ſacrificium pro reatu leproſi, ut eorum ſanguis infra aſpergatur; unde probatur pro ſanguine ſacrificii pro reatu, quod ſi cum ſanguine ſacrificii Pacificorum mixtus eſſet? ex eo quod dicit. *Sancta Sanctorum eſt. . . . ſangui ejus . . . . . fundetur*. Poſſem etiam dicere, quando viva commixta eſſent? ideo dicit, *ejus*. Quid de his fit? paſcent, donec polluta fuerint, venduntur, & ex pretio affertur optimum utriuſque ſpeciei, & perdendus eſt exceſſus pretii ex domo ſua. R. Simeon dicit, ſi ſacrificium pro delicto commixtum fuiſſet cum pacificis, ambo mactanda ſunt in aquilone, & alterum offeretur nomine ejus, quicumque ſit, & comedentur juxta eorum rigidiorem ritum; ei dixerunt: verumtamen pacifica agitari debent, & ſacrificium pro delicto agitandum non erat; eis reſpondit, quid refert? fiat agitatio in ſacrificio pro delicto; ei reſponderunt; non faciendum ut ſanctitates profanentur.

[28] *Ablegmina cremabantur &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Sevachim*. Eæ vero partes, quas de ſacrificio pacifico comburunt ſunt æædem, quas de ſacrificio pro peccato comburunt, & de ſacrificio pro reatu non plures nec pauciores, atque hæ omnes partes vocantur adipes, ſive res igni conſumendæ. *Abarbanel ibidem cap. II.* Atque ut de ſacrificio piaculari, ſic & de ſacrificio pro delicto exta prorſus omnia ſuper aram cremabantur, cætera comedebantur a Sacerdotibus; nam in ea re quidem certe piaculare ſacrificium, & ſacrificium pro delicto æqualia inter ſe erant, & paria. De ſacrificio pacifico pars cedebat altari; hic enim exta illius adolebantur eadem, atque ſacrificii piacularis, & ſacrificii pro delicto.

CAPUT QUINTUM.

De ſacrificiis ſalutaribus.

§. I. Nomina.

I. QUarta ſpecies ſacrificiorum eſt illorum quæ שלמים Hebræis, Græcis Σωτήρια, εἰρηνικά, χαριςήρια, εὐχαριςικά, Latinis *pacifica* & *ſalutaria* dicuntur. Sunt qui illa *completoria* nuncupent, quia in oblatione plurium ſacrificiorum hoc genus nunquam primo, ſed contra ultimo offerri ſolebat, & inde putant שלמים eſſe appellata; quamvis veroſimilius שלמים nuncupentur a *reddendo* aut *perſolvendo*, ac ſi ἀποδοτικά dicas, aut *donata* (qua voce χαριςήρια gloſſæ vett. explicant) quoniam ſacrificia vota נדר & תודה dicuntur perſolvi (שלם) hoc modo *Proverb.* 7. 14. *Pſ.* 56. 13. *Hoſ.* 14. 11. & homines ἀποδοῦναι θεῷ χάριν & εὐχὰς pro acceptis beneficiis. Dicitur & זבח שלמים hæc ſpecies ſacrificiorum in Levitico *cap.* 3. 1. & alibi frequenter, quum vox זבח non ſoleat jungi cum עולה, aut חטאה, vel אשם: unde eſt quod & hæc nomine זבחים, nulla alia voce adjecta, ſæpe innuantur, ſic ut עולות וזבחים notet *holocauſta & ſacrificia ſalutaria*. Ita *Levit.* 17. 8. & *Num.* 15. 3. עולה או זבח legitur, quibus verbis non niſi hæ duæ ſpecies ſacrificiorum, quæ ſolæ erant נדר ונדבה, indicantur.

§. II. Sacrificia privata quæ.

II. Sacrificia ſalutaria in duas ſpecies dividi queunt, privata & publica. [1] Privata a Judæis diſtribuuntur in ſpecies tres. I. תודה *Confeſſionis*, τῆς αἰνέσεως Aquilæ, pro accepto beneficio ſingulari, quod proprie εὐχαριςικὸν erat. [2] Hujus victimæ carnes ab offerente & familia ejus comedebantur, ne quid remaneret in craſtinum mane. *Levit.* 7. 15. [3] & panis iis junctus לחם תודה dicitur. Judæi in *Menachoth.* 111. 6. diſtinguunt [4] quatuor ſpecies rerum quæ in hac oblatione requiruntur ארבעה מינים שבתודה. Confer *Levit.* 7. 11. tres ἄζυμοι, una fermentata, quarum ſingularum partem decimam ſibi capiebant ſacerdotes. Confer *Levit.* 7. 11. [5] Sacrificia hæc eſſe poterant votiva & quidem generalia, ad impetrandum beneficium aliquod, ex voto, נדר, ut ſi quis dixerit; ſancte promitto me oblaturum ſacrificium ſalutare, aut נדבה, vota ſpecialia, ut ſi quis dixerit; ſancte promitto me hanc pecudem Deo oblaturum in ſacrificium ſalutare. II. [6] Sacrificia quæ ſine pane offeruntur, [7] uti ſalutaria ſolemnitatis & lætitiæ (שלמי חגיגה ושמחה) quæ vulgo שלמים ſolent dici. III. Sacrificia quæ a Naziræis offeruntur poſtquam tempus voto definitum elapſum eſt, quæ & איל נזיר, aries Naziræi, dici ſolent & cum pane offeruntur.

§. III. Publica quæ.

III. Publica diſtinguuntur a nonnullis in neceſſaria, שלמי חובה & voluntaria שלמי נד׳ה, [8] quamvis Judæi *in Siphra fol.* * 239. 2. ſcribant ſacrificia ſalutaria publica, eaque voluntaria, nulla fuiſſe, איש היחיד מביא שלמי נדבה ואין הציבור מביאים שלשי נדבה. Neceſſarium fuit ſacrificium, idque unicum, duorum agnorum maſculorum die Pentecoſtes *Levit.* 23. 19. [9] Sacerdotes ephemeriæ miniſtrantis eos comedebant, exceptis tamen ablegminibus, quæ in altari erant comburenda. Voluntaria quidam illa nuncupant quæ in ſolemnitatibus publicis oblata fuerunt, uti quum fœdus inter Deum

&

& Israelem sanciretur. *Exod.* 24. 5. quum arca fœderis Hierosolymas a Davide transferretur. 2. *Sam.* 6. 17. & templum dedicaretur. 1. *Reg.* 8. 63. & in paschate 2. *Chr.* 30. 22. & 29. 31.

§. IV. Oblatio sacrificii publici.

IV. Publicum, quod pro toto populo offerebatur, agni nempe duo masculi in festo Pentecostes, adnumeratur sanctissimis, ideoque victima [10] ad septentrionem altaris jugulari debuit, & ablegminibus altari exteriori impositis caro ipsa comedebatur a sacerdotibus masculis in atrio. [11] Agitabantur autem bis, tum ante tum post jugulationem. *Menachoth*. v. 7.

§. V. Oblatio privatorum.

V. [12] Privata offerri poterant ex bubus, ovibus, capris, tam fæminis quam masculis *Lev.* 3. 1. modo sine fœtu essent. *Lev.* 22. 28. [13] Aves vero non licebat offerre [14] Victima jugulabatur ad austrum altaris, & nonnunquam ad ortum. [15] Sanguis exceptus a sacerdote, spargebatur ad quatuor latera altaris [16] infra lineam rubram, & reliquum ad basin effundebatur. Dein dissectæ victimæ ablegmina, eadem videlicet quæ in sacrificiis piacularibus (λωβὸς ἥπατος στέαρ καὶ νεφροι,) *lobus hepatis*, *adeps & renes*, uti Philo *lib. de victimis pag.* 845. loquitur (στέαρ ἀφωρισμένον, מרום, ἀπὸ σωτηρίοις solum memorat *Eccles. Siracid. cap.* 47. 2.) in patina collocata [17] & una cum pectore & femore dextro manibus offerentis imposita agitabantur, eo situ locata ut inferiori loco essent חלבים adipes, supra illos pectus [18] & femur, tum duo renes & supra illos omentum jecinoris: quod si panis adesse debuit, ponebatur supra hæc omnia. *Siphra fol.* * 40. 1. Ablegmina quidem in altari exteriori comburebantur: [19] cetera dividebantur inter sacerdotes & personas offerentes, ita ut sacerdotes nanciscerentur pectus & femur (חזה ושוק) [20] in quæ tamen jus non habebant אלא לאחר הקטיר חלבים antequam adipes essent oblati in altari. *Siphra fol.* * 40. 2. Ex serto habebant placentam rite elevatam: reliqua excepto pugillo, & thure altari sacro, tradebantur offerentibus. *Lev.* 3. 14.

§. VI. Comestio.

VI. [21] Carnes hæ sacerdotum coctæ, quod non adeo sanctæ essent ac carnes sacrificiorum piacularium & pro delicto, [22] a sacerdotibus puris, non tantum masculis, sed & fæminis, ipsisque servis & vernis emtis, comedebantur vel in atrio vel extra templum in ædibus privatis, modo extra mœnia Hierosolymæ non efferrentur. *Levit.* 22. 11. *Deut.* 12. 18. [23] Carnes autem, quæ dominorum erant, in urbe comedebantur ab ipsis & domesticis eorum, & convivis, sive Levitis, sive aliis, at puris, habita ratione carnium ne polluantur, & quidem eo ipso die vel sequenti. *Levit.* 7. 17. id est, per dies duos & noctem unam, uti Judæi loquuntur. His autem, si in atrio templi carnes suas comedere vellent, etiam vinum modice bibere permissum erat, nequaquam vero sacerdotibus.

COMMENTARIUM IN CAPUT QUINTUM.

[1] P *Privata a Judæis &c. Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum IX.* 5. Quæ pacifica a privatis offerebantur hominibus, eorum erat genus triplex; unum cui panis adhibebatur nullus, veluti pacifica feriarum & lætitiæ, alterum autem eorum, quæ offerebantur ex voto sponsioneque, cui panis adhibebatur, nimirum hoc illud est, quod *Eucharistia* dicitur, atque panis huic adhibendus itidem panis Eucharistiæ vocatur; tertium genus pacificorum erat illud, quod offerebat Naziræus eo die, quo Naziræatum suum compleverat, atque huic quoque panis adhibebatur, huic autem nomen erat *aries Naziræi*.

[2] *Hujus victimæ &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Sevachim*. Pacificum tantum ex adipe offerebatur, & si pro homine privato fiebat, Sacerdotes sibi exinde pectus & armum sumebant, possessores vero comedebant residua in quovis Hierosolymæ loco, sive viri sive fœminæ essent. *Et in tractatu de ratione sacrificiorum faciendorum cap. IX.* 11. Pectus autem & femur a Sacerdotibus comedebantur sicut est in Lege. *Pectusculum enim elevationis, & armum separationis*. Num. 6. 19. reliqua vero pacificorum comedebantur ab ipsis offerentibus. Nec vero Sacerdotes acquisierunt pectus & femur, nisi postquam exta adoleverant. Et quicquid panis cum sacrificio Eucharistico agitabatur, & cum ariete Naziræi, atque armus coctus comedebatur a Sacerdotibus, reliquum autem panis, & carnis offerentibus erat comedendum: Atque panis agitatus, & simul una pectus, & femur & sacro priori Sabbatum vocabatur *separatum ex Eucharistia*, armus autem coctus, ac pectus, & femur & sacro posteriori sublatum, & simul panis agitatus vocabatur, *separatum ab ariete Naziræi*. Qui panis separabatur ex Eucharistia, is pro dubia oblatione habebatur; In hoc adeo non item, ut in oblatione certa, frendi capitali locus erat, nec additioni quintæ partis, neque porro hic itidem uti certa oblatio ad res inficiendas valebat. Siqui sacrificium Eucharisticum offerret, sacerdos esset, ipse panis reliquias comederet, non secus ac si hoc sacrificium fuisset alicujus Israelitæ. Nam qui panis adhibebatur sacrificio Eucharistico, velarieti Naziræi non vocabatur fertum.

[3] *Et panis iis junctus &c. Tosaphta Menachoth cap. VIII.* 17. Eucharisticum constabat e quinque satis Hierosolymitanis, quæ erant sex deserti, deprehenditur, Hierosolymitanum deserti satum sexta parte superasse. Aries initiationis offerebatur cum azymis, quæ sunt in Eucharisticis, scil. placentes, lagantis, & frixis; ejus oleum erat ut oleum sacrificii Eucharistici, & agitatio, ut illius agitatio. Aries Naziræi continebat duo genera azymorum, ut Eucharisticum, habebat secum placentas lagana, sed non frixa, ejus oleum erat ut oleum sacrificii Eucharistici, & ejus agitatio ut agitatio sacrificii Eucharistici. Si mactaret Eucharisticum intra meænia, & ejus panis esset in Beth-Phage, non sanctificatur panis, si omnes intus essent, & eorum unus foris esset, non sanctificatur panis? Si mactasset, & deprehenditur animal ab homine initum, aut quod coiit cum muliere, ad idoli cultum destinatum, pro numine cultum, meretricis munus, pretium canis, non sanctificatur panis. Hæc est regula generalis, domine animal priusquam mactetur si reprobum erat, non sanctificatur

pa-

panis, si extra tempus mactaverit, & extra locum suum, sanctificatur panis, si mactasset, & discerptum deprehenderetur; sanctificatur panis, si mactasset, & maculatum deprehenderetur. R. Eliefer dicit, sanctificatur; & R. Jehosua dicit non sanctificatur panis, verba R. Meyr. Dicit R. Jehuda non dissenserunt R. Eliefer & R. Jehosua pro eo, quod mactasset extra tempus suum, quod sanctificetur panis, & pro eo quod mactaret, & maculatum deprehenderetur, quod non sanctificetur panis; at de qua re dissenserunt? de eo animali, quod mactasset extra locum suum, quod R. Eliefer dicit, sanctificatur, & R. Jehosua dicit, non sanctificatur; ei dicit R. Eliefer, nonne mihi concedis, quod si mactaverit extra tempus suum, sanctificetur panis? etiam quando mactaverit extra locum suum, sanctificabitur panis; ei respondit R. Jehosua, nonne tu mihi concedis, quod si mactaret, & deprehenderetur maculatum, non sanctificetur panis? etiam quando mactaverit extra locum suum, non sanctificandus erit panis. Ei respondit R. Eliefer, tu id æquiparas maculato, & ego æquiparo ei, quod extra tempus suum mactatum sit; videamus cui sit illud simile? si sit simile maculato, a maculato docebimur, si sit simile ei, quod extra tempus suum mactatum sit, docebimur ab eo, quod extra tempus suum mactatum sit. R. Eliefer dicit, quod est extra tempus suum, cogitatione fit reprobum, & extra locum suum etiam cogitatione fit reprobum, neque probet maculatum, quod non cogitatione, sed actu tantum fit reprobum. R. Jehosua dicit, maculatum est reprobum, & in eo non est excidium; quod extra locum suum, mactatum est, est reprobum, & in eo non obtinet excidium, & non probet, quod est extra tempus suum, mactatur quod est abominandum, & in eo obtinet excidium. Sacrificium Eucharisticum obligatur ad panem, & id quod per errorem offertur, non obligatur ad panem; quodnam est, quod per errorem offertur? Si quis separaret sacrificium suum Eucharisticum, & amitteret, & alterum ejus loco separaret, neque tempus habuit offerendi, cum primum reperitur, e duobus astantibus primum offerendum est, & obligatur ad panem, & etiam ad libamina obligatur, & secundum offeretur, sed non obligatur ad panem, verum obligatur ad libamina. Qui pecuniam separat pro suo sacrificio Eucharistico, & amitteretur, & alios nummos separat, neque tempus habuit emendi sacrificium, cum priores reperiuntur, ex utrisque adducet sacrificium Eucharisticum, & offeretur, & obligatur ad panem, & obligatur ad libamina, & ex residuo adducet aliud sacrificium Eucharisticum, & offeretur sine pane, verumtamen obligatur ad libamina. Qui separasset pecuniam pro suo sacrificio Eucharistico, & amitteretur, & separaret aliud sacrificium Eucharisticum ejus loco, & priusquam offeratur, reperiuntur nummi, ex iis adducet sacrificium Eucharisticum & offeretur, & obligatur ad panem, & obligatur ad libamina, & sacrificium Eucharisticum offeretur, & non obligatur ad panem, verumtamen obligatur ad libamina. Qui separasset suum sacrificium Eucharisticum, & amisisset, & pro eo numos separasset, & priusquam ex iis compararet sacrificium Eucharisticum, reperitur sacrificium Eucharisticum, offerendum est, & obligatur ad panem, & obligatur ad libamina, & ex nummis comparabit aliud sacrificium Eucharisticum, & offeretur, neque obligabitur ad panem, verumtamen obligabitur ad libamina. Qui separasset suum sacrificium Eucharisticum, & amisisset, & aliud comparasset, atque etiam obtulisset, & deinde reperitur primum, offeretur, & obligatur ad panem, atque etiam ad libamina obligatur. Qui pecuniam separasset pro suo sacrificio Eucharistico, & amitteretur, & ejus vice pecuniam separasset, & ex ea sacrificium Eucharisticum comparasset, & obtulisset, & postea priores nummi reperti essent, ex iis adducet sacrificium Eucharisticum, quod ad panem obligatur, atque etiam ad libamina obligatur. Si ex iis emisset sacrificium Eucharisticum, & aliquid superesset, ex residuo afferet sacrificium Eucharisticum, & offeretur, & non obligatur ad panem, sed obligatur ad libamina. Priusquam mactatum esset, si extra murum educeretur, reducetur, & mactabitur, & est legitimum; sed si postquam mactatum est, extra murum egrediatur, spargetur sanguis, & ejus voto non satisfacit; sacrificium Eucharisticum licitum est ut comedatur, & panis est vetitus, postquam sparsus fuerit sanguis, separatur ex eo, qui intus est, pro eo, qui elatus est. Si priusquam mactatum esset, frangeretur panis, adducet alium panem, & mactabit super eo, & est legitimus, si postquam mactatum esset, frangeretur panis, aspergetur sanguis, & suo voto satisfaciet, sacrificium Eucharisticum licitum est, ut comedatur, & panis est vetitus, postquam sparsus fuerit sanguis, separatur ex integro pro fracto. Si postquam mactatum esset, pollueretur panis, sanguis aspergetur, & non satisfacit voto suo, sacrificium Eucharisticum licitum est ut comedatur, & panis est vetitus, postquam sparsus fuerit sanguis, separatur ex puro pro immundo. Si attulerit sacrificium Eucharisticum, dimidium ex profano, & dimidium ex decima, adducet suum panem ipsi similem, dimidium ex profano, & dimidium ex decima. Potest adduci sacrificium Eucharisticum, & ejus panis ex decima, sed ejus debitum non adducendum est nisi ex profano, juxta versiculum qui dicit: *celebrabis hunc morem sacrorum mense isto*. Exod. XIII. 5. Sicuti hoc non poterat adduci nisi ex profano, ita reliquum omne debitum non est adducendum nisi ex profano. Non adducendum est ex frumentis decimæ secundæ, verumtamen ex pecunia decimæ secundæ. Si quis diceret, ego voveo sacrificium Eucharisticum, & voveo pacifica debita, non adducet nisi ex profano. Libamina semper adducenda sunt tantummodo ex profano. Hinc est quod dixerunt; libamina, & munera, munus animantis, & ejus libamina, & panis sacrificii Eucharistici non sunt adducenda ex frumento non decimato, neque ex decima prima, de qua ejus ablatio ablata sit, neque ex secunda decima, neque ex rebus sanctificatis, quæ non essent redemtæ, neque ex eo, quocum ablatio mixta sit, neque ex proventu novo, neque ex fructibus anni Sabbathici, & si adduxisset, sunt illegitima; neque necesse est dici ex arborum præputio, atque e satis vineæ eterogeneis.

4 *Quatuor species rerum &c. Maimonides ibidem cap. IX.* 17. Qualis igitur erat panis ille, qui sacrificio Eucharistico adhibebatur? Nempe sumebant viginti decimas similæ, quarum e denis panem fermentatum efficiebant, & ex denis aliis panem azymum. Jam denæ illæ decimæ, e quibus fiebat panis fermentatus, dispertiebantur in placentas decem. Jam de ratione fermentandi afferebatur fermenti quod satis erat, indebatur hoc in mensuram, quæ porro replebatur. At enim mensura postmodum farinæ plus minusque continebat pro ratione fermenti, quod interdum spissum erat & durum, interdum molle. Sed non erat mensuræ cura nisi pro tempore præsenti, & ideo sat habebant si mensuram cujusque decimæ semel prorsus expleverant. Jam vero ex denis azymi panis decimis fiebant æquales inter se placentæ triginta, quarum singulæ denæ sui quæque generis erant. Nempe erant illarum denæ in furno coctæ, denæ factæ in modum laganorum, & denæ frictæ. At frigendi ratio erat ista. Diluebatur placenta aqua ferventi, ac coquebatur parumper, tum in sartagine, similique vasis genere sic, ut fere fiunt crustula, torrebatur, atque suo etiam perfundebatur oleo; hoc est illud quod passim dicitur, frigere. Sed quid tandem olei in has triginta placentas impendebatur? dimidium logi; hæc enim mensura Moysi in Synai tradita fuit, (*credat Judæus apella*) ex hoc oleo quarta pars impendebatur in id quod frigendum erat; pars octava in placentas & octava in lagano. Jam placentarum simila macerabatur octava parte logi olei, tum subigebatur, & coquebatur, lagana vero postquam cocta fuerant sua etiam octava parte logi olei perfundebantur. De cunctis sacerdos sumebat placentas quatuor, unam ex unoquoque genere, quia scriptum legitur; *unum (panem) ex omni oblatione*. Levit. VII. 14. Verum enim siquis panes cum Eucharistico sacrificio coquendos divisisset tantum in placentas quatuor, nihilominus officio fecisset satis; neque enim sunt præscriptæ quadraginta, nisi quia ita rectius sit & laudabilius. Attamen oportuisset, ut de massa farinacea necdum cocta placentam integram demeret sacerdos pro unoquoque oblationis genere; frustum autem de pane cocto non demebatur; nam quod in Lege est, *unum ex omni oblatione*, id hoc significat, sacerdos ne committat, ut frustum inde demat.

5 *Sacrificia hæc &c. Codex Kinnim cap. I.* 1. Quid

eſt נדר? ſi quis dixerit *en ſuper me holocauſtum*. Quid eſt נדבה? Si quis dixerit, *en hoc ſit holocauſtum*. Sed quid intereſt inter vota, & ſpontaneas oblationes? Si votiva obierint, vel abrepta fuerint, tenentur ad cautionem damni. Spontanea vero ſi obierint, vel abrepta fuerint, non tenentur ad cautionem damni. *Maimonides ibidem*. Cap. *XIV*. 4. Sed quale votum, qualis tandem ſponſio fuit? Nempe ſiquis ita diceret: *ecce ego in me recipio holocauſtum, ecce ego recipio in me pacifica*; *ecce ego in me recipio ſertum*, vel; *en ego pretium hujus pecoris in holocauſtum*, vel *pacifica in me recipio*, votum erat. Siquis autem ita diceret: *en erit pecus iſtud ipſum*, vel *ipſius pretium pro holocauſto*, *pro pacificis*; *en erit decima iſta pro ſerto*, hæc videlicet ſponſio fuerat. Quid autem inter vota, ſponſioneſque differebat? Voto obſtrictus, ſi poſtquam aliquid ſacrificio ſegregaſſet, id perderetur, aut ſubriperetur, damnum præſtaret adeo, donec ita ut voverat, ſacrum feciſſet; ſed qui fuerat ſponſione obligatus, quoniam hocipſum nuncuparat, id ſi poſthac moreretur, aut ſubriperetur, nequaquam damnum præſtabat. *Idem in præfatione ad codicem Sevachim*. Alterum autem genus, quod נדר vocatur, ſe habet hoc ſenſu, ſi dixerit: *promitto holocauſtum*, vel *promitto pacificum*. Sed נדבה hoc eſt; ſi is qui voverit, manum ſuam præſenti animo imponat animali, *hoc ſit holocauſtum*, vel *hoc ſit pacificum*. Differunt autem נדר, & נדבה in aliquibus; nam ſi quis נדר voverit, & ſacrificium iſtud perierit, tenetur ad reſtitutionem illius, at non ita in נדבה. Cæterum תודה *ſacrificium Euchariſticum* eſt ſi dixerit, *en ſuper me ſit ſacrificium Euchariſticum* atque hoc idem eſt cum *ſacrificio pacifico*, & cum eo venit *donum*, uti in tractatu Menacoth exponitur. Ex iis igitur, quæ tibi dixi, manifeſtum erit neminem in נדר neque in נדבה vovere poſſe ſacrificium expiationis pro peccato, neque ſacrificium pro reatu, ſed holocauſtum vel pacificum dumtaxat; quod e volucribus, & pecude fiebat.

[6] *Sacrificia, quæ &c. Libamina tamen adhibita fuiſſe teſtatur Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. II.* 3. Atqui ad pacifica diei feſti, & ad holocauſtum quod quiſque comparendo offerebat, adhibenda fuiſſe libamina colligitur ex eo quod in Lege eſt; *aut in ſolennitatibus veſtris*. *Num. XV.* 3.

[7] *Uti ſalutaria ſolennitatis &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Sevachim*. Quarta pars eſt, qua quis ad ſacrificium obligatur, dum advenerit certum aliquod tempus, nempe in tribus feſtis, nam quilibet Iſraelita in omni feſto ſolenni tenetur offerre holocauſtum, atque hoc vocatur *holocauſtum apparitionis*. Cæterum ſacrificium pacificum eſt id, quod vocatur *Chagiga*, eo quod ſcriptum eſt Deuteron. XVI. 15. תחוג ליהוה אלהיך. Præterea aliud ſacrificium pacificum offerebatur præter Chagigam, quod vocabatur שלמי שמחה *pacifica lætitiæ*, de quibus ſcriptum eſt Deut. XVI. 14. ושמחת בחגך. Cæterum jam ſtricte expoſuimus horum trium ſacrificiorum ſenſum, & quinam ad ea obligantur, quomodo, quo tempore, cap. primo, & ſecundo tractatus Chagiga, & hæc omnia omnino ex debito offerunt, videlicet ſacrificium apparitionis coram Domino, Chagigæ, & lætitiæ. *Vide Codicem Chagiga, & Toſaphta Chagiga cap. I. & Maimonidem de ſacris ſolennibus cap. primo, & ſecundo*.

[8] *Quamvis Judæi &c. Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. I.* 4. Jam omnia Eccleſiæ univerſæ ſacrificia erant holocauſtum, & hoſtia pro peccato, neque enim in ſacrificiis publicis erant pacifica; excipiuntur agni illi duo, qui ad Pentecoſten cum pane agitationis immolabantur. Nimirum hi illi ſunt, qui dicebantur ſacrificia pacifica Eccleſiæ.

[9] *Sacerdotes &c. Maimonides ibidem cap. IX.* 4. Pacifica Eccleſiæ ita fiebant, jugulabantur, & aſpergebatur ſanguis ita, ut ante dictum eſt, detrahebatur inde pellis, atque eximebantur exta, quæ aſperſa ſale adolebantur; reliqua a Sacerdotibus maſculis in atrio comedebantur ita, ut hoſtia pro peccato, & hoſtia pro delicto, quippe quæ erant ſanctiora, ut ſupra diximus.

[10] *Ad ſeptentrionem altaris &c. Maimonides ibidem cap. V.* 3. Porro pacifica publica cum hoſtia pro peccato comparantur hoc Legis edicto: *Facietis & hircum pro peccato, duoſque agnos anniculos hoſtias pacificorum*. Levit. 23. 19. Itaque & illa itidem, ut hoſtia pro peccato ſanctiora erant, & eodem atque illa loco (*ideſt in aquilone*) jugulabantur. Idem vero & jugulandæ victimæ, & excipiendi ſanguinis locus erat.

[11] *Agitabantur autem bis &c. Toſaphta Menachoth cap. VIII.* 12. Sacrificia pacifica cœtus requirunt agitationem viva, & mactata, neque iis imponebatur manus. *Quomodo agitarentur legimus ibidem cap. VII.* 18. Quomodo agitabantur duo panes frumenti novi? uni agno unam placentam imponebant, & alteri agno alteram placentam, Sacerdos ſupponebat manum ſuam manui Sacerdotis, & agitabat hinc & illinc, & ſurſum, & deorſum, & hæc erat ejus agitatio. R. Joſe filius Meſullam dicit, pani imponebantur agni, juxta verſiculum qui dicit (Levit. 23. 20.) *Cumque elevaverit eos Sacerdos* על הלחם *primitiarum*; nonne dictum eſt; *cumque elevaverit . . . . . coram Domino ſuper duos agnos?* (ita Hebræus). Eis reſpondit, invenimus rem indeciſam; ei dixerunt, quid reperimus in ariete initiationis? panem ſupra, etiam hoc loco panem ſupra. *Maimonides de ſacrificiis jugibus, & addititiis cap. VIII.* 11. Atque hæc erat ratio agitandi panis ſimul cum duobus agnis pacificis, adducebantur agni duo adhuc viventes, quoniam in Lege eſt: *cumque elevaverit eos . . . . elevatione*. Levit. 23. 20. Quamquam ſi Sacerdos eorum utrumque ſeorſum agitaſſet, bene fuiſſet. Exinde jugulabantur agni, ac corio exuebantur, tum Sacerdos utrique pectus & femur eximebat, quibus ad duos panes appoſitis ſupponebat manus ſuas, ac cuncta ſimul agitabat ad partem orientis, ubi prorſus omnia agitabantur ita, ut moverentur huc & illuc, ſurſum, & deorſum. Quod ſi ſingula ſeorſum agitaſſet, bene fuiſſet tamen; poſtea horum duorum agnorum adolebantur exta, & reliqua caro comedebatur a Sacerdotibus. Jam de placentis duabus ſumebat unam ſummus Sacerdos, & altera dividebatur inter omnes Sacerdotum curias; & ambæ comedebantur die illa tota, & dimidia nocte inſequenti ſic, tamquam caro victimarum ſanctiorum.

[12] *Privata offerri &c. Codex Menachoth cap. XIII.* 7. *Si dixerit*. Recipio in me ſacrificium Euchariſticum, & pacificum, adducat agnum. Si definivi jumentum, ſed neſcio quod, adducat juvencum, vaccam, vitulum, & vitulam. Si ex armento, ac neſcio quid definivi, adducat juvencum, vaccam, vitulum, vitulam, arietem, ovem, hœdum, hœdam, caprum, agnum, & agnam. *Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. I.* 11. Ad pacifica mares & fœminæ ex agnis, & capris, bobuſque adhibebantur majores, minoreſque.

[13] *Aves vero non licebat &c. Maimonides in præfatione ad codicem Sevachim*. Idque (*pacificum*) ex avibus, videlicet e turturibus, columbarumque pullis non tantum parabatur, ſed e tribus quadrupedum ſpeciebus, tam e parvulis, quam ex adultis, maſculis, fœminiſque. *Idem de ratione ſacrificiorum faciendorum ibidem*. Non adhibebantur autem ad pacifica volucres.

[14] *Victima jugulabatur &c. Codex Sevachim cap. V.* 7. Sacrificiorum pacificorum, quæ ſunt ſancta levia, mactatio in quolibet atrii loco (ſolebat fieri). *In quem locum ita Bartenora*. Mactatio eorum fieri poteſt in omni loco atrii; tres Legis ſectiones de Pacificorum mactatione loquuntur, una de jumento, altera de agno, tertia de capro; de jumento dicitur Levit. 3. 2. *quæ immolabitur in introitu tabernaculi teſtimonii*. De agna & capra dicitur Levit. 3. 8. *quæ immolabitur in introitu tabernaculi teſtimonii*; ad omnia atrii latera legitima dicenda, nam antea intelligitur omnis locus ante היכל *palatium*. *Maimonides ibidem cap. V.* 4. Quod autem victimas minus ſanctas per atrium totum etiam poſt templum jugulari licebat, inde efficitur, quod de pacificis ita præcipiatur; *immolabitur in introitu tabernaculi teſtimonii*. Levit. 3. 8. quo loco quoniam nulla potiſſimum plaga his victimis decernitur, ſane permittuntur omnes.

[15] *Sanguis exceptus &c. Codex Sevachim ibidem*. Sacrificiorum pacificorum, quæ ſunt ſancta levia &c. Sanguis eorum ſpargi debet duabus aſperſionibus, quæ ſint inſtar quatuor. *Vide Maimonidem ibidem*. *Cap. V.* 6.

[16] *Infra lineam rubram &c. Maimonides ad cap. VIII.* 9. *Codicis Sevachim*. Jam diximus cap. quinto hujuſce tractatus, quod ſacrificium pro peccato e pecude

cude requirat ſparſionem ſanguinis ad altare ſupra filum coccineum; ſanguines autem, qui infra iſtud filum ſparguntur, ſunt holocauſti, ſacrificii pro reatu, & pacificorum ſanguines, necnon Primogeniti, Paſchatis, & Decimarum, & jam expoſuimus vocem מעלה *ſuperius*, denotare ſupra filum coccineum, & למטה *inferius*, eſſe intra filum coccineum altare circa mediam illius partem cingens.

17 *Et una cum pectore &c. Codex Menachoth cap. V. 6.* Hæc requirunt agitationem, at non adductionem, logus olei leproſi, ejuſdemque reatus, & primitiæ ſecundum R. Elieſerem filium Jacobi. Sic etiam adipes ſacrificii pacifici pro privatis, pectus, & armus illius, ſive ad viros ſive ad mulieres Iſraelitas pertineant, ſed non ad alios, item duo panes, atque duo agni feſti hebdomadum. *Toſaphta Menachoth cap. VII.* 17. Quomodo agitabat pacifica privati? ſeparabat ex his duos renes, & reticulum jecoris, & caudam agni, pectus, & femur, & ſuper his addebat armum, & panem, & dominorum manibus imponebat, & Sacerdos dominorum manui ſuam manum ſupponebat, & agitabat huc & illuc, ſurſum, & deorſum, & hæc erat eorum agitatio. *Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. IX.* 5. In his tribus generibus hæc erat faciendi ratio; jugulabantur hoſtiæ, & excipiebatur ſanguis ita, ut diximus, deinde corium erat detrahendum, atque eximenda exta; tum in artus diſſolvenda caro, poſt ſecernendum erat pectus, & femur dextrum, & his conjuncta exta imponebantur offerentium manibus, quibus manum ſuam Sacerdos ſupponebat, atque omnia ante Dominum agitabat in parte orientis, nam quicquid agitari oportebat, in parte orientis agitandum erat. Qualis erat iſta agitatio? Nempe movebatur huc & illuc, ſurſum, & deorſum. Quod ſi ſacrificium eſſet Euchariſticum, ſumenda de pane, quæ huic adhibebatur pars decima, quæ cum pectore, femore, & extis conjungeretur, tum cuncta in manibus offerentium agitabantur ſic, ut modo diximus. Atque in manibus offerentium hic erat rerum diſponendarum ordo; in ipſis offerentium manibus collocabantur adipes, ſuper has autem pectus & femur, & ſuper iſta duo renes, & reticulum jecoris, & cum adhiberetur panis, is collocabatur ſuperior, tum cuncta ſimul agitabantur. Sacrificium ſi fuiſſet Aries Naziræi, eximebantur exta, & ſecernebatur pectus & femur, & reliquum arietis coquebatur in atrio mulierum, tum Sacerdos ex ariete coctum armum ſumebat, ſimul & partem decimam panis ejus, qui ſacrificio adhiberetur, quæ conjungebantur cum pectore, femore & extis, cunctaque collocabantur in Naziræi manibus; tum manibus afferentium manus ſuas ſupponebat Sacerdos, & cuncta agitabat ita, ut ſupra poſuimus.

18 *Femur &c. Toſaphta Chulin cap. IX.* 8. 9. 10. *&c.* Quodnam eſt brachium? præcidebat a junctura, & totam commiſſuram cum eo, ſive ſit brachium ſanctitatis, ſive provinciæ. Quænam eſt gena? præcidebat a loco jugulationis, & totum locum jugulationis una cum ea. Ventriculus coaguli quo pacto eſt? Adeps, quo cooperitur, dandus eſt Sacerdoti. Dixit R. Jehuda, conſueverant Sacerdotes eum dominis remittere. Armus; hic eſt armus dexter, aut ego dicam, quod ſit ſiniſter; tu ita argumentaris; quoniam femur erat donum Sacerdotum, & armus erat donum ſacerdotum, quemadmodum femur non obſervabatur niſi dextrum, etiam armus non obſervandus erit niſi dexter. Femur a genu *ad inferiorem partem*, verba R. Jehudæ, & Sapientes dicunt a genu ad ſuperiorem partem. Quodnam eſt pectus? id omne, quod reſpicit terram ex ſuperiori parte uſque ad collum, ab inferiori parte uſque ad alvum, id præcidebat, & a duabus coſtis hinc & illinc abſtrahebat. Quænam erat cauda? præcidebat, & deſcendebat, donec perveniret ad dorſum, penetrabat in dorſum, donec ad commiſſuram perveniret, & integram præcidebat. *Maimonides ibidem.* In animante quicquid terram reſpicit uſque ad collum ex ſuperiori parte, & inferiori ad alvum, id pectus dicitur; cum hoc igitur coſtæ duæ hinc illinc præcidebantur. Et armus appellatur id, quod eſt a genu commiſſura ad acetabulum videlicet pedis anterioris; hæc enim membra duo inter ſe junguntur. Jam armus qui hic dicitur, armus eſt dexter, cujus e regione quod eſt in pede poſteriori, hoc nimirum illud eſt, quod paſſim dicitur femur. *Vide codicem Chulin cap. X. 4. & Maimonidem in præfatione ad Codicem Sevachim.*

19 *Cætera dividebantur &c. Toſaphta Menachot ibidem.* Pectus & femur, & armus, & panis oblatio comedebantur a Sacerdotibus, & reticulum jecoris & reliqua igni comburebantur. *Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum ibidem.* Pectus autem, & femur a Sacerdotibus comedebantur, ſicut eſt in Lege; pectuſculum enim elevationis, & armum ſeparationis. Num. *6. 19.* reliqua vero comedebantur ab ipſis offerentibus.

20 *In quæ tamen &c. Maimonides ibidem.* Nec vero Sacerdotes acquiſierant pectus, & femur, niſi poſtquam exta adoleverant.

21 *Carnes hæ &c. Codex Sevachim cap. V.* 7. Sacrificiorum pacificorum, quæ ſunt ſancta levia, mactatio fit &c. Et eduntur etiam in tota urbe (Hieroſolyma) a quovis homine, & quolibet eſcæ genere, ſed duobus diebus, atque nocte una. Elevatum ex illis, ſimile eſt illis, niſi quod elevatum manducatur ſolum a Sacerdotibus, eorum mulieribus, filiis, ſerviſque. *Maimonides ibidem cap. X.* Pacificorum pectus & femur comedebantur a Sacerdotibus maribus juxta atque fœminis, nam ad illa ſpectat id quod ſcriptum legimus; *tibi dedi & filiis tuis, ac filiabus tuis.* Item & quicquid demebatur de ſacrificio Euchariſtico, & de Ariete Naziræi; ſcriptum eſt enim, *omnes oblationes Sanctuarii quas offerent filii Iſrael Domino, tibi dedi, & filiis, ac filiabus tuis.* Num. 18. 11. 19.

22 *A Sacerdotibus puris &c. Codex Sevachim cap. XII.* Lavandus eodem die, & egens expiationibus, non capiunt partem de Sanctis ad edendum circa veſperam. Plangens tangit, ſed non offert, nec capit partem ad comedendum in veſpera. Vitiati ſive ſint vitia conſtantia, ſive vitia momentanea, participant, ac edunt, ſed non offerunt. Quiſquis non eſt aptus cultui, non participat de carne, & cuicunque non eſt pars in carne, ei etiam non eſt in pellibus. Etiamſi quis immundus ſit, hora ſparſionis ſanguinum & purus in hora adolitionis pinguedinum, non participat de carne, quoniam dictum: *Qui obtulerit ſanguinem pacificorum, & adipem filiorum Aaron, ipſe habebit & armum dextrum in portione. Maimonides ibidem.* Sacrificia cuncta ſeu ſanctiora, ſeu minus ſancta non comedebant niſi homines mundi, & iidem circumciſi; etenim purgatus ab inquinamento, qui jam ſolis occubitum expectaſſet, nec dum piaculare ſacrum feciſſet, is etiam ſacrificiis non veſcebatur. Obſtructus ne ſacrificiis veſceretur interdictum erat, quia erat dubium utrum is eſſet incircumciſus. Androgynus autem, ut mihi quidem videtur, ſacrificiis minus ſanctis veſceretur licebat; *Vide ibidem paragr.* 19. 22.

23 *Carnes autem &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Sevachim.* Pacificum tantum ex adipe offerebatur, & ſi id pro homine privato fiebat, Sacerdotes ſibi exinde pectus & armum ſumebant, poſſeſſores vero comedebant reſidua in quovis Hieroſolymæ loco, ſive viri, ſive fœminæ eſſent.

CAPUT SEXTUM.

De primogenitis animantium, decimis eorundem, & agno paschali.

§. I. De tribus reliquis sacrificiorum generibus.

I. Postquam de quatuor summis generibus sacrificiorum egimus, ad reliqua tria transitum facimus, quæ non recensentur in enumeratione præcipuorum sacrificiorum *Levit.* 7. 37. 38. quæque privata tantum erant, & a quibusdam annumerantur sacrificiis salutaribus privatis, quia cum iis conveniunt in loco jugulationis, combustione ablegminum, & personis comedentibus quæ vel fœminæ vel servi sunt, & tempore comestionis, excepto agno paschali.

§. II. Lex de primogenitis.

II. Omnes primogenitos sibi sacros esse Deus jussit, sed alia ratione filios primogenitos, alia pecudes mundas, alia denique immundas. Voluntas hæc Dei revelata extat *Exod.* 13. 2. *Num.* 3. 13. Et [1] lex quidem de primogenitis hominum & animalium immundorum sacerdotes & Levitas non obligabat. *Num.* 3. 45. & 18. 15. *Mechilta* 15. 2. sed de primogenitis pecudum mundarum, id est boum, ovium & caprarum, quas æque offerre tenebantur ac reliqui Israelitæ. *Becoroth.* II. I. [2] Nunc templo destructo primogenita *pascunt donec labem contrahant*, ירעו עד שיסתאבו & tunc a dominis comeduntur.

§. III. Locus, unde adducuntur.

III. [3] E terra Israelitica adduci debuere primogenita animantium; quod ex *Deut.* 14. 23. Judæi colligunt, ubi primogenita cum decimis frugum conjunguntur, quæ non nisi e terra Israelis adferri solebant. *Temura.* III. 5. [4] Quod si aliquis illa ex regionibus extra terram in terram Israeliticam adduxisset, offerri debebant, si integra & legitima essent: si non, comedebantur cum vitiis, ac si ex terra Israelis venissent.

§. IV. Primogeniti hominum.

IV. [5] Hominum quidem primogeniti respectu matrum redimebantur die 30 ætatis quinque siclis, quos sacerdos accipiebat. *Num.* 18. 16. [6] Horum singuli argentei stante templo II. dicuntur æquasse pondus 384 granorum hordeaceorum. [7] Excipiebantur, qui e tribu Levitica erant: illi enim omnes Deo sacri erant. Inter Ismaelitas ἀπογόνους τοῦ Ἰσμαὴλ etiam hunc morem viguisse, *οἱ ἀντιλυτρεύουσι τοῖς εὐθυγενέσι βρέφεσιν ἄργυρον καὶ τοῦτον προσκομίζουσι τῷ θεῷ* notat Theodoretus, *quæstione* 38. *in Leviticum*.

§. V. Primogeniti asinorum.

V. [8] Primogenitus asini, animalis immundi, ipse quoque redimi substituta ove (aut si ovis ad manum non sit, pretio ejus, quod סלע erat) [9] vel capite truncari *Exod.* 13. 13. & [10] quidem בקופיץ *copide*, non alio instrumento, uti Judæi volunt, & dein sepelliri debuit, [11] isque, si Judæis credimus, solus; quia equi, cameli, aliæve species animalium immundorum apud Israelitas in Ægypto habitantes non erant. Quamvis *Num.* 18. 15. redemtionem animalis immundi ἁπλῶς lex divina jusserit. Confer caput primum codicis *Becoroth* & *Mechilta*. 35. 2.

§. VI. Primogenita animantium mundorum.

VI. [12] At primogenita pecudum mundarum intra primum ætatis annum (id est ab octavo ætatis die numerandum nisi cum vitio natum esset) adducta ad sacerdotes in templo ministrantes (vide *Nehem.* 10. 36. & *Gem. Hier. Challa.* 60. 2.) & Deo consecrata [13] hac formula הרי זה קדש *sacrum hoc esto*, jugulari in atrio debuerunt, sanguis adspergi [14] adspersione una ad basin, ablegmina Deo dari in altare & adoleri admixto sale, [15] & caro reliqua ab sacerdotibus comedi [16] per totam urbem Hierosolymitanam, quocunque modo in cibum præparata, sive assata, sive cocta, sive condita, secus ac cum agno paschali fiebat, qui nonnisi assatus comedebatur. *Zevachim*. V. 8.

§. VII. Vitia primogenitorum.

VII. [17] Quod si primogenitum vitio affectum esset, sive ab ipsa nativitate sive postea labem contraxisset, jugulari quidem non poterat, sed sacrum tamen erat, & quidem קדושתו מרחם *sanctitate ab utero matris nata*, secus ac decima & alia animalia. *Siphra* fol. 48. 2. Idcirco dandum erat sacerdotibus, [18] qui id comedere poterant ubicunque vellent, aut vendere aut gentibus in cibum dare *Deut.* 15. 21. *Maaser scheni.* I. 1, 2. [19] Si labem contraxerat intra annum, usque ad finem ejus anni dominus id retinere potuit, & post annum nonnisi ultra triginta dies, *Becoroth.* IV.

§. VIII. Primogenita quæ commercio sunt interdicta.

VIII. [20] Cæterum comedenda erant primogenita quæ labem contraxerant, nec commercium iis exercere licebat, אסור לסחור בהן. Res quas emere aut vendere non licet, octo recensent Judæi. Harum quatuor priores a commercio excluduntur ob excellentiam suam, quatuor posteriores ob vilitatem. Sunt autem hæ.

I.

1. הקדש וצדקה [21] *Sancta &* [22] *eleemosynæ:* non licet ad lucrum percipiendum aliis ea mutuo dare, aut [23] ex vasis nummisve sacris destinatis לברק הבית *reparationi templi* licet τῷ נזבר utilitatem capere.
2. בכור [24] *primogenita animantium*, quæ ob vitium in atrio jugulari nequeunt.
3. מעשר [25] *decima animantium*, si & hæc vitio contracto inepta essent jugulationi in atrio.
4. פירות שביעית [26] *fructus anni sabbathici:* sunt לאכלה *Lev.* 25. 6.
5. נבלות [27] *cadavera*.
6. טרפה [28] *discerptum*.
7. שקצים [29] *pisces immundi*, qui pinnas & squammas non habent. *Deut.* 14. 9. 10.
8. רמשים [30] *reptilia*.

Vendere quidem nonnulla ex his licebat, sed non ultra commercium exercere. Sic primogenita vitiata dabantur sacerdoti, qui ea comedere poterat ubicunque locorum, aut vendere aliis. *Maaser Scheni*. 1. 2. Sic cadaver venditur. *Deut.* 14. 21. Cæterum quædam ex hisce rebus octo mox recensitis sunt *usu quoque prohibitæ*, id est אסורים הנאה & quædam *esu* אסורים לאכלה. Esu prohibita sunt reptilia, pisces immundi, uti & omnia animalia immunda, sanguis, adeps חלב, &c. Usu prohibita sunt omnia quæ sunt esu prohibita exceptis hisce septem, e quibus duo priora per legem Dei prohibita, quinque reliqua per constitutiones doctorum.

1. Cadaver.
2. Adeps.
3. Pisces Immundi.
4. Reptilia.
5. [31] Membra vivi animalis.
6. Nervus luxationis.
7. [32] Sanguis.

§. IX. Quis de iis judicaret.

IX. De vitiis autem primogenitorum, sive manifesta essent & in oculos omnium incurrerent, sive dubium esset forentne קבועות [33] *perduratura*, an vero עוברות *peritura brevi tempore*, judicare nonnisi illorum hominum erat, [34] quibus a præside synedrii in terra Israelitica (quod proprie בית דין appellatur) hæc potestas data erat, [35] quique ממחי בית דין dicuntur: quorum sapientia inde colligi potest, quod si in urbe aliqua sapiens non esset, qui quæstionem de votis נדרים motam decidere posset, [36] tres idiotæ viri pii id præstarent: sed de primogenitis non ita, nisi vitium esset manifestissimum uti auris ablata, oculus effossus, &c. Vide, quæ habet auctor libri *Juchasin* in vita sapientis אילא *Ila*, qui habitabat in urbe Jasne, & pro inspectione pecudis primogenitæ tam perfectæ quam vitiosæ quatuor איסרות assarios accipiebat, si ex genere parvorum pecorum essent, si ex magnis, sex. [38] De vitiis iis agitur in *Becoroth. cap.* VI. uti & de vitiis hominum *cap.* VII.

§. X. Decima ex animantibus, Deo Sacra.

X. [39] Voluit Deus decimam pecudem ex bubus, ovibus & capris sibi sacram esse, ita ut non seligeretur ab ipso domino, sed nulla habita ratione præstantiæ animal quod decimo loco sub virga transiret, ei sacraretur. *Lev.* 27. 32. Quod si sacrificio aptum erat, [40] sine impositione manuum [41] jugulabatur in atrio, sanguis aspergebatur altari adspersione una, uti primogeniti & agni paschalis (*Zevachim*. v. 8.) excoriabatur, & ablegmina in altari offerebantur: caro ipsa a dominis offerentibus Hierosolymis comedebatur, uti decimæ secundæ: quod si temerata esset victima, etiam extra urbem comedi poterat. [42] debuerunt enim decima animantium comedi, qualiacunque essent, sive perfecta essent & viva, sive vitiata & viva, sive jugulata; non vendi. *Maaser Scheni*. 1. 2.

§. XI. Modus decimandi.

XI. [43] Hebræi ita describunt modum decimas pecudes legendi in *Becoroth*. IX. 7. Cogebantur omnes in caulam, cui erat exiguum ostium per quod nonnisi una simul ovis vel capra transire posset. Tum exeuntes dominus virga instructus numerabat & quæ decima egrediebatur, virga minio infecta notabat, dicebatque הרי זה מעשר *hoc decimum sacrum esto*. *Gem. Becoroth*. 58. 2. Ad hunc morem respici *Jer.* 33. 13. *transibunt pecudes* על ידי מונה *sub manu numerantis*, multi putant: alii tamen existimant iis verbis indicari numerationem, a villico præsente domino institutam quum pecudes caulam ingrediuntur, vel a pastoribus qui τὰ μᾶλα ποθέσπερα ποτ' ἀριθμεῦντι, uti canit Theocritus *idyll.* VIII.

§. XII. Tempus.

XII. [44] Tria tempora sunt decimationi pecorum destinata, quæ Hebræis גרנות *areæ* appellantur, dies decimus quintus ante festum paschatis, dies 15. ante pentecosten, & dies

& dies 15 ante festum tabernaculorum. *Becoroth.* IX. 5. [45] Hæc autem tempora constituerunt, ut pecudum copia esset in usum eorum qui ad solennia festa quotannis adscenderent: quia vendere aut jugulare illas ante decimationem non solebant (quamvis liceret: vide *Gem. Hier. Rosch hasschana.* 56. 4.) quia plerique malebant præceptis Dei satisfacere, quamprimum tempus advenerat, maxime quum id sine damno fieri poterat: ipse enim dominus has decimas comedebat. *Gem Becoroth.* 58. 1. Cæterum novilunium mensis Elul est initium anni pro decimandis pecudibus: sic ut ovis eo anno nata diceretur quæ inter initium unius Elul & initium alterius nata esset. *Rosch hasscana.* I. 1.

§. XIII. Quæ decimanda sint

XIII. Nata debuerunt esse hæc animalia decimanda eo [46] anno in grege domini sui, [47] non emta, vel dono data, quæ legi decimarum non adstringuntur. *Becoroth.* IX. 3. [48] & nisi 10 talia fuerint, non decimantur. [49] Præterea, quum lex dicat non esse distinguendum inter bonum & malum, tradunt Hebræi omne genus pecudum aptum decimationi esse, licet ineptum sit sacrificiis, uti destinatum cultui idolorum, hermaphroditum, &c. Exceptis tamen discerptis, morbo confectis, miscellis, orphanis, e latere materno excisis, & מחוסרי זמן quorum tempus decimandi nondum advenit. *Becoroth.* IX. 4.

§. XIV. Sacrificium agni paschalis.

XIV. Ultimum ex septem sacrificiis ante recensitis fiebat agno, quem quotannis die decimo quarto mensis Nisan inter duas vesperas sibi offerri Deus voluit. Appellatur autem hoc זבח *Num.* 9. 7. θυσία Josepho *Ant.* XI. 4. Græci dicunt, διαβατήρια θύειν. & πάσχα θύειν. *Marc.* 14. 12. Verum & θύειν usurpant Græci etiam de iis quæ proprie sacrificia dici nequeunt, uti Xenophon ἀναβας. Κυρ. *lib.* 1. τὰ Λύκαια ἔθυσε, ad quæ Aristides notat τῷ ὀνόματι τῆς ἑορτῆς οὕτω κέχρηται ὡς αὐτῷ θυομένῳ. Dicitur etiam ποιεῖν Πάσχα, *Matth.* 26. 18. Et quamvis ποιεῖν, uti & ῥέξαι, id est, ποίησαι (vide Suidam ad hanc vocem) & *facere* apud Romanos idem sit quod θύειν & sacrificare, quia tamen etiam de festis legitur ποιεῖν, uti ποιεῖν τὰ Ὀλύμπια apud Xenophontem *lib.* VII. ἱστορ. hoc solo argumento non liqueret agnum paschalem [50] esse verum sacrificium.

§. XV. Agnus qualis esse debeat.

XV. [51] Ad hoc sacrificium requirebatur שה *pecus*, quæ ex duabus speciebus מן הכבשים ומן העזים *ex agnis aut bœdis* eligi debuit *Exod.* 12. 5. eaque immaculata, sexus masculini, & בן שנה quæ annum ætatis implevit. Agnus talis decimo mensis Nisan separari solebat a reliquo grege & servari diligenter ab omni macula, *Exod.* 12. 6. quem in finem lectis suis agnos alligare consueverant. *Kelim* XIX. 2. & hinc Clemens Alexandrinus στρωμάτων *lib.* II. *pag.* 280. Ἡ τοῦ Πάσχα ἑορτὴ ἀπὸ δεκάτης ἤρχετο. [52] Voluntque in *Pesachim* IX. 5. illam separationem a decimo die spectasse singulari ratione ad pascha Ægyptiacum, non ad paschata deinceps celebranda, פסחי דורות: & constat ex historiis posteriorum temporum agnos non decimo die, sed biduo, triduove demum postea a dominis acceptos fuisse & sacrificio paschali destinatos. Poterat etiam ante diem decimum agnus separari, & hoc respectu pascha censetur נרבה. *Chullin.* II. 10. [53] debuit tamen agnus ille ex חולין offerri, quia in Ægypto non erant sacra animalia, & ad paschatis Ægyptiaci imitationem offerendus est. *Menachoth* VII. 6.

§. XVI. Jugulationis tempus, inter duas vesperas.

XVI. Agnus ille die decimo quarto mensis Nisan jugulari debuit, *Exod.* 12. 6. [54] post peractum sacrificium juge vespertinum, sed ante adolitum suffitum & accensos lychnos, ut Judæi tradunt, in *Gem. Pesachim* 58. 1. תנו רבנן תמיד קודם לפסח פסח קודם לקטורת קטורת קודמת לנרות *Tradiderunt Rabbini. Sacrificium juge præcedit sacrificium agni paschalis. Agnus paschalis præcedit suffitum. Suffitus accesionem lychnorum*. Comedebatur autem nocte sequente, quæ partem faciebat diei decimi quinti, *Exod.* 12. 7. 8. Sacer codex tempus jugulationis *Exod.* 12. 6. definivit, בין הערבים *inter duas vesperas*: [55] per quæ verba Judæi Rabbanitæ [56] (Karæi enim dissentiunt) intelligere solent maximam, & tantum non omnem, temporis postmeridiani partem, sic ut innuatur spatium diei omne quod ab hora sexta, id est, meridie protenditur usque ad solis occasum. Alii vero putant proprie innui tempus proximum occasui solis, quod alias ἁπλῶς ערב *vespera* appellatur; etiam quum de paschate jugulando agitur, uti *Jos.* 5. 10. dicitur בערב esse jugulatum, quod *Num.* 9. 5. & alibi בין הערבים factum legitur. Ita quoque בערב *Exod.* 16. 8. legitur, & *commate* 12. idem tempus בין הערבים appellatur. Sic & in *Zohar in Numeros*, *fol.* 242. 2. sacrificium juge vespertinum nuncupatur קרבן דבין הערבין sic ut existiment tempus vespertinum, id est, quod proxime antecedit occasum solis, proprie a Deo esse destinatum jugulationi paschatis; sed quum id spatium non sufficeret postea jugulationi omnium agnorum florente republica Judaica, potuisse, imo debuisse, partem magnam inclinati jam in postmeridianum tempus diei jugulationi agnorum tribui. [57] Huc facit quod in *Negaim*.

II.

11. 2. & libro *Siphra fol.* * 107. 2. legitur: *non luſtrant plagas mane nec* בין הערבים *inter duas veſperas: Quando igitur? hora tertia, quarta, quinta, ſeptima, octava & nona*. Ubi opponuntur mane & τὸ inter duas veſperas, uti tempora obſcuriora & luſtrationi non opportuna: & poſt nonam innuitur incepiſſe proprie τὸ בין הערבים. Ita & Joſephus *lib.* VII. 45. *de bell. Jud. a nona ad undecimam*, ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης paſcha jugulari conſueviſſe ſcribit: quo tempore etiam Chriſtus, verus agnus paſchalis, exſpiravit. *Matth.* 27. 46. 50.

XVII. [58] Jugulatio peragebatur interea, dum ſacerdotes tubas inflarent, licet libamina hic nulla eſſent (vid. *Gem. Hier. Peſachim.* 32. 3.) & Levitæ hymnum canerent, ſive *Pſalmos* 113. . . 118. in atrio ab Iſraelitis, qui in tres catervas diviſi per vices in atrium intromittebantur, ita ut atrii fores mox clauderentur. *Eduioth*. v. 6. *Gem. Beracoth.* 19. 1. Non enim tunc, ut alias, Iſraelitæ victimas ad altare adducunt quas ſacerdotes jugulant, [59] ſed quiſque ſacerdotis vices gerit & jugulat: ἐν ᾗ (ἑορτῇ) οὐχ' οἱ μὲν ἰδιῶται προσάγουσι τῷ βωμῷ τὰ ἱερεῖα, θύουσι δ' οἱ ἱερεῖς, ἀλλὰ νόμου προστάξει σύμπαν τὸ ἔθνος ἱερᾶται τῶν κατὰ μέρος ἑκάστου τὰς ὑπὲρ αὐτοῦ θυσίας ἀνάγοντος τότε καὶ χειρουργοῦντος, uti Philo ſcribit *de vita Moſis*, *pag.* 686. [60] Sacerdotes quidem ſeriatim conſtituti ſanguinem ab uno ex ſocietate ſua exceptum vaſe בזיך de manu in manum tranſmittebant, donec ſacerdos altari proximus eum ad baſin altaris effunderet. *Peſachim*. v. 6. [61] Excoriationi autem tot agnorum quum non ſufficerent unci & columnæ quæ in atrio erant, dicuntur *baculos tenues* מקלות דקים humeris ſuis ſuſtinuiſſe, unde agnos ſuſpenſos excoriabant: [62] dein fiſſo agni ventre educebantur ablegmina ejus, & patinæ (מנים) impoſita comburebantur in altari. *Exod.* 23. 18. *Gem. Peſachim.* 65. 2. [63]. Ex numero renum (qui inter ablegmina ſunt) rex Agrippa legitur edoctus fuiſſe numerum Iſraelitarum. vide *Gem. Peſachim*. 64. 2. & *Echa rabbati*. 62. 1.

§. XVII. Ritus jugulationis.

XVIII. [64] Agnum ſibi redditum dominus portabat ab locum deſtinatum comeſtioni. [65] Debuit autem ille aſſari, [66] non coqui; צלי אש *igne aſſatum* comedetis illud. *Exod.* 12. 9. quod 2. *Chron.* 35. 13. dicitur מבשל באש. Confer *Gem. Nedarim* 49. 1. *Gem. Hier. Nazir.* 55. 3. & *Gem. Hier. Eruvin*. 20. 4. [67] Dicunt autem Judæi veru ex ligno malogranati ori agni infixum ipſum totum penetraſſe. *Peſachim*. VII. 1. & [68] ſuſpenſum eum fuiſſe in furno, ita tamen ut ignis in furno remaneret (debuit enim *ipſo igne*, באש, aſſari) [69] & viſcera ejus extra corpus agni protracta in furno ſuſpenſa fuiſſe, ne ſi intra agnum manſiſſent ſpeciem elixationis haberent. Furni hi paſchales [70] lateritii erant, [71] formam habentes ollæ ſine fundo, foramine inſtructi עין dicto (uti & Græci ὀφθαλμὸν vocant foramen per quod remi triremium mittebantur) per quod ignis immitti ſolebat & cineres educi. פה autem foramen erat in ſummo, per quod agnus paſchalis demittebatur in furnum, ſic ut agnus eſſet in medio furni & ignis infra eum: vide *Scabbath*. 1. 11. *Kelim*. IX. 8. *Eduioth*. VII. 7. *Taanith*. III. 8, *Moed katon*. 1. 9. *Bava bathra*. IV. 3. Ita vero aſſabatur agnus ut ligna agnum penetrantia formam crucis exhibuerint, quoniam lignum adactum erat per medium agnum ab imo ad ſummum, & aliud tranſverſum armos ipſos ſuſtineret, quod Juſtinus Martyr, Sichemis in terra ſancta natus & patre Samaritano, ipſe rituum Judaicorum gnarus, teſtatur *in dialogo cum Triphone Judæo*. [72] Oſſa autem confringi non debuere, & [73] ipſe agnus cum pane azymo & [74] oleribus amaris comedi a domino & convivis ejus, [75] quibuſcum *ſocietatem* quandam, חבורה, inivit, [76] quique non infra decem nec ſupra viginti eſſe ſolebant. Hinc eſt, ut quidam ſuſpicantur, quod Chriſtus Judam חבר, ἑταῖρον, appellat *Matth.* 26. 50. quia in eadem ſocietate cum eo agnum comederat, niſi forſan ad munus Apoſtolatus, quo eum promoverat, reſpiciat, quia erat חבר τοῦ Ἰησοῦ. [77] Nihil ex eo ſuperſtes manere debuit uſque ad mane: ſed eadem nocte comedi, [78] nec ultra mediam noctem, uti ſciſcunt doctores. *Gem. Beracoth.* 9. 1. [79] quod ſi tamen ſuperſtes aliquid fuiſſet, igne comburendum erat; [80] nec aliquid ex domo foras eſſerendum.

§. XVIII. Aſſatio & comeſtio.

CO-

COMMENTARIUM IN CAPUT SEXTUM.

[1] ET lex quidem &c. *Toſaphta Becoroth. cap. I.* Idem dices pro Sacerdotibus & Levitis, quia Sacerdotes & Levitæ obligantur ad primogenituram pecoris mundi, poſſem credere, quod etiam ad primogenituram pecoris immundi tenerentur, idcirco dicit: *tam de hominibus, quam de jumentis*. (Exod. 13. 2. qui pro homine tenetur, pro pecore etiam tenetur; ille, cui non eſt præceptum pro homine, non jubetur pro pecore; liberi ſunt Sacerdotes & Levitæ a primogenitura pecoris immundi, ſed non dant redemptionem filii, & redemptionem aperituræ aſini, niſi Sacerdotibus tantum. *Maimonides de primitiis animantium cap. I. 6.* Omnino capite Legis illo, quod de primo partu purorum animantium ſancitum eſt, obſtringebantur omnes, Sacerdoteſque, Levitæque, Iſraelitæque; cum igitur talis animantis partus primus proprius eſſet Sacerdotis, tamen huic ſuæ pecudes hujus generis ſi primum fœtum edidiſſent, altari ſanguinem ejus & exta ſic, ut ante diximus, offerret, carnemque comederet, ritu videlicet edendis animantibus primitiis adhibendo, quia enim in Lege ſcriptum videmus; *de primogenitis quæ naſcuntur in armentis, & in ovibus tuis &c.* Deut. 15. 19. At hac Legis clauſula, qua de homine primogenito præcipitur, & fœtu primitio pecudis immundæ, Sacerdotes & Levitæ ſoluti erant, quemadmodum in diſputatione de tributis Sacerdotum diſſeruimus.

[2] *Nunc Templo deſtructo &c. Maimonides ibidem.* His autem temporibus relinquitur primitia pecus, donec vitio corripiatur, ac tum denique comeditur.

[3] *E terra Iſraelitica &c. Codex Challah. cap. IV.* 11. Filius Antini adduxit primogenita e Babylonia, at non receperunt ab ipſo. *Maimonides in hunc locum:* Dicunt in Siphri, fieri poteſt, ut quiſquam primogenita e loco extra terram Iſraelis adducat, propterea dictum eſt, Deut. 14. 23.: *Et comedes in conſpectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit, ut in eo nomen illius invocetur, decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis & ovibus tuis;* id eſt de quo loco adducit decimas frumenti, de eo etiam adducet primogenita, e loco extra terram Iſraelis, de quo non adducuntur decimæ frumenti, non adduces primogenita. *Maimonides de primitiis animantium cap. I. 5.* Ac in illo quidem puro genere beſtiarum præceptum hoc de primitiis obſervabatur tam extra quam intra terram Iſraeliticam; neque tamen ex aliis terris in terram Judæam beſtiæ primitiæ adducebantur, nam quod a Lege dicitur: *Et comedes in conſpectu Domini Dei tui . . . . decimam frumenti tui, & vini & olei, & primogenita de armentis & ovibus tuis*, id hoc ſignificat, quibus e regionibus deportandæ decimæ frumenti ſint, & beſtias primogenitas armenti, gregiſque adducendas, & unde non ſint decimæ deportandæ, nec armenti, gregiſque beſtias præmitias abducendas.

[4] *Quod ſi aliquis &c. Offerri debuiſſe negat ibidem Maimonides.* Et vero communium beſtiarum loco habebantur iſtæ, quæ vitio cum primum eſſent affectæ comedebantur; tum ſi quando veniret uſus, ut ad ſacrificium beſtia talis præberetur, non accipiebatur, ſed eadem vitio correpta comedebatur. Atqui præceptum hoc de primitiis animantium, æque ac illud de frumenti decimis ſtante proſtratoque templo obſervandum erat.

[5] *Hominum quidem &c. Rabbenu Aſher in Bechoroth fol. 68. 2.* Quicumque natum ſibi habet primogenitum, tenetur ad eum redimendum quinque ſiclis, poſtquam ad diem triceſimum pervenerit, ſicut dicitur: *cujus redemtio erit poſt unum menſem.* Num. 18. 16. Et in tractatu citato fol. 49. I. Si moriatur natus intra triginta dies, ſique dederat pater pretium redemtionis, Sacerdos reſtituat, ſi moriatur poſt triginta dies, & pater non dederit pretium redemtionis, det. *Non erat redimendus neque ſervis, neque literis debiti, neque fundis &c. Codex Bechoroth cap. VIII.* 8. Non redimunt ſervis, neque literis, neque fundis, neque ſanctis. Si quis Sacerdoti conſcripſerit ſe ei quinque debere ſelas, tenetur eas dare, ſed filius illius iis redemtus non eſt, idcirco ſi ei Sacerdos quicquam dono dare voluerit, poteſt. Qui vero filii ſui redemtionis prætium ſepoſuerit, idque perierit, tenetur ad cautionem damni, ſicuti lex dicit; *ita tamen, ut pro hominis primogenito pretium accipias. Num.* 18. 15. *Toſaphta Bechoroth cap. VI.* 12. Qui diceret, hic vitulus ſit pro redemtione mei filii, filius non eſt redemtus; ſed ſi diceret, hic vitulus pro quinque ſiclis in redemtionem mei filii, & hæc veſtis pro quinque ſiclis in redemtionem mei filii, filius redemtus eſt; ſed non eſt redimendus ſervis, neque literis debiti, neque fundis; atque etiamſi diceret, hic ſervus pro quinque ſiclis in redemtionem mei filii, & hic fundus pro quinque ſiclis in redemtionem mei filii, filius non eſt redemtus. Si pater dediſſet quinque ſiclos quinque Sacerdotibus, filius redemtus eſt, ſi uni quinque vicibus dediſſet, filius redemtus eſt; ſi dediſſet, & deinde recepiſſet, filius redemtus eſt; ita faciebat R. Tarphon, ab eo accipiebat, & deinde reſtituebat.

[6] *Horum ſinguli &c. Codex Bechoroth ibidem.* Quinque ſelæ filii ſunt inſtar minæ Tyriæ; triginta ſervi, & quinquaginta illius, qui vi comprimit, vel ſeducit virginem, & centum illius, qui malam ſpargit de aliqua famam, hæ omnes cum ſiclo ſacro ſunt inſtar minæ Tyriæ, atque omnes redimuntur argento, ejuſve pretio, ſiclis exceptis. *Maimonides in hunc locum.* Jam aliquoties expoſuimus, quod סלע *Sela* cujus in Lege fit mentio, vocetur שקל *ſiclus*, atque etiam כסף *argentum*, ſicut dicitur, Deut. 22. 29. חמישים כסף, & Deut. 22. 19. dicitur ומאה כסף, & Exod. 21. 32. כסף שלשים שקלים; pondus illius eſt viginti quatuor drachmarum, drachma autem ſedecim granorum. Et ita ſe res habet ſecundum aliquot Gemaræ loca, atque hac in parte nihil occurrit dubii. Cæterum ego recepi a Domino meo patre f. m., & is a majoribus ſuis ore tenus; quod granum iſtud, quo ponderant, ſit granum hordeaceum, licet ratio hujuſce rei ſit ignota; propterea trecentorum & octoginta quatuor granorum hoc ſit pondus. Ego autem comperi drachmam Ægyptiam ſecundum grani hordeacei quantitatem eſſe ſexaginta & unius grani pondus, & hoc modo pondus ſelæ ſecundum drachmas Ægyptias erit ſex drachmarum, & nona pars propemodum. Porro mihi narravit dominus pater meus, quod is e reſponſionibus excellentis cujuſdam doctoris, & in Babylonia congregationis capitis collegerit, quod quinque ſelæ conficiant triginta tres drachmas cum dimidia, ita in reſponſionibus legebatur, ſed non expreſſum erat, qua drachma fieret ponderatio, neque quantum erat drachmæ pondus, ſed non dubito quin de drachmis Babyloniis id dixerit. At vero pondus quinque ſelarum ſecundum drachmas Ægyptias, uti jam diximus, eſt triginta & una drachma cum dimidio drachmæ. Sed triginta ſervorum ſelæ conſtant iſtiuſmodi drachmis centum & nonaginta cum dimidio excepta octava drachmæ parte. Sic etiam quinquaginta ſelæ ab eo qui virginem vitiaverit, vel ſeduxerit, ſolvendæ, conficiunt trecentas & quindecim drachmas, excepto drachmæ quartario propemodum. Omnia vero hæcce pondera intelligenda ſunt de argento puro abſque ulla miſcella. Porro ſcias volo, quod nobis ſit hypotheſis, verba Legis hac in parte de mina Tyria intelligenda eſſe, & omnium ponderum hac in Miſna dictorum quantitatem intelligi de argenteis Legis. Quæ vero ex conſtitutione ſapientum obtinent in dotalibus mulierum exponendis, pœniſque, ea intelligantur de argenteis provinciæ, nimirum, quod ea drachmarum quantitas ſit juxta monetam Hieroſolymitanam, quarum octava pars erat argentea, ſeptima vero æs; & hæc etiam a Domino patre meo accepi. *Et omnes redimuntur*, hoc ordine omnes, qui redimuntur, ii redimi debent argento, vel pretio illius, medio ſiclo excepto, qui erit ex argento puro non ſignato, ſicuti in tractatu de ſiclis exponitur. Scias quoque id quod auctor dicit, *hæ omnes cum ſiclo ſacro*, ejus ſenſum eſſe, quod earum rerum pondus ſit ſiclus ſacer. *Cum mina Tyria*, nempe res ponderari debent cum moneta Tyria. Nos vero neſcimus quænam erat moneta Tyria iſto tempore, idcirco ſtatuimus, quod omnia iſta pondera ex optimo conſtare debent argento. *Idem in ejus tractatu Sekalim cap. I. 2.* Pretium argenti in Lege conſtitutum illi, qui vi compreſſerit, vel blan-

blanditiis, pellexerit virginem, vel famam virginis læserit, vel interfecerit servum, ubique in Lege *siclo* determinatum est, cujus pondus est 320 granorum hordei. Anxerunt vero illud sapientes, ut pondus ejus æquaret pondus monetæ, sub Templo secundo *Selang* dictæ. Quantum est pondus τοῦ *Selang*? R. 384 granorum hordei mediocrium.

[7] *Excipiebantur &c. Codex Bechoroth cap.* I. 1. Sacerdotes & Levitæ sunt liberi omnino, nam si Israelitas in deserto liberaverint a primogenitura, æquum est ut se ipsos liberent.

[8] *Primogenitus asini &c. Tosaphta Bechoroth cap.* I. 15. Asina, quæ nunquam peperisset, & parit duos masculos, dabit unum agnum Sacerdoti, si masculum & fœminam, separabit, unum agnum, & eum pro se ipso retinet; duæ asinæ primiparæ, quæ duos masculos parerent, dabit duos agnos Sacerdoti, masculum, & fœminam, aut duos masculos & unam fœminam, dabit unum agnum Sacerdoti, duas fœminas & unum masculum, aut duos masculos & unam fœminam, dabit unum agnum Sacerdoti, duas fœminas & unum masculum, aut duos masculos & duas fœminas, & ignoraverit, utrum prius natus sit masculus, an fœmina, nihil accipit in his casibus sacerdos, sed separabit unum agnum, & eo redimet eorum singulos pro se ipso.

[9] *Vel capite truncari &c. Tosaphta ibidem*. Siquis haberet primogenitum asinæ, neque ei est facultas ejus redimendi, eique diceret Sacerdos, da eum mihi, quod ego redimam; non ei dabit, nisi quando certo sciערit, quod eum redimat; decollabit eum copide in posteriori parte, & sepeliet, & non licet ex eo commodum percipere. Non mactabit baculo, neque hasta, nec introducebatur domum, qua occlusa moreretur, si ita vero faciat, satisfacit debito &c.

[10] *Et quidem &c. Maimonides ad cap.* I. 7. *Codicis Bechoroth*. קופיץ est culter magnus in forma gutturis, quo lanii carnem dissecant. *Et Bartenora ibidem* קופיץ est exigua securis, qua carnem discindunt lanii.

[11] *Isque si Judæis &c. Tosaphta Bechoroth cap.* I. 2. In quolibet animali immundo non habes, quod teneatur ad primogenituram nisi tantum asinus; in qualibet fera non habes, quod sit vetita, ut sit ejus pretium, preter unum canem. R. Meyr dicit, qui observat præceptum primogenituræ asini, ei imputatur idem ac observasset omnino præceptum animalis immundi, & qui violat præceptum aperituræ asini, ei imputatur idem ac violasset præceptum omnium animalium immundorum.

[12] *At primogenita pecudum &c. Tosaphta Bechoroth cap.* III. Quamdiu Israelita obligatur primogenitis operam dare? in pecore parvo usque ad triginta dies, in magno quinquaginta dies. R. Jose dicit in parvo tres menses, quia diutius opis indiget. *Maimonides de primitiis Animantium cap.* I. 7. Primitia pecus intra primum ætatis annum comedenda fuit vel integra vel vitiata, quod a lege quidem his verbis declaratur: *In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos ..... Sin autem habuerit maculam .... intra portas urbis tuæ comedes illud*. Deut. 15. 20. 21. 22. Quæ si esset integra pecus, initium capiebat annus ejus ab octavo post ortum die, quo primum erat idonea ut sacrificaretur, sin cum vitio nasceretur, annus ejus initium duceret ab eodem illo die, in quo in lucem prodisset, modo constaret menses fœturæ plane completos esse, quia enim hanc comedi statim, atque nata fuerat, utique licebat, quod idem si minus certo cognitum esset, huic etiam ab octavo post ortum die demum anni ducendum erat initium.

[13] *Hac formula &c. Maimonides ibidem*. Officium pietatis erat, ut quisque primitiam bestiam mundam sacraret, ita dicens: *hæc sacra esto*, nam hoc sibi vult Legis edictum illud: *sanctificabis Domino Deo tuo* (*Deut.* 15. 19.) verum ea si verbis consecrata non esset, per se ipsa sacra foret tamen, ut cui Sanctitas e vulva matris existebat.

[14] *Adspersione una &c. Siphri ad cap.* XVIII. 17. *Num.* R. Josia dicit, *quia sanctificata sunt*, cur dictum est? ad includendam decimam & sacrificium Paschale, ut eorum sanguis una aspersione sit aspergendus, quia nunquam id in tota Lege audiveramus. R. Johak dicit, non id necesse est, quia jam dictum est; *Sanguis sacrificiorum tuorum fundetur*, ad includendam decimam & sacrificium Paschale, ut eorum sanguines unica aspersione aspergantur. Quid necesse erat, ut diceretur: *Quia sanctificata sunt*? ad includendam decimam, ut obligetur ad adolitionem adipum; quod in tota Lege non audiveramus. Aba Chanem nomine R. Elieseris dicit, cur dictum est? Quia erat argumentum, si in reliquis Sanctitatibus, in quibus non est æqualis aspersio sanguinum, est æqualis adolitio earum adipum, in decima & in sacrificio Paschali, quæ sunt æqualia in aspersione suorum sanguinum, non erit æquum, ut sint æqualia in adolitione suorum adipum? Igitur cur dictum est, *quia sanctificata sunt*? ea de causa, quæ dicta est; *sanguinem tantum eorum fundes super altare*. Unicam aspersionem tu dicis, unicamne aspersionem? ego dicam fortasse duas aspersiones, quæ erant quatuor; dixisti? *argumento probatur* a minori ad majus; si ubi multiplicat in adipidus (*in holocausto*,) minuit in sanguinibus, hic ubi minuit in adipibus, non erit æquum, ut minuat in sanguinibus? Aut in contrarium, si quando minuit in adipibus, multiplicat in sanguinibus, hic ubi multiplicat in adipibus, non erit æquum, ut in sanguinibus multiplicet? ideo dictum est; *& offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem, fundentes*; duas aspersiones, quæ erant quatuor.

[15] *Et caro reliqua &c. Siphri ibidem*. *Carnes vero in usum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum*; Venit textus, & æquiparat primogenitum pectusculo, & femori Pacificorum sicuti femur & pectus Pacificorum comeduntur in duobus diebus, & una nocte, etiam primogenitum comedetur in duobus diebus, & una nocte; ei dixerunt discipuli; præceptor noster, demonstra nobis; eis respondit; primogenitum est sanctitas levis, & pacifica sunt sancta levia; quemadmodum pacifica eduntur duobus diebus, & nocte una, etiam primogenitum comeditur duobus diebus, & nocte una; ita dicebat R. Jose Galilæus, quando venit ministratum Sapientibus; ei respondit Rabbi; Sacrificium pro peccato erat donum Sacerdoti, & primogenitum est donum Sacerdoti, sicuti sacrificium pro peccato comeditur uno die, & nocte una, etiam primogenitum comedendum erit uno die, & una nocte; ei dixit, mi fili; mihi addiscenda est res a re, & cognoscenda res a re; addiscam rem quæ sit sanctitas levis, a re quæ sit sanctitas levis, & non addiscam rem, quæ sit sanctitas levis, ab re, quæ sit sanctitas sanctitatum. Ei respondit Rabbi; addiscam rem a re, explicabo rem a re; addiscam rem quæ est donum Sacerdoti, ab re, quæ sit donum Sacerdoti, & non addiscam rem quæ sit donum Sacerdoti, ab re, quæ non sit donum Sacerdoti; sed donum cuilibet. R. Tarphon tacuit, & R. Akiba respondit, & dixit, mi fili ita interpretor: *Carnes vero in usum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum*; venit textus, & æquiparavit primogenitum pectori & femori pacificorum, sicuti pectus & femur pacificorum comeduntur duobus diebus, & nocte una, etiam primogenitum comeditur duobus diebus & nocte una; ei dicit, tu id æquiparas pectori & femori pacificorum, & ego id æquiparabo pectori, & femori sacrificii Eucharistici; sicuti hæc comeduntur uno die, & nocte una, ita primogenitum comeditur die uno, & una nocte; ei respondit; ita explico; sicut pectusculum consecratum, & armus dexter, tua erunt; non est necesse ut dicat, *erunt*, nisi quod textus præterea dicit, *erunt*, ut duobus diebus & una nocte comedantur. Dixit R. Simen; ecquid? undenam explicatur Sacrificium Eucharisticum? Num ex alio loco, quam e pacificis? Cum res per aliquem textum explicetur, tu per eum explicare volueris, ut explices per eum, qui explicatur? Igitur explicare non debes juxta ultimam opinionem, sed solum juxta primam explicationem. Sicut pectusculum consecratum, & armus dexter, tua erunt &c. venit textus, & æquiparat primogenitum pectori & femori pacificorum, sicuti pectus, & femur pacificorum eduntur duobus diebus, & nocte una, etiam primogenitum comeditur duobus diebus, & nocte una. Altera explicatio; non erat necesse, ut diceret, *erunt*, sed ad includendum primogenitum maculatum, quod erat donum Sacerdoti, quod non audiveramus in tota Lege. Etiam R. Elieser dicit duobus diebus, & nocte una; & ego dicam uno die cum ejus nocte; ideo dictum est; *In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos* Deut. XV. 20. Docemur, quod duobus diebus, & una nocte ederetur.

16 Per

[16] *Per totam urbem &c. Maimonides de primitiis Animantium cap. I.* 5. Extra mœnia Hierosolymæ Sacerdos si comedisset de primogenio bestiæ fœtu vel id quod magnitudine oleam æquipararet, verberibus multaretur ex hoc Legis edicto: *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, primogenita armentorum, & pecorum.* (Deut. 12. 17.)

[17] *Quod si primogenitum &c. Maimonides ibidem.* Primitia pecus intra primum ætatis annum comedenda fuit vel integra vel vitiata, quod a Lege quidem his verbis declaratur: *In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos . . . . sin autem habuerit maculam . . . . intra portas urbis tuæ comedes illud.* Deuter. 15. 20. 21. 22. Quæ si esset integra pecus, initium capiebat annus ejus ab octavo post ortum die, quo primum erat idonea ut sacrificaretur, si cum vitio nasceretur, annus ejus initium ducebat ab eodem illo die, in quo in lucem prodisset, modo constaret menses fœturæ suæ plane completos esse, quia enim hanc comedi statim atque nata fuerat utique licebat, quod idem si minus certo cognitum esset, huic etiam ab octavo post ortum die demum anni ducendum erat initium.

[18] *Qui id comedere &c. Tosaphta Becboroth cap. III.* 12. Schola Schamai dicit, non enumerabantur pro [illegible] primogenitis, nisi uni Sacerdotes tantum; & Schola Hillelis dicit, etiam Israelitæ. R. Akiba permittit etiam gentilem, juxta versiculum qui dicit; *vescentur eis quasi caprea, & cervo.* Deuter. 15. 22. Schola Schamai dicit; non comedendum præbetur mulieribus menstrualibus, & Schola Hillelis dicit, præberi potest comedendum mulieribus menstrualibus. *Bartenora ad cap. V. 2. Codicis Bechoroth. Israelita non annumeratur Sacerdoti,* ad comedendum cum Sacerdotibus in sodalitio e carne primogeniti vitiosi, quia Sacerdotale sodalitium id duntaxat comedit, quia scriptum est Num. 18. 18. *Carnes vero in usum tuum cedent &c.* quemadmodum ergo pectus & crus Sacerdoti cedunt, & non Israelitæ, ita quoque primogenita tam perfecta, quam vitiosa a solis Sacerdotibus, & non ab Israelitis comedi debent. *Schola Hillelis permittit etsi gentilis sit,* uti scriptum est Deut. 15. 22. כצבי וכאיל, quemadmodum ergo capream & arietem gentili licet proponere, ita quoque primogenitum. Et Lex supra allegata: *carnes vero in usum tuum cedent &c.* de primogenito perfecto intelligenda est. *Maimonides ibidem cap. I.* 3. Bestia munda primitia si vitio teneretur (nec quicquam intererat ab ortune vitiosa, an primum integra, posthac vitio correpta foret) ita Sacerdotis erat, ut eam, ubicumque loci vellet, comederet, venderet, & cunctis edendam daret, etiam ethnico, quoniam hæc erat profana bestia, quod licet cognoscere ex isto Legis edicto. Deut. 15. 21. 22: *Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cæcum &c. tam mundus quam immundus similiter vescentur eis quasi caprea & cervo;* ergo bestia talis omnino res propria Sacerdotis erat.

[19] *Si labem contraxerat &c. Tosaphta Bechoroth cap. III.* 1. Primogenitum perfectum hoc tempore retinere potest duos aut tres annos, priusquam illud penitus vitiorum æstimator inspiciat; postquam ab eo inspectum fuerit, si vitiosum factum sit intra annum, potest retinere duodecim menses integros, post duodecim menses non potest retinere triginta dies. *Maimonides ibidem cap. I.* 8. —— 10. Si bestia primitia medium intra curriculum anni vitiaretur omnino menses duodecim servaretur, licebat, sin ad extremum anni, permissum erat, ut porro triginta dies a concepto vitio servaretur, etiamsi servata post hos dies annum excederet; ut si dies quindecim ante finem anni sui vitio corriperetur, etiam ultra completum annum servari dies quindecim poterat; sin post exactum annum afficeretur vitio, licebat eam triginta dierum spatium servari, non amplius eo. His autem temporibus relinquitur primitia pecus donec vitio corripiatur, ac tum denique comeditur. Ac prius quam opus sit, ut ob affectionem corporis aliquam peritus vitiorum æstimator pecudem inspiciat, eam annos servari duos, tresque licet, eamdem ab homine prudente, cum primum inspici propter corporis affectionem convenit, duodecim menses totos servari fas est, siquidem vitium concepit intra primum ætatis annum; & dies omnino triginta, si vitium concepit post actum annum unum.

[20] *Cæterum comedenda &c. Codex Maaser scheni cap. I.* 2. Primogenitum vendunt perfecte vivum, & vitio laborans, ac mactatum, eoque desponsant fœminam. *Codex Bechoroth cap. V.* Omnia sancta reproba in macello vendi possunt, ibique mactari, & libra ponderari, primogenito, decimisque exceptis, quorum commodum cedit proprietariis; reproborum vero sanctorum commodum usui sacro cedit. In primogenitis una pars contra alteram ponderatur. *Maimonides ibidem.* Primitius bestiæ mundæ partus pretio redimebatur nunquam, de quo quidem Lex ita loquitur: *Primogenitum autem bovis, & ovis & capræ non facies redimi.* Num. 18. 17. Neque porro vendebatur vitio vacuus, quippe quem rei divinæ dicatum Sacerdos vendere nullo jure poterat; his autem temporibus quoniam nullum est templum, in quo primogenium animal immoletur, ipsum utpote comedendum Sacerdoti juxta atque Israelitæ vendere vel ab omni vitio vacuum & integrum licet. Rursus quovis tempore, stante disturbatoque templo licuit, ut Sacerdos bestiam primitiam vitio laborantem venderet, seu vivam, seu cæsam, at primitiæ bestiæ vitio laborantis caro cum venderetur, vendenda fuit, non in macello, sed domi, sicuti disputatione de rebus altari interdictis exposuimus. Non licuit autem primitiæ bestiæ prorsus omni vitio vacuæ vendere carnem, ut quæ sacra foret; attamen multi Sacerdotes cum participes essent unius bestiæ primitiæ, portiones inter se librabantur.

[21] *Sancta &c. Codex Meila cap. V.* Si quis e sancto pretium prutæ perceperit, etsi non nocuerit, prævaricatus est, ita R. Akiba. Sapientes dicunt, in omni re in qua non est damnum, non obtinet prævaricatio, nisi donec ei nocuerit; in omni vero re in qua non obtinet damnum, quia commodum ex ipsa percepit, prævaricatus est. *Maimonides de sacrorum abusu cap. I.* 1. Interdictum erat ne privatus homo fructum ullum perciperet ex rebus Deo sacris, nec vero quicquam differebat inter res altari sacras, & eas quæ templo reconcinnando dicatæ fuerant. Si quis igitur ex rebus Deo sacris utilitatem pro obolo ceperit, prævaricatione se obstrinxerit.

[22] *Eleemosynæ &c. Tosaphta Peach cap. IV.* 14. Eleemosynarum collectoribus non licet commutare invicem nummulos, etiamsi eorum alter pro eodem pretio nummulos redderet; etiamsi in via nummos inveniret, accipere non licet, juxta versiculum qui dicit: *eritis inculpabiles apud Dominum, & apud Israel.* Num. 32. 22. Non possunt invicem commutare intra atrium, aut intra tabernam. *Maimonides cap. VII. de donis Pauperum* 4. 5. Si collectores vellent nummulos commutare, eosque convertere in denarios, hoc iis illicitum erat, sed si ibi pauperes non sint, tum commutent eos cum aliis, sed *illi* non *commutabunt eos* pro semetipsis. Si aliquod commodum redundet pauperibus a detentione pecuniæ in manu collectoris, nempe si ea inducat alios, ut dent, tum licitum est collectori mutuo accipere eam pecuniam pauperum, & iterum solvere; eleemosyna enim non est sicut res sacra, ita ut prohibitum sit ea uti.

[23] *Aut ex vasis, nummisve &c. Codex Meila cap. V.* Quomodo? si collo imposuerit catenam, & annulum manui, & illa biberit ex vase aureo, quia commodum percepit prævaricata est. Si indusio se vestiverit, pallio se texerit, securi fiderit, non prævaricatur, donec ei nocuerit. *Maimonides de sacrorum abusu cap. V.* Nihil intererat utrum reficiendo templo sacrasses rem per se aptam refectioni, ceu lapidem & trabem, an templo reficiendo consecrasses rem altari convenientem, ceu agnos, & turtures, an altari consecrasses rem templo reconcinnando convenientem, uti lapidem, & trabem, an denique horum utique sacrasses res ejusmodi, quæ neutri congruerent, uti gallinas, acetum, muriam, agrum; immo si quis sacrasset sterquilinium plenum fimi, pulveris, cineris, omnia prævaricationi locum dabant, ex quo fuerant sacrata, donec redimerentur, si modo essent ejusmodi res, in quas redemtio caderet. Omnino omnia reconcinnando templo sacra cum sacris altari rebus ejusmodi, in quibus erat prævaricationi locus, conjungebantur in prævaricationem; itaque si quis ex his simul utilitatem pro obolo cepisset, prævaricatione teneretur. *Et capite sexto.* Sunt quædam rerum genera, quæ utendo nihil deteruntur, veluti vasa auri admodum puri, sunt alia quæ usu teruntur, veluti vestimenta, vasa argenti, ferri, æris, atque horum simi-

lia.

lia. Si quis ex ejusmodi re sacra, quæ terra non inhæreret, cepisset utilitatem pro obolo, siquidem ea res usu non terebatur, ut si quis uteretur sacris vasis ex auro puro, is prævaricatione teneretur. Sin tantumdem utilitatis cepisset ex ea re sacra, quæ scilicet usu terebatur, ut si quis vestes sacras induisset, si securi sacra ligna finderet, tum demum prævaricatione obstringeretur, si rem sacram reddidisset uno obolo viliorem; eam videlicet ipsam, ex qua commodum cepisset, ac capere studuisset; porro oportebat ut quantum ipse commodi cepisset, tantumdem rei sacræ detrimenti intulisset.

24 *Primogenita animantium &c. Codex Temura cap. III.* 5. Mutatio primogeniti, & decimarum, & filius, atque filius filii ipsorum usque ad finem mundi similia sunt primogenito, decimisque, & a dominis comedi possunt cum vitiis suis. Quæ differentia est inter primogenitum, & decimas respectu omnium sanctitatum? in eo quod omnes sanctitates in foro venduntur, ibique mactantur, atque librantur, primogenito, decimisque exceptis. Redimuntur, & mutationes ipsorum redimuntur, primogenito, & decimis exceptis. Veniunt extra terram Israelis in terram Israelis, primogenito, & decimis exceptis, si vero perfecta venerint, offerri possunt, si vitiosa comeduntur a dominis cum vitiis. R. Simeon quærit, quamobrem? quia primogenitum, & decimæ in loco suo alimentum habent, & cæteræ sanctitates, etsi vitium contraxerint, tamen in sanctitate sua manent. *Maimonides de rebus altari interdictis cap. I.* 11. Omnes omnino victimas, postquam profanatæ fuere, redemtæ essent, in macello jugulari licebat, atque divendi, & quidem per frusta libraria, veluti cuncta profana pecora excipiebantur animantes primogeniti, atque decimi, quorum pretium augeretur, si venderentur in macello. Reliquorum enim Sacrorum pretium ad sacrarium redibat, siquidem redacto inde argento emebatur alia pecus, quæ immolaretur, quapropter hæc in macello tanquam profanæ pecudes venibant; animantis autem primogeniti, item & decimi, quia pretium ad sacrarium non redibat, sed si, quemadmodum alio loco explicabitur, vitio afficerentur, comedebantur, idcirco nec eos in macello jugulari, nec divendi licebat. Quin etiam si quis animantis primogeniti pretium consecrasset ad reficiendum templum, tamen in macello per frusta libraria non divenderetur; nemo enim consecrare poterat, nisi quod sibi acquisitum esset omni modo.

25 *Decima animantium &c. Maimonides de primitiis animantium cap. VI.* 5. Bestiam decumam vendere sanam & integram nefas erat; nam a Lege quidem hac de bestia dictum est illud, & *non redimetur*. (Levit. 27. 33.) quo eodem edicto implicari quoque vendendi interdictionem, traditum est, ut eam omnino neque redimi, nec vendi liceret. Ego vero sic existimo; bestia decuma cum venderetur, ab venditore nihil actum, nec emtori acquisitum esse quicquam, & eam ipsam ob rem, venditorem illum nihilo magis verberibus coerceri, quam qui vendidisset aut Sacerdotum anathemata, quæ videlicet emtori acquisita non erant, aut captivam fœminam formæ gratia domum deductam, qua de re suo loco disputabitur. Porro sapientum edicto sancitum erat, ut bestia decuma vitio affecta ne venderetur nec cæsa quidem, ne usu veniret, ut etiam viva venumdaretur. Quocirca bestiæ decumæ portiones nec inter se sibi librabantur, id quod in animante primo partu procreata fieri licebat, quippe quod haberet venditionis speciem. Pupillorum autem decima pecus si post conceptum vitium cæsa fuerit, ut more solito veniret, concessum erat; hic enim ob rei pupillaris jacturam nihil interdictum esse voluerunt. Fas erat decumæ pecudis post conceptum vitium cæsæ adipem vendere, nervos, pellem, & ossa; sola caro ne venderetur, interdictum erat; attamen carnis pretium pretio pellis, adipis, nervorum ut includeretur, atque adeo ut conjunctim omnia venderentur, licebat. Immo si ossium esset grande pretium pretio carnis etiam adaugeri poterat. *Siphra ad Levit. cap. XXVII.* 33. *Non redimetur*, in primogenito dicit, *non redimetur*, & vendi poterat, in decima dicit *non redimetur*, nec vendi potest neque viva, neque mactata, nec perfecta, nec vitiata.

26 *Fructus anni Sabbathici &c. Tosaphta Scheviith cap. VI.* 9. Non vendendi sunt fructus anni Sabbathici mensura, numero, vel pondere, nec implebit vas & vendet uti est, aut canistrum, & vendere, uti est; sed ei potest dicere; ego nummo hoc vas tibi vendo, hac moneta hunc canistrum tibi vendo, non debet implere canistrum, & egredi, & eum vendere, & egredi, & eum in platea vendere, etiam in reliquis annis septennii vetitum est, quia dolus inesse potest. Schola Schamai dicit, non vendendi sunt pecunia fructus anni Sabbathici, sed solum aliis fructibus. Schola Hillelis permittit, non vendendi sunt fructus anni Sabbathici ei, qui de anno Sabbathico suspectus est nisi propter necessitatem trium conviviorum. Qua de re hæc dicta sunt? pro re, quæ conservari potest, sed res, quæ conservari non potest, etiam pro centum conviviis permissa est: *Maimonides de anno septimo cap. VI.* Fructuum anni septimi non fit mercatura. Quod si quis parum ex iis vendere velit, vendat. Eorum vero pretium censetur tanquam fructus anni septimi. Iisque emere licet cibos, eosque comedere in sanctificatione anni septimi. Ipse quoque fructus venditus eandem habet sanctitatem, quam ante habebat. *Et nonnullis interjectis*. Pretio fructuum anni septimi non solvunt debitum, non fiunt dona nuptialia, neque beneficia redduntur. Neque vero ex iis denegatur Elemosyna pauperibus in Synagoga, sed ex iis charitatis ac misericordiæ officia præstantur. Idque declarandum est. Item iis non emuntur servi, neque fundi, neque animalia immunda, quod siquis emerit, comedat alios cibos licitos, quos pari pretio emet, ut fit in decimis secundis. Neque ejusmodi pretio afferent paria avium, duos nempe turtures, aut duos pullos columbarum, sive oblationes fluxum seminis patientium, puerperarum pro peccato, & pro delicto. Quod si quis attulerit, pari pretio emat alios cibos licitos, quos comedat &c.

27 *Cadavera &c. Maimonides de cibis vetitis cap. IV.* Quicumque tantum, quantum est oliva comedit de carne bestiæ, quæ mortua est (*sine mactatione legitima*) aut feræ quæ mortua est, aut avis, quæ mortua est, is vapulat, quia dicitur Deut. 14. 21. *Quicquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo*. Quicquid autem non ut oportet, mactatum est, ecce illud mortuum est. In *Hilchoth Schechita* autem explicabitur, quænam mactatio legitima sit, quænam illegitima.

28 *Discerptum &c. Maimonides ibidem*. Quicumque tantum quantum est oliva, comedit de carne pecudis, feræ, aut avis, mundarum, quæ discerptæ fuerunt, is vapulat, quia dicitur, Exod. 22. 31. *Carnem quæ a bestiis fuerit prægustata non comedetis, sed projicietis canibus*. Discerptum, quod in Lege memoratur est quod discerpsit fera, v. g. Leo, pardus, & similes. Pari modo avis discerpta ab avi rapaci, v. g. accipitre &c.

29 *Pisces immundi &c. Tosaphta Chulin cap. III.* 24. Hæc sunt signa piscium; quicunque piscis qui habeat alam, & squammam, si habeat squammam, non inquiritur de ala, si habeat alam, & non squammam, immundus est; squammæ vero sunt eæ, quibus cooperitur; & alæ, quibus natat. Quot squammas habere debet? vel unam sub gena, & unam sub cauda; & unam sub ala; R. Jehuda dicit, duas squammas, si tum non haberet, sed post aliquod tempus habere debet, uti סולתנות, & נפיא sunt puri; si tum habeat, sed ei decidere debent tum cum ex aquis educitur, uti אנתינום, & פילמים קוללום, & ספתיאם, sunt puri. R. Jose filius Dormaschitæ dicit, Leviathan est piscis mundus, juxta versiculum qui dicit: *Corpus illius quasi scuta fusilia; compactum squammis se prementibus &c. & sternet sibi aurum quasi lutum* (Job. 41. 6.21.) *scuta fusilia* sunt squammæ; *& sternet sibi aurum quasi lutum*, hæ sunt ejus alæ. *Maimonides ibidem cap. I.* 24. duobus signis pisces dignoscuntur pinnis videlicet & squammis. Pinna natationis instrumentum est, & squamma adhærescente corpus tegitur. Piscis squammis vestitus, pinnis etiam instructus est. Si piscis squammas nondum habet, sed nascituras promittit ubi ipse creverit, vel si dum in aqua versatur, squammas habet, sed dum extrahitur, eas demittit, ecce piscis est esui aptus. Si quis piscis non totus squammis vestitur, nihilominus permissus est. Imo si vel una tantum pinna, & una squamma in eo comparet, vesci tamen illo licet.

30 *Reptilia &c. Maimonides ibidem*. En locusta im-

immunda eſt ex genere reptilis volantis; qui vero quantum eſt oliva de reptili volante comedit, is vapulat, quia dicitur: Deut. 14. 19. *Et omne quod reptat, & pennulas habet, & immundum erit, & non comedetur*. Quid igitur eſt reptile volans? eſt v. g. muſca, culex, crabro, apis, & his ſimilia. Quicunque ad magnitudinem olivæ de reptili terræ comedit; is vapulat, quia ſcriptum eſt; Levit XI. 41. *Omne quod reptat ſuper terram, abominabile erit, nec aſſumetur in cibum*. Quid eſt igitur illud reptile terreſtre? eſt v. g. talpa, crocodilus terreſtris, erinaceus, lacerta, ſtellio, limax, & Chamæleon. Quicunque de eorum carnibus quantum eſt lens, comedit, is vapulat.

[31] *Membra vivi &c.* Toſaphta Chulin cap. VII.8. membrum vivi animantis obſervatur in animali immundo, & mundo; quia ejus interdictum obſervatur tam a Noachidis, quam Iſraelitis; & pœna tenetur & propter membrum vivi animantis, & propter ipſum animal, verba R. Jehudæ. R. Elieſer dicit una cum ſapientibus, non eſt reus niſi propter membrum vivi animantis, juxta verſiculum qui dicit; *& idcirco non debes animam comedere cum carnibus*; Deut. 12. 23. Propter illud, cujus anima, interdictum eſt, ne comedatur cum carne, reus eſt, excluditur beſtia immunda, quæ tota interdicta eſt. *R. Levi ben Gerſon ad Deut.* 12. 23. Et idcirco non debes animam comedere cum carnibus, id eſt membrum de vivente, nimirum quia anima adhuc habet facultatem, qua immittere poſſet in illud membrum, neceſſarium illi nutrimentum. *Maimonides ibidem cap. V.* Traditione doctores noſtri a ſuis majoribus acceperunt verba iſta Legis (Deut. 12. 23.) *non debes animam comedere cum carnibus*, ſignificare quod ſit vetitus eſus membri de vivo animali reſecti. Imo quod de membro etiam viventis intelligenda ſint verba Dei ad Noachum (*Geneſ.* 9. 4.) *excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis*. Prohibitum autem his legibus cenſetur membrum vivæ pecudis, feræ, vel avis mundæ, non autem animalium immundorum.

[32] *Sanguis &c. Toſaphta Chulin ibidem*; Qui edit de membro viventis animalis, prævaricatur præceptum negativum, ſi de adipe vivi animalis, prævaricatur duo præcepta negativa & propter adipem, & propter membrum vivi animalis. Qui comedit ſanguinem vivi animalis, reus eſt propter duo præcepta negativa, & propter interdictum ſanguinis, & propter interdictum vivi. *Si edit* membrum vivi, reus eſt propter cadaver; ſi ſanguinem rei ſacræ, reus eſt & propter ſanguinem, & propter res ſacras, verba R. Jehudæ; & ſapientes dicunt, non reus eſt niſi propter unum tantum; qui comedit de cauda ſanctitatum, reus eſt propter duo præcepta negativa, & propter caudam, & propter beſtias ſanctificatas; ſi de adipe beſtiarum ſanctificatarum, reus eſt propter duo præcepta negativa, & propter adipem, & propter beſtias ſanctificatas. R. Jehuda dicit, quod tribus pœnis teneatur, propter adipem, & propter beſtiam ſanctificatam, & propter adipem beſtiæ ſanctificatæ. *Toſaphta Kerituth cap. II.* 18. Si fuerit ſanguis beſtiæ, quæ mucrone in jugulo percuſſa ſit, & ſanguis extirpationis calamorum, & ſanguis venæ ſectionis, cum quo anima exit, reus eſt pro eo (*ſi comedat*) Pro ſanguine expreſſionis, præmonetur. R. Jehuda dicit, reus eſt excidii. Sanguis ſplenis, ſanguis cordis, ſanguis renium, & ſanguis membrorum includuntur in præcepto negativo; ſanguis bipedum, ſanguis ovorum, & ſanguis reptilium vetitus eſt, tamen pro eo non ſit reus excidii; ſanguis piſcium, & ſanguis locuſtarum licitus eſt. *R. Levi ben Gerſon ad Levit.* 7. 26. *ſanguinem quoque omnis animalis non ſumetis in cibo tam de avibus, quam de pecoribus*; non oportet (*inquit*) nos hic exiſtimare, quod ſanguine feræ veſci liceat; jam ante enim expoſitum eſt ſectione ויקרא (Levit. III. 17.) in genere quod omnis ſanguis vetitus ſit . . . in voce *& beſtiæ* comprehenditur & fera & pecus; nam nomen בהמה generale eſt, & utrique competit. *Et iterum in commentar. in Leg. fol.* 158. *col.* 3. Non erant (*inquit*) rei excidii niſi propter eum ſanguinem, qui ſolet aſpergi altari, ſane propter ſanguinem expreſſum, & ſanguinem membrorum nemo eſt reus excidii. *Anima enim carnis in ſanguine eſt*, i. e. ſanguis eſt inſtrumentum animæ, per quod illa calidum radicale, & nutrimentum ad partes corporis deducit, & propterea moritur animal ſolo ſanguine ablato. *Maimonides ibidem cap. VI.* Quicunque ſanguinis tantum, quantum eſt oliva, ſciens, volenſque comedit, reus eſt excidii. Sed qui errore aliquo comedit, tenetur offerre ſacrificium pro peccato fixum. Et ex Lege manifeſtum eſt, quod non niſi is reus ſit, qui quemcunque ſanguinem pecudis, feræ vel avis mundæ aut immundæ abſumſit, quia ſcriptum eſt Levit. VII. 26. *Sanguinem quoque omnis animalis non ſumetis in cibo tam de avibus quam de pecoribus*. Fera autem ſub nomine beſtiæ comprehenditur, cujus ſignificationis exemplum habemus cum dicitur (Deut. 14. 4. 5. *Hoc eſt animal quod comedere debetis, bovem, & ovem, & capram, cervum, & capream &c. & paucis interjectis*. Illi autem ſunt rei excidii, qui ſanguinem edunt emanantem, dum animal mactatur, aut cæditur, vel dum caput abſcinditur, quandiu ille nativo colore ruber, & ſanguinem intra cor collectum, nec non ſanguinem venæ ſectæ, quamdiu manat & effluit. Sed propter ſanguinem ſtillantem quamprimum vena ſecta eſt, antequam incipiat manare & eum qui ſtillat ſub finem phlæbotomiæ cum manare deſinit, non cenſentur comedentes rei excidii, quippe cum ejuſmodi ſanguis ſit velut ſanguis membrorum; ſanguis enim fuſius manans eſt ille, cum quo anima exit. Excidii quidem rei non ſunt, qui ſanguinem expreſſum, & ſanguinem membrorum, v. g. ſplenis, renium, teſtium, vel eum, qui dum animal mactatur, ad cor confluxit, vel in hepate reperitur, comedunt, attamen ſi tantum comederunt, quantum eſt oliva, vapulant, quia dictum eſt (Levit. VII. 26.) *Sanguinem quoque omnis animalis non ſumetis in cibo*: & in loco illo, ubi docetur, quod comedens ſanguinem reus ſit excidii (Levit. 17. 11.) ait Deus; *quia anima carnis in ſanguine eſt*; adeoque nemo reus eſt excidii, niſi propter eum ſanguinem, cum quo elabitur anima.

[33] *Perduratura &c. Maimonides de rebus altari interdictis cap. I.* 10. Quid autem differebat inter contaminatam perpetuo, & affectam vitio temporali beſtiam? Nempe ſi quis contaminatam perpetuo vitio beſtiam conſecraſſet, fœtus ejus redimebatur, atque communis evadebat quamvis eſſet integer, eam ob cauſam ne acceſſio magis auguſta, quam ſors eſſet. ſi beſtia antequam redimeretur, fieret gravida, tum poſt factam redemtionem demum enixa eſſet, fœtus ejus communis fuiſſet. Eadem ſi moreretur ante factam redemtionem, poſt mortem etiam redimeretur; etenim conſecrationis religio perfecta cadebat non in corpus ejus, quæ perpetuo vitio contaminata erat, beſtiæ, ſed in pretium. Cum vero beſtia conſecraretur, aut vitio affecta temporali, aut integra, atque poſt dedicationem oboriretur vitium perpetuum, ſi moreretur beſtia, priuſquam pretio redemta fuiſſet, perinde ut integra reliqua ſacra, humaretur, quia enim iſtam ſacerdoti ſiſti oportebat, atque ab eodem æſtimari ſic, ut tractatu de æſtimationibus explicatum eſt. Sin necdum redemta jugularetur, redimeretur etiam dum moribunda tremebat, & poſtea demum eam comedi licebat; ſin peperiſſet, fœtus ejus immolaretur; ſin gravida facta eſſet ante redemtionem, & poſt redemtionem enixa, & fœtus interdiceretur, nec redimeretur. Quid igitur eo faciendum erat? Nempe proxime ad redemtionem matris de integro fœtus ejuſdem ſacri religione obligandus erat, utpote qui ob religionem matris immolari nequibat, quippe cum ortus eſſet ex pecore religione conſecrato, ſed quæ religio ſublata, abrogata fuiſſet. Et cap. II. ibidem. Vitia temporalia quatuor erant in homine æque & brutis animantibus. Scabies viridis, impetigo, quæ ab Ægyptia differret, ex oculis diſtillans aqua, ſed non continenter, & cœcitas item non perpetua.

[34] *Quibus a præſide Synhedrii &c. Codex Bechoroth cap.* IV. 4. Si quis non promotus primogenitum viderit, idque mactatum fuerit dicto ipſius, tum id ſepeliatur, & pretium illius e domo ipſius ſolvatur. Si jus dixerit, & reum abſolverit, vel contra, mundum dixerit immundum, vel contra, quod factum eſt infectum eſſe nequit, dummodo ſolverit e domo ipſius. Si vero a domo judicii promotus ſit, non tenetur ſolvere. Contigit aliquando ut R. Tarphon canibus objecerit vaccam, cujus mater ablata erat, & is caſus poſtea ad ſapientes delatus eſt, donec probaverunt. Dixit Todos ille medicus, non egrediebatur

batur

batur vacca nec porcus Alexandria, nisi donec matrem didicissent, ne pareret. Dixit R. Tarphon, aufugit tuus asinus Tarphon; dixit ei R. Akiba, R. Tarphon tu liber es, utpote a domo judicii promotus, quisquis autem a domo judicii promotus fuerit, is liber est. *Maimonides de primitiis animantium cap.* III. Omnino nullum ob vitium primitia bestia jugulabatur nisi permissu hominis in vitiis cognoscendis exercitati, cui porro princeps illius supremi senatus apud terram Israeliticam hujus rei potestatem dedisset, sic dicens, animantes primo partu procreatos tu propter conceptas maculas exauguratos jugulationi permittito. Quamvis igitur magnum vitium esset, omnibusque notum & manifestum, tamen animantis jugulationem permittere nullius erat nisi ejus, qui potestatem illam acceperat; talis igitur homo cujusvis primitiis animantium inspiciundis idoneus erat, suis non item.

[35] *Quique* ממחי בית דין *&c. Maimonides ad cap. IV.* 3. *Codicis Bechoroth.* ממחה est ejusmodi doctor, qui eruditionis & scientiæ suæ multa dedit documenta, & a Synhedrio examinatus est, & promotus, & idcirco מומחה בית דין *probatus a Synhedrio vocatur*. Si vero alicujus scientia in publico inclaruerit sponte, & non ex licentia & examine Synhedrii, is vocatur מומחה לרבים *probatus a multis*. Et quamvis a Synhedrio examinatus sit, nihilominus ei non licet primogenita dicere licita, nisi prius a Synhedrio licentiam impetraverit, qua primogenita vitiosa declarare potest licita. Cæterum in principio Sanhedrin quoque exposuimus, quod nullus senatus proprie dicatur בית דין, nisi is cujus doctores in terra Israelis promoti fuerint, sive ista promotio oretenus facta sit, sive subsignatione quod eligi possit in Ecclesiæ præsidem, nam terræ Israeliticæ incolæ vocantur קהל *cœtus*, & Deus usus est phraseologia *totius Ecclesiæ*, licet modo decem adfuerint personæ, sed cætera extra terram Israeliticam synhedria non curant in hocce casu, sicut expositum est in tractatu Horajoth. Nihil igitur doctorem quantumvis expertum juvabit synhedrium terræ exilii ad primogenita legitima dicenda, sed synhedrii terræ Israeliticæ licentia insuper accedat, ut in Gemara exponitur. Propterea si de מומחה aliquid audiveris in licentia primogenitorum, aut in aspectu vitiorum, scias ipsum esse doctorem expertum, cui a Synhedrio de primogenitis decidendi potestas data est.

[36] *Tres idiotæ &c. Codex Bechoroth cap. V.* 5. Si primogeniti oculus effossus sit, vel manus amputata, vel pes confractus, id non mactabitur trium testium Ecclesiasticorum dicto. R. Jose dicit, etsi viginti tres sunt, tamen non mactabitur nisi dicto alicujus promoti. *Maimonides de primitiis animantium cap.* III. 2. Si vir experiens nullus præsens adesset, qui de viciata primo bestia partu procreata consuleretur, ita res agebatur, vitium cum erat apertum & insigne, cum oculus exclusus, cum pes anterior abscissus, cum posterior infractus, trium e synagoga virorum permissu jugulabatur. Jam extra terram sanctam abducta bestia primigenia cum afficeretur insigni vitio, jugulationi permittebatur a tribus e Synagoga viris.

[37] *In vita sapientis &c. Codex Bechoroth cap. IV.* 5. Siquis mercedem sumserit ad primogenita inspicienda, non mactant dicto illius, nisi fuerit doctor probatus ut Ela in Jabne; etenim sapientes ei permiserunt quatuor assarios sumere pro pecore parvo inspiciendo, & sex pro magno tam perfecto quam vitioso. *Tosaphta Bechoroth cap. III.* 6. Quamvis dixerunt non posse judicem mercedem sumere ad judicandum, nec testem ad testificandum, qui suspectus est de sumenda mercede pro aspersione aquarum & consecratione, illius aquæ similes sunt aquis cisternæ, & illius cinis est cinis combustionis; si tamen esset Sacerdos, & se polluerit, ut de oblatione prima edere non possit, dabit ei comedendum, & bibendum, & unget ipsum. Si senex esset, in asinum attollet ipsum, dabitque ei suam mercedem tanquam operario otioso; tamen dixerunt turpe esse judici sumere mercedem. *Maimonides ibidem*. Bestiæ primogenitæ non jugulabantur ejus permissu, qui pro mercede perlustrabat eas, nisi longe consultissimus esset adeo, ut inter homines eruditos conveniret ei parem esse neminem; & eam ob rem huic eidem pro inspectione ac pervestigatione mercedem decreverint, seu vitiosa, seu reperiretur integra. Et hic ipse pro una & eadem hujusmodi pecude perlustranda semel tantum accipiebat, deinceps eam, quoties adducebatur, gratuito lustraturus usque, ne veniret in suspicionem.

[38] *De vitiis iis &c. Vide Tosaphta Bechoroth cap. IV. & Maimonidem de ratione adeundi templi cap. VII. & de rebus altari interdictis cap. II.*

[39] *Voluit Deus &c. Maimonides de primitiis animantium cap.* VI. Præceptum erat jubens, ut ex omni numero bestiarum mundarum, quæ nasceretur homini Judæo quotannis, Decima quæque Deo polluceretur, id vero præceptum non servabatur nisi pecore bubulo, oviarico, caprinoque, propterea quod in Lege est; *Omnium Decimarum bovis & ovis &c.* Levit. 27. 32.

[40] *Sine impositione manuum &c. Codex Menachoth cap. IX.* 7. omnia sacrificia privata requirunt manuum impositionem, primogenito, decimis, Paschate exceptis. *Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap.* III. 6. Quascunque homo privatus seu debitas, seu voluntarias imolabat victimas quadrupedes, præter bestiam primogenitam, decimam, atque Agnum Paschalem, iis adhuc vivis imponebat manus &c.

[41] *Jugulabatur in atrio &c. Maimonides de primitiis Animantium cap. VI.* 4. Hoc igitur erat bestiæ decimæ jus, ut in atrio cæderetur, contra aræ basim una & eadem aspersione funderetur sanguis ejus, adolerentur exta; caro deinceps Hierosolymis a domino, sic ederetur, ut cæteræ hostiæ minus sanctæ. Etenim nihil inde jure veniebat ad Sacerdotem, sed ad dominum tota pertinebat itidem ut victima Paschalis. Quæ si vitiosa esset, seu vitium ei post consecrationem demum advenisset, seu antequam consecraretur, extitisset, quocumque loco comederetur.

[44] *Debuerunt enim &c. Maimonides ibidem*. Bestiam decimam vendere sanam & integram nefas erat, nam a Lege quidem hac de bestia dictum est illud, *non redimetur*. *Levit.* 27. 33. quo eodem edicto implicari quoque vendendi interdictionem traditum est, ut eam omnino neque redimi, neque vendi liceret &c. Porro Sapientum edicto sancitum erat, ut bestia decima vitio affecta non venderetur nec cæsa quidem, ne usu veniret, ut etiam viva venumdaretur.

[43] *Hebræi ita describunt &c. Tosaphta Bechoroth cap.* VII. 10. Quomodo decimabat? matres extrinsecus continebantur, atque balabant, & filii eis obviam egrediebantur, si octavus & nonus una simul egressi essent, cum his complebit, nonus & decimus, pascebant donec macula afficerentur, decimus, & undecimus, omnes moriebantur, si dum numeraret, vocaret eum socius, ut cum eo colloqueretur, cum his numerum complebit, si dum numeraret, interveniret vespera Sabbathi, cum his complebit. Si dum numeraret, & aliqua (bestia) eduxisset caput, & majorem sui partem e septo, & intro reversa esset, reputatur tanquam numerata, si cubantes, aut stantes numerasset, cum his complebit, si dum numeraret, aliqua ex numeratis cum iis, quæ non essent numeratæ, misceretur, si noverit, libera est, & cæteræ obligantur, secus, omnes liberæ sunt. *Maimonides ibidem cap.* VII. Siquis decem agnis a suis unum, ab centum decem nomine decumarum tantum modo segregasset, istæ quidem decumæ nullæ fuerant. Quid igitur fiebat? Nempe agni aut vituli cogebantur omnes intra septum, in quo ostiolum esset ita parvum, ut exire duo simul inde nequirent; tum propter hoc extrinsecus continebantur eorum matres, quæ balatum exercerent, ita fiebat, ut agni vocem matrum audientes e septo venirent ad eas; hæc enim Legis verba: *omnium ..... quæ sub pastoris virga transeunt* (Levit. 27. 32.) hanc vim habent & sententiam, ut per se ipsæ abeant, manu non attrahantur. Cum igitur agni deinceps e septo prodirent, adhibita virga, continuo numerabantur novem, & qui decimus excedebat mas, aut fœmina, sanus aut vitiosus rubrica notabatur, simul dicebatur, *ista pecus decumarum nomine sacra esto*. Quanquam si quis rubricam & virgam missam fecisset, atque etiam recubantes agnos, stante-sue recensuisset, nihilo secius decumæ satis erant legitimæ, scilicet si deni recenserentur, ac pollucer etur decimus quisque, pecus erat rite decimatum.

[44] *Tria*

[44] *Tria tempora &c. Tosaphta Bechoroth ibidem*. Tribus temporibus decimabantur pecora, tempore Paschatis, tempore Pentecostes, & tempore Tabernaculorum; nec definitum est: verba R. Akibæ. R. Jose filius R. Jehudæ, non decimanda minus quindecim diebus ante festum. Dixit R. Simeon filius Azai, cum alii dicant primo die Elul, & alii dicant primo die Tisri, pecora mensis Elul seorsim decimantur; quo pacto hoc intelligitur? Si ei quinque nascerentur in mense Ab, & quinque in Elul, quinque in Elul, & quinque in Tisri, quinque in Ab, & quinque in Tisri non conjunguntur, quinque in Tisri & quinque in Ab conjunguntur. *Maimonides ibidem*. Constitutum erat a Sapientibus tempus triplex, quo pecuaria decimarentur, hoc cum advenerat, pecudes neque vænire fas erat, nec jugulari prius quam decimarentur, quanquam siqua contra edictum ante cæsa fuisset, hac ad cibum uti licebat; jam hæc erant illa tria stata tempora, decimus & quintus dies ante Pascha, decimus & quintus dies ante Pentecostem, atque ante solennia umbraculorum, item & decimus & quintus dies, & unumquodque temporum istorum vulgo dicitur gravaria decimandi pecoris. Incidebant igitur ista decimandi pecoris gravaria quæ vocantur in extremum diem mensis *Adar*, in quintum & tricesimum numero diem post libatum manipulum novarum frugum, & in diem ultimum mensis *Elul*. *Codex sekalim cap. III.* Ter in anno curant de conclavi in spatio semestri aut Pascha, in spatio semestri ante Pentecosten, & in spatio semestri ante Scenopegiam, in quibus temporibus etiam Decimæ bestiarum colliguntur. Verba sunt R. Akibæ. Ben Asai vero dicit, id fieri vicesimo nono Februarii, & die primo Maii, ut & vicesimo nono Julii. R. Eliefer, & R. Simeon dicunt, primo die Martii, & primo Maii, & vicesimo nono Augusti. Quare autem dicunt vicesimo nono (*Augusti*) & non primo die Septembris? Quia ille dies primus Septembris est dies festus, at in die festo decimare non licet, & proinde id rejecerunt in diem vicesimum nonum Augusti.

[45] *Hæc autem tempora &c. Maimonides ibidem*. Quod autem illa granaria in hos dies constituerentur, hæc causa fuit & ratio, ut copia pecudum suppeteret iis, qui celebraturi dies solennes Hierosolymam ascendebant; ut enim pecudes, sicut ante dictum est, vænire prius quam decimarentur, fas esset, tamen unumquemque, ne pecora sua nisi rite decimata produceret, religio officii fere deterrebat. *Bartenora ad cap.* IX. 5. *Bechoroth*. Ista vero tria tempora decimationi pecoris destinarunt, ut pecora essent pro iis, qui ad festa celebranda ascenderent; licet enim Misna dixerit ante tempus areæ licitum esse vendere & mactare, nihilominus tamen non mactant pecora nisi donec decimata fuerint, quia unusquisque libenter implet præcepta, quando id absque impensis facere poterit, sicuti est decimatio pecoris; ipse enim decimas offert, & easdem in pacifica comedit. Si vero qui istis tribus temporibus non decimassent, multi non vendidissent, quia pecora non decimata essent, & hoc modo non invenirentur pecora pro iis qui ad festa ascendebant.

[46] *Eo anno &c. Tosaphta Bechoroth cap. VII.* Decima animantis observatur in magnis, & in parvulis, in masculis, & in fœminis, in perfectis, & maculatis, & decimantur ex uno pro altero anno juxta versiculum qui dicit: *decimando decimabis*; Deut. 14. 22.; de duabus decimis textus loquitur; altera est decima frumenti, & altera est decima pecoris, verba R. Akibæ, & sapientes dicunt de anno in annum, ex eo anno decimabis, & non decimabis ex uno anno pro altero. Capra, quæ tres filias peperisset, & tres filiæ tres alias, omnes coguntur in septum, ut decimentur. Dixit R. Simeon: ego vidi capram, quæ in suo anno decimata fuit, si ei essent pecudes biennes, aut triennes, si noverit quo quæque anno nata fuerit, seorsim ingrediuntur in septum, ut decimentur, secus, non coget, ut decimentur. *Maimonides ibidem cap. VII.* 5. Nec hornotino de pecore decumæ pollucebantur in superioris anni pecus, sicut neque de novis terræ frugibus decumæ solvebantur in veteres, neque porro de veteribus in novas, de quibus sane scriptum videmus Deut. 14. 22.: *qui nascuntur in terra per annos singulos*. Ego vero sic existimo: siquis in anni præteriti polluxisset homo de pecore decumas, ratum esse tamen ob majorem sacrarum bestiarum religionem, & vero pecus ut decimaretur quotannis non nominatim lege cautum est. Quæcumque pecudes ab usque primo die mensis *Tisri* nascerentur ad undetrigesimum mensis *Elul* insequentis conjungebantur inter se sic, ut decumæ pollucerentur de aliis in alias. Contra si mensis *Elul* extrema die quinque nati fuissent agni, & item quinque postera die inchoante mense *Tisri*, non conjungerentur. Jam pecudes partum intra primum ætatis annum enixæ, in caulam ipsæ cum prole sua simul ad decimandum cogerentur.

[47] *Non emta &c. Tosaphta Bechoroth ibidem*. Quodnam habet jus emptionis? Quodcumque ante ipse vendidisset, & postea iterum emisset, aut quod dono dedisset, & postea emisset; sed qui emit fœtum vaccæ socii sui, quamvis pariat apud dominos, cogitur in septum, ut decimetur. *Maimonides ibidem cap. VI.* 10. Agni horni si cui emerentur, hi decumani non erant; non tenebantur enim lege decumarum, nisi quæ bestiæ homini natæ domi suæ essent. Quare cum homines duo coirent societatem pecoris, & eorum uterque centum præberet agnos, qui confunderentur inter se, prorsus hi ducenti decumani non erant, quia enim eorum quisque quodammodo vænierant. Similiter ad germanos cum venirent hæreditate paterna communes agni, non erant decumani, fœtus autem bestiis ab istis procreati posthac in commune sociorum, fratrumque, lege decumarum astringebantur. Similiter si pecudes communiter emerentur sociis collata inter se pecunia, germanis hæreditaria, partus earum postea lege decumarum obstringebantur; isti videlicet hominibus illis apud se, cum essent unius instar, editi fuissent, rursus partus isti si postea quam editi fuerant germanis apud se, vel sociis, inter hos facta partitio esset, atque societas denuo devincta, lege decumarum essent soluti, quippe partus isti cum dividerentur, omnes erant emtorum instar animantium; animantes autem emti liberi sunt decimis; jam vero secundo loco conflabatur societas pecoris, quo e pecore post secundam communionem quidem nullus etiamnum fœtus consociatis apud se procreatus erat. Ac si partitione facienda hœdis hœdi, agnis agni, deni denis opponerentur, nihilosecius omnes veluti emti animantes omnino decumis erant liberi. Si vel inter germanos vel inter socios facta partitione pecuniæ non essent divisæ pecudes, hæ decumarum lege tenerentur, ut quæ non essent emtarum numero; contra si partitio pecoris esset facta, solutum id decumis erat, tametsi nondum inter eosdem divisa pecunia fuerat. Sicui fœturæ decem adhuc contentæ matrum alvis essent emtæ, porro cogerentur in septum, ubi decimarentur, siquidem natæ fuerant homini apud se. Si Sacerdoti pecudes decem obvenissent direptis e rebus ejus, qui Judæus ex alienigena factus esset, hæ neutiquam erant decumanæ, namque tributa conferenda Sacerdotibus mera dona fuerant; non astringi vero decumis, quæ cui condonarentur, alio loco disputavimus.

[48] *Et nisi* 10 *talia &c. Tosaptha ibidem*. Decimæ pecoris conjunguntur in plenitudine pedis pecoris pascentis, & non in plenitudine pecoris iter facientis. Quantum est iter pecoris? comprehendit triginta duo milliaria; quomodo hoc intelligitur? Si quinque haberet in Villa Cananiæ, & quinque in finibus Ngautani, & quinque in finibus Tisipori, conjunguntur; quinque in finibus Cananiæ, & quinque in finibus Tisipori, non conjunguntur, donec una saltem *pecus* sit in finibus Ngautani. Si haberet cis & trans fluvium Jordanis, nempe in Sulami, & Menari, & in duobus Abtinot, non conjunguntur una simul; neque dicere necesse est, siquando haberet in terra, & extra terram Israelis. Fluvius, qui profluit e cavernis Panajas, & influit in mare Sofmi, & mare Tiberiadis, quamvis Jordanis nomine appelletur, non reputatur uti Jordanis; qualis est Jordanis? a spatio Jerichuntis & inferius. *Maimonides ibidem cap. VII.* 2. Omnino pecudes omnes eidem homini diversis locis suis ac disjunctis natas in unum septum cogi necesse non erat, sed unumquemque gregem solum. Cum igitur Hierosolymis alicui nati fuissent agni quinque, & totidem Ptolemaide, quæ eadem Ace nominatur, hi non conjungerentur, sed soluti lege decumarum essent omnes; etenim duo greges tum demum inter se conjungebantur, cum inter hos non plus intervallo sedecim milliarium interjectum esset. Atqui tres ejusmo-

modi hominis greges, quorum unusquisque sedecim milliaribus ipsis ab altero separatus esset, inter se conjungerentur, ut si novem animantes hic, illic item novem, & intermedius esset unus, omnino cogerentur in caulam unam omnes, ubi decimarentur.

49 *Præterea quum lex &c. Tosaphta Bechoroth cap. VII.* 7. 8. Omne pecus ingreditur, ut decimetur, excepto heterogeneo, & discerpto, verba R. Elieseris filii R. Jehudæ, viri ex Bartota, qui dicit nomine R. Jehosuæ. Dixit R. Akiba, ego audivi ejus nomine, etiam illud, quod per costas egreditur, & quod tempore deficiens est, & orphanum; sed quodnam est heterogeneum? ovis, quæ peperisset ex hœdo, quamvis agno similis esset, & capra, quæ peperisset ex agno, quamvis hœdo similis esset; discerptum, juxta sensum ejus, quod per costas egreditur, juxta sensum ejus; tempore deficiens, ne sit natu minor octo diebus. R. Simeon dicit, tempore deficiens in septum ingreditur, ut decimetur. Pecus ab homine initum, vel quod cum muliere coiit, Idolatriæ destinatum, pro Idolo cultum, donum meretricis, pretium canis, obturatum, hermaphroditum, non coguntur in septum, ut decimentur. R. Simeon filius R. Jehudæ dicit nomine R. Simeonis; obturatum, & hermaphroditum non coguntur in septum, ut decimentur; quia ubicumque dictum est *masculum*, excludit obturatum & hermaphroditum ab genere. Quodnam est donum meretricis? Quando ei dono dedisset suæ Vaccæ fœtum, & ab ea redemisset; quodnam est pretium canis? quando eo suæ Vaccæ fœtum commutasset, & ab eo iterum emisset. *Maimonides ibidem cap. VI.* 14. 15. Omnino pecudes omnes cogebantur in septum, ubi decimarentur, tam integræ, quam vitiosæ, immo etiam omnes illæ, quæ altari prohiberentur, præter animantes bigeneres, & lethaliter affectas, per matris latus in vitam ingressas, & temporis indigentes; hæ cunctæ solutæ decumis erant; solutum erat & animal orbum, quod nasceretur tunc ipsum, cum mater ejus emoreretur, aut cæderetur; etenim hæc nostris quasi per manus tradita sunt. Atqui pecudes emtæ non erant decumarum lege solutæ, nisi emerentur tum, cum jam essent idoneæ, quæ decimarentur. Quare siquis agnos emisset intra septem proximos ab eorum ortu dies, hos, cum tempus idoneum attigissent, ut decimaret, oportebat, nempe quando pecudes temporis indigentes decimari non conveniebat, perinde foret, quasi fœturæ in matrum alvo emtæ homini deinceps apud se editæ fuissent. Quæ bestia cumque dubitationem haberet esse decumana necne, soluta decumis erat; quapropter si multis agnis permiscebatur unus aliquis orbus, aut emtus, aut horum similis, prorsus soluti decumis erant omnes, quod dubium esset de singulis.

50 *Esse verum sacrificium &c. fuisse verum sacrificium evidentissime probat cum ad aram sanguinis aspersio, tum in altari Holocaustorum ejus adipum adolitio. Præterea Christiani Patres omnes, & Hebræi uno ore fatentur fuisse sacrificium.*

51 *Ad hoc sacrificium &c. Tosaphta Pesachim cap. V.* 2. Sacrificium Paschale afferebatur ex pecudibus, & non adducebatur ex bobus, adducebatur ex agnis, & capris. *Maimonides de sacrificio Paschali cap. I.* 1. Nec sacrificium illud fieri licebat nisi mari annuo ex ovium, vel caprarum genere.

Sexus Masculini &c. Tosaphta Pesachim ibidem &c. Adducebatur ex masculis, & non afferebatur ex fœminis, *afferebatur annuum, & non bienne.*

52 *Voluntque &c. Tosaphta Pesachim cap. VIII.* 9. Hæc intercedunt inter sacrificium Paschale, quod fecerunt in Ægypto, & sacrificium Paschale generationum. Sacrificium Ægyptiacum separatum fuit die decima mensis, ex decima quarta mactatum est, neque propterea rei fuerunt excidii; pro sacrificio generationum rei sunt excidii; in sacrificio Paschali Ægypti, non observarunt telas, & maculas in oculis, donum meretricis, & pretium canis, quod observatur in sacrificio Paschalis generationum. De Sacrificio Ægyptiaco dictum est: *assumet vicinum suum.* (Exod. XII. 4.) Quod non obtinet in Sacrificio Paschali Generationum. Sed dico, inquit R. Simeon, etiam in sacrificio generationum; idque omne quare? ne sinat ut vicinus qui domi suæ proximus sit, ut eat celebratum Sacrificium Paschale cum ejus socio, ad observandum quod scriptum est: *melius est vicinus juxta, quam frater procul.* Proverb. 27. 11. Sacrificium Paschale Ægyptiacum non obligatum fuit ad sanguinum aspersionem, & adipum adolitionem super altare, quod observatum fuit in sacrificio Paschali generationum. De Ægyptiaco dictum est: *ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domorum.* (Exod. 12. 7.) quod non servatum fuit in sacrificio generationum. In Ægyptiaco dictum est: *erit autem sanguis vobis in signum in quibus eritis.* (Exod. 12. 13.) quod non obtinuit in sacrificio generationum. Sacrificium Paschale Ægyptiacum unusquisque domi suæ mactavit: at sacrificium generationum omnes Israelitæ uno loco mactarunt. Ubi comederunt sacrificium Ægyptiacum, ibi pernoctarunt; at sacrificium Paschale generationum in uno loco comeditur, & in altero pernoctatur. Tam sacrificium Ægyptiacum, quam sacrificium generationum, si cui essent servi incircumcisi, & ancillæ non baptizatæ, iis comedere non licuit. R. Elieser filius Jacobi dicit; ego possum dicere, quod in eo Textus dumtaxat loquatur de sacrificio Paschali Ægyptiaco. In his Pascha Ægyptiacum, & Pascha generationum similia sunt; Ægyptiacum per tres classes celebratum fuit, ita & Pascha generationum. De Ægyptiaco dictum est: *erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus.* (Exod. 12. 5.) Idem de Paschate generationum. De Ægyptiaco dictum est; *nec remanebit quidquam ex eo usque mane* (Exod. 12. 10.) Idem de Paschate generationum. R. Jose Galilæus inquit, ego dico, non fuisse interdictum fermentatum in Ægypto, nisi uno tantum die, quia dictum est, *non erit fermentum &c.* Sacrificium Paschale Ægyptiacum requirebat canticum, & sacrificium Paschale generationum requirit canticum. *Maimonides ibidem cap. X.* 15. Quod autem in Ægypto præscriptum erat, ut usque a decimo die primi mensis pararetur victima Paschalis, ut ejus sanguis superliminari, geminisque postibus exterioris ostii domus induceretur hyssopi fasciculo, ut eadem comederetur festinanter, hæc omnia omnino semel in illo sacro Paschali Ægyptio servata sunt, sed nunquam usitata fuere postmodum.

53 *Debuit tamen &c. Tosaphta Menachoth. cap. VIII.* 33. Sacrificium Pacificum, dimidium ex profano, & dimidium ex decima, & adducet panem ei similem, dimidium ex profano, & dimidium ex decima; sacrificium Eucharisticum, & ejus panis potest offerri ex decima, sed ejus debitum non debet afferri nisi de profano, juxta versiculum qui dicit: *celebrabis hunc morem sacrorum mense isto.* (Exod. 13. 5.) sicuti hoc non poterat adduci nisi de profano, ita etiam omne debitum non est afferendum nisi de profano. *Maimonides ad cap. VII. 6. Codicis Menachoth.* Quod Pascha tantum de profanis offerri queat, colligimus e Paschate Ægyptio, quod absque dubio e profanis ovibus celebratum fuit, quia tunc temporis non erant sanctitates, cum Lex nondum data esset. Dixerunt Sapientes ex eo quod scriptum Exod. 13. 5. *Celebrabis hunc morem sacrorum mense isto*; colligimus quod omnia ministeria peragi debeant secundum hoc, nempe, sicut Pascha Ægyptium e profanis ovibus tantum veniebat, ita etiam Pascha, cujus deinceps mentio facta est.

54 *Post peractum sacrificium &c. Codex Pesachim cap. V.* 3. Quod mactaverit ante medium diem profanatum est, ut Exod. 12. 6. בין הערבים *inter duas vesperas.* Quod mactaverit ante sacrificium juge, rectum est, at ea conditione, ut sanguinem illius aliquis circumagitet, donec sparsus fuerit sanguis sacrificii jugis, qui si tum sparsus fuerit rectum est. *Tosaphta Pesachim cap. IV.* 3. Omnia sacrificia, quæ oblata essent ante sacrificium juge matutinum, aut retinuisset post juge vespertinum, reproba erant, quia nihil debebat antecedere sacrificium juge matutinum, nisi suffitus, & nihil adolendum erat post sacrificium juge vespertinum, nisi suffitus, & sacrificium Paschale in vigilia Paschatis, & sacrificium eorum, qui expiatione indigerent, ut possent edere vesperi sacrificia Paschalia. R. Ismael filius Beroka dicit, qui indigebant expiatione, afferebant sua sacrificia una cum sacrificio jugi vespertino, ut vesperi sanctitates comedere possent. *Maimonides de sacrificio Paschali cap. I.* 4. Victima Paschalis post meridiem cædenda fuit, quæ si cæderetur ante meridiem, temeraretur. Etenim post factum juge sacrificium vespertinum, post vespertinam suffitionem, & post accensas, & concinnatas candelabri lucernas demum incipiebat agnorum

Pascha-

Paſchalium jugulatio, & continenter fiebat per totum reliqui diei ſpatium. Attamen ſi poſt meridiem cæderetur agnus Paſchalis ante factum ſacrificium juge veſpertinum, bene fuiſſet, tum vero ſacerdotum aliquis exceptum e victima Paſchali ſanguinem motabat interea, dum aſperſus altari fuerat jugis ſacrificii ſanguis; poſt ex agni Paſchalis ſanguine fiebat demum aſperſio; quanquam altare ſi prius reſpergeretur agni Paſchalis ſanguine, quam jugis ſacrificii, bene eſſet.

55 *Per quæ Judæi &c. Codex Peſachim ibidem cap. V.* 1. Sacrificium juge mactabatur *hora* octava & media, & offerebatur nona & media, at veſpera Sabbathi mactabatur ſeptima & media, ac offerebatur octava & media. Si veſpera Paſchatis incideret in Sabbathum, mactabatur ſexta & media, & offerebatur ſeptima & media, & deinde Paſcha. *Maimonides de Sacrificiis Jugibus &c. cap. I.* 3. 6. Veſpertinum vero mactari licebat, ubi primum umbra porrigebatur ita, ut eam porrigi cunctis appareret; id fere fit hora ſexta & dimidia, & deinceps ad extremum uſque diem. Verum hoc quotidie hora octava & dimidia demum jugulabatur, & ſacrificabatur demum hora nona & dimidia. Quid igitur cauſæ erat, quod a primo jugulandi tempore duas horas proferebatur? Sacrificia vel privata vel publica; nempe interdictum erat neve ſacrificaretur quidpiam ante ſacrificium juge matutinum, neve poſt ſacrificium juge veſpertinum ulla victima jugularetur præter Agnum Paſchalem, quia fieri non poterat, ut omnino Iſraelitæ omnes Paſchata ſua duabus horis immolarent. Enim vero agnus Paſchalis non jugulabatur niſi poſt ſacrificium juge veſpertinum, itemque piaculi indigentes die quartodecimo poſt ſacrificium juge veſpertinum ſuum, denique faciebant ſacrum piaculare, quo mundi forent ad comedenda Paſchata ſua veſperi. Vigilia Paſchæ ſeu in diem profeſtum, ſeu in Sabbatum incidente ſacrificium juge hora ſeptima & dimidia jugulabatur, & ſacrificabatur hora octava & dimidia, ut Agnorum Paſchalium mactandorum ſpatium ſupereſſet. Quæ ſi vigilia Paſchæ in Sabbathum incideret, juge ſacrificium jugulabatur ſtatim ut appetierat tempus ejus, hora videlicet ſexta & dimidia, & ſeptima cum dimidia ſacrificabatur, id adeo ut eſſet ſpatium aſſandi antequam Sabbathum iniret. R. Moſes Machmanides ad Exod. 12. 6. ſcribit diem diviſum eſſe in tres partes veſperam, mane & meridiem ex Pſalm. 55. 18. ערב ובקר וצהרים אשיחה, *veſpere & mane & meridie meditabor*. Dan. 6. 10. Temporibus tribus de die Daniel orabat. Quæ tria tempora complectuntur totum diem; cum vero ita ſe res habeat, poſt meridiem dicitur ערב *veſpera* ſtatim. At quando adſcendit ſol, & omne ſpatium quod eſt in ortu, vocatur בקר *mane*, eſtque quatuor horarum, quemadmodum Doctores teſtati ſunt de jugi ſacrificio matutino, quod offeratur quatuor horis. Poſt mane nominatur tempus צהרים *meridiei* ſicut ſcriptum eſt a mane uſque ad meridiem, eſtque duarum horarum, quæ ſunt quinta & ſexta.

56 *Karæi enim &c. R. Eliahu Karæus in Adderet;* קרוש קרש *cap.* 9. Et propterea ſciſſi ſunt ſapientes Iſraelis in duas confeſſiones magnas. Una confeſſio erant Sapientes Karæorum dicentes quod Paſcha mactandum ſit poſt occaſum ſolis, quoniam hoc tempus eſt quod proprie vocatur inter duas veſperas. Confeſſio ſecunda erat Beth Hillel ſtatuens, quod inter duas veſperas ſit a tempore quo ſol inclinat ad latus occidentis, id eſt a ſexta hora & dimidia, ſi diem numeres ab ortu. Tres Karæi veſperas agnoſcebant. *Aben Eſra ad Exod.* 12. 6. Cæterum (*inquit*) ſectarii ſcripſerunt, quod tres ſint veſperæ. Demonſtratio eorum inde eſt, quod invenerint 1. Regum XX. 5. 18. 19. עד הערב השלישית *uſque ad veſperam tertiam*; ſed iſti ignorant veritatem, nec rem intelligunt; ſcriptum eſt enim: *cras erit novilunium*, ושלישית *& tertiam cum videbis lucem, deſcendes valde*, quod ita interpretandum eſt, quando fuerit dies tertius a die propinquo veſperæ agri in quo tu abſconditus; ideo prius dixit, ver. 5. *uſque ad veſperam tertiam*.

57 *Hæc facit quod &c. Ab eodem R. Eliahu Karæo reprehenduntur hoc loco Rabbanitæ*. Quod illi alio loco dicant; Leproſi non inſpiciuntur die nubiloſo, neque in aurora, neque inter duas veſperas, neque in meridie; quando ergo eos inſpiciunt? hora quarta, quinta, octava, & nona. Ecce illi ipſi dicunt, horam octavam & nonam non appellari בין הערבים *inter duas veſperas*. Alibi tamen ſcripſerunt, quod totum illud tempus inde a ſexta hora & dimidia uſque ad occaſum ſolis, ideſt ſeptima, octava, & nona hora ſimul vocentur בין הערבים *inter duas veſperas*.

58 *Jugulatio peragebatur &c. Toſaphta Sevachim cap. IV.* 12. Primum ſacrificium Paſchale per tres claſſes mactabatur, ſed ſecundum per tres claſſes non mactabatur. Mactabatur ſacrificium juge veſpertinum, & poſtea adolebat ſuffitum, & concinnabat lucernas, accedebat ad ſacrificium Paſchale; diſcindebat, extrahebat exta, atque etiamſi quatuor aut quinque eſſent, in lance deponebat, & adolebat ſuper altare. Et in ſabbatho intra ſuam pellem relinquebat, & abibat. R. Iſmael filius R. Jochanan filii Beroka dicit; ſi quarta decima incidiſſet in ſabbathum, non decorticabat niſi uſque ad dictum ſpatium; Sacerdos qui proximus erat altari unica aſperſione *ſanguinem* contra baſim aſpergebat. Levitæ ſtabant ſuper pulpitum, & recitabant totum Hallel; quod ſi finitus eſſet hymnus, iterum recitabant, & ſi repetiſſent, tertium recitabant, quamvis nunquam contigerit, ut ter recitaverint; dixit R. Jehuda; nunquam tertia claſſis pertigit ad *Dilexi, nam audiet Dominus*; quia populus erat paucus, & appellabatur claſſis inertium. Quemadmodum opus ejus erat die profeſto, ita etiam opus erat in Sabbatho, niſi quod Sacerdotes abſtergebant atrium invitis ſapientibus. Quomodo atrium abſtergebant? claudebant, & aquæ canalem introducebant, donec detergeretur, & album fieret inſtar lactis. *Maimonides ibidem*. Omnino agni Paſchales per tres deinceps catervas mactabantur ea re, quia in Lege ſit: *immolabitque in eum univerſa multitudo filiorum Iſrael;* Exod. 12. 6. Hic videlicet habes diviſionem tripartitam, Eccleſiam, Cœtum, Iſrael; non erant homines in ulla caterva pauciores, quam triginta. Ergo ſi homines omnino quinquaginta adeſſent, in atrium primo introirent triginta, qui cæderent victimam Paſchalem, deinde decem ex illis exirent, & intrarent alii decem, tum rurſus excederent decem, & reliqui decem ingrederentur. Si vero numerus hominum eſſet infra quinquaginta, victimas Paſchales cum in integro res erat, non mactabant quidem, verum ſi mactaſſent omnes una bene eſſet. Erat autem iſta mactandi ratio. Caterva prima veniebat in atrium, quod ubi plenum erat, ejus fores occludebantur; continuo illi ſuas victimas Paſchales cædere, qui dum victimas cædebant, atque illarum partem idoneam Deo offerebant, Levitæ recitabant carmen illud, quod hymnus inſcribitur. Qui ſi finitus eſſet hymnus, ſacrificiis necdum perpetratis, repeteretur, ſin iterum fuiſſet prius abſolutus, quam ſacra perfecta fuerint, recitaretur tertio; verum enim vero nunquam uſus venit, ut ter recitaretur. Ad unamquamque recitationem buccina clangores edebantur terni, rectus, fragoſus, rectus; nulla videlicet adhibebantur iſti ſacrificio libamina; ut igitur in reliquis ſacris inter libandum, ſic inter jugulationem in iſto clangebatur.

59 *Sed quiſque Sacerdotis &c. Codex Peſachim cap. V.* 6. Mactat Iſraelita, & excipit ſanguinem Sacerdos. *Maimonides ibidem*. Cædebat ſuam quiſque victimam.

60 *Sacerdotes quidem &c. Toſaphta Peſachim ibid.* R. Jehuda dicit; calicem implebat ſanguinibus commixtis, & unica aſperſione aſpergebat ſuper altare. *Maimonides ibidem*. Hic Sacerdotes erant deſcripti ac diſpoſiti in ordines bene multos, qui manibus pateras tenebant, quarum partim ex argento, partim eſſent ex auro. Non hæ promiſcue diſtribuebantur, ſed ita ut ordinum alius argento, alius auro totus ſplenderet, id adeo, ut major inde ſpecies & dignitas exiſteret. Non deſinebant autem in latitudinem pateræ, ne forte deponerentur, & concreſceret in illis exceptus hoſtiarum ſanguis. Cædebat ſuam quiſque victimam, cujus ſanguinem patera Sacerdos excipiebat, dabat ei, qui ſibi proximus erat, hic ſequenti, eam ob cauſam, ut rei divinæ operarentur quamplurimi, donec ſanguis veniret in manum ejus Sacerdotis, qui ſtabat altari propior; is ſimul & ſemel ſanguinem illum effundebat contra baſim altaris, accipiebat pateram ſanguine plenam, reddebatque vacuam; deinde victi-

victimæ suspendebantur, suspensis corium detrahebatur totum, tum aperiebantur, proluvies & excrementa depellebantur ex intestinis, extrahebantur exta, quæ in lance deposita sale conspergebantur, adolebanturque super altari per Sacerdotem.

[61] *Excoriationi autem &c. Codex Pesachim cap. V.* 9. Quomodo suspendebant, & excoriabant? uncini ferrei infigebantur parietibus, & columnis, in quibus suspendebant, & excoriabant. Cuicumque autem non erat locus ad suspendendum, & excoriandum, *illi* erant bacilli tenues illic, & lævigati, & eos imponebat humero suo, & humero socii sui ac excoriabat. R. Eliezer dicit, *die* decimo quarto qui incidit in Sabbathum, imponebat manum suam humero socii sui, & manum socii sui humero suo, & suspendebat, ac excoriabat. *Maimonides ibidem*. Quod attinet ad rationem suspendendarum harum victimarum, uti pellibus spoliarentur, hærebant atrii muris ac columnis infixi clavi ferrei, de his istæ victimæ suspendebantur, suspensis pellis detrahebatur; quibus autem ejusmodi locus ad suspendendam victimam non suppetebat, aderant baculi minuti, lævesque, qui ponebantur in unius & alterius hominis humeris, tum de his suspensæ victimæ corio exuebantur. Peractis sacrificiis reserebantur atrii fores, exibat caterva prima, & introibat altera; excedebat & altera, & intrabat tertia. Prima, secunda, tertia rationem agendi tenebant eamdem. Cum vero tertia caterva post absolutam rem divinam exierat, atrium abluebatur.

[62] *Dein fisso agni &c. Codex Pesachim cap. V.* 10. Discindit *Pascha*, & educit adipes illius, & deponit eos in lance, & comburit eos super altari. Si exiret prima caterva, & consisteret in monte domus, secunda in antemurali, tertia vero in loco suo stabat. Si tenebræ oborirentur, exibant & assabant Pascha suum. *Maimonides ibidem*. Victimæ Paschalis sanguinem oportebat contra basim altaris effundi, post sanguinem effusum, victimæ pellis detrahebatur, patefiebat alvus, eximebantur exta, & adolebantur.

[63] *Ex numero renum &c. Tosaphta Pesachim cap. IV.* 16. Aliquando Rex Agrippa cupiens scire quotnam essent Israelitæ, dixit Sacerdotibus, separate mihi renem de unoquoque sacrificio Paschali; & separarunt sexcentum millia paria renum, numero duplicato super numerum exeuntium ex Ægypto. Non autem erat ullum sacrificium Paschale, super quod plus quam decem enumerarentur, excepto immundo, & eo, qui longe abesset; eo die ingressi sunt Israelitæ in montem templi, & non potuit eos continere; vocarunt ergo istud Pascha; Pascha compressum.

[64] *Agnum sibi redditum &c. Maimonides ibidem*. Tum deinde is, cujus erat victima Paschalis, eam cum pelle simul auferebat, & in ædes suas Hierosolymitanas deportabat, assabat, & sub vesperam comedebat.

[65] *Debuit autem &c. Maimonides ibidem cap.* VIII. 4. Ambæ vero victimæ Paschales illæ non comedebantur nisi luculenter tostæ, siquis ex illis tantum, quanta est olivæ magnitudo, vel semiassum, vel elixum comedisset ad noctes primi secundique Paschæ, verberibus multaretur; est enim in Lege: *non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua*. Exod. 12. 9. Si quis ex ea victima simul & aliquid semiassum, & aliquid elixum edisset, omnino semel verberaretur; quippe quod istæ res duæ uno & eodem vetito sancitæ sunt. Jam si quis ex ea victima nonnihil aut subcrudum, aut elixum interdiu comedisset, non verberaretur; nam quod lex addit, *sed tantum assum igni*, hujus ea vis est: si quis tempore illo nocturno, quo jubebatur hujus victimæ carnem luculenter assam comedere, comedisset subcrudam, vel elixam, eum pœna teneri, sin idem hoc de die fecerit, impune habere.

[66] *Non coqui &c. Maimonides ibidem*. Porro cum vetat Lex istam victimam infervescere cum aqua, simul & cum omni liquore, fructusque succo vetat, nimirum Legis illud *non coctum aqua* iterato verbo dictum, quemvis liquorem complectitur. Si quis victimam Paschalem primo torrefecisset, tum etiam elixasset, contrave, primum elixasset, & deinde torrefecisset insuper; si quis eam in olla prorsus obturata suo jure solo coxisset, ac comedisset, pœna teneretur. Rursus ut ea tum cum torreretur, vino, vel oleo, cunctisque præter aquam liquoribus, & fructuum succis perfunderetur, licebat; licitum erat etiam & illud, carnem ejus probe tostam deinceps in liquores intingere, succoisque fructuum. *R. Bechai in Leg. fol.* 75. 2. *f.* 205. 3. Quod autem scriptum est: *Immolabis Phase vesperi*, & mox additum ובשלת ואכלת *& coques & comedes* Deut. 16. 6. 7. non notat coctionem in aqua, sed coctionem per ignem immediate, quemadmodum scriptum legitur de Josia 2. Paral. 35. 13. *Et assaverunt Phase super ignem*. Non autem mens est, quod coxerint in vase, sicut ibidem scriptum; *pacificas vero hostias coxerunt in lebetibus, & cacabis, & ollis*; hinc discis quod בשל coquere de Paschate sit assatura ignis. *R. Sal. Aben Melech ad* 2. *Paral.* 35. 13. Phrasis *coquere carnem* in Scriptura usurpata alibi, ubique de elixatione, quæ fit mediante aqua igni subjecta, accipitur, hoc solo loco excepto, ubi sensus est, *& assaverunt*; ideoque etiam subjicitur, *juxta quod in Lege scriptum est*, ad significandum, assatum fuisse. Reliquas autem hostias Eucharisticas elixarunt in ollis, lebetibus, atque gabatis.

[67] *Dicunt autem Judæi &c. Maimonides ibidem*. Non torrebatur victima Paschalis in eo posita vase, quod esset e saxo metalloque; lex enim cum edicit: *sed tantum assum igni*, quidvis aliud excludit. Quod si vas ita perforatum esset, ut ignis penetrare per foramina posset ad victimam, eam in hoc impositam vase torreri, fas erat. Eadem non torrebatur infixa veru metallico; id enim calefieret totum, & victimam ubi tangeret, torrefaceret. *Et paucis interjectis*. Jam ad hanc victimam torrendam, punica malo pro verubus utebantur, aliud enim ligni genus inter torrendum aliquid aquæ funderet, & nonnihil elixum in victima redderet.

[68] *Et suspensum eum &c. Maimonides ibidem*. Si quis in furno calefacto post detractum indidem ignem suspensam victimam Paschalem torrefecisset, ea sane interdicta foret, ut quæ non fuisset igni tosta; si quis eam passim incisam subjectis prunis torrefecisset, ista quidem esset igni tosta; si quis eam torreret propter calcem ferventem, propter ardentes testas, si propter calidas Tiberiadis aquas coqueret, utique fuisset interdicta, quippe quæ igni tosta non esset. Hæc igitur erat ejus torrendæ ratio. Adigebatur per os & podicem ejus veru ligneum, inde suspendebatur in furno, atque igni subjecto torrebatur.

[69] *Et viscera ejus &c. Maimonides ibidem*. Et crura visceraque extra victimam suspendebantur in furno, non ponebantur autem intus in alvo, sic enim elixi quid conficeretur. *Abarbanel in Leg. fol.* 150. 1. Jussit assari eam integram, caput ejus cum cruribus & intestinis ejus. Vult dicere, ut eam non dividant ante assationem in partes, & frusta, sed integram assent eam, neque etiam restituant viscera ejus *intus eam*, tum plane cocta fuissent; quare debebant esse viscera ejus foris, quo tempore eam assarunt, ut ignis immediate in ea operaretur.

[70] *Lateritii erant &c. Tosaphta Sanhedrin cap.* II. 13. Non facienda est intercalatio, nisi quando opus erat; fiebat intercalatio propter pontes, vias, & furnos eorum gratia, qui in captivitate erant, qui nondum e loco suo egressi essent. *Maimonides de consecratione Calendarum cap. IV.* 5. Præterea autem ob quasdam res alias necessario consilium annum decernebat intercalarem; nam si viæ essent deteriores, quam ut posset Hierosolymam ascendere populus, intercalabatur, ut deficiente pluvia viæ repararentur, si pontes interrupti, ut intercedentia flumina non modo plebem tardarent, sed etiam in vitæ periculum vocarent, item intercalabatur, uti pontes reficerentur: si furnos, ubi coquerentur agni Paschales, evertisset perpetuus imber, nec haberetur aliunde, ubi possent agni Paschales assari, annus itidem instituebatur intercalaris, ubi furnos per otium restitui liceret, atque ante Pascha siccari. *Bartenora ad cap. III.* 8. *Codicis Taanith* Fornaces Paschatum testaceæ erant, atque ex uno loco movebantur in alium.

[71] *Formam habentes &c. Tosaphta Pesachim cap. VII.* Die decima quarta, quæ incidat in Sabbathum sacrificium Paschale demittebatur in furnum prope noctem, eique lapidum ordines construuntur, eique vigilia Sabbathi imponuntur, & super eum erat operculum, & potest eum in Sabbatho tollere, sed ea lege ne reponat, si reponeret, reus est, quia evenit ut destruat, & qui Sabbatho destruit, tenetur ad sacrificium pro peccato.

[72] *Ossa autem confringi &c. Tosaphta Pesachim cap. VI. 6.* Qui comburit ossa, & cædit nervos, cornua, & ungulas, non prævaricatur præceptum negativum; ossa, & nervi molles reputantur instar carnis omnino; qui confringit os in sacrificio Paschali puro, quadraginta plagis vapulat, sacrificium tamen Paschale legitimum est, & ipse eo satisfacit debito in Paschate. Si sit legitimum sacrificium Paschale, reus est, si ejus os confringatur, si sit illegitimum, non est reus, si ejus os confregerit. R. Jacob dicit, si quo tempore fuerit legitimum, & postea illegitimum factum sit, pro eo tenetur pœna, si nullo tempore legitimum fuerit, non tenetur pœna, si ejus os confregerit. R. Simeon dicit, quamvis aliquo tempore legitimum fuerit, & postea illegitimum factum sit, non tenetur pœna, si os ejus confregerit. R. Ismael filius Jochanan filii Beroka dicit, etiamsi in eo non factum sit reprobum nisi unum membrum, non tenetur pœna, si os ejus confractum sit. Qui confringit os, ut edat ad quantitatem olivæ ex cerebro, quod est in capite, aut medullam, quæ continetur in ossibus, quibus insit medulla, non prævaricatur præceptum negativum, & ipsa medulla legitima est; & ea satisfit Paschati; eaque reus esse potest propter abominandum, residuum, & immundum onere, & ad quantitatem lentis tactu. Regula generalis est, quod omni modo medulla reputatur instar carnis, si de ea semicocta, aut elixa ante noctem ad quantitatem olivæ comedisset, liber est, in noctu, tenetur pœna. *Maimonides cap. X. ibidem*. Siquis victimæ Paschalis, & ejusdem puræ fregisset os aliquod, verberibus multaretur; est enim in Lege: *& os ejus non confringent*. Num. 9. 12. item & de victima Paschali secundi Paschatis scriptum, legimus: *nec os illus confringetis*. Exod. 12. 46. At sacrum Paschale cum fiebat inquinate, nemo de fracto victimæ Paschalis osse verberabatur; nam hoc nostri auditione acceperunt alii ab aliis, legis edictum illud, *nec os illius confringetis*, ad victimam Paschalem puram spectare scilicet, ad inquinatam non item. Et seu quis ipsa nocte decima & quinta mensis Nisan, seu die præcedenti, sive etiam multos post dies victimæ Paschalis os diffregisset, unum & idem erat, verberibus coercebatur.

[73] *Et ipse agnus &c. Maimonides ibidem cap. VIII.* Præceptum erat jubens, ut agni Paschalis caro comederetur ad noctem quintam decimam mensis Nisan; videmus enim in Lege scriptum: *Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus*. Exod. 12. 8. Nec vero panis azymus, & olus amarum obstabant, si nulla reperirentur, comedenda sola carne victimæ Paschalis religioni istius officii satisfaciebant; olus autem amarum sine victima Paschali si comedisset aliquis, ex ratione præscripti neutiquam egisset; est enim in Lege: *cum azymis & lactucis agrestibus comedent illud*. Num. 9. 11. Ac præclara quidem erat hujus officii faciendi ratio, vesci carne victimæ Paschalis ad saturitatem, & eam ob rem, qui quarta decima mensis Nisan sacra pacifica solennia fecerat, in vespera primum ex illis comedebat aliquid, tum deinde de carne victimæ Paschalis edebat tantum, ut satiaretur; verum enim siquis de carne victimæ Paschalis non plus olivæ magnitudine comedisset, tamen officio fecisset satis. Item præceptum erat jubens ut ad decimam & quintam noctem mensis Jar victimæ Paschalis secundæ caro comederetur; nam & hac de victima scriptum legimus; *cum azymis & lactucis agrestibus comedent illud*.

[74] *Oleribus amaris &c. Maimonides de solennitate Paschatis cap. VII. 13.* Sed amara quæ Lex commemorat olera, sunt lactuca, intybum, marrubium, atque illud *harhavina* quod vocant, & quod proprie vereque dicitur amarum olus. Quorum ex uno siquis comedit ad magnitudinem oleæ, legi facit satis, quemadmodum si tantumdem edat e quinis simul nempe virentibus, atque ex eorumdem caule etiam sicco. Hæc autem olera cocta, condita, elixa nemo adhibuerit.

[75] *Quibuscum societatem &c. Codex Pesachim cap. VIII. 7.* Non mactant Pascha pro uno homine, sunt verba R. Jehudæ. R. Jose permittit etiam pro societate centum, qui comedere nequeunt quantitatem olivæ non mactant; neque societatem faciunt e mulieribus, servis, & parvulis. *Maimonides de sacrificio Paschali cap. II.* Victima Paschalis suo quæque numero hominum dumtaxat jugulabatur. Nam ex isto Legis edicto: *juxta numerum animarum, quæ sufficere possit ad esum agni*. Exod. 12. 4. satis intelligitur, viventi pecudi certum quemdam numerum assignandum; hic scilicet assignatus victimæ Paschali numerus hominum est ille, qui passim sodalitium appellatur. Unus aliquis homo si victimam Paschalem sibi soli jugulasset, bene haberet, modo ut edendæ victimæ toti par esset; attamen si res esset in integro, cum eo ne sibi soli victimam jugularet, ageretur; quia enim de sacrificio Paschali scriptum legimus: *in numero multitudinis, facient illud*.

[76] *Quique non infra &c. Codex Beracoth cap. VII. 4.* Tres qui simul comederint, dividundi non sunt, uti nec quatuor, nec quinque, sex dividi possunt ad decem usque, at decem dividi non debent, donec fuerint viginti.

[77] *Nihil ex eo superstes &c. Tosaphta Pesachim. cap. V. 2.* Sacrificium Paschale non edebatur nisi noctu, neque edebatur nisi usque ad mediam noctem, neque comedebatur, nisi ab enumeratis, neque edebatur, nisi assatum &c. *Maimonides ibidem cap. X. 11.* erat autem enitendum, ut e pulpa victimæ Paschalis nihil quicquam relinqueretur in mane crastinum; est enim in Lege; *nec remanebit quicquam ex eo usque mane*. Siquis igitur reliquum ex ea fecisset aliquid vel ad Pascha primum vel ad secundum, contra vetitum commisisset, attamen non multaretur verberibus isto de vetito propterea quod in jussum abit; Habemus enim in Lege: *siquid residuum fuerit, igni comburetis*. Exod. 12. 10.

[78] *Nec ultra mediam &c. Maimonides ibidem. Cap. VIII. 14.* Ac victima Paschalis, id quod jam sæpe dictum est, ad mediam dumtaxat noctem comedebatur, quo magis a peccato deterrerentur homines; nam ex præscripto Legis ad auroram nascentem usque sacrum istud comedi fas erat.

[79] *Quod si tamen superstes &c. Rabbanitæ mane diei decimi sexti contra Karæos comburendas reliquias statuebant. R. Eliahu Karæus in Adderet* קרוש קרש *cap. IX.* Equidem (*inquit*) de comburendis reliquiis statuit Beth Hillel, quod sint cremandæ die XVI.; sic enim sciscunt, a quo tempore tu comburis? tempore exitus tui ex terra Ægypti (Deut. 16. 6.) ac si hoc vellet dicere, quod ferendæ essent in domum combustionis die XVI. (*eo nempe supponunt Israelitas egressos*) ideoque sic exponunt illud dictum Exod. 12. 10.: *Nec remanebit quicquam ex eo usque mane, siquid residuum fuerit usque ad mane igni comburetis*; ponitur mane juxta *alterum* mane, ut inde discas, quod residuum comburetur mane diei secundi. At vero sapientes nostri, super quibus pax, censuerunt, quod esset comburendum die XV. secundum simplicem, atque aptissimum sensum; nam illud mane (*quod ajunt bis repeti*) *est* unum idemque mane diei XV.

[80] *Nec aliquid ex domo &c. Codex Pesachim cap. VII. 9.* Pascha quod exivit, aut pollutum est, comburatur statim. *Maimonides ibidem cap.* IX. Nemo nisi apud unum solum sodalitium victima Paschali vescebatur; nec ullam partem ejus a sodalitio, cui apponebatur, auferri jus erat; siquis ad noctem decimam & quintam mensis Nisan de carne victimæ Paschalis id quod esset magnitudine par olivæ transtulisset ab uno sodalitio ad aliud, verberibus multaretur; est enim in Lege: *nec efferetis de carnibus ejus foras*. Exod. 12. 46. Nec vero pœna tenebatur donec id quod extulerat etiam foris deposuisset, nempe victimæ Paschalis suo tempore, & Sabbatho cunctarum rerum deportatio, quapropter hoc stato tempore non secus ac Sabbatho de sublatione rei simul, & depositione demum pœna fuerit. Nihil erat autem, quod plecteretur is, a quo victimæ Paschalis id, quod alter antea jam transportasset, rursus alio deportaretur, nimirum id ubi prior ille transportasset, temeratum esset. Quicquid spatii limen includebat, foris esse ducebatur; jam limen ipsum, hoc est, ostii crassitudo pro exteriori spatio putabatur; fenestræ, murorumque spissitudo pro spatio interiori habebatur, tecta vero cœnaculaque distinguebantur ab ædibus. Caro victimæ Paschalis ab sodalitio suo de industria sive imprudentia ablata ne comederetur interdictum erat; nihil enim differebat ab hostiarum sanctiorum carne, quæ extra urbis Hierosolymæ mœnia deportata foret; carnes autem istas haberi loco bestiæ in agris a fera discerptæ; tum vescentes illis homines mul-

multandos esse verberibus, disputatione de ratione sacrificiorum faciendorum docuimus. Si sacri cujusdam membri pars extra terminum suum posita fuisset, caro primum bipartito dividebatur usque adeo donec attingeretur ejus os, tum deinde desecabatur, ac quicquid carnis erat intra terminum positum, comedebatur, quicquid extra, consumebatur igni; ad os cum ventum erat, id secespita præcidebatur in cæteris sacris, in victima autem Paschali, quoniam os nullum diffringi licebat, & ex altera parte caro desecabatur ad commissuram artus proximi; hic membrum illud, cujus pars extra constitutum sibi terminum erat posita, disjungebatur, atque foras abjiciebatur.

CAPUT SEPTIMUM.

De fertis & libaminibus.

§. I. Nomen.

I. PRæter oblationes e pecoribus fieri solitas erant & oblationes e rebus inanimatis, simila, oleo, &c. quæ *ferta* appellantur, Hebraice מנחות a מנח منح *donavit* (quare & δῶρα reddidit Aquila) & libamina. Nonnunquam vox נסכים & ferta & libamina simul notat, uti quum præfectum libaminibus dicimus, qui & ferta & libamina offerentibus suppeditabat. *Schecalim*. v. 4. [1] Quum Judæi ferta ipsa, sive farinam distinctam a libaminibus sive vino, indicare volunt, nuncupant illa מנחות נסכים.

§. II. Ferta libaminum nomine dicta quæ.

II. [2] Fertorum species una erat נסכים *libamina* dicta, vel נסכים הבאים עם חזבח, uti appellantur in *Gem. Temura*. 114. 2. vel הבאים עם הבהמה, uti in *Zevachim*. IV. 3. [3] His semper libamina ex vino juncta erant, quadrupedumque [4] (non avium) sacrificiis quasi appendices addi solebant, לעולות בהמה ושלמים, [5] id est, holocaustis quadrupedum & sacrificiis salutaribus, [6] non autem piacularibus & pro delicto, [7] nisi solius leprosi, nec primogenitis, decimis aut agno paschali, quia sunt debita. *Menachoth*. IX. 6. *Siphra fol.* 109. 2. [8] Hæc autem constabant e סלת simila triticea, oleo, sale & vino: & nihil horum sacerdoti, omnia altari, cedebant. *Menachoth*. VI. 2. [9] Alteram speciem constituebant ferta נסכים הבאין בפני עצמן *libamina* dicta *per se*, sive *sola*, quæ separatim offerebantur sine sacrificiis quadrupedum & constabant [10] ex simila triticea, &c. excepto manipulo paschali & ferto zelotypiæ, quæ hordeacea erant; *Sota*. II. I. ille quidem, quia hordeum tritico citius maturescebat; [11] hoc autem, quia quo peccatum gravius erat oblatio erat vilior, uti Judæi tradunt: & quia in Oriente præsertim, hordeum *vita damnavit quadrupedumque tradidit refectibus*, uti Plinius loquitur *lib.* XVIII. 7. & κτηνοπρεπὴς est vita adulteræ κτηνοπρεπὲς ἔδεσμα esse debuit ejus oblatio, uti & Cyrillus in *Hos. pag.* 61. & Judæi observant. [12] Omnis autem farina erat sine fermento in omnibus fertis, [13] exceptis panibus pentecostalibus *Lev.* 23. 17. [14] & fermentato sacrificii salutaris תודה *Levit.* 7. 13. *Amos* 4. 5. quorum proinde nihil altari inferebatur. *Lev.* 2. 11. *Menachot*. V. 1. *Sipra fol.* 77. 1. [15] His addunt nonnulli panes duos fermentatos, שני תודות dictos, qui, quum locus esset sacrandus aut amplianda urbs, ad finem loci sacrandi deferebantur, ita ut unus combureretur, alter comederetur. vide *Nehem.* 12. 31.

§. III. Ferta sola: quæ publica erant.

III. [16] Secunda hæc species fertorum dividitur in מנחה צבור fertum publico nomine oblatum, & מנחת יחיד fertum hominis privati. [17] Fertum publico nomine oblatum triplex est. I. עמר sive manipulus paschalis, constans hordeo, oleo & thure mixto, offerendus secundo die festi paschatis, e quo pugillus exemtus adolebatur, ita tamen ut omne thus cum pugillo hordei simul adoleretur, quod erat אשה *igne consumendum:* quum panum pentecostalium & propositionis nihil esset לאישים. *Siphra fol.* 77. 1. reliqua a sacerdotibus comedebantur. II. Panes duo ex tritico offerendi in festo pentecostes & a sacerdotibus comedendi, dicti vulgo שתי הלחם. III. Panes propositionis, quos sacerdotes quoque singulis sabbathis in loco sancto comedebant. *Levit.* 24. 5 – 9. nec ullis aliis, præter sacerdotes licebat iis vesci, uti Sospitator noster docet *Marc.* 2. 26. licet in casu extraordinario etiam David & socii ejus illos ederint. [18] Cæterum tribus his fertis nonnisi sacerdotes mundi vescebantur. *Pesachim*. VII. 4. [19] Quinque enim hæc 1. manipulus paschalis. 2. Panes duo pentecostales. 3. Panes propositionis. 4. Salutaria publica. & 5. hirci noviluniorum non nisi a mundis edi debuerunt, uti Judæi notant. Nec unquam aliquid פסול pollutum in his fertis repertum fuisse traditur in *Pirke avoth*. V. 5.

§. IV. Et privata.

IV. Ferta privata sunt vel a Deo jussa, vel ex voto offerenda. A Deo jussa sunt quatuor. I. מנחה חוטא [20] *fertum peccatoris*, qui unius ex quatuor peccatis recensitis *Levit.* 5. 1–4. reus est, idemque pauperior, quam ut hostiam solvere posset. II.

מנחת סוטה vel קנאות [21] *fertum mulieris declinantis*, aut *zelotypiæ*. *Num.* 5. 15. 26. III. מנחת חינוך [22] *fertum initiationis* ſacerdotis gregarii, offerendum eo die quo primum munus ſuum aggrederetur, *Lev.* 6. 20. cum ſacrificio jugi. IV. מנחת חביתין, [23] *fertum cruſtulorum* Pont. Max. quod mane & veſperi offerebatur. Τήγανον τȣ̃ μεγάλȣ ἱερέως. 1 *Chron.* 9. 31. Eadem voce טינן, τήγανον, Samaritanus reddit מחבת plus ſemel. Ferta בנדר ובנדבה [24] ex voto offerenda ſunt quinque. 1. מנחת הסלת *fertum ſimilæ*, [25] conſtans e ſimila oleo ſubacta. *Levit.* 2. 1. 2. מנחת מאפה תנור, [26] *fertum in clibano coctum*, conſtans e placentis. 3. מנחת מאפה רקיקין [27] *fertum laganorum coctorum* *Lev.* 2. 4. & unctorum oleo. [28] Sunt רקיקין tenuia, ſed חלות craſſa. Videtur רקיקין eſſe contractum ex רקריקין quod tenuia ac gracilia notat (nam רקרק lingua Samaritana eſt *extendit*, *diduxit*) & in Samaritanorum pentateucho ea vox pro Hebræa רקיקין uſurpatur. 4. מנחת על המחבת [29] *fertum in patina* frictum, aut vaſe plano ſine margine, ita ut quod in eo paratur durum ſit & conſiſtens. 5. מנחת על המרחשת *fertum in aheno* paratum, quod vas profundum eſt, & quod in eo coquitur tenue & fluidum eſt. *Menachoth.* v. 8. *Siphra fol.* 75. 2. [30] Novem hæ fertorum ſpecies eodem ritu offerebantur; ſic ut quum pugillus inde exemtus in altari combureretur, reliquiæ eorum a ſacerdotibus comederentur, quæ שירי מנחות ישראל *reliquiæ fertorum Iſraelis* nuncupantur. [31] Excipiuntur ferta ſacerdotum maſculorum, quæ tota ignis ſibi vindicabat *Lev.* 6. 23. *Siphra fol.* 77. 1. qualia ſunt ferta initiationis ſacerdotalis, & cruſtula pontificis maximi, quæ ſimilia erant fertis quæ נסכים ſive libamina appellant, juncta videlicet ſacrificiis. Solebant autem ſingulis veſperis hæc inter ſe dividere ברמשא יהוון כהניא מפלגין קורבניא דבני ישראל uti legitur in Targum Hieroſolymitano *Gen.* 49. 27. [32] Pugilli acceptio, dicta קמיצה, ita deſcribitur in *Siphra fol.* 71. 1. ut ſacerdos tribus mediis digitis ad volam manus incurvatis farinam acciperet, & pollice ac minimo digito ſuperfluum abraderet.

§. V. Fertorum quantitas.

V. [33]. Ferta privata nunquam excedebant 60 decimas. *Menachoth.* XIII. 1. & XII. 4. [34] quia publica non erant plura quam 61; videlicet die primo feſti tabernaculorum, ſi in ſabbatum incideret, nempe decimæ tres pro quolibet juvenco, ſecundum hanc tabellam.

	decimæ
13 juvenci	39
14 agni	14
2 arietes	4
2 agni ſacrificii jugis	2
2 agni ſabbathi	2
	61

Æquum vero erat privatum fertum eſſe publico minus. Nunquam autem fertum erat minus una decima.

§. VI. Fertorum adductio & agitatio.

VI. [35] Quædam ex iis agitari debebant, uti fertum pro delicto leproſi, & [36] panes pentecoſtales; [37] quædam adduci ad [38] cornu altaris notozephyrinum & non agitari, uti ferta quinque privata ex voto, & ferta ſacerdotum. Ferta zelotypiæ & manipulus paſchalis agitabantur & adducebantur, ita quidem ut agitatio præcederet adductionem תנופות קודמות להגשות *Siphra fol.* * 40. 2. Ferta libaminum & panes propoſitionis nec agitationem, nec adductionem requirebant, quæ ex hac tabella melius intelligentur. Confer *Menachoth* v. 5. & *Siphra fol.* 76. 2.

	Debuerunt
Ferta libaminum.	Nec agitari nec adduci.
Manipulus paſchalis.	Agitari & adduci.
Panes pentecoſtales.	Agitari, non adduci.
Panes propoſitionis.	Nec agitari nec adduci.
Fertum peccatoris.	Adduci, non agitari.
Fertum zelotypiæ.	Agitari & adduci.
Fertum initiationis ſacerdotum.	Adduci, non agitari.
Fertum cruſtulorum P. M.	Adduci, non agitari.
Quinque ferta ſpontanea.	Adduci, non agitari.
Log olei leproſi, & pro delicto ejus.	Agitari non adduci.

§. VII. Oleum & thus.

VII. Quibuſdam fertis [39] addebatur oleum & thus, ita ut ex hac tabella videri poteſt. *Menachoth.* v. 3. confer *Siphra fol.* 81. 2.

Re-

Requirebant	
Oleum & thus.	Ferta quinque privata (quæ ſunt *fertum ſimilæ* & 4. conſequentia) fertum ſacerdotum & pontificis maximi, fertum gentium & mulierum, & manipulus paſchalis.
Oleum, non thus.	([40] Ferta libaminum, מנחות נסכים
Thus, non oleum.	([41] Panes propoſitionis.
[42] Nec oleum, nec thus.	Panes duo pentecoſtales, fertum peccatoris & zelotypiæ.

[43] Sola lagana ſive רקיקין ungebantur oleo, ad formam Græci X, ut quidam volunt, quum reliquis, quæ oleum requirebant, oleum immiſceretur. Thus autem non ſolebat ſeparatim offerri in altari exteriori. Semel tantum id factum legitur *Numer.* 7. 13. ſed erat, uti Judæi loquuntur, הוראת שעה, id eſt caſus extraordinarius.

§. VIII. Modus affuſionis olei, & unctionis.

VIII. Tradunt in *Siphra fol.* 74. 2. [44] in præparatione fertorum quæ parantur in vaſe requiri tres מתנות השמן *effuſiones olei*. I. Oleum inditur vaſi, tum oleo additur ſimila. II. Oleum ſuperfunditur & miſcetur ſimila. [45] Hæc actio eſt בלילה. [46] Tum ſequitur לישה *ſubactio* aqua addita, deinde עריכה *formatio*, qua fertum figuram ſuam accipit, & coctio. [47] Poſt comminutio in fruſta, dicta פתיתה. vid. *Levit.* 2. 6. & *Menachoth.* VI. 4. Hæc locum non habebat in ferto ſacerdotum aut Pontificis M. quia nec pugilli acceptio. *Siphra fol.* 75. 1. Verum hanc R. Simeonis ſententiam ſapientes non probant. *Menachoth.* VI. 4. ubi docemur [48] panes pentecoſtales & propoſitionis non requirere פתיתה, quod non parentur in vaſe, בכלי. III. Oleum tertio affunditur. [49] Hæc eſt יציקה. Denique pugillus eximitur a ſacerdote & adoletur, [50] quum בלילה & יציקה non neceſſario requirant operam ſacerdotis *Levit.* 2. 2. *Siphra fol.* 70. 2. reliquum comeditur a ſacerdotibus. [51] Cæterum רקיקין *lagana* oleo ungebantur, (erant משוחים non בלולים *Siphra fol.* 73. 2. & *fol.* * 24. 1. dicitur de laganis ſacrificii תודה uncta fuiſſe digito כמין כי inſtar X Græci) & reliquum oleum quod a laganis non imbibebatur, effundi debuit ſuper ignem, ſi ſint lagana Pont. M. vel ſi ſint alia, comedebatur a ſacerdotibus. Huc facit dictum R. Simeonis; ſi videris oleum quod partiuntur inter ſe ſacerdotes in atrio, ne quære quid ſit: eſt enim Log olei leproſi vel *reliquiæ laganorum ex fertis Iſraelis* מותר רקיקי מנחות ישראל, quæ ungebantur & reliquum comedebant ſacerdotes. Si videris oleum effundi ſuper ignem ne quære quid ſit: eſt enim reliquum ex laganis fertorum ſacerdotum, רקיקי מנחות כוהנים vel מנחת כהן משיח ferti ſacerdotis uncti. *Menachot.* XII. 5. & VI. 3. *Zevachim*. X. 8.

§. IX. Menſuræ fertorum & libaminum diverſæ.

IX. [52] Quatuor erant menſuræ diverſæ fertorum ac libaminum, quæ teſſeris 4 quarum uſus in templo erat, fuere diſtinctæ. *Schecalim*. V. 3. Primæ teſſeræ inſcripta erat vox גדי *hircus*, ſacrificia omnia notans ex genere caprino & parva generis ovini. [53] Illa requirebat decimam Ephæ ſimilæ & quartam partem Hin olei & 4 partem Hin vini. [54] Alteri teſſeræ inſcriptum erat זכר *maſculus*, id eſt aries (Samaritana lingua etiam aries דכר dicitur) ſacrificia notans ex genere ovium majora, & requirebat duas decimas ſimilæ cum tertia parte Hin olei & pari quantitate vini. [55] Tertiæ teſſeræ inſcriptio erat עגל *vitulus*, ſacrificia notans ex genere boum. Ad hanc requirebantur tres decimæ ſimilæ & dimidium Hin olei, ac par quantitas vini. [56] Quarta teſſera erat חוטא *peccatoris*, id eſt leproſi divitis, qui tres decimas ſimilæ oleo mixtas offerebat, & Log olei. Si pauper eſſet, offerebat cum agno decimam ſimilæ. Hinc videmus libamina agnorum & caprarum, ſive holocauſta ſive ſacra ſalutaria fuerint, fuiſſe trium logorum, arietum quatuor, boum ſex: 12 logi autem faciunt unum Hin. [57] Excipiebatur tamen a communi regula agnus die ſecundo paſchatis, ſive 16 Niſan, in holocauſtum Deo offerendus cum manipulo hordeaceo: ei enim addebantur 2 decimæ ſimilæ, quum cæteroquin una decima ſufficeret, tertia pars Hin olei & quarta pars Hin vini. Confer *Siphra fol.* * 10. 1.

§. X. Tabella menſurarum ſacrarum.

X. Quod ut diſtinctius intelligatur, trademus hoc loco tabellam menſurarum ſacrarum, quibus in fertis dimetiendis & aliis rebus utebantur, ad quantitatem *ovornm gallinaceorum* a Judæis redactas. L præfixum notat menſuras Liquidorum, A, Aridorum.

Liq. רביעית *Quartarius*, ſive quarta pars logi, continet ova $1\frac{1}{2}$

[58] Hæc erat menſura poculi paſchalis; [59] nec licebat ſacerdoti ſacris operaturo plus vini, licet aqua mixti, bibere, ſi tantum meri bibiſſet. *Siphra fol.* * 55. 2.

L.

{ L.	לוג.	6
{ A.	רובע. *Quadrans*, five quarta pars Cabi.	6
A.	קב. [60] *Cabus*.	24
A.	עומר. *Omer*.	$43\frac{1}{5}$
L.	הין. *Hin*.	72
A.	סאה. *Satum*.	144
{ L.	בת. *Bathus*.	432
{ A.	איפה. *Epha*.	432
A.	כור. *Corus*.	4320

Ejus dimidium in aridis quoque לתך. dicitur.

Ex quibus intelligitur decimam partem Ephæ æqualem eſſe quantitati ovorum 43 & quintæ parti ovi, quam menſuram Joſephus vocat, ἀσσάρωνα, עשרון, Moſes עומר *Exod.* 16. 36. & tertiam partem Hin eſſe 4 logos, ſeu 24 ova, quartam partem Hin, 3 logos, ſive 18 ova, atque ita porro. In *Menachoth*. IX. 2. docemur [61] ſeptem in templo fuiſſe vaſa quibus liquida metiebantur, quæ μέτρα Joſephus vocat.

1. [62] *Hin*. Eo vaſe nil niſi olei unctionis quantitatem explorarunt tempore Moſis.
2. *Dimidium Hin*, ut metiri poſſent quantitatem vini debitam ſacrificiis quorum teſſera erat עגל.
3. [64] *Triens Hin*, in uſum ſacrificiorum teſſeræ זכר.
4. [65] *Quadrans Hin*, in uſum teſſeræ inſcriptæ גדי.
5. [66] *Log*. pro teſſera חוטא.
6. [67] *Dimidium Logi*, ad metiendam quantitatem olei infundendi lychno unicuique lychnuchi ſacri, [68] & oleum ſacrificii תודה, & aquam mulieri adulterii ſuſpectæ dandam.
7. [69] *Quadrans logi*. Hæc erat quantitas olei ſingulis cruſtulis Pontificis addendi, & [70] aquæ ſupra quam avis leproſi mundandi jugulatur.

§. XI. Libamen vini.

XI. [71] Vinum quum libaretur, id על גבי המזבח in ſummo altari fiebat, in alterum ex duobus ſimpulis ad angulum altaris notozephyrinum conſtitutis. *Eduioth*. VI. I. *Succa* IV. 7. ita quidem ut inde [72] verſus inferiora altaris, לשיתין, deſcenderet: & hoc modo videntur debere intelligi qui ſcribunt vinum effuſum fuiſſe in fundamentum altaris, uti in *Eccleſiaſt. Siracid.* 50. 18. legitur ἐξέχεεν εἰς θεμέλια θυσιαςηρίε ὀσμὴν εὐωδίας. Videlicet angulus altaris notozephyrinus [73] tribus rebus inſerviit parte ſui ſuperiore: 1. Libamini aquæ. 2. Libamini vini. 3. Holocauſtis avium; ſi ab ortu altaris ſpatium non eſſet. Parte autem ſui inferiore tribus his rebus inſerviit: 1. Sacrificiis piacularibus avium. 2. Adductioni fertorum. 3. Excipiendis reliquiis ſanguinis. Vide *Zevachim*. VI. 2.

COMMENTARIUM IN CAPUT SEPTIMUM.

[1] *Quum Judæi &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Menachoth*. Dico itaque munera primo in duo dividi genera, quorum unum eſt munus, quod una cum oblatione קרבן comburi ſolet, atque hoc vocatur מנחת נסכים *munus libaminum*, quod ab iſta oblatione divelli nequit. Alterum genus eſt quod ſeorſim venit, & non dicitur munus libaminum. *Abarbanel in præfat. in Leviticum cap.* II. Hæc igitur primum diſtribuuntur in partes ſeu ſpecies duas; erat enim fertum, quod una cum victima offerretur, adoleretur, ſine quo prorſus immolari victima non poterat, atque hoc illud eſt, quod fertum libaminum vulgo dicitur; & erat fertum quod Deo ſeparatim obmovebatur, quod aliud atque fertum libaminum erat.

[2] *Fertorum ſpecies &c. Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. II.* 1. Quicquid offerebatur vini & ſimilæ una cum victima, libamina nominabantur.

[3] *His ſemper libamina &c. Maimonides ibidem*. Non erant neceſſaria libamina niſi holocauſtis quadrupedum, & pacificis, ſeu ſacrificia forent publica, ſeu quævis privata, ſeu etiam agnus puerperæ: itaque ea, quæ pro ſe faciebat ſacrificia, quoniam holocauſta erant, libaminibus indigebant.

[4] *Non avium &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Menachoth*. In Siphri quæritur, an holocauſtum ex ave indigeat libamine, & reſpondetur quod non indiget, quia in principio Levitici dicitur: ימן הבקר ומן הצאן quæ phraſis quoque extat Num. 15. 3. ubi de libaminibus. נדר אנ נדבה או במועדיכם. *Abarbanel ibidem*; Omnino quodcumque ſacrificium volucri fiebat, ad hoc fertum libaminum non requirebatur, ſicuti dicitur in eo libro qui Siphri inſcribitur.

[5] *Ideſt holocauſtis &c. Siphri ad cap. XV. 3. Num. & fecerit oblationem Domino in holocauſtum*; ego exiſtimabam, quod omnia, quæ in ignem offerrentur, tenerentur libaminibus; ideo dictum eſt, *holocauſtum*; Ego non probo niſi pro holocauſto; unde probatur ad includenda pacifica? ideo dictum eſt, *vota ſolventes, vel ſponte offerentes*; non dico niſi de ſanctitatibus, quæ ex voto, aut ſponte offeruntur, excludam hæc (*ideſt ſacrificia pro peccato, & pro delicto*,) atque etiam excludam holocauſtum debitum, quod in ſolennitatibus offerebatur. Quando vero dicit: *aut in ſolennitatibus veſtris*, includit holocauſtum, quod in ſolennitatibus offertur; includamne ſacrificium pro peccato debitum, quod offertur in ſolemnitatibus? Idcirco dictum eſt; *de bobus ſive de ovibus*. Bos erat in genere, & a genere eductus eſt, ut ſuper totum genus doceret; quemadmodum filius vaccæ, qui affertur ex voto & ſponte, requirit libamina, ita etiam ea omnia, que offerentur ex voto, & ſponte, libamina

mina requirent; excluditur ſacrificium pro peccato, & ſacrificium pro delicto, quæ non offeruntur ex voto, vel ſponte, quod non requirant libamina. *Adolentes odorem ſuavitatis Domino de bobus ſive de ovibus*, cur dictum eſt? quia dictum eſt; *& fecerit oblationem Domino holocauſtum, aut victimam*; ego exiſtimabam, quod etiam holocauſtum ex avibus requireret libamina; ideo dictum eſt: *de bobus, ſive de ovibus*; excluditur holocauſtum ex avibus, quod non obligetur ad libamina, verba R. Joſiæ. R. Jonathan dicit, id non opus eſt, quia jam dictum eſt, *aut victimam*, ſicuti victima eſt de ſpecie beſtiarum, etiam holocauſtum erit ex ſpecie beſtiarum.

[6] *Non autem piacularibus &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Menachoth*. Præterea neque ſacrificium pro peccato, neque ſacrificium pro reatu requirunt munus libaminum, quia Num. 15. 3. de libaminibus dicitur: *vota ſolventes, vel ſponte offerentes munera*, dixerunt ſapientes, quicquid ex voto, vel ſponte accedit, id requirit libamen; excipiuntur ſacrificia pro peccato, & pro reatu, quæ non veniunt cum voto, neque oblatione ſpontanea. Et propterea neque primogenitum, neque animantia cætera, neque ſacrificium Paſchale, quia neutrum ex iſtis venit cum voto, neque cum oblatione ſpontanea. Liquet ergo tibi ex omnibus iis, quæ præfati ſumus, quod omnia e jumento holocauſta, omniaque pacifica requirunt libamina, ſive ſint ſacrificia pro cœtu, ſive pro privatis; ſed ſacrificium pro peccato, & pro reatu non requirit libamina, præter ſacrificium pro peccato leproſi, vel pro ejuſdem reatu, quemadmodum explicui. *Abarbanel ibidem*. Simul accipe dictum illud, ſacrificium id quod fiebat ex voto promiſſoque requirebat fertum libaminum; at non ſacrificia piacularia, nec ſacrificia pro delicto ex voto, vel promiſſo fiebant, igitur nec ferta libaminum requirebant; quam ob rem nec primitia, nec decuma pecus, neque porro victima Paſchalis libaminum fertis augebantur, quia enim non ſacrificabantur nec ex voto; nec ex promiſſo, unde ſequitur, ut ſolidis ſacrificiis iis, quæ fierent quadrupedibus, item & ſacrificiis pacificis ferta libaminum adhiberentur, non adhiberentur nec ſacrificiis piacularibus, nec ſacrificiis pro delictis, ſi modo excipias ſacrificium piaculare, atque ſacrificium pro delicto leproſi &c.

[7] *Niſi ſolius Leproſi &c. Toſaphta Sotah cap. I. 9.* R. Simeon dicit; Nullum ſacrificium pro peccato requirebat libamina excepto ſacrificio pro peccato Leproſi, & ejuſdem ſacrificio pro delicto; ne ſacrificium peccatoris exornatum eſſet.

[8] *Hæc autem &c. Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap.* II. Quicquid offerebatur vini, & ſimilæ una cum victima, libamina nominabantur; atque ſimila illa ſeorſum, libaminum fertum dicebatur, quod libaminum fertum non indigebat neque agitatione, neque admotione, neque porro thure; indigebat autem ſale, ac totum quantum erat, in altari comburebatur exteriori. Jam vinum fundebatur quidem in altare, ſed non in ignem; miniſter enim ſublata manu vinum effundebat in altaris fundamentum, unde defluebat in Sitin. *Abarbanel ibidem*. Porro autem multis & variis e fertis totum adoleri nullum, præter mulieris de adulterio ſuſpectæ, Sacerdotis, & fertum libaminum, ſive ſacrificiis ſolidis, ſeu ſacrificiis pacificis adhibendum, quod totum adolebatur utique.

[9] *Alteram ſpeciem &c. Maimonides ibidem cap. XII.* Ferta quoque fuerunt ſacrificiorum numero & quæ ferta ſeparatim per ſe offerebantur nec veniebant nomine libaminum, ea partim Eccleſiæ, partim erant privatorum hominum. *Abarbanel ibidem*. Altera fertorum ſpecies nullis e victimis pendebant.

[10] *Ex ſimila triticea &c. Maimonides ibidem*. Omnino fuerunt omnia ferta ex ſimilagine triticea, præter fertum illud mulieris in adulterii ſuſpicionem vocatæ, & manipuli agitationis, quæ erant hordeacea. *Idem in præfatione ad Codicem Menachoth*. Cæterum omnia munera requirunt ſimilam, excepto munere Omer, & munere Zelotypiæ, quod ex hordei farina fiebat, quorum neutrum cumburitur. *Abarbanel ibidem*. Unde cognoſcitur eſſe e medulla farinæ triticeæ ferta cuncta, præter unum a muliere de adulterio ſuſpecta, & alterum a manipulo novarum frugum, quæ erant e farina hordeacea.

[11] *Hoc autem &c. Siphri ad cap. V. 15. Num. Decimam partem ſati*; partem decimam Ephæ; *farinæ hordeaceæ*; cur dictum eſt? quia erat argumentum; quoniam munus peccatoris afferebatur pro peccato, & hoc afferebatur pro peccato, ſi didici, quod munus peccatoris non adduceretur niſi ex ſimila, etiam hoc non erit afferendum niſi ex ſimila; ideo dictum eſt, *farinæ hordeaceæ*; cur dictum eſt? quia erat argumentum, quoniam munus peccatoris afferebatur pro peccato, & hoc munus veniebat pro peccato; ſi ego fueram edoctus, quod non afferretur munus peccatoris niſi de frumento, ita dicerem, quod etiam hoc non conſtaret, niſi e frumento, idcirco dictum eſt, *hordeaceæ*. Dixit R. Simeon filius R. Gamalielis, ſinite, o docti, uti ego dicam rem, quæ eſt ſimilis faſciculo moſchi, ſed probabilis. Sicuti hujus opera fuerunt belluina, ita etiam ejus ſacrificium eſſe debet cibus belluarum.

[12] *Omnis autem farina &c. Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. XII.* 14. Cuncta, quæ in altari ſacrificabantur ferta, azyma erant; porro autem & fertorum reliquias, quas ſacerdotes edebant, quamquam conceſſum erat, ut eas omni eduliorum genere, etiam melle conditas comederent, tamen eaſdem fermentatas non comedebant; nam quod ſcriptum eſt Levit. 6. 17. *Non fermentabitur, quia pars ejus &c.* Hujus ea vis eſt, ne ſuam quiſque portionem fermentabit, Si quis igitur ferti reliquias fermentaſſet, verberibus multaretur.

[13] *Exceptis panibus &c. Maimonides de ſacrificiis Jugibus, & Addititiis. Cap. VIII.* 9. Jam id aperte in Lege explicatur eos oportuiſſe fermentatos eſſe. Id igitur ita fiebat; fermentum afferebatur ex aliquo loco; id dabatur in decimam menſuram; tum illa explebatur ſimilagine, quæ hoc fermento inficiebatur tota.

[14] *Et fermentato ſacrificii &c. Codex Menachoth cap. VII.* 1. Euchariſticum conſtabat e quinque ſatis Hieroſolymitanis, quæ ſunt ſex deſerti, duabus Ephis, Epha tribus ſatis, viginti decimis, decem pro fermentato, & decem pro azymo &c. *Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. IX.* 17. Qualis igitur erat panis ille, qui ſacrificio Euchariſtico adhibebatur? Nempe ſumebant viginti decimas ſimilæ, quarum e denis panem fermentatum efficiebant, & ex denis aliis panem azymum &c.

[15] *His addunt &c. Toſaphta Sanhedrin cap. III.* 5. Quomodo faciebant? Senatus præibat, & duo ſacrificia Euchariſtica poſt eum ſequebantur; interius comedebatur, & exterius comburebatur, & pro quacunque re, quæ non poterat in urbem ingredi, & ingreſſa eſſet, non pœna tenebantur. Duo ſacrificia Euchariſtica, quæ dicta ſunt, fiebant pane, & non carne. *Megillah Taanith cap. VI.* In ſeptimum diem Elul incidit Dedicatio muri Hieroſolymorum, ideo non erat lugendum, quia eum extranei deſtruxerant; ſicut ſcriptura docet, Nehem. 6. 15. *Completus eſt autem murus vigeſimo quinto die menſis Elul*. Quamvis autem ædificatus eſſet murus, portæ tamen hactenus nondum erant ædificatæ, ſicut legimus Nehem. 3. 15. *Ipſe ædificavit eam, & texit, & ſtatuit valvas ejus &c.* & cap. VII. 1. *& recenſui janitores, & cantores*; cap. 13. 10. *& de his qui miniſtrabant*. Cur ita fecerunt? Quoniam neque urbis, neque atriorum templi termini promovendi erant, niſi Regis, Prophetæ, Pontificis maximi; ac Urim & Thummim nec non Synedrii LXXI. virorum auctoritas ſimul accederet cum binis confeſſionibus, & cantico juxta id quod legimus Nehem. 12. 27. ſq. 38. & *chorus ſecundus gratias referentium ibat ex adverſo, & ego, poſt eum. Et domus judicii menſurabat & ſequebatur eas*, ſicut ſcriptum legitur Nehem. 12. 32.: *Et ivit poſt eos Oſajas, & media pars principum Juda &c.* Interior confeſſio eſt comeſta a ſacerdotibus, exterior vero eſt combuſta. Et ſi non ſanctificata fuiſſet urbs, & cætera omnia iſtis rebus, tunc ſiquis ingreſſus fuiſſet impurus, non erat reus. Aba Saul dicit, duæ lacunæ (paludes) erant in monte oliveti, ſuperior, & inferior. Inferior ſanctificata eſt omnibus iſtis rebus (ſupra memoratis) ſed ſuperior non eſt ſanctificata, niſi a filiis captivitatis, attamen abſque auctoritate Regis, ac Urim & Thummim. Superiorem, quæ non perfecte ſanctificata erat, ſapientes (qui mundi erant) & populus terræ ingrediebantur, ibidemque comedebant ea quæ minus ſancta erant, quam alia; nonne multo magis illis edere licebat decimam

cimam

cimam ſecundam? In ſuperiorem ſapientes & magiſtri ingreſſi ſunt, ſed illic non comederunt minus ſancta, nec decimam ſecundam. Cur autem ſuperiorem non ſanctificarunt? quia locus ille erat turpitudo Hieroſolymæ, in quem etiam eduxerunt omnes res turpes, & abjectas Hieroſolymæ. *Maimonides de Templo cap. VI.* 12. Sic igitur fiebat urbis amplificatio. Jubebat ſenatus duo pro gratiarum actione fieri ſacrificia de fermentatis panibus, qui ſolebant ſacrificiis in iſtis adhiberi. Ea ſacrificia deinceps poſita ſenatus ſequebatur, dum per urbem circumferebantur, inſiſtebat autem ad ſingula compita, & ad ſingulos Hieroſolymæ cippos, atque, *exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me*, canebat ad cytharas, nablia, & cymbala, uſque dum ventum erat ad extremum locum eum, qui dedicabatur. Hic inſiſtebant, ac de duobus ſacrificiis Euchariſticis comedebant unum, & alterum abolebant igni; horum autem utrum flammis, utrum hominibus eſſet abſumendum, id Propheta decernebat. Atque etiam atrio ſiquid adderetur ſpatii, reliquiis fertorum id dedicabatur; nam ut in amplificanda Hieroſolyma, incrementum illud per ſacrificium pro gratiarum actione, quod intra Hieroſolymam ipſam oportebat comedi, item incrementum atrii dedicabatur reliquiis fertorum, quæ niſi in atrio nuſquam conſumebantur: conſumebantur igitur reliquiæ iſtæ extremo illo, qui dedicabatur, loco. Et cujus in loci dedicatione non iſta adhibentur omnia, & ordine præſcripto, omnino is non rite dedicatur. Atqui duo illa Eſdræ ſacrificia pro gratiarum actione, illa ad memoriam, non ad dedicandum locum adhibita ſunt; neque enim ibi Rex aderat, neque Urim & Thummim. Quo igitur pacto dedicatus eſt? Prima videlicet Salomonis dedicatione, qui atrium juxta & Hieroſolymam dedicavit non in præſens modo, ſed etiam in poſterum. *Vide Codicem Schevuoth. cap. 2. 2. & Gemar. Babyl. Schevuoth fol. 14. 15. & Gemar. Hieroſ. Sanhedrin cap. I. fol. 19.*

[16] *Secunda hæc ſpecies &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Menachoth.* Secunda vero continet munera, quæ non dependent a ſacrificiis, & in duo diſtribuuntur genera, munus privatum, & munus publicum. *Abarbanel ibidem.* Altera fertorum ſpecies nullis e victimis pendebat, quæ bipartito dividebatur, nempe erant hujuſmodi ferta & privata, & publica.

[17] *Fertum publicum &c. Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. XII.* 3. Erant igitur Eccleſiæ ferta tria, manipulus agitationis, qui in altari ſacrificabatur ſic, ut deinceps explicabitur, & duo panes illi, qui die Pentecoſtes offerebantur; hi vero fertum dicebantur quidem, ſed in altari non ſacrificabantur, & fermentati erant; atque ad hos ſpectat id, quod ſcriptum legimus Levit. 2. 12: *Primitias tantum eorum offeretis, ac munera, ſuper altare vero non imponentur*, tertium fertum erat panis propoſitionis, qui ſingulis hebdomadis fiebat. Is quoque in altari non ſacrificabatur, ſed totus comedebatur a ſacerdotibus, ut inferius explicabitur. *Idem in præfatione ad Codicem Menachoth.* In munere publico, quod pro tota Iſraelitarum ſocietate venit, etiam comprehenditur Omer agitationis, qui offertur ſecundo feſti Paſchatis die, cujus ritus in hocce tractatu abſolvetur, & ex ipſo pugillus offertur in altare, reſiduum vero a ſacerdotibus comeditur. Secundum munus, quod e duobus conſtat panibus, quos in feſto Pentecoſtis offerunt, quorum jam meminimus in principio tractatus de ſacrificiis. Dicit Deus Levit. 23. 17: *Ex omnibus habitationibus veſtris panes primitiarum duos &c.* & de munere dicit Num. 28. 26: *Dies etiam primitivorum, quando offeretis novas fruges Domino &c.* Tertium vero munus conſtat e pane facierum, quem comedunt ſacerdotes ſingulis Sabbathicis diebus, & hicce panis e duodecim placentis confectus eſt, quarum una continet duas farinæ decimas, & hi tres in Sabbatho comedi poſſunt, licet polluti ſunt. Sed hic non comeditur panis, ſi is in immunditia acceſſerit, quemadmodum de hoc expoſuimus in tractatu Peſachim. *Abarbanel ibidem.* At publica quidem ejuſmodi ferta numero tria fuerant; unum erat manipulus ille frugum novarum, quod obmovebatur Deo poſtridie illius diei ſolennis Azymorum, ex quo plenus pugillus in altari adolebatur, & reliquum comedebatur a ſacerdotibus; alterum autem erat duo panes illi, qui Deo offerebantur ad Hebdomadalia, de quo ſcriptum videmus Levit. 23. 17: *ex omnibus habitationibus veſtris panes primitiarum duos . . . . . quos coquetis in primitias Domini*; his enim ferti vocabulum a Lege tribuitur num. 28. 26. *Dies etiam primitivorum, quando offeretis novas fruges Domino, expletis hebdomadibus.* Tertium erat hujuſmodi fertum publicum panes propoſitionis, hi ſingulis Sabbathis comedebantur a ſacerdotibus, placentæ duodecim erant, quæque binas continebant ſimilaginis decumas.

[18] *Cæterum tribus his &c. Non ſolum in his tribus fertis, ſed in reliquis etiam ſeu fertis, ſeu ſacrificiis comedendis Sacerdotes mundi eſſe debebant, immundi ab edendis ſacris ſemper excludebantur. Codex Sevachim cap. XII.* Lavandus eodem die, & egens expiationibus non capiunt partem ad edendum circa veſperam. Plangens tangit, ſed non offert nec capit partem ad comedendum in veſpera . . . . . Quicunque non eſt aptus cultui, non participat de carne, & cuicunque non eſt *pars* in carne (ei etiam) non eſt in pellibus. Etiamſi quis immundus ſit hora ſparſionis ſanguinum, & purus in hora adolitionis pinguedinum, non participat de carne. *Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. X.* 19. Quiſquis erat ad comedenda ſacra tum idoneus, cum res divina fiebat, is ſuam partem ſacrorum ad comedendam obtinebat. Et qui non erat cum res divina fieret ad ſacra comedenda idoneus, is etſi ad rem divinam faciendam erat idoneus, idemque veſperi futurus erat idoneus ad ſacra comedenda, tamen ſacrorum portionem, quam ad veſperum reſervaret, obtinebat nullam. Sic igitur de die lavandus, ſic piaculi indigens, ſic lugens Sacerdos ſeu ſummus, ſeu privatus quo die propinqui hominis emortui corpus humabatur, ſacrorum portionem, quam veſperi comederent, nullam obtinebant.

[19] *Quinque enim hæc &c. Non legimus in c. l. Peſachim, quinque hæc a mundis ſacerdotibus comedenda fuiſſe, ſed nullo modo comedenda, propterea quod cum immunditie oblata eſſent.* Quinque (*inquit*) res veniunt cum immunditie, & non comeduntur in immunditie, ut Homer, duo panes, panis facierum, ſacrificia publica cœtus, & hirci noviluniorum. Paſcha quod veniebat cum immunditie, comedebatur in immunditie, quia ab initio tantum veniebat, ut comederetur. Sacrificia publica, quæ ſtatutum & fixum tempus habebant, pellunt Sabbathum & immunditiem; *Codex Themura cap. II.* In ſacrificiis publicis locum habet, quod in privatis non habet; nam publica ſacrificia Sabbathum propellunt, & immunditiem, privata autem nec Sabbathum, nec immunditiem. Quæ ſacrificia cum immunditie oblata non comedebantur, ſed comburebantur. *Maimonides de ratione adeundi templi cap. IV.* 10. 11. Sacrificiis autem publicis cunctis erat conſtitutum tempus, itaque cuncta Sabbathum & inquinamentum funeris elevabant. Jam quodcunque fiebat inquinatum ſacrificium, ex eo omnino comedebatur nihil, adolebatur id quod conveniebat; quod autem ad veſcendum erat aptum, id, veluti cuncta ſacrificia temerata, igni conſumebatur.

[20] *Fertum peccatoris &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Menachoth.* Munus privatum dividitur in quinque genera; horum primum eſt, quod offerri debet ob iniquitatem alicujus . . . . . . Præterea notandum eſt primum munus offerri, quando quis erraſſet in immunditie Sanctuarii & rerum ſanctarum, vel ſi erraverit in jurejurando temere dicto, vel ſi jusjurandum teſtimonii ex arrogantia quadam ſive errore pronunciaverit. Quiſquis igitur unum ex hiſce quatuor commiſerit, is tenetur ſacrificio, ſicuti expoſuimus in principio prologi ad codicem de ſacrificiis; ſi vero alicujus opes non aſſequantur tale ſacrificium, offerat decimam Ephæ partem e ſimila abſque oleo, & thure, atque hoc vocatur מנחת חוטא *munus peccatoris*, ſed in Lege etiam חטאת dicitur, & requiritur ut pugillus de eo offeratur, reliquum vero a Sacerdotibus comeditur. *Abarbanel in præfatione ad Leviticum.* Ratio autem privatorum fertorum quinquepartito diſtribuebatur; primum enim quis aſtringebatur ferto ob admiſſum aliquod, ſi templum, ſacrave per imprudentiam inquinamento temeraſſet, ſi jusjurandum vanum atque futile juraſſet, ſi rei cujuſpiam conſcius ſciens aut imprudens, atque jusjurandum dediſſet ſe nihil quidquam ejus ſcire; qui homo maleficio-

ficiorum aliquod commiserat, is sacro piaculari astringebatur; cujus si sacri faciendi facultas non esset, idem offerebat similæ tantum, quantum Ephæ decuma continebatur, id vero nec oleo perfundebatur, nec decorabatur honore thuris; nimirum hoc vulgo fertum sontis dicitur, atque adeo in literis sacris sacrificium piaculare nominatur; ex hoc igitur in altari adoleri plenum pugillum oportebat, & reliquum a Sacerdotibus comedi.

[21] *Fertum mulieris &c. Maimonides ibidem*. Secundum quum non nemo peccaverit in re quam corrigere vellet. *Et paucis interjectis*. Secundum vero est id quod offerre debet uxor adulterii suspecta, & distinguitur a muneribus omnibus, & hoc e farina constat hordeacea sine oleo & thure, & de hoc munere offertur pugillus in altare, & residuum a Sacerdotibus comeditur, sicuti exposuimus capite secundo tractatus Sotah, & vocatur מנחת קנאת *munus Zelotypiæ* secundum Legem. *Abarbanel ibidem*. Deinde ferto alligabatur qui domesticæ turpitudinis infamia liberari se volebat, hujus generis erat fertum mulieris de adulterio suspectæ, quod cunctis e fertis distinguebatur; erat hordeacea farina, sine oleo, sine thure, unde plenus pugillus in altari adolebatur, & comedebatur reliquum a Sacerdotibus, atque hoc fertum Zelotypiæ nominatur.

[22] *Fertum initiationis &c. Maimonides de vasis Sanctuarii cap. V. 16.* Neque Sacerdotum quisquam, neque summus Pontifex ad primum sacrificium faciendum accedebat, nisi prius de suo obtulisset decimam Ephæ partem similaginis, eamque sua manu sacrificasset; ait enim Lex: *Hæc est oblatio Aaron, & filiorum ejus, quam offerre debeant Domino de die unctionis suæ*. Attamen si Sacerdos antequam præscriptam illam offerret decimam Ephæ partem similaginis, sacrificium fecisset; item si summus Sacerdos sacris operaretur uti Pontifex, idque ante, quam obtulisset decimam Ephæ partem similaginis, nihilominus tamen idoneum fuisset ejus sacrificium. Si Pontifex maximus crearetur Sacerdos, qui nunquam esset sacris operatus, is ab initio obtulisset unam Ephæ decimam, & sua manu sacrificasset, sic tanquam solebat quivis sacerdotum sacris initiandus, post obtulisset & alteram Ephæ decimam veluti Pontifex initiandus, deinde etiam tertiam Ephæ decimam sacrificasset; hæc enim in crustula inpendebantur ea, quæ singulis diebus a Pontifice maximo offerebantur, ut inferius demonstrabitur. Atqui horum sacrificandorum munerum una & eadem erat ratio. *Abarbanel ibidem*. Et unusquisque Sacerdotum semel in vita libamento astringebatur; nimirum Sacerdos grandis jam adolescens cum primum ad rem divinam administrandam accedebat, ante omnia de suo fertum Deo offerebat, quod decumas similaginis contineret duas, id adeo, quod fertum erat Sacerdotis adolebatur totum. Indicat hoc idem ipse Legis versus: *Hæc est oblatio Aaron, & filiorum ejus, quam offerre debeant Domino &c.* hic enim simul comprehenduntur quotidianum summi Pontificis, & cujusque Sacerdotis fertum illud, quod Deo tum offerebat, cum ad rem divinam administrandam aggrediebatur. Jam quivis Sacerdotum ubi præceptis astringebatur, idem idoneus erat, qui rem divinam administraret; sed fratres ejus Sacerdotes non sinebant, usque dum annos viginti natus erat.

[23] *Fertum crustulorum &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Menachoth*. Quartum vocatur sartagines Pontificis maximi, quod decimam Ephæ partem continet, cujus dimidium unum offertur cum sacrificio jugi matutino, alterum cum vespertino, atque hoc totum comburendum est, sicut scriptum est Levit. 6. 15. *adolebitque illud in altari in monumentum odoris suavissimi Domino*. Et hoc est munus, quod Pontifex maximus quotidie debet offerre, vocaturque etiam *munus Sacerdotis uncti*, quia de ipso dicitur Levit. 6. 20. *quam offerre debent Domino in die unctionis suæ*. *Abarbanel ibidem*. Quartum erat fertum illud, quo Pontifex maximus solus astringebatur in dies singulos, & semel in vita demum quilibet alius sacerdos, tum videlicet, cum divino ministerio initiabatur, atque libamentum hoc quotidianum Pontificis maximi illud est, quæ crustula summi Pontificis passim appellantur; erat autem similaginis id, quod Ephæ decuma capiebat, cujus dimidium cum matutino, & dimidium cum vespertino sacrificio jugi libabatur, totum quantum erat igni consumebatur, sicut edictum est Levit. 6. 15. *adolebitque illud in altari in monumentum odoris suavissimi Domino*. Idem hoc libamentum appellatur etiam Sacerdotis uncti fertum, quia enim hoc spectat illud, quod ibidem vers. 20. edicitur: *quam offerre debent Domino in die unctionis suæ*.

[24] *Ex voto offerenda &c. Maimonides ibidem*. Quintum munus est quatenus quis in se recipit oblationem spontaneam, idque *munus spontaneum* vocatur, & e quinque constat similæ speciebus oleo commixtis, quod vocatur *munus similagineum*, vel *coctum fornacis*, & tum e duabus speciebus constat, placentis scilicet & laganis; porro etiam vocatur *munus sartaginis*, aut *munus aheni*, quæ nomina omnia in Lege occurrunt, & ad quamlibet horum speciem, & mensuram tenetur, siquid deliquerit, & non minus quam decimam partem solvere debet, sicuti expositum est. *Abarbanel ibidem*. Quintum, & extremum erat illud, quod ex voto, atque promisso offerebatur, id vulgo fertum voluntarium dicitur, id quintuplici varietate distinguebatur. Erat tum mera simila oleo subacta, quod fertum similaginis appellatur; tum panificum quoddam in clibano coctum, & idem in placentas, aut lagana divisum, alias cacabo infervefactum. Quod igitur cunque horum quis voverat, id oportebat, ut ferret, & ferret ad eum modum, quem in sponsione voti definierat, siquidem non minus decumæ similæ definierat.

[25] *Constans e simila &c. Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. XIII. 5.* Jam fertum similaginis ita fiebat. Similaginis aut una, aut plures ex voto apportabantur decimæ, & olei quantum conveniebat, ad metiendum adhibebatur decima Sanctuarii. Primum igitur infundebatur in vas illud olei aliquid, deinde addebatur similago, rursusque addebatur aliquid olei, quod cum similagine commiscebatur; tum totum hoc infundebatur in vas sacrum, in quod etiam aliquid superfundebatur olei; & quod primum infundebatur oleum, & quod denuo commiscebatur simul cum eo, quod superfundebatur tertio, totum simul logum in unamquamque similaginis decimam conficiebat. Deinde etiam suum thus addebatur.

[26] *Fertum in clibano &c. Maimonides ibidem*. *Et fertum* in clibano coquendum quale tandem erat? Nempe si placentæ erant, commiscebatur oleo similago, atque pinsebatur aqua tepida, tum coquebatur, atque in frusta dissecabatur; post in vase sacro imponebatur, atque thus ei superponebatur; porro autem oleo non perfundebatur, quia scriptum est: *Panes scilicet absque fermento conspersi oleo*. Levit. 2. 4.

[27] *Fertum laganorum &c. Maimonides ibidem*. Lagana vero fiebant ita: simila conspergebatur aqua tepida, tum lagana etiam perfundebantur oleo, quia scriptum est: *& lagana azyma lita oleo*. Ibidem. Ac mihi quidem ita videtur lagana tum demum fuisse etiam oleo perfundenda, postquam cocta fuerant. Qualis igitur perfundendi ratio? Afferebatur olei logus; ex eo perfundebantur lagana semel, & iterum, usque dum logus olei consumeretur totus.

[28] *Sunt* רקיקין *&c. Bartenora ad cap. V. 8. Codicis Menachoth*. ומעשיה רוחשים *& opera illius se movent*, oleum quod in ea continetur, huc illuc se movet. Non nemo tradit *& opera illius tenuia sunt*, nempe massa, quæ in ipso coquitur.

[29] *Fertum in patina &c. Maimonides ibidem*. Fertum sartaginis, atque craticulæ ita fiebat, infundebatur in vas aliquid olei, deinde addebatur simila, rursusque addebatur, olei aliquid, quod cum similagine commiscebatur, tum pinsebatur mola aqua tepida, atque ex voto coquebatur aut in sartagine aut in craticula; post discindebatur in frusta, atque in vase sacro imponebatur, & perfundebatur reliquo olei, denique thus ei addebatur. Sed quid tandem erat discriminis inter sartaginem, & craticulam? Nempe craticula erat instructa ora, & quæ in hac coquebatur, mola mollis erat, quippe cui, ne excederet, ora obstabat; sartago autem ora carebat, & in ista coquebatur mola oppido dura, ne hinc & inde excurreret.

[30] *Novem hæc ferta &c. Maimonides ibidem cap. XII. 9.* Ex singulis, quæ in altari sacrificabantur fertis demebatur plenus pugillus, is in altari adolebatur totus, reliquum a Sacerdotibus comedebatur. *Idem in*

in præfatione ad Codicem Menachoth. Hæc vero quinque munerum genera requirunt oleum, & thus, & similam, exinde pugilli plenitudo offertur, & quod restat, comeditur; quicquid autem post pugilli plenitudinem remanserit, id vocatur *reliquiæ munerum*, quæ a Sacerdotibus comeduntur, præterquam si esset munus Sacerdotis, quod penitus comburi debet. *Abarbanel ibidem*. Jam ex his quatuor unumquodque requirebat oleum & thus, erat unumquodque ex similagine; ex unoquoque plenus pugillus adolebatur, & comedebatur reliquum a Sacerdotibus, atque hoc illud est, quod passim dicitur reliquiæ fertorum a Sacerdotibus absumendæ, verum enimvero ejusmodi fertum, Sacerdos ipse cum ferret, id adolebatur totum.

[31] *Excipiuntur ferta &c. Tosaphta Menachoth cap. I.* 21. Nullum intercedebat discrimen inter munus Israelitæ, & munus Sacerdotum, sed munus Sacerdotum totum igni consumebatur, juxta versiculum qui dicit; *omne enim sacrificium Sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo*. Levit. 6. 23. *Ibidem cap. VIII.* 3. Munus Sacerdotis summi, & munus Sacerdotis, & munus libaminum con comedebantur, neque ex his demebatur plenus pugillus. R. Simeon dicit; ex munere Sacerdotis peccatoris demebatur plenus pugillus. *Ibidem cap. XII.* 5. Sacerdos qui dixisset, ego voveo munus, ut ex eo dematur plenus pugillus, & comedatur; aut Israelita, qui dixisset, ego voveo munus, ut totum igni consumetur, obligantur ad afferendum munus juxta eorum ritum: verba R. Jehudæ. R. Simeon absolvit, quia iste non vovit juxta ritum voventium. *Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. XII.* 9. Excipe fertum illud, quod offerebatur a Sacerdotibus maribus, ex eo non demebatur plenus pugillus, sed totum quantum erat adolebatur, quia scriptum est: *omne enim Sacrificium Sacerdotum &c.* Levit. 6. 23. ex quo intelligitur fertum initiamentorum, crustulaque, item & fertum peccatoris, aut spontaneum si fuissent a Sacerdote, tota in altari comburenda fuisse, non tamen plenum pugillum dumtaxat esse demtum. Quod erat a Sacerdote fœmina fertum, ex eo sic tanquam ex ferto Israelitæ demebatur plenus pugillus, reliquum comedebatur. Pueri cum pueris si confunderentur ita, ut dubitaretur ex quo illorum quisque natus esset, horum e ferto item, ut e ferto Israelitarum plenus pugillus demebatur, & reliquum non comedebatur velut fertum Sacerdotum. Quid igitur illo faciebant? nempe pugillus ille sacrificabatur seorsum, & reliquum dispergebatur per receptaculum cineris. Quæcunque erant Sacerdotibus nuptæ mulieres, seu Sacerdotes & ipsæ, seu Israelitæ, harum e ferto quod post demtum pugillum plenum reliquum erat non comedebatur, id adeo quia in eo ferto pars inerat viri; quam utique comedi non licebat, neque porro harum fertum igni consumebatur totum, quia & ferti pars ad mulierem pertinebat. Itaque plenus ille pugillus sacrificabatur seorsum, & reliquum dispergebatur per receptaculum cineris. *Vide Codicem Sotah cap. III.* 6. 7.

[32] *Pugilli acceptio &c. Tosaphta Menachot cap. I.* 18. Quomodo fiebat pugilli acceptio? extendebat ejus digitos super volam manus, & duobus extremis digitis superius, & inferius abradebat. *Maimonides ibidem cap. XIII.* 13. Cum de fertis plenitudo pugilli erat eximenda, Sacerdos pugnum, ut fere fit, comprimebat, nempe complicabat digitos ad volam manus, atque portionem ferti apprehendebat. Item si summis digitis tantum, aut si digitorum lateribus portionem e ferto exemisset, id de integro non erat in altari incendendum, sin incensum fuisset, gratum esset tamen. Qui si pugillum justo fecisset ampliorem, ut si dilatatis admodum digitis de ferto plenum pugnum demsisset, id vero temeratum fuisset. *Clarissime hunc ritum describit Bartenora ad cap. I.* 2. *Codicis Menachoth. Extendit digitos ipsius*, omnes digitos super farinam extendit, eamque intra manum comprehendit, & minimo abradit digito, ut farina e pugillo ipsius prodeat, deinde vero pollice abradit, ne farina prodeat extra indicem. Atque hæc ratio requirebatur in munere sartaginis, & aheni, quod coquebatur, & postquam coctum esset, in frusta comminuebatur, & deinde in pugillum colligebatur, sed non poterat in tam exigua frusta comminui, quin aliquid extra pugillum dilaberetur, propterea superius abradebat pollice, & digito minimo inferius, atque hoc erat ministerium difficillimum, quod in Templo fiebat, nam vix fieri poterat quin aliquid superesset, vel deficeret. Maimonides scribit verba illius qui dicit, *hoc esse ministerium difficile*, esse refutata, & addit hanc pugillationem fieri a Sacerdote eo modo quo plerique homines pugillare solent. Ego autem statuo rem singulari modo olim fieri, nempe quod Sacerdos digitorum suorum latera in farinam immittebat, eamque ad latera digitorum colligebat intra manum suam, sed tribus tantum digitis comprehendebat quantum poterat, non pluribus, & ne in cumulum colligeret, vel quod foras prodiret, idcirco digito minimo radebat, & pollice superius. Sed verba illius qui dixit *hoc esse in templo ministerium difficile*, non explosa sunt, ita exponente Gemara, & omnibus magistris meis.

[33] *Ferta privata &c. Tosaphta Menachoth cap. XII.* 9. Ego voveo centum decimas uno vase afferendas, obligatur ad afferendas sexaginta altero, & quadraginta altero vase, si dimidium uno vase attulisset, & dimidium altero, non satisfacit debito; si diceret in duobus vasis, dimidium afferet uno vase, & dimidium altero, & si attulisset sexaginta uno vase, & quadraginta altero, satisfacit debito; dicit R. Simeon, mihi dixerunt mei socii, qua de causa qui dicat, ego voveo sexaginta decimas, uno vase afferat, at si dicat, sexaginta & unam, afferat sexaginta uno vase, & unam altero? & ego respondi, vos dicite; mihi dixerunt, quia ita adducit sexaginta Ecclesia die primo festi Tabernaculorum, qui incidat in Sabbathum, eis respondi, nonne Ecclesia unam & sexaginta adducit? mihi dixerunt inferior erit privatus Ecclesia, in una decima; nonne alteræ (victimæ) offerebantur mane, & alteræ vesperi? alia interpretatio, nonne, ibi inerant libamina juvencorum, arietum, & agnorum, neque commiscentur invicem libamina juvencorum arietum, & agnorum? Mihi dixerunt; tu dicas; eis respondi dicit textus, *simila oleo conspergetur*; mincha, quæ commisceri possit, mihi responderunt, in sexagintane, commisceri potest, in una & sexaginta commisceri non potest? eis respondi &c.

[34] *Quia publica non erant &c. Maimonides ad caput XII.* 4. *Codicis Menachoth*. Si consideraveris ea quæ in præfatione nostra diximus ad tractatum de sacrificiis, reperies sacrificium primi diei festi Tabernaculorum comprehendere tres juvencos, duos arietes, & quatuordecim agnos. Si vero dies Sabbathi esset, præterea duo agni addebantur in additamentum Sabbathicum; cæterum omnino erat necessarium, ut duo quotidie essent jugia, omnia vero in holocausta. Postquam autem libaminum munus computaveris, quod pro omnibus est necessarium, tres decimas pro juvenco, & duas pro ariete, unamque pro agno, omnium numerus conficiet sexaginta, & unam decimam. *Bartenora ibidem. Quia ita adducit Ecclesia &c.* nempe tres decimas pro quolibet juvenco, pro omnibus tredecim juvencis, quæ sunt triginta novem decimæ, una decima pro agno, pro quatuordecim agnis decimæ quatuordecim, duæ vero decimæ pro quolibet ariete, pro duobus quatuor, quæ sunt quinquaginta & septem; pro duobus jugibus sacrificiis duæ; & duæ pro duobus agnis addititiis in Sabbatho, & ita sunt sexaginta, & una. Dixit ipsis R. Simeon, nonne omnes istius diei erant in uno vase, hæ pro juvencis, & illæ pro arietibus, & agnis, si vero eas miscuisset, reproba facta fuissent, quia muneris juvencorum subactio crassa erat, duo Logi pro qualibet decima, dimidium Hin pro tribus decimis, agnorum vero muneris subactio tenera erat, quarta pars Hin pro decima quæ est tres Logi, & una imbibebat alteram, hinc fiebat ut una deficiens, & altera vero redundans esset? Ratio autem quare homo privatus sexaginta & unam decimam adducere non poterat in uno vase, est, quia usque ad sexaginta in uno Logo subigi potest, & hic doctor est in sententia R. Elieseris filii Jacobi, qui capite, nono dixit, *etsi munus sexaginta decimarum sit, tamen unicum tantum habeat Logum, & licet tota massa non subigatur, tamen quia apta est ut subigatur, subactio ipsam non impedit*.

[35] *Quædam ex his agitari &c. Maimonides de indigentibus piaculi cap. IV.* 2. Deinde leprosi hominis hostiam pro delicto viventem præhendebat Sacerdos,

& cum

& cum logo olei simul agitabat ad orientem versus, quam in partem agitari conveniebat quicquid sacrorum agitabatur, quamquam si separatim agitasset utramque, bene fuerat.

[36] *Et panes Pentecostales &c. Tosaphta Menachoth cap. VII. 19.* Quomodo fiebat agitatio duorum panum frumenti novi? Uni agno unam placentam imponebat, & alteram alteri agno placentam, Sacerdos agni manui suam manum supponebat, & alius Sacerdos Sacerdotis manibus suam manum supponebat, & hinc & illinc, & sursum, & deorsum agitabat &c. *Vide Maimonidem cap. VIII. 11. de sacrificiis jugibus & Addititiis.*

[37] *Quædam adduci &c. Siphra ad Levit. II. 8.* Si diceret, & adduces, quod ex his factum erit, ad Dominum, & id offeret Sacerdos, ut adducat ad altare; possem credere, non fuisse adducendum ad altare nisi solum pugillum; unde probatur ad includendum totum munus? ex eo quod dicit, *oblationem*; & unde probatur pro reliquis omnibus muneribus? ex eo quod dicit, *oblationem*. Possem credere, non fuisse adducendum ad altare, nisi unum munus spontaneum; munus debitum unde probatur? argumento probo, dictum est, offer munus spontaneum, & dictum est, offer munus ex debito; sicuti munus spontaneum adducendum erat ad altare, ita etiam munus ex debito adducendum erat ad altare. Non valet argumentum, quod si dixisti in munere spontaneo, illud obligabatur ad oleum, & thus. Munus mulieris adulterii suspectæ probet, quod non obligabatur ad oleum, & thus, & obligabatur ad adductionem ad altare. Non valet argumentum; si dixisti in munere mulieris adulterii suspectæ, obligabatur ad agitationem, id dices in munere ex debito, quod non obligatur ad agitationem? Igitur probabimus principii constitutione. Non est simile munus spontaneum, quod obligabatur ad oleum & thus, muneri mulieris adulterii suspectæ, quod non obligabatur ad oleum & thus; nec simile est munus mulieris adulterii suspectæ, quod obligabatur ad agitationem, muneri spontaneo, quod non obligabatur ad agitationem. Similitudo quæ inter ea intercedit, est, quod ambo similia sint in pugillo, & similia in adductione ad altare; ego etiam includam munus peccatoris, quod iis in pugillo simile est, ut iis sit etiam simile in adductione ad altare. Si a principii constitutione, quæ in iis obtinet, adducam ea munera, quæ ad eorum similitudinem erant eadem semper tam in divite, quam in paupere, quod obligentur ad adductionem, excluditur munus peccatoris, quod alterum erat in divite, & alterum in paupere; idcirco dicit *oblationem*, sive sit munus spontaneum, sive sit munus peccatoris, utrumque obligabatur ad adductionem ad altare. והגישה *& adducet* ad includendum munus manipuli (frumenti novi) ut ad altare adducatur; quod dicit textus, *feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ, ad Sacerdotem*. Levit. 23. 10. *Qui cum obtulerit eam* ad includendum munus mulieris adulterii suspectæ, ut admoveatur, juxta versiculum: *imponetque illud super altare*. Num. 5. 25. Verum est argumentum. Si munus peccatoris, quod non obligatur ad agitationem, ad adductionem obligabatur; munus mulieris adulterii suspectæ, quod obligabatur ad agitationem, non adducendum erit ad altare? non valet argumentum; quod si dixisti in munere peccatoris, illud constabat e simila, id dices in munere mulieris adulterii suspectæ, quod e simila non constabat? Probet munus manipuli, quod e simila non constabat, & obligabatur ad adductionem. Non valet argumentum, quod si dixisti in munere manipuli, illud obligabatur ad oleum & thus, id dices in munere mulieris adulterii suspectæ, quod non obligabatur ad oleum, & thus? Igitur argumentabar a principii constitutione; non est idem jus muneris peccatoris, quod e frumento afferebatur, ac jus muneris manipuli, quod e frumento non afferebatur. Nec idem est jus muneris manipuli, quod cum oleo & thure afferebatur, ac jus muneris peccatoris, quod cum oleo & thure non afferebatur. Paritas, quæ in ipsis obtinet, est, quod ambo ad pugillum & ad adductionem obligentur; ego etiam includam munus mulieris adulterii suspectæ, quod iis æquale sit cum in pugillo, tum in adductione. Aut ego dicam, quod paritas, quæ in ipsis obtinet, sit, quod ambo in hoc sint æqualia, ut non ex farina, sed ex simila constare possint, & obligentur ad adductionem, ita includam similia, & excludam munus mulieris adulterii suspectæ, quod cum ex farina constet, non sit adducendum ad altare; ideo dicit, *imponetque illud super altare*, ad includendum munus mulieris adulterii suspectæ ad adductionem. R. Jehuda dicit, והגישה ad includendum munus mulieris adulterii suspectæ ad adductionem, juxta versiculum qui dicit; *& offeret oblationem pro illa*. Num. 5. 15. Aut ego dicam, quod non dicat והגישה, nisi quod privatus possit offerre sponte aliud munus ex aliis rebus præter ea, quæ hoc loco referuntur; & argumento probabo; cœtus affert munus frumentaceum ex debito, & privatus affert munus frumentaceum ex debito; quemadmodum cœtus, qui affert munus frumentaceum ex debito, potest afferre munus hordeaceum ex debito; ita privatus, qui affert munus frumentaceum spontaneum, poterit afferre munus hordeaceum spontaneum; ideo dicit, *ex his*; non poterit afferre nisi hæc duntaxat; aut ego dicam, quod non dicat *ex his*, nisi ut nos doceat, quod qui voverit afferre munus, quinque omnia afferre debeat, ideo dicit *ex his*, sunt qui unum afferant, sunt qui quinque omnia afferant. Raban Simeon dicit, *oblationem*, ad includendum omnia munera, ut sint admovenda ad altare; possem credere, etiam duos panes, & panem facierum, ideo dicit *ex his*; quid te adducit, ut includas omnia munera, & excludas duos panes, & panem facierum? Postquam includit textus, excludit. Sicuti hæc ejusmodi sunt, ut eorum pars igni consumetur, ita mihi includenda sunt omnia munera, quorum pars igni consumetur; excluduntur duo panes, & panis facierum, quorum nulla pars igni consumebatur. Verumtamen erat munus libaminum, quod totum igni consumebatur, possem credere, quod ad altare esset adducendum; ideo dicit, *obtulerit eam*; ecquid adducit, ut includas omnia munera, & excludas munus libaminum? postquam includit textus, excludit; quemadmodum hæc sunt, quæ seorsum adducuntur, excluditur munus libaminum, quod nunquam seorsum afferebatur. Nonne munus Sacerdotum, & munus Sacerdotis uncti seorsim afferebantur? possem credere, quod ad adductionem obligarentur; idcirco dicit; *cum obtulerit eam*; Quid te adducit, ut includas omnia munera, & excludas munus Sacerdotum, & munus Sacerdotis uncti? postquam inclusit textus, excludit; sicuti horum pars consumebantur igni, & seorsim adducuntur, & partem habent Sacerdotes, excluduntur duo panes, & panis facierum, de quibus non participat ignis, excluditur munus libaminum, qui seorsim non affertur, excluduntur munus Sacerdotum, & munus Sacerdotis uncti, de quibus Sacerdotes non participant. *Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. XII. 6.* Quæcunque ferta super altare sacrificabantur, oportebat ad altaris latus aquilonare admoveri contra acumen meridiei, occidentique intermedii, eadem agitari necesse non erat.

[38] *Ad cornu altaris &c. Codex Sevachim cap. VI. 2.* Sacrificium pro peccato ex ave factum est super cornu meridionale occidentale; in omni quidem loco fuit rectum, sed hoc tamen fuit locus ejus. Et tria sunt, quibus istud cornu servivit deorsum, & tria; quibus sursum. Quibus deorsum, hæc sunt, sacrificium pro peccato ex ave, & appropinquationes (Mincharum) & reliquiæ sanguinis &c. *Gemara Sevachim fol. 63. 1.* Admovetur fertum cornui notozephyrino contra acumen cornu, fertum autem ipsum aram tangere non opus est, dum vas, quo continetur, admoveatur. *Maimonides ibidem cap. VII. 10.* In cornu altaris meridiei & occidenti intermedio fiebant tria in parte superiori, & in inferiori quoque tria; in inferiori mactabatur hostia pro peccato, si volucris erat, admovebantur ferta &c.

Ferta Zelotypiæ &c. Maimonides ibidem cap. XII. 6. Excipiuntur fertum mulieris in adulterii suspicionem vocatæ, & manipulus agitationis, quæ ambo & agitari necesse erat, & altari admoveri.

[39] *Addebatur oleum, & thus &c. Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. XII. 7.* Quæcunque super altare sacrificabantur ferta, oleum & thus requirebant, olei logum pro similaginis unaquaque decima, & pugillum thuris pro ferto toto, seu illud ex una tantum decima, seu ex decimis sexaginta constaret. *Bartenora ad cap. V. 3. Menachoth; munus similæ*, si quis simpliciter voverit munus, adducat similam, oleum, & thus, atque istam massam subiget, & si-

& ſicut ea erat ante coctionem , tum eam pugillo colliget , & de hoc munere ſcriptum eſt : *oleum & thus requiri*, ſed alia omnia colliguntur e munere ſimilagineo, de quo ſcripta eſt vox נפש *anima* , unde conſtat unumquodque munus particulare requirere oleum & thus.

[40] *Fertum libaminum &c. Maimonides ibidem cap. II.* 1. Quod libaminum fertum non indigebat neque agitatione, neque admotione; neque porro thure.

[41] *Panes propoſitionis &c. Bartenora ibidem. Panis facierum* de quo ſcriptum eſt Levit. *& pones ſuper eos thus lucidiſſimum*. De thure meminit ſed nihil de oleo.

[42] *Nec oleum nec thus &c. Toſaphta Menachoth cap.* V. 24. Si in munus peccatoris , & in munus mulieris adulterii ſuſpectæ thus immiſiſſet , idque collegiſſet, legitimum eſt. *Et nonnullis interjectis*. Si munus peccatoris, & munus mulieris adulterii ſuſpectæ oleo aſperſiſſet, reprobum eſt. *Maimonides de ſacris temeratis cap.* XI. 10. Fertum peccatoris, cum oleum fuiſſet inditum vel ipſi, vel decerpto pleno pugillo , temeratum foret . Quod ſi thus ei fuiſſet impoſitum , id e ferto tolli oportebat ; quod ſi thus egregie contuſum , ac comminutum inditum ferto fuiſſet , quoniam fieri non poterat , ut tolleretur ex eo thus , fertum de dubio temeratum foret . *Idem de ratione ſacrificiorum faciendorum cap.* XII. 7. Excipiuntur autem ferta zelotypiæ , & peccatoris, de hoc enim ſcriptum eſt: *Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet*. Levit. 5. 11. & Num. 5. 15.

[43] *Sola lagana &c. Codex Menachoth cap.* VI. 3. Placentæ miſcendæ ſunt ſecundum Rabbi . Sapientes dicunt, ſimila miſcenda eſt , vel placentæ miſcendæ ſunt, & lagana ungenda , quomodo unget ? in formam Græci χ, *Toſaphta Menachoth cap. VIII.* 7. Quomodo ungebatur? ungebat totam ſuperficiem cruſtuli. R. Simeon dicit , ungebat cruſtula in formam literæ χ, &c. Munus, cujus dimidium erat lagana , placentæ , & dimidium cruſtula ; dimidium (olei) conſumebat in placentis , & dimidium in cruſtulis . R. Simeon dicit , ungebat cruſtula in formam literæ χ, & reliquum olei inſumebat in placentas. *Et paucis interjectis*. Dimidium logi aquarum pro muliere de adulterio ſuſpecta, & dimidium logi olei pro ſacrificio Euchariſtico, dimidium inſumebat in placentas , & dimidium in cruſtula . R. Simeon dicit , ungebat cruſtula in formam literæ χ, & reliquum olei comedebatur a Sacerdotibus.

[44] *In præparatione &c. Codex Menachoth ibidem*. Omnia munera quæ in vaſe parantur, requirunt olei ſparſiones tres, effuſionem, mixtionem, & impoſitionem in vas ante confectionem eorum. *Toſaphta Menachoth ibidem*. Omnia munera, quæ in vaſe parabantur, requirunt olei ſparſiones tres , in effundendo, in miſcendo, & in vaſe , priuſquam conficeretur , quomodo parabatur? effundebat oleum in vas , & frigebat, oleum in ſimilam, & miſcebat, & poſtea in fruſta diſcindebat, & oleum ſuperfundebat, uti fundebat ſuper fabam freſſam . Placentæ requirebant mixtionem, & cruſtula unctionem; deprehenditur, quod id quod erat legitimum in placentis , erat illegitimum in cruſtulis, & id quod erat legitimum in cruſtulis , erat illegitimum in placentis. Quomodo miſcebantur? miſcebat, dum placentæ confectæ erant, verba Rabi, juxta verſiculum, qui dicit: *panes . . . . . conſperſos oleo*. Levit. 2. 4. & ſapientes dicunt, ſimilam , juxta verſiculum qui dicit: *duæ decimæ ſimilæ conſperſæ oleo.* Levit. 23. 13. Res utrimque rationibus fulcitur ; quis decidet ? ei dixerunt , dictum eſt hic , & pariter dictum eſt in ſacrificio Euchariſtico , *placentas* ; ſicuti placentæ dictæ in ſacrificio Euchariſtico non poterant miſceri niſi in ſimila , etiam placentæ hoc loco dictæ non poterant miſceri niſi in ſimila ; reſpondit Rabi, ego probo magis eorum verba, quam mea .

[45] *Hæc actio eſt* בלילה *&c. Maimonides ad cap. VI.* 3. *Menachoth*. Ordo præparationis hic eſt, oleum inditur vaſi miniſterii (ſed non requiritur idem illud vas , in quo coctum eſt oleum) poſtea oleo iſti ſimila additur, deinde ſecunda vice oleum immittunt, atque eo miſcent ſimilam , & hæc בלילה *commixtio* vocatur .

[46] *Tum ſequitur* לישה *&c. Maimonides ibidem*. His peractis ſequitur לישה *depſio* , ſive *ſubactio* , poſtea coctio &c.

[47] *Poſt comminutio &c. Codex Menachoth ibidem* . Omnia munera in vaſe parata requirunt contuſionem, munus Iſraelitæ unum in duo conficiet , & duo in quatuor , & ſeparabit . Munus ſacerdotum unum conficiet in duo, & duo in quatuor , ſed non ſeparabit . Munus ſacerdotis uncti non conficiet in duo . R. Simeon dicit , munus ſacerdotum , & munus ſacerdotis uncti non requirit contuſionem , quia pugilli collectio in eo non obtinet , at ea quæ non requirunt pugilli collectionem , ea nec contuſionem requirunt , omnia vero iſta olivæ quantitatem habent . *Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. XIII.* 10. Jam hæc erat ratio ſecandi in fruſta . Primum placenta complicando duplicabatur , & deinde quadruplicabatur , atque dividebatur . Sin fertum eſſet ſacerdotum maſculorum , id indiviſum in fruſta ſecabatur . Singula fruſta magnitudine olivam æquabant , quamquam ſi majora , minorave feciſſes fruſta, nihilo ſecius idonea fuiſſent . Si quis fertum nec cum oleo miſcuiſſet , nec in fruſta diſſecuiſſet , nec admoviſſet altari , nec lagana oleo denuo perfudiſſet, tamen idonea fuiſſent , neque enim præſcripta fuere illa, niſi virtutis ergo, quia ſic rectius ſit .

[48] *Panes pentecoſtales &c. Bartenora ad cap. VI.* 4. *Codicis Menachoth. Omnia munera quæ in vaſe parantur* , hæc non dicit ad munus in fornace coctum excipiendum ; nam dictum eſt Levit. 2. *6.* פתות אותה פתים ut nos doceat , quod omnia munera requirunt contuſionem; ſed eo excipiuntur duo panes , & panis facierum , quod iſti non contuſionem requirunt .

[49] *Hæc eſt* יציקה *&c. Maimonides ad cap.* 6. 3. *Codicis Menachoth* . His peractis ſequitur לושה *depſio* ſive *ſubactio*, poſtea coctio, & deinde comminutio in fruſta in vaſe miniſterii , tum ei tertia vice affunditur oleum , & hæc actio dicitur יציקה *affuſio* , qua peracta ſequitur collectio in pugillum , & adolitio , reliquum vero a ſacerdotibus comeditur . Affuſio, commixtio, contuſio, ſalitio, agitatio, adductio, non erant ita neceſſaria, ut ſi neglecta eſſent, facerent munus reprobum. *Codex Menachoth cap. III.* 2. Si non affuderit, miſcuerit, contuderit , ſaliverit, agitaverit , nec adduxerit , vel maximas partes contuderit, at ea non unxerit , recte ſe habent.

[50] *Quum* בלילה *&c. Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. XII.* 23. Fertorum fruges molebantur , & ſuccernebantur extra ſanctuarium ; pinſebantur autem ferta , & coquebantur intra ſanctuarium . Atque omnia ipſorum opera ab alieno uſque homine fieri licebat , donec afferebantur ad locum , quo demebatur ex illis plenus pugillus . Erant in atrio ſartago , craticulaque , eæque erant e vaſis divinis ambæ, & contenta conſecrabant . Porro erat in ſanctuario furnus e metallo. *Bartenora ad cap.III.* 2. *Menachoth* . In Gemara exponitur , quod affuſio impedit , & id quod dicitur , *ſi non affuderit* , non explicatur de ſacerdote , qui non affuderit , ſed de Iſraelita , nam a pugillatione & deinceps ſacerdotale præceptum obtinet ; affuſio autem & commixtio recta ſunt , ſi per Iſraelitam peractæ ſint .

[51] *Cæterum* רקיקין *&c. Maimonides ad cap. VI.* 3. *Codicis Menachoth* . Si igitur ſint lagana , ungenda ſunt oleo in modum χ Græci . Reliquum vero olei logum ſacerdotes comedunt , ſicut reliquias muneris. *Idem cap. XIII.* 8. *de ratione ſacrificiorum faciendorum* . Lagana vero fiebant ita ; ſimila conſpergebatur aqua tepida, tum lagana etiam perfundebantur oleo, quia ſcriptum eſt : *& lagana azyma lita oleo* . Ac mihi quidem ita videtur lagana tum demum fuiſſe etiam oleo perfundenda , poſtquam cocta fuerant . Qualis igitur perfundendi ratio ? Afferebatur olei logus , ex eo perfundebantur lagana ſemel & iterum, uſque dum logus olei conſumeretur totus . *Huc facit dictum &c. Maimonides ad cap. X.* 8. *Sevachim* . Dicit Lex , quod de munere Iſraelitæ offerunt pugillum , & quod ſacerdotes comedunt reliquum , ſive שירים *reliquias* . Sacerdotis vero munus comburendum eſt penitus , ſicut dicitur : *Levit. VI. 16.* Idcirco olei reliquias comburunt , quæ ſacerdotis muneri innatant , & olei reliquum Iſraelitæ comedunt .

[52] *Quatuor erant menſuræ &c. Toſaphta Sekalim cap. II.* 20. Quatuor ſigilla erant in ſanctuario; peccator afferebat cum eo ſuum logum , peccator pauper , juxta verba ben Azai afferebat cum eo ſuum logum . *Maimonides de vaſis ſanctuarii cap. VII.* 10. erant igitur in ſanctuario ſigilla quatuor, quorum in uno inſcriptum erat, *vitulus*, in altero *mas* , in tertio *hedus*, & in quarto *Peccator*.

53 *Illa requirebat &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Menachoth*. Mensura autem cum holocausto offerenda e simila, e vino seorsim offerenda cum pacificis variat secundum sacrificiorum varietatem, & in tres præcipue dividi solet; quarum prima est, ut sacrificium fiat e genere caprarum tam minorum, quam majorum; vel e tenui grege, nempe ex agno anniculo secundum munus libaminum, quorum unumquodque, sive multa sint, sive pauca, requirit decimam similæ partem mixtam cum quarta parte Hin ex oleo & vini pro libamine quartam partem, sive holocaustum sit, sive sacrificium pacificum. *Et cap. II. 4. de ratione sacrificiorum faciendorum*. Hæ fuerunt igitur libaminum mensuræ; si mactaretur agnus agnave, simul offerebatur decima similæ, eaque quartario hinnis olei subacta, & vini fundebatur item quartarius hinnis; eadem adhibebantur libamina, si pecus caprinum immolaretur, seu minus, seu majus, seu masculinum, seu fœmininum; porro & eadem erant libamina si mactaretur ovis etiam major. *Siphri ad cap. XV. 5. Num. Dabit in holocaustum sive in victimam*. cur dictum est? quia dixerat; *& fecerit oblationem Domino in holocaustum, aut victimam..... adolentes odorem suavitatis Domino*; quod si quis dixisset, ecce super me holocaustum, ecce super me munus, ecce super me pacifica; ego poteram existimare, quod unum tantum libamen esset adducturus pro duobus; ideo dictum est: *dabit in holocaustum, seu victimam*; nobis refert, quod pro uno seorsim afferebat, & pro altero seorsim. Aba Chanen nomine R. Elieseris dicit, cur dictum est? quia erat argumentum, si quando comparat operationem bovis holocausti operationi agni holocausti, non eos comparat in libaminibus, quando non comparat operationem agni holocausti operationi agni pacificorum, non erit æquum, ut non sint pares in libaminibus? idcirco dictum est: *dabit in holocaustum sive in victimam*; nos docet textus, quod quamvis non sit æqualis operatio agni holocausti operationi agni pacificorum, sint æquales in libaminibus. R. Nathan dicit: *dabit in holocaustum sive in victimam*; hoc est holocaustum leprosi, *in victimam*, hoc est ejus sacrificium pro peccato, *sive in victimam*, hoc est sacrificium pro ejus reatu. R. Jonathan dicit; *per agnos singulos* ad includendum holocaustum puerperæ, quod ad libamina teneretur, quia non audiveramus in tota Lege; an ego non possum dicere, quod agat de ariete? quando dicit; *& arietis erit sacrificium similæ*; ecce distinguitur aries; quid nos docet dicendo *per agnos singulos*? ad includendum holocaustum puerperæ, quod libaminibus teneatur, quia in tota Lege non audiveramus; alia explicatio, *per agnos singulos*, ad includendum undecimum ex decima.

54 *Alteri tesseræ &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Menachoth*. Si itaque holocaustum sive pacificum fiat ex grege majori, vocatur איל aries, & tum muneri isti adjicienda est decima pars dupla mixta cum quarta parte Hin ex oleo, & e vino, tertia pars Hin pro libamine, atque hæc mensura secunda sit pro libaminibus. *Et cap. II. 4. de ratione sacrificiorum faciendorum*. Nam si mactaretur aries, libari similaginis decimas duas subactas triente hinnis olei, & vini trientem hinnis fundi oportebat. *Siphri ibidem, & arietis erit sacrificium similæ*. Textus distinguit inter libamina agni, & libamina arietis; quia erat argumentum; filius bovis (*vitulus*) obligatur ad libamina, & filius pecudis tenetur ad libamina; si didici, quod non distinguat textus inter libamina bovis, & libamina vituli; ita nullum erit discrimen inter libamina agni, & libamina arietis; ideo dictum est: *& arietis erit sacrificium similæ*; venit textus, ut distinguat inter libamina agni, & libamina arietis. Aba Chanen nomine R. Elieseris inquit, cur dictum est? quia erat argumentum; si ubi auget in libaminibus, non auget a vitulo ad bovem, ubi minuit libamina, non erit æquum, ut non augeantur ab agno ad arietem? idcirco dictum est; *& arietis erit sacrificium similæ*; docemur a textu, quod quamvis minuat in libaminibus, auget ab agno ad arietem. Altera explicatio; *& arietis erit sacrificium similæ*; ad includendum arietem holocausti. *Sacrificium similæ duarum decimarum*; cur dictum est? quia erat argumentum; cum agnus manipuli obligatur ad duas decimas, tum aries holocausti tenetur ad duas decimas; si didici pro agno manipuli, quod quamvis duplicentur ejus decimæ, non duplicentur ejus libamina, ita dicam pro arietibus, quod non augeantur eorum libamina; ideo dictum est: *& arietis erit sacrificium similæ &c. & vinum ad libamentum tertiæ partis ejusdem mensuræ &c, oleum ad commiscendum, & vinum ad libandum*.

55 *Tertiæ tesseræ &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Menachoth*. Tertia vero hæc sit mensura, ut holocaustum aut pacificum fiat e jumenti genere, sive e majori, sive e minori nihil refert, munus autem unicuique sacrificio conveniens constat e tribus ac decem partibus cum oleo mixtis dimidio Hin, & vini pro libamine dimidio Hin, atque hæc mensura secundum sacrificiorum numerum augetur, sive ista veniant pro cœtu, sive pro privatis hominibus. Scriptum est Num. 15. 12: *Per singulos boves, & arietes, & agnos, & hœdos tam indigenæ quam peregrini. Et in cap. II. 5. de ratione Sacrificiorum faciendorum*. Sin juvencus aut vitulus immolaretur, seu mas, seu fœmina, similaginis decimas tres dimidio hinnis olei subactas libari, & dimidium hinnis vini fundi jus erat. Hæc erant libamina cum holocaustis tum etiā pacificis adhibenda, & pro hac cuique mensuram est enim in Lege; *Secundum numerum hostiarum quas immolabitis, ita facietis pro sua cuique mensura*. His mensuris nihil nec detrahebatur nec addebatur. Si quicquam detractum aut additum esset, sane vitiosum foret. *Siphri ibidem; quando vero de bobus feceris*; Filius bovis continebatur in genere, & eductus est ex genere, ut doceret de genere, quemadmodum filius bovis adducitur ex voto, & sponte, & obligatur ad libamina, ita quodcumque venit ex voto & sponte, obligatur ad libamina; excluduntur sacrificia pro peccato & pro delicto, quæ non adducuntur ex voto, & sponte; & ideo ad libamina non obligantur; *holocaustum aut hostiam*; cur dictum est? quia dictum est *& fecerit oblationem Domino in holocaustum aut victimam*; siquis dixisset, ecce super me holocaustum, & sacrificium pacificorum, ego crederem, quod pro ambobus unum libamen posset afferre; idcirco dictum est, *in holocaustum, aut victimam*; nos docet textus, quod afferet pro uno seorsim, & pro altero seorsim; an dicam, etiamsi si diceret, ecce super me quinque boves in pacifica, quod possem existimare, quod unum libamen pro omnibus possit afferre? ideo dictum est, *in holocaustum aut victimam*; nos docet, quod sit adducturus pro hoc seorsim, & pro altero seorsim. Aba Chanen nomine R. Elieseris dicit, cur dictum est? quia erat argumentum; si quando comparatur operatio agnorum holocausti operationi bovis holocausti, non sunt paria libamina, eo magis, non debebunt esse æqualia libamina bovis holocausti, & bovis pacificorum, quia in operatione non sunt æquales; idcirco dictum est *in holocaustum aut victimam*; nos docet textus, quod quamvis non sit æqualis operatio bovis holocausti operationi bovis pacificorum, sint æquales in libaminibus. *Quando vero de bobus feceris holocaustum, aut hostiam &c. & vinum ad liba fundenda &c. oleum ad commiscendam similam, vinum ad libamina. In oblationem suavissimi odoris Domino*. Super pateris; tu dicis, super pateris; an ego dicam super ignem; si tu dicas, hoc modo exstingueretur ignis candelabri, & lex dixit; *ignis autem in altari semper ardebit*. Levit. 6. 12. Cur igitur dictum est, *in oblationem suavissimi odoris Domino? ut sit beneplacitum coram me, qui jussi, & facta est voluntas mea*. Sic facies *per singulos boves*; a textu docemur, quod nullum sit discrimen inter libamina vituli, & libamina bovis; quia erat argumentum; si ego didici, quod Lex distinguat inter libamina agni & libamina arietis, ita etiam dicam, quod distinguendum sit inter libamina vituli, & libamina bovis; idcirco dictum est; *sic facies per singulos boves*; docemur, quod Lex non distinguat inter libamina vituli, & libamina bovis. Aba Chanen nomine R. Elieseris dicit, cur dictum est? quia erat argumentum, si quando minuit in libaminibus, auget ab agno ad arietem, quando auget in libaminibus, non erit æquum ut augeat inter vitulum & bovem? idcirco dictum est; *sic facies per singulos boves*; a textu docemur, quod quamvis augeat textus eorum libamina, non augeat a vitulo ad bovem; *& arietes* cur dictum est? quia erat argumentum; quod invenimus, quod ubi minuit libamina, Lex distinguat libamina victimarum anniculárum a liba-

libaminibus hostiarum biennium, ita crederem, distinguendum esse libamina hostiarum biennium a libaminibus hostiarum triennium, idcirco dictum est; *& arietes*; a textu docemur, quod quamvis Lex distinguat libamina hostiarum annicularum a libaminibus hostiarum biennium, non tamen distinguat libamina hostiarum biennium a libaminibus hostiarum triennium. *Et agnos & hædos*, cur dictum est? quia erat argumentum; quod invenimus, quod Lex distinguat libamina agni a libaminibus arietis, ita etiam distinguenda erunt libamina agni a libaminibus hœdi; ideo dictum est; *& agnos & hædos*; cur dictum est? quia erat argumentum; quod invenimus, quod Lex distinguat libamina agni a libaminibus arietis, ita ego existimare possem, distinguendum esse libamina hœdi a libaminibus hirci; ideo dictum est, *hædos*; comparat e capris maximum cum minimo agnorum; sicuti hic *requirit* tres logos, etiam ille tres logos. *Per singulos*; ego non probabam nisi pro his; pro eorum commutatis unde probabatur? ex eo quod dicit; *sic facies per singulos*; ne minuat; existimare possem, quod si augere vellet, posset augere; ideo dicit; *sic facies per singulos*; verba R. Josiæ. R. Jonathan dicit; id non est necesse, quia jam dictum est: *indigenæ ...... eodem ritu offerent*; ne minuat, & ne augeat, cur igitur dictum est? *sic facies per singulos*. Existimare possem, quod si duplicare vellet, duplicare posset; ideo dictum est: *sic facies per singulos*. Hinc dixerunt, misceri possunt libamina juvencorum cum libaminibus juvencorum, libamina arietum cum libaminibus arietum, libamina agnorum cum libaminibus agnorum, libamina privati cum libaminibus cœtus, libamina hodierna cum hesternis; sed misceri non possunt libamina agnorum cum libaminibus juvencorum, & arietum. Hinc etiam dixerunt; si quis dixerit; ecce recipio in me vinum, non potest afferre unum, aut duos logos, sed tres afferet; si dixerit quinque, sex afferet; post sex afferet; sicuti adducit cœtus ex debito, ita privatus ex spontanea oblatione adducet. Altera explicatio; *Sic facies per singulos*, ad includendum undecimum decimæ.

[56] *Quarta tessera &c. Bartenora ad cap. V. 3. Sekalim*. Sigillum quartum erat *peccator* in libamina leprosi divitis, qui offerebat tres bestias cum decem logis olei, novem pro tribus bestiis, & unus olei logus ad imponendum infimæ parti auris & pollicibus manuum ac pedum, & vocatur leprosus חוטא *peccator*, eo quod in tractatu Erachin dicitur, propter septem peccata veniunt &c. *Asai dicit quinque erant*, duo sigilla erant pro leproso, *peccator pauper*, *& peccator dives*, quia leprosus pauper unam bestiam tantum offerebat, & si tantum unum esset sigillum pro leproso, leproso pauperi dabat sigillum *hœdi*. *Qui comparare volebat libamina*, *pecuniam numerabat præfecto sigillorum*, *a quo sumebat sigillum*, *seu tessaram*, *eamque ferebat ad præfectum libaminum*, *ab eoque libamina accipiebat*. *Codex Sekalim ibidem*. Qui sibi libamina comparare vult, adit Joannem præfectum sigillorum, & ipsi pecunias numerat, sumit deinde ab ipso sigillum, & illud fert ad Achiam præfectum libaminum, porrigit ipsi sigillum, & ab ipso libamina sumit. Sub vesperam conveniunt (*hi duo præfecti*.) Achias profert sua sigilla, & loco ipsorum pecuniam sumit. Si aliquid in illo redundat, confertur id ad sancta, si vero deficit, id restituit Joannes de domo sua, quia manus sancti superior est. Si aliquis sigillum suum perdit, exspectant usque ad vesperam, si aliquid reperiunt, quod est ut sigillum ejus, dant ipsi (*quod opus habet*) Si vero nihil *repertum sit*, etiam nihil dant. Nomen deinde diei illis *sigillis* inscriptum est propter deceptores. *Maimonides de vasis Sanctuarii cap.* VII. 10. omnes igitur, qui sacrificia in Sanctuarium afferebant, libationum pretia dabant ei, qui sigillis erat præfectus, qui tesserulas singulis pro ratione sacrificiorum dabat. Ac homini quidem leproso, & eidem diviti tesserulam dabat, qua verbum istud erat inscriptum, *Peccator*. Porro suas quisque tesserulas portabat præfecto libaminum, qui pro numero, & inscriptione tesserularum cuique libamina præbebat; vesperi conveniebant hi duo præfecti; reddebat hic tesserulas, solvebat ille pecunias. Si quid pecuniæ superesset, manebat ærario sacro, sin pecunia deficeret, hic qui sigillis præerat, reliquum de suo solvebat, si quis suam amisisset tesserulam, exspectabat ad vesperam. Nam si tantum argenti superasset, quantum erat acceptæ tesserulæ pretium, redderetur illi, sin minus, nihil reddebatur. Erat etiam in unaquaque tesserula adscriptum diei nomen propter fraudolentos homines, ut ne tesserulæ retinerentur ab his, usque dum libamina cariori venderentur pretio.

[57] *Excipiebatur &c. Codex Menachoth cap. VI. 6.* Manipulus offerebatur cum decima trium Satorum. *Maimonides in præfatione ad Codicem Menachoth*. Et ab hac regula nulla res excipitur, neque ei quicquam additur vel minuitur præter agnum, qui secundo Paschatis die offertur, quo Omer agitatur, ex quo agno holocaustum fit. Cæterum Lex de hocce sacrificio dixit requiri munus decimæ partis cum triplici parte Hin ex oleo mixta, & libamina requiri quartæ partis Hin ex vino, ut in agno fieri solet. Sic etiam sacrificium pro peccato & pro reatu leprosi se res habet; nam cum unoquoque offertur decima pars Hin, quia sacrificium leprosi constat e duobus agnis, & agna, unde fit sacrificium pro peccato, pro reatu, & holocaustum. Et de ipsius munere Lex dicit, *& tres decimæ*; atque hoc est munus libaminum, quod cum sacrificio comburitur, sive cum holocausto, sive cum membris pacificorum; atque hæc sunt libamina, quæ ad quodque sacrificium requiruntur.

[58] *Hæc erat mensura &c. Maimonides de solennitate Paschatis cap. VII. 9.* Hæc pocula quatuor oportet ita misceri, ut sint potu jucunda, quapropter & vini, & bibentis est habenda ratio. Veruntamen non minus quartario meri cum poculis quatuor immisceatur.

[59] *Nec licebat Sacerdoti &c. Maimonides de ratione adeundi templi cap. I.* Sic res habebat; Sacerdos si simul & semel quartarium vini hausisset meraci, & ejusdem quadraginta dies nati; nam si potasset minus quartario, aut inter potandum quartarium, aliquid intermissionis faceret, si vinum aqua commisceret, impune ferret, nec sacrificium faceret profanum &c.

[60] *Cabus &c. Bartenora ad cap. II. 6. Codicis Challah*. Omer autem erat decima pars Ephæ; Epha continebat tria Sata, satum autem sex cabos, unde fiet, ut octodecim cabi sint in Epha; cabus continet quatuor Logos, unde fiet, ut Epha contineat septuaginta duos Logos, & decima pars duorum Logorum efficit quintam ovi partem, & ovum, quia Logus conficit sex ova. Quando autem Hierosolymas advenerunt, & sextam addiderunt mensuris, factum est, ut sex Logi confecerint quinque Logos, & septimus Logus quinque ova, quia e singulis sex fiunt quinque Logi, & ovum cum quinta parte ovi facit unum ovum; unde fiet ut Omer, qui in deserto valebat septem Logos, & ovum cum quinta parte ovi, Hierosolymis valeat sex Logos. Quando autem venerunt Tsiporim, & addiderunt sextam mensuris Hierosolymitanis, sex Logi facti sunt quinque, & hæc est *quinquies quarta pars farinæ*. Vocantur autem Logi *quarta pars*, quia Logus est quarta pars Cabi, quoniam Cabus conficit quatuor Logos. *Vide eumdem Bartenoram ad cap. I. 2. Codicis Edioth*.

[61] *Septem in Templo &c. Tosaphta Menachoth cap. X.* Septem mensuræ liquidorum erant in Sanctuario, quartarius *Logi*, dimidium Logi, & Logus; quartarius Hin, triens Hin, & Hin. R. Jehuda dicit, Hin, & dimidium Hin, & triens Hin, & quartarius Hin, Logus, & dimidium Logi, & quartarius. *Et paucis interjectis*. R. Eleaser filius R. Sadock dicit, quatuor mensuræ liquidorum erant in Sanctuario, quartarius Logi, dimidium Logi, & Logus, & Hin; & signa erant in Hin, hucusque pro juvenco, hucusque pro ariete, hucusque pro agno. *Maimonides de apparatu Templi cap. I. 17.* Liquidorum erant mensuræ septem, Hin, & dimidius Hin, & tertiarius, & quartarius; Logus, & dimidius Logus, & quartarius.

[62] *Hin; eo vase &c. Maimonides ibidem*. At nihil erat Hinne metiendum; is igitur cur in templo fuit? Quia fuerat in Sanctuario ætate Mosis; etenim hoc ille ad efficiendum oleum unctionis mensus est olivum.

[63] *Dimidium Hin &c. Tosaphta Menachoth ibidem*. Quorsum erat dimidium Hin? pro omni genere Boum tam magnorum, quam parvulorum, tam masculini, quam fœminini generis; quia omnes erant æquales in libaminibus, & invicem misceri poterant.

[64] *Triens*

64 *Triens Hin &c. Tosaphta Menachoth ibidem*. Quorſum erat triens Hin? Erat omnium minimi uſus, eoque non menſurabant niſi libamina arietum, qui nati eſſent duos aut plures annos.

65 *Quadrans Hin &c. Tosaphta Menachoth ibidem*. Quorſum erat quadrans Hin? pro omni genere pecudum tam magnarum, quam parvularum, tam maſculini, quam fœminini generis, & invicem miſcebantur. *Et paucis interjectis*. R. Simeon dicit; non erat in Sanctuario ſeptima menſura Hin, quia non utebantur una menſura pro duobus bobus, aut pro duobus arietibus; quanam ejus vice utebantur? menſura Logi, & dimidii Logi; ei reſpondit R. Jehuda; nonne ibi erat Logus, & ſemilogus? ei dixit R. Simeon: ſi ita eſt, poterat uti pro omnibus quartario; ſed in Sanctuario una menſura pro altera non utebantur. *Maimonides ibidem*. Utebantur igitur dimidio Hinne, tertiario, & quartario ad dimetiendum oleum fertorum.

66 *Log. pro teſſera &c. Tosaphta Menachoth ibidem*. Quorſum erat Logus? Eo menſurabant omnia munera.

67 *Dimidium Logi &c. Tosaphta Menachoth ibidem*. Quorſum erat dimidium Logi? cum eo menſurabant tres Logos cum dimidio pro candelabro, & dimidium Logi pro qualibet lucerna. *Maimonides ibidem*. Semilogo ad dimittendum cuique candelabri lucernæ oleum.

68 *Et oleum ſacrificii &c. Maimonides ibidem*. Jam qui in Sanctuario ſemilogus erat, eo utebantur ad metiendum cum aquam, qua probaretur adulterii ſuſpecta mulier, tum etiam oleum id, quod ad ſacrificium laudis adhiberetur.

69 *Quadrans Logi &c. Tosaphta Menachoth ibidem*. Quorſum erat quartarium? cum eo menſurabant (*oleum*) pro cruſtulis Sacerdotis uncti. *Maimonides ibidem*. Et quartario (*utebantur*) ad oleum in cruſtula diſpertiendum.

70 *Et aquæ ſuper quam &c. Maimonides ibidem*. Uſus autem quartarii erat ad metiendum & oleum, quod adhibebatur ad panem Naziræorum, & aquam ad leproſorum luſtrationem, quæ tamen his de cauſis nequaquam conſecrata erant, ſed ob ea, quæ efficiebantur illis in Sanctuario opera, ut ſupra diximus. *Præterea erant in Sanctuario duæ ſiccorum menſuræ Decima, & ſemidecima. Tosaphta Menachoth ibidem*. R. Meyr dicit, quorſum erat decima? Sive ſit, ſive non ſit accumulata, cum ea menſurabant omnia munera; cum ea, quæ non erat accumulata, menſurabant pro cruſtulis Sacerdotis uncti, eademque pro omnibus utebantur; non erat ibi menſura trium decimarum pro juvenco, nec menſura duarum decimarum pro ariete; ſed etiamſi fuiſſent ſexaginta juvenci, & ſexaginta arietes, una decima menſurabant pro omnibus, juxta verſiculum qui dicit: *& decimam decimæ per agnos ſingulos*. Num. 28. 21. *Maimonides ibidem*. Duæ erant ſiccorum menſuræ in Sanctuario, decima, & ſemidecima; illa utebantur ad ferta; hac ad diſtribuendum ſummi Sacerdotis fertum quotidianum.

71 *Vinum quum libaretur &c. Tosaphta Succhah cap. III. 7.* Duo vaſa argentea erant ſummitate altaris, unum pro aqua, & alterum pro vino; occidentale erat pro aqua, & orientale pro vino; ſi aquæ *phialam* in vini *ſimpulum*, & vini *phialam* in aquæ *ſimpulum* effudiſſet, officio fungitur. R. Jehuda dicit; ex calce conſtabant, ſed nigricante vini cauſa: & foraminibus inſtructa erant factis inſtar duorum naſorum tenuium, per quæ deſcendebant in Scitin, quod extruxerat Salomon, quando templum condiderat; deſcendebant in Scitin, & findebant, ibique imbuebantur, juxta verſiculum qui dicit; *& libabitis .... in Sanctuario*; iis conſtruxit locum, ut in Sanctuario imbuerentur. R. Joſe dicit; Scitin perforatum erat, & deſcendebat uſque ad abyſſum, juxta verſiculum, qui dicit; Iſai. V. 1. 2. *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ &c. Et ſepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit eam electam, & ædificavit turrim in medio ejus*. Hoc eſt templum; *& torcular exſtruxit in ea*, hoc eſt altare; & etiam, *torcular exſtruxit in ea*, hoc eſt Scitin. R. Elieſer filius Zadocki dicit; feneſtra parva erat inter Ulam & altare ad occidentem pontis, & ſemel ſexageſimo, aut ſeptuageſimo quoque anno juvenes Sacerdotii in eum locum deſcendebant, & colligebant vinum coagulatum inſtar maſſæ ficuum, & educebant, illudque in ſanctitate comburebant, juxta verſiculum qui dicit: *Et libabitis ..... in Sanctuario*; ſicuti ejus libatio erat cum ſanctitate, etiam ejus combuſtio cum ſanctitate facienda erat.

72 *Verſus inferiora altaris &c. Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. II.* Jam vinum fundebatur quidem in altare ſed non in ignem. Miniſter enim ſublata manu vinum effundebat in altaris fundamentum, unde defluebat in Scitin. *Raſchius ad Exod. 29. 40.* Libatio fit in ſimpula, ſicut diſcimus ex Maſſechet Succah, duo ſimpula argentea fuiſſe ſupra altare perforata inſtar duorum naſorum tenuium. Vinum funditur in ſimpulam, hoc tranſmittit, & per naſum ejicit vinum, quod dein in ſuperficiem altaris cadit, atque hinc in columbaria ſubjecta, deſcendit, in ara Templi; in altari vero æneo, ex altari in terram defluit. *Idem ad cap. IV. 9. Codicis Succah*. *Singulum* ſimpulum uno naſo inſtructum erat, *ſingulusque* naſus foramine uno; Sacerdos vero libaturus effundebat libamina in orificium ſimpulorum, ex quo per naſos effluentia in ſuperficiem altaris deſcendebant, ubi foramen erat, quod aquam vinumque in ſentinam altaris *ſubterraneam* excavatam, valdeque profundam demitteret.

Ad vini libationem, Sacerdotes tubis clangebant, & Levitæ canebant. Codex Tamid cap. VII. 3. Dabatur ipſi vinum ad libandum, præfectus Sacerdotum ſtabat ad cornu, & vela erant in manu ejus, duo etiam Sacerdotes ſtabant ad menſam adipum, & duæ tubæ argenteæ erant in manibus eorum, clangebant ſono æquali, tum fracto, poſtea iterum fixo & æquali veniebant, & ſtabant apud filium Arſæ, unus ad dextram, & alter ad ſiniſtram ejus; quando incurvabat ſe ad libandum, præfectus Sacerdotum agitabat ſudaria, filius Arſæ cymbalum pulſabat, & Levitæ dicebant canticum: ubi abſolverant verſum, clangebant, & populus curvabat ſe, ad omnem ſectionem clangor, ad omnem clangorem incurvatio. *Maimonides de ſacrificiis Jugibus, & Addititiis cap. VI. 6.* Cum daretur vinum libanti, ſtabant Sacerdotes duo ad menſam adipum; hi duas manibus tenebant buccinas; ſtabat ad cornu altaris Sacerdotum Antiſtes, & ſudaria præ manu tenebat. Tum buccinatores clangorem edebant rectum, fractum, & rectum, iidemque veniebant, & adſtabant ad præfectum cymbalo, unus ad ejus dextram, & ad lævam alter. Remorabatur libationem parumper, qui eam facturus erat, agitabat ſudaria Antiſtes, hic cymbalo, illi buccina cantabant. Concinebant Levitæ carmen, cujus ad articulum clangor edebatur, & populus omnis, qui in atrio aderat, adorabat. Atque ad ſingulos carminis articulos edebatur clangor, ad clangores ſingulos populus adorans erat. Jam inter ſacrificium juge faciendum omnino clangores edebantur novem, ut ante diximus.

73 *Tribus rebus &c. Maimonides de ratione ſacrificiorum faciendorum cap. VII. 10.* In cornu altaris meridiei & occidenti intermedio fiebant tria in parte ſuperiori, & in inferiori quoque tria. In inferiori mactabatur hoſtia pro peccato, ſi volucris erat, admovebantur ferta, & effundebantur reliquiæ ſanguinis holocauſtorum, hoſtiarum pro peccato comedendarum, hoſtiarum pro delicto, & pacificorum. Et fiebant item tria in parte ſuperiori, nempe libatio aquæ ad ſolennitatem Tabernaculorum; porro libatio vini, quod in quotidianis libaminibus fundebatur; tum mactatio holocauſtorum volucrium, ſi quando magna foret illorum copia; namque ſi nimiam illam multitudinem capere non poſſet cornu altaris meridiei & orienti medium, Sacerdotes ſeſe vertebant ad cornu altaris meridiei & occidenti intermedium, ubi holocauſta illa peragerent.

C A-

CAPUT OCTAUM.

De primitivis & primitiis.

§. I. Primitiva quæ.

I. **Q**Uæ Hebræi בכורים appellabant, vulgo *primitiva* dicimus, ad distinctionem των תרומות, sive *primitiarum*, de quibus postea agetur: quamvis non desint inter Christianos qui nullam inter hæc duo distinctionem agnoscant, quum tamen & ex ipso Sacro Codice *Num.* 18. 12. & 13. & *Nehem.* 10. 35. ubi de ביכורים sive *primitivis* agitur, & commate 37, ubi de primitiis, uti & ex traditionibus Judæorum appareat ea fuisse diversissima. Græcis *πρωτογεννήματα* appellantur *Num.* 18. 13. 1. *Macc.* 3. 50. at primitiæ *ἀπαρχαὶ τῶν γεννημάτων*. *Tob.* 1. 6.

§. II. Quando & unde afferenda.

II. [1] Lex de afferendis primitivis non obligabat Judæos (ita ipsi contendunt) nisi stante templo vel tabernaculo Schilunte exstructo, quia Deus ea ad בית *ædem sacram* afferri jussit. *Exod.* 23. 19. *Deut.* 26. 2. *Nehem.* 10. 35. *Schecalim*. VIII. 8. Atqui ædes Schiluntica בית appellatur 1. *Sam.* 1. 24. Verum mea quidem sententia primitiva deferenda fuere ad tabernaculum, ubicunque locorum esset, non ad solum Schilunticum; fuit enim revera בית, quamvis hoc nomen in emphasi sua templo magis conveniat: nam Deus 2 *Sam.* 7. 6. negat se ab exitu ex Ægypto, usque ad tempora Salomonis habitasse in בית. Atque ita alterutrum dicendum videtur, aut non fuisse tabernaculum Schilunticum בית, aut certe tabernaculum alibi fixum æque ac Schilunte בית dici posse, prout vel magis aut minus late notio בית patere existimatur. [2] Ex terra Canaan illa afferri debuere, cui adnumerantur regiones Sichonis & Ogi, ac Syria a Davide subjugata. [3] Ægyptus autem, Babylonia, Ammonitis & Moabitis, terræ Israelitis propinquæ, decimas quidem & primitias solvebant, secundum traditiones Judæorum, neutiquam vero primitiva.

§. III. Species eorum septem.

III. [4] Ex septem rerum generibus primitiva adducebantur, tritico, hordeo, uvis, ficubus, malogranatis, olivis [5] & dactylis: non ex aliis, si Judæis credimus: *Biccurim*. 1. 2. *Gem. Becoroth.* 35. 1. [6] quia hæ species tantum recensentur *Deut.* 8. 8. & in Pentateucho aliorum fructuum illius terræ non fit mentio. Deus autem jusserat ex omni fructu terræ illa adferri. *Deut.* 26. 2. Atque ita etiam *Nebem.* 10. 36. legimus eos attulisse ביכורי אדמתנו ובכורי כל פרי כל עץ *primitiva terræ & primitiva omnium fructuum arboreorum ad templum*: adeoque possemus nos more Judaico argumentantes dicere, ת׳ ל׳ כל עץ. [7] Debuerunt hæc omnia esse optima & selecta. [8] Quod si viæ longinquitas non pateretur ea recentia adduci, uti uvas aut ficus, siccatas eas aut passas afferebant. Si autem hæ 7 species [9] uni corbi essent imponendæ, infimum erat hordeum, supra id triticum, dein olivæ, dactyli, malogranata, ficus, & circa illas vel supra uvæ.

§. IV. Primitivorum quantitas.

IV. [10] Lex divina non definivit quæ quantitas primitivorum adduci debuerit, uti in decimis, [11] sic ut omnis agri proventus in primitiva consecrari possit: *Biccurim.* 11. 4. *Siphra fol.* * 25. 1. [12] At si quis totius agri proventum in תרומה sive *primitias* sacrare voluisset, non licebat, quia scriptum est: non omne ראשית sed aliquid de eo, מראשית, esse dandum. *Gem. Hier. Pea.* 15. 1. *Gem. Hier. Terumoth.* 42. 4. Recensentur videlicet primitiva [13] inter sex res, quibus in lege Dei nulla mensura est statuta sed per decreta doctorum. Vid. *Pea.* 1. 1. Sunt autem hæ

1. פאה, angulus agri demessi pauperibus relinquendus.
2. Primitiva.
3. Sacrificia præsentiæ, ראייה, in festis.
4. Sacrificia solennitatis, חגיגה.
5. [14] Officia pia, גמילות חסידים, uti mortuos sepelire, ægrotos visitare: quod corpore præstatur. Sed si nummis alios juvet, quinta pars bonorum est mensura, quam non transgrediuntur: [15] erant enim Jeschubab & alii qui omnia bona sua erogabant in pauperes. [16] Sapientes itaque in Usha constituerunt, ne quis ultra quintam bonorum partem daret.
6. Studium legis. *Jos.* 1. 8.

[17] Addunt in *Gemara Hierof. Pea.* 16. 1.

7. עפר סוטה, pulverem mixtum aquis Sotæ.
8. רוק יבמה, sputum fratriæ a leviro repudiatæ.

9.

9. אפר פרה, cinerem vaccæ rufæ.
10. דם צפור של מצורע sanguinem avis leprosi.

[18] Sed ex decreto sapientum unum de 60. dari debet, אחד משישים *Gem. Hier. Biccurim*. 65. 3. *Siphra fol.* * 202. 2. cujus numeri memoriale est in voce טנא, *canistrum*.

V. Non [19] ante pentecosten licuisse ea Hierosolymas afferre colligunt Judæi ex *Exod.* 23. 16. *Levit.* 23. 16, 17. [20] nec post festum encœniorum, 25 diem mensis Kisleu; quia viles illi fructus erant, qui post hoc tempus maturescebant. *Biccurim.* I. 6. *Challa*. IV. 10.

§. V. Tempus.

VI. [21] Nonnunquam dominus fructus primos ante maturitatem in ipsa arbore notabat & destinabat primitivis: *Biccurim*. III. I. [22] Aliquando ex fructibus decerptis & simul collectis primitiva separabat, [23] ita tamen ut separatio primitivorum præcedat primitias & decimas. *Terumoth*. III. 7. [24] Dein vel ipse, vel alius ejus nomine, [25] ea imposita canistro ([26] cui turtures plerumque vel pulli columbarum appensi erant) afferebat ad atrium [27] (quod maxima pompa fieri solebat, uti videre est in *Biccurim*. III. 2.) [28] & tradebat, recitata confessione (*Deut.* 26. 3—10.) [29] sacerdotibus ephemeriæ ministrantis, qui ea inter se dividebant & Hierosolymis comedebant, ipsi, & uxores, & servi, & pecora, dum dominus ipse Hierosolymis pernoctabat. Est enim hoc quoque unum ex 7 requisitis primitivorum, quæ hoc ordine Judæi recensent. I. [30] Requiritur eorum adductio Hierosolymas, quam primitiæ & decimæ non requirebant. II. Vasi debent indi, [31] quod si metallicum esset sacerdotes domino reddebant, si junceum, servabant. III. [32] Confessio הגדה super iis recitanda est, a qua tamen [33] liberæ sunt mulieres, tutores, servi. *Biccurim*. I. 5. [34] quæque tantum recitabatur inter pentecosten & festum tabernaculorum. Quæ postea afferebantur, confessione carebant. *Biccurim*. I. 6. IV. [35] Sacrificium requiritur: id colligunt ex *Deut.* 16. 14. V. [36] Canticum, quod Levitæ canebant. *Psal.* 30. 2. VI. [37] Agitatio & collocatio eorum ad angulum altaris notozephyrinum. Vid. *Gem. Hier. Biccurim*. 65. 4. [38] Contra stare videtur Misna *Menachoth*. V. 6. VII. [39] Pernoctatio dominorum in urbe. *Deut.* 26. 2. *Biccurim*. II. 2, 3, 4.

§. VI. Modus ea separandi & offerendi.

VII. Primitias nuncupamus, quas Hebræi תרומות dicunt, & תרומת כהנים *Nehem.* 13. 5. (licet primitiva *Deut.* 12. 17. etiam dici תרומות fateantur) Græci ἀφαιρέματα & ἀπαρχὰς τῶν γεννημάτων, vel πρωτογεννημάτων *Eccles. Sirac.* 46. 28. (quæ una cum πρωτοκερίαις, primitiis lanæ detonsæ, Tobias sacerdotibus dare solebat, *Tob.* I: 6.) alii delibationes, ablationes, vel oblationes primas. Hoc nomine intelligimus dona, quæ Israelitæ sacerdotibus dabant e fructibus [40] terræ Israeliticæ (e vicinis quatuor, Babylonia, Ægypto, Ammonitide & Moabitide uti & e Syria dabantur, [41] sed eas inferre in terram Israeliticam non licuit. *Schevuth*. VI: 6.) [42] jam ad usum humanum præparatis, פריות הנגמרים, qua ratione a בכורים, sive primitivis distinguuntur quæ constant ex fructibus non elaboratis, *Deut.* 18. 4. Appellatur hoc ipsum תרומה גדולה *ablatio magna*, ἀφορισμὸς μέγας, & [43] sequitur illa separationem primitivorum. *Terumoth*. III: 7. *Gem. Betza*. 13: 2.

§. VII. Primitiarum nomen & distinctio a primitivis.

VIII. [44] Quantitas non erat a Deo definita: verum Judæi tradunt vulgo unum ex 50 pro primitiis datum fuisse: si liberalis quispiam esset, unum ex 40 dabat (ita Hilleliani statuunt) vel secundum Schammæanos, 30. quo refertur *Ezech.* 45: 13. si avarus, unum ex 60. Ipsam vocem תרומה volunt innuere תרי ממאה *duo de centum*: & hujus traditionis Judæorum meminit Hieronymus ad *Ezech.* 45. *p.* 1040. qui tamen has תרומות appellat *primitiva*, quæ nunc vulgo, ut a בכורים distinguantur, *primitias* nuncupamus.

§. VIII. Quantitas primitiarum.

IX. [45] Dabantur hæ sacerdoti, cuicunque dominus vellet. In *Nehemiæ cap.* 10. 37. primitiæ leguntur datæ fuisse sacerdotibus in templo ministrantibus & delatæ ad conclavia domus Dei (confer *Nehem.* 13: 5.) quod eo tempore factum fuisse videtur ut major frequentia sacerdotum ad templum conflueret. Simile quid & eodem scopo videtur factum 2 *Chron.* 31: 4. In libro Judith legitur quoque ἀπαρχὰς τȣ σίτȣ, videlicet has primitias destinatas fuisse sacerdotibus ministrantibus Hierosolymis.

§. IX. Cui dandæ.

X. Comedi debuere [46] in terra sancta [47] a sacerdotibus mundis, *Num.* 18. 11. *Terumoth*. IX: 3. [48] Nec illi tantum tam adulti quam impuberes, sed & uxores, liberi, servi eorum, & [49] pecudes ad harum primitiarum comestionem admittebantur. *Terumoth*. XI: 9. Videlicet primitiæ [50] erant intermediæ sanctitatis inter decimas & קדש, cibos sacros. Decimæ, חולין sive *res profanæ* appellantur respectu primitiarum: & primitiæ respectu קדש, sive ciborum sacrorum, quasi profanæ censentur. Homo leprosus die septimo rasus, & corpore ac vestibus lotus, mundus est nec alios polluit,

§. X. Quomodo comedendæ.

& טבול יום exiſtens edit illo die de decimis. Poſtquam ſol ejus diei occidit, edit de primitiis. Denique quum obtulit ſacrificium ſuum, admittitur ad קדש ſive edendos cibos ſacros. *Chagiga*. III. 3. *Kelim*. I: 5. *Negaim*. XIV. 3. Partes ſacrificiorum comedendæ, appellantur קדש *ſacra* ſingulari ratione, atque ideo Joſephus legem a Deo latam *Levit*. 12. 4. בכל קדש לא תגע *ſacra ne attingat*, explicat *lib*. III. 10. *θυσιῶν μὴ ἅπτεσθαι*, ſic ut קדש ſint *θυσιαί*. Ceterum [51] filiæ ſacerdotis nuptæ Iſraelitæ non licebat comedere de primitiis. *Jevamoth*. IX: 6. nec ſervis ejus. *Ibid*. VII: 2. [52] ſed filia Iſraelitæ nupta ſacerdoti comedit de primitiis. *Ibid*. IX: 5. [53] etiam ſervi ejus. *Ibid*. VII: 2. ſed mortuo marito non. *Gittin*. III: 4. [54] Præterea in *Sota*. I: 3. recenſentur quinque uxores ſacerdotum, quæ, etiamſi filiæ eſſent ſacerdotum, prohibentur in perpetuum edere primitias. Non licebat autem [55] ex dactylis mel, e pomis vinum, acetum ex uvis hyemalibus conficere, vel ullos fructus coctione vel mixtione ita permutare ut aliam naturam induant, & ex cibo convertantur in liquores, exceptis ſolis olivis & uvis, e quibus vinum & oleum parare licitum erat. *Num*. 18. 12. *Terumoth*. XI: 3. *Schevuth*. VIII: 4.

COMMENTARIUM IN CAPUT OCTAVUM.

[1] L *Ex de afferendis &c. Maimonides Biccurim cap.* II. Præceptum affirmativum eſt, ut primitiva ad Sanctuarium adducant; illa autem pendere, Domo exſtructa & in terra Sancta tantum erant ſoliti, q. d. e. *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini tui*. Exod. 23. 19. *Abarbanel in Legem fol.* 390. 4. Senſus eſt *Loci* Deut. 26. 2. *pergeſque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit*; ne primitiva Nobum, vel Gibeonem afferant, neque ad aliquod excelſum, ſed tantum ad duo loca, Siluntem, & Hieroſolymam, quæ ſola Domus vocantur, quod ad Domum ſeculorum, Templum, extra controverſiam eſt; quoad Siluntem dictum eſt; 1. Reg. 1. 24. *& adduxit eum ad Domum Domini in Silo*. Præcepit Deus; *primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini tui*. Exod. 23. 19. Vult ut adducantur ſolum ad loca, quæ Domus vocantur, quo nomine Nob & Gibeon non veniunt, licet Tabernaculum cum Arca ibi fuerit; nam domus vocatur, quæ habet maceriam, eſtque conſtructio ex pariectibus & tecto, quæ in templo omnino aderant, ut rectiſſime Domus appelletur. Silunte fuerunt parietes, ſed abſque tecto, quoniam parietes cortinis tegebantur Tabernaculi, ideo ob parietes Silo aliquando Domus dicitur, aliquando vero Tabernaculum, ut exſtat Pſalm. 78. 60. *Et repulit Tabernaculum Silo*, propterea quod cortinis tegebatur, non vero tecto. Sed Nob & Gibeon & parietibus, & tecto caruerunt, atque conſtiterunt aſſeribus Tabernaculi ſuperimpoſitis cortinis, ut in deſerto obtinuit, qua de cauſa Domus vocari nequeunt. *Toſaphta Sekalim c.* III. 25. Qua de cauſa dixerunt non adduci primitiva niſi ſtante, & exſtructa Domo? Quia textus dicit. *Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui*. Exod. 34. 26. Quocumque tempore ſtabit Domus, debebis adducere primitiva, quando non erit Domus, non teneris ad primitiva.

[2] *Ex terra Canaan &c. Codex Challah cap.* IV. 11. Ariſton adduxit primitiva ſua Apamia, & receperunt ab ipſo, quia dixerunt, quicumque emit in Syria, habetur ac ſi emiſſet in pago Jeroſolymis vicino. *Codex Biccurim cap. I.* 10. Hi adducunt - - - e citeriore parte Jordanis. R. Joſe dicit, non adducunt e citeriore parte Jordanis, quia non eſt terra lacte & melle fluens. *Maimonides ibidem*. Primitiva autem ex urbibus quoque Sihonis, & Ogi, atque Syria ex Sapientum decreto afferebant, quoniam qui emit quid in Syria, idem eſt, ac ſi Hieroſolymis emiſſet.

[3] *Ægyptus autem &c. Toſaphta Biccurim cap. I.* 11. Gravius eſt jus primitiarum, & ſecundæ decimæ, quam primitivorum, quod primitiæ, & ſecunda decima obſervantur in provinciis Ammon, & Moab, quod non obſervatur in primitivis. *Maimonides ibidem*. Licet vero illi (*eſt mendum in hoc loco, emendandum ita cenſeo, Ammon, Moab, Ægyptus, & Babel*) ad primitias, decimaſque obligarentur ex Sapientum conſtitutione, tamen exinde primitiva non adduxerunt. Si vero ea quiſquam dediſſet ex rebus extra terram ſcilicet ſitis, pro primitivis nequaquam habita fuiſſent. *Reſtitui poteſt textus Maimonidis ex Ceſeph Miſn. in h. l. ubi legitur*. Sed regio Ammonitica, Moabitica, & Babylonica, licet ad primitias, decimaſque teneantur, non ſeparat tamen primitiva &c.

[4] *Ex ſeptem rerum &c. Maimonides ibidem*. Septem tantum ſunt ſpecies, ex quibus primitiva adducebant Hieroſolymam, quas inter terræ Sanctæ præcellentias legimus; ſuntque triticum, hordeum, uvæ, fici, malogranata, olyvæ, & dactyli; extra has ſeptem ſpecies ſi quis primitiva adduxerat, non ſanctificabantur.

[5] *Et dactylis &c. Toſaphta Biccurim cap. I.* 8. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit, non adducuntur primitiva ex dactylis, niſi ex palmis Hierichuntis, neque legitur niſi ſuper dactylos craſſos tantum. R. Simeon filius Eleaſaris, malogranata ex vallibus adducuntur, & legitur.

[6] *Quia hæ ſpecies &c. Maimonides ad cap. I. 3. Codicis Biccurim*. Dixit Deus qui eſt benedictus de primitiis Deut. 26. 2. *Tolles de cunctis frugibus tuis primitias*; dixerunt Sapientes, ergo de *principio* adduces, non vero totum principium, non adduces niſi de ſeptem ſpeciebus, de quibus ſermo eſt in laudem terræ, quæ computatæ ſunt, Deut. 8. 8.

[7] *Debuerunt hæc &c.* Codex *Biccurim cap. I.* 3. Non adducent primitiva niſi de ſeptem ſpeciebus, neque de dactylis montanis, neque de frugibus convallium, neque de olivis non optimis. *Maimonides Biccurim cap.* II. 3. Primitiva ſeparare non licet ex palmis in montibus ſitis, nec ex fructibus, qui in vallibus creſcunt, nec ex olivis niſi ſelectiſſimis, ſed ex palmis in valle plantatis, & ex fructibus in montibus prognatis, nam illi ſunt ſelectiſſimi. Si vero quis adducebat quod non erat ex optimo, ut palmarum montanarum fructum, aut ficus fœtidas & putridas, aut uvas pulvere conſperſas, & perfumatas, non habebatur Sanctum. *R. Simeon ad Maſſ. Biccur. cap. I.* 3. Per *olivam olei* Deut. 8. 8. intelligendum eſt אגורי; Dixit R. Ammi nomine R. Jochanan, quare ita vocatur אגורי? Quoniam oleum in medio ejus colligitur; cum olivæ vulgares oleum ſuum perdant; R. Chanina dixit; vulgares olivæ oleum ſuum, decidente in eas imbre, emittunt; ſed hæc אגורי in medio ſui tempore pluvioſo, oleum ſervat. Dactyli autem montani, & fructus vallium ſunt viliores; *ſeu ut Maim.* ad Maſſ. Bicc. c. I. 10. Fructus in montibus producti ſunt ſapidi magis, atque meliores, & dactyli vallium melle plus referti.

[8] *Quod ſi viæ &c. Codex Biccurim cap.* III. 3. Propinquiores adducebant ficus virides, & uvas; remotiores adducebant ficus ſiccas, & paſſas. *Maimonides ibidem*. Incolæ ab Hieroſolymis non longinqui ficus, & uvas recentes, magis vero diſſiti ſiccas, paſſaſque adducebant.

[9] *Uni corbi &c. Toſaphta Biccurim cap.* II. 8. Præceptum erat, ut ſeptem vaſis adducerentur, ſi uno vaſi adduxiſſet, officio ſuo functus erat; quomodo faciebat? adducebat hordea, & infimo loco reponebat, & aliquid ſuper ea, deinde frumenta, & aliquid iis ſuperimponebat, & ſuper ea olivas, & in vaſis ſummi-

mitate ficus ſuperimponantur, & exterius uvarum racemis circumornabat. *Maimonides ibidem cap.* III. 7. Primitiva reponi in vaſi debent, q. d. e. Deut. 26. 2. *Et pones in cartallo*. Præceptum autem eſt, ut de ſelectiſſimo ſeparata, ſingula in ſpecie ſua in corbe ſeorſim adducantur; ſi vero quis omnes in uno corbe conjunxerat, officio quoque ſatisfecit. Commixtio tamen in vaſe non eſt facienda, ſed hordeum infimo reponi loco, huic triticum, tritico olivæ, his dactyli, his malogranata, & his fici in vaſis ſummitate ſuperimponi debent, ſic quoque neceſſe eſt aliquid, quod ſpeciem inter & ſpeciem interdiſtinguat, ut ſunt ramuſculi, aut juncus, aut folia, aut ſimile quid. Ab exteriore vero parte uvæ ficus cingere debent.

[10] *Lex divina non definivit &c. Maimonides ibidem*. Primitiva ex Lege conſtitutam non habent menſuram.

[11] *Sic ut omnis agri &c. Maimonides ibidem*. Cuicumque autem totius agri proventum in primitiva convertere placebat, id ei concedebatur.

[12] *At ſi quis &c. Codex Challah cap. I.* 9. Qui dixerit, *tota mea area ſit oblatio prima, & tota mea maſſa ſit placenta*, nihil omnino dixit, niſi quicquam reliquerit. *Maimonides Therumoth cap. III.* 5. Qui addit in primitiis, ſi aliquid profani reliquerit, eſt ablatio, at ſi dixiſſet, omnes iſti fructus ſint primitiæ, nihil dixit.

[13] *Inter ſex res &c. Toſaphta Peah cap. I.* Hæc ſunt illa, quibus nulla eſt ſtata menſura, angulus, & primitiva, & ſacrificium apparitionis in Feſto, & beneficentia, & ſtudium ſacræ Legis.

[14] *Officia pia &c. Maimonides ad cap. I. 1. Codicis Peah. Et charitas*; hoc vocabulum comprehendit duos præceptorum ſenſus, unus eſt ut homo proximum adjuvet bonis ſuis, uti eſt dare eleemoſynas, & redimere captivos; alter eſt ut proximum adjuvet quoad corpus, uti eſt conſolari lugentes, viſitare infirmos, & ſequi funus, & accedere ad thalamos, ſponſales, & ejus generis alia. Quod vero dicitur, *charitatem non admittere menſuram*, id intelligendum eſt de charitate adjuvandi quoad corpus ſive per id, quod ſua perſona efficit, ſed charitati, quæ opibus, & bonis demonſtratur, impoſita eſt menſura, quæ eſt quinta pars bonorum ſuorum, & ulterius non tenetur, niſi ſingulari quodam zelo aliquid extraordinarii velit cuiquam conferre.

[15] *Erant in Jeſchubab &c. De Rege Mumbaz narratur, quod omnes ſuos theſauros pauperibus diſtribuerit. Toſaphta Peah cap. IV.* 16. Narratur de Mumbaz Rege, quod ſurrexerit, & in eleemoſynam, cum magna eſſet annonæ difficultas, omnes ſuos theſauros erogaverit, ei dixerunt aulæ miniſtri; Patres tui cumularunt opes, & a majoribus legatas auxerunt, & tu ſurrexiſti, & omnia tua, & majorum æraria exhauſiſti; eis reſpondit; mei majores theſauros repoſuerunt in terris, & ego in cœlis, juxta verſiculum qui dicit, *veritas de terra orta eſt, & juſtitia de cœlo proſpexit &c. Pſalm.* 84. 12. Majores mei recondiderunt theſauros, ubi poteſtas eſſet manibus, ſed ego condidi, ubi nulla manibus poteſtas eſſe poſſit, juxta verſiculum qui dicit: *juſtitia & judicium præparatio ſedis tuæ &c.* ibidem 88. 14. Majores mei theſauros recondiderunt ubi fructum ferre non poſſunt, ſed ego recondidi, ubi fructus ferunt, juxta verſiculum, qui dicit: *Dicite juſto, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum ſuarum comedet &c.* Iſai. 3. 10. Majores mei recondiderunt theſauros divitiarum, & ego recondidi theſauros animarum, juxta verſiculum qui dicit; *fructus juſti lignum vitæ, & qui ſuſcipit animas, ſapiens eſt*. Prover. XI. 30. Majores mei theſaurizarunt pro aliis, & ego pro me ipſo, juxta verſiculum, *& habeas juſtitiam coram Domino Deo tuo*. Deut. 24. 13. Majores mei recondiderunt theſauros in hoc mundo, ſed ego recondidi in mundo futuro, juxta verſiculum qui dicit: *Juſtitia liberabit a morte*.

[16] *Sapientes itaque &c. Maimonides ibidem*. Narratur in Gemara, in Uſa ordinaſſe ſapientes, ut quilibet de bonis ſuis ſeponeret quintam partem ad opera charitatis ſuæ demonſtranda; expoſitio autem hujus juris eſt ea quam modo dixi, nimirum ſi videat captivum, ſe eum teneri eum redimere, uti præcepit benedictus Deus, aut ſi videt nudos, eſurientes, & male affectos, ut eos veſtiat, & quovis modo ſuccurrat, juxta id quod dicitur Deut. 15. 8. אשר יחסר לו די מחסרו, quorum verborum ſenſus eſt, quemlibet, ſi aliquid deſit quintæ bonorum ſuorum parti ad redimendos captivos, obligari tantum addere, donec quintam partem compleverit; ſed quando ipſi dandum eſt magis quam quinta pars, tum dabit quintam partem tantum, & excuſabit ſe de reliquo; neque ea de cauſa incurret pœnam delicti, quatenus neceſſitas illorum pauperum & captivorum magis quam quintam partem deſiderat. Si autem non poſſideat tot opes, ut quintam partem poſſit ſeponere ex iis, ſeparet eam ex lucro ſuo, ut id impendat neceſſitatibus, quas præcepta commendant. *Idem de jure pauperis cap. VII.* 5. Si pauper accedat, expetatque, quod relevet indigentiam illius, datoriſque facultates ad hoc non ſufficiant, tenetur dare pro ratione facultatum, quas habet; quantum autem eſt hoc? Si quis det quintam partem facultatum ſuarum, *præceptum præſtat* in gradu ſummo, ſi det decimam partem facultatum ſuarum, *præceptum præſtat* in gradu mediocri, ſi vero minus det quam decimam partem, eſt vir mali oculi.

[17] *Addunt in Gemara &c. Gemara Sotah fol.* 16. 2. Tria ſunt, quæ minorem, quam quæ conſpici queat, quantitatem, haud admittunt, ſuntque, pulvis mulieris de adulterio ſuſpectæ, cinis Junicis (Num. XIX. 17.) & ſputum Fratriæ (Deut. XXV.) Atque ex ſententia R. Iſmaelis, addere his oportet ſanguinem avis. *Maimonides ad cap. I. 1. Codicis Peah.* Sunt præterea etiam res aliæ, quibus non impoſita eſt menſura, uti ſunt pulvis commixtus cum aquis Sothæ quæ adhibebatur in inquiſitione mulieris de adulterio ſuſpectæ, & ſaliva fratriæ, & cinis vaccæ rufæ, & ſanguis avis pro leproſo, quæ tamen hic non recenſentur, quia etſi ea etiam ſunt magni ponderis, nihilominus tamen non continent in ſe retributionem mercedis &c.

[18] *Sed ex decreto ſapientum &c. Maimonides Biccurim cap. II.* 17. Primitiva ex Lege conſtitutam non habent menſuram, ſed ex decreto Rabbinorum unum de ſexaginta ſeparari neceſſe eſt.

[19] *Non ante Pentecoſtem &c. Toſaphta Bicurim cap. I.* 1. Non adducebantur primitiva ante Pentecoſtem; ſi adduxiſſet, exſpectabit uſque ad feſtum Pentecoſtes, & ſuper iis leget. *Maimonides ibidem cap. II.* 6. Primitiva afferre ante Pentecoſtem non licebat, q. d. e. Exod. 23. 16. *Et ſolennitatem meſſis primitivorum operis tui*. Si vero adducebantur, non recipiebantur, donec Pentecoſtes illuceſceret, aſſervabantur, atque ita ſuper iis legebatur.

[20] *Nec poſt feſtum Encæniorum &c. Maimonides ibidem*. Sic quoque Primitiva poſt Encœnia non adducebant, quoniam primitiva, quæ poſt Encœnia maturaverunt, ad futurum pertinere annum cenſebantur, eaque poſt feſtum Pentecoſtes deponebantur.

[21] *Nonnunquam Dominus &c. Toſaphta Biccurim cap. II.* 7. Quomodo ſeparabantur primitiva? deſcendit quis in agrum ſuum, & videt, quod ficus fructum primitivum, quod racemus uvarum baccam primitivam dederit, funiculo eos *fructus* ligat, & dicit, *hi fructus ſunt primitiva*. R. Simeon dicit, iterum eos nominabit nomine primitivorum, poſtquam eos avulſerit e terra. *Maimonides ibidem cap. II.* 18. Qua ratione Primitivorum ſeparatio peragitur? Confert ſe quiſque in agrum ſuum, & obſervans, quod ficus fructum primitivum, ſimiliter, quod vitis baccam primitivam, quod malogranatum arbor punica dederit, ligat hos fructus juncis, dicendo; *ecce hæc ſunt primitiva*. Fiunt autem primitiva, quando arboribus adhuc juncta ſunt, ſtatim atque ea hoc nomine appellavit, licet nondum, quantum quidem neceſſe eſt, maturitatem ſint conſecuta, poſtquam perfecta ſunt, & de arboribus avulſa, non opus habebat poſſeſſor, denuo ea nomine primitivorum denominare.

[22] *Aliquando ex fructibus decerptis &c. Maimonides ibidem*. Si vero primitiva arboribus adhuc affixa non ſeparaviſſet, neque nomine hoc inſigniviſſet, ſed indeſcriminatim fructus collegiſſet, poſt collectionem fiebat tum ſeparatio. Si fructus omnes pollutionem contraxerunt, primitiva inde nequaquam ſeparari poterant, ſed ſeparari de puro pro impuro debebant, idque data opera; ſi vero nulli alii reſtiterunt fructus, unde primitiva dari potuiſſent, illa ſeparari, ut ego quidem opinor, in impuritate non debebant. Separatio enim non fit ad perditionem; ſentio autem ego,

primitivis pollutis nequidem fornacem poſſe accendi, ut primitiis impuris agere licet, quoniam illa ſunt ut ſancta ſanctuarii.

[23] *Ita tamen &c. Mechilta ad Exod.* 22. 29. מלאתך ודמעך לא תאחר per מלאתך intelliguntur primitiva, quæ deſumuntur de frugibus plene maturis, per ודמעך primitiæ, לא תאחר, non præmittes decimas ſecundas primis, nec primas primitiis, nec primitias primitivis. *R. Salomon ad exod. loc. cit.* Non invertes ordinem ſeparationis poſtponendo id, quod prius eſſe debet, & præmittendo poſterius, nempe ne præmittantur primitiæ primivitis, & decimæ primitiis. *Maimonides Terumoth cap. III.* 23. Quando ſeparantur primitiæ, & decima, ordine ſeparandæ ſunt; quomodo hoc intelligitur? Ante omnia ſeparanda ſunt primitiva, deinde primitiæ, poſtea decima prima, deinde decima ſecunda, aut decima pauperis; qui ſecundum ante primum ſeparaverit, aut primitias ante primitiva, quamvis violaverit præceptum negativum, quod factum, jam factum ſit; unde probatur inhiberi præcepto negativo? Ex eo quod dicit; *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere*. Exod. 22. 29. non tardabis id, quod debes prius ſeparare, ſed non vapulat 40 plagis propter ipſum præceptum negativum. Yalcut. Verum non mihi conſtat utra præmittenda ſint an primitiæ primitivis, an primitiva primitiis. Dicas ergo præmittenda primitiva, quæ quatuor vocabulis appellantur, *principium*, *primitiva*, *delibatio*, *fruges maturæ*, primitiis, quæ tribus dumtaxat cenſentur. Præmittendas primitias, quæ tribus nominibus gaudent; *principium*, *delibatio*, *& fruges opimæ* dictæ, decimis primis, quæ duabus tantum. Præmittendas decimas primas, quæ duplici gaudent nomine, *delibatio & decimæ* dictæ, decimis ſecundis, quæ unico dumtaxat nomine veniunt.

[24] *Dein vel ipſe &c. Toſaphta Biccurim cap. II.* 11. Permiſſum erat, ea portanda ſervo, aut propinquo tradere, quando pervenerat ad montem Templi, etiamſi fuiſſet Rex Agrippa, ſuis ipſe humeris corbem imponere debebat. *Maimonides ibidem cap. III.* 12. Ei qui primitiva adducit, permiſſum eſt, ea portanda ſervo aut propinquo tradere, donec ad templi montem pedem promoverit, eo vero perventum ſi ſit, ſuis ipſe humeris corbem imponere debet, id quod ſummus in Iſraele Princeps facere neceſſe habet.

[25] *Ea impoſita caniſtro &c. Maimonides ibidem cap. III.* 7. Primitiva reponi in vaſe debent, q. d. e. *& pones in cartallo*. Deut. 26. 2. *Legitur in cap.* 2. *Toſaphta Bicc. in ſecundo vaſe reponenda eſſe*. Primitiva in vaſe ſecundo reponi debent. *Sed vox* שני, *uti legimus in Ceſeph Miſn. Scribæ errore videtur inducta*. Videtur vox שני errore ſcribæ inducta, *fortaſſis enim vox abbreviata* שני *vel bis ſcripta vel lecta pro* שני, quæ adeoque corrigenda eſt. Si eam retinere mavelis, ſenſus eſſe poteſt, ne primitiva adducant in vaſe, in quo ex agro domum ſunt translata, ſed in alio vaſe, ut injungitur, Deut. 26. 2. *& pones in cartallo, pergeſque*, ſcil. cum illo corbe. Prius tamen rectius ſtatuitur, & conſentire videntur verba in fine hujus cap. ubi dicit Auctor, quod primitiva requirant adductionem ad templum, & vas non addit שני

[26] *Cui turtures &c. Maimonides ibidem cap. III.* 9. Quum attulerunt primitiva, in manibus ſimul turtures, & pullos columbinos apportarunt, ſimiliterque de lateribus caniſtrorum turtures & pullos columbarum ſuſpenderunt, ut hac ratione primitiva redderent inſigniora. Dona caniſtris appenſa holocauſtis inſerviebant, apportata vero in manibus ſacerdotibus donabant.

[27] *Quod maxima pompa &c. Toſaphta Biccurim cap. II.* 9. Non ſinguli ſingulatim aſcendebant, ſed integræ provinciæ, non tota die ambulabant, ſed duabus diei partibus; miniſtri Synagogæ, cum ipſis aſcendebant, & pernoctabant in platea urbis, nec domos ingrediebantur propter immunditiem tentorii. *Maimonides ibidem cap. IV.* 16. Quomodo adducuntur primitiva? Omnes civitates, quæ ob aliquam ſtationem conveniunt, conferunt ſe ad urbem ſtationis ſuæ, ne ſinguli ſingulatim aſcendant, q. d. e. *In multitudine populi dignitas Regis*. Proverb. 14. 28. Conveniunt itaque & pernoctant in platea urbis, ædeſque ob tentorium impurum non ingrediuntur. Mane autem exclamat præfectus: *Surgite & aſcendamus in Sion ad Dominum Deum noſtrum*. Jerem. 31. 6. Bos autem illos anteibat cornibus deauratis, capiteque corona oleaginea redimito, quo primitiva hæc e ſeptem illis ſpeciebus eſſe notabatur. Is autem qui tibia cecinit, ante faciem eorum ibat, donec Hieroſolymam proxime attigiſſent, inter eumdum vero ſemper ſibi acclamabant: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi in domum Domini ibimus*. *Pſalm.* 121. 1. Singulis vero diebus nonniſi duas diei partes abſolverunt. Quando urbem Hieroſolymitanam proxime ſunt aſſecuti, legatos ad cives urbis ablegaverunt, qui id illis facerent notum; interea primitiva ſua coronarunt, ornamentiſque decorarunt, atque recentia, ſi quædam præter ſicca inter primitiva eſſent, viſui obverterunt. Obviam tunc principes, antiſtites, & ærariis præffecti illis ex urbe prodierunt, pro ratione advenientium, magno numero, ſi multi adveniſſent, parvo, ſi pauci. Statim atque omnes portas Hieroſolymorum fuerunt ingreſſi, recitare occeperunt ex Pſalm. 121. 2. *Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis, Jeruſalem*. Omnes opifices Hieroſolymitani coram illis conſiſtentes ſalute eos exceperunt dicendo; *Fratres noſtri viri hujus, vel illius loci ſalvos vos veniſſe gaudemus*. Ita in urbis medium penetraverunt, Tibicine agnen præeunte ad montem templi uſque. Pede huc uſque promoto, ſinguli caniſtrum humeris impoſuerunt ſuis, dicentes: *Cantate Domino canticum novum laus ejus in eccleſia ſanctorum &c.* & quæ ſequuntur uſque ad verba, *omnis ſpiritus laudet Dominum*. *Pſalm.* 149. 150. Hac ratione in monte proceſſerunt canendo uſque ad atrium, in quod poſtquam perventum fuit, Levitæ concinerunt; *exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me &c.* Pſalm. 29. 1. & ſeq.

[28] *Et tradebat recitata &c. Maimonides ibidem. Cap. III.* 4. Simul atque is, qui primitiva adduxit in atrium depoſuerat, iis uti ſacerdoti fuit licitum, licet confeſſio ſuper iis nondum fuerit peracta, quoniam confeſſio eſum eorum non impedit. Primitiva quoque illa, quæ extra muros elata in locum ſuum rurſus deferuntur, comedi licite poſſunt.

[29] *Sacerdotibus Ephemeriæ &c. Maimonides ibidem cap. III.* 1. Primitiva viris cuſtodiæ exhibebantur, qui ea ut ſancta ſanctuarii inter ſe dividebant: illa autem תרומה *primitias* vocata fuiſſe jam demonſtravimus. Quapropter ſi plebejus iis quocumque in loco veſcebatur, reus mortis θειλάτου habebatur. Hoc autem tum demum, quando ea urbi Hieroſolymitanæ jam illata comedebat.

[30] *Requiritur eorum &c. Toſaphta Biccurim cap. I.* 12. Gravius eſt jus decimæ ſecundæ, & primitivorum, quam primitiarum; quod ſecunda decima & primitiva teneantur ad adductionem ad locum, & teneantur ad confeſſionem, & vetita ſunt lugenti primo die; & R. Simeon permittit; & tenentur ad remotionem. R. Simeon dicit, primitiva libera ſunt a remotione.

[31] *Quod ſi metallicum &c. Maimonides ibidem cap. III.* 8. Primitiva ſi in vaſi fuſili adducantur, accipit quidem ſacerdos primitiva, vas vero reſtituit poſſeſſori; ſin in vaſe ex ſalicibus vel juncis aut materia ſimili conſtructo, primitiva cum caniſtris ſacerdotibus cedunt. Pollutis vero primitivis, ſportæ ſacerdotum non ſunt. *Siphri ad Deut.* 26. 4. *ſuſcipienſque ſacerdos cartallum de manu tua*, quod divites afferant in calathis argenteis aureiſque, pauperes vero in vimineis e ſalicibus decorticatis. Hi caniſtra dant ut faciant donum ſacerdoti.

[32] *Confeſſio &c. Toſaphta Biccurim cap. I.* 13. R. Joſe dicit, ſecunda decima tenetur ad confeſſionem, & primitiva tenentur ad confeſſionem, ſicuti ſecunda decima tenetur ad remotionem, etiam primitiva tenentur ad remotionem &c. *Maimonides ibidem cap. III.* 10. Præceptum affirmativum eſt, ut ſuper primitivis; ea qua afferuntur in templum, hora fieret confeſſio, quæ ita incipit, ſonatque; profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingreſſus ſum in terram &c. quæ ſequuntur. Syrus perſequebatur patrem meum & ſeq. uſque ad verba, quam Dominus dedit mihi. Deut. 26. 3 — 10. Hanc confeſſionem alia quam lingua Hebraica edere non licet q. d. e. *& loqueris*. Scil. hac lingua l. c. verſ. 5. *Abarbanel in Leg. fol.* 390. *col.* 4. Hæc eſt Iſraelitæ ad ſacerdotem loquentis mens, ne putet adducta primitiva ſibi in donum mitti aut ſtatuto aliquo Sacerdotes a populo il-

la,

la, ut de primitivis fructuum participent, accipere, sed adduci primitiva ad laudandum Deum Benedictum, prædicandamque ejus benignitatem coram facie ipsius propter inductionem in terram juramento patribus addictam, quemadmodum enim agricolæ adducunt domino agri quotannis statutam fructuum quantitatem, ut illius dominium profiteantur, sic se facere inquit per adductionem & confessionem hanc, quam facturus sit Domino Benedicto, quoniam in terram venerit. Hæc confessio vocatur הגדה *professio*, *annunciatio*, quia est enarratio, atque continet annunciationem. *Idem fol.* 391. *col.* 1. *in Legem*. Alta voce & quasi canendo *incipit hanc confessionem*. Pater meus miser erat Syrus, qui descendit in Ægyptum hominibus paucis, ut peregrinaretur illic, evasit autem illic in gentem magnam, robustam, & amplam; quumque malo nos afficientes Ægyptii, & affligentes nos, imponerent nobis servitutem duram, inclamavimus Jehovam Deum majorum nostrorum, exaudiensque Jehova vocem nostram, respexit afflictionem nostram, & oppressionem nostram: nam educens Jehova nos ex Ægypto manu forti & brachio extento, & terrore magno, signis etiam & prodigiis introduxit nos in locum hunc, deditque nobis terram hanc, terram affluentem lacte, & melle, nunc itaque ecce attuli primitias fructuum terræ quam dedisti mihi Jehova &c. Ego sentio mentem confessoris esse, quod terra, quam inhabitat, nec hæreditate, nec gladio sibi sit acquisita, sed sola gratia, & misericordia Dei, propterea dicitur Jacobum, qui propior, quam reliqui Patriarchæ, ipsorum causa fuit, & illi genti peculiaris, in qua nihil nisi quod ex ipso est, sociatur, juvenem adhuc fuisse hominem pauperem atque destitutum opibus, & mobilibus, atque immobilibus.

[33] *Liberæ sunt mulieres &c. Maimonides ibidem cap. IV.* 1. 2. Quicumque primitiva affert, ad sacrificium, canticum, agitationem, & pernoctationem est adstrictus, sed confessio non in omnibus similiter se habet, nam sunt qui ad adducendum tenentur, qui tamen non confitentur. Hujusmodi adducentes, nec tamen confitentes, mulier, occlusus, androgynus, quoniam mulieres annon sint dubitatur, adeoque dicere nequeunt, quam Dominus dedit mihi. Eodem modo tutores, servus, & legatus non confitentur, quia dicere non possunt, quam terram Dominus mihi dedit. Prosellyrus adducit, & confitetur, quia Abrahamo dictum est, quia patrem multarum gentium constitui te. Genes. 17. 5. Pater itaque est omnium hominum, qui se sub alas Dei conferunt; Abrahamo autem prius juramentum factum est, fore, ut posteri ipsius terram accipiant in hæreditatem. Similiter adducebant, & confitebantur Sacerdotes, & Levitæ, quoniam suburbana bona possidebant. *Tosaphta Biccurim cap. I.* 2 —— 4. R. Jehuda dicit, omnes proselyti adducunt, & non legunt, Filii Keni soceri Mosis adducebant, juxta versiculum qui dicit; *cumque nobiscum veneris, quicquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi. Num.* 10. 32. R. Jose inquit, quod dicebat R. Meyr, quod Sacerdotes adducant, & non legant, quia non habuerunt partem in terra, at ego dico, quod quemadmodum acceperunt Levitæ, ita etiam acceperunt Sacerdotes, sive multum, sive parum sit.

[34] *Quæque tantum &c. Maimonides ibidem cap. IV.* 13. Qui primitiva sua in spatio festum Tabernaculorum inter & Encænia adducit, licet illa ante festum separaverit, non tamen confitetur, q. d. e. *Et epulaberis in omnibus bonis*. Deut. 26. 11. Confessio autem fieri, nisi in tempore lætitiæ, quæ cum Pentecoste orditur, & festi Tabernaculorum fine cessat, nequit. Reliqui vero excepto hoc casu adducunt, & confitentur. *R. Moses Kotzensis in Sepher Mizv. Gad. pag.* 201. statuunt inde *a festo Tabernaculorum* non fieri confessionem primitivorum, sed fieri illam tantum tempore lætitiæ, quæ a Pentecoste ad festum Tabernaculorum se extendit, quando homo fructus, proventus, vinum, & oleum colligit, sed postfestum Tabernaculorum & ultra adducuntur *primitiva*, sed confessio non fit. *Siphri ad Deut.* 26. 2. *tolles de cunctis frugibus;* quod quamdiu invenitur aliquid in agro e terra *prognatum*, *adducantur*, usque ad Encænia autem id obtinet, nam non omnia ex agris sunt consumta pro bestiis.

[35] *Sacrificium &c. Tosaphta Biccurim cap. II.* 11. Pulli columbarum, qui canistris appensi erant, holocaustis inserviebant, quos secum adducebant, eosque Sacerdotibus tradebant. *Maimonides ibidem Biccurim cap.* III. 9. Dona canistris appensa, holocaustis inserviebant, apportata vero in manibus Sacerdotum donabant.

[36] *Canticum &c. Tosaphta Biccurim ibibem*; quando pervenerant in atrium, canebant Levitæ canticum; *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me*. Psalm. 29. *Maimonides cap. III.* 13. *ibidem*. Quando autem tempus est dicendi super iis canticum? Postquam ad atrium pertigissent, Levitæ canere occipiebant: *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me &c.*

[37] *Agitatio &c. Maimonides ibidem cap. III.* 12. atrium ingressus eloquitur, canistro adhuc onustus; *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo &c.* & seq. Deut. 26. 3. Canistrum interea de humeris deponit, ejusque oras tenet, Sacerdos manu supposita illud agitat, dicitque adductor: *Syrus persequebatur patrem meum qui descendit in Ægyptum &c.* & sequ. l. c. 5. 10. ad finem usque sectionis. Statuit canistrum ad altaris latus juxta cornu meridiem inter & occidentem situm, & ad partem illius cornu meridionalem, seque incurvando adorat, & ita satisfacit. Unde vero constat, quod agitatio requiratur? ex eo q. d. e. *suscipiensque Sacerdos cartallum de manu tua*. l. c. vers. 4. quo primitiva agitationi subjiciuntur. Ut vero primitiva agitatione, sic quoque oblatione pacifica habent opus, quoniam scriptum est l. c. vers. 11. *Et epulaberis in omnibus bonis*; ita quoque de festis legimus: *& epulaberis in festivitate tua* Deut. 16. 14. Qua in re consistit lætitia festi? In Sacrificiis; sic etiam circa primitiva obtinet. Verum tamen sacrificium (licet omittatur) nullum affert obstaculum in re.

[38] *Contra stare videtur &c. Gemara Menachoth fol.* 61. Primitiva quoque *requirunt agitationem* juxta sententiam R. Elieseris filii Jacobi; Quid ille? Docetur Deut. 26. 4. *suscipiensque Sacerdos cartallum de manu tua &c.* ex quibus de primitivis constat, quod agitari debeant juxta R. Elieserem; ex qua ratione hoc sequitur? Is hoc docet & voce *manu*, quæ alibi *quoque occurrit* de pacificis, *& ad agitationem refertur*; dicitur enim l. c. *suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua &c.* & alibi; *Tenebit manibus &c.* Levit. 7. 30. In utroque loco tum sacerdos tum ex altera parte possessor, *seu adducens* reperitur. Sed quomodo fit *agitatio*? Sacerdos agitaturus manum suam manibus possessoris subdit, atque ita agitat. *Ita statuit ex mente R. Elieseris*; statuatur potius juxta mentem R. Jehudæ? (refertur hunc agitationem probare ex הנחה *& depones* Deut. 26. 10. Sed tu dicis illam vocem notare agitationem, forte nihil nisi depositionem coram altari notat? Quando vers. 4. dicitur והניחו *& deponas*, ego consentio esse depositionem, sed והנחתו vers. 4. est agitatio.) Respondet Rabba, ideo *statui juxta R. Elieserem*, quoniam Scriptura prius loquitur יד, *& per consequens de agitatione, quæ præcedit depositionem*. Sed R. Nachman fil. Isaaci respondit, quod R. Elieser doctior sit.

[39] *Pernoctatio Dominorum &c. Maimonides ibidem cap. III.* 14. Primitiva requirunt pernoctationem: quomodo? Qui primitiva Sanctuario intulit, legit, & pacifica obtulit, eodem die urbe Hierosolymitana iterum egredi non debuit, ut sedem suam repeteret, sed nocte ibi transacta, crastina proficiscebatur luce, q. d. e *maneque consurgens vadens in tabernacula tua*. Deut. 16. 7. Quacunque demum ratione te convertas a Sanctuario, ut ea, qua venisti via proficiscaris, id non nisi mane sequenti fieri debet. Invenitur alicubi dictum, quod primitiva septem res diversas requirant, adductionem ad locum, vas, confessionem, sacrificium, canticum, agitationem, & pernoctationem.

[40] *Terræ Israeliticæ & Tosaphta Terumoth cap. II.* 13. Quænam vocatur terra Israelis, & quænam extra terram? Omne quod continetur trans Turammon, est terra Israelis, ab Turammon & interius est extra terram; in scopulis qui sunt in mari, reputatur ac si ducta esset linea a montibus Ammon usque ad torrentes Ægypti; omne, quod continetur intra filum, est terra Israelis, extra filum, reputatur extra terram Israelis, juxta versiculum qui dicit: *Plaga autem occidentalis a mari magno incipiet* in scopulis,

pulis, qui sunt in lateribus, judicatur ac si ducta esset linea ab Kaftaria usque ad oceanum, ab torrente Ægypti usque ad oceanum; ab linea & interius est terra Israelis, ab linea & exterius est extra terram Israelis. *Maimonides Terumoth cap. I.* Primitiæ & decimæ ex præcepto Legis non observantur, nisi tantum in terra Israelis, vel stante, vel disturbata sancta Domo; & Prophetæ decreverunt, ut sint observandæ in terra Babylonis, quod proxima sit terræ Israelis, & major Israelitarum pars inde ultro citroque commeant; & primi sapientes decreverunt, ut observandæ sint in terra Ægypti, & in regionibus Ammon, & Moab, quæ sunt finitimæ terræ Israelis. Ubicumque fit mentio terræ Israelis, intelligenda est ea terra, quam subegerunt Reges Israelis, aut aliquis Propheta consensu majoris partis Israelis; & hæc vocatur subactio congregationis; sed si quis privatus Israelita, vel familia aliqua, aut Judex, qui seorsim loca aliqua subigerent etiamsi ex terra Abrahamo promissa, non vocatur terra Israelis, ut obtineant in ea omnia præcepta. Qua de causa Josua cum suo Synhedrio divisit totam terram Israelis tribubus, quamvis nondum subacta esset, ne peculiaris esset subactio, quando singulæ tribus suam portionem subegissent. Regiones subactæ a Davide extra terram Canaan, nempe Mesopotamia, & Syria, & Achleb, & his similes, quamvis esset Rex Israelis, nihilque ageret nisi ex consensu Synhedrii, non habentur ut terra Israelis in omnibus rebus, nec extra terram in omnibus rebus, quales sunt Babylonia, & Ægyptus, sed in nonnullis causis non se habent ut *regiones* extra terram, veruntamen in nonnullis jura terræ Israelis non consequuntur; & qua de causa non omnia jura terræ Israelis consequuntur? Quia subactæ fuerunt, priusquam omnis terra Israelis subigeretur; quia nondum omnino septem (Cananææ) populi subacti erant; si vero cœpisset omnem terram Canaan, & deinde reliquas terras subegisset, habitæ fuissent ut terra Israelis in omnibus rebus; & regiones subactæ a Davide sunt eæ, quæ vocantur Syria. Syria in nonnullis rebus habetur ut terra Israelis, & in aliis nonnullis ut extra terram Israelis; & qui in in ea agros acquirit, reputatur ac si acquireret in terra Israelis ratione primitiarum, & decimarum, & anni Sabbathici, sed quæ in Syria observantur, jussa sunt ex Sapientum decreto. Quas regiones possederunt, qui ex Ægypto egressi sunt, & sanctificatæ sunt, prima sanctificatione, quando in captivitatem ducti sunt, ab iis deleta est sanctitas, cū subactionis causa facta esset, eo tantum tempore, non pro futuro sanctificarunt; quando deinde ascenderunt reduces captivitatis, & terræ parte potiti sunt, secunda sanctificatione eam sanctificarunt, hæc facta fuit, ut eo tempore, & in futuro perduraret, & reliquerunt ut antea erant, ea loca, quæ possederunt, qui ex Ægypto ascenderunt, quæque non possederunt ii, qui ex Babylonia ascenderunt, ut liberarent a debito primitiarum, & decimarum; ut ex iis pauperes anno septimo alerentur. Rabbenu Hakkadosch permisit Beth-Sehan ex iis locis, quæ non possederunt qui ex Ægypto ascenderunt, atque cum Askalone numeratur, & liberavit a decimis. Deprehenditur, quod orbis terrarum respectu præceptorum, quæ pendent a terra Israelis, dividatur in tres partes, in terram Israelis, in Syriam, & in regiones extra terram. Ipsa terra Israelis dividitur in duas partes; quarum altera continet eas regiones, quas possederunt, qui ex Babylonia ascenderunt, & altera eas terras, quas possederunt ex Ægypto ascendentes. Regiones, quæ sunt extra terram, dividuntur pariter in duas partes; in regionibus Ægypti, & Babyloniæ, & Ammon, & Moab ex decreto Sapientum, & Prophetarum præcepta observantur, & in reliquis terris non observantur primitiæ, & decimæ. Quænam est terra, quam possederunt ascendentes ex Ægypto? A Rekam, quæ est ad plagam orientalem terræ Israelis, usque ad mare magnum; ab Askalone, quæ est ad plagam meridionalem terræ Israelis usque ad Aco, quæ est ad plagam septentrionalem Proficiscenti ab Aco ad Chesib a dextra viæ ad orientem versus, tota illa regio reputatur extra terram, & immunda est, utpote quæ sit terra gentium, & libera est a decimis, & ab anno Sabbathico, donec innotescat eam pertinere ad terram Israelis; & omnis ea regio, quæ est ad sinistram viæ occidentem versus, reputatur terra Israelis, & munda est ab immunditie reliquarum gentium, & tenetur ad decimam, & ad jura anni Sabbathici, donec innotescat eam regionem esse extra terram. Et omnis ea regio, quæ declinat a montibus Amanom & interius, est terra Israelis; Et insulæ, quæ conspiciuntur in mari, si ducatur linea a montibus Amanom usque ad fluvium Ægypti, quæ est intra filum, est terra Israelis, quæ extra filum, est extra terram. Quamnam regionem possederunt ascendentes a Babylonia? ab Chesib & interius a plaga orientali, ab Chesib & exterius usque ad Amana, & hæc est Ammon, usque ad fluvium, & is est fluvius Ægypti, non possederunt, neque ipsa urbe Chesib potiti sunt. Quænam est Syria? A terra Israelis & inferius Mesopotamiam versus, comprehenditque Syria totam ripam Euphratis usque ad Babyloniam, nempe Damascum, & Achleb, & Charan, & Magbab, & his similes; usque ad Sinhar & Zahar est Syria. Sed Aco est extra terram instar Ascalonis, & sunt fines terræ Israelis.

[41] *Sed eas inferre &c. Tosaphta Terumoth. cap. II.* 8. Quo pacto intelligitur, non esse delibandas primitias de frugibus terræ pro frugibus extra terram? Non desumendæ sunt primitiæ de frugibus terræ Israelis pro frugibus Syriæ, neque ex frugibus Syriæ pro frugibus terræ Israelis. *Tosaphta Scheviith cap. V.* 2. Non afferendæ sunt primitiæ, quæ sunt extra terram, in terram. Dixit Rabban filius Gamalielis; ego vidi Simeonem filium Chava bibentem vinum primitiarum in Aco, & dixit; hoc attuli ex Calchelaja, eique jusserunt, ut in navi biberet. *Maimonides ibidem cap.* II. 17. Non efferendæ sunt primitiæ terræ Israelis extra ipsam terram, etiamsi sint immundæ, nec inferenda est oblatio regionis, quæ est extra terram, in terram, quia immunda est propter terram gentium, nec comburenda est, ne dicant se vidisse comburi primitias, quæ non erant immundæ, nec iterum efferendæ sunt extra terram, ne dicant, elatas fuisse primitias extra terram, sed relinquuntur, donec omnibus nota immunditie polluantur, aut donec adveniat vigilia Paschatis, si fermentatæ essent, & tum comburebantur.

[42] *Jam ad usum humanum &c. Tosaphta Terumoth cap. III.* 11. Quonam tempore delibantur primitiæ ex area? quando (*frumentum*) purificaverit e palea; si partem areæ coacervaverit, ex coacervato delibabit primitias pro eo quod non est cumulatum. Quonam tempore delibantur primitiæ ex lacu? postquam in eo ambulaverint in stamen & subtegmen (idest in modum crucis.) A quo tempore polluunt postquam ex iis ablata sit prima decima, verba Scholæ Schammai; sed schola Hillelis dicit, postquam ablata sit secunda decima. Dixit R. Jehuda, decisio est juxta scholam Schammai; sed plerique secuti sunt sententiam Scolæ Hillelis. *Maimonides ibidem cap. V.* 5. Quodnam est tempus delibandi primitias ex area? Postquam purificaverit; si partem purificaverit, ex purificato delibantur pro non purificato, qui domum introducit spicas, ut earum fasciculos servet, ex ipsis spicis delibare potest. Quodnam est tempus delibandi ex lacu? postquam ambulaverit in longitudinem, & latitudinem. Quodnam est tempus delibandi oleum? Postquam oneraverit (*torcular super oleas.*)

[43] *Et sequitur illa &c. Tosaphta Terumoth cap. IV.* 10. qui prius separaverit primitias, quam primitiva, aut primam decimam priusquam primitias, aut secundam decimam ante primam quamvis violat præceptum negativum, quod fecit, recte fecit; sed prima non est comedenda, donec non delibaverit secundam, secunda non est edenda, donec non delibaverit primitias; quod primitiæ non impediunt primitiva. *Vide Maimonidem ibidem cap.* III. 23.

[44] *Quantitas non erat &c. Tosaphta Terumoth cap. V.* 3. Primitiarum ista proportio est; Schola Schammai dicit, oculus liberalis dat partem tricesimam, mediocris quadragesimam, avarus quinquagesimam. Schola Hillelis dicit, oculus liberalis dat partem quadragesimam, mediocris quinquagesimam, & avarus sexagesimam. R. Ismael dicit, dimidium ex profano, & dimidium ex primitiis, sed hac lege, ut profanum superet primitias. *Et nonnullis interjectis.* Dixit R. Jose; unde probatur, primitias constare debere ex parte quinquagesima? Ex versiculo, qui dicit. *Ex media quoque parte filiorum Israel accipies*

pies quinquagesimum caput hominum. Num. 31. 30. etiam id, quod ex alio loco accipio, est huic simile; sicut illud continebat partem quinquagesimam, etiam hoc partem quinquagesimam. Unde probatur, quod si delibans eduxerit partem sexagesimam, pro promitiis habetur? ex eo quod dicit. *Et hæ sunt primitiæ, quas tolletis, sextam partem Ephi de coro frumenti, & sextam partem Ephi de coro hordei*. Ezech. 45. 13. R. Ismael dicit ex urbibus Levitarum. *Maimonides cap. III. ibidem*. Primitiarum quantitas non definita est a Lege, quia textus dicit: *primitias frumenti, vini, & olei*. *Deut.* 18. 4. Quidlibet, vel unum frumenti granum cumulum potest liberare, sed de industria non delibabit nisi juxta proportionem, quam statuerunt sapientes, & his temporibus, quoniam *primitiæ* comburendæ sunt, parvam quantitatem de industria separabit. Quænam est proportio, quam statuerunt sapientes? Liberalis quadragesimam; mediocris quinquagesimam, avarus sexagesimam delibat, nec minus sexagesima dandum est.

45 *Dabantur hæc &c. At non Sacerdotibus indoctis. Mass. Chulin fol.* 130. 2. Unde probatur, quod Sacerdoti indocto nullum dent donum? Q. d. e. *Dixit Ezechias populo, habitatoribus Hierosolymorum, ut portionem Sacerdotum & Levitarum exhiberent, ut confirmare se possint, studendo, faciendo in Lege Domini*. Qui ergo Legi Dei gnaviter incumbit habet portionem, sin minus, non habet. *Ad hæc verba ita Tosephoth*. Illud obtinet, quando adest doctus Sacerdos, sin autem nullus adsit doctus, sed tantum indoctus ei dabit, nec exspectabit, donec obveniat ei doctus, prout vidimus in Massecheth Challa; hæc sunt quæ dari possunt, cuicumque libuerit, anathemata, primogenita, *nempe* & pretium redemtionis filii, & primogenitum asini, armus, maxilla, ventriculus, primitiæ lanæ sectæ &c. Ubi לכל כהן non est explicandum *illa dari posse* sive viris custodiæ, sive reliquis Sacerdotibus; nam in Gemara Hierosolymitana cap. שתי נשים dicitur, quod ex illis quædam cuivis Sacerdoti dentur, quædam vero viris custodiæ, *unde concludunt, viros custodiæ sub prioribus* לכל כהן *non posse comprehendi, quin opponantur*. Si itaque res se ita habeat, sequitur, quod לכל כהן *quod in Mass. Challah c.* 4. 9. habetur intelligendum ita sit *illa dona posse dari* sive Sacerdoti docto, sive indocto, scilicet, ubi non adest doctus, *indocto tum datur*, aut si adsit, dona tamen accipere nolit. *Tosaphta Terumoth cap*. VII. 6. Quemadmodum non dandæ sunt primitiæ nisi Sacerdoti docto, ita non solvenda est sors & quinta pars nisi Sacerdoti docto.

46 *In terra sancta &c. Maimonides Biccurim cap.* I. 6. Quænam sunt illa quinque dona, quibus in terra Sancta solum licebat uti? Primitiæ, primitiæ de decimis, placenta, quæ tria sancta sunt; primitiæ lanæ detonsæ, & ager possessionis, quæ duo vero profana sunt. Hæc quinque per Legem nisi in terra Sancta ipsis non competebant, nec primitias, placentasque terræ Sanctæ comedere nisi in ea poterant.

47 *A Sacerdotibus mundis &c. Siphri ad Num. cap.* 18. 13. *Qui mundus est in domo tua vescetur eis*. Deus paciscitur fœdus cum Aarone pro sanctitatibus levibus, ut tantum a mundis comedantur. *Maimonides cap.* VII. Sacerdoti immundo non licet comedere primitias sive immundas, sive mundas juxta versiculum qui dicit: *Homo de semine Aaron qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis non vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi*. Levit. 22. 4. Quænam est illa sanctitas, quæ comeditur ab universa prole Aaronis, tam a maribus, quam a fœminis? dicendum tibi est, quod agatur de primitiis; sed quisquis immundus, qui comedit primitias, reus est mortis per manum Dei, ideoque quadraginta plagis vapulat, juxta versiculum: *custodiant præcepta mea, ut non subjaceant peccato*. Ibid. vers. 9. Et immundus, qui comederet primitias immundas, quamvis violet præceptum negativum, non vapulat quadraginta plagis, quia non polluit sacrum. Immundi non possunt comedere primitias, nisi occiderit sol immunditiei suæ, & conspiciantur tres stellæ post occasum, juxta textum: *& occubuerit sol, tunc mundatus*, ut cœlum a luce purificetur, *vescetur de sanctificatis*. Ibid. vers. 7. Sacerdos mundus, qui comederet primitias immundas, non vapulat quadraginta plagis, quia præceptum affirmativum ejusdem versiculi est: *tunc . . . . vescetur de sanctificatis*; ex eo, quod est in sua sanctitate, potest comedere, quando se mundavit, sed quod est immundum, non debet comedere, quamvis sit mundus, & præceptum negativum, quod ab affirmativo deducitur, reputatur affirmativum.

48 *Nec illi tantum &c. Maimonides Biccurim cap.* I. 11. Ecce facile videbis dona fœminis juxta ac maribus data esse quinque numero, primitiæ, primitiæ decimarum, placenta, dona e pecudibus, & primitiæ detonsæ lanæ. Unde vero mihi evinces primitias lanæ sectæ datas quoque Sacerdotum fœminis? Ex eo quod scriptum est; *primitias frumenti, & vini, & olei, & lanarum partem ex ovium tonsione*. Deut. 18. 4. Quomodo res se cum primitiis frumenti habet? Absque dubio traditæ sunt fœminis æque ac maribus; ergo & primitiæ lanæ sectæ. *Idem Terumoth cap.VI.* Primitiæ, & primitiæ de decimis comedebantur a Sacerdotibus tam adultis, quam impuberibus, tam maribus, quam fœminis, & a servis Cananæis, & ab eorum pecudibus, juxta id quod dictum est: *quem autem Sacerdos emerit &c.* Levit. 22. 11. Servus Sacerdotis qui fugisset, & uxor Sacerdotis mortui de his comedere possunt.

49 *Et pecudes &c. Codex Terumoth cap.* XI. 9. Viciarum primitiis pascere licet pecudes, feras, gallinas. Israelita, qui mercede conduxit vaccam Sacerdotis, eam pascere potest viciarum primitiis. At Sacerdos, qui mercede conduxit vaccam Israelitæ, quamtumvis ad illum spectat pabulum præbere, non tamen eam pascet viciarum primitiis. Israelita qui vaccam partiariam a Sacerdote redemit, non eam pascet viciarum primitiis. At Sacerdos qui vaccam partiariam ab Israelita redemit, illam pascere potest viciarum primitiis. *Tosaphta Terumoth cap. X.* 4. Vacca Israelitæ, quæ peperisset primogenitum, potest pascere viciarum primitias. *Maimonides Terumoth cap.* IX. 7. Israelita, qui mercede conduxit bestiam Sacerdotis, potest eam pascere primitiis, & Sacerdos, qui mercede conduxisset bestiam Israelitæ, quamvis ad eum spectat pabulum ei præbere, non eam pascet primitiis, quia non est acquisitio argenti ejus. Israelita, qui vaccam partiariam ad saginandam a Sacerdote redemit, ut lucrum inter eos dividatur, non eam pascet primitiis, quamvis Sacerdos participet de lucro; sed Sacerdos qui vaccam partiariam ad saginandam ab Israelita redemisset, quamvis Israelita participet de lucro, quoniam ea vacca pertinet ad Sacerdotem, cum eam sibi æstimaverit, potest eam pascere primitiis. Vacca, quæ peperisset primogenitum, potest pascere primitiis, quoniam primogenitum spectat ad Sacerdotes.

50 *Erant intermediæ &c. Tosaphta Cagigah cap.* III. 2. Hæc graviora sunt in sanctitatibus, quam in primitiis; nam immergi possunt vasa in vasis, calices in calicibus, lances in lancibus in primitiis, sed non in sanctitate. Pro sanctitate potest reponere in canistro, aut cisea, & immergere. Aba Saul dicit, hoc modo faciebant in primitiis, at non in sanctitatibus. Exteriora, & interiora, & ansa in primitiis, at non in sanctitatibus. Dixit R. Jose, hic sermo est iteratus; omne quod habet exterius, & interius, habet etiam ansam, qui non habet exterius, & interius, non habet ansam. Qui attollit calceationem, attollit etiam primitias, at non sanctitatem. Quo pacto hoc intelligitur? Si ejus calcei essent immundi, & ferret vas primitiarum super humeros suos; sed ita fieri non potest in sanctitatibus. Vestimenta eorum, qui comedunt primitias, sunt calceatio pro sanctitate; nec est eadem conditio primitiarum ac Sanctitatum; gravior est conditio sanctitatum, quam conditio primitiarum, quia pro sanctitatibus immergit, exsiccat, deinde colligat, & pro primitiis ligat, deinde immergit; eadem est conditio in hoc tam sanctitatum Sanctuarii, quam provinciæ. Vasa quæ perfecta sunt cum puritate etiam in atrio indigent immersione pro sanctitate, sed non pro primitiis; quomodo hoc intelligitur? Simila, quæ commixta esset, & contacta esset ab eo, qui lavandus est eodem die, tota interdicitur, in primitiis non interdicitur nisi ea pars, quæ tacta est; pavimentum conjungit nec sanctitates, nec primitias. Vas conjungit, quod in eo continetur, pro sanctitatibus, sed non pro primitiis. Quartus gradus pro sanctitate reprobus est, & tertius pro primitiis. Et in primitiis si altera ex ejus manibus polluta esset, altera pura est, sed in sanctitate ambæ una simul immergendæ sunt, ne immer-

mergat puram seorsim, & immundam seorsim, sed ambas una simul immerget. *Et nonnullis interjectis*. Comedi possunt manibus immundis cibi sicci primitiarum, sed non sanctitatum. Dixit R. Chananja filius Antigoni: estne aliquid sicci in sanctitate? At poterit furcilla, vel ligno manducare olivas, aut cæpas primitiarum, non vero cibos sanctitatis. Hæc graviora sunt in sanctitate, quam in primitiis, & in aquis expiatoriis, quod omnes sunt fide digni pro aquis expiatoriis, sed omnes non sunt fide digni pro sanctitate, & pro primitiis; hæc graviora sunt in aquis expiatoriis quia, qui purus est pro sanctitate & pro primitiis, est immundus pro aquis expiatoriis. Lugenti in primo die non licet comedere decimam, & permissæ sunt primitiæ, & licitum est in vacca rufa; lavando eodem die interdicitur pro primitiis, & permittitur in decima, & in vacca rufa; expiatione indigenti interdicitur in vacca rufa, & permittuntur decimæ, & primitiæ. Dixit R. Jose; unde probatur quod quartus gradus in sanctitate sit interdictus? argumento, si expiatione indigenti, cui non interdicuntur primitiæ, interdicitur sanctitas, quartus gradus qui interdicitur in primitiis, non erit æquum, ut in sanctitatibus quoque interdicatur? docemur tertium gradum a sacro textu, & quartum ex argumento a minori ad majus. *Maimonides ad cap. I. 1. Codicis Berachoth; a tempore quo Sacerdotes intrant ad edendam oblationem primam*, id intelligendum est de Sacerdotibus immundis, qui se laverant, postea intrantibus ad comedendam oblationem primam; hoc vero fieri nequit nisi finito jam die juxta id quod Scriptura dicit: *De omni qui se purificaverit ab immunditie sua, immundus erit usque ad vesperam, & non vescetur ex his quæ sanctificata sunt mihi*. Levit. 22. 7. Ratio vero, quare Misna dicit: *a tempore quo Sacerdotes ingrediuntur ad edendum &c.* non vero dixit a tempore, quo exoriuntur stellæ, quod idem est, hæc est, ut eo modo nos doceat, Sacerdoti immundo postquam se laverit, licitum esse comedere oblationem suam primam post solis occasum; si vero expiatione illa nondum usus fuerit, sed demum post profluvium & lepræ perfectionem die jam præterito, non proderit ipsi lotio, nisi obtulerit sacrificium, quod insequenti die debet, quo docet licitum esse comedere oblationem antequam obtulerit sacrificia illa, quatenus non adeo ejus oblationis, quam quidem solis occasus rationem habuit Misna.

[51] *Filiæ Sacerdotis &c. Maimonides Terumoth cap. VII. 7. Si filia Sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit, de his quæ sanctificata sunt, & de primitiis*. Duæ res comprehenduntur in hoc præcepto negativo, si nuberet, cui non licet, & fieret scortum, aut profana, uti explicatum est in prohibitis congressibus, in perpetuum primitiis vesci prohibetur, juxta legem cujusque profani, quia profanus est similis alienigenæ in omnibus rebus; & si nuberet Israelitæ, prohibetur vesci ablatione Sanctitatum, nempe pectore, & armo in perpetuum, quamvis eam repudiaverit, aut mortuus fuerit, sed potest edere primitias, postquam ab Israelita acceperit repudium, aut ipse sine filiis mortuus sit, juxta dictum: *Sin autem vidua vel repudiata, & absque liberis reversa fuerit ad domum patris sui, sicut puella consueverat, aletur cibis patris sui*. Ibid. vers. 13. Traditione habetur, *cibis*, non de cunctis cibis; iterum edet primitias, at non pectus, & armum. Non solum filia Sacerdotis, sed etiam filia Levitæ, & Israelitæ, quæ nupsisset ei, a cujus congressu prohibetur, quoniam facta est scortum, prohibetur in perpetuum vesci primitiis, quamvis ei ab Sacerdote proles esset. *Et nonnullis interjectis*. Filia Sacerdotis, quæ Israelitæ nubit, eique parit filium, & deinde nubit Sacerdoti potest vesci primitiis; si moritur, ex eoque habuerit filium, potest edere primitias; si moritur filius, quem ex Sacerdote genuit, non ei licet vesci primitiis; si moriatur filius, quem ex Israelita genuerit, revertitur domum patris sui, sicut puella consueverat, & primitiis vescitur, non vero pectore, & armo. *Moses Kotzensis præcept. negat.* 256. Mulier profana a comestione rerum sanctarum arcetur, Q. S. E. *Si filia Sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit, de his quæ sanctificata sunt, & de primitiis non vescentur*. Levit. 22. 12. Atque hoc interdictum duo complectitur negotia; *Si filia Sacerdotis*, a quopiam vitietur, & scortum ac profana fiat, ista quidem primitiis æternum vesci prohibetur, sic etiam de profanatis obtinet, ut per omnia irreligiosis æquiparentur. Quod si *filia Sacerdotis* nubat Judæo laico; tum ad sanctiarum rerum, pectoris puta & armi comestionem haud amplius admittitur, etiamsi maxime repudium passa, aut vidua sit; interim tamen in his casibus, primitias comedendi jus recipit, modo liberos nullos habeat superstites; sic enim S. E. *Sin autem vel vidua, vel repudiata, & absque liberis &c. aletur cibis patris sui*. Ubi monentibus sapientibus in Jevamoth cap. 9. notanter dictum *de cibis*, non vero *omnem cibum*, ut nimirum primitiarum comestio concessa, armi vero & pectoris prohibita innuatur. Neque filiæ Sacerdotum tantum sed, & Levitarum, aut communium Judæorum filiæ, si vitium passæ sint, & scortatione se polluerint, in perpetuum a comestione primitiarum arceantur, quamvis liberos a Sacerdotibus habeant superstites.

[52] *Sed filia Israelitæ &c. Siphri ad cap. XVIII. II. Qui mundus est in domo tua vescetur eis*; ad includendam filiam Israelitæ Sacerdoti desponsatam, ut concedere possit primitias: quomodo intelligis includere desponsatam? at ego solummodo nuptam includam; quando dictum est: *qui mundus est in domo tua, vescetur eis*, tunc agitur de nupta; quid igitur iterum dicit: *qui mundus est in domo tua vescetur eis*? ad includendam filiam Israelitæ desponsatam Sacerdoti, ut possit comedere primitias. *Et nonnullis interjectis*. Et jam misit R. Jochanan ad R. Jehudam in Nesibim, eique dixit; abs te audivi, quod dicebas de filia Israelitæ desponsata Sacerdoti, quod comedat primitias; ei significavit; ego mihi persuadeo, quod mysteria Legis calleas; an nescis argumentari a minori ad majus? Si servam Cananæam, quam concubitu non acquirit, ut primitias comedat, eam argento suo acquirit, ut eam faciat comedere de primitiis; filiam Israelitæ quam suo congressu acquirit, ut comedat primitias, non erit æquum, ut suo argento acquirat, ut eam faciat de primitiis comedere? At quid mihi faciendum est? nam sapientes dixerunt; filia Israelitæ desponsata non comedit de primitiis, nisi in thalamum nuptialem introducta fuerit; quando in thalamum nuptialem introducta fuit, quamvis cum eo non coiverit, comedit de primitiis, & si moriatur, maritus est ejus hæres.

[53] *Etiam servi ejus &c. Tosaphta Jevomoth cap. IX*. Fila Israelitæ si nupserit Sacerdoti, eique adduxerit servos usuarios, & servos gregis & ferri, servi gregis, & ferri comedent de bonis ejus (*id est de bonis fœminæ*) & servi usuarii comedent de bonis ejus (*id est de bonis Sacerdotis*). Hi sunt servi gregis, & ferri, si diminuantur, aut multiplicentur, diminuuntur, ac multiplicantur pro illa, si pro nummis adduxerit, pro nummis accipiet, si minorennes erant, pro adultis accipiet, si adulti, pro senibus accipiet; utrorumque fructus pertinent ad maritum, & maritus obligatur ad utrorumque alimenta; neutri licet vendere; viro non licet vendere, quia sunt bona uxoris, nec mulieri licet vendere, quia fructus pertinent ad maritum. Si moriatur absque liberis, servi usuarii non possunt comedere (de primitiis) quemadmodum ipsa non comedit; servi vero gregis & ferri comedunt, qui sunt in potestate hæredum, usque dum ei restitituantur; si filios superstites reliquerit, utrique comedunt, si gravidam reliquerit, neutri comedunt, si filios superstites reliquerit, atque ipsa foret gravida, servi usuarii comedunt, quemadmodum ipsa comedit, servi gregis & ferri non comedunt propter partem, quam habet fœtus in iis. R. Ismael filius R. Jose dicit nomine sui patris, filia facit comedere, & hæredes non faciunt comedere; R. Simeon dicit, si omnes sint mares, edunt, si fœminæ, non comedunt; accidere potest, quod fœtus sit mas, & ubi sit mas, fœmina non possidet. Filia Sacerdotis, quæ nupserit Israelitæ, eique adduxerit servos usuarios, & servos gregis, & ferri, & absque liberis mortuus esset, servi usuarii, quemadmodum ipsa edit, comedunt, & servi gregis & ferri non comedunt, quia sunt in potestate hæredum, usque dum ei restituantur. *Siphra ad cap. XXII. 22. Levit*. Unde probatur, quod si sacerdos uxorem duxisset, & emisset servos, possint comedere de primitiis? ex eo quod dicit; *quem autem sacerdos emerit*. Et unde probatur, quod si mulier acquisivisset servos, aut servi alios servos, possint comedere de primitiis? ex eo quod dicit,

cit, *quem autem sacerdos emerit* ; etiam ejus acquisitio, quæ acquisivisset, comedit. Dicerem, etiamsi acquisivisset servum Hebræum, quod posset comedere de primitiis sacerdotalibus; idcirco dicit, *quem emerit;* excluditur servus Hebræus, qui pecunia non redimitur. Excludam servum Hebræum, qui pecunia non redimitur, & non excludam servum duorum sociorum? idcirco dicit, *pecunia*; excludit partim servum, & partim liberum. *Maimonides Terumoth cap.* VII. 17. Si filia Israelitæ sacerdoti nupserit, eique servos tam gregis & ferri, quam usuarios adduxerit, possunt comedere de primitiis, & pariter servi, qui acquisivissent alios servos, atque item servi uxoris, qui acquisivissent alios servos possunt comedere, juxta versiculum: *Quem autem sacerdos emerit, etiam acquisitus ex acquisito*, & acquisitus, qui comedit, facit alios comedere. Si filia sacerdotis nupserit Israelitæ, eique adduxerit servos tam gregis & ferri, quam usuarios, non comedent de primitiis. *Et cap. VIII.* 4. Si filia Israelitæ sacerdoti nupserit, atque gravida relicta fuerit, ejus servi fœtus causa de primitiis comedere non possunt, quia natus est ille, qui facit comedere, & qui nondum natus est, non facit comedere; idcircos si fœtus esset profanus, non excludit servos, sed causa fratrum legitimorum possunt comedere, donec profanus natus fuerit, & tum servi comedere prohibentur.

[54] *Præterea &c. Maimonides ibidem cap. VIII.* 15. Mulier nupta, contra quam venerint testes Zelotypiæ, & testes, qui eam delituisse asseverent, a comestione primitiarum prohibetur, donec bibat aquas amaras; quia dubitatur an sit scortum necne; si cum marito concubuerit antequam bibat, aut esset una ex iis mulieribus, quæ non bibunt, neque dotem accipiunt, de primitiis in perpetuum comedere non potest; & quælibet uxor sacerdotis, quæ fateretur, quod esset immunda, a primitiarum comestione prohibetur.

[55] *Ex dactylis mel &c. Maimonides Terumoth cap. XI.* 2. Non licet facere de dactylis mel, nec de malis vinum, nec acetum ex uvis brumalibus, atque reliquos omnes fructus non licet a natura sua pervertere, præter uvas & olivas dumtaxat; si prævaricatus esset, & fecisset ex cibo liquorem, potest ex eo bibere, & alienus qui comederet mel dactylorum, & vinum malorum, & alia hujusmodi ex ignorantia, non tenetur solvere, & si de industria comederit, contumaciæ verberibus vapulat.

CAPUT NONUM.

De Decimis.

§. I. Decimarum nomina & species 4.

I. [1] ABlatis primitiis reliquum acervum fructuum lustrabat dominus, & decimam partem inde decerptam Levitis dabat quibus vellet. *Num.* 18: 21. Hæc מעשר *decimæ*, & מעשר ראשון, sive δεκάτη πρώτη *decimæ primæ* nuncupabatur, respectu decimarum secundarum quas ipsi domini comedebant. Ex his decimis primis Levitæ decimam partem pendebant sacerdotibus, quæ תרומת מעשר, sive מעשר מן המעשר *ablatio decimarum* vel *decimæ e decimis*, dicebantur. Tum dominus ex reliqua massa alias decimas separare debebat easque Hierosolymis comedere, quæ sunt מעשר שני *decimæ secundæ*. Hæ quum anno tertio & sexto ab anno sabbathico non comederentur Hierosolymis, pauperibus dari solebant, dictæ מעשר עני *decimæ pauperum*. Sic ut quatuor hinc nascantur species decimarum. 1. *Decimæ primæ*. 2. *Decimæ e decimis*. 3. *Decimæ secundæ*. 4. *Decimæ pauperum*.

§. II. Decimæ primæ quæ.

II. Singulis annis, excepto anno sabbathico decimæ primæ solvebantur de omni proventu terræ, videlicet Israeliticæ, [2] & 4 regionum vicinarum, Babyloniæ, Ægypti, Ammon & Moab, secundum constitutiones doctorum: ceteroquin enim חוצה לארץ extra terram נפטרו מן המעשרות *liberi sunt a decimis*. *Echa Rabbati*. 57. 3. *Midrasch Ruth*. 47: 4. [3] Proventum intellige qui in escam cedit & custoditur *Maaseroth*. 1: 1. [4] etiam siliquas, oryzam, cuminum, ex institutis scribarum. *Demai*. 11. 1. *Matth.* 23. 23. De tribus fructibus præcipuis nuncupantur *Nehem.* 13. 5. 12. decimæ frumenti, musti, & olei.

§. III. Quibus dandæ.

III. [5] Levitis dabantur *Num.* 18. 21. *Nehem.* 13. 5. 10. qui eas comedebant; nec ii tantum, sed & uxores eorum ac liberi. Tobias scribit *cap.* 1. 7. se πρώτην δεκάτην dedisse sacerdotibus τοῖς υἱοῖς Ἀαρὼν τοῖς θεραπεύουσιν ἐν Ἱερουσαλήμ. [6] Quod non convenit cum prima Dei institutione, qua Levitis decimæ primæ assignatæ sunt. Sed in Hebræo libro Tobiæ dicitur, מעשרות *decimas* & primogenita (animantum, ut videtur) ad sacerdotes detulisse, & frumentum, vinum &c. ad Levitas, ac decimas secundas tertiasque dedisse peregrinis & pupillis. Quia autem hæ decimæ חולין, non sanctæ habebantur, [7] negligentiores fuere in his solvendis Judæi, & licet primitias, תרומות, studiose solverent, quarum neglectus pœnam כרת, sive excidii, mereretur, vendebant sæpe fruges non decimatas pro decimatis *Gem. Hier. Maaser Scheni*. 56.

§. IV. Illustratur Hebr. 7. 5.

IV. Quæri hoc loco potest de sensu verborum Pauli *Hebr.* 7. 5. Οἱ ἐκ τῶν υἱῶν Λευὶ τὴν ἱερατείαν λαμβάνοντες *mandatum habent accipiendarum decimarum a populo*. Ubi non Levitis sed sacerdotibus decimæ videntur tribui. Dici posset respici hic ad decimas, quas Levitæ dabant sacerdotibus, ita ut populus sacerdotibus per Levitas decimas solveret, quemadmodum Deus ipse primitias accipere dicitur, quæ sacerdotibus dabantur, in *Gem. Sanhedrin*. 39. 1. At videtur potius hic agi de Levitis ipsis, sic ut *illi qui ex filiis Levi sunt*, intelligantur esse Levitæ *quorum tribui jura sacerdotii concessa sunt*, sive

τὴν ἱερατείαν λαμβάνοντες, qui jus habent ad decimas. Nam commate 14. tribui Leviticæ ſacerdotium a Moſe tributum memorat, & commate *9. Levi* ſcribit *decimas accipere*. Ita in Targum *Hieroſ. Gen.* 25. 31. legitur pontificatum maximum datum tribui Levi איתיהיבת כהונתא רבתא לשיבתא לוי & *Joſ.* 8. 7. Sacerdotium eſſe hæreditatem Levitarum. Nec dubium eſſe poteſt, quin Levitæ illi fuerint, quibus Deus mandaverit decimas a populo accipere, non ſacerdotes: etiamſi, ut Judæi tradunt, in *Gem. Ketuvoth.* 26. 1. ſtante templo II, [8] decimas Levitis aliquando non dederint, vetante hoc Ezra, ſed ſacerdotibus. Hic autem agit Paulus non de conſuetudine, ſed de mandato Dei, quo certe Levitæ ad decimas jus acceperunt.

§. V. Decimæ e decimis.

V. [9] Ex his decimis Levitæ ſacerdotibus decimas pendebant, ſecundum mandatum Dei *Num.* 18. 26. *Nehem.* 10. 38. ubi illæ ad templum delatæ fuiſſe dicuntur (uti & in libro Tobiæ *cap.* 15. 19. legitur δεκάτας τῶν γεννημάτων Hieroſolymas fuiſſe delatas) quum tamen Judæi velint licuiſſe eas dare cuicunque ſacerdoti aliquis vellet, quod ad conſuetudinem, non jus, referri debet, & ad illa tempora ſpectare videtur ad augendam ſacerdotum in templo frequentiam, utque eo magis templo adhærerent, uti commate ultimo ejus capitis monetur. Solebant enim a templo auſugere quod illuc debita munera non afferrentur: id de Levitis notatur *Nehem.* 13. 10; ſæpe enim cibus deerat ſacerdotibus atque ideo decimæ jubentur afferri ad templum ut ſacerdotes haberent quod ederent. *Maleach.* 3. 10. Et Chizkias conclavia paravit ad eundem uſum in templo. 2. *Chron.* 31. 11. Quod ſi decimis carerent ſacerdotes, ſæpe contingebat eos fame enecari, teſte Joſepho *Ant.* XX. 8. Has Hieronymus *comment. ad Ezech.* 45. *p.* 1040. δευτεροδεκάδας appellat, ſive *decimas ſecundas*: quo nomine Judæi aliter utuntur, uti §. ſequenti videre eſt. Nec tamen erat neceſſarium ut Levita has decimas ipſe ſacerdoti daret: [10] poterat id Iſraelita facere & portionem Levitis dandam ea parte imminuere. Sic David legitur dediſſe ſacerdoti Iræ Jairitæ decimas, quapropter volunt 2. *Sam.* 20. 26. dici illum fuiſſe לו, Davidi, ſacerdotem, cui David dona daret, non aliis.

§. VI. Decimæ ſecundæ.

VI. [11] Decimæ autem ſecundæ [12] Hieroſolymis a domino (qui ſolebat ſacerdotes & Levitas in convivium adſciſcere) debuerunt comedi [13] nec in luctu [14] nec immunditie. *Deut.* 12. 17. & 14. 27. vel dum tabernaculum Schilunte fuit, [15] in omni loco unde Schilo conſpici potuit, uti Judæi tradunt in *Megilla.* 1. 11. [16] Non licuit pretium earum aliis rebus impendere quam cibo, potui, vel unctioni. *Scheviith.* VIII. 2. [17] Tobias teſtatur ſe decimas ſecundas vendere conſueviſſe, & pretium earum Hieroſolymis quotannis impendiſſe. *Tob.* 1. 7. *Maaſer ſcheni.* 1. 7. & 11. in quo codice hoc argumentum copioſe illuſtratur. Decimis his adnumeratur [18] fructus plantæ quarti anni, Hieroſolymis uti decimæ ſecundæ comedendus. *Lev.* 19. 24. *Maaſer ſcheni* V. 1. *Gem. Hier. Pea.* 20. 3. *Siphra fol.* * 210. 1.

§. VII. Decimæ pauperum, & eorum privilegia.

VII. Ad decimas pauperum, πτωχοδεκάδας dictas Hieronymo, non tantum Iſraelitæ ſed ſacerdotes & Levitæ tenebantur, quia videlicet urbes ſuas ערי כנרש habebant. [19] Has præter decimas ſecundas perſolutas fuiſſe, uti δεκάτην τρίτην, Joſephus videtur putaſſe *Antiqu.* IV. 8. Erat hoc unum [20] ex quinque privilegiis quæ Deus pauperibus conceſſerat, quorum primum hoc erat, [21] alterum פאה. *angulus* agri non metendus ſed relinquendus iis. *Lev.* 19. 9. (confer *Maſſecheth Pea.*) tertium, [22] ſpicæ decidentes, לקט *Levit.* 19. 9. quartum [23] uvæ cadentes *ibid. comm.* 10. quintum, [24] manipulus per oblivionem in agro relictus, uti & olivæ. *Deut.* 24. 19. Confer *Pirke Avoth.* V. 9. In *Siphra fol.* * 202. 1. legitur ſi [25] quis Ethnicus meſſe ſegetis ſuæ peracta proſelytus fieret, non teneretur ad hæc tria, הלקט והשכחה ופאה,

§. VIII. Confeſſio decimarum.

VIII. Omnibus his rite & legitime ablatis [26] confeſſionem decimarum הדיית המעשר edebat dominus, quæ extat *Deut.* 26. 13. [27] quamque abrogavit Jochanam P. M. *Sota.* IX. 10. *Maaſer ſcheni.* V. 15. quia in illa occurrunt hæc verba: *dedi Levitis....* & *ſecundum omnia quæ præcepiſti mihi*: quod vere dicere non poterant, quia Ezras conſtituerat (ita Judæi ſcribunt, ſed alii negant) ne Levitis decimæ darentur ſed ſacerdotibus, quia recuſabant cum ipſo Hieroſolymas adſcendere. *Ezr.* 8. 5.

COM-

COMMENTARIUM IN CAPUT NONUM.

[1] **A**blatis primitiis *&c. Maimonides de donis pauperum cap. I.* 1. Hic autem est ordo Trumarum, & Decimarum. Postquam aliquis messuerit semina terræ, vel collegerit fructus arboris, & perfecerit opus circa ea, separabit ex iis unam quinquagesimam *partem* & hæc vocatur truma magna, eamque dabit sacerdoti, & de hac dictum est in Lege: *primitias frumenti, & vini, & olei. Deut.* 18. 4. & deinde separabit e residuo unam decimam partem, & hæc vocatur Decima prima, eamque dabit Levitis, & de hac dictum est in Lege: *Decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum & necessaria separavi.* Num. 18. 24. & insuper de iisdem dictum est: *Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem.* Num. 18. 21. & postea separabit e residuo aliam Decimam partem, & hæc vocatur Decima secunda, & æque erunt pro ipsis proprietariis, qui comedent eas Hierosolymis, de illisque dictum est: *Si quis autem voluerit redimere decimas suas &c.* Levit. 27. 31. Itemque de illis dictum est: *Decimam partem separabis &c. & comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit.* Deut. 14. 22. 23. Juxta hunc ordinem tenentur *Israelitæ* separare anno primo Heptæteridis, & secundo, & quarto, sed anno tertio, & sexto heptæteridis, postquam separaverint decimas primas, separabunt e residuo alias decimas, & dabunt pauperibus, & hæ vocantur decimæ pauperum, in iisque duobus annis non erunt decimæ secundæ, *sed in eorum loco* decimæ pauperum, & de iis dictum est: *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones intra januas tuas, venietque Levites* &c. Deut. 14. 28. 29. Itemque de his dictum est: *quando compleveris decimam &c.* Deut. 26. 12.

[2] *Et 4. regionum &c. Maimonides Terumoth cap. I.* Primitiæ & Decimæ non observantur nisi tantum in terra Israelis ex præcepto Legis vel stante, vel disturbata sancta domo; & Prophetæ decreverunt, ut sint observandæ in terra Babyloniæ, quæ proxima est terræ Israelis, & major pars Israelitarum inde ultro, citroque commeant; & primi sapientes constituerunt, ut observandæ sint in terris Ægypti, & in terris Ammon, & Moab, quæ sunt finitimæ terræ Israelis. *Gemara Jevamoth fol.* 16. 1. Ammon, & Moab decimant decimam pauperum anno septimo &c. *Ubi Glossa.* Ammon & Moab sunt Israelitæ, qui habitarunt in terra Ammon, & Moab, quam cepit Moses a Sichone, & sancta erat terra ista secundum sanctitatem terræ Israeliticæ. At vero sub templo secundo, sanctitas ejus cessavit. Servat ergo eam anno septimo, & statuunt inde decimam primam, & decimam pauperum anno septimo ob sustentationem pauperum, quibus non est angulus agri relictus, nec spicilegium isto anno. Illuc ergo se recipiunt pauperes, atque illic habent angulum relictum, & spicilegium, & decimam pauperum.

[3] *Proventum intellige &c. etiam de angulo, & de primitiis hæc decreverunt. Codex Peah cap. I.* 4. Regulam generalem de angulo tradiderunt. Quodcumque in escam cedit, & custoditur, & e terra incrementum habet, & simul colligitur, reconditurque ut servetur, tenetur de angulo. Atque hac regula comprehenduntur frumentum, & legumina. *Maimonides Terumoth cap. II.* 1. Quodcumque in escam cedit, & custoditur, & e terra incrementum habet, tenetur de primitiis; & præceptum affirmativum est, ut ex his sacerdoti principium delibetur, juxta versiculum qui dicit: *primitias frumenti, & vini, & olei.* Deut. 18. 4. Quemadmodum frumentum, vinum, & oleum est cibus hominum, & e terra incrementum habet, & custoditur, quia dictum est: *frumenti tui*, etiam reliqua omnia his similia obligabuntur ad primitias, & ad decimas.

[4] *Etiam siliquas &c. Maimonides Maaeseroth cap. I.* 9. Siliquæ non obligantur ad decimas nisi sapientum decreto, quia non sunt cibus hominum.

[5] *Levitis dabantur &c. Maimonides ibidem cap. I.* 2. Et decima hæc cedit Levitis masculis, & fœminis, q. d. (Num. 18. 21.) *Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem.*

[6] *Quod non convenit &c. Bartenora ad cap. IX.* 10. *Sotah. Confessionem decimarum*, quæ extat Deut. 26. 13. Nam Esdra hanc multam inflixit Levitis, ne illis darent decimas post captivitatem, quia filii Levitarum non ascenderant cum ipso e captivitate, & præcepit, ut decimas solverent sacerdoti. *Maimonides ad cap. V.* 15. *Codicis Maaser Scheni. Abrogavit confessionem decimarum*, quia eo tempore dicere non poterant: *non præterivi mandata tua, nec sum oblitus imperii tui.* Deut. 26. 13. eo quod Deus benedictus mandavit ut decimæ primæ darentur Levitis, & illi eo tempore darent eas sacerdotibus. Hoc autem factum est e senatus decreto Esdra scriba, ut scriptum est Esdræ. 8. 15. *quæsivique in populo, & in sacerdotibus de filiis Levi, & non inveni ibi*; pœnam ergo imposuit ipsis Esdra, nequis ipsis daret decimas, sed ut illi darent sacerdotibus decimas.

[7] *Negligentiores &c. Tosaphta Sotah cap. XIII.* 16. Is (*id est Jochanan Pontifex maximus*) etiam decrevit pro re certa non decimata, & antiquavit dubiam, quia misit in omnes civitates Israelis, deprehenditque non segregare nisi oblationem magnam; decimam vero, & secundam decimam alios segregare, alios non segregare. Eis dixit Jochanam summus Pontifex, quoniam neglectus oblationis magnæ involvit pœnam mortis, & separatio decimæ illibatæ involvit pœnam mortis, quisque separet Trumam de decimis, eamque det sacerdoti, & decimam secundam nummis profanam faciat; reliquum vero decimæ, & decimam pauperis qui sibi concedi postulat, huic afferenda probatio est. *Gemara ad cap. IX.* 10. *Codicis Sotah.* Jochanam Pontifex decimationi dubiæ nullum amplius locum reliquit; cum enim per universam Judæam misisset, deprehendit, omnes quidem segregare ablationem magnam, sed decimas primas, & decimas secundas aliquot separare, ab aliquibus vero id negligi. Quamobrem, o mei, inquiebat; nam attendite, id vobis assevero, æque ac intermissio ablationis magnæ reatum capitalem involvit, ita pariter, si decimarum decimæ simul cum decimis primis & secundis non separentur, idem reatus contrahitur. Ergo hanc Legem fecit; Quisquis fructus e plebejo homine emat, inde separare tenetur & primas, & secundas decimas. Primarum decimarum rursus facienda est decimatio, quæ sacerdotibus cedit, decimas secundas Hierosolymis comedere oportet; cæterum ipsas primas decimas, itemque pauperum decimas qui sibi concedi postulat, huic afferenda probatio est. *Maimonides Maas. Scheni cap. IX.* 1. In diebus Jochananis Pontificis M. qui floruit post Simeonem Justum, emisit Synhedrium magnum ad inquirendum (*de decimis*) in singulas provincias terræ Israelis, invenitque omnes quoad separationem Trumæ magnæ diligentes esse, verum decimam primam, secundam, & pauperis vulgus non separabat, sed sibi ipsi retinebat; idcirco postea decretum erat, nullis in decimis tribuendam esse fidem, nisi hominibus fide dignis, fructus vero plebejorum, seu vulgi semper, pro dubiis habendos esse; quibus idcirco dicentibus; hi aut illi fructus sunt decimati, non habebatur fides, quorum inde fructus דמאי *dubii* vocabantur. Porro decretum fuerat, ne e re dubia separarent nisi Trumam decimarum, eo quod (*si segregatio ejus intermitteretur*) morte afficiebatur; similiter secundam quoque decimam, nam inde dominis nullum accidit damnum, quippe qui eam ipsi comedunt, sed decimam primam, & pauperis e Demai vulgus non separabat; & ita consequenter Levitæ vel pauperi dicere poterat, proba mihi illos fructus non esse decimatos, & tunc accipe decimas.

[8] *Decimas Levitis &c. Maimonides Maas. cap. I.* 4. Non potest eripi a manibus sacerdotum decima, juxta id quod dictum est: *Cum acceperitis a filiis Israel.* Num. 18. 26. Et pariter non reliqua omnia dona sacerdotii non reptebantur ab uno sacerdote, ut alteri darentur. Et Esdra pœna affecit Levitas suo tempore, ne iis amplius darentur decimæ primæ, sed sacerdotibus darentur, qui secum non jerant Hierosolymam.

[9] *Ex his decimis &c. Abarbanel in Leg. fol.* 242. 3. Et

Et quum decima prima Levitis data sit loco hæreditatis ipsorum, idcirco oportebat quoque eos oblationem facere Domino, quæ ipsa nihil aliud est, quam de decima decimam solvere sacerdotibus, & quæ vocatur Truma Decimæ. Et verborum (num. 18. 26.) *ut reputetur vobis* scil. Levitis, sensus hic est: oblationem hanc quam daturi sint sacerdotibus de decima ab Israelitis accepta, perinde Levitis æstimatum iri, ac oblationem areæ, hoc est, uti Israelita tenetur Trumam magnam dare de area & torculari, ita obligatur quoque Levita dare oblationem decimæ, quemadmodum Israelita Trumam magnam ex area & torculari.

[10] *Poterat id Israelita &c. Maimonides Terumoth cap. III.* 12. Præceptum est de Thruma decimarum ut illam separet filius Levi de decimis suis; Q. D. (Num. 18.) *cum acceperitis decimas a filiis Israel*; poterat tamen illam quoque separare Israelita, atque Sacerdoti dare, solvitque decimam Levitæ postquam separavit de illis Thrumam suam, & hæc est decima e decimis.

[11] *Decimæ autem secundæ &c. Maimonides Maas. Scheni cap. I.* 1. Postquam separaverit primam decimam singulis annis, separanda est secunda decima juxta præceptum: עשר תעשר את כל תבאת זרעך, *decimando decimabis de cunctis fructibus tuis*. Deut. 14. 22. & tertio & sexto anno separanda est decima pauperis loco secundæ decimæ, sicuti explicatum est.

[12] *Hierosolymis &c. Tosaphta Maas. Scheni cap. I.* 15. Arbor quæ consistit intra, & ejus rami se extra inclinant, ejus secunda decima redimitur, si ejus ramus intra inclinasset, ejus secunda decima non redimitur, si extra consistebat, & ejus ramus intra se inclinaret, ejus secunda decima non redimitur, si extra iterum inclinasset, ejus secunda decima redimitur. Domicilia torcularium, quorum portæ fuerint interius, & concavitas exterius: Schola Schammai dicit, non potest in iis redimi secunda decima, habentur ut intra, nec in iis possunt comedi sanctitates leves, & habentur ut extra; & Schola Hillelis dicit, e regione muri, & interius, habetur ut intra; e regione muri & exterius, habetur ut extra. Dixit R. Jose, hoc modo legebat R. Akiba, sed antiqua lectio erat hujusmodi. Schola Schammai dicit, non potest in iis redimi secunda decima, quia habentur ut intra, nec possunt in iis comedi sanctitates leves, quia habentur ut extra; & Schola Hillelis dicit habentur ut conclavia, quorum si porta sit interius, habentur ut intra, & quorum porta si sit exterius, habentur ut extra. Conclavia ædificata in loco sancto, & aperta in profanum, interius est profanum, & tectum est sacrum, possunt in iis comedi sanctitates sanctitatum, & non possunt in iis mactari sanctitates leves, nec propter immunditiem pœna afficiuntur; si ædificata essent in profano, & aperta in sacrum, quamvis non ita servarentur, eorum vacuum erat sacrum, & tectum profanum, poterant in iis comedi sanctitates sanctitatum, & poterant in iis mactari sanctitates leves, & propter immunditiem in iis rei erant; si ædificata essent in sacro, & aperta in sacrum, & in profanum, tota sunt sacra; si ædificata essent in profano, & aperta in sacrum & in profanum, tota erant profana; si ædificata essent in sacro & in profano, & aperta in sacrum, & in profanum, quemadmodum erat domus incendii, eorum vacuum, & tecta e regione sacri, & versus sacrum, erant sacra, & e regione profani, & in profanum, erant profana. In comedendis sanctitatibus, habebatur ratio januæ, respectu immunditiei habebatur ratio e regione parietis; pro spatio interiori, portæ ratio habebatur. Si ædificata essent in mœnibus Hierosolymæ, poterant in iis comedi sanctitates sanctitatum, at ibi non possunt mactari sanctitates leves; si ædificata essent in atrii muro, possunt ibi mactari sanctitates leves, at ibi decima secunda redimi non potest. Domus, quæ ædificata esset in pariete; R. Jehuda dicit, habetur perinde ac extra condita esset, R. Simeon dicit: habetur perinde ac intra existeret. Omnia conclavia condita erant in sacro. *Maimonides Maas. Scheni cap. II.* Secunda decima edebatur a suis dominis intra mœnia Hierosolymæ, juxta versiculum qui dicit: *& comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit, ut in eo nomen illius invocetur &c.* Et hoc observatur tam stante quam disturbata sancta domo; sed non comeditur Hierosolymæ, nisi eo tempore, quo stet sancta domus, juxta id quod dictum est: *decimam frumenti tui, & vini & olei, & primogenita de armentis, & ovibus tuis.* Ibidem. Traditione habetur, quod quemadmodum non comeduntur primogenita, nisi stante domo, etiam decima secunda nisi stante domo non comedatur. *Et paucis interjectis*. Qui edit ad quantitatem olivæ ex decima secunda, aut ex ea bibit vini quartarium (Logi) extra mœnia Hierosolymæ, quadraginta plagis vapulat, juxta versiculum qui dicit: *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui &c.* Deut. 12. 17. & vapulat pro singulis seorsim.

[13] *Nec in luctu &c. Maimonides ibidem cap. III.* 5. Qui comedit decimam secundam in die luctus legalis, quadraginta plagis vapulat, juxta textum; *non comedi ex eis in luctu meo*. Deut. 26. 14. quando comedat Hierosolymæ, ubi comedenda est, sed si extra (Hierosolymam) in luctu comedat, aut comedat in luctu, qui ex decreto sapientum constitutus est, verberibus contumaciæ vapulat. Qualis vocatur luctus? qui luget consanguineum aliquem, quem lugere debet, & die mortis luget ex præcepto legis, & noctu luget ex decreto sapientum: *quomodo potui comedere eum, aut placere Domino in cæremoniis, mente lugubri &c?* Levit. 10. 19. die interdictum est, noctu vero licet. Si multis diebus retardetur sepultura, & postea sepultus esset, his diebus a morte ad sepulturam intercedentibus, ex instituto sapientum est lugens; nec dies sepulturæ comprehendit ejus noctem. Non solum decimas secundas, sed etiam omnes sanctitates si comedat in luctu legis, quadraginta plagis vapulat, & propter luctum ex decreto sapientum contumaciæ verberibus vapulat.

[14] *Nec immunditie &c. Maimonides ibidem*. Qui comedit decimam secundam in immunditie, quadraginta plagis vapulat ex decreto Legis ex versiculo, qui dicit: *nec separavi ea in qualibet immunditia*; Deut. 26. 14. sive sit decima immunda, & is mundus, sive decima sit munda, & is immundus, si tamen comedat Hierosolymæ priusquam redimat, quia non reus est, quod comederit in immunditie, nisi comederit in loco, ubi comedenda est, sed si in immunditie extra Hierosolymam comedisset, verberibus contumaciæ vapulat.

[15] *In omni loco &c. Codex Sevachim cap. XIV. 6.* Cum venerunt in Schilo prohibita esse ceperunt excelsa. Non tamen fuit illic contignatio &c. Tum sancta sanctorum edere solebant intra aulæa, sancta levia, & decimas secundas quousque prospectus dabatur, vel exibat.

[16] *Non licuit &c. Maimonides ibidem cap. III.* 11. Decima secunda datur in cibum, & in potum, juxta textum; *& epulaberis &c.* & unctio est similis potui; neque licet eam impendere in comparandis aliis rebus, nempe non licet ea emere vasa, vestes, servos, juxta id quod dictum est: *nec expendi ex his quidquam in re funebri; hoc significat*, nihil expendi ex ea in rem, quæ corpus servet; & si in alias res impendisset, etiamsi essent ex præcepto, nempe si emisset arcam, aut indumenta pro mortuo præcepti, tantumdem ex ea edere debet ex lege decimæ secundæ.

[17] *Tobias testatur &c. Si nimis dissiti essent fructus, ut non possent Hierosolymas adduci, a dominis argento redimi poterant, quod argentum Hierosolymis consumendum erat. Abarbanel in Leg. fol.* 221. *col.* 3. Non convenit explicare (*legem citatam*) de decimis primis, quippe quæ pertinebant ad Levitas, & non poterant redimi, sed intelligenda est de decima secunda, quæ Hierosolymas deportabatur: si vero locus nimis distet, ut non potuerit (*in natura*) adferri, a possessoribus redimi poterat argento, quod ipsum Hierosolymas allatum consumebat, ea tamen conditione, ut quintam partem summæ capitali superaddat. *Maimonides ibidem cap. IV.* Qui voluerit redimere fructus secundæ decimæ, redimet suo argento, & dicet; hi nummi, aut hi fructus hac pecunia profanati sunt; & si non explicet, sed tantum separet nummos contra fructus, satis est, nec oportet explicare, & fructus exeunt in profanum, & illi nummi Hierosolymam afferendi sunt, ibique expendendi, juxta versiculum: *cum autem longior fuerit via . . . . . . nec poteris ad eum hæc cuncta portare &c.* Deut. 14. 24. & pariter si voluerit profanare fructus decimæ aliis fru-

fructibus, ſecundi fructus afferendi ſunt Hieroſolymam, ibique comedendi; nec profanabit unam cum altera ſpecie, nec bonum cum malo, etiamſi eſſet ejuſdem ſpeciei, & ſi profanaſſet, profanati ſunt. *Hi nummi non erant impendendi niſi in cibos hominum. Maimonides ibidem VII.* 3. Pecunia decimarum ſecundarum non licet emere, niſi quod comeditur ab hominibus, & procreſcit e terra, vel incrementum ſuum habet a procretis ex terra, quemadmodum ſpeciatim explicatur in Lege, de bove, ove, vino, & ſicera; idcirco pecunia decimarum ſecundarum non licet emere aquam, aut ſal, aut fungos, aut boletos, quoniam non procreſcunt ex terra. Neque enim illa emere licet fructus ſolo adhuc adhærentes, non etiam fructus, qui Hieroſolymas adduci nequeunt, quia ſimiles non ſunt jumento & gregi. *Poterant argento decimarum ſecundarum emi pecora pro ſacrificiis pacificis, aves, feræ, ſed non primitiæ &c. Maimonides ibidem cap. VII.* 9. Non emendæ ſunt argento primitiarum ſecundarum primitiæ, quia utræque minuunt comeſtionem, quia illas (*primitias ſcil.*) non poſſunt comedere niſi Sacerdotes (*& ſi immundi fuerint*) quibus occubuerit ſol; & licitæ ſunt lugenti, & quolibet loco comedi poſſunt; & decima permiſſa eſt alienis, & ei qui lotus eſt eodem die, & interdicta eſt lugenti, & non poteſt comedi niſi Hieroſolymæ; deprehenditur, quod minuit cibum (*puto legendum locum*) decima, & cibum primitiæ. Poſſunt argento decimarum ſecundarum coemi pecora in ſacrificia pacifica, quia pacifica alienis permiſſa erant. Ab initio coemebantur pecora in carnem deliciarum argento decimarum ſecundarum, ut ab altari removerent; deinde Synhedrium decrevit, ut comparari non poſſint pecora argento decimarum ſecundarum, niſi ut offerantur in ſacrificia pacifica, ſed fera, & aves poſſunt comparari, quia non ſunt idoneæ pro pacificis.

Si fructus decimarum ſecundarum muros Hieroſolymæ ingreſſi eſſent, non redimi amplius poterant. Maimonides ibidem cap. II. 9. Non redimitur ſecunda decima Hieroſolymæ niſi tum cum polluta fuiſſet, juxta verſiculum qui dicit: *Cum autem longior fuerit via, & locus*; quando locus remotus eſt, redimitur, ſed non redimitur in loco proximo; ſi is introgreſſus eſſet, & foris eſſet onus (*decimæ*) etiamſi calamo accipere poſſet, cum nondum introducta ſit decima, prope mœnia redimi poteſt. *Si vero polluta fuerit, vel Hieroſolymas introducta, redimi poteſt. Toſaphta Maaſer Scheni cap. II.* 21. Decima ſecunda, quæ intrarit Hieroſolymam, & polluta fuerit, ſive fuerit polluta patre impuritatis, ſive fuerit polluta filio impuritatis, ſive intra ſive extra, Schola Schammai dicit, tota redimitur, & intus comeditur; & Schola Hillelis dicit, tota redimitur, & foris comeditur, excepta illa, quæ patre immunditiei polluta fuerit; verba R. Meyr. R. Jehuda dicit, Schola Schammai dicit, tota redimitur, & intus comeditur, excepta illa, quæ foris immunditiei patre polluta fuerit; & Schola Hillelis dicit, tota redimitur, & foris comeditur, excepta illa, quæ intus immunditiei filio, polluta fuerit. R. Elieſer dicit, ſi polluta fuerit patre immundiei tam intra quam extra, redimitur, & foris comeditur, ſi polluta fuerit filio immunditiei tam intra quam extra, redimitur, & intus comeditur. R. Akiba dicit, ſi foris polluitur tam patre quam filio immunditiei, redimitur, & foris comeditur, ſi intus polluta fuerit tam patre, quam filio immunditiei, redimitur, & intus comeditur. Dixit R. Simeon filius Eleaſaris. Non diſſenſerunt Schola Schammai, & Schola Hillelis pro ea, quæ patre immunditiei foris polluta fuerit, quod redimatur, & comedatur foris, nec pro ea, quæ filio immmunditiei intus polluta fuerit, quod redimatur, & comedatur intus: ſuper qua diſſenſerunt? ſuper ea, quæ polluta fuerit intus patre immunditiei, & foris immunditiei filio, quod Schola Schammai dicit, quod redimatur in loco (ſc. Hieroſolymæ) & comedatur in loco; & Schola Hillelis dicit, quod redimatur in loco, & in omnibus locis comedatur. *Maimonides ibidem cap. II.* 14. Fructus ſecundæ decimæ, qui Hieroſolymæ polluti eſſent, & eſſent redemti, ſi filio immunditiei ex decreto ſapientum polluti eſſent, non licet extrahere, ſed intus comedendi ſunt, quia filius immunditiei eſt ex decreto ſapientum; at ſi polluti eſſent immunditiei patre, aut foris, vel immunditiei filio polluti eſſent, quamvis Hieroſolymam ingreſſi fuerint, poſſunt redimi, & ubique locorum comedi. Qua de re hæc dicta ſunt? quando ea conditione introduxerint, ut mœnia eos non retineant; at ſi non ita pactus eſſet, cum ingreſſa fuerit (*decima*) ex Lege munda eſt, quia immunditiei filius non polluit ſecundum *gradum* ex Lege, & jam eam mœnia retinuerunt, & non eſt educenda.

[18] *Fructus plantæ &c. Toſaphta Maaſ. Scheni cap. V. II.* Vinea anni quarti Hieroſolymam afferebatur unius diei itinere undequaque; pro qua vinea intelligitur? pro vinea, in qua ſint quinque vites, ſed vinea, in qua non ſint quinque vites, cæteræque omnes arbores prope mœnia redimebantur. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit: ſive ſit vinea, in qua fuerint quinque vites, ſive vinea, in qua non fuerint quinque vites, Hieroſolymam affertur, eamque diſtribuebat proximis, conſanguineis, & amicis, eaque plateas exornabat; dixit R. Simeon, hic non occurrit platearum ornamentum, ſed juxta viliorem æſtimationem redimebat, & ejus nummi æque ac illi ſecundæ decimæ comedebantur. Poſtquam domus diruta fuit, prior Senatus nihil ſtatuit, poſtremus Senatus decrevit, ut prope mœnia redimeretur. Narratur hiſtoria de R. Elieſere, cui erat vinea prope Villam Tabi ad plagam orientalem, quam redimere noluit, eique dixerunt diſcipuli, poſtquam decreverunt, ut redimenda eſſet prope murum, neceſſe eſt, ut redimat; ſurrexit R. Elieſer, eamque vindemiavit, redemitque; cæteræ omnes arbores anni quarti ſunt inſtar ſecundæ decimæ. Vinea anni quarti, dicit Schola Schammai, non obligatur de quinta parte, neque de remotione; Schola Hillelis dicit, obligatur de quinta parte. At de quo caſu hæc dicta ſunt? in anno Sabbathico, ſed in reliquis ſeptennii annis tenetur de quinta parte, & de remotione; verba Rabbi; Rabban Gamaliel dicit, tam anno Sabbathico, quam reliquis ſeptennii annis. Schola Schammai dicit, non tenetur de quinta parte, neque de remotione, & Schola Hillelis dicit, tenetur; Schola Schammai dicit, non eſt cœdenda, & Schola Hillelis dicit, cœdi poteſt; Schola Schammai dicit, non in uvis, ſed in vino redimenda eſt; & Schola Hillelis dicit in vino, & uvis; ſed omnes conſentiunt, non eſſe redimendam, dum fundo adhærens ſit; Schola Schammai dicit, non eſſe plantandum anno quarto, quia quartus annus ſuus eſt, ſi incidat in annum Sabbathicum, & Schola Hillelis permittit. *Maimonides ibidem cap. IX.* Planta anni quarti ſancta eſt, juxta verſiculum, qui dicit: *quarto autem anno omnis fructus eorum ſanctificabitur laudabilis Domino*. Levit. 19. 24. & ejus lex eſt, ut Hieroſolymæ comedatur inſtar ſecundæ decimæ, & quemadmodum non obſervatur ſecunda decima in Syria, ita non obſervatur planta anni quarti in Syria; & de planta anni quarti dicit; *& quicquid in Sanctuarium offertur a ſingulis, & traditur manibus Sacerdotis, ipſius erit*. Num. 5. 10. quia nulla ſanctitas eſt, cujus ritus explicati ſint in Lege, ad quem pertineant, niſi una planta anni quarti. *Et paucis interjectis. Uvas* vineæ anni quarti ſapientes juſſerunt Hieroſolymam afferendas eſſe unius diei itinere undequaque ad ornandas fructibus Hieroſolymæ plateas; & poſtquam diruta eſt ſancta domus, redimi poſſunt etiam prope mœnia; & cæteri fructus vel ſtante ſancta Domo prope muros redimi poſſunt.

[19] *Has præter decimas ſecundas &c. Quod negatur ab omnibus Juriſperitis Judæis. Maimonides de donis pauperum cap. VI.* 4. Juxta hunc ordinem tenentur Iſraelitæ ſeparare anno primo Heptæteridis, & ſecundo & quarto, ſed anno tertio, & ſexto Heptæteridis, poſtquam ſeparaverint decimas primas, ſeparabunt e reſiduo alias decimas, & dabunt pauperibus, & hæ vocantur decimæ pauperum, in iiſque duobus annis non erunt decimæ ſecundæ, ſed in *earum loco* decimæ pauperum, & de iis dictum eſt: *anno tertio ſeparabis aliam decimam ex omnibus quæ naſcuntur tibi eo tempore, & repones intra januas tuas; venietque Levites &c.* Deut. 14. 28. 29. itemque de his dictum eſt; *quando compleveris decimam &c.* Ibid. 26. 12. *Idem ad Demai IV.* 3. Expoſuimus antea, quod non tenemur ſeparare decimas pauperum Demai iis annis, quibus ſeparant decimas ſecundas loco decimarum pauperis, & hoc fit anno tertio ab anno intermiſſionis, & quoque anno ſexto; iſtis autem

annis

annis nihil ſeparant de Demai niſi Trumam de decimis &c. *Vide Siphri , & Peſicta Zoterra ad Deut. XIV.* 28. *& Gemar. Babyl. Roſh. haſ.* 12. 2.

[20] *Et quinque privilegiis &c. Toſaphta Peah cap.* II. 12. Quatuor ſunt dona in vinea, uvæ deciduæ, angulus, res oblivione relictæ, angulus , & racemuli ; Tria in frugibus, ſpicilegium, res oblivione relictæ, & angulus; duo in arboribus , res in oblivione relictæ, & angulus . In his omnibus rebus non poteſt dominus , quem velit, beneficio afficere ; ſed quilibet pauper Iſraelis jus habet ex ejus manibus illa eripere. *Maimonides in tractatu de donis Pauperum , ſex illorum numerat dona cap. I. & VI.* Qui metit agrum ſuum , totum agrum non prorſus demetet , ſed relinquet parum ſegetis in fine agri pro pauperibus, juxta quod dictum eſt: *non tondebis uſque ad ſolum ſuperficiem terræ . Levit.* 19. 9. *Quod tenet* ſive *ſegetem* metit, ſive radicitus evellit, & illud , quod relinquit , vocatur angulus . Et ſicut relinquit in agro, ſic etiam in arboribus , cum colligat fructus earum , relinquet parum pro pauperibus , ſi vero tranſgreſſus fuerit , & demeſſuerit totum agrum, vel collegerit omnes fructus arboris , deſumet parum ex eo quod collegit , & dabit pauperibus, quoniam donatio illius eſt præceptum affirmativum; nam dictum eſt: *ſed peregrinis , & pauperibus carpenda dimittes . Levit.* 19. 10. Et etiamſi moluerit in farinam, eamque depoſuerit , & in panes coxerit , ecce ille *nihilominus* dabit ex eo portionem anguli pauperibus . Si perierit tota meſſis , quam meſſuit, vel incendio conſumta fuerit , priuſquam dediſſet angulum , ecce ille vapulabit, quandoquidem tranſgreſſus eſt præceptum negativum, nec jam poſſit obſervare *præceptum* affirmativum in eo contentum, in quod transfertur. Sic etiam quoad ſpicilegium , cum metat aliquis , vel in manipulos colligat, non colliget ſpicas , quæ tempore meſſis deciderant , ſed derelinquet eas pauperibus, juxta quod dictum eſt: *nec remanentes ſpicas colliges*. Si vero trangreſſus fuerit, & collegerit eas, etiamſi moluerit, & coxerit, dabit tamen pauperibus , juxta quod dictum eſt, *ſed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes . Ibidem.* verſ. 10. Si poſtquam collegerit , perierint , vel incendio conſumtæ fuerint , priuſquam dediſſet pauperibus , vapulabit . Et ſic etiam de uvis deciduis, quæ tempore vindemiæ defractæ fuerint, & ſic de racemulis ſe lex habet, ſicut dictum eſt: *nec in vinea tua racemos , & grana decidentia congregabis , ſed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes*. Ibidem ; & ſic etiam, qui in manipulos colligit, & oblitus eſt unius manipuli in agro, ecce non accipiet eum, juxta quod dictum eſt : *& oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas illum*. Deut. 24. 19. Si tranſgreſſus fuerit, & acceperit illum , etiamſi moluerit, & coxerit, ecce ille *nihilominus* dabit pauperibus , nam dictum eſt , *ſed advenam , & pupillum auferre patieris*. Ibidem; hoc autem eſt præceptum affirmativum , ecce enim tibi indicatum eſt , quod omnia hæc præcepta *ſupra memorata* ſint negativa , quæ tranſeunt in affirmativa , & ſi quis non obſervet *præcepta* affirmativa , quæ in iis *negativis comprehenduntur* , vapulabit. Et ſicut Lex de re oblivione relicta *locum habet* in manipulis , ſic etiam *locum habet* in ſegete , & ſi *quis* oblitus fuerit partis *alicujus* ſegetis, & non meſſuerit illam, ecce ea eſt pro pauperibus . Et ſicut Lex de re oblivione relicta *locum habet* in frugibus , & his ſimilibus , ſic etiam locum habet in arboribus omnibus , juxta quod dictum eſt; *ſi fruges collegeris olivarum , quicquid remanſerit in arboribus, non reverteris ut colligas* . Deut. 24. 20. Et hoc jus eſt in cæteris arboribus. Manifeſte hinc tibi indicatum eſt, quod in vinea quatuor ſint dona pro pauperibus, uvæ deciduæ, racemuli, angulus, & res oblivione relicta; e frugibus tria dona , ſpicilegium, res oblivione relicta, & angulus; & in arboribus duo dona , res oblivione relicta, & angulus. *Et cap.VI.* Sextum eſt *inſuper* aliud donum pro pauperibus e ſeminibus terræ, decimæ ſcilicet , quas *tenentur* Iſraelitæ pauperibus dare, eæque vocantur decimæ pauperum.

[21] *Alterum* פאה *&c. Siphra ad cap. XIX. 9. Levit: Cumque meſſueris*: excludit, quando demeſſuerint, latrones, quando populaverint formicæ, quando contriverit ventus, aut pecus ; *cumque meſſueris*, excludit , quando demeſſuiſſent Gentiles . Hinc dixerunt , quando alienigena agro ſuo demeſſo factus ſit proſelytus, immunis habetur a ſpicilegio, prætermiſſo , & angulo ; R. Jehuda eum obligat ad prætermiſſum , quia non obtinet Lex de prætermiſſo , niſi tum cum fiunt manipuli . Non probo niſi pro metente ; pro evellente unde probatur ? ex eo quod dicit , *ſegetes veſtras* ; non probo niſi pro frumento ; pro leguminibus unde probatur ? ex eo quod dicit, *terræ tuæ* ; arbores unde probantur? ex eo quod dicit , *terræ tuæ* ; poſſem credere herbam , cucurbitas , & cucumeres comprehendi ? ideo dicit קציר *meſſis*, ſicuti meſſis eſt diſtincta, & in eſcam cedit, & cuſtoditur, & a terra incrementum habet, & ſimul eodem tempore colligitur, reconditurque ut ſervetur, ita &c. excluduntur herbæ, quæ quamvis ſimul colligantur , non domi recondantur ut ſerventur, excluduntur ficus, quæ quamvis domi recondantur , ut ſerventur, non ſimul eodem tempore colliguntur; frumenta & legumina in hoc genere comprehenduntur. Et inter arbores rhus, & ſiliquæ, & nuces, & amygdalæ, & vites , & mali punicæ, & oleæ , & palmæ tenentur de angulo . *Non tondebis uſque ad ſolum ſuperficiem terræ*, non tenetur ad angulum, donec metendi finem fecerit; nec vocatur angulus, niſi nomine inſigniverit , nec vocatur angulus , niſi qui reliquus ſit in fine agri . Hinc dixerunt; ſi dediſſet *angulum* tam in prima, quam in media parte, eſt angulus, ſed ea tamen lege ne minus in fine ſexageſima parte relinquat. Et pariter dicebat R. Simeon ; quatuor de cauſis dixerunt , quod homo non debeat relinquere angulum niſi in fine agri ſui, propter furtum pauperum, propter otium pauperum, & propter judicium ſpectantium, & propter id, quod a Lege dicitur : *non tondebis uſque ad ſolum ſuperficiem terræ*. De pauperum furto quomodo intelligitur? ne dominus obſervet tempus , quo pauperes ibi eſſe non poſſint, vocetque pauperem cognatum ſuum, eique dicat: *veni , & accipe tibi angulum* ; de otio pauperum quomodo intelligitur ? ne pauperes teneantur totum diem expectare, dicentes: *nunc relinquit angulum*, ſed ut poſſint ad colligendum in alium agrum proficiſci, veniantque, tum cum iſte perfecerit : de judicio ſpectantium quomodo intelligitur? ne prætereuntes dicant, iſte demeſſuit ſeget.s agri ſui, & non reliquit angulum; & quia Lex dixit : *non tondebis uſque ad ſolum ſuperficiem terræ tuæ* , non agrum alienum . R. Simeon filius R. Jehudæ nomine R. Simeonis dicit, *terræ tuæ*, non agrum, quem ſociatus cum Gentili meſſuerit , terræ tuæ , ad obligandum quemlibet agrum. Ex ſupra commemoratis dixerunt : hæc diſterminant quoad angulum rivus, canalis, & via privata, & via publica , & ſemita publica , & ſemita privata tam æſtate quam hyeme conſtituta , ager rudis, & novale, & ſata alius generis, qui in pabulum deſecat, diſterminat , verba R. Meyr , & Sapientes dicunt, non diſterminat, niſi araverit . Canalis aquæ fixus diſterminat; R. Jehuda dicit , niſi demetere ſimul poſſit , diſterminat . Et de omnibus montibus , qui ligone fodiuntur , quamvis nequeant boves cum inſtrumentis pertranſire, angulum dat pro toto unum. Hæc omnia diſterminant in ſatis , ſed in arboribus non diſterminat niſi maceries decem alta palmos ; ſi rami ſuper eam maceriem collidantur , non diſterminat, ſed relinquit unum pro omnibus angulum . Et pro ſiliquis quatenus unus alterum videt ; dixit Rabban Gamaliel , domi patris mei obſervabatur, ut pro omnibus oleis quæ ad unam plagam ſitæ erant, unus angulus relinqueretur, & pro ſiliquis, quouſque unus alterum videret. R. Elieſer filius Sadok dicit ejus nomine, etiam pro omnibus ſiliquis , quæ erant in tota civitate . *Vide Toſaphta Peah cap. I. & II. & Maimonidem de donis pauperum cap.* I. II. III. & IV.

[22] *Spicæ decidentes &c. Siphra ibidem ; nec remanentes ſpicas colliges*; non ſpicilegium ejus, quod cadit , dum demetit ſigillatim manu ſpicas ; *nec remanentes ſpicas colliges* , non vocatur ſpicilegium niſi illud, quod eſt cauſa meſſis. Hinc dixerunt ; ſi meſſor demeſſuiſſet plenum manipulum , vel evulſiſſet plenum pugillum, eum ſcorpio vellicaret, aut ſpina percuteret, aut perterrito decideret in terram , quod in manu haberet, ad patremfamilias pertinet ; quod *cadit* de interiori parte manus & falcis, eſt pauperum, a poſteriori parte manus & falcis, eſt patrisfamilias , de ſummitate falcis & manus : R. Iſmael dicit , eſt pauperum, R. Akiba dicit , eſt patrisfamilias . *Non colliges . . . . . . Sed pauperibus*, non debes pauperi opem

opem ferre; *Non colliges*, admonet de re sua pauperem. *Maimonides ibidem cap. IV.* Quid est spicilegium? quod cadit e falce tempore messis, cum *messor* colligat *spicas*, ut demetat, si modo quod cadit, sit tantum una vel duæ spicæ, sed si cadant tres spicæ simul, illæ pertinent ad proprietarium agri; quod autem cadit a parte posteriore falcis, vel a parte posteriore manus, licet una tantum spica sit, non est spicilegium. Si quis decerpat manu sua sine falce, quod cadit e manu illius, non est spicilegium, sed si evellat, quod *homines* solent evellere, quod cadit e manu illius, est spicilegium. Si demetat, vel evellat, quod consuetudo est evellere, & postquam messuit, quod brachium implet, vel evulsit quod pugnum implet, spina eum percutiat, & cadit aliquid de manu illius in terram, ecce illud pertinet ad proprietarium agri. *Vide Tosaphta Peah ibidem.*

[23] *Uvæ cadentes &c. Siphra ibidem. Neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis.* Hinc dixerunt; vinea quæ tota racemaria est, R. Eliefer dicit, est patrisfamilias, R. Akiba dicit, est pauperum. R. Eliefer ait (textus dicit). *Cum vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos.* Deut. 24. 21. Si non vindemiat, quo pacto tenetur præcepto racemulorum? Ei respondit R. Akiba (textus dicit) *non colliges remanentes racemos*, etiamsi tota racemaria esset; & quia ego possem credere, quoniam omnes racemuli sunt pauperum, quod pauperes suo arbitratu venire possent ad eos colligendos; idcirco dictum est: *cum vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos*; non venient pauperes ad colligendos racemulos ante tempus vindemiæ; *neque grana decidentia congregabis*, non obligatur ad grana nisi causa vindemiæ. Hinc dixerunt; si quis dum vindemiaret, & amputaret botros, foliis implicarentur, & in terram deciderent, & in grana segregarentur, pertinent ad proprietarium; si quis viti canistrum supposuerit tempore vindemiæ, furatur pauperibus juxta glossam versiculi qui dicit: *ne attingas parvulorum terminos.* Prover. 23. 10. Quisnam est racemulus (qui relinquendus est?) est ille, cui deest humerus, & stiria; si habeat humerum, & non stiriam, & stiriam, & non humerum, pertinet ad proprietarium, si dubius sit, est pauperum; racemuli inhærentes ramo botris onusto, si cum botris vindemientur, pertinent ad proprietarium, si secus, sunt pauperum; granum sejunctum R. Jehuda dicit, est botrus, & sapientes dicunt, reputatur racemulus &c. *Maimonides ibidem cap. IV.* 15. Quid est uva decidua? est uva una, vel uvæ duæ, quæ a botro defractæ fuerint tempore vindemiationis, sed si decidant tres uvæ simul, non reputantur pro uvis deciduis. Si quis vindemiet, & amputet botrum, isque foliis implicetur, & decidat in terram, quod defractum est non reputatur pro uva decidua; si quis vindemiet, & projiciat botros in terram, cum eos iterum inde removeat, etiamsi dimidium botri ibi defractum inveniatur, ecce illud pro uvis deciduis reputatur; & qui ponit canistrum sub vite eo tempore, quo vindemiat, ecce ille fraudat pauperes. Quinam est racemulus? est botrus minor qui non est densus; e. g. botrus, qui non habet ramulos sibi invicem incumbentes, cujusque uvæ non descendunt per modum stiriæ una supra aliam, sed segregantur; si habet ramulos sibi invicem incumbentes, licet non descendunt per modum stiriæ, ecce *nihilominus* pertinet ad proprietarium vineæ, sed si dubium *sit an habeat ramulos*, *pertinet* ad pauperes. Quidnam est habere ramulos sibi invicem incumbentes? est cum in scapo conjungantur botri minutiores unus supra alium. *Quidnam est* descendere per modum stiriæ? est cum uvæ conjungantur in scapo, & descendant. Et *hoc etiam requiritur ad racemulum*, ut omnes uvæ illius possint comprehendi in palma manus; sed quare racemulus vocatur עולל? quoniam se habet ad reliquos botros, sicut עולל i. e. *puer* ad virum. Non obligatur proprietarius vineæ vindemiare racemulos, & dare pauperibus, sed illi vindemient eos pro seipsis, & si sit uva solitaria, ecce ea est racemulus. Si sit surculus cui appendet botrus, & in junctura surculi sit racemulus, si vindimietur cum botro, ecce ille pertinet ad proprietarium vineæ, sin minus, ecce pertinet ad pauperes. Si tota vinea sit *solis* racemulis *repleta*, ecce ea *tota* pertinet ad pauperes; nam dictum est, *non colliges remanentes racemos*, i. e. licet solis racemulis tota *repleatur*; lex autem de granis deciduis, & racemulis non obtinet nisi in vinea tantum. Pauperes non habent jus accipiendi uvas deciduas, vel racemulos, donec proprietarius vineæ inceperit vindemiare vineam suam, juxta quod dictum est: *cum vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos*; & quantum vindemiabit *proprietarius*, donec illi *ad uvas deciduas & racemulos* jus habeant? tres botros, si modo faciat Rebiitam *vini*.

[24] *Manipulus per oblivionem &c. Tosaphta Peah cap.* III. 13. Quidnam vocatur oblivione relictum? in pergulis magnis, ut non possit ad illud manum extendere & sibi sumere, in pergulis parvis, quando ab iis decesserit. In vite super arbores sublata, & in palma, quando ab iis descenderit, & in cæteris omnibus arboribus, quando se convertat, & ab iis decedat; hoc vero intelligitur, quando non inceperit; sed si inceperit, & oblitus fuerit, non habet legem oblivione relicti, donec vindemiet omnia quæ circumcirca sunt. *Maimonides ibidem cap. IV.* 27. Quid est res oblivione relicta in manipulis? *Omnis manipulus, cujus aliquis oblitus sit, & tam procul ab eo transiit*, ut non possit ad illam manum suam extendere, *& sibi iterum sumere.* In vinea autem *fructus est res oblivione relicta, cum qui colligit* transiit a vite vel a vitibus, & illius oblitus sit in arbore. In Dactylo vero *fructus est res oblivione relicta, cum qui colligit* descendat ab ea; in omnibus vero aliis arboribus *fructus est res oblivione relicta, cum qui colligit* convertat semetipsum, & decedat ab iis. In quo casu dicta sunt hæc? Cum nemo inceperit ab iis *fructus colligere*, sed si quis inceperit *ab aliqua earum fructus colligere*, illiusque oblitus sit, non est res oblivione relicta, donec collegerit *fructus* omnium *arborum*, quæ circumcirca sunt.

[25] *Si quis Ethnicus &c. Codex Peah cap. IV.* 6. Alienigena qui agro demum demesso fit proselytus, immunis habetur a spicilegio, prætermisso, & angulo. R. Jehuda teneri censet de prætermisso, quia non obtinet prætermissum, nisi tum demum cum fiunt manipuli. *Maimonides ibidem cap. II.* 9. Si extraneus metat agrum suum, & postea factus sit proselytus, ecce ille *ager* liber est a lege anguli, & spicilegii, & rei oblivione relictæ, etiamsi lex de re oblivione relicta *locum non habeat*, nisi eo tempore, quo fiunt manipuli.

[26] *Confessionem decimarum &c. Tosaphta Maas Scheni cap. V.* 14. R. Jose dicit; *abstuli quod sanctificatum est de domo mea*, hæc est placenta, *& dedi illud Levitæ*, hæc est prima decima, *& advenæ, & pupillo, ac viduæ*, hæc est decima pauperis, *ut comedant intra portas tuas, & saturentur*, hæc est decima secunda. *Maimonides Maas. scheni cap. XI.* Est præceptum affirmativum, confitendum esse coram Deo, postquam e domo separaverit omnnes fructus terræ, & hoc est, quod vocatur confessio decimarum; nec recitatur hæc confessio nisi post annum, quam separata est decima pauperis juxta versiculum qui dicit: *quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum &c. loquerisque in conspectu Domini Dei tui; abstuli quod sanctificatum est de domo mea.* Deut. 26. 12. 13. Quando recitabatur hæc confessio? vesperi diei octavi Paschatis quarti, & septimi anni, juxta id quod dictum est; *quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum*; in eo festo, in quo completæ erant omnes decimæ; nec celebrabatur Pascha quarti anni, nisi decimati essent omnes fructus *anni* tertii, sive fuerint fructus arboris, sive fuerint fructus terræ. Non recitabatur hæc confessio nisi interdiu, & totus dies idoneus erat pro confessione decimæ; tam stante, quam disturbata sancta domo, tenebantur removere (*decimas*) & confiteri. Hæc confessio quacunque lingua recitari poterat, juxta versiculum: *loquerisque in conspectu Domini Dei tui. Ibidem*; & quacunque phrasi recitare licet; & qui recitabat, seorsim recitabat; & si multi una simul confiteri voluissent, confiteri poterant, & præceptum erat, ut in Sanctuario recitaretur, juxta quod dictum est, *in conspectu Domini*; quocumque die confessus esset, officio fungebatur. Non licebat confiteri toto eo tempore, quo aliquod ex donis domi suæ retinuisset, quia ita confitebatur: *abstuli quod sanctificatum est de domo mea*, & usque ad postremum Paschatis diem, removendi tempus ei erat, & insequenti die confitebatur. Quomodo faciebat? Si

apud

apud se remanserant primitiæ, & decima de decimis, dabat eas sacerdoti, si decima prima, dabat Levitæ, si decima pauperis, pauperi dabat, si apud se remanebant fructus decimæ secundæ certæ, aut planta quarti anni, aut nummi earum redemtionis, removebat, & in mare projiciebat, aut comburebat, si apud se remanserat decima secunda incerta, removere non tenebatur; si apud se remanserant primitivorum fructus, ubique removendi erant. De quo casu hæc intelligenda sunt? Cum ei reliqui fuerint fructus, quos omnes ante festum consumere non posset; sed si ei reliquum esset decoctum ex decima secunda, non opus erat removere, quia decoctum reputatur uti remotum; & pariter vinum, & aromata reputantur uti remota. Fructus, qui ad decimarum statum non pervenissent remotionis tempore, non obstabant, quominus confiteri posset; & eos removere non tenebatur. Cui fuerint fructus procul dissiti, adveniatque tempus remotionis, tenetur dona insignire nomine, & mediante solo in possessorum potestatem tradere, aut illius, cui loco dominorum suorum possessionem tradebat, & insequenti die confitebatur; quod donatio illorum mobilium mediante solo nihil aliud erat, quam donatio, quæ vim omnem haberet; sed non poterat commutatione acquiri decima, quia venditioni similis erat; & in decimis & donis usurpatur vox donationis, non venditionis: & unde probatur, quod confiteri non posset, nisi omnia dona educeret? ex eo quod dictum est; *abstuli quod sanctificatum est de Domo mea*, hæc est placenta, quod donum dabatur Sacerdotibus, *quod sanctificatum est*, hæc est decima secunda, & planta anni quarti, quæ vocantur sanctitates; *dedi illud Levitæ*, hæc est prima decima, *& dedi illud*, præcessit igitur aliud donum, & hoc est ablatio magna, & decima de decimis, *& advenæ, & pupillo, & viduæ*, hæc est decima pauperis, & spicilegium, & prætermissum, & angulus, quamvis spicilegium, prætermissum, & angulus non impedirent confessionem. Oportebat ordine separare dona, & postea confiteri, juxta id quod dictum est, *sicuti jussisti mihi;* si igitur secundam ante primam decimam dedisset, confiteri non poterat. Si combustum fuisset indecimatum, confiteri non potest, quia dona non separavit, nec ei, cui debebantur, dedit, & eo tempore, quo Sacerdoti dabant primam decimam, non confitebantur, quia dicebatur, *& dedi illud Levitæ*. Cui una secunda decima esset, illam confessionem recitare poterat, quia proprie decimam confessio respiciebat, & pariter, si nihil aliud quam primitiva haberet, confessionem recitare potest, quia textus dicit; *abstuli quod sanctificatum est*; sanctitas prima, quæ est primitiva; sed si cui unæ primitiæ essent, non recitat confessionem, quia primitiæ ad confessionem non tenebantur, nisi reliquis donis comprehenderentur. *Non præterivi mandata tua*; non separavi de una specie pro alia, nec de avulso pro solo adhærenti, nec de solo adhærenti pro avulso, nec de novo pro veteri, nec de veteri pro novo; *nec sum oblitus*; nec oblitus est benedicere, & memorare nomen tum. *Non comedi ex eis in luctu meo;* si igitur in luctu comedisset, confiteri non poterat; *nec separavi ea in qualibet immunditia;* si igitur in immunditia separasset, confiteri non poterat. *Nec expendi ex his quidquam in re funebri*, quod cum ea non comparasset arcam, aut indumenta mortuorum, nec aliis lugentibus dedisset. *Obedivi voci Domini Dei mei*, quod adduxisset in domum electionis; *& feci omnia sicut præcepisti mihi*; quod in eo lætatus sim, & lætificavi alios, juxta versiculum: *& epulaberis in omnibus bonis. Respice de Sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo, & benedic populo tuo Israel, & terræ quam dedisti nobis, sicut jurasti patribus nostris, terræ lacte, & melle manantis;* hæc erat oratio, ut saporem fructibus præberet. Israelitæ, & spurii, poterant confessionem recitare, at non proselyti, & servi libertate donati, quia partem in terra non habebant; & ille dicebat; *quam dedisti patribus nostris*. Sacerdotes & Levitæ confitebantur, qui quamvis partem in terra non accepissent, habebant tamen civitates refugii.

[27] *Quamquam abrogavit &c. Bartenora ad cap. V. 15. Maas. Scheni. Jochanan Pontifex maximus* functus est Sacerdotio magno post Simeonem justum, *abrogavit confessionem decimarum*, quia Esdra instituit ne Levitis darent decimas, postquam a captivitate reversus erat, Levitæ vero non reversi erant cum eo, & mandavit ut possessores decimas darent Sacerdotibus, & Jochanan Pontifex maximus abrogavit confessionem super decimis, quia eo tempore non poterant dicere, Deut. 26. 13. *& dedi illud Levitæ*.

CAPUT DECIMUM.

De votis

§. I. Vota quæ.

I. [1] POterat aliquis res profanas sacras facere suscepto voto, & vel personas, se & alios qui sub potestate ejus erant, vel res, Deo sacrare. Vota hæc נדרים appellantur: de quibus [2] agitur *Num.* 30. [3] & per totum codicem Talmudicum *Nedarim*.

§. II. Personæ & res devotæ quæ.

II. [4] Personæ secundum æstimationem suam Deo consecratæ ἁπλῶς redimi poterant, *Levit.* 27. 3. & sacerdotum erat eas æstimare, uti jam ante indicatum fuit. [5] Maris ערך sive æstimatio, a nato 20. annos; usque ad 60, erat 50 siclorum argenteorum. Fæminæ, 30 siclorum. Maris a nato 5 annos usque ad 20, siclorum 20, fæminæ 10 siclorum. Maris a nato mensem unum, 5 siclorum, fæminæ trium. Maris supra ætatis annum 60, siclorum 15, fæminæ siclorum 10. [6] Qui victimam Deo sacraverat altari idoneam, offerre eam debuit: nec redimere nec commutare eam licuit. *Levit.* 27. 10. [7] Animalia immunda redimebantur addita quinta parte pretii. *Ibid. comm.* 13. [8] Primogenita animantium, & si quæ etiam sine votis Deo sacra erant, denuo voveri non poterant. [9] Domum Deo devotam [10] & agros hæreditarios æstimabat sacerdos & vendebat: quæ si ipse dominus non redimeret, etiam in jubilæo ad eum non redibant. [11] Quod autem per חרם erat devotum redimi non poterat sive esset homo, sive bestia, sive ager possessionis, לא יגאל *non redimetur;* sed erit קדש קדשים ליהוה res sanctissima, Deo sacra. Homines per חרם devoti mortem subibant. *Levit.* 27. 29. Confer *Erachin.* VIII. 6.

III.

§. III Vota prohibentia quæ.

III. Judæi dispescunt vota [12] in species duas, quarum priorem constituunt נדרי אסור *vota prohibentia*, posteriorem נדרי הקדש *vota consecrantia*. *Vota prohibentia* illa nuncupantur, quum aliquis vovet abstinentiam a re licita, veluti si cibis, vestibus, actionibus his aut illis se non usurum promittat. Formula horum votorum erat: *hæc res sit mihi* כקרבן *sicut res Deo sacra*: & per illam interdicebat sibi illius rei usum. [13] Aliquando per compendium hæ formulæ pronunciabantur, verbi gratia, שאני אוכל *me non comesturum*: talesque Judæis ידות, [14] quasi *ansas* dicas, appellantur, quas qui habet, reliquum vasis facili negotio adsequetur.

§. IV. Vota consecrantia quæ.

IV. *Vota consecrantia*, sive נדרי הקדש sunt illa per quæ aliquid libere vovetur in usus sacros, dividunturque & ipsa in species I. קדשי המזבח [15] *sacra altari*, & II. קדשי בדק הבית *sacra reparationi templi*. *Sacra altari* distinguuntur in נדרים, *vota generalia*, veluti si quis dicat, *voveo holocaustum*, & נדבות, *vota specialia*, ut si quis dicat, *voveo hoc animal in holocaustum*. Confer *Lev.* 23. 38. & *Kinnim*. I. I. Quod si essent animalia immunda consecrata altari, veluti equi, habebantur ac si consecrata non essent: at si quis ea holocausta voverat, vendi debuere, & pretium in holocausta impendi. *Confer Siphra fol.* 131. 2. [16] Animalia munda offerebantur: sed si vitium contraxissent ante votum sive consecrationem, ipsa a sacerdote æstimabantur & communi usui permittebantur, ita tamen ut eorum pretium simili victimæ esset impendendum: [17] atque ita etiam omnia apta ut offerantur in altari דברים הראוים למזבח, uti [18] oleum, [19] vinum, [20] simila. *Siphra fol.* 131. 2. [21] *Sacra* autem *reparationi templi* spectabant vel personas vel res. [22] Poterat aliquis pretium æstimationis sui vovere. *Lev.* 27. 2. vel res, animalia videlicet, domos, agros, aut res mobiles.

§. V. Votum Jephtæ erat bipartitum.

V. [23] De voto Jephtæ, quo illud devovit quod sibi reduci primum occurreret, disputari solet, quomodo intellexerit ipse hæc verba והיה ליהוה והעליתיהו לעולה quæ nos, existimantes Jephtam non immolasse filiam suam, reddimus: *erit illud Deo sacrum, aut in holocaustum id offeram*. Quandoquidem enim constat ex *Exod.* 21. 15. & aliunde, literam Vav per *aut*, æque ac *&* posse verti, hunc sensum fuisse verborum ejus suspicamur, quia de eo agens quod egrediens ex domo sibi occurreret, de solis hominibus cogitare non potuit, quod illos in holocaustum Deo offerre, nec licitum, nec Deo gratum esse sciret: & de solis animantibus brutis cogitare non potuit, quod homines magis quam bruta animantia ei occursuros esset probabile, nec omnia animantia Deo in holocaustum offerri possent. Videtur itaque ipsa rei natura flagitare ut bipartitum concipiatur votum: sic ut vel generatim Deo sacrum esset, quo poterat modo; & speciatim si animal esset sacrificiis aptum quod Divina providentia ei in occursum mitteret, holocaustum esset. Oblatio quidem animalis mundi in holocaustum res tanti momenti non erat, ut ea sola in signum grati animi pro reportata victoria Deo voveri debuerit: sed nec hoc solum vovit Jephta, & se in illo discrimine constituit, ut non animantibus, sed rebus carissimis, privari posset.

§. VI. Illustratur idem.

VI. Ad voti hujus illustrationem sequentia notari merentur. Primo quidem, votum hoc ita debere explicari, ut Jephta credere potuerit rem quam vovebat fore Deo gratam; ideo enim vovit ut a Deo victoriam consequeretur, aut certe grati animi signum ederet. Non potuit itaque vovere, se illum e domesticis qui primum ei occurreret interfecturum; id gratum esse Deo non poterat. Secundo: res omnes posse sacrari Deo, licet modis diversis: & de mulieribus ipsis legi *Num.* 31. 35. quæ concubitum maris non cognoverant, eas Deo datas, id est, sacras fuisse. Tertio: per *Cherem* non licuisse devovere homini Israelitæ domesticos suos Israelitas, qua data licentia cædibus lata porta fuisset aperta. Hominem immolans Deo erat abominatio: *Jes.* 66. 3. Servos ipsos non licuit lædere, oculisque aut dentibus privare, *Exod.* 21. 26. Quid? quod nullum proximum lædere licuerit, *Lev.* 24. 20. adeoque devoti per *Cherem* fuere ex Cananæis, captivis &c. *Num.* 31. 7. 1 *Sam.* 15. 33. Quarto: de immolatione filiæ Jephtæ, ubi, quando, & per quos illa peracta sit nihil in Sacro codice legitur. Fuissent autem sine dubio hæ circumstantiæ notabiles: e contrario status innuptus filiæ deploratur, nusquam mors: ne jam dicam de itinere puellarum ad filias Jephtæ: *commate* 40. & pietate ejus: *Hebr* 11. 31. celebrata, quacum immane hoc facinus parum convenit.

§. VII. Formula voti temerarii ex N. T.

VII. Mentio fit in N. T. alterius voti temerarii, quo se Pharisæi subtrahere solebant officiis quæ parentibus debebant, dicendo Κορβᾶν ὁ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. *Matt.* 15. 5. quod Hebraice esset קרבן שאתה נהנה לי: nam נהנה est *utilitatem percipiens*, ut in *Midrasch schir haschirim fol.* 7. 1. מריה נהנה אתרוג לא חסר, *utilitatem percipit qui odoratur, & pomum ipsum non minuitur*. Quales formulæ in codice *Nedarim*. VIII. 7. XI. 11. & alibi plures inveniuntur, uti קרבן שאני נהנה לך vel קונם שאני נהנה לך.

COMMENTARIUM IN CAPUT DECIMUM.

[1] Poterat aliquis &c. *Codex Erachin cap. VIII.* 4. Devovere homo potest e grege suo, & jumento, servis, servabusque Cananæis, agroque possessionis, hæc vero omnia si devoverit, non sunt devota, ita R. Eliefer. Dixit R. Eleasar filius Azariæ si homo nequeat Deo devovere omnia sua bona, quanto magis tenetur parcere bonis ipsius. Si quis filium, filiam, servum, servamque hebræos devoverit, atque agrum antea emtum, non devota censentur, quia nemo devovet, quod suum non est. *Tosaphta Erachin cap. IV.* 20. Homo non debet consecrare omnia sua bona, si consecrasset, omnes consecratæ sunt. Nemo potestatem habet omnia sua devovendi, & si devovisset omnia, devota sunt; R. Eliefer dicit, מאדם, *ex homine*, non totum hominem, ובבהמה *ex bestia*, non omnes bestias, ומשדה אחוזתו *ex agro possessionis suæ*, non totum agrum suarum possessionum; idcirco si sanctificasset, omne sanctificatum est; & si devovisset omnia, non sunt devota. Dixit R. Eleasar filius Azariæ; si homo nequit Deo devovere omnia, quod de his Deus rationem habet; quanto magis homo tenetur parcere bonis ipsius.

[2] *Agitur Num. 30. &c. Siphri ad cap. 30. 2. Num. Iste est sermo*, nobis refert, quod quemadmodum prophetavit Moses, dicendo, *iste est sermo quem præcepit Dominus*, ita reliqui Prophetæ eadem phrasi prophetarunt, nempe *præcepit Dominus*. Moses hoc amplius dicit: *hic est sermo, quem præcepit Dominus*, alia interpretatio; maritus irrita facit *vota*, sapiens non facit irrita, sapiens solvit, & maritus non solvit; unde hinc argumentari potes, si qui non facit irrita, solvit, qui facit irrita, solvere non potest? Ita argumentari potes argumento a minori ad majus, si qui non solvit, irrita facit, qui solvit, non poterit facere irrita? idcirco dictum est, *iste est sermo, quem præcepit Dominus*; maritus irrita facit, & sapiens irrita non facit, sapiens solvit, & maritus non solvit. *Si quis virorum*, ad excludendum minorennem; ego credam excludendum minorennem, & eum, qui tredecim annos, & unum diem natus sit; argumentaris; dictum est hic votum, & dictum est alibi votum, sicuti votum ibi dictum est voluntarium, etiam votum hic dictum est voluntarium; hinc dixerunt: pueri tredecim annos & unum diem nati vota sunt legitima. *Votum Domino voverit*, qui statuit votum suum super re, quæ fieri potest, est votum, secus, non est votum; dicam igitur non futurum votum, nisi quando Deo voverit; idcirco dictum est: *aut se constrinxerit* quocumque modo; igitur explicare non debes juxta ultimam explicationem, sed solum juxta primam; qui statuit votum suum super re, quæ fieri possit, est votum, secus, non est votum; dicam igitur, quod quemadmodum vota sunt æqualia juramentis, sicuti qui statuit votum suum super re, quæ fieri possit, est votum, secus, non est votum; ita etiam in juramento, idcirco dictum est, *se constrinxerit*, quocumque modo. Quodnam discrimen intercedit inter votum & juramentum? in votis veluti voveret per vitam Regis, in juramentis per ipsum Regem; quamvis pro hac re nulla sit demonstratio, legitur tamen indicium; *Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia*. 2. Reg. IV. 9. *Se constrinxerit*, seipsum, at non alios constringere potest; quia erat argumentum; si quando sui ipsius verba irrita facere non potest, postquam vovit, potest irrita facere vota sui ipsius priusquam voverit; quando irrita facit vota suæ uxoris, postquam voverit, non erit æquum, ut irrita faciat vota suæ uxoris priusquam voveat? idcirco dictum est: *se constrinxerit*, se ipsum, non alios constringere potest; alia explicatio, *se constrinxerit*, cur dictum est? quia dictum est: *sed omne quod promisit implebit*; ego non probo nisi pro eo, quod labiis pronuntiasset; si voto & juramento se obstrinxisset, unde probatur? ex eo quod dictum est, *se constrinxerit*; crederem etiam quando juraret comedere cadavera, & discerpta, & opprobria, & reptilia, mihi esse legendum pro eo, *sed omne quod promisit, implebit*? idcirco dictum est, *se constrinxerit*; ut sibi licita prohibeat, & vetita sibi non permittat. *Non faciet irritum verbum suum; non prosanabit verbum suum*; si sapiens sit, sibi ipsi irrita facere non potest, quia erat argumentum; si aliis irrita facere potest, quanto magis sibi ipsi; idcirco dictum est; *non faciet irritum verbum suum, non profanabit verbum suum. Non faciet irritum verbum suum*, docemur, quod violet hoc præceptum, *non faciet irritum verbum suum*; & illud *non tardabis* unde probatur? ex eo quod dicit; *cum autem voveris Domino Deo tuo*; docemur, quod violet præceptum, *non tardabis, & non faciet irritum; non faciet irritum verbum suum*; R. Eliefer dicit, ut consideretur pronunciatio æque ac juramentum. R. Akiba dicit; *sed omne quod promisit, implebit, mulier*; comparat mulierem cum viro; sicuti vir violat præceptum, *non faciet irritum, & non tardabis &c.* etiam mulier violat præceptum, *non tardabis; & non faciet irritum. Mulier*, ego crederem, postquam adoleverit; ideo dictum est; *quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari*; ego existimare possum, quod sit adhuc minorennis; ideo dictum est, *mulier*; quo pacto igitur intelligendum est? ut ex statu minorennis egressa sit, sed quæ nondum adulta facta sit; hinc dixerunt: quod si nata sit annos duodecim & unum diem, ejus vota sint legitima, si vota statuerit super re, quæ observari possit, est votum, si secus, non est votum. Tu dicis, quæ firmaverat verba sua super re, quæ promitti possit, quod sit votum, si secus, *non sit votum*; at ego dicam, quod satis sit, ut Deo voveat; idcirco dictum est, *se constrinxerit*, omni modo; igitur tibi dicendum non est juxta ultimam explicationem, sed solum juxta primam, quæ statuat sua verba super re, quæ promitti possit, est votum, si secus, non est votum; *se constrinxerit*, hoc vinculum non est nisi juramentum, & pariter dictum est, *se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui*, ut sit sub potestate patris, tu dicis sub potestate patris, at ego dicam in domo patris, juxta suum sensum; ideo dictum est; *& in ætate adhuc puellari in domo patris sui*; omni ætate puellari sit in domo patris, dixi, at non ætate puellari in domo mariti, ad excludendam viduam, & repudiatam post sponsalia; tu dicis ex sponsalibus, at ego dicam post matrimonium; ideo dictum est, *ætate adhuc puellari in domo patris sui*; ut tota ejus puellaris ætas consumta sit in domo patris, excludit viduam, & repudiatam post matrimonium, quod tota ejus puellaris ætas in domo patris sui consumta non fuit; *si cognoverit pater*; ad excludendum surdum, si cognoverit pater, ego non probo nisi quando audiverit pater, si alii illi significassent, unde probatur? ex eo quod dicit; *Quicquid pollicita est, & juravit, opere conplebit; & tacuerit*, ut intentionem pro ea habeat; quod si vovisset filia, & dixisset, ego putabam; quod vovisset mea uxor, potest ejus vota irrita facere, juxta id quod dictum est; *& tacuerit pro ea*, ut pro ea intentionem habeat. *Quicquid pollicita est, & juravit, opere complebit*, quod si vovisset, & ipse confirmasset, & postea rursus irritum faceret, crederem irritum factum esse? Quo pacto ego explicabo, *quicquid pollicita est; & juravit, opere complebit*? priusquam irritum faciat, dicam etiam, postquam irritum fecerit; & quo pacto explicabo, opere complebit? priusquam confirmet, ego dicam etiam, postquam confirmaverit; ideo dictum est, *opere complebit*. Sin autem . . . . . . *contradixerit pater*; ego ignoro, quid sit ista contradictio; quando dictum est, *quo die audierit vir, & non contradixerit*; quando loquitur de marito, video hanc contradictionem esse abolitionem, & de marito docemur, quod consideretur auditio, & silentium in die voti; ad confirmandum unde probatur? tu ita argumentaris; cum ipsi facultas sit tum confirmandi, tum contradicendi, si didici pro abolitione, quod contradictio sit eadem ac abolitio, & silentium, & auditio in die voti, ita etiam in confirmatione consideratur interdictio æque ac abolitio, & silentium, & auditio in die voti. Minime; quod si dixisti pro abolitione, quæ differt a suo generali; idcirco ita pro ea consideratur silentium, &

au-

auditio in die voti, idem dices in confirmatione, quæ non differt a suo generali, & ideo non considerabitur silentium, & auditio in die voti; non possum uti hoc argumento, argumentum sumam a marito; quoniam igitur maritus irritum facit, & pater irritum facit; sicuti pro marito consideratur silentium, & auditio in die voti, etiam pro patre considerabimus silentium, & auditionem in die voti. Præterea *probatur argumento* a minori ad majus; si pro marito, qui non omnem habet potestatem, consideratur silentium, & auditio in die voti; pro patre, qui omnem auctoritatem habet, non considerabitur silentium, & auditio in die voti? minime; quod si dixisti in marito, qui irritum facit, cum adulta facta sit, idcirco pro eo consideratur silentium, & auditio, pro patre idem dices, qui irritum facere non potest, quando adulta facta sit? quoniam uti non possum argumento, ideo dictum est: *Istæ sunt Leges, quas constituit Dominus Moysi inter virum, & uxorem, inter patrem, & filiam &c.* necessario argumentari debes ex patre ad virum, sicuti pro marito consideras silentium, & auditionem in die voti, etiam pro patre considerare debes silentium, & auditionem in die voti. *Propitius erit ei Dominus*; si vovisset, & corde abrogasset, & ivisset, & de industria egisset; unde probatur, quod venia opus habeat? ex eo quod dicit; *propitius erit ei Dominus*; ex hoc igitur argumentari potest: si vota, quæ irrita facta sunt, venia opus habent, eo magis vota, quæ irrita non sunt facta; cui hoc simile est? illi, qui vellet edere carnem suillam, & agni carnem comederet; si ille, qui intentionem habet comedendi carnem suillam, & comedit agni carnem, venia opus habet; eo magis ille, qui intentionem habet comedendi carnem suillam, & eam comedit. *Contradixerit pater*; si irritum faciat pater, irritum factum est; si diceret: ego non ignoro, quod omnia vota, quæ audit pater, irrita facit, crederem irritum factum esse; ideo dictum est: *contradixerit pater*; si pater contradicit, irritum factum est, si secus, non est irritum factum; si tutori diceret, irrita fac omnia vota, quæ voverit filia, donec ego ex tali loco veniam, & ipse irrita fecisset, crederem irrita facta esse; idcirco dictum est: *si contradixerit pater*; *si pater contradixerit*, pater irritum facit, si secus, non est irritum factum: verba R. Josiu. R. Jonathan dicit, deprehendimus ubique, legatum haberi instar ejus, a quo legatus sit. *Si maritum habuerit, & voverit aliquid*: hoc spectat ad desponsatam; tu dicis spectare ad desponsatam; at ego dicam ad nuptam spectare, quando ita dicit; *uxor in domo viri cum se voto constrinxerit*; ecce hic nupta definitur; de qua igitur loquitur (*quando dicit*) si maritum habuerit, & voverit aliquid? hæc est desponsata, verba R. Josiæ. R. Jonathan dicit; sive una, sive altera sit, non venit textus nisi ad distinguendum locum in quo sit; omni eo tempore, quo vivit in domo patris, pater & maritus irrita faciunt vota, quando nupta est, pater non amplius vota irrita facit. *Et voverit aliquid*; vota sua, quæ secum adduxit a domo sui patris ad domum mariti; tu dicis sua vota, quæ secum adduxit a domo sui patris ad mariti domum; ego dicam esse vota, quæ vovit, dum sub ejus potestate non erat; dixisti? *probatur argumento* a minori ad majus; si potest irritum facere votum, quod vovit dum sub ejus potestate non erat, eo magis vota, quæ vovit sub ejus potestate; altera interpretatio: *& voverit aliquid*; vota, quæ non fuere confirmata, neque irrita facta, ego dicam vota, quæ fuerunt confirmata, aut irrita facta sunt; tu ita argumentaris: quoniam maritus irritum facit, & pater irritum facit. Quemadmodum pater non facit irrita, nisi vota, quæ confirmata non fuere, neque irrita facta sunt; ita maritus. Et præterea *probari potest argumento* a minori ad majus; si pater qui omnem potestatem habet, non potest irrita facere vota, quæ neque fuere confirmata, neque irrita facta sunt, maritus, qui summam auctoritatem non habet, non erit æquum, ne irrita faciat, nisi ea vota, quæ neque fuerunt confirmata, neque irrita facta sunt? minime; quod si dixisti in patre, qui non potest irrita (*vota*) facere quando adulta facta est, idcirco non irrita facit nisi ea vota, quæ neque confirmata fuere, neque irrita facta sunt; idem dices de marito, qui irrita facit vota, quando adulta facta

sit? hac de causa irritum faciet quodlibet votorum genus? Non possum uti hoc argumento; ideo dictum est: *istæ sunt leges quas constituit Dominus Moysi, inter virum & uxorem, inter patrem & filiam*; Idcirco necessario æquiparandus est pater marito; sicuti pater non irrita facit vota, quæ neque fuere confirmata, neque irrita facta sunt, etiam maritus non irrita facit nisi vota, quæ neque fuere confirmata, neque irrita facta sunt; *& semel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit*; hæc labiorum pronuntiatio non designat nisi juramentum juxta versiculum, qui dicit: *Anima quæ juraverit, & protulerit labiis suis*. Levit. 5. 4. *Audierit vir*, ad excludendum surdum, audierit vir, non probo nisi quando ipse audierit; si alii illi significassent, unde probatur? ex eo quod dicit: *voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat*; donec pro ea intentionem habeat; quod si uxor vovisset, & diceret, ego putabam, quod esset mea filia, potest iterum irritum facere, juxta id quod dictum est: *& non contradixerit pro ea*, donec pro ea intentionem habeat. *Voti rea erit*; quod si vovisset, & confirmasset, & rursus irritum fecisset, ego credere possim, irritum fieri; & quo pacto explicabo; *& voti rea erit?* priusquam iritum fecerit; an dicam, postquam irritum fecerit? & quomodo explicabo, *& irritas fecerit pollicitationes ejus, verbaque?* priusquam confirmaverit; an dicam, postquam confirmaverit? ideo dictum est; *& voti rea erit*, docemur a textu, quod non possit facere irritum quodcunque votum, quod una hora confirmaverit. *Sin autem audiens statim contradixerit*; docemur pro marito, quod contradictio est abolitio, docemurque, quod silentium, & auditio considerantur in die voti; *& irritas fecerit pollicitationes &c.* Vota, quæ super ea fuerint, irrita facere potest, & non ea vota, quæ super ea non fuerint, quia R. Eliefer dicebat, quod irrita facere possit; & argumento probatur: si quando irrita non potest facere vota sui ipsius, postquam voverit, is potest irrita facere vota sui ipsius, priusquam voverit: quando potest irrita facere vota uxoris postquam voverit, non erit æquum, ut possit irrita facere vota uxoris priusquam voverit? ei responderunt, nonne dixit Lex (*& irritas*) *fecerit pollicitationes ejus*? Vota, quæ super ea sint, irrita potest facere, non ea vero vota, quæ super ea non sint. Alia glossa; ejus vir confirmabit, & ejus vir irritum faciet; quod potest confirmari, potest irritum fieri, & quod confirmari non potest, non potest fieri irritum; *propitius erit ei Dominus*; ecce illa, quæ voverit, & abolevit. *Vidua & repudiata quicquid voverint*; post matrimonium; tu dicis post matrimonium; at ego dicam post sponsalia; tu ita argumentaris: quoniam nuptæ vota pater irrita non facit, & viduæ vota pater irrita non facit, sicuti nupta, quæ exierit a potestate patris, ita etiam vidua, quæ liberata sit a potestate patris; An dicam, etiamsi vidua esset, aut repudiata, & alii nupta esset, quod pro ea legam: *vidua, & repudiata quicquid voverint?* an pro vidua summo Sacerdoti nupta, aut pro repudiata, atque ea, quæ exuerit calceum, nupta Sacerdoti idiotæ? ideo dictum est: *uxor in domo viri sui cum se voto constrinxerit*; in quolibet casu. *In domo viri sui cum se voto constrinxerit*; pro nupta textus hic agit; an dicam, quod agatur de desponsata? quando inquit, *uxor* ecce desponsata, de qua agitur; quid necesse erat ut diceret, *in domo viri sui constrinxerit*? Hic agitur de nupta, verba R. Ismaelis. R. Akiba dicit, hæc est pupilla vivente patre; *si audierit vir*, ad excludendum surdum; si audierit vir, non probo nisi quando ipse audiat; quando alii ei significent, unde probatur? ex eo quod dictum est: *voti rea erit, reddetque, quodcumque promiserat*. *Et tacuerit*; hoc est silentium ad confirmandum; tu dicis esse silentium ad confirmandum, at ego dicam non esse silentium nisi ad commovendam eam ad iram; quando vero dicit: *& si tacendo tacuerit*, ecce silentium ad commovendam eam ad iram; quomodo igitur explicandum erit, *& tacuerit*? Hoc est silentium ad confirmandum; *reddet quodcumque promiserat*; quod si vovisset, & confirmasset, & rursus irritum fecisset, crederem irritum factum esse; quomodo explicabo, *reddet quodcumque promiserat*? priusquam irritum faciat, an dicam, postquam irritum fecerit? quomodo explicabo, *& contradixerit?* priusquam confirmaverit; an dicam postquam confirmaverit? ideo dictum est: *nec contradixerit*;

xerit; docemur a textu, quod ei potestas sit integrum diem irritum faciendi. *Cum se voto constrinxerit, & juramento &c. non tenebitur promissionis rea &c.* ad excludendum procuratorem. *Quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit*; si maritus irritum faciat, irritum fit (votum) si secus, non fit irritum; si illa diceret, ego non ignoro, quod meus vir, irrita faciat omnia vota, quæ audit, crederem irrita facta esse; ideo dictum est: *quia maritus contradixit*; si irrita facit maritus, irrita facta sunt, si secus, non sunt irrita facta; si diceret procuratori; fac irrita omnia ea vota quæ voverit mea uxor, donec veniam a tali loco, & ille irrita fecisset, crederem irrita facta esse; ideo dictum est: *quia maritus contradixit*; si maritus irrita faciat, irrita facta sunt, si secus, non sunt irrita facta: verba R. Josiæ. R. Jonathan dicit, ubique deprhendimus legatum esse instar ejus, a quo sit legatus; *Et Dominus ei propitius erit*; ecce illa quæ voverit, & aboleverit (vota) *si voverit, & juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam*; cur dictum est? quia dictum est; *contradixit*. Ego putabam tam vota afflictionis animæ, quam ea quæ non sunt afflictionis animæ; ideo dictum est: *si voverit, & juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam &c.* Non dixi nisi pro votis, in quibus sit afflictio animæ; vota, quæ ipsi cum ipsa intercedunt, unde probantur? ex eo quod dictum est: *istæ sunt leges quas constituit Dominus Moysi inter virum & uxorem, inter patrem & filiam*. Ego existimarem tam pro iis, in quibus sit afflictio animæ, quam pro iis, in quibus nulla sit animæ afflictio; ideo dictum est: *si voverit, & juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam*. Si potest irritum facere illud votum, quod non profanatur nisi pro aliis, ita irrita facit reliqua omnia vota, quæ non profanantur nisi pro aliis; verba R. Josiæ. R. Jonathan dicit: deprehendimus, quod ille irritum reddit votum, quod non profanatur pro aliis, nisi pro ipso; at quo pacto? Si diceret, mihi sint prohibiti omnes mundi fructus, is irritum facit; mihi sint prohibiti fructus hujus provinciæ, adducet ex alia provincia; fructus hujus tabernarii mihi sint interdicti, is non potest irritum facere; sed sicuti hoc est votum, quod non profanatur pro aliis nisi pro ipso, & is irritum facere potest, ita &c. non probo nisi pro marito, qui non facit irritum nisi votum, quod intercedit inter ipsum, & ipsam, & votum, in quo sit afflictio animæ; de patre unde probatur? Tu ita argumentaberis; cum pater irritum faciat, & maritus irritum faciat, sicuti maritus non facit irrita nisi ea vota, quæ sunt inter ipsum, & ipsam, & vota, in quibus sit afflictio animæ, etiam pater non potest facere irrita nisi ea vota, quæ sunt inter ipsum, & ipsam, & vota, in quibus sit afflictio animæ; an dicam in contrarium? Pater irrita facit (*vota*) & maritus facit irrita, sicuti pater quæcumque vota facit irrita, etiam maritus quæcumque vota irrita facere poterit. Et quomodo explicabo: *si voverit & juramento se constrinxerit, ut per jejunium, & cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam?* pro tempore, quo est adulta; sed in diebus ætatis puellaris dicam, quod omnia irrita possit facere vota? ideo dictum est, *in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari*. Ætatem puellarem in domo patris dixi, & non ætatem puellarem in domo mariti; argumentatus sum, & sum argumentatus e converso, & refutavi argumentum e converso, & primo argumento uti possum; pater irrita facit vota, & maritus facit irrita; sicuti maritus non facit irrita nisi ea vota, quæ sunt inter ipsum & ipsam, & vota, in quibus sit afflictio animæ; etiam pater non facit irrita nisi ea vota, quæ sunt inter ipsum, & ipsam, & vota, in quibus sit afflictio animæ. Et præterea *probatur argumento* a minori ad majus; si maritus potest irrita facere *vota*, quæ adulta conceperit, non potest tamen irrita facere nisi ea vota, quæ sunt inter ipsum, & ipsam, & vota, in quibus sit afflictio animæ; pater qui non potest irrita facere vota, quæ adulta conceperit, non erit æquum &c. minime; quod si dixisti pro marito, cui non est absoluta potestas, & ideo non potest irrita facere nisi ea vota, quæ sunt inter ipsum, & ipsam, & vota in quibus sit afflictio animæ, dices idem pro patre, cui est absoluta potestas? idcirco poterit facere irritum omne genus votorum; igitur argumento uti non possum, idcirco dictum est: *Istæ sunt leges quas constituit Dominus Moysi inter virum & uxorem, inter patrem & filiam*; quemadmodum maritus non facit irritum nisi votum, quod est inter ipsum, & ipsam, & votum, in quo sit afflictio animæ, ita etiam pater &c. In arbitrio viri erit ut faciat, sive non faciat. Si vovisset pro ficubus & uvis; si confirmasset quoad ficus, totum (*votum*) confirmatum est; si irritum fecisset pro ficubus, non irritum factum est, nisi irritum etiam faciat pro uvis: verba R. Ismaelis. R. Akiba dicit; in arbitrio viri erit, ut faciat sive non faciat, si vovisset pro ficubus, & uvis, & a sapiente solutionem postulasset, & solvisset pro ficubus, & non pro uvis, totum solutum est, si ficus prohibuisset, & non uvas, & uvas & non ficus, prohibitum est, si irritum fecisset *votum* quoad ficus maritus, & non quoad uvas, & quoad uvas, & non quoad ficus, totum irritum factum est: si confirmasset quoad ficus, & non quoad uvas, & quoad uvas, & non quoad ficus, totum confirmatum est; at quando id intelligitur? quando est unum votum; at si dixisset, nolo gustare ficus, & prætera, nolo gustare uvas, & solutionem a sapiente petisset, & solvisset pro ficubus, & non pro uvis, pro uvis, & non pro ficubus, & irritum fecisset *votum* maritus, pro ficubus & non pro uvis, aut pro uvis, & non pro ficubus, confirmatio habetur ut ejus confirmatio, & abolitio ut ejus abolitio. *Quod si audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam*; hoc est silentium ad commovendam eam ad iram; tu dicis ad commovendam eam ad iram? at ego dicam esse silentium ad confirmandum; quando dixit, *& tacuerit*; hoc est silentium ad confirmandum; ecquid nos docet quando dicit, *si tacendo tacuerit?* hoc est silentium ad commovendam eam ad iram; מיום אל יום de die in diem, ego crederem de tempore in tempus; ideo dictum est; *quicquid voverat, atque promiserat, reddet*, quia statim ut audivit, tacuit, in die quo audivit. R. Simeon filius Jochai de tempore in tempus; ecce Lex dixit de die in diem. Sin autem contradixerit postquam rescivit, post confirmationem voti; tu dicis post confirmationem voti; at ego dicam postquam rescivit juxta sensum suum; quando dicit; *quod si audiens vir tacuerit & in alteram diem &c.* ecce auditio, de qua dicitur; quomodo igitur explicabo, *sin autem contradixerit*, postquam rescivit? post confirmationem voti; *Portabit ipse iniquitatem ejus*; a textu docemur, quod ipse in illius locum succedit propter delictum. Hinc igitur argumentari potes a minori ad majus: si in parte pœnæ, quæ minorem vim habet, qui peccandi socio occasionem præbeat, in ejus locum succedit; eo magis in parte prœmii, quod majorem vim habet. *Istæ sunt leges quas constituit Dominus Moysi inter virum & uxorem, inter patrem & filiam*; necessario æquiparandus est pater marito, & maritus patri in omnibus iis rebus, quas commemoravimus. *Quæ in puellari adhuc ætate est* . . . . . in parentis domo; *in puellari ætate* in domo, patris dixi, & non in puellari ætate in domo mariti. R. Ismael dicit, in *puellari ætate* in domo sui patris; de puella desponsata textus loquitur, cujus pater, & maritus irrita facere debent vota. *En tibi totum caput tricesimum* Num. *antiquissimo, maximæque, cum apud Hebræos, tum apud Christianos auctoritatis commentario illustratum.*

3 *Et per totum Codicem &c. suo loco, ut in prodromo polliciti sumus, tibi dabimus integrum tractatum* Maimonidis *de* votis, *&* Additamenta ad Codicem de votis *nunc primum ex hebraico latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata.*

4 *Personæ secundum &c. Siphra ad cap. 27. Levit.* Filii Israelis se æstimant, at gentiles non se æstimant: crederem, quod ne æstimarentur quidem; ideo dicit; *homo*, verba R. Meyr; dixit R. Meyr, unus sensus includit, & alter excludit; quia ego dico, ii se non æstimant, sed (*ab aliis*) æstimantur, cum major sit numerus æstimatorum, quam se æstimantium; etenim stultus, parvulus, & surdus æstimantur, sed se non æstimant. R. Jehuda dicit, filii Israelis æstimantur, at gentiles non æstimantur, crederem, quod se non æstimarent; ideo dicit, *homo*; dixit R. Jehuda: textus continet unam significationem, quæ includit, & alteram significationem, quæ excludit,

cur

cur igitur dico, quod se æstiment, & non æstimentur? Quia video esse majorem partem eorum, qui se æstimant, quam eorum, qui æstimantur, quod obstructus, & androgynus se æstimant, at non æstimantur. Ex eo quod dicit textus, *filiis Israel*, crederem non probari nisi pro filiis Israelis; unde probatur ad includendum proselytos, & servos? ex eo quod dicit, *& dices ad eos*, *homo*; excludit minorennem: possemne etiam excludere minorennem judicio præditum? ideo dicit, *qui votum fecerit*; quando votum fecerit (num. VI. 2.) dictum est hoc loco votum, & dictum est ibi votum (num. 32. 2.) sicuti votum hoc loco dictum designat, quando voverit; etiam votum ibi dictum significat, quando voverit; sicuti in voto eo loci dicto prævaricatur, si solutionem tardabit, etiam in voto hic dicto prævaricatur, si solutionem tardabit. *Qui votum fecerit, & spoponderit . . . sub æstimatione*; æquiparat vota æstimationi, sicuti in votis non debet tardare solutionem, etiam in æstimatione non debet tardare solutionem. *Sub æstimatione*, ad includendam æstimationem indefinitam; alia glossa; *sub æstimatione*; sui totius æstimationem ille dat, at non æstimationem suorum membrorum. Crederemne excludendum etiam membrum, a quo anima dependet? ideo dicit: *animas* (*ita Hebræus textus*) *animas*, non mortuum, excludam mortuum, & non excludam eum, qui in agone mortis versatur? ideo dicit, *statuet pretium*; quod vivit, æstimatur, sed quod non vivit, non æstimatur. Alia glossa: quid necesse est ut dicat, *animas*? Ego dicerem non probari nisi pro una, quæ se obligaret ad æstimationem unius; de una, quæ se obligaret ad æstimationem centum, unde probatur? ex eo quod dicit, *animas*. Alia glossa, *animas*, cur dicit *animas*? quia ego dicerem non probari nisi pro homine, qui se obligasset ad æstimationem mulieris; de muliere, quæ se obligasset ad viri æstimationem, unde probatur? ex eo quod dicit, *animas*. Alia glossa, cur dicit *animas*? Quia ego dicerem, quod is, qui comprehenditur in pretio, comprehendatur in æstimationibus, homo inquinatus, & ulceratus, qui nullius sunt pretii, dicam, quod in æstimationibus non includantur, ideo dicit: *animas*.

5 *Maris* ערך *&c. Siphra ibidem. Si fuerit*. Quid dicendum illud erat? Quia ego poteram dicere; Qui æstimari possunt, in pretio comprehenduntur; obstructus & androgynus, qui æstimari non possunt, non includentur in pretio; ideo dicit: *si fuerit masculus*, *& non obstructus*, *& androgynus*; crederem non comprehendi in numero hominum, sed in numero mulierum, ideo dicit: *si mulier*, masculus certus, & fœmina certa, & non obstructus, & androgynus. Et unde probatur, quod annus sexagesimus sit ut anni inferiores? ex eo quod dicit; *sexagenarius & ultra masculus*; docemur, quod annus sexagesimus sit ut inferior. Non probatur nisi pro anno sexagesimo; annus quintus & vigesimus unde probatur? Argumento probo; obligo annum sexagesimum, & obligo annum quintum, & vigesimum; sicuti annus sexagesimus est ut inferior, etiam quintus & vigesimus est ut inferior. Itane? Si considerasti annum sexagesimum ut inferiorem, ad aggravandum, considerabimus annum quintum & vigesimum ad allevandum? ideo dicit: *annum*, *annum*, a pari; sicuti *annus* dictus in sexagesimo facit, ut consideretur ut inferior, etiam *annus* dictus in quinto & vigesimo, consideratur ut inferior sive ad aggravandum, sive ad allevandum. R. Eleasar dicit; unde probatur unum mensem, & unum diem post sexagesimum denotare etiam sexagesimum? ex eo quod dicit, *& ultra*; dictum est hoc loco: *& ultra*, & dictum est alibi (Num. 3.) *& ultra*; sicuti ibi denotat mensem & unum diem; ita etiam hic denotat mensem, & diem esse uti sexagesimum. Non probo nisi post annum sexagesimum; post quintum, post viginti annos unde probatur? argumento; obligat post sexagesimum, & obligat post vigesimum, & post quintum; sicuti post sexagesimum unus mensis, & unus dies est ut sexagesimus: ita etiam post quintum, & post vigesimum, unus mensis & unus dies est, ut annus quintus, & vigesimus. *Codex Erachim cap. II.* Æstimationis pretium non debet esse minus sela, neque majus quinquaginta Selis; quomodo? si dederit Selam, & postea ditior factus fuerit, non dabit quicquam. Si minus Sela, & postea ditior evaserit, quinquaginta dabit Selas. Si alicui sint quinque Selæ, R. Meyr dicit, non plus quam unam dabit Selam. Sapientes dicunt, omnes dabit; Pretium æstimationis non debet minus Sela, nec plus quam quinquaginta. *Et cap. quarto ibidem*. Quomodo se res habet cum annis illius, qui votus est? Si juvenis æstimaverit senem, det pretium senis, si senex æstimaverit juvenem, det pretium juvenis. Quomodo se habent pretia in æstimatis? Si vir æstimaverit mulierem, det pretium mulieris, si mulier virum, det pretium viri. Quomodo se habet pretium secundum tempus? si præcesserit is, qui nondum quinque annos natus est, & postea ultra quinque annos pervenerit, vel infra viginti annos, & postea ultra viginti annos, det secundum tempus pretii. Dies tricesimus est ut inferior, annus quintus & vigesimus est ut inferior, sicuti dicitur Levit. 27. 7. Propterea omnia tempora colligimus ex anno sexagesimo; nempe, quemadmodum annus sexagesimus est ut inferior; ita etiam annus quintus & vigesimus sunt ut inferiores. Si annum sexagesimum constitueris ut inferiorem ad aggravandum, constitues annum quintum & vigesimum ut inferiorem ad allevandum? ad hæc dicit Lex, *annum*, *annum*, æqualibus vocibus, nempe sicuti annus dictus de sexagesimo est similis inferiori, ita quoque annus dictus de quinto, & annus vigesimus sunt ut inferiores tam ad allevandum quam ad aggravandum. R. Eleasar dicit, donec de annis redundaverit mensis, unusque dies.

6 *Qui victimam &c. Siphra ibidem ad vers. 9. 10.* Si dixisset, pes hujus sit in holocaustum, crederem, totum esse holocaustum; ideo dicit: *animal quod immolari potest Domino*, *siquis voverit*, *sanctum erit*, non totum erit sanctum; crederem adhiberi posse in usum profanum, ideo dicit: *sanctum erit*, totum; Quid de eo faciendum est? Vendendum est iis, qui debent holocausta, & pretium erit profanum, excepto pedis pretio, verba R. Meyr; & R. Jehuda, & R. Jose, & R. Simeon dicunt, unde probatur, si diceret, pes hujus sit holocaustum, quod totum debeat esse holocaustum? ex eo quod dicit: *quod immolari potest Domino*, *siquis voverit*, *sanctum erit*, *sanctum erit* ad includendum totum (animal). Crederem, quod etiam sanctitates ad templum reparandum commutationis lege tenerentur? ideo dicit: *sacrificium*, excluduntur sanctitates ad templum reparandum, quæ commutationis lege non tenentur, quia non sunt sacrificium; excludam sanctitates ad templum reparandum, quæ non sunt sacrificium, & non excludam *sacrificium* congregationis? ideo dicit: *& mutari non poterit*; excludam *sacrificium* cœtus, & non excludam *sacrificium* duorum sociorum? ideo dicit, *& mutari non poterit*; privatus (sanctificat) commutatum, sed cœtus, & duo socii non sanctificant commutatum. Dixit R. Simeon, nonne decima inclusa erat in genere *sanctitatum*? cur exiit igitur? ut sibi reliquas res æquipararet, sicuti decima distincta est, & est sanctitas, & sacrificium privati, ita non includam quam sacrificium privati. Igitur si tu æquiparasin hac parte, ita in reliquis partibus, quæ id obtinent, æquiparare debes; sicuti decima est distincta, & est sanctitas altaris, & observatur in bobus, & in ovibus, & definitur ei tempus, ut comedatur duobus diebus, ita non includam nisi ea, quæ illi sint similia. Unde probatur ad includendum sanctitates sanctitatum, & sanctitates leves privati? ex eo quod dicit: *animal*, *& si animal. Et mutari non poterit*, res sanctæ ab sanctitate ad commutatum, non autem commutatum ad commutatum. R. Jehuda dicit, fœtus sanctificat commutatum; ei responderunt: sanctitas sanctificat commutatum, non fœtus, neque commutatum sanctificant eorum commutatum, *nec melius malo*, *nec pejus bono*, perfecta ut vitiosa, & vitiosa ut perfecta; unde probatur malum esse vitiosum? e versu, qui dicit: *Non immolabis Domino Deo tuo ovem & bovem*, *in quo est macula*, *aut quippiam vitii*. *Et si mutando mutaverit* (*ita Hebræus*) ad includendum mulierem; *& si mutando mutaverit*, ad includendum hæredem, בהמה בבהמה *animal cum animali*, unum cum duobus, aut duo cum uno; *animal cum animali*, unum cum centum, & centum cum uno. R. Simeon dicit *animal*, *cum animali*, & non animal cum animalibus; ei responderunt, pro uno animali dicitur animal, pro multis animalibus dicitur etiam animal. *Animal cum animali*, non animal cum avibus, neque aves cum animali; *animal cum animali*, & non ani-

animal cum muneribus, neque munera cum animali; non eſt animal illis ſimile. *Animal cum animali*, & non animal cum fœtibus, neque fœtus cum animali. *Animal cum animali*, & non animal cum adipibus, neque adipes cum animali, neque membra cum integris, neque integra cum membris. R. Joſe dicit; commutantur membra cum integris, at non integra cum membris. Dixit R. Joſe, nonne in conſecratis, ſi dicat, pes hujus animalis ſit holocauſtum, totum animal eſt holocauſtum? etiam quando dicit, pes hujus ſit loco hujus, ejus loco fit totum commutatum. *Et ipſum quod mutatum eſt, & illud pro quo mutatum eſt, conſecratum erit Domino*. Ubinam in illud cadit ſanctitas? in domo dominorum, etiam commutatum in domo dominorum. Nonne primogenitum commutatur in domo dominorum, & non commutatur in domo Sacerdotis? Verba R. Akibæ. Dixit R. Jochanan filius Nuri, qua de cauſa non fit commutatio in primogenito? ei reſpondit R. Akiba: ſacrificium pro peccato, & ſacrificium pro delicto ſunt dona Sacerdoti & primogenitum eſt donum Sacerdoti; ſicuti ſacrificia pro peccato, & pro delicto non commutantur, etiam primogenitum commutari non poteſt; ei reſpondit R. Jochanan filius Nuri, ſi non commutant ſacrificium pro peccato & pro delicto, *cauſa eſt*, quia in iis, dum viva ſunt, nullum (*Sacerdotes*) jus habent. Idem dices in primogenito, in quo jus habent, dum vivum eſt? ei reſpondit R. Akiba; argumento argumentatus es, argumentare juxta textum: *& ipſum quod mutatum eſt, & illud, pro quo mutatum eſt, conſecratum erit Domino*; ubinam igitur in illud cadit ſanctitas? in domo dominorum; etiam in commutatum in domo dominorum. Sed ubi dederit Sacerdoti, neutri poteſtas eſt commutandi. *Et illud*, ſanctum commutatur, commutatum autem non commutatur. In contrarium diſputari poterat: ſi animal conſecratum, in quo, ſi vitium ſtabile contraxerit, non reſidet ſanctitas, vim habet ſanctificandi commutatum, commutatum, in quo reſidet ſanctitas, etiamſi vitium ſtabile contraxerit, non erit æquum, ut commutari poſſit? ideo dicit: *& illud . . . . . . conſecratum erit Domino*; Illud ſanctificat commutatum, non autem commutatum commutatum. *Conſecratum erit*, docemur quod in eo reſideat ſanctitas, etiamſi vitium ſtabile contraxerit; in contrarium diſputabatur. Si in conſecrato, quod vim habet ſanctificandi commutatum, non reſidet ſanctitas, ſi vitium ſtabile contraxit; in commutato, quod vim non habet ſanctificandi commutatum, non erit æquum, ut non reſideat ſanctitas, ſi vitium ſtabile contraxerit? ideo dicit, *conſecratum erit*, docemur, quod in eo reſideat ſanctitas, etiamſi vitium ſtabile contraxerit. R. Joſe filius R. Jehudæ dicit, *conſecratum erit*, ad conſiderandum eum qui de induſtria facit, æque ac illum, qui ex ignorantia facit.

[7] *Animalia immunda &c. Siphra ibidem. Animal*; crederem, quod de animali immundo textus ageret; quando vero dicit. *Quod ſi immundum eſt animal, redimet*; eo loci exprimitur animal immundum. Igitur hic non agitur, niſi de ſanctis reprobis, quæ ſunt redimenda; crederem fuiſſe redimenda propter vitium inſtabile; ideo dicit: quod *immolari domino non poteſt*; excluditur vitium inſtabile, quod idoneum eſt, ut poſtero die offeratur. *Immundum*, ad includendum animal mortuum, crederem, etiam ſi diceret, ego voveo, & ſanctifico hoc animal, & moriatur, quod eſſet redimendum; idcirco dicit: *ſtatuet pretium*, quod vivit, habet pretium, quod autem non vivit, pretium non habet; unde probatur ad includendum animal mortuum, & excludendum illud, quod quis dixiſſet, ſit hoc conſecratum, & moriatur poſtquam incluſit textus, excludit; id argumentemur ab animali immundo; quemadmodum animal immundum eſt diſtinctum, quod æqualis eſt hora ſuæ redemtionis horæ ſuæ conſecrationis, ita etiam includo mortuum, quod æquale eſt momentum ſuæ redemtionis momento ſuæ conſecrationis, & excludo illud, quod quis dixiſſet, hoc ſit conſecratum, & poſtea moriatur, quod non eſt æquale momentum ſuæ redemtionis momento ſuæ conſecrationis. Igitur quod explicas in una tantum ſuarum partium, explicabis in omnibus ſuis partibus? Sicuti animal immundum eſt diſtinctum, & eſt principium conſecrationis, & in eo obtinet prævaricatio, & totum Deo ſacrum eſt, ita ego non includam, niſi ejus ſimilia; & quænam ſimilia habemus? Juvencos, & hircos, qui comburebantur; unde probatur ad includendum ſanctitates ſanctitatum, & ſanctitates leves tam cœtus, quam privati? ex eo quod dicit, *animal, & ſi animal, & ſi omne animal. Adducetur ante Sacerdotem*; animal redimebatur, ſed aves, & ligna, & thus, & vaſa ſacra non redimebantur; *qui judicans utrum bonum an malum ſit, ſtatuet pretium*; redimebantur res ſacræ non adhibita multa animadverſione. *Et juxta pretium, quod ab eo fuerit conſtitutum venumdabitur*. Si unus diceret, meum eſt pro decem Selis, & alter diceret, meum eſt pro viginti, & alter diceret, meum eſt pro triginta, & quartus diceret, meum eſt pro quadraginta, & quintus diceret, meum eſt pro quinquaginta, ſi qui obtulerit quinquaginta, pœnituerit; oppignorant bona illius pro decem ſelis; ſi qui obtulerit quadraginta, pœnituerit, oppignorant de bonis ejus uſque ad decem, ſi pœnituerit, qui triginta obtulerit, oppignorant de bonis ejus uſque ad decem, ſi pœnituerit, qui viginti obtulit, oppignorant de bonis ejus uſque ad decem, ſi pœnituerit, qui decem obtulit, vendunt pretio ipſorum, & de bonis, qui decem obtulit, reſiduum exigunt. *Et ſi recuperando recuperaverit* (ita Hebræus) ad includendam mulierem; *& ſi recuperando recuperaverit*, ad includendum hæredem, *addet ſupra æſtimationem quintam partem*; ſi duo adeſſent, quorum, alter addit quintam partem, & alter non addit quintam partem, & ignoremus, uter debeat addere quintam partem, Dominuſne, an reliqui homines; ſicuti deprehendimus in reliquis redemtionibus, quæ ulterius *commemorantur*, quod domini addant quintam partem, & non reliqui homines addant qnintam partem, etiam in redemtionibus hoc loci expreſſis, domini, non reliqui homines addent quintam partem. *Maimonides de rebus altari interdictis cap. I. 9.* Si quis beſtiam vitio contaminatam altari conſecraſſet, ut verberaretur, beſtia nihilominus ſacra fuiſſet, quæ pro æſtimatione Sacerdotis redemta rurſus communis evadebat, pretium ejus in ſacrum impendebatur; eadem ratio tenebatur & in beſtia, cui jam ſacræ vitium aliquod obortum eſſet. Atque jubente Lege ſancitum eſt, ut beſtiæ ſacræ, in quibus vitium eſt exortum, pretio redimantur, communes fiant, atque comedantur; namque ſcriptum videmus: *ſi autem comedere volueris, & te eſus carnium delectaverit &c.* Atque boc auditum habemus; Scripturam hic de animantibus ſacris, quæ temeratæ ſunt, præcipere, ut pretio redimantur. Jam Legis illud, *animal autem immundum, quod immolari Domino non poteſt*. Levit. 27. 11. interpretandum eſſe de animantibus vitio affectis, quæ pretio redemtæ fuerunt, in tractatu de æſtimationibus diſputavimus. Quid autem differebat inter contaminatam perpetuo, & affectam vitio temporali beſtiam? Nempe ſiquis contaminatam perpetuo vitio beſtiam conſecraſſet, eaque adhuc ſacra enixa eſſet, fœtus ejus redimebatur, atque communis evadebat, quamvis eſſet integer, eam ob cauſam ne acceſſio magis auguſta quam ſors eſſet. Quæ ſi beſtia antequam redimeretur, fieret gravida, tum poſt factam redemtionem enixa eſſet, fœtus ejus communis fuiſſet. Eadem ſi moreretur ante factam redemtionem, poſt mortem etiam redimeretur. Etenim conſecrationis religio perfecta cadebat, non in corpus ejus, quæ perpetuo vitio contaminata erat, beſtiæ, ſed in pretium. Cum vero hoſtia conſecraretur aut vitio affecta temporali, aut integra, atque poſt dedicationem oboriretur vitium perpetuum, ſi moreretur beſtia priuſquam pretio redemta fuiſſet, perinde ut integra reliqua ſacra, humaretur, quia enim iſtam Sacerdoti ſiſti oportebat, atque ab eodem æſtimari ſic, ut tractatu de æſtimationibus explicatum eſt.

[8] *Primogenita animantium &c. Siphra ad verſ. 26. Primogenita quæ ad Dominum pertinent, nemo ſanctificare poterit, & vovere*. Si diceret, primogenitum non ſanctificabit, crederem, quod ille, qui ſit primogenitus non poſſit ſanctificare; ideo dicit *illud*, illud non poteſt ſanctificare, ſed vir qui fuerit primogenitus, poteſt ſanctificare; ego ita argumentabor: ille non poteſt ſanctificare, ſed alii poſſunt ſanctificare; idcirco dicit *in beſtiis* (ita Hebræus) de beſtiis agitur. Crederem, quod non deberet in utero ſanctificare, ideo dicit; *primogenita . . . . . nemo ſanctificare poterit*; poſtquam ſit primogenitum ſanctificare non

potes

potes; ſed cum fuerit in utero, potes conſecrare; hinc dixerunt non poteſt adhiberi cautela de primogenito. R. Iſmael dicit, unde probatur non poſſe conſecrari primogenitum? Et ex eo quod dicit; *primogenita . . . . . nemo ſanctificare poterit*; crederem non poſſe conſecrari ne conſecratione quidem aſcendente? idcirco dicit, *quidquid eſt ſexus maſculini*, *ſanctificabis*. Deut. 15. 19. Quid vidiſti ut includeres conſecrationem aſcendentem, & excluderes ab conſecratione altaris? poſtquam incluſit textus, excludit. Cur includo conſecrationem aſcendentem? quia reſidet in toto ſacrificio, & excludo ab conſecratione altaris, quia in toto non probatur niſi pro primogenito; pro omnibus rebus conſecratis unde probatur, ne mutandæ ſint ab una ſanctitate ad alteram? ex eo quod dicit, *in beſtiis* (ita Hebræus) *nemo ſanctificare poterit*. Crederem non poſſe conſecrari conſecratione aſcendente; ideo dicit: *In bobus tuis*, *& in ovibus tuis ſanctificabis* (ita Hebræus). Quid vidiſti, ut includeres conſecrationem aſcendentem, & excluderes ab conſecratione altaris? poſtquam includit textus, excludit; includo conſecrationem aſcendentem, quæ in toto reſidet, & excludo conſecrationem altaris, quæ ſuper toto non reſidet. R. Akiba dicit, unde probatur, quod nemo conſecrare debeat primogenitum? ex eo quod dicit; *primogenita . . . . nemo ſanctificare poterit*. Crederem non poſſe id conſecrari conſecratione aſcendente; ideo dicit *ſolum* (ita Hebræus;) quid vidiſti ut includeres conſecrationem aſcendentem, & excluderes conſecrationem altaris? poſtquam incluſit textus, excludit; includo conſecrationem aſcendentem, quæ ſuper toto reſidet, & excludo conſecrationem altaris, quæ ſuper toto non reſidet. Non probatur niſi pro primogenito? unde probatur pro omnibus ſanctitatibus, quod non mutandæ ſint ab una ſanctitate ad aliam? ex eo quod dicit; *nemo ſanctificare poterit*, *& vovere*, *ſive bos*, *ſive ovis fuerit*; poſſem credere non poſſe conſecrari conſecratione aſcendente; ideo dicit *ſolum*; quid vidiſti, ut includeres conſecrationem aſcendentem, & excluderes conſecrationem altaris? poſtquam incluſit textus, excludit, includo conſecrationem aſcendentem, quæ in toto reſidet, & excludo conſecrationem altaris, quæ in toto non reſidet. *Sive bos ſive ovis fuerit*, *Domini ſunt*; ille admovetur, ſed ejus commutatum non admovetur. *Codex Erachim* VIII. 7. Homo ſancta ſua devovere poteſt tam levia tam gravia; ſi votum ſit det pretium, ſi oblatio ſpontanea, det bonitatem illius. (Si dixerit) hic bos ſit holocauſtum, conſiderandum eſt, quantum alii pro iſto bove dare velint, ad holocauſtum offerendum, quod non ei licet. Primogenitum vero tam perfectum quam vitioſum devovent; at quomodo redìment? conſiderant quantum alii dare velint pro hocce primogenito, ad dandum eum filio filiæ, aut filio ſororis. R. Iſmael dicit, Deut. 15. 19. dicitur, ſanctificabis; & Levit. 27. 26. *nemo ſanctificare poterit*; at dici nequit *conſecrabis*, quia jam dictum eſt, *non conſecrabis*; nec dici poteſt, *non conſecrabis*, quia jam dictum eſt, *conſecrabis*; hinc dictum eſt, conſecrabis id conſecratione aſcendente, at non conſecrabis id conſecratione altaris.

9 *Domum Deo devotam &c. Siphra ibidem ad verſ.* 14. *Homo ſi voverit domum ſuam*, crederem, quod textus agat de domo habitationis; quando poſtea dicit; *ſin autem ille qui voverat*, *voluerit redimere eam*; ibi agitur de domo habitationis; quo pacto igitur explico, *homo ſi voverit domum ſuam*, *& ſanctificaverit*? pro aliis bonis. *Et ſanctificaverit Domino*; docemur, quod conſecrationes ſimplices cedebant reparationi templi. *Conſiderabit eam Sacerdos*, *utrum bona an mala ſit*, non redimebantur ſanctæ niſi perpenſa æſtimatione; *Et juxta pretium*, *quod ab eo fuerit conſtitutum*, *venumdabitur*. Si domini dixiſſent, mea eſt (*domus*) pro viginti, & alius pro viginti; domini præferuntur, quia ipſi addunt quintam partem; ſi quis diceret, mea ſit pro viginti & una; domini dabunt ſex & viginti, ſi pro viginti & duabus. domini dabunt ſeptem & viginti; pro tribus & viginti, domini dabunt octo & viginti; ſi pro quatuor & viginti, domini dabunt novem & viginti, ſi pro quinque & viginti, domini dabunt triginta; quia non additur quinta pars hujus additamento; ſi quis diceret pro ſex & viginti, ſi domini dare voluerint unam & triginta cum denario, domini præferuntur, ſi minus, ei dicunt, tua eſt. *Sin autem ille*, *qui voverat*, *voluerit redimere eam*, ad includendam mulierem; *ſin autem ille*, *qui voverat*, *voluerit redimere eam*, ad includendum hæredem; *dabit quintam partem æſtimationis ſupra*, *& habebit domum*, ſi dederit argentum, ſua eſt, ſi minus, ſua non eſt. *Toſaphta Erachin cap. V.* 9. Si quis ſanctificat domum ex domibus in urbe muro cincta, poteſt eam ſtatim redimere, & redimere in quinquaginta annos, ſi non redemiſſet, adjudicatur ſacro; qui vendiderit domum ex domibus in urbibus muro cinctis, per omnes duodecim menſes poteſt redimere, ſi per omnes duodecim menſes non redemiſſet, adjudicatur emtori. Si primo vendiderit, & primus ſecundo vendiderit, poteſt recuperare a manu recuperatoris, & per omnes duodecim menſes poteſt eam recuperare, ſi per duodecim menſes non recuperaſſet, ſecundo adjudicatur. Qui ſanctificat aliquam ex domibus villarum, poteſt eam ſtatim recuperare, eique vacat uſque ad Jubilæum, ſi alter recuperaſſet, cedit dominis in Jubilæo. Qui vendit aliquam ex domibus villarum, poteſt eam ſtatim recuperare, eique vacat uſque ad Jubilæum. Quod ſi etiam Jubilæus advenerit, & ipſe non recuperat, tamen cedit dominis in Jubilæo. Domus villarum, quamvis habeant parietem & tectum, non ſunt ſimiles domibus in urbibus muro cinctis.

10 *Et agros hæreditarios &c. Siphra ibidem ad verſ.* 16. *Quod ſi agrum poſſeſſionis*, non probatur niſi pro agro poſſeſſionis, qui fuerat patris, ſi fuiſſet ager poſſeſſionis matris, unde probatur? ex eo quod dicit, *voverit & conſecraverit Domino*, *juxta menſuram ſementis æſtimabitur pretium*, *ſi triginta modiis hordei ſeritur terra quinquaginta ſiclis venumdetur argenti*: Hoc eſt decretum regium, ſive ſanctificet in ſuburbio civitatis, ſive in hortis Sebaſtis, dabit pro ſemente unius Chomer hordei quinquaginta ſiclos argenteos. Unde probatur, nemini licere ſanctificare ſuum agrum in anno Jubilæo, ſed ſi ſanctificaverit, ſanctificatus eſt? ex eo quod dicit; *ſi ſtatim ab anno incipientis Jubilæi voverit agnum?* Quid dicendum id erat. Unde probatur, ſi illic eſſent foveæ, rotundæ decem palmos, vel petræ decem palmos al[illegible] non menſurabant ea? ex eo quod dicit, *agrum ſuum quantum valere poteſt*, *tanto æſtimabitur*; dabit novem & quadraginta ſelas, & novem & quadraginta pondiola; cur & amplius dabat pondiolum? propter collibum pro pruthis. *Sin autem poſt aliquantum temporis*, prope jubilæum procul a jubilæo unde probatur? ex eo quod dicit: *Sin autem poſt aliquantum temporis*, *ſanctificaverit agrum ſuum*, (ita Hebræus); quid dicendum erat, *agrum ſuum*. Unde adduceris, ut dicas, quod ſi illic eſſent caveæ profunde decem palmos, petræ decem palmos altæ ea non menſurabant? ex eo quod dicit, *agrum ſuum*. Unde probatur non potuiſſe ſanctificari biennio minus ante Jubilæum, nec potuiſſe redimi poſt Jubilæum niſi præterito ſaltem uno anno? ex eo quod dicit, *ſupputabit Sacerdos pecuniam juxta annorum*, *qui reliqui ſunt*, *numerum*. Unde probatur, quod non ſupputabant menſes pro ſacro, ſed ſacri utilitati cedebant? ex eo quod dicit, *ſupputabit Sacerdos pecuniam juxta annorum*, *qui reliqui ſunt*, *numerum*: *annorum qui reliqui ſunt*, annos ille ſupputat, & non ſupputat Jubilæum; *& detrahetur ex pretio*, etiam de ſanctitate, quod ſi ſacrum utilitatem percepiſſet annum, aut biennium, ſeu etiam nullam percepiſſet utilitatem, ſed poſſediſſet, detrahet (ex pretio) ſelam & pondiolum ſingulis annis. *Quod ſi redimendo redemerit* (ita Hebræus) ad includendam mulierem, *& ſi redimendo redemerit*, ad includendum hæredem. Quid dicendum erat, *agrum?* Ego dicere poteram, non probari in hoc loco, niſi qui ſanctificet ſpatium Chomer unde probatur, ſi ſanctificaſſet ſpatium, quod contineat tantummodo Letech, ſpatium, quod contineat Seham, quod contineat Kabum? ex eo quo dicit, *agrum*; *addet quintam partem æſtimatæ pecuniæ*, *& poſſidebit eum*, ſi dabit pecuniam, ſuus eſt, ſi minus, ſuus non eſt. *Sin autem noluerit redimere*, nempe dominus; *& fuerit venumdatus*, nempe a Quæſtore, *alteri cuilibet*, & non ſuo filio, an dicam, alteri cuilibet, & non fratri? Quando dicit *alteri cuilibet*, ad includendum fratrem. Quid vidiſti, ut includeres fratrem, & excluderes filium? poſtquam incluſit textus, excludit; conſidero filium ſimilem patri, qui ſuccedit in ejus locum in deſponſanda ſerva (hebræa) & in retinendo ſervo hebræo; at non reputo ei ſimilem fratrem,

qui

qui non ei ſuccedit in ſponſalibus ſervæ, & in dominatione ſervi hebræi. *Ultra . . . . redimere non poterit*; crederem non eum poſſe amplius e manu Quæſtoris emere, & eſſe uti agrum emtum? *ultra . . . redimere non poterit*, in eo ſtatu, quo eſt, redimere non poterit, ſed poteſt emere a Quæſtore, eique ſit veluti ager emtus. *Sed erit ager ille in Jubilæo cum liber egredietur* (ita Hebræus). Hinc eruitur, quod vox *ager* in lingua ſancta ſit generis maſculini. Sicuti ſanctitas alibi (verſ. 14.) dicta, non exit niſi cum redemtione, etiam ſanctitas hoc loci dicta non exit niſi cum redemtione; docemur, quod ſacerdotes agrum intrabant, & ejus pretium ſupputabant, verba R. Jehudæ; R. Simeon dicit, intrabant, ſed non numerabant pecunias. R. Elieſer dicit, nec intrabant, nec pecunias numerabant, ſed vocatur ager relictus uſque ad ſecundum Jubilæum; quando venerat ſecundus Jubilæus, & non fuerat redemtus, vocabatur relictus de relicto uſque ad tertium Jubilæum; & ſacerdotes eum nunquam intrabant, niſi donec ab aliquo redemtus eſſet; *& poſſeſſio conſecrata ad jus pertinet ſacerdotum*. Quid dicendum erit, *poſſeſſio ſua*? Unde probatur, quod dicis, quod campus, qui exibat pro ſacerdotibus in Jubilæo, & aliquis redimeret e poteſtate ſacerdotum, & ſub poteſtate ejus eſſet, crederem, quod dicere poſſet, quandoquidem exit pro omnibus meis fratribus ſacerdotibus in Jubilæo, & eſt in mea poteſtate, meus eſt? ideo dicit, *& poſſeſſio conſecrata ad jus pertinet ſacerdotum*; ager poſſeſſionis ſacerdotis eſt ſuus, hic non eſt ſuus, ſed exit pro omnibus ſuis fratribus ſacerdotibus. *Si ager emtus eſt, & non de poſſeſſione majorum*; quid ita dicendum erat? unde probatur, quod dicis; ſi quis agrum a patre emerit, atque pater obierit, is vero poſtea conſecraverit eum, crederem reputari uti agrum emtionis? ideo dicit; *ſi ager emtus eſt, & non de poſſeſſione majorum*, ager, qui non eſt ager poſſeſſionis, excluditur iſte, qui eſt ager poſſeſſionis, verba R. Meyr, R. Jehuda, & R. Simeon dicunt; ſi quis emerit agrum a patre, eumque ſanctificaverit, & poſtea obierit pater, crederem eſſe conſiderandum uti campum emtionis? ideo dicit, *ſi ager emtionis eſt, & non de poſſeſſione majorum*, ager, qui nequit eſſe ager poſſeſſionis, excluditur iſte, qui ager poſſeſſionis fieri poteſt; ager emtionis non exibat pro ſacerdotibus in Jubilæo, quia vir non poterat quod ſuum non erat, ſanctificare; *& ſupputabit ſacerdos . . . . pretium*, non intelligitur hæc ſumma niſi pro nummis, docemur, quod numerare deberet totum ejus pretium. Dixit R. Eleaſar, exi & conſidera, quod hic dictum ſit, *& ſupputabit*, & ſuperius dictum ſit *ſupputabit*, ſicuti ſuperius pro agro, qui contineat ſementem Chomer, dabat quinquaginta ſiclos argenteos, etiam hic *ſupputabit* pro ſpatio, quod contineat ſementem Chomer, dabit quinquaginta ſiclos argenteos. *Pretium & dabit ille*, in die (ſic Hebræus) ne tardet, quod etiam pauperibus gemma non relinquitur niſi pro eo tempore. *In Jubilæo autem revertetur ad priorem dominum, qui vendiderat eum*, crederem ad quæſtorem, a quo emiſet; ideo dicit *ad eum, qui habuerat in ſorte promiſſionis ſuæ*, & non dicit, ad eum, a quo emerat; unde probatur quod dicis? Ager, qui exiſſet pro ſacerdotibus in Jubilæo, & venderetur a ſacerdote, & ab emtore ſanctificaretur, crederem, quando veniret ſecundus Jubilæus, rediret ad priores dominos: ideo dicit *ad eum, a quo emerat* (ita hebræus). *Omnis æſtimatio ſiclo ſanctuarii ponderabitur*, non æſtimabatur, quod ſiclo minus valebat; quid dicendum erat *ſiclo ſanctuarii*? quia dictum eſt, *& redimet*; crederem ſervis, ſcriptis, & fundis; ideo dictum eſt *ſiclo ſanctuarii*; non probatur niſi ſiclo ſanctuarii, unde probatur ad includendum quæcunque mobilia? ex eo quod dicit; *& redimet*, cur igitur dicit, *ſiclo ſanctuarii*? excludit ſervos, ſcripta, & fundos. *Siclus viginti obolos habet*; ad docendum, quantum ſit ſicli pretium, unde probatur, quod ſi addere velit, ei liceat? ex eo quod dicit, *erit*; unde probatur, quod ſi detrahere velit, non liceat? ex eo quod dicit; *ille* (ſic Hebræus) Num. 18. 16. *Toſaphta Erachim cap. IV.* 10. Non ſanctificatur intra biennium proventus ante Jubilæum, juxta verſiculum qui dicit; *ſupputabit Sacerdos pecuniam juxta annorum, qui reliqui ſunt, numerum*; Levit. 27. 18. Si igitur non conſecraſſet in Jubilæo, conſecratus eſt annos, at non minus duobus; ſicuti minus biennio non poterat ſanctificari, ita minus biennio non poterat redimi; ideo dictum eſt, *& detrahetur ex pretio*; ibidem; vel unum annum. Deprehenditur, quod tibi ita dicendum ſit; Jubilæus poſt novem & quadraginta annos, requirebantur novem & quadraginta ſicli, & novem & quadraginta pondiola; ſi ſacrum utilitatem percepiſſet decem, aut quindecim annis circiter, dabit ſiclum, & pondiolum pro ſingulis annis. Qui ſanctificat agrum in Jubilæo, dabit pro ſpatio, quod contineat ſementem Cori hordeorum quinquaginta ſiclos argenteos; non vero ad menſuram, ſive ſit ager ſegetis, ſive ager arborum, ſive ager cannarum juxta hanc menſuram, ſi minus, aut plus, dabit juxta hunc computum; ſi ibi eſſent caveæ decem palmos profundæ, aut petræ decem palmos altæ non conſecrantur, neque cum ipſo agro menſurantur, ſin minus, cum eo menſarantur, & ſanctificantur; domus, porticus, columbarium, & turris, quæ in eo continentur, quando redimuntur ut domus villarum. Si ſanctificaſſet agrum, & rurſus ſanctificaſſet arborem, quando redimit, redimit arborem ſeorſim, & agrum ut agrum poſſeſſionis; ſi conſecraſſet, & redemiſſet, non exit de poteſtate in Jubilæo, ſi redemiſſet filius, exit pro patre in Jubilæo, ſi alius redemiſſet, aut aliquis de conſanguineis, & de eorum manu redemiſſet, non exit ab eo in Jubilæo. Non alium habes, qui ſuccedat in locum patris pro ſponſalibus (ſervæ Hebrææ). Et pro ſervo Hebræo, & pro agro poſſeſſionis, niſi filium duntaxat; quando venerat Jubilæus, & non fuiſſet redemtus, Sacerdotes intrabant, & ejus pretium dabant, verba R. Jehudæ; R. Simeon dicit, intrabant, & non dabant ejus pretium. R. Elieſer dicit, non intrabant, neque dabant ejus pretium, ſed vocabatur ager relictus uſque ad ſecundum Jubilęum, quando veniebat ſecundus Jubilęus, & redemtus non eſſet, vocabatur ager bis relictus uſque ad tertium Jubilæum; neque Sacerdotes intrabant, ſi ab alio non eſſet redemtus. Qua de cauſa hæc dicta ſunt? pro agro poſſeſſionis; ſed agrum Iſraelitæ ſanctificabant, & redimebant quovis tempore libebat, ſi alius redemiſſet, exibat pro dominis in Jubilæo. Ager qui e ſacro exibat pro Sacerdotibus in Jubilæo erat ut ager poſſeſſionis Iſraelitæ; Sacerdotes & Levitæ in agris urbium, & ſuburbiorum ſuorum ſanctificabant, & redimebant, quoties libebat, ſi alius redimiſſet, exibat pro dominis in Jubilæo; ager, qui exibat e ſacro pro Sacerdotibus in Jubilæo erat ſimilis agro poſſeſſionis Iſraelitæ. Si Sacerdos a matris ſuæ patre hæreditatem conſecutus eſſet, & pariter filius Levitæ, Nethinæus, & ſpurius in agro ſuorum patrum, eſt ſimilis agro poſſeſſionis Iſraelitæ. Si quis ſanctificat agrum extra Jubilæum, dicunt ei, redime tu prius, quia domini dant quintam partem, at cæteri non dant quintam partem. Aliquando non nemo conſecravit ſuum agrum, quia depravatus erat; ei dixerunt, redime tu prius; is dicit, meus eſt pro aſſario; Dicit R. Joſe, etiamſi ſi iſte non dixiſſet niſi pro ovo, ſuus eſſe poterat, quia ſacrum argento redimitum, & eo, quod valet argentum. Si unus dixerit meus eſt pro decem ſiclis, alter vero pro viginti, & alter pro triginta, & alter pro quadraginta, & alter pro quinquaginta; ſi pænituerit eum, qui quinquaginta dixit, ab eo decem ſicli exiguntur, & aboletur emtio; ſi pœnituerit eum, qui quadraginta dixit, exiguntur ab eo decem ſicli & aboletur emtio, quam fecerat; ſi etiam pœnituerit, qui triginta dixit, exiguntur ab eo decem ſicli, & aboletur emtio, quam fecerat; ſi etiam pœnituerit, qui triginta dixit, exiguntur ab eo decem ſicli, & aboletur emtio, quam fecerat; ſi pœnituerit, qui viginti dixit, exiguntur etiam ab eo decem ſicli, & aboletur emtio, quam fecerat; ſi omnes pœnituiſſet, ſi decem ab omnibus accepiſſent, priori loci peſſeſſio aſſignatur. Qui ſanctificat agrum ſuæ poſſeſſionis, quo tempore non obtinet Jubilæus, ſuam domum, & mobilia, tam in Jubilæo, quam extra Jubilæum, coguntur domini, ut primi offerant; ſi unus diceret, meus eſt pro viginti & una, coguntur domini dare ſex & viginti; ſi pro viginti & duabus, coguntur domini dare ſeptem & viginti, ſi pro tribus & viginti, coguntur dare domini octo & viginti, ſi pro quatuor & viginti, coguntur domini dare novem & viginti, ſi pro quinque & viginti, coguntur domini dare triginta; minus eo non obligantur domini, quia non obligantur domini niſi pro quinta parte; ſi vel-

vellent domini redimere, licet, & dabunt triginta cum denario; Schola Schammai dicit, datur quinta pars super additamentum; & schola Hillelis dicit, non datur quinta pars super additamentum.

[11] *Quod autem per* חרם *&c. Siphra ibidem ad vers.* 28. Sic Hebræus. *De omni eo quod ad ipsum pertinet, de homine, pecore, & agro possessionis, consecraverit Domino;* & non omne, quod suum est; de suo, ad includendum servum, & servam Cananæam; de homine ad inludendumne servum, & servam hebræos? ideo dicit de homine, & non omnem hominem de pecore, & non omne pecus, ex agro possessionis suæ, & non omnem possessionem suam; crederem, quod si quis omnia Deo consecraret, consecrata essent; ideo dicit *solum* (ita hebræus.) Dicit R. Eleazar filius Azariæ, si pro Deo homo non debet se omnibus bonis suis abdicare, eo magis, quilibet in cæteris rebus ea servare debebit; *non vendetur*, quæstori *sacro*, *nec redimi poterit*, a dominis. Quid de his faciendum est? *Et possessio consecrata ad jus pertinet Sacerdotum*. An dicam, quamvis pro Deo designasset? ideo dicit *illud*; R. Jehuda filius Beteræ dicit, unde probatur, simplicia devota cedere reparationi templi? ex eo quod dicit: *quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino*. An dicam, quamvis pro sacerdote designaret? ideo dicit, *illud*. Unde probatur, quod homo sancta sua devovere possit? ex eo quod dicit; *omne, quod Domino consecratur*. Unde probatur, quod sancta sanctorum devovere possit? ex eo quod dicit; *quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum*. Crederem, quod Sacerdotes & Levitæ devovere possent; ideo dicit, *solum*; verba R. Jehudæ. R. Simeon dicit, Sacerdotes devovere non poterant, quia res devotæ ipsis cedebant; Levitæ devovere poterant, quia res devotæ ipsis non cedebant. Rabbi dicit, sunt probabilia verba R. Jehudæ de fundis, juxta versiculum, qui dicit: *quia possessio sempiterna est*. Levit. 25. 34. & verba R. Simeonis in mobilibus, quia res devotæ ipsis non cedebant. Unde probatur, quod qui occidendi erant, si dixissent, ego voveo illud pretium, quod æstimabor, nulla ratio haberetur? Ex eo quod dicit; *Omnis consecratio quæ offertur ab homine, non redimetur*. Non probo nisi pro gravi supplicio puniendis; pro levi supplicio puniendis unde probatur? ex eo quod dicit. *Omnis consecratio, quæ offertur ab homine non redimetur*. Crederem etiam priusquam eorum sententia definita sit? ideo dicit; *Omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur*. At non, priusquam eorum sententia definita sit. R. Chanania filius Akabiæ dicit, æstimabatur, quia ejus pretium definitum erat, at non vovebatur, quia ejus nummi non erant definiti. R. Jose dicit, poterat voveri, æstimari, & sanctificari, & si damnum inferebat, ad solutionem tenebatur. *Tosaphta Erachin cap. IV.* 20. Vir non debet consecrare omnes suas facultates, & si consecrasset, omnes consecratæ sunt. Nemini licet dovovere pro sacro omnes suas facultates, & si devovisset omnes, devotæ sunt. R. Eliesér dicit de homine, & non totum hominem, pecore, & non omnia pecora, agro possessionis suæ, & non totum agrum possessionum suarum; ideo si omne sanctificasset, sanctificatum est, si omne devovisset, non est devotum. Dixit R. Eleasar filius Azariæ, si pro Deo vivo non licet devovere omnes suas facultates, quod earum Deus rationem habeat, eo magis homo suas facultates conservare debet. *Et paueis interjectis*. Si res devotas Sacerdotum sanctificasset pro sanctificatione reparationis templi, non valet; at si sanctificationes reparationis templi sanctificasset pro rebus devotis Sacerdotum, aut pro sanctificationibus altaris, quod factum est, recte factum est. Res devotæ Sacerdotum non redimuntur, & non exeunt in Jubilæo, & res devotæ Israelitæ quando venerunt in potestatem Sacerdotis, omnino ut profanæ reputantur. Si res devotas Israelitæ proprietarii redimere velint, facultas dependet a Sacerdote. Res devotæ indefinitæ sunt pro idiota, definitæ pro Deo, juxta versiculum: *quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino*. Levit. 27. 28. R. Jehuda filius Beteræ dicit, devota simplicia cedebant Deo, & non simplicia idiotæ, juxta versiculum: *& possessio consecrata*. Ibid. vers. 21. Sacerdotes, & Levitæ non devovent, verba R. Jehudæ. R. Simeon dicit, Sacerdotes non devovent, quia devota ad ipsos pertinebant, Levitæ devovent, quia devota ad eos non pertinebant. Dixit Rabbi, sunt probabilia verba R. Jehudæ in fundis, *quia possessio sempiterna est*. Levit. 25. 24. Et verba R. Simeonis in mobilibus, quod in his devota ad ipsos non pertineant. Tria sunt genera rerum devotarum dumtaxat. *Omne quod Domino consecratur*. Ibidem. 27. 28. Hæc sunt devota Sacerdotum. *Quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino*. Ibidem. Hæc sunt devota Dei. *Et omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur*. Ibid. v. 29. Hi sunt, qui erant occidendi Synhedrii decreto.

[12] *In species duas &c. Maimonides Nedarim cap. I.* 1. Votum in duo genera dividitur, primum genus est, quo sibi qui res licitas facit prohibitas, e. g. si diceret, fructus istius regionis mihi prohibiti sint per integros triginta dies, aut in perpetuum; aut certa mundi fructum species, aut isti fructus mihi prohibiti sint, quacunque hæc phrasi sibi prohibuerit, prohibiti sunt; quamvis hic nullum omnino sit juramentum, neque Dei nominis, ejusque attributorum mentio fiat; idcirco dictum est; *se constrinxerit*. Num. 30. 3. quum res licitas sibi reddiderit prohibitas. Pariter si diceret: ecce hæc mihi prohibita sint, ecce hæc vetita sint, & hoc est genus, quod voco vota prohibentia. Secundum genus est, si quis seipsum ad sacrificium obligat, ad quod non erat obligatus, e. g. si diceret, ecce in me recipio adducere holocaustum, vel mihi incumbit adductio sacrificii pacifici, aut muneris, aut pecus hoc sit holocaustum, aut pacificum, & qui dixerit: *sit super me*, hoc illud est, quod dicitur votum; at qui dixerit, ecce hoc, tunc vocatur spontaneum; cæterum votum & spontaneum ejusdem sunt speciei, præterquamquod propter vota, ad restitutionem damni tenetur, si perditum fuerit, propter spontanea non tenetur si perdita fuerint; & de his dictum est in Lege: *& omnia quæ voveris, & sponte offerre volueris*. Deut. 12. 17. Atque hoc genus vocatur vota sanctitatis.

[13] *Aliquando per compendium &c. Codex Nedarim Cap. I.* 1. Cognomina, quæcunque etiam sunt, votorum, sicut ipsamet vota, (cognomina) devotorum, sicut ipsæmet devotiones, (cognomina) juramentorum, sicut juramenta ipsa, ac (cognomina) Naziræatus, sicut (votum) Naziræatus habentur. *Item* si quis dixerit ad proximum suum: *prohibitus voto sum a te, vel separatus sum a te, vel longe semotus a te, ut tecum non comedam, tecumque non gustem quicquam*, prohibitus est.

[14] *Quasi ansas dicas &c. Bartenora ad locum Misnæ supra citatum. Omnia cognomina votorum sunt sicut ipsamet vota;* In Gemara dicunt, quod desunt quædam in principio hujus Misnæ, & quod hoc modo legendum est: *omnes ansæ (partes) votorum sunt ut ipsa vota, & omnia cognomina votorum sunt ut ipsa vota, hæ sunt ansæ votorum, qui dixerit proximo suo, prohibitus sum voto a te, separatus sum a te &c. Hæc sunt cognomina votorum, Conam, Conach, Conas*. ידות נדרים *ansæ votorum* sunt ut ipsa vota, instar ansarum vasorum, quarum ope apprehenduntur vasa. *Vide ibidem Maimonidem*.

[15] *Sacra altari &c. Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum cap. XIV.* Sed quale votum, qualis tandem sponsio fuit? nempe si quis ita diceret, ecce ego in me recipio holocaustum, ecce ego in me recipio pacifica, ecce ego in me recipio fertum; vel en ego pretium hujus pecoris in holocaustum, vel pacifica ad me recipio, hoc votum erat. Si quis autem ita diceret: en erit pecus istud ipsum, vel ipsius pretium pro holocausto, pro pacificis, en erit decima ista pro ferto, hæc videlicet sponsio fuerat. Quid autem inter vota, sponsionesque differebat? voto obstrictus, si postquam aliquid sacrificio segregasset, id perderetur, aut subriperetur, damnum præstaret adeo, donec ita, ut voverat, sacrum fecisset; sed qui fuerat sponsione obligatus, quoniam hoc ipsum nuncuparat, id si posthac moreretur, aut subriperetur, nequaquam damnum præstabat. Si quis ita diceret; hujus ego pretium bovis in holocaustum ad me recipio, aut hujus ego domus pretium in rem divinam ad me recipio, tum bos moreretur, cecidisset domus, pretium exsolveret oportebat. Si quis autem ita diceret: en ego holocaustum in me recipio ea lege, ne damnum præstem, omnino damnum non præstabat.

[16] *Animalia munda &c. Maimonides de rebus altari interdictis cap. I. 9.* Si quis beſtiam vitio contaminatam altari conſecraſſet, ut verberaretur, beſtia nihilominus ſacra fuiſſet, quæ pro æſtimatione ſacerdotis redemta, rurſus communis evadebat, pretium ejus in ſacrum impendebatur; eadem ratio tenebatur & in beſtia cui jam ſacræ vitium aliquod obortum eſſet; atque jubente Lege ſancitum eſt, ut beſtiæ ſacræ, in quibus vitium eſt exortum, pretio redimantur, comunes fiant, atque comedantur; namque ſcriptum videmus: *ſi autem comedere volueris, & te eſus carnium delectaverit &c.* Deut. 12. 15. Atqui hoc auditum habemus Scripturam hic de animantibus ſacris, quæ temeratæ ſunt, præcipere, ut pretio redimantur. Jam Legis illud: *animal autem immundum, quod immolari Domino non poteſt*, *Levit.* 27. 11. interpretandum eſſe de animantibus vitio affectis, quæ pretio redemtæ fuerunt in tract. de æſtimationibus diſputavimus.

[17] *Atque ita etiam omnia &c. Maimonides ibidem cap. VI.* Et tanquam præceptum erat, ut quodque ſacrificium integrum eſſet atque ſelectum, item & libamina cuncta eſſent integra, ſelectaque neceſſe erat; nam quod dicitur, immaculata offeretis omnia cum libationibus: Num. 28. 31. hujus ea ſententia eſt, ut libationes quoque ſint integræ, ut nemo in libationes adhibeat nec vinum fumo corruptum, nec ſimilaginem vermiculatam, neque eamdem diluat oleo, cujus ſit teter odor ſaporve. Item & ligna, quæ in altaris foco conſumebantur, oportebat ſelecta eſſe, & vermium expertia; nam quodcumque lignum etiam viride vermiculabatur, id profanum erat, atque altari excludebatur; idem ſi vermicularetur aridum, ex eo locus vermiculatus erat dumtaxat exſcindendus, profana erant & ligna demolitionis; enim vero altari lignum aliud, quam novum adhiberi nunquam licebat.

[18] *Oleum &c. Toſaphta Menachoth cap. IX. 7.* Urbs Tekvang erat prima in oleo; Aba Saul dicit; ſecunda erat civitas Ragab cis Jordanem. R. Eleaſar filius Jacobi, tertium locum obtinebat Guſc-Chalab in Galilæa. Non adducebatur oleum niſi ex olivis ad id deſtinatis. R. Jehuda dicit; non mola molebat, ſed in mortario contundebat, non molebat trabe *torcularis*, ſed lapidibus, non conjiciebat olivas in caniſtrum, ſed caniſtrum in olivas; primum oleum, quod penetrabat in caniſtrum erat pro candelabro, ſecundum, & tertium pro muneribus. Oleum confectum ex olivis, ex quibus expreſſum ſit minus tertia parte, quam debebant, eſt interdictum, quia nihil eſt aliud quam gummis; oleum infuſione expreſſum, decoctum, quod ex fecibus expreſſum ſit, & odoris tetri, eſt veluti maculatum pro altari. *Maimonides ibidem cap. VI.* 14. Olei vero iſta genera non erant altari idonea, quod erat e baccis aqua dilutis, quod erat ex olivis conditis, aut elixis, item & oleum fæcium & odoris tetri, omnia iſta non erant altari idonea. Quod autem erat ex olivis, quas plantarint in agro ſtercoris indigente, ſiticuloſo (eadem ratio erat, ſi ſata eſſent inter arbores, legumina) porro autem oleum ex baccis immaturis expreſſum non adhibebatur, ſin adhibitum eſſet, bene haberet. Idem ibidem cap. VII. 8. Sunt olivi genera novem ob variam ejus efficiendi rationem; nam ſiquis ex oliva ſumma ſingulas baccas decerpſerit, & eaſdem etiam ſigillatim ſelectas ac contuſas in corbe olearia poſuerit, ſtillatum inde oleum primum appelletur, quas ſi poſthac etiam prælo obtriverit, expreſſum inde oleum ſecundum nuncupetur; ſin rurſum diſſectas prælo obtriverit, expreſſum inde oleum tertium dicatur. Jam ſiquis univerſas arboris oleas promiſcue diſtinxerit, tum ex iis iiſdem in tecto diſpoſitis ſigillatim aliquot elegerit, & has contuſas in olearia corbe impoſuerit, ſtillatum ex iſtis oleum, quartum vocetur; eaſdem ſi poſthac prælo obtriverit, expreſſum hinc oleum, quintum nominetur; quas ſi diſſectas rurſum prælo obtriverit, expreſſum inde oleum, ſextum dicatur. Jam ſiquis oleas diſtinctas domi valde exſiccarit, tum eaſdem contuſas in olearia corbe inpoſuerit, ſtillatum inde oleum, ſeptimum nuncupetur; quas ſi prælo poſtea obtriverit, expreſſum inde oleum, octavum appelletur; ſin eaſdem diſſectas rurſum prælo obtriverit, expreſſum inde oleum, nonum vocetur. Hæc olei genera omnia ad libationes erant idonea; verum enim ſupremum omnium erat primum, hinc proxime accedebant ſecundum & quartum, quæ erant inter ſe æqualia, & proxima poſt iſta erant tertium, & quintum, & ſeptimum, quæ tria item erant inter ſe æqualia, ſecundum hæc erant ſextum & octavum, nonum erat omnium infimum. Atqui ad uſum candelabri primum, quartum, & ſeptimum tantum erant idonea; nam quod a Lege dicitur: *piloque contuſum ut ardeat lucerna ſemper*. Exod. 27. 20. hujus ea vis eſt, ad candelabri quidem uſum id demum oleum fuiſſe idoneum, quod ex olivis contuſis per ſe diſtillaret; ad libationes autem idonea eſſe cuncta olei genera. At ſi cuncta fuerant olea ad libationes idonea, quid tandem cauſæ eſt, quod aliud alio numero duceretur? Nempe ut cognoſceretur optimum, quo præſtantius erat nullum, mediocre, & leviſſimum, id adeo, ut quicunque ſtuderet purum eſſe, cupiditatem coerceret, & manum dilataret ſic, ut ex quocunque rerum genere ſacrificium offerret, ferret ejus generis optimum, ac præſtantiſſimum; habemus enim in Lege 4. 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Similiter igitur quodcunque dedicatur nomini Dei boni, opus eſt ut ſit ex pulcherrimo. *Vide Codicem Menachoth cap. VIII.* 3. 4. 5.

[19] *Vinum &c. Toſaphta ibidem.* Non adducet vinum dulce, aut nigrum, aut flavum, aut ex uvis paſſis, & ſi adduxiſſet, legitimum eſt. Rabbi dicit, non adducet vinum bienne, aut trienne, aut cujus color mutatus eſſet, & ſi adduxiſſet, eſt legitimum. Non adducendum eſt vinum ex vitibus ſuper pergulam erectis, ſed ex iis tantum, quæ ſuper ſolo quieſcerent, & quæ eſſent ad id deſtinatæ; non vindemiabant vineas, neque uvas in cumulum colligebant, ſed vindemiabant, & conculcabant ſtatim, neque immittebant in dolia magna, neque in vaſa admodum parva, ſed in vaſa mediocria. Non introducebant in cellas vinarias, neque collocabant in ſummitate tecti; ſed quomodo erant, relinquebant; non implebant dolia uſque ad os, ſed uſque ad tertiam partem vacuam relinquebant; ut odor ipſorum abundaret; non adducebat ex ore dolii, propter flores, neque ex fundo illius propter feces; ſed tantum vas perforabat, & ex tertianis, & medianis ipſius adducebat. Quomodo inquirebat quæſtor? tenebat manu calamum, & quando eo aliquid fecium educeret, indicabat, tum illud (*vinum*) ab ejus facie removebant, & ejus loco aliud adducebant, & illi dicebant: venite, & vobis comparate id quod altari non eſt idoneum. Non adducendum erat vinum, niſi poſt quadraginta dies *quam calcatum fuerat*, & ſi e torculari duxiſſet, legitimum eſt. *Maimonides ibidem cap. VI.* 19. Hæc altari vina non erant idonea, quod dulce, quod fumoſum, quod igne, ſoleque ſic concoctum erat, ut ejus eſſet immaturus ſapor: namque vinum in ſole calefactum ita, ut concoctionis ſapor nullus ineſſet, item & vinum ex racemis paſſis, & recens a torculari, id videlicet, quod necdum dies haberet quadraginta; porro autem quod erat ortum e vinea in agro conſita ſiticuloſo, aut ſtercoris indigente, vel e vinea inculta, hæc omnia omnino vina cum res erat in integro, non debebant altari adhiberi, verum ſi fuerint adhibita, bene erat. Vinum ſi rectum fuerit, non erat altari idoneum, & quæ vitis fuerit fico jugata, hujus vinum non erat ad libationes idoneum, quippe cujus ſapor immutatus eſſet. Scriptum legitur: *holocauſta & libamenta*. Levit. 23. 37., cujus eſt hæc ſententia, ut tanquam holocauſti, ſic nec vini ſit mutata natura. *Et cap. VII. 6.* Ad vinum efficiendum uvæ de vitibus depreſſis, atque de vineis bis in anno curatis afferebantur. Hæ conculcatæ immittebantur in dolia parva, quæ quidem diſponebantur non unum poſt alterum, nec duo poſt duo, ſed terna poſt terna. Neque vero dolium ore tenus complebatur eo ut odor vini foret magis fragrans. Jam vinum non promebatur ab ore dolii propter quemdam quaſi mucorem, qui vino fere innatat, neque porro a dolii fundo propter feces, ſed aut a tertia parte ipſa, aut a medio dimidiæ partis. Si præfectus ærarii ſacri vinum e dolio ad latus perforato expromſiſſet, atque ut advertiſſet cæpiſſe vinum effluere a fecibus mutatum deſiſſet, omnino verberibus non multaretur. Vinum altari adhibebatur poſt dies quadraginta quam calcatum fuerat uſque ad exactum alterum ætatis annum; & paulo plus; etenim ſi quis vinum adhibuiſſet quamvis annuum, rectum erat, ſiquidem vinum id vetuſtate necdum evanuiſſet. *Vide Codicem Menachoth cap. VIII. 6. 7.*

[20] *Si-*

[20] *Similia &c. Tosaphta Menachot. ibidem*. Omnia munera adduci poterant e terra, & *ex agris* extra terram, & tritico novo, & veteri, excepto manipulo, & duobus panibus, qui non afferuntur nisi ex novo, & ex terra; & hæc omnia non adducenda sunt nisi ex selectissimo, juxta versiculum, qui dicit, *& quicquid præcipuum est in muneribus quæ vovebitis*. Deut. 12. 11. Quodnam dicitur selectissimum? Camas, & Zonicha obtinent principem locum in simila, secundum Apharaiim in valle. R. Jose dicit, etiam frumenta Barchaim, & villæ Achus, erant ad latus Hierosolymæ, & ex his adducebantur. Non adducenda erant nisi ex agris custoditis, ad id destinatis; quomodo faciebat? anno primo novellabat, secundo arabat, & conserebat septuaginta dies ante Pascha, ut *triticum* solis tempori proximum esset, & multam similam ferret; & producebat calamum dimidium cubitum altum, & spicam cubitalem cribrabant; & aqua respergebant, & molebant, & succernebant, & ad quæstorem adducebant, & quæstor in eam manum immittebat, tum si ex ea pulvis ascenderet, iterum succernebant; nomine R. Nathanis dixerunt, oleo sibi manum ungebat, & in eam immittebat, ut inquireret, an pulvis adhuc in ea esset. Simila, si vermes produxisset, habebatur ut res maculata pro altari. Frumenta, quæ vermes produxissent, aut emarcuissent, habebantur, ut maculata pro altari. *Maimonides ibidem cap. VI.* 11. Similago majori ex parte verminosa, aut ex tritico maximam partem verminoso facta non erat altari idonea; sin tritici granum unum majori ex parte esset verminosum, res erat dubia. Jam si farinæ crassioris aliquid in similagine superesset, ea quoque non erat altari idonea. quomodo igitur examinabatur? Sacrorum præfectus manum in similaginem inserebat, si pulvis exibat inde, non erat altari idonea dum cribro rursus succerneretur; verum enim similago facta ex eo tritico, quod satum fuerat in agro siticuloso, aut stercoris indigente, aut arboribus consito, aut in terra nec arata, nec culta, non adhiberetur altari, cum res esset in integro, sin adhibita fuisset, bene haberet. Triticum ex armentorum stercore collectum siquis sevisset, dubium erat utrum satione hujus esset sublata spurcitia, an etiam restaret. Ex hoc igitur ferta afferre non decebat, siquis autem attulisset, bene erat. *Et cap. VII.* 4. Hæc erat ratio seminandi tritici, quod ad altaris ferta, & libamina adhibebatur. Anno primo de novo proscindebatur pars agri dimidia, & dimidia pars conserebatur, anno secundo proscindebatur de novo pars agri dimidia, quæ primum fuerat consita, & dimidia pars altera conserebatur dies septuaginta ante Pascha. Sin autem ager omnino nondum cultus fuisset, arabatur semel atque iterum, tum vero conserebatur. Jam triticum commode ventilabant, tum autem confricabatur, & terebatur adeo, donec ei gluma detraheretur. Quodcumque triticum ad altaris adhibebatur ferta, oportebat fricari trecenties, & quingenties teri. Itaque triticum primo fricabatur semel, & terebatur bis, rursusque fricabatur bis, & terebatur ter sic ut tereretur quinquies, dum fricaretur ter. Porro redibatur ad eumdem fricandi, & terendi modum, usque dum plane trecenties fricatum, & quingenties tritum fuisset, adeo ut omnino omni gluma denudaretur. Jam ad majorem severitatem itio reditioque pro una & eadem fricatione putabatur, tum autem probe molitum accurate succernebatur.

Pecora etiam ex optimo, & ex certis locis adducebantur. *Tosaphta Menachoth cap. IX.* 13. Arietes ex Moab, vituli ex planitie agni ex deserto, aves ex monte Regio. R. Jehuda dicit; agni lato dorso esse debebant. *Maimonides ibidem cap. VII. I.* 2. Quæcunque non erant vitiosa non licebat continuo altari adhiberi, dum res erat integra; ut siquis holocaustum deberet, non ille agnum macidum, deformem offerret, ac diceret, nullum in eo quidem inesse vitium; nimirum de hujusmodi homine dictum est, *maledictus dolosus &c. Mal. I.* 14. Quicquid igitur in sacrificium offerebatur, offerendum erat de genere optimo. Sic igitur fiebat stante templo, arietes a Moabitis subducebantur, & lato dorso oves Hebrone, vitulos Sarone, pullos columbinos supportabant a Monte Regio; vinum Carhavim, collyræ similaque Macmas, & Johana, oleum Thecua.

Non solum ea quæ supra commemoravimus, sed etiam sal & ligna ex optimo afferenda erant. *Tosaphta Menachoth cap. IX.* 14. 15. 16. Omnia ligna idonea erant altari, excepto ligno olivæ, & ligno vitis. R. Elieser addit quinque species lignorum, quæ sint illegitima, idest ficuum sylvestrium, siliquarum, palmarum, mais, & roboris. Ligna demolitionis semper interdicta erant. Hæc sequentia in usu plerumque afferebantur, ligna ficus, pini, & nucis. Sal, hoc est sal Sodomæum juxta versiculum qui dicit, *nec auferes sal*, Levit. 2. 13. debes adducere sal, quod non deficit; qualenam est hoc sal? hoc est sal Sodomæum; & unde probatur, nisi esset sal Sodomæum, quod possit afferre sal commune? ex eo quod dicit, *sal* omne genus salis includit. *Maimonides ibidem cap. VII.* 3. Jam ligna nova omnino erant omnia ad pyram altaris apta, at vitiginea tamen, oleagineaque propter cultum terræ Israeliticæ non adhibebantur. His autem uti consueverant, ramis ficuum recentiorum, quibus quidem cultus ager non conseritur, item & ramis nucum, lignoque oleoso.

[21] *Sacra autem &c. Codex Sekalim cap. IV.* 6. Siquis facultates suas sanctificat, & in illis quædam sunt digna ad oblationes Ecclesiæ, dantur illa operariis in mercedem ipsorum; verba sunt R. Akibæ. Dixit ipsi ben Azai, non sic proceditur, sed ex illis separant pro mercede operariorum, & profana reddunt separata, ut cedant in pecunias operariis, illaque deinde dant operariis in mercedem ipsorum, ex loco horum nummorum alios sumunt ex recentiori *Truma*. Si in alicujus facultatibus sanctificatis sunt aliqua jumenta, quæ ad altare apta sunt tum masculini tum fœminini generis, secundum R. Elieserem masculi vendi debent illis, qui holocaustis opus habent, fœmellæ vero in usum sacrificiorum pacificorum, & pecunia ex illis acquisita cum reliquis facultatibus impenditur ad templi usum. Secundum R. Jehosuam autem, debent masculi offerri in holocaustum, & fœmellæ debent divendi illis, qui sacrificiis pacificis opus habent. Ex pretio autem ipsarum debent holocausta fieri, reliquæ facultates vero adhiberi possunt ad templi usum. R. Akiba inquit, magis placent ea, quæ R. Eliesér dixit, quam quæ R. Jehosua, quia R. Eliesér æquat negotium; R. Jehosua vero distinguit. R. Papias inquit, audivi (*duo casus*) secundum sententiam utriusque, scilicet, quod illius facultates, quæ restricte sanctificatæ sunt, impendi possint ex sententia R. Elieseris, illius vero, qui absolute eas sanctificavit, ex sententia R. Jehosuæ. Si aliquis facultates suas sanctificaverit, & in illis sint res aptæ ad altare, ut vina, olea, aves, secundum R. Elieserem illa divendi debent illis, qui talibus (*ad offerendum*) opus habent, pretium deinde ipsorum ad holocausta impenditur, reliquæ vero facultates ad templi necessitates applicantur. *Tosaphta Sekalim cap. II.* 10. Qui sanctificat suas facultates, & in illis quædam digna essent ad sacrificia Ecclesiæ, dantur operariis in eorum mercedem: verba R. Akibæ, ei dicit ben Asai, id non conveniebat. Operarius qui operatus esset in sacro, tam pro mina, quam pro ducentis Zuz, non dicet date mihi hanc vaccam pro mina, & hanc vestem pro quinquaginta Zuz, quia sacrum opere profanari non potest; sed super nummis dumtaxat, quomodo faciebant? seperabant ex his mercedem pro operario, & profanabantur super nummis operarii, & dantur operariis in eorum mercedem, & iterum emunt a separatione conclavis. Qui sanctificaret suas facultates, & in illis essent animalia apta ad altare, tam masculini, quam fœminini generis, R. Eliesér dicit, vendenda sunt pro necessitatibus cœtus masculi in sacrificia holocaustorum, & fœmellæ vendendæ sunt iis, qui sacrificiis pacificis opus habent, & eorum nummi una cum reliquis facultatibus ad templi reparationem; R. Jehosua dicit, ipsi masculi offerentur in holocausta, & fœmellæ vendentur iis, qui sacrificiis pacificis opus habent, & eorum nummis holocausta comparabunt; R. Jose & R. Simeon dicunt, verba R. Jehosuæ sunt eadem ac verba R. Elieseris.

[22] *Poterat aliquis &c. Tosaphta Erachin cap. II.* 10. &c. Pauper & dives, qui æstimassent pauperem, & divitem, alter dabit juxta suas facultates, & alter etiam dabit juxta facultates suas. Siquis diceret, super me æstimatio simpliciter, afferet æstimationum mi-

minimam; & quanta est æstimationum minima? quinque sicli. Qui diceret, æstimatio decem super me, si pauper esset, dabit pro omnibus æstimationem pauperis, & si dives, dabit pro omnibus æstimationem divitis; si esset pauper, & factus esset dives, dabit pro omnibus æstimationem divitis, si fuisset dives, & factus esset pauper, dabit pro omnibus æstimationem pauperis. R. Jehuda dicit, æstimationem divitis, si quidem una hora fuit dives. Qui dicit, æstimatio hujus N. N. dabit selam, verba R. Meyr, juxta versiculum qui dicit: *omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur*. Levit. 27. 25. & sapientes dicunt, juxta vires suas, juxta versiculum qui dicit: *& quantum ille æstimaverit, & viderit eum posse reddere, tantum dabit*. Si pauper dixisset, æstimationem sui ipsius, non ei dicunt, abi, & mutuam accipe (pecuniam), abi, & operare, & affer æstimationem divitis, sed satius est ut statim afferat æstimationem pauperis, quam afferat æstimationem divitis post aliquod tempus; R. Jehuda dicit, si ejus pater æger esset, aut in vitæ discrimine, aut ejus navis trans mare esset, non expectatur, dum moriatur, aut veniat navis, ut afferat æstimationem divitis, sed satius est, ut statim afferat æstimationem pauperis, quam adducat æstimationem divitis post aliquod tempus. R. Elieser dicit; si dubitaret, an afferret sacrificium ascendens, & descendens, non ei dicunt, abi, & mutuum accipe, & operare & affer sacrificium divitis, sed satius est, ut statim afferat sacrificium pauperis, quam adducat sacrificium divitis post aliquod tempus. *Et paucis interjectis*; *cap. III.* Qui dicit, voveo virgam juxta meam staturam, afferet virgam suæ staturæ, quæ non sit flexilis; narratur historia de matre Irmetiæ, quæ habebat filiam ægrotantem, & dixit, si convaluerit filia mea ab infirmitate sua, dabo ipsius pondus auro; convaluit ab infirmitate sua, ascendit Hierosolymam, atque illa librata auro fuit. Si quis diceret, pondus manus meæ super me, dabit usque ad articulum; pondus mei pedis super me, dabit usque ad genu. Quomodo faciet? adducet vas aquæ plenum, manumque immittet usque ad articulum, & pedem immittet usque ad genu, & afferet carnem asininam, nervos, & ossa, & librabit carnem cum carne, & ossa cum ossibus; & quamvis demonstratio non sit de hac re, non deest tamen indicium in versiculo qui dicit, *caro asinorum caro eorum* (sic Hebræus) verba R. Jehudæ; ei respondit R. Jose, quomodo æquiparari potest caro cum carnibus, & ossa cum ossibus? ei respondit R. Jehuda; mente judicatur; ei dixit R. Jose, priusquam fiat hic calculus, dicat, quanti sit ponderis manus, & quanti pes. Dimidium meæ æstimationis super me, dabit dimidium æstimationis suæ. R. Jehuda dicit, pœna afficitur, & dabit integram æstimationem; dimidium meæ pecuniæ super me, dabit dimidium sui pretii. R. Jose filius R. Jehudæ dicit, pœna afficitur, ut det integrum sui pretium. Qui dicit, pretium hujus super me, si æstimatus moriatur, qui ejus æstimationem vovet, ad eamdem obligatur. Gravior est conditio in pretio, quam in æstimationibus, & gravior conditio in æstimationibus, quam in pretio, quia pretium observatur in hominibus, & in bestiis tam vivis quam mortuis, tam integris, quam in membris, neque juxta vires adducitur, quod non abservatur in æstimationibus; & gravior conditio in æstimationibus, quod æstimationes a Lege definitæ sunt; quod non obtinet in pretio. Qui dicit, æstimatio N. super me, & moriatur, solvet; pretium hujus animalis super me, & animal obierit, qui vovet, solvet. Gravior est conditio in homine, quam in bestia, & in bestia, quam in homine, quod si dicat pretium hujus animalis super me, si obierit animal, solvet, pretium N. super me, si votus obierit, vovens non solvet. Gravius est jus in æstimationibus, quæ observantur in hominibus, & non observantur in animalibus. Qui sanctificat opera manuum suæ uxoris, ex his illi tamen alimentum dabit, & quod reliquum est, sanctificatum est. Qui sanctificat opera manuum sui servi, ex his alimentum ei dabit, & quod reliquum est, sanctificatum est; qui sanctificat opera sui ipsius, is operari potest, & comedere, quia non sanctificavit nisi suam pecuniam. Qui diceret, caput hujus servi sit sacrum, consecravit & ipsum caput, & omne id, quod cum eo conjunctum est; caput hujus asini, ipsum sanctificavit, & quæ cum eo conjuncta sunt; caput hujus servi tibi venditum sit, inter se convenient; caput hujus asini tibi venditum sit, inter se convenient; caput hujus vaccæ tibi venditum sit, nihil aliud vendidit, quam unum caput; neque id satis est. Verum etiamsi dixerit, caput hujus vaccæ sit sacrificium in holocaustum, non sanctificavit, nisi unum caput; caput hujus bovis sit holocaustum, bos est holocaustum, & in eo prævaricatur, *& si perierit*, tenetur solvere. Hic bos super me sit holocaustum, bos est holocaustum, & in eo prævaricatur, *& si perierit*, tenetur solvere. Pretium hujus bovis sit in holocaustum, bos est profanus, & in eo non prævaricatur, *& si perierit*, non tenetur solvere; pretium hujus bovis super me holocaustum, bos est profanus, & in eo non prævaricatur; hæc domus sit sacra, domus est sacra, & in ea prævaricatur, *& si ceciderit*, non tenetur solvere; hæc domus super me sit sacra, domus est sacra, & in ea prævaricatur, *& si ceciderit*, tenetur solvere; pretium hujus domus sit sacrum, domus est profana, & si ceciderit, non tenetur solvere, pretium hujus domus super me sit sacrum, domus est profana, & in ea non prævaricatur, *sed si ceciderit*, tenetur solvere Ad vota, & spontanea, & æstimationes, & pretia, & consecrationes obligatos Senatus oppignerabat; & si obierant, obligabat hæredes; ut ea adducerent; at obligatos ad sacrificia pro peccato & pro delicto senatus non oppignerabat, & si obiissent, hæredes non obligabantur ad ea afferenda; & pretia quæ æstimata essent, sunt similia æstimationibus. Obligatos ad holocausta, quæ una cum sacrificio pro peccato afferebantur, oppignerabant, & si morerentur, (hæredes) ad ea adducenda obligabantur; si attulisset suum sacrificium pro peccato, & non adduxisset suum holocaustum, Senatus eum oppignerabat, & si obiisset, heredes ad ea afferenda obligabantur, si adduxisset suum holocaustum, & non attullisset suum sacrificium pro peccato, Senatus eum non oppignerabat, & hæredes ad ea afferenda non obligabantur. Qui obligati erant ad afferenda holocausta, & pretia, & pacifica, & æstimationes, & devota, & consecrationes, & vota, & spontanea, & sacrificia pro peccato, & sacrificia pro delicto, & eleemosynas, & decimas, & spicilegium, & prætermissum, & angulum, & decimas animantium, & sacrificium Paschale, si præteriissent tria festa, postea prævaricantur præceptum, *non tardabis*. R. Simeon dicit, tria festa juxta ordinem, & ante alia festum azymorum. R. Eleasar filius R. Simeonis dicit, quando præterierit festum Tabernaculorum, prævaricantur in iis contra præceptum, *non tardabis &c. Vide Codicem Erachim cap. IV. & V.*

PARS



PARS QUARTA DE TEMPORIBUS SACRIS.

CAPUT PRIMUM.

De annis.

I. ANni initium quadruplex ab Hebræis ſtatuitur in *Roſch haſſcana* 1. 4. I. [1] A menſe Niſan incipit annus ſacer, ſecundum quem feſta diſponuntur, quæ ſi celebranda eſſent menſe primo, vel tertio, a Niſan anni initium capiebatur. *Exod.* 12. 2. [2] Inde etiam anni regum Hebræorum ſupputabantur, ita ut ſi quis rex in Adar regnaret, a Niſan alter annus imperii ejus inciperet. R. Nathan & R. Iſaac etiam hoc anni initium fuiſſe dicunt לשכירת בתים *locationi ædium. Mechilta.* 2. 2. Hinc quoque annos tum ante, tum poſt diluvium videntur Patriarchæ fuiſſe exorſi. II. [3] A menſe Tiſri incipit annus civilis, quo in contractibus, creandis magiſtratibus (vide Chryſoſtomum *homil.* 27. *de nativ. Johann.*) ſupputandis jubilæis & annis ſabbathicis utebantur, uti & [4] in annis plantarum, quæ ſi modo 30 dies ante primum diem Tiſri fuiſſent plantatæ, anno videlicet decimo, cenſebatur id ſpatium pro anno primo: dein manebat in præputio anno undecimo, duodecimo & decimo tertio uſque ad diem 15 menſis Schebet. *Gem. Roſch haſſchana.* 10. 1. III. [5] A menſe Elul incipit annus pecorum decimandorum, ſic ut quæ inter initium unius & alterius Elul nata eſſent, ejuſdem anni fœtus cenſerentur. IV. A die 15 Schebet initium capiebat annus fructuum ex arboribus decimandorum.

§. I. Annorum initium quadruplex.

II. [6] Anni omnes veterum Hebræorum non uno eodemque modo ſe habuerunt, ſed alter altero longior fuit, quum illi quidem ſecundum curſum ſolis debuerint diſponi, menſes vero ſecundum curſum lunæ (unde differentia dierum undecim naſcitur inter dies 354 & 365) & nonnunquam menſis integer interſereretur. [7] Lunæ præ ſole rationem habebant Judæi in conſtituendis temporibus, & hoc quoque reſpectu ſe a gentibus diſtinguebant, uti in *Zohar* legitur *in Geneſin fol.* 236. 2. אומות העולם עבדין חשבן לשמשא וישראל לסיהרא *gentes in computo ſolem ſequuntur, Iſraelitæ lunam*, & in *Mechilta* 3. 1. [8] Annum quidem ſolarem 365 dies complecti ſcribunt in *Gem. Hier. Nazir.* 51. 3. *Gem. Beracoth.* 32. *Gem. Roſch haſſchana.* 6. 2. vel, ut alii diſtinctius notant, dies 365, horas 5, minuta 817. Lunarem vero dies 354, horas 8. minuta 777. Annus *communis*, שנה פשוטה appellabatur, alter vero *intercalaris*, שנה מעוברת. Ille complectebatur aliquando dies 352, ſi menſes plenos 4, cavos 8 contineret; 353, ſi plenos 5, cavos 7; 354 ſi plenos 6 & cavos 6, (qualis annus eſt in quo Judæi nunc verſantur) 355 ſi plenos 7, cavos 5, & 356, ſi plenos 8, cavos 4. Annus autem inter-

§. II. Annorum inæqualitas.

tercalaris, auctus mense cavo, sive 29 dierum, modo erat 381. modo 382, 383, 384, 385 dierum: si vero augeretur mense pleno, annus minimum erat 382 dierum, atque ita porro. [9] Sic ut *in anno communi inter pentecosten unam & alteram, aut inter festum novi anni unum & alterum, esset tantum 4 dierum differentia, & in anno intercalari dierum quinque* אין בין עצרת לעצרת ואין בין ר' השנה לר' השנה אלא ד' ימים בלבד ואם היתה שנה מעוברת ה' היה uti legitur in *Gem. Schabbath.* 87. 2. *Gem. Erachin.* 9. 2. *Gem. Rosh hasschana.* 6. 2. & 20. 1. *Gem. Succa.* 5. 4. Confer *Erachin.* 11. 2.

§. III. Anni intercalares qui.

III. Anni intercalatio fiebat [10] inserto inter Adar & Nisan mense uno, ואדר appellato, & אדר בתראה *Gem. Rosh hasschana.* 6. 2. & אדר שני *ibid.* 19. 2. (de quo disputant an ille, an vero præcedens Adar sit insititius in *Gem. Hier Megilla* 71. 1.) quasi alterum Adar dicas. [11] Hæc erat necessaria, quia sine illa festum paschatis, quod in tempus maturescentis hordei incidere debuit, in ipsam hyemem incidisset: eaque fiebat, uti Talmudici tradunt, [12] per præsidem synedrii & nonnulos ex collegis ejus qui ad hanc rem electi erant. *Gem. Sanhedrin.* 11. 1. Erant autem ad minimum tres, sed ad septem augeri poterant: inter quos summa erat auctoritas præsidis synedrii, sine cujus voluntate annus intercalari non poterat, & cujus nomine literæ ad Judæos procul degentes scribebantur, ut annum intercalatum esse, & quas ob causas, noscerent. [13] Formula earum legitur in *Gem. Sanhedrin.* 11. 2. & in *Gem. Hier. Maaser sheni.* 56. 3. Tradunt Judæi in *Gem. Sanhedrin.* 18. 2. inter illos, qui de intercalatione deliberarent, nunquam fuisse [14] pontificem maximum, quippe cui intercalatio anni non placebat, quod per eam dies expiationis (quo se lavare aliquoties debuit & diu insistere solo frigido) in tempora hyemi propiora incideret; aut regem, cui intercalatio anni placebat, quod ita stipendium anni communis extendere ad 13 menses posset. Karæi autem intercalationem stante templo a pontifice maximo & reliquis sacerdotibus, aut propheta, factam fuisse existimant.

§. IV. Causæ intercalationis.

IV. [15] Tres causæ præcipuæ intercalandi annum recensentur in *Gem. Sanhedrin.* 11. 2. תקופה *æquinoctium* (quam vocem nonnulli volunt æquinoctium autumnale semper indicare, uti *Exod.* 34. 22. sed obstat 2 *Chron.* 24. 23. coll. cum 2. *Sam.* 11. 1.) si ex tabulis astronomicis synedrium deprehenderet æquinoctium vernum futurum esse die 16 Nisan, aut postea, annum intercalabant. Sunt autem 4 tekuphæ, Nisan, Tammuz, Tisri, & Tebeth Inter unamquamque erant 91 dies, 7 horæ & dimidia, *Gem. Eruvin.* 56. 1. II. על האביב. [16] Si seges hordeacea tardius proveniret, quam ut die secundo paschatis, id est, 16 Nisan, meti posset. III. על פירות האילן. Si arbores, quarum בכורים in pentecoste offerri debuere, baccas suas nondum, ut solebant, profudissent. [17] Præter has gravissimas erant aliæ leviores causæ intercalandi, in *Gem. Sanhedrin.* 11. 1. memoratæ, 1 מפני הדרכים si viæ per quas proficisci Hierosolymas solebant, refici deberent; vel 2. מפני הגשרים si pontes essent reficiendi, vel 3. מפני תנורי פסחים si furnos, in quibus agni paschales assabantur, imber ita vitiasset, ut inepti essent ad usum; vel denique 4. מפני גליות ישראל, si Judæi procul in exilio degentes in itinere hærerent nec stato tempore Hierosolymis adesse possent; vel si ante initium anni instantis sabbathici vindemia sperari non posset.

§. V. Tempus.

V. [18] Non ante festum novi anni intercalare licuit, & plerumque exspectabatur mensis Adar [19] Toto autem mense Adar labente, usque ad diem 29, poterat annus intercalari, & senatus dicere; mensis qui cras initium capiet erit ואדר *Adar secundus.* *Edujoth* VII. 7. *Gem. Rosh hasschana.* 7. 1. *Gem. Hier. Sanhedrin.* 18. 4. [20] & pro arbitrio illum Veadar plenum aut cavum statuebat. Non autem licuisse annum intercalare [21] die 30 Adar, tradunt Judæi, quia si Nisan sequeretur, is dies ad Nisan pertineret: at quum sunt duo Adar, prior 30, posterior 29 dies complectitur. [22] Hinc sapientes Chiskiæ vitio verterunt quod עיבר ניסן בניסן *intercalarit Nisan in Nisan.* *Pesachim.* IV. 9. *Gem. Sanhedrin.* 12. 2. *Gem. Hier. Nedarim.* 40. 1. *Gem. Beracoth.* 10. 2. *Gem. Hier. Sanhedrin.* 18. 4.

§. VI. De vario initio anni politici.

VI. De initio anni politici, sive primo die mensis Tisri, observandus est canon Judæorum לא אד"ו ר"ה ולא בד"ו פסח [23] *nunquam* Adu *caput anni est, nec* Badu *pascha.* Id est, primum diem Tisri, si incideret in diem hebdomadis primum, quartum, aut sextum, non ab illo sed sequenti demum mensis initium esse faciendum; ad vitandum concursum duorum festorum se consequentium, uti sabbathi & festi tabernaculorum, si in diem primum hebdomadis incidat, diei expiationis & sabbathi, si in quartum diem incidat, festi tabernaculorum & sabbathi si in sextum. Hanc trajectionem dierum vocant דחייה: [24] at ea usitata semper apud Hebræos non fuit, quum ex ipsa Misna probari possit diem expiationis proxime sabbathum præcessisse. Vide *Menachot* XI. 7. & *Schabbath.* XV. 3.

§. VII. Annorum æræ antiquæ.

VII. Olim quidem anni supputati fuere initio ducto a vitis prophetarum aut clarorum

rum

rum hominum, uti *Gen.* 7. 11. vel [25] exitu ex Ægypto *Exod.* 19. 1. *Num.* 33. 38. 1. *Reg.* 6. 1. [26] vel exſtructione templi 2. *Chr.* 8. 1. [27] & annis regum. Poſtea ab initio [28] exilii Babylonici epocham duxerunt. *Ezec.* 33. 21. & 40. 1. & quum in patriam rediiſſent, a condito templo ſecundo. Confer. *Mechilta* 39. 2. ubi de variis æris agitur. [29] Verum anno quadrageſimo hujus epochæ, quum Alexander Macedo urbi Hieroſolymitanæ peperciſſet, ab eo tempore æram novam inchoarunt, qua ultra mille annos uſi ſunt, quæque מנין שטרות *æra contractuum*, dicitur, vel ut aliis placet, æra *principatuum*, [30] a 4 imperiis, in quæ ſciſſum fuit Alexandri regnum poſt ejus obitum. *Avoda zara.* 1. [31] Annus labens eſt ſecundum hanc æram contractuum ex mente Judæorum 2020.

§. VIII. Æra hodierna.

VIII. [32] Hac æra abolita aut neglecta poſt Gemaræ obſignationem cœperunt annos numerare a creatione mundi, quem morem nunc quoque habent; ita ut hic annus qui nobis eſt 1708. ipſis ſit 5468, ſi videlicet addamus partem aliquam anni 1707. nam annus Judaicus 5468. incepit a die 27 Septembris anni noſtri 1707, qui ipſis erat primus dies Tiſri, & deſinet in 14 diem Septembris anni labentis 1708, qui ipſis erit ultimus ſive 29 Elul. Compendii cauſa ſolent millenarios numeros abjicere, & annum לפק' תסח, ſecundum æram minorem ſcribere, id eſt, 468; cui numero ſi addamus 1240, reſultabit annus labens æræ Chriſtianæ.

§. IX. Sex tempeſtates anni.

IX. Dividitur annus [33] in ſex tempeſtates a Judæis in *Gem. Bava mezia*. 106. 2. Quarum ſingulæ duos menſes integros complectuntur.

זרע *Sementis*.	Dimidium Tiſri. Marcheſvan. Dimidium Kisleu.
חורף *Hyems*.	Dimidium Kisleu. Tebeth. Dimidium Schebat.
קור *Frigus*.	Dimidium Schebat. Adar. Dimidium Niſan
קציר *Meſſis*.	Dimidium Niſan. Ijar. Dimidium Sivan.
קייץ *Æſtas*.	Dimidium Sivan. Tammuz. Dimidium Ab.
חום *Calor*.	Dimidium Ab. Elul. Dimidium Tiſri.

§. X. Uſus hujus diviſionis.

X. Hinc illuſtrantur multa tum in ſacro codice tum ſcriptis Judaicis. *Joh.* 10. 22. hyems fuiſſe dicitur in feſto encœniorum, id eſt 25 Kisleu. Videlicet tunc erat הורף. Dies quinquageſimus poſt חג, id eſt, feſtum tabernaculorum, incidit in חורף. Vide *Schir Haſſchirim Rabba*. 36. 1. Menſe nono rex ſedebat ad ignem. *Jer.* 36. 22. Die vigeſimo menſis noni, qui eſt Kisleu, erat tempus pluviarum. *Ezr.* 10. 13. [34] Nota tria fuiſſe potiſſima pluviarum tempora. *Gem. Nedarim.* 63. Pluvia prima deſcendit die 17. menſis Marcheſvan. Tunc armenta redibant domum: nec paſtores in tuguriis amplius habitabant in agris ut pecora obſervarent, ſed circa paſcha iterum pecora educebant. [35] Pluvia ſecunda die 23 ejuſdem menſis. Pluvia tertia primo die menſis Kisleu: atque hinc æſtas nomine ימות החמה hyems vero ימות הגשמים nuncupari ſolet. Sic in *Gem. Joma*. 15. 2. dicitur fuiſſe תקופת טבת & nix Hieroſolymis deſcendiſſe ſuper Hillelem in feneſtris auditorii ſedentem. In Tekupha Tammuz vitis habet uvas & ficus fructus ſuos. *Echa rabbathi.* 70. 2. Et in Targum Coheleth. *da partem 7 & da partem* 8, ita redditur; partem ſeminis optimam terræ manda in Tiſri menſe ſeptimo, ſed & ne neglige menſem octavum. In *Nedarin* VIII. 4. קייץ id tempus eſſe legitur quo ficus maturæ in corbes colliguntur. Hæc & ſimilia ex tabella modo exhibita haud parum lucis accipiunt.

§. XI. Menſium nomina.

XI. Menſes, חדשים, in anno Hebræorum [36] ſunt duodecim, niſi annus eſſet intercalaris, quo tredecim erant. Solebant autem olim nominari [37] ab ordine quem in anno obtinebant, unde primus, ſecundus, &c. dicebantur. *Gen.* 8. 13. *Num.* 9. 11. 2 *Chron.* 15. 10. Poſtea his Chaldaicis nominibus inſigniti ſunt, & hoc ordine recenſentur in *Gem. Peſachim.* 94, 2. & libro *Jetzira cap.* 5. *ſect.* 2.

I.

I. ניסן Nisan. *Nehem.* 2. 1.
II. אייר Ijar.
III. סיון. Sivan. *Esth.* 8. 9.
IV. תמוז Tammuz.
V. אב Ab.
VI. אלול Elul. *Neh.* 6. 15.
VII. תשרי Tisri.
VIII. מרחשון Marchesvan.
IX. כסלו Kisleu. *Zach.* 7. 1. χασλεῦ 1 *Macc.* 1. 57.
X. טבת Tebet.
XI. שבט Schebat. *Zach.* 1. 7.
XII. אדר Adar. *Esth.* 3. 7. ita dictus Συριακῇ φωνῇ. 2 *Macc.* 15. 37. ὕστατος μὴν τοῦ ἔτους Josepho *Ant.* IV. 8.

[38] Nomina alia mensium, ut זיו, mensis secundi 1 *Reg.* 6. 1. & [39] בול octavi 1 *Reg.* 6. 38. & mensis 7. ירח האתנים 1. *Reg.* 8. 2. aut אביב mensis 1, *Exod.* 13. 4. creduntur nomina non esse propria. [40] Veluti de אתנים legitur, quia eo mense nati sunt Patriarchæ איתני עולם, hoc nomen tulisse, in *Gem. Rosh hasschna*. 11. 1. (quo faciunt hæc Hieronymi ad *Mich.* 6. *pag.* 1538. *Sunt qui fortia fundamenta terræ Abrahamum Isaacum & Jacob & patriarchas reliquos interpretentur*) & ibidem de זיו, quia venit זיוא דאילני, vel quod eo nati sint זיותני עולם. Eademque fere de mensibus אתנים, בול, & זיו in *Gem. Hierosol. Rosh. hasschna*. 56. 4. leguntur.

§. XII. Convenientia cum nostris.

XII. Certo dici nequit quis horum mensium cum mensibus nostrorum annorum conveniat, siquidem anni Judæorum & menses inæqualis mensuræ sunt. Plerumque *Nisan* cum nostro Martio, *Ijar* cum Aprili, convenire dicitur: atque ita etiam in *Midrasch Megilath Ester*. 132. 2. dicitur מזל טלה משמש כחדש ניסן, *signum arietis convenire mensi Nisan*, tauri τῷ Ijar, atque ita porro, ut signum piscium mensi Adar tribuatur. Sed nonnunquam dies mensis Nisan in Majum incidunt, uti anno elapso, æræ videlicet Judaicæ 5467, quum dies 30 mensis Nisan idem esset ac 2 Maji, anni æræ nostræ 1707, propter insertum mensem ואדר. Atque ita Josephus *l.* VII. *de bell.* 12. diem festum azymorum scribit fuisse nonum Aprilis. Quomodo autem menses Judaici hoc anno conveniant cum nostris hinc colligitur.

Anno Judaico 5468.	*Anno æræ Christianæ 1707.*
Primus dies Tisri est	Dies 27 Septembr. 1707.
1. Marchesvan.	27 Octobris. 1707.
Kisleu.	25 Novembr. 1707.
Thebet.	25 Decembr. 1707.
Schebat.	23 Januar. 1708.
Adar.	22 Februar. 1708.
Nisan.	22 Mart. 1708.
Ijar.	21 April. 1708.
Sivan.	20 Maj. 1708.
Tammuz.	19 Jun. 1708.
Ab.	18 Jul. 1708.
Elul.	17 August. 1708.

§. XIII. Distinctio in plenos & cavos.

XIII. Menses Judaici [41] sunt vel *pleni* מלאים sive 30 dierum (quales omnes fuisse viventibus primis patriarchis vulgo colligitur ex collatione *Gen.* 7. 11. & 8. 4.) vel *cavi* חסרים dierum 29. *Gem. Beracoth.* 30. 2. Olim quidem stante templo id a lunæ phasi plurimum dependebat, nunc a solo calculo astronomico: [42] sic ut aliquando 8 cavi vel e contrario totidem pleni in anno inveniantur. Nunquam fuere plures pleni quam octo, & pauciores quam quatuor. *Erachin.* 11. 2. Ita in anno 5467 proxime elapso *Tisri* erat mensis plenus, *Marchesvan* cavus, *Kisleu* cavus, *Tebet* cavus, *Schebat* plenus, *Adar* plenus, *Veadar* cavus, *Nisan* plenus, *Ijar* cavus, *Sivan* plenus, *Tammuz* cavus, *Ab* plenus, *Elul* cavus. [43] Hoc autem anno 5468 alternatim menses pleni sunt & cavi, Tisri plenus, Marchesvan cavus &c. Tradunt Talmudici in *Gemara Hieros. Megilla*. 71. 1. semper mensem illum [44] Adar cavum fuisse qui præcedebat mensem Nisan, sive *Veadar* esset, sive alius (לעולם אדר סמוך לניסן חסר) & in *Gem. Betza*. 6. 1. & 22. 1. uti & *Gem. Rosh hasschana*. 19. 2. Elul plerumque fuisse cavum, nec a diebus Ezræ ullum Elul plenum fuisse: quapropter si synedrium Judæis procul habitantibus per legatos

gatos non significasset Elul esse plenum, Judæi eum pro cavo habebant, & post diem 29 Elul [45] novum annum ordiebantur. [46] Nunc cessat destructo synedrio inter Rabbanitas consuetudo menses plenos cavosque pronunciandi secundum phasin lunæ, [47] sed secundum cyclum [48] Hillelianum novendecim annorum annos suos mensesque disposuerunt inde ab anno 670 æræ contractuum, ita ut non dependeat anni intercalatio, mensiumque quantitas & numerus, a causis incertis, ut olim, sed certissimis. In cyclo hoc Hilleliano [49] anni intercalares sunt 3, 6, 8, 11, 14, 17, 19. Karæi non Hillelem sed Isaacum Naphcha hujus rei auctorem faciunt.

§. XIV. Consecratio eorum an semper a phasi dependerit.

XIV. [50] Menses stante templo & sedente in Palæstina synedrio consecrari solebant non secundum solas rationes astronomicas, sed phasin lunæ, [51] a præside synedrii, [52] & quidem interdiu, hac formula, מקודש, *consecratus est*: [53] quum testes fide digni novæ lunæ primum adspectum observassent, visamque significassent synedrio, [54] quod ipsos examinabat (vid. *Rosh haschana*. II. 6.) si [55] videlicet sit dies 30: [56] nam si sit dies 31, non est ראייה necessaria: & si luna lateat, novi tamen mensis initium constituebatur, ne confusio temporum nasceretur. Postea everso synedrio phasin lunæ neglexerunt Judæi Rabbanitæ, a quibus hac in parte [57] Karæi abeunt, qui semper a ראייה *apparitione* lunæ, non חשבון *calculo* astronomico, menses metiuntur. [58] Urgent illi 1 *Sam*. 20. 5. ubi David ait cras fore novilunium, quod si a lunæ phasi dependisset, scire David non potuisset, [59] & 1 *Chron*. 12. 32. ubi scientia rerum astronomicarum tribuitur filiis Isaschar, unde Israelitæ scirent quid sibi faciendum esset: quod plus arguit requiri ad figenda tempora quam conspectu lunæ. [60] Quibus addunt ex *Nehem*. 9. 19. totis 40 annis in solitudine lunæ conspectu destitutos fuisse majores suos, quum columna ignis noctu illustrarentur: & etiamsi luna die 31 non appareret tamen alterius mensis initium eo die constitutum esse stante templo, quia ex calculo astronomico notum est mensem longiorem esse non posse 30 diebus.

§. XV. Dies.

XV. Dies vel spatium νυχθήμερον indicat, [61] adeoque 24 horas complectitur, uti *Ps*. 88. 2. vel spatium quod ab ortu ad occasum solis protenditur, & opponitur nocti. Illum naturalem, hunc civilem appellare possumus. [62] Diem naturalem inchoant Judæi ab ortu stellarum, quando nempe tres stellæ mediocres apparent, quia *Nehem*. 4. 21. 22. finis diei statuitur בצאת הככבים *in ortu stellarum*. In *Gem. Schabbath*. 35. 2. dicitur, [63] si una stella appareat, esse adhuc diem; si duæ, esse tempus quod בין שמשות [64] *inter soles* appellatur; si tres, esse noctem. Adeoque diem inchoant, uti Athenienses, de quibus ex Varrone Gellius Noctium Atticarum III. 2. *eos a sole occaso ad solem iterum occidentem omne id medium tempus unum diem esse dicere*. [65] Tempus nocturnum diurno præmittunt, quum tenebræ priores luce fuerint *Gen*. 1. 3. (quo loco Judæi jam olim coram Alexandro Macedone ad hanc rem probandam usi fuisse leguntur in *Gem. Tamid*. 66. 1.) & integri diei spatium primo per vesperam deinde per mane deducatur *Gen*. 1. 5. [66] In sacrificiis tamen comedendis dies præcedit noctem: בקרבנות הלילה הולך אחר יום, uti legitur in *Gem. Hier. Joma*. 38. 2. & *Gem. Chullin*. 83. 1. quod colligunt Talmudici ex *Lev*. 7. 15. *ipso die sacrificii comedetur: nil remanebit usque ad mane*. Confer *Berachot*. I. 1. *Menachot*. XI. 9. & *Chullin*. V. 5. Sed alias, uti quum bos & fœtus ejus vetantur eodem die jugulari, nox præcedit diem, uti in opere creationis. *Siphra fol*. * 244. 2.

§. XVI. Horæ majores, & minores.

XVI. [67] In 12 horas minores & vulgo ita dictas dies dispescitur *Johan*. 11. 9. יב' שעות הוי היום 12 *horæ sunt diei*. *Gem. Sanhedrin*. I. 4. atque ita etiam nox, cujus sexta hora & nona Josepho memorantur *lib*. VII. *de bell. Jud. cap*. 12. [68] Hæ erant καιρικαὶ, vel longiores vel breviores pro mensura diei aut noctis. [69] Porro dies, quatenus nocti opponitur, dividitur in 4 quadrantes. *Nehem*. 9. 3. רביעית היום *quadrans diei* unus & alter memorantur. Et per hæc quoque intervalla operæ hominum conductorum ad vineam colendam fuere distributæ *Matth*. 20. 1---5. summo mane, hora tertia, sexta & nona. Patitur autem linguæ Græcæ genius spatium ejusmodi ὥραν dici, uti quadrantes anni ὥρας vocant. Quapropter hinc conciliatio a multis petitur [70] locorum *Marc*. 15. 25. & *Johann*. 19. 14. ubi ille Christum hora *tertia* crucifixum, hic *sexta* traditum scribit a Pilato ut crucifigeretur. Nam Marcum volunt horam tertiam majorem intellexisse, id est, tertium diei quadrantem, Johannem vero horam sextam minorem.

§. XVII. Num per illas conciliari queant dicta Marci & Johannis.

XVII. Sed nobis hæc conciliatio non probatur, quod horarum illarum majorum nulla plane in scriptis Judaicis fiat mentio, & Marcus ipse, quemadmodum & omnes scriptores sacri, de horis loquentes, soleant horas ordinarias, id est, particulas diei duodecimas, intelligere. Quid? quod Marcus in hoc ipso capite, commate 33. & 34. scribat *hora sexta* tenebras esse obortas, *hora nona* exclamasse Jesum, quibus ostendit se horas ordinarias intelligere? Voluisse autem illum in eodem hoc capite, commate

5. per *horam tertiam* indicare tertium diei quadrantem, & voci ὥρας, non admonito lectore, aliam notionem dare quam ſemper conſuevit, ego mihi non perſuadeo: hoc enim eſſet, ſi quid judico, de induſtria obſcuritatem ſectari. Crediderim itaque illa Marci, *erat hora tertia & crucifixerunt eum*, referenda ad diviſionem veſtium Chriſti, quæ facta ſit hora tertia poſtquam Chriſtum crucifixiſſent: uti *Nehem.* 8. 1. legitur Καὶ ἔφθασεν ὁ μὴν ὁ ἕβδομος καὶ οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἐν πόλεσιν αὐτῶν. Vel, ſi hora tertia crucifixionis actus poteſt dici cæpiſſe initium, legendum eſſet *Johann.* 19. 14. τρίτη pro ἕκτη. Extat hæc ſcriptura in variis codicibus MSS. & ita jam olim in antiquiſſimo codice Epheſino, qui ipſius Johannis αὐτόγραφον putabatur, lectum fuiſſe Petrus Alexandrinus teſtatur, cujus hæc verba in Chronico, quod vulgo Alexandrinum dicitur, leguntur, *pag.* 5. & 219. Ὥρα ἦν ὡσεὶ τρίτη, καθὼς τὰ ἀκριβῆ βιβλία περιέχει, αὐτό τε τὸ ἰδιόχειρον τοῦ Εὐαγγελιστοῦ ὅπερ μέχρι τοῦ νῦν πεφύλακται χάριτι Θεοῦ ἐν τῇ Ἐφεσίων ἁγιωτάτῃ Ἐκκλησίᾳ. Quod ſi olim notis expreſſerint numeros, facile ϛ pro Γ ſcribi potuit, id eſt, ἕκτη pro τρίτη.

§. XVIII. Vigiliæ noctis.

XVIII. [71] Nox dividitur quoque in quadrantes, dictos אשמורות, vigilias, Græcis φυλακάς. *Luc.* 12. 38. *Matth.* 14. 25. Sæpe quidem apud Judæos אשמורה ſive vigilia tertiam partem noctis ſignificat (uti & Græci veteres ſolebant noctem in tres μοίρας ſive λάχη, quod Homerus docet & Moſchus, diſtinguere) & propterea quidam putant diviſionem noctis in quatuor vigilias a Romanis profectam eſſe, cujus meminit Cenſorinus *de die natali*, *cap.* 21. verum in ipſo initio Gemaræ *Beracoth* 3. 2. & *Echa rabbati* 78. 2. ubi ſententia R. Eliezeris refertur, dicentis tres eſſe noctis vigilias, ſcriptum eſt תנו רבנן ד׳משמורות הוי הלילה *tradidiſſe Doctores*, 4 *eſſe vigilias noctis*, & teſtimoniis Sacri Codicis eas firmare ſatagunt.

§. XIX. Horarum partes 1080.

XIX. [72] Dividuntur horæ in minuta vel חלקים 1080, quod is numerus commodiſſime per 2, 4, 8. & 3, 6, 9. & 5, 10 & plurimos alios numeros dividi poſſit. [73] Sic menſem verum lunarem ſynodicum terminant diebus 29, horis 12 & minutis 793. [74] annum lunarem 354 diebus, horis 8, & 876 minutis. [75] Solarem lunari majorem ſtatuunt diebus 10, horis 21, & minutis 204. [76] Habent quoque illorum minutorum rationem in figendo initio menſis veri lunaris, ſeu nativitate lunæ, ut loqui amant, vel המולד: & noſtram diviſionem horæ in 60 minuta negligunt, quod per 8 & 9 dividi nequeat. Denique Judæi memorant [77] minimam horæ & temporis particulam, רגע, *momentum*, ἄτομον χρόνου, quales in unaquaque hora ſint 56848. uti legitur in *Gem. Hier. Beracoth*. 2. 4. & in *Echa rabbathi*. 78. 2.

§. XX. Pars horum omnium pro toto accipitur.

XX. Denique obſervandum eſt [78] partem horum omnium, videlicet anni, menſis, diei, & horæ accipi nonnunquam pro toto, & partem anni annum nuncupari. Diſertis verbis hoc monetur in *Gem. Rosh haſſchana*. 2. 2. & 7. 2. & *Gem. Nidda*. 48. 1. יום אחד בשנה חשוב שנה *unus dies in anno habetur pro anno*. Ita tres menſes dicuntur interceſſiſſe inter paſcha & pentecoſten, quæ tamen feſta dierum modo quinquaginta, adeoque ne duorum quidem menſium ſpatio diſtabant. Deus ipſe in *Schir haſſchirim rabba fol.* 15. 4. & 5, ita loquens introducitur de Iſraelitis ex Ægypto egreſſis יתעדנו בני עד שלושה חרשים, & mox, יתעדנו בני כשלושה חרשים *delicientur filii mei uſque ad tres menſes*, antequam nempe legem in Sinai accipiant. Sic in *Seder olam rabba c.* 5. legitur שלשום ג׳ ימים *nudius tertius eſſe tres dies*. Nam Hebræis idem eſt לשלשת ימים & ביום השלישי, ſignificatque diem tertium, uti liquet ex collatione *Exod.* 19. 15. & 11. & hinc Græci illud τρεῖς ἡμέρας, vulgatus interpres *in diem tertium*, reddiderunt.

§. XXI. Hinc illuſtratur tempus reſurrectionis Chriſti.

XXI. Hunc morem loquendi imitatus etiam Chriſtus eſt, quum ſe reſurrecturum ex mortuis dixit μετὰ τρεῖς ἡμέρας *Matt.* 27. 63. ἐν τρισὶν ἡμέραις *Matth.* 27. 40. τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ. *Matth.* 16. 21. & 17. 23. & 20. 19. Illud *poſt tres dies*, idem eſt ac *tertio die*, uti *Deut.* 14. 28. μετὰ τρία ἔτη exponitur *cap.* 26. 12. ἐν τῷ ἔτει τῷ τρίτῳ, & apud Joſephum, *Ant.* I. 12. μετ᾽ ὀγδόην ἡμέραν, id eſt, *octavo die*, circumcidi infantes leguntur. Ita apud Joſephum ſcribitur *Ant.* VI. 7. μετὰ ἡμέρας ἑπτὰ πρὸς αὐτὸν ἥξειν ὅπως θύσωσι τῇ ἑβδόμῃ τῶν ἡμερῶν, *ſe venturum ad ipſum poſt dies ſeptem ut die ſeptimo ſacrificarent*. Sic *lib.* VIII. 3. μετὰ τρεῖς ἡμέρας ſcribit, & mox id explicat per τρίτῃ τῶν ἡμερῶν. Uſus in iſtiuſmodi loquendi formulis magis ſpectandus eſt quam Grammatica ſingularum vocum vis & origo; uti πρὸ δέκα καλανδῶν, & *ante diem* x *Kalendarum*, non eſt pridie, ſed ipſo die x Kal. Quod ſi quem male habeat nihilominus Chriſtum *Matth.* 12. 40. [79] dixiſſe ſe tres dies & tres noctes fore in ſepulcro, quum non niſi noctes duas fuerit, die Veneris nempe ſepultus, & die ſolis reſurgens, ſciat genium linguæ Hebrææ id pati, ut dies tres & noctes duæ appellentur dies tres & noctes tres, quoniam partes ſunt integri νυχθημέρου: quare etiam Græci interpretes *Gen.* 7. 17. pro *diebus* 40 reddiderunt 40 dies & 40 noctes, quod vox *dies* ita uſurpari ſoleat ut & diem & noctem

ctem comprehendat, quemadmodum vice versa لَيْلَةٌ *nox* Arabibus & diem & noctem, sive νυχθήμερον, significat. Verba Christi hanc interpretationem pati, nec abhorruisse ab usu sermonis eo tempore inter Judæos usitati, abunde liquet ex eo quod nunquam Christo aut apostolis controversia mota fuerit a Judæis de spatio hoc dierum trium & noctium, quo se Christus in sepulcro mansurum esse prædixerat.

COMMENTARIUM IN CAP. PRIMUM

PARTIS QUARTÆ.

[1] A *Mense Nisan &c. Jonathan Exod.* 12. 2. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni, ita interpretatur*, mensis hic vobis erit, ut figatis eum principium mensium, & ab eo incipietis numerare festa, solennitates, & solstitia cum æquinoctiis, primus erit vobis in numero mensium anni. *Tosaphta Rosch haschana cap. I.* 1. Nisan est principium anni Regum, festorum, mensium, separationis siclorum, & alii etiam dicunt, locationis ædium. Quomodo intelligitur pro mensibus? Tam qui voverit, quam qui æstimaverit sacra, & qui sanctificat, non prævaricatur præceptum, *non tardabis*, donec præterierint super illud votum festa totius anni. R. Simeon dicit, tria festa juxta ordinem eorum, & ante alia festum azymorum; & ita dicere solebat R. Simeon; aliquando sunt tria, aliquando quatuor, aliquando quinque. Quo pacto hoc intelligitur? Si vovisset ante Pascha, donec prætereat Pascha, Pentecostes, & festum Tabernaculorum, si vovisset ante festum Pentecostes, donec prætereant Pentecostes, festum Tabernaculorum, Pascha, & Pentecostes; si vovisset ante festum Tabernaculorum, donec prætereant festum Tabernaculorum, Pascha, Pentecostes, & festum Tabernaculorum. Quomodo intelligitur pro mensibus? quamvis dictum sit in mense primo, & in mense secundo; non ducitur numerandi initium nisi a Nisan, juxta versiculum qui dicit; *mensis iste vobis principium mensium*. Exod. 12. 2. Quomodo intelligitur pro separatione Siclorum? Omnia sacrificia cœtus offerebantur primo die Nisan, si novum adducebatur suo tempore, offerebantur de novo, sin minus, de veteri offerebantur.

[2] *Inde etiam anni &c. Gemara Rosch haschana pag.* 2. Dixit R. Jochanan; unde *probatur*, annorum Regum Israelitarum principium incidere in mensem Nisan? probatur enim hoc ex S. S. loco 3. Reg. VI. 1. *Factum est ergo quadringentesimo, & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti anno quarto mense Zio (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel*; hic vero Salomonis regnum cum egressu ex Ægypto comparat, cujusque initium ac caput a mense Nisan, *Martio*, sic & regnum Salomonis a Martio formandum, ac numerandum est. *Tosaphta Rosch haschana ibidem*. Quomodo intelligitur pro Regibus? si mortuus esset mense Adar, & alius in ejus locum succederet in eodem Adar, annus pro utroque numeratur; si mortuus esset in mense Nisan, & alius in ejus locum succederet mense Nisan, annus pro utroque numeratur, si mortuus esset mense Adar, & alius mense Nisan in ejus locum succederet, primus numeratur pro primo, & secundus numeratur, pro secundo.

Locationi ædium &c. Tosaphta Rosch haschana. Quomodo intelligitur pro locatione ædium? Qui socio locaverat domum per annum, si dixisset, per duodecim menses se illam conducturum, intelligitur, donec advenerit ille ipse dies; si dixisset per hunc annum, etiamsi eam non conduxisset nisi die primo Adar, non habebit nisi usque ad diem primum mensis Nisan.

Hinc quoque annos &c. quia hoc mense mundum fuisse creatum multi existimarunt, nonnulli vero mense Septembri. Gemara Rosch haschana fol. 10. *col.* 2. R. Eliezer dixit, in mense Tisri creatus est mundus, in Tisri nati sunt Patriarchæ, in Tisri mortui sunt Patriarchæ &c. R. Jehosua dixit, in Nisan creatus est mundus, in Nisan nati sunt Patriarchæ &c. Unde probatur quod in Tisri creatus est mundus? inde ubi dicitur. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum*. Genes. I. 11. Quis est mensis iste, in quo terra producit gramina, & arbores plenas fructibus? iste est mensis Tisri; nam istud tempus est tempus pluviosum, unde omnia progerminant sicut dictum est: *& ascendit vapor ex terra*; unde probatur, quod in Nisan creatus est mundus? inde ubi dicitur; *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum*. Quis est iste mensis, quando terra est plena gramine, & arbor profert fructus? Iste est mensis Nisan; nam istud tempus est tempus bestiarum, & animantium, & volucrum, quæ tunc invicem connubia agitant.

[3] *A mense Tisri &c. Tosaphta Rosch haschana cap.* I. 7. Tisri est caput anni ad figendos annos, & annos Sabbathicos, & Jubilæa, & pro plantis, & pro herbis, & pro votis. Quomodo intelligitur pro annis, & annis Sabbathicis, & Jubilæis? Non ducitur initium numerandi annos, & annos Sabbathicos & Jubilæa, nisi a Tisri.

[4] *In annis Plantarum &c. Tosaphta Rosch haschana ibidem*. Quomodo intelligitur pro plantis? Tam qui plantat, quam qui propagat, aut inserit triginta dies ante principium anni, computatur ei annus, sin minus, non ei computatur annus, & ei non licet conservare in anno Sabbathico, & hujus arboris fructus interdicti sunt usque ad diem quintumdecimum Schebeth, vel præputio, si sit ob præputium, vel anno quarto, si sit ob annum quartum. *Tosaphta Scheviith cap. IV.* 13. Cujuscumque arboris fructus, qui protrusi sint ante diem quintumdecimum mensis Schebeth, decimantur *pro anno* præterito, post diem quintumdecimum Schebeth decimantur *pro anno* futuro. R. Nehemia dicit, in quo casu hæc dicta sunt? de arbore, quæ duos proventus singulis annis producat, sed quæ unum proventum producat, uti oleæ, dactyli, siliquæ, quamvis suos fructus protrusissent ante diem quintumdecimum Schebeth, existimantur perinde ac protruserint post diem quintumdecimum Schebeth. R. Simeon dicit, a productione foliorum usque ad grossos, quinquaginta dies, a grossis ad decidentes gemmas quinquaginta dies, atque inde ad ficus maturas quinquaginta dies. Rabbi dicit, utrique quadraginta dies, & omnes ante hoc tempus pro præterito decimantur, post hoc tempus pro anno insequenti decimantur. *Hierosol. Scheviith fol.* 35. 4. Arbor quæ fructum suum protrudit ante initium anni mundi (*i. e. ante initium Tisri*) decimanda est pro anno præterito; at si post initium anni mundi, tum decimanda est pro anno ineunte. Respondit R. Jehuda bar Philia coram R. Jonah; ecce arbor Charob fructum suum protrudit ante initium anni mundi, & tamen decimatio ejus est pro anno sequente. R. Jissa dicit, si tertiam partem protrudat ante initium anni mundi, decimatio fit pro anno præterito; at si post, tum pro anno insequente. R. R. Zeira coram R. Jissa; aliquando palmæ partem fructus sui non producunt nisi post initium anni mundi, & tamen decimatio earum est pro anno præterito. Samuel bar Abba dicit, si tertiam partem fructus protrudat ante diem decimumquintum mensis Schebath fit decimatio pro anno præterito, si post decimumquintum mensis Schebath, fit decimatio pro anno adventante. *Maimonides Maas. Scheni cap. I.* 2. primus dies Tisri est ca-

put anni pro decimando proventu, leguminibus, & oleribus, & ubicunque legitur simpliciter caput anni, denotatur primus dies Tisri. Dies decimusquintus Schebat est caput anni pro decima arborum; quo pacto hoc intelligitur? Proventus, & legumina, quæ apta essent ad decimationem ante caput tertii anni, quamvis perfecta & collecta essent in tertio, separatur ex his secunda decima; at si ad statum decimarum non pervenissent nisi post initium tertii anni, separatur ex his decima pauperis. Et pariter fructus arboris, qui pervenissent ad statum decimarum ante diem decimumquintum Schebath tertii anni, quamvis perfecti, & collecti essent post id tempus in fine tertii anni, separatur ex his decima pro anno præterito, & separatur ex his decima secunda; & pariter si pervenissent ad statum decimarum ante diem decimumquintum Schebath anni quarti, quamvis perfecti essent, & colligerentur in anno quarto, separatur ex his decima pauperis, & si pervenissent ad statum decimarum post diem decimumquintum, decimantur pro anno insequente. Et siliquæ, quamvis protrusissent fructus ante diem decimumquintum Schebath, decimantur pro anno insequente, cum sapientum decreto decimentur. Mihi videntur hæc dicta esse de siliquis Zalmonis, & his similibus, quæ pro cibo plurimorum hominum non sunt idoneæ; & hæ sunt, quæ sapientum decreto decimantur; sed reliquas siliquas ego judico similes esse cæterarum arborum fructibus. *Etiam olerum decimandorum ab hoc mense initium capiebat annus. Tosaphta Rosch hascana cap. I. 9.* Quomodo intelligitur pro oleribus? si collegisset herbam in vigilia principii anni ante occasum solis, & iterum post occasum solis collegisset, non potest separari, nec decimari ex una pro altera, quia altera est nova, & altera est vetus, si esset secundus annus, & inciperet tertius, prima decimatur pro decima secunda, & secunda decimatur pro decima pauperis: Si collegisset malum citreum in vigilia diei decimiquinti Schebath ante occasum solis, & iterum post occasum solis collegerit; non separandum & decimandum est de uno pro alio, quia unum est novum, & alterum vetus; si esset tertius annus, & inciperet quartus, primum decimatur pro decima pauperis, & secundum decimatur pro decima secunda. *Tosaphta Scheviith cap. IV. 14.* Contigit, ut R. Akiba colligeret malum citreum die primo Schebath, secutus est sententiam Schammai, & etiam sententiam Hillelis; R. Jose filius R. Jehudæ dicit juxta verba Gamalielis, & verba R. Eliesеris filii Jose. Abtalos testatus est nomine quinque seniorum, malum citreum juxta collectionem suam obligatum esse ad decimam; & præceptores nostri in Huscia pro majori numero decreverunt, malum citreum juxta collectionem suam obligari ad decimas, & remotionem. R. Simeon dicit; malum citreum, quod a vigilia anni septimi intraverit septimum, aut a septimo annum alterum, qui septimo succedit, intraverit, liberum est a decimis, & remotione; quia nulla res obligatur ad decimas, nisi quæ cum obligatione crescit, & colligitur; & nulla res obligatur ad remotionem, nisi quæ crescit in anno septimo, & in septimo colligitur. *Codex Bicurim cap. II. 6.* Malum citreum simile est arbori tribus modis, & oleri uno modo; simile est arbori in præputio, & in anno quarto, & septimo; & oleri uno modo; nam juxta tempus collectionis suæ sunt decimæ suæ, sunt verba Rabban Gamalielis; R. Eliefer simile est arbori omni modo. *Maimonides Maas. Scheni cap. I. 7.* Olus quo tempore colligitur decimatur; quomodo hoc intelligitur? Si colligitur anno tertio die primo novi anni, quamvis pervenerit ad statum decimarum, & perfectum sit in anno secundo, separatur ex eo decima pauperis, & si colligitur anno quarto, separatur decima secunda. Et pariter malum citreum differt ab reliquis arborum fructibus, simile est oleri, & juxta collectionem suam obligatur ad decimam, & ad fructus septimi anni; quomodo hoc intelligitur? si collectum fuisset in anno tertio post diem decimum quintum Schebath, ex eo separatur decima pauperis, si in quarto colligatur post diem decimum quintum Schebath, ex eo separatur decima secunda; & quamvis habeatur ratio temporis collectionis suæ, *tamen* malum citreum anni sexti quamvis prius esset olivæ simile, deinde fiat, pani simile, obligatur ad decimas.

[5] *A mense Elul &c. Codex Bicurim cap. IX. 5.* Tres sunt areæ pecoris decimationi destinatæ, in medio Paschatis, in medio Pentecostes, & in medio festi Tabernaculorum, ita R. Akiba. Filius Asai dicit, vicesimo nono die mensis Adar, primo die Sivan, & vicesimo nono Mensis Abh. R. Eliefer, & R. Simeon dicunt, primo die Nisan, primo Sivan, & vicesimo nono Elul, & non primo Tisri, quia dies est festus; at die festo decimare non licet, idcirco diem vicesimum nonum Elul anticiparunt. R. Meyr dicit, primo Elul est principium anni pro decimatione pecoris; Filius Asai dicit, pecora mensis Elul seorsim decimantur. Omnia quæ nata sunt a die primo Tisri, usque ad decimum nonum Elul, conjunguntur, sin quinque ante principium anni, & totidem post anni principium nata fuerint, ne conjungantur, si quinque ante aream, & totidem post eam, hæc conjungantur. Si ita res habeat, quare dicatur, tres areæ sunt pro decimis pecoris? nam antequam area advenerit, vendere & mactare licet, si area advenerit, non mactabit, si vero mactaverit, liber est. *Tosaphta Rosch haschana cap. I. 6.* Primo die Elul est principium anni pro decimatione pecorum; R. Eliefer, & R. Simeon dicunt primo Tisri; dixit R. Simeon filius Asai, cum isti dicant primo Elul, & illi primo Tisri; pecora Elul seorsim decimantur; quomodo hoc intelligitur? Si quinque nata essent in mense Abh, & quinque in Elul, & quinque in Tisri, non conjunguntur, quinque in Tisri & quinque in Abh conjunguntur.

[6] *Anni omnes &c. Maimonides Kidd. Hach. cap. I. 2.* Annus enim solis fere major est anno Lunæ diebus undecim, ex quo cum sint dies collecti triginta, plus, minusve, annum uno mense facimus longiorem, qui annus vocatur intercalaris, neque enim fieri potest, ut annus e duodecim mensibus constituatur, & diebus aliquot. Nam quod in Lege dicitur, Exod. 12. 2.; *primus erit in mensibus anni*; indicat menses quidem integros anno annumerandos esse, non ita dies. *Abarbanel in Exod. 12. 2. fol. 148. 4.* Intercalatio annorum tradita fuit Synhedrio magno, quod erat Hierosolymis, quia ad sanctissimum hoc opus magna sapientia, & eruditio requirebatur. Annus enim Israeliticus lunaris est, perfectis mensibus constans, sicut dicitur exod. 12. 2.; *primus erit in mensibus anni*. Ad quæ verba sapientes nostri commentati sunt; hinc discimus annum debere calculari, & constitui a mensibus (*perfectis, & solis*) non autem e mensibus *simul* & diebus. Et quum lex diligenter caverit, ut hic mensis Nisan primus esset, sole existente in principio signi Arietis, sicut ait Deut. 16. 1. *Observa mensem Abib*, Abib autem dependet a sole, hinc manifestum est, menses anni quandoque tredecim esse debere, quia annus solaris undecim circiter diebus major est, quam duodecim menses lunares. Hinc necessario mensis alius anno addendus fuit, ut Nisan semper recurreret in mense Abib *sive* spicæ, quod in terra Israelis fit circa illud tempus, quo sol signum Arietis ingreditur; Et hujusmodi annus embolimæus *vel intercalaris* vocatur. Hujus rei causa necesse habuerunt e novendecim singulis annis septem, nempe tertium, sextum, octavum, undecimum, decimum quartum, decimum sextum, & decimum nonum intercalare. Novendecim enim anni comprehendunt accuratissime menses annorum plenos, & numerum eorum, puta mensium integrorum. Mensis quippe vocatur, qui dies habet perfectos, sicut dicitur Num II. 20.; *usque ad mensem dierum*. Ad quæ verba rursus magistri nostri notarunt. Hinc disces, menses tibi numerandos esse diebus perfectis, nullis superadditis horis. *Ideoque mensis*, plenus 30. diebus constat, cavus antem 29.

[7] *Lunæ præ sole &c. Maimonides ibidem cap. I. 1.* Menses nihil aliud esse, quam Lunæ novitates, vel ex eo cognosci licet, quod in Lege est: *Hoc erit suum cujusque novitatis holocaustum &c.* (ita Hebræus) Num. 28. 14. Et alio loco: *novitas ista vobis esto principium mensium.* (ita Hebræus). Exod. 12. 2. Quod sapientes quidem sic interpretati sunt, ut vellent per visum a Deo Lunæ novæ speciem objectam esse Mosi, atque eidem præscriptum, ut cum similem visurus esset, eam illico consecraret. At anni diriguntur a nobis ad conversionem solis annuam, quod scriptum in Lege sit; *observa mensem novarum frugum* Deut. 16. 1.

[8] *Annum quidem solarem &c. Maimonides ibidem*

VI.

VI. 3. 4. Ex hac igitur noſtra hodierna deſcriptione temporum ab una ad alteram ſolis & lunæ conjunctionem illam mediam viginti novem intercedunt dies pleni, horæ duodecim, & ex tertia decima ſcrupuli ſeptingenti, & nonaginta tres. Hoc igitur temporis ſpatium inter unam & alteram lunam novam intereſt, atque adeo menſem lunarem complet. Unde lunaris annus, ſi eſt ex ejuſmodi menſibus duodecim, quatuor diebus, & quinquaginta & trecentis conficitur, horis octo, octingentis, & ſeptuaginta ſex ſcrupulis. Sin autem intercalando fiat uno menſe longior, dies continebit trecentos octoginta tres, unam & viginti horas, quingentos & novem ſupra octoginta ſcrupulos. Sed qui ſolis converſione efficitur annus is dies habet trecentos ſexaginta quinque, horas ſex. ex quo patet ſolarem annum lunari eſſe longiorem diebus decem, viginti una horis, & ſcrupulis ducentis & quatuor. *Et cap. IX. ibidem*. Sunt aliqui de peritis Aſtrologiæ Judæis, qui cenſeant ſolem quinque diebus & ſexaginta, & trecentis, quarta diei parte addita, quæ ſunt horæ ſex, converſionem annuam conficere; ſunt autem alii, qui ex iſta quarta diei parte eximant aliquid. Itemque Græcorum hominum, & Perſarum in Aſtrologia excellentium variæ ſunt hac de re, & diſſidentes inter ſe ſententiæ. Si defendatur ſententia prima, intelligitur exacto cyclo decemnovennali, lunæ curſus a ſole ſuperari omnino hora una, ac quinque ſcrupulis, & octoginta, & quadringentis ſic, ut a nobis ante dictum eſt. *Et cap. X. ibidem*. Altera fuit eorum ſententia, qui de quarta illa diei parte detrahunt aliquid; quorum e numero quidam verſati in Aſtrologia Judæi ſic exiſtimant, ſolem quinque diebus & ſexagiata & trecentis, horis quinque & ſcrupulis nongentis, & nonaginta ſeptem, & momentis etiam octo, & quadraginta converſionem annuam conficere; namque ſinguli ſcrupuli dividuntur etiam in momenta ſex & ſeptuaginta. Qua ratione cognoſcitur annuum ſolis curſum lunari eſſe longiorem diebus decem, una & viginti horis, centum & viginti uno ſcrupulis, momentis octo, & quadraginta, quorum ſignificatio eſt 10. 21 121. 48. Atque cyclus decemnovennalis, qui lunaribus efficitur annis partim communibus, partim embolimæis, totidem curſus ſolis annuos peræquat ita, ut ex his omnino nihil reſidui relinquatur.

9 *Sicut in anno &c. Toſaphta Erachin cap. I.* 8. Pentecoſtes aliquando incidit in quintum (*diem*) interdum in ſextum, aliquando in ſeptimum, nec minus, nec plus. R. Jehuda dicit, ſi incidebat in quintum, erat malum ſignum pro mundo, ſi in ſextum erat ſignum mediocre, ſi in ſeptimum, erat bonum ſignum pro mundo &c. Dies Pentecoſtes non incidit niſi in ipſum diem elevationis (*manipuli*) nec caput anni incidit niſi in ipſum diem elevationis, & in diem novilunii; alii dicunt inter unum & alterum Pentecoſten, & inter unum caput anni, & alterum non eſt differentia niſi quatuor dierum, & in anno Embolimæo non eſt differentia niſi quinque dierum.

10 *Inſerto inter Adar &c.* Toſaphta Sanhedrin cap. II. 8. non fit annus embolimæus niſi in Adar. *Maimonides ibidem cap. V.* Qui annus fiebat uuo menſe longior, is intercalaris appellabatur, ſed nullus addebatur unquam anno alius quam menſis Adar, itaque anno intercalari menſes Adar bini continuabantur, atque iidem Adar primus, atque Adar ſecundus dicebantur. *Cap. IV. Peſachim reprehenditur Rex Chiſkias, quod Niſan in Niſan intercalarit*. Sex res fecit Rex Chiſkias, de tribus conceſſerunt illi, at de tribus non conceſſerunt illi, evertit oſſa patris ſui ſuper lectum funiculorum, & conceſſerunt, contudit ſerpentem æneum, & conceſſerunt illi, abſcondit librum medicum, & conceſſerunt illi. Sed de tribus non conceſſerunt illi, amputavit portas templi, & miſit eas ad Regem Aſſyriæ, at non conceſſerunt illi, occluſit aquas Gichon ſuperioris, at non conceſſerunt illi, intercalavit Niſan in Niſan, at non conceſſerunt illi.

11 *Hæc erat neceſſaria &c. Maimonides Kidd. Hach. cap. IV.* Quid ita vero? nimirum ut haberetur una cum meſſe Paſcha, quippe cum in Lege ſit: *obſerva menſem novarum frugum. Deut.* 16. 1.; hujus enim verbi vis ea eſt, ut temporis obſervandi rationem teneres eam, quæ menſem hunc ad meſſem adduceret, atqui niſi alterum anno menſem adderes, tum Paſcha hybernis, tum eſtivis accideret temporibus. *R. Levi Barzelonita apud Hottingerum Jur. Hebr.* 16. Ex fundamentis hujus præcepti eſt, ut celebrent Iſraelitæ ſolennitates Dei, tempore ſuo; præcepit enim Deus benedictus facere Paſcha, quo frumentum habuerit ſpicam virentem, ſicut ſcriptum eſt: *obſerva menſem novarum frugum. Et feſtum Tabernaculorum tempore collectionis, & feſtum collectionum in revolutione anni* (ita Hebræus.) Niſi autem intercalarentur anni, dies illi feſti tempore conſtituto non redirent, quia Iſraelitæ menſes, & ſolennitates ſuas ſecundum dies anni Lunaris, qui conſtat diebus 354. 5. horis, 876. ſcrupul: computant, adeo ut deficiant anno ſolari dies 8. horæ 21. Scrupul. 204.

12 *Per præſidem Synhedrii &c. Toſaphta Sanhedrin. cap. II.* In ſanctificatione novilunii, & anni intercalatione, tres Judices ordiebantur, quinque de negotio inter ſe communicant, ſeptem rem conficiebant. Quo pacto hoc intelligitur? Si unus eorum diceret, conſidendum ad conſultandum, & duo dicerent non eſſe conſidendum ad conſultandum; unius ſententia abrogatur, quia unus eſt; ſi duo dicerent, conſidendum, & unus diceret, non conſidendum, duo alii judices addebantur, & quini rem inter ſe communicabant, ſi duo dicerent opus eſſe, & tres non eſſe opus, abrogatur duorum ſententia, quia minor eſt pars, ſi tres dicerent opus eſſe, & duo dicerent non eſſe opus, duo alii judices addebantur, & ſepteni definiebant, quia numerus ſeptenis minor eſſe non poterat. Si pater diceret, intercalandum eſſe, & filius diceret non eſſe intercalandum, ambo enumerabantur: ſi pater & filius dixiſſent intercalandum eſſe, aut pater & filius dicerent non eſſe intercalandum, ambo enumerabantur; dicit R. Joſe, aliquando conveni Eleaſarum meum filium ad intercalandum annum, eique dixi, Eleaſar mi fili, ego & tu pro uno poſſumus enumerari. *Maimonides ibidem cap. IV.* 9. Non intercalabatur niſi per eos, qui fuerant ad id officii electi. Itaque conſilii magni princeps deligebat nonnullos ex ſupremo illo Synhedrio, quod vocabatur, quibus ita dicebat: curate parati ſitis in hoc illo loco, uti deliberemus, ac conſultemus, utrum oporteat intercalarem conſtitui annum necne, atque ab his ſolis, qui erant ad id invitati, intercalabatur. Cum igitur iniretur intercalandi conſilium, principio tres ex illo ſupremo Synhedrio quod vocant, judices, qui eſſent iidem ad dignitatem magiſterii promoti, conſidebant, quorum ſi duo ſentirent, nihil eſſe quod deliberaretur, an oporteret intercalari, unus vero deliberandum putaret, partem minorem vincebat major; ſin conſultandum ac deliberandum exiſtimarent duo, unus autem nulla deliberatione opus eſſe cenſeret, propterea duo ex invitatis arceſcebantur ad rem agitandam. Tum ſi duo intercalandum judicabant, tres contra non opus eſſe intercalatu, jacebant ii, qui numero pauciores erant; ſin tribus opus eſſe intercalatu ſentientibus refragarentur duo, tunc etiam duo ex invitatis adhibebantur, qui ſeptem rem vehementer agitatam conficiebant. Nam ſi communiter aut intercalandum, aut non intercalandum conſtituerant, illorum decreto ſtandum erat. Sin inter ſe diſſiderent, in utramque partem majoris numeri valebat auctoritas. Atque ex his ſeptem omnino neceſſe erat, ut eſſet conſilii magni princeps. Is erat qui in illo conſeſſu unius & ſeptuaginta Indicum locum obtinebat. Atque ſi priores inter judices tres conveniret, ut intercalaretur, ratum erat, modo princeps ille aut ipſe rei intereſſet, aut certe conſentiret. Jam utrum annus conſtituendus eſſet intercalaris, cum deliberaretur, incipiebant ſententiæ rogari a conſeſſus latere; cum autem id conſultaretur, utrum menſis intercalaris, ſeu plenus eſſet definiendus, ſententiam prior dicebat, qui dignitate præſtabat. *Et paucis interjectis*. Summi conſilii maximus, qui idem, pure princeps appellatur, cum procul aberat, intercalabatur ea conditione, ſi principi placitum fuerit. Quod ſi reverſus quod egiſſent, actum habebat, ratum erat, ſin minus, irritum erat.

13 *Formula earum &c. Toſaphta Sanhedrin cap. II.* 6. Narratur hiſtoria de Rabban Gamaliele, & de ſenioribus, qui ſtabant ſuper gradus montis Templi, & Jochanan ſcriba ſtabat coram eis, & ei dixerunt, ſcribe fratribus noſtris Galilææ ſuperioris, & *fratri-*

bus

bus nostris Galilææ inferioris; pax multiplicetur vobis; certiores vos facimus, venisse tempus remotionis, & educendi decimas a torcularibus olearum; & etiam *fratribus* incolentibus plagam meridionalem superiorem, *& fratribus* incolentibus plagam meridionalem inferiorem: pax multiplicetur vobis, vos certiores facimus venisse tempus educendi decimas e manipulis spicarum; & *fratribus* nostris captivitatis Babyloniæ, *& fratribus* captivitatis Mediæ, *& fratribus* captivitatis Israelis: pax multiplicetur vobis, vos certiores facimus, quod columbæ recentes adhuc sint parvulæ, & agni parvuli, & tempus primitiarum nondum advenerit, visum esse mihi, atque ita sociis meis visum esse, triginta dies anno apponere. *Maimonides ibidem cap. IV.* 17. Cum erat intercalatum, a consilio literæ mittebantur provincias in omnes, ex quibus longinqui cognoscerent, & factum esse annum intercalarem, & qua de causa factum esset. Atque literæ verbis erant scriptæ principis consilii in hunc modum. Notum vobis facio decrevisse me una cum meis sociis, ut hic annus augeretur triginta, vel novem & viginti diebus; nam hoc quidem erat in potestate consilii, mensem intercalarem vel plenum vel cavum denunciare longinquis hominibus, quos hac de re certiores faceret. Consilium autem ipsum mensem eumdem ex ratione Lunæ vel cavum vel plenum observabat.

[14] *Pontificem maximum &c. Tosaphta Sanhedrin cap. II.* 16. Neque Rex, neque summus Pontifex considebat inter eos, qui constituturi, ac decreturi erant annum intercalarem. *Maimonides ibidem cap. IV.* 11. Ad deliberationem utrum intercalaris esset constituendus annus neque Rex admittebatur unquam, nec summus Sacerdos. Ille ne forte propter delectum habendum, aut belli administrationem, ad alterutram partem vel intercalandi vel non intercalandi convocatos impelleret; hic ut ne ab intercalandi sententia deduceret ideo, quod si intercalaretur, mensis Tisri in dies jam frigidos magno ipsius incommodo incurreret, quippe qui ad solennitatem expiationum jugi se aqua quinquies ablueret.

[15] *Tres causæ &c. Tosaphta Sanhedrin ibidem cap. II.* 3. Tribus signis intercalabatur annus, propter primitias, propter fructus arboris, & propter æquinoctium; si horum duo concurrerent intercalabatur annus, propter unum non intercalabatur, si vero intercalassent, intercalatus erat; si in duabus causis comprehenderetur primitiarum tarditas, lætabantur. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit, etiam si fieret propter æquinoctium. Pro tribus terris intercalabatur pro Judæa, & pro regione cis jordanica, & pro Galilæa; pro duabus fiebat annus embolimæus, & pro una fiebat, si vero intercalassent, intercalatus erat *annus*; si in duabus regionibus comprehenderetur Judæa, lætabantur propter primitias frugum, quæ ex ea afferebantur. Non intercalabatur propter hœdos, agnos, & columbas, quæ nondum adolevissent, & si intercalassent, intercalatus erat; R. Jannai dicit nomine Rabban Simeonis filii Gamalielis, propter columbas, & agnos, qui sunt adhuc parvuli, nobis visum est, huic anno triginta dies apponere. *Maimonides ibidem cap. IV.* 2. Tribus de causis annus intercalaris instituebatur, primo propter æquinoctium, deinde propter terræ fruges, tertio propter arborum baccas, Ut si ex tabularum ratione consilium intelligeret æquinoctium aut decimo & sexto die Nisan futurum esse, aut etiam posterius, alterum anno mensem adderet, ut cum Pascha adesset frugum maturitas. Quæ causa quidem cum esset, annus constituebatur intercalaris, nec ulla causa quærebatur alia.

Sunt autem 4. Tekuphæ &c. Maimonides ibidem cap. IX. 2. 3. Inter singulos anni cardines unum & nonaginta dies intercedere, horas septem atque dimidiam. Itaque ubi noveris a quo die, & hora ordiatur unus anni cardo, nullo negotio perveneris ad sequentem, & proxime sequentis notitia ad tertii cognitionem ducet, & sic porro vel ad infinitum tempus. Cæptat anni cardo vernus momento illo ipso, quo sol attingit Arietis principium. Æstivus autem cardo, sol cum pervenit ad Cancrum, idem cum ingreditur in Libram, cardinis autunnalis cæpit exordium, & brumalis cum sol intrat Caprum. Hac igitur ratione vernus anni cardo, quo anno mundus est a Deo constitutus, novilunium Nisan antecessit diebus septem, novem horis, sexcentis, & quadraginta duobus scrupulis, Character est 7. 9. 642.

[16] *Si seges hordeacea &c. Maimonides ibidem cap. IV.* 3. Jam si seges esset tardior, quam ut posset ad Pascha meti, nec dum baccas, quæ solebant tempore Paschali, profuderant arbores; hac duplici de causa consilium itidem annum faciebat uno mense longiorem, licet decimum & sextum diem mensis æquinoctium antecederet; etenim ad Pascha necesse erat, tum ut fruges invenirentur maturæ, unde manipulus offerretur Deo primitiarum munus ad XVI. Mensis Nisan, tum etiam ut arbores sic, ut solitæ erant, cum essent maturæ fruges, ex se fructus extulissent; frugum vero maturitas in provinciis omnino tribus observabatur, in Judæa, trans Jordanem, atque in Galilæa. Si in harum duabus maturæ fruges essent, nihil intercalabatur, etsi in provincia tertia nondum maturitatem habebant. Contra vero, si maturitatem in una tantum ex his tribus seges esset assecuta, intercalabatur, si necdum ex se baccas fuderunt arbores. Atque hæ quidem præcipuæ erant causæ, cur anni constituerentur intercalares, ut scilicet ad solis conversionem dirigerentur.

[17] *Præter has gravissimas &c. Tosaphta Sanhedrin cap. II.* 11. Non intercalatur annus neque anno septimo, neque anno post septimum; quando consueverunt intercalare? in vigilia anni septimi. Non intercalatur annus propter famem; R. Meyr inquit; Textus dicit; *Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei &c. & frumentum novum in pera sua;* verumtamen nullus erat in terra Israel, qui præ Baalsalisa primitias produceret, tamen non produxerat primitias nisi ex illa specie, quam attulit *viro Dei*; crederem, quod attulisset ante oblationem manipuli? ideo dicit; *Rursum ille ait; da populo ut comedat*. 4. *Reg.* 4. 42. docemur, quod non attulerit nisi post oblationem manipuli; igitur eo anno intercalandum erat; cur Elisæus non intercalavit? Quia erat annus famis, & omnes ad areas currebant. Non intercalabatur annus propter immunditiem. R. Jehuda dicit, intercalabatur annus propter immunditiem. Dixit R. Jehuda; contigit, ut Rex Ezechia intercalaverit annum propter immunditiem, juxta versiculum qui dicit; *Magna etiam pars populi de Ephraim, & Manasse, & Issachar, & Zabulon, qua sanctificata non fuerat &c.* 2. *Paralip.* 30. 18. *&c.* Non intercalabatur annus nisi propter necessitatem; intercalabatur annus propter pontes, propter vias; propter furnos, propter *filios* captivitatis, qui nondum ex urbibus suis egressi erant; at non intercalabatur propter frigus, neque propter nives, neque propter *filios* captivitatis, qui ex urbibus suis egressi essent, sed nondum pervenissent; quibus rebus ut alia causa adderetur, necesse erat; si tamen intercalatus esset annus, erat intercalaris. *Maimonides ibidem cap. IV.* 5. Præterea autem ob quasdam res alias necessario consilium annum decernebat intercalarem. Nam si viæ essent deteriores, quam ut posset Hierosolymam ascendere populus, intercalabatur, ut deficiciente pluvia repararentur, si pontes interrupti, ut intercedentia flumina non modo plebem tardarent, sed etiam in vitæ periculum vocarent, item intercalabatur, uti pontes reficerentur. Si furnos, ubi coquerentur agni Paschales, evertisset perpetuus imber, nec haberetur aliunde, ubi possent agni Paschales assari, annus itidem instituebatur intercalaris, uti furnos per otium restitui liceret, atque Pascha siccari; si Judæi procul exulantes viæ se comisissent, nec ad Pascha possent Hierosolymam aspirare, intercalabatur, ut daretur veniendi facultas. Nec vero propter nivis multitudinem, vim frigoris exules Judæos, qui non erant domo profecti; neque porro quod aut Sacerdotum, aut cœtus pars major esset contaminata; idcirco intercalabatur, ut per dierum numerum & aspersionem aquæ sublata labe, mundi Paschalem agnum immolarent; sed eum immolabant, ut immundi essent. Attamen publicæ labis causa si fuerat intercalatum, ratum & fixum permaneret. Res vero quædam erant ejusmodi, ut ob illas quidem nullatenus intercalaretur, sed si tum concurrerent, cum ut annus constitueretur intercalaris, vel æquinoctium vel fruges; atque reliqui fructus postulabant, his intercalandi necessitas confirmabatur. Ut si hœdi & agni nondum nati, aut rariores essent, si columbarum pulli nondum evolessent, neutiquam intercalabatur ideo,

ideo, ut illos quisque ad agnum Paschalem, hos frequentes reperirent apparentes Domino, vel sacrificium volucris debentes, sed cum erat intercalandi necessitas, his rebus confirmabatur. *Et nonnullis interjectis*. Non constituebatur annus intercalaris in fame; etenim cum vitæ tuendæ causa etiam in cellas frumentarias omnes irrumperent, id sane fieri non posset, ut a segete mensem ipsum, quo fiebat annus longior, prohiberentur, neque anno Sabbathico; cum enim illæ, quæ e terris incultis sponte sua nascerentur fruges, publici juris essent, si annus augeretur solido mense, non liceret reperire, unde Deo libaretur ille, qui præscribitur a Lege, manipulus, atque panes illi duo, ex quo intercalaris constitui solitus erat annus is, qui Sabbathicum antecedebat. Ac mihi quidem hoc ita visum est, omnino a Sapientibus interdictum esse, ne vel annonæ dificultate, vel in anno Sabbathico intercalaretur, nimirum vel ob vias & pontes interruptos, aut quid simile; verum ut annus constitueretur intercalaris, si postularet vel æquinoctii mora, vel frugum & fructuum tarditas, nunquam fieri, ut non intercalaretur.

[18] *Non ante festum &c. Tosaphta Sanhedrin cap. II.* 8. Non intercalabatur ante exordium anni, si vero intercalassent, non est annus intercalaris, sed necessitatis tempore statim intercalatur post anni exordium, ab hoc tempore in posterum non intercalatur nisi in Adar. Non intercalatur annus neque minus, neque plus mense, & si intercalassent, non est *annus* intercalaris; non intercalatur de anno in annum. R. Simeon dicit potest intercalari de anno in annum. Dicit R. Simeon, contigit, ut R. Akiba, qui erat carcere detentus, intercalaverit tres annos continuos ei responderunt: immo inde desumitur argumentum; quia Synhedrium sedebat, & supputabant singulos annos tempore suo. *Maimonides ibidem cap. IV.* 13. Quovis tempore consilio licebat rationes secum deputare, tum apud se statuere, quis annorum futurus esset intercalaris, & id quidem permultos in annos; nullus autem annus renunciandus erat intercalaris, nisi post exactam illam, quæ principium anni dicitur, solennitatem. Nec tum quidem renunciabatur annus intercalaris, nisi permagna ad indicandum impelleret necessitas; alioqui mense Adar demum renunciabatur, consequentem mensem non Nisam, sed alterum fore Adar, quod annus esset intercalaris. Quod si consilium ante principium anni edixisset venientem annum fore intercalarem, ista quidem denuntiatio nequaquam ad intercalandum valeret.

[19] *Toto autem mense &c. Tosaphta Sanhedrin cap. II.* 14. Toto mense Adar intercalabatur; a principio dicebatur non fuisse tempus intercalandi nisi usque ad Purim, donec venerunt R. Jehosua, & R. Papias, & testati sunt, totum mensem Adar fuisse legitimum ad intercalandum. *Maimonides ibidem cap. IV.* 14. Mensis Adar cum venerat tricesimus, nec dum esset intercalatum, omnino intercalandum non erat, quippe cum possent illo die calendæ Nisan haberi. Mensis vero Nisan cum venerat, necdum intercalatum fuit, intercalari porro non erat integrum. Verumtamen hoc ipso die tricesimo mensis Adar si esset intercalatum, ratum habebatur. Ergo si postquam erat intercalatum, lunæ novæ nuncius afferretur, calendæ celebrabantur non Nisan, sed denuo mensis Adar; sin autem calendæ consecratæ fuerant antequam intercalatum esset, deinceps non intercalabatur, quoniam mense Nisan non erat intercalandi potestas.

[20] *Et pro arbitrio &c. Maimonides ibidem cap. IV.* 17. Nam hoc quidem erat in potestate consilii, mensem intercalarem vel plenum, vel cavum denunciare longinquis hominibus, quos hac de re certiores faceret. Consilium autem ipsum mensem eumdem ex ratione lunæ vel cavum vel plenum observabat.

[21] *Die 30. Adar, Maimonides ad cap. IV. 9. Codicis Pesachim*. Præterea etiam exponetur per totum Adar licitum esse annum intercalare, & duos conficere menses Adar. Hypothesis enim nobis est, quod mensis Adar, qui Nisan proximus est, semper deficit juxta computum nostrum, & si duo dentur Adar, primus comprehendit triginta dies. Factum est igitur ut Chischias fecerit annum intercalarem tricesimo die, & fecerit mensem, qui intraret, Adar secundum. At si non fecisset annum intercalarem, tricesimus dies Adar fuisset primus Nisan, uti diximus; ille vero fecit annum intercalarem eo die, qui primus esse debebat mensis Nisan; hoc autem non licitum est, quia nobis fundamentum est, quod annum intercalarem facere non licet tricesimo die Adar, quandoquidem convenit ut is sit Nisan; sed ille non animadvertit hanc considerationem, nimirum quod dies ille pertineret ad Nisan.

[22] *Hinc Sapientes Chiskiæ &c. Tosaphta Sanhedrin cap. II.* 12. Non intercalatur propter immunditiem, dixit R. Jehuda narratur de Rege Ezechia, quod intercalaverit annum propter immunditiem juxta versiculum qui dicit: *Magna etiam pars populi de Ephraim, & Manasse, & Issachar, & Zabulon, quæ non sanctificata fuerat &c.* 2. Paralip. 30. 18. R. Simeon dicit, intercalandum erat propter immunditiem, jam intercalaris erat annus, sed intercalavit Nisan in Nisan, & non intercalandum est nisi in Adar. R. Simeon filius Jehudæ dicit nomine R. Simeonis, præterquam quod obligarunt cœtum, ut Pascha secundum celebraret.

[23] *Numquam Adu &c. Pesikta ad Levit.* 23. 4. *fol.* 28. 3. *Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis*. Hinc doctores nostri dixerunt, & confirmarunt; non est dies primus, quartus, & sextus caput anni, neque secundus, quartus, & sextus Pascha, neque tertius, quintus, & septimus עצרת *clausula festi*, neque septimus, secundus, & quartus Purim, *seu festum fortium*, quia dicitur quas (*solennitates*) *proclamabitis in solennitate sua*: quoniam de Sabbatho scriptum est; *dies septimus, quia Sabbathi requies est, vocabitur sanctus*. Levit. 23. 3. & de solennitatibus vers. 4. ibidem *quas celebrare debetis*; a sanctificatione domus Judicii res dependet. *Maimonides Kidd. Hach. cap. VII.* 1. Ex hac nostra tabularum ratione calendæ Tisrinæ nunquam habentur neque hebdomadæ die primo, nec quarto, nec sexto, quorum character est 1. 4. 6. Ac si luna nova mensis Tisri incidat in unum ex tribus hisce diebus, calendæ in proximum diem proferuntur; ergo si primum hebdomadæ diem incurrit luna nascens, calendæ die altero hebdomadis, si in diem quartum, calendæ quinto, & si in sextum, calendæ die septimo celebrantur. Item si luna nova extiterit ad meridiem, aut etiam post meridiem, calendæ in diem posterum differuntur, ut si die hebdomadæ altero luna nova fuerit hora sexta ipsa, vel etiam posterius, hebdomadæ die tertio instituuntur; sin autem luna nova existat ante meridiem momento vel uno, calendæ celebrantur eodem ipso die, nisi sit unus ex illis tribus, quorum significatio est 1. 4. 6. &c. Quid autem est, quod ex hac computandi ratione Calendas Tisrinas nunquam instituamus neque hebdomadæ primo, neque die quarto, neque sexto? Nimirum quia computatio ista dirigitur, ut supra commemoravimus, non ad solis & lunæ perfectam, sed ad conjunctionem mediam. Unde fit ut alternis lunæ nascentis diebus calendæ Tisrinæ celebrentur, & differuntur? ut aliquando in ipsam solis, & lunæ conjunctionem perfectam incurrant; etenim illarum illa ratio est & modus, ut simul cum luna nascente celebrentur die hebdomadæ tertio, rejiciantur quarto, celebrentur quinto, sexto rejiciantur, Sabbatho, seu die septimo celebrentur, primo rejiciantur, secundo celebrentur. Sed quod præterea modis etiam quatuor fiat, ut calendæ Tisrinæ differantur, omnino causa est hæc eadem, quia hodierna illa computandi ratio refertur ad mediam illam solis, & lunæ conjunctionem: quod verum esse perspicitur, quando luna nova accidente ad tertiam hebdomadæ noctem, calendæ Tisrinæ rejiciuntur in diem quintum, sæpe enim fit ut luna illa nova etiam quinta hebdomadæ nocte nondum aperiatur, immo ne sexta quidem. Ex quo facile cognoscitur conjunctionem solis, & lunæ perfectam non esse factam, nisi quinto demum hebdomadæ die. *R. Mardochai Japhe in* לבוש תכלת *in Orach Chajim tractat. de Novilunio fol.* 149. Non constituunt novilunium in *Adu*, idest non constituunt novilunium die primo septimanæ, ne veniat dies Hosanna Rabba die Sabbatho, quandoquidem non licet ex Lege Hosanna, i. e. fasciculos excutere in die Sabbathi; & præceptum excutiendi fasciculum non est a Lege, sed ex consuetudine introductum, quod non potest Sabbathum præceptum Legis expellere &c. *Præterea*. Neque in die quarto, & sexto constituunt novilunium; si id enim fecissent, venisset dies expiationum

tionum die Sexto, aut die primo ſeptimanæ, atque ita fuiſſent duo Sabbatha ſimul unita, & ſiquis iſtis diebus fuiſſet mortuus, mortuus ſepeliri non potuiſſet, quum hoc prohibitum in Sabbatho etiam per manus Gentilium, atque ita fætor exortus fuiſſet; ideo etiam hoc factum, ne putreſcerent olera, quæ jam pro cibo collecta erant, nec in hiſce diebus feſtis coqui poterant.

[24] *At ea uſitata &c. Aben Ezra commentar. in Levit.* 23. 4. Quia e Miſna, & Talmude demonſtrari poteſt incidiſſe Paſcha in *Badu*, ideſt in diebus 2. 4. 6. Bartenora ad cap. XV. 3. codicis de Sabbatho. Diem Cippurim (*inquit*) i. e. Expiationum incidere poſſe in veſperam Sabbathi, ſive diem Veneris. *R. Salomo ad hunc locum*. Adipes (*inquit*) offerri die Expiationum, qui incidit in exitum Sabbathi, ſive feriam primam, cum autem dies Expiationum cadit in feriam primam ſeptimanæ, novus annus incidit in feriam ſextam, adeoque in *Adu*. *Bartenora iterum ad cap. XI. 7. Codicis Menachoth ad verba nocte comeditur*; in nocte Sabbathi (*inquit*) nam eodem die comedi debet uſque ad mediam noctem, etſi neque Sabbatho, neque die Expiationum comedi poſſit. *Et Maimonides ibidem*. Si igitur dies expiationis in Veſperam Sabbathi, ſive in diem Veneris inciderit, hircus iſte expiatorius comedi non poterat in nocte Sabbathi coctus, quia nec die expiationis, nec die Sabbathi coqui poteſt &c.. Et hoc refutat ſententiam illius, qui negat, & credit, quod dies Expiationis nunquam in diem ſextum, neque in diem primum incidere poteſt; nam etſi, quicquid in hac Miſna dicatur, in modum conditionis acciderit, tamen Miſna jam dicit caſum contigiſſe, ut Babylonii hircum comederint crudum, idcirco hic controverſiæ non erat locus. Præterea dici nequit hunc eſſe caſum abſque ſimili; nam multa in Gemara occurrunt, quæ hoc confirmant. Cæterum concluſio rei jam tradita eſt, quando Synhedrium erat, ſicuti expoſuimus in tractatu de initio anni. *In Codice Peſachim cap. VII.* 10. *Paſcha in vigiliam Sabbathi potuiſſe incidere teſtantur*. Oſſa, nervi, & reliquiæ comburuntur decimo ſexto *die*, ſi decimus ſextus dies inciderit in Sabbathum, comburunt decimo ſeptimo *die*, quia non pellunt Sabbathum, neque diem feſtum. *Et in Toſaphta Succah cap. IV.* 10. *legimus feſtum Tabernaculorum potuiſſe incidere in vigiliam Sabbathi, & in diem, qui conſequitur Sabbathum*. In die feſto, qui inciderit in vigiliam Sabbathi, buccinabant, ſed non recitabatur ſeparatio, ſi poſt Sabbathum, recitatur ſeparatio, ſed non buccinabant. *Et Toſaphta Chagigah cap. II.* 17. Si Feſtum Pentecoſtis inciderit in diem ſecundum, aut quintum, aut ſextum, aut in quemlibet hebdomadæ diem, dies mactationis eſt dies poſt Sabbathum; ſchola Hillelis dicit, nullus eſt dies mactationis. *De feſto principii anni legimus apud Maimonidem cap.V.* 10. *de Sacrificiis Jugibus &c.* Quod ſi duo ſolennes principii anni dies inciderint in quintum hebdomadæ diem, & in vigiliam Sabbathi, panes Propoſitionis coquebantur inde a quarta Hebdomadæ die.

[25] *Vel exitu ex Ægypto &c. Gemara Hieroſol. Roſch Haſchana cap. I.* Unde probatur Judæos numeraſſe ab exitu ex Ægypto? Ex eo nempe quod ſcriptum eſt, Exod. 19. 1. *menſe tertio egreſſionis Iſrael de terra Ægypti*. At hinc non conſtat mihi uſurpatam fuiſſe ejuſmodi ſupputationem niſi pro illo tempore. Poſtea etiam illam in uſu fuiſſe, unde habemus? Id diſcito ex Scriptura: Num. 33. 38. *Anno quadrageſimo egreſſionis filiorum Iſrael ex Ægypto*. At hinc non conſtat mihi uſurpatam fuiſſe ejuſmodi ſupputationem niſi aliquando; perpetuo vero ea uſos fuiſſe Iſraelitas unde habemus? id diſcito ex Scriptura: 3. Reg. 6. 1. *Factum eſt ergo quadringenteſimo, & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael ex Ægypto, in anno quarto, menſe Zio (is eſt menſis ſecundus) regni Salomonis ſuper Iſrael. Siphri ad Num. IX.* 1. ut doceare, quod numerarent ab exitu Ægypti juxta verſiculum qui dicit: *poſtquam egreſſi ſunt de terra Ægypti*, venerunt in terram, & inceperunt numerare ab ingreſſu in terram, juxta verſiculum qui dicit: *quando ingreſſi fueritis terram*. Levit. 25. 2. Quando ædificata eſt ſancta Domus, inceperunt numerare ab ejus ædificatione, juxta verſiculum qui dicit; *expletis autem annis viginti, poſtquam ædificaverat Salomon duas domos*, 3. Reg. 9. 10. Quando diruta fuit ſancta Domus, inceperunt numerare, ab ejus excidio, a verſiculo qui dicit; anno quarto decimo poſtquam percuſſa fuit civitas. Sic Hebræus. Aggravatum eſt ſuper eos jugum captivitatis, inceperunt numerare ab ipſa captivitate, a verſiculo qui dicit, anno ſecundo Darii Zach. I. 1. Ipſe eſt annus primus Nabuchodonoſor Regis. Jerem. 25. 1. Et quemadmodum numerarunt annos, ita numerarunt menſes.

[26] *Vel exſtructione Templi &c. Ibidem*. Poſtquam vero exſtructum eſt templum, cæperunt annos numerare ab illius ædificatione juxta illud 2. Paralip. 8. 1. *expletis autem viginti annis, poſtquam ædificavit Salomon domum Domini*.

[27] *Et annis Regum &c. Ibidem*. Degentes autem ſub aliorum poteſtate captivi, non fuerunt digni, qui a ſe annorum computum ſumerent, cæperunt annos numerare a regnis extraneorum, juxta illud Zachar. I. 1. *Anno ſecundo Darii*. *Dan.* 10. 1. *anno tertio Cyri &c.*

[28] *Exilii Babylonici &c. Ibidem*. *Deſtructo autem Templo* non fuerunt digni, qui numerarent ab ædificatione Templi, cæperunt numerare ab ejus excidio, juxta illud Ezech.: *In vigeſimo quinto anno tranſmigrationis noſtræ in exordio anni*. *Degentes autem ſub aliorum poteſtate captivi*, non fuerunt digni, qui a ſe annorum computum ſumerent, cæperunt annos numerare a regnis extraneorum juxta illud Zachar. I. 1. *Anno ſecundo Darii*. Dan. 10. 1. *Anno tertio Cyri &c.*

[29] *Verum anno &c. Tzemach David*. Tempore Simeonis Juſti Pontificis maximi, egreſſus eſt Alexander Macedo e terra ſua anno tertio regni ſui, poſtquam aſcendit pugnaturus adverſus Darium Regem Perſarum. Aſcendit etiam adverſus Hieruſalem, ut vaſtaret illam, quia Judæi coacti a Dario fœdus cum ipſo inierant: tum magnus fuit Judæorum luctus, jejunium, ploratus, & planctus, & vociferati ſunt ad Dominum in anguſtia ſua. Acceſſit autem ad eum Simeon Juſtus indutus veſtibus Pontificalibus comitantibus ſenioribus Iſrael; ut vidit Rex Alexander deſcendit de curru ſuo, & incurvavit ſe coram illo; idque admirati ſunt principes ejus, & ſervi ejus, & indignati ſunt propterea. Sed ait Rex illis, Angelus qui in viſione hac nocte coram me ambulabat in prælio meo, figura & ſpecie ſua ſimilis erat huic viro. Iniit vero Rex fœdus cum Simeone Juſto, deduxitque eum Pontifex, & ſeniores Judæorum Hieroſolymam, viditque templum Domini, & dixit: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, Deus hujus domus*. Petiitque Rex a Simeone Juſto, ut in monumentum erigerent ipſi ſtatuam, & effigiem auream, eamque collocarent inter porticum & altare. Reſpondit illi Pontifex; Interdictum nobis eſt a Deo noſtro accipere ullum ſculptile, vel imaginem, verum monumentum majus, quam poſtulaſti, erigemus tibi, omnes filii ſacerdotum, qui hoc anno naſcentur, de nomine tuo Alexandri vocabuntur. Id placuit Regi Alexandro, magnamque auri copiam largitus eſt ad reſtaurandum templum, & adorato Deo diſceſſit. R. autem Abraham filius David, & auctor Juchaſin, autque auctor Jeſod Olam, itidem R. Iſaac Abarbanel, aliique præterea ſcribunt, ſacerdotem ſummum promiſiſſe Regi, ab illa die & deinceps inchoaturos Judæos numerum annorum in Æra contractuum ſuorum ab adventu ejus illuc.

[30] *A 4 imperiis &c. R. Aſaria in Meor Enajim cap.* 23. Æra contractuum, & regni Græcorum manifeſta inter nos ex tabulis Synagogæ, incepit poſt mortem Alexandri Macedonis, cum diviſum eſt ejus imperium inter quatuor ſervos ipſius, non autem vivo Alexandro.

[31] *Annus labens &c. Tzemach David*. Initium Æræ contractuum eſt ab anno 3448, qui fuit annus milleſimus ab exitu Ægypti, & annus quadrageſimus ab initio ædificationis templi ſecundi, & 380 ante excidium ejus. Sic conſtat nobis hunc annum, qui 5352. eſſe annum 1904. Æræ contractuum.

[32] *Hac Æra abolita &c. Tzemach David*. Scito Iſraelitas primo numeraſſe annos ab exitu ex Ægypto; poſtea vero juxta numerum annorum regum ut comperies apud Prophetas priores & poſteriores, uſque ad ævum Alexandri Macedonis. Tunc cæperunt annos ſuos computare, & obſignare omnes contractus ab ejus tempore, ut tradunt in Talmude lib. de Idolatria cap. I. Dicit R. Nachman; in captivi-

tate non computant niſi a regno Græcorum tantum. Neque vero id factum eſt tantum quandiu imperarunt nobis Græci propter pacem ac ſalutem regni, verum etiam poſtquam excuſſum eſt a cervicibus noſtris jugum eorum, remanſit hæc conſuetudo apud nos pluſquam per mille annos; etenim ſi conſulas prima tempora, conſtabit tibi, nos non fuiſſe ſolitos numerare annos a creatione mundi, niſi quum obſignata eſt Gemara, aut longo tempore poſt. *R. Azarias in Meor Enaiim*. Si conſulas prima tempora, conſtabit tibi computum a creatione mundi non fuiſſe apud nos in uſu niſi longo tempore poſt obſignationem Gemaræ, aut ſaltem a tempore quo obſignata eſt. Quippe primo alia petebantur initia computandorum annorum diverſa inter ſe ſecundum caſus temporum, tum ſecundum bona vel mala, quæ populo noſtro primis illis temporibus contingebant, ac in primis quidem adverte, etſi ex ſerie Legalis hiſtoriæ conſtet ſumma annorum elapſorum a creatione mundi uſque ad tempus quo data eſt Lex, nulli tamen narrationi certam aliam temporis epocham conſtitui niſi ab exitu populi Iſraelitici ex Ægypto, ut proxime patebit, non autem a creatione mundi ut fieri poterat, immo in ipſa creationis deſcriptione, non dictum eſt, anno abhinc milleſimo quadringenteſimo, quadrageſimo octavo creavit Deus cœlum, ſed ſimpliciter dicitur in principio, ideſt primo tempore, olim initio creationis rerum creavit Deus. *Et paulo poſt aſſignat tempora hujus Æræ*. Ecce poſſumus dicere computum a creatione mundi incepiſſe apud gentem noſtram, ut videtur, poſt R. Seriram Gaonitam ſexcentis circiter abhinc annis. Atque ut ego ſentio, hæc fuit cauſa, quum viderent poſteriores regnum Græcorum ſublatum eſſe e mundo. Nos vero in captivitate noſtra, non ſub uno imperio ſimul degere, de cujus tamen pace, & ſalute eſſemus ſolliciti, ſed quum populares noſtri perpetuo migrarent e regno uno ad gentem alteram, placuit illis ritum ejuſmodi relinquere. Annorum vero computum transferre ad illud principium, quod nobis in memoriam revocaret regnum cœleſte; omnis quippe Rex, Dominus, & Princeps juxta R. Nachmanem jam citatum ſua propter Deum gloria cadit. Vel dicemus hujuſmodi computum incepiſſe ad ſummum ſub finem ſapientum auctorum Gemaræ Babylonicæ, quando innovata eſt apud gentem noſtram ratio determinandi principium anni, menſis, dieique feſti, in hunc vel illum hebdomadæ diem &c. *Ultimis etiam temporibus uſurpatam æram contractuum legimus apud Maimonidem cap. X. 4. de Jubilæo*. Colligitur hinc annum, in quo vaſtatum eſt templum poſterius, quique incepit a Tiſri poſt Templi vaſtationem eſſe æram annorum ſabbathicorum, & Jubilæorum. Fuit autem hic annus exitus anni ſeptimi, & 15 Jubilæi noni. Atque juxta hunc computum hic annus (qui eſt annus 1107. a vaſtatione templi, & 1487. æræ contractuum, a creatione mundi 4936.) eſt annus ſabbathicus, & primus ac viceſimus Jubilæi. *Et in tractatu Kidd. Hach. cap. XI. 16.* Is eſt annus a conſtituto mundo 4938. Idem eſt præſcriptionum ſeu tabularum Æræ contractuum (1489. idemque 1109. a diſturbato templo ſecundo.

[33] *In ſex tempeſtates &c. Toſaptha Taanith. I. 17.* Dimidium Tiſri, totus Marcheſvan, & dimidium Ciſleu eſt ſementis. Dimidium Ciſleu, totus Tebeth, & dimidium Shebath eſt hyems. Dimidium Shebath totus Adar, & dimidium Niſan eſt bruma. Dimidium Niſan, totus Ijar, & dimidium Sivan eſt meſſis. Dimidium Sivan, totus Tammuz, & dimidium Ab eſt æſtas; dimidium Ab, totus Elul, & dimidium Tiſri eſt æſtus R. Jehuda numerabat a Marchiſvan, & R. Simeon a Tiſri; *In Targum Jonathan Geneſ. 8. 22. dividitur annus in quatuor tempeſtates*. Sementis in æquinoctio ſeptembris, meſſis in æquinoctio Martii, frigus in Solſtitio ſeptembris, & æſtus in ſolſtitio Junii.

[34] *Nota tria fuiſſe &c. Toſaphta Taanith cap. I.* Precibus flagitantur pluviæ uſque ad exitum menſis Niſan juxta verſiculum qui dicit: *& deſcendere faciet ad vos imbrem tempeſtivum, & ſerotinum in primo* (ita Hebræus) Joel. 2. 23. verba R. Meyr; & ſapientes dicunt; primigenia (*pluvia*) in Marcheſvan, & ſerotina in primo, in Niſan, eis reſpondit R. Meyr; cum Arbor producat fructus in duodecim menſibus, & frumentum in ſex menſibus, quid deprehendimus in arbore? Quod de illa dictum eſt; *in ſuis menſibus primitias faciet*, etiam frumentum in diebus quindecim; hinc igitur diſcas primigeniam, & ſerotinam in Niſan. A quo tempore flagitabant pluvias? quando advenerat tempus pluviæ; ſi annus erat deficiens, compenſatur ejus defectus; ſin minus, proceditur ſecundum ejus ordinem, verba Rabi; Raban Simeon filius Gamalielis dicit, ſemper conſideratur ordinatus; ſi annus erat Embolymæus, compenſatur ei menſis Embolymæus.

[35] *Pluvia prima &c. Toſaphta Taanith ibidem*. Quodnam eſt tempus pluviæ primæ? R. Meyr dicit, primigenia die tertio (Marcheſvan.) mediana die decimo ſeptimo, & ſerotina tertio & viceſimo. R. Joſe dicit, primigenia decimo ſeptimo, mediana tertio & viceſimo, ſerotina die primo menſis Chiſleu, & ita dicebat R. Joſe: ſingulares non incipiebant jejunare niſi ab exordio menſis. Quodnam eſt tempus pluviæ ſecundæ? quando advenit tempus pluviæ, verba R. Meyr, & ſapientes dicunt, quando deſcendit, pluvia; R. Joſe dicit, quod dependet a pluvia, quando pervenerit tempus pluviæ, & quod non dependet a pluvia, quando deſcendit pluvia. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit, pluviæ quæ deſcendunt per ſeptem dies continuos, neque ceſſant, vocantur ſecunda pluvia; quantæ pluviæ deſcendent, ut ſit ſatis pluviarum? ad plenitudinem vaſis trium palmorum, verba R. Meyr; R. Jehuda dicit, prima *ad plenitudinem* palmi, ſecunda duorum palmorum, tertia trium palmorum. Dixit R. Simeon filius Eleaſaris; non eſt palmus, qui ſupra deſcendat, quem terra non rejiciat e regione ipſius duos palmos; atque ita ille dicit, (*abyſſus abyſſum invocat*) Pſalm. 41. 8. Cur vocatur רביעה? qua gravidam facit terram. *Taanith. fol. 6. 1.* Quænam eſt pluvia prima? primigenia eſt, quæ cadit tertio Octobris; mediana, quæ ſeptimo, ſerotina quæ decimo ſeptimo deſcendit; ſic fuit ſententia R. Meyr. At R. Jehuda dixit, ſeptimo & viceſimo tertio, R. Joſe dixerat, decimoſeptimo, viceſimo tertio, & primo Novembris. *R. Sal. Ben Melech in Michlal Jophi*. Vocabulum מורה notat pluviam v. g. *dum dicitur in Scriptura* מורה ומלקוש; *Pluvia vero quæ a Propheta* מורה dicta præmiſſaque *in textu* eſt, cadit in Marcheſvan h. e. Octobri. Ulterius pergit *Propheta* ſeſeque explicat dicens: *& decidet vobis pluvia tempeſtiva & ſerotina in primo menſe h. e. Niſan ſc. Martio*. Quæ ſic interpretor, pluviam מורה dictam *demittet* vobis *Deus* in tempore ſuo, quod eſt in Marcheſvan *ſcil. Octobri*, pariter etiam demittet vobis, pluviam מלקוש *dictam* tempore opportuno, h. e. menſe primo, qui eſt Niſan. Vox a מורה cum *mem* ſcripta eadem eſt quæ יורה cum *jod* notata *Vide Codicem Taanith cap. I. 2. 3. Et Maimonidem Taanith cap. III.*

[36] *Sunt duodecim &c. Maimonides Kidd. Hach. cap. VI. 4.* Unde lunaris annus ſi eſt ex ejuſmodi menſibus duodecim, quatuor diebus & quinquaginta, & trecentis conficietur, horis octo, octingentis & ſeptuaginta ſex ſcrupulis. *Sin* autem intercalando fiat uno menſe longior &c.

[37] *Ab ordine quem in anno &c. Aben Ezra in Exod.* 12. 2. Aſt Niſan Ijar, Sivan, & omnia nomina menſium non ſunt nomina hebraica, ſed Chaldaica, ideoque non reperies unum ex eis ſcriptum in Sacro Codice, imo nequidem unum in tota Sacra Scriptura, præterquam in Prophetiis Zachariæ, Danielis, Eſdræ, atque in volumine Eſther, qui fuerant in Captivitate Babylonica. Hæc ergo erit explicatio. Reperimus tamen in lingua ſancta tres menſes alio modo fuiſſe appellatos, nimirum menſem Ziv 1. Reg. 6. 38., menſem Ethanim I. Reg. 8. 2. menſem Bul 1. Reg. 6. 38. Et ſi ſectari velimus ſenſum literalem, Ziv non eſt menſis *Niſan Martius*, ſed Ijar *Aprilis* quia 1. Reg. 6. 1. ſcriptum eſt: *ipſe eſt menſis ſecundus*, notus ſcilicet, qui eſt ſecundus inter menſes Iſraelitarum. *Gemara Hieroſ. Roſch haſchana in principio*. Nomina menſium, & Angelorum aſcendiſſe cum Judæis ex Babylonia.

[38] *Nomina alia menſium ut* זיו *&c. In Gemara Roſch haſchana fol. 11. 1. ſic appellari dicitur*; quod in eo ſit ſplendor arboribus. *Et Abarbanel ad 1. Reg. 6.* Quod tunc videantur flores, & plantæ conſpiciantur in terra.

[39] *Et* בול *&c. Abarbanel ad I. Reg. 6. 38.* Vocari iſtum menſem ſic, quia in eo incipiunt pluviæ, & im-

& imbres sicut in diluvio, aut quia in eo terra facta est glebæ glebæ. Et hic est mensis, quo deficit totum pabulum jumentorum in agris & quo iis, pabulum domi suppeditatur, juxta verba Rabbinorum.

[40] *Veluti de* אתנים *&c. Abarbanel ad I. Reg.* 8. 1. Hic est mensis Tisri, in quo colligebant fructus. Et videtur mensis septimus appellari mensis Hæthanim, quia in eo prævaluerunt, & confirmatæ fuerunt solennitates, atque ad perfectionem contenderunt, quoniam in eo mense dies Clangoris erat, nec non dies expiationum, & festum Tabernaculorum. Et cum omnes Israelitæ obligati essent venire ad celebrandum Hierosolymis festum Tabernaculorum, idcirco cuncti se congregarunt, & eo venerunt ad videndam dedicationem Templi, & ad celebrandum festum Tabernaculorum; & hoc est quod dicitur 1. Reg. 8. 2. *In mense Ethanim in festo*; hic est mensis septimus; vult dicere, quod fuerit congregatio propter festum. *adeoque duo fuerunt* fines congregationis, sive conventus eorum, Dedicatio Domus, & debitum consuetudinis in Festo. Sapientes in Rosch haschana fol. 11. 1. *ajunt quod hoc mense* Ethanim vel Tisri nati sint Patriarchæ, atque ideo appellatus sit mensis Ethanim, qui fuerunt fortes, seu fundamenta mundi. *Confer Mich* 6. 2. *Kimchius ad* 1. *Reg.* 8. 2. *vult*; ita vocatum esse hunc mensem, quod eo collegerit panem, vinum, & fructus, sicut hanc ob causam vocatum *festum collectionis* Exod. 34. 22.; *& ita* vocem Ethanim notare חוזק robur, eo quod per proventus & fructus homo vivat, & radicem ejus esse איח, quo designetur vis & robur.

Sunt vel pleni &c. Maimonides Kidd. Hach cap. VIII. Mensis lunaris conficitur ut ante dictum est, novem & viginti diebus, & diei semisse, additis tribus scrupulis & nonaginta, & septingentis; sed id quidem fieri non convenit, ut ad medium diem calendæ instituantur, sic ut unus & idem dies partim ad mensem præteritum pertineat, partim ad consequentem; nam Legis illud: *sed usque ad mensem plenum dierum*. Exod. XI. 20., huc traditum est spectare, dies quidem in menses referri, non item horas. Quamobrem qui menses ad Lunæ rationem exiguntur, eorum constituuntur alii cavi, alii pleni, quorum primi diebus novem & viginti conficiuntur, etsi menstrua lunæ lustratio longior est horis aliquot; alteros circumscriptio triginta dierum metitur, tametsi cursus lunæ menstruus nonnullis horis sit brevior, eam videlicet ob causam, ut mensi præter dies solidos horæ nullæ annumerentur. Ac luna quidem si cursum menstruum conficeret diebus viginti novem, addita dumtaxat dimidia diei parte, omnino per omnes annos perpetua foret vicissitudo mensium plenorum, & cavorum; cum enim quatuor diebus & quinquaginta & trecentis annuam conversionem conficeret, pleni menses essent sex, & totidem cavi. Verum ad hunc dimidium diem accedunt etiam minuta horæ quædam, ex quibus tandem horæ colliguntur, & ex his denique dies. Unde fit, ut tum in anno sint menses cavi plures, quam pleni, tum cavi quam pleni pauciores. Atqui ex præsenti tabularum ratione calendæ semper instituuntur die mensis tricesimo, ut si mensis exiens fuerit cavus, hic calendarum dies ad ineuntem mensem pertineat, sin is plenorum obtineat numerum, calendæ nihilominus habentur die tricesimo, qui mensem exeuntem determinat, quoniam ex eo saltem aliquid ad mensem pertinet consequentem; sed habentur etiam calendæ & die postero, a quo mensis ineuntis numerandi dies sunt, quippe in eum proprie diem calendæ constituuntur. Itaque ex hac tabularum ratione non idem omnibus impertitur calendis spatium, sed aliis dies unus, biduum aliis. *Abarbanel ad Exod.* 12. Accipimus autem per oralem traditionem, quod duodecim sunt menses anni, ab iisque quinque sunt pleni, unusquisque habens triginta dies, & quinque sunt deficientes, unusquisque 29. dierum, reliqui vero duo aliquando sunt pleni scil. 30. dierum, aliquando vero cavi 29. dierum; contigit etiam unum ex istis esse plenum 30. dierum, alterum vero cavum 29. dierum, & qui duo menses sunt Marchesvan, & Cisleu.

[42] *Sic ut aliquando &c. Tosaphta Erachin cap. I.* 6. Non sunt pauciores, quam quatuor menses pleni in anno, neque unquam visum fuit fuisse plures quam octo, neque unquam visi fuerunt sex menses pleni continui in uno anno, ubi non habetur notitia novilunii, usus obtinet, ut fiat alter mensis plenus, & alter cavus. Si fecissent mensem Tammuz in tempore suo (*i. e. 29. dierum*) & mensem Abh 30. [dierum; & postea iis innotescit mensem Abh fuisse tempore suo; nihil de eo immutant; & deinde pergunt numerare post illum unum plenum, & alterum cavum. *Maimonides ibidem cap. VII.* 5. Porro ex hac tabularum ratione menses pleni & cavi sic disponuntur, ut perpetuo plenus sit Tisri, & Thebet usque cavus. Hunc autem qui consequuntur ordinatim alternant; est cavus Thebet, plenus Shebat, Adar cavus, Nisan plenus, Ijar cavus, plenus Sivan, Tammuz cavus, Abh plenus, cavus Elul &c. Restant igitur menses duo Marchesvan, & Cisleu, qui alias ambo pleni, alias ambo cavi, nonnunquam cavus ille, hic plenus est. Primum cum evenit, tum omnes anni menses integri dicuntur esse, mutilati vero cum id accidit, quod secundo loco positum est, iidem dicuntur esse menses ordinati, si cavus est Marschesvan, plenus Cisleu.

[43] *Hoc autem anno &c. Maimonides ibidem.* Atque ex hac tabularum ratione, utrum sint anni menses integri, utrum mutilati, utrum ordinati, ea potest via cognosci. Primum danda est opera, ut principium scias ejus anni, cujus de mensibus quæris, sic ut superiori capite disseruimus. Tum etiam consequentis anni principium cognitum esse oportet, post inter utrumque anni principium quot sint interjecti medii dies videndum est: nam si dies medii numerentur duo duntaxat, menses erunt mutili, si tres, menses existent ordinati, sin intercedant quatuor, erunt menses integri. Sic est, si de communis anni mensibus quæras; est autem alia ratio anni intercalaris; nam si inter hujus & sequentis anni principium intermedii sint dies interjecti quatuor, menses ejus sunt mutili, si quinque, ordinati, & tum demum integri, cum intersint dies medii sex. Ponamus igitur e. g. esse principium ejus anni communis, cujus menses quæruntur quales sint, hebdomadæ die quinto, & consequentis anni principium secundo, intelligemus ejus anni menses, quoniam utrique anni principio medii dies interjecti sunt tres, ordinatos esse; sin annus consequens exordiatur ab hebdomadæ die tertio, menses esse integros, sin autem annus hic cum incipiat a die Sabbathico, alter ordiatur ab hebdomadæ die tertio, menses ejus sunt mutilati: similiter in excutiendis intercalaris anni mensibus ea, quam ante diximus, tenenda ratio est. Atque in considerandа mensium ratione, quominus peccetur, signa sunt observanda quædam. Ea habentur tum ex hac nostra tabularum ratione ipsa tum ex anni principiis suo tempore habendis, vel rejiciendis, de quibus ante disputavimus. Sunt autem signa ista ejusmodi, ut cujuscunque anni principium incidit in tertium hebdomadæ diem, ejus menses ex hac quidem tabularum ratione constet esse semper ordinatos; nec refert, utrum annus sit simplex, an intercalaris. Contra si vel intercalaris, vel simplicis anni principium fuerit aut Sabbatho, aut hebdomadæ die secundo, menses ejus ordinatos esse nunquam. Sin anni principium in hebdomadæ diem quintum incurrat, siquidem annus communis est, fieri non posse ex hac tabularum ratione, menses ejus ut sint mutilati; sin autem intercalaris sit annus, usu nunquam venit, ut menses ejus sint ordinati.

[44] *Adar cavum fuisse &c. Maimonides ibidem.* Anno autem intercalari, quoniam Adar numerantur duo, primus eorum sit plenus, cavus alter.

[45] *Novum annum &c. Maimonides ibidem cap. III.* 9. Mense Elul (*mittebantur nuncii*) propter anni principium, scilicet ut mensis ejus die tricesimo nuncios expectarent a consilio. Qui si afferrent calendas jam esse institutas, tricesimum mensem diem solum festum agebant, usque dum venirent, qui mense Tisri mittebantur nuncii.

[46] *Nunc cessat &c. Maimonides ibidem cap. V.* 5. Hoc autem tempore, quoniam summum consilium in Judæa nullum, & quod est in ea consilium, id quoque ex tabularum ratione calendas finit, scilicet æquitatis sit, ut in locis omnibus quamvis a Judæa longe diversis singulæ solennitates unicum omnino diem habeantur itidem, ut apud Judææ incolas, quippe cum ad unam, & eandem tabularum rationem sese dirigant omnes. At sapientes voluerunt ri-

tus patrum perpetuo ſervari. *R. Azaria in Meyr Enajim.* Vel dicemus ejuſmodi computum incepiſſe ad ſummum ſub finem ſapientum auctorum Gemaræ Babylonicæ, quando innovata eſt apud gentem noſtram ratio determinandi principium anni, menſis, dieique feſti in hunc vel illum hebdomadæ diem. Liquet enim ex R. Moſe Maimonide in lib. de ſanctificatione menſis cap. V. majores noſtros ſemper ſanctificaſſe, ſive inchoaſſe menſes ſecundum apparitionem lunæ, annoſque intercalaſſe habita ratione temporis & neceſſitatis uſque ad tempora Abii, & Rabæ; tunc enim præ afflictione, & ingenti vaſtitate terræ Iſrael, timuerunt Judæi, ne ademto ſibi Conſiſtorio deſineret quoque determinatio principii menſium, & anni (quæ a Conſiſtorio petebatur.) Inſpiravit Deus in mentem Principum captivitatis, ut nobis traderent canones ejuſmodi determinationis, & intercalationis, quibus nos utimur hac noſtra ætate in computu noſtro &c.

[47] *Sed ſecundum Cyclum &c. Miris laudibus hic cyclus celebratur. Abarbanel ad cap. XII. Exod. fol.* 148. Propter hujus artis ſummam peritiam, qua pollebant ſapientes Iſraelis, Ptolomæus ſummis laudibus extulit eum, qui invenit cyclum decemnovennalem in intercalatione Iſraelitarum, ſcribitque hoc arguere inter ipſos fuiſſe prophetiam. Sapientes noſtri tradunt, Moſem hæſitabundum fuiſſe circa ſanctificationem menſis, donec Deus ipſi monſtraverit lunam in ſua innovatione in principio Menſis Niſan. Quo dicere voluerunt, admirandam hanc ſapientiam non didiciſſe Moſem & Aaronem a ſemetipſis, & proprio ſtudio, ſed traditam ipſis fuiſſe e monte Sinai & eſſe rem propheticam. *Legimus etiam in Juchaſin ſol.* 40. 1. Admiratas fuiſſe omnes gentes hunc computum, & dixiſſe, hanc accuratam rationem intercalandi inde a conditu mundi ad hunc uſque diem non eſſe conturbatam, ne quidem quoad unam particulam. *Et ſol.* 17. 1. *etiam legitur;* Hipparchum maximum Aſtronomum floruiſſe anno ducenteſimo quinto ab ædificatione templi ſecundi, & eum conſenſiſſe cum Rabbinis in menſura menſis lunaris, quod *nempe* ſit 29. dierum, 12. horarum, & 793. punctorum, *ſive ſcrupulorum. Et in Tzemach David ad an. Mundi* 3534. Hipparchus maximus Aſtronomus, & valde celebris conſideravit omnes priores ſupputationes, inde a 400. annis circa Ecclypſes lunares, & determinavit horas, quadrantes, puncta, & momenta minuta, adeo ut univerſa ejus calculatio compoſita ſit ad ſupputationem Rabbinorum f. m. in menſis lunaris diſpoſitione, qui eſt 29. dierum, 12. horarum, & 793. punctorum. *Scaliger de emendat. temporum lib.* 4. *pag.* 326. Judæi eum luculentiſſimum computum, quo hodie utuntur, & quo nihil præſtantius in eo genere, excogitari poteſt, inſtituerunt. Hæc fuit prima forma anni civilis caſtigata, quam ſi ſecuti eſſent Chriſtiani noſtri in cyclis ſuis, non ſolum periodos 532. annorum immendatas poſteris reliquiſſent, ſed ne ullas quidem tales inſtituere opus fuiſſet. Neque enim fruſtra temporibus Conſtantini magni gloriabantur Judæi, ſe Chriſtianos docere poſſe rectam neomeniarum Paſchalium rationem, utpote qui paulo ante eam a Rabbi Adda didiciſſent; neque enim dubitamus, R. Adda hujus elegantis computi Judaici, aut unicum, aut præcipuum conditorem fuiſſe.

[48] *Hillelianum &c. Legimus in Juchaſin ſol.* 90. 2. Hillel princeps, filius R. Jehudæ principis compoſuit modum intercalandi, & computandi annos juxta hypotheſin, & doctrinam Raf Adæ (ab Iſraelitis adhibendam) uſque dum venerit Meſſias filius Davidis. Floruit autem tempore Abæi, & Rabbæ (ita enim ſcripſit Rabbi Simeon Duran in expoſitione ſua commonitoria) atque anno æræ contractuum 670. Neque poſt eum amplius extitit Conſiſtorium magnum. *R. David Ganz in Tzemach David ad an. millenarii* 5118. Ob metum ne Conſiſtorium magnum auferretur e terra Iſraelis in ordinem nobis redegit Hillel Hannaſi ſupputationem Emboliſmi ſive intercalationis juxta modum, quo nos ſolemus uti in omni diſperſione Iſraelis uſque ad hunc diem, & uſque ad adventum Liberationis noſtræ. Ita quoque ſcripſit R. Moſes bar Nachman in animadverſionibus ſuis ad numerum præceptorum affirmativorum ſigno ſive paragh. 153. Idem quoque literis conſignavit inſignis Aſtronomus R. Iſaac Iſrael in libro ſuo cui titulus, *fundamentum mundi* tract. 4. c. 9. cujus calculo nos innitimur, donec venerit Doctor juſtitiæ, vel Meſſias; eo modo ut omnibus diebus exilii noſtri figamus dies & feſta, & intercalatione utamur ex auctoritate Conſiſtorii excelſi, quod in terra Iſraelis. Factum autem hoc eſt anno 670. Æræ contractuum, & anno 290. ab excidio templi, qui fuit annus 4118. a creatione, & hæc ſupputatio mihi verior videtur reliquis computis. Hoc etiam confirmat auctor Meor Enajim, quod ei aſſenſi fuerunt Rambam, Rabenu Saadia Gaon &c.

[49] *Anni intercalares &c. Maimonides Kidd. Hach. cap. VI.* 11. Porro anni ſeptem intercalares, qui in hujuſmodi Cyclo inſunt, ex hac noſtra tabularum ratione, eo diſpenſantur ordine, ut intercalaris ſit annus ejus 3. 6. 8. 11. 14. 17. & 19. character eſt 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19.

[50] *Menſes ſtante templo &c. Maimonides Kidd. Hach. cap. V.* Atque finire calendas ita ut diximus, ex viſione lunæ novæ, & propter anni tempus aut aliam quandam neceſſitatem annum uno menſe facere longiorem, ſolius erat conſilii in terra Iſraelitica conſtituti, quod fere Synhedrium appellatur, & ejus conſilii, quod totum erat ex hominibus in eadem terra Iſraelitica ad dignitatem magiſterii promotis; ſiquidem huic eidem conſilio præterea ſummum illud conſilium intercalandi poteſtatem dederat. Nam quod in Lege dicitur Moſi, atque Aaroni; *Novitas iſta vobis* (ſit) *principium menſium.* (Sic hæbræus) Exod. 12. 2. ejus hanc eſſe ſententiam uſque a Moſe auditione accepimus alius ab alio, hujus rei ſit arbitrium penes vos, item & penes illos, qui muneri veſtro vicarii ſucceſſuri ſunt. Ubi vero in terra Judæa nullus inerat hujuſmodi ſenatus, & menſes finiebantur, uti nunc, per tabularum rationes, atque per eaſdem anni conſtituebantur intercalares. Enimvero id Moyſi mandatum in monte Sinai fuit, ut dum eſſet ſummum illud conſilium, calendæ finirentur ex viſione lunæ novæ; eaſdem nullatenus de viſione lunæ novæ laborantes dirigeremus ad rationem tabularum, qua nunc utimur, cum ille ſupremus ſenatus interiſſet; etenim ratione tabularum fit, ut calendæ finiantur interdum eodem, quo luna naſcens appareat die, interdum pridie ejus diei, nonnunquam etiam poſtridie. Quod extremum quidem & perraro accidit, & in iis ſolum locis, quæ ſunt e regione Judææ ad occidentem. Ac tum demum omnes omnino Judæi inſtituerunt tempora itidem, uti nunc, tabularum ratione deſcribere, cum ſub ultimis Gemaræ ſcriptoribus penitus vaſtata Judæa nullum ſtabile conſilium retinuiſſet; illorum enim ætate ſcriptorum, qui Miſnam compoſuerunt, atque adeo dum ipſa Gemara componeretur uſque ad ætatem Abæi, & Rabbæ, ſemper id ſequebantur, quod in Judæa conſtitutum erat.

[51] *A præſide Synhedrii &c. Gemara ad cap. II.* 7. *Codicis Roſch haſchana.* Unde probatur, quod Synhedrii præſes debeat, *ſanctificatum eſt* pronunciare? Reſpondet R. Chin filius Gaudæ, dixit R. Joſe filius Saulis, dixit Rabbi; ex Scriptura enim probatur, Levit. 23. 44. *Locutuſque eſt Moſes ſuper ſolennitatibus Domini*; hinc concluditur Præſid fuiſſe eam curam demandatam, ut *ſanctificatum eſt*, pronunciet; & totus populus reſpondebit, *conſecratum eſt*, *conſecratum eſt*, unde hoc probatur? Dixit Rab Papa, ex Scriptura ubi dicitur, *quæ convocabitis ea* אותם, ubi pro אותם legendum ſtatuunt אתם *vos* populi convocabitis. Rab Nachman filius Iſaaci hoc alio probat modo ex Scripturæ loco Levit. 23. 2. (*ſic Hebræus*) *Hæc ſunt ſtatuta mea*, ubi הם explicant *illos* q. d. illi dicant (cœtus ſcil.) *ſtatuta mea*; & quod bis debeant pronunciare מקודש מקודש probat ex Levit. *loco* 23. 4. ubi dicitur מקראו קודש *convocationes ſanctæ*. Maimonides ibidem cap. II. 8. Confirmato jam teſtimonio, conſilii princeps ita dicebat, *conſecratus eſt*, cui populus omnis reſpondebat, *conſecratus*, *conſecratus*.

[52] *Et quidem interdiu &c. Toſaphta Sanhedrin cap.* II. 16. Non intercalabatur annus noctu, & ſi noctu intercalaſſent, non erat intercalatus; non ſanctificabant novilunium noctu, & ſi ſanctificaſſent, non erat ſanctificatus. *Toſaphta Roſch haſchana cap.* II. 1. Si noctu ſanctificaſſent *novilunium*, non eſt ſanctificatum. *Maimonides ibidem.* Ne tum quidem conſecrabantur *calendæ* niſi interdiu; quæ ſi no-

ſi noctu conſecratæ fuiſſent, hæc conſecratio nulla foret. Immo ſi conſilium ipſum cum omnibus una Iſraelitis naſcentem lunam conſpexiſſet, nec ei licuiſſet pronunciare, conſecratus eſt, quin oppreſſiſſet nox una & triceſima menſis, aut ſi pronunciare per otium quidem licuiſſet poſteaquam viſa luna nova fuit, ſed conſilium, produxiſſet nunciorum examen ad ipſum veſperum unius & triceſimæ noctis, videlicet iſte dies non conſecraretur, verum menſis eſſet plenus, id eſt, calendæ rejicerentur in unum & triceſimum diem; tametſi luna nova conſpecta eſſet nocte triceſima. Neque enim lunæ viſio, ſed conſilium cum pronunciabat, *conſecratus eſt*, calendas definiebat.

53 *Quum teſtes fide digni &c. Toſaphta Roſch haſchana cap.* I. 17. Ab initio accipiebant teſtimonium de quovis indiſcriminatim, contigit ſemel, ut Baithuſæi pretio conduxerant duos teſtes, ut venirent ad decipiendum ſapientes (etenim Baithuſæi contendunt feſtum Pentecoſtes non incidere niſi in diem primum,) venit unus, & teſtatus eſt, & abiit, & venit alter, & dixit; aſcendebam in vertice Adimim, ac videbam eam (*ſcilicet lunam*) inter duas petras recubantem, caput ejus ſimile erat vitulo, hœdoque ſimiles erant ejus aures, cervoque ſimilia erant ejus cornua, caudaque ejus requieſcebat inter duo latera; eam vidi, & horrui, & retrorſum cecidi. Ecce mihi ſunt 200 Zuſæ in hoc ſudario colligatæ; ei reſponderunt; tuæ ſint 200. Zuſæ; & qui te mercede conduxit, extendetur ſuper columnam; verum quid vidiſti, ut te ad id obligares? eis reſpondit; quia audivi, quod Baithuſæi quærebant decipere Sapientes; dixi, ſatius eſt, ut ego eam, & certiores faciam Sapientes. Si teſtem non noverant, alios cum ipſo teſtes mittebant etiam in Sabbatho. Contigit, ut R. Nehorai venerit cum teſte in Sabbatho in Huſſan, & pro eo ſit teſtatus. *Gemara ad cap. II. Roſch haſchana.* Antea teſtimonium de novilunio accipiebant ab omnibus hominibus. Tradunt Rabbini, quid eſt, quod Baithuſæi depravarunt? hoc nempe illos operam aliquando dediſſe, ut Phariſæos deciperent, & ad hoc exequendum alios conduxiſſe pro 400 Zuſis, unum de gente noſtra, alterum de gente illorum, quique primo ſuum de novilunio proponebat teſtimonium, atque exibat. Phariſæo vero dicebant, dic quomodo lunam vidiſti? reſpondebat illis, aſcendebam verticem alicujus montis, ac videbam eam inter duas petras recubantem, caput ejus ſimile erat vitulo, cervoque ſimiles erant ejus aures, cornua hœdo erant ſimilia, caudaque ejus requieſcebat inter duo latera, & intuitus ſum eam, & admiratus ſum, & receſſi quaſi retrorſum. Si vero vos mihi non credatis, ecce paratas habeo 200 Zuſas colligatas in hoc ſudario, dicebant vero ipſi, quis te coegit? reſpondebat illis, audivi quod Phariſæos Baithuſæi decipere ſtudebant; dixi, abibo ego, & indicabo illis, ne forte veniant homines improbi, & ſceleſti, ac Rabbinos decipiant; dixerunt ipſi, 200 Zuſas pro dono tibi dabimus, & qui mercede te conduxit, extendatur, atque alligetur columnæ. Ab eo tempore & deinceps ſtatuerunt, ne teſtimonium de novilunio acciperent niſi ab hominibus, quorum integritas, & fides ipſis eſſet perſpecta, atque cognita. *Maimonides ibidem cap. II.* Nuncii lunæ novæ idonei erant demum viri integri ac caſti, qui iidem adhibebantur & aliarum rerum teſtes; nam mulieres & ſervi perinde ac cæteri, qui ad res alias teſtimonio eſſe nequibant, repudiabantur. Si cum patre filius una vidiſſet naſcentem lunam, conſilio renunciarent ambo, non quod propinquorum de luna nova teſtimonium valeret ad calendas definiendas, ſed ut ſi illorum alter, aut quia latro erat, aut quid ſimile, ad teſtimonium dicendum non eſſet idoneus, alter cum alio tertio ad teſtandum conjungeretur. Ac quibus teſtimonii dictio ex ſapientum auctoritate non erat, etſi erat ex Lege, tamen nihilominus de naſcente luna teſtimonium eorum rejiciebatur. Qui de luna nova renunciabant, eos ex Lege quidem tam faſtidioſe probare, non erat neceſſe; nam ſi per nuncios, quorum id de luna nova teſtimonium inveniebatur falſum, calendæ fuiſſent inſtitutæ, recte tamen inſtitutæ eſſent. Principio igitur omnibus omnino Judæis naſcentem lunam nunciantibus facile credebatur; etenim Judæorum quiſque, quoad certo ſcias hominem eſſe vitioſum, putandus eſt fide dignus. Ex quo autem religionem adeo labefactarunt homines de natura divina prave ſentientes, & ab iiſdem frequentes ſunt pretio conducti, qui falſo nunciarent lunam naſcentem a ſe conſpectam eſſe, quum non viderant, conſtitutum eſt, ut ii demum ad teſtandum adhiberentur, quorum innocentia conſilio eſſet cognita & perſpecta, nec his quidem fides tribueretur, niſi diu multumque interrogatis. Cum igitur conſilio non eſſent noti per ſe ipſi, qui naſcentem lunam viderant, tum urbis ejus incolæ, ex qua conſpecta erat luna naſcens, una cum his, qui conſilio novilunium ibant nunciatum, mittebant & alios, qui apud hoc ipſum conſilium illis innocentiæ, atque integritatis teſtimonium tribuerent. Ac tum demum eorum erat nuncio locus.

54 *Quod ipſos examinabat &c. Toſaphta Roſch haſchana cap.* I. 21. Si alter diceret, eam vidi ad orientem, nihil dixit, ad occidentem, recta ſunt ejus verba, ad plagam aquilonarem, nihil dixit, ad meridiem, recta ſunt ejus verba; ſi alter diceret, erat alta duos vectes, & alter diceret, tres, firmum eſt eorum teſtimonium; ſi alter dixiſſet tres, & alter quinque, non una conjunguntur, ſed cum reliquis conjungitur; ſi alter dixiſſet, vidi eam inclinatam, & alter diceret, rectam ego vidi, non una conjunguntur, ſed cum aliis poteſt conjungi; vidi dimidiam in nube, nihil dicit, dimidiam in aqua, recta ſunt ejus verba. *Maimonides ibidem.* Quovis menſe conſilium ratione & via aſtronomorum, exquirebat, num eſſet futurum, ut, ſi luna ſe aperiret, ad ſeptentrionem vergeret, an ad meridiem? quam latam aut anguſtam præbitura ſe eſſet, & quorſum ſumma cornua converſura? Tum ſi qui venirent lunæ novæ nuncii, interrogationibus excutiebat, qua in parte mundi lunam conſpexiſtis, aquilonari, an auſtrali? quorſum ejus tendere cornua? quam altam a terra ferri, quam latam eam vobis videre viſi eſtis? ſi reſponderent ea, quæ cum aſtrologiæ rationibus congruerent, eorum nuncio fides habebatur, ſin minus, reſpuebatur. Si nuncii afferebant ſe lunæ naſcentis ſimilitudinem in aqua, aut etiam ipſam in cœlo vidiſſe per nubes, aut illius umbram in laterna, aut ſe lunam novam vidiſſe partim in cœlo, partim vel in nube, vel in aqua, vel in laterna, ſcilicet ea viſio nulla fuit, nec ejus cauſa calendæ conſecrabantur. Quod ſi nunciorum alter ajebat, viſa mihi fuit luna nova ſupra terram ferri duorum quaſi ſtaturam hominum, & trium alter, conjungebantur una. Contra, ſi lunam unus extulerit in altitudinem ſtaturam trium hominum, alter quinque. Sed enim eorum unus cum alio tertio conjungebatur, qui aut idem, quod ipſe diceret aut unius duntaxat hominis ſtatura ab eo diſcreparet. Quod ſi nuncii dicerent lunam novam a ſe conſpectam eſſe tum, cum minime attenderent, ſed ubi applicaſſent animum teſtimonii dicendi cauſa, porro non apparuiſſe, hujus item teſtimonii nulla prorſus habebatur ratio ad conſecrandas calendas; nam fieri potuit, ut coactæ nubes in unum, ſpeciem exhiberent lunæ, quæ deinde ſunt diſſolutæ. Sin autem ferrent nuncii viceſima nona menſis die mane ante ſolis ortum lunam a ſe conſpectam eſſe in oriente, ad veſperam autem triceſimæ noctis in occidente, his omnino credebatur, atque ex hac eorum viſione calendas conſecrabant, quippe qui lunam novam ſuo tempore viderant. Quod autem dicerent mane ſibi lunam apparuiſſe, conſilium omnino nihil movebat; nam viſionis matutinæ cautio nulla fuit, ac perſuaſum habebant, quod nubes ſimul collectæ ſpeciem lunæ præbuerint. Atque his etiam credebatur, qui ſibi ſuo tempore lunam naſcentem apparuiſſe ferebant, tametſi luna non conſpiciebatur ea nocte, quæ intercalaris fere dicitur; ſolius enim viſionis, quæ in triceſimam menſis noctem incurrebat, noſtra cautio fuit. Ita fere excipiebantur ii, qui conſilio lunam novam nunciabant. Veniebat ad conſilium quiſquis alioquin in teſtimonium dicendum idoneus naſcentem lunam viderat, quos omnes conſilium introducendos in locum unum, atque illis convivia opipare apparanda curabat, quo magis ad annunciandam lunam novam allicerentur. Nuncii autem ſuo quiſque ordine interrogabantur de his, quæ ſunt ſupra dicta. Primo videlicet nunciorum par illud, quod primum venerat, ſed & horum major prior introducebatur ad conſilium, ut interrogaretur. Qui ſi conveniebat cum ratione aſtrologiæ, ejus arceſſebatur ſocius. Si congruebat cum priore, ſatis eorum erat teſtimo-

ſtimonium confirmatum. Itaque ex reliquis nunciorum paribus duntaxat rerum capita conſilium requirebat, non quod ita opus eſſet, ſed ne abirent animo abjecto, atque fracto, atque ægre nunciatum venirent.

Habuiſſe dicitur cap. II. 8. Codicis Roſch haſchana R. Gamaliel in tabula conclavis ſui phaſes lunæ, qua teſtes de novilunio interrogabat. Phaſes lunæ habuit R. Gamaliel in tabula conclavis ſui, quas idiotis oſtendebat, deinde interrogabat an lunam ita vel ita vidiſti? Contigit aliquando, quod duo veniebant teſtes, ac dicebant, vidimus eam tempore matutino in oriente, tempore vero veſpertino in occidente; dixit R. Jochanan filius Nuri: falſi teſtes illi ſunt, cum vero venirent in Jabue, eos accepit R. Gamaliel. Adhuc veniebant duo alii ac dicebant, vidimus eam in tempore ſuo, & nocte intercalationis non apparuit, eoſque accepit R. Gamaliel. Dixit R. Doſe filius Hircani: falſi teſtes illi ſunt, quomodo autem poſſunt teſtari de muliere, quæ peperit, & cras venter adhuc tumet? reſpondit ipſis R. Joſua, vidi ego verba tua, ac comprobavi.

55 *Si videlicet &c. Codex Roſch haſchana cap. IV.* 4. Olim lunæ novæ teſtimonium tota die accipiebatur, contigit aliquando ut lunæ novæ nuncii morarentur ad veſperam, & Levitæ errarent in cantico. Sancitum tunc poſtea eſt, ne acciperent nuncios niſi ad Mincha; ſi vero poſt Mincha venirent, totus iſte dies, ut & poſterus, inſtituebatur ſanctus. Verum poſt templi deſtructionem conſtituit R. Jochanan Zaccai filius, ut tota die nuncios lunæ novæ acciperent. Dixit R. Joſe filius Corchæ, & adhuc hoc ſtatutum fuit a R. Jochanan filio Zaccai, quod licet Synhedrium omni in loco ſederet, tamen novæ lunæ nuncii ad locum conſtitutum ire debebant. *Toſaphta Roſch haſchana cap. I.* 21. R. Elieſer filius Sadocki dicit, ſi non conſpiceretur tempore ſuo, non ſanctificabatur, quia jam in cœlo ſanctificaverant. *Maimonides ibidem cap.* III. 5. Principio triceſima menſis die tota novæ lunæ teſtimonium accipiebatur: ſed enim aliquando ſtante templo evenit, ut lunæ novæ nuncii ad veſperam necdum acceſſiſſent. Itaque altaris miniſtri valde erant dubii, ac ſolliciti, facerentne juge ſacrificium, an differrent etiam, ſi qui porro venirent lunæ novæ nuncii; nam facto ſacrificio jugi veſpertino, quæ ſolet calendarum nomine ſacrificiis addi hoſtia, porro immolari non poterat. Tum igitur a conſilio ſancitum eſt, ut ne de luna nova nuncii ultra veſperam allati haberetur ratio, hanc videlicet ob cauſam, ut per diei tempus liceret & ea, quæ calendarum nomine addebantur, ſacra & ſacrificium juge veſpertinum, atque eorum libationes fieri. Itaque ad veſperam ſi nulli etiam adveniſſent lunæ novæ nuncii, fiebat ſacrificium juge veſpertinum, quo facto ſi nuncii veniſſent, reliquum diei ſpatium exigebatur ſancte, ſed & poſterus dies inſtituebatur feſtus, quo demum fiebat ſacrum id, quod præter quotidianum poſtulabat calendarum ratio, namque dies a veſperis non conſecrabatur. Verum poſt excidium templi princeps conſilii doctiſſimus Jochanan Zaccai filius una cum reliquo Judicum conſeſſu conſtituit, ut triceſima die menſis tota teſtimonio de nova luna daretur locus. Itaque & extremo die menſis triceſimo proxime ad ſolis obitum excipiebantur etiam nuncii lunæ novæ, ſi veniſſent, & idem ille menſis triceſimus dies conſecrabatur ſolus.

56 *Nam ſi ſit dies 31. &c. Toſaphta Roſch haſchana cap. II. 9.* R. Elieſer filius Zadocki dicit; ſi non conſpiceretur tempore ſuo, non ſanctificabant, quia jam in cœlo ſanctificaverant. R. Simeon filius Eleaſaris dicit, niſi conſpiceretur tempore ſuo, non ſanctificabant, quia jam illam ſuperior menſis ſanctificavit. Simeon filius præfecti dicit; ſi veniſſent teſtes ante veſperam, clangebant, ſed non offerebant ſacrificia addititia, niſi plenilunium ſanctificarent. *Maimonides ibidem cap. III.* 7. Conſilium menſem intercalarem, ſive plenum cum definiviſſet, quia nulli venerant triceſima menſis die nuncii, quidam una & triceſima menſis die, qua habebantur calendæ, conſtitutum in locum coibant, in quo epularentur. Huc nec conveniebant de nocte, ſed luce dubia ante ſolis ortum, neque epulas iſtas pauciores, quam convivæ decem celebrabant, neque in his epulis quicquam apponebatur aliud, quam panis ex ſecali, & minuto quodam frugum genere: nimirum hoc eſt illud quod paſſim commemoratur intercalationis menſtruæ ſacrum epulare. *Et nonnullis interjectis.* Si conſilium, cum triceſimo die menſis perpetuo nuncium de luna nova ſedens expectaſſet, nec quicquam accepiſſet, poſtridie ſummo mane menſem plenum definiviſſet, ſicut ante diſſeruimus; tum quatuor aut quinque poſt diebus longinqui venerint nuncii, qui pro teſtimonio dicerent lunam novam ſuo ſibi tempore, hoc eſt nocte triceſima menſis apparuiſſe, vel etiam ſi venerint eodem menſe exeunte, conſilium illos vehementer perterrebat, interpellabat odioſe, rogitando obtundebat, atque ex eorum reſponſis ſingulis verbis ſic aucupabatur, uti denique efficeret, ne menſis, qui jamdiu definitus eſſet plenus, aliter obſervaretur. Sin nihilominus nuncii in teſtimonio perſtarent, ipſorum teſtimonio conveniret, ipſi viri eſſent noti atque intelligentes, cum illorum eſſet teſtimonium rite perpenſum; tum conſilium de integro menſem finiebat, cujus dies dinumerabantur ab eo, qui menſis antecedentis alioqui fuiſſet triceſimus, ſiquidem nocte illum antevertente luna nova jam apparuerat. Quod ſi conſilium menſem illum ſic, ut ante teſtium erat adventum, neceſſe habebat intercalarem relinqui, relinquebat: nimirum hoc eſt illud, quo dicebatur menſem intercalarem finiri neceſſitatis ergo. Fuerunt tamen clari ſapientia viri quidam hac de re diſſentientes, qui dicerent, non eſſe jus ut neceſſitatis cauſa menſis intercalaris finiretur, ubi veniſſent lunæ novæ nuncii, eos non eſſe terrendos, ſed ex eorum eſſe teſtificatione conſecrandas calendas. Ego vero ſic arbitror, aut hanc doctorum hominum in hac re diſſenſionem duobus menſibus exceptis Niſan, & Tiſri, reliquos dumtaxat ſpectare quatuor; aut ad eos ſummum attinere lunæ novæ nuncios, qui menſe Niſan atque Tiſri venerant poſt exactos dies feſtos atque ſolennes, qui his menſibus duobus agebantur, quoniam actum erat, jam præterierat tempus ſacrificiorum, item & tempus dierum ſolennium; ſin autem his menſibus duobus lunæ novæ nuncii veniſſent ante menſem medium, ab his nullatenus territis accipi quod afferebant. Neque enim ii, qui de luna nova, quæ tempore ſuo conſpecta fuit, nuncium afferebant, ideo terrendi erant, uti menſis plenus definiretur, ſeu, quod idem eſt, intercalaris &c.

57 *Karæi abeunt &c. Abarbanel ad cap.* 12. *Exod.* Cavillantur Caraitæ, atque explodunt Iſraelitarum ſapientes, eo quod per calendaria atque computus, lunam Phariſæi ſanctificarent, cum ſtatuant, legis præceptum eſſe, ut ſecundum phaſin luna ſanctificaretur, illudque probant ex illo *Exod. loco* 12. 2.: *menſis iſte vobis principium menſium*; nam non vocamus חדש menſem, niſi cum luna innovata apparet, ſicuti dicitur Pſalm. 80. 4. *Buccinate in Neomenia tuba; Quando novilunium tranſibit* (ſic Hebræus) Amos. 8. 5. Præcepit vero Deus, ut ad phaſin lunæ, dum renovata apparet, menſem ſanctificarent, ſicuti dicitur. Deut. 16. 1. *obſerva menſem novarum frugum*; quaſi diceret, quod obſervarent phaſin innovationis lucis novilunii ad figendum menſem martium, *Niſan* Si jam vero præceperit Deus, ut menſem ad apparitionem lunæ conſecrarent, & hoc antiquitus erat inter Iſrael florente eorum Republica; quomodo ergo venit in mentem iſtorum ſapientum mutare præceptum, & irritum reddere id, quod Lex de præcepto ad phaſin præceperat, & figere novilunia per computus ad eorum libitum, cum dicant, ceſſante Synhedrio, ceſſare etiam viſionem, & excogitent ſibi quam multas ſupputationes ad proprium arbitrium. An non Iſraelitæ uſque ad R. Gamalielem ſua novilunia figebant ad phaſin lunæ? Et non eſt cogitandum phaſin tantum obtinuiſſe in terra Iſraelitica; nam clare conſtat R. Akibam intercalaſſe annos, & fixiſſe extra terram novilunia non per computus, neque ritu eorum. Omnes autem Rabbinorum interpretes explicant verſum illum Levit. 23. 4. *quas celebrare debetis temporibus ſuis*, etiamſi erretis, etiamſi ab aliis decepti ſitis, tamen mihi non ſunt ſtatuta tempora, niſi quæ conſecrata ſunt. Si jam vero illorum computus eſſet divinæ auctoritatis, ſicuti accipiunt, quomodo ergo poſſent errare, & ab aliis decipi? Verum durum erat prioribus illud qua auctoritate ſtatuerunt lectionem Megillæ, quandoquidem ſcribitur: *Hæc ſunt ſtatuta, quæ præcepit Deus per manum Moſis, & nulli prophetæ data eſt poteſtas innovandi*, ergo quomodo

modo Mardochæus, & Esther addiderunt Lectionem Megillæ? Sed non durum fuit illis figere computus, & mutare novilunii fictionem per phasin.

[58] *Urgent illi* 1. *Sam. &c. Abarbanel ibidem*: Falsum enim est id, quod afferunt homines isti dicendo: florente Republica Israelitica non consecrasse nisi secundum phasin; nam invenies Jonathano dixisse Davidem. 1. Reg. 20. 5. *Ecce calendæ sunt crastino, & ego ex more sedere soleo juxta Regem*. Unde autem sciebat David cras fore novilunium? Nisi per calculum; nam si per ראייה *phasin*, poterat fieri, quod crastino non appareret luna, & non figerent novilunium. Hoc vero accedebat insuper, & res ipsa arguit, illos fixisse duos dies novilunii sicuti dicitur: 1. Reg. 20. 24. *Absconditus est ergo David in agro, & venerunt calendæ, & sedit Rex ad comedendum panem*; & scribitur vers. 27: *cumque illuxisset dies secundus post calendas, rursus apparuit vacuus locus David*. Hoc autem intelligendum esse de alio novilunio minime convenerit; nam Scriptura vocat eum חדש *secundum*, & Saul dicebat; *cur non venit filius Isai nec heri, nec hodie ad vescendum?* vers. 27. & vers. 34. dicitur; *Surrexit ergo Jonathas a mensa in ira furoris, & non comedit in die secunda Calendarum panem*. An non clare & evidenter constat illos isto mense binos Neomeniæ dies celebrasse secundum nostram consuetudinem? moremque apud Israelitas invaluisse, ut secundum computum suas Neomenias figerent, ita tamen ut cum phasi conveniat? verum supputatio est totius rei fundamentum.

[59] *Et* 1. *Chron.* 12. *&c. Abarbanel ibidem*. Idcirco invenies explicatum in Scriptura id quod dicitur: *de filiis quoque Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum, quid facere deberet Israel, principes ducenti, omnis autem reliqua turba eorum consilium sequebatur*. 1. Paral. 12. 32. Nulla autem res alia ad figenda tempora & statuta sequitur, quam supputatio, quæ est intercalationis arcanum: verum lunæ apparitio est res nota, & sensu apprehensibilis; nam cum luna appareat, omnes sciunt esse novilunium, ac consequenter in diem decimum quintum incidere festum Azymorum, & caput anni in primum Tisri, & diem expiationis in decimum istius mensis, festumque Tabernaculorum in diem 15. mensis Tisri. Verum supputatio non est data nisi sapientibus, qui supputant, & Israelitis indicant Neomeniarum fictionem, & Dei statuta, ita ut Israelitæ iis obtemperent; & hoc est quod dicitur, 1. Paral. 12. 32. *ad præcipiendum quid facere deberet Israel principes ducenti; omnis autem reliqua turba eorum consilium sequebatur*.

[60] *Quibus addunt &c. Abarbanel ibidem*. Stante Republica Hebraica non fuisse in usu nisi consecrare secundum apparitionem; & defecisse calendaria, & cursus solis, & lunæ jam ab omnibus populis observatos; nam in confesso est apud R. Chanael lunæ fictiones inter Israelitas non solum obtinuisse secundum phasin, sed etiam secundum supputationem, quod probatur ex eo, dum nempe per 40 annos proficiscebantur in deserto, columna nubis eos interdiu obtegebat, & noctu columna ignis, ita ut per omnes annos neque interdiu solem, neque noctu lunam videre potuerint, secundum id quod dicitur Nehem. 9. 19. *Tu autem in misericordiis tuis multis non dimisisti eos in deserto; columna nubis non recessit ab eis per diem, ut duceret eos in viam, & columna ignis per noctem, ut ostenderet eis iter, per quod ingrederentur*. Unde ergo poterant tantum figere novilunia secundum phasin lunæ? sed certo, & sine dubio fundamenti istius præcepti est, ut sanctificetur secundum computum.

[61] *Adeoque* 24. *horas &c. Maimonides ibidem cap. VI.* 2. Quovis tempore quatuor, & viginti horis dies, & nox efficiuntur, quarum duodecim pertinent ad diem, & ad noctem totidem.

[62] *Diem naturalem &c. Tosaphta Berachoth cap. I. parag.* 1. A quonam tempore legitur Scemang Vesperi? a momento, a quo homines ingrediuntur ad manducandum suum panem in vesperiis Sabbathi, verba R. Meyr; & sapientes dicunt, ab hora, qua Sacerdotes possunt edere eorum primitias; signum hujus rei est apparitio stellarum; quamvis nullum de hoc sit argumentum, est tamen inditium de hac re a textu qui dicit; *& media pars nostrum teneat lanceas ab ascensu auroræ, donec egrediantur astra*. Nehem. 4. 21.

[63] *Si una stella &c. Hierosol. Berachoth fol.* 1. *col.* 1. Si adhuc una solum apparet stella, manifeste adhuc dies est, si duæ appareant, dubie adhuc nox est, si tres manifeste nox est.

[64] *Inter soles &c. Hierosol. Berachoth fol.* 2. 2. Quid est בין השמשות? est instar guttæ sanguinis datæ in ipsam aciem gladii, quæ se partitur utrimque. Quid est בין השמשות? est ab eo tempore, quo occidit sol, usque dum ambulet quis ad dimidium milliarii. R. Jose dicit, בין השמשות est sicut ictus oculi &c. *& ibidem*. Omne illud tempus, quo facies orientis rubet, vocatur *dies*, quando incipit pallescere vocatur *inter soles*, quando nigrescit, & superius (firmamentum) fit simile inferiori, tum est *nox*. *Maimonides Schab. cap. V.* Ab eo tempore quo occidit sol, usque dum apparent tres stellæ medianæ, vocatur בין שמשות, *inter soles* & dubium est num tempus illud sit de die an de nocte. Utcumque de eo judicant להחמיר ad gravandum officium.

[65] *Tempus nocturnum &c. Abarbanel ad Genes.* I. 3. 4. *ita commentatur*. Quando dicitur: *factumque est vespere*, vers. 5. id non est intelligendum de illa obtectione, vel occasu lucis, sed de primis istis tenebris, quæ erant in mundo post creationem cœli, & terræ, ante creationem istius lucis, de quibus scripsit vers. 2. *Et tenebræ erant super faciem abyssi*. *Aben Esra monuit* ערב *vesperam* vocari noctem quod misceantur rerum figuræ tempore vespertino. Adeoque prius illic fuerunt tenebræ, post quas demum lux creata est, & hæc duo constituerunt diem unum, & hujusmodi dies referuntur constituti a Deo in Sabbathis, & solennibus diebus, qui cæperunt cum nocte, & finiti sunt die sequenti, qui hanc noctem excepit. *Vide eumdem ad Exod.* 12. 2. fol. 148. 2. *Etiam Gallos a nocte tempora numerasse Cæsar lib. 6. de bello Gallico scribit*. Spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt, & dies natales, & mensium, & annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur. *Et de Germanis Tacitus lib. de situ, moribus, & populis Germaniæ*. Nec dierum, *inquit*, numerum ut nos, sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt. Nox ducere diem videtur. *Et Servius ad versum lib. 3. Æneid.* Sacra mari colitur medio, *scribit*. Quod autem diximus Dianam primo natam, rationis est; nam constat primam noctem fuisse, cujus instrumentum est Luna, id est *Diana*, post diem, quem sol efficit, qui est *Apollo*.

[66] *In Sacrificiis &c. Tosaphta Sevachin cap. VI.* 14. Et quocunque loco dies sequitur noctem, sed cum agitur de comedendis sanctitatibus nox sequitur diem. *Bartenora ad cap. V.* 5. *Chullin*. *Dies unus dictus de ipso, & filio ipsius*; nam præceptum de non mactanda matre cum filio prope sacrificia exstat, ubi scriptum est Levit. 22. 27. ירצה לקרבן אשה, & statim sequitur: *non immolabuntur una die cum fœtibus suis*. Sed in sacrificiis nox sequitur diem, sicuti dicitur Levit. 7. 15: *cujus carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quicquam usque ad mane*; hinc sequens non vocatur, *dies sacrificii usque ad mane*; hinc intelligere possemus rem etiam hic ita se habere, ideo dicit auctor de opere creationis: dicitur *dies unus &c.*

[67] *In duodecim horas &c. Maimonides Kidd. Hach. cap. VI.* 2. Quovis tempore quatuor & viginti horis dies & nox efficiuntur, quarum duodecim pertinent ad diem, & ad noctem totidem.

[68] *Hæ erant &c. Glossa ad l. c. Maimonidis Kidd. Hach. VI.* 2. Horæ sunt duum generum; horæ æquales, & horæ obliquæ, seu inæquales, quæ temporales dicuntur. Et horas quidem æquales quod attinet, mutatur numerus earum, sed non mutatur mensura; at quod concernit horas temporales seu inæquales vice versa, non mutatur numerus earum, siquidem interdiu æque ac noctu duodecim horæ sunt non pauciores, neque plures, verum mensura earum mutatur.

[69] *Porro dies &c. Bartenora ad cap. I.* 2. *Codicis Berachoth*. *Usque ad tres horas*, in die, usque ad finem horæ tertiæ, quæ est quadrans diei illo tempore, quo dies & noctes sunt æquales, immo semper tempus lectionis *Scemang* se extendit ad quadrantem diei, sive dies longi, sive breves fuerint.

[70] *Locorum Marci* 15. 25. *&c. Vide in hæc loca clar. Leightfooti horas hebraicas.*

[71] Nox

[71] *Nox dividitur &c. Tosaphta Berachoth cap. I.* 3. Rabbi dixit in quatuor partes dividitur nox. *Et nonnullis interjectis*. R. Natan dicit in tres vigilias dividitur nox, juxta versiculum qui dicit: *incipientibus vigiliis noctis mediæ*. Jud. 7. 19. Non datur media, nisi una fuerit ante, & altera post eam. *Gemara Berachoth fol.* 3. 2. Docuerunt Rabbini noctem quatuor habere vigilias, sunt verba Rabbi; sed R. Natan dicit tres. Quænam est ratio R. Natan? Quia scriptum est Jud. 7. 19. *Ingressusque est Gideon, & trecenti viri, qui erant cum eo, in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ*. Et traditur non dici mediam, nisi una fuerit ante, & altera post eam. Quare autem Rabbi *quatuor statuit?* media est altera e media, quæ inter medias. Quare R. Natan tres tantum velit? quia in Scriptura non habetur media in mediis duabus, sed media tantum. Quænam autem est sententia Rabbi? Quia R. Serika dixit dictum esse a R. Ame nomine R. Jehosuæ filii Levi, scriptum est Psalm. 118. 62. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi &c.* Et vers. 148. *prævenerunt oculi mei ad te diluculo &c.* quo modo evincitur quatuor esse noctis vigilias. *Raschius in glossa ad tractatum Berachoth fol.* 3. 1. Sunt qui asserunt tres esse noctis vigilias, quibus Angeli serviunt, atque eorum canticum tribus constare partibus, primum ab una, alterum a secunda, tertium a tertia cantari. Sed alii putant quatuor vigilias noctem constituere. *R. Salomon, & Kimchius ad Judic. 7. 19. tres contendunt esse noctis vigilias, & plerique Hebræorum. Quod in Marc. 14. 25. legamus quartam noctis vigiliam, id ex Romanorum disciplina est.*

[72] *Dividuntur horæ &c. Maimonides ibidem cap. VI.* 2. Hora autem distribuitur in scrupulos mille & octoginta. Quid ita vero? quia numero in isto licet dimidiam, quartam, & octavam partem reperire, tertiam, sextam, nonam, itemque quintam, & decimam, atque alias bene multas, quarum suum quæque nomen habet.

[73] *Sic mensem &c. Maimonides ibidem*. Ex hac igitur nostra hodierna descriptione temporum, ab una ad alteram solis, & lunæ conjunctionem illam mediam viginti novem intercedunt dies pleni, horæ duodecim, & ex tertia decima hora scrupuli septingenti & nonaginta tres. Hoc igitur temporis spatium inter unam & alteram lunam novam interest, atque adeo mensem lunarem complet.

[74] *Annum lunarem &c. Maimonides ibidem*. Unde lunaris annus, si est ex ejusmodi mensibus duodecim, quatuor diebus & quinquaginta, & trecentis conficictur, horis octo, octingentis, & septuaginta sex scrupulis. Sin autem intercalando fiat uno mense longior, dies continebit trecentos octoginta tres, unam & viginti horas, quingentos, & novem supra octoginta scrupulos.

[75] *Solarem lunari &c. Maimonides ibidem*. Sed qui solis conversione efficitur annus, is dies habet trecentos sexaginta quinque, horas sex. Ex quo patet solarem annum lunari esse longiorem diebus decem, viginti una horis, & scrupulis ducentis & quatuor. Cum e mense lunari singulas detrahas hebdomadas, omnino reliquum erit id, dies una, horæ duodecim, atque scrupuli septingenti tres & nonaginta, character est. 1. 12. 793. Hæ sunt mensis epactæ lunaris. Idem si facias in anno lunari, eoque communi superant dies quatuor, horæ octo, scrupuli octingenti septuaginta sex, character est 4. 8. 876. Atque hæ sunt lunaris anni communis epactæ. Verum Embolimæi epactæ sunt dies quinque, una & viginti horæ, scrupuli quingenti novem & octoginta, character est 5. 21. 589.

[76] *Habent quoque &c. Maimonides ibidem*. Cum igitur mensis alicujus novilunium exploratum, atque perspectum habeas, huic si addas diem unum, horas duodecim, septingentos nonaginta tres scrupulos, mensis consequentis lunam novam comperies ita, ut & quo hebdomadæ die, qua diei hora, quo denique scrupulo sit futura, certo scias. Atque hoc e. g. ponatur mensis Nisan lunam novam extitisse ad primum hebdomadæ diem post horam lucis quintam, & ex hora sexta centesimum & septimum scrupulum, character est 1. 5. 107. Si addideris epactas mensis lunaris, diem unum, horas duodecim, scrupulos septingentos nonaginta tres, comperies lunam novam mensis sequentis, qui dicitur Ijar, fieri tertia hebdomadæ nocte, post quintam noctis horam, & scrupulum horæ sextæ nongentesimum, cujus character est 3. 5. 900. sicque licet consequentium reperire mensium lunam novam vel ad infinitum tempus eodem modo si primam alicujus anni lunam novam cognitam habeas, adjungendis epactis anni, prout erit, vel communis, vel intercalaris, consequentis anni comperies primam lunam nascentem, & ita prorsus sequentium annorum etiam ad infinitum tempus. Jam exordium putandi ducendum est ab prima post constitutum mundum luna nova. Ea fuit ad secundam hebdomadæ noctem post horam quintam, & consequentis horæ scrupulum quartum & ducentesimum; character est 2. 5. 204. Ab hac oportet luna nova supputandi initium repeti.

[77] *Minimam horæ &c. Tosaphta Berachoth cap.* I. 3. Quando dicitur vox עונה, est vicesima quarta pars horæ, & quando dicitur עת, est vicesima quarta pars עונה, & quando dicitur רגע, est vicesima quarta pars עת.

[78] *Partem horum &c. Maimonides ad cap. II. 6. Codicis Scheviith*. At contradicitur sententiæ huic; nam primus doctor statuit, quod unus anni dies habeatur annus, sed R. Jehuda, R. Jose, & R. Simeon statuunt triginta dies anni haberi annum. *Idem ad cap. I. Codicis Rosch haschana*. Et hoc si quis plantaverit aliquam arborem ante primum Tisri diem juxta opinionem ejus qui dicit, quod unus annus habetur, eo quod unus dies numeratur pro anno. *Sanhedrin fol.* 11. 2. *&* 10. 2. *Unus dies in anno habetur pro anno.*

[79] *Dixisse se tres dies &c. Hæc ita illustrat cl. Leigthfootus in horis Hebraicis in Matth. pag.* 325. Memorabilem illam, orante Josua, solis immoti stationem Judaici scriptores ad horas triginta sex extendunt; sic enim Kimchius in istum locum: *Secundum accuratiorem interpretationem, steterunt sol & luna per horas triginta sex; nam cum esset pugna ista vespere Sabbathi, metuit Josua, ne violarent Israelitæ Sabbathum. Extendit igitur manus suas, ut staret sol die sexto secundum mensuram diei Sabbathi, & luna secundum mensuram noctis Sabbathi, & exitus Sabbathi, quæ assurgunt ad horas triginta sex*. Si horas numeres ab exspiratione Salvatoris in cruce ad ejus resurrectionem excurrentes, istius numeri paritatem fere reperies; quod tamen spatium ab eo vocatur *tres dies, & tres noctes*, cum duæ tantum noctes intercesserint, & dies completus tantum unus. Nec consensu tamen caret hæc loquens & Scholarum & computationis Judæorum. Perpende bene illud in Schabb. cap. 9. halac 3. de immunditia fœminæ in triduum, ob concubitum seminis, ubi discutiuntur multa a Gemaristis de computatione hujus tridui. Inter alia hæc occurrunt. *R. Ismael dicit: aliquando continet quatuor* עונות, *aliquando quinque, aliquando sex*. Babyl. fol. 86. 1. *At quantum est spatium* τῆς עונה? *Dicit R. Jochanan: vel dies, vel nox*. Babyl. Avoda Zarah fol. 75. 1. Sic etiam Hieros. Schabb. fol. 12. 1. *R. Akiba statuit diem pro* עונה, *& noctem pro* עונה. *At traditio est R. Eleasarum ben. Azariæ dixisse; dies & nox constituunt* עונה; & *pars* עונה *est sicut totum*. Et paulo ante. R. Ismael computavit partem τῆς עונה pro toto. Non promtum est vocem עונה apta latinitate donare; nam quibusdam idem sonuit, quod medietas diei naturalis, quibusdam idem quod νυχθήμερον, totus dies naturalis. Secundum primum sensum observare licet ex verbis R. Ismaelis, nonnunquam quatuor עונות, vel medietates diei naturalis haberi posse pro triduo, easque ita etiam numeratas, ut pars una & altera istarum medietatum computari posset pro tota. Posteriorem sensum confer cum verbis *Salvatoris* sub manibus. *Dies & nox*, inquit traditio *constituunt* עונה, *& pars* עונה *est sicut totum*. *Christus* ergo vere dici potest fuisse in sepulchro per tres עונות, vel per τρὶς νυχθήμερον (cum tamen defuerit maxima pars diei primi, atque nox omnino, ac longe maxima pars diei tertii) idque suffragante scholarum consensu, & dialecto gentis; nam *quantalacunque pars* τῆς עונה *concludit totum*, ita ut secundum hoc idioma particula ista minutula diei tertii, quo *Christus* resurrexit, pro toto die & nocte cum sequente sit computanda.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

De diebus festis.

§. I. Festa majora tria.

I. TEr quotannis Hierosolymas adscendere unumquemque marem inter Israelitas Deus jusserat, ut se coram facie Dei sisterent, [1] tribus festis majoribus, רגלים, quæ מועדות & כנפיא nuncupantur, *paschate*, *pentecoste*, & *festo tabernaculorum*. *Exod.* 23. 17. institutis in memoriam trium beneficiorum insignium, quæ Deus in populum Israelitarum contulit, egressum ex Ægypto, lationem legis, & possessionem terræ. [2] Mulieres itaque, surdi, cœci, stulti, infirmi, pueri, senes, & quiscunque tandem foret, qui pedibus proficisci Hierosolymas non poterat, eo non obligabantur. Nunc quamvis templum destructum sit, tamen tenentur hæc festa aliqua ratione ubivis terrarum celebrare. *Midrasch Schir hasschirim*. 13. 2. Olim tamen major erat illorum festorum celebritas, quod sacrificia fieri possent & templum staret: [3] solebant enim puerperæ, fluxu seminis laborantes, & alii differre oblationes suas usque ad hæc festa, (confer *Joh.* 11. 55.) [4] & rei plectendi ad festa hæc servabantur, quia tunc magna vis populi congregata erat Hierosolymis, secundum dictum *Deut.* 17. 13: *ut omnis Israel videat & timeat*. *Sanhedrin*. XI. 4. Dies festos etiam, & convivia quæ in iis celebrabantur, maxime seditionibus occasionem præbuisse Josephus adnotat *lib.* 1. 3. *de bell.* & liquet ex *Matth.* 26. 5. ideoque & Romani solebant præsidium militum porticui templi imponere, ut motus qui orirentur compescerent. *Jos. Ant.* XX. 4

§. II. Requisita horum festorum.

II. [5] Tria in illo præcepto contineri tradunt Judæi in *Gem. Chagiga*. 2. 1. & 6. 2. ad quæ obligantur, I. ריִה [6] *præsentiam*, ut unusquisque se sistat in templi atrio, & primo die festi, si possit, aut uno ex sex sequentibus, holocaustum sive ex quadrupedibus sive ex avibus adducat, quod inde holocaustum ראייה sive præsentiæ appellatur. *Exod.* 23. 15. *Deut.* 16. 16. [7] & ex חולין *profanis* debebat adduci, non ex decimis animantium, &c. II. [8] חגיגה *celebritatem*, ut unusquisque sacrificium salutare offerat primo die festi. Hoc constabat ex quadrupedum generibus, tam masculis quam fœminis, comedebaturque per duos dies & noctem unam. [9] Hoc quoque e profanis adduci debuit: poterat tamen offerri ex argento decimarum secundarum mixto cum pecunia profana, verum ita [10] ut tota prima comestio, אכילה ראשונה censeri posset facta esse ex חולין profanis. Notandum omnino hic intelligi חובת חגיגה sive *sacrificia celebritatis a Deo mandata*, quæ erant ex חולין; nam [11] in festo paschatis erat duplex sacrificium chagigæ, videlicet chagiga diei decimi quarti, quod est sacrificium quod comedi poterat ante agnum paschalem ut ita agnus על השבע, postquam alio cibo jam erant aliquo modo saturati, ederetur, & *liberum* erat, sive רשות, (quum chagiga diei decimi quinti æque ac sacrificia ראייה & שמחה essent חובות) comedebaturque ut omnia alia sacrificia salutaria intra duos dies & noctem unam. *Pesachim*. VI. 4; nam erat sacrificium salutare, & in *Siphra fol.* * 26. 1. 2. istiusmodi sacrificia appellantur שלמים הבאים מחמת פסח: poteratque e sacris, uti e decimis animantium, desumi. [12] Sed chagiga diei decimi quinti est hoc sacrificium, quod erat חובה *præceptum*: nec ex rebus Deo sacris offerri poterat. *Levit.* 23. 41. III. שמחה [13] *lætitiam Deut.* 27. 7. sive *hilaria*, ut voce utar Lampridii, aut *lætam celebritatem feriarum*, uti *Gellius* XVI. 10. ut mœrore omni valere jusso (ὀ γάρ ἔξεσαι ἐν ἑορτῇ Josephus scribit *Ant.* XI. 5.) gaudeat, & præter illud sacrificium modo memoratum, alia offerat sacrificia salutaria, quæ a lætitia nomen habent. [14] Hæc poterant ex rebus votis & decimis animantium offerri, licet essent חובה, quoniam lætitia illud unice erat, cujus causa hæc edebantur, [15] & sacerdotes ipsi piacularibus & pectore ac femore salutarium uti poterant ad hæc hilaria, ad quæ (secus ac ad antecedentia) etiam [16] obligantur mulieres, quod Judæi colligunt ex *Deut.* 27. 7. [17] Si quis autem neglexisset holocaustum illud aut sacrificium salutare offerre die primo festi, poterat offerre sequentibus sex usque ad finem festi: & quum festum pentecostes unum modo diem habeat, septem tamen habere censebatur, quibus aliquis illa sacrificia offerre poterat, *Moed katon.* III. 6. *Chagiga.* 1. 6. [18] Nulla mensura his tribus sacrificiorum speciebus erat præscripta in lege Dei, sed duabus prioribus mensura præscripta est per decreta doctorum. *Deut.* 16. 17. *Pea.* 1. 1.

§. III. Dies in his minus festi.

III. Erant in his festis quidam dies *minus festi*, videlicet inter primum & ultimum intermedii, quorum minor erat sanctitas quam aliorum, quique nomine מועד קטון & חול מועד, ἑορτῆς μεσούσης *Joh.* 7. 14. veniunt. [19] His offerebantur sacrificia נדרים & נדבה. *Chagiga*. 1. 3. [20] Nonnulla opera quæ incœpta erant & vitium contraherent, nisi

per-

perficerentur, per eos dies licuit absolvere. *Sota*. IX. 10. Licebat etiam opera facere, quorum omissio damnum inferret, [21] & quæ ad publicam utilitatem spectant, [22] uti sepulcra calce signare, ne quis inscius iis pollueretur, irrigare agrum siticulosum, si absque magno labore fieri possit, & similia, de quibus vide *Moed katon.* At dies *maxime festi* [23] erant sex, quibus omne opus, [24] excepto illo quod ad cibi præparationem pertinet, erat interdictum, secundum *Exod.* 12. 16; nam si instituta esset עירוב תבשילין [25] *mixtura ciborum* die festum antecedente, id est, בערב יום טוב, tunc licebat die festo coquere & assare: qua in re ימים טובים a sabbatho distinguebantur. vid. *Gem. Hier. Jevamoth.* 8. 4. Hi dies sex erant primus dies paschatis & septimus: primus festi tabernaculorum & octavus, dies pentecostes, & primus dies mensis Tisri. Hi appellantur proprie ימים טובים *dies boni*, id est, *festi*, uti apud Plautum *dies bonus*, & *bona verba* & καλαὶ ἡμέραι pro festis, & de his agitur in codice *Betza*. Sed aliquando nomen ימים טובים latius patet, uti quum in *Gem. Schabbath*. 21. 2. octo dies encœniorum ita appellantur, & in *Gem. Pesachim*. 47. & *Echa rabbati* 60. 1. שני י׳ט׳של רה׳ duo dies festi novi anni. Confer *Taanith*. IV. 8. ubi legitur non fuisse ימים טובים Israelitis, quales [26] dies 15. *Ab* & dies expiationis. Inter hos autem dies quatuor sunt, uti docemur in *Siphra fol.* * 244. 1. [27] quos multitudo sacrificiorum & epulæ cum lætitia celebratæ distinguebant ab aliis. I. [28] *ultimus* sive octavus *dies festi tabernaculorum*, quia unus hic dies erat רגל: ideoque videtur hic, etiamsi primus quoque dies illius festi esset יום טוב sive dies maxime festus, magnus dies κατ' ἐξοχὴν appellari *Joh.* 7. 37. quo etiam liberius sacrificiis & conviviis vacare poterant quam die primo, quando fascis ramorum & tentoria ipsos occupatos tenuerant. II. [29] *Primus* יום טוב, sive dies maxime festus, *paschatis*, id est, 15 Nisan, qui propterea *Joh.* 13. 1. ἑορτὴ dicitur singulari ratione. III. *dies pentecostes*, qui erat רגל. IV. *Initium* novi *anni* civilis, primus dies Tisri.

§.IV. Græca festorum nomina.

IV. Græci festos dies ἑορτὰς dixerunt, ἡμέρας πανηγύρεως, & κλητὰς ἁγίας: quæ tamen nomina modo latius, modo minus late, patent. Nonnunquam vero vox ἑορτή diem 15 Nisan notat, qui חג dicitur *Num.* 28. 16. 17. *die 14 primi mensis erit* πάσχα κυρίῳ, *&* *die* 15 ἑορτή. Quare dies 14. Nisan, quo pascha jugulabatur a Christo comedendum, erat hoc sensu πρὸ τῆς ἑορτῆς ante festum *Joh.* 13. 1. id est, ante diem 15. & cœna paschali peracta, ac Juda abeunte, putabant Christum ei dixisse: *eme quæ nobis necessaria sunt ad festum*, εἰς τὴν ἑορτήν, id est, ad solemnitatem diei 15, qui חג, ἑορτή, erat. Aliquando & illos dies, qui festi ipsis habebantur, ἡμέρας μεγάλας appellabant. Ita *Johan.* 7. 37. postremus dies festi tabernaculorum magnus dicitur, ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς & *Joan.* 19. 31. ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ Σαββάτου, quia incidebat in diem 16 mensis Nisan (quod Judæi dicerent חל׳ ששה עשר להיות בשבת vide *Pesachim*. VII. 10.) quo manipulus meti & offerri debuit, & is dies jura sabbathi pellebat. Vide *Menachot*. X. 1. [30] Fiebat autem id magna cum solemnitate, & publice rogabatur שבת זו *an hoc sabbatho?* videlicet metam, & respondebant: *hoc sabbatho*. ibid. X. 3. [31] Præterea ab hoc die supputatio pentecostes sumebat exordium.

§. V. Portiones ephemeriarum in tribus festis majoribus.

V. [32] Tribus hisce festis majoribus æqualis portio ex sacris ad omnes ephemerias 24 perveniebat, ex sacrificiis festorum & panibus propositionis. [33] At ephemeria ministrans, cujus vices erant ea hebdomade sacris operari, offerebat sacrificia cœtus, uti juvencum a cœtu ob errorem offerendum. *Succa.* V. 8. [34] Quod si יום טוב sabbathum proxime antecederet vel sequeretur, in distributione panum propositionis omnes ephemeriæ quoque æquales erant. [35] Alias panes dividebant inter se ephemeriæ accedens & recedens, [36] illa ad septentrionem, hæc ad meridiem atrii, [37] excepta sola ephemeria Bilgæ, (quæ 1 *Chron.* 24. 14. ordine quinta & decima numeratur) ob [38] facinus Mariæ filiæ Bilgæ, quod narratur in *Gem. Succa* 56. 2. cujus proinde annulus etiam fixus in loco jugulationis ab utraque parte manebat, sic ut ea jugulatura aliarum ephemeriarum annulis uti debuerit, & reconditorium vestium fuerit occlusum.

§.VI. Mensis tria festa præcedens.

VI. Mensis, qui proxime præcedebat unumquodque ex tribus his festis, dicitur a Judæis destinatus fuisse [39] exponendis festi secuturi ritibus. *Gem. Megilla*. 29. 2. *Gem. Schecalim*. 5. 1. *Gem. Becoroth*. 58. 1. *Gem. Rosch haſſchana*. 7. 1. Præterea solebant die [40] 15 Adar, id est, spatio menstruo ante pascha, pontes, plateas, vias, aliaque restituere in usum adscendentium ad pascha, [41] potare mulieres adulterii suspectas, vaccam rufam comburere, aures servorum terebrare, saxa a puteis amovere, [42] & sepulchra calce pingere. Sepulcra talia calce superfusa notata τάφοι κεκονιαμένοι *Matt.* 23. 27. appellantur: quod si calx non appareret iis, qui illac iter facerent, homines, ignorantes ibi sepulcrum esse, & transeuntes quasi per locum purum, polluebantur. [43] Cœmiteria quidem erant cadaveribus condendis [44] extra urbes destinata: poterant tamen etiam alibi cadavera

 esse

esse sepulta. Hanc enim unam ferunt ex decem constitutionibus Josuæ, ut מֵת מִצְוָה, id est, cadaver hominis insepultum, in agro conspectum, [45] sepeliretur vel eo loco quo jaceret. vide *Gem. Bava kama.* 81. 1. Dies hujus mensis medius, sive decimus quintus ante festum, si pascha sequeretur, [46] פרוס הפסח dicebatur, si festum pentecostes פרוס עצרת, si festum tabernaculorum פרוס החג. [47] Qui tres dies quotannis insignes erant decimatione pecorum tunc instituenda [48] & collectione siclorum, de qua vide *Schecalim.* III. 1.

§. VII. Divisio festorum in species.

VII. Præter hæc tria festa majora dicta רגלים alia erant, quorum nonnulla sunt ab ipso Deo instituta, ut dies expiationis, festum novi anni, novilunium, sabbathum, anni sabbathici & Jubilæi; aliqua a Judæis, uti festum purim, encœniorum, &c. de quibus nos suo loco breviter agemus.

COMMENTARIUM IN CAPUT SECUNDUM

[1] TRibus festis &c. *Abarbanel ad Deut.* 16. Hæc tria Dei fuerunt in Israelitas præcipua beneficia, exitus e servitio Ægyptio, latio Legis, & terræ promissæ possessio, ideoque nostri jussi sunt in ædem augustam ire ter in anno numini gratias acturi, solennitate Azymorum de sua ex Ægypto migratione, solennitate hebdomadarum de lege sibi lata, & de solennitate Tabernaculorum de concessa sibi terra omni frugum & fructuum genere læta. *Et nonnullis interjectis.* Atqui triplex iste conventus, de quo divina Lex etiam atque etiam præcipit, & monet, ad isthæc quinque animi bona referebantur; primum ut de beneficiis omnibus omnes Deo gratias agerent secundum Davidis illud, Regis divino spiritu instincti. *O Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ; dirupisti vincula mea, & tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo; vota mea reddam in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui Hierusalem.* Deinde ut Legis divinæ vis insita in omnium animis hæreret, ac commemoratione illarum, quas Deus majoribus nostris fecit, rerum tam admirandarum, quam terribilium homines adducerentur, ut crederent infinitam esse potestatem divinam. Nimirum ea de causa jussi sunt ii, qui rerum primitias tulerant recitare carmen isthuc. *Syrus oppressurus erat patrem meum, qui descendit in Ægyptum &c.* (*ita Hebræus.*) Hic enim commemorabatur a præpotenti Deo, mirum in modum animadversum in Ægyptios injustos ac inclementes dominos, & terram promissam nostris propriam possessionem esse datam. Tum ut suis oculis viderent ea, quæ in templo existebant perpetuo prodigia, viderent rei divinæ administrationem, viderent sacerdotes sacris operantes, viderent Levitas interea dum sacra conficiebantur, voce atque fidibus e suggestu canentes, ita caperentur amore sacrarii, simul & ejus administrorum sanctorum, atque Dei sacrarium illud colentis majestate commoverentur. Deinde ut amarent inter se, cum norint se inter se, adeoque promti & parati essent ad serviendum communis vitæ necessitatibus aliis alii, atque omnes inter se consuetudine, usuque conjungerentur. Postremo, ut quæreretur, & explicaretur quicquid in Lege, & præscriptionibus occurrebat intellectu difficile; nam si suo cuipiam in oppido de Lege, de præcepto quodam dubium esset, contentioque, templum augustum peteret, ibi de quæstione senatum supremum consuleret, qui rem dijudicaret. Erat enim in singulis Israelitarum oppidis consessus Judicum, sed huic quoque præscriptum erat isthuc Deut. 17.8. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & judicum juxta portas tuas videris verba variari, surge & adscende ad locum &c.* Nullus igitur dubito, quin id quovis tempore solenni confieret; tum Hierosolymæ viros sapientia præstantes adibant de quæstionibus difficilibus & implicatis; ita cum Hierosolymam convenirent celebraturi diem solennem, eadem opera Legis, & juris divini rationem exquirebant.

[2] *Mulieres itaque &c. Tosaphta Chagigah cap. I.* Immundus liber est ab apparitione, juxta versiculum qui dicit; *venietis, & offeretis in loco illo &c.* Deut. 12. 5. 6. qui potest ingredi in atrium. Jochanan filius Dahavai dicit nomine R. Jehudæ, etiam cœcus ex versu, qui dicit, יראה אל פני הארון יהוה. Excludit cœcum; Argumentatur Rabbi in verba Jochanan filii Dahavai, & decidunt sapientes juxta opinionem R. Jehudæ. Puer, qui non indiget ope matris, tenetur, juxta versiculum qui dicit; *& Anna non ascendit, dixit enim viro suo, non vadam donec ablactetur infans &c.* 1. Reg. 1. 22. *Maimonides Chagigah cap. II.* Mulieres ac servi soluti erant apparendi præcepto; viri vero hoc eodem præcepto omnes astricti erant, excipe surdos, mutos, amentes, impuberes, cœcos, claudos, inquinatos, præputio obductos, item & decrepitos, ægrotos, & eos qui molles erant, & adeo teneri, ut Hierosolymam pedibus ire nequirent; his undecim generibus exceptis, cuncti viri præcepto apparendi astringebantur. Quivis igitur surdus, tametsi loqui poterat, imo & aurium altera captus præcepto apparendi solutus erat; solutus erat etiam & altero lumine orbus, & altero pede claudus, & mutus audiendi sensu præditus, item & obstructus, & androgynus, ut quorum sexus erat ambiguus. Atque unus & idem homo partim servus, & partim liber etiam præcepto apparendi solutus erat ob servilem illam sui partem. Sed inquiet aliquis, unde cognoscitur homines istos præcepto apparendi esse solutos? Nempe videmus in Lege scriptum; *apparebit omne masculinum tuum.* Deut. 16. 16. Hic igitur excluduntur mulieres, atqui quo præcepto jubente non tenentur mulieres, eodem nec tenentur servi; præterea autem in hanc rem ita Lex dicit; *convenientibus cunctis ex Israel.* Ibid. 31. 11. habes igitur & servos exclusos. Jam hæc Legis verba; *convenientibus cunctis ex Israel, ut appareat*, significant non solum opus esse, ut suum quisque os ostendat Domino, sed etiam ut hunc ejus apparatum sanctum, augustumque templum oculis cernat; excluduntur ergo cœci, qui cernendi sensu carent, immo excluditur etiam altero lumine orbus, quippe qui non habet integrum videndi sensum; sequitur deinceps, *ut audientes*, quibus verbis excluduntur quicunque non habent perfectum audiendi sensum; quod autem additur, *discant*, id excludit homines elingues; nam quicunque discere jubetur, hic idem jubetur & docere; quod autem a Lege dicitur; *ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui.* Exod. 34. 24. id designat eum, qui pedes Hierosolymam ire queat; excludit autem & hominem claudicantem, & ægrotum, & ætate confectum, & mollem ac tenerum; id vero nobis tractatu *de ratione adeundi templi* disputatum est, hominem inquinatum haud idoneum esse, qui in templum intromittatur, at præputio obductus homo, quam inquinatus, nihilo minus spurcus est. Homo sordidus is qui ponebat operam in stercore canino, atque similibus hujus generis excrementis legendis ad coria perficienda, parandaque medimenta; item & æris in ipsa fodina conflator, ac coriarii, quanquam erant suorum operum illuvie immundi, tamen corpus tergebant, bene vestiebant, & cum reliquis Israelitis Hierosolymam petebant, ut ora sua Domino ostenderent. Omnis puer impubes cum primum poterat parentis apprehensa manu gradi usque ab urbe Hierosolymæ ad montem ædis, in templum apparendi causa erat a patre abducendus, qui sacris initiaretur; est enim in Lege; *apparebit*

omne

omne masculinum tuum. Deut. 16. 16. Qui si puer esset claudus, cœcus, surdus; imo si vel oculorum uno non videret, vel aurium una non audiret, nihil erat, quod hoc officio assuefactus esset, ut etiam sanus fieri posset, etenim pubes quoque sic affectus hoc officio solutus erat, sic ut ante diximus.

3 *Solebant enim &c. Babyl. Sanhedrin fol. II.* 1. Puerperæ, seminifluæ, & seminiflui columbas suas reservarunt usque dum ascenderent ad festum. *Hieros. Rosch haschana fol.* 56. 2. Oblationes quæ sacratæ sunt ante festum, offerentur ad festum; nam dictum est: *Hæc offeretis Domino in solennitatibus vestris. &c.* Num. 29. 39. *Siphri ad* Num. 29. 39. *Hæc offeretis Domino in solennitatibus vestris*. Hæc sunt vota & spontanea, quæ vovet in festo, quæ adducet in festo; tu dicis hæc vota & spontanea, quæ vovet in festo, quod adducat in festo; an ego dicam post festum? Quando dictum est; *cum autem voveris Domino Deo tuo*, Deut. 23. 21. Ecce vota & spontanea, quæ vota fuerunt ante festum, cur igitur dictum est, *hæc offeretis Domino in solennitatibus vestris?* Hæc sunt vota & spontanea vota in ipso festo, quæ adducet in ipso festo; *præter vota*, hi sunt nidi seminifluorum, & seminifluarum, quos lex permittit, ut in festis afferantur. *Maimonides ibidem cap. I.* 10. Ad ferias minus sanctas, quæ statis illis temporibus minus festis inter primum & ultimum diem solennem interjectæ sunt, sacrificia votorum, & promissorum fieri licebat; quod enim a Lege dicitur: *hæc offeretis Domino in solennitatibus vestris præter vota & oblationes spontaneas*, id declarat hujus generis sacrificia fieri tempore feriato licere; sequitur autem, *in holocausto*, quod significat hominum leprosorum, atque puerperarum holocausta; & quod deinde sequitur, *in libamine* id & fertum peccatoris indicat, & fertum Zelotypiæ: ad extremum additur, *& in hostiis pacificis*, quod comprehendit etiam sacra pacifica Nazyræi, quæ omnia feriis illis minus sanctis fieri fas erat scilicet, diebus solennibus non item.

4 *Et rei plectendi &c. Tosaphta Sanhedrin cap. XI.* 9. Filius immoriger, & rebellis, senior, qui edicto Senatus refragatur, & qui seducebat privatum ad Idolatriam, aut qui seducebat incolas totius civitatis, & vates mendax, & falsi testes, non statim occidebantur, sed faciebant eos ascendere ad Synhedrium magnum Hierosolymitanum, eosque servabant usque ad primum festum, & in festo morte plectebantur, quia scriptum est: *cunctusque populus audiens timebit &c.* Deut. 17. 13. Verba R. Akibæ; ei dixit R. Jehuda; ecquid? dictum ne est *cunctusque populus videns timebit*? nonne dictum est, *cunctusque populus audiens timebit*? Cur igitur horum judicium & sententia differenda erat? Sed statim morte damnabantur, literasque in omnia loca conscribunt; N. N. filius N. N. supplicio capitis affectus est ab N. N. Synhedris; & N. N. N. N. fuerunt ejus testes; & hoc atque illud peccaverat, & hoc & illud ei fecerunt.

5 *Tria in illo &c. Tosaphta Chagigah cap. I.* 7. Tria præcepta observantur in festo; nempe apparitio, sacrificium festi, & lætitia; est in apparitione, quod non est in ambobus, & in sacrificio festi, quod non est in ambobus; & in lætitia, quod non est in ambobus. Sacrificium apparitionis totum Deo offerebatur, quod non observatur in reliquis duobus; sacrificium festi observabatur ante præceptum, & post præceptum; quod non fuit observatum in reliquis duobus; lætitia observatur tam a viris, quam in mulieribus, & observatur omnibus septem diebus, quod non observatur in reliquis duobus. *Maimonides ibidem cap. I.* Israelitis in unumquodque de tribus illis statis temporibus feriatis tria præcepta jubentia sancita sunt; eorum unum erat, ut sese darent Deo in conspectum, de quo Lex ita dicit: *apparebit omne masculinum tuum*. Exod. 23. 17.: alterum ut obirent sacra solennia, de quo scriptum videmus; *septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis*. Deut. 16. 15. Tertium erat, ut tempus illud hilare sumerent; videmus enim in Lege scriptum; *& epulaberis in festivitate tua*. Ibid. vers. 14.

6 *Præsentiam &c. Tosaphta Chagigah ibidem*. Quodnam vocatur sacrificium apparitionis? hæc sunt holocausta, quæ afferebantur, dum coram Deo apparebant. *Maimonides ibidem*. Jam isthuc Legis verbum: *apparebit*, id hanc habebat sententiam ut ad primum temporis feriati diem in atrio templi os suum quisque ostenderet, simul & victimam Deo mactaret solidam & eam aut volucrem, aut quadrupedem. Si quis igitur primo die feriati temporis in atrium templi se contulisset, nec tulisset holocaustum, non modo non esset obsecutus præcepto jubenti, sed etiam contra præceptum vetans commisisset; siquidem in Lege est: *non apparebis in conspectu meo vacuus*. Exod. 23. 15. neque tamen verberibus coerceretur de hoc vetito neglecto, propterea quod nihil effectum dedisset.

7 *Et ex* חולין *&c. Codex Chagigah cap. I.* 3. Holocausta in diebus festi intermediis adducuntur de profanis. *In quem locum ita Bartenora*. Misna hæc verbis quibusdam supplenda est, hoc sensu: holocausta, promissa, & vota spontanea in diebus festi intermediis veniunt, at non ipso die festo; & holocaustum apparitionis venit etiam die festo, quamvis habeat solutiones per integros septem dies, sed fundamentum præcepti est die primo festi, & si adducat, de profano tantum adducat necesse est. *Maimonides cap. II.* 8. Holocaustum illud, quod apparendi nomine ferebatur, haud secus ac cuncta sacra; quibus obstringebantur puræ religionis cultores, non nisi sua cujusque pecunia profana mercandum erat.

8 חגיגה *celebritatem &c. Tosaphta Chagigah ibidem*. Quodnam vocatur sacrificium festi? Hæc sunt sacrificia pacifica, quæ pro festo afferebantur; si de suo habebat, adducebat, sin minus, se comitem aliis præbebat, modo tamen ne numero minores essent, & omnia Chagigæ nomine nuncupabantur. *Maimonides ibidem cap. I.* Cum vero lex edicebat, ut sacrorum solennia celebrarentur, hoc edicebat, ut ad primum temporis feriati diem, quisque cum se sisteret in atrium, faceret sacrum pacificum, quod genus sacrificii fieri tantum quadrupedibus haud ignotum est.

9 *Hoc quoque &c. Tosaphta Chagigah ibidem*. Dixit R. Simeon filius Eleasaris: non disputarunt Schammajani cum Hillelianis de holocaustis, quæ semper afferabantur, quod non essent afferenda nisi de profanis, & de sacrificiis, quæ afferebantur in reliquis anni diebus; quod si vellet confidere super decima, confidere posset: super quanam re disputarunt? super sacrificio ipsius festi, quod schola Schammai dicit, de profano esse afferendum, & Schola Hillelis dicit, ejus debitum de profano adducet, & si velit confidere super decima, confidet; & in reliquis anni diebus ejus debitum ex decima adducet. *Maimonides ibidem*. In solennia vero sacra pacifica fas erat argentum secundis e decimis confectum impendi conjunctim cum aliquo profano; nempe permisto hoc argento pecus emebatur, qua solenne sacrum pacificum conficeretur. *Bartenora ad cap. I.* 3. *Chagigah* Cæterum Chagigah diei primi festi est obligatio, etsi illi fuerit multum carnis: quicquid autem obligatio est, illud tantum de profano adduci potest, non de decimis.

10 *Ut tota prima &c. Maimonides ibidem*. Oportebat autem, ut adjunctum isthuc argentum pofanum suppeteret ad prima certe fercula; jus erat enim sacra pacifica solennia fieri; quod autem cumque sacrum fieri jus erat, id nisi de cujusque argento profano non emi licebat. *Idem ad cap. I. 3. Chagigah*. Verum quod Schola Hillelis dicit *de decimis* vult, quod licet adducere sacrificia pacifica festivitatis de nummis decimarum secundarum, dummodo primum cibum adducat de eo quod profanum est; nam jam explicuimus, quod Chagigah sit obligatio; at nobis hypothesis est, quicquid obligatio est, illud adduci non potest nisi de profano. *Bartenora ibidem*. *At Schola Hillelis dicit de decimis*: in Gemara rogant, quomodo adduci potest de decimis, quandoquidem est obligatio, quicquid vero debitum est, de profano tantum adduci potest? respondent hoc intelligendum esse de conjunctione decimarum cum profano, ut si multi sint comedentes, ita ut illis non sufficiat unum animal, adducant unum pro sacrificio festivitatis de profano, & reliquum de pecunia decimarum secundarum. Et quamvis omnia animalia quæ adducuntur primo die festi vocentur Chagigagh, nihilominus Schola Hillelis putat quod licet adducere decimarum secundarum reliquias, quia jam satisfecit debito suo primo animali de profano desumto.

[11] *In festo Paschatis &c. Bartenora ibidem*; loquitur autem hic de Paschate, quia vesperi Paschatis etiam fiebat aliud sacrificium festivitatis; quando magna agni Paschalis societas erat, quæ cum agno afferebat sacrificium festivitatis sive Chagigæ, ut agnus Paschalis comederetur cum saturitate. *Maimonides de sacrificio Paschali cap. X.* 12. Ad mensis primi decimam & quartam diem cum fiebat sacrum Paschale, simul & sacra pacifica fiebant, & ista quidem itidem ut cuncta sacra pacifica bobus juxta atque reliquis pecoribus, grandibus, parvisque, maribus ac fœminis; hoc videlicet illud est, quod *sacrum solenne diei decimæ quartæ* vulgo dicitur; etenim hoc spectat divinæ Legis edictum illud: *immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus*. Deut. 16. 2. Jam sacrum illud solenne tum adjungebatur, cum sacrum Paschale fiebat die profesto, cum fiebat pure, cum fiebat parce; nam si dies illa decima quarta primi mensis incidisset in Sabbathum, si sacrum Paschale fieret inquinate, si victimarum Paschalium copia foret adeo magna, tum his nullum adhibebatur sacrum solenne, sed ipsæ mactabantur solæ. Sacrum solenne diei decimæ quartæ res erat non necessaria sed libera, atque ut cuncta sacrificia pacifica, sic & illud comedebatur intra duos dies & noctem unam; nam hoc Legis edicto: *& non remanebit de carnibus ejus, quod immolatum est vesperi die primo, usque mane*. Deut. 16. 4. id sanciri traditio est, ne de sacrificio solenni diei decimæ quartæ quicquam reservetur ad diem usque sextum decimum.

[12] *Sed Chagigah diei &c. Codex Chagigah ibidem*. Die primo festi Paschatis schola Schammai dicit de profanis, schola Hillelis dicit de decimis. *Bartenora ibidem*. Cæterum docet nos hæc Misna, quod sacrificium festi diei primi adduci nequit nisi de profano, sed sacrificium diei decimi quarti adduci poterat de decimis.

[13] *Lætitiam &c. Maimonides cap. I. 1. Chagigah*. Porro præscriptum erat, ut quisque tempus hilare id sumeret, hoc est, ut præter illa sacrificia pacifica solennia, faceret & alia quædam sacra pacifica, hæc scilicet illa fuerant, quæ vulgo dicebantur *sacra pacifica hilaritatis*; nam ad hæc spectat Legis edictum illud: *Et immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo*. Deut. 27. 7.

[14] *Hæc poterant &c. Tosaphta Chagigah cap. I. 9.* Israelitæ satisfaciunt debito votis, & oblationibus spontaneis, & decima animantium. *Et paucis interjectis*. Non afferebatur sacrificium Eucharisticum in festo Azymorum propter fermentatum, quod in ipso erat, nec in Pentecoste, quia eo die multa mactabantur sacrificia, sed afferebatur in festo Tabernaculorum, & cum eo suo debito satisfaciebat. R. Simeon dicit non afferebatur sacrificium Eucharisticum in festo Tabernaculorum, quia omne id, quod afferebatur in festo Azymorum, poterat etiam afferri in festo Pentecostes, & in festo Tabernaculorum, & id quod non afferebatur in festo Azymorum, non poterat afferri in Pentecoste, & in festo Tabernaculorum. R. Eliezer dicit; Sacrificium Eucharisticum afferebatur in festo Tabernaculorum; & cum eo satisfiebat debito *pro sacrificio* hilaritatis, non autem pro sacrificio Festi. *Maimonides ibidem cap. II.* 10. Pro sacrificiis pacificis hilaritatis defungebantur Israelitæ quidem votivis, & promissis hostiis, bestiisque decumis. *Et paucis interjectis*; si quis victimas pacificas, & illas a se votas, aut promissas immolasset ad vigiliam diei solennis, ut easdem ipso die solenni comedisset, nihilo magis sacrorum solennium obeundorum officio functus esset, quippe quæ bestiis alioqui profanis demum fiebant, rursus eædem ad officium hilariorum valuerunt. Officio inquam hilariorum satisfiebat hoc genere victimarum vel ante diem festum immolatarum; siquidem die festo comederentur, neque enim oportebat victimas illas pacificas hilaritatis mactari tunc ipsum, cum tempus lætum sumeretur. Omnino quartodecimo die mensis Nisan sacrum Eucharisticum fieri non conveniebat, ea re, quia inerat eo sacro panis fermentatus, neque unquam in eum locum deducenda divina res erat, ut temerari facile posset; verum enim siquis id sacrificii genus tum fecisset, eo uti deinceps ad hilariorum officium faciendum, sic ut supra posuimus, licitum erat.

[15] *Et Sacerdotes ipsi &c. Tosaphta Chagigah ibidem*. Sacerdotes (*debito satisfaciebant*) sacrificio pro peccato, & sacrificio pro delicto, primogenito, & pectore; & armo, sed non avibus, neque fertis. *Maimonides ibidem*. Et sacerdotes (*debito satisfaciebant*.) etiam hostiis piacularibus, & primogenitis animantibus; imo vero cuivis horum donum impertitum aliena de victima, pecus & armus, ibidem ad hoc officium exequendum erat aptum, nam hujus officii vis in eo sita erat omnis, ut edenda carne in conspectu Dei hilarem se quisque faceret, quod utique Sacerdotes comedendis hisce muneribus faciebant. Rursus Sacerdotes huic officio non satisfaciebant neque volucribus hostiis, neque fertis, ut in quibus non erat ea caro, qua hilaretur homo.

[16] *Obligantur mulieres &c. Tosaphta Chagigah cap. I. 7.* Hilaritas observatur tam a viris, quam a mulieribus, quod non fit in reliquis duobus. *Maimonides ibidem cap. II. 4.* Quicunque tenebatur religione apparendi, idem & obire solennia sacra debebat, & quivis solutus illo officio, hoc etiam solutus erat; at hilariorum religione obligabantur omnes, præter surdos, mentis inopes, impuberes, incircumcisos, & inquinatos. *Bartenora ad cap. II. 2. Chagigæ*. Hæc sacrificia pacifica non memorantur hoc loco, neque sapientes illis fixerunt quantitatem; mulieres autem tenentur ad ea ut viri, quia mulieribus commendata est lætitia, uti scriptum est Deut. 14. 26: *Et epulaberis tu & domus tua*.

[17] *Si quis autem &c. Maimonides ibidem cap. I.* 4. Si quis primo die feriati temporis nec oris ostensi causa fecisset sacrificium solidum, nec pacifica illa sacra solennia obisset, porro cæteris ejusdem feriati temporis diebus ea sacra faceret; habemus enim in Lege; *septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis*. Deut. 16. 15. ex quo hoc efficitur, tempus hoc universum idoneum esse, quo sacra solennia conficerentur. Et vero cæteri omnes dies feriati instituti sunt ad primum illum & solennem diem sacris instaurandum; jus enim erat hæc sacra facere primo die feriati temporis abjecta omni cunctatione: si quis autem sciens insciens ea primo die feriati temporis non fecisset, faceret die secundo, verumtamen quicunque moram interponebant, notabantur. Etenim in tales homines conveniebat ea vaticinatio: *Ecce ego interficiam omnes, qui afflixerunt te in tempore illo*. Soph. 3. 19. Si quis tempus festum exegisset totum, nec illa sacra solennia obisset, porro non præstabat, talem autem hominem tangit oraculum illud: *perversi difficile corriguntur*. Eccles. I. 15. Si quis sacra solennia non fecisset ad primum umbraculorum diem, ea poterat deinceps facere per totum illud tempus festum etiam ad extremum diem numero & octavum; nimirum & octavus ipse dies ideo feriatus erat, ut eo primus ille solennisque dies instauraretur. Item si quis sacra solennia non fecisset tum, cum celebrabatur dies festus hebdomadarum, eadem facere continuo septem dierum spatio poterat; nam ad hunc quoque diem festum sacris instaurandum spatium dabatur sex dierum consequentium. Atqui traditione tenetur istuc, hebdomadarum solennitatem solennitati panum Azymorum in sacris instaurandis prorsus esse similem.

[18] *Nulla mensura &c. Codex Chagigah cap. I. 2.* Schola Schammai dicit; comparitio *postulat* duos nummos argenteos, & Chagigah unum nummum argenteum. Schola Hillelis dicit: comparitio *postulat* nummum argenteum, Chagigah duos nummos argenteos. *Ubi Maimonides; comparitio* de qua scriptum est Deut. 16. 16. *non apparebit ante Dominum vacuus*, idest adducet quisque secum sacrificium holocausticum, quando ascendit ad festum, & hæc holocausta vocantur *holocaustum comparitionis*, & vocatur etiam *comparitio* sine voce *holocaustum*, neque ei quantitas fixa est, quia Deus ibidem dixit איש במתנת ירו, sed unum holocaustum non debet esse infra pretium nummi argentei, qui valet sedecim grana hordei. *Et Festivitas* de qua dictum est Levit. 23. 41. וחגותם אותו חג ליהוה, idest adducet similia pacifica, & hæc vocantur Chagigah. Sed illis non statuta est quantitas ulterior, neque duobus nummis argenteis minora esse debent, qui conficiunt triginta duo grana hordei. Schola Schammai dicit, quod holocaustum debet esse majus, eo quod totum pro Domino est; Schola Hillelis dicit, quod sacrificia pacifica pluris constare debent, quia in illis est pars pro Deo, pro Sacerdotibus, & pro possessoribus. *Idem cap. I.*

2. tra-

2. *tractatus Chagigæ*. Cujus pretii ſacrificium quiſque faciat, cum ſe ſiſtat in atrio, & ſacra ſolennia cum obeat, a Lege quidem nihil decernitur, ſed offeret unuſquiſque ſecundum quod habuerit, *juxta benedictionem Domini Dei ſui, quam dederit ei*. Deut. 16. 17. Verum enim ſapientum decreto cautum eſt, ſolidum illud ſacrificium, quod quiſque ſe ſiſtendo faciat, ne vilius uno nummo argenti, & quæ conficiat ſacra pacifica ſolennia duobus nummis argenteis ne viliora ſint; æquum eſt autem, & bonum hæc quemque facere pro facultatibus ſuis, ſiquidem a Lege ita dicitur : *juxta benedictionem Domini Dei ſui, quam dederit ei*. Sed vero ne ſapientes quidem conſtituerunt, quid ſumtus faciendum eſſet in ſacris pacificis hilaritatis.

[19] *Hi offerebantur &c. Maimonides ibidem cap. I.* 10. Ad ferias minus ſanctas, quæ ſtatis illis temporibus feſtis inter primum & ultimum diem ſolennem interjectæ ſunt, ſacrificia votorum, & promiſſorum fieri licebat; quod enim a Lege dicitur : *hæc offeretis Domino in ſolennitatibus veſtris præter vota & oblationes ſpontaneas*, id declarat hujus generis ſacrificia fieri tempore feriato licere; ſequitur autem in *holocauſto*, quod ſignificat hominum leproſorum, atque puerperarum holocauſta, & quod deinde ſequitur *in libamine*, id fertum peccatoris indicat, & fertum Zelotypiæ, ad extremum additur : *& in hoſtiis pacificis*, quod comprehendit etiam ſacra pacifica Nazyræi, quæ omnia feriis illis minus ſanctis fieri fas erat ſcilicet, diebus ſolennibus non item.

[20] *Nonnulla opera &c. Toſaphta Moed Katon cap. I.* ex fonte, qui recenter exierit, poteſt rigari campus humidus, verba R. Meyr; & ſapientes dicunt, ex eo non rigandus eſt niſi campus ſiticuloſus, qui eſt ſicus. R. Eleaſer filius Azariæ dicit : ex eo non eſt rigandum, neque poteſt hauriri, neque rigari aquis putei profundi, neque ex ſtagnis, quæ ex putei aquis repleta eſſent, ſed ex ſtagnis, quæ ex agri defluentibus agris facta fuerint, rigari poteſt. R. Simeon filius Menaſiæ dicit; ſi ſint duæ ciſternæ, una ſuper aliam, non debet ducere aquam ex inferiori ad ſuperiorem, & rigare, ſed tamen poteſt rigari a ſuperiori ad inferiorem. R. Simeon filius Eleaſaris dicit : ſi areolæ pars una inferior, altera ſuperior ſit, non ducet aquam a parte inferiori ad ſuperiorem neque rigabit, ſed poteſt ducere a ſuperiori in inferiorem, & rigare. Poteſt rigari campus ſiticuloſus in feſto parvo; licet effodere foſſas circum radices vitium, atque olivarum, quæ ſunt circum arbores; & poſſunt cannis uti. Quod ſi minus fieret, detrimento foret, fieri poteſt in feſto parvo, quæ res non perderetur, non facienda eſt in feſto parvo. *Maimonides de die feſto cap. VII.* In Profano ſolennitatis, quamvis pro eo non ſcripta ſit *vox* quietis, cum appelletur *convocatio ſanctitatis*, & id erat tempus ſacrificii feſti in Sanctuario, vetitum eſt facere opus, ne *hi dies* ſint ſimiles reliquis diebus, qui nullam habent ſanctitatem; & qui in eo facit opus, plagis rebellionis vapulat, quia ejus interdictum eſt ex decreto ſapientum; non omnia opera ſervilia in eo vetita ſunt ut in die feſto, quia omne quod vetatur, ea de cauſa prohibetur, ne omnino ſit diei profano ſimilis; qua de re in eo ſunt opera interdicta, & opera licita. Omne opus, quod ſi minus fieret in ſolennitate, magno eſſet detrimento, fieri poteſt, dummodo magnum laborem non requirat. Quo pacto hoc intelligitur? Rigari poteſt ager ſiticuloſus, non humidus, quia ſi non rigabitur ager ſiticuloſus, cum ſit terra arrida, omnes arbores perdentur; & quando rigat, non hauriet, neque rigabit ex ſtagno, neque ex aquis pluviæ, quia multa opera in his impendenda eſt, ſed rigabit ex fonte, quamvis ab initio non exierit, ducet, & ex eo rigabit; & ita cætera his ſimilia &c.

[21] *Et quæ ad publicam &c. Toſaphta Moed Katon cap. II.* 11. Poſſunt exerceri judicia pecuniaria, & capitalia, & judicia pœnalia; & comburitur vacca ruſa, & poteſt decollari vitula, poteſt terebrari auris ſervi hebræi, poſſunt redimi æſtimationes ſacræ, res devotæ, & ſanctificationes, & decima ſecunda &c. *Maimonides ibidem cap. VII.* 11. 12. Et exeunt miniſtri magiſtratus, ut faciant communia ſemina heterogenea, & redimant mancipia, & ſacras æſtimationes, & ſacra anathemata, & ſanctitates; & poterant potari mulieres adulterii ſuſpectæ, & poterat comburi vacca ruſa, & decollari vitula, & terebrari auris ſervo hebræo, & mundari leproſus &c. Poſſunt exerceri judicia pecuniaria, capitalia, & plagarum in feſto parvo, & qui ſe judicio ſubdere nollet, poteſt excommunicari in feſto parvo; & quemadmodum poſſunt judicia exerceri in feſto parvo, ita poteſt ſcribi omnis actio judicialis, & cætera his ſimilia.

[22] *Uti ſepulchra &c. Maimonides ibidem*. Poſſunt ſignari ſepulchra, quorum ſigna pluviæ deleviſſent, ut Sacerdotes ſe ab his removerent. *Bartenora ad cap. I. 2. Moed Katon; & ſignant ſepulchra*, ſuper ſepulchra ſignaturam faciunt, quorum calcem diſrumpebant, & ſuper ſepulturam conjiciebant, quod ſignum erat peregrinantibus ne irent per loca immunda.

[23] *Erant ſex &c. Maimonides cap. I. 1. de die feſto*. Sex iſti dies, quibus ſcriptura prohibuit ullum facere opus, ſunt dies primus, & ſeptimus Paſchatis, & primus, & octavus feſti Tabernaculorum, & dies feſti ſeptimanarum, & primus menſis ſeptimi, atque hi vocantur ימים טובים *dies feſti*; horum porro dierum æqualis eſt quies.

[24] *Excepto illo &c. Siphri ad Num. cap.* 28. 18. *& in prima die erit vobis convocatio ſanctitatis* (ita Hebræus) oportet celebrare cibo, convivio, & veſtibus mundis. *Omne opus ſervile non facietis in ea*; docemur, quod vetitum ſit in ea facere opus; & unde probatur permiſſum eſſe id quod ſit neceſſarium pro cibo vitali? dicitur hoc loco *convocatio ſanctitatis*, & dicitur eo loco *convocatio ſanctitatis* (Exod. 12. 14.) Sicuti ibi permittitur cibus vitalis, etiam *convocatio ſanctitatis* hoc loci dicta permittet cibum vitalem. *Toſaphta de die feſto cap. IV.* 6. Non judicant, non dant ſponſalia, non extrahunt calceum, non ducunt jure affinitatis; & hæc ex præcepto vetita ſunt, non ſanctificant, non æſtimant res ſacras, nec ſacra devota, non ſeparant oblationem primam, & decimas; omnia hæc dicta ſunt de die feſto, quanto magis de Sabbatho; nulla alia differentia inter diem feſtum, & Sabbathum, niſi in eo, quod ſpectat ad cibum vitalem. *Maimonides ibidem*. Horum porro dierum æqualis eſt quies, quod prohibitum eſt in iis facere ullum opus ſervile, præterquamquod ad neceſſitatem cibi præparandi attinet juxta verſiculum qui dicit : *exceptis his, quæ ad veſcendum pertinent*. Exod. 12. 16.

[25] *Mixtura ciborum &c. Toſaphta de die feſto cap. II.* 1. In feſto, quod incidet in vigiliam Sabbahti, non faciendæ ſunt commixtiones neque pro atriis neque pro terminis Sabbathi, verba Rabbi; & ſapientes dicunt, poſſunt fieri commixtiones pro atriis, ſed non pro terminis; poteſt fieri commixtio pane pro Sabbatho, & decocto pro feſto, quia dixerunt etiam carne aſſata, etiam tritico aduſto, ſuper quod aquam injeciſſet a vigilia Sabbathi. Qui facit decoctum a vigilia feſti omni modo poteſt coquere ipſi innixus pro Sabbatho, & cooperire per ipſum decoctum, ad ſervandum illud calidum, & ei licet comedere, dum adhuc dies eſt, eique licet donare aliis, & ejus principium & finis non habet quantitatem. Licitum eſt, viris ejuſdem atrii facere decoctum ad coquendum, & elixandum propter ipſum in Sabbatho, eiſque licet ſocietatem cum eo facere pro introitu. Qui oblitus non feciſſet commixtionem, alii vero commixtionem feciſſent, eo ſibi facere licet; ſi ipſemet, qui oblitus eſt, & non fecerit commixtionem, poteſt eo vas implere, & ſibi lumen accendere. Dixit R. Simeon, fatetur Schola Schammai, & Schola Hillelis, quod ſint duo decocta; ſuper quare diſputarunt? ſuper piſce, & ovo, quod ſuper illum ſit, quod Schola Schammai dicit, quod ſit unum decoctum, & Schola Hillelis, quod ſint duo decocta; fatentur vero, quod ſi coquiſſet duas ſpecies in una olla, aut quod extendiſſet ovum ſuper piſcem, aut incidiſſet ſub piſce cæpam, quod ſint duo decocta. *Maimonides de die feſto cap. VI.* Die feſto qui concidit cum veſperiis Sabbathi, interdictum eſt coquere panem, & alios cibos die feſto, quod comedat Sabbatho inſequenti; & prohibitio hæc eſt ex decreto Scribarum; ne ſcilicet quis coqueret die feſto pro profano; nam hæc eſt argumentatio a minori ad majus. Si pro Sabbatho coquere non poteſt, eo magis non faciet pro die profano, ideo ſi feciſſet decoctum in vigilia feſti, ut eo inniteretur,

ut

ut coqueret panem & cibos in die festo pro Sabbatho, licitum est, & hæc vocatur commixtio decoctorum. Qua de causa ejus nomen vocatur commixtio? Quia quemadmodum commixtio, quæ fit pro atriis, & introitibus in vigiliis Sabbathi, est tantum in notitiam, ne credatur, quod sit permissum transportare a loco in locum in Sabbatho; ita hoc decoctum fit solum in notitiam & memoriam, quia non opinentur, & credant, licitum esse coquere in die festo, quod in ipso die non comedit; qua de re hoc decoctum vocatur commixtio decoctorum. Decoctum erit saltem ad quantitatem olivæ tam pro uno quam pro mille, neque fit hæc commixtio vel pane, vel tritico, aut his similibus, sed tantum decocto, quod est obsonium, nempe carne, piscibus, ovis, & his similibus, & etiam lentibus, quæ sint in fundo ollæ, & etiam pinguedine, quæ gladio insit, quo inciditur caro assata; potest eam tollere, si in eo sit olivæ quantitas, eique inniti pro decoctorum commixtione. Quod dixerunt de decocto respectu hujus commixtionis etiam assato, etiam elixo, etiam condito, etiam fumigato, etiam minutis piscibus, quos aqua calida lavisset, (cum inter lavandum coquantur, ut comedi possint) iis inniti potest. Necesse est, ut hæc commixtio servetur usque dum coquat, quod sibi coquendum est, panem, cibos, atque ita calefaciat, quod sibi opus est; & si perdita, aut combusta esset, vetitum est coquere panem, aut edulia, aut calefacere nisi tantum ea, quæ in ipso festo comedet; si incepisset depsere, aut facere decoctum, & comeditur, aut perditur commixtio, potest perficere. Qui ponit commixtionem decoctorum, ut iis innitatur, potest ea etiam aliis acquirere, & quo facto possunt acquiri commixtiones Sabbathicæ, ita in his faciendum est, & quisquis acquirit commixtiones Sabbathicas, potest acquirere commixtiones decoctorum, & qui non acquirit illas commixtiones, has non acquirit. Non est necesse, ut illis, quibus acquirimus, notum faciamus in vigilia festi, sed opus est, ut eos certiores faciamus, posteaquam eis acquisivimus, & pro iis miscuimus, & coquent, quamvis ignorent; die enim festo id facere possunt & unus pro universa civitate mixturam facere potest, & pro omnibus, qui sibi vicini sint intra terminos, & insequenti die, notum faciet, & dicet, quicunque commixtionem pro decoctis non posuit, meæ commixtioni innitatur. Qui ponit mixturam decoctorum, hanc benedictionem recitare debet: Benedictus tu Dominus Deus noster, Rex mundi, qui sanctificavit (*Hebræi semper tertia persona in precibus utuntur*) nos præceptis suis, & præcepit commixtionis præceptum; & dicet: hac commixtione, mihi liceat depsere, & alia edulia coquere in festo pro die crastina, quæ Sabbathum est; & si velit aliis acquirere, dicet, mihi N. N. & N. N. & hominibus universæ civitatis, ut possint depsere, & alia edulia coquere a die festo pro die Sabbathica. Si quis non posuisset commixtionem decoctorum, neque alius pro eo, sicuti illi vetitum est depsere, & alia coquere, ita ejus farina, & edulia vetita sunt ei, qui pro se ipso posuerit ad coquenda edulia, & panem propter hunc, qui non posuit, si hic illi non ea concesserit; tunc enim deprehenditur, quod sua coquat, postquam ei acquisivit, & si velit, dono dabit ei, qui commixtionem non fecerit. Si quis decoctorum commixtionem non fecisset, & coxisset edulia, aut panem, ut ipso die comederet, & ex his superesset, aut hospites invitaret, & ipsi non venirent, quod reliquum est, insequenti die comedere potest; & si caute agat, comedere non licet, si prævaricatus esset, & coxisset edulia, & panem pro Sabbato, prohibetur; & qua de causa durius est jus, & prohibitio in eum, qui caute agit, & non prohibent ei, qui de industria agat? Quia si permittatur ei, qui caute agat, omnes caute agent, & aboletur lex commixtionum pro decoctis; sed qui de industria agit, præter morem agit, & si hodie prævaricatur, alias non prævaricabitur. Si duo dies festi incidant in feriam quintam & sextam, faciet commixtionem pro decoctis feria quarta, quæ est vigilia festi, & si oblitus non posuisset, ponere potest primo die, & pacisci. Quomodo intelligitur hoc pactum? ponet commixtiones decoctorum in die quinto, & dicet: si hodie est dies festus, & cras est profanus, cras coquam pro Sabbatho, neque alio mihi opus est; & si hodie est profanus & cras est dies festus, hac commixtione mihi liceat depsere, & coquere alia edulia crastino die, qui est festus dies pro Sabbatho &c.

[26] *Dies 15. Abh. &c. Gemara ad cap. IV. 8. Codicis Taanith.* Concedatur diem expiationum *recte dici admodum hilarem*, quippe quo datur condonatio ac remissio peccatorum, quo etiam exhibitæ sunt tabulæ Legis posteriores. Verum qua ratione idem de XV Abh dicitur? Resp. R. Jehuda auctoritate Samuelis *cujusdam*; dies hic est, quo licitum est pronunciatum tribubus, ne una ad alteram accederet fœderis faciendi conjugalis causa; sed unde hoc probatur? Resp. id patet ex Num. 36. 6. *Et hæc lex super filiabus Salphaad &c.* i. e. res hæc non erit usitata nisi in hac generatione. Dixit R. Joseph nomine R. Nachmanis, hic ipse dies XV Abh est, quo tribui Beniaminis permissum fuit cum cœtu reliquo Israelitarum matrimonio jungi, quandoquidem Jud. 21. 1. dicatur: *Juraverunt quoque filii Israel in Maspha, & dixerunt; nullus nostrum dabit filiis Beniamin de filiabus suis uxorem*: sed quomodo hoc intelligendum est: *nam si juraverant, qua ratione poterant nubere, nuptuive dare?* Respondit Rabh *in textu quidem habetur ex nobis*, verum ex filiis nostris, non prostat. Dixit Rabba filius Rabh Chanæ nomine R. Jochananis: est dies, i. e. XV Abh, quo consumpti sunt homines, qui in deserto vixerant, sicut dixit Mar; usquequo homines in deserto viventes non consumti essent, Dominus ad Mosem non locutus est; Dicitur enim Deut. 2. 16. *Postquam universi ceciderunt pugnatores, locutus est Dominus ad me*; q. d. ad me factum est oraculum Divinum. Ula dixit; *Quintus decimus Abh* est ille ipse dies, quo Hosea filius Ellæ interemit custodes quos viis imposuerat Hieroboam filius Nebat, ne ascenderent Israelitæ ad festum, & dixit iis, ut ascenderent quando vellent. Rabh. Mathna de hoc ipso die dixit, eo traditos fuisse ad sepulturam occisos urbis Bither. Perrexitque dicere Rabh Mathna; eo ipso die quo redditi ad sepulturam fuere occisi urbis Bither, confecta est in Jabne *benedictio illa, quæ dicitur*, qui bonus est & benefacit, Bonus *Deus*, quia *cadavera illa* non facta fuere fœtida; qui bene facit, quia ad sepulturam data. Rabba, & Rabh Joseph conjunctim dixere; est dies hic, quo cessabatur a lignis cædendis in usum struis altaris. Prostat & talis exotica traditio. R. Eliezer magnus dixit; ex quinto decimo Abh & porro solis exsiccandi vires debilitantur, unde *post eum diem* nec ligna cædebantur pro strue altaris, siquidem arefieri non poterant, *metusque erat veracium in iisdem nascendorum, ob quos illegitima reddebantur ligna.* Dixit Rabh Menaschia, vocarunt hunc diem securis fractorem, *cum ab eo cessarit sectio lignorum.* Ab hoc die & porro, qui addit *noctes diei in studium Legis impendenda*, addet *vitam vitæ suæ sive prorogabit vitam suam*; qui vero non addit, consumetur. Docet Rabh Joseph, quid sibi velit vox illa, *consumetur*, nimirum sepeliet illum mater sua, *h. e. morte prælmatura decedet*.

[27] *Quos multitudo &c. Medrasch Jalcut Simonis fol.* 283. *col.* 1. Illud quod Lex dicit, Deut. 16. 14. *Et lætaberis in festis tuis* (sic Hebræus) omne lætitiæ genus includit diebus festis exhibendum. Quare dicunt Israelitas *hac in re non melius* debito officio satisfacere posse, *quam* per vota, oblationes spontaneas, atque decimas *secundas quarum pars quoque iis cedebat, læto convivio in loco sacro absumendas*. Sacerdotes vero *per comestionem portionis suæ* ex sacrificiis pro peccato, & reatu, nec non ex pecorum primogenitura, pectore denique, & crure.

[28] *Ultimus sive octavus &c. Bemidhar Rabba sect.* 21. Die octavo erit feria, hoc est quod dicit Scriptura; *pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.* Psalm. 108. 4. Tu comperis, o Deus, quod Israel in festo Tabernaculorum offert coram te septuaginta juvencos pro septuaginta nationibus. Dicunt ergo Israel; o Domine æterne, ecce nos offerimus pro his septuaginta juvencos, unde congruum est ut nos ament, ast illi, sicut dicitur; *pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi;* Dicit ergo iis Sanctus Benedictus; nunc ergo offerte pro vobismetipsis die octava . . . . . Parabola. Simile hoc est Regi, qui fecit convivium septem dierum, atque invitavit omnes homines in provincia septem diebus convivii; ast eum jam præterierant septem dies convivii, dicit amico

suo;

ſuo; præſtitimus jam officium noſtrum, erga homines urbis, revertamus jam ego & tu ad quodcumque occurrerit, ſitne vel libra una carnis, aut piſcis aut olerum. Sic dicit Sanctus Benedictus Iſraeli; *die octava erit vobis feria &c.*

[29] *Primus* יום טוב *&c. Non tanta fuit lætitia in Paſchate, quanta in die Pentecoſtes, & in feſto Tabernaculorum. R. Abraham in Tzeror Hammor fol.* 139. 1. Et quoniam hoc in feſto (*Pentecoſtes*) Lex fuerat lata, hinc de eo ſcriptum eſt: *& lætaberis* (ita Hebræus) *coram Domino Deo tuo*. Quia in Legis *obſervatione* lætitia eſt, q. d. e. *Juſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda*. Pſalm. 18. 9. *Lætabor ego ſuper eloquia tua*. Pſalm. 118. 162. Verum in Paſchatis feſto nullius lætitiæ mentio eſt, quia tum temporis Legem nondum acceperant, & porro quia tum gaudium ipſorum nondum fuit perfectum uſque ad ſeptimum *poſt exitum* diem, in quo Ægyptii ſubmerſi fuere, idcirco plane nullius gaudii in feſto Paſchatis injicitur mentio. Atque in feſto Pentecoſtes ſimpliciter dicitur, *lætaberis*, ſcilicet ob legiſlationem; verum in feſto Tabernaculorum dicitur Deut. XVI. 14. *& lætaberis feſtis tuis*; & iterum ibidem verſ. 15. *& eris admodum lætus* (ita Hebræus) quod duo gaudia *diverſa innuit*, unum nimirum propter datam Legem, ſed quoniam & poſthac peccatum grave circa *μοσχοποιΐαν* commiſerant, quod non expiatum fuit uſque ad magnum expiationis diem, ideo in feſto Tabernaculorum gaudii abundatioris mentio fit, nimirum propter expiationem *jam factam*; peccator enim dolore afficitur ob peccatum, ſed illo expiato iterum lætus evadit: quare & Hieroſolyma dicitur; Pſalm. 47. 3. *fundatur exultatione univerſæ terræ mons Sion*; quia ſcilicet in Sanctuario fuit expiatio *peccatorum*, & lætitia.

[30] *Fiebat autem &c. Maimonides de ſacrificiis Jugibus, & Addititiis cap. VII.* 11. Jam hæc erat hujus manipuli parandi ratio. De vigilia ſolennitatis emittebantur a Senatu, qui terræ ſolo fruges inhærentes colligarent in faſciculos, quo facilius meterentur. Ac conveniebant eo proxima quæque oppida, quo meſſis iſta majorem haberet celebritatem; metebant igitur tria ſata hordei homines tres, tribus falcibus, & arcis imponebant tribus. Cum primum advesperaſceret, meſſorum unus omnes aſtantes interrogabat, *jam occubuit ſol?* & reſpondebant ei, *ſic eſt*. *Hęccine falx meſſoria?* reſpondebant ei *ſic eſt*. Hęccine arca? reſpondebant ei, *ſic eſt*. Quod ſi Sabbathum eſſet, idem rogabat, *eſtne Sabbathum hodie?* & reſpondebant ei, *eſt*. Tum deinde rogabant, *metamne?* Et illi reſpondebant, *mete*. Atque harum rogationum, & reſponſionum unaquæque ter repetebatur. Quorſum igitur hæc tam multa? Ad refellendos heterodoxos illos, qui ſtante templo ſecundo a communione Judæorum recedentes, Legis illud *altero die Sabbathi* (Levit. 23. 11.) pertinere ad Sabbathum *Geneſeos* pugnabant. Nos autem auditione accepimus hoc loco agi non de Sabbatho, ſed de ſolennitate Paſchatis, quod idem ſemper Prophetis viſum eſt, & Synhedriis cujuſque ætatis, qui manipulum iſtum ferebant decimo ſexto die Niſan, ſive dies ille communis, ſive Sabbathum foret; etenim eſt in Lege: *Panem & polentam, & pultes non comedetis ex ſegete uſque ad diem qua offeratis ex ea Deo veſtro*. Ibid. verſ. 14. Atque Scriptura videmus; *& comederunt de frugibus terræ die altero* (*Paſchatis*) *azymos panes, & polentam*. At enim dixerit aliquis, Paſcha illud in Sabbathum inciderat, quod utique quibuſdam inſanis viſum eſt; quomodo ergo Scriptura licentiam novarum frugum comedendarum refert ad rem minime neceſſariam, nec certa cauſa, ſed caſu fortuito cadentem? Cum igitur Scriptura rem conſtituat in poſterum diem Paſchatis, perſpicuum eſt poſterum diem Paſchatis demum cauſam eſſe, quæ permitteret novis veſci frugibus, nec in quem ille hebdomadæ diem incideret, quiquam fuiſſe curandum.

[31] *Præterea ab hoc &c. Siphra ad Levit.* 23. 15. 16. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbathi*, a die inſequenti feſti. Crederem a die poſtero diei Sabbathi? Dicit R. Joſe filius R. Jehudæ, quando dicit textus, *uſque ad alteram diem expletionis hebdomadis ſeptimæ, id eſt quinquaginta dies*, totus eorum numerus non debet eſſe niſi quinquaginta dierum. Si igitur volueris dicere a die inſequenti diei Sabbathi, aliquando numerabis unum & quinquaginta, duos & quinquaginta, tres & quinquaginta, quatuor & quinquaginta, quinque & quinquaginta, & ſex & quinquaginta, *ab altero die Sabbathi*, a die poſtero feſti. R. Jehuda filius Beteræ dicit, *ab altero die Sabbathi*, a die poſtero feſti; poſſem exiſtimare ab altera die diei Sabbathi? quando dicit, *ſeptem hebdomadas numerabis tibi* (Deut. 16. 9.) ſignificat numerationem, quæ dependet a magiſtratu, excluditur Sabbathum, quod non dependet a magiſtratu, cujus computus a quolibet fit. R. Joſe dicit, *ab altero die Sabbathi*, a die poſtero feſti, crederem a poſtero die diei Sabbathi? Itane? dictumne eſt a die poſtero Sabbathi Paſchatis? Nonne dicit *ab altero die Sabbathi?* Nonne totus annus plenus eſt Sabbathis? Tu vero conſidera, quodnam ſit hoc Sabbatum; dictum eſt hic, *ab altero die Sabbathi*, & ulterius dictum eſt, *ab altero die Sabbathi*; ſicuti dies alter Sabbathi ulterius dictus deſignat feſtum, & principium feſti, etiam dies alter Sabbathi hoc loco dictus loquitur de feſto, & de principio feſti. R. Simeon filius Eleaſaris dicit, alter textus dicit, *ſex diebus azyma comedetis*, & alter textus dicit, *ſeptem diebus azyma comedetis*; quomodo ambo textus conciliantur? Azyma, quæ non potes comedere ſeptem diebus ex frumento novo, potes comedere ſex diebus ex novis frugibus? Quomodo intelligendum eſt, *ab altero die Sabbathi?* ab altero die feſti; *ab..... die...... in quo obtuliſtis*. Crederem, quod poſſet metere, & offerre, & numerare, quando vellet? Ideo dicit, *qua falcem in ſegetem miſeris, numerabis tibi* (Deut. 16. 9.) Si igitur *a die in qua falcem in meſſem miſeris*, crederem, quod poſſet metere, & numerare, & deinde offerre arbitratu ſuo? ideo dicit, *ab....... die........ in quo obtuliſtis*; ſi *ab..... die....... in quo obtuliſtis*, poſſem credere, quod poſſet metere die, & numerare die, & offerre die; ideo dicit, *ſeptem hebdomadas plenas*. At quando ſunt plenæ? quando incipit veſpera; poſſem credere, quod poſſet metere noctu, & numerare noctu, & offerre noctu? ideo dicit, *ab...... die..... in quo obtuliſtis*, non offerebatur niſi interdiu; quomodo igitur fiebat? metebatur veſpera, & numerabatur veſpera, & die offerebatur. *Numerabitis...... quinquaginta dies*; hoc eſt, quod dicit Rabbi filius R. Jehudæ; totus computus non debet eſſe niſi quinquaginta dierum. *Numerabitis..... quinquaginta dies*; poſſem credere, quod numeraret quinquaginta dies, & ſanctificaret quinquageſimum primum; ideo dicit, *ſeptem hebdomadas plenas*; poſſem credere, quod numeraret octo & quadraginta dies, & ſanctificaret diem nonum & quadrageſimum; ideo dicit, *numerabitis..... quinquaginta dies*; quomodo igitur intelligitur? numerabat novem & quadraginta, & ſanctificabat diem quinquageſimum. *Abarbanel in Pentat. fol.* 262. 1. *contra Karæos*. Quod, *inquit*, verſ. 11. dicitur ממחרת השבת *a craſtino Sabbathi*, ſciendum diem feſtum ſolennem primum Paſchatis vocari Sabbathum, ſicut & dies clangoris vocatur שבתון Sabbathum verſ. 24. quia dies primus Paſchatis eſt dies primus feſtorum dierum, ideo a feſto Paſchatis vocatur השבת cum ה demonſtrativo, q. d. *Sabbathi illius cujus modo mentio facta* nam in illo die XV. prima erat ſolennitatum quies & ceſſatio ab opere. Nequaquam vero cum Karæis errantibus eſt dicendum, intelligi præciſe *craſtinum diem Sabbathi creationis* h. e. diem primum ſeptimanæ. Sic verſ. 15. 16. *& numerabitis a craſtino Sabbathi*, quia inde debuit fieri numeratio. Siquidem Deut. 16. 9. *qua falcem in ſegetem miſeris*; quocumque demum illud ſeptimanæ die fieri contigerit. Ita hic dicitur, *& numerabitis vobis a craſtino Sabbathi*, cujus Sabbathi? id explicatur quando dicitur, *ab altero die Sabbathi, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum*. Ab hoc quippe die debebant incipere numerare ſeptimanas integras, quæ faciunt 50 dies a die allati manipuli, ſicut dicitur; *ſeptem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in ſegetem miſeris*. Si e. g. ad meſſem falx inceperit immitti in ſegetem die ſecundo ſeptimanæ, & ab eo die non inciperent numerare uſque ad craſtinum diem Sabbathi proximi, ſex tranſirent dies, & poſtea adhuc ſeptem ſeptimanæ numerandæ, & ſic dies ſeptimanarum ſeu Pentecoſtes non incideret in quinquageſimum, ſed in ſextum & quinquageſimum diem. Quod ſi non fuerint ſeptimanæ integræ uſque ad craſtinum Sabbathi ſeptimi, ex quo primum falx cepit immitti in ſegetem, quando ſcilicet ille dies forte inciderit in diem ſepti-

septimanæ sextum, tum non complebuntur 50 dies, sed duntaxat 49. Quocirca non est nobis recedendum a Kabala nostra sancta, quam nobis tradiderunt veteres, inde a Mose Doctore nostro; illi enim sciverunt, quod *crastinus dies Sabbathi* sit 16 dies Nisan. Dies nempe XV. qui est dies primus Paschatis vocatur *Sabbathum*, quia est dies ille, quo opus omne primum cessat in festis diebus. Et cur nobis absurdum videatur diem solennem per septenarium numeratum, vocare *Sabbatum*, cum שמיטה *annus* intermissionis ob hanc rationem nomine *Sabbathi* vocetur? *Vide Megillath Taanith cap.* 1. *&* 2. *& Maimonidem de Sacrificiis Jugibus, & Addititiis cap. VII.* 22.

[32] *Tribus hisce festis &c. Tosaphta Succah cap. IV.* 14. Duos panes offerebant, & edebant omnes custodiæ, quia ex debito festi veniebant. Panis facierum offerebatur a custodia cujus tempus fixum est, & comedebatur ab omnibus custodiis; quomodo fiebat? Distribuebatur dimidia placenta singulis custodiis, & ipsæ inter se dividebant. R. Jeuda dicit, qui dividebat panem facierum, exibat, & stabat super pavimento lapidibus strato Hullam, dividebat, & deponebat, & singuli veniebant, & suam partem sibi capiebant; & Sacerdotibus maculatis foris eorum pars afferebatur, quia non poterant ingredi inter Hullam & altare. *Gemara Succah fol.* 55. 2. *Nonne* ablegamina festorum Deo cedunt? Resp. Raf Chisda (אמורי *hic non notat ablegamina, sed venit ab* אמר *dixit, hoc vult dicere Misna, eos æquales fuisse in partitione Sacrificiorum*) supradictorum in festis majoribus. Porro tradunt magistri; qui probatur, quod omnes classes æquales esse debeant in sacrificiis festalibus supradictis? Ex eo quod Scriptura ait. Deut. 18. 6. *Si exierit Levites .... & voluerit venire desiderans &c. Obj. ergo hinc sequeretur*, illum quoque pari modo omnibus anni diebus *ministerio sacro fungi posse, etsi vices eum non tangant. Resp. Negatur*; *nam addit Scriptura l. c. ex una urbium tuarum*; *quasi diceret Deus*; Ego non loquor in hac Lege nisi de tempore illo, quo omnes Israelitæ intrant per eamdem portam, *quod in festis majoribus fieri solet. Raschius ad hunc Gemaræ locum scribit, classes Sacerdotales omnes æquales fuisse*, in partitione sacrificiorum dictorum in festo majori, quæ *Sacerdotibus* inter se partiri convenit, veluti sunt pectus & crus sacrificiorum salutarium celebritatis oblatorum a particularibus, necnon pelles ex holocaustis comparitionis, sacrificia adjectitia totius cœtus, hircique pro peccatis. *Et de panibus propositionis Gemara ibidem fol.* 55. 2. T. M. unde probatur quod omnes classes debeant esse æquales in partitione panum propositionis? *Ex eo quod* Scriptura dicit. Deut. 18. 8. *Partem ciborum eamdem accipiet, quam & cæteri*. Cum igitur *omnes classes* suas habeant partes in ministerio, æquum est, ut suas quoque habeant in comestione. *Maimonides de vasis Sanctuarii cap. IV.* 4. Ac jubendo sancitum est, ut ad dies solennes sint æqua conditione curiæ omnes, ut quicumque peregre venerit Sacerdos ad solennitatem altari ministratum, cum ea quæ ex ordine operatur, curia ministret pariter, pariterque sacra participet, nec quis ei dixerit; abi dum curiæ tuæ statum ministrandi tempus appetierit, ait enim Lex: *si exierit Levites ex una urbium tuarum &c.* Verum enim notandum est hæc edicta dumtaxat esse de Sacrificiis dierum solennium, de partitione panum propositionis & duorum illorum panum Pentecoste offerendorum.

[33] *At ephemeria &c. Tosaphta Succah ibidem*. Sacrificia jugia, & votiva, & spontanea & primogenita, & addititia Sabbathi, & sacrificia pro peccato cœtus, & ejus holocausta, & holocausta debita privati sacrificabantur, & comedebantur ab ea custodia, cujus statum erat tempus. *Et paucis interjectis*. Custodia egrediens offerebat sacrificium juge matutinum, & sacrificia addititia, & *custodia* ingrediens offerebat sacrificium juge vespertinum, & panem facierum. *Gemara Succah fol.* 56. 1. *Quum Misna ait classem illa septimana ministrantem obtulisse*, etiam reliquas oblationes cœtus, quasnam his includit? Juvencum illum, quem offert cœtus pro peccato commisso ex ignorantia necnon hircos pro peccato Idolatriæ. *Et quando addit*, eamdem quoque *cæteras oblationes* obtulisse, quasnam his innuit? *eas quas offerebant ceu æstivos fructus* (*sive bellaria*) altaris. *Maimonides ibidem*; nam votiva sacrificia, voluntaria, & jugia nec solennibus quidem diebus quisquam fecerit præter curiam ex ordine ministrantem, quod in Lege dicatur; *Partem ciborum eamdem accipiet quam & cæteri, excepto eo quod in urbe ex paterna ei successione debetur*. Deut. 18. 8. Hæc enim est ejus loci sententia, portionem accipient æqualem, nempe de sacrificiis publicis, non item de rebus cæteris, quas partes jam distribuerunt tum, cum Sacerdotum curiis sua cuique hebdomadam descripserunt. Quin etiam operatio illa ipsa efficiendorum panum propositionis ad solam curiam ex ordine ministrantem pertinebat; sed operatio efficiendorum duorum panum ad Pentecostem offerendorum ex æquo pertinebat ad omnes curias. Atque de diebus solennibus solis hic mentionem fieri hic Legis versus significat: *ex una urbium tuarum ex omni Israel*. Deut. 8. 6. ea enim est ejus sententia, cum omnis Israel in unam & eamdem urbem convenerit. Quod autem de solis Sacerdotibus mentio fit, inde patet, quod Lex ait: *partem ciborum eamdem comedet*. Ibid. vers. 8. namque dona Sanctuarii nisi Sacerdotes comedebat nemo.

[34] *Quod si* יום טוב *&c. Maimonides Temid. cap. IV.* 12. Cum vero evenisset ut ex tribus solennitatibus una Sabbatho accideret, item & Sabbatho, quod inter dies festos Tabernaculorum medium intererat, omnino curiæ omnes panem propositionis æqualiter inter se partiebantur. Et cum eveniret, ut primus tabernaculorum dies solennis in primum hebdomadæ diem incideret; item curiæ omnes de vigilia solennitatis, Sabbatho scilicet, panem propositionis inter se partiebantur æqualiter, tum enim maturabant ire ad sacra administranda. Porro cum postremus Tabernaculorum dies solennis in Sabbathi vigiliam incideret, etiam omnes curiæ panem propositionis æqualiter inter se partiebantur eo Sabbatho, quo solennitas exiret. Id vero institutum fuerat ideo, ut propter partitionem panis propositionis Sacerdotes in templo diutius restarent, & si forte quis e curia vice sua sacra administrante apud se moratus in templum non venisset, alius in ejus locum reperiretur. Quod si accideret, ut inter Sabbathum, & solennitatem dies unus medius intercesset, ut si primus Tabernaculorum dies solennis incideret in secundum hebdomadæ diem, aut si postremus Tabernaculorum dies solennis incideret in quintum hebdomadæ diem, aut si dies Pentecostes incideret in secundum, aut quintum hebdomadæ diem, curia quæ statam vicem per hebdomadam elapsam exercuerat, sumebat placentas decem, & quæ illi succedebat curia, sumebat omnino duas. Nam posteriores isti omnino diem unum, vigiliam Sabbathi, aut primum hebdomadæ diem sacra soli administrabant; ex quo sane pigri fiebant, neque veniebant ex ipsis præterquam oppido pauci. *R. Salomon Jarchius in glossa ad Codicem Succah*. Si dies unus inter *Sabbathum & festum* dividat, veluti quando dies festi primus incidat in secundum septimanæ, ita ut classes potuissent accedere primo die septimanæ, illæ vero antecipaverint, venerintque jam in vespera Sabbathi *præcedentis*. Vel etiamsi dies festi ultimus in quintum septimanæ cadat ita ut classes potuissent discedere in vespera Sabbathi, illæ autem moratæ fuerint ibi per Sabbathum, tunc omnes illæ classes, quæ *præter necessitatem* remansere non nisi duas accipiebant placentas, classis vero illa, cujus tempus *ministerii* tum fixum est, sumebat decem, quæ distribuebantur inter classem intrantem *in ministerium*, interque classem ab eodem recedentem, prout in reliquis totius anni Sabbathis fieri consuevit. *Jom. Tobh. ad cap. V.* 8. *Codicis Succah*. Vult dicere, quod si dies unus *festum a Sabbatho* dividat, atque deprehendatur plures ex classe illa, in cujus septimanam festum cadit, ex ignavia accedere neglexisse, eo quod festum in hanc suam septimanam cadit, in quo omnes classes æquales sunt, ideoque quoniam pauci sint, qui ex illa classe accesserint, hinc non plures duobus accipere *panes*. Atque ea propter quum dies bonus in secundum septimanæ cadit, classis illa, quæ Sabbatho diem festum præcedente, recedit, accipit decem panes, & hæc est classis illa, quam Doctor Misnicus vocat *classem, cujus tempus tum fixum est*: classis vero accedens *ad ministerium* non nisi duos accipit, ob rationem jam dictam. Si autem dies bonus ultimus in quintum septimanæ cadat, tum classis illa, quæ Sabbatho diem hunc festum proxime sequente accedit, accipit decem, recedens

dens autem non nisi duos propter ignaviam *in neglectu ascensionis* testatam.

[35] *Alias panes &c. Maimonides ibidem*. Jam singulis Sabbathis per totum annum panes propositionis ita dividebant. Sumebat ea, quæ in templum veniebat, curia placentas sex, & quæ abibat templo curia, sumebat quoque placentas sex. *Bartenora ad cap. V. 8. Codicis Succah*. *Quæ intrabat sumebat sex &c.* Quia custodiæ mutabantur hoc die Sabbathi, una ministrabat mane, altera vesperi. *Quæ intrabat sumebat septem*; insuper duos panes sumebat ultra eos, quos accipiebat ea, quæ exibat, quia portas claudebat, quas mane aperuerat custodia exiens; decisio non est juxta R. Jehuda.

[36] *Illa ad septentrionem &c. Tosaphta Succhah ibidem*. Qua de causa custodia ingrediens dividebat ad plagam septentrionalem? quia sacrificio proxima erat. *Gemara Succach fol.* 56. 2. T. M. Sacerdotes classis accedentis distribuebant *portiones suas* in aquilone, ut omnes videant hinc illos nunc ad ministerium ingredi; recedentis vero Ephemariæ Sacerdotes eas distribuebant in meridie, ut omnibus hinc patesceret, se jam ministerio sacro renunciare. *Jarchius in glossa*. Sacerdotes classis accedentis distribuebant *portiones* inter se in aquilone . . . ut omnibus inde pateat, illos *ministerium* aggredi, latus enim septentrionale *altaris* locus præcipuus est, quem ad jugulationem destinavit Scriptura victimarum Sanctissimarum; Classis *e contra* recedens partiebatur in meridionali latere, ut inde cognosceretur, se nunc *ministerio* excedere atque abire, eaque propter locum *distributionis* sibi sumserunt in illo *atrii* spatio, quod jugulationi destinatum præcipue non erat. *Gemara Hierosf. Succah fol.* 55. 4. Ingredientes partiuntur in Aquilonari, exeuntes in meridionali *latere*. Dicit R. Chanania filius R. Hillelis, *hoc fieri*, ut honor tribuatur classi accedenti; At dicit R. Jose nomine R. Bon, non eam *fieri* ob rationem, verum ideo quia ex traditione edocti sumus, omnes illos, qui montem templi fuerint ingressi, in dextro latere ingressos, ac deinde circumeuntes in sinistro iterum egressos fuisse. *Maimonides ibidem*. Illi portionem suam inter se partiebantur ad aquilonem, quippe qui sacris administrandis præsto aderant; hi suam inter se portionem ad austrum partiebantur.

[37] *Excepta sola &c. Tosaphta ibidem*; viginti quatuor annuli ibi erant pro viginti quatuor custodiis Sacerdotii, viginti quatuor fenestræ ibi erant contra viginti quatuor custodias. Bilga semper dividebat panem ad austrum. *Bartenora ad cap. V. 8. Codicis Succah*. *Bilga semper distribuebat in meridie*. Est nomen familiæ, quæ quando intrabat, ad meridiem semper ministrabat, & hæc erat pœna, quæ illi inflicta erat.

[38] *Ob facinus Mariæ &c. Tosaphta Succah ibidem*; ejus annulus erat fixus, & ejus fenestra occlusa causa Miriam filiæ Bilgæ, quæ apostata facta fuit, nupsitque præfecto cuidam Græco, & quando Græci ingressi sunt in templum, venit, & percussit tectum altaris, dicens, *o lupe lupe tu consumis facultates Israelis, neque ei opitularis in tempore ejus angustiæ*; & alii dicunt, quod negligens fuisset illa custodia, cum intravit Jeschobeab in ejus locum. Hac de causa apparebat semper Bilga recedens, & Jeschobeab semper apparebat acedens; Omnes ii, qui impiis proximi fuerunt, nunquam receperunt ullam utilitatem præter Jeschobeab, qui proximus erat Bilgæ, & recepit mercedem in suum commodum. *Gemara Succah fol.* 56. 2. T. M. Accidit *quondam*, ut Maria filia Bilgæ, quæ apostata facta fuerat a Lege, nupserit Lictori cuidam Regum Græciæ, quumque templum ingressi fuerunt Græci, *ipsaque cum iis*, calceis conculcavit altare dicens, *lupe, lupe quousque tu consumes facultates Israelis, neque tamen opitulaberis illis in tempore angustiæ*. Hoc quum audivissent Sapientes fixerunt annulum Bilgæ, atque capsam illius occluserunt. *Hierosf. Succhah fol.* 55. 4. Sunt qui dicunt, *pœnam hanc huic classi fuisse irrogatam*, ideo quod cum tempus *ministerii sui ordinarii aliquando* appropinquasset, quo *Hierosolymam* ascendere debuisset, illam tamen non ascendisse, tum *classem* Jeschobeab, *hanc ordine immediate præcedentem*, intrasse, atque munia Sacerdotii magni hujus loco obivisse; atque hanc ob rationem classem Bilgæ semper a parte recedentium, Jeschobeab autem a parte accedentium stetisse, *atque portiones suas distribuisse*. Quidni eam *potius* ex ordine suo removerunt. Hoc fieri non potuit, nam dicit R. Simeon nomine R. Jehosuæ fil. Levi; durum esse coram Domino removere catenam (*ordinem*) prosapiei e loco suo. Sed an non potuissent *numerum classium minuere*, *&* *loco* 24. tantum 23. constituere? Hoc iterum fieri non potuit, quoniam scriptum est 1. Paralip. 9. 22. *quos constituerunt David, & Samuel videns in fide sua*; sive ut etiam legi potest באומנותם *in ordinibus suis*.

[39] *Exponendis festi &c. Medrasch Jalcut Sim. part. I. fol.* 111. *col.* 2. *ad Parascham* ויקהל, *sive ad Exod.* 35. 1. Congrega cœtus magnos, & expone iis prolixe constitutiones concernentes Sabbathum, ut discant ex te generationes secuturæ cogere cœtus de Sabbatho, in Sabbathum, quo conveniant Scholas, in quibus discant, doceantque Israelem verba Legis de licitis, ac prohibitis, ut celebretur nomen meum magnum inter filios meos. Ex eo tempore Mosem ordinasse tradunt Israeli, ut exponerent mysterium Paschatis tempore Paschatis, & sic eodem modo in festo Pentecostes, & Tabernaculorum &c.

[40] *Die* 15. *Adar &c. Tosaphta Sekalim cap.* I. Die quinto decimo ipsius (*Adar*) legati Synhedrii exibant, & reparabant vias, & plateas, quæ tempore hyemis pluviarum causa dirutæ essent, nempe prope tempus solennitatis pro iis, qui Hierosolymam ascendebant in festis, ut in tribus festis reparatæ essent. Quinto decimo ipsius (*Adar*) legati Synhedrii exibant, & excavabant fossas, & cisternas, & reparabant aquæ receptacula, & canalem aquarum; omne receptaculum, quod contineret quadraginta sata aquæ erat legitimum ad lavacrum; & illud, in quo non essent quadraginta aquæ sata, ducebat canalem aquæ, ut complerentur quadraginta sata, & legitimum esset ad lavacrum. Quinto decimo ipsius (*Adar*) exibant legati Synhedrii, & reddunt communia semina heterogenea; quia quod Synhedrium faciebat commune, fiebat commune, & liberum erat a Decimis; si inveniret semina heterogenea, erant licita pro furto, & libera sunt a decimis, in agro erant prohibita pro furto, & tenentur ad decimas.

[41] *Potare mulieres &c. Maimonides ad cap.* I. *Codicis Sekalim*. *Faciunt quicquid necesse est ad publicum*, exponitur in Gemara Hierosolymitana, & dicunt, hæc sunt negotia publica, judicant de causis civilibus, & criminalibus, ac causis flagellationis, redimentes rerum votarum æstimationes, anathemata, & sanctitates, & aquam mulieri adulterii suspectæ potandam præbentes; comburentes etiam vaccam rufam, & perforantes aurem servi Hebræi, & leprosum purificantes, & aperientes clausuras aquarum, quas deinde non recludunt, idest puteos aquarum publicos facientes unicuique sine discrimine, ut bibant, ex illis, quando incalescit tempestas. Omnium vero harum rerum scopus est, quamvis rem vitiosam & occlusam, quæ usui non est, omni studio reparari, & perfici in usum suum, inde a medio mense Adar.

[42] *Et sepulchra calce &c. Tosaphta Sekalim ibidem*. Quintodecimo ipsius (*Adar*) legati senatus exibant, & signabant sepulchra, & locum immundum, ut cœtus ab his declinaret; non signabatur super saxum, neque super terram scissam, sed tantum super lapidem stabilem; non signabatur super locum immundum, sed tantum in loco puritatis prope immundum; & qui super eum tentorium faciebat, est immundus, si lapidem signatum invenisset, quamvis super illum erigi non posset tentorium; qui super illum facit tentorium, est purus, si duos offenderet; qui inter eos tentorium facit, est immundus, super illos, est purus. Non fit signum nec super carnem mortui, nec super ossa mortui, quia tentorio non polluunt; non fit signum nisi super dorsum, & super cranium, quæ tentorio polluunt. *Gemara Hierosol. ad Codices Sekalim cap.* I. 1. *Et Maaser Scheni cap.* I. 1. Nonne sepulchra notant ante mensem Adar? Imo, at supponitur abstersos esse colores. Quam autem ob causam pingunt; ut par sit hæc res causæ leprosi; clamat ille, immundus, immundus, atque hic pariter immunditia sua ore ad te clamat, & dicit; ne appropinques; R. Illa nomine R. Samuelis Bar Nachman illud adducit Ezech. 39. 15. *cumque viderint* es.

os hominis , ſtatuent juxta illud titulum . Gloſſa . A decimo quinto menſis Adar inveſtigarunt, atque ubicumque ſepulchrum invenerunt, cujus abluta ab imbribus eſſet dealbatio , eam reſtaurarunt , ut locus immundus dignoſceretur ; atque ut inde declinarent Sacerdotes comeſturi Trumam. *Gloſſa ad Sekalim , & Maaſer Scheni .* Sepulchra calce notarunt ad formam oſſium, quam aquæ infuſam circa ſepulchrum fuderunt, ut dignoſcerent inde omnes , locum iſtum immundum eſſe , ideoque ab eo eſſe declinandum . *Gloſſa in Babyl. Moed Katon fol.* 5. 10. Notas fecerunt in ſepulchra calce alba inſtar oſſium &c. *Vide Hieroſ. Maaſer Scheni fol.* 55. 3. *Moed Katon fol.* 80. 2. 3. *Sotah fol.* 23. 3.

43 *Cæmeteria &c. Hæc erant publica . Maſſech. Semahhoth cap.* 14. Ac per iſtum locum non derivandus erat canalis aquarum , non ducenda per eum via publica , non paſcenda illic pecora , nec colligenda illinc ligna . *Privata vero plerumque in ſpeluncis exſtruebantur . Codex Bava Bathra cap. VI.* 8. Siquis proximo vendiderit locum ad faciendum pro ipſo ſepulchrum; ſic etiam ſiquis a proximo ſuo receperit ad faciendum ſepulchrum , interius in ſpelunca faciet quatuor cubitos ſuper ſex , & aperiet in ea octo foveas , tres ab hac , & tres ab illa parte, & duas e regione ; longitudo fovearum erit quatuor cubitorum, altitudo autem ſeptem , & latitudo ſex . R. Simeon dicit, intra ſpeluncam ſex ſuper octo faciet cubitos, & tredecim foveas aperiet in medio illius , quatuor ab hac, quatuor ab illa parte, & tres e regione , & unam ad dextram portæ, & alteram ad ſiniſtram, ac ſupra os ſpeluncæ atrium faciet ſex ſuper ſex cubitis in menſura feretri, at in medio illius aperiet duas ſpeluncas , unam ab hac, alteram ab illa parte . R. Simeon dicit, quatuor ad quatuor latera. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit , omnia juxta petram.

44 *Extra urbes &c. Codex Bava Bathra cap. II.* 9. Cadavera, & ſepulchra ſeparant, & coriarium quinquaginta cubitos a civitate.

45 *Sepelietur &c. Codex Sotah cap. V.* 3. Si caput *avulſum* in uno loco , truncuſque in alio reperiatur admotum caput trunco , ex ſententia R. Elieſeris . Sed R. Akiba truncum capiti admotum contendit . *Maimonides in hunc locum .* Controverſia eorum hic non eſt quod ad menſurationem , de qua deinceps controverſia eſt, ſed de mortuo præcepti, de quo nobis fundamentum eſt , quod acquirit locum ſuum , & ſepelitur in ſpatio quatuor ulnarum. Et dixerunt, quinam eſt locus? an eſt locus, in quo inventum fuerit caput ejus, an vero locus in quo invetum fuerit corpus illius? Jus autem illius , qui cæſus inventus eſt, ſe habet ut mortui præcepti, eo quod ſepeliebatur in loco, ubi inventus fuerat; deciſio eſt juxta R. Akibam.

46 פרוס הפסח *&c. Toſaphta Sekalim cap. II.* Quodnam vocatur פרוס Paſchatis , פרוס Pentecoſtes, פרוס feſti Tabernaculorum ? R. Jehuda dicit non eſt minus ſpatio quindecim dierum. *Bartenora ad cap. IX.* 5. *Becoroth. Medium Paſchatis*, ita vocatur decimus quintus dies ante Paſcha, qui eſt ultimus dies menſis Adar, denotat ergo *dimidium* , nempe dimidium temporis, quo jura Paſchalia ingrediuntur , ſicut in Beraita dicitur, jura Paſchalia ante Paſchatis feſtum pertractantur. Sic etiam dimidium Pentecoſtes , comprehendit quindecim dies ante Pentecoſten, pari modo ſe res habet cum dimidio feſti Tabernaculorum, quod eſt ab ultimo die menſis Elul. *Idem ad cap. III.* 1. *Codicis Sekalim*. Decimus quintus dies ante feſtum vocatur dimidium feſti ; triginta enim diebus ante quodvis ſolenne feſtum de conſtitutionibus feſti diſputare & diſquirere ſolebant , & media eorum pars vocatur פרוסה quod eſt dimidium.

47 *Qui tres dies &c. Codex Bechoroth cap. IX.* 5. Tres ſunt areæ pecoris decimationi deſtinatæ, in medio Paſchatis, in medio Pentecoſtes, & in medio feſti Tabernaculorum , ita R. Akiba . Filius Azai dicit, viceſimo nono die menſis Abh . R. Elieſer , & R. Simeon dicunt, primo die Niſan, primo Sivan , & viceſimo nono Elul ; ſed quare dixerunt viceſimo nono Elul, & non primo Tiſri? quia dies eſt feſtus, at die feſto decimare non licet ; idcirco diem viceſimum nonum Elul anticiparunt. R. Meyr dicit, primo Elul eſt principium anni pro decimatione pecoris. Filius Azai dicit, pecora menſis Elul ſeorſim decimantur.

48 *Et collectione ſiclorum &c. Maimonides cap. II.* 5. *Sekalim* . Tribus quotannis vicibus deſumebant oblationem ex conclavi, Kalendis Niſan, Kalendis Tiſri, ſive ante ſive poſt diem feſtum , & ante Pentecoſten die quinto decimo. Quomodo vero deſumunt ex eo ? Uno ingrediente introrſum , reliqui obſervatores extrorſum ſtabant, quibus ille acclamabat , *expromamne?* ipſis illis reſpondentibus tribus repetitis vicibus , *exprome*, *exprome*, *exprome* . Quo facto tres implebat minores arcas, quæ ſingulæ capiebant tria Sata , ex tribus illis arcis majoribus, eaſque foras educebat, ut evacuarent illas . Quo facto iterum eas tres minores implebat arcas ex tribus majoribus ſecunda vice ante Pentecoſten, unde expromebant , donec omnes inde accepiſſent nummos. Tertia vero vice iterum ex tribus majoribus arcis replet illas *minores* , unde deſumunt omnes nummos uſque ad Kalendas Niſan . His vero Kalendis Niſan ex nova oblatione capiebant . Si Sicli in tribus majoribus arcis reperti , ipſis non ſufficerent uſque ad menſem Niſan, & arcæ vacuæ eſſent, tum petebant rurſus oblationem ex reſiduis conclavis. *Idem ad cap. III. Codicis Sekalim* . Exponit Gemara, quod omnia ſimul veniebant, id eſt tempore feſti Paſchatis ſiclos omnes colligebant ; ratio autem quare conſtituerunt , ut tribus anni temporibus educerent oblationem primam , eſt hæc , ad notum faciendum, quod tempore feſti Paſchatis publicabatur adducendam oblationem primam de loco propinquiori, & illi, qui remotiores erant, adducerent tempore feſti Pentecoſtes ; & illi , qui remotiſſimi erant , adducerent tempore feſti Tabernaculorum, & hoc eſt quod dicitur, propinquiores medio tempore Paſchatis, remotiores medio tempore Pentecoſtes , & remotiſſimi tempore medio feſti Tabernaculorum.

G. F.

CAPUT TERTIUM.

De paſchate & feſto azymorum.

§.I.Paſcha, quid.

I. PAſcha, פסחא, vel פסח, Græcis Διαβατήρια & Ὑπερβάσια, tranſitum notat & nonnunquam feſtum [1] in memoriam tranſitus angeli *Exod.* 12. inſtitutum, aut quandoque ipſum agnum, die 14 menſis Niſan jugulandum. *Ezr.* 6. 20, פסח הוא *Exod.* 12. 11. 1. *Cor.* 5. 7. Simili loquendi modo utuntur hodieque Judæi patres familias in cœna paſchali de pane azymo, quem elevant, dicentes הא לחמא דעניא די אכלו אבהתנו בארעא דמצרים *hic eſt panis afflictionis, quem comederunt patres noſtri in Ægypto:*

§. II. Feſtum azymorum.

II. Paſcha quoque ἑορτὴ τῶν ἀζύμων, vel Ἀζυμοφαγιῶν, חג המצות *feſtum azymorum* dicitur, quia ei quaſi immixtum eſt (συνάπτει τοῖς διαβατηρίοις ἑορτὴ, Ἄζυμα, uti Philo loquitur *lib. de feſtis pag.* 1190.) & cum agno paſchali panes azymos comedebant, *Luc.* 22. 1. *Marc.* 14. 12. quamvis nonnulli id diſtinguant, uti & diſtinguitur *Ezr.* 6. 20. & 22. & in Chronico Alexandrino *pag.* 227. Ἐκείνην τὴν ἡμέραν μόνην Πάσχα οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ προσηγόρευον, τὴν δὲ ιέ καὶ τὰς μετ' αὐτὴν ς' ἡμέρας ἑορτὴν Ἀζύμων, quia *Levit.* 23. 5. & 6 legitur: *die 14 inter duas veſperas eſt paſcha Domino: & die 15 eſt feſtum azimorum*. Hoc nomen autem convenit huic feſto, quod per ſeptem dies panibus infermentatis veſci deberent, [2] a die 14 Niſan uſque ad 21. *Exod.* 12. 18. *Num.* 28. 17. ſic ut dies 15 Niſan fuerit primus azymorum, in cujus nocte agnum paſchalem & panes azymos comederunt. [3] *Deut.* 16. 8. eſt ſex, omiſſo primo quem Hieroſolymis tranſigebant *comm.* 7. vel quo ex proventu anni elapſi comedebant, reliquis ſex diebus comeſturi de proventu novo anni hujus: vel quod die primo ſit חובה, ſex reliquis רשות. Ita explicatur in *Siphra fol.* * 247. 1 & * 249. 1. & *Mechilta*. 8. 2. & 16. 2. In codice Samaritano ac Græco *Exod.* 13. 6. ubi שבעת ſeptem *dies azyma comedetis* legitur in Hebræo, ששת & ἓξ ſcriptum eſt.

§. III. An dies 14 Niſan ſit primus azymorum.

III. Quum autem *Matth.* 26. 17. & *Marc.* 14. 12. ipſe dies 14 Niſan appellatur primus dies azymorum, intelligendum id eſt ſecundum canonem Judæorum mox traditum, videlicet in ſacris comedendis diem præcedere noctem; ſic ut tempus veſpertinum diei 14 & nox ſubſequens hoc modo diei 14 accenſeantur. Vel dies 14 appellatur πρώτη τῶν ἀζύμων, id eſt, προτέρα, dies videlicet antecedens τὰ ἄζυμα (nam τὰ ἄζυμα hoc feſtum nuncupatur *Marc.* 14. 1.) uti *Joh.* 1. 30. πρῶτός μȣ eſt πρότερος, & *Luc.* 2. 2. πρώτη ἡγεμονεύοντος, id eſt, antequam Quirinus præeſſet (qui ἀπογραφὴν inſtituit notiſſimam relegato Archelao & ἁπλῶς ita dictam Judæis. *Act.* 5. 37. *Joſeph.* XVIII. 1.) quomodo & ראשון Hebræis accipitur pro die qui eſt לפני השבע *ante ſeptem*. vide & *Job.* 15. 7; nam ceteroquin certum eſt diem 15 Niſan primum azymorum a Judæis appellari. Sic olim Joſephus, δευτέραν τῶν ἀζύμων eſſe ἕκτην καὶ δεκάτην, diem 16 Niſan. *lib.* III. *Antiq. cap.* 10. & ibidem. Πέμπτη δὲ καὶ δεκάτη διαδέχεται τὴν τȣ Πάσχα, ἡ τῶν Ἀζύμων ἑορτή. *Dies 15 videlicet feſtum azymorum, ſequitur diem paſchatis*. Hodie quoque in ephemeridibus ſuis Judæi notant ad diem 14 Niſan, eſſe ערב הפסח *veſperam paſchatis*, (ערובת פיסחא appellatur in *Midras Ruth* 46. 4.) ad diem 15, יום א' דפסח *diem primum paſchatis*: *ad* 16, יום ב' דפסח, & 21, יום שביעי של פסח *diem ſeptimum paſchatis*. Sic in *Mechilta* 8. 1. *Midraſch Coheleth*, *fol.* 118. 3. ז' ימי הפסח ſeptem dies paſchatis.

§. IV. Diviſio paſchatis in ſpecies.

IV. Paſcha diſtinguitur in primum, die 14 Niſan celebrandum, & ſecundum quod & parvum dicitur. *Challa* 1. 11. *Midraſch Megillath Eſther*. 132. 2. quodque in diem 14 menſis ſequentis, Ijar videlicet, incidit. [4] In utroque agnus aſſatus cum oleribus amaris & pane azymo comedebatur: in utroque [5] ad pernoctationem Hieroſolymis tenebantur (diſputatur tamen ſitne ea nox qua agnus comeditur, an vero ſequens) [6] utrumque pellebat jura ſabbathi: in utriuſque immolatione [7] cantabatur hymnus: [8] ſed inter comedendum non canebatur hymnus in ſecundo; [9] & omne fermentum aboleri non debuit ante, [10] & aliquam partem agni ex ſocietate efferre licuit, [11] nec conjunctum habebat ſacrificium חגיגה. [12] Secus itaque ſe res habebat ac in paſchate primo, ut Rabbanitæ tradunt. [13] Karæi has differentias ignorant. *Num.* 9. 12. *Peſachim.* IX. 3. Porro aliud eſt [14] paſcha Ægyptiacum, celebratum 1. ita ut agnus die 10 ſepararetur. 2. Sanguis ejus faſciculo hyſſopi limini & duobus poſtibus adſpergeretur, ſic ut quaſi trium altarium ſpeciem haberent (ג' מזבחות היו במצרים על המשקוף ועל שתי מזוזות) *Gem. Peſachim*. 96. *Mechilia* 5. 2. 3. Adeps in altari non combureretur. 4. Puri & impuri eo veſcerentur. 5. In feſtinatione 6. Sine hymno. 7. Sine pa-

panegyri, 8. In loco profano. Hæc aliter se habuerunt in paschate Hierosolymitano, uti stante templo celebratum fuit. Præterea Hierosolymitanum differt ab eo, quod nunc, eversa urbe, celebrant, quod olim agnus jugulari in templo posset, & quando Judæa a procuratoribus regebatur [15] captivus dimitteretur in memoriam exitus e servitute Ægyptiaca, ut quidam putant *Matth.* 27. 26. quem morem alii [16] a lectisterniis Romanorum derivant. Verum Judæi illo tempore ritus hos idololatricos non admisissent, & Pilatus Christum cum Barabba simul dimisisset liberum, quoniam non unum sed omnes captivos e carcere dimittere solebant in lectisterniis Romani: certe hoc fecisset Pilatus, qui studebat Christum dimittere. Videntur ergo procuratores ut Judæis faverent reum dimisisse, uti Festus (*Joseph. Ant.* xx. 8.) & Judæi ipsi Archelaum rogabant δεσμώτας ἀπολύειν in signum lætitiæ, *id. lib.* 11. 1. *de bello*.

§. V. Num pascha cedat sabbatho.

V. An pascha [17] pelleret sabbathum, דוחה השבת, ut Judæi loquuntur, id est, an ceremoniæ paschales peragi deberent etiamsi dies jugulandi agni, id est, dies 14 Nisan, incideret in sabbathum, disputatum olim fuit inter Judæos. Verior sententia, & recepta quoque in populo Judaico tam apud Karæos quam Rabbanitas, est quæ affirmat; quum pascha sit festum alligatum a Deo tempori suo, במועדו, qualia festa a tempore suo dimoveri non potuerunt. *Mechilta*. 5. 1. [18] Sic circumcisio pellit sabbathum, quia die octavo peragi debuit: si itaque die nono fuisset peracta ob sabbathum quod erat die octavo, satisfactum haud fuisset mandato Dei, qui die octavo non nono, aliove, eam institui jusserat. Sic [19] sacrificium juge pellebat sabbathum, & hac argumentatione olim usus fuisse [20] Hillel dicitur, quum filii Betiræ de hac re dubitarent; qui præterea auctoritate magistrorum suorum Schemaiæ & Abtalionis, a quibus ita fieri oportere acceperat, confirmavit hanc veritatem, pascha pellere sabbathum, *Gem. Pesachim.* 33. 1. & 66. 1.

§. VI. Comestio panum azymorum.

VI. Ad tria præcipue capita referri ea possunt quæ in hoc festo observanda sunt; panes videlicet azymos, agnum paschalem, & manipulum hordeaceum. [21] Panes azymi jussu Dei comedendi fuere [22] per septem dies a die 14 Nisan usque ad 21. [23] Fermentum omne debuit ante diem 15 Nisan summa cura aboleri; in cujus inquisitionis tempore, modo, & personarum ad hanc rem delectu [24] multi sunt Judæi. Vide *Pesachim*. 1. & 11. [25] Nec a meridie diei 14 (ita definiverunt sapientes: confer Suidam ad vocem Ζύμη) & deinceps comedere fermentatum licuit. Vide *Deut.* 16. 4. *Exod.* 12. 19. Hinc lucem accipit 1 *Cor.* 5. 7. [26] Nocte autem diei 15 Nisan (quæ dicitur ליל יום טובהראשון של פסח in *Echa rabbati*. 55. 4.) panis azymus, [27] quem fractum pater familias unicuique convivæ distribuebat, comedendus erat, etiamsi tantum [28] quantitate olivæ. *Challa*. 1. 2. Quantitatem autem olivæ parem statuunt dimidio ovo, id est uni offæ mediocri. [29] Memorari quoque debuit a patre familias exitus ex Ægypto, [30] quatuorque pocula vini (dicta ארבעה כסי דפסחה in *Gem. Nedarim* 49. 2) ebibi ab unoquoque, etiamsi esset Israelitarum pauperrimus, & ea quidem aqua mixta, (*Beracoth.* VII. 5.) [31] quorum tertium כסא דברכה *calix benedictionis* (confer 1 *Cor.* 10. 16.) dicitur, [32] & inter quæ הלל sive *hymnus Psal.* 113---118. recitatur. Hymnus ille canitur [33] 18 diebus in anno & nocte una, videlicet 8 diebus festi tabernaculorum, 8 diebus encœniorum & יום ט' pentecostes, & primo יום טוב paschatis, & nocte ejus. *Gem. Hier. Succa.* 54. 3. Post illa [34] quintum bibi poterat, si quis [35] hymnum majorem recitare vellet, id est, *Psal.* 120---137. uti dicitur *Gem. Pesachim.* 118. 1. Cum pane azymo etiam olim ut nunc [36] חרסת pulmentum in memoriam luti Ægyptiaci appositum fuisse volunt.

§. VII. Agni paschalis.

VII. Leges autem quæ agnum paschalem spectant a Judæis ad hæc 16 capita referuntur, quæ nos singula, eo ordine quo nobis præeunt, prosequemur; licet ad pauciora referri commode potuissent. Eo facilior erit scriptorum Judaicorum intellectus, in quibus hic ordo observatur, quoniam ii singula præcepta (מצות עשה) & interdicta (לא תעשה) diligenter solent distinguere, & certum eorum numerum jam olim constituerunt, qui nunc haud ita facile mutari posset, auctoritate magnorum nominum & longo sæculorum intervallo stabilitus.

I. Agnus paschalis suo tempore juguletur, id est, die 14 Nisan, [37] inter vesperas duas post sacrificium juge. Vide quæ nos de illo diximus parte 3. cap. 6.

II. [38] Ne juguletur ab eo, in cujus ædibus aliquid fermenti invenitur *Exod.* 23: 18.

III. Ne ablegmina ejus pernoctent semota ab altari. *Exod.* 23: 18.

IV. [39] Pascha secundum celebretur mense secundo, quod est institutionis Divinæ *Num.* 9: 10. propter pollutos, aut illos [40] qui ob viæ longinquitatem primo paschati interesse non poterant. Hoc פסח קטן & פסח שני appellatur. Differentias, quæ inter hoc sunt & pascha primum, vide *Pesachim*. IX. 3. Ad

hoc

hoc [41] non obligari mulieres volunt Rabbanitæ, nec pueros. *Challa.* IV. II.

V. [42] Caro agni vel *corpus*, uti Judæi loquuntur, (גופו של פסח, *Pesachim.* x. 3.) nocte 15 Nisan comedatur cum pane azymo & oleribus amaris. *Exod.* 12: 8. *Pesachim.* v. 6. [43] Mulieres æque ac viros ad hoc admittunt Rabbanitæ. *Pesachim.* VIII. I. sed viri tenentur, (est חובה) mulieres non tenentur, (est רשות) si velint licet iis adscendere Hierosolymas & pascha celebrare. *Gem. Pesachim.* 91. 2. *Gem. Hier. Kiddusch in.* 61. 3. Confer *Luc.* 2. 41. [44] Karæi solos admittunt viros adultos.

VI. [45] Pascha secundum quoque cum pane azymo & oleribus amaris comedatur. *Num.* 9: 11. Hæc picrides appellat Cyprianus *lib.* II. *adversus Judæos.*

VII. [46] Ne subcruda vel elixa, sed assata caro comedatur. *Exod.* 12: 9.

VIII. [47] Ne quicquam carnis agni extra societatem convivarum sive חבורה deportetur. *Exod.* 12: 46; nam pascha [48] κατὰ φρατρίας celebratur, uti Josephus loquitur *Antiq. lib.* III. 10.

IX. [49] Ne de ea quicquam comedat Apostata. *Exod.* 12. 45.

X. [50] Ne proselytus inquilinus aut mercenarius. *Exod.* 12: 45. [51] Nam proselytus justitiæ eodem die quo factus erat proselytus, secundum Schammæanos, טובל ואוכל את פסחו לערב *lavat se & comedit pascha vesperi*: [52] sed Hilleliani dicebant, qui se a præputio separat, est ac si a sepulcro se separaret. *Pesachim.* VIII. 8.

XI. [53] Ne incircumcisus. *Exod.* 12: 48.

XII. [54] Ne os agni aliquod frangatur. *Exod.* 12. 46. *Joh.* 19: 33.

XIII. [55] Nec in paschate secundo. *Num.* 9: 12.

XIV. [56] Ne quicquam agni relinquatur ad crastinum mane. *Exod.* 12: 10.

XV. [57] Nec in paschate secundo. *Num.* 9: 12.

XVI. [58] Ne quid supersit ad mane de carne sacrificii die 14 oblati. *Deut.* 16: 4. id est, uti quidam explicant, ad mane diei decimi sexti: nam quia erat sacrificium salutare, comedebatur intra dies duos & noctem unam.

§. VIII. Oblatio manipuli.

VIII. [59] Manipulus ex hordeo עומר dictus metebatur die 16 mensis, qui inde יום הנף *dies agitationis* manipuli dicitur, *Succa.* III. 12. יום קציר העומר *Midrasch Ruth.* 47. I. πανήγυρις ἐπὶ τῷ δράγματι Philoni. [60] Nocte videlicet, quæ priorem partem diei decimi sexti Nisan facit, metebatur: ideo in *Gem. Rosch hasschana* 7. 2. dicitur diem 16 Nisan esse initium anni respectu manipuli ששה עשר בניסן ראש השנה לעומר. [61] atque uti עומר sive manipulus paschalis permittebat novum proventum ad usum במדינה, ita duo panes pentecostales במקדש in templo permittebant, ut videlicet ferta ex novo illius anni proventu offerrentur. [62] Utrumque & manipulus paschalis & panes pentecostales, ex proventu novo illius anni & quidem ex terra sancta offerri debuere. *Gem. Hier. Schecalim.* 6. 2. Hæ erant primitiæ messis, [63] רשית קציר *Lev.* 23. II. *Challa.* I. I. [64] ante quarum agitationem solennem & oblationem falx in segetem quinque rerum tritici, hordei, speltæ, avenæ, & secalis (vide *Challa.* I. I.) immitti non debuit. [65] A Jerichuntinis tamen leguntur segetes fuisse demessæ ante oblatum manipulum, & sapientes hoc non improbasse. Fiebat illud maxima cum solemnitate, & cerimoniæ ipsæ merentur breviter notari ex *Menachot.* x. 3. [66] Delegabantur circa finem diei 15 Nisan aliqui a synedrio magno, qui Hierosolymis egressi cum corbe & falce, trajecto torrente Kedron, [67] in agro vicino, & Hierosolymis, quantum fieri poterat, proximo partem hordei, [68] ære publico emtam (*Schecalim* IV. I.) demeterent. [69] Nocte ipsa ingruente, a qua dies 16 initium capit, aliquis ex iis rogabat, בא השמש *occiditne sol?* cui alii respondebant הין *ita est.* Atque ita ter rogabat, ter responsum tulit. Dein ter, מגל זו *an hac falce?* Responderunt הין *ita*: quæ cum ter rogata essent, ter ad ea responsum, pergebat, קופה זו *an hoc corbe?* & dein אקצור *metamne?* ad quæ singula quum הין respondissent, metebatur manipulus & ad sacerdotes [70] deferebatur in atrium, qui illum igne tostum, in vase undique perforato, [71] אבוב dicto, [72] vento expositum in atrio, & mola contusum cribrarunt 13 vicibus, donec decima pars ephæ floris farinæ inde educeretur *Menachot.* VI. 6. [73] Hæc oleo & thure addito rite agitata & adducta, pugillo inde exemto & combusto in altari, comedebatur a sacerdotibus. Confer *Joseph. Antiq.* III: 10. [74] Simul cum eo agnus offerebatur in holocaustum, addito ferto & libamine suo *Lev.* 23: 10. [75] Destructo autem templo, quum manipulus hic offerri non posset, qui comestionem proventus novi licitam faciat, constituit R. Jochanan ben Zaccai toto die 16 Nisan, qui est dies agitationis, illicitum esse novo proventu vesci. *Siphra fol.* * 247. 2.

§.IX. Christus eodem die pascha edit cum Judæis.

IX. Ex quibus intelligitur [76] statum fuisse diem 14 mensis Nisan, præter quem pa-

scha

ſcha jugulari nec debuit , nec potuit . Quid ? 77 quod in atrio templi , non alibi, agnum paſchalem jugulari potuiſſe Judæi Rabbanitæ omnes uno ore tradant (quod eo magis huc facit quoniam ex ſententia Phariſæorum ſive Rabbanitarum omnia quæ ad cultum ſacrum & ceremonias publicas ſpectabant eo tempore facta eſſe Joſephus teſtatur *Ant.* XVIII. 3.) & Karæi hoc ipſum confirment . Sic ut omnino Chriſtus paſchatis tempus non anticipaverit, ſed paſcha ſuum ultimum eodem die cum Judæis comederit (adeoque uſus fuerit in S. Cœnæ celebratione pane azymo, quod & Eccleſia Romana contra Græcam tuetur) id eſt , die ineunte 15, & eodem crucifixus ſit , qui erat ſimul προσάββατον , quum dies 16 Niſan ſabbathum fuerit , quem diem Chriſtus in ſepulcro tranſegit . Quod ſi Chriſtus contra communem morem Judæorum agnum ſuum aut jugulaſſet aut comediſſet illo tempore, quo reliqui Judæi paſcha non celebrabant , quis dubitat quin Judæi hoc ipſum ei vitio vertiſſent, & inter alia tanquam præcipuum hoc objeciſſent , quod ea ipſa nocte contra legem Moſis (quam utique ſe ſequi credebant) paſcha cum diſcipulis ſuis celebraſſet ? Atqui ne γρὺ quidem coram Pilato hac de re memorant , quum tamen ſpecioſum hoc fuiſſet, & ipſi cauſas Chriſtum accuſandi undique conquirerent . Conferantur in hanc rem *Matth.* 26. 17. *Marc.* 14. 12. *Luc.* 22. 7. ubi paſcha Chriſti paratum dicitur die illo , quo paſcha jugulari ſolebat & debuit, id eſt, die 14; πρώτη τῶν ἀζύμων, ὅτε πάσχα ἔθυον, & ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα. Heic pars diei 14 appellatur primus dies azymorum, quia in ſacris comedendis, ut ante monuimus , dies præcedit noctem ; quum ceteroquin a nocte diem 14 ſequente proprie dies primus azymorum incipiat. Vel πρώτη dicitur veluti προτέρα. vide ſupra.

§.X. Et jugulatum id eſt die Jovis.

X. Atque ita Chriſti paſcha jugulatum eſt eodem die hebdomadis, id eſt, die quinto (quem Latini diem Jovis dicunt) ſive die 14 Niſan, quo olim Iſraelitæ ex Ægypto egredi parabant, qui die 14 Niſan paſcha jugularunt, die 15 comederunt & egreſſi ſunt ex Ægypto, 78 qui dies erat dies hebdomadis ſextus, ſive dies Veneris , ſecundum Judæorum teſtimonium , in *Gem. Schabbath* 88. 1. *Seder olam rabba c.* 8. בחמשה עשר יצאו ואותו היום ערב שבת היה atque eodem illo die 15 Niſan, quo Chriſtus mortuus eſt, Deum fœdus pepigiſſe cum Abrahamo inter cæſas victimas, angelos nunciaſſe Abrahamo Iſaaci conceptum, natum eſſe Iſaacum, & Iſraelitas egreſſos eſſe ex Ægypto, tradunt Judæi, *ibid.* in *Seder olam rabba*, & in *Mechilta* . 14. 1.

§. XI. Objectiones repelluntur.

XI. Tria tamen ſunt quibus huic ſententiæ præcipue occurrunt, ex Evangelio Johannis petita . Primo , quod *Johann.* 13. 1. cœna Chriſti paſchalis dicatur celebrata πρὸ τῆς ἑορτῆς *ante feſtum*, vel *ante diem feſtum paſchæ*, uti interpres vulgatus reddit . Quidam reſpondent , non dici , Chriſtum ante feſtum ediſſe paſcha , ſed ſciviſſe horam ſuam prope eſſe ; alii ἑορτὴν *feſtum* paſchatis proprie circa mediam noctem diei 15 demum incepiſſe , quando angelus פסח *tranſiit* ædes Iſraelitarum *Exod.* XI. 4. & hanc cœnam ante illud tempus celebratam fuiſſe , tempore tamen legitimo & eodem cum Judæis. Alii negant illic de cœna paſchali agi , ſed eandem innui volunt quæ Bethaniæ habita fuit , jubentque conferri *Luc.* 22. 3. *Joh.* 13. 27. Alii denique dicunt πρὸ τῆς ἑορτῆς ita feſtum præceſſiſſe ut ſimul pars feſti eſſet, uti πρόγλωσσις dicitur pars linguæ anterior . Sed nos per ἑορτὴν intelligimus ſolennitatem diei 15, חג dictam, *Num.* 28. 17. ubi Græci interpretes habent ἑορτή. Ita quoque in *Gem. Roſch haſſchana* 4. 1. legitur die 15 Niſan eſſe feſtum , בט״ו בניסן הוא, videlicet רגל unum e tribus , quod *Deut.* 16. 16. חג המצות nuncupatur . Atque ita פסח ſive paſcha ſeptiduum durare dicitur , *Peſachim* . IX. 5. Secundo, quod *Johann.* 18. 28. poſt cœnam paſchalem Chriſti nocte præcedente habitam Judæi dicant , ſe debere comedere paſcha . Verum paſcha non ſemper agnum paſchalem notat, 79 ſed ſacrificia ſolennitatis. *Deut.* 16. 2. 3. & 2 *Chron.* 35. 8. 9. Ita in *Gem. Zevachim.* 99. 2. & in *Gem. Roſh haſſchana* . 5. 1. rogant , quid appelletur *paſcha* , מאי פסח & reſpondent שלמי פסח *ſacrificia ſalutaria paſchatis* , id eſt , ſacrificia chagigæ diei decimi quarti *Peſachim* VI. 4. Confer *Mechilta* . 4. 2. & *Siphra fol.* * 23. 2. Ita 2 *Chron.* 30. 22. legitur ויאכלו את המועד שבעת הימים מזבחים זבחי שלמים *& comederunt ſacrificia feſti* (τὸ πάσχα) *per ſeptem dies , offerentes ſacrificia ſalutaria* . Qui panem azymum comedit , dicitur & illa comeſtione paſcha celebrare ; 80 & ita invitant convivas hodie ad panem , *edat quiſque panem , veniat* , ויפסח *& paſcha celebret* . Tertio urgent diem crucifixionis Chriſti dici παρασκευὴν τοῦ πάσχα , *Joh.* 19. 14. præparationem paſchatis , ſive diem antecedentem paſcha. Sed παρασκευὴ tantum reſpectu ſabbathi dicitur : quapropter *Marc.* 15. 42. explicatur vox illa per προσάββατον , eaque appellatur παρασκευὴ paſchatis, quod in diem primum feſti paſchatis incideret , uti eadem παρασκευὴ τῶν Ἰουδαίων *Joh.* 19: 42. dicitur , & παρασκευὴ nulla voce addita , vel παρασκευὴ ſabbathi. *Joh.* 19. 31. *Luc.* 23. 54. *Matth.* 27. 62. Quod ſi notetur vocem παρασκευὴ non uſurpari ut indicet actionem vel

præ-

præparationem, sed tempus, & esse nomen proprium diei sexti sive Veneris, quemadmodum עירובתא in Talmude, facile intelligetur cur dicatur τοῦ πάσχα, quum in pascha incidat, uti σάββατον τοῦ πάσχα Ignatio, epistola ad Philippenses, dicitur sabbathum quod in pascha incidit, & σάββατον τῆς ἑορτῆς Socrati *Histor.* v. 22.

COMMENTARIUM IN CAPUT TERTIUM.

[1] IN *memoriam transitus &c. Maimonides de solennitate Paschatis cap. VIII.* 4. Quid est, quod Agnum hunc Paschalem edamus? Quod in Ægypto Deus ædes Majorum nostrorum transilivit; nam id Lex jubet: *Dicetis eis; victima transitus Domini &c. & paucis interjectis iterum.* Quid Patres nostri, dum fanum illud stabat, Paschalem sedebant Agnum? nimirum, quia Majorum domos transiliverat Deus in Ægypto; quod quidem a Lege præscribitur: *Dicetis eis; victima transitus Domini, quando transilivit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans; incurvatusque populus adoravit.* Exod. 12. 27.

Ipse dies 14. &c. Maimonides ibidem cap. VI. Lex jubet quemque vesci pane azymo ad eam noctem, quæ decimam & quintam lucem Nisan antecedit; est enim in ea dictum: *primo mense quarta decima die mensis ad vesperam, comedetis azyma.* Exod. 12. 18.

[2] *A die 14. Nisan &c. Codex Pesachim cap. I.* 4. R. Meyr dicit: comedunt (fermentum die decimo quarto) per totam (horam) quintam, & comburunt in principio sextæ. R. Jehuda dicit: comedunt totam (horam) quartam, & suspendunt totam (horam) quintam, & comburunt id in principio sextæ. *In hunc locum ita Maimonides.* Commendat Deus benedictus Exod. 12. 19. *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris.* Unde colligimus, quod necesse est, ut remotio fiat ante diem septimum, ut integros septem dies a principio eorum usque ad finem, non inveniatur fermentum. Quod autem Exod. 12. 15. *In die primo non erit fermentum in domibus vestris*, inde colligimus, quod sit dies decimus quartus, & quod remotio fermenti fiat in principio diei decimi quarti, nisi dixisset, אך ביום אראשין *sed die primo*, ubi particula אך diminutiva est, atque adeo res est ac si dixisset: id quod tibi dico *die primo*, non accipiendum est de principio diei, sed de parte illius. Et in locis iis qui hoc fundamentum connotant ex traditione receptum, sensus est, quod remotio fermenti fiat in parte diei quarti decimi, eo quod Deus benedictus dixit Exod. 23. 18: *non immolabitis super fermento sanguinem victimæ;* sed traditio est eam diei partem fixam esse in principio horæ septimæ, & omnes in eo conveniunt, quod a principio horæ sextæ prohibitum sit, sed hoc juxta Sapientes ad arcendum (homines) ab interdicto Legis. Vespera diei decimi quarti omnes tenebantur comedere azyma. Codex Pesachim cap. 10. *Vesperi Paschatis prope Mincham non comedet homo, nisi obortæ fuerint tenebræ. In quem locum ita Maimonides. Prope Mincham*, eo tempore, quando de die adhuc ultra duas horas cum dimidio restat; nam illud tempus vocatur Mincha. Ratio autem, quare hominem ad hoc obstringimus est, eo quod comestio azymi nocte prima est debitum; oportet etiam ut homo esuriat, ut comedat panem azymum cum desiderio. Quod autem prohibemus comestionem, id non tantum de comestione panis accipiendum est, quia panis eo tempore comedi nequit, & nobis vetitum est comedere panem azymum decimo quarto die, nisi comedat quis eum tempore illo, quo debet comedere azymum, sed vetitum est de reliquis cibis comedere multum. *Idem de solennitate Paschatis* cap. VI. Lex jubet quemque vesci pane azymo ad eam noctem, quæ decimam & quintam lucem Nisan antecedit; est enim in ea dictum: *primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam, comedetis azyma.*

[3] *Deut. 16. 8. est sex &c. Siphra ad Levit. 23. 15.* 16. R. Simeon filius Eleasaris inquit; alter textus dicit: *sex diebus comedes azyma*, & alter textus dicit, *septem diebus comedes absque fermento*; quomodo ambo textus conciliantur? Azyma, quæ non potes comedere septem diebus ex frumento novo, potes comedere ex novis frugibus sex diebus. *Et ad cap. 23. 6. Levit: septem diebus azyma comedetis.* Quid dicendum id erat? Quia dictum est; *sex diebus comedes azyma, & in die septima quia collecta est Domini Dei tui*; septima dies inclusa erat, & quare exiit? ut ipsi reliquos dies æquipararet; sicuti septima dies est ex arbitrio, etiam reliqui dies ex arbitrio; crederem igitur etiam primam vesperam ex arbitrio esse? ideo de ea dicit: *azyma comedetis*; eam ex debito textus statuit. *Menasse ben Israel in Exod. 13. 6.* quæstione 17. *Dicitur* Deut. 16. 3. *Septem diebus comedes absque fermento*; & Ibid. 16. 8. *Sex diebus comedes azyma, & in die septima quia* עזרת *est collecta* (clausula) *Domini Dei tui, non facies opus.* Vult Scriptura, quemadmodum constat ex verbis ejus, ut Hierosolymis celebrato festi die primo, quisque itineri se det, & per sex dies comedat azyma, unde ibidem dicitur: *maneque consurgens Vadens in tabernacula tua, sex diebus comedes azyma;* ac si diceret, præter diem primum quem celebrasti, sex insuper dies præceptum fermento abstinendi observabis (*quando domum rediisti*) ut notavit recte Isaacus Abarbanel. *Kimchius in libro Radicum ad vocem* עזר. *Dici posse scribit*; septem illis diebus duo festo includi, videlicet festum Azymorum, & clausulæ, sive interdicti; & Scripturam, cum ait: *septem diebus comedes sine fermento*, ostendere etiam septimo die, die festo clausulæ, vel interdicti, illa comedenda; quando vero eadem dicit: *sex diebus comedes azyma, & in die septima, quia est collecta Domini Dei tui*, significat sex illis diebus solum fermento abstinendum, aut azyma comedenda; at notabiliorem septimum diem esse, *nimirum* עזרת clausulæ 5. interdicti, quo nullum opus facere cuiquam liceret.

[4] *In utroque &c. Tosaphta Pesachim* VIII. 5. In his paria erant primum & secundum *sacrificium Paschale*; in primo præscriptum est: *erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus.* (Exod. 12. 5.) quod observandum est etiam in secundo. In primo dictum est; *non comedetis ex eo crudum quidem, nec coctum aqua.* Ibid. 9. Et secundum huic erat simile. *Maimonides de sacrificio Paschali X.* 15. Utrumque probe tostum comedebatur, utrumque in una & eadem Domo, utrumque cum pane azymo, & olere amaro.

[5] *Ad pernoctationem &c. Tosaphta Pesachim ibidem.* Primum tenebatur ad pernoctationem, secundum quoque ad pernoctationem tenebatur. R. Jehuda dicit, secundum ad pernoctationem non tenebatur; at quomodo faciebat? ingrediebatur, & mactabat suum sacrificium Paschale in atrio, & exibat, & filiæ patris sui in Beth - - Phage parentabat.

[6] *Utrumque pellebat &c. Tosaphta Pesachim ibidem.* Primum pellebat Sabbathum, & secundum pellebat Sabbathum. *Maimonides ibidem.* Ambo vero Sabbathum elevabant pariter.

[7] *Cantabatur &c. Maimonides ibidem.* Ambo per tempus immolationis cantionem illius hymni divini requirebant.

[8] *Sed inter comedendum &c. Maimonides ibidem.* Non erat in eo comedendo hymnus ille divinus cantandus.

[9] *Et omne fermentum &c. Maimonides ibidem.* Contra sacrum Paschale secundarium cum fieret, panis fermentatus & azymus domi simul esse licebat.

[10] *Et aliquam partem &c. Maimonides ibidem.* Licebat etiam illud ex ædibus, ubi comedebatur, efferri.

[11] *Nec conjunctum &c. Tosaphta Pesachim ibidem.* Primum tenebatur ad sacrificium festi, & secundum non tenebatur ad sacrificium festi; primum observabatur cun-

cunctis septem diebus, & secundum uno tantum die. *Maimonides ibidem*. Jam cum sacro solenni conjuncte nunquam, nunquam inquinate fiebat.

[12] *Secus itaque &c. Tosaphta Pesachim ibidem*. Hæc intercedunt inter primum, & secundum sacrificium Paschale; primum tribus classibus celebrabatur, & secundum in tribus classibus non celebrabatur. Primum pellebat immunditiem, & secundum non pellebat immunditiem; in primo (*si prætermissum esset*) pœna erat excidium, & in secundo non erat excidium, verba Rabbi; R Nathan dicit, etiam in secundo erat excidium. R. Chanania filius Akibæ dicit: si fecissent secundum, non erant rei excidii, si non fecissent secundum, propter primum rei erant excidii. *Maimonides ibidem*. Quid vero discriminis erat inter sacrum Paschale primum & secundum? Nempe sacrum Paschale primum, dum fiebat, lege sancitum erat, ne fermentati quicquam domi conspiceretur, aut etiam inveniri posset, immo ne cædi quidem victimam Paschalem fas erat interea dum fermentati quid supererat, nec ullam partem ejus e sodalitio licebat exportari; cum edebatur, eximium illud carmen, quod Hymnus inscribitur, cantari necessum erat; porro cum sacro solemni fere conjungebatur, & aliquando poterat etiam inquinate fieri, si pars major Ecclesiæ polluta funere fuisset, sic ut antea dictum est &c. Sed quid tandem erat causæ, cur sacro Paschali primario non esset prorsus ad omnia simile secundarium, de quo generatim a Lege dicitur: *omnem ritum Phase observabunt*. Num. 9. 12.? Id erat scilicet, quod hic etiam pauca quædam de sacro Paschali decreta nominatim proferuntur, unde satis intelligitur sacrum Paschale secundarium non nisi his, quæ de ipso explicate, distincteque sanciuntur, par esse primario; hæc autem illa sunt edicta, quæ spectant ad corpus ipsum victimæ Paschalis, quæ adeo vere proprieque *ritus Paschæ* dicuntur. *Siphri ad cap.* IX. 11. *In mense secundo quarta decima die*; addit textus in eo duo præcepta, excepto præcepto quod dictum est pro eodem sacrificio: & quodnam hoc est? hoc est, *& os ejus non confringent*, de præcepto, quod spectat ipsum sacrificium Paschale, textus loquitur, tu dicis, quod de præcepto, quod respicit ipsum sacrificium Paschale textus agat, & ego dicam, quod loquatur de præceptis, quæ sunt ob causam sacrificii Paschalis; quando dicit: *omnem ritum Phase observabunt*; ecce dicta sunt præcepta, quæ sunt ob ipsius causam; quid dicendum erat, *omnem ritum*? de præceptis, quæ sui ipsius corpus respiciunt, textus agit. Nonne etiam dicere possim, *quod textus agat* pro septem festi diebus, & pro azymo, & pro panis fermentati remotione? ideo dictum est: *& os ejus non confringent*. Os inclusum erat in genere, & de genere exiit ad docendum pro toto genere; sicuti os est præceptum, quo de sui ipsius corpore textus agit, etiam quando dicit: *omnem ritum Phase observabunt*, de præceptis, quæ sui ipsius corpus respiciant, textus agit. Hisi filius Akibæ dicit, statutum, quod dictum est in sacrificio Paschali, non agit nisi de ipso corpore sacrificii Paschalis.

[13] *Karæi has differentias &c. R. Eliahu in Adderet*. Cum ecce inter Pascha primum & secundum nullum discrimen sit quod quidem attinet obligationem.

[14] *Pascha Ægyptiacum &c. Codex Pesachim cap. IX.* 5. Quæ *differentia* est inter Pascha Ægyptiacum, & Pascha seculorum? Pascha Ægyptiacum sumitur a decimo *die*, & requirit aspersionem cum fasciculo Hyssopi super limine, & duobus postibus, & comeditur cum festinatione una nocte. Pascha seculorum vero in usu est omnes septem *dies*. *Elias Byzantinus de Pasch. cap. I. & 9.* Pascha Ægyptiacum, & Pascha generationum in novem rebus discrepant. 1. Quod Pascha Ægyptiacum decimo die Mensis; Pascha vero generationum quarto decimo demum fuerit præparatum. 2. Quod sanguis Paschatis Ægyptiaci fuerit impositus super liminari, & duobus postibus; sanguis autem generationum effusus ad altare. 3. Non indicavit nobis Scriptura, quid egerint cum adipe Paschatis Ægyptiaci, quem forte comederunt, quia hactenus non sunt admoniti de comestione adipis; ast generationum Pascha impositum est altari. 4. Pascha Ægyptiacum fuit comestum a puris, & impuris; sed Pascha generationum a solis puris fuit comestum, juxta illud Num. 18. 11. *qui mundus est in domo tua vescetur eis*. 5. Pascha Ægyptiacum debebat comedi a viris & a mulieribus, sicut scriptum est: במכסת נפשות sed Pascha generationum comedi debebat a viris adultioribus, sicut dicitur Exod. 23. 17. Deut. 16. 10: *apparebit omne masculinum tuum*. 6. Pascha Ægyptiacum comedebatur in festinatione juxta illud Exod. 12. 11. *Sic autem comedetis illum*; *Renes vestros accingetis*. Sed Pascha generationum in tranquillitate. 7. In Paschate Ægyptiaco non erat Halleluja vel canticum; sed Pascha generationum celebrabatur cum hymno, juxta locum Jes. 30. 29: *Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solennitatis*. 8. Pascha Ægyptiacum non celebrabatur cum convocatione sancta; generationum Pascha celebrabatur cum convocatione sancta. 9. Pascha Ægyptiacum mactabatur & comedebatur in loco profano; pascha vero generationum in loco electo, quemadmodum scriptum Deut. 16. 5. 6: *non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus daturus est tibi, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus &c. Vide Tosaphta Pesachim cap. VIII. 9. 10. & Abarbanelem in Leg. fol.* 150. 1.

[15] *Captivus dimitteretur &c. Consuetudo obtinuit apud Ethnicos vinculis solvi reos in die festo. De Atheniensibus ita scribit Demosthenes in oratione contra Timocratem in Panathenæis*. τότε δὲ ἐξῦν ἀφεῖσθαι τοῦ δεσμοῦ τοὺς δεσμώτας διὰ τὴν πανήγυρίν; tum vero licebat vinctis exire vinculis propter celebritatem ludorum. *De Romanis ita Seneca pater lib.* v. *controv.* 4. Accusatus a fratre parricidii, damnatus, diebus festis intercedentibus pœna *ex lege* dilata est.

[16] *A lectisterniis &c. Livius lib. 5. cap. 13. scribit in lectisternio, quod primum Romæ celebratum fuit, vinctis vincula demta fuisse*. Vinctis quoque demta in eos dies vincula, religioni deinde fuisse, quibus eam opem Dii tulissent, vinciri.

[17] *Pelleret Sabbathum &c. Siphri ad Num. cap. IX.* 2. *Faciant filii Israel Phase in tempore suo*, cur dictum est? *quia dicit, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel*; Exod. 12. 6. ego existimabam tam in hebdomada, quam in Sabbatho; quo pacto igitur explicabitur, *qui polluerit illud morte morietur*? Exod. 31. 14. pro reliquis omnibus operationibus, excepta mactatione Sacrificii Paschalis; dicamne etiam pro Sacrificio Paschali? & quomodo explicabitur, *immolabitque eum*? in reliquis diebus excepto Sabbatho; nonne etiam Sabbatho dicere possim? ideo dictum est, *faciant* &c. verba R. Josiæ; ei dixit R. Jonathan, ex hac sententia nondum intelleximus; ei respondit R. Josia cur dictum est; *præcipe filiis Israel, & dices ad eos, oblationem meam, & panes* &c. Num. 28. 2? si venit ad docendum pro sacrificio jugi, quod pellat Sabbathum, non est necesse, quia jam dictum est: *die autem Sabbathi offeretis duos agnos anniculos. Ibid. vers.* 9. Quid dicendum erat, *per tempora sua*? sed est supervacaneum; ut hoc argumento a pari argumentetur, dictum est hic *per tempora sua*, & dictum est ibi *in tempore suo*; sicuti tempus hoc loci dictum pellit Sabbathum, etiam *tempus suum* ibi dictum pellit Sabbathum. *Quarta decima die mensis hujus*, cur dictum est? quid dicendum erat *in tempore suo*? Nonne jam dictum est, *faciant*? &c. Sed venit textus, & docet pro primo Paschate, quod quemadmodum pellit Sabbathum, ita pellat immunditiem, quod priusquam dixisset, non deerat argumentum; si vacca rufa, quæ non pellit Sabbathum pellit immunditiem, primum Pascha, quod pellit Sabbathum, non erit æquum, ut pellat immunditiem? Ecce secundum Pascha contra probabit, quod pellit Sabbathum, & non pellit immunditiem, & probabit pro primo Paschate, quod quamvis pellat Sabbathum, non pellet immunditiem; ideo dictum est, *in tempore suo*; venit textus, & nos docet pro primo Paschate, quod sicuti pellit Sabbathum, ita etiam pellat immunditiem. *Codex Pesachim cap.* 6. Hæ res in Paschate depellunt Sabbathum, mactatio, sparsio sanguinis ejus, purificatio intestinorum ejus, combustio adipum ejus; sed assatio ejus, & abstersio intestinorum non depellunt Sabbathum; impositio in humerum, & adductio ejus extra terminum, & abscissio verrucæ ejus non depellunt Sabbathum. R. Eliefer dicit; depellunt. Dixit R. Elifer, annon jure consequitur; nam si mactatio (vetita est) propter opus, tamen pellat Sabbathum, ea quæ *vetita sunt* ex constitutione sapientum Sabbathica non pellent Sabbathum? Respondit ipsi R. Jehosua dies festus monstrat, quod permiserunt

ferunt eo *res vetitas* propter opera, & prohibuerunt eo *die* ex constitutione sapientum Sabbathica. Dixit illi R. Eliefer, quid sibi vult R. Jehosua, quæ probatio ab eo, quod liberum est, ad id quod præceptum est? Respondit R. Akiba, & dixit, sparsio monstrabit, quod est præceptum, & *interdictum* ex constitutione sapientum Sabbathica, & non pellit Sabbathum, ideo ne mireris, quod etiamsi præcepta sint, & *interdicta* ex constitutione sapientum Sabbathica, tamen non pellunt Sabbathum. Dixit illi R. Eliefer: super eo ego consequentiam necto, nam si mactatio, quæ (*vetita est*) propter opus pellat Sabbathum, sparsio quæ *vetita est* ex constitutione sapientum Sabbathica, an non merito depellet Sabbathum? Dixit ipsi R. Akiba, aut vice versa; nam si sparsio, quæ *vetita est* ex constitutione sapientum Sabbathica, tamen non pellat Sabbathum, mactatio, quæ *vetita est* propter opus, non depellet merito Sabbathum? Dixit illi R. Eliefer: evertis ea, quæ scripta sunt in Lege Num. 9. 3. הערבי במועדו tam die profesto quam die Sabbathi. Dixit illi Rabbi, adfer mihi *tempus fixum* in illis, quemadmodum in mactatione est *tempus fixum*. Regulam generalem dixit R. Akiba: omnia, quæ peragi possunt in vespera Sabbathi non pellunt Sabbathum, mactatio quæ peragi non potest a vespera Sabbathi, pellit Sabbathum. *Maimonides de Sacrificio Paschali cap. I. 16.* Quæ si decima quarta dies mensis Nisan incideret in Sabbathum, Sabbatho omnia itidem, ut die profesto fierent; ablueretur igitur & atrium; nam quæcunque sapientes edicto sanxerunt, ne Sabbatho fierent, his in templo nullus erat locus, ut eorum aliqua ad rem divinam faciendam non esset ita necessaria; nimirum quicquid ne Sabbatho fieret, auctoritate sapientum erat interdictum, id templo usquequaque permissum erat. Jam Sabbatho victimam suam Paschalem domum referebat nemo; sed enim caterva prima ex atrio egressa cum victimis suis Paschalibus in monte ædis residebat; & altera cum deportaret ex atrio suas victimas Paschales, resistebat in spatio illo antemurali; tertia vero caterva perstabat in loco suo, in atrio videlicet ipso, quibus illæ locis commorabantur ad exactum Sabbathum; tum suam quisque domum cum agno Paschali suo redibat. Ergo ut victima Paschalis cæderetur, & altari sanguis aspergeretur, & ex intestinis cibi reliquiæ depellerentur, & adolerentur extra, Sabbathum elevabatur; etenim ante Sabbathum ista fieri non poterant, siquidem sacrificio Paschali præfinitum est tempus, & in idem hoc Lex edicit; *tempore suo*. Num. 9. 2.

[18] *Sic circumcisio &c. Codex Schabb. XIX.* R. Eliefer dicit; si non attulit instrumentum, (*novaculam ad circumcidendum, Rasch.*) pridie Sabbathi, affert in Sabbatho retectum quidem, aut si periculum fuerit, tegit illud, consciis testibus, (quod novaculam præceptam afferat, Rasch.) Porro dixit R. Eliefer; succidunt ligna, ut faciant carbones, & ut faciant instrumentum ferreum (novaculam ad circumcisionem) regulam enim dixit R. Akiba; omne opus, quod fieri potest pridie Sabbathi, Sabbathum non pellit, sed circumcisio quæ pridie Sabbathi fieri non potest, Sabbathum pellit. Faciunt omnia ad circumcisionem necessaria: circumcidunt, nudant, & exugunt, & super eam *circumcisionem sive locum circumcisum* emplastrum ponunt, & cyminum, quod *cyminum* si pridie Sabbathi non contudit *quis*, mandit dentibus suis & imponit; sed non faciunt indusium ei *circumcisioni* i. e. circumciso. Si non præparavit *panniculum* pridie Sabbathi, circumvolvit digito suo, & affert etiam ex atrio alio, si opus fuerit. Infantem lavant tum ante circumcisionem, tum post circumcisionem, & affundunt, *sive aspergunt* super eum manu, non autem vase aliquo. R. Eliefer filius Asariæ dicit; lavant infantem die tertio, qui in Sabbathum incidit, quia dictum est: *& ecce die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est. Genes. 34. 25.* Propter dubium, & Androgynum profanant Sabbathum. R. Jehuda de Androgyno permittit. Cui fuerint duo infantes, quorum unus post Sabbathum, & alter in Sabbatho circumcidendus, si oblitus fuerit, & circumciderit eum, quem deberet post Sabbathum, in Sabbatho, reus est. Si unus circumcidendus pridie Sabbathi, alter circumcidendus in Sabbatho, oblitusque fuerit, & circumcideret eum, quem deberet vespere Sabbathi in Sabbatho, R. Eliefer damnat (*eum*) peccati; at R. Jehosua absolvit. Infans circumcidi potest ad octo, ad novem, ad decem, & post undecim, atque duodecim (dies) non plures, nec pauciores. Quomodo ergo? more suo ad octo. Si natus fuerit inter vesperas, circumciditur ad novem; si inter vesperas pridie Sabbathi (natus fuerit) circumciditur ad decem; si die festo post Sabbathum, ad undecimum circumciditur; si in diebus duobus principii anni, circumciditur ad duodecimum. Infantem ægrotum non circumcidunt, donec revaluerit. *Tosaphta Schabb. cap. XVII. 4.* Si natus sit septem menses, pro eo elevatur Sabbathum, si octo, pro eo elevari non potest Sabbathum; si dubium sit, utrum natus sit septem, an octo menses, pro eo non pellitur Sabbathum. *Et paucis interjectis.* Dixit R. Simeon: non disputarunt R. Jehosua, & R. Eliefer super eo, qui circumcidendus erat post Sabbathum, quem si circumcidissent in Sabbatho, quod pœna teneantur; super quo disputarunt? super eo, qui circumcidendus erat in vigilia Sabbathi. R. Eliefer eum obligat ad sacrificium pro peccato, & R. Jehosua absolvit; ei dixit R. Eliefer: nonne mihi concedis, quod circumcidendum post sabbathum, si circumcidisset in Sabbatho, pœna teneatur, cum mutaverit ejus tempus? etiam in vigilia Sabbathi circumcidendum si in Sabbatho circumcidisset, reus erit, cum ejus tempus mutaverit; si dixisti pro eo, qui circumcidendus erat post Sabbathum, si circumcidisset in Sabbatho, quod reus sit, ratio est, quia non obligatur ad præceptum circumcidendi. Idem dices pro eo, qui circumcidendus erat in vigilia Sabbathi, qui præcepto tenetur ad circumcidendum? ei respondit R. Eliefer, residuum probet, quod superiori vespera præcepto comedendum erat, & si vespera insequenti comedat, reus est; ei dicit R. Jehosua; minime; quod si dixisti in residuo, quod non præcipitur, ut toto die comedatur, idem dices in circumcisione, in qua toto die præcepto tenetur ad circumcidendum? *Maimonides de circumcisione cap. I. 9.* Circumcisio in tempore ordinario *peragenda* solvit Sabbathum, quæ vero sit extra tempus suum, nec Sabbathum solvit, nec diem festum. At sive fiat tempore suo, sive extra tempus suum, solvit lepram. Qui sic? ut si fuerit pustula alba in cute præputii, abscindat eam cum præputio; licet enim resectio plagæ lepræ sit interdicta præcepto negativo, supervenit tamen illud præceptum affirmativum, & solvit præceptum negativum. Quemadmodum circumcisio filiorum familias solvit Sabbathum, sic circumcisio servorum, qui circumciduntur octavo die, solvit Sabbathum, si inciderit octavus eorum dies in Sabbathum, excepto nato domus, cujus mater non lota est, donec peperit; licet enim hic circumcidatur octavo die, non tamen solvit Sabbathum. Si quis puer ita nascatur, ut sit circumcisus; itemque si quis nascetur mense octavo a conceptione sua, antequam absolvatur formatio ejus, unde est sicut abortus, propterea quod non sit vivax: nec non si quis egreditur per latus (*exciditur ex utero matris suæ*) & Androgynus; ut & si cui geminum est præputium; hi inquam non solvunt Sabbathum, sed circumciduntur prima die Sabbathi, qui est nonus dies eorum. Si quis nascitur inter duas vesperas ita ut dubium sit nox fuerit an dies; numerant ipsi (*dies*) a nocte, & circumciditur nono die, quod hic forte sit octavus dies. Quod si nascitur in vespera Sabbathi inter duas vesperas, non solvit Sabbathum, sed circumciditur in prima Sabbathi die; nam qui dubii sunt, non solvunt Sabbathum &c. *Vide librum Kolbo sect. 73. & Schulchan Aruch sect. 266.*

[19] *Sacrificium juge &c. Siphri ad Num. cap. 28. 9. Die autem Sabbathi offeretis duos agnos*; cur dictum est? quia dictum est; *custodite Sabbatha mea, & pavete ad Sanctuarium meum*; Levit. 26. 2. quod ministerium Sanctuarii pellat Sabbathum; tu dicis, quod ministerium Sanctuarii pellat Sabbathum, ego dicam, quod Sabbathum pellat ministerium Sanctuarii, ideo dictum est: *die autem Sabbathi offeretis duos agnos*; Quid igitur significat: *custodite Sabbatha mea, & pavete ad Sanctuarium meum?* quod ministerium Sanctuarii pellat Sabbathum; dicamne igitur tam pro sacrificio privati, quam pro sacrificio cœtus? Dixisti? de quonam agitur in hoc proposito? de sacrificio cœtus.

[20] *Hillel dicitur &c. Tosaphta Pesachim cap. IV.* 15. Contigit aliquando, quod dies quartus decimus inci-

incideret in Sabbathum, interrogarunt Hillelem seniorem, quodnam esset principium, propter quod non observaretur Sabbathum; eis dixit, num unum sacrificium Paschale annuatim habemus, quod pellat Sabbathum? plusquam trecenta sacrificia Paschalia habemus singulis annis, quæ pellunt Sabbathum; convenerunt contra eum omnes ii, qui erant in atrio; eis dicit: sacrificium juge, quod est sacrificium cœtus, pellit Sabbathum, etiam sacrificium Paschale quod est sacrificium cœtus, pellet Sabbathum. Novum argumentum; dictum est in sacrificio jugi *in tempore suo*, & dictum est in sacrificio Paschali *in tempore suo* sicuti sacrificium juge, in quo dictum est *in tempore suo*, pellit Sabbathum; etiam sacrificium Paschale, in quo dictum est *in tempore suo*, pellit Sabbathum: & præterea argumentatus est a minori ad majus; si sacrificium juge, in quo non est excidium, pellit Sabbathum; sacrificium Paschale, in quo est pœna excidii, non pellet Sabbathum? Et præterea mihi constat ex traditione meorum præceptorum, quod sacrificium juge pellat Sabbathum, & non primum sacrificium Paschale, neque secundum, neque sacrificium Paschale cœtus, sed sacrificium Paschale privati; ei dixerunt, quid faciendum est iis, qui de populo non adduxerunt hesterna die cultros & sacrificia Paschalia in Sanctuarium? eis respondit: sinite illos, spiritum enim habent prophetiæ, qui si minus sint prophetæ, sunt tamen filii prophetarum. At quid fecerunt Israelitæ illa hora? Ille, cujus sacrificium Paschale erat agnus, cultrum in ejus vellere abdidit, & is, cujus sacrificium Paschale erat hædus, appendit *cultrum* ejus cornibus, & adduxerunt cultros, & sacrificia Paschalia in Sanctuarium, & sacrificia Paschalia mactarunt; eo die sibi Hillelem principem præfecerunt, eosque docuit doctrinas sacrificii Paschalis, & Paschatis.

[21] *Panes azymi &c. magna cura conficiendi erant. Tosaphta Pesachim III.* 5. Non subigenda est massa azymorum aqua ferventi, quia ferve-faciebat, nec aquis tepidis, quia fermentant, nec subigenda est aquis frigidis, neque aliis liquoribus; & si subegisset, extemplo coquat necesse est; & R. Meyr interdicit &c. Sapientes dicunt; tres mulieres uni massæ operam dare possunt; una subigit, altera incidit, & tertia coquit; quæ subigit, potest etiam incidere, & altera ejus vice subiget; quæ incidit, coquere potest, & altera ejus vice incidere potest, & cum omnes tres ipsi operam impenderent, alterique altera succederet, fermentari non poterat. Quanta debet esse massa? R. Ismael filius R. Jochananis filii Berokæ, frumentacea usque ad tres Kabos, hordeacea usque ad quatuor Kabos, omnique eo tempore, quo mulier ei operam impendit, non fermentatur. R. Nathan dixit nomine R. Elieseris; res omnino diversæ sunt. *Maimonides de solennitate Paschatis cap. V.* 11. Non est farina multa Paschate subigenda, ne fermentescat, sed ad eum modum, qui libationi est obnoxius. Item farina subigenda non est aqua vel propter ignem, vel in alia calefacta, neque illa, quæ est eodem ipso die hausta, sed quæ domi pernoctavit. Si quis autem hæc negligens farinam Paschate subegit, panis ex illa confectus interdictus sit. Nec in sole collocabit se mulier, quæ Paschate farinam subigat, neque per æstum nebulosum sub dio, ut etiam sol non luceat, neque suam deseret massam, alia re se ut occupet. Quod si massam pinsat, & coquat mulier eadem, vasa aquæ duo illi sunt opus, unum in quo massam in frusta dispertiat, alterum in quo manus aqua refrigeret. At enim si quis contra sub sole depsuit, aut aqua manus non refrigeravit, aut massam pinsit majorem, quam mensura *libationis* postulat, panis tamen ex ea confectus esui permittitur. Sed quænam est illa tandem mensura massæ, quam desiderat libatio? Quæ tribus & quadraginta ovis, insuper & ovi quintæ parti par est, non quæ par est illorum ponderi, sed quæ tot ovorum, eorumque mediocrium magnitudini se exæquet. Quamdiu massam quis contrectat, tamdiu fermentescit nunquam, ne per ipsum quidem diem; sin autem sine contrectatione relicta sit eo usque ut daret sonitum si manu peteretur, fermentata est illa quidem, & statim comburenda. Quod si nullam edat vocem percussa, sed id temporis quieverit, quo milliare conficeris, itidem fermentata est, & igni consumenda protinus. Item si facies ejus sit pallida, veluti cujus horreant pili, ne comedatur, similiter interdictum est; sed hujus esum non sequatur excisio. Si massis e duabus pariter subactis manus simul recessit, siquidem idem tenporis spatium conquieverunt ambæ, licet earum altera vocem petita mittat, altera vero sileat, tamen una comburendæ sunt, utpote omnino fermentatæ. Nullæ fient Paschate placentæ signis impressæ, quippe cum in imprimendis signis mulieres trahant moram, placentæ fermentarentur, ergo ut a pistoribus, qui sunt artis periti, & in agendo celeres, placentæ figuris distinguantur, concessum est, sed interdictum ne hoc idem efficiant patres familias nec typo quidem, hanc videlicet ob causam ne alii rem imitentur sine typo, atque in agendo lenti placentas fermentent.

[22] *Per septem dies &c. Siphri ad Num.* 28. 17. *Septem diebus vescentur azymis*, cur dictum est? quia dicit, *septem diebus azyma comedetis*. Exod. 12. 15. Ego putabam in iis omne azymorum genus comprehendi; ideo dictum est: *non comedes in eo panem fermentatum*. Deut. 16. 3. Non dixi nisi pro eo azymo, quod potest esse azymum & fermentatum, hæ sunt quinque species, nempe triticum, & hordea, & spelta, & avena, & secale; excluditur oriza, milium, sesamum, & papaver quæ nec azyma, nec fermentata fieri possunt, sed tantum possunt corrumpi.

[23] *Fermentum omne &c. Tosaphta Pesachim cap. III.* 11. Die quartadecima, quæ incidit in Sabbathum, fermentum omne removetur ante Sabbathum, & coquet azyma in vigilia Sabbathi ablatio munda & immunda removentur ante Sabbathum; verba R. Meyr; & Sapientes dicunt, suo tempore, ablatio munda, & immunda removentur in Sabbatho. Dixit R. Eliefer filius R. Sadoki: ablatio ante Sabbathum, quia a paucis comeditur, & profana tempore suo, quia a multis comeduntur. Dixit R. Eliefer filius Sadoki, aliquando eramus coram Rabban Gamaliele in schola Laodicææ, & venit Zanin præfectus, & dixit jam advenisse tempus removendi fermentatum; ivi ego cum meo Patre in domum Rabban Gamalielis, & removimus fermentatum. *Maimonides ibidem cap.* 2. Vel ante horam eam, qua ne comedatur panis fermentatus, interdictum est, eumdem panem fermentatum defieri lege præscribitur; namque in ea dictum est: *in die primo non erit fermentum in domibus vestris*. Exod. 12. 15. Dies ille primus traditur esse decimus & quartus Nisan; cui rei argumento est id, quod in Lege scriptum est: *Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ*. Ibid. 34.25. id est, non immolabis agnum Paschalem, dum aliquid panis fermentati supersit, immolatio autem agni Paschalis fit quarta decima Nisan a meridie; sed hæc quæ in Lege commemoratur, defectio panis fermentati, qui fiet tandem? Nempe quisque illum ex animo contemnet, flocci non faciet, tum statuet apud se nullum esse, & si quis sit, eum habebit instar pulveris, atque earum rerum, quibus omnino nihil est opus. *Inventum fermentatum perdebatur. Idem cap. III.* 11. Sed panis fermentatus qui corrumpetur? tribus quidem modis, vel si comburatur, vel si comminutus dispergatur in aerem, vel denique si in mare projiciatur; atqui si foret induratus sic, ut eum fluctus non corrumperent celeriter, oportet item prius illum comminui, quam in mare dejiciatur. Qui panis fermentatus forte fuit ruina obrutus, terraque contectus tres palmos in altitudinem aut amplius, is quidem videtur sublatus esse, quamobrem satis est eum ex animo delere, si hora nec dum veniret sexta. Si quis ante horam sextam suum alienigenæ panem fermentatum dederit, ex eo nihil tolli necesse est; & qui ante horam sextam panem fermentatum exussit, is illius utetur carbonibus ad solennitatem Paschæ. Post horam sextam si fuerit combustus, siquidem esset jam tum illius usu interdictum, neque clibanus, neque focus eo calefiet, ut in iis aut coquatur panis, aut pulmentum lixetur aliquod, ac si quid coctum fuerit, illius etiam sive pulmenti sit interdictum usu, nec ipsorum adeo exustorum carbones ulli possunt usui esse, quandoquidem tum demum sint exusta, cum nobis erat illorum usu interdictum.

[24] *Multi sunt Judæi &c. Tosaphta Pesachim cap. I.* Vespera *diei* decimi quarti inquiritur de pane fermentato ad lucem lampadis; neque inquiritur vel solis,

lis, aut lunæ luce, sed tantum ad lucernæ lumen; quia inquisitio ad lampadis lucem rectius fit; & quamvis de eo nulla sit demonstratio, non deest tamen indicium in textu, qui dicit: *& erit in tempore illo, scrutabor Jerusalem in lucernis. Soph.* 1. 12. Et pariter dictum est: *lucerna Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris. Proverb.* 20. 27. Schola Schammai dicit; duo ordines super faciem totius cellæ; ordo exterior, qui portam respicit, & superior, qui laqueare respicit; sed qui eo sit inferior, & qui eo sit interior, non eget inquisitione; Schola Hillelis dicit: ordo exterior est superior, qui respicit portam, & tigna, & qui eo sit inferior, sed qui sunt iis interiores, inquisitione non indigent, suprema ædium foramina & infima, pars orbicularis cubiculi, lacus, tectum domus, armarii tectum, palearia, bubilia, lignaria, & cellæ vinariæ, & oleariæ, & horrea inquisitione non egent. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit: si lectus totam domum separaret, & infra eum collocata essent ligna & lapides, inquiret in parte exteriori, neque opus est in parte interiori. *Maimonides ibidem cap. II.* 3. atqui sapientes sanxerunt, ut quisque perquireret panem fermentatum in locis reconditis atque foraminibus, & pervestigatum penitus efferret a se; iidem sanxerunt etiam, ut inde ab ineunte nocte, quam consequitur dies quartusdecimus Nisan, lucerna conquireretur ad destruendum, panis fermentatus, cum quia noctu suæ quisque domi est, tum quia ad perquisitionem lucerna maxime est idonea. Itaque ad extremum diei decimi & tertii Nisan, nullæ habentur scholæ, nec doctorum ullus legere quicquam cœpit, ne forte legendo protrahatur, atque adeo a matura, & tempestiva panis fermentati perquisitione deterreatur. Igitur neque lunæ luce, sed lucerna conquiritur panis fermentatus, in foraminibus videlicet atque in locis reconditis; nam in exedra quæ sit perquam lucida, satis est si luce solis exploretur. Jam in media area prorsus non est opus conquisito, quoniam alites ibi sane quam frequentes, quicquid illuc inciderit panis fermentati, protinus comedunt. Si quod in communi duorum vicinorum pariete foramen est, uterque eo perquirat usquequo manu penetrare potest, cæterum deleat ex animo. Verum si forte foramen insit in pariete intergerino inter Judæum atque alienigenam, id nequaquam exploretur, ne sibi a Judæo fieri veneficium putet alienigena. Itaque ad destruendum quod in eo forsan insit panis fermentati, satis erit, si ex animo deleveris. Jam vero nullum opus est explorari locum, quo non inferatur panis fermentatus. Suprema ædium foramina atque infima, itemque supremum lecti tegmen, bubilia, gallinaria, palearia, cellæ vinariæ, atque oleariæ, e quibus nihil sumatur ad vitam, & usum, postremo piscina, ubi grandiores modo servantur pisces, nisi constet illatum esse panem fermentatum, nihil indigent quæstionis. Cellas autem sideræ ac vini de quibus ad usum depromatur, itemque salis, & ceræ cellas, atque piscinam eam, in qua parvi modo servantur pisciculi, cellam ligni, & salituræ, mediaque ædium foramina, atque horum similia explorari opus est, quia in hæc quidem loca panis fermentatus inferatur. Quod si certo sciatur, nihil esse illatum panis fermentati, ne hæc quidem explorari necesse est; cumque in cellis sint res ordine locatæ, omnino prima rerum striga, atque secunda ab ea perlustrantur &c.

[25] *Nec a meridie diei &c. Tosaphta Pesachim ibidem.* Qui comedat fermentatum post meridiem, & fermentatum, super quod prætererit Pascha, præcepto negativo interdicitur, sed in eo non est pœna excidii, verba R. Jehudæ; & sapientes dicunt, omne id, in quo non est pœna excidii, præcepto negativo non prohibetur. Qui comedit ad quantitatem olivæ de fermentato in Pascha, si de industria fecerit, reus est excidii, si per errorem, obligatur ad sacrificium, & si defuerit notitia, ad sacrificium pro reatu dubio. Qui comedat oblationem primam fermentatam in tempore Paschæ, non solvit nummos. Dixit R. Jochanan filius Nuri: interrogavi R. Akibam, qua de causa qui comedit oblationem primam in festo Paschali, non solvat pretium lignorum sacerdoti; quodnam discrimen intercedit inter hunc & reliquos anni dies, quod in reliquo anni solvit pretium lignorum sacerdoti? ei dixit, non est simile, quod si dixisti in reliquo anni tempore, quo quamvis ei comedere non liceat, ligna tamen permittuntur; dices in hac, quam ei comedere non licet, neque ligna permittuntur? Cuinam hæc similis est? ablationi mororum, cucumerum, & peponum, quæ si pollueretur, ei non licet eam comedere; neque ligna permittuntur. Pro quo casu hæc dicta sunt? pro ablatione, quam separasset ex fermentato ante Pascha titulo ablationis; sed qui separat ablationem ex fermentato in Paschate, non est ablatio. Qui comedit sanctitatem in fermentato in Paschate ex ignorantia, solvit sortem, & præterea quintam partem, & *obligatur* ad sacrificium pro reatu certo, & ad sacrificium pro delicto dubio; si de industria, liber est; hoc vero intelligitur in sanctitate, quam separasset fermentatam ante Pascha, quæ est sanctitas, sed qui sanctificat fermentatum in Paschate, non est sanctitas. Tam qui edit, quam qui dissolvit, & bibit, si edisset, atque iterum ac tertio edisset, si ab initio primæ comestionis usque ad ultimam tantum intercesserit temporis, ut tria ova comedi possent, componuntur (*comestiones*) si plus temporis, non componuntur; si bibisset, atque iterum bibisset, si ab initio primæ potationis usque ad postremam tantum temporis intercesserit, ut possit bibere quartarium, conjunguntur, si plus, non conjunguntur. Quemadmodum comestio consideratur in quantitate olivæ, ita etiam potatio; & comestio, & potatio una componuntur; si edisset ad quantitatem olivæ ex quinque frumenti speciebus, conjunguntur; si edisset ad quantitatem dimidiæ olivæ, eique innotuerit, atque rursus pergit edere ad quantitatem dimidiæ olivæ ex eadem specie, non componuntur. *Maimonides ibidem cap. I.* Quicumque ad olivæ magnitudinem ex pane fermentato comedit in solennitate Paschatis; a principio scilicet diei quinti decimi primi mensis Nisan, cum id committat præfracte, excidio multatur, quia est in Lege scriptum: *Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, a primo die usque ad diem septimum. Exod.* 12. 15. Sin autem hoc idem admittat imprudens, solenne, ac statutum pro peccato sacrificium faciat; idem vero facit qui manducat, ac qui liguriat, aut sorbeat. Panis fermentatus nulli est per solennitatem Paschatis usui, ex eo quod sit in Lege dictum: *ut non comedatis fermentatum panem;* Ibid. 13. 3. quo quidem interdicitur ne ulla ratione in usum vitæ redigatur. *Et nonnullis interjectis.* Ergo ne edatur in solennitate Paschatis quamvis parva panis fermentati particula, interdicitur ab ipsa Lege, in qua scriptum legitur: *ut non comedatis.* Attamen neque excidium, neque solenne atque statutum pro peccato sacrificium sequitur, nisi certum quendam modum, qui continet olivæ magnitudinem. Minus hoc si quis edat præfracte, propter contumaciam verberatur. Nefas est panem fermentatum comesse die quartadecima Nisan inde a Meridie, idest ab ineunte hora ejus diei septima; atque hominem id temporis pane fermentato vescentem verberibus coercet ipsa Lex in qua dicitur: *non comedes super eo* (ita Hebræus) *panem fermentatum* (*nimirum super agno Paschali*) Deut. 16. 3. Quod per traditionem (*sc. humanam*) hoc explicatur modo: non comedes panem fermentatum ex ea hora, quæ sit ad agni Paschalis quæ serotino crepusculo assolet fieri, immolationem interdum idonea, hoc est ex hora meridiana. Verum sapientes interdixerunt etiam, ne quisquam panem fermentatum edat ab ineunte hora ejus diei sexta, ut ne eveniat ut violetur id quod Lege sit interdictum. Itaque panis fermentatus ab ineunte hora sexta, ex sapientum decreto erit nefas & esu, & quolibet usu ad extremum horæ sextæ. Ab hora autem septima per reliquum diei spatium ex Lege interdictus est; nec quinta quidem ejus diei hora pane fermentato vesci licet, propterea quod nebuloso die, facile cum hora quinta confunderetur sexta, neque tamen hora quinta fermentati panis usus est illicitus omnino. Quapropter ea quidem hora panis fermentatus, qui sit aut ex libamento, aut *de fermento laudis*. Amos 4. 5. aut ex simili re consecrata, suspenditur, id est non comeditur quidem, sed nec comburitur, dum venerit hora sexta, qua fermentata cuncta inflammantur. Ex quibus intelligere licet, quarta decima die Nisan panem fermentatum edere licere ad extremam horam ejus diei quartam, hora

quinta interdici, ne comedatur; licere autem uti illo ad alias cauſas; eo veſcentes hora ſexta verberibus cædi propter contumaciam; at qui illum edat ab ineunte hora ſeptima ex Lege verberari.

[26] *Nocte autem &c. Maimonides ibidem cap. VI.* Lex jubet quemque veſci pane azymo ad eam noctem, quæ decimam & quintam lucem Niſan antecedit; eſt enim in ea dictum: *Primo menſe quarta decima die menſis ad veſperam comedetis azima*. *Exod.* 12. 18. Quod quidem ubique loci, & ſemper obſervari debet; neque enim hoc eſt ex illo Agni Paſchalis præcepto conſequens, ſed eſt præcipuum quoddam præceptum, quod in primam Paſchæ noctem plenam excurrit. Nam reliqua ſolennitate cuique licet aut pane azymo, aut oryza, aut milio, aut toſtis frugibus, aut fructibus denique veſci. At ut prima nocte Paſchæ quiſque comedat panem azymum, certe lex eſt, cui quidem Legi ſatisfecerit, qui panis azymi fruſtum magnitudine par olivæ comederit. Atqui panem azymum qui abſorbuerit, legi quoque fecit ſatis, non item qui abſorbet olus illud amarum. Quod ſi quis una cum azymo pane glutiverit amarum olus, ille de pane quidem azymo legi eſt obſequutus; neque enim olus amarum impedit, quominus panis azymus recte comedatur, quippe quod eſt adjunctio quædam ad panem azymum. Verum oleris amari præceptum exſequutus non eſt; qui vero & panem azymum, & amarum olus vel muſco vel ſimili quodam involucro præligata abſorbuerit, ne præcepto quidem panis azymi fecerit ſatis &c. Nemo porro hanc comedendi panis azymi legem obſervaverit, niſi qui comederit panem azymum, qui conſtaret ex aliquo e quinque frugum generibus, de quibus ſupra dictum eſt. Quod enim Lex dicat: *non comedes in eo panem fermentatum, ſeptem diebus comedes panes azymos*. Deut. 16. 3. id indicat fieri quidem legi ſatis, ſi comedatur panis azymus, qui ex illis conſletur frugibus, quæ fermentari poſſunt contra ſi ex oryza, milio, & leguminibus, quæ nullum dant fermento locum. *Et paucis interjectis*. Nihil refert, utrum panis ille azymus in clibano, aut in ſartagine coquatur, nec quicquam intereſt, an ſartaginem calefeceris prius, quam imponeres maſſam, an vero poſt impoſitam maſſam fervefeceris ſartaginem; nam & in ſolo, qui coctus eſt, ad legem hanc ſervandam eſt idoneus, immo vero & qui non eſt perfecte excoctus, ſi, dum frangitur, nulla modo fila, tanquam de maſſa omnino cruda, deducantur. Laganum etiam maceratum quod liquefactum non eſt, adhiberi recte poteſt; ſed qui fuerit elixo pane uſus, legi nequaquam ſatisfecit, quippe in quo nullus omnino ineſt panis ſapor. Nemo præceptum exſequitur eo pane azymo comedendo, quo ipſi interdicitur, veluti qui panis azymus eſt, aut e frugibus non decimatis, aut e decimis primis, de quibus ſua libatio facta non eſt, aut qui panis eſt e rapina comparatus. Ad ſummam de quocunque pane comeſo non fit gratiarum actio, eodem huic officio Paſchali ſatisfacere nemo poteſt. Sacerdotes autem pane illo azymo, qui conſtat e libationibus, ſatisfacere poſſunt, quamquam panis is non aptus eſt omnibus. Itaque Hieroſolymæ quidem ſinguli faciant officium pane illo azymo, qui eſt ex decimis ſecundis, ſed illo, qui fuerit e frugum primitiis, vel Hieroſolymæ officium non faciunt; nam frugum primitias non ubique locorum comedi fas eſt; fas eſt autem decimas ſecundas pretio redemtas edi ubique gentium. Atqui ſcriptum legitur, *in cunctis habitaculis veſtris edetis azyma*; *Exod.* 12. 20. cujus ſententia eſt ea, ut, qui per omnes omnino habitationes edi poteſt, illo demum azymo pane fiat officio ſatis. Placentæ laudis & Nazyræorum, lagana azyma, quæ ſibi ipſi pararunt, non ſunt idonea, quibus huic officio fiat ſatis. Quod enim in Lege dicitur: *& obſervabitis azyma*; *Exod.* 12. 17. id ſignificat ſolum illum convenire panem azymum, qui ad hoc officium ſervatus, & ab initio deſtinatus eſt; illa vero, quæ modo diximus, parata fuerunt ſacrificiis.

Recumbentes hac nocte comedunt. Babyl. Peſachim fol. 108. 1. Dicitur quod azyma opus habent recumbentia, herbæ amaræ opus non habent; de vino dicitur nomine Rabh Nachman, quod opus habet recumbentia, & tamen hæc non contrariantur; nam illud dicitur, de duobus poculis prioribus, hoc de duobus poculis poſterioribus. *Hieroſol. Peſachim fol.* 37. 2. R. Levi dicit; mos ſervorum eſt, ut edant ſtantes, at nunc comedant recumbentes, ut dignoſcatur exiiſſe eos e ſervitute in libertatem. R. Simeon nomine R. Joſuæ ben Levi; iſtud inſtar quantitatis olivæ, quod quis Paſchate comedens officium præſtat, comedatur recumbendo. *Babyl. ubi ſupra in Gloſſa*. Azyma comedunt nocte prima recumbentes, quia recordatio eſt redemtionis. Herbæ amaræ non opus habent recumbentia, quia memoriam ferunt ſervitutis. *Toſaphta Peſachim cap. X.* Vigilia Paſchatis prope veſperam nemo poteſt edere niſi uſque ad noctem; vel pauper Iſraelis non edet niſi recumbens. *Maimonides ibidem cap. VII. 6.* Sua quiſque ætate ſibi ipſe videri debet Ægyptia modo ſervitute liberatus eſſe, ut in Lege dicitur: *& nos eduxit inde*. Deut. 6. 23. Quod eſſe nobis a Deo imperatum, oſtendit illud Legis; *memento quod & ipſe ſervieris in terra Ægypti &c.* Deut. 15. 15. Scilicet, vult Deus ut memineris tete ſervire in Ægypto, indeque in libertatem vindicari; ergo ad cœnam noctis illius quiſque ſic debet cibum capere, & accumbere ut ſolent liberi &c. Item pauperrimus quiſque non cœnabit illa nocte niſi accumbens. *Mulieres non debebant accumbere. Maimonides ibidem cap. VII.* 8. Nihil eſt, quod accumbat mulier, niſi perilluſtris ſit. Filius apud patrem, atque etiam apud herum famulus accumbant neceſſe eſt, ſed coram Magiſtro diſcipulus non accumbet, niſi data licentia. *Orach Chajim. num.* 472. Mulier non obligatur ad accumbendum. Rationem hanc reddidit Raſchbam, propterea quod reverentia mariti illius illi incumbit; ſic vidua, & repudiata deberent accumbere, ſed auctor conſtitutionum magnarum ſcripſit; propterea quod vulgo moris non ſit, cum mulier debeat infundere. Juxta hoc, nulla mulier erit obligata, ut accumbat. Mulier tamen honorata (utpote quæ miniſtrare non ſolet) debet accumbere. *Reclinati in latus ſiniſtrum, pedibus in terra poſitis ſolebant accumbere. Gloſſa ad cap. VI. 6. Berachoth*. Accubitus iſte erat, cum inclinarent ſe in latus ſiniſtrum in lectulis, atque ederunt, & biberunt ſic inclinati. *Atque eadem Gloſſa alibi*. Edere ſoliti ſunt recumbentes in latus ſiniſtrum, pedibus in terra poſitis, unuſquiſque ſuper lectulum unum. *Orach Chajim ibidem*. Quum vero accubuerit, non inclinabit ſe ſuper dorſum ſuum, neque ſuper faciem ſuam, neque ſuper dextrum latus ſuum, ſed ſuper ſiniſtrum latus ſuum. Rationem hanc reddidit Raſchbam, quod oporteat eum comedere dextra ſua. Unde qui ſcævus eſt, inclinaret ſe in dextrum latus ſuum. At Raſchi hanc rationem reddidit, ne aſperam arteriam gulæ præcidere faciat.

Hoc ordine accumbere ſolebant. Toſaphta Berachoth. V. 4. Quiſnam erat ordo convivii? quo tempore ſunt duo lectuli, qui major eſt accumbet in primo, & ſecundus ab eo in ſecundo infra eum; & quando ſint tres lectuli, major accumbet in capite lectuli medii, & ſecundus ab eo ſupra eum, & tertius accumbet infra eum; & in reliquis hic ordo ſervabitur. *Gemara Berachoth*. At cum forent duo lectuli, ille qui primus erat, ſedit ſummus, & ſecundus ab eo ſedit ſupra eum. Cum tres forent, digniſſimus diſcubuit in medio, & ſecundus ab eo ſupra eum, & tertius infra; & ſi vult colloqui cum eo, erigit ſe, & erectus ſedet, & colloquitur cum eo. *Gloſſa in hunc locum*. Lectus ſecundi erat juxta cervical primi &c. Tertius diſcubuit juxta pedes primi &c. Si digniſſimus vult colloqui cum ſecundo ab eo, neceſſe eſt ut erigat ſe ab recubitione ſua, & erectus ſedeat; nam quandiu ille eſt reclinatus, non poteſt colloqui cum eo, quia ſecundus eſt poſt occiput primi, & facies primi eſt alio averſa; præſtaret ergo ſecundo ut ſederet infra eum, nam tum poteſt audire verba ejus, cum ſedet reclinatus. *Hieroſ. Taanith fol.* 68. 1. Cum duo lectuli eſſent, digniſſimus accumbit ſupremus, & ſecundus ab eo ſupra eum; cum vero eſſent tres lectuli; digniſſimus accubuit in medio, & ſecundus ab eo ſupra eum, & tertius ab eo infra eum. *Hinc multa Evangeliſtarum loca illuſtrantur de Jeſu Chriſti accubitu.*

[27] *Quem fractum &c. Maimonides ibidem cap. VIII.* 6. Deinde placentas azymas accipiebat duas, quarum unam bipartitus, ex illa partem alteram imponebat alteri placentæ adhuc integræ, tum Deo de illis benedicebat *e terra panem elicienti*. Cur autem hoc idem non faciebat placentis ſuper integris itidem, ut ad

alios

alios dies feſtos? Nimirum quoniam azymus hic dicitur *panis afflictionis*, ut igitur homo tenuis, & afflictus buccella, ſic & iſta nocte ſingulis panis fruſto veſcendum erat. *Orach Chajim ibidem*. Mox ſumet panem azymum (mazzam) medium, & in duas partes franget, dabitque dimidium ejus uni ex accubentibus, ad aſſervandum illud pro tragematis. Ponunt autem illum ſub mappam in memoriam ejus quod dicitur: *& mactræ eorum ligatæ fuerunt in veſtimentis eorum*. Alterum autem dimidium ponet ipſe (*paterfamilias*) inter duos integros *panes ſeu mazzas*, ut ad integrum primo perveniat, quam inceperit benedicere benedictione; *qui educit*; nam de hoc *integro* aliquid illi frangendum. *In Levuſch hattecheleth. Num.* 167. 14. Frangens dat particulam coram unoquoque, & alter tollit, vel accipit eam manu ſua, neque licet ei illam in manum comedentis dare, niſi fuerit lugens &c. Attamen non projiciendo dabit particulam illam, quod id faceret ad contumeliam ciborum, neque conveniens eſſet honori accipientis, ſi projiciendo daretur. *Paterfamilias panem frangere debebat. Berachoth* 46. 1. R. Zeira ægrotavit, R. Abhu venit ad eum, & ſic ſpopondit; ſi R. Zeira convaleſcat, ego faciam diem epulatorium Rabbinis; convaluit ille, atque is paravit convivium Rabbinis omnibus. Cum jam incipiendum eſſet prandium, dixit R. Abhu R. Zeiræ; magiſter incipe pro nobis; nonne magiſter meminit illud R. Jochananis qui dicit; paterfamilias frangit panem &c.? Cum benedicendum eſſet, dixit R. Abhu R. Zeiræ; benedicat pro nobis magiſter; cui ille; nonne cogitat magiſter illud R. Haunæ Babylonici qui dicit: ille qui frangit panem, benedicit? *Et paulo poſt*. Ille qui frangit panem non frangit, antequam proferatur Amen ab ore omnium accubantium, atque benedictioni ejus reſpondentium, Amen &c. Non licet accubantibus guſtare quicquam, antequam ille qui frangit panem, guſtaverit.

[28] *Quantitate olivæ &c. Maimonides ibidem cap. VI.* At ut prima nocte Paſchæ quiſque comedat panem azymum, certe Lex eſt, cui quidem legi ſatisfecerit, qui panis azymi fruſtum magnitudine par olivæ comederit. *Orach. Chajim num.* 477. Sunt qui dicunt, quod convolvi debeat in amaritudine, & intingi in intritum, & deinde comedi in quantitate olivæ azymus ſolus. Verum enimvero Dn. parens meus ha-Roſch p. m. ſcripſit, quod non requiratur niſi in quantitate olivæ, ſolus *azymus*.

[29] *Memorari quoque &c. Maimonides ibidem cap. VII.* Quæ majoribus noſtris nocte illa, quæ eſt ad decimam & quintam lucem Niſan, contigere prodigia atque miracula, ea commemorari Lex jubendo præſcribit, in qua dicitur: *mementote diei hujus in qua egreſſi eſtis de Ægypto*. Exod. 13. 3. ut in alio loco dictum eſt etiam; *memento ut diem Sabbathi ſanctifices*; Exod. 20. 8. Mentionem vero prodigiorum eſſe faciendam nocte illa, quæ lucem præcedit decimam & quintam Niſan, hic ſcripturæ locus ſignificat: *narrabiſque filio tuo in die illo, dicens propter hoc &c.* Exod. 13. 8. nempe cum menſa erit *hoc* inſtructa pane azymo & olere amaro; ſed qui nullum habeat filium, tamen migrationem ex Ægypto narrare debet, & peritiſſimus quiſque ſic facere. Atque ut quiſque in narrando eſt longiſſimus, ita maximis laudibus cumulatur. Atqui hæc quemque ultro liberis etiam non interrogantibus narrare, jubet præceptum hoc: *narrabiſque filiis &c.* Itaque ſuum quiſque filium erudiet, ut erit illius captus, v. g. natu minori, & rerum adhuc rudi dicet iſta; Fili ſervi in Ægypto fuimus omnes, ut ancilla hæc, ut ſervus hic; hac autem nocte nos in libertatem vindicavit Deus optimus maximus. Sed ætate magis provecto, & jam ſatis literato, & quidcunque mali nobis accidit ab Ægyptiis, exponet, & quæ ſunt a Moſe illo noſtrum omnium magiſtro facta miracula. Atque modum faciet item filii captus. Hac vero nocte agendi facienda mutatio, ut liberis advertentibus, atque interrogantibus, quid hæc ab aliis diſcrepat nox? reſpondeatur hoc & illud ea nocte accidit. E. g. quiſque liberis diſpertietur fruges igni toſtas, nuces, aut menſam curabit tollendam antequam cœnarint, aut panem azymum ex manu alter eripiet alteri, & horum ſimilia. Qui nullos habet liberos, hunc oportet percontetur uxor. Quod ſi qui maneant una, qui nec uxores habeant, alius alium interroget quid ab aliis differat iſta nox, quamvis ſinguli ſint doctrinæ principes. Qui vero degat ſolus, is ſe ipſe interroget, quid iſta nox ab aliis differat. Hæc autem narratio incipienda eſt a vituperio, & laude concludenda. Quamobrem narrationis exordium ducetur ab eo, quod Majores noſtri temporibus Thare, & antea cognitione Dei alieni, numina ſequebantur vana, ſydera, & planetas, quos divino cultu venerabantur. Ad extremum commemorabitur, quemadmodum Deus verus juſta lege nos a cunctis gentibus ſecernens ad ſe unum applicuerit. Ac ſervitutis quidem, atque omnium, quæ ſumus in Ægypto a Pharaone perpeſſi, malorum mentio prius fiet, quam prodigiorum, & miraculorum, quæ contigerunt, ac libertatis, quæ prodigiorum multitudinem ſecuta eſt. Atque hæc quiſque perſequetur interpretanda illa ſectione tota, cujus principium eſt, *Syrus perſequebatur patrem meum &c.* Deut. 26. 5. quam quidem ſectionem, qui magis amplificabit, plus adipiſcetur laudis. Deeſt officio qui nocte illa, quam ſequitur decima & quinta lux Niſan, de tribus hiſce rebus, Agno Paſchali, azymo pane, & olere amaro non dixerit iſta; Paſchalis apponitur agnus eo, quod in Ægypto noſtrorum domus patrum tranſiſiverit Deus; quod quidem a Lege præſcribitur: *dicetis eis; victima tranſitus Domini eſt &c.* Exod. 12. 27. Olus autem acerbum, quod majores noſtros in Ægypto degentes acerbe vexarunt Ægyptii. Panis denique azymus, quia Deus illos in libertatem vindicavit (antequam fermentaretur illorum maſſa.) Quæ ſimul omnia vocatur hymnus.

[30] *Quatuorque pocula &c. Toſaphta Peſachim cap. X.* Nec biber minus quam quatuor pocula vini, quorum quodque vini quartarium contineat, ſive merum ſit, ſive aqua dilutum, ſive recens, ſive vetus. R. Jehuda dicit, dummodo ei ſit ſapor & vini color; ſi ei miſcuiſſent primum poculum, Schola Schammai dicit benedicet primo de die, & deinde de vino, quia feſtum cauſa eſt, ut ſumat vinum; & prius venit feſtum, quam vinum; & Schola Hillelis dicit; primo de vino benedicet, & deinde de feſto, quia vinum cauſa eſt, ut fiat benedictio de feſto. Alia ratio; benedictio de vino frequentior eſt, & deciſio eſt juxta Scholam Hillelis: *Maimonides cap. VII.* 7. *ibidem*. Item ſingulorum eſt cum virorum, tum etiam mulierum pocula vini potare quatuor ad minimum, nec homini quidem illi, qui alitur ex eleemoſyna pauciora quatuor poculis vini licet adhibere. Atqui modus cujuſque poculi eſt quartarius: *Et paulo poſt*. Hæc pocula quatuor oportet ita miſceri, ut ſint potu jucunda, quapropter, & vini & bibentis eſt habenda ratio. Verum tamen non minus quartario meri cum poculis quatuor immiſceatur. Quod ſi quis iſta mera ebibit pocula, is etſi fecit officium, quod pocula ebibit quatuor, tamen hoc idem non præſtitit, quia libere non potavit; ſed qui pocula quatuor rite miſta ſimul una potavit, ille libere quidem, non cenſetur autem pocula potaſſe quatuor; ſed qui majorem cujuſque poculi partem potavit ſeorſum, recte ille quidem. *Orach Chajim.* 472. Oportet autem quemvis hominem bibere quatuor pocula eo, quem exponemus, ordine; ſin biberit ea, unum poſt alterum, neglecto ordine, non ſatisfaciet debito. Menſura poculi (*vini*) debet eſſe quartale רביעית, & quantitas vaſis, quod continebit illud, duos pollices latum quod ad longitudinem, itemque quod ad latitudinem. At altitudo erit duorum pollicum latorum cum dimidio, & quinta parte pollicis non tamen neceſſe eſt, ut ebibat totum, ſed tantum potiorem partem: quod ſi tamen fuerit vinum, cui prius aſſuevimus, non opus erit mixtura aquæ. Habetur in Gemara Hieroſolymitana, quod res præcepti ſit, ut inquiramus vinum rubrum; videtur tamen, quod ſi album præſtantius fuerit rubro, præferendum ſit. Per vinum coctum non ſatisfieri debito ſcripſit R. noſter Haj, nec benedici ſuper eo per *qui omnia &c.* Sed in Gemara Hieroſolymitana ſcriptum eſt, quod per coctum ſatisfaciant debito, nec non per conditum. Porro ſi maxime alicui non fuerit, niſi cibus duarum menſarum, nihilominus vendet eum, ut emat vinum pro quatuor poculis, quamvis etiam poſtea acquirere *cibum* coactus fuerit ex eleemoſyna. Tam fœminæ quam mares obligantur ad illa quatuor pocula. *Ex eodem poculo Patrisfamilias omnes convivæ bibebant*. In Col-bo num. 25. fol. 21.

4. Poſt

4. Poſt conſecrationem vini bibit unuſquiſque accumbentium ex poculo benedictionis hauſtum. *In Lewuſch in ritibus de Sabbatho num.* 271. 14. Præceptum eſt, optimum, ac præſtantiſſimum eſſe, ut ſanctificans ſive benedicens primo guſtet (*de poculo ſc. ab initio menſæ conſecrato*) ac poſtea omnes accumbentes guſtent, unuſquiſque hauſtum. *Sancti Patres ſcribunt Jeſum Chriſtum quoque de poculo, quod ſanctificaverat, guſtaſſe. Auguſtinus lib. 2. doctrina Chriſtiana cap.* 3. Et Sacramento corporis & ſanguinis ſui prægustato, ſignificavit quod voluit. *Chriſoſtom. Homil.* 83. *in Matth.* Ipſe quoque bibit ex eo, ne auditis verbis illius dicerent; quid ergo ſanguinem bibimus, & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur &c. Ne igitur id quod accideret, primus ipſe hoc fecit, ut tranquillo animo ad communicationem myſteriorum induceret. *Baſilius in Anaphora de Calice.* Benedixit, ſanctificavit, ac guſtavit, & dedit diſcipulis ſuis. *Antoninus I. p. c. 6. l. 5. paragr.* 2. Facta conſecratione, & ipſe ſacramentum ſumſit, non quod egeret, vel novum effectum gratiæ ex eo ſuſciperet, ſed uti exemplum illud accipiendi nobis præberet.

[31] *Quorum tertium &c. Codex Peſachim cap. X.* 7. Si infundant illi vas tertium, dicit benedictionem ſuper menſa ſua. *Maimonides ibidem cap. VII.* 10. Horum autem poculorum quatuor ſuam quodque precem deſiderat. Ad primum igitur dies feſtus conſecratur, incipitur hymnus ad alterum, ſuper tertio redditur de cibo jam capto gratiarum actio, ad quartum abſolvitur hymnus, & carmen divinum canitur, atque priora inter pocula duo cuique licet bibat ſi velit, non item inter tertium, & poculum quartum. *Orach Chajim Num.* 474. Atque hic bibit poculum ſecundum. Ubi ſcripſit Rab Alphes, quod benedicere debeat per *qui creat fructum vitis*; & ſic ſcripſit quoque R. Natromai, & R. Omram, & Rambam p. m. & Abi-haeſri, ſed non clarum eſt juxta ſententiam Dn. parentis mei ha-Roſch. p. m. Potius vero ſuper poculo primo, quod eſt ſanctificationis, & ſuper tertio, quod eſt benedictionis cibi (benedicendum eſt.) Sed ſuper poculum ſecundum, & ſuper poculum quartum, non opus eſt benedicere; & ſic ſcripſit R. Cohen Zedek. Quod ritum benedictionis poſterioris attinet, ſcripſit Rab Alphes, benedicendum eſſe ſuper poculo ſecundo, & ſuper quarto; verum oppoſuerunt illius verbis; quare benedicere quis debeat ſuper ſecundo? annon enim coram ipſo ſit cœna, ille vero liberum pronuntiet vinum intra cœnam? Quo poſito, quomodo benedicere poſſit poſt illud? Abi-haeſri ſcripſit, quod benedicendum ſit poſt primum poculum, & poſt tertium, & poſt quartum. R. Nilai ſcripſit, ſuper poculo ſanctificationis, & eo, quod eſt ante benedictionem cibi, quum ſit ipſi poculum, & ſuper quo benedicendum benedictione cibi; ideo, *inquam* ſuper his non eſt benedicendum ſuper vitem, ſed ſuper ſingulis poculorum poſteriorum benedicendum eſt. R. Scherira, & R. Haj ſcripſerunt, quod oporteat benedicere ante omnia & ſingula, non tamen benedictione poſteriori, quandoquidem non benedicendum ſit niſi poſt poſtremum. Et Dn. pater meus ha-Roſch p. m. conſenſit in verba eorum quod ad benedictionem poſteriorem, quod ſc. non benedicendum ſit niſi poſt poculum ultimum. Et ſic etiam ſcripſit R. Jonah.

[32] *Et inter quæ &c. Ut hæc facilius intelligas, tibi ex cap. VIII. Maimonidis de ſolennitate Paſchatis totius cœnæ Paſchalis ordinem, & ritum deſcribemus.* Ad hunc fere modum præcepta Legis obſervabantur Paſchæ nocte prima. Principio poculum miſcebant cuique domeſticorum, & procreatore vini collaudato conſecrabant diem, ac gratiam agebant Deo, cujus benignitate perveniſſent ad id temporis, ac ſuum quiſque poculum hauriebat. Deinde quiſque manus abluens ſolitam fundebat precem. Tum menſa apponebatur rebus inſtructa his, gemino olere, amaro, & alio, pane azymo, embammate illo, quod appellatur *Charoſſet*, Paſchalis agni corpore, & carne illius ſacrificii, quod decima & quarta luce Niſan factum erat. Hoc autem tempore captivitatis apponuntur menſæ duo carnis genera, quorum alterum Paſchalis agni commoneat, alterum ejus ſacrificii, quod fiebat quarta decima luce Niſan. Ac primo quidem paterfamilias cum benedixiſſet Deo, quod procrearit terræ fruges, accipiebat herbas amaras pro magnitudine oleæ, quas in embamma illud, quod *Charoſſet* dicitur, intinctas, & comedebat ipſe, & ſingulis ſecum accumbentibus tantumdem diſtribuebat. Tum menſa paulo removebatur ab eo, qui hymnum cantabat, & poculum miſcebatur alterum. Hic autem liberi, aut qui recitabat hymnum ſe ipſe ſic interrogabat: quid diſcrepat iſta nox ab aliis, quod cæteris noctibus cibum ne ſemel quidem intingimus, hac autem nocte bis? Quid cæteris noctibus, vel pane fermentato vel azymo veſcimur, hac autem azymo duntaxat? Cur cæteris carne veſcimur toſta, cocta, elixa, hac vero ſolum edimus toſtam? Cur cæteris quaſcunque herbas comedimus, hac nocte vero amara olera? Quid autem eſt, cur cæteris noctibus alii cœnent aſſidentes, ſola nocte iſta recumbant omnes? Hoc autem tempore quoniam ſacrificio caremus, nemo dixerit; *hac vero ſolum edimus toſtam*. Tum vero orſus a vituperio pergebat hymnum dicere, exponenda illa ſectione tota, quæ ad principium habet: *Syrus perſequebatur patrem meum, qui deſcendit in Ægyptum &c.* Deut. 26. 5. Rurſum apponebatur menſa, & paterfamilias ſic incipiebat. Quid eſt quod agnum hunc Paſchalem edamus? Quod in Ægypto Deus ædes Majorum noſtrorum tranſiluit; nam id Lex jubet; *Dicetis eis, victima tranſitus Domini eſt &c.* Exod. 12. 27. Tum olus amarum ſublevans itidem dicebat: quid eſt quod acerbum hoc olus comedamus? Quia noſtrorum vitam Majorum acerbe vexarunt Ægyptii, de quibus ſcriptum eſt; *Æque ad amaritudinem perducebant vitam eorum &c.* Exod. 1. 14. Simili modo panem azymum manu tollens ita dicebat, quam ob cauſam pane hoc azymo veſcimur? Quippe maſſa patrum fermentata nondum erat, cum illos de repente ex Ægypto eripuit Deus Optimus Maximus, ut eſt in Lege: *coxeruntque farinam, quam dudum de Ægypto conſperſam tulerant, & fecerunt ſubcinericios panes azymos, neque enim poterant fermentari &c.* Exod. 12. 39. Nunc temporis autem ita dicendum eſt. Quamobrem majores noſtri dum ſtabat templum, agnum Paſchalem edebant? nimirum quia Deus Optimus Maximus domos Patrum tranſiluerat in Ægypto. Tum addebat hæc. Nos ergo celebremus, prædicemus, efferamus, honoremus, magnificemus, illuſtremus, atque exaltemus eum neceſſe eſt, qui tot, tanta, & tam ſtupenda nobis, ac Majoribus noſtris factitavit prodigia, nos in libertatem vindicavit, in lætitiam noſtrum convertit mœrorem, caliginem in lucem ingentem, huic nos, huic canamus halleluja, halleluja; *Laudate pueri Dominum &c.* uſque ad, *convertit petram in ſtagna aquarum*. Pſalm. 113. Clauſula erat hæc; gratias agimus tibi Domine Deus, & mundi rex, qui nos & Majores noſtros ex Ægypto eruiſti, atque ad hanc noctem perduxiſti, qua pane veſcamur azymo, atque amaris oleribus. Cui quidem clauſulæ his temporibus captivitatis adjunguntur etiam & illa; ſic Domine Deus noſter, & Deus Patrum noſtrorum nos perduxeris tranquillos ad alios, qui ſunt adventuri, dies feſtos ac ſolennes, ſicut tuam illam urbem iterum aliquando reædificatam gaudeamus, atque inſtaurata triumphemus ſacrificia (*fruſtra hæc omnia exſpectanda*) ut ibi & alia comedamus ſacra, & Paſchales agnos, quorum tibi acceptus ſanguis irrigaverit tui parietes altaris, ut ibi novum cantemus carmen de libertate atque ereptione noſtra; laus tibi Domine qui liberas Iſrael. Ac cum de vini creatione reddidiſſet gratiarum actionem, tum poculum alterum quiſque potabat. Quo facto rurſum manum abluens ſolitam fundebat precem, quod hymnum dicenti animus erat avocatus a cibo capiendo; deinde placentas azymas accipiebat duas, quarum unam bipartitus, ex illa partem alteram imponebat alteri placentæ adhuc integræ, tum Deo de illis benedicebat *e terra panem elicienti*. Cur autem hoc idem non faciebat placentis ſuper integris itidem, ut ad alios dies feſtos? Nimirum quoniam azymus hic dicitur *panis afflictionis*; ut igitur homo tenius & afflictus buccella, ſic & iſta nocte ſingulis panis fruſto veſcendum. Poſtea copulabat amara cum azymo pane olera, quæ in illud Embamma, quod *Charoſſet* appellatur, intingebat, Deumque de illis ita venerabatur, Laus tibi Domine Deus noſter, qui præceptis tuis nos initiaſti, & panem azymum præſcripſiſti nobis edendum cum oleribus amaris, tum ea comedebat. Sin autem quodque ſeparatim comederet, oportuiſſet ſuam cuique precem adhibere ſeorſum. Porro

pre-

preces persequebatur duas, primam hanc: Laus tibi Domine Deus noster, mundi Rex, qui nos initiasti præceptis tuis, ac jussisti sacrum comedere; ac statim ex illa, quæ luce quarta decima Nisan erat immolata hostia, comedebat aliquid. Secundo loco precem fundebat istam: Gratias agimus tibi Domine Deus noster, mundi Rex, qui nos consecrasti præceptis tuis, & jussisti agnum Paschalem comedere; de quo deinde delibabat item aliquid; neque enim illi victimæ hæc gratiarum actio convenit, nec illa laudandi ratio huic agno Paschali. Hoc autem tempore, quando sacrificium appositum est nullum, primam illam de pane, *quem e terra Deus extrahit*, gratiarum actionem sequitur altera de azymo pane comedendo, qui deinde panis azymus in Embamma, quod Charosset dicitur, intinctus comeditur. Hanc gratiarum actionem subsequitur alia de olere amaro comedendo, quod item eo intinctum Embammate comeditur; non est autem in eo diu retinendum, ne illius evanescat acerbitas; atque illud ex sapientum est institutis. Tum etiam cum azymo pane conjungitur olus amarum; quæ simul omnia in hoc Embamma intincta sine gratiarum actione comeduntur in memoriam ejus, quod in Templo fiebat a doctissimo suæ ætatis viro. Postea cœnam producebat, & quantum cuique videretur, capiebat cibi & potus. Ad extremum ex agno Paschali comedebat aliquod vel oleæ magnitudinem, nec quidquam postmodum gustare fas erat. His temporibus ultimo loco comeditur ex azymo pane velut olivæ magnitudo, nec quidquam deinde, ut completæ videlicet cœnæ aut superstit sapor agni Paschalis, aut panis azymi, quæ quidem, lex est, ut edantur. Deinde manibus etiam lotis habebat de cibo gratiarum actionem poculo super tertio, quod cum erat epotum, poculum miscebat quartum, super quo & absolvebat hymnum, & carmen illud cantabat: laudent te Domine Deus noster omnia omnino opera tua, sed justi atque homines sancti tuæ voluntati obsequentes, populusque Israel universus cantet, prædicet, efferat, atque illustret nomen tuum usquequaque adeo gloriosum; enimvero expedit te laudare, & cantare nomen tuum decet, qui Deus ante secula fuisti omnia, atque idem in perpetuum eris; Gloria tibi Domine, & Rex omni laude cumulatus. Tum Deo gratias agebat de vini procreatione, atque hoc epoto poculo, nihil amplius libare tota nocte præter aquam licebat; nisi quis vellet super quintum poculum cantare hymnum illum eximium, qui incipit: *confitemini Domino, quoniam bonus &c.* Psalm. 136. 1. & pertinet usque ad, *super flumina Babylonis*. Psalm. 137. 1. poculum enim hoc nequaquam est ita necessarium, ut illa quatuor. Atqui licebat hymnum etiam extra triclinium absolvere: *Diruto templo his ritibus Pascha celebrant*. Hic est panis afflictionis, quem comederunt in Ægypto Patres nostri; si quis fame laborat introeat nobiscum comesurus, si quis est egenus, adveniat nobiscum una Pascha celebraturus: *Faxit Deus*, ut quem hoc anno diem festum agimus hic, eundem agamus anno sequenti in regione Israel, ut quem nunc diem festum servi, eundem anno proximo liberi celebremus. Quid tandem causæ est, cur nox ista differat ab aliis? nam aliis ne semel quidem cibum intingimus, hac vero nocte bis; aliis promiscue panem edimus, & azymum, & fermentatum, hac autem solum azymum; aliis vescimur quibuscunque herbis, hac autem amaris; aliis cœnamus vel assidentes, vel accumbentes, ista vero prorsus accumbimus. Nimirum Pharaonis in Ægypto servi fuimus, unde nos ista nocte *Dominus Deus noster eripuit, manu forti & extento brachio*. Deut. 2. 28. Quod si patres nostros Deus non liberasset, etiamnum in Ægypto nos, & liberi, ac nepotes essemus servituri. Ergo nunc omnes quamvis Sapientes, quamvis intelligentes, quamvis senes, quamvis Legis periti debemus illam ex Ægypto discessionem hac nocte narrare. Ac profecto narrationem illam ut quisque plurimis verbis dilatat, ita maxime laude dignus judicatur. Quodam Paschate simul accubuerunt apud incolas urbis Varacæ Dores illi legis Eliesér, Josue, Eliesér filius Asariæ, Tarson, Akiba. Itaque illam ex Ægypto migrationem narrantes, totam in narrando noctem consumsere, ut venirent discipuli dicentes, magistri jam appetiit hora illa matutina, qua legi debet illa sectio. *Audi Israel Dominus Deus noster Dominus unus est &c.* Deut. 6. 4. Filius autem Asariæ eis ita dicebat. En ego natus sum annos ferme septuaginta, nec mihi scire contigit migrationem ex Ægypto noctibus esse etiam commemorandam, dum id filius Zomæ inde probavit, quod in Lege dicitur: *ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ*, videlicet (inquit filius Zomæ) *diebus vitæ tuæ*, designat dies, *omnibus* autem addit etiam noctes. Id vero loci sapientes ita sunt interpretati, *diebus vitæ tuæ*, significat ætatem hanc, *omnibus* autem, ætatem Christi indicat. Gratias igitur habeamus Deo, qui dedit Israel populo suo legem, gratias habeamus de quatuor hominum generibus, sapientibus, improbis, simplicibus, & nesciis percontandi, quorum omnium meminit illa lex. Sapiens ita loquitur: quid ista nobis *testimonia*, *statuta*, *ac judicia* præcepit Dominus Deus noster? Huic igitur & tu Paschæ leges explicabis, ex quibus & illud; *non sunt post comesum Paschalem agnum apponenda bellaria*. Impius autem: quis est, inquit, istorum religio vestra sacrorum? Vestram cum dicat, suam ostendit esse nullam, atque excipiendo se omnino Deum esse negat. Hunc igitur hominem hisce verbis jugula; hanc ego religionem suscepi eorum ergo, quibus me cumulavit Deus beneficiis, eripiens ex Ægypti servitute, me videlicet, non item & te, qui si tum ibi fuisses, nunquam ex servitute esses ereptus. Quid autem ait homo simplex, nempe; quid sibi vult istuc? Huic ita responde, *robusta manu* nos eripuit Deus ex Ægyptiorum servitute. At ignaro sciscitandi tu rem ultro aperi, sicut a lege præscribitur: *Narrabisque filio tuo in die illo dicens, propter hoc quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Ægypto*. Exod. 13. 8. Sed ne rem etiam a Kalendis Martiis incipias narrare, scriptum est in *die illo*; ibid. ac quoniam est in lege *propter hoc*; ibid. id est pane azymo atque olere amaro apposito, interdicitur, ut ne ipsa quidem migrationis die res narretur interdiu, sed vesperi ad mensam. Principio Patres nostri stellas ac planetas colebant ut Deos, postea vero nos ad cultum sanctum, & puram religionem appellavit Deus verus, ut testantur literæ sacræ. *Et locutus est Josue ad omnem populum; hæc dicit Dominus Deus Israel. Trans fluvium habitaverunt Patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, servieruntque diis alienis. Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus, & adduxi eum in omnem terram Chanaan; multiplicavique semen ejus, & dedi ei Isaac; illique rursum dedi Jacob, & Esau, e quibus Esau dedi montem seir ad possidendum; Jacob vero & filii ejus descenderunt in Ægyptum*. Jos. 29. 2. 3. Benedicamus igitur illi, qui quam dederat Israeli fidem, servavit; benedicamus Deo optimo maximo, qui se miseriarum nostrarum finem esse facturum Abrahamo patri nostro constituit inter animalia illa bipartita, ut scriptum est: *scio prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjicient eos servituti, & affligent quadringentis annis. Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo, & posthac egredientur cum magna substantia*. Genes. 15. 13. 14. Id profecto non Patribus modo nostris, sed nobis etiam ipsis contigit; neque enim unus homo semel, verum singulis ætatibus extitere, qui in nostram perniciem, atque exitium incumberent, quorum ab importunitate nos eripuit Deus optimus maximus; nam cognosce quæso, quid Laban iste Syrus Jacobo sit patri nostro molitus? Pharao quidem unos duntaxat mares, iste veros nos omnes omnino perditos voluit, sicut scriptum est. *Syrus persequebatur patrem meum*; Deut. 26. 5. Quod autem sequitur, *qui descendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus est*. Ibid. id ostendit non illum eo permansum, sed peregrinatum venisse, cui rei testimonio est is sacræ Scripturæ locus: *Responderunt Pharaoni ad peregrinandum in terra tua venimus, quoniam non est herba gregibus servorum tuorum, ingravescente fame in terra Chanaan; petimusque, ut esse nos jubeas servos tuos in terra Gessen*. Genes. 47. 4. Additur autem in paucissimo numero. Deuter. ibid. quoniam scriptum est: *In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyptum, & ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus sicut astra cœli*. Ibid. 10. 22. Sequitur: *crevitque in gentem magnam atque robustam*. Ibid. 26. 5. Quod indicat Israelitas ibi fuisse copia, ac robore insignitos, sicut in Lege est: *Filii Israel creverunt, & quasi germinantes multiplicati sunt*, ac roborati nimis, *impleverunt-*

runtque terram. Exod. 1. 7. *Et infinitæ multitudinis*. Deut. 26. 5. haud secus quam vates cecinit: *multiplicatam quasi germen agri dedi te, & multiplicata es, & grandis effecta, & ingressa es, & pervenisti ad mundum muliebrem, ubera tua intumuerunt, & pilus tuus germinavit, & eras nuda & confusione plena*. Ezech. 16. 7. *Affixeruntque nos Ægyptii*. Deut. 26. 6. nimirum hoc illud est, quod a Pharaone dicitur: *Venite sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur, & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra*. Exod. 1. 10. *& persecuti sunt*. Deut. ibid. Hoc spectat ad Legis illud: *Præposuit itaque eis magistros operum, ut affligerent eos oneribus, ædificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni, Phiton, & Ramesses*. Exod. I. 11. Imponentes onera gravissima. Deut. ibid. velut in Lege habemus: *& imponebant Ægyptii servitutem filiis Israel cum sævitia*. Exod. I. 13. *& clamavimus ad Dominum Deum patrum nostrorum*. Deut. 26. 7. prorsus ut a Lege describitur: *Post multum vero temporis mortuus est Rex Ægypti, & ingemiscentes filii Israel propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus*. Exod. 2. 24. *Qui exaudivit vocem nostram*. Deut. ibid. quod idem alio loco Lex dicit: *& audivit gemitus eorum, ac recordatus est fœderis, quod pepigit cum Abraham, Isaac, & Jacob*. Exod. ibid. Quod autem dicitur: *& respexit humilitatem nostram*. Deut. ibid. indicat Israelitas lecto geniali prohibitos, quod idem significat Legis illud: *Et respexit Dominus filios Israel & cognovit eos*. Exod. 2. 25. *& laborem*. Deut. 26. 7. id indicat puerorum calamitatem, de quibus erat illa lata lex: *Quicquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite, quicquid fœminini, reservate*. Exod. 1. 22. *atque angustiam*. Deut. ibid. hoc significat oppressionem, de qua ita Lex: *Videque afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur*. Exod. 3. 9. *Et eduxit nos de Ægypto*. Deut. 26. 8. nempe neque Seraphim, neque Angeli, nec opera legati, sed ipsemet Deus sanctus, & gloriosus, quemadmodum scriptum est: *Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus, & in cunctis Diis Ægypti faciam judicia, ego Dominus*. Exod. 12. 12. *In manu forti*, Deut. ibid. id est peste, de qua in Lege est: *Ecce manus Domini erit super pecudes tuas, quæ sunt in agro, super equos & asinos, & camelos, & boves, & oves pestis valde gravis*. Exod. 9. 3. *Et brachio extento*. Deut. ibid. id est districto gladio, quomodo scriptum est: *& evaginatum gladium in manu ejus extenta contra Jerusalem*. 1. Paral. 21. 16. *In ingenti pavore*. Deut. ibid. id significat Deum manifesto apparuisse, quod quidem ex illo Legis versu intelligi licet: *Si fecit Deus, ut ingrederetur, & tolleret sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa, atque portenta, per pugnam, & robustam manum, extentumque brachium, & pavores ingentes juxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto, videntibus oculis tuis*. Ibid. 4. 34. *In signis*. Ibid. 26. 8. Virga illa Mosis significatur, de qua scriptum legitur: *virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa*. Exod. 4. 17. *Atque portentis*. Deut. ibid. Hic est ille sanguis, in quem fuerunt aquæ conversæ; nam de sanguine ita legitur: *Et dabo prodigia in cœlo, & in terra, sanguinem & ignem, & vaporem fumi*. Joel. 2. 30. Atqui voces hæ sic etiam exponuntur. *In manu forti*, res designat duas; *in brachio extento*, item duas; *in ingenti pavore* totidem; *atque portentis*, tantumdem. Hæ sunt illæ videlicet plagæ decem, quibus Ægyptios repressit Deus, sanguine, ranis, pediculis, muscis, peste, ulceribus, grandine, locustis, tenebris, & primogenitorum strage. Doctor quidam Legis nomine Judas has plagas primoribus vocum literis ita designabat. S. R. P. M. P. V. G. L. T. P. Solitus erat Doctor ille Gamaliel dicere neminem officio Paschatis functum esse, quin ista differuerit de tribus hisce rebus, agno Paschali, pane azymo, atque oleribus amaris. Quid patres nostri, dum templum illud stabat, paschalem edebant agnum? Nimirum quia majorum domos transiluerat Deus in Ægypto; quod quidem a Lege præscribitur: *Victima transitus Domini est, quia transiluit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans, incurvatusque populus adoravit*. Exod. 12. 27. Quid autem est, cur panem hunc comedimus azymum? Quia nondum fermentata massa patrum erat, cum ecce tibi Rex Regum, Deus optimus maximus apparuit, eosque subito in libertatem vindicavit, uti scriptum est: *coxeruntque farinam, quam dudum Ægypto conspersam tulerant, & fecerunt subcinericios panes azymos, neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere sinentibus moram, nec viatici quidquam paraverant*. Exod. 12. 39. Quid vero? oleribus his amaris cur tandem vescimur? Propter gravissimas illas molestias, quibus patres nostros miserrimos habuerunt Ægyptii, teste Scriptura, in qua legitur: *atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur*. Exod. 1. 14. Quocirca sua quisque ætate persuadere sibi debet, semetipsum esse ex Ægypto ereptum. Enim vero non patres modo nostros, sed & nos etiam in libertatem vindicavit Deus, siquidem a Lege dicitur: *Et eduxit nos inde, ut introductis daret terram super qua juravit patribus nostris*. Deut. 6. 23. Nos ergo celebremus, prædicemus, efferamus, honoremus, magnificemus, illustremus, atque exaltemus eum necesse est, qui tot, tanta, ac tam stupenda nobis, ac majoribus nostris edidit prodigia; nos in libertatem vindicavit, in lætitiam nostrum convertit mœrorem, luctum in diem festum, caliginem in lucem ingentem. Huic cantemus Halleluja, halleluja; *Laudate pueri Dominum &c.* usque ad, *convertit petram in stagna aquarum*. Gratias agimus tibi Domine Deus, & mundi Rex, qui nos & majores nostros ex Ægypto eripuisti, atque ad hanc noctem, qua vescamur & pane azymo, atque amaris oleribus, perduxisti; sic Domine Deus noster nos perduxeris tranquillos ad alios, qui sunt adventuri, dies festos, ac solennes, sic ut tuam illam urbem demum reædificatam gaudeamus, atque instaurata triumphemus sacrificia, ut ibi & alias libationes comedamus, & agnos Paschales, quorum tibi gratus sanguis tui parietes altaris imbuerit, atque novum, & hactenus inauditum cantemus tibi carmen de libertate atque ereptione nostra: Laus tibi Domine, qui liberasti Israel. A quo ritu tum gratiarum actiones, tum hymnus ille ad primam Paschæ noctem, eadem omnino & secunda recitatur nocte, quam noctem & quatuor poculis, & aliis rebus omnibus itidem, ut primam per exilium celebremus.

[33] 18. *Diebus in anno &c. Erachin fol.* 10. 1. R. Simeon ben Jozadek dicit; Octodecim diebus vir aliquis singularis totum recitat Hallel, septem sc. diebus Scenopegiæ, octo diebus Encœniorum, die festo primo Paschatis, & die festo primo Pentecostes. Ast in Captivitate diebus viginti uno, diebus sc. novem Scenopegiæ, diebus octo Encœniorum, & duobus diebus festi Paschatis, & duobus diebus festi Pentecostes. *Tzeror Hammor fol.* 102. *col.* 4. In festo *Tabernaculorum* quolibet die integrum canunt Hallel, secus ac in Paschatis festo, ubi Hallel integrum non recitatur, nisi duobus diebus primis tantum. Ratio est, quod Israelitæ, cum Pascha *primum* celebrarent, nondum in perfectione fuerint, quoniam Lex iis nondum data erat cœlitus. Quin & post Legislationem nondum ad perfectionem venerant, ob fabricationem vituli aurei, quæ transgressio iis non condonatur usque ad Expiationis diem. Verum post M. expiationis diem summum quasi gradum attigit eorum perfectio. Ideoque Tabernaculorum festum principale (*fundamentale*) est omnium cæterorum festorum, quare & in eo integrum Hallel singulis diebus canitur. *Tosaphta Succh. III.* 3. Octodecim diebus, & nocte una recitatur Hallel, nempe in octo diebus Tabernaculorum, octo diebus Encœniorum, & primo festo Paschatis, & ejus vesperi, & festo Pentecostes.

[34] *Quintum bibi &c. Maimonides ibidem cap. VIII.* 10. Atque hoc epoto poculo (*sc. quarto*) nihil amplius libare tota nocte præter aquam licebat, nisi quis vellet super quintum poculum cantare hymnum illum eximium, qui incipit: *Confitemini Domino, quoniam bonus*, *Psalm.* 136. 1. & pertinet usque ad, *super flumina Babylonis*. Psalm. 137. 1. Poculum enim hoc nequaquam est ita necessarium, ut illa quatuor; atqui licebat hymnum etiam extra triclinium absolvere. *Orach Chajim num.* 481. Poculum quintum, cujus nulla facta est mentio, juxta interpretationem Raschbam, non licebit addere; ideo namque interpretatus est, quod *homo* dicere debet Hallel magnum super poculo quarto. Et sic videtur etiam ex verbis Docto-

Doctoris nostri Haj, cui quæstio proposita est; invenimus apud R. Saadiam, quod dicat, si quis voluerit bibere poculum quintum, pronuntiet super illo Hallel magnum, & omittat τὸ *laudabunt te*, ut hoc dicat post illud *poculum*. Verum enim vero nunc solent hoc facere discipuli *Sapientum*, ut dicant, quod oportet benedicere super omnibus, & singulis poculis tam post illa, quam ante illa, dicantque τὸ *laudabunt te* post Hallel, & concludunt per *Rex laudatissime laudibus*, bibantque poculum quintum, post quod dicunt Hallel magnum, & concludunt per, *Anima omnis viventis, qui eligit omnia cantica, & canticum*; sic habent verba R. Saadiæ. Et mos quidem elegans est; nos tamen non utimur poculo quinto ullo modo. Isti autem discipuli sapientum, qui benedixerunt post Hallel, & post Hallel magnum, sunt discipuli R. Saadiæ. Verum quod vos facitis excedit id quod illi; nam non dixerunt magistri nostri duas benedictiones; hactenus ille. Perpetuo tamen & ubique locorum solent liberum saltem permittere. Et sic scripsit R. Joseph Tob---Ehm, quod si cupiat bibere (seu sitiat) quis, possit poculum quintum facere. Similiter scripsit R. Sar---Schalom: poculum quintum liberum est, ut si velit bibere, bibat, dicatque super illo, *laudabant te*. Et sic quoque ordinavit R. Cohen Zedek, & Rabbenu Mosche. Sed & R. Omram ita scripsit: *Ex quorum apparet sententia, quod si quis voluerit facere (poculum quintum)* concludere debeat per, *laudabunt te*, post Hallel, dicatque super quinto *poculo animam*, atque tum concludat. Posteaquam itaque dissensus est doctorum, melius fuerit, si quis minuat numerum benedictionum, ut qui voluerit illud *poculum* facere, non concludat post Hallel, sed dicat super illo Hallel magnum, & Nischmath, *animam* concludatque. Atque sic scripsit R. Alphes. Postquam comederat omnia delicata, & fructus, comedunt sub finem in quantitate olivæ panem azymum, qui asservatus fuit, neque gustant postea quicquam, præter poculum benedictionis cibi, & poculum Hallelis; siquis autem sitiverit, non permissum illi erit bibere vinum, sed tantum aquas; & sic scripserunt omnes Geonim. Ubi *merito* dixeris; unde vero habemus hoc? Nam ecce non dictum est, nisi non permittunt post Pascha bellaria *alia*, unde quidem habetur, quod non comedendum sit, nihilominus bibere permissum erit. Interim consuetudo universalis hoc habet, quod non bibendum sit vinum; cujus consuetudinis hanc reddidit R. Jonah rationem, quod homo debeat per totam noctem studere in constitutionibus Paschalibus, & exitu ex Ægypto, & enarrare signa, & mirabilia, quæ fecit sanctus, & benedictus Deus patribus nostris, donec corripiat illum somnus. At si biberet *vinum*, inebriaretur: atque sic etiam habetur in Tosaphta: debet homo studere in constitutionibus Paschalibus, & exitu ex Ægypto per totam noctem. Atque hoc est quod legimus in historia de R. Eliesere, & R. Jehosua, qui narrabant de exitu ex Ægypto tota nocte &c.

[35] *Hymnum majorem &c. Gemara Pesachim* 118. Unde incipit Hallel hagadol? R. Jehuda dixit a *Laudate*, Psalm. 118. 1. usque ad *super flumina Babylonis*. Psalm. 137. 1. R. Jochanan dixit, a *Canticum Graduum*, Psalm. 120. usque ad *super flumina Babylonis*. Raf Acha bar Jacob dixit, a *quoniam Jacob elegit sibi Dominus* usque ad *super flumina Babylonis*. *Iterum*. Quare autem vocatur nomen ejus Hallel hagadol? Dixit R. Jochanan, propterea quod Deus benedictus sedet in altitudine, hoc est altissimo loco mundi, & distribuit alimenta omnibus, & singulis creaturis.

[36] חרסת *&c. Maimonides ibidem cap. VII.* 11. Embamma istud, *charosset* quod dicitur, constituerunt sapientes apponi mensæ prima nocte Paschæ in memoriam illius luti, quo nostri in Ægypto majores exercebantur. Fit autem Embamma istud ex dactylis, ficubus, caricis, atque aliis fructibus horum similibus, qui concussu Elisi, aceto perfunduntur, & commiscentur una cum cinnamomo, atque aliis id genus aromatibus sic, tanquam paleæ miscetur lutum. *Orach Chajim num.* 473. Embamma vero est in memoriam luti, in quo patres nostri laborando oppressi sunt; unde & fieri debet densum, ad veram analogiam luti, & quidem ex rebus acidis, itidem in memoriam amaroris; est quidem in Hierosolymitano: unum fit densum, alterum rarum fit in memoriam sanguinis. Quod R. Jechiel interpretatus est, quod utrumque ab initio densum faciant, postea autem rarius istud aceto faciant. Indunt vero in id aromata, e. g. Cinnamomum, & Zingiber, quæ similia paleis, quibus lutum comiscuerunt &c. *etiam herbæ amaræ apponebantur*. *Maimonides ibidem*. Quod Lex jubet prima Paschæ nocte olera amara comedi, id videlicet non est præcipuum quoddam præceptum, sed conjunctum illi præcepto comedendi Paschalis agni, cujus carnem simul cum pane azymo, & amaro olere comedi Lege præscribitur. Verum ex sapientum institutis ea nocte amarum olus seorsum comeditur, ut etiam absit agnus Paschalis. Sed amara, quæ Lex commemorat, olera, sunt lactuca, intybum, marrubium, atque illud *harhavina* quod vocant, & quod proprie vereque dicitur amarum olus; hæc olerum genera quinque amara nominantur, quorum ex uno siquis comedit ad oleæ magnitudinem, legi facit satis, quemadmodum si tantundem edat e quinis simul, nempe virentibus, atque ex eorumdem caule etiam sicco. Hæc autem olera cocta, condita, elixa nemo adhibuerit. *Orach Chajim ibidem*. Amaritudinem quidem in memoriam ejus, quod amaram reddiderint vitam eorum. Hæc autem sunt olera, per quæ satisfaciunt debito amaritudinis, lactuca, & intybus, marrubium, & harhavina, & mæror (sive amaritudo in specie sic dicta.) Satisfaciunt per folia eorum, & per caules eorum, nisi quod per folia non satisfaciunt nisi succosa, seu viridia, cum satisfaciant per caules tam succosos quam aridos, non tamen conditos, aut adustos, aut elixatos: omnia autem commisceri possunt in quantitatem olivæ, quæ est quantitas eorum requisita.

[37] *Die 14. Nisan &c. Codex Pesachim cap. V.* Sacrificium juge mactabatur hora octava & media, & offerebatur nona & media, at vespera Sabbathi mactabatur septima & media, ac offerebatur octava & media tam die profesto, quam die Sabbathi. Si vespera Paschatis incideret in Sabbathum, mactabatur sexta & media & offerebatur septima & media, & deinde Pascha. *Tosaphta Pesachim cap. IV.* 3. omnia sacrificia, quæ obtulisset ante sacrificium juge matutinum, aut retardasset post sacrificium juge vespertinum, erant interdicta, quia nihil erat, quod anteiret sacrificium juge matutinum nisi suffitus; neque ulla erat adolitio, quæ fieret post sacrificium juge vespertinum, nisi suffitus, & sacrificium Paschale in vigiliis Paschatis, & *sacrificium* eorum qui expiationis indigebant, ut possent vesperi comedere sacrificia Paschalia. R. Ismael filius Berokæ dicit: indigentes piaculi adducebant sua sacrificia cum sacrificio jugi vespertino, ut vesperi Sanctitates comedere possent. *Vide Maimonidem de sacrificio Paschali cap. I. & de sacrificiis Jugibus cap. I.* 3. 4.

[38] *Ne juguletur &c. Tosaphta Pesachim cap. IV.* 6. Qui mactat sacrificium Paschale in *die* quartadecima super fermentato, prævaricatur præceptum negativum; ipsum tamen sacrificium Paschale est legitimum, & cum eo in Paschate satisfacit debito tam qui mactat, quam qui aspergit sanguinem, quam qui adolet; pro quo hæc dicta sunt? pro eo, qui fermentatum in domo ipsius societatis habuerit: sed si quis ex ea societate fermentatum domi non habeat, liber est. *Maimonides de Sacrificio Paschali cap. I.* 5. Si quis victimam Paschalem suo tempore cæderet, & idem apud se fermentati quid ad olivæ magnitudinem asservaret, verberibus multaretur: est enim in Lege: *non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ*. Exod. 23. 18. cui quidem præcepto hæc est subjecta vis, ne cædatur victima Paschalis, dum fermentati asservatur aliquid. Jam victimam jugulantis, & altari sanguinem ejus inspergentis, atque exta adolentis una & eadem erat ratio. Si veniret igitur usus, ut aliquis aut istorum, aut eorum, qui simul eadem victima Paschali vescebantur, inter immolationem haberet apud se fermentati tantundem, quanta est oliva, verberibus coerceretur; victima vero Paschalis satis idonea foret.

Ne ablegamina ejus &c. Maimonides ibidem. Si quis hæc exta adolere neglexisset sic, ut noctem totam remota ab altari jacerent, atque adeo temerarentur, iste quidem contra vetitum commisisset; scriptum est enim: *nec remanebit adeps solennitatis meæ usque mane*. Exod. 23. 18. Qui licet contra præceptum vetans fecerit, tamen non verberaretur, quippe cum nihil effectum dedisset. Adolebantur adipes agno-

agnorum Paſchalium nocte tota uſque ad orientem auroram, ita res erat, ſi decimus & quartus dies Niſan incidiſſet in Sabbathum; etenim Sabbathini adipes incendebantur etiam die ſolenni; ſin autem dies ille quartus decimus Niſan inciderit in diem aliquem profeſtum, adipes hujus profeſti diei die ſolenni neutiquam adolerentur.

39 *Paſcha ſecundum &c. Siphri ad Num. IX. 6. Ecce autem quidam immundi ſuper anima hominis*, quinam erant? erant ii, qui feretrum Joſephi ferebant, verba R. Iſmaelis; R. Akiba dicit: erant Miſael, & Elzaphan, qui ſe polluerant propter Nadab & Abihu. R. Iſchac dicit, pro iis id non erat opus, quia ſi Joſephi feretrum ferebant, ſe purificare poterant, & ſi erant Miſael, & Elzaphan, poterant ſe purificare. Quonam polluti erant? ſe immundaverant propter mortuum præcepti, juxta verſiculum qui dicit; *qui non poterant facere Phaſe in die illo*; non poterant facere in die illo, ſed inſequenti die facere poterant; deprehenditur, quod doceamur, quod incidat eorum dies ſeptimus in vigiliam Paſchatis; *accedentes ad Moyſen, & Aaron*, quando prius Moſen interrogaſſent, & ignoraret, Aaron quo pacto ſcire poterat? Sed oportet convertere textum, & explicare, verba R. Joſiæ. Alia gloſſa, R. Aba dicit nomine R. Elieſeris in ſcholam venerunt, & coram eis ſteterunt; *dixerunt eis*; a textu docemur, quod homines pii eſſent, & præcepta obſervarent; Rabbi dicit, non opus eſt, quia jam dicit, *dixerunt eis*, quod non dicendum erat, *eis*, ſed docemur, quod non requiratur niſi ab eo, qui propter executionem curam habeat; *quare fraudamur*? eis reſpondit, ſacra cum immunditie offerri non poſſunt; ei dixerunt, pro immunditie aſpergatur ſanguis, & caro a mundis comedatur. Et ratione adducimur, ut ita ſit faciendum; quod ſi ſacrificium pro peccato, quod eſt ſanctitas ſanctitatum, ſanguis pro immundis aſpergebatur, & caro a mundis comedebatur; ſacrificii Paſchalis, quod eſt ſanctitas levis, non erit æquum, ut ſanguis pro immundis aſpergatur, & caro a mundis comedatur? Eis dixit, ſanctitates in immunditie non offeruntur. Si ſanctitates, quarum damna præſtanda ſunt, offeruntur; ſanctitates, quarum non ſunt damna præſtanda, non erunt offerendæ? Eis reſpondit, non intellexi. *State ut conſulam &c.* ſicut homo, qui dicat conſulam ex ore mei præceptoris; beatus natus muliere (*Moſes*) qui certo ſciebat, quod quotieſcunque ei libuiſſet, cum Deo poſſet loqui. Dixit R. Chidka Sikmoni, mihi erat ſocius ex diſcipulis R. Akibæ, & dicebat, quod Moſes non ignoraret, immundum non poſſe comedere de ſacrificio Paſchali; de quo dubitavit? aſpergendusne eſſet ſanguis pro iis, necne &c.? *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens; loquere filiis Iſrael, homo qui fuerit immundus ſuper anima*; hæc fuit res, quam quæſivit: *ſive in via procul*; hæc eſt res, quam non quæſivit: *qui fuerit immundus ſuper anima*, ego non probo niſi pro immundo propter mortuum; reliqui immundi unde probantur? ex eo quod dicit, *ſive in via procul*; tu deducis argumentum principale ex ambobus his; differt immundus propter mortuum ab eo, qui in via procul ſit; paritas, quæ inter eos intercedit, eſt, quod facit primum Paſcha, & facit ſecundum, ita qui fecerit primum, faciet ſecundum. *Toſaphta Peſachim cap. VII.* 14. Pro leproſo concluſo non poteſt mactari in ſeptimo die; ſi ſit definitus, poteſt in ejus octavo die pro eo mactari. Pro puerpera mactatur, in die quadrageſimo, ſi marem peperiſſet, & die octogeſimo, ſi fœminam; & omnes qui polluti eſſent tam ante, quam poſt ſparſionem ſanguinum, ſunt ſimiles illi, qui aperit tumulum, & tenentur facere ſecundum ſacrificium Paſchale. R. Jochanan filius Berokæ aliquando aſſimilantur ei, qui aperit tumulum, & aliquando diſſimiles illi, qui aperit tumulum; quo pacto hoc intelligitur? Si longus eſſet tumulus, & inquiret ab uno latere, & deprehenderentur in altero immundities, ſunt ei ſimiles, & neceſſe eſt ut faciant ſecundum ſacrificium Paſchale; & omnes, qui polluti ſunt poſt ſanguinum aſperſionem, ſunt ei ſimiles, & neceſſe eſt, ut faciant ſecundum ſacrificium Paſchale. Si immundus erat tempore mactationis, & mundus tempore aſperſionis, aut mundus tempore mactationis, & immundus tempore aſperſionis, non poteſt comedere, & neceſſe eſt ut faciat ſecundum ſacrificium Paſchale. *Maimonides ibidem cap. VI.* Quinam igitur erant homines illi contaminati in Paſcha ſecundum rejiciendi? Quicunque nocte quintadecima menſis Niſan ob inquinamentum non poterant victima Paſchali veſci; tales erant viri ſeminis fluxione laborantes, mulieresque profluvio ſanguinis affectæ; porro mulieres menſtruales & puerperæ, porro autem viri, qui cum menſtrualibus mulieribus corpus miſcuiſſent; nam ſi quis ad decimam & quartam diem menſis Niſan animantem morticinam, aut beſtiam ſerpentem, aut harum ſimile quid tetigiſſet, e veſtigio lavabat, loto mactabatur victima Paſchalis, qua veſceretur veſperi poſt ſolis occaſum. Si cui funeſtato ſeptem eorum, quos labis eluendæ ratio requirebat, dierum numerus compleretur ipſa decimaquarta luce menſis Niſan, quamvis eidem, cum lavatio corporis, tum aſperſio luſtralis aquæ facta rite fuiſſet, adeoque veſperi veſci ſacris liceret, tamen victima Paſchalis tunc ei non mactabatur, ſed Paſcha ſecundum expectandum erat; videmus enim in Lege ſcriptum: *ecce autem quidam immundi ſuper anima hominis, qui non poterant facere Phaſe in die illo*. Num. 9. 6. hoc autem noſtris uſque traditum eſt, diem illum fuiſſe ſeptimum poſt inchoatam hominum iſtorum purificationem, & vero hac illi cauſa adducti fuerunt, ut quærerent, an ſibi liceret victimam Paſchalem mactari, qua veſperi veſcerentur, quibus explicate reſponſum eſt, eos non eſſe idoneos, quibus victima Paſchalis mactaretur. Ita res erat: ſiquis humani cadaveris inquinamento contaminaretur eo, propter quod Nazyræus comam tondebat; ſi quis autem pollueretur cæteris inquinamentorum e cadavere humano ortorum generibus, quorum cauſa coma Nazyræo tondenda non erat, huic ad ſeptimum purificationis ſuæ diem abluto, & aqua luſtrali rite conſperſo victima Paſchalis mactaretur, & hac eadem poſt ſolis ortum veſceretur. Siquis poſteaquam ſeminis fluxionem ſemel & iterum paſſus eſſet, completo ſeptem dierum numero, rite corpus abluiſſet, ei mactabatur victima Paſchalis, qua veſperi veſceretur; qui ſi poſt inſperſum altari ſanguinem hujus victimæ rurſus ſeminis fluxionem ſentiret, liber a celebratione Paſchæ ſecundi eſſet. Et mulier obſervans diem pro die eodem ipſo, quem obſervabat, die corpus abluebat, id quod diſputatione de concubitibus interdictis diligenter expoſuimus; tum ei mactabatur victima Paſchalis, qua veſcebatur veſperi; quæ ſi mulier ſanguinis fluxionem denuo ſenſiſſet poſtea quam altare conſperſum erat hujus victimæ ſanguine, a celebratione Paſchæ ſecundi libera foret. At vero victima Paſchalis non mactabatur mulieri menſtruali vel ſeptimo luſtrationis die; hæc enim nec corpus abluebat ante noctem octavam, nec ante nonam erat idonea, quæ ſacris veſceretur. Mactabatur victima Paſchalis hominibus piaculi indigentibus, quorum dies ſacrificandi incideret in decimam & quartam diem menſis Niſan. Atque hi ſacra illa piacularia ſua faciebant hac eadem die quartadecima menſis Niſan, vel ante, vel poſt mactatam victimam Paſchalem, & hanc Veſperi comedebant; attamen victima Paſchalis iſtis non mactabatur, niſi prius hoſtias ſuas piaculares conſeſſui Judicum dediſſent in manus, ne poſthac eas forte per nefas non immolarent. Homini leproſo ſi dies luſtrationis octavus incideret in decimum & quartum menſis Niſan, & ad eumdem diem caſu genitale ſemen effluxiſſet, e veſtigio corpus ablueret, introiret in atrium mulierum, & ſacra ſua faceret. At enim homo temeratus in diem ne veniret in atrium mulierum ſancitum erat, ſapientum edicto ſcilicet, ut tractatu de ratione adeundi templi demonſtravimus. Cum igitur dies ille præſtitutus eſſet ſacrificio Paſchali faciendo, juſſum hoc, cujus erat pœna exitium, vetitum illud ſapientum elevabat. Homini funeſtato ſi luſtrationis dies ſeptimus in ſabbathum incidiſſet, aqua luſtralis non aſpergebatur niſi poſtridie; & cum ſeptimum luſtrationis ſuæ diem numeraret menſis Niſan tertiodecimo, qui ad Sabbathum eſſet, tamen aqua luſtrali non reſpergeretur niſi die poſtero quarto & decimo menſis; huic igitur, ſicut ante dictum eſt, victima Paſchalis non mactabatur, ſed Paſcha ſecundum erat expectandum. Quid vero? Num ſapientum auctoritate cautum erat, ne luſtrando homini ſabbatho quicquam inſpergeretur? Num exitio addictus erat is, qui ſacrum Paſchale neglexerat? Quid fiebat igitur, ut decreto ſapientum poſthaberetur Dei

juſ-

juſſum illud, quod detractatoribus interminatur exitium? Nempe commemoratus homo ſapientum auctoritate prohibebatur aſperſione aquæ luſtralis id temporis, quod nequaquam erat præſtitutum ſacrificio Paſchali faciendo, cujus neglecti pœna erat exitium, quamobrem decretum ſuum ſtabile, fixum, & ratum eſſe voluerunt, tametſi futurum erat, ut denique præponeretur ei juſſo, quod detractatores exitio coercebat.

[40] *Qui ob viæ &c. Siphri ibidem. Sive in via procul.* Ego neſcio, quænam appelletur via longinqua, & computant ſapientes; qui fuiſſet eo tempore, quo mactabantur ſacrificia, a Modiim & exterius, atque ita in qualibet ſimili diſtantia. R. Akiba dicit, dictum eſt; *immundus ſuper anima*, & dictum eſt: *in via procul*; ſicuti immundus ſuper anima non poteſt facere, ſi velit, ſacrificium Paſchale, etiam qui via longinqua intelligitur, etiamſi vellet, facere non poſſet. R. Elieſer dicit; dicitur, *via longior* in Decima (Deut. 14. 24.) & dicitur *via longior* in ſacrificio Paſchali; ſicuti loci longinquitas in decima dicta deſignat ſpatium, quod ſit extra locum, ubi comedebatur, etiam loci longinquitas dicta in ſacrificio Paſchali denotat ſpatium, quod ſit extra locum, ubi comedebatur. Et quinam eſt locus, ubi comedebatur? a porta Hieroſolymæ & interius. R. Jehuda dicit; dicitur loci longinquitas pro ſacrificio Paſchali, & dicitur loci longinquitas pro decima; ſicuti loci longinquitas in decima dicta denotat ſpatium, quod ſit extra locum, ubi legitima ſit; etiam loci longinquitas in ſacrificio Paſchali deſignat ſpatium, quod ſit extra locum, ubi ſit legitimum; & quinam eſt locus, ubi ſit legitimum? a porta atrii & interius; ſive in via רחוקה, ה punctum ſuperadditum eſt, ut doceremur, quod etiamſi proximus eſſet, ſi Fuiſſet immundus, cum reliquis ſacrificium Paſchale non faciebat. *Toſaphta Peſachim cap. VIII.* Hi ſunt, qui faciunt ſecundum ſacrificium Paſchale, ſeminiflui, feminifluæ, mulieres menſtruatæ, & puerperæ, qui coacti fuerint, aut erraverint, aut non de induſtria fecerint, & qui cum mulieribus menſtruatis concubuiſſent, aut qui eſſet immundus, aut in itinere longinquo; cur igitur in textu dicitur: *immundus ſuper anima, ſive in via procul?* ut ab excidio abſolvantur. R. Akiba inquit: dicitur immundus ſuper anima, & dicitur in via procul; quemadmodum immundus ſuper anima, non poteſt facere, cum vellet; etiam is qui ſit in via procul, non poteſt facere, ſi vellet. R. Elieſer dicit, dicitur loci longinquitas in propoſito decimæ, & dicitur loci longinquitas in Paſchate, ſicuti loci longinquitas in decima dicta deſignat locum, ubi comedi non poteſt; etiam loci longinquitas in Paſchate dicta eſt extra locum, ubi poteſt comedi. R. Joſe filius Jehudæ dicit, extra eum locum, ubi *Paſcha* fiebat. Dicit R. Joſe, hac de cauſa, ה punctum ſuperadditum eſt, nobis indicans, non quod ſit vere longinqua, ſed a limine atrii & exterius. R. Joſe Galilæus dicit: ex eo quod dicat textus *in via procul*, ego putabam iter unius diei, aut duorum, aut trium dierum, quando dicit, *& in itinere non fuit*, ecce a limine atrii & exterius vocabatur via. *Maimonides ibidem cap. V. 9.* Igitur decima & quarta die menſis Niſan ad ſolis ortum, ſi quis abeſſet ab urbe Hieroſolyma milliaria quindecim aut eo plus, id ſane longum iter erat; qui vero minus ſpatii abeſſet, nequaquam longo itinere remotus erat, quippe qui poterat Hieroſolymam advenire paulo poſt meridiem, tametſi placide pedibus iret. Si hominem adventantem aditu urbis Hieroſolymæ conſerta jumentorum turba, ſi quis Hieroſolymæ cum eſſet, e pedibus adeo laboraret, ut in atrium templi pervenire non potuiſſet ante, quam hora ſacrificii faciendi præteriiſſet, huic quidem vis major, ſed non longum iter impedimento fuerat. Si cuipiam extra pomœrium Hieroſolymæ in cuſtodia incluſo data fides eſſet eum inde ſub veſperam emiſſum iri, licebat ei mactari victimam Paſchalem, qua miſſus e cuſtodia veſperi veſceretur. Ita res ſe habebat, ſi captivus eſſet Iſraelitarum; Ethnicorum autem captivo niſi jam e vinculis relaxato victima Paſchalis non mactabatur, quamquam ſi necdum e cuſtodia emiſſo mactata ſit, deinceps emiſſus ea veſceretur, & ſi non emitteretur e carcere, nihilominus Paſchæ ſecundi religione ſolutus erat, ut cui victima Paſchalis jam mactata fuerit. Item ſi victima cæſa fuerit, & nomine. lugentis hominis, & ægrotantis, & ſenio confecti, qui quidem ad comedendam victimam, tunc temporis eſſent idonei, cum poſt inſperſum altari victimæ ſanguinem, iidem funere contaminati, victimæ Paſchalis eſu prohiberentur, tamen ſoluti ſecundi Paſchæ religione fuerant.

[41] *Non obligari mulieres &c. Toſaphta Peſachim cap. VIII. 8.* Primum ſacrificium Paſchale vel ſoli mulieri mactabatur, & in ſecundo ſocietatem cum aliis inibat, verba R. Jehudæ. R. Joſe dicit; ſecundum ſacrificium Paſchale vel ſoli mulieri mactabatur, nec dici neceſſe eſt pro primo. R. Eleaſar filius R. Simeonis dicit: in primo ſacrificio Paſchali ſocietatem inibat cum aliis, & non faciebat ſecundum ſacrificium Paſchale; ei dixerunt, contigit, ut Joſeph Sacerdos fecerit aſcendere filiam filiæ ſuæ, ut faceret ſecundum ſacrificium Paſchale, neque permiſerunt, ne hoc ex debito ſtatueretur; hoc non ideo factum eſt, ne res ex debito ſtatueretur, ſed ea de cauſa, quod mulier non facit ſecundum ſacrificium Paſchale. *Maimonides ibidem cap. V. 8.* Mulieres ſi per oppreſſionem, per imprudentiam, per inquinamenti, per itineris longi cauſam ad ſecundum Paſcha detruderentur, omnino Paſcha ſecundum ſolutum ipſis erat, immolabant, ſi vellent, ſi nollent, non immolabant. Quamobrem ad Paſcha ſecundum pro ſolis ejuſmodi mulieribus victimam Paſchalem Sabbatho mactare nefas erat; eadem ut ſabbatho mactaretur, & nomine talis alicujus mulieris ſodalitio cuidam adjunctæ licebat.

[42] *Caro agni &c. Toſaphta Peſachim cap. II. 18. 19.* Lactuca, & panis azymus, & ſacrificium Paſchale in veſperiis primi feſti ſunt ex debito, & reliquis diebus ſunt arbitraria. R. Simeon dicit: viris ſunt debita, at mulieribus arbitraria. Hillel ſenior tria omnia ſimul colligebat, & manducabat; a quo tempore comedet? poſtquam adveſperaſcit, ſi non ediderit, poſtquam tenebræ obortæ fuerint, ei vacat tota nocte comedere, niſi tota nocte comederit, non amplius comedet. Lactuca, & azymus panis, & ſacrificium Paſchale ſe mutuo non impediunt. *Maimonides ibidem cap. 8.* Præceptum erat jubens ut agni Paſchalis caro comederetur ad noctem quintamdecimam menſis Niſan; videmus enim in Lege ſcriptum: *Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus.* Nec vero panis azymus, & olus amarum obſtabant ſi nulla reperirentur, comedenda ſola carne victimæ Paſchalis religioni iſtius officii ſatisfiebat; olus autem amarum ſine victima Paſchali ſi comediſſet aliquis, ex ratione præſcripti neutiquam egiſſet; eſt enim in Lege: *cum azymis & lactucis agreſtibus comedent illud.* Num. 9. 11.

[43] *Mulieres æque &c. Maimonides ibidem cap. II. 11.* Mulieri domum viro deductæ ſi victimam Paſchalem parens mactaſſet unam, & alteram vir, ſuam illa portionem de victima viri comederet. Eadem ſi hac prima poſt nuptias ſolennitate ad patrem vehementer properaret, ſic ut pleræque omnes novæ nuptæ ſolent, atque ejus nomine mactaſſet pater agnum Paſchalem unum, & alterum maritus, portionem ſuam id temporis de patris agno Paſchali comederet; poſthac autem unde vellet, modo ut ad victimæ jugulationem ipſa ſibi locum eum, quem, ſibi viſum fuerit, eligeret. *Toſaphta Peſachim cap. VII. 6.* Nemo poteſt mactare pro filio, & filia majorennibus, & pro ſervo, & ſerva Hebræis, & pro ſua uxore, niſi de eo facti ſint certiores; ſed poteſt mactare pro filio, & filia minorennibus, & pro ſervo, & ſerva Chananæis, ſive fuerint, ſive non fuerint facti certiores.

[44] *Karæi ſolos &c. R. Elias* in Adderet p. לט. Domus Hillel utique obligat mulieres ad ejus *Paſchatis* oblationem, *ſic ajunt*, ſed ſi a Paſchate primo impediantur, ſecundum iis eſſe liberum; hoc eſt rem pendere ex illarum arbitrio, ſive velint ſive nolint facere oblationem. Quod ſane merito ſubit mirari; cur enim obligantur ad Paſcha primum, & non ad ſecundum? cum ecce inter Paſcha primum & ſecundum nullum diſcrimen ſit, quod quidem attinet obligationem. Summa eſt, Sapientes noſtros, ſupra quos pax, *aliter* deciddiſſe, dicendo nullos ad hoc teneri niſi mares jam pubertatem adeptos.

[45] *Paſcha ſecundum &c. Codex Peſachim cap. IX. 3.* Unum & alterum requirunt hymnum, quando conficiuntur, comeduntur vero aſſata cum azymis, & ama-

amaris. *Maimonides ibidem cap.* X. 15. utrumque cum pane azymo & olere amaro.

46 *Ne subcruda &c. Tosaphta Pesachim cap. VIII.* De primo *Paschate* dictum est: *non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua.* Exod. 12. 9. Secundum erat ei simile. *Maimonides ibidem cap. VIII.* Ambæ vero victimæ Paschales illæ non comedebantur nisi luculenter tostæ; siquis ex illis tantum, quanta est olivæ magnitudo, vel semiassum vel elixum comedisset ad noctes primi secundique Paschæ, verberibus multaretur; est enim in Lege: *non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua.* Siquis ex ea victima simul & aliquid semiassum, & aliquid elixum edisset, omnino semel verberaretur, quippe quod istæ res duæ uno & eodem vetito sancitæ sint. Jam siquis ex ea victima nonnihil aut subcrudum aut elixum interdiu comedisset, non verberaretur; nam quod Lex addit: *sed tantum assum igni*, hujus ea vis est, siquis tempore illo nocturno, quo jubebatur hujus victimæ carnem luculenter assam comedere, comedisset subcrudam vel elixam, eum pœna teneri, sin autem hoc de die fecerit, impune habere. *R. Levi Barzelonita Lege XIII.* נא est caro, in quam quidem aliquam ignis habet ἐνέργειαν, quæque utcunque tosta, nondum tamen plane esui hominis est apta; בשל *significat* coctionem, quæ fit aqua, aut quacumque re liquida, aut succo frugum. Præceptum hoc sibi datum scribunt, ut memores essent miraculosi exitus ex Ægypto; propterea etiam præcise jussi sumus edere carnem assam; hæc enim consuetudo est filiorum Regum, & Principum, qui carne assa, tanquam cibo selecto, & sapido fruuntur. Reliqua vero fex exigua carnis portione, quam forte assequatur manus eorum, non contenta, lixam edit ad farciendum ventrem. Et quia Pascha in memoriam exitus in libertatem, ut essemus regium Sacerdotium, & gens sancta, comedimus, palam est, in esu ejus observare nos debere morem libertati & principatui congruum. Præterquamquod esus assati festinationem etiam significat, qua egressi sunt ex Ægypto, unde non licuit moram trahere, ut coquere eam potuissent in lebete. *Maimonides More Nevochim part. 3. cap.* 46. Statuta & consuetudines Paschatis proprias quod attinet, ut quod assum igni solummodo comedendum erat, in domo una nullumque os ipsi frangendum fuit, istorum omnium ratio manifesta est, & evidens; quemadmodum enim infermentatum erat propter festinationem, ita festinationis causa fiebat quoque assatio, quoniam non fuerat eis illic otium ad cibos exquisite coquendos, & præparandos, neque etiam tardare poterant ad ossa ejus confringenda, & ea quæ prohibita erant extrahenda; istud enim fundamentum in his omnibus Lex ipsa nobis explicat, dum ait: *& comedetis festinanter.* In festinatione autem non datur otium ad ossa confringendum, & de domo una in alteram de carne mittendum, & donec nuncius revertatur, exspectandum, quia hæ actiones omnes requirunt otium, & vacationem. Ratio vero, propter quam festinandum ipsis erat, fuit, ne forte quidam nimis diu cunctarentur, atque ita cum multitudine exire nequientes interciperentur, & occiderentur; ut autem in sempiternum illa observentur, ideo præcepit, ut sempiterna quoque illius rei esset memoria; sicut dicitur: *Custodi verbum illud legitimum tibi, & filiis tuis usque in æternum.* Exod. 12. 24.

47 *Ne quicquam carnis &c. Maimonides de sacrificio Paschali cap. IX.* Nemo nisi apud unum solum sodalitium victima Paschali vescebatur, nec ullam partem ejus a sodalitio cui apponebatur, auferri jus erat; siquis ad noctem decimam & quintam mensis Nisan de carne victimæ Paschalis id, quod esset magnitudine par olivæ transtulisset ab uno sodalitio ad aliud verberibus multaretur; est enim in Lege: *nec efferetis de carnibus ejus foras.* Exod. 12. 46. Nec vero pœna tenebatur, donec id quod extulerat etiam foris deposuisset; nempe victimæ Paschalis suo tempore, & Sabbatho cunctarum rerum deportatio Lege pariter interdicitur, quapropter hoc stato tempore non secus ac Sabbatho de sublatione rei simul, & depositione demum pœna fuerit. Nihil erat autem, quod plecteretur is, a quo victimæ Paschalis id, quod alter antea jam transportasset, rursus alio deportaretur, nimirum id ubi prior ille transportasset, temeratum esset. Quicquid spatii limen includebat, intus, quicquid excludebat, foris esse ducebatur. Jam limen ipsum, hoc est ostii crassitudo pro exteriori spatio putabatur; fenestræ murorumque spissitudo pro spatio interiori habebatur, tecta vero, cœnaculaque distinguebantur ab ædibus. Caro victimæ Paschalis ab sodalitio suo de industria sive imprudenter ablata ne comederetur, interdictum erat; nihil enim differebat ab hostiarum sanctiarum carne, quæ fuisset elata ex atrio templi, nihil ab hostiarum minus sanctarum carne, quæ extra urbis Hierosolymæ mœnia deportata foret; carnes autem istas haberi loco bestiæ in agris a fera discerptæ, tum vescentes illis homines verberibus multandos esse, disputatione de ratione sacrificiorum faciendorum docuimus. Si sacri cujusdam membri pars extra terminum suum posita fuisset, caro primum bipartito dividebatur usque adeo, donec attingeretur ejus os; tum deinde desecabatur, ac quicquid carnis erat intra terminum posita, comedebatur, quicquid extra, consumebatur igni; ad os cum ventum erat, id secespita præcidebatur in cæteris sacris; in victima autem Paschali, quoniam os nullum diffringi licebat, & ex altera parte caro desecabatur ad commissuram artus proximi, hic membrum illud, cujus pars extra constitutum sibi terminum posita erat, disjungebatur, atque foras abjiciebatur. *Tosaphta Pesachim cap. VI.* 9. Qui effert ad quantitatem olivæ carnem ex una ad aliam domum, & ex una societate ad aliam eo tempore, quo comedunt, pœna tenetur juxta versiculum qui dicit: *nec efferetis de carnibus ejus foras;* & quamvis dixerit, *in una domo comedetur;* comedere tamen poterant in eorum atriis & hortis; cur igitur dicit: *in una domo comedetur?* in una societate.

48 *κατὰ φρατρίας &c. Tosaphta Pesachim cap. VII.* 9. Qui inito sodalitio se aggregassent super sacrificio Paschali, si ex eo fuerit olivæ quantitas pro singulis, ex eo comedent, sin minus, non comedent; si super eo unus post alium se aggregassent primi comedent, novissimi non comedent, & secundum sacrificium Paschale faciant necesse est, verba Rabbi; R. Nathan dicit, non tenentur facere secundum sacrificium Paschale, quia jam iis aspersus fuit sanguis. Qui ex uno sodalitio vellent aggregare alios super eorum sacrificio Paschali, licebat, si vellent retrahere manus suas, & cum alteris aggregari, & alteri super eorum sacrificio Paschali, licebat, si quis velit retrahere manus suas, & aggregare alias super ejus parte, licet, semper integrum iis est retrahere manus suas, dummodo remaneat unus ex primo sodalitio, verba R. Jehudæ &c. *Maimonides More Nevochim part. 3. cap. 46.* Quod non comedi debuerat nisi a numeratis ejus, hac de causa factum fuit, ut unusquisque mature, & diligenter sibi de eo prospiceret, neque vel in amico, vel propinquo suo, vel alio quopiam confidat, atque ita negligentes hac in parte fierent. *Idem de sacrificio Paschali cap. II.* Victima Paschalis suo quæque numero hominum dumtaxat jugulabatur; nam est isto Legis edicto: *juxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni.* Exod. 12. 4. satis intelligitur viventi pecudi certum quemdam numerum hominum assignandum; hic igitur assignatus victimæ Paschali numerus hominum est ille, qui passim sodalitium appellatur &c. Non constituebatur sodalitium e mulieribus, & servis, nec e servis & pueris impuberibus, ne quid incontinenter inter se facerent; constituebatur autem sodalitium e mulieribus solis etiam pro sacrificio Paschali secundario, item & solis e servis; & si quo sodalitio permisti fuerint aliquot impuberes pueri, omnino victima Paschalis & eorum nomine mactabatur, verum enim nullum constituebatur sodalitium e pueris impuberibus solis, quippe qui ratione fere non utuntur. Nullum porro constituebatur sodalitium ex solis hominibus ægrotis, nullum e senibus solis, nullum e lugentibus solis; nam homines isti si possunt cibum capere, tamen non possunt capere multum; metuendum igitur erat, ne quid ex sacrificio Paschali reliquum facerent, idque temeraretur, quanquam si vitiose mactata fuisset ejusmodi sodalitio victima Paschalis, bona foret tamen. Præterea autem nullum constituebatur sodalitium e proselytis solis; nam isti ne propter Legis inscitiam sacrum hoc cum solicitudine superstitiosa facientes temerarent, periculum erat; attamen hujusmodi sodalitio si mactata victima Paschalis esset, legitima fuisset,

ſet. Si qui victimam Paſchalem jugulaſſet vel hominibus ante ſacrificio non aſſignatis, vel iis, quorum omnino nullus poſſet edere id, quod æquaret magnitudine olivam; item ſi rurſus vel incircumciſis, vel inquinatis jugulaſſent eam, vitiaſſent; rurſus ſi quis eam jugulaſſet hominibus, quorum partim poſſent ad olivæ magnitudinem comeſſe, partim non poſſent, partim antea fuiſſent aſſignati, partim non fuiſſent, partim eſſent circumciſi, partim incircumciſi, partim denique puri, caſtique, partim contaminati, bene haberet; reliqui vero perinde quaſi in mentem jugulantis non veniſſent, excluderentur. *Et paucis interjectis*. Sed in hominum numero unicuique victimæ Paſchali tribuendo quis tandem modus ſervandus erat? ut ſingulis aſſignatis e victima ſuppeteret id, quod adæquaret oleæ magnitudinem. Atque ejuſdem victimæ Paſchalis uſquedum cæderetur, conſortionem inire, atque diſſolvere licebat; cum primum cæſa fuerat, ejus e conſortio deinceps eximere ſeſe poterat nemo, quippe quod victima hominis ſuo loco numeroque aſſignati nomine cæſa fuerit. Quod ſi victimæ Paſchali juſtus hominum numerus daretur unus, & item alter, primus hominum numerus, ſiquidem ſingulis eorum pro oleæ magnitudine ſuppetebat e victima, victimam comedebat, nec quicquam cauſæ erat, cur iſti ſacrum Paſchale ſecundarium facerent; & qui numerus hominum erat additus ſecundo; quoniam e victima ſingulis eorum ad oleæ magnitudinem obvenire non poterat, prorſus ex ea comedebant nihil, atque Paſcha ſecundum ageret, oportebat.

[49] *Nec de ea quicquam &c. Maimonides cap. IX.* 7. de ſacrificio Paſchali. Si quis tam ad primum, quam ad Paſcha ſecundum e victima Paſchali tantum, quanta eſt oliva, comedendum dediſſet Judæo Apoſtatæ, cultori futilis Idoli, proſelyto inquilino, homini mercenario, contra vetitum commiſiſſet, qui ſi non ob eam rem cæderetur ictibus undequadraginta, ut de rebellione quidem certe verberaretur; nam ille, de quo Lege commemoratur, *alienigena*, hic eſt, qui Deum alienum veneratur, nihil igitur dabatur de victima Paſchali comedendum ethnico, neu proſelyto inquilino, neu homini mercenario, quippe qui a Lege hoc ſacro nominatim interdicuntur; *Advena & mercenarius non edent* ex eo. Exod. 12. 45. נכר (*inquit Onkeloſos*) intelligitur filius Iſraelis, cujus peregrina, vel aliena ſunt facta a Patre cœleſti: *R. Levi Barzelonita Leg. XVII.* Conveniens eſt, ut ne comedat de eo Apoſtata, quod nos conſtituimus in ſignum, & memoraculum, quod venerimus eo tempore receptum nos ſubter alas Providentiæ ejus, ingreſſique ſumus fœdus Legis, & fidei. Non, inquam, decet, ut de eo illum cibemus, qui egreſſus eſt univerſitate, fidemque abnegavit.

[50] *Ne proſelytus R. Levi Barzelonita Leg. XVIII.* תושב eſt homo ex gentibus, qui in ſe ſuſcepit, ſe non tranſgreſſurum, edit autem morticinia. שכיר eſt peregrinus, qui circumciſus, non vero baptizatus eſt &c. Conveniens eſt ne qui alii voluptatem inde percipiant, niſi qui perfecti fuerint fide, nempe Iſraelitæ perfecti, non autem illi, qui nondum recepti ſunt in fœdus perfectum nobiſcum. Ex eodem fundamento arcetur etiam præputiatus.

[51] *Nam proſelytus &c. Siphri ad Num. IX.* 14. *Peregrinus quoque & advena ſi fuerint apud vos*; ego arbitror, eum oportere facere Paſcha ſtatim ac factus eſſet Proſelytus; quemadmodum civis quartodecimo, etiam Proſelytus quartodecimo. R. Simeon filius Eleaſaris dicit, ſi quis fieret Proſelytus inter duo Paſchata, crederem oportere eum facere ſecundum Paſcha; ideo dictum eſt: *tam advenæ quam indigenæ*. Quemadmodum indigena, quando primum Paſcha facere non potuit, faciet ſecundum, ita quiſquis non fecerit primum, faciet ſecundum; *juxta cæremonias & juſtificationes ejus*; non probo niſi, quod Paſcha ſit æquale Proſelyto, & indigenæ; pro reliquis omnibus Legis præceptis unde probatur? ex eo quod dicit: *præceptum idem erit apud vos*; venit textus, & æquiparat Proſelytum indigenæ in omnibus Legis præceptis. *Toſaphta Peſachim cap. VIII.* 2. Proſelytus, qui inter duo Paſchata circumcideretur, faciat ſecundum Paſcha neceſſe eſt, verba Rabbi. R. Nathan dicit, non eſt neceſſe, ut faciat ſecundum Paſcha, cum ad primum non fuerit obbligatus, cum datum ſit filiis Iſrael ædificare domum electionis,

[52] *Sed Hilleliani &c. Toſaphta Peſachim cap. VII.* 17. 18. At incircumciſus, pro quo fuiſſet aſperſus ſanguis, & deinde fuiſſet circumciſus, non edit, & tenetur facere ſecundum ſacrificium Paſchale. Dixit R. Eleaſar filius Sadoki; conveniunt Schammæani, & Hilleliani in incircumciſo alienigena, quod ſe immergat, & deinde edat; de quo diſſenſerunt? de incircumciſo gentili, quod Schammæani dicunt, ſe immerget, & edet de ſuo ſacrificio Paſchali; & Hilleliani dicunt, qui ſe ſeparat a præputio eſt illi ſimilis, qui ſe ſeparat a ſepultura, tam alienigena, qui ſe circumcidit, quam ſerva, quæ ſe immergit. R. Eleaſar filius Sadoki dicit; erant miniſtri, & cuſtodes portarum Hieroſolymæ, qui ſe immergebant, & veſperi ſua ſacrificia Paſchalia comedebant. *Maimonides ibidem cap. VI.* 7. Judæo grandi viglia Paſchæ præputium ponenti victima Paſchalis utique mactabatur; at alienigenæ, qui menſe Niſan die quartodecimo religioni Judaicæ addiceretur, circumcideretur, ablueretur, nequaquam mactabatur victima Paſchalis; is enim hac victima non veſcebatur veſperi, ſed ejuſdem loci ac ordinis erat, ac qui tunc ipſum ex ſepulchreto ſeſe recepiſſet, qui quidem ſeptimo poſt die demum luſtrabatur; etenim cavendum erat, ne ſi Proſelytus anno conſequenti funere ſe forte pollueret ad eundem illum diem quartum & decimum menſis Niſan, illico corpus ablueret, & veſperi veſceretur victima Paſchali, ratus ſic ſe ab Iſraelitis anno ſuperiori habitum eſſe, quippe quod circumciſus & ablutus victimam Paſchalem veſperi comediſſet. At dixerit aliquis; hujus cautionis auctoritas omnis humana, ſacrificii vero Paſchalis erat divina, cujus ſpretæ pœna fuerat exitium; quid igitur erat cauſæ, cur auctoritas humana opponeretur exitio, quæ erat divina pœna conſtituta in decimum quartum diem menſis Niſan huic ſacro præſtitutum? Nempe proſelytus ſuſceptæ religionis cæremoniis non aſtringebatur, donec circumciſus & ablutus eſſet, nec erat abluendus, niſi poſtquam ſanata circumciſio fuerat; quapropter hoc loco firmiter ſtabiliebatur auctoritas humana, quandoquidem huic circumciſio homini etiam erat in manu, ut corpus ne ablueret antequam convaluiſſet, intereaque nullis omnino religionis ritibus alligaretur:

[53] *Ne incircumciſus &c. Maimonides More Nevochim part.* 3. *cap.* 46. Præputium habentibus cur prohibitus fuerit ejus eſus, ejus rei cauſam reddiderunt ſapientes noſtri dicentes: ipſi intermiſerunt præceptum circumciſionis, cum prolongaretur commoratio ipſorum in Ægypto, ut ſimiles fierent Ægyptiis. Ideo cum injunctum fuerit nobis præceptum Paſchatis, hanc ei conditionem annexit Deus, ut nemo illud mactaret, niſi poſtquam ſe ipſum, ſuos filios, ac domeſticos circumcidiſſet, atque ita tum demum accederet ad agnum Paſchalem comedendum. Circumciderunt ſe omnes, & tantus circumciſorum fuit numerus, ut ſanguis circumciſionis miſceretur cum ſanguine Paſchatis, quemadmodum hujus rei veſtigium habemus apud Prophetam dicentem: *vidi te, conculcavi in ſanguine tuo*. Ezech. 16. 6. h. e. in ſanguine circumciſionis, & ſanguine Paſchatis. *Idem de ſacrificio Paſchali cap. V.* 4. Immundus homo, cui in manu erat, ut ſe purificaret ad Paſcha primum, ſi non luſtrarit ſe, ſed in inquinamento remanſerit uſque dum præteriſſet hora ſacrificii faciendi, item homo præputiatus ſi noluerit ſe circumciſum donec ſacrificii faciendi tempus ceſſiſſet, iſti quidem prudentes ad Paſcha primum immolationem agni Paſchalis omiſiſſent, qui ſi rurſus ad alterum Paſcha imprudentes omitterent, exitio multarentur. Sicut propria cujuſque circumciſio infecta obſtabat, quominus ſacrificium illud Paſchale faceret, ita ſuorum cuique filiorum impuberum, cunctorumque ſervorum puberum, impuberum infecta circumciſio impedimento erat; eſt enim in Lege: *circumcidetur prius omne maſculinum ejus, & tunc rite celebrabit*. Exod. 12. 48. Et ſiquis ante circumciſos iſtos victimam Paſchalem mactaſſet, vitioſa victima foret. Similiter ſuarum cuique ancillarum infecta lotio, qua in ſervitutem aſtringebantur, impedimento erat; id enim nobis quaſi per manus traditum eſt, hanc lotionem eodem modo in ancillis, quo circumciſionem in ſervis ſe habere. Nec vero vel infecta circumciſione ſervorum, vel ancillarum infecta lotione dominus adhuc puer impubes impediebatur, quominus victimæ Paſchalis ſocius adjungere-

geretur aliis; nam quod in Lege dicitur: *Quivis autem viri servus* (ita Hebræus) Exod. 12. 44. id puerum impuberem excludit utique. Si inter Pascha primum & secundum Judæorum religioni sese peregrinus addixisset, si puer impubes inter unum & alterum Pascha pubesceret, ab utroque Pascha secundum celebrari jus erat, quamquam si pro eorum altero immolatum esset ad Pascha primum, is porro solutus erat. *Idem ibidem cap. IX.* 8. Incircumcisus homo si de sacro Paschali comedisset ad olivæ magnitudinem, verberibus multaretur; quia enim in Lege est: *si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo*. Exod. 12. 48. hic autem licet isto sacro non vesceretur, vescebatur tamen azymo pane, & oleribus amaris; item panis azymus & olus amarum ut edenda præberentur, & inquilino Proselyto; & homini mercenario permissum erat. Quemadmodum suorum quisque liberorum, & servorum infecta circumcisione impediebatur, ne victimam Paschalem cæderet, item impediebatur, ea ne vesceretur; ut si cui post cæsam victimam Paschalem emtus servus esset, sicui fuisset ejusmodi puer, cujus circumcidendi tempus non venisset, nisi post cæsam victimam Paschalem, hac illa vesci prohibebatur usque, dum commemoratus puer, aut servus circumcideretur. Qui vero fieri poterat, ut post cæsam victimam Paschalem esset aptus ad circumcidendum, idem ante non esset? Si videlicet aut arida febris ab eo decessisset; is enim septem dies plenos a decessione febris requirebat, aut acutus oculorum dolor tandem post cæsam victimam Paschalem abisset, aut partes illæ, quibus sexus discernitur, obstructæ prius, post cæsam victimam Paschalem, denique discessissent, atque mas extitisset.

[54] *Ne os agni &c. Tosaphta Pesachim cap. VI.* 7. In sacrificio Paschali legitimo reus est, si os fregerit, in sacrificio Paschali illegitimo non obtinet pœna, si os frangatur; si fuerit aliquod tempus, in quo fuerit legitimum, & postea factum sit, illegitimum, in eo pœna obtinet, si os frangeretur; si nunquam legitimum fuerit, non est reus, si os fregerit. R. Simeon dicit, quamvis aliquo tempore fuerit legitimum, & factum sit illegitimum, in eo pœna non obtinet, si os frangatur. R. Ismael filius R. Jochanis filii Berokæ dicit, etiamsi in eo non factum sit illegitimum nisi unum membrum, non est reus, si os perfregerit &c. *Maimonides ibidem cap. X.* Si quis victimæ Paschalis, & ejusdem puræ fregisset os aliquod verberibus multaretur; est enim in Lege: *nec os illius confringetis*. Exod. 12. 46.

[55] *Nec in Paschate &c. Siphri ad Num.* 9. 11. *In mense secundo quartadecima die*. Addit textus in eo duo præcepta, excepto præcepto, quod dictum est in ipso sacrificio; & quodnam est hoc? hoc est: *& os ejus non confringent*; de præcepto, quod est in ipso sacrificio Paschali, textus loquitur; tu dicis, quod de præcepto, quod est in ipso sacrificio, textus agat, at ego dicam, quod loquatur de præceptis, quæ sunt ob causam sacrificii Paschalis; quando dicit: *juxta cæremonias & justificationes ejus*, ecce præcepta, quæ ipsius causa dicta sunt. Quid igitur dicendum erat: *juxta cæremonias & justificationes ejus?* de præceptis, quæ spectant sui ipsius corpus, textus agit; nonne etiam dicere possim, de septem diebus festi, de azymo, & de remotione panis fermentati? ideo dictum est: *& os ejus non confringent*; os inclusum erat in genere, exiit de genere, ut de toto genere doceret; sicuti os est præceptum, quo de suo ipso corpore textus agit; etiam quando dicit: *juxta cæremonias & justificationes ejus*, de præceptis, quæ suum ipsum corpus respiciunt, textus agit. Hisi filius Akibæ dicit, statutum quod dictum est in sacrificio Paschali, non agit, nisi de ipso corpore sacrificii Paschalis. *Maimonides ibidem*. Item & de victima Paschali secundi Paschatis scriptum legimus: *& os ejus non confringent*. Num. 9. 12.

[56] *Nec quicquam agni &c. Codex Pesachim cap. VII.* Ossa, nervi, & reliquiæ comburuntur decimo sexto (die) si decimus sextus *dies* inciderit in Sabbathum, comburunt decimo septimo *die*, quia non pellunt Sabbathum, neque diem festum. *Maimonides ibidem cap. X.* 11. Erat autem enitendum ut e pulpa victimæ Paschalis nihil quicquam relinqueretur in mane crastinum; est enim in Lege: *nec remanebit quicquam ex eo usque mane*. Exod. 12. 10.

[57] *Nec in Paschate &c. Maimonides ibidem*. Similiter de victima Paschali Paschæ secundi a Lege dictum est: *Non relinquent ex eo quidpiam usque mane*. Si quis igitur reliquum ex ea fecisset aliquid vel ad Pascha primum, vel ad secundum contra vetitum commisisset, attamen non multaretur verberibus isto de vetito, propterea quod in jussum abit; habemus enim in Lege; *si quid residuum unum fuerit, igne comburetis Exod.* 12. 10.

[58] *Ne quid supersit &c. Tosaphta Pesachim cap. V.* 2. Sacrificium festi, quod cum eo (*scilicet sacrificio Paschali*) veniebat, adducebatur ex ovibus, & bobus, ex agnis, & capris, ex masculis, & fœminis, & adducebatur anniculum, aut bienne, & comedebatur duobus diebus, & una nocte, neque in eo pœna obtinebat, si os frangeretur. Sacrificium festi, quod cum eo veniebat, antea comedebatur, ut sacrificium Paschale comederetur, postquam saturi forent; sacrificium festi, quod cum eo veniebat, lætitiæ debito cum eo satisfaciebat. R. Simeon filius R. Eleasaris dicit: sacrificium festi, quod cum eo in mensa apponebatur, & decocta, quæ cum eo in mensam adducebantur, cum eo erant removenda. *Maimonides ibidem cap. X.* 12. Ad mensis primi decimam & quartam diem, cum fiebat sacrum Paschale, simul & sacra pacifica fiebant, & ista quidem itidem, ut cuncta sacra pacifica bobus juxta, atque reliquis pecoribus, grandibus, parvisque, maribus, ac fœminis; hoc videlicet illud est, quod sacrum solenne diei decimæ quartæ vulgo dicitur; etenim hoc spectat divinæ Legis edictum illud: *immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus*. Deut. 16. 2. Jam sacrum illud solenne tum adjungebatur, cum sacrum Paschale fiebat die profesto, cum fiebat pure, cum fiebat parce, nam si dies illa decima & quarta primi mensis incidisset in Sabbathum, si sacrum Paschale fieret inquinate, si victimarum Paschalium copia foret adeo magna; tum his nullum adhibebatur sacrum solenne, sed ipsæ mactabantur solæ. Sacrum solenne diei decimæ quartæ res erat non necessaria, sed libera, atque ut cuncta sacrificia pacifica, sic & illud comedebatur intra duos dies, & noctem unam; nam hoc Legis edicto: *& non remanebit de carnibus ejus, quod immolatum est vespere in die primo usque mane*. Deut. ibid. 4. id sanciri traditio est, ne de sacrificio sol nni diei decimi quarti quidpiam reservetur ad diem usque sextum decimum; dicitur autem *usque ad mane*, diei videlicet perendini, at si quis inde reliquum fecisset aliquid, non multaretur verberibus, reliquum illud proinde, ut cætera residua sacrorum igni consumebatur. Et caro sacrificii solennis, & quæcunque fercula in mensa cum sacro Paschali simul apposita, una cum eodem & inflammabantur, hæc eadem sic tanquam ipsummet sacrum Paschale comedebantur dumtaxat ad mediam usque noctem, id adeo, ut inter se ne confunderentur. *Abarbanel ad Levit. cap. VII.* 15. Quod autem hæc Eucharistica secus, atque cætera sacra pacifica uno eodemque die consumebantur, id erat causæ scilicet, beneficium acceptum, cujus nomine fiebant, ut proferretur in vulgus. Nempe his consumendis cum sciret immolator omnino diem unum esse constitutum, vocabat ad sacras epulas familiares, & necessarios suos, tum deinde his sacrorum epulonibus ejus, quam fecerat, rei divinæ causam enarrabat, hic ille benigne sibi factum a Deo Optimo Maximo, ita fiebat, ut divinam erga se benignitatem prædicaret, efferret, magnificaret, celebraret. Quod si Eucharisticis istis tantumdem spatii, quantum cæteris sacrificiis pacificis absumendis præstitutum esset, malignus homo suas ad epulas sacras vocasset neminem, quippe qui facile sacrificia tota in sua ipsius familia intra duos dies & noctem unam absumeret. *Philo in lib. de victimis, idem sentit.* Hanc victimam non biduo sic, ut priorem illam pacificam, sed ipsa prima die Lex jubet absumi, ut qui experti sunt propensum paratumque favorem Numinis cœlestis, incunctanter de hoc sacrificio impertiantur aliis.

[59] *Manipulus ex hordeo &c. Siphra ad Levit.* 2. 14. *Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino*; hoc est munus manipuli, de quo afferebatur? de hordeis, an dicam de tritico? Dicit R. Eliezer: dictum est hoc loci *de spicis*, & dictum est in Ægypto de spicis, sicut spica Ægypti erat hor-

deacea,

deacea, etiam hæc hordeacea. R. Akiba dicit: dictum eſt cœtui, affer primitias in Paſchate, & affer primitias in Pentecoſte, quid invenimus? quod ex ea ſpecie, ex qua privatus ſuum debitum afferebat, ex eadem ipſa cœtus ſuas primitias afferebat in Pentecoſte; etiam ex ea ſpecie, ex qua privatus ſuum debitum afferebat, ex eadem ipſa cœtus afferebat ſuas primitias in Paſchate; ex quanam ſpecie privatus ſuum debitum afferebat? ex hordeis, etiam cœtus non afferebat, niſi ex hordeis; & ſi dices de tritico, duo panes non erant primitiæ. R. Iſmael filius R. Jochananis filii Berokæ dicit: crederem, quod adduceretur de ſpelta, avena, & ſecali? Opponitur argumentum; ſi tritica quæ idonea ſunt pro reliquis muneribus, non ſunt idonea pro munere manipuli, ſpelta, avena, & ſecale, quæ non ſunt idonea pro reliquis muneribus, non erit æquum, ne ſint idonea pro munere manipuli? Hordea contra probant, quæ non ſunt idonea pro reliquis omnibus muneribus, & ſunt idonea pro munere manipuli; non eſt validum argumentum; quod ſi dixiſti in hordeis, ex his afferebatur munus mulieris adulterii ſuſpectæ, hoc dices de ſpelta, avena, & ſecali, ex quibus ne munus quidem mulieris adulterii ſuſpectæ afferebatur? excluduntur igitur tritica a textu, & avena, & ſpelta, & ſecale argumento a minori ad majus. *Abarbanel comment. in Levit.* 23. 10. dicit, *primitias meſſis veſtræ*, ab eo quo incipitur falx immitti in ſegetem hordei, eo quod hujus erat copia in terra Canaan poſt æquinoctium menſis Niſan, & hic eſt menſis ſpicarum a tempore ingreſſus ſolis in ſignum Arietis verſus Aquilonem, licet autem demetant ſpicam hordei ante hoc tempus, non agitabant tamen Omer niſi poſtridie Sabbathi. *R. Levi ben Gerſon in l. c.* Et hoc explicatur ratione temporis, quod hæcce meſſis ſit meſſis hordei, quia meſſis tritici nondum erat in terra Iſraelitica hoc tempore.

[60] *Nocte videlicet &c. Maimonides ibidem.* Jam hoc meti oportebat ea nocte, quæ erat ad decimum ſextum diem Niſan, ſive nox iſta profana foret, ſive Sabbathina; atqui ad demetendum hunc manipulum erat idonea nox tota; quem ſi meſſuiſſent de die, nihilominus erat idoneus.

[61] *Atque uti* עומר *&c. Codex Menachoth X. 6.* Manipulus in provincia permittebat, & duo panes in templo. Non adducebantur munera nec primitiæ, nec animantium munera ante manipulum, ſi vero quis adduxiſſet male habebat. Ante panes non adducebant, ſi vero quis adduxiſſet, bene habebat. *Toſaphta Menachoth cap. X.* 30. Manipulus in tota provincia permittebat, & duo panes in Sanctuario; Poſt oblatos duos panes, incipiebant adducere munera &c. *Maimonides ibidem* expoſuimus ſuperius de frugibus novis ante latum manipulum neque alia ferri munera, neque fertum libaminum, neque primitias; & ſiquid horum tuliſſet aliquis, omnino temeratum fuiſſe, atque etiam nihil inde ferri antequam fuerant oblati duo panes, conveniebat; verum ſi quis inde prius tuliſſet aliquid, idoneum fuiſſet utique.

[62] *Utrumque &c. Codex Menachoth cap. VIII.* Omnes oblationes tam publicæ quam privatæ veniebant ex eo quod natum eſt in terra (*Iſraelis*) & extra eam, tam e novo, quam veteri proventu, manipulo, duobuſque panibus exceptis, qui dumtaxat e novo, & ex eo, quod in terra natum erat, offerebantur; omnia vero hæc ex optimo offerebantur. *Toſaphta Menachoth cap. IX.* 2. Omnia munera poſſunt afferri ex eo quod natum eſt in terra, & extra terram, ex proventu novo, & veteri excepto manipulo & duobus panibus, qui non adducebantur niſi ex novo, & ex eo quod natum erat in terra. *Hieroſol. Sanhedrin fol.* 11. 2. Nec erat manipulus hordei primitialis aliunde petendus, quam e Judæa, & quam proxime ab Hieroſolymis. *Maimonides ibidem.* Munus hoc non ferebatur niſi de terra Iſraelitica, quia ſcriptum eſt: *feretis manipulos ſpicarum primitias meſſis veſtræ ad Sacerdotem.* Levit. 23. 10. hoc e proximo ferri rectum erat, quod ſi non ſuppeteret e proximo, de quovis Iſraeliticæ regionis loco petebatur. *Abarbanel comment. in Legem ad Levit.* 23. 10. Eo quod præceptum manipuli pendebat a terra ſancta, dixit Dominus: *cum ingreſſi fueritis terram quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem*, vult dicere, eo ut vos puri ſanctique habeamini, cum veneritis in terram ſanctam, & ſeminaturi eſtis eam, & demeſſuri meſſem ejus, ego jubeo ut afferatis primitias meſſis veſtræ ad Sacerdotem. *Et paucis interjectis.* Et forſan poteſt interpretari: *cum ingreſſi fueritis in terram, hoc ſit* poſtquam conſederitis in terra, & ſeminaveritis eam, & demeteritis meſſem ejus, tunc demum in conſuetudinem inducite præceptum hoc de oblatione manipuli, ac propterea cum collecti eſſent Iſraelitæ in terra ſancta (*poſt tranſitum per Jordanem*) comederint poſtridie Paſchatis placentas, & toſta grana, neque tranſgreſſi ſint hoc præceptum, eo quod tum temporis nondum ſubjugaſſent terram, neque habuiſſent meſſem hordeaceam in agro, neque ſic infringebatur præceptum hoc, uſque ad ſubjugationem, & partitionem terræ Cananæorum. *Hoc idem ibidem ſentit R. Levi ben Gerſon; cum ingreſſi fueritis terram &c.* docemur quod manipulus non veniat niſi de meſſe, quæ eſt in terra Iſraelis.

[63] ראשית קציר *&c. Siphra ad Levit.* 23. 10. *Et meſſueritis ſegetem*, quod ſint primitiæ totius meſſis; crederem etiam ex ea, quæ meti poſſet domi, aut in terris aridis, aut in vallibus; ideo dicit, *meſſis veſtræ;* meſſis omnium veſtrum, & non meſſis locorum aridorum, aut domi, aut vallium. *Meſſis*, & non legumina, *meſſis*, & non herba ſine tritico. R. Jehuda dicit, ſi metere incepiſſet, priuſquam triticum tertiam partem creverit, perget metere, ex eoque licet pabulum præbere animanti, feris, & avibus, & liberum eſt a ſpicilegio, prætermiſſo, & angulo, ſed decimis tenetur. R. Simeon dicit; vel ſi tertiam partem maturuerit, poteſt incipere metere, & pergere, & pabulum præbere animanti, feræ, & avibus, & liberum eſt a ſpicilegio, a prætermiſſo, & angulo, & tenetur decimis.

[64] *Ante quarum &c. Codex Menachoth X.* 7. Triticum hordeum, ſpelta, avena, & ſecale ad placentam obligata ſunt, & inter ſe conjunguntur, atque ante Paſcha prohibita ſunt ob nova, & ob meſſem ante manipulum. Si vero radices egerint ante manipulum, manipulus ea permittit, ſin minus, prohibita ſunt, donec veniat manipulus futurus. Demetunt agrum ſiticuloſum in valle, ſed non metas erigunt &c. Demetere licet, ut animantibus pabulum præbeat; dixit R. Jehuda, quando? quum nondum tertia ex parte maturuerint. R. Simeon dicit, etiam demetat, & pabulum præbeat, etſi tertia ex parte maturuerit. Metunt propter plantas ob domum luctus, & hoc propter Scholæ intermiſſionem. Non colliget in faſciculos, ſed in faſciculis minutis relinquet. *Toſaphta Menachoth cap. X.* 34. Quamvis dixerunt vetitum eſſe metere; loca ſiticuloſa montium, & agri ſegetis, qui ſunt in vallibus, meti poſſunt propter plantas, & luctum, & ſcholæ intermiſſionem; non ita metet ut colligat in faſciculos, ſed metet, & juxta eorum uſum relinquet. Licet in ipſo campo ducere viam, & metere pro animantibus, priuſquam ex tertia parte maturuerit, poſtquam ex tertia parte maturuerit, non incipiet, & ſi incepiſſet, ceſſabit. Priuſquam ex tertia parte maturuerit, liberum eſt a ſpicilegio, prætermiſſo, & angulo, poſtquam tertiam partem creverit, tenetur ſpicilegio, prætermiſſo, & angulo. R. Simeon dicit, etiamſi tertiam partem creverit, liberum eſt a ſpicilegio, & prætermiſſo, & decimis tenetur. *Maimonides ibidem.* Interdictum erat ne in terra Iſraelitica demeteretur ullum e quinque frumentorum generibus, antequam manipulus iſte demeſſus erat; quod enim de illo dicitur, *primitias meſſis veſtræ*, id hoc ſignificat manipulum iſtum omnium primum eſſe metendum; omnino ſic ſe habebat omnis ſeges, quæ eſſet idonea, unde ferretur iſte manipulus; verum enim de agro ſiticuloſo, eoque apud valles ſito, quoniam non erat is, unde ferretur munus hoc, demetere ſegetem ante quam fuerat manipulus iſte demeſſus, licitum erat, non item coacervare. Fruges ſi radices egerant ante latum iſtum manipulum, per eundem manipulum licitæ fiebant, ſin minus interdictum erat, ne meterentur, neu comederentur, donec manipulus anni conſequentis oblatus fuerit. Quæ fruges necdum ad tertiam partem excreverant, ex his in jumenti pabulum demetere fas erat, reſecabantur etiam fruges ne plantis nocerent. Item reſecabantur eo, ut locus eſſet aut ſepulchreto, aut academiæ; ſcriptum eſt enim: *primitias meſſis veſtræ*, non item meſſis ſan-

ctæ.

ctæ. Cum igitur his de causis fruges resecare liceret, tamen eas in fasciculos, ut messores solent, colligere non licebat, manipulos igitur relinquebant solutos. Abarbanel ad Levit. 23. 14. Ad indicandum quod sit vetitum ad comedendum de hordeo novo, neque panem coctum, neque tosta quæ sunt molita ex hordeo, quod arefactum est in furno, neque spicas virentes, quæ sunt hordeum tenerum contricatum. R. Salomo ad h. l. *tostum*, est farina facta e spicis virentibus teneris, quæ torrentur in furno; spica virens est idem quod alias Kaliot, ac vocant illud *Grainelles*. R. Levi ben Gerson ad h. l. *panem &c.* est admonitio, ne fiat comestio panis ex annona nova neque tosti, neque spicæ virentis, quæ est comminuta, vult dicere quæ franguntur in molis fabarum ante oblationem manipuli.

[65] *A Jerichuntinis &c. Codex Menachoth X.* 8. Jerichuntini metebant cum licentia sapientum, sed ipsis invitis metam, erigebant; attamen sapientes ipsis non prohibuerunt. *Codex Pesachim IV.* 8. Sex res fecit populus Jerichuntinus, a tribus cohibuerunt manus eorum, & a tribus non cohibuerunt manus eorum; hæc autem sunt ea, a quibus non abstinuerunt manus eorum, inseverunt dactylos totum diem, conjunxerunt *Audi*, messuerunt, & coacervarunt ante messem Homer. *Tosaphta Pesachim cap. III.* 20. Sex res fecerunt viri Jerichuntini, tres assentientibus sapientibus, & tres iis invitis; inseverunt dactylos tota die in vigilia Paschatis, & abbreviarunt *Audi*, & messuerunt ante manipuli oblationem.

[66] *Delegebantur &c. Tosaphta Menachoth X.* 25. Quomodo faciebant? Legati Synhedrii vigilia diei festi exibant, accipiebant sportas & falces, ibique coacervabant pro manipulo tria sata, & ponebant sportas, & falces, & in festo prope noctem veniebant, egrediebantur, & magna multitudo cum iis exibat. *Maimonides ibidem.* Jam hæc erat hujus manipuli parandi ratio. De vigilia solennitatis emittebantur a Senatu, qui fruges terræ solo inhærentes colligarent in fasciculos, quo facilius meterentur. Ac conveniebant eo proxima quæque oppida, quo messis ista majorem haberet celebritatem. Metebant igitur tria sata hordei homines tres tribus falcibus, & arcis imponebant tribus.

[67] *In agro vicino &c. Tosaphta Menachoth X.* 23. Manipulus afferebatur de Bet-Makle torrentis Cedron; erat ibi veluti locus trium Satorum, & sol intra eum percutiebat, & intra eum immergebat, & sulcus in ejus medio ducebatur, & in ejus medio ferebatur. *Gemara Menachoth fol.* 64. 2. Cum appropinquaret tempus manipuli, non norunt unde manipulum peterent. Publico ergo præconio inquisiverunt; venit mutus quidam ואותיב חדא ידא אאיגרא, & manum unam tetendit ad tectum, וחדא ידיה אצריפה, & manum alteram ad tuguriolum. Dixit iis Mordecai; estne locus aliquis, qui dicitur Gaggoth Zeriphim, aut Zeriphin Gaggoth? Quæsiverunt, & compererunt. Cum duos panes offerre vellent, nec noscerent unde adipiscerentur, publico præconio inquisiverunt, venit mutus iste, אותוב ידיה אעיניה, & manum unam oculo suo admovit, וחדא ידא אסיכרא, & manum alteram foramini postium ostii, ubi indunt pessulum. Dixit iis Mordecai, est locus, qui dicitur Ein Sychar, aut Sychar Ein? Quæsiverunt, & compererunt. *Glossa in Babyl. Sanhedrin fol.* 11. 2. Non adducunt manipulum nisi a loco aliquo, qui est prope Hierosolymam, at si locus aliquis prope Hierosolymam primitias istas non protulerit, tum petunt e longinquo. Erat, cum afferretur manipulus ex hortis Zeriphim, & duo panes e valle En Socar. *Codex Menachoth cap. X.* 2. Præceptum de manipulo vult ut is de proventu proximo metatur, si vero is qui Hierosolymæ proximus est, nondum maturuerit, e quovis loco eum addducant. Contigit aliquando ut ex hortis Zeriphim adductus fuerit, & duo panes e valle En Socher; *ubi Glossa.* Gaggoth Zeriphim, & Ein Sychar distabant longe a Hierosolyma.

[68] *Ære publico &c. Tosaphta Menachoth* X. 23. Custodiebatur e sponte renascentibus anni Sabbathici, & Jubilæi, ut de his manipulus adduceretur, & duo panes frumenti novi; & merces his solvebatur ex separatione conclavis. *Maimonides Sekalim cap. IV.* Quid fit cum oblatione conclavis? Sumunt inde sacrificia &c. & manipulum, & duos panes &c. *Idem ad cap.* 4. *Codicis Sekalim.* Notum est satis quod omne id, quod terra proferebat eo anno, *sc. Sabbathico*, erat omnibus commune, & comedebatur a toto populo sine discrimine, & quod tenebamur etiam singulis annis adducere Homer, & duos panes de proventu novo, quemadmodum nobis hypothesis est, & in tractatu Menachoth dicitur: *omnia sacrificia privata & cœtus veniunt e terra Israelis, & e locis extra terram Israelis, de proventu novo & veteri, excepto Homer & duobus panibus, qui tantum veniunt de proventu novo, & de terra Israelis.* Propterea necesse erat conducere custodes Plantarum, ne auferrent eas homines anno remissionis, & non inveniretur ad adducendum Homer, & duos panes; cæterum nummi illi, qui dabantur pro mercede, habebantur ac si illis emerent Homer & duos panes. Dicit R. Jose, quod si quis se sponte obtulisset ad custodiendum gratis, Homer & duo panes ad se pertinent sine dubio, quia sunt de communi, & cum ille custodit ea & adducit, licitum est offerre ea, & cœtus illis satisfacit officio suo; nam putat sacrificia particularia mutari posse cum sacrificiis cœtus, sed in hoc ipsi contrarii sunt Sapientes, & dicunt, nonne tu concedis, quod Homer & duo panes tantum venire possunt de cœtus bonis? quomodo ergo ea offerre potest privatus, quia pretii nullius sunt anno septimo, sed custodis sunt pro mercede? Et hæc est difficultas eorum qui dicunt, quod sacrificium privati mutari nequit cum sacrificio cœtus; decisio non est juxta R. Jose.

[69] *Nocte ipsa &c. Tosaphta Menachoth X.* 25. Nocte adveniente, ter dicebat; an hoc festo, an hoc canistro? R. Eliezer filius Sadoki addebat etiam, ter dicebat an hac falce? & ipsi ter respondebant, maxime pro singulis. *Rogabat*, metamne? & ipsi respondebant, mete; qua de causa hæc omnia? propter Baithosæos, qui dicebant in exitu festi non esse metendum. *Maimonides ibidem*; cum primum advesperasceret, messorum unus omnes astantes ita rogabat; *Jam occubuit sol?* & respondebant ei, *sic est. Hæccine falx messoria?* respondebant ei; *sic est. Hæccine arca?* respondebant ei, *sic est.* Quod si Sabbathum esset, idem rogabat. *Estne Sabbathum hodie?* & respondebant ei, *est.* Tum deinde rogabat; *metamne?* & illi respondebant, *mete.* Atque harum rogationum, & responsionum unaquæque ter repetebatur. Quorsum igitur hæc multa? ad refellendos heterodoxos illos, qui stante templo secundo a communione Judæorum recedentes Legis illud: *altero die Sabbathi.* Levit. 23. 11. pertinere ad *Sabbathum Geneseos* pugnabant; nos autem auditione accepimus hoc loco agi non de Sabbatho, sed de solennitate Paschatis, quod idem semper Prophetis visum est, & Synhedriis cujusque ætatis, qui manipulum istum ferebant decimo sexto die Nisan, sive dies ille communis, sive Sabbathum foret; etenim est in Lege: *Panem, & polentam, & pultes non comedetis ex segete usque ad diem qua offeratis ex eo Deo vestro.* Ibid. vers. 14. Atque scriptum videmus, *& comederunt de frugibus terræ die altero* (Paschatis) *azimos panes, & polentam.* At enim dixerit aliquis, Pascha illud in Sabbathum inciderat, quod utique quibusdam insanis visum est; quomodo vero Scriptura licentiam novarum frugum comedendarum refert ad rem minime necessariam, nec certa causa sed casu fortuito cadentem? Cum igitur Scriptura rem constituat in posterum diem Paschatis, perspicuum est posterum diem Paschatis demum causam esse, quæ permitteret novis vesci frugibus, nec in quem ille hebdomadæ diem incideret, quicquam fuisse curandum.

[70] *Deferebatur &c. Tosaphta Menachoth ibidem.* Postquam demessuerant, & in canistra reposuerant & in atrium adduxerant, ipsum ad ignem torrebant, ad præceptum de tosto in ipso adimplendum; verba R. Meyr; & Sapientes dicunt: hæc vox קלי nihil aliud designat nisi vas æneum multis foraminibus, ut ignis undique penetrare posset. *Maimonides ibidem.* Quod cum esset demessum, imponebatur arcis, atque in atrium ferebatur. Hic excutiebatur, ac ventilando mundabatur, tum excussa illa grana hordeacea igni torrebantur in sartagine perforata adeo, ut ignis omnia invaderet, quia scriptum est: *de spicis adhuc virentibus torrebis igni, & confringes in morem farris;* Levit. 2. 14. quo loco agi de solo munere manipuli perpetua traditione acceperunt alii ab aliis. *Siphra*

ad

ad Levit. 2. 14. *de spicis adhuc virentibus*, *torrebis igni*, *&* *confringes*. Docemur, quod igne torrebant, ad observandum præceptum spicæ tostæ; id sentit R. Meyr, & Sapientes dicunt, non sonat hæc phrasis Hebraica, nisi vas eorum, qui tritica torrebant; hoc erat אבוב, & instar cribri perforatum erat, ut ignis undique penetrare, & pervadere posset. *Glossa ad Menachoth cap. 6. fol. 66.* Indiderunt illum in sartaginem; vas est æneum, & hoc est nomen ejus, quod habet ex ære, & aliud nomen est, quod habet a fabis, neque fuerunt tenuiter commolitæ, sed crassæ, uti quis commolere solet similam. *R. Levi ben Gerson comment. ad Levit.* 23. Modus vero præparationis ejus talis erat, uti exponitur ibi; assabant enim fruges quæ ad manipulum sumi solebant, eo ut arefierent, aptæque redderentur ad molendum, exque iis sumendum similam sc. florem; molebant vero eas in molis fabarum, donec prodiret simila insignis, & hæc est quam vocant *contusum spicæ virentis*: postea autem ventilabant hanc similam, quæ exinde fiebat omni modo nitidissima. *R. Salomo ad Levit.* 2. 14. Siccant quippe illa super igne in sartagine *Abub dicto* tostarum spicarum; si enim non ita factum esset, non potuissent illa frangi mola, quia humida sunt; *comminuta spica virens*, i. e. fracta dum adhuc viret, גרש significat fractionem, ac commolitionem, frangebatur enim in mola fabarum fractarum, uti dicitur Thren. 3.16: *&* *fregit ad numerum dentes meos*; & ita Psalm. 118.20. *fracta est anima mea*; ita Hebræus. *Spica virens*, quasi dicatur arvum plenum, dum frumentum virens ac plenum est in culmis suis, & ita vocantur spicæ virentes. Levit. 23. 14. & ita dicitur 4. Reg. 4. 42. *&* *frumentum novum in pera sua*; & Hebræus: *spicas recentes cum glumis suis*.

71 *Vide clar. Gruner Diatribam de obl. primitiarum cap. V.*

72 *Vento expositum &c. Tosaphta Menachoth ibidem.* Reponebant in atrio vento expositum, molæque fabariæ indebatur, ubi molebatur, atque inde decimam educebant cribratam tredecim cribris; reliquum vero redimebatur, & a quibusvis comedi poterat, & placentæ obnoxium erat, sed liberum a decimis. R. Akiba dicit, placentæ & decimis obnoxium erat. *Maimonides ibidem*. Expansa deinde in atrio perflabat ventus; confringebantur inde mola molendinaria, ea videlicet, qua fere fabæ frangebantur, atque ex his tribus satis confractis decima similaginis succernebant cribris tredecim, reliquum pretio redimebatur, & promiscue comedebatur ab omnibus, & reliquum illud placentæ obnoxium, immune decimis erat, quemadmodum alio loco disputavimus.

73 *Hæc oleo &c. Siphra ibidem*; *fundens supra oleum*; non supra panem facierum; sed argumentor; si munus libaminum, quod thuri non erat obnoxium, oleo obnoxium erat; panis facierum, quod thuri erat obnoxium, oleo obnoxium non erit? ideo dicit, *super illud* ita Hebræus, non super panem facierum; *&* *thus imponens*, non supra munus libaminum. Argumentor; si panis facierum, qui non requirebat oleum, thus requirebat, munus libaminum, quod oleum postulabat, thus non requiret? ideo dicit, *thus imponens*, & non supra munus libaminum. *Oblatio*, ad excludendum a therre munus diei octavi; *illa* ad excludendum ab oleo & thure duos panes. Erat argumentum: si eos exclusi ab oleo, quod usurpatur in munere libaminum, non excludam a thure, quod in munere libaminum non usurpatur? Si exclusi a thure, quod usurpatur in pane facierum, non excludam ab oleo, quod in pane facierum non usurpatur? Sed quodnam est hoc argumentum? Si excludo ab oleo, quod non usurpatur in pane facierum, excludam a thure, quod in pane facierum usurpatur? Utique; si excludam a thure, quod non usurpatur in munere libaminum, excludam ab oleo, quod in munere libaminum usurpatur? ideo dicit, *illa*, excludit duos panes ab oleo, & a thure. *Tosophta Menachoth ibidem*. Decima deinde miscebatur cum oleo, & thure, atque postea ei affundebatur, convolvebatur, agitabatur, admovebatur, pugillo colligebatur, & adolebatur, & reliquum a Sacerdotibus comedebatur. *Maimonides ibidem*: atque eodem illo die sexto decimo Nisan decimam istam similaginis hordeaceæ commiscebant logo olei, & eidem sic tanquam reliquis fertis pugillum thuris adjungebant, atque ad orientem sic agitabant; movebant huc & illuc, sursum & deorsum, admovebatur inde cornu altaris inter occidentem & meridiem intermedio itidem ut reliqua ferta; tum ex ea sacerdos plenum pugillum depromebat, atque adolebat; reliquum autem comedebatur a Sacerdotibus itidem ut cunctorum fertorum reliquiæ. Sed quo diei tempore depromebatur plenus pugillus? Nempe postquam factum erat & sacrificium, quod eo die cæteris ad debatur, & holocaustum ex agno, qui cum manipulo mactabatur ante sacrificium juge vespertinum.

74 *Simul cum eo agnus &c. Siphra ad Levit.* 23. 12. *Atque in eodem die . . . . . cædetur agnus anniculus* quamvis desit manipulus; *quo manipulus consecratur*, quamvis desit agnus. *Atque in eodem die, quo manipulus consecratur*, non fiebat agitatio nisi interdiu; *agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini*; non erit annus juxta computum mundi. *Et libamenta offerentur cum eo duæ decimæ similæ, conspersæ oleo in incensum Domini, odoremque suavissimum*; hic exiit de genere reliquorum agnorum, cum duabus decimis teneatur. Crederem, quod quemadmodum ejus simila duplicabatur, ita etiam ejus vinum duplicaretur, ideo dicit; *liba quoque vini quarta pars*: *Hin*; crederem non duplicari vinum, quia cum simila non misceretur, sed duplicandum fuisse oleum, quia oleum cum simila miscebatur; ideo dicit: *liba quoque vini quarta pars Hin*; omnia ejus libamina erant quarta pars *Hin*. *Maimonides ibidem*. Ad secundum diem Paschatis, qui dies est sextus decimus mensis Nisan præter sacrificium quod addebatur sacris quotidianis insuper in holocaustum sacrificabatur agnus cum manipulo agitationis, id munus erat Ecclesiæ ut alio loco disseruimus. Huic erat statum tempus, eamque ob rem elevabat, & Sabbathum & inquinamentum. *Gemara Menachoth fol.* 89. 2. Docuerunt Rabbini nostri, quod munus ejus fit duarum decimarum, ad docendum de agno quod offertur cum Homer, quod munus ejus fit duplicatum, forsan eo, quod uti munus ejus duplicatum, ita & vinum ejus duplicatum esse debeat; Textus vero dicit: *liba quoque vini quarta pars Hin*; ergo non fuit vinum ejus duplicatum, eo quod non commisceretur cum ferto suo, sed erat oleum ejus duplicatum, eo quod commisceretur cum ferto suo. *Chiskuni ad Levit.* 23. 13. Duplicatum est munus ejus, eo quod ille manipulus sit oblatio initii messis ac signum benedictionis proventus ejusdem, quod benedictus futurus sit, ac idcirco munus ejus duplicatum, id quod non ita sese habet cum reliquis agnis, qui memorantur in oratione sacrificiorum addititiorum in die festo. *R. Levi ben Gerson* ad h. l. Sunt interpretes qui dicunt de duabus decimis illis, quod ipse manipulus *comprehendatur in illis*, quia ipse sit decima, & quod ipsemet offeratur cum agno, *uti fertum non vero ante illud*, & quod ipsemet sit decima altera, illa decima scilicet, quæ veniet cum ferto suo; sed videtur quod ille certe non sit additus libamini, sed quartum Hin uti in reliquis agnis; & præceptum negativum est ex hac Lege, quod istæ duæ decimæ non sint nisi ex tritico, uti scriptum est de hac simila, & constat nobis, quod non fiat simila *cum fertis offerenda* nisi ex tritico, manipulus autem erat ex hordeo.

75 *Destructo autem templo &c. Codex Menachoth X.* 5. Quando adducebant manipulum egrediebantur, & inveniebant plateam Hierosolymæ farina, & tostis plenam esse, vel ipsis sapientibus invitis; ita R. Meyr; sed R. Jehuda dicit, consensu Sapientum id fiebat. Quum manipulus oblatus esset, statim proventus novus erat licitus, qui procul dissitus erat, is licitus erat a meridie & deinceps. Templo destructo decrevit Rabban Jochanan filius Zachai, ut dies agitationis totus prohibitus esset. Dixit R. Jehuda: certe ex Lege prohibitus est, sicut dicitur Levit. 23. 14. עד עצם היום הזה. Quare ii qui procul dissiti erant, liciti erant a meridie & deinceps? quia isti sciebant Synhedrium in hoc negotio non pigrum fore. *Tosaphta Menachoth* X. 28. Postquam oblatus erat manipulus, egrediebantur, & inveniebant plateam Hierosolymæ plenam farina, & tostis, invitis Sapientibus, verba R. Meyr; & Sapientes dicunt juxta consensum Sapientum faciebant. Postquam oblatus erat manipulus, statim proventus novus erat licitus; qui procul dissiti erant, permittebatur a meridie & deinceps. Templo destructo, decrevit Rabban Jochanan filius Zachai, ut totus dies agitationis prohibitus esset; dixit R. Jehuda: nonne a Lege prohibitus erat? a versiculo qui dicit: עד עצם היום הזה. Quare ii, qui pro-

procul diſſiti erant, liciti erant a meridie & deinceps? quia ſciebant Synhedrium in hoc non eſſe negligens. *Abarbanel ad Levit.* 23. 14. Ecce quod dicitur de Omer: *præceptum eſt ſempiternum &c.* non eſt hoc ad indicandum, quod more obtineat obſervatio præcepti ad Omer etiam in terra extera, ſed hoc dicitur ſenſu prohibendi comeſtionem novi fructus uſque ad tempus oblationis manipuli, eo quod interdictum hoc obſervetur etiam in terra peregrina, & permiſſionem dedit de hoc quæſtio decima; itaque quæſtio undecima permittit magis quam hæc, uti explicui. Idcirco autem, quia hordeum ſolum non offerebant in oblationem excellentiorem, præcepit Deus ut offerant cum eo ſacrificium agni unius cum ferto ſuo, duabus ſcil. decimis ſimilæ. *R. Bechai in Legem fol.* 146. 3. *Præceptum ſempiternum &c.* mentio hic fit de prohibitione novæ annonæ: *cunctiſque habitaculis veſtris; præceptum eſt ſempiternum in generationibus*; idque ad docendum te, quod novæ fruges vetitæ ſint ex Lege omni in loco, etiam in regione extera tempore exilii noſtri; propterea dicitur: *cunctiſque habitaculis veſtris*, quod hoc præceptum obſervari debeat ab omnibus generationibus veſtris in omnibus habitationibus earum, ſive in terra ſancta, ſive in terra peregrina, & hoc modo expoſuerunt id magiſtri noſtri f. m. Dixit Riſch Lakiſch, tria annexa ſunt terræ ſanctæ, & tamen obſervantur in terra peregrina æque ac in terra ſancta, eaque ſunt novus proventus, & præputium, & heterrogenea; novæ fruges ex Lege, præputium ex conſtitutione Moſis a Sinai, & heterrogenea ex verbis Scribarum.

[76] *Statutum fuiſſe &c. Maimonides de Sacrificio Paſchali cap. I.* Præceptum erat jubens ut victima Paſchalis cæderetur ad decimam & quartam diem menſis Niſan tempore pomeridiano.

[77] *Quod in atrio &c. Maimonides ibidem.* Victima Paſchalis ſic ut hoſtiæ reliquæ nuſquam niſi in atrio templi cædebatur; & tunc ipſum cum ſingulis ſingulas aras excitari licebat, tamen interdictum erat, victima Paſchalis in ara privata ne mactaretur. Quiſquis igitur agnum Paſchalem in ara privata mactaſſet verberibus coerceretur; quia enim in Lege ſcriptum videmus; *non poteris immolare Phaſe in qualibet urbium tuarum*: Deut. 16. 5. hæc enim doctrina tradita nobis eſt, hoc loco cautum eſſe, nequis agnum Paſchalem immolaret in ara privata etiam tum, cum aræ privatæ concederentur. *R. Levi Barzelonita leg.* 5. Ut congregentur filii Iſrael κατὰ τὰς φρατρίας, accipiantque vel ex foro vel ex ædibus ſuis hædum, aut pecudem perfectam maſculam anniculam; & mactent illam in atrio Domus ſanctæ die 14 Niſan inter duas veſperas, poſteaque veſpera ipſa illam inter ſe diſtributam, poſtquam jam cœnarunt, comedant. *Præterea victimæ Paſchalis ſanguis aræ holocauſtorum aſpergendus erat, in eaque ejus adipes comburendi*, Codex *Peſachim V.* 5. Paſcha mactatur per tres catervas, quemadmodum dictum eſt Exod: ושחטו אותו כל קהל עדת ישראל, *& mactant illud totus cœtus congregationis Iſrael*; ſic Hebræus, *nota* cœtus, congregatio, & Iſrael; ſi intraſſet prima caterva, & impletum eſſet atrium, claudebant portas atrii, buccinabant, jubilabant, & buccinabant; Sacerdotes ſtabant in ordinibus, & in manibus ſuis acerræ argenteæ, & acerræ aureæ; ordo qui totus argenteus erat, argenteus, & ordo qui totus erat aureus, aureus; non erant commixti, neque acerris erant fimbriæ, ne deponerent eas, & ſanguis coagularetur. Mactat Iſraelita, & excipit *ſanguinem* Sacerdos, & dat illum ſocio ſuo, & ſocius ſocio ſuo, & excipit plenam acerram, & reddit vacuam. Sacerdos altari propior ſpargit eum una ſparſione e regione fundamenti. *Et paucis interjectis*. Diſcindit Paſcha, & educit adipes illius & deponit eos in lance, & comburit eos ſuper altare.

[78] *Qui dies erat &c. Seder Olam. cap.* 5. Quartodecimo die Niſan Iſraelitæ agnos ſuos Paſchales in Ægypto mactarunt, qui hebdomadis dies quintus erat. Hac ipſa nocte percuſſi ſunt primogeniti. A craſtino Paſchatis, qui eſt veſpera Sabbathi, ſeu dies Sabbathum antecedens profecti ſunt de Rameſos Succothas. Exod. 12. 37.

[79] *Sed Sacrificia &c. R. Salom. illud Deut.* 16. 2: *Immolabiſque Phaſe Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus*; ſic interpretatur; *Oves*, ſicut dicitur, *de agnis aut hædis*, boves pro Chagigah. *Et R. Bechai ibidem*, oves in debitum Paſchatis, boves in ſacrificia Chagigæ: *Sic & R. Nachmanides*; boves ad celebrationem Chagigæ. *Peſachim fol.* 70. 2. Oves pro Paſchate, boves pro Chagigah. *Gloſſa ibidem pag. I.* Nonne Paſcha eſt ſolum de agnis, aut hædis? Exod. 12. 5. ſi ita, quare dicitur, בקר boves? Ad adæquandum omne, quod adhibetur ad Paſcha. Sicut Paſcha, i. e. *agnus Paſchalis* eſt ex debito, & non fit niſi de pecoribus communibus, ita & hoc eſt ex debito, & non niſi de communibus.

[80] *Et ita invitant &c. Toſaphta Peſachim X.* 8. & dicit Eleaſar filius Sadoki mercatoribus Laodicææ: venite, & accipite de ſpeciebus præcepti. *Maimonides de ſolennitate Paſchatis VIII.* Hic eſt panis afflictionis, quem comederunt in Ægypto patres noſtri; ſi quis fame laborat, introeat nobiſcum comeſurus, ſi quis eſt egenus adveniat nobiſcum una Paſcha celebraturus.

CAPUT QUARTUM.

De feſto Pentecoſtes.

§. I. Nomina.

I. FEſtum alterum ex tribus majoribus, inſtitutum [1] in memoriam datæ legis, & oblationem primitivorum, appellatur חג השבועות *feſtum hebdomadum*, quia ſeptem hebdomades numerandæ erant a die oblationis manipuli paſchalis ad hunc diem feſtum. Dicitur & חג הקציר *feſtum meſſis*, videlicet triticariæ, quæ ſerior erat hordearia, (vide *Clement. Alexandr. Stromat. lib.* VI.) & meſſis ἁπλῶς dici ſolet. *Nedarim.* VIII. 4. quamvis R. Samuel bar Nachman in *Midraſch Ruth.* 47. 2. putet [2] tam de meſſe hordearia quam de triticaria accipi poſſe, קציר סתם משמש לכאן ולכאן. [3] Finem habebat hæc meſſis circa diem 15 menſis *Tammuz. Midraſch Ruth.* 49. 4. יום הבכורים [4] *dies primitivorum* appellatur quoque, & ἑορτὴ πρωτογεννημάτων Philoni, *lib. de feſtis, pag.* 1192. & *de decalogo pag.* 766.

§. II. Cur dicatur *Atzereth.*

II. In Miſna *Erachim.* II. 3. & nunc vulgo [5] nomine עצרת indicatur, [6] quod in Sacro Codice de die 7 feſti paſchatis & octavo tabernaculorum, nunquam de pentecoſte uſurpatur. *Deut.* 16. 8. *Levit.* 23. 36. & apud Joſephum Ἀσαρθὰ (עצרתא, in *Midraſch Coheleth.* 110. 2.) ὃ σημαίνει πεντηκοστήν. Sunt qui rationem nominis עצרת petant a convocatione ſolenni, [7] vel interdictis operibus ordinariis, vel retentione fructuum: ſed videtur potius ita dici quaſi *clauſula* vel *concluſio*, reſpectu paſchatis, a cujus die ſecundo, id eſt, die ſexto & decimo menſis Niſan, uſque ad pentecoſtem

juben-

jubentur numerari dies 49, ſic ut ea quæ ad paſcha pertinent hoc demum die finem omnino adipiſcantur. [8] Hinc eſt quod pentecoſte appelletur עצרת של פסח *atzereth paſchatis*, uti dies octavus feſti tabernaculorum עצרת של חג *atzereth feſti tabernaculorum*, *in Midras ſchir haſſchirim.* 36. 1. [9] ubi etiam diſputatur quam ob rem עצרת של פסח abſit a paſchate 50 dies, עצרת של חג vero cum ipſo feſto tabernaculorum arcte conjungatur; ne videlicet, ſi hoc quoque per 50 dies differretur, incommodum eſſet iter hiberna tempeſtate. Huc etiam facit quod Philo paſcha & pentecoſten ita jungat, *lib. de feſtis*, ut *pag.* 1192. ſcribat diem ſecundum paſchatis, ſive diem manipuli, προέορτον eſſe ἑτέρας ἑορτῆς μείζονος, id eſt, præcedere aliud tempus feſtum majus, nempe pentecoſten, quæ, numero ducto a ſecundo die paſchatis, die 50 poſt illum celebratur, 49 dierum numerum obſignante unitate, ἐπισφραγιζομένης μονάδος. Videlicet hic dies unus obſignat & claudit illorum 49 dierum numerum, qui a ſecundo die paſchatis effluxerunt. Quid? quod idem hic dies claudat & obſignet omnes dies feſtos totius anni? quoniam ἡ τῶν σκηνῶν ἑορτὴ τῶν ἐτησίων ἑορτῶν συμπέρασμα ἐςὶ, uti Philo ſcribit *lib. de feſtis pag.* 1174. & dies octavus feſti tabernaculorum ἐξόδιον, id eſt, עצרת appellatur non tantum illius feſti ſed omnium totius anni ὀυκ ἐκείνης μόνον τῆς ἑορτῆς ἀλλὰ πασῶν τῶν ἐτησίων. Idem *ibid. pag.* 1196.

§. III. Tempus ſecundum Rabbanitas.

III. Incidebat illud in diem quinquageſimum a die 16 Niſan, uti Rabbanitæ volunt; id eſt, *ſeptem hebdomades integræ*, שבע שבתות תמימות intercedere debebant inter paſcha & pentecoſten, [10] nec vices ephemeriæ nonæ aut decimæ, ſive *Jeſchua & Schecanja*, *inter hæc* eſſe debebant בזמן שאין ישוע ושכניה ביניהם, uti traditur in *Midraſch Coheleth.* 87. 2. [11] Ab hoc die 16 Niſan, ſic ut ille eſſet primus dierum ſupputandorum, dies numerare jubentur Judæi, quem in finem [12] formulas habent typis expreſſas, dictas סדרי הספירה פסח quibus ſingulis diebus in precibus veſpertinis utuntur, diem illum qui incipit ita numerantes: verbi cauſa, diem 40 ארבעים יום שהם חמשה שבועות וחמשה ימים בעומר *dies 40 ſunt, ita ut 5 hebdomades & 5 dies elapſi ſint poſt oblationem manipuli*. Atque adeo hoc anno 16 Niſan nobis eſt 6 Aprilis, & prior dies pentecoſtes *6 Sivan*, & 25 Maji. [13] Nec tamen ſemper in ſextum Sivan incidit: nam ſi Niſan & Ijar ſint pleni, incidit in quintum menſis Sivan, ſi uterque cavus in ſeptimum, ſi alteruter, in ſextum. *Gem. Roſh haſſchana*. 6. 2. Cavent autem ne hoc feſtum incidat in גהז *Gabaz*, id eſt, tertium, quintum, aut ſeptimum diem hebdomadæ.

§. IV. Secundum Karæos.

IV. Quum vero diſſentiant cum Rabbanitis Karæi in eo quod intelligi debet per ſabbathum in mandato Dei ממחרת השבת *a craſtina ſabbathi* numerandas eſſe hebdomadas ſeptem; & [15] illi quidem per שבת diem feſtum, primum videlicet paſchatis, intelligant; vide *Siphra fol.* * 248. 1. [16] hi vero ſabbathum hebdomadale, ſive creationis, ut vocant, facile deprehendimus alio tempore pentecoſten a Rabbanitis, alio a Karæis, celebrari; niſi forte ſabbathum & is dies coincidant, atque ita ſecundum Karæos pentecoſte ſemper incidebat [17] in diem primum hebdomadis. *Chagiga* 11. 4. Sed ſecundum Rabbanitas [18] in quemvis diem hebdomadis poterat incidere; ſic in *Midraſch Ruth.* 46. 3. legitur pentecoſten [19] in diem ſabbathi incidiſſe, עצרת שחל להיות בשבת; alibi in alios. Accedit, quod Rabbanitæ initium numerandi faciant [20] a veſpera & nocte, [21] Karæi a die.

§. V. Celebratio ejus.

V. [22] Unius tantum diei feſtum eſt, & ita dicitur in *Siphra fol.* * 189. 1. עצרת שהוא יום אחד: quamvis nunc, dum in [23] exilio & locis extra Cananæam agunt, per biduum id celebrent, uti hoc anno ſextus dies menſis Sivan eſt יום ארשבועות *dies prior feſti hebdomadum*, & ſeptimus יום ב' *dies poſterior*, qui in ſabbathum incidit: & in Gemara *Peſachim* 52. 1. memoratur יום טוב שני של עצרת. Adde *Gem. Roſch haſſchana* 5. 1. Et olim quidem [24] cum ſacrificiis *panes duo*, שתי הלחם κατ' ἐξοχὴν dicti, [25] ex novo proventu tritici in terra Iſraelitica nati (*Siphra fol.* 77. 1.) offerebantur, [26] fermentati; non velut ante [27] ex hordeo, quum Ægypto primum egreſſi ſine cognitione & lege eſſent [28] inſtar pecudum, (uti ſcribunt Judæi) ſed poſtea lege & ſcientia a Deo donati. His oblatis [29] licebat demum ferta ex proventu illius anni in templum adducere. *Menachoth.* x: 6. [30] Quantitas horum panum in *Menachoth.* xi: 4. ita deſcribitur, quod longi fuerint 7 palmos, lati 4, & [31] cornua habuerint 4 digitorum, cujus rei [32] memoriale eſt ז'ד'ד' id eſt, 7. 4. 4. [33] Una decima farinæ adhibebatur ad panem unum. *Levit.* 23. 17. [34] Comedebantur autem die ſecundo vel tertio a coctione. *Menachoth.* xi. 9. & *Erachin.* 11: 2. Joſephus *Antiq.* 111: 10. nihil ex iis in craſtinum diem εἰς τὴν ἐπιοῦσαν remanere debuiſſe ſcribit. [35] Maximo denique gaudio hoc feſtum agere oportuit. *Deut.* 16. 11.

COMMENTARIUM IN CAPUT QUARTUM.

[1] IN *memoriam datæ legis &c. Maimonides More Nevochim part. 3. cap.* 43. Festum septimanarum, h. e. *Pentecostes* est dies ille, quo Lex data fuit. Ad hujus diei honorem pertinet, quod dies a præcedenti solenni festo *Paschatis* ad illum usque diem numerantur, quemadmodum quis optimum ac fidelissimum amicorum suorum exspectans, dies & horas numerare solet. Hæcque vera causa etiam est numerationis Homer a die, quo egressi sumus ex Ægypto usque ad diem promulgationis Legis; quæ præcipua fuit causa & finis exitus ipsorum, sicut dicitur: *& assumserim mihi*. Exod. 19. 4. Quia vero visio illa magna non nisi unum diem duravit, ideo & memoria ejus quotannis per unicum saltem diem celebratur. *Abarbanel il Leg. fol.* 262. 3. *negat in memoriam datæ Legis hoc festum fuisse institutum;* nam Lex divina, & Prophetia, quæ in manibus nostris, hactenus sponte & per se talis fuit, non opus habet sanctificatione diei, quo ejus memoria recolatur. Sed causa festi septimanarum est initium messis tritici; *sicut enim festum Tabernaculorum*, erat circa finem collectionis proventuum, ita festum septimanarum fuit initio collectionis eorum; Deus enim volebat, ut initio collectionis reddituum, qui sunt alimentum hominis, & primarium quidem triticum, cum in festo septimanarum inciperent messem, illud festum celebrarent in laudem ejus, qui panem dat omni carni, sed in fine proventuum aliud festum celebrarent. Hoc quoque extra controversiam est, quod in festi septimanarum die Lex lata sit, sed festum in ejus memoriam non est institutum; sic etiam deprehendis de die clangoris dici, quod sit initium operum tuorum, memoria diei primi, ideo tamen non dicitur, Deum Opt. Max. hanc ob causam instituisse diem clangoris in memoriam creationis mundi, sed ut esset dies judicii. Pari modo se habet cum festo septimanarum, quod est tempus datæ Legis nostræ, non tamen institutum in hujus memoriam, sed ut esset initium messis tritici.

[2] *Tam de messe hordearia &c. R. Salomon, R. Levi ben Gerson, & Abarbanel* asserunt שחג השבועות היה תחלת קציר חטים Pentecostem fuisse initium messis triticeæ; & in Bava Mezia dicunt, messem finitam fuisse in dimidio mensis Sivan. Sic hæc conciliantur: quamvis triticum jam maturum esset, illudque demessuerint in Nisan & Jiar, festum tamen Pentecostes & ante oblatos duos panes, illo vesci, atque uti non licebat.

[3] *Finem habebat &c.* Bava Mezia fol. 136. 2. Dimidium Tisri, totus Marheshvan, & dimidium Cisleu est *tempus* sementis. Dimidium Cisleu, totus Tebeth, & dimidium Schebath est hyems; dimidium Schebat, totus Adar, & dimidium Nisan est frigus. Dimidium Nisan, totus Jiar, & dimidium Sivan est messis. Dimidium Sivan, totus Tammuz, & dimidium Ab est æstas; dimidium Ab, totus Elul, & dimidium Tisri est æstus.

[4] *Dies primitivorum &c. Codex Challa* 4. 10. Viri montis Zeboim adduxerunt primitiva sua ante Pentecosten, at non receperunt ab ipsis, quia scriptum est. Exod. 23. 16. *& solennitatem messis primitivorum operis tui, quæcunque seminaveris in agro.*

[5] *Nomine* עצרת *&c. Maimonides cap. VIII. Temid.* Ad diem quinquagesimum qui numeratur ab oblato manipulo est solennitas Pentecostes, quæ nomine עצרת appellatur. *Megillath Taanith cap. I.* & post octavum diem usque ad finem solennitatis *Paschalis*, restitutum est festum septimanarum *Pentecostes*, quibus diebus nequidem est lugendum. Quodnam illud est? est העצרת. *Babyl. Rosch. Hasch. fol.* 4. 2. Unde est quod לעצרת, *seu Pentecoste* habet compensationes per omnes septem dies?

[6] *Quod in sacro Codice &c. Deut.* 16. 8. *Sex diebus comedes azyma, & in die septima* עצרת *Domini ni Dei tui, non facies opus. Levit.* 23. 36. *& septem diebus offeretis holocausta Domino; dies quoque octavus erit celeberrimus, atque sanctissimus, & offeretis holocaustum Domino*, עצרת הוא *: omne opus servile non facietis in eo.*

7 *Vel interdictis &c. Abarbanel fol.* 262. 4. Quia festum hebdomadarum tantum unum diem celebrabatur, non conveniebat de eo dicere עצרת; hoc etenim nomen est, quod prædicatur de die septimo alicujus festi; sive ita appelletur, quod illo die Hierosolymis deberent subsistere, sive quod detineretur eo etiam prohibitio fermenti, & festum azymorum, sicut diebus festi. *Raschi ita dici censet quia eo* עצורים בעשיית מלאכה ab operibus faciendis cohibiti sunt, vel quia עצרו מלצאת iis interdictum est festum deserere; *Abarbanel iterum ibidem*. Moses loquens de Paschate non utitur (Levit. 23.) termino Atzereth, qui derivatur ex Phraseologia Gen. 20. 18. *concluserat enim Dominus &c.* & Jud. 13. 16. אם תעצרני, *si me cogis (aut detines) non comedam panes tuos*. Quum autem die septimo festi Tabernaculorum detentus est unusquisque Hierosolymis ad festum celebrandum cum gaudio; vocabatur Atzereth detentio, quo nomine non venit septimus Paschatis, quoniam eo die non detinebatur Hierosolymis omnibus septem diebus festi Azymorum, sicut fiebat septem diebus Tabernaculorum. Sed Deut. 16. vocavit diem septimum Paschatis Atzereth *detentionem s. interdictum Domino Deo tuo* vers. 8. quo significatur, die septimo quoque a fermento abstinendum, & azymos panes comedendos. Cum hoc ipso coerceretur populus non quidem ut maneret Hierosolymis, sed ut observaret festum azymorum quoque die septimo, ideo illic ait: *Atzereth interdictum est Domino Deo tuo*. Hoc autem loco Levitici, de eo non loquitur, nisi quia detinebatur Hierosolymis, ideoque hoc respectu utitur voce Atzereth in festo Tabernaculorum, in festo Azymorum non item.

[8] *Hinc est quod Pentecostes &c. Jelammedenu Prascha Pinchas fol.* 85. 1. Sic scriptum est num. 29. 35. *Feria finalis vobis erit (sic Hebræus)* atque ea quidem quinquagesimo post festum diei conveniebat, sicuti feria finalis Paschatis, quinquagesimo post illud die celebratur. Verum dixit Deus Benedictus; tum vero hyems terras urget, ea propter ædes suas linquere, & ad me proficisci nequeunt; satius ergo fuerit, eos feriam finalem agere, donec mecum sunt; unde hæc constant? ex eo quod dicit Lex l. c. *die octavo erit vobis* עצרת. *Abarbanel ibidem*. Videtur hic dies eo modo se habere ad festum Tabernaculorum, quo se habet dies Pentecostes ad festum Paschatis; quemadmodum enim hic septem septimanas numerare jubemur, & quinquagesimum pro festo habere; ita ibi post septem festi dies octavum feriatum facere.

[9] *Ubi etiam disputatur &c. Chaskuni*. Parabola; Filii Regis venere ad ipsum invisendum; prima vice ait eis *abituris*: quando revertimini? Respondent, post quinquaginta dies; in pace ergo eos dimisit; cum vice secunda ad eum *venirent, atque discessuri essent*, quærit ex illis, quando sint redituri? Respondent post quatuor menses, sic iterum vale jussos dimisit. Sed tertia vice, filii non possumus, inquiunt, nisi post septem menses ad te reverti. Ad quæ pater petit, unum adhuc diem secum morentur, ut se illorum contritione satiet; ita עצרת *detentio* non est Israelitis in Paschate, quia in Pentecoste, nec in hac, quia in festo Tabernaculorum revertuntur, sed in hoc quia ob pluvias in mense Nisan redeunt, Deus Benedictus eos diem unicum secum retinet, & quominus abeant, prohibet.

[10] *Nec vices Ephemeriæ &c. Glossa in Midras Coheleth fol.* 82. 4. Cum incidunt Calendæ mensis Nisan Sabbatho, incidit & Pascha Sabbatho, & tum incipiant numerare ab exitu Sabbathi, eruntque septimanæ completæ secundum dies Creationis. Exemplum sumit a Josua, & Shecaniah; nam viginti quatuor Ephemeriæ erant, quæ vices alternarunt unoquoque Sabbatho, inter quas Josua erat nona, & Shecaniah decima. Septimana mensis Nisan prima Jehojaribi erat Ephemeria prima, septimana secunda Jedajah; septimana Paschali omnes Ephemeriæ ministrarunt simul. Sex septimanis ad Sabbathum illud, quod præcessit Pentecosten, ministrarunt sex Ephemeriæ Harim, Seorim, Malchijah, Mijamin, Hakkos, Abiah. Sabbato cui succedit Pentecoste, ingreditur Josua, at

non

non ministrat nisi post Pentecosten. Ecce Josua & Shecaniah non sunt inter Pascha & Pentecosten; si enim Josua foret inter Pascha & Pentecosten, non essent septimanæ completæ sicut dies creationis &c. Non sunt completæ sicut dies creationis, quia numerare licet a tribus ad tres, aut a quinque ad quinque, & ingredientur Josua & Shecaniah ante Pentecosten; nam ecce Sabbatho ante Nisan esto Jehojarib, & sint septem septimanæ ad Pascha.

[11] *Ab hoc die &c. Maimonides Temid. VII.* 22. Jam præceptum est jubens, ut ab eo die, quo feratur manipulus septem hebdomadæ numerentur integræ; scriptum est enim: *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati . . . . . septem hebdomadas*. Levit. 23. 15.

[12] *Formulas habent &c. Maimonides ibidem*. Porro præceptum est etiam, ut cum hebdomadibus numerentur & singuli dies, siquidem in Lege dicitur; *Quinquaginta dies*. Ibid. ac principio diei numerandum est: itaque noctu numerandum ab nocte decima sexta Nisan. Siquis per oblivionem noctu non numerasset, interdiu numeret; jam non numerant nisi stantes, at siquis sedens numerasset, tamen fecisset satis. Atque hoc præcepto viri Israelitæ omnes omni tempore, & omni loco tenentur; mulieres autem, & servi liberantur. Singulis noctibus antequam numerent, Deum ita venerentur, oportet; Laudamus te Domine Deus noster Rex mundi, qui nos initiasti præceptis tuis, atque præcepisti nobis de numero manipuli. Quamquam siquis omissa gratiarum actione numerasset, nihilominus fecisset satis, neque deinde gratiarum actionem haberet, necesse foret. *Orach. Chajim num.* 489. Post orationem vespertinam ineunte nocte secunda numerum manipuli inchoare solent. Siquis numerationem hanc oblitus est poterit deinceps tota nocte numerare. Singulis incumbit, ut in usum proprium numerent atque stantes. Præterea tenentur præmittere orationem, numerare & dies & septimanas. Hodie dies primus, & sic (*numerat dies*) donec accesserint septem dies. Hodie est dies septimus, qui unam constituit septimanam. Die octavo; hodiernus dies octavus est, qui facit unam septimanam, & insuper unum diem. Quomodo pergit ad diem 14 Tum ait hodiernus dies est 14. qui conficit duas septimanas sed hunc modum computus ad 49. diem ducitur.

[13] *Nec tamen semper &c. Tosaphta Erachin* I. 8. Pentecoste aliquando incidit in quintum, aliquando in sextum, & interdum in septimum, nec antea, nec postea. R. Jehuda dicit: si incidebat in quintum, erat malum signum pro mundo, si in sextum, erat signum mediocre, si in septimum erat bonum signum pro mundo &c. Dies Pentecostes non incidit nisi in ipsum diem elevationis *manipuli*, nec principium novi anni incidit nisi in ipsum diem elevationis, & in diem novilunii. Alii dicunt, non intercedunt ab altero festo Pentecostes ad alterum festum Pentecostes, nec inter unum & alterum anni principium plures, quam quatuor dies & in anno intercalari non intercedunt plures, quam quinque dies.

[14] נחן &c. *Pesikta ad Levit.* 23. 4. *fol.* 28. 3. *He sunt ergo feriæ Domini quas celebrare debetis temporibus suis*. Hinc Doctores nostri dixerunt, & confirmarunt; non est dies primus, quartus & sextus caput anni, neque secundus, quartus, & sextus Pascha, neque tertius, quintus, & septimus עצרת.

[15] *Illi quidem &c. Aben Ezra in Levit.* 10. 23. Dicunt Doctores nostri p. m. quod postridie Sabbathi sit postridie diei festi; mendaces vero (*Karæi*) dicunt, quod hoc sit sumendum secundum sensum literalem (*vocis Schabbat.*) Veraces vero (*Rabbanitæ*) inducunt accipi illud quoque de anno intermissionis, & Jubilæi, de Jejunio magno, & de Festo Pentecostes, de quibus scriptum est, quod sint Sabbathum. *R. Bechai in Leg. fol.* 146. 3. *Postridie Sabbathi agitabit &c.* non intelligitur Sabbathum in creatione institutum, sed postridie diei festi primi Paschatis, & ita interpretatur Onkelos post *diem festum*, & ille est dies 16 mensis Nisan, & usquedum expirasset dies ille, Lex prohibebat comedere de novo proventu, i. e. nec panem, nec tosta, nec spicas virentes comedebant &c. *R. Levi ben Gerson commentar. ad l. c.* ecce peregerunt Pascha die 14 mensis sub vespera, uti memoratur ibidem, eratque dies 16 Nisan postridie Paschatis; nocte enim diei 15 fiebat agni Paschalis comestio, ac ille dies est postridie Sabbathi memoratus in hac Pericopa, ac itidem memoratur, quod die hoc comederint placentas ac tosta; nam ecce vetitum erat illis, antequam agitatus esset manipulus, comedere de proventu novo vel panem vel tosta, vel virentia, uti in eadem sectione explicatur &c. idque similiter in signum ejus, quod dictum est: *postridie Sabbathi bene placebit in illo*, i. e. postridie diei primi Paschatis, idcirco quod dies ille, quo agitabatur manipulus sit postridie Sabbathi, ac numeratio, quæ memoratur post hæc similiter fiebat a postridie Sabbathi, & eodem momento ab immissione falcis in segetem; unde discimus quod messis non fiebat nisi post primum Paschatis diem idcirco quod hæc oblatio constituta fuerit tempore suo, quod est postridie Sabbathi, atque inde docemur, quod hæc messis pellat Sabbathum. *Gemara Menachoth* fol. 65. 2. R. Eliefer dicit, non necesse est; ecce enim dicit, numerato tibi numerationem præstitutam a Synhedrio; decrevit enim ille consessus de novilunio, ac quod postridie Sabbathi sit postridie festi diei, excepto Sabbatho hebdomadæ, quod numeratur ab unoquoque. R. Jose filius R. Jehudæ dixit, ecce quod ille dicit, numerabitis 50 dies, omnis numeratio qua numerabis, non erit nisi 50 dierum, & si tu dicis, quod intelligendum sit de Sabbatho hebdomadæ, quandoque produces 51 quandoque habebis 52, vel 54, vel 55, vel 56. R. Jehuda filius Bethyræ dixit, quid opus est? ecce ille dixit, numerato tibi numerationem præstitutam a Synhedrio, excipe tamen Sabbathum hebdomadarium, eo quod numeratio ejus fiat ab unoquoque. *Abarbanel in Pent. fol.* 262. 1. *contra Karæos disputans ad Levit.* 23. Quod *inquit vers.* 11. dicitur ממחרת השבת *a crastino Sabbathi* sciendum diem festum solennem primum Paschatis vocari Sabbathum, sicut & dies clangoris vocatur שבתין *Sabbathum* vers. 24. quia dies primus Paschatis est dies primus festorum dierum, ideo a festo Paschatis השבת cum ה demonstrativo q. d. *Sabbathi illius*, *cujus modo mentio facta*; nam in illo die 15, prima erat solennitatum quies, & cessatio ab opere. Nequaquam vero cum Karæis errantibus est dicendum, intelligi præcise *crastinum diem Sabbathi creationis* h. e. diem primum septimanæ. Sic vers. 15. 16. *Et numerabitis a crastino Sabbathi*, quia inde debuit fieri numeratio; siquidem Deut. 16. 9. dicitur: *qua falcem in segetem miseris*; quocumque demum illud septimanæ die contigerit. Ita hic dicitur: *& numerabitis vobis a crastino Sabbathi*, cujus Sabbathi? id explicatur, quando dicitur; *atque in eodem die, quo manipulus consecratur*. Ab hoc quippe die debebant incipere numerare septimanas integras, quæ faciunt 50 dies, a die allati manipuli sicut dicitur: *septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in segetem miseris*. Si e. g. ad messem inceperit falx immitti in segetem die secundo septimanæ, & ab eo die non inciperent numerare usque ad crastinum diem Sabbathi proximi, sex transirent dies, & postea adhuc septem septimanæ numerandæ, & sic dies septimanarum seu Pentecostes non inciderent in quinquagesimum, sed in 56 diem. Quod si non fuerint septimanæ integræ usque ad crastinum Sabbathi septimi, ex quo primum falx cœpit immitti in segetem, quando scilicet ille dies forte inciderit in diem septimanæ sextum, tum non complebuntur 50 dies, sed dumtaxat 49. Quocirca non est nobis recedendum a traditione nostra sancta, quam nobis tradiderunt veteres, inde a Mose doctore nostro; illi enim sciverunt, quod crastinus dies Sabbathi sit 16 dies Nisan. Dies nempe 15, qui est dies primus Paschatis, vocatur *Sabbathum*, quia est dies ille, quo opus omne primum cessat in festis diebus. Et cur nobis absurdum videatur, diem solennem per septenarium numerum vocare Sabbathum, שמיטה *annus* intermissionis ob hanc rationem nomine Sabbathi vocetur? *Vide Megillath Taanith cap.* I. 2. *Maimonidem & Bartenoram ad Codicem Menachoth*.

[16] *Hi vero Sabbathum &c. Samaritani etiam Sichemitæ, ut constat ex eorum epistola ad Josephum Scaligerum, idem cum Karæis sentiunt*. Azymorum festum ultra 7 dies non extenditur, tumque festum celebramus ad montem Garizim, illum mane ascendimus cum lectione, atque ab eo tempore Israel occupatur in Lege, & postea precamur, precibusque absolutis benedicit Sacerdos magnus benedictione magna

gna super caput *Israelis*, deinde numeramus 50 dies postridie Sabbathi, quod unum est e septem diebus Azymorum usque ad crastinum Sabbathi septimi. Festum autem istud, festum est messis, sed Judæi numerant a crastino solennitatis Paschatis, in solennitate autem festi messis feriamur quoque 7 diebus, ut in festo Azymorum.

[17] *In diem primum &c. Glossa in Rosch haschna fol.* 22. 2. In votis erat Baithusæis (*hoc nomine fere a Rabbanitis Karæi appellantur*) ut dies primus Paschatis esset in Sabbatho, ut oblatio manipuli incideret etiam in primum hebdomadis, atque ut festum Pentecostes incideret etiam in primum hebdomadis; nam isti interpetati sunt verba ista, ויניפנו ממחרת השבת, ac si sensus eorum esset crastina Sabbathi creationis. *Megillath Taanith cap. I.* 2. hi enim (*scilicet Baithusæi seu Karæi*) contendebant Atzereth, post Sabbathum esse. Rabban Jochanan eos adiit, & dixit; unde vos stolidi hoc habetis? nemo inter eos repertus est, qui ei quicquam responderet, præter unum seniorem, qui garrulo sermone contra eum oblocutus dixit: Moses magister noster amavit Israelem, & novit, Atzereth unum dumtaxat diem celebrari, ideo sese excitavit, & ordinavit illum post Sabbathum, ut sese duos dies continuos oblectarent. *Tosaphta Rosch haschana I.* 17. Ab initio accipiebatur testimonium novilunii a quovis, aliquando Baithusæi mercede conduxerunt duos testes, ut venirent deceptum sapientes; cum Baithusæi contendant diem Pentecostes non posse incidere nisi in primam Sabbathi diem.

[18] *In quemvis diem hebdomadis &c. Tosaphta Chagigah cap.II.* 17. Si festum Pentecostes inciderit in diem secundum, aut quintum, aut sextum, aut in quemlibet hebdomadæ diem, dies mactationis est dies post Sabbathum; Schola Hillelis dicit: nullus est dies mactationis.

[19] *In diem Sabbathi &c. Codex Chagigah cap. II.* 4. Festum septimanarum si inciderit in vesperam Sabbathi; Schola Schammai dicit, dies mactationis erit post Sabbathum; Schola Hillelis dicit: non erit dies mactationis post Sabbathum. Et conveniunt, quod si dies inciderit in Sabbathum, dies mactationis erit post Sabbathum, & Pontifex maximus non vestietur ornamentis suis.

[20] *A vespera &c. Siphra ad Levit.* 23. 15. Si *ab altero die Sabbathi in quo obtulistis*, crederem, quod interdiu metere, & interdiu numerare posset? ideo dicit: *septem hebdomadas plenas*; at quando sunt plenæ? quando vespera incipit; crederem, quod noctu metere, noctu numerare, & noctu adducere posset? ideo dicit: *ab altero die Sabbathi*, *in quo obtulistis*. Non afferebatur, nisi interdiu; quomodo igitur fiebat? metebatur, & numerabatur vespera, & interdiu afferebatur. *Maimonides ad Codicis Menachoth* X. 3. Lex vero Levit. 23. 15. *numerabitis ergo ab altero die Sabbathi*; & postea addit, *hebdomadas plenas*, at non erunt plenæ, nisi qui inceperit computare inde a principio noctis, quia dies incipit a principio noctis; præterea dicit Deut. 16. 9. *numerabis tibi ab ea die*, *qua falcem in segetem miseris*; hinc probatur messem manipuli fieri nocte, quemadmodum traditione accepimus. *Bartenora ibidem*. Præterea die & non nocte demeti debeat manipulus, quia scriptum est Levit. 23. 15. *hebdomadas plenas*; sed plenæ esse nequeunt, nisi a principio noctis numerare incipiant, quia nox diei principium est. Et quia Deut. 16. 9. scriptum est: *numerabis tibi ab ea die*, *qua falcem in segetem miseris*; idcirco messis communis nocte diei septimi demeti solet, a quo numerare incipiunt.

[21] *Karæi a die &c. R. Elias in Addereth cap. IX.* Cæterum Sapientes Israel N. B. eo tempore quo numerabant *dies Pentecostes*, scindebantur in duas partes. Una erat opinio Doctorum Kabbalæ, qui dicebant esse consentaneum, ut numerandi initium fieret a vespera, eodem modo quo dies in Lege a vespera ad vesperam computantur. Altera vero sapientum Scripturæ, qui statuebant convenire, ut numerarent a mane, quoniam initium erat sumendum a die oblationis manipuli, quem offerebant mane, habita ratione dierum Sacrificalium, qui procedunt a mane usque ad mane .... Utique Sapientes nostri consueverant numerare a mane eo tempore, quum offerebatur manipulus.

[22] *Unius tantum &c. Bereshith Rabba fol.* 114. 3. Sicut dies festi sunt septem. Dicit R. Chajia: an quia Pentecostes est diei unius, est luctus etiam ita? Dicunt ei, arguis a traditione longinqua. *Glossa*. Quod ea sit unius tantum diei, nos discimus ab ipso *vocabulo* עצרת. *Berachoth fol.* 17. 2. Homines oppidi Mahæsiæ sunt robusti corde, nam illi vident gloriam Legis duabus vicibus in anno. *Glossa*. Illuc congregatur omnis Israel in mense Adar, ut audiant traditiones de Paschate in schola R. Asai, & in mense Elul, ut audiant traditiones de festo Scenopegiæ. *Ubi alia Glossa*. At non ita congregabantur ad Pentecosten, quia ea non est nisi diei unius.

[23] *In exilio &c. Sanhedr. fol.* 26. 2. Vespillones istos qui sepeliunt mortuos die festo primo Pentecostes, Rabh Papa Schammatizavit &c. *Erachin. fol.* 10. 1. R. Simeon ben Jozadek, octodecim diebus vir aliquis singularis totum recitat Hallel &c. ושני ימים טובים של עצרת & duobus diebus festis Pentecostes. *Maimonides Kid. Hak. cap. V.* 4. Cum esset ille, qui ex visione lunæ novæ calendas finiret, senatus, tam in ipsa Judea, quam regionibus in aliis, ad quas pervenire poterant ii, qui definitas Tisri calendas nunciatum mitterentur, singulas uno die solennitates celebrabat. Cæteræ quæ longius erant dissitæ provinciæ, quam ut eo possent mense Tisri nuncii finitarum calendarum aspirare, dies solennes duplicabant ex eo, quod ambigerent quonam die calendas constituissent, qui Palæstinam incolebant. Hoc autem tempore, quoniam summum consilium in Judæa nullum, & quod est in ea consilium, id quoque ex tabularum ratione calendas finit, scilicet æquitatis sit, ut in locis omnibus quamvis a Judæa longe diversis singulæ solennitates unicum omnino diem habeantur itidem, ut apud Judææ incolas, quippe cum ad unam, & eandem tabularum rationem sese dirigant omnes; at sapientes voluerunt ritus patrum perpetuo servari. Quamobrem uti quondam, dum Judæam habitantes calendas ex visione lunæ novæ constituebant, in omnibus locis, quo non poterant de calendis finitis nuncii perferri ab iis, qui mense Tisri nunciatum mitterentur; sic etiamnum prorsus omnes dies solennes biduo celebrant; & qui Palæstinam incolunt hoc tempore, ut olim, dies solennes simplices habent, quippe qui nunquam sunt aliter soliti. Ex quo cognoscere licet, secundum quemque diem solennem, quem nos extorres his temporibus celebramus, edicto sancitum esse sapientum &c. Quod autem quis locus ab illius supremi senatus sede prope situs sit, non idcirco dies festi simplices in eo agentur, ut si distet ab Hierosolymis quinque dierum iter, aut eo minus, quo nullum est dubium, quin mense Tisri possent emissi ab Senatu calendarum nuncii pervenire; hujus nihilominus incolis ut simplices dies solennes celebrent, permissum non est. Ecquis enim auctor est locum hunc jam tum, cum ab illo supremo senatu calendarum nuncii mitterentur, esse habitatum a Judæis? Judæi forsan habitatum eo non venerunt, nisi postquam cœpta sunt tempora calculorum ratione finiri, qui quidem, ut quemque diem solennem biduo celebrent, omnino necesse est. Deinde cum mittebantur calendarum nuncii via forte fuit interclusa; hoc enim in via, quæ ducebat in Judæam e Galilæa evenit illorum ætate, qui Misnam illam, ut dicitur, conscripserunt, tum fieri potest etiam, ut per fines suos Samaritani, sive Cutæi prohiberent calendarum nuncios transire. Etenim si loci sit propinquitas spectanda, quid est cur hi, qui Ægyptum habitant, Judæi, non habeant dies solennes simplices? perveniebant ad eos, qui calendas Tisrinas nunciatum mittebantur a Senatu Hierosolymitano; nam Hierosolymis per Ascalonem diebus octo, aut etiam eo citius itur ad Ægyptum. Similis est ratio Syriæ ex maxima parte. Ex quo id efficitur, propinquitate loci dirigi nihil. Sic igitur res se habet; quæ urbs plus est Hierosolymis dissita, quam decem dierum solidorum iter, in ea dies solennes veteri consuetudine, & majorum instituto semper habentur gemini; neque enim hi qui calendas nunciatum ab Senatu Hierosolymitano mittebantur, nuncium mense Tisri afferebant nisi ad eos, qui aut distabant Hierosolymis iter dierum omnino decem, aut eo minus; quod autem oppidum aut ipsum iter dierum denum, aut eo minus abest Hierosolymis, cum eo licuerit mense Tisri calendas nunciatum venire, videndum est utrum id in

ea

ea ſit Imperii Judaici parte ſitum, quam habitarent Judæi cum recepta patria menſes exigerent ad viſionem lunæ novæ, ſicut Uſia, Siporium, Luſa, Jabna, Noba, Tiberias, & urbes ſimiles, in quibus dies ſolennes ſunt ſimplices; an ſit in Syria poſitum, velut Tyrus, Damaſcus, Aſcalon, & ſimiles; an vero ſit etiam extra fines Judæorum, ut Ægyptus, regio Ammonitarum, item & Moabitarum, & ejuſmodi aliæ terræ, in quibus mos, & inſtitutum majorum oportet teneatur in utramque partem, ſive ad dies ſolennes duplices, ſive ad ſimplices celebrandos. Si quæ urbs Hieroſolymis disjuncta aut dierum iter denum, aut eo minus, in Syria ſita ſit, vel extra Iſraelitarum fines, & eidem conſuetudo exiſtat nulla; ſi intra fines Iſraelitarum nova condatur urbs in loco quodam deſerto, atque inculto, aut ſi quod oppidum poſitum intra fines Iſraelitarum Judæi jam nunc habitare cæperint; uti maximæ Judæorum parti, ſic & harum urbium incolis ſolennitates ſunt biduum habendæ. Omnium igitur ſolennium dierum alter ex auctoritate eſt ſapientum hominum, & ille alter dies ſolennis, qui ad principium anni apud omnes celebratur, ille etiam ipſe e decreto ſapientum eſt. Quod autem his temporibus ſingulis in oppidis calculus ponatur, atque renuncietur quando calendæ, quando futuri ſint dies feſti; putandum non eſt, noſtro nos fidentes calculo tempora moderari; menſes enim finire, & annos extra regionem Iſraelitarum, integrum non eſt. Ad eorum igitur, qui regionem incolunt Iſraelitarum, nos dirigimus rationes, ac conſtitutiones; ſed enim & noſmet rationem putamus, ut, quoniam ſcimus ad eam dirigi Judææ incolas, innoteſcant, atque agitentur dies feſti ii, non quos ipſi ſubducenda ratione comperimus, ſed quos conſtituerunt incolæ Judææ.

[24] *Cum ſacrificiis panes duo &c. Siphra ad Levit.* 23.17. *ex omnibus habitaculis veſtris*, & non e *locis* extra terram; *ex omnibus habitaculis veſtris*, etiam ex horreo; *offeretis*; quod offers in alio loco (*ſc. in panibus ſacrificii Euchariſtici*) erit decima in ſingulas placentas; aut dicam; ſicuti hic (panis) conſtabat duabus decimis, ita illa duabus decimis; ideo dicit, *erunt* (ita hebræus.) Hi duabus decimis conſtabant, at illi duabus decimis non conſtabant. *Panes primitiarum duos*, ut ſint pares; *de duabus decimis*, ut ſint pares; *ſimilæ fermentatæ quos coquetis*; fermentum diffindebat eos in medio, atque cum eo fermentabat; verba R. Meyr. R. Jehuda dicit; nec hoc ſelectiſſimum eſt, ſed tantum fermentum afferebat, atque menſuræ indebat, eamque inde ſimila implebat; ei dixit; hoc modo aut ſuperabundabat, aut deficiebat. *In primitias Domini*; *R.* Simeon dicit; dictum eſt hic, *primitias Domini*, & dictum eſt alibi (Levit. 2.) *primitias Domini:* ſicuti primitiæ hoc loci dictæ, *de bonis* cœtus *afferebantur*, etiam primitiæ ibi dictæ *de bonis* cœtus. Si dixeritis, hæ erant *de bonis* cœtus, & illæ *de bonis* idiotæ; dixiſti? fieri non poteſt; ſi hæ igitur ſunt primitiæ, illæ non erunt primitiæ Domini; & ſi illæ ſunt primitiæ Domini, hæ non ſunt primitiæ meſſis; igitur quæ ibi explicata non ſunt, hoc loci ſunt explicata. *Offeretiſque cum panibus*; debitum erat panis. *Offeretiſque cum panibus ſeptem agnos immaculatos anniculos*; *agnos*, quamvis deſit panis; verba R. Tarphonis; cur igitur dictum eſt *cum panibus*? docemur, quod non fuere ad agnos obligati, niſi tum cum ad panem fuere obligati. *Et vitulum de armento unum, & arietes duos, & erunt in holocauſtum cum libamentis ſuis in odorem ſuaviſſimum Domino*. Textus breviter loquitur. *Facietis & hircum pro peccato*; crederem, quod ſeptem agni, & hircus, qui in libro Numerorum commemorantur, eſſent ſeptem agni & hirci hoc loci dicti; ſed cum pervenis ad juvencos & arietes, non ſunt iidem; at hi propter panem offerebantur, & ilii diei cauſa offerebantur. *Duoſque agnos anniculos hoſtias pacificorum*; ut titulo Pacificorum immolandi ſint; *duoſque agnos anniculos hoſtias pacificorum*. Dixit R. Simeon; ſuper quo duo agni Pentecoſtes expiabant? pro immunditie ſanctuarii, & rerum ſanctarum. Si expiaverat primus, cur ſecundus? veniebat & expiabat pro ea immunditie, quæ accidere potuiſſet inter unum & alterum. Dic igitur, quod ſingulis momentis Iſrael expiationis indigebat? At miſertus eſt Deus Iſraelis. *Cumque elevaverit eos Sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino*, crederem, quod panis ſubter eſſet? ideo dicit *ſupra duos agnos* (*ita hebræus*) ſi igitur ſupra duos agnos, dicam duobus agnis ſuperimpoſitum fuiſſe? ideo dicit, על הלחם. Hoc neceſſario argumentabor ex eo, quod ubique deprehendatur, quod panis ſupra imponeretur, etiam hoc loci ſupra panis erit imponendus. R. Joſe filius Meſſulam dicit: Agni pani imponebantur; & quomodo explicatur *ſupra duos agnos*? ad excludendum ſeptem (ſc. agnos.) Chanina filius Achinai dicit, ponebat duos panes inter femora agnorum, & agitabat; atque ita confirmantur duo textus: *panis ſupra agnos, & agni ſupra panem*. Dixit Rabbi, coram Rege terreſtri non ita fit, coram Rege omnium Regum ſancto benedicto ita fiet? ſed collocabat unum prope alium, & agitabat. *Cedent in uſum ejus*. Panis, quamvis deeſſent agni; verba R. Akibæ. Dixit R. Simeon filius Nanas, non ita eſt; ſed agni, quamvis deſit panis. Dixit Rabbi, res paribus utrinque rationibus nititur; quis decidet? ei reſpondit filius Nanas, ego decidam; quia ita invenimus in deſerto, quod quadraginta annis obtulerint agnos ſine pane, etiam hic ſine pane. Dixit R. Simeon; deciſio eſt juxta filium Nanas, non vero propter ejus argumenta; etenim omne id, quod expreſſum eſt in libro numerorum offerebatur in deſerto, ſed quod commemoratur in Levitico, non offerebatur in deſerto; & quando in terram introiere, utraque offerebantur, juxta verſiculum; *cum ingreſſi fueritis terram .... feretis &c.* Qua de cauſa igitur ego dico, quod agni ſine pane offerrentur? quia agni ſe ipſos permittebant; ſed panem ſine agno nihil erat quod permitteret. *Maimonides Temid. VIII.* Ad diem quinquageſimum qui numeratur ab oblato manipulo, eſt ſolennitas Pentecoſtes, quæ nomine עצרת appellatur; eo die ſacris quotidianis addebatur idem atque calendis, juvenci duo, unus aries, & agni ſeptem, omnes in holocauſta, & hircus in hoſtiam pro peccato; hæc ea ſacra ſunt, de quibus præcipitur parte Pentateuchi illa, quæ eſt de recenſendo Iſraelitarum numero, quæ quidem diei ſolemnis cauſa quotidianis ſacris addebantur; præterea autem hoc ipſo die munus novum offerebatur, panes videlicet duo, quibuſcum ſacrificabantur juvencus unus, duo arietes, & agni ſeptem, omnes in holocauſta, porro & hircus in hoſtiam pro peccato, & agni duo in victimas pacificas. Atque iſta ſunt ſacra, quæ præſcribuntur ea Pentateuchi parte, quæ *Leviticus* inſcribitur. Patet igitur die illo ſolenni extra duo jugia ſacrificia eſſe immolatos juvencos tres, tres arietes, & quatuordecim agnos, quadrupedes numero viginti, omnes in holocauſta, tum hircos duos in hoſtias pro peccato comedendas, & agnos etiam duos in victimas pacificas, quæ comedebantur. *Et nonnullis interjectis*. Sacerdos ſi his duobus agnis jugulandis adhibuiſſet placentas quatuor, ita res erat; ſi dixiſſet ex his quatuor placentis ſacræ ſint duæ, eximebat illis duas, & eaſdem coram Domino agitabat; reliquum pretio intus redemtum comedebatur foris, veluti cuncta communia; ſi nihil inde nominatim conſecraſſet, panis neutiquam ſacer erat. Si cum duobus placentis jugulaſſet agnos quatuor, extraheret inde duos, quorum ſanguinem reſpergeret alio nomine, & duos reliquos cum placentis duabus rite agitando offerret. Hæ duæ placentæ ſeſe requirebant invicem, item & illi duo agni obſtabant invicem. Itaque ſi eorum alter moreretur per ſe, effugeret, lethaliter afficeretur, alteri par adjungeretur, oportebat; ſi poſtquam unus eorum eſſet ſuo nomine mactatus, alteri accidiſſet horum aliquid, item priori par adjungeretur; hi duo panes obſtabant agnis, contra non obſtabant agni panibus. Iidem ſi fuiſſent agitati ſimul cum agnis, obſtabant inivicem ſic, ut ſi panes eſſent amiſſi, amitterentur & agni, & viciſſim agni ſi fuiſſent amiſſi, amitterentur & panes, atque panes alii, aliique offerrentur agni. Si nullis adjunctis agnis duo panes offerrentur ſeparatim, quid his fiebat? nempe agitabantur; porro autem aſſervabantur interea dum eorum figura mutabatur, atque igni conſumebatur; id adeo, ne ſi anno proxime ſequenti reperirentur agni illi amiſſi, rurſus offerrent panes ſine agnis. Juvencus & duo arietes, & agni ſeptem, & hircus, qui die illo offerebantur propter hos duos panes, nec erant impedimento panibus, nec panes erant impedimento illis. Duo illi juvenci, qui diei ſolennis cauſa quotidianis ſacris addebantur, & juvencus ille, qui propter hos

duos

duos panes offerebatur, non obstabant invicem. Similiter aries *ille*, qui diei solennis causa jugibus sacrificiis addebatur, & duo arietes illi, qui propter hos duos panes offerebantur, non obstabant invicem. Septem illi agni, qui diei solennis causa jugibus sacrificiis addebantur, & septem agni, qui propter duos istos panes offerebantur, non obstabant invicem, iidem postquam mactati fuerant, obstabant invicem omnes. Neque extraordinariis sacrificiis sacrificia jugia, neque jugibus extraordinaria, neque ista postrema invicem obstabant; imo nec plenus holocaustorum numerus, necessario requirebantur; ut si non invenirentur agni plures, quam sex, omnino sacrificarentur sex; si non inveniretur plus uno, sacrificaretur unus tam Kalendis, & diebus solennibus, quam Sabbathis. Nec vero necesse erat reliquum sacrificare aut die postero, aut proximo die solenni; etenim cujuscunque sacrificii publici tempus jam præterierat, omnino nulla ratio habenda. Si quando non reperirentur agni plures quam duo, eoque ministri redigerentur, ut si hos impenderent in sacrificia sacrificiis jugibus addenda die solenni, non esset, unde postridie jugia sacrificia fierent; sane res anceps erat, ita ut agnos hos liceret aut immolare in sacrificia sacrificiis jugibus addenda die solenni, aut in sacrificia posteri diei reservare.

[25] *Ex novo proventu &c. Tosaphta Menachoth* 9. 2. Omnia munera possunt adduci e terra, & ex *locis* extra terram, & proventu tam novo quam veteri, excepto manipulo, & duobus panibus, qui non adducuntur nisi ex novo, & ex terra. *Codex Menachoth* 8. 1. Omnes oblationes tam illæ quæ totius cœtus, quam quæ sunt viri privati, petebantur ex terra Sancta, & ex terra peregrina, tam e novo proventu, quam e veteri, excepto manipulo & duobus panibus, qui solum ex nova annona producta in terra Sancta offerebantur. *Ad quem locum ita Gemara Menachoth*. Textus Mischnicus dicit quod (*non veniat nisi e terra Sancta*,) nam ecce docetur per traditionem, quod manipulus oblatus ex veteri annona sit legitimus, & duo panes ex veteri itidem legitimi, sed excipitur omnino lex manipuli; nam scriptum est: *feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ;* ideoque de agitatione duorum panum, uti scriptum est: *ex omnibus habitaculis vestris .... offeretis*; neque e loco extra terram Sanctam &c. *Maimonides ibidem*. Jam duo illi panes non ferebantur nisi de terra Sancta, & de frugibus novis; videmus enim in Lege scriptum: *ex habitaculis vestris offeretis panes primitiarum duos*. Quod si nullum suppeteret frumentum novum, iidem de horreo ferrentur.

[26] *Fermentati &c. Codex Menachoth V.* Omnia munera offeruntur ex azymis, excepto fermentato sacrificii Eucharistici, & duobus panibus fermentatis. R. Meyr dicit: fermentum diffindebat eos in medio, atque fermentabat. R. Jehuda dicit: nec hoc selectissimum est, sed fermentum adferet, & indet mensuræ, eamque implebit, responderunt ei, etiam ea deficiebat vel superabundabat. *Maimonides ibid.* Jam id aperte in Lege explicatur eos oportuisse fermentatos esse, id igitur ita fiebat: fermentum afferebatur ex aliquo loco; id dabatur in decimam mensuram, tum illa explebatur similagine, quæ hoc fermento inficiebatur tota.

[27] *Ex hordeo &c. Abarbanel ad Levit.* 23. 10. Quia erat oblatio hordei virentium granorum, eo ut non existimet aliquis despectum esse hocce Jehovæ sacrificium, vel vile; præcipit is, ut offerrent cum illo duas decimas panis similæ, ejusdem similæ, quæ quoque offertur in reliquis oblationibus cum agnis, & quod esset totum hocce fertum igne absumendum Jehovæ.

[28] *Instar pecudum &c. Abarbanel in Legem* 262. 2. *scribit*, quod Israelitæ in egressu ex Ægypto fuerint *instar bestiarum* sine lege & cognitione, ideoque Deum præcepisse, ut offerrent tunc *manipulum hordeorum*, sed in festo septimanarum, accepta lege, cognitione & intelligentia, Deum præcepisse, *ut offerrent munus novum Domino*. Levit. 23. 16. sicut tunc habebant spiritum novum, & ut munus essent *duo panes*. Ibid. vers. 17. qui cibus est hominum sapientia, & intelligentia præditorum.

[29] *Licebat demum ferta &c. Siphri ad Num.* 28. 26. *Quando offeretis novas fruges Domino*; ut sit *munus novum* reliquis omnibus muneribus; ut nullum munus hoc anteiret; hinc dixerunt: non afferebatur munus primitiarum, & munus animantis ante manipulum, & si attulisset, est illegitimum; ante duos panes proventus novi non afferet, & si attulisset, est legitimum. Quodnam discrimen intercedit inter manipulum & duos panes novi proventus? Quod manipulum anteibat, interdictum erat Deo, & vetitum erat hominibus, hac de causa si oblati essent, non ascendebant. Quæ duos panes novi proventus anteibant, Deo interdicta erant, & Israelitæ licita, idcirco, si fuissent oblata, ascendebant. R. Tarphon dicit; manipulus permittebat, & duo panes proventus novi permittebant, si didici, quod munera, quæ offerebantur ante manipulum, essent interdicta, etiam munera, quæ offerebantur ante duos panes novi proventus, erunt interdicta. R. Jehuda filius Nacman inquit; minime; si dixisti pro muneribus, quæ adducebantur ante manipulum, quia non erant legitima neque pro Deo, neque pro idiota; idem dices de duobus panibus novi proventus, quæ si Deo non erant idonea, idiotæ tamen idonea erant? &c. *Tosaphta Menachoth* X. 30. Manipulus permittebat pro tota provincia, & duo panes in sanctuario, quando duo panes oblati erant, incipiebant afferre munera. *Maimonides ibidem VII.* 17. Exposuimus superius de frugibus novis ante latum manipulum neque alia ferri munera, neque fertum libaminum, neque primitias, & siquid horum tulisset aliquis, omnino temeratum fuisse. Atque etiam nihil inde ferri antequam fuerant oblati duo panes, conveniebat, verum siquid inde prius tulisset aliquis, idoneum fuisset utique.

[30] *Quantitas horum &c. Maimonides ibidem VIII.* 10. Atque panes isti erant figuræ quadratæ; erat unaquæque placenta longitudine septem palmorum, & latitudine quatuor palmorum, & altitudine digitorum quatuor.

[31] *Et cornua &c. Bartenora ad cap. XI.* 4. *codicis Menachoth*. וקרנותיהן, *& cornua earum*, conglutinabit massam ad omnia latera instar cornuum, cæterum longitudo cornu quatuor complet digitos.

[32] *Memoriale est &c. Bartenora ibidem. R. Jehuda dicit ne erres*, sc. inter duos panes, & panem facierum, tam in longitudinis, & latitudinis mensura, quam in quantitate cornuum, in duobus panibus longitudo est palmorum septem, latitudo quatuor, & cornua totidem digitorum, quorum numerus est; זד"ד, sive 7. 4. 4. *Maimonides ibidem*. Per literas זד"ד designatur memoriale aliquod signum ad duos panes conformandos, sc. ut longitudo uniuscujusque septem sit palmorum, latitudo autem quatuor digitorum, & altitudo totidem.

[33] *Una decima &c. Codex. Menachoth VI.* 6. Manipulus offerebatur cum decima trium satorum, at duo panes cum duobus decimis trium satorum. *Maimonides Temid. VIII.* 3. Jam hæc erat ratio efficiendi panes istos: afferebantur tria sata frumenti novi, quæ terebant, ac calcabant, sic ut fere fiebat in omnibus fertis. Ex his tribus satis mola molendinaria confractis duas similæ decimas succernebant cribris duodecim, reliquum pretio redimebatur, & promiscue comedebatur ab omnibus, ac reliquum illud placentæ obnoxium, immune decimis erat, quemadmodum alio loco demonstravimus. Panes igitur duo isti, qui frumento erant e novo, requirebant, ut suo cujusque sesquisato frumenti conficeretur una similæ decima, & eadem succerneretur cribris duodecim. In panes autem propositionis, qui quidem e frumento veteri fiebant, sat erat similam succerni cribris undecim, atque ex singulis satis frumenti, similaginis singulæ decimæ conficiebantur; panificium autem e manipulo primitiarum offerendum, quoniam erat ex hordeo, & eodem novo, nisi conficeretur ex satis tribus, atque succerneretur ex cribris tredecim, non existimaretur esse e genere optimo. Atque in his omnibus si numerus satorum, ex quibus fierent, vel augeretur, vel minueretur, nihilo secius rectum esset. Accipiebantur hæ duæ similaginis decimæ, quarum unaquæque seorsum pingebatur, seorsum coquebatur. Eas oportebat extra atrium subigi, atque in placentarum formam protendi ligno tereti; rursus eas veluti cuncta ferta intra atrium coqui oportebat.

[34] *Comedebantur &c. Maimonides Temid. VIII.* 8. Horum duorum panum effectio nihil derogabat diei festo; nam Sabbatho ne dici quidem opus est; sed enim

enim coquebantur de vigilia diei festi; nam quod scriptum videmus: *id solum fiet vobis*. Exod. 13. 16. hujus ea vis est, ut id vobis fiat scilicet, non item Deo. Quod si vigilia diei festi in Sabbathum incideret, isti duo panes coquebantur inde ab Parasceve Sabbathi, & comedebantur die tertio postquam cocti fuerant, id est die festo ipso. *Bartenora in cap. II. 2. Erachin. Non minus quam duos panes*, nempe die secundo post coctionem eorum; *neque infra tres*; nam die tertio a coctione comedi possunt. Quomodo? Si dies festi septimanarum inciderit in primum septimanæ diem, coquuntur die Veneris, quia coctio illorum neque Sabbathum, neque diem festum propellit, sed die festo post agitationem eorum comeduntur, nempe die tertio. Si vero septimanarum festum inciderit in reliquos septimanæ dies, in vespera diei festi coquuntur, & die festo comeduntur, qui secundus post coctionem dies est.

[35] *Maximo denique &c. R. Abraham in Tzeror Hammor fol.* 139. 1. Et quoniam hoc in festo (*Pentecostes*) lex fuerat lata, de eo scriptum est: *& lætaberis* (ita Hebræus) *coram Domino Deo tuo*; quia in Legis *observatione* lætitia est, q. d. e. *Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda*. Psalm. 18. 9. Et porro Psalm. 118. 162. *Lætabor ego super eloquia tua*. Verum in Paschatis festo, nullius lætitiæ mentio est, quia tum temporis Legem nondum acceperunt, & porro quia tum gaudium ipsorum nondum fuit perfectum usque ad septimum *post exitum* diem, in quo Ægyptii submersi fuere, idcirco plane nullius gaudii in festo Paschatis mentio iniicitur; atque in festo Pentecostes simpliciter dicitur, *lætaberis*, scilicet ob Legislationem.

CAPUT QUINTUM.

De festo tabernaculorum.

§. I. Nomen.

I. IN Codice Sacro festum hoc חג הסכות חג האסף, & [1] Σκηνοπηγίας appellatur, in Talmude sæpe [2] חג ἁπλῶς, Philoni ἑορτὴ σκηνῶν, (quod Hebræum סכות exprimit) nobis vulgo festum tabernaculorum vel umbraculorum, quod ex præcepto Dei per septem dies in tabernaculis habitare quotannis deberent Israelitæ. *Levit.* 23.33.

§. II. Celebritas.

II. Vix aliqui dies festi tanta cum solennitate [3] & gaudio acti fuere, unde & חג κατ᾽ ἐξοχὴν dicti. Philo *lib. de festis*, *pag.* 1183. uti & Plutarchus *in apophthegm.* ubi de Antiocho agit Hierosolymas obsidente, ἑορτῶν μεγίστην omnium festorum maximum nuncupant: quare ad gentium notitiam præ reliquis pervenerunt, eosque in illa opinione confirmarunt Bacchum præcipue a Judæis coli. [4] Plutarchus *lib.* IV. Συμποσιακῶν *cap.* 5. hoc ita describit, esse μεγίστην καὶ τελειοτάτην παρ᾽ αὐτοῖς ἑορτὴν, celebrari tempore vindemiæ, ἀκμάζοντι τρυγητῷ, sub tabernaculis eos considere ἐκ κλημάτων καὶ κιττοῦ potissimum textis, & in mensis varias fruges esse expositas. Tum etiam τηροφόρια & θυρσοφόρια celebrari paucis diebus post: id respicit libamen aquæ & לולב: & σάλπιγξι μικραῖς eos uti aliosque citharis: id ad חלילין pertinet, de quibus supra. At quod ait festum hoc νηστείαν appellari, falsum est, nisi scripserit forte μετὰ τὴν νηστείαν, quoniam quinto die post νηστείαν hoc festum inchoatur: & primum diem, vel qui festum præcedit, σκηνὴν dici, quum continens septiduum סוכות, sive σκηνῶν nomen habeat.

§. III. Tempus.

III. [5] Primus dies hujus festi incidebat in diem quintum & decimum mensis Tisri, quo die erat [6] מקרא קדש *convocatio sancta*. Licet autem Deus præcipue hoc festum instituerit [7] in memoriam commorationis Israelitarum in tentoriis quum iter in terram a Deo datam instituerent, quæ diu ante mensem Tisri exordium cepit, videtur tamen differre voluisse hoc festum in hæc anni tempora frigidiora, quæ habitationi in tentoriis minus apta erant, ne quis hos dies in tentoriis [8] voluptatis modo & umbræ capiendæ gratia celebrari crederet, & ut singularis Dei providentia & institutum clarius in his ritibus agnosceretur. Fateor aliquando æstum insignem in Tisri fuisse, quod Judæi ipsi non negant: sed plerumque tamen jam a die 15 mensis Ab calor solis imminuebatur sic ut postea ligna cædere ad usum altaris non licuerit, quia siccari non poterant, שהגיע חמשה עשר באב תשש כוחה של חמה ולא היו בוראין עצים למערכה uti legitur in *Gem. Bava Bathra*. 121: 2. Postea tamen æstus aliquando urit inter frigora, uti Ovidius canit,

Sæpe sub autumnum, quum formosissimus annus,
Plenaque purpureo subrubet uva mero,
Quum modo frigoribus premimur, modo solvimur æstu,
Aere non certo corpora languor habet.

§. IV. Ratio institutionis.

IV. Deus ipse hanc rationem reddit instituti festi. *Lev.* 23. 43. ut ætates secuturæ rescirent Deum fecisse ut Israelitæ habitarent in tentoriis quum ad terram suam pergerent: & ideo die 15 mensis institutum est, quia die 15 Nisan Ægypto egressi sunt, uti Hieronymus notat ad *Hos.* 12. *pag.* 1321. Alii addunt, quod Succoth, סכות, primus locus dictus fuerit, ad quem post fugam suam appulerunt, & ubi struxerunt tentoria: nec desunt qui putent in memoriam quoque Divini mandati de exstruendo tabernaculo sancto hos dies fuisse institutos, quod tempus utriusque rei conveniat.

§. V. Sacrificia offerenda.

V. Ritus præcipui, qui hoc festum ab aliis distinguebant, erant sacrificia offerenda, *Levit.* 23. 23. 33. & habitatio in tabernaculis. *Num.* 29. 12. Illa quidem erant,

primo

primo die festi (qui in *Menachoth lib.* XIII. 5. appellatur [9] יום המרובה quod nullo die anni tot sacrificia publico nomine offerrentur) [10] 13 juvenci, 2 arietes, 14 agni in holocausta, & hircus in sacrum piaculare comedendum. [11] Atque tot singulis diebus festi, id est septem, sacrificia offerebantur, [12] nisi quod juvencorum numerus uno minueretur, sic ut septimo die festi offerrentur juvenci 7, 2 arietes, 14 agni, & hircus in sacrum piaculare. In his offerendis [13] omnes ephemeriæ occupabantur, sic ut die primo 13 juvenci, 2 agni, & unus hircus, quæ sunt 16 victimæ, a 16 ephemeriis offerrentur; octo reliquæ ephemeriæ 14 agnos offerrent, sex ita, ut quælibet duos, duæ reliquæ, ut singula unum offerret. [14] Secundo die 5 ephemeriæ, quælibet duos, reliquarum quælibet unum. [15] Tertio die quatuor &c. Vide *Succa cap.* v. *misna 6.*

§. VI. Habitatio in tabernaculis.

VI. [16] De tabernaculis eorumque figura & magnitudine fuse disputatur in *Succa*, c. 1. &c. [17] Verum Karæi eorum constructionem cujusvis arbitrio permittunt, quod in lege scripta non sit definita mensura tabernaculorum. In *Siphra fol.* * 259. 2. [18] legitur noctu & interdiu in tabernaculis eos fuisse, סוכה נוהגת בלילות ובימים.

§. VII. Libatio aquæ.

VII. Præter hos ritus a Deo præceptos, alios adjecerunt Rabbanitæ, quos inter eminet [19] ניסוך המים *libamen aquæ*, 7 diebus hujus festi institutum, quo facit *Joh.* 7. 37. Sunt tamen qui velint jam a Davide hunc ritum observatum fuisse 2. *Sam.* 23. 16. In *Midrasch Ruth.* 48. 3. dicit Bar Caphra tunc fuisse festum tabernaculorum, & quia excelsa tunc erant licita Davidem aquam in excelso libasse. Confer *Gem. Hier. Scheviith.* 33. 2. ubi hic ritus a [20] priorum prophetarum temporibus deducitur, & *Gem. Hier. Succa.* 54. 2. ubi dicitur esse הלכה Mosis a Sinai, sed quum neglectui esset data, a prophetis post secutis revocata in usum. [21] Sacerdos libaturus ampullam auream, צלוחית, capacem logorum trium, implebat aqua fontis Siloe. [22] Quærere solent Judæi (vide *Tosephot ad Succa* 48. 1.) quum canon sit in sanctis adscendendum esse semper, non descendendum, quo jure ex ampulla aurea in simpula altaris argentea aquam effuderint. Respondent 1. etiam thus panibus propositionis appositum quod in vase aureo fuerat, effundi in altare. 2. Simpula non esse vasa separata sed partem altaris. 3. Locum in quo simpula erant, videlicet altare, esse sanctiorem omnibus aliis locis in quibus ampulla fuerat. Repleta itaque ampulla [23] per portam aquæ atrium ingressus adscendebat per clivum ad altare, & illic se statim convertens [24] ad sinistram foramini vel [25] simpulo occidentaliori tempore libaminis [26] sacrificii jugis matutini aquam infundebat. Postquam vero [27] sacerdos Sadducæus, cui hic ritus nulla lege Dei præceptus displicebat, aquam non simpulis sed pedibus suis affudisset, ipse quidem malis citreis impetebatur, [28] & cornu altaris frangebatur, ita ut salis quadratam molem בול של מלח (in *Gem. Hier. Joma* 39. 1. est גוש של מלח) loco cornu substituerint, ne mutilum altare appareret, ac postea clamare consuevit populus הגבה ידיך [29] *attolle manum*, nempe שנראה אם תתן מים בספל *ut videamus an aquam infundas simpulo*. *Succa*. IV. 9. & in *Gem. Joma*, *fol.* 26. *fac.* 2. Hunc ritum Rabbanitæ volunt innui *Jes.* 12. 3. *Gem. Succa.* 50. 2. *Midrasch Ruth.* 48. 2. & potissimum spectare [30] ad eliciendas a Divina gratia pluvias in annum sequentem, quum tempus sementis instaret, uti manipulus paschalis offerebatur ad impetrandum favorem Dei circa fructus agrestes, בשרות, & panes pentecostales ad impetrandum numinis favorem circa fructus arboreos, פירות האילן *Gem. Rosh hasschana* 16. 1.

§. VIII. Lætitia nocturna.

VIII. In [31] atrio quoque mulierum (alii dicunt in atrio magno. vide *Gem. Hier. Succa*. 55. 2.) [32] lychnuchi aurei alti 50 cubitos (*Gem. Succa.* 52. 2.) accendebantur die primo festi [33] post sacrificium juge vespertinum & 6 diebus sequentibus, quibus 4 ספלים sive pelves erant impositæ ad recipiendum oleum & ellychnia facta [34] ex detritis sacerdotum femoralibus. Quælibet pelvis capiebat [35] olei logos 120, unde mirum non est quod Judæi narrant, omnia atria urbis Hierosolymitanæ hac luce perfusa fuisse. *Succa.* v. 2. 3. quæ appellatur אור בית השואבה *Gem. Hier. Succa.* 55. 2. quamvis alii velint unamquamque pelvin 30 logos, atque ita quatuor 120 cepisse. *Gem. Succa.* 52. 2. [36] Saltabant quoque illic viri faces accensas manibus tenentes, canentes & alia edentes signa lætitiæ, quæ in proverbium abiit. *Succa*. v. 1. dum mulieres ex podio suo desuper spectabant.

§. IX. Mali citrei & ramorum gestatio.

IX. Huc quoque pertinet gestatio אתרוג *mali citrei* sinistra, & לולב *fasciculi ramorum* dextra, [37] ex spatha palmarum una, ramis 2 salicum, & 3 myrti, confecti de quibus vide 2 *Macc.* 10. 7. & *Siphra fol.* * 258. 2. Aliquando malum citreum uti pars לולב censetur. *Menachoth* III. 6. Aliquando distinguitur: vide *Succa*. III. 4. & *Gem. Succa*. 31. 2. Gestationem hujus לולב & agitationem Rabbanitæ juberi volunt *Lev.* 23. 40. & per עץ הדר intelligunt malum citreum. *Siphra fol.* * 2 8. 1. *Zohar in Levit.* [39] Verum Karæi putant ea non manibus gestanda, sed ad constructionem taber-

bernaculorum esse adhibenda. Confer *Nehem.* 8. 16. [40] Quovis die cum lulaf semel altare circumibant, [41] at extra Hierosolymas uno tantum die לולב gestabant (*Rosh hasschana* IV. 3.) [42] clamantes הושענא, (Ὡσαννὰ *Matth.* 21. 8. *Joh.* 12. 13.) [43] at septimo die septies, in memoriam obsidionis Jerichuntinæ, in *Gem. Hier. Succa.* 54. 3. Unde dies הושענא רבא dicitur, qui & nuncupatur magnus dies. *Joh.* 7. 37. uti quidam volunt; quamvis potius videatur fuisse octavus, יום טוב האחרון של חג dictus Judæis, quod est idem ac ἡ ἐσχάτη ἡμέρα ἡ μεγάλη τῆς ἑορτῆς.

X. Non eodem tempore hæc omnia usurpabantur, sed in *Succa cap.* IV. & V. docemur ita se hæc habuisse.

§. X. Tempus horum omnium.

לולב *fascem ramorum* in usu fuisse per septem dies: si videlicet primus festi sit sabbathum: nam, quia est יום טוב, ideo pellit sabbathum. Secundum constitutionem [45] R. Jochanan ben Zaccai, etiam destructo templo, לולב per septem dies in usu est. *Siphra fol.* * 258. 2.

ערבה, *salicem* (non illam quæ erat in לולב, [46] sed qua altare circumdabant, qui rami dicuntur alti fuisse undecim cubitos, ארוכות וגבוהות יא אמה. *Gem. Succa.* 45. 1.) septem dies in usu fuisse: [47] si dies septimus sit sabbathum, pellit sabbathum; at si alius dies sit sabbathum non pellit, & 6 dies tantum in usu est. Hinc legitur in *Gem. Succa.* 43. 2. לולב דוחה את השבת בתחילתו וערבה בסופו [48] *fascem ramorum pellere sabbathum in initio, sed salicem in fine.*

הלל ושמחה, [49] *hymnum sacrum & lætitiam* dies octo. [50]

סוכה וניסוך המים, *habitationem in tentoriis* [51] *& libamen aquæ* dies septem.

החליל, [52] *tibiam* dies sex, si sabbathum in diem primum festi incideret; dies 5. si non: nam tibia nec sabbathum pellebat nec diem festum.

XI. [53] Exacto primo die festi tabernaculorum, ineunte novo septennio heptaeterides sabbathicæ (מקץ שבע שנים *a fine 7. annorum*, uti est *Deut.* 31. 10.) [54] prælegebat rex in atrio mulierum sedens in suggesto ligneo, quod ad hunc usum parari solebat, pericopas quasdam Deuteronomii, quæ recensentur in *Sota* VI. 8. videlicet [55] ab initio Deuteronomii usque ad *Deut.* VI. 4. dein transiliit ad *cap.* XI. 13. & inde *cap.* XIV. 22. tum ad *cap.* XXVI. 22. postea ad *cap.* XVII. 14. quæ est parascha de rege, denique vota & diras quæ habentur *Deut.* 27. & 28.

§. XI. Prælectio legis singulo septennio.

XII. [56] Octavus dies עצרת dicitur. *Lev.* 23. 36. sive ἐξόδιον in versione Græca. *Lev.* 23. 36. & in chronico Alexandrino: unde *Hieron. ad Zachar.* I. Σκηνοπηγίας *extrema dies egressionis appellatur & terminus*: nam ἐξόδιον τέλος σημαίνει τῶν ἑορτῶν uti Theodoretus scribit *quæst.* 32. *in Leviticum*. Atque ita Philo *lib. de festis p.* 1196 scribit ἐξόδιον dici octavum diem festi tabernaculorum. Adnumerari solet festo tabernaculorum veluti dies ejus octavus, quare in *Gem. Eruvin.* 40. 2. *Midrasch Coheleth.* 118. 3. legitur esse שמונה ימי החג *octo dies festi tabernaculorum*, & 2. *Macc.* 10. 5. & 1. 18. octo dies encœniorum celebrati dicuntur secundum consuetudinem festi tabernaculorum, cujus memoriam isto dierum numero, lychnis accensis, & fascibus ramorum gestatis referebant quum illos primum festos egerunt.

§. XII. Dies octavus festus.

XIII. A quibusdam ut festum singulare consideratur, quia *Nehem.* 8. 18. distinguitur a festo tabernaculorum, [57] nec habitabant eo die in tabernaculis, [58] & illo offerebantur juvencus, aries, 7 agni in holocaustum, & hircus in sacrum piaculare. Non offerebant ephemeriæ eo ordine victimas, quo in festo tabernaculorum, [59] sed ad sortes redibant, ut in reliquis רגלים, sive festis majoribus. *Succa* V. 6. Et hoc ipsum a quibusdam רגל בפני עצמו appellatur, atque adeo quum μεγίστη Ἰουδαίων ἑορτή dicitur esse ἑπτὰ ἡμερῶν, uti Plutarchus in apophthegmatibus scribit *pag.* 184. non adnumeratur hic dies illi festo maximo, & festum singulare est, atque diversum a diebus septem festis tabernaculorum ob sex res, quæ indicantur [60] his litteris פז"ר קש"ב *Gem. Rosch hasschana* 4. 2. & *Gem. Chagiga.* 17. 1. quæ sunt initiales totidem vocum, uti id explicatur in *Gem. Succa* 47. 1.

§. XIII. Estque festum singulare.

1. [61] פייס *sors*. Quod operæ sacerdotales sorte distinguerentur.
2. זמן. *Tempus*. Quod singulari ברכה gratias Deo agant se vixisse usque ad tempus illud. Ita solent Deum laudare שהחיינו לזמן הזה *qui vitam nostram producit usque ad tempus hoc. Gem. Hier. Berachoth.* 14. 1. & *Bab.* 59. 2. atque ita in libellis τῶν תחיינות frequentes sunt formulæ ברוך ... שהחיינו ... והגיעו לזמן הזה &c. *laudatus sis o Deus ...... qui vitam nobis concessisti .... ut perveniremus ad tempus hoc.*
3. רגל, *festum* est, & hoc nomine dictum, ab aliis distinctum.
4. קרבן *Sacrificia*, diversa sunt ab iis, quæ 7 diebus tabernaculorum offeruntur, quæque Judæi oblata fuisse volunt [62] non pro Israelitis, sed gentibus, על שאר עמין, uti est in libro *Zohar ad Leviticum*, *fol.* 24. 2. & *Echa Rabbati*, *fol.* 66. *col.* 3.

col. 3. Ideo 70 juvenci fuere ſacrificati ſecundum numerum 70 gentium, אותם שבעים פרים שהיו ישראל מקריבין בחג כנגר שבעים אומות הן. Ita etiam legitur in *Midraſch ſchir haſſchirim fol.* 13. *col.* 2.

5. שיר. *Canticum Levitarum*.

6. ברכה. *Benedictio*. Formula precum, ברוך &c.

§. XIV. Tibiæ ſonus per hos dies.

XIV. Non parum ad ſolennitatem hujus feſti faciebat חליל *tibia* cani coram altari per ſex dies ex octo hujus feſti בשמוני ימי החג uti legitur in *Eracbin*. II. 3. Tibia autem non lætitiæ modo, [63] ſed & triſtitiæ tempore in uſu erat, חליליך לכלה ולמת.

Cantabat templis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mœſtis tibia funeribus.

vide *Bava mezia*. VI. I. [64] Erant duodecim modo dies quotannis, quibus tibia coram altari inflabatur; præter hos videlicet dies, quo jugulabatur paſcha primum, dies quo jugulabatur ſecundum, dies primus feſti paſchatis, & dies penteçoſtes.

COMMENTARIUM IN CAPUT QUINTUM.

[1] Σκηνοπηγίας &c. *Abarbanel in Leg.* 267. 1. Feſtum Scenopegiæ ſignificare, *ait*, eum, qui confidit Domino, ſub umbra omnipotentis pernoctare &c.

[2] חג ἁπλῶς &c. *Codex Succah III.* 13. Primo die feſti חג *Tabernaculorum &c. Et ibidem cap. V.* 6. Die primo feſto חג *Tabernaculorum &c.*

[3] *Et gaudio &c. R. Abraham in Tzeror Hammor fol.* 139. 1. Atque in feſto Pentecoſtes ſimpliciter dicitur *lætaberis*, ſcilicet ob Legislationem. Verum in Feſto Tabernaculorum; *& lætaberis* (ita Hebræus) *in feſtivitate tua*. Deut. 16. 14: & iterum ibidem verſ. 15. *eriſque in lætitia*; id quod duo gaudia *diverſa* innuit, unum nimirum propter datam Legem. Sed quoniam & poſthac peccatum grave circa μοσχοποιΐαν commiſerant, quod non expiatum fuit uſque ad magnum expiationis diem, ideo in feſto Tabernaculorum gaudii abundantioris mentio fit, nimirum propter expiationem *jam factam*; peccator enim dolore afficitur ob peccatum, ſed illo expiato iterum lætus evadit; quare & Hieroſolyma dicitur Pſalm. 47. 3. *Fundatur exultatione univerſæ terræ mons Sion*; quia ſcil. in Sanctuario fuit expiatio *peccatorum* & lætitia. *Medraſch Jalcut Simonis fol.* 283. 1. Illud quod Lex dicit. Deut. 16. 14. *Et lætaberis in feſtivitate tua*, omne lætitiæ genus includit diebus feſtis *exhibendum*. Quare dicunt Iſraelitas *hac in re non melius* debito officio ſatisfacere poſſe, *quam* per vota, oblationes ſpontaneas, atque decimas *ſecundas*, *quarum pars quoque iis cedebat, læto convivio in loco ſacro abſumenda*; Sacerdotes vero *per comeſtionem portionis ſuæ* ex ſacrificiis pro peccato, & reatu, nec non ex pecorum primogenitura, pectore denique & crure. *Sed annon quis etiam* ſacrificiis avium vel oblationibus frumentaceis *debitum exequi poſſet? minime*; nam *quando l.c.* dicitur: *& lætaberis* בחגך, *innuitur hanc lætitiam debere inſtitui ex nullis aliis ſacrificiis, quam* ex חגיגה ſacrificiis celebritatis, excluſis iis, quæ ad celebritatem non ſolent adduci. *Maimonides Lul.* 8. 12. Quamquam præceptum ſit de omnibus feſtis, ut in iis lætemur, attamen in feſto Tabernaculorum ſtante Templo lætitiæ longe *præ cæteris* abundantiſſimæ tempus fuit, q. d. e. Levit. 23. 40. *Et lætabimini coram Domino Deo veſtro .... ſeptem diebus*.

[4] *Plutarchus &c. Etiam Tacitus in his turpiter hallucinatus eſt lib. V.* Quia Sacerdotes eorum tibia concinebant, hedera vinciebantur, vitiſque aurea Templo reperta, Liberum patrem coli domitorem Orientis quidam arbitrati ſunt.

[5] *Primus dies &c. Siphra ad Levit.* 23. 34. *Loquere filiis Iſrael a quintodecimo die menſis hujus ſeptimi erunt feriæ Tabernaculorum ſeptem diebus Domino.* Quid dicendum id erat? Cum poſtea dictum ſit; *& habitabitis in umbraculis ſeptem diebus*. Ego neſcirem, utrum eſſent primi ſeptem dies, an poſtremi ſeptem dies; quando dicit: *a quintodecimo die menſis hujus ſeptimi*, ecce primi ſeptem dies, & non ſeptem extremi.

[6] מקרא קרש &c. *Siphra ibidem. In die primo* מקרא קרש *convocatio ſancta*, ſanctificabis, & in die octavo מקרא קרש *convocatio ſancta*, ſanctificabis.

[7] *In memoriam &c. Maimonides more Nevochim part.* 3. *cap.* 43. Feſtum Tabernaculorum quod attinet, cujus finis eſt lætitia & hilaritas ſeptem dies illud celebratur, ut pateſiat, & ubique divulgetur ejus cauſa. Cur autem illo tempore ferietur, ejus cauſam aperte Lex indicat: *quando congregaveris omnes fruges tuas ex agro*. Exod. 23. 16. q. d. quia tum requies tibi eſt, & reſpiratio a tuis negotiis. Ita meminit *Ariſtoteles lib.* 8. *Ethicorum* in hunc ſenſum fere ſcribens: Sacrificia antiqua, cœtuſque, & conventus, qui ſacrificiorum cauſa habebantur, facta fuerunt poſt collectionem fructuum, & proventuum, quaſi eſſent ſacrificia pro reſpiratione facta. Hæc ille; ſed & ideo factum eſſe poteſt, quia illo tempore tolerabilis maxime eſt commoratio in Tabernaculis, eo quod tum neque æſtus, neque pluvia moleſta nimis eſſe ſoleat. Cæterum duo iſta feſta, Tabernaculorum nempe, & Paſchatis utiliſſimas nos doctrinas, & virtutes docent. Ac Paſchatis quidem doctrinas quod attinet, inſervit illud ad recordationem miraculorum in Ægypto factorum, illorumque in omnes ætates conſervationem; feſtum vero Tabernaculorum ad conſervandam memoriam ſignorum in deſerto. Virtutes quod attinet, diſcimus ex illis, memorem debere eſſe hominem dierum malorum in diebus bonis, ut indeſinenter Deo Opt. Max. pro liberatione gratias agat, manſuetudinemque & humilitatem diſcat, dum panes azymos & herbas amaras in Paſchate comedit, ac in memoriam ſibi revocat, quæ contigerunt nobis. Sic quod in feſto Tabernaculorum exire jubemur ex ædibus noſtris ad habitandum in Tabernaculis, Eremitarum more, qui cum magno dolore & moleſtia in deſertis commorantur, recordari facit nos, quod talis fuerit conditio noſtra in principio ſicut dicitur: *ut diſcant poſteri veſtri, quod in Tabernaculis habitare fecerim filios Iſrael &c.* Levit. 23. 43. & ab iſta conditione translati ſimus ad habitandum in domibus pictis, in loco optimo ac pinguiſſimo totius terræ per ſingularem Dei gratiam, & juxta promiſſiones ipſius patribus noſtris factas, eo quod fuerint homines perfecti in ſcientiis, & virtutibus, Abraham, inquam, Iſaac, & Jacob. *Abarbanel in Levit.* 23. *fol.* 266. 2. Ex præcedentibus tibi conſtat in hoc feſto dari duo præcepta, nempe de Tabernaculis & de Lulabh ſeu ramorum faſciculo, quorum ratio diverſa eſt; ſiquidem præceptum Tabernaculorum datum eſt in memoriam præteriti beneficii, ſicut dicitur Levit. 23. 43: *ut diſcant poſteri veſtri, quod in Tabernaculis habitare fecerim filios Iſrael, cum educerem eos de terra Ægypti*.

[8] *Voluptatis modo &c. R. Jacob Levita in libro de ritibus Judæorum per totum annum ſcribit*, Deum id feciſſe, quod menſe Niſan inceperint dies æſtivi, quibus communiter omnes ſolent tabernacula facere pro umbra captanda adverſus ardorem ſolis. Si itaque iſtud feſtum eo menſe celebraretur, non agnitum fuiſſe ex ſingulari præcepto divino, & in hujus beneficii memoriam Iſraelitas tabernacula extruere; ideo Deum in menſem Tiſri hoc feſtum rejeciſſe, quod eſt tempus frigoris, & pluviarum, quum omnes e tabernaculis exire, & in ædes ſuas ſe conferre ſolent,

lent, atque ita fieri manifestum, Israelitas non commoditatis causa, vel ex communi consuetudine, sed ex speciali Dei mandato eo tempore ex ædibus suis in tabernacula migrare, in miraculosi beneficii memoriam, eamdemque ob causam ipsis esse mandatum, ut quinto decimo die festum scenopegiæ celebrare inciperent, quod eodem die ex Ægypto egressi, nubesque se concomitantes, & protegentes experti fuissent. *Vide clar. Mejer. de Festis Hebræor. cap. XVI. part. 2.*

[9] יום המרוכה &c. *Bartenora in hunc locum.* כיום המרוכה *ut in die multiplicationis*, qui est primus dies festi Tabernaculorum, si is in Sabbathum inciderit; nam eo die libamina pro sacrificiis multiplicantur magis, quam ullo totius anni die; nam tum tredecim offerebantur juvenci, quatuordecim agni, & quatuor additamenta, duo in Sabbathum, & totidem in diem festum, & unus hircus: libamina vero pro omnibus istis oblationibus necessaria, sunt centum & quadraginta Logi.

[10] 13. *Juvenci &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Sevachim.* Primo autem Tabernaculorum die festo præter duo jugia offerebatur additamentum tredecim juvencorum, duorum arietum, & quatuordecim agnorum, omnes in holocaustum, & tandem hircum in expiationem pro peccato, in integrum triginta sacrificia. *Abarbanel præfatione in Leviticum cap. III.* Ad primam umbraculorum diem extra jugia fiebant etiam sacrificia solida juvencis tredecim, duobus arietibus, & agnis quatuordecim, insuper etiam hirco piaculum; & hæc eadem solennitas cum incideret in Sabbathum, tunc ea fiebant omnino sacrificia solida 33, atque hirco piaculum.

[11] *Atque tot singulis &c. Maimonides ibidem.* Cæterum quolibet festi istius die offerebantur duo arietes, quatuordecim agni, & hircus in expiationem pro peccato. *Abarbanel ibidem.* Porro autem singulis deinceps umbraculorum diebus totidem sacrificabantur & arietes & agni, simul & hircus.

[12] *Nisi quod &c. Maimonides ibidem.* Juvenci vero diminuebant in dies unum detrahendo, eo usque ut septimo die septem juvenci offerrentur, duo arietes, & quatuordecim agni omnes in holocaustum, & tandem hircus in expiationem pro peccato, quæ in summa conficiunt viginti quatuor sacrificia. *Abarbanel ibidem.* Juvencorum autem gradatim fiebat decessio; diminuebatur ex eis in singulos dies unus, ut septimo ad umbraculorum diem mactarentur omnino juvenci septem, duo arietes, atque agni decem & quatuor, quibus totidem fierent solida sacrificia, insuper & hircus unus, quo sacrum piaculare fieret.

[13] *Omnes Ephemeriæ &c. Hierosol. Succah fol. 55. 4.* Traditur omnes classes, quæ tum in Templo erant, binos, & ternos obtulisse juvencos, exceptis ultimis duabus classibus, quæ binos solum fecere. Quærit R. Eliefer; quid num ergo non ab his duabus classibus *ordo sacrificandi* in proximo festo incipi potuit, *ut hoc modo compensarentur?* Resp. R. Jose, *hoc fieri non posse*, eo quod Misna dicat, die octavo rediere ad sortes. *Maimonides Temid. X. 12.* Exposuimus ante sacerdotes omnes in quatuor & viginti curias fuisse distributos; hæ omnes ex æquo administrabant sacra ad singulas solennitates. Jam ad solennitatem Tabernaculorum, unaquæque curia sacrificabat juvencum unum, aut arietem unum, aut hircum in sacrificium pro peccato. De agnis autem alia curia sacrificabat duos, alia unum; nempe erant primo Tabernaculorum die solenni sacrificandi juvenci tredecim, duo arietes, & hircus; ex his singulas bestias singulæ curiæ sacrificabant; restabant agni quatuordecim pro curiis octo, quarum sex sacrificabant singulæ binos, & reliquæ duæ curiæ sacrificabant singulæ singulos.

[14] *Secundo die &c. Maimonides ibidem.* Die secundo erant immolandi juvenci duodecim, duo arietes, & hircus, quorum singulos singulæ curiæ sacrificabant; reliqui erant agni quatuordecim pro novem curiis, quarum quinque sacrificabant singulæ binos, & reliquæ quatuor sacrificabant singulæ singulos.

[15] *Tertio die &c. Maimonides ibidem.* Die tertio erant immolandi juvenci undecim, duo arietes, & hircus, quorum singulos singulæ curiæ sacrificabant; reliqui erant agni quatuordecim pro curiis decem, quarum quatuor sacrificabant singulæ binos, & reliquæ sex sacrificabant singulæ singulos. Die quarto erant immolandi juvenci decem, duo arietes, & hircus, de quibus singulos singulæ curiæ sacrificabant; relinquebantur agni quatuordecim pro curiis undecim, quarum tres sacrificabant singulæ binos, & reliquæ octo singulæ singulos. Die quinto erant immolandi juvenci novem, arietes duo, & hircus, ex quibus singulos sacrificabant singulæ curiæ; relinquebantur agni quatuordecim pro duodecim curiis, quarum duæ sacrificabant singulæ binos, & reliquæ decem singulæ singulos sacrificabant. Die sexto erant immolandi juvenci octo, duo arietes, & hircus, ex quibus singulos sacrificabant singulæ curiæ, relinquebantur agni quatuordecim pro tredecim curiis, quarum una sacrificabat binos, & reliquæ duodecim sacrificabant singulæ singulos. Die septimo erant immolandi juvenci septem, & duo arietes, & hircus, & agni quatuordecim, qui hostiarum numerus conveniebat cum curiarum sacerdotalium numero, itaque singulæ curiæ singulas bestias sacrificabant.

[16] *De Tabernaculis &c.* Additamenta ad Codicem Succah, & Maimonidis tractatum Lulab suo loco tibi dabimus nunc primum ex hebraico latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata.

[17] *Verum Karæi &c. Sepher Mitzvot R. Levi ben Jephet Karraitæ M. S. fol. 425.* Et præter has quinque species, licet quoque ex aliis tabernacula struere; nam non dicit *Scriptura* ex his solis esse construenda, neque Esdra novum *de hac re* ex se ipso tradidit præceptum, quoniam suo tempore Prophetæ adhuc erant superstites. Et illud quod citat: *exite in montana & afferte &c.* satis indicat, Mosen omnia, quæ adhuc in manibus eorum erant præcepta, explicuisse, sicuti e. g. quando iis præcipit: *non comedetis cum sanguine &c.* Levit. 19. 26. Hujus præcepti sensum innotuisse omnibus Israelitis, patet ex facto Saulis *circa hunc casum.* 1. Reg. 14. 33. 34. Facit utique hoc ad refutandam eorum sententiam, qui dicunt *veram* scripturæ explicationem hauriendam esse ex traditionibus a Mose *in Sinai acceptis*; nam illi diversimode legem explicant, & nisi nobis explicatum esset in facto Saulis *citato, præceptum* circa sanguinem, nunquam nobis exponere potuissent, quid illud sibi vellet. Sic nisi Esdra eodem modo nobis exposuisset ea quæ tabernacula concernunt, ex verbis sane Rabbanitarum de his nunquam fuissemus edocti; id quod indicio est, Legem una cum ejus interpretatione relictam fuisse patribus nostris, eorumque filiis sicut dicitur: *obliti sunt cubilis sui.* Jerem. 50. 6. & iterum. *Et rejecerunt Legem tuam post terga sua.* Neh. 9. 26. & nisi divinum auxilium Legi adfuisset, quod conservavit pios quosdam inter Israelitas captivos, periisset Lex cum Israele. Verum indidit in cor Israelis Omnisufficiens Deus, ut plurimis libris hæc complecterentur, atque etiam unum vel alterum transcriberent, quo in perpetuum subsisterent. Quare & injungit Malachias in obsignatione Prophetiæ dicens: *Mementote Legis Moysi servi mei.* Malach. 4. 4; etenim si Lex nota fuisset Israelitis ex traditionibus, utique non dixisset: *mementote Legis Moysi servi mei.* Quum vero moneat, ut hujus sint memores, eopse verba (*Traditiones*) Rabbanitarum abolentur. Et quoad Lulab, quod Rabbanitæ non nisi unicum numero assumendum *putant*, hoc omni caret fundamento; nam hoc non nisi stante templo faciebant, sicut dicitur: *Coram Domino Deo vestro.* Levit. 23.40. Quoad tabernacula vero, struenda illa sunt super tectis, & in atriis sicut dicitur: *Unusquisque in domate suo, & in atriis suis.* Nehem. 8. 16. Sic Lex quoque nullam plane mentionem facit, quod unum tabernaculum sub alio strui possit, quemadmodum neque modum structuræ eorum, neque ex quibus speciebus constare debeant, tradit. Verum Esdræ facto edocemur ex quibus speciebus, & ubi strui debeant, sicut dicitur: *Feceruntque sibi Tabernacula unusquisque in domate suo, & in atriis suis.*

[18] *Legitur noctu &c. Hierosl. Succah fol. 53. 1.* Quænam est ratio R. Eliseris? In hoc Levit. 23. 42. De Tabernaculorum habitatione adhibetur vox תשבו *habitabitis.* Alio vero in loco sc. Levit. VIII. 35. *ad ostium Tabernaculi conventus die ac nocte manebitis* (*eadem voce utrobique occurrente*) Quemadmodum *igitur sub* habitationis voce in hoc ultimo loco dies & nox comprehenduntur; sic pariter in nostro illo voce habitationis dies & nox includuntur. *Babyl.*

byl. ibidem fol. 27. 1. Qua ratione nititur sententia R. Eliesеris vocem תשבו Levit. 23. idem valere ac vocem תדורו, *hoc est denotare habitationem fixam & constantem?* Atqui sicut in habitatione fixa *singulis diebus* prandium & cœna sumi solet, sic idem in Tabernaculo faciendum. *Raschius in commentario ad cap.* 2. 6. *Codicis Succah scribit præceptum esse, ut prima tantum nocte in Tabernaculis cœnetur.* Sapientes vero *Succam considerant* instar habitationis ordinariæ; sicut ergo quis domi suæ, si comedere vult, comedit, sin minus, mittit, sic idem jus in Succa valeret. *Obj.* Si hoc est, quidni ergo & nocte prima festi *alicui liberum sit in Succa cœnare, vel secus?* Resp. R. Jochanan nomine R. Simeonis filii Johozadak: *de hoc nostro festo* dicitur 15 *mensis Tisri esse celebrandum*, & festum azymorum *itidem* figitur 15 *mensis Nisan*. Quemadmodum ergo *hoc azymorum festum non nisi* nocte prima *ad azyma* obligat, cæteris arbitrio *cujusvis* relictis; sic tabernaculorum festum *non nisi* noctem primam in Succa transigendum poscit, cæteris libertati *cujusvis* permissis. Verum unde & illud probatur *non nisi noctem primam azyma poscere?* Eo quod dicit Scriptura: *vespera comedetis azyma*, quibus verbis *azymorum comestio nocte pro* officio ponitur. *Ride sophisma Rabbinicum. Maimonides Lulab VI.* 7. Nocte festi prima in Tabernaculo comedere necesse fuit, ut qui vel olivæ magnitudinem dapem mandit, officio suo fecisse satis putatur. Postmodum reliquis diebus res cujusque arbitrio permittitur, si cœnare aut prandere velit id in Succah faciat oportet; si vero ita cupiat per totum festum fructibus solum & tostis frui potest extra Tabernaculum, nam hi mores de festo Azymorum expressi sunt. *Codex Succah. II.* 6. R. Eliefer unumquemque ad quatuordecim convivia in Tabernaculo celebranda teneri vult; *singulis* nimirum diebus, unum interdiu, alterum noctu. Ast sapientes nihil hic definiendum esse existimant, sola nocte diei boni, qui festo primus est, excepta. Porro statuit R. Eliefer eum, qui die festi primo cœnam sumere neglexit, eam compensare posse die ultimo; verum sapientes in hoc negotio nullam admittunt compensationem; scriptum enim est: *Perversi difficile corriguntur, & stultorum infinitus est numerus. Eccl.* 1. 15.

[19] ניסוך המים *&c. Tosaphta Succah III.* 9. Libatio aquæ fiebat cunctis septem diebus; R. Jehuda dicit: omnibus octo diebus. Verum R. Jehuda dicit, uno Logo libabat cunctis octo diebus; & sapientes dicunt tribus Logis. Deprehenditur, quod ii, qui augent aquas, dies minuunt, & qui dies auget, aquas minuit.

[20] *A priorum Prophetarum &c. Maimonides ad Sevachim XIII.* 6. R. Eleasar putat hoc (*sc. aquæ libamen*) fieri debere ex Lege, idcirco dicit eum qui in festo Tabernaculorum libaverit, liberum esse. Sed res ita non est, cum sit traditio Mosis e Sinai. *Hierosol. Scheviih. fol.* 33. *col.* 2. *hal.* 7. R. Ba filius Sabdi nomine R. Chunja declarat, quod salicis ritus, effusio aquæ, nec non decem plantæ sint constitutiones priorum Prophetarum. Quis huic contrariatur? R. Jose nomine R. Bon nomine Levi, qui dicunt; *hanc* constitutionem *Mosaicam omnino* inter manus prophetarum *priorum* ita exstitisse, sed posteaquam oblivioni fuisset tradita, surrexisse prophetas posteriores, atque hac in re cum prioribus consensisse, ut docearis omnes res, quas Synhedrium ipsum determinat, ita per illud stabiliri, ac *firmas reddi*, ac si ipsi Mosi in Sinai injunctæ fuissent. *Gemara Babyl. Succah.* 48. 2. Unde ritus *iste aquarum haustionis* arcessendus? Resp. R. Gnina ex eo quod dicit Scriptura l. c.: *haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Et fol.* 50. 2. Traditio fert, Raf Jehudam, & Raf Gnidam *circa denominationem loci, in quo lætitia nocturna instituta fuit in diversa abire*, uno contendente, *illum* בית השואבה locum haustionis, altero בית חשובה locum honoratum *vocatum* fuisse. *Ad quæ* dicit Mar Sutra *neutrum*, nec eum, qui שואבה, nec eum, qui חשובה legit, errare; non illum quia scriptum est Jes. 12. 3: *haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris;* non hunc, quia Raf Nachman dicit esse hoc *de acquarum haustione* præceptum æstimatissimum, quippe quod jam inde a sex diebus creationis originem trahat. *Magnum Mysterium, imo ipsum Messiam in his aquis veteres Hebræi latuisse arbitrati sunt. Hierosol. Succah* 55. 1. Dicit R. Jehosua fil. Levi, quare locus lætitiæ nocturnæ vocatur locus haustionis? Quia exinde hauriunt Spiritum Sanctum, juxta id quod dicitur: *& haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris. Hic Isaiæ locus a Paraphraste Chaldæo ita redditur*: & recipietis doctrinam novam cum lætitia ab electis justorum. *Etiam Kimchius in h. l. novam appellat.* Et quod *revera* nova erit doctrina; eo enim modo tum cognoscere discent Jehovam, quo antea nullus didicerat hominum, juxta id quod dicitur Jes. XI. 9. *Sicut aquæ maris operientes. Etiam Raschius idem sentit*; Nam dilatabit cor eorum per salutem iis superventuram, & revelabuntur iis secreta Legis oblivioni tradita durante captivitate propter angustiam.

[21] *Sacerdos &c.* Codex Succah 4. 9. Aquarum libatio quomodo fiebat? Phiala aurea tres logos capiens e Siloah implebatur. *Maimonides Temid. &c. X.* 7. Jam libatio aquæ fiebat super dimidiam partem altaris in cornu inter meridiem, & orientem intermedio, unde cuncta defluebant per tenuissima foramina duo, ut alio loco dictum est. Erat igitur ex auro ampulla, quæ capiebat logos tres, hanc implebant e fonte Siloe, & cum accessisset ad portam aquarum, edebant clangorem primo simplicem, deinde fractum, rursusque simplicem; tum Sacerdotum aliquis collem ascendebat, idemque sese convertebat ad sinistram, atque aquam ex ampulla infundebat in pelvim ibi positam; etenim erant ibi pelves ex argento duæ, una ad occidentem, in quam aqua, altera ad orientem, in quam infundebatur libationis vinum. In his pelvibus inerant foramina duo instar narium tenuissimarum, tum pelvis aquariæ foramen tenuius erat, quam foramen pelvis vinariæ, id adeo ut aqua simul cum vino deficeret.

[22] *Quærere solent &c. Tos. Succah* 48. 1. Dicendum est simpula illa fuisse calci *s. pavimento* altaris affixa, & firmiter adhærentia, ideoque in censum vasorum non veniunt, sed ad ipsum altaris corpus pertinere reputantur, eadem ratione qua thus, quod primum in thuribulis aureis constitutum, postea in superficie altaris cremant.

[23] *Per portam aquæ &c. Tosaphta Succah cap.* 3. 4. Cur vocabatur nomine porta aquæ? Quia per eam introferebant phialam aquarum in libationem, quam festo Tabernaculorum faciebant. R. Eliefer filius Jacobi dicit; textus de ea inquit. Ezech. 47. 2. מים מפכים *aquæ redundantes*, docemur quod scaturirent, & effluerent instar vasis (*a* מפכים *unde* פך) &c.

[24] *Ad sinistram &c. Gemara Sevachim fol.* 64. 1. Libamina *non feruntur circa focum altaris*, ne fumo corrumpantur, holocaustum vero avis, ne fumo suffocetur. *Maimonides de ratione sacrificiorum faciendorum* VII. 11. Omnes in altare conscendentes, conscendebant ad dextram, idque circumibant, atque descendebant ad sinistram. Excipiuntur, qui conscendebant in altare peracturi unam aliquam ex tribus illis rebus, quæ in superiori parte cornu paulo ante dicti fiebant; hi videlicet in altare conscendebant, atque sese ad sinistrum altaris cornu vertebant, operabantur, & retrorsum abibant. Quod autem isti sese statim vertebant ad partem altaris sinistram, hæc erat causa, ut primum sese offerret altaris cornu occidenti & meridiei intermedium, qui si se convertissent ad dextram, tum altare circumissent donec pervenissent ad cornu meridiei & occidenti intermedium: periculum fuisset, ne inficeretur vinum, & aqua altaris fumo, aut suffocaretur volucris.

[25] *Simpulo occidentaliori &c. Tosaphta Succah. III.* 7. Duo vasa argentea ibi erant in summo altari, occidentale aquæ, & orientale vino inserviebat; si aquam in vini foramen evacuasset, aut vinum in aquæ simpulum infudisset, debito satisfacit. R. Jehuda dicit: ex gypso constabant nigricante propter vinum, & perforata erant instar duorum nasorum tenuium, per quos effluebant in Scitin. *Raschius in Exod.* 29. 40. Libatio fit in simpuvium, sicut discimus in Massechet Succah, duo simpuvia argentea fuisse supra altare perforata instar duorum nasorum tenuium. Vinum funditur in simpulum, hoc transmittit, & per nasum ejicit vinum, quod dein in superficiem altaris cadit, atque hinc in columbaria subjecta descendit, in ara templi; in altari vero æneo, ex altari in terram defluit. *Idem iterum in glossa ad cap. IV.* 9. *Codicis Succah. Singulum* simpulum uno naso instructum erat, *singulusque nasus* foramine uno;

sa cer-

ſacerdos vero libaturus effundebat libamina in orificium ſimpulorum, ex quo per naſos effluentia in ſuperficiem altaris deſcendebant, ubi foramen erat, quod aquam vinumque in ſentinam altaris ſubterraneam excavatam valdeque profundam demitteret.

26 *Sacrificii jugis &c. Toſaphta Succah ibidem*. Quando hanc libationem faciebant una cum membris ſacrificii jugis. *Joma fol.* 26. 6. In feſto *Tabernaculorum* non libant aquam niſi cum victima jugi matutina: *Maimonides ibidem*. Itaque cum ſacrificio jugi matutino vinum, atque eodem tempore aquam libabant ſeorſim.

27 *Sacerdos Sadducæus &c. Toſaphta ibid.* Contigit, ut Baithoſæus, qui libationem inter ſuos pedes fecerat, ut ſuis malis citreis a populo lapidaretur, fractumque fuerit unum ex altaris cornibus, fueritque intermiſſum ſacrificium juge, donec adducta maſſa ſalis *rupturam* obſtruerent, ne deficiens altare appareret, quia omne altare, cui baſis & cornu deeſſet, erat interdictum; R. Joſe filius R. Jehudæ dicit, etiam circuitus.

28 *Et cornu altaris &c. Gemara Succah fol.* 48. Eo die fractum fuit unum ex cornibus altaris, adduxerunt vero maſſam ſalis, qua rupturam obſtruxerunt, non eo fine, ac ſi illa *cornu fractum* ad miniſterium iterum aptum reddere deberent, ſed ne altare aliqua ſui parte mutilum appareret, quoniam omnis ara clivo, aut cornu, aut fundamento, aut denique quadratura carens, *ad miniſterium ſacrum* ineptum eſt. R. Joſe filius Jehudæ dicit: etiam ſi cingulo careat.

29 *Attolle manum &c. Maimonides ibidem*. Sacerdoti, qui libabat aquam edicebant, ut manum tolleret in altum quia aliquando Sacerdotem, qui aquam in pedes ſuos libaverat, populus univerſus malis citreis obruit, quod putarent eum eſſe unum ex heterodoxis illis, qui pugnant aquam non eſſe libandam.

30 *Ad eliciendas &c. Siphri ad Num.* 29. 13. Unde probatur libatio aquarum in feſto Tabernaculorum? R. Akiba dicit, dictum eſt: *Offerte manipulum* in Paſchate, qui vobis impetrabit benedictionem pro frugibus, & offerte primitias in Pentecoſte, quæ vobis impetrabunt benedictionem pro fructibus arborum; ita etiam libate aquam in feſto Tabernaculorum, ad eliciendas pluvias in annum. *Toſaphta Succah. III.* 11. Dixit R. Akiba: affer manipulum hordeaceum in Paſchate, ut impetretur benedictio pro frugibus; affer tritica, & primitias in Pentecoſte, quæ eſt tempus arborum, ut tibi benedicantur fructus arborum; affer libationem aquarum in feſto Tabernaculorum, ut tibi pluviarum aquæ benedicantur, & dictum eſt: *& erit qui non aſcenderit de familiis terræ ad Jeruſalem, ut adoret Regem Dominum exercituum, non erit ſuper eos imber; quod & ſi familia Ægypti non aſcenderit, & non venerit, nec ſuper eos erit*. *Zachar.* 14. 17. 18. *Toſaphta Roſch haſchana cap. I.* 14. Dixit R. Akiba, dixit Lex; affer hordea in Paſchate, quod eſt tempus hordeorum, ut tibi proventus benedicatur; affer tritica & primitias in Pentecoſte, quæ eſt tempus arborum, ut tibi arborum fructus benedicantur; affer libationem aquarum in feſto Tabernaculorum, ut tibi pluviarum aquæ benedicantur.

31 *In atrio quoque &c. Toſaphta Succah IV.* Ab initio, quando celebrabatur lætitia domus hauſtionis, viri aſpiciebant intrinſecus, & mulieres extrinſecus, quando animadverterunt Synhedri, cauſam præberi impudentiæ, & laſciviæ, a cunctis tribus partibus tres podiorum ordines conſtruxerunt, ut mulieres conſiſterent, & aſpicerent in lætitia domus hauſtionis, & ne *cum viris* una miſcerentur. *Gemara Babyl. Succah* 51. 2. Quænam eſt illa magna ordinatio? Reſp. R. Eleaſar, eſt eadem illa, de qua edocemur *in Middoth l. c.* ubi tradunt; *Atrium mulierum ab initio planum fuiſſe, poſtea vero cinctum fuiſſe podio, atque ſancitum, ut mulieres ſedeant ſuperne, viri autem inferne*. T. M. ab initio mulieres fuiſſe intra atrium mulierum, viros vero extra illud in חיל in ſpatio antemurali; cum autem hoc laſciviæ & irreverentiæ occaſionem dediſſet, ordinarunt mulieres ut ſederent ſuperne, viri autem inferne. *Raſchius in hæc verba l. c.* Tigna parietibus indidere, quæ exinde prominebant in toto atrii circuitu, ſingulis itaque annis, feſto Tabernaculorum recurrente, diſpoſuerunt ſuper illis lignis podia tabulata, quæ vernacule vocantur *Planke*, vel gallice *Balcon*, quibus mulieres tempore gaudii domus hauſtionis inſiſtere poſſent, ejuſve ſpectatrices agere; & hæc eſt magna illa ordinatio, de qua Miſchna loquitur, quam ſingulis annis inſtituerunt.

32 *Lychnuchi aurei &c.* Codex *Succah V.* 2. Exeunte die feſti primo, in atrium mulierum deſcendebant, ubi podium magnum condiderant. Etiam Lichnuchi aurei ibi erant, quorum ſingulo quatuor ſimpula aurea impoſita fuerunt, & quatuor ſcalæ adjunctæ unicuique, *quas ſcanderent* quatuor juvenes e pube Sacerdotum, qui in manibus habebant urceos olei, continentes centum & viginti logos, ex quibus in unumquodque ſimpulum *oleum* infunderent.

33 *Poſt ſacrificium &c. Toſaphta Succah IV.* 4. Dixit R. Jehoſua filius Chananiæ, per omnes quos gaudium domus hauſtionis ſubſtitit dies, ſomnum nunquam capeſſivimus. Mane maturo ſurgentes nos conferebamus ad offerendum ſacrificium juge matutinum, hinc ad locum orationis; hinc ſcholam ſtudii ſacri, hinc ad ſacrificium addititium, hinc ad eſum, & potum, hinc ad ſtudium ſacrum, hinc ad ſacrificium veſpertinum, hinc ad gaudium domus hauſtionis. *Babil. Succah fol.* 53. 1. Dixit R. Jehoſua fil. Chananiæ: per omnes quos gaudium domus hauſtionis ſubſtitit dies, ſomnum nunquam capeſſivimus. Primo namque conferebamus nos ad offerendum ſacrificium juge matutinum, hinc ad oblationem ſacrificiorum addititiorum, hinc ad offerenda ſacrificia votiva, atque ſpontanea, hinc ad eſum, & potum, hinc ad ſtudium legis, hinc ad oblationem ſacrificii jugis veſpertini, hinc denique ad gaudia domus hauſtionis. *Maimonides Lulab cap. ult.* 12. Exeunte die feſti primo lætitiam incipiebant, & feriarum ſingulis diebus incipiebant, poſtquam *hora venerat*, & oblatum eſſet ſacrificium juge veſpertinum, lætari reliquum diei uſque ad noctem.

34 *Ex detritis &c. Gemara Schabb. fol.* 21. 1. Veſtes Sacerdotales vetuſtate tritas diſcindunt, atque ex iis conficiunt ellychnia pro Sanctuario. Quid num ex iis *veſtibus*, quæ mixtæ materiæ ſunt? Non, ſed ex byſſinis *tantum*. *Maimonides de vaſis Sanctuarii VIII.* 5. Nullas omnino veſtes Sacerdotales, quæ ſordidæ factæ ſunt, dealbant aut lavant, verum ad *uſum* Ellychniorum eas ſeponunt, atque novas induunt. *R. Joſeph Karo in Keſeph Miſchnæ ad loc. cit.* Non attendit (*Rabbinus noſter Maimonides cum de Ellychniis pro Lychnucho ſacro loquitur*) niſi ad tunicas Sacerdotales, excluſis balteis, nam ex his non fiunt ellychnia ad lampadem æternam, quia lanam lino intermixtam habent, quibus adeoque lampadem perpetuam accendere nefas eſt. De braccis autem tradunt, eos ad accendendas lampades in gaudio domus hauſtionis fuiſſe adhibitos. Itaque ad ellychnia lampadis perpetuæ *ex veſtibus Sacerdotalibus* nihil ſupereſt præter tunicas & tiaras; ſed & ratio reddenda eſt, quare Rabbinus noſter omittat tiaras; forte ut *oſtendat* id quod dictum ſit de tunicis, etiam de tiaris intelligi debere; vel etiam dici poteſt, eo quod tiaræ ex lino admodum tenui conſtent, hinc eas, ceu ad ellychnia ineptas, ab illo omitti.

35 *Olei logos &c. Gemara Succah.* 52. 2. Quæſitum fuit ex iis illi 120 logi num in omnibus *urceis* ſimul ſumtis fuere *comprehenſi*, vel an ſingulus *urceus* totidem logos cepiſſe cenſendus eſt? Veni & audi: in manibus eorum (*Juvenum Sacerdotum*) fuere urcei olei, quorum ſingulos 30 logos cepit, ita ut omnes quatuor ſimul ſumti ceperint 120 logos. *R. Jom Tobh in Toſephoth ad cap. V. 2. Succah*. Probabile mihi videtur, ſi dicam *urceos illos* 120. *logos continuiſſe*, in ſignum memoriale annorum Moſis magiſtri noſtri, ſuper quem ſit pax, eo quod lux legis ejus ſuper nos reſplenduit, & adhuc dum ſplendet.

36 *Saltabant &c. Toſaphta Succah cap. IV.* 2. Viri pii, atque bonis operipus inſignes coram iis ſaltabant, & canebant coram iis cantica & hymnos; quid dicebant? beatus ille, qui non peccavit, & qui peccavit, ei Deus ignoſcat. Et alii dicebant: benedicta ſis mea juventus, quæ pudore meam ſenectutem non affeceris! *Qui hæc dicebant*, erant viri pij, & bonis operibus inſignes; & alii qui dicebant: benedicta ſis noſtra ſenectus, quæ juventutem noſtram expias! hi erant, pœnitentes. Hillel ſenior dicebat: in eum locum, ubi amo, mei me pedes trahunt; ſi meam domum veneris, ego veniam in tuam;

ſi in meam non veneris, ego in tuam non veniam, juxta verſiculum qui dicit: *in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi*. Exod. 20. 24. De Rabban Simeone filio Gamalielis perhibent, quod octo facibus ardentibus ſaltaret, & earum nulla in terram caderet; & cum ſeſe incurvabat, in terram digitum defigens incurvatus deoſculabatur humum, ſeſeque ſtatim erigebat &c. Levitæ vero cum cytharis & nabliis, omnique inſtrumentorum muſicorum genere, partim canebant pſalmum graduum: *Ecce nunc benedicite Dominum &c.* Pſalm. 133. alii dicebant: *extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum*. Ibid. & quando alter ab altero diſcedebat, dicebant: *benedicat te Dominus ex Sion qui fecit cœlum & terram. &c. & videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ; & videas filios filiorum tuorum pacem ſuper Iſrael. Pſalm.* 126. Duas tubas in manibus habebant; cantabat gallus, clangebant primum ſono plano, dein fracto, & iterum plano. R. Jehuda dicit; non faciebant *clangores* pauciores quam ſeptem, nec plures quam decem; tres ad aperturam portarum, qui dicebat, quod aperirentur, non dicebat, quod clauderentur, & qui dicebat quod clauderentur, non dicebat, quod aperirentur; tres coram altari; qui dicebat coram altari, non dicebat in decimo gradu, & qui dicebat in decimo gradu, non dicebat coram altari. *Maimonides Lulab VIII.* 14. Præceptum eſt, ut multiplicetur gaudium iſtud, verum hoc non faciebant Laici, nec omnes quibus lubuit, ſed magnates atque ſapientes in Iſraele, rectores Academiæ, membra Synhedrii, pietate præſtantes, ſeniores, atque viri bonis operibus clari; hi erant illi, qui ſaltabant, inſtrumenta muſica pulſabant, atque lætabantur in templo diebus feſti Tabernaculorum. Reliquus vero populus omnis tam viri, quam fœminæ acceſſerunt ut horum ſpectatores atque auditores agere poſſent.

[37] אחרות *&c. Gemara Succah* 37. Et dixit Rabba; Lulab in dextram ſumendum eſſe, & Etrog in ſiniſtram; quamobrem? R. unam *dextram decet* tria præcepta *implere*, alteram *ſiniſtram* unum. *Maimonides Lulab VII.* 9. Quando hæc quatuor extollit, ſive omnia ſimul, ſive unum poſt aliud extollat, ſive dextra, ſive ſiniſtra extollat, debito ſatisfacit, dummodo eo modo, quo naſcuntur, extollat; at ſi contra rationem, qua naſcuntur, extollat, officio non ſatisfacit, & præceptum juxta ritum eſt, ut horum trium faſciculum manu dextra, & læva malum citreum extollat.

[38] *Ex ſpatha palmarum &c. Codex Succah III.* 4. R. Iſmael vult tres ramos myrtinos, duos ſalignos, unum palmarem cum uno pomo citreo *capiendos eſſe*. Et quamvis duo, *ex myrti ramis* apicem perdiderint, *modo unus reſtet qui* eum non perdidit, *admitti*. *Imo* R. Tarphon exiſtimat, etſi omnes tres apice truncati eſſent, *tamen probari*. R. Akiba vero ait, quod ſicut palmæ ramus unus cum pomo citreo uno *ſufficiat*; ſic & myrtinum ramum, & ſalignum unum *ſufficere*. *Gemara Succah.* 34. 2. R. Iſmael ait: de fructu arboris decoræ non niſi unum *eſſe capiendum* (quia in ſingulari dicitur פרי. *Levit.* 23. 40.) de palmæ ramis non niſi unum (*quia l. c. ſcribitur* כפת *ſine* ו) de myrtinis vero tres (*quia tribus exprimitur vocabulis in textu citato numeroque plurali.*) *Maimonides Lulab VII.* 7. Quotnam ex his capere debeat? unam palmam, unum pomum citreum, duos ramos ſalicis, & tres ramos myrtinos; & ſi in ſalice, & myrto voluerit addere, ut faſciculus major fiat, id ei licet, & eſt ornamentum hujus præcepti; ſed in reliquis numerum augere non poteſt, neque minuere, ſi augeret, aut minueret, illegitimum eſt *Lulab*. R. Elias Karæus in Adderet: Non ſecundum ea, quæ dixerunt patroni Kabbalæ, quod dictum illud: *capietis vobis die primo fructum arboris Hadar*, ſignificet *qui manet in ſua arbore*, id eſt, *malum citreum*, & ramos palmarum eſſe Lulab, ubi ex ipſorum judicio deficit ו. Illam vero periodum, וענף עץ עבות explicant de arbore in qua folia ſunt quaſi triplicata ſecundum analogiam loc. Exod. 28. 14. מעשה עבות, quod triplicatum quid importat. Verum id eſt contra linguæ qualitatem; in iſto enim ע cum Kamets eſt, in hoc cum ſcheva. Sed ſapientes noſtri vocabulum עבות interpretati ſunt ſecundum rationem iſtius. Ezech. 31. 3. inter עבתים.... Et hæc cedri eſt ſpecies, licet alii accipiant de arbore piſtacea &c.

[39] *Verum Karæi &c. R. Elias in Adderet cap.* 1. *& ſequent. de Scenopegia ſcribit Karæos arbitrari*, ramos adhibitos fuiſſe ad conſtructionem Tabernaculorum, quod probant teſtimonio Eſdræ Nehem. 8. 15: *Egredimini in montem, & afferte frondes olivæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni numeroſi, ut fiant tabernacula. Abarbanel ad Levit.* 23. *fol.* 266. 3. *Karæorum ſententiam his argumentis refellit*; 1. quod ſi verſ. 40. Levit. 23. ולקחתם לכם ſumite pro vobis &c. abſolute ſumatur de feſto Tabernaculorum, una res in textu bis dicatur. 2. Quod ipſi explicent iſta verſ. 40. die primo ſolum eſſe agenda qui ergo explicare queant de opere Tabernaculorum quod eſt feſtum Domino ſeptem diebus? 3. Non reperiri in Eſdra illas quatuor ſpecies, quæ Levit. 23. 30. præcipiuntur. Denique addit, illos, qui aſcenderunt ex Babylonia Hieroſolymam, iiſdem ceremoniis feſtum celebraſſe in templo ſecundo, quo celebratum ſit in templo primo, & Lulab quatuor iſtis ſpeciebus, idemque teſtari Joſephum Gorionidem, & Doctores Miſnæ.

[40] *Quovis die &c. Codex Succah IV.* 5. Singulis diebus *ſeptem* ſemel altare circumiverunt. *Jom Tobh comment. in hunc locum*. Illi qui *altare* circumivere, nonnisi Sacerdotes erant ſemper; quamquam enim & cæteris Iſraelitis, quibus nimirum præceptum aliquod ibi exequendum eſt, ingreſſus in atrium Sacerdotum pateat, ſpatium tamen illud inter τρόνον, & altare ingredi ipſis minime licebat. *Maimonides Lulab VII.* 23. Singulis diebus ſemel altare circumibant cum Lulab in manibus ſuis &c. nunc vero Iſraelitæ ubivis locorum arcam in medio Synagogæ ponere conſuevere, quam quotidie circumeunt, eo quo olim circa altare iverunt modo in memoriam ſc. Sanctuarii. *Ezhachajim cap. II. Lulab.* Nunc mos eſt omnibus Judæorum cœtibus in medio Synagogæ arcam, in qua ſunt Legis volumina, poſitam ambiendi. Quod ſi Lulab non ſuppetant, conſtitutum eſt, ambitum non eſſe faciendum, atque is fieri debet omnibus diebus, ut memoria Sanctuarii recolatur.

[41] *At extra &c. Codex Succah III.* 12. Sumebant Lulab ſecum in Sanctuario ſeptem dies, ובמדינה *& in Provincia* unum diem. Quando autem deſtructum eſt Sanctuarium ordinavit Rabban Jochanan fil. Zacchai ut acciperent Lulab in provincia ſeptem dies in memoriam Sanctuarii. *Ubi Bartenora*. In Sanctuario ſeptem dies, uti dicitur Levit. 23. 40. *Et lætabimini coram Domino Deo veſtro ...... ſeptem diebus*; ergo in Sanctuario *lætabimini ſeptem diebus*, & non in finibus terræ Iſraelis; ובמדינה *& in provincia* Hieroſolymis (*etiam Hieroſolymis, quamvis contra ſentiant Relandus,*) quæ etiam in hoc caſu ſe habent ut finitimæ urbes. *Maimonides Lulab VII.* 13. Præceptum de Palma eſt, ut tantum die primo feſti accipiatur ubique & omni tempore, etiam in Sabbatho, juxta verſiculum qui dicit: *ſumetiſque vobis die primo*. Levit. 23. 40. Et in domo ſancta ſolum ſumebatur in omnibus feſti diebus juxta verſiculum qui dicit: *Et lætabimini coram Domino Deo veſtro ..... ſeptem diebus*; Si contigat, ut Sabbathum incidat in dies feſti intermedios, non ſumitur in Sabbatho propter dubium, ne efferat quatuor cubitos in viam publicam, ut in buccina dubitarunt. Cur non igitur idem decreverunt in primo die feſti? quia eſt præceptum Legis, etiam pro reliquis regionibus extra Hieroſolymam; deprehenditur, quod ritus primi diei non eſt idem ac reliquorum dierum ritus, cum in reliquis feſti diebus homo non teneatur ſumere Lulab niſi in domo ſancta. Poſt excidium ſanctæ domus decreverunt, ut ſumatur ubique Lulab cunctis ſeptem diebus in memoriam ſanctuarii.

[42] *Clamantes &c. Codex Succah IV.* 5. Dum hæc fiebant, clanxerunt ſono plano, dein fracto, & iterum plano. Singulis *præterea ſeptem* diebus ſemel altare circumiverunt dicentes; *o Domine ſalvum me fac, o Domine bene proſperare*. R. Jehuda ait *eos dixiſſe*; *Ego & ille ſalva nunc*. *Maimonides Lulab VII.* 23. Quotidie cum Lulab in manibus altare circumibant dicentes: *o Domine ſalvum me fac, o Domine bene proſperare*.

[43] *At ſeptimo &c. Codex Succah ibidem*. Eoque die ſepties altare circumeunt, & quum inde diſcedunt quid dicunt? *Decus ſit tibi altare, decus ſit tibi altare*,

tare. R. Elieſer ait, dixiſſe; *Domino*, *&* *tibi altare*, *Domino*, *&* *tibi altare*. *Raſchius ad Gemar. Succah. ſol.* 45. 2. *phraſi hac* יופי לך volunt dicere : *decus hoc tibi reddimus*, *quoniam tu nos expias*; *Domino autem & tibi hanc tribuimus gloriam* ; *Domino quidem confitemur quod ipſe ſit Deus noſter* ; *te vero laudamus*, *quia dilectus ipſi es propter expiationem noſtri*. *Maimonides ibidem*. Et in ſeptimo die ſepties altare circumibant. *Gemara Succah ſol.* 43. 2. Dixit Rabba Raf Iſaako; veni, dicam tibi rem magnam, quam pater tuus dicere ſolebat; id quod traddidere eos ſeptimo die ſepties altare ambire, pater tuus nomine R. Elieſeris docuit, id cum Lulab factum eſſe. *Alii alias de his ſeptem circumitionibus aſſignant cauſas*. *Auctor Schene Lucoth habberith ſol.* 245. 2. Septem illi circuitus, quibus *altare* ambiunt in Hoſchanna Rabba, myſtica figura ſunt circulationis ſeptem annorum Sabbathicorum (*quæ ſpatio* 49. *annorum fit.*) poſſunt quoque reſpicere ſeptem Sephiroth ſecundarias. Quoties vero circumeundo ad angulum *Altaris* perveniunt, vertunt ſe ad dextram, ad excitandam ſibi proprietatem τοῦ חסד.

44 *Septem dies &c. Gemara Succah ſol.* 42. 2. *Cur Lulab Sabbatho in intermediam feſti feriam cadente levare non licet*, *cum tamen hæc nonniſi* motio vulgaris *ſit*, *& Sabbatho permiſſa? quidni ergo illud pelleret?* Reſp. Rabba, decretum hoc *eum in finem factum fuit*, ne forte quis rituum ignarus Lulab capiat, *cum eo* ad virum peritum ſe conferat, ut ab eo erudiatur, ſicque illud quatuor cubitos per locum publicum portet. *Ezhach. cap. II.* In Templo die primo Lulab levabatur, quanquam is Sabbathum eſſet, reliquis autem diebus tollebatur, ſi Sabbathum non eſſent; periculum enim erat, ne quatuor cubitos in ר"ה locum multorum defferretur, atque iſte timor ad ſex reliquos dies, *non ad primum*, ex mente ſcribarum, applicandus eſt. Quod loca alia attinet, in Sabbatho, quod primus dies eſſet, levabatur in iis quibus certo calendarum fixionem Hieroſolymis factam noſſe poterant; ſed in remotioribus, in quibus ea ambigua erat, Sabbatho non tollebatur, & in omni loco, niſi in templo q. d. e. *Et lætabimini coram Domino*. *Maimonides ibidem VII.* 16. Cum ſtaret ſancta Domus, ſumebatur Lulab primo die, qui in Sabbathum incidebat, pariterque in aliis locis, ubi certo conſtabat, eum fuiſſe diem feſti in terra Iſraelis; at in locis longinquis, in quibus novilunii conſtitutio ignota erat, propter dubium non ſumebant Lulab. Poſt excidium ſanctæ Domus, decreverunt noſtri Sapientes ne ſumeretur Lulab in Sabbatho, etiamſi eſſet primus dies, interdictumque hoc eſt etiam incolis terræ ſanctæ, qui celebrarent novilunium, propter regiones longinquas, quæ ipſius novilunii conſtitutionem ignorent, ut omnes in his pares ſint, ita ut alii in Sabbatho Lulab ſumant, & alii non ſumant, quoniam præceptum primi diei omnibus eſt commune, neque a ſancta domo pendere debet. His temporibus, quibus ex calculo novilunium celebramus, nihil immutatur, nec ſumetur Lulab Sabbatho neque extra terram ſanctam, neque in terra ſancta, etiam in primo die, quamvis omnibus novilunii conſtitutio nota ſit. Et jam declaratum eſt, quod cauſa interdicti, ne Lulab Sabbatho ſumatur, ſit propter periculum, ne quatuor cubitos in locum publicum transferat.

45 *R. Jochanan &c. Codex Roſch haſchana IV.* 3. Olim geſtabat quis Lulab in templo ſeptem dies, & in provinciis uno die; deſtructo vero templo, ſtatuit Rabban Jochanan filius Zachai, ut Lulab in provinciis geſtarent ſeptem dies in memoriam templi. *Ezhach. ibidem*. Etiam in profano poſt templi ruinam Zaccaides omnibus ſeptem diebus tolli juſſit in memoriam ejus; Sabbathum autem omne excepit, quanquam fixio calendarum certa ſit, & id in diem primum incidat. *Maimonides ibidem*. Poſt excidium ſanctæ domus, decreverunt, ut Lulab ſumeretur ubique cunctis ſeptem diebus feſti in memoriam ſanctuarii, & ſingulis diebus fiat benedictio : *qui ſanctificavit nos præceptis ſuis*, *præcepitque nobis ſumere Lulab*; quia ſapientum præceptum eſt, & hæc conſtitutio una cum reliquis omnibus, quas decrevit Rabban Jochanan filius Zachai poſt excidium ſanctæ domus, quando reædificabitur, *antiquabitur*, priſtinique ritus inſtaurabuntur.

46 *Sed qua altare &c. Codex Succah IV.* 5. Qua ra-

tione præceptum de Salice exequebantur? Locus erat infra Hieroſolymam *Moza* dictus, in quem deſcendentes colligebant ibi ramos ſalignos, indeque reverſi, eos erigebant ad capita Altaris, capitibus eorum ad altare incurvatis. *Maimonides ibidem VII.* 20. Conſtitutio Moſis (*humana potius*) e Sinai eſt, ut in Templum adhuc aliam introducant ſalicem præter eam, quæ in Lulab eſt; hæc vero probatur, & ſi unicum tantum folium in ſingulo ramo ſupereſſet.

47 *Si dies ſeptimus &c. Maimonides ibidem*. Quomodo fiebat executio hujus præcepti? ſingulis ſeptem diebus afferebant faſciculos ſalicis, eoſque erigebant ad latera altaris, capitibus eorum ſuper verticem altaris incurvatis. Cum eos colligerent, ac diſponerent, clangebant ſono plano, dein fracto, & iterum plano : ſi Sabbathum in dies feſti intermedios incideret, non erigebant ſalices; ſi Sabbathum in ſeptimum diem incideret, tum eas erigebant, ad oſtendendum his tale eſſe præceptum. Quomodo tum agebant? Eas afferebant in vigilia Sabbathi in domum ſanctam, eaſque vaſis aureis imponebant, ne flacceſcerent frondes, & poſtero die ſuper altare erigebant, & adveniens populus illinc ſumebat, iiſque utebatur, quod quolibet alio die fiebat; & cum præceptum hujus ſalicis non ſit ex Lege, non ſumitur cunctis ſeptem diebus feſti in memoriam ſanctæ domus, ſed die ſeptimo tantum his temporibus ſumitur. Quomodo fit? Sumunt ramum unum, aut plures ſalicum, præter eum, qui Lulab junctus eſt, & percutiunt iis fundum Synagogæ, aut vas aliquod duabus aut tribus vicibus abſque recitatione benedictionis, quoniam hæc res ex conſuetudine prophetarum tantum fuit. *Idem ad cap. IV. 3. Codicis Succah.* Quod dicitur de hac ſalice eſt traditio Moſis de Sinai, ut ſumatur ſalix præter ſalicem rami Lulab; ſolebant autem prophetæ eam ſumere ſine benedictione. Et non dicimus quod pellit Sabbathum die primo, quia caſus illius non erat manifeſtus, ſed dicebant propter honorem rami, quem eo die ſumebant, ſalicem ſumebant. Neque etiam dicimus, quod Sabbathum pellit, quod venit in medio feſto, ne dicant, quod quemadmodum ſalix pellit Sabbathum, ſic etiam ramus Sabbathum pellit. Sed jam expoſuimus, quod ramus non pellit Sabbathum, quod venit in medio feſto, ſed dicimus quod Sabbathum pellit, quando inciderit in diem ſeptimum, ut memoria ipſius revocetur, & conſtet, quod debitum ſit.

48 *Faſcem ramorum &c. Toſaphta Succah III.* 1. Lulab pellit Sabbathum in principio, & ſalix in fine. Contigit, ut Baithuſæi impoſitis magnis lapidibus eam in vigilia Sabbathi abſconderint; cum id populus ſenſiſſet, multi concurrentes, trahenteſque ſalicem, quæ Sabbatho lapidibus operta fuerat, eduxerunt, quia non concedunt Baithuſæi, quod ſalicis percuſſio pellat Sabbathum.

49 *Hymnum ſacrum &c. Tzeror Hammor ſol.* 102. *col.* 4. In feſto *Tabernaculorum* quolibet die integrum canunt Hallel, ſecus ac in Paſchatis feſto, ubi Hallel integrum non recitatur niſi duobus diebus primis tantum. Ratio eſt, quod Iſraelitæ cum Paſcha *primum* celebrarent, nondum in perfectione fuerint, quoniam Lex iis nondum data erat cœlitus. Quin & poſt Legislationem nondum ad perfectionem venerant ob fabricationem vituli aurei, quæ tranſgreſſio iis non condonatur uſque ad expiationis diem. Verum poſt M. expiationis diem ſummum quaſi gradum attigit eorum perfectio, ideoque Tabernaculorum feſtum principale eſt omnium cæterorum feſtorum; quare & in eo integrum Hallel ſingulis diebus canitur.

50 *Habitationem &c. Siphra ad Levit.* 23. 42. *ſeptem diebus*; non probo niſi pro diebus; noctes unde probantur? argumento probatur : dictum eſt hic *ſeptem*, in tentorio conventus dictum eſt etiam *ſeptem diebus*; ſicuti in ſeptem diebus dictis in tentorio conventus, conſideratæ fuerunt tam noctes, quam dies; ita in ſeptem diebus hoc loci dictis, conſiderandæ erunt æque noctes, ac dies. Sed hoc alio modo argumentari potes : dictum eſt hic ſeptem diebus, & dictum eſt in Lulab ſeptem diebus; ſicuti in ſeptem diebus de Lulab dictis non conſiderantur noctes æque ac dies, etiam in ſeptem diebus hoc loci dictis non erunt conſiderandæ noctes æque ac dies. Videamus, cui ſit ſimile; explicandi ſunt ſeptem, qui toto die perpetui ſunt, ex ſeptem, qui toto die ſint perpetui, nec probent dies ſeptem Lulab, qui toto die non erant

continui. Sed potes etiam hoc modo argumentari: explicandi sunt septem dies, qui a generationibus observandi sunt, ex septem diebus, qui a generationibus sunt observandi, neque probent septem dies tentorii conventus, qui a generationibus non observantur. *Et habitabitis . . . . . septem diebus;* a pari; quemadmodum in eo, quod dicitur: *de ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus*. Levit. 8. 33. considerantur noctes æque ac dies; ita in hoc quod dicitur, *& habitabitis . . . . septem diebus* considerandæ sunt noctes æque ac dies. *Maimonides Lulab VI.* 2. Quando die septimo comestioni finem imposuerit, non destruet tabernaculum suum, sed vasa educet, & inferet; & cum advenerit hora orationis vespertinæ, si ei non fuerit locus recondendi vasa, minuet *tabernaculum* quatuor palmis quadratis; & si iterum eo die comedere voluerit, in tabernaculo comedat necesse est, quia præceptum ejus se extendit ad integrum diem septimum &c. Nostro tempore, ubi duos facimus dies festos, octo dies Tabernaculum incolimus; verum die octavo, qui dies bonus primus festi שמיני עצרת est, sedemus in Tabernaculo, sed benedictionem de incolendo Tabernaculo non recitamus.

[51] *Et libamen aquæ &c. Maimonides Temid. Umusaph. X. 6.* Omnibus septem diebus aquas libant super altare.

[52] *Tibiam &c. Raschius in glossa*. Hæc est tibia illa qua canebant ad augendam lætitiam domus haustionis &c. ad augumentum lætitiæ, atque ex Lege non est, sed tantum amoris erga præceptum indicium; hinc Sabbathum non pellit. *Bartenora ad cap. IV. Codici Succah. Et tibia*, in domo haustionis gaudebant in festo Tabernaculorum propter honorem aquæ quæ inde hauriebatur ad effundendum, & modulabantur tibiis, & cytharis, & hæc lætitia non pellebat Sabbathum, neque diem festum. *Tosaphta Succah. IV.* 10. Tibia pellit Sabbathum in principio, verba R. Jose filii R. Jehudæ, & Sapientes dicunt, ne diem quidem festum pellit.

[53] *Exacto primo &c. Maimonides de sacris solennibus cap. III.* Præceptum erat jubens ut Israelitæ simul omnes, viri, mulieres, pueri, puellæ congerentur exacto septimo quoque anno tum cum festum umbraculorum tempus celebraturi ad templum Dei contendissent, atque ut in unum coactis e Lege divina prælegerentur ea capita, quibus vehementer excitarentur ad officia, & in colenda religione pura confirmarentur; quod a Lege quidem sic edicitur: *Post septem annos, anno remissionis in solennitate Tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Israel, ut appareat &c. & in unum omni populo congregato tam viris quam mulieribus, parvulis & advenis, qui sunt intra portas tuas &c. Deut.* 31. 10. 11. 12. *Abarbanel in Leg. fol.* 403. 2. 3. *Cum enim Lex esset divina, decens erat*, ut non recederent verba ejus ab ore nostro, & ut in ea meditaremur die ac nocte. *Dicit* causam hujus fuisse, quod Deus prospexerit, verba Legis grata, & dilecta esse, & præter doctrinam particularem, quod proprium ministerium erat Sacerdotum, & Levitarum, & Sapientum, & Judicum, ut illi docerent Legem, & in ea meditarentur die ac nocte, Deum ordinasse, ut insuper publice in magna pompa maximus in populo, qui erat Rex aut Judex, prælegeret librum Legis coram toto Israele, ut eam audiret, & afficerentur eorum corda ex verbis & honore loquentis, & legentis. Si hoc autem contigisset quolibet anno, in oculis eorum hanc rem levem visam fuisse juxta sermonem Salomonis Prov. 25. 17. *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando satiatus oderit te*. Deum ideo præcepisse, ut lectio Legis non esset in quolibet anno, sed in anno Sabbathico, quia isto anno ab omnibus occupationibus, aratione, satione, messe, cæterisque agriculturæ laboribus erant liberi. Levit. 25. 20. 21. & quidem in festo Tabernaculorum, quia tunc omnes proventus anni præcedentis erant collecti, quibus animus ante collectionem sollicitus reddebatur.

[54] *Prælegebat rex &c. Maimonides ibidem*. Hæc autem erat prælectionis ejus via, & ratio; buccinarum cantus, quo populus convocaretur, Hierosolyma dabatur tota; tum extructum e ligno pulpitum ponebatur medio in atrio mulierum; in hoc pulpito rex se collocabat, quo melius inde audiretur populo prælegens id quod supra dictum est; scilicet regem undique circumfundebant omnes Israelitæ, qui statas umbraculorum ferias celebraturi templum petierant; hic æedituus volumen Legis sanctæ ex arca depromebat, & idem hoc tradebat principi Synagogæ; princeps idem illud tradebat vicario, vicarius summo Pontifici, summus Pontifex Regi, cujus adeo majestas magno hominum ei ministrantium numero cohonestabatur. Rex volumen illud stans accipiebat, idemque sedens, si mallet, deinceps hoc aperiebat, inspiciebat, atque precem fundebat eam, quam solent omnes in Synagogis aliquid e Lege populo prælecturi, prælegebatque capita Legis illa, quæ supra commemoravimus: his perlectis volumen illud convolvebat, rursusque Deum venerabatur ita, ut fere fit in Synagogis. *Tosaphta Sotah* VII. 8. Pulpitum ligneum ei statuebant in atrio, & in eo *regem* collocabant. R. Eliefer filius Jacobi dicit, in monte Templi, juxta versiculum qui dicit: *& legit in eo aperte in platea, quæ erat ante portam aquarum, de mane usque ad medium diem &c. Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum. &c. Et aperuit Esdras librum coram omni populo &c. Et benedixit Esdras Domino Deo magno, & respondit omnis populus, Amen, Amen &c. Nehem.* 8. 3. 4. 5. 6. & in alio textu legitur: *cumque vidisset regem stantem super gradu in introitu, & principes, turmasque circa eum, omnemque populum terræ gaudentem, atque clangentem tubis &c.* 2. Paral. 23. 13.

[55] *Ab initio &c. Maimonides ibidem*. Prælegebat ergo populo *Deuteronomii* principium ad extremum usque caput, cujus prima verba sunt: *Audi Israel*; inde protinus ibat ad caput illud, cujus initium est; *si autem audieris vocem Domini tui &c.* quo toto perlecto redibat ad istum ejus libri locum: *Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos*, & consequentia deinceps ordine prælegebat, omnino precationes faustas, & diras itidem execrationes omnes ad hæc usque verba: *præter illud fœdus quod cum eis pepigit in Horeb*, & post hæc effata legendi finem faciebat. *Tosaphta Sotah ibidem*. Legebat ab initio Deuteronomii usque ad *Audi Israel*, & deinde sectionem, *si autem audieris &c. Decimam partem separabis &c. Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum &c.* & sectionem de Rege, quam integram legebat &c.

[56] *Octavus dies &c. Siphri ad Num.* 29. 35. *Die octavo* עצרת *erit vobis*, retinet textus, ne exeat; quod si qui attulisset sua sacrificia a Beth-Phage in Hierusalem, ego crederem, quod comedere deberet Hierosolymæ, & morari in Beth-Phage; ideo dictum est, *die octavo* עצרת *erit vobis*, textus retinet ne exeat; hæc detentio nihil aliud ostendit nisi impedimentum, quo exitus prohibetur. Et pariter dictum est; *ego clausus sum, nec valeo ingredi domum Domini*. Jerem. 36. 5. *Et factum est verbum Domini ad Jeremiam secundo, cum adhuc clausus esset*. Jerem. 33. 1. ego non probo nisi pro ultimo die, ne exire posset; pro primo die unde probatur? Est argumentum; Hic vocatur convocatio sanctitatis, & ille vocatur convocatio sanctitatis, sicut in hoc prohibetur exitus, etiam in illo exitus interdicitur *Abarbanel ad Levit.* 23. *fol.* 261. 4. & 262. 1. Quum autem die septimo festi Tabernaculorum detentus est unusquisque Hierosolymis ad festum celebrandum cum gaudio, vocabatur Atzereth *detentio*.

Festum singulare &c. Chask. ad Num. 29. 35. Die octavo dicitur, non vero & die octavo, sicut præcesserat: & die secundo, & die tertio &c. ad docendum quod octavus sit festum per se, & singulare.

[57] *Nec habitabant &c. Codex Succah* IV. 8. Festum tabernaculi septem, quomodo? Quando comestioni finem imposuerit, non destruet tabernaculum suum, sed vasa educet, inde a tempore sacrificii Minchæ & deinceps propter honorem ultimi diei festi.

[58] *Et illo offerebantur &c. Maimonides in præfatione ad Codicem Sevachim*. Sed octavo festi Tabernaculorum die offerebatur accessorium præter duo jugia, quod constabat ex juvenco, ariete, septemque agnis, omnes in holocausta, & unus hircus in expiationem pro peccato. *Abarbanel in præfatione ad Leviticum cap. III.* Ad octavam Tabernaculorum solennitatem adeo præcipuam extra sacrificia jugia ma-

ctabantur juvencus & aries, & agni septem, cunctisque fiebant sacrificia solida, tum etiam hircus, quo fiebat sacrum piaculare.

[59] *Sed ad sortes &c. Raschius in glossa Succah.* Die octavo redibant ad sortes, ut in cæteris festis; nam juvencus ille unus, aries unus, septemque agni die octavo oblati, non offerebantur juxta ordinem oblationis in festo Tabernaculorum observatum; hic enim ordinem classium sequebatur. Verum ad hæc sacrificia omnes conveniebant classes, sorteque ea inter se distribuebant, ut in cæteris festis fieri consuevit, ubi victimarum numerus non tam magnus est, ut juxta ordinem classium offerri possent, ita ut omnes æquales in iis haberent partes, ideoque die octavo omnes sortiebantur classes, quibus itaque sors favit, illæ sacrificia hujus diei faciebant. In codice autem Joma exponitur, quomodo sortem sint expertæ.

[60] *His literis &c. Gemara Succah* 48. 1. Dies octavus רגל בפני עצמו לעניין פז״ר קש״ב est festum singulare secundum literas hasce notericas פז״ר קש״ב *quibus designantur.*

I. [61] פיים, sortilegium. *Glossa.* Quoad juvencos festi septiduani non habitum est sortilegium, ut determinaretur quænam Ephemeria eos offerret, quia in ordine eos obtulerunt &c. ast die octava habitum est sortilegium. *Tosaphta Succah IV.* 11. Omnes custodiæ iterum, ac tertio offerebant juvencos, exceptis duabus ultimis, quæ bis, & non tertio offerebant. R. Eliesar filius Parta, & R. Eliesar filius Jacobi dicunt, non fiebat sortilegium pro adipibus hirci, sed qui ferebat membra ad collem, ferebat etiam adipes hirci. Aba Jose filius Chanan dicit: nullum fiebat sortilegium pro custodiarum principibus, & reliqui ex custodiis in gyrum sequebantur. R. Chanania filius Antigoni dicit, non fiebat sortilegium nisi in primo tantum festi die; & in cunctis reliquis festi diebus in gyrum sequebantur. Quomodo fiebat sortilegium? Ingrediebantur in conclave cæsi lapidis, & in ordine circulari instar coronæ consistebant, veniebat præfectus, & uni eorum pileum de capite sumebat; hinc constabat, quod ab illo sors numerandi inciperet; non educebant duos digitos, sed singuli singulos; nonnulli duos educebant, sed unus tantum numerabatur. R. Jehuda dicit: non fiebat sortilegium pro lance, sed is, cui sors obtigerat suffimenti adolendi, dicebat illi, qui sibi proximus erat, tu quoque sume lancem. Postremo die festi Tabernaculorum, seorsim fiebat sortilegium. *Maimonides Temid.* X. 13. Jam octavo Tabernaculorum die itidem, ut cunctis diebus solennibus rursus ad sortes ducendas omnes in unum conveniebant, sicut alio loco posuimus.

II. זימון, Peculiaris benedictio per seipsam. *Tosaphta Succah ibidem.* Peculiaris benedictio temporis recitabatur.

III. רגל בפני עצמו. Festum per se ipsum. *Glossa.* Nam hoc die non sederunt in tabernaculis. *Tosaphta Succah ibidem.* Erat festum per se ipsum.

IV. קרבן בפני עצמו, Peculiare sacrificium. *Maimonides ibidem.* Octavus dies erat solennitatis *clausula*, cujus diei nomine sacrificiis quotidianis addebantur juvencus & aries, & agni septem, qui mactabantur omnes in holocausta; porro pro separato quodam sacrificio extraordinario mactabatur hircus in hostiam pro peccato.

V. שיר בפני עצמו, Canticum per se ipsum. *Tosaphta Succah.* Et canticum habebat peculiare. *Singulis Tabernaculorum festi diebus singulare quoddam a Levitis canebatur carmen. Maimonides ibidem.* Per Tabernaculorum ferias singulis diebus dei eo, quod addebatur sacrificiis quotidianis, sacrum separatum quoddam canebant carmen; ac dierum intercisorum primo canebant: *Afferte Domino filii Dei &c.* Psalm. 28. 1. secundo: *Peccatori autem dixit Deus &c.* Psalm. 49. 16. Tertio: *Quis consurget mihi adversus malignantes.* Psalm. 93. 16. Quarto; *Intelligite insipientes in populo &c.* 93. 8. Quinto: *Divertit ab oneribus dorsum ejus &c.* 80. 7. Sexto: *Movebantur omnia fundamenta terræ.* 81. 5. Quod si in harum feriarum unam Sabbathum incideret, carmen illud: *Movebantur*, omittebatur.

[62] *Non pro Israelitis &c. Gemara Succah fol.* 55. 2. Erant septuaginta juvenci secundum septuaginta nationes mundi. At quid juvencus singularis? Pro gente singulari (*Judaica*). Parabola. Simile hoc est Regi carnis & sanguinis, qui dixit servis suis, parate mihi convivium magnum. Ast die postremo dixit amico suo: para mihi convivium parvum, ut a te accommoder: *Glossa.* Offerunt septuaginta juvencos pro septuaginta nationibus ad expiationem faciendam pro iis, ut pluvia descendat super totum mundum; nam in festo Tabernaculorum judicium fit quoad aquas. *Bemidbar Rabba sect.* 21. Die octavo erit feria; hoc est quod dicit Scriptura: *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.* Psalm. 108. 4. Tu comperis, o Deus, quod Israel in festo Tabernaculorum offert coram te septuaginta juvencos pro septuaginta nationibus. Dicunt ergo Israel: O Domine Deus, ecce nos offerimus pro his septuaginta juvencos, unde congruum est, ut nos ament; ast illi sicut dicitur: *pro eo ut nos diligerent, detrahebant nobis.* Dicit ergo iis Sanctus Benedictus, nunc ergo offerte pro vobismetipsis die octava .... Parabola. Simile hoc est Regi, qui fecit convivium septem dierum, atque invitavit omnes homines in provincia septem diebus convivii. Ast cum jam præterierant septem dies convivii, dicit amico suo, præstitimus jam officium nostrum erga homines urbis, revertamur jam ego & tu, ad quodcunque occurrerit, sitne vel libra una carnis, aut piscis, aut oleum. Sic dicit Sanctus Benedictus Israeli; die octava erit vobis feria &c.

VI. ברכה בפני עצמו, benedictio diei per se. *Tosaphta Succah ibidem.* Et benedictio peculiaris juxta versiculum qui dicit: *& in die octava dimisit populos, qui benedicentes Regi &c.* 3. Reg. 8. 66. Crederem, quod noctu ibi morari non tenerentur? ideo dicit: *& in die octava dimisit populos, qui .... profecti sunt in Tabernacula sua.* Quo pacto igitur erat? dimissi fuere, dum adhuc dies esset, & summo mane surgentes profecti sunt. *His adde, quæ eo loco leguntur:* tenetur homo ad decantandum Hallel, tenetur etiam ad lætandum, & tenetur ad honorandum diem ultimum (*sc. octavum*) festi sicut reliquos dies festi.

[63] *Sed & tristitiæ &c. Codex Chethubboth VI.* 6. Etiam pauperrimus in Israele, *uxore mortua*, non præbebit ei minus quam duas tibias, & unam lamentatricem. *Maimonides* אישות XIV. 23. Mortuam uxorem tenetur *maritus* sepelire, & lamenta & luctus ei facere secundum morem omnium regionum; atque etiam pauperrimus inter Israelitas præbebit ei non minus quam duas tibias, & *unam* lamentatricem; si autem dives sit, fiant omnia secundum ejus dignitatem.

[64] *Erant duodecim &c. Gemara Hieros. Succah fol.* 55. 1. Duodecim diebus in anno tibia canebatur coram altari; nimirum die quo mactabatur Pascha primum, die quo mactabatur Pascha secundum, die item primo hebdomadis Paschalis, die Pentecostes, octo denique diebus festi Tabernaculorum. *Raschius in glossa ad Erach.* 11. 3. Tempore oblationis musica ista obtinebat; in illis enim duodecim diebus Levitæ alta voce canebant Hallel, concinentibus tibiis; reliquis vero anni diebus, instrumenta musicæ ordinariæ erant nablia, cymbala, cytharæque; cantica vero *singulis hebdomadæ diebus usitata ea erant*, quæ describuntur Gem. Rosch haschana fol. 31. *Maimonides de vasis Sanctuarii* III. 6. Omnino duodenis in anno diebus ad aram tibiis canebant, ad immolationem Paschatis primi, ad immolationem Paschatis secundi, ad primam feriam solennitatis Paschalis, ad primam feriam solennitatis hebdomadarum, & per octo dies solennes Scenopegiorum. Atque hæc quidem adhibebatur tibia contra legem de Sabbatho; pertinebat enim ad sacrificium, quicquid autem ad sacrificium pertinebat, pro sacrificio ipso putabatur; sacrificium autem de Sabbatho legem elevat.

CAPUT SEXTUM.

De die Expiationis.

§. I. Nomina.

I. DIes decimus menſis Tiſri, ſive dies expiationis *κατ' ἐξοχὴν* יומא a Talmudicis appellatur, aut יום סליחה ומחילה *dies placationis*. *Gem. Bava bathra* 121. 1. ἡμέρα ἐξιλασμȣ̃ interpretibus Alexandrinis, alias & יום הכפורים dies expiationum, quod non pro ſingulari quodam peccato, [1] ſed pro peccatis totius anni expiatio fiat: quare & illo die [2] Satanæ nullam poteſtatem in gentem Judaicam eſſe volunt, ut reliquis diebus 364. totius anni, quem numerum per Gematriam efficit vox השטן *Gem. Joma*, *fol.* 20. *fac.* 1. Quo ſpectant ea quæ leguntur in *Midraſch ſchir haſſchirim*. 9. 1. ad illuſtrationem verborum quæ ſcripta ſunt *Cant.* 1. 5: שחורה אני כל ימי השנה ונאוה אני ביום הכיפורים *nigra ſum, videlicet omnibus diebus anni, at pulcra ſum, videlicet die expiationis*. Etiamſi vero ſacrificia piacularia offerri non poſſint, uti nunc templo everſo, tamen diem expiationis recte ita dici putant [3] quod ipſe dies expiet. *Siphra fol.** 188. 1. Quod ſi nec per diem expiationis nec mortem peccata expiari queant, unica reſtat סקילה אחר המיתה *lapidatio poſt mortem* quæ & in noſtra regione aliquando fit, ſi aut vir aut fœmina eam poſt mortem fieri voluerint gravium ſibi peccatorum conſcii. Appellatur hic dies quoque צומא רבא *jejunium magnum* in *Midraſch Ruth.* 46. 4. & *Echa Rabbati.* 80. 1. Græcis νηςεία *jejunium*, uti *Act.* 27. 9. & in ſcriptis Joſephi & Philonis: atque ita *jejunium* nuncupatur a Tertulliano, *lib. adverſus Judæos; duorum hircorum qui jejunio offerebantur*. Erat יום טוב, atque ita appellatur in *Taanith.* IV. 8. at in *Gem. Peſachim* 50. 2. videtur diſtingui ערב יום הכיפר' a ערב י״ט. [4] Cavebant autem ne hic dies incideret in אגו *agu*, i. e. primum, tertium, & ſextum diem hebdomadis.

§. II. Antecedentes dies novem quales.

II. [5] Dies qui inter initium novi anni, id eſt, primum Tiſri & diem hunc expiationis intercedunt, appellantur ימי תשובה *dies converſionis*; animorum videlicet ad Deum, ita ut dies expiationis ultimus ſit, atque ita decem ejuſmodi dies numerentur. *Gem. Roſch. haſſchana.* 18. 1. & in *Gem. Hier. Roſch haſſchana* 57. 1. *Gem. Hier. Biccurim.* 64. 4. & hos indicari volunt per כעשרת *dies*, 1. *Sam.* 25. 38. poſt quos Nabal, non acta pœnitentia, mortuus eſt. Dies autem duo præcedentes diem expiationis ימים נוראים *dies terribiles* appellantur: & jam tum cilicium, סרגנס, induunt.

§. III. Sanctitas.

III. Summa erat hujus diei ſanctitas, & [6] cum jejunio, ac omiſſione operum ab unoquoque celebrari debuit. *Levit.* 23. 27. In *Siphra fol.** 252. 2. ea quæ interdicta ſunt hoc die ad ſex capita referuntur, אכילה שתייה רחיצה סיכה תשמיש המטה ונעילת הסנדל, [7] *edere, bibere*, [8] *lavari*, [9] *ungi*, [10] *re venerea uti*, [11] *& calceis indui coriaceis*. Ipſo die nono præcipiti in occaſum [12] jam incipiebat jejunii & quietis obſervatio, duravitque paulo ultra finem diei decimi: quo ſenſu dici volunt *Levit.* 23. 32. *nono die menſis veſperi, a veſpera ad veſperam, ſabbathum veſtrum in ceſſatione ab opere tranſigetis*. In Judæa certe non niſi aves & piſces edebant die nono, ſed in Galilæa etiam carnem; exacto autem die veſperam & noctem cum amicis hilarem agebant [13] & pontifex maximus & alii: quo referenda reor verba Theodoreti, *quæſt.* 22. in Leviticum: ἀλλ' οἱ Ἰȣδαῖοι κατ' αὐτὴν τὴν ἡμέραν ȣ̓ σκυθρωπάζȣσιν, ἀλλὰ γελῶσι καὶ παίζȣσι, καὶ χορεύȣσι καὶ ἀκολάςοις ῥήμασι καὶ πράγμασι κέχρηνται, ἄντικρυς τῷ νόμῳ μαχόμενοι; ipſo enim die decimo ante ſolis occaſum hæc a Judæis non patrari certum eſt.

§. IV. Tempus.

IV. [14] Cur dies decimus menſis Tiſri a Deo deſtinatus ſit ſolenni huic expiationi, inter Judæos non convenit. Quidam volunt Adamum a peccato ſuo reſipuiſſe hoc die, alii Abrahamum eo circumciſum, alii denique Moſen tertia vice de monte Sinai deſcendiſſe poſt 40 dierum jejunium, ter repetitum *Deut.* 9. 9. 18. & *cap.* 10. 10. & Deum cum populo ſuo reconciliatum nunciaviſſe. *Gem. Bava batra.* 121. 1.

§. V. Præparatio ante hunc diem.

V. Quibus ritibus celebrari ſoleret ſtante templo II. ſolennis hic dies, copioſe traditur in codice *Joma*, unde primum illa quæ hunc diem antecedebant, & præparationis locum tenebant, notabimus, & deinde illa quæ ipſo illo die erant peragenda. [15] Septem diebus ante diem expiationis ſecedebat pontifex maximus ædibus ſuis relictis in conclave Parhedrin, & ſingulis his diebus, [16] ut ſe cultui ſacro aſſuefaceret, ſanguinem ſacrificii jugis ſpargebat, adolebat ſuffitum, aptabat lychnos, & caput pedemque agni offerebat. [17] Die tertio & ſeptimo hujus ſeptidui pontifex vaccæ rufæ cinere adſpergebatur: [18] Seniores ſynedrii legebant coram eo ſacrum codicem & exponebant ritus diei expiationis. Tradebant quoque eum ſenioribus ſacerdotum, [19] qui eum adjurabant, ne mores Sadducæorum in adolendo ſuffitu imitaretur: nam omnia quæ

ſacra

ſacra & cultum Dei publicum ſpectabant fieri conſueverunt ex ſententia Phariſæorum, uti Joſephus notat. *Antiq.* XVIII. 2. Et tamen ex Sadducæis aliquando nonnulli ad pontificatum evecti ſunt. *Joſeph. Antiq.* XX. 8. [20] Ipſa autem nocte diei decimi parce cœnare debuit, & a cibis libidinem concitantibus abſtinere, ne in ſomnum incideret, quem juniores ſacerdotes ab eo arcebant, ne pollueretur.

§. VI. Ordo ſacrorum ipſo die expiationis.

VI. [21] A media nocte miniſterium hujus diei cepit exordium, in quo præcipuæ fuere partes pontificis maximi qui quinquies corpus ſuum, manus, ac pedes decies & ſexies, ac toties mutare veſtes debuit; quamvis enim una lotio totius corporis, טבילה dicta, [22] ſufficeret alio tempore, ut per totum diem ſacris poſſet operari, volunt tamen Judæi hoc die feſto ad [23] ſingula miniſteria lotiones inſtitutas fuiſſe. Hæc lotio fieri debuit, ut in *Jom.* III. 3. legitur, [24] etiamſi quis mundus eſſet, ab unoquoque homine atrium templi ingreſſuro ut miniſtraret. In tabernaculo nonniſi manuum & pedum lotio, קירוש dicta, a Deo ſacerdotibus ad altare acceſſuris, vel intraturis in ſanctum mandata eſt. *Exod.* 30. 20. Quando autem manus & pedes lavit pontifex maximus, non ut alias ex labro æneo, ſed cothone קיתון aureo id fiebat. *Joma* IV. 5. [25] Ipſe ordo ſacrorum peragendorum ex hac tabella perſpicue intelligitur.

1. [26] Exuit pontifex maximus veſtes communes, & *corpus* lavit.
2. Induit veſtes aureas, & lavit *manus ac pedes*.
3. [27] Jugulavit agnum ſacrificii jugis, adolevit ſuffitum, aptavit lychnos, obtulit ſacrificium juge, cruſtula & libamina: dein juvencum & 7 agnos diei feſti, & lavit *manus ac pedes*.
4. [28] Exuit veſtes aureas & *corpus* lavit.
5. Induit veſtes albas & lavit *manus ac pedes*.
6. [29] Peregit cultum illi diei proprium, initium ducens [30] a confeſſione pro ſe & familia, & impoſitione manuum in juvencum ſuum, [31] ſortione de hirco utroque, [32] reditu ad juvencum, ac confeſſione pro fratribus ſuis ſacerdotibus, & poſtea ejus jugulatione. [33] Deinde in ſanctum ſanctorum ingreſſus prima vice adolevit ſuffitum, ſecunda ſanguinem juvenci ſparſit, tertia hirci a ſe jugulati ſanguinem ſparſit, & ſancto ſanctorum egreſſus, [34] dimiſſo hirco altero redit ad juvencum & hircum, quorum ſanguinem in æde ſacra ſparſerat, [35] & ablegmina tum juvenci tum hirci cremandi exemit, & lavit *manus ac pedes*.
7. [36] Veſtes albas exuit, & *corpus* abluit.
8. Induit veſtes aureas & lavit *manus ac pedes*.
9. [37] Obtulit hircum piacularem, arietem pro ſe, & arietem pro populo in holocauſta: tum ablegmina juvenci & hirci comburendi obtulit, & juvencum ipſum hircumque, pelle ſua haud nudatos, aliis comburendos dabat extra urbem, ἐν τοῖς προαστείοις ἐν τόπῳ καθαρωτάτῳ ut Joſephus loquitur *Antiq.* III. 10. [38] Deinde ſacrificium juge veſpertinum fecit, & lavit *manus ac pedes*.
10. [39] Exuit veſtes aureas & *corpus* lavit.
11. [40] Induit veſtes albas & lavit *manus ac pedes*.
12. [41] Intravit in ſanctum ſanctorum, ut acerram & πυρεῖον repeteret, & lavit *manus ac pedes*.
13. [42] Veſtes albas exuit & *corpus* lavit.
14. [43] Veſtes aureas induit & lavit *manus ac pedes*.
15. [44] Adolevit ſuffitum veſpertinum, lychnos accendit, & lavit *manus ac pedes*.
16. [45] Exuit veſtes aureas & communes induit.

§. VII. Sacrificia illius diei 15

VII. [46] Quindecim erant victimæ quas hoc die offerebant, duodecim holocauſta & tria ſacrificia piacularia. In his publica erant tredecim, privata, pontificis videlicet, duo tantum, aries in holocauſtum & juvencus in ſacrificium piaculare פר חטאת ואיל לעולה, quæ tamen, privata licet, publicis erant ſimilia quod ſabbathum & immunditiem pellerent. [47] Sunt autem hæc: duo agni ſacrificii jugis, juvencus, aries, & agni 7. in holocauſtum, diei feſti cauſa, recenſiti *Num.* 29. 8. & 11. aries pontificis in holocauſtum, hirci duo piaculares, quorum alter veſperi comedebatur, & ſanguis ejus adſpergebatur altari exteriori, alter comburebatur, & ſanguis ejus inferebatur ſancto. Denique erat juvencus piacularis pontificis maximi qui comburebatur, ſic ut eſſent agni 9, arietes 2, hirci 2, & juvenci 2. [48] Sunt qui duos arietes inter ſacrificia publica hujus diei numerent, ſic ut unus fuerit diei feſti cauſa oblatus, alter ille, qui *Levit.* 16. 2. memoratur. Joſephus etiam *Antiq.* III. 10. recenſens ſacrificia hujus diei numerat duos arietes publicos, & unum privatum pontificis.

Ταῦρον

Ταῦρον.	1
Κριὸς δύο.	2
Ἄρνας ἑπτά.	7
Ἔριφον ὑπὲρ ἁμαρτάδων.	1
Ἔριφον ὃν χαίσσι ἐν προαστείοις.	1
Ταῦρον Ἀρχιερέως.	1
Κριὸν Ἀρχιερέως, ὁλοκαύτωμα.	1
adde ſacrificia jugia, agnos duos : fient	16

Sed notandum eſt pro κριὸς δύο (quod in Græcis Joſephi codicibus nunc legitur) legiſſe veterem interpretem Epiphanium κριὸν, quia reddit *arietem*, ſic ut 15 victimæ fuerint. Sed alii eundem fuiſſe putant arietem feſti cauſa oblatum, & pro populo; cui ſi addatur aries pontificis maximi, ſacrificium privatum, duo tantum arietes hoc die oblati fuerunt.

§. VIII. Pontificis maximi introitus in ſanctum ſanctorum.

VIII. Præcipua hujus diei ſolennitas conſiſtebat in eo quod [49] hoc die ſolo in ſanctum ſanctorum pontifex maximus introiret. Tum quidem pontifex maximus ſummum gradum honoris adipiſcebatur quum in ſancto ſanctorum eſſet. Philo *lib. de ſomniis pag.* 1134. non dubitat ei dignitatem inter Deum & reliquos homines mediam tribuere illo tempore, & μεθόριον τῆς θεοῦ φύσιν, τῆς μὲν ἐλάττονα, ἀνθρώπου δὲ κρέιττονα. Verum male id confirmat verbis ſacri codicis, in quo ſcriptum ſit : ὅταν εἰσίῃ εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων ὁ ἀρχιερεὺς ἄνθρωπος οὐκ ἔσαι, *quum ingredietur pontifex maximus in ſanctum ſanctorum, homo non erit*. *Levit.* 16. 17. ita non legitur, ſed : [50] *homo non erit in tabernaculo quum pontifex maximus ingredietur in ſanctum ſanctorum*. Intrabat autem pontifex maximus in hunc locum illo die [51] quatuor vicibus. *Primo* quidem [52] poſt jugulatum juvencum ſuum, & ſanguinem ejus ſacerdoti traditum ne concreſceret, [53] prunas ab altari exteriori deſumtas, & vaſi aureo המחתה impoſitas, una cum vaſculo aureo הכף ſuffitus intulit in ſanctum ſanctorum, & depoſito vaſe המחתה inter vectes arcæ, vel ſtante [54] templo II. ſupra lapidem poſitionis, ſuffitum ſuper prunas congeſtum adolevit & exivit. *Secundo* intravit in ſanctum ſanctorum [55] cum ſanguine juvenci ſui, ut antequam pro populo intercederet ſe expiaret, & inter vectes arcæ, vel in loco ubi illi olim fuerant, conſtitutus ſemel ſurſum ſupra operculum, ſepties deorſum, digito ſanguinem ſparſit, & vaſculum in ſancto depoſuit. *Tertio* [56] cum ſanguine hirci, unius ex duobus piacularibus, quorum alter, hic videlicet, ſorte לשם *Deo* erat deſignatus, alter לעזאזל, لعزازل *ſeceſſioni*, ἀποπομπαῖος, & in deſerta emittendus. [57] Locus, quo pellebatur, erat 90 ſtadiis ab urbe צוק, dictus in ὑπερορίῳ ἐρημίᾳ. Ex Talmudicis, & Joſepho id diſcimus. Poſtquam igitur juvenci ſui ſanguinem in ſanctum ſanctorum intuliſſet, jugulavit hircum & ſanguinem illius eo quoque tulit ſimileſque octo ſparſiones peregit. Dein regreſſus in ſanctum [58] juvenci ſanguinem accipiebat & contra velum octies eum ſparſit, atque ita ſimiliter ſanguinem hirci. Poſtea [59] ſanguine hirci & juvenci commixto cornua altaris interioris adſperſit, initium ducens a cornu euroborealis (*Gem. Joma.* 42. 4.) & partem ipſius ſuperficiei altaris in ſummo ad latus meridionale ſepties; reliquumque ſanguinis effudit ad baſin altaris exterioris, & manibus impoſitis hirco emiſſario, [60] editaque confeſſione, illum [61] emiſit in ſolitudinem, quo eum perveniſſe [62] ex lingua coccinea in templo portæ pronai affixa didiciſſe dicuntur, quæ tum ſolebat albeſcere, exceptis annis 40 ante templi II. excidium, uti Judæi tradunt in *Gem. Joma.* 39. 2. id eſt, circa tempus paſſionis Chriſti. Confer de lingua coccinea *Schabbath.* IX. 3. *Joma* VI. 8. [63] Pars altera linguæ coccineæ inter hirci emiſſarii cornua erat ligata, quem Tertullianus *lib.* III. *c.* 3. *adv. Judæos*, *hircum coccineo circumdatum* nuncupat, & [64] *maledictum convulſumque a toto populo*; [65] vellicabant enim illi pillos, clamantes טול וצא *vade & exi*. [66] Deinde pontifex maximus in atrio mulierum partem legis divinæ populo prælegit interea dum hircus & juvencus extra urbem cremabantur; [67] ſic ut nemo ſimul audire P. M. legentem, & videre combuſtionem hirci poſſet. *Joma.* VII. 2. [68] *Quarto* ſanctum ſanctorum intravit ad repetendum thuribulum.

§. IX. An quatuor hi introitus repugnent dicto Moſis & Pauli.

IX. Sunt qui putent quatuor hoſce introitus pontificis maximi in ſanctum ſanctorum adverſari verbis Moſis. *Levit.* 16. 34. *Exod.* 30. 10. ubi אחת בשנה *ſemel quotannis*, non quater, ingredi ſanctum ſanctorum pontifex jubetur : & *Hebr.* 9. 7. ubi ſemel tantum in anno ἅπαξ κατ' ἐνιαυτὸν legitur pontifex ingreſſus fuiſſe, & non licuiſſe illi ſine ſanguine eo intrare. Pro iis quoque faciunt verba regis Agrippæ in epiſtola ad Cajum imperatorem, quæ leguntur apud Philonem *in legatione ad Cajum*, *p.* 1035. ubi ſemel tantum intraſſe in adytum quotannis pontificem maximum ſcribit, & ſi eodem

die

die ter vel quater intrasset, mortem meruisse, κἂν αὐτὸς ὁ ἀρχιερεὺς δυσὶν ἡμέραις τοῦ ἔτους, ἢ καὶ αὐτῇ τρὶς ἢ τετράκις εἰσφοιτήσῃ θάνατον ἀπαραίτητον ὑπομένει. Addunt rationem typi & antitypi hoc postulare, quum semel tantum Christus in cœlum adscenderit. Verum vix uno introitu omnia peragi potuere, quæ *Levit.* 16. peragi in sancto sanctorum jubentur; & post sparsum in sancto sanctorum juvenci sanguinem legitur: & jugulabit hircum & sanguinem ejus inferet in sanctum sanctorum & sparget uti sparsit sanguinem juvenci, videnturque distincti introitus commemorari. *Levit.* 16. 12. 15. 18. nec similitudo inter typum & antitypum se ad omnia plane extendit; nec repugnat, si quis dicat semel in anno tantum ingressum in sancto sanctorum pontificem, licet vel decies eo die ingressus fuisset; nam & ipsi Judæi, qui quater pontificem illo die intrasse volunt, ita loquuntur: נכנס בו פעם אחת בשנה *semel in anno pontificem ingressum fuisse in sanctum sanctorum*, in *Gem. Hier. Joma.* 43. 1. *Gem. Pesachim* 86. 1. Ita & Josephus, & scriptor *lib.* III. *Maccab.* 1. 12. testantur ἅπαξ κατ' ἐνιαυτὸν in sancto sanctorum illum intro ivisse. Ita Israelitæ se ter quotannis in templo stetisse dicuntur, licet vel sexies uno die templum intrassent. Sic semel baptizatus aliquis esse dicitur, licet ter immersus sit, quod hi actus continuati pro uno habeantur. Quare R. Jose in *Mechilta* 65. 1. dixit: שלושה פעמים ביום אחד זה אחד *tribus vicibus uno die idem est ac semel*. Quod autem ad verba Agrippæ attinet, majorem fidem merentur doctores Talmudici de ritibus patriis testantes quam rex Agrippa, qui in eadem epistola de hoc ipso introitu pontificis in adytum agens scribit, solum ad incendendos odores & preces fundendas illum eo intrasse μόνον ἐπιθυμιάσων καὶ κατὰ τὰ πάτρια εὐξόμενος φορῶν ἀγαθῶν, quum expiatio peccatorum & sparsio sanguinis juvenci & hirci primaria causa hujus introitus fuerit, & incensio odorum quasi præparatio.

§. X. Sparsionum sanguinis in æde sacra numerus.

X. Frequens est mentio in scriptis Talmudicis [69] trium & quadraginta sparsionum sanguinis, quæ intus sive in æde sacra fiunt die expiationis. Vid. *Gem. Zevachim.* 42. 1. Sunt autem hæ

[70] Una sparsio sursum & septem deorsum inter vectes arcæ ex sanguine juvenci, quæ efficiunt.	8
[71] Tot ibidem ex sanguine hirci.	8
[72] Tot contra velum.	16
[73] Quatuor ad cornua altaris interioris ex sanguine hirci & juvenci commixto.	4
[74] Septem super ipsum altare.	7
	43

§. XI. Et modus.

XI. De modo spargendi ambigitur. Quidam putat sparsionem quæ facta dicitur על הכפרת non pertigisse usque ad ipsum arcæ operculum, nisi aliquando per accidens. Vide *Gem. Hier. Joma* 42. 4. Videtur tamen probabilius sanguinem ipsum operculum arcæ semper tetigisse, quod inde ἱλαστήριον dictum est. Certe distinguitur una hæc sparsio facienda על הכפרת, vel uti *Levit.* 16. 15. legitur על פני הכפרת, a reliquis septem quæ לפני הכפרת, id est, *coram operculo* faciendæ erant. Eadem quoque loquendi ratione dicitur. *Levit.* 16. 19. de sparsione sanguinis super altare interius הזה עליו מן הדם *sparget super illud sanguinem*, qua *commate* 16. dicitur: הזה אותו על הכפרת *sparget eum super operculum*. At dubium non est quin sanguis ipsum altare tetigerit: adeoque quum idem sit loquendi modus, nil vetat credere etiam ad operculum arcæ sanguinem pertigisse. Sparsio ipsa sanguinis על פני כפרת fiebat [75] non recta sursum vel deorsum, sed instar hominis flagellantis. *Siphra fol.* * 169. 2. Præterea sparsiones ad cornua altaris interioris fiebant (ex sententia R. Eliezeris) sursum, [76] excepto isto cornu quod erat proximum pontifici spargenti, ad quod sanguinem spargebat deorsum, ne vestes suas sanguine inficeret. *Gem. Joma.* 55. 1. *Gem. Hier. Joma.* 42. 4. Verum alii sanguinem non adspergere debuisse, sed allinere cornibus altaris sacerdotem putant, uti & de cornibus altaris tam exterioris quam interioris נתן עליו usurpatur in sacris literis, non הזה עליו. Adeoque, si stante templo secundo (quando secundum opiniones Pharisaicas omnes cerimoniæ publicæ factæ sunt) sanguinem cornibus altaris ita adsperserint ut Talmudici tradunt, videntur, uti in multis aliis, a prisca consuetudine & lege Dei recessisse.

CO-

COMMENTARIUM IN CAPUT SEXTUM.

[1] SEd *pro peccatis &c. Abarbanel in Legem fol.* 265. 3. יום הכפורים (*inquit*) *dies expiationum* in plurali numero, quod eo die fieret expiatio omnium dierum totius anni, *qui incidit in* decimum diem Tisri,

[2] *Satanæ &c. R. Elieser in capitulis cap.* 46. Ubi ergo Sammael populum Israelis absque peccatis hoc die comperit, dicit ad Deum: populum in terris habes Angelis cœlestibus similem; quemadmodum enim Angeli recti stant, neque edentes, neque bibentes, puri ab omnibus peccatis, pacem, & concordiam mutuam alentes, talis quoque est populus Israel expiationum die. Quum Deus hæc a malo Angelo audit, illico eorum peccata ipsis condonat, & preces eorum exaudit. *Bemidbar Rabba fol.* 277. 4. Cum lex daretur, adduxit Deus Angelum mortis, & dixit ei: totus mundus est in potestate tua, excepta tantum gente hac, quam elegi mihimetipsi. Dicit R. Eliefer filius R. Jose Galilæi, dixit Angelus mortis coram Sancto benedicto; ego creatus sum frustra in mundo. Respondit ei Sanctus benedictus; ego te creavi ut sis advertens super nationes mundi, excepta tamen hac natione, super quam non datur tibi potestas.

[3] *Quod ipse dies &c. Tosaphta Joma IV.* 10. Sacrificium pro peccato & pro delicto certo expiabat ea peccata, pro quibus offerebatur; mors & dies expiationis expiant cum pœnitentia; pœnitentia expiat peccata levia tam contra præcepta affirmativa, quam negativa, excepta profanatione nominis divini. Peccata gravia sunt ea, quibus excidii mortisque judicialis pœna constituta est, & cum ipsis profanatio nominis divini non numeratur. R. Jehuda dicit: pœnitentia expiat ea omnia, quæ sunt leviora profanatione nominis divini; & omnia peccata, quæ profanatione nominis divini sunt graviora, pœnitentia suspendit, & dies expiationis expiat. R. Ismael dicit: quatuor sunt genera expiationum; si peccasset contra præceptum affirmativum, & pœnitentiam egisset, non se movet suo loco, nisi donec ignoscatur, juxta id quod scriptum est: *convertimini filii revertentes, & sanabo aversiones vestras*, Jerem. 3. 22. Si peccasset contra præceptum negativum, & pœnitentiam egisset, pœnitentia suspendit, & dies expiationis expiat, juxta versiculum qui dicit: *in hac die expiatio erit vestri*. Levit. 16. 30. Si patrasset peccata, quibus excisionis, mortisque judicialis pœna statuitur, aut peccasset ex superbia, pœnitentia, & dies expiationis suspendunt pœnam, & castigationes reliqui anni purgant, juxta versiculum qui dicit: *visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum*. Psalm. 88. 33. Sed qui ex superbia nomen Dei profanasset, si pœnitentiam egerit, non habet vim pœnitentia suspendendi, nec dies expiationis expiandi, sed pœnitentia, & dies expiationis tertiam partem expiant, & tertiam castigationes expiant, & mors una cum castigationibus abstergit; & de his dictum est: *Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini*. Isai. 22. 14. discimus, quod dies mortis expiet. *Neque dies expiationis, neque pœnitentia, neque castigationes, neque mors sine sanguine, & morte Jesu Christi, in quo uno vera expiatio est, expiare non potuere. Vide Codicem Joma VIII. 8. Babyl. Joma fol. 86. Maimonidem de pœnitentia cap.* 1. 7. *& notas ad cap. IV. Tosaphta Joma.*

[4] *Incideret in* אגו *&c. Incidere potuisse testatur Maimonides ad XI. 7. Codicis Menachoth.* Si igitur dies expiationis in vesperam Sabbathi, sive in diem Veneris inciderit, hircus iste expiatorius comedi non poterat nocte Sabbathi coctus, quia nec die expiationis, nec die Sabbathi coqui potest &c. Et hoc refutat sententiam illius, qui negat, & credit, quod dies expiationis nunquam in diem sextum, neque in diem primum incidere potest; nam etsi quicquid in hac Misna dicatur, in modum conditionis acciderit, tamen Misna jam dicit casum contigisse, ut Babylonii hircum comederint crudum, idcirco hic controversiæ non erat locus. Præterea dici nequit hunc esse casum absque simili; nam multa in Gemara occurrunt, quæ hoc confirmant. *Orach Chajim de Novilunio* 149. Neque in die 4. & 6. constituunt novilunium; si id enim fecissent, venisset dies expiationum in sexto, aut die primo septimanæ, atque ita fuissent duo Sabbatha simul unita, & si quis istis diebus mortuus fuisset, mortuus sepeliri non potuisset, quum hoc prohibitum sit in Sabbatho etiam per manus gentilium, atque ita fœtor exortus fuisset.

[5] *Dies qui inter &c. Anno ineunte omnes homines a Deo judicari Judæi contendunt. Rosch hasschana cap.I.* 16. R. Jochanan dixit: anno ineunte tres libri aperiuntur, unus pro iis, qui ad impietatis culmen pervenerunt, alter pro summe justis, tertius pro intermediis. Summe justi ad vitam statim inscribentur; summe impii ad mortem; intermediorum causa in diem expiationum differtur. Si bene interim se gerant, multamque agant pœnitentiam, adeo ut a bonis eorum operibus mala excedantur, bene se res habet; si vero secus faxint, adeo ut mala opera bonis præponderent, illico ad mortem inscribentur. Hic R. Aben dixit: ubi hoc habetur in Scriptura? Propheta David id verbis hisce innuit: *Deleantur de libro viventium & cum justis non scribantur*. Psalm. 68. 29. *Deleantur e libro*; huic impiorum liber designatur, vox *viventium* justorum librum denotat; hæc vero, *& cum justis non scribantur*, mediorum librum innuunt. R. Nachman filius Isaac dixit: huc refertur quod alibi dicit Scriptura: *Dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*. Exod. 32. 32. *Dele me*, impiorum librum denotat; *de libro tuo*, librum justorum; *quem scripsisti*, librum mediorum. *Tosaphta Rosch hasschana I.* 15. Omnes ineunte anno judicantur, & sententiæ decretum signatur in die expiationum, verba R. Meyr. R. Jehuda dicit; omnes ineunte anno judicantur, & sententiæ decretum omnium suo tempore signatur, in Paschate pro frugum proventu, in Pentecoste pro arborum fructibus, in festo Tabernaculorum pro aquis; & decretum sententiæ hominis signatur in die expiationum. R. Jose dicit: homo singulis diebus judicatur, juxta versiculum qui dicit; *visitas eum diluculo*. Job. 8. 18.

[6] *Cum jejunio ac omissione &c. Elias Karæus in Addereth Eliahu de die Expiat. cap.* 1. Scire te oportet, hunc diem aliquid habere peculiare præ omnibus solennitatibus, quod in duabus rebus consistit, primo in afflictione. Levit. 23. 27. secundo in Sabbatho Sabbathon, scilicet cessationis vers. 23. Ante a nobis memoratum est, quodnam esset jus, sive quæ proprietas hujus diei Sabbatho præstantioris, quandoquidem in eo (*die expiationum*) non licet portare cibum & potum, ideoque huic diei tribuerunt Sabbath Sabbathon. Quidam Doctores objiciunt, cur, postquam Scriptura hunc diem vocavit Sabbathum, necesse fuerit addere *Sabbathon*, quandoquidem vox Sabbath gravior est, & major voce Sabbathon? quomodo ergo potest minus reddere, quod majus fecerat? Verum enimvero ratio *τοῦ Sabbathon* est illud additamentum, quod diei decimo adjicitur a die nono; hoc est quod dicitur vers. 32.: *Et affligetis animas vestras nono die ejus mensis vespera. Afflictionis* autem, quam Scriptura hoc die exigit ratio, est jejunium in eo, cum omnis afflictionis animæ *adhærentis* ratio sit jejunium. *Maimonides de solennitate expiationum cap. I.* Imperando Lex præscribit, ut quisque decimo die Septembris ab opere omni requiescat; etenim in illa scriptum legimus; *Sabbathum requietionis est*. Levit. 23. 32. Sed eo die qui facit opus, Legem violat jubentem, atque vetantem, quia dictum est etiam: *mense septimo, decima die mensis &c. nullumque opus facietis*. Levit. 16. 19. Quid vero pœnæ erit eo die facientis opus? Si sciens id libensque molitus sit, excisione plectitur, sin imprudens fecit, solenne ac statutum pro peccato sacrificium faciet. Ob quodcunque opus Sabbatho factum cum contumacia lapidibus obruitur homo, illud decimo die Septembris item cum contumacia factum excisio sequitur. Quod autem Sabbatho factum exigit statutum pro peccato sacrificium, idem exigit sacrificium expiationum die, ac quicquid sancitum est,

ne

ne Sabbatho fiat, etsi non est ex illis interdictis operibus, idem nefas est expiationum die fieri, & qui ejusmodi aliquid fecerit expiationum die, itidem, ut Sabbatho verberatur propter contumaciam. Porro quod Sabbatho non licet de loco moveri, hoc item expiationum die transferri nefas est, quæque ne Sabbatho vel dicantur, vel efficiantur, cum sit adhuc in integro res, interdictum est, ea ita prorsus habentur etiam expiationum die. Ad summam rebus in istis Sabbathum inter & diem expiationum nullum est discrimen aliud, nisi quod qui Sabbatho præfracte faciat interdictum opus, lapidibus obruitur, expiationum vero die mulctatur excisione. Atqui fas est expiationum die post vesperas olera parare; eorum videlicet auferendis foliis rancidis, comminuendo reliquo, & simili ratione ad edendum accommodando; item post vesperas nuces frangere, & exuere cortice mala punica propter animi languorem licet. Rursumque hæc eadem expiationum die fieri nefas est, cum in Sabbathum inciderit. Jam vero inveteravit tam in oriente quam in occidente, ut populus omnis ab his se rebus abstineat esurialibus feriis istis, easque Sabbathi instar habeat ad omnia. In hunc expiationum diem imperatum est adhuc unum, ut quisque cibo, ac potione abstineat; est enim in Lege dictum: *affligetis animas vestras*. Levit. 16. 29. sic autem est traditum, ad animam omnino nullam pertinere afflictionem aliam quam jejunium. Itaque qui servat eo die jejunium, exsequitur imperium; sed enim qui cibi & potionis aliquid eo die capit, & legem perrumpit imperantem, & prohibentem negligit; namque scriptum est: *omnis anima quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis*. Levit. 23. 29. Cum igitur excisionem Scriptura Sacra minitetur ei, qui se non macerabit, perspicuum est nobis eo die cibo, & potione abstinendum esse, atque adeo illis si quis imprudens usus esset, solenne & statutum pro peccato sacrificium faciat. *Abarbanel in Levit. 16. 31. fol.* 253. 2. Dies expiationis erit dies quietis & afflictionis simul; nam hic erit ipsis שבת שבתון i. e. quies magna ab omni molestia, & absque omni opere præstando suis corporibus, & erit afflictio animarum pœnitentium propter peccatum totius anni, & hoc erit statutum perpetuum; illi enim in toto anno dederunt quietem, & cessationem corpori suo, in hoc autem die expiationum erit Sabbathum in corporibus, sed afflictio in animabus. *Et fol. 266. 1. ad Levit.* 23. 32. שבת שבתון *erit vobis*, quies magis selecta & perfecta, licet affligatis animas vestras. *Addit in Levit.* 16. 31. dixit: *Sabbathum Sabbathi erit vobis*, i. e. in reliquis diebus, quando eritis in Sabbatho & quiete, & non eritis in afflictione; hæ enim res sibi invicem contrariantur, afflictio & Sabbathum. Sed in hac die ita non est; erit enim vobis שבת, licet affligatis animas vestras; quamvis illud præceptum diei expiationis commemoratum sit Levit. 16; attamen cap. 23. 32. idem repetitur, quia cap. 16. ejus mentio facta in cultu diei & introitu Sacerdotis summi in Sanctum Sanctorum. Hic autem cap. 23. ubi voluit textus colligere omnes solennitates, comprehendit diem expiationum, qui pertinet ad solennitatem Domini, ideoque hic de die expiationum res explicat, quæ cap. 16. non sunt explicatæ, tum pœnam ejus, qui se non afflixerit, & qui eo die fecerit opus. Vers. 29. 30. tum etiam quando debeat incipere observationem diei sanctificati, quod fiat in nono die mensis. Vers. 32.

7 *Edere, bibere &c. Codex Joma cap. VIII.* In die expiationis interdictum est in cibo, & in potu, & in lotione, & in unctione, & in inductione calcei, & in ministerio lecti. Rex vero, & sponsa lavabunt facies suas, & puerpera calceos induet; verba R. Eleasaris, at Sapientes prohibent. Qui edit mensuram dactyli crassi cum grano suo, & qui bibit, quantum maxillis infundi possit, reus est. Cibi omnes conjunguntur, ut constituant mensuram dactyli crassi, & potus omnes conjunguntur, ut constituant quantum maxillis infundi possit. Edens & bibens non conjunguntur. Qui semel inscius edit, & bibit, uno tantum tenetur sacrificio. Qui edit & opus facit, duobus tenetur sacrificiis. Qui edit, quod non est commodum in cibum, & qui bibit, quod non est commodum in potum, & qui absorbet liquamen salsum aut muriam, liber est. *Tosaphta Joma cap. IV.* In die expiationum vetitus est cibus, lotio, unctio, inductio calceorum, & congressus cum uxore, etiam calcei ex panno confecti; pueris hæc omnia licita sunt; inductio calceorum, aspectus (*sc. offendiculi*) causa vetita est; puellæ prope tempus suum assuescant anno, aut biennio ante, ut mature erudiantur ad præceptorum observationem. R. Akiba e loco studii discedebat puerorum causa, ut patres eis cibum apponere possent. Narratur historia de seniore Schammai, qui noluit cibo reficere filium suum, coegerunt Sapientes, ut suis manibus ei cibum præberet. Qui edit ad diem expiationum ad mensuram dactyli crassi cum grano suo, qui nascitur in terra Israelis, reus est. R. Simeon filius Eleasaris dicit, etiam ad mensuram dactyli urbis Namar; si edisset folia arundinum, folia vitium, folia ficuum, folia siliquarum, & omne, quod non est homini aptum ad vescendum, liber est; folia pomorum silvestrium, folia porrorum, folia cæparum, folia herbarum, & omne quod aptum est homini ad vescendum, reus est. Si edisset, & paulum moratus iterum edisset, si ab initio comestionis usque ad finem tantum effluxerit temporis, quantum requiritur ad comedenda tria ova, componuntur, si longius fuerit intervallum non componuntur. Si potasset, atque iterum potasset, si ab initio hujus potationis usque ad finem tantum intercesserit temporis, quantum requiritur ad potandum quartarium, componuntur potationes, si plus temporis, non componuntur. Sicuti cibus est in quantitate olivæ, ita potus est in quantitate olivæ, cibus & potus non conjunguntur; qui bibit muriam, a pœna liber est. R. Elieser dicit, qui bibit plenitudinem buccarum suarum, reus est. *Vide Maimonidem ibidem cap. I. 5. 6. 7. & cap. II. 1---11.*

8 *Lavari &c. Tosaphta Joma ibidem.* Atque ita Rabban Simeon filius Gamelielis dicebat; sicui essent manus luto, aut fimo inquinatæ, lavabat, ne immundaret vestes. Si iret ad invisendum patrem, aut præceptorem, aut discipulum suum, transibit flumen juxta morem suum, & si aqua ad collum pertineat, nihil refert. Seminiflui, & seminifluæ possunt se immergere in vespera diei expiationum; mulieres menstruorum causa, & puerperæ juxta usum consuetum in vespera diei expiationum se immergunt; qui seminis causa polluti sunt, secundum eorum consuetudinem possunt se abluere in die expiationum. R. Jose filius R. Jehudæ dicit: post vesperam non se immerget nisi post solis occasum. R. Jose dicit: Sacerdotes se immergunt juxta eorum consuetudinem prope noctem, ut post solis occasum primitias edere possint. *Maimonides ibidem cap. III.* Expiationum die neque calida neque frigida fas est lavare aut corpus totum, aut illius unicum membrum; quin etiam digitorum minimum nefas est in aquam immergere. Reges autem, & mulieres viro nuptæ recens facultatem habent lavandi vultus; hæ ut ne marito vilescant, illi ut appareant formosi, propter illud Isaiæ dictum: *Regem in decore suo videbunt oculi ejus*; Hebraicus ita habet: *Regem in pulchritudine sua videbunt oculi tui*. Isa. 33. 17. Sed mulieres quandiu debent vocari nuptæ recens? nimirum post nuptias diebus omnino triginta. Si quis sit fimo contaminatus, aut luto, is more consueto lavabit partes inquinatas; item mulieres e manibus abluent unam, qua pueris dent cibaria; ægroti vero se lavabunt, ut alias solent, etsi in nullo versantur periculo salutis. Tum qui polluti tenentur ad purgationem sui se in aquam immergere, illi sic, ut alias, se lavant & die nono mensis Julii, & expiationum die. Si quis hoc tempore animadvertat expiationum die se seminis fluxionem passum esse, cum semen adhuc est humidum, si linteo abstergat, satis est; sin autem aut jam induratum sit, aut humidum quidem, sed turpificatum, partes illas ita contaminatas abluet solum, ut pure, ac sancte fundat preces. Neque conceditur illi, ut corpus totum aut abluat, aut lustrandi causa in aquam immergat; namque hoc tempore funestus, id est hominis mortui tactu pollutus, nequaquam lustratur cum se in aquam immerserit; deinde solus usus nunc postulat, ut seminis fluxionem passus sese abluat ad fundendas preces, usus autem potest quidem quod fas erat, reddere nefas, sed fas reddere, quod sit illicitum, id vero nequaquam poterit. Accedat eo, quod expiationum die fluxionem passis, ut sese in aquam immergerent, non alias sit institutum, quam cum sanctum est, ut omnes seminiflui hac lavandi ratio-

ratione se lustrarent, sed decretum istud exposuimus, jam antiquatum esse &c.

[9] *Ungi &c. Maimonides ibidem*. Quemadmodum nefas est corpus totum ungere, sic nec corporis ungere partem licet; nec vero interest, si unctio hæc ad voluptatem referatur, necne. Sed ægrotanti tametsi prorsus nihil periclitanti licentia datur ungendi sui, itemque illi, cujus caput mala tentat scabies, nec est, quod habeat religioni.

[10] *Re venerea &c. Maimonides ibidem*. Quibusdam in locis moris est, ut ad appetentem noctem solennitatis expiationum accendatur lucerna; hanc nimirum ob causam, ut quemque pudeat uxoris suæ, nec committat, ut cum ea misceat corpus; in aliis contra lucerna non solet accendi, idcirco, ne quis uxoris suæ forte venustatem intuitus, cum illa rem habeat.

[11] *Et calceis indui &c. Tosaphta Joma ibidem*. Non debet induere calceum clavatum, & intra domum deambulare ab uno ad alterum lectum, quod Rabban Simeon filius Gamalielis permittebat. *Maimonides ibidem*. Ne unum quidem pedem hoc die licet inserere in calceum, aut sandalium, nisi fuerint ex subere, scirpo, & similibus facta calceamenta, vel sandalia, quibus quidem & hoc die prodire licet. Nam ut quisque panno pedibus obvolutis prodeat, concessum est, quia pavimenti durities etiam penetrat ad pedes, & se discalceatum esse nimium sentit. Pueros etiam quos, hoc die licet cibum capere, & potionem, tamen a calceis, & sandaliis abstinemus. Verum ubi metuendum est a scorpionibus, & aliis id genus animantibus, ne mordeant, ibi omnibus omnino licet induere se calceis. Puerperæ quoque ad triginta post partum dies uti calceis licet, frigus ei ne noceat. Idem habet jus ægrotus, ut etiam in nullo versetur periculo.

[12] *Jam incipiebat &c. Maimonides ibidem cap. I. 6.* Et sicut in hunc diem oportet abstinere se ab opere & nocte & luce, ita etiam nocte & luce in hunc diem oportet abstinere se a cibo & potu; imo vero ex profano die huic sancto addendum est aliquid tam ad ingressum, quam ad exitum; est enim in Lege dictum: *& affligetis animas vestras die nono a vespera*. Levit. 23. 32. id est jejunium & macerationem incipe jam inde a vespera diei noni, qui est proxime ad decimum; sed ad exitum quoque oportet jejunium aliquantulum producere in noctem undecimi, quæ tangit diem decimum, ob illud Legis dictum: *a vespera ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra*. Levit. 23. 32.

[13] *Et Pontifex maximus &c. Codex Joma VII.* 4. Ipse vero (*sc. Pontifex maximus*) convivium parabat amicis, quando in pace exierat e sanctuario. *Tosaphta Joma* III. 22. Diem festum celebrabat cum amicis suis.

[14] *Cur dies decimus &c. Abarbanel in Levit.* 23. *fol.* 265. 1. *quærit* cur hic dies expiationis & remissionis peccatorum inciderit in mensem septimum Tisri? Resp. I. Quia in Tisri mundus est conditus, juxta R. Elieserem, & Doctores suos per traditionem didicisse die decimo a mundo condito Adamum primum pœnitentiam egisse peccati sui, eodemque die esse expiatum. *Addit*. quamvis enim non sit reductus in Paradisum, Deus tamen ipsi reconciliato possidendam dedit vitam futuri seculi, ideoque hoc die statutum est tempus beneplaciti coram Israelitis, ut conversi ad Dominum imitarentur ejus exemplum, & misericordiam a Deo in cœlis impetrarent. *Responsio* altera *est*. Dicunt in Pirke R. Elieseris, Mosen primo die mensis Elul ascendisse ut acciperet tabulas secundas, illicque mansisse quadraginta dies & noctes, quæ completæ sint die expiationum, ideoque hunc diem residuum esse diem remissionis, & expiationis, sicut eo expiatum peccatum Israelitarum in vitulo commissum.

[15] *Septem diebus &c. Tosaphta Joma I.* Qua de causa separabatur summus sacerdos a domo sua in Conclave Parhedrin? Explicat R. Jehuda filius Beteræ, quia si forte ejus uxor deprehenderetur menstrualis, & cum ipsa congrederetur, septem dies inquinaretur. R. Jehuda appellabat conclave Βουλευτῶν. *Maimonides de die expiationum* I. 3. Ante diem expiationum summus sacerdos dies septem a domo sua seclusus tenebatur intra conclave illud, quod in Templo ipsi paratum erat; id vero nobis usque a magistro nostro Mose traditum est. Porro per universos hos dies septem segregabatur ab uxore sua, ne forte usu veniret, ut illa menstrualis reperiretur hoc temporis spatio, atque summus sacerdos inquinaretur in dies septem, adeoque die expiationum sacris operari nequiret.

Ei cooptabatur alter summus sacerdos, ut si temeraretur, ejus loco ministraret. Tosaphta Joma ibidem. Qua de causa separabatur in ejus locum alius sacerdos? quia si forte inquinaretur, ejus loco ministraret, & summus sacerdos redibat ad sacerdotium magnum, & hic, qui ejus loco ministrabat cunctis præceptis *sacerdotis* summi tenetur; verba R. Meyr. R. Jose dicit: quamvis dixerunt eum cunctis præceptis sacerdotis summi teneri, non est idoneus (*qui ministret*) nec pro sacerdote summo, nec pro sacerdote idiota &c. *Maimonides ibidem* eidem cooptabatur & alius summus sacerdos, qui, si temeraretur ille, munus ejus iniret; cumque temerabatur ille, seu ante sacrificium juge matutinum, seu postquam fecerat sacrificiorum aliqua, vicarius ejus non erat initiandus, sed operatione ipsa, initiabatur, & ubi superior finem, initium operandi faciebat alter. Exacto die expiationum prior ad suum munus redibat, alter iste sacrificabat ille quidem, cunctisque tenebatur summi sacerdotis præceptis; verum enim non sacrificabat sic, tanquam summus sacerdos, quanquam si contra fas ita sacrificasset, sacrificium ejus legitimum fuisset, & cum prior iste mortem obisset, hic alter in ejus locum substitueretur.

[16] *Ut se cultui &c. Codex Joma I.* 2. Omnibus istis septem diebus ipse sanguinem spargebat, suffitum adolebat, lucernas aptabat, caput pedemque offerebat, cæteris diebus, si voluerit offerre, offerebat. *Maimonides ibidem*. His septem diebus totis exercebatur in rebus divinis, in aspergendo sanguine, suffimento incendendo, accendendis lucernis, & jugis sacrificii membris super altare adolendis, quo foret exercitatior in sacris faciendis ad diem expiationum.

[17] *Die tertio &c. Codex Parah III.* Septem dies ante combustionem vaccæ sacerdos vaccam combusturus separatur a domo sua ad conclave, quod in palatio est, septentrionale orientale, quod vocabatur domus lapidis, & spargebant super eo per totum septiduum de omnibus sacrificiis pro peccato, quæ illic erant. R. Jose dicit: tertio & septimo die duntaxat super eo spargebant. R. Chanania sacerdotum princeps dicit: super sacerdote vaccam combusturo totum septiduum spargunt, sed super eo, qui die expiationis operabatur, die tertio, & septimo tantum spargebant. *Maimonides ibidem*. Intra septem hos dies summus sacerdos aspergebatur vaccæ rufæ cinere; tertio videlicet secessus die, & septimo, qui idem erat vigilia solennitatis expiationum, id adeo, si forte funestus evasisset ignorans. Quod si Sabbathum incideret aut in tertium, aut in septimum diem, ejus aspersio proferebatur.

[18] *Seniores Synhedrii &c. Maimonides ibidem*. Ac dabantur illi quidam e senatu majores natu, qui prælegerent, & traderent ei rationem sacrificandi ad diem expiationum, & ordinem. Iidem ita dicebant ei: Domine Pontifex lege tumetipse ore tuo, si forte fueris oblitus, si forte non didiceris rem istam. Vigilia solennitatis expiationum mane constituebatur ad portam orientis; hic ante conspectum ejus agebantur juvenci, arietes, & agni, ut eos internosceret, atque adeo expeditior ad rem divinam & promtior esset.

[19] *Qui eum adjurarent &c.* Tosaphta *Joma ibidem*. Cur separabatur & flebat? quia necesse erat, ut eum adjurarent; cur necesse erat ut eum adjurarent? quia narratur de quodam Baithusæo, qui extra suffitum fecerat, & exiit nubes suffitus, & fumo tota domus repleta est, quia Baithusæi contendebant extra suffitum incendendum juxta versiculum qui dicit: *quia in nube apparebo super oraculum*. Levit. 16. 2.: eis responderunt sapientes; nonne etiam dictum est: *ponetque incensum super igne coram Domino*? Ibid. 16. 13. Docemur immittendam herbam fumum ascendere facientem; si igitur non immisisset herbam fumum ascendere facientem, reus erat mortis. Quando egressus est, dixit patri: vos omni vitæ tempore argumentamini, sed non exequimini, ego surrexi, & executus sum; ei respondit: quamvis nos ita argumentamur, non peragimus, & sapientum placitis auscultamus; ego mirabor si diu vixeris, intra tri-

duum

duum posuerunt eum in sepulchro suo. *Maimonides ibidem*. Stante templo secundo nata est hæresis apud Israelitas. Sadducæi (cito pereant) extitere, qui Legi sine scripto traditæ fidem derogarunt; hi contendebant suffimentum diei expiationum super igni ponendum intra templi spatium illud, quod erat ante velum, idemque cum fumum exhalaret introferendum esse intra sanctum sanctorum; & rationem subjiciebant, quod in Lege sit: *quia in nube apparebo super oraculum*, nempe volebant istam esse suffimenti nubem. At sapientibus quasi per manus traditum est igni non super poni suffimentum, nisi intra sanctum sanctorum ante fœderis arcam; huc enim spectat Legis illud: *ponetque incensum super ignem coram Domino*. Ibid. vers. 13. Quoniam igitur in templo secundo metuendum erat, ne ad hæresim inclinaret Pontifex, vigilia solennitatis expiationum jurejurando adigebatur, atque ei supradicti senes ita dicebant: Domine Pontifex nos sumus legati senatus, tu vero legatus nostri simul, & senatus; nos te jubemus jurare per eum, cujus nomine inscribitur hæc augusta domus, te nihil quicquam eorum, quæ tibi tradidimus, immutaturum. Protinus & ipse fletum aliquo recedebat, quod in suspicionem venisset hæreseos, pariter & senes illi fletum abibant aliquo, quod in suspicionem vocassent hominem, cujus erat occulta voluntas quæ fortassis nihil vitii conceperat.

[20] *Ipsa autem nocte &c. Maimonides ibidem*. Omnino per hos septem dies cibum, & potionem ei non deducebant. Verum enim vigilia solennitatis expiationum vesperi non sinebant eum cibi capere multum; multus enim cibus somnum affert; arcebatur autem somno, ne secundum quietem pateretur fluxionem seminis; neque porro illi cibaria dabantur ea, quibus usus homo fere semen emittit; talia sunt ova, & lac calidum, atque horum similia. *Tota illa nocte vel legebat, vel alios legentes audiebat. Maimonides ibidem*. Tota nocte illa, quam consequebatur dies expiationum, Pontifex, si quidem homo doctus erat, sedens de Lege divina disputabat; qui si fuerit tantum auditor doctorum hominum, hi coram illo de Lege disserebant. Idem si solitus erat legere, legebat, sin minus, coram ipso legebant eo ut a somno deterreretur. Sed quo de genere coram illo legebatur? Nempe de voluminibus sacris, & coram illo dormituro Levitæ ætate florentes concrepabant digito medio & eorum unus illi dicebat; Domine Pontifex surge, ac refrigera te paululum in pavimento, ne forte dormias. Atque exercebatur interea dum immolandi tempus appetebat; neque enim ulla fiebat immolatio, donec certo cognoscebatur auroram esse jam exortam, ne forte usu veniret, ut noctu victima immolaretur aliqua.

[21] *A media nocte &c. Codex Joma* I. 8. Singulis diebus expurgabant altare ad galli cantum, aut non multo citius, aut tardius; & in die expiationis a media nocte, & in tribus festis magnis a vigilia prima, nec instabat galli cantus, quin atrium repletum esset Israelitis. *Maimonides Temid. cap.* II. 11. Auferebatur cinis quotidie nascente aurora; diebus autem festis ineunte secunda parte noctis tripartitæ; solennitate vero expiationum nocte media.

[22] *Sufficeret alio tempore &c. etiam hoc tempore sufficiebat. Tosaphta Menachoth* I. 11. Sacerdotes qui non lavissent, neque sanctificassent manus & pedes; & pariter Sacerdos magnus, qui se non immersisset neque sanctificasset manus & pedes inter unum & alterum ministerium, & inter vestium mutationes varias, eorum ministerium legitimum est; sed Sacerdotes qui non lavissent, neque sanctificassent manus & pedes, atque ita summus Sacerdos, qui se non immersisset, neque sanctificasset manus & pedes mane, & ministrassent, eorum ministerium reprobum est. *Maimonides de ratione adeundi templi* V. 7. Summus Pontifex si die solenni expiationum inter vestium mutationes varias, variaque sacrificiorum genera, neque corpus totum in aquam immersisset, neque manus & pedes lavisset, & operaretur, recta tamen ejus operatio fuisset; neque enim baptismata & lavationes istæ in Aarone æque & ejus liberis observabantur. Atque scriptum est: *lavabunt ex eo Aaron & filii ejus*. Exod. 30. 19. cujus verbi hæc est vis, quod in omnibus æque Sacerdotibus locum habeat, id denique obstare, cujusmodi prima illa lavatio utique erat.

[23] *Ad singula ministeria &c. Siphra Paras. Achare Mot. cap.* I. Unde probatur, quod se lavare debeat? ex eo quod dicit: *lavabit carnem suam in loco sancto, indueturque*; & unde probatur, quod mutatis vestes aureas in vestes albas, & vestes albas in vestes aureas, se lavare quoque deberet? ex eo quod dicit: *hæc enim vestimenta sunt sancta &c. lavabit carnem suam in loco sancto, indueturque vestibus suis &c.*

[24] *Etiamsi quis mundus &c. Tosaphta Joma* I. 20. Si tota nocte offerret, debet *mane* sanctificare manus & pedes; Rabbi dicit: pernoctando non profanabatur, *si ministrasset mane* illotis manibus & pedibus. R. Eleasar filius R. Simeonis dicit: etiamsi cunctis septem diebus immolaret pernoctando non profanabatur, si non sanctificasset manus & pedes. *Maimonides ibidem*. Sacerdos cum manus uno die lavisset, postero quoque die lavaret oportebat, ut noctem totam insomnem duxisset; namque manus nocte profanæ fiebant; & qui manus lavisset prima nocte, atque ea tota adipem adolevisset, eum mane rursum in sacra diurna lavare necesse erat; ad tollendos cineres si manus lavisset, etsi sol necdum erat exortus tamen nihil erat, quod postea quam lucebat, denuo lavaret, quando principio operationis lavaret.

Sed cothone &c. Maimonides de die expiationum cap. II. 5. Singulis diebus e labro manus & pedes lavabat Pontifex tanquam reliqui Sacerdotes; at hoc die solenni honoris causa lavabat ex aureo scypho.

[25] *Ipse ordo sacrorum &c. Siphra Paras. Achare Mot cap.* VI. Dixit R. Jehuda, unde probatur, quod quinquies lavabat, & decies sanctificabat eo die? quia dicit: *Revertetur Aaron in tabernaculum testimonii, & depositis vestibus, quibus prius indutus erat, cum intraret in sanctuarium, relictisque ibi, lavabit carnem suam in loco sancto, indueturque vestibus suis*. Hinc ergo discas quod quoties transibat ab uno ministerio ad aliud, lavaret oportebat; docemur, quod quinquies lavabat, & decies sanctificabat eo die. Rabbi dicit; itane? ex hoc loco intelligo? nonne antea dictum est: *hæc enim vestimenta sunt sancta, quibus cunctis cum lotus fuerit, induetur?* Discimus, quod quando mutabat vestes aureas in vestes albas, & vestes albas in vestes aureas, lavare tenebatur; quinque ministeria peragebat; *immolabat* sacrificium juge matutinum vestibus aureis, & ministerium sacrificii hodierni peragebat vestibus albis, & exibat, & sacrificabat holocaustum suum, & holocaustum populi, & arietem suum, & arietem populi, & septem agnos immaculatos vestibus aureis, intrabat ut educeret cupam & thuribulum vestibus albis, & offerebat sacrificium juge vespertinum vestibus aureis. Et dicit: *hæc enim vestimenta sunt sancta, quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur*; docemur, quod cum mutaret vestes aureas in vestes albas, & vestes albas in vestes aureas, lavaret oportebat; ergo quare dicitur: *lavabit carnem suam in loco sancto, indueturque vestibus suis*? hic non loquitur nisi de sanctificatione manuum & pedum; & unde probatur, in singulis lotionibus duas requiri sanctificationes manuum & pedum? ex eo quod dicit: *& exuet, & abluet, & abluet, & induet*. Dixit R. Eleasar filius R. Simeonis; probatur argumento; si ubi non erat necessaria lotio, opus erat sanctificatio manuum & pedum, quando erat necessaria lotio, non requirenda erit sanctificatio manuum & pedum? Cape igitur quod adduxisti; sicuti eo loci una, ita hoc una; si ita est, quare dicitur, & *depositis vestibus*? Quid necesse erat ut diceret, *quibus prius indutus erat*? comparat spoliationem cum vestitione, sicuti vestitio *fiebat* cum sanctificatione manuum & pedum, ita etiam spoliatio cum sanctificatione manuum & pedum.

[26] *Exuit Pontifex &c. Codex Joma* III. 3. Velum byssinum inter illum & populum extenderant: exuebat vestimenta sua, descendebat, & lavabat, ascendebat, & abstergebat; adduxerunt ei vestes aureas & induebat, & manus & pedes sanctificabat; adduxerunt ei juge sacrificium, mactabat, & alius perficiebat mactationem post eum, sanguinem accipiebat, spargebatque, intrabat, & suffiebat suffimentum maturinum, aptabat lucernas, & caput & membra & frixa & vinum offerebat; mane inter sanguinem & membra suffiebat, vesperi inter membra & libamina. *Maimonides ibidem*. Ad hunc igitur diem hic erat omnium operationum ordo: media nocte sors aufe-

auferendi cineris ducebatur; focus extruebatur lignis, & altare itidem, ut ſingulis diebus ordine ſupradicto, purgabatur cinere uſque dum appeteret tempus immolandæ victimæ jugis ſacrificii; quod tempus cum appetierat, e byſſo ſindon extendebatur inter Pontificem & populum. Erat autem e byſſo Sindon ideo, ut ſignificaret Pontifici propria ejus diei ſacra facienda eſſe cum veſtibus byſſinis; tum Pontifex exuebat veſtes communes, corpus abluebat, induebatque veſtes aureas.

[27] *Agnum &c. Maimonides ibidem*. Idemque lavabat manus & pedes, atque jugulabat victimam jugis ſacrificii ſic, ut duorum illorum ſignorum partem majorem abſcinderet, & reliquam jugulationem alteri perficiendam traderet; ipſe confeſtim ejus victimæ ſanguinem excipiebat, quo reſpergebat altare ex præſcripto; tum in templum introibat, incendebat ſuffimentum matutinum, accendebat lucernas, adolebat membra jugis ſacrificii, cruſtula, libaminaque ad illam prorſus rationem ſacrificii jugis quotidiani, quam alio loco expoſuimus. Poſt ſacrificium juge ſacrificabat juvencos, & agnos ſeptem, qui quotidianis ſacris addebantur hac ſolennitate.

[28] *Exuit veſtes &c. Maimonides ibidem*. Tum lavabat manus & pedes, atque veſtes aureas exuebat; exinde corpus abluebat, induebat veſtes albas, lavabat manus & pedes &c.

[29] *Peregit cultum &c. Codex Joma* III. 8. Ibat ad juvencum ſuum, & juvencus ſtabat inter veſtibulum & altare capite poſito in meridie, & facie in occidentem verſa, & Sacerdos ſtabat in oriente, facie in occidentem verſa, & duas manus ei impoſuit, confitebatur &c. *Maimonides ibidem*. Et pergebat ad juvencum ſuum, is ſtabat inter veſtibulum, & altare, caput ejus ad meridiem, aſpectus ad occidentem converſus erat; ſtabat autem Sacerdos ad orientem, & convertebat aſpectum ad occidentem verſus. Hic impoſitis juvenci capiti duabus manibus peccata confitebatur.

[30] *A confeſſione &c. Toſaphta Joma* II. Quomodo confitebatur? Ah! Domine deliqui, rebellis fui, & peccavi coram te ego & domus mea; Domine remitte, quæſo, delicta, & rebelliones, & peccata, quæ deliqui, & in quibus rebellis fui, & quæ peccavi coram te ego & domus mea, juxta quod ſcriptum eſt in Lege Moſis ſervi tui: *In hac die expiatio erit veſtri*. *Levit*. 16. 30. Et dictum eſt: *& confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſrael, & univerſa delicta, atque peccata eorum*. Ibid. verſ. 21. verba R. Meyr; & ſapientes dicunt, iniquitates ſunt peccata ex ſuperbia commiſſa, delicta ſunt rebelliones, peccata ſunt peccata ex errore commiſſa. Si igitur confitebatur pro peccatis ex ſuperbia commiſſis, & pro rebellionibus, quid opus erat, ut deinde confiteretur peccata ex errore commiſſa? Sed quomodo confitebatur? Ah! Domine peccavi, deliqui, & rebellis fui coram te; ah! Domine remitte, quæſo, peccata, delicta, & rebelliones, quod peccavi, deliqui, & rebellis fui coram te ego & domus mea, ſicut ſcriptum eſt in Lege Moſis ſervi tui: *quia in hac die expiatio erit veſtri*; & ipſi reſpondebant, benedictum ſit nomen glorioſum regni ejus in ſecula ſeculorum; quia ita invenimus hujuſmodi eſſe ordinem eorum omnium, qui confitebantur. David dicit: *Peccavimus cum patribus noſtris, injuſte egimus, iniquitatem fecimus*. Pſalm. 105. Salomon dicit: *Peccavimus, inique egimus impie geſſimus*; 3. Reg. 8. 47. Daniel dixit: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus*. Dan. 9. 5. Igitur quid eſt quod Moſes dicit: *qui auſers iniquitatem, & ſcelera, atque peccata?* Exod. 34. 7. Sed dicebat Deo, ignoſce peccata gravia ſicut levia. *Maimonides ibidem*. Obſecro Domine, ego miſer in conſpectu tuo admiſi delicta, contraxi ſcelera, feci flagitia, ego miſer & domus mea: O Domine condona, obſecro, delicta, ſcelera, flagitia, quæ admiſi, contraxi, feci in conſpectu tuo miſer ego & domus mea, id quod in Lege Moſis ſervi tui ſcriptum videmus: *In hac die expiatio erit veſtri, atque mundatio: ab omnibus peccatis veſtris coram Domino Deo mundabimini*. Levit. 16. 30.

[31] *Sortitione &c. Toſaphta Joma ibidem*. Veniebat ad orientem atrii, & ad ſeptentrionem altaris; vicarius erat ad ejus dextram, & præfectus patrum ad ſiniſtram; duo hirci ibi erant faciebus ad populum verſis, & tergo ad ſacrum; ſummus Sacerdos faciem habebat *converſam* ad populum. Decies pronuntiabat eo die nomen ineffabile, ſexies in juvenco, ter in hirco, & ſemel in ſortibus; & urna ibi erat, & in ipſa duæ ſortes; olim erant buxinæ, & filius Gamlæ fecit aureas, ipſumque in laudem memorabant. *Maimonides ibidem*. Ducebat inde ſortes duorum hircorum, & coccinum illud, quod habebat linguæ ſpeciem deligabat ad caput hirci emiſſarii, quem porro conſtituebat contra locum illum, ex quo emittebatur; itemque deligabat ejuſmodi coccinum ad jugulum hirci mactandi.

[32] *Reditu ad juvencum &c. Codex Joma IV*. 2. Ibat ad juvencum ſuum ſecunda vice, & duas manus ei imponebat, & confitebatur & ſic dicebat: obſecro Domine, deliqui, rebellis fui, & peccavi coram te ego & domus mea, & filii Aaronis populus ſanctitatis tuæ; obſecro Domine, remitte nunc delicta, & rebelliones, & peccata, quæ deliqui, & in quibus rebellis fui, & quæ peccavi coram te ego, & domus mea, & filii Aaronis populus ſanctitatis tuæ, ſicut ſcriptum eſt in Lege Moſis ſervi tui dicendo: *quia in hac die expiatio erit veſtri, atque mundatio: ab omnibus peccatis veſtris coram Domino Deo mundabimini*. *Maimonides ibidem*. Rurſus ad juvencum ſuum adibat, atque ejus capiti manus ſuas imponebat, ac denuo peccata confitebatur, ita dicens; obſecro Domine, ego miſer in conſpectu tuo admiſi delicta, contraxi ſcelera, feci flagitia, ego miſer & domus mea, & poſteritas Aaronis populus tuus ſanctus; o Domine condona, obſecro, delicta, ſcelera, flagitia, quæ in conſpectu tuo admiſi, contraxi, feci, ego miſer & domus mea, & poſteritas Aaronis populus tuus ſanctus, id quod in Lege Moſis ſervi tui ſcriptum videmus: *in hac die &c.*

[33] *Deinde in Sanctum Sanctorum &c. Toſaphta Joma II*. 17. In omni die duo Sacerdotes ingrediebantur, unus cum cupa, & alter cum thuribulo; hodie accipiebat Thuribulum dextra, & cupam ſiniſtra; hoc pro ſuffitu, qui incendebatur in altari exteriori; at ſuffitus altaris aurei fiebat ut in reliquis anni diebus. In omni die thuribulum erat grave, & hodie leve, in omni alio die erat breve, & hodie longum, ut brachio ſibi adjumento eſſe poſſet; in omni alio non habebat annulum, & hodie habebat annulum; verba filii Sagan; in omni alio die duo erant ibi ordines *lignorum*, & hodie tres, unus pro ordine magno, & alter pro ordine minori, & unus addebatur pro ſuffitu loci interioris, verba R. Jehudæ; R. Joſe alterum addebat ad conſervandum ignem; Rabbi alterum adjiciebat pro membris & adipibus, quæ veſperi nondum conſumta eſſent. Ingrediebatur, & ambulabat in templo, donec perveniret inter altare aureum & candelabrum, & altare erat ipſo interius; menſa ſita erat ad ſeptentrionem a tertia parte domus & interius, diſtans a pariete duos cubitos cum dimidio, altare aureum erat in medio contra duo latera Arcæ protractum verſus altare *exterius*, & omnia ſita erant a tertia parte domus & exterius. Ambulabat in templo donec perveniret inter duo vela, quæ inter ſanctitatem & Sanctum Sanctorum dividebant, inter quæ erat interſtitium unius cubiti; hic erat locus oraculi, quod fecit Salomon. R. Joſe dicit, unum duntaxat ibi erat velum, juxta verſiculum, qui dicit: *& dividet velum vobis*: quid igitur dicendum erat *inter ſanctuarium & ſanctuarii ſanctuaria?* Exod. 26. 33. Eis dixit inter ſanctitatem ſuperiorem & ſanctitatem inferiorem; alia gloſſa, inter Nob & Gabaon, & Silo, & domum ſeculorum. Exterius erat duplicatum a meridie, & interius a ſeptentrione, ibat inter ea, donec perveniret ad ſeptentrionem, quando pervenerat ad ſeptentrionem, facie in meridiem verſa, ſiniſtrorſum ibat prope velum, donec perveniret ad Arcam, & lumbis velum impellebat, Thuribulum inter duos vectes Arcæ collocabat, ſuper prunas ſuffimentum congerebat, & tota domus fumo replebatur; exibat, & eadem, qua ingreſſus erat, via revertebatur, & brevem orationem in loco exteriori recitabat, ne Iſraeli metum incuteret. *Maimonides ibidem*. Apprehendebat inde thuribulum, quo proxime ad partem occidentis capiebat ignem ex altari, prout ſcriptum legitur: *de altari a conſpectu Domini*; Levit. 16. 12. Altari digreſſus ignem in atrii tabulato reponebat; hic ei promebatur acerra, & vas plenum ſuffimenti bene fracti, ex quo

ſuum

ſuum implebat pugillum ita ut nec menſuras abraſas, nec rurſus accumulatas, ſed plane expletas imitaretur; porro eum ex ſua quiſque magnitudine, vel parvitate metiebatur, & quicquid ex ſuffimento demtum erat, dabatur in acerram. Dictum eſt ante cum uſuveniſſet, ut ſiniſtra manu transferretur aut victimarum ſanguis, aut aliud quidpiam rei divinæ, id temeratum fuiſſe; quamobrem æqui boni ratio poſtulabat quidem ut Pontifex manu ſiniſtra thuribulum, & acerram ſuffimenti ferret dextra; ſed enim thuribulum quoniam erat grave ac calidum ad uſque fœderis Arcam manu ſiniſtra geſtare non poterat; itaque dextra thuribulum, & acerram ſuffimenti ſiniſtra prehendebat, ingrediebaturque per templum ad Sanctum Sanctorum, ubi velum in ſe replicabatur, introibatque in Sanctum Sanctorum uſque ad Arcam fœderis, quo cum venerat, deponebat thuribulum inter duos Arcæ vectes. At in ſecundo templo, quoniam Arca nulla erat, Pontifex thuribulum in lapide fundationis deponebat, tum oram acerræ vel extremis digitis, vel etiam dentibus apprehendebat, atque pollice ſuffimentum ex acerra deducebat in pugnum uſque dum rurſus expleretur itidem, ut erat ab initio. Hæc vero omnium quæ in templo erant operationum, difficillima fuit; inde ſuffimentum ſupra prunas coacervans, inſerebat manum in thuribulum adeo, ut ſuffimentum propius ab Arca, atque abeſſet longius ab ore ſuo, ne combureretur, & ibidem expectabat tamdiu, donec ædes tota fumo compleretur; tum exibat, ac pedetentim regrediebatur ſic, ut os ejus ad Sanctum Sanctorum, & tergum converſum eſſet ad templum uſque dum extra velum exceſſiſſet; huc cum evaſerat, certam quamdam in templo precem Deo fundebat, eamque perbrevem, ne populus metu perturbatus Pontificem in templo mortuum eſſe crederet.

34 *Dimiſſo hirco &c. Maimonides ibidem II. 2.* Tradebat hircum emiſſarium homini, qui illum abduceret ad Azazel, eximebat exta juvenci & hirci cremandi, quorum reliqua alicui cremanda dabat, atque lavabat manus & pedes.

35 *Et ablegmina &c. Codex Joma VI. 7.* Ibat ad juvencum & hircum, qui erant comburendi findebat eos, & eorum viſcera educebat. Ponebat in ſcutella, eaque ſuper altare offerebat; incidebat eos inciſionibus, & ad locum combuſtionis portari curabat.

36 *Veſtes albas &c. Maimonides ibidem.* Deinde veſtes albas exuebat, & abluebat corpus, aſcendebat e lavacro, & ſeſe abſtergebat, induebat veſtes aureas, atque lavabat manus & pedes.

37 *Obtulit hircum &c. Maimonides ibidem.* Sacrificabat hircum in hoſtiam pro peccato illam, quæ diei ſolennis cauſa quotidianis ſacris addebatur, item & arietem ſuum, & arietem populi, & hoc in holocauſtum, & adolebat exta juvenci & hirci cremandi.

38 *Deinde ſacrificium &c. Maimonides ibidem.* Faciebat ſacrificium juge veſpertinum, atque lavabat manus & pedes.

39 *Exuit veſtes &c. Maimonides ibidem.* Poſtea exuebat veſtes aureas, corpus abluebat, aſcendebat e lavacro, & ſeſe abſtergebat.

40 *Induit veſtes &c. Maimonides ibidem.* Induebat veſtes albas, & manus & pedes lavabat.

41 *Intravit &c. Maimonides ibidem.* Introibat in Sanctum Sanctorum, ex quo acerram, & thuribulum efferebat, atque lavabat manus & pedes.

42 *Veſtes albas &c. Maimonides ibidem.* Exuebat veſtes albas, corpus abluebat.

43 *Veſtes aureas &c. Maimonides ibidem.* Aſcendebat e lavacro, & ſeſe abſtergebat, induebat veſtes aureas, atque manus & pedes lavabat.

44 *Adolevit &c. Maimonides ibidem.* Adolebat veſpertinum ſuffimentum quotidianum, idemque lucernas accendebat ad veſperas, manus & pedes lavabat.

45 *Exuit veſtes &c. Maimonides ibidem.* Exuebat veſtes aureas, & veſtes communes reſumebat, exibat.

46 *Quindecim erant &c. Maimonides ibidem cap. I.* Ad diem jejunii quondam mane quidem & veſperi ſic, ut cunctis diebus ſacrificium juge fiebat, præterea autem diei ſolennis cauſa ſacrificabantur juvencus, & aries, atque agni ſeptem, omnes in holocauſta; immolabatur etiam foris in hoſtiam pro peccato & hircus, qui idem veſperi comedebatur. Porro autem ſacrificabatur in hoſtiam pro peccato juvencus qui cremabatur, & aries in holocauſtum, quos ambos præbebat de ſuo ſummus Sacerdos. Porro etiam aries ſacrificabatur de publico, atque hic eſt aries ille, de quo commemoratur ea Legis ſectione, quæ *poſt mortem* inſcribitur. Idem hic aries inter alia ſacra extraordinaria commemoratur etiam Pentateuchi parte illa, quæ eſt de numero Iſraelitarum recenſendo, atque hic eſt ille, qui dicitur *Aries populi*. Præterea autem de publico offerebantur hirci duo, quorum alter immolatus in hoſtiam pro peccato cremabatur, alter vivus emittebatur in ſolitudinem.

47 *Sunt autem hæc &c. Maimonides ibidem.* Itaque ad diem illum omnino beſtiæ ſacrificabantur quindecim, jugia ſacrificia duo, juvencus, duo arietes, agni ſeptem, & hi omnes in holocauſta. Præterea hirci duo in hoſtiam pro peccato, horum alterius ſanguis inſpergebatur altari exteriori, & hic comedebatur veſperi; alterius autem ſanguis reſpergebatur intus in Sancto, atque idem cremabatur; porro ſummi Sacerdotis juvencus in hoſtiam pro peccato, qui itidem cremabatur. Atque harum quindecim hoſtiarum eo die mactandarum operationem omnem efficiebat ſummus Sacerdos; nec quidquam differebat inter Sacerdotem unctione olei, & ſacerdotem veſtium multiplicatione inauguratum. Qui ſi dies incideret in Sabbathum, & Sabbathi ſacra extraordinaria niſi ſummus Sacerdos faciebat nemo. *Abarbanel in præfat. in Leviticum cap. III.* Sacrificabatur ad ſolennem expiationum diem juvencus & aries, & agni ſeptem, quibus univerſis ſolida fiebant ſacrificia, & hircus, quo fiebat piaculum itidem, ut ad primum anni diem; porro mactabatur & alius hircus hirci illius emiſſarii conſors, quo item fiebat piaculum, & hircus iſte poſterior ex edicto Legis igni conſumebatur totus; tum etiam fiebat ariete ſacrificium ſolidum, de quo præcipitur ea Legis diſtinctione, quæ Levitici cap. 16. 1. *poſt mortem* inſcribitur. Jam ſi ſolennis expiationum dies incideret in Sabbathum, ſimul fierent & ſacrificia jugia, & præcipua Sabbathi ſacrificia, & ſacrificia in ſolennem expiationum diem conſtituta, omnino ſolida ſacrificia quindecim, & hirco piaculum. *Vide Maimonidis præfationem ad codicem Sevachim, & ejus tractatum Temid. cap. X.*

48 *Sunt qui duos &c. Siphra ad Levit. 16. 5. Et unum arietem in holocauſtum.* Rabbi dicit, *Arietem unum*, qui hoc loci commemoratur, eſſe eumdem, de quo ſit mentio in libro Numerorum. R. Eleaſar filius R. Simeonis dicit, duo erant arietes, unus hoc loci dictus, & alter commemoratus in libro Numerorum.

49 *Hoc die ſolo &c. Siphra ad Levit. 16. 2. Ne omni tempore ingrediatur*; hoc reſpicit diem expiationum; *Sanctuarium*, ad includendum reliquum anni. Dixit R. Eleaſar; ſi illo die quo jubetur ingredi, jubetur non ingredi, die quo non jubetur ingredi, non erit jubendus non ingredi? Iſraelitæ contra probent, qui venire jubentur in feſto, & non vacui venire jubentur; ſed in reliquo anni venire jubentur, & non vacui venire non jubentur; etiam hic dicerem, eo die jubetur, quo jubetur; ideo dicit *Sanctuarium*, ad includendum reliquum anni; *Quod eſt intra velum*, ut pro toto loco præmoneatur; poſſem credere, quod pro toto loco reus eſſet mortis? ideo dicit: *coram Propitiatorio quo tegitur Arca, ut non moriatur*; quo pacto hoc intelligitur? *coram Propitiatorio*, reus erat mortis, & pro reliquo totius loci tantum præmonebatur. *Coram Propitiatorio, quo tegitur Arca*; quid dicendum id erat? Quia dictum eſt, *Propitiatorio*; poſſem credere, fuiſſe jam Arcæ operculum? ideo dicit, *Propitiatorio*, Propitiatorium erat ſuper Arca, neque aliud erat Arcæ operculum. Poſſem credere non fuiſſe Arcæ operculum, ſed fuiſſe aliquid, quod ſepararet inter Propitiatorium & Teſtimonium? ideo dicit: *& vapor operiat oraculum, quod eſt ſupra Teſtimonium, & non moriatur*. Ideo nihil erat, quod inter Propitiatorium, & Teſtimonium ſepararet &c. *Sed veniet cum hac re Aaron ad Sanctuarium*; ita Hebræus; quid id dicendum erat? quia dictum eſt: *Sanctuarium quod eſt intra velum coram Propitiatorio, quo tegitur Arca*; ego poteram dicere, hinc non intelligo niſi eam ſanctitatem, in qua ſit Arca & Propitiatorium; in ea, in qua non ſit Arca & Propitiatorium, unde probatur? ex eo quod dicit, *Sanctuarium*, ut ſimilis fiat ſanctitas, in qua non ſit Arca & Propitiatorium, ſanctitati, in qua ſit Arca & Pro-

& Propitiatorium. *Maimonides de ratione adeundi templi II.* 2. Jam hoc cunctis Sacerdotibus interdictum erat, ne extra ſacrificandi tempus intrarent nec in Sanctum, nec in Sanctum Sanctorum; nam quod in Lege habemus: *ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium*; hoc videlicet illud eſt, quod Sanctum Sanctorum dicitur; quod autem additur *intra velum*, id nimirum de toto templo præcipit. Atque ſi in Sanctum Sanctorum reliquis anni diebus introiſſet Sacerdos ſeu privatus, ſeu ſummus; immo vero & ſolenni expiationum die ſi ſummus Sacerdos intraſſet extra ſacrificandi tempus, meruiſſet, ut divina vis eum morte multaret, ſiquidem ſuperiori monitioni ſubjicitur, *ut non moriatur*, ſummus enim Sacerdos in adytum templi ſolenni expiationum die quater introibat, qua de re alio loco agetur, qui ſi introiſſet quinquies, mortem meruiſſet.

[50] *Homo non erit &c. Siphra ad Levit.* 16. 17. *Nullus hominum ſit*; poſſem credere ne in atriis quidem exterioribus? ideo dicit, *in tabernaculo*; ego non probo niſi pro tentorio conventus; unde probabo ad includendum Silo, & domum ſeculorum? ex eo quod dicit, *ad expiandum in Sanctuarium* (ita Hebræus.) Non probo niſi pro eo tempore, quo ingrediebatur ad expiandum cum ſuffitu; unde probem pro eo tempore, quo ingrediebatur ad expiandum cum ſanguinibus? ex eo quod dicit: *quando ingreditur ad expiandum* (ita Hebræus.) Non habeo niſi pro eo tempore, quo ingrediebatur; pro eo, quo egrediebatur, unde probo? ex eo quod dicit: *donec egrediatur*. *Maimonides Temid.* III. 3. Cum incendebatur ſuffimentum in templo, ab eo amovebatur populus omnis, & neminem inter veſtibulum & altare verſari fas erat, donec is qui ſuffimentum adolebat templo egreſſus eſſet. Cumque Sacerdos in templum inferret ſanguinem hoſtiæ pro peccato illius, quem reſpergi intus oportebat, omnino omnes cedebant loco inter veſtibulum & altare intermedio uſque dum egrediebatur; eſt enim in Lege: *nullus hominum ſit in tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingredietur &c.* Levit. 16. 17. Quod quidem etiam generaliter conſtitutum erat, ut inter cunctas expiationes faciendas in Sanctuario, nemo ibi verſaretur homo.

[51] *Quatuor vicibus &c. Bartenora ad cap.* I. 9. *Celim.* Porro dicit Miſna *in tempore Miniſterii*; quater enim intrabat Sanctuarium, primo ad ſuffitum adolendum, ſecundo ut ſanguinem juvenci ſpargeret, tertio ut ſanguinem hirci ſpargeret, quarto ut acerram, & thuribulum educeret.

[52] *Poſt jugulatum &c. Codex Joma* IV. 3. Mactabat ipſum, & patera excipiebat ſanguinem, dabatque ei, qui miſcebat eum ſuper ſcamnum quartum, quod erat in Sanctuario, ut non concreſceret. *Maimonides* IV. Tum juvencum mactabat, excipiebat ejus ſanguinem, quem ſanguinem alicui dabat commovendum, ne foris in quarta templi areola concreſceret.

[53] *Prunas ab altari &c. Siphra ad Levit.* 16. 11. 12. *Immolabit eum, aſſumtoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manu*, dabat ſanguinem alteri commovendum ſuper ſcamnum quartum quod erat in templo, ne concreſceret: *aſſumtoque thuribulo, quod .... impleverit*; in omni die depromebat ignem thuribulo argenteo, & infundebat in aureum, & hodie aureo depromebat, & cum eo ingrediebatur; in omni die depromebat ignem thuribulo, quod quatuor cabos continebat, & infundebat in *thuribulum*, quod tres cabos continebat, & hodie depromebat *thuribulo*, quod tres cabos continebat, & cum eo ingrediebatur. R. Joſe dicit: in omni die depromebat *thuribulo* unius ſati, & *in thuribulum*, quod tres cabos continebat, infundebat, hodie thuribulo, quod tres cabos continebat, depromebat, & cum hoc, quod tres cabos continebat, intrabat. *De prunis*, credere poſſem obſcuras? ideo dicit, de *prunis*; poſſem credere flammas? ideo dicit *de prunis*; quo pacto ergo intelligitur? de ardentibus; & unde probatur, ignem ratione prunarum fuiſſe minorem partem? ex eo quod dicit, *de prunis &c. Altaris*, crederem totius *altaris*? ideo dicit, *coram Domino*; quo pacto intelligitur? ex eo, qui occidenti proximus erat &c. *Ultra velum intrabit in Sancta, ut poſitis ſuper ignem aromatibus coram Domino*, ne extra præparet, & intro ingrediatur.

[54] *Templo II. &c. Toſaphta Joma II.* 22. Lapis ibi erat a tempore priorum Prophetarum, & lapis fundationis vocabatur, altus a terra tribus digitis, cui ab initio impoſita fuit Arca; poſtquam abducta fuit Arca, ſuper eum ſuffimentum in loco interiori incendebant. *Maimonides ibidem.* At in ſecundo templo, quoniam Arca nulla erat, Pontifex thuribulum in lapide fundationis deponebat.

[55] *Cum ſanguine &c. Siphra ibidem. Tollet quoque de ſanguine vituli*; accipiebat ab eo, qui commovebat; *& aſperget*, non ſtillabat, *& aſperget*, & non effundebat; *digito ſuo*, dictum eſt hic *digito ſuo*, & dictum eſt alibi *digito ſuo*, ſicuti digitus alibi dictus eſt magis idoneus manus dextræ, etiam digitus hoc loci dictus eſt magis idoneus dextræ manus; *contra Propitiatorium*; hæc eſt principii conſtitutio, quod ubicunque dictum ſit Propitiatorium, ſit verſus orientem. Alia gloſſa: *contra Propitiatorium ad orientem*; non intuebatur ad ſpargendum ſurſum aut deorſum, ſed inſtar hominis caſu manum attollentis. *Septies contra Propitiatorium aſperget*, non ſeptem guttas, *ſepties*, ut numeraret ſepties, ſemel & ſepties. *Toſaphta Joma* II. 25. Sanguinem a miſcente ſumebat, intrabat in locum, quem prius intraverat, ſtabatque in loco, quo conſtiterat, & ſpargebat ex illo ſuper velum contra duos vectes Arcæ ſemel ſurſum, & ſepties deorſum, nec intuebatur ad ſpargendum ſurſum, aut deorſum, ſed inſtar alicujus caſu manum attollentis. R. Jehuda dicit nomine Eleaſaris: ita numerabat, ſemel, ſemel, & ſemel, ſemel & bis, ſemel & ter, ſemel & quater, ſemel & quinquies, ſemel & ſexies, ſemel & ſepties; deinde ibat ſiniſtrorſum uſque ad velum, neque ad velum ſpargebat, & ſi ſpargebat, ſpargebat. Dixit R. Eleaſar filius R. Joſe, ego illud vidi Romæ guttis ſanguinis inſperſum, & mihi dixerunt, iſtæ ſunt de ſanguinibus diei Expiationum. *Maimonides ibidem.* Poſthæc Pontifex juvenci ſanguinem recipiebat ab eo qui perpetuo illum agitabat ne concreſceret, atque in Sanctum Sanctorum inſerebat, ibique inter vectes Arcæ ex eo ſanguine aſperſiones octo dabat, reliquum efferebat in Templum, ubi quædam erat ex auro ſtylobata, in ea hoc reponebat.

[56] *Cum ſanguine hirci &c. Siphra ibidem. Cumque mactaverit hircum pro peccato populi*; quod fratres ejus ſacerdotes cum eo non expiantur: cum quo expiantur? cum juvenco eorum fratris. Poſſem credere, quod cum juvenco eorum fratris non expiarentur, cum dicat ſuum? Igitur expiatione carebant, quando poſtea dicit: *ſacerdotes quoque & univerſum populum expiabit*; expiabantur igitur; quonam expiabantur? Satius ſit, ut eorum fratris juvenco expientur, quoniam invenimus, quod aliis partem aſſignaverit; etenim ipſe & ejus domus eo expiabantur, neque expientur *hirco* congregationis, quod non invenimus, quod nemini præter cœtum partem aſſignaverit. Et ſi rurſus argumentari volueris: *offeret vitulum, & rogans pro ſe & pro domo ſua, intelligitur* de tota familia Aaronis. *Inferet ſanguinem ejus intra velum*, docemur, quod cum eo in templum interius ingrederetur; non probo ex hoc loco niſi pro ſanguine hirci, quod inferretur in templum interius; unde probatur, quod juvenci ſanguis in templum interius inferretur? ex eo quod dicit: *ſicut præceptum eſt de ſanguine vituli*; ſicuti hirci ſanguis cum eo in templum interius intrabat, ita ſanguis juvenci cum eo in templum interius ingrediebatur; *ut aſpergat e regione oraculi*; docemur, quod aſpergeret ſemel ſurſum; *e regione oraculi*; quoties, ignoro. Ego ita argumentor: dicitur aſperſio ſanguinum in juvenco deorſum, & dicitur aſperſio ſanguinum in hirco deorſum; ſicuti aſperſio ſanguinum, quæ in juvenco commemoratur, fiebat ſepties deorſum, ita aſperſio ſanguinum, quæ commemoratur in hirco, fiebat ſepties deorſum. Sed hoc modo argumentari poteris; dicti ſunt ſanguines ſuperiores, & ſanguines inferiores pariter dicti ſunt, quemadmodum ſurſum ſemel, etiam deorſum ſemel. Videamus cui ſit ſimilius: explicandum eſt inferius ab inferiori, neque deducendum eſt inferius ex ſuperiori. Aut hoc modo argumentaberis; explicandus eſt hirci ſanguis a ſanguine hirci, neque deducendus eſt ſanguis hirci ex juvenci ſanguine; ideo dictum eſt: *inferet ſanguinem ejus intra velum, ſicut præceptum eſt de ſanguine vituli*, ſicuti juvenci ſanguis ſepties deorſum,

etiam

etiam hirci ſanguis ſepties deorſum. Sed neſciebam quoties ſurſum de ſanguine juvenci aſpergeret: dicitur aſperſio ſanguinum in hirco ſurſum, & dicitur aſperſio ſanguinum in juvenco ſurſum; ſicuti aſperſio ſanguinum, in hirco dicta, ſurſum ſemel fiebat, etiam aſperſio ſanguinum, dicta in juvenco, ſurſum ſemel fiebat. Sed hoc modo poteris argumentari; dicti ſunt ſanguines ſurſum, & dicti ſunt ſanguines deorſum; ſi ſanguines deorſum ſepties aſpergebantur, ita etiam ſanguines in eo dicti ſurſum ſepties erunt aſpergendi. Videamus cui ſit ſimilius; explicandum eſt ſuperius a ſuperiori, neque explicandum eſt ſuperius ab inferiori. Hoc modo argumentaberis; explicandus eſt juvencus ex eodem juvenco, neque deducendus eſt juvencus ex ſanguine hirci; ideo dicit: *inferet ſanguinem ejus intra velum, ſicut præceptum eſt de ſanguine vituli*, quod dicendum minime erat, *ſicut præceptum eſt*; & cur dicit, *ſicut præceptum eſt*? ut eorum operationes ſint pares; quemadmodum ſanguis juvenci ſepties deorſum, etiam ſanguis hirci ſepties deorſum; & ſicuti hirci ſanguis ſemel ſurſum, etiam juvenci ſanguis ſemel ſurſum. *Et expiet ſanctuarium ab immunditiis filiorum Iſrael, & a prævaricationibus eorum, cunctiſque peccatis; juxta hunc ritum faciet Tabernaculo teſtimonii &c.* Hic tres immunditias includere poſſum, immunditias Idolatriæ, juxta verſiculum: *& contaminaverit ſanctuarium meum, ac polluerit nomen ſanctum meum*. Levit. 20. 3: immunditiem adulterii, juxta verſiculum: *nolite facere quæ fecerunt hi, qui fuerunt ante vos, & ne polluamini in eis*; Ibid. 18. 30. homicidiorum immunditiem, juxta verſiculum qui dicit: *atque ita emundabitur veſtra poſſeſſio, me commorante vobiſcum*. Num. 35. 33. Credere poſſem, quod has omnes immunditias hic hircus expiaret? ideo dicit, *ab immunditiis*, & non ab omnibus immunditiis. Quid invenimus, quod diſtinguat textus a genere omnium immunditiarum? immunditiem ſanctuarii, & rerum ſanctarum, etiam hic dicemus, quod non agatur niſi de immunditiis ſanctuarii, & rerum ſanctarum; verba R. Jehudæ. R. Simeon dicit, ex ipſo contextu id eruitur, juxta id quod dicit: *& expiet ſanctuarium ab immunditiis filiorum Iſrael*. Poſſem credere, quod quamlibet ſanctuarii immunditiem hic hircus expiaret? ideo dicit: *& a prævaricationibus eorum*; hæ ſunt rebelliones; ſimilis eſt phraſis textus, qui dicit: *Rex Moab receſſit a me*, 4. Reg. 3. 7. & pariter ſimilis eſt phraſis textus; *tunc receſſit & Lobna in tempore illo*. Ibid. 8. 22. Hinc dixerunt, quod in omni immunditie, in qua ſit notitia in principio, & non in fine, hic hircus ſuſpendebat ei pœnam, donec ei innoteſceret, & tunc debebat offerre ſacrificium aſcendens & deſcendens. Pariter dictum eſt, *cunctiſque peccatis*, pro iis, qui debent ſacrificia pro peccato. *Maimonides ibidem*. Tum templo excedebat, jugulabat hircum, & ejus ſanguinem excipiebat, inferebat in ſanctum ſanctorum, ibique inter vectes Arcæ dabat aſperſiones octo, reliquum efferebat in templum, atque in altera templi ſtylobata aurea ponebat.

57 *Locus quo pellebatur &c. Codex Joma VI. 5.* ſingulis tabernaculis dicebant ei; ecce cibum, ecce aquas, & comitabantur eum a tabernaculo ad tabernaculum excepto ultimo, quia non ibat cum illo uſque ad Zuck, ſed ſtabat e longinquo, & obſervabat, quid facturus erat.

58 *Juvenci ſanguinem &c. Siphra ibidem. Juxta hunc ritum faciet Tabernaculo teſtimonii*; ſicuti faciebat pro templo interiori, ita faciebat pro templo, ſicuti in interiori ſemel ſurſum, & ſepties deorſum; etiam in templo ſemel ſurſum, & ſepties deorſum; & ſicuti in interiori ſemel ſurſum, & ſepties deorſum de ſanguine hirci, etiam in templo ſemel ſurſum, & ſepties deorſum de ſanguine hirci; *quod fixum eſt inter eos in medio ſordium habitationis eorum*; quamvis ſint immundi, Divinitas habitat inter eos. *Maimonides ibidem*. Deinde recipiebat de ſuperiori ſtylobata juvenci ſanguinem, ex quo contra velum e regione Arcæ dabat aſperſiones octo, & quod reliquum erat deponebat, ſumebatque hirci ſanguinem, ex quo itidem contra velum e regione Arcæ dabat aſperſiones octo.

59 *Sanguine hirci & juvenci &c. Siphra ibidem; Cum autem exierit ad altare, quod coram Domino eſt*; quid id dicendum erat? Dicit R. Nehemia, dum invenimus in ejus juvenco, qui offerebatur pro omnibus præceptis, quod foris ſtans ſuper velum aſpergeret, quo tempore aſpergebat; poſſem credere, quod in hoc quoque ita fieret? ideo dicit: *quod coram Domino eſt*; ubinam erat? in ipſo altare. An dicam, quod non loquatur niſi de ara exteriori? ideo dicit, *quod coram Domino eſt*; igitur non loquitur niſi de ara interiori; *& expiabit ſuper illud*, (ita Hebræus,) expiatio ut ſit in ipſo corpore altaris; *& ſumtum ſanguinem vituli atque hirci*, quo tempore ſint commixti; poſſem dicere de uno ſeorſim, & de altero ſeorſim? ideo dicit, *de ſanguine ſacrificii pro peccato expiationum* (ita Hebræus.) Quo pacto igitur intelligendum eſt, *& ſumtum ſanguinem vituli, atque hirci*? quo tempore commixti ſunt. *Fundet ſuper cornua ejus*; initium ducet a cornu orientali ſeptentrionali, ſeptentrionali occidentali, occidentali meridionali, meridionali orientali, in loco, quo incipiebat in ſacrificio pro peccato ſuper altari exteriori, ceſſabat in altari interiori. R. Jehuda dicit nomine R. Elieſeris: in ſuo loco ipſe ſtabat, & expiabat, & in omnibus aſpergebat a parte inferiori ad ſuperiorem, excepto hoc, in quo aſpergebat a parte ſuperiori ad inferiorem. *Per gyrum*, dictum eſt hic *per gyrum*, & dictum eſt alibi (*ſc. in altari exteriori*) *per gyrum*; ſicuti *per gyrum* hoc loci dictum intelliguntur quatuor aſperſiones diſtinctæ, etiam *per gyrum* ibi dictum intelliguntur quatuor diſtinctæ aſperſiones; *aſpergenſque* ſuper illud, ſuper partem apertam altaris, de ſanguine, qui in re propoſita exprimitur, ſepties, non ſeptem guttas, ſepties, ut ſepties numeret, non ſemel & ſepties; *expiet & ſanctificet illud ab immunditiis filiorum Iſrael*; expiabat illud pro tempore præterito, & pro futuro ſanctificabat. *Poſtquam emundaverit*, quando emundaverat, perfecerat, verba R. Akibæ; ei dixit R. Jehuda, cur dicit *poſtquam emundaverit*? niſi ut doceamur, quod ſi unam ex neceſſariis aſperſionibus omiſiſſet, perinde eſt ac ſi non emundaſſet. *Poſtquam emundaverit ſanctuarium*; hoc eſt templum interius; *& tabernaculum*; hoc eſt templum; *& altare*; docemur, quod ſingula diſtinctam expiationem requirebant. Hinc dixerunt: ſi partem interiorem aſperſionum effeciſſet, & effuſus eſſet ſanguis, afferet alium ſanguinem, & incipiet ab aſperſionibus interioribus. R. Eleaſar, & R. Simeon dicunt, non incipiebat niſi a loco, ubi ceſſaverat; ſi interiores aſperſiones perfeciſſet, & effuſus eſſet ſanguis, afferet alium ſanguinem, & incipiet ab aſperſionibus exterioribus; ſi partem aſperſionum exteriorum effeciſſet, & effuſus eſſet ſanguis, afferet alium ſanguinem, & incipiet ab aſperſionibus exterioribus. R. Eleaſar, & R. Simeon dicunt: non incipiet niſi a loco, ubi ceſſaverat. Si perfeciſſet aſperſiones exteriores, & effuſus eſſet ſanguis, afferet alium ſanguinem, & initium ducet ab aſperſionibus altaris. R. Eleaſar, & R. Simeon dicunt: non incipiet niſi a loco ubi ceſſaverat. Si perfeciſſet aſperſiones altaris, & effuſus eſſet ſanguis, nihil impediebat effuſio, quæ ad fundamentum fiebat. *Toſaphta Joma cap. III.* Exibat, ut circumiret altare, unde incipiebat? a cornu orientali aquilonari, aquilonari occidentali, occidentali meridionali, meridionali orientali, loco quo inceperat in ſacrificio pro peccato ſuper altare exterius, eodem in altari interiori finiebat; ſuper ſingula ſpargebat ab inferiori parte ad ſuperiorem, excepto eo ſolo, quod erat coram eo, quod ſpargebat a parte ſuperiori ad inferiorem. R. Jehuda dicit nomine R. Elieſeris, loco ſuo ſtabat, & emundabat, & ſuper omnia ſpargebat a parte inferiori ad ſuperiorem, excepto eo ſolo, quod erat coram eo, quod ſpargebat a parte ſuperiori ad inferiorem. Aſpergebat ſuper puritatem altaris ſepties, non aſpergebat ſuper cinerem, nec ſuper prunas, ſed ſolum ſuper tectum altaris, & ipſe (*ſanguis*) inflectebatur ſuper parietem, in ſingulis aſperſionibus intinctio requirebatur. Si aſperſiſſet ſuper cornu ex una ad alteram partem, legitimum erat, a cornu & interius, erat illegitimum, ſi cornuum aſperſiones immutaſſet, reprobum erat, ſi aſperſionum vel unam omiſiſſet, erat interdictum, ſi ſeptem aſperſiones quatuor præceſſiſſent, iterum aſperget de ſanguine, qui ſepties *aſpergebatur*, ſupra ſanguinem, qui quater *erat aſpergendus*. Vix dum perfecerat aſperſiones interiores, exibat, reliquiaſque ſanguinis in lembum occidentalem altaris exterioris effundebat, *& reliquias ſanguinis* altaris exterioris in lem-

lembum meridionalem effundebat. R. Simeon dicit, utrosque *sanguines* in lembum occidentalem, & utrique in fossa miscebantur, & defluebant in torrentem Cedron, & stercorandis hortis olitoribus vendebantur, & pro illis prævaricatio obtinebat, verba R. Meyr, & sapientes dicunt: nulla erat prævaricatio in sanguinibus. *Maimonides ibidem*. Postea reliquum e sanguine juvenci in id, quod ex hirci sanguine relictum fuerat, infundebat, rursusque totum simul effundebat in pateram, qua primum continebatur juvenci sanguis, quo magis inter se confunderentur. Et cum paulo præter aureum altare & candelabrum sanguine isto sic confuso respergere altaris aurei cornua incipiebat; circumibat igitur altaris cornua satis longe remotus, ac ducebat initium ab intermedio inter orientem, & septentrionem cornu; hinc procedebat ad cornu septentrioni & occidenti intermedium, inde ad cornu occidenti & meridiei intermedium, inde ad intermedium meridiei & orienti cornu. Jam aspersiones istas ab altaris inferioris parte ad superiorem dirigebat, omnes præter extremam, quam quod propius a se daret, dirigebat ab parte altaris superiori ad inferiorem, ne forte vestes ejus sanguine commacularentur; exinde carbones, & cineres altaris aurei movebat huc & illuc adeo, ut aurum aperiret, atque puram illam altaris partem sanguine confuso respergebat septies ad meridiem, ubi loci cornuum ejus aspersiones absolverat; egrediebatur inde, & reliquum sanguinis effundebat in basim altaris exterioris, qua spectabat ad occidentem.

Et manibus impositis &c. Siphra ibidem. Et posita utraque manu super caput ejus, docemur, quod manuum impositio utraque manu facienda erat; principii constitutio, quod omnis manuum impositio ambabus manibus facienda esset; *super caput* hirci vivi, vivus tenebatur impositione manuum, sed hirci Idolatriæ manuum impositione non tenebantur, verba R. Jehudæ. R. Simeon dicit: vivo imponendæ erant manus Aaronis, sed hircis Idolatriæ Aaronis manus non erant imponendæ, quia R. Simeon dicebat; omne sacrificium pro peccato, cujus sanguis inferebatur, tenebatur impositione manuum.

[60] *Editaque confessione &c. Siphra ibidem. Confiteatur*; hæc est confessio verborum; quomodo confitebatur? Ah! Domine peccaverunt, deliquerunt, rebelles fuerunt coram te populus tuus domus Israel; ah! Domine remitte nunc peccata, & delicta, & rebelliones, quæ peccaverunt, & quæ deliquerunt, & in quibus rebelles fuerunt coram te populus tuus domus Israel, sicut scriptum est in Lege Mosis servi tui: *in hac die expiatio erit vestri &c.* & ipsi respondebant post eum, benedictum sit nomen gloriosum regni sui in seculum seculi. Non existimo nisi pro peccatis certis; pro incertis, pro peccatis & violentia, & errore commissis unde probamus? ideo dicit, *omnes iniquitates*, pro omnibus iniquitatibus *& universa delicta*, pro universis delictis, *atque peccata eorum*, pro omnibus eorum peccatis; crederem etiam pro iis, pro quibus adducenda erant sacrificia pro peccato, & pro delicto? ideo dicit *illa*; illa super caput hirci, sed non illa, pro quibus afferenda erant sacrificia pro peccato & pro delicto, super caput hirci. Hinc dixerunt; illi, qui debebant afferre sacrificia pro peccato, & pro reatu certo, super quos præterierat dies expiationis, post expiationis diem adducere debebant; & qui tenebantur sacrificiis pro reatu dubio, liberi erant. *Maimonides ibidem*. Hinc accedebat ad hircum emissarium, cui manus duas imponebat, atque peccata confitebatur ita dicens; obsecro Domine, admiserunt delicta, contraxerunt scelera, fecerunt flagitia in conspectu tuo populus tuus, domus Israel; o Domine condona, obsecro, delicta, scelera, & flagitia, quæ admiserunt, contraxerunt, fecerunt in conspectu tuo populus tuus, domus Israel, id quod in Lege Mosis servi tui scriptum est: *In hac die expiatio erit vestri*.

[61] *Emisit in solitudinem &c. Codex Joma VI.* 5. Tradebat eum illi, qui ducturus erat. Omnes legitimi erant ad ducendum, sed quod faciebant Sacerdotes magni, ratum erat, nec permittebant, ut Israelita duceret. Dicit R. Jose: factum est, ut Arzela Zipporensis duceret, & Israelita fuit; & gradum ei fecerunt propter Babylonios, qui crines ei vellicabant, & dicebant: vade, & exi, vade, & exi. Nobiles Hierosolymæ comitabantur eum ad tabernaculum primum. Decem erant tabernacula inter Hierosolymam, & Zuck, & nonaginta stadia, septem stadia cum dimidio conficiunt milliarium. Singulis tabernaculis dicebant ei, ecce cibum, ecce aquas, & comitabantur eum a tabernaculo ad tabernaculum, excepto ultimo, sed stabat e longinquo, & observabat quid facturus erat. Quid faciebat? linguam coccineam dividebat, dimidium ad rupem, dimidium inter cornua ejus alligabat, & impellebat eum retrorsum, & ipse volvebatur & descendebat, nec ad medium montem pervenit, antequam singula membra fracta erant. Ibat & sedebat sub tabernaculo ultimo donec advesperasceret; & quando erat pollutus vestes? a quo muris Hierosolymæ exibat. R. Simeon dicit, a tempore impulsionis ejus ad Zuck. *Maimonides ibidem*. Exinde vivum hircum Pontifex emittebat per hominem eum, qui ad hircum istum in solitudinem abducendum delectus erat; atqui ad abducendum illum omnes erant idonei scilicet, sed Pontifices certum quemdam hominem ad hanc rem deligebant, & iidem non sinebant, ut eum abduceret Israelita. Jam ab urbe Hierosolyma ad solitudinis initium per viam erant constituta tuguria, quorum in unoquoque quiete sedebat unus aliquis, aut plures; hi eum, qui hircum abducebat in solitudinem, hominem comitabantur a tuguriorum uno ad alterum. Apud unumquodque tugurium monebant hominem adesse cibum, adesse potionem, qui si vires eum deficere cepissent, atque ad illas reficiendas opus esset cibo, omnino cibum caperet, sed nunquam usu venit, ut eo indigeret. Postremi tugurii habitatores ad extremum *iter Sabbathi* consistebant, atque procul observabant, quid rerum ageret. Quid ille vero? Nempe coccinum illud, quod linguæ reddens speciem erat hirci cornibus illigatum, dividuum faciebat, dimidium ejus ad saxum deligabat, & dimidium inter hirci cornua, retrudebat hircum ita, ut deorsum volveretur. Et vixdum hircus ad medium montem revolutus erat cum membra ejus dissipata cernerentur; inde reversus homo sub postremo illo tugurio manebat ad vesperam &c. & Pontifex postquam hircum emissarium delecto homini abducendum tradiderat, redibat ad juvencum & hircum, quorum sanguine Sanctum Sanctorum respersum fuerat; his discissis eximebat exta, quæ primum vase reponebat, tum adolebat in altari; idem & carnem eorum reliquam in majora secabat frusta, quæ eadem quadam velut implicatione inter se colligata relinquebat, non dissolvebat; tum eadem aliis tradebat deportanda ad eum locum, quo cremabantur; hic ea simul cum pelle sua perscindebantur, sicut alio loco disseruimus.

[62] *Ex lingua coccinea &c. Gemara Babyl. Joma*. Tradunt Rabbini, quod in principio alligabant linguam coccineam ad ostium vestibuli exterioris, si albescebat, lætabantur, si non albescebat, dolebant & confundebantur. Statuerunt ut alligarent eam ad ostium vestibuli interioris, & tum introspiciebant, si albescebat, lætabantur, si non albescebat, dolebant, & confundebantur. Statuerunt ut dimidium ad rupem, & dimidium inter cornua ejus alligarent. *Alii scribunt ex agitatis sudariis Pontifici hirci adventum in desertum innotuisse. Codex Joma VI.* 8. Dicebant Sacerdoti magno, hircus ad desertum accesserit, & unde sciebant hircum ad desertum accessisse? Speculas in via fecerunt, & agitabant sudaria, & sciebant hircum ad desertum accessisse. Dicit R. Jehuda, & annon illis signum magnum erat hoc? ab Hierosolyma usque ad aditum deserti tria erant milliaria, ibant milliarium, & redibant, & æstimabant quasi milliarium, & redibant, & æstimabant quasi milliarium, & sciebant hircum ad desertum accessisse. Traditio Exotica. Dicit R. Ismael, & annon illis signum aliud erat hoc? lingua coccinea alligata erat ad portas templi, & cum hircus ad desertum accessisset, albescebat, quia dicitur: *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, sicut nix albescent;* ita Hebræus.

[63] *Pars altera &c. Codex Joma ibidem*. Quid faciebat? linguam coccineam dividebat, dimidium ad rupem, & dimidium inter cornua ejus alligabat. *Maimonides ibidem*. Quid ille vero? Nempe coccinum illud, quod linguæ reddens speciem erat hirci cornibus illigatum, dividuum faciebat; dimidium ejus ad saxum deligabat, & dimidium inter hirci cornua.

[64] *Maledictum &c. In epistola S. Barnabæ hæc et-*

iam

iam leguntur. Sumite duos hircos bonos, & ſimiles, & offerte, & accipiat Sacerdos unum in holocauſtum, alterum in maledictum . . . . . . & conſpuite illum omnes, ac lancinate, & imponite lanam coccineam circa caput ejus, & ſic in deſertum emittatur.

65 *Vellicabant &c. Codex Joma ibidem*. Et gradum ei fecerunt propter Babylonios, qui crines ei evellebant, & dicebant ei: vade, & exi, vade, & exi. *Babyl. Joma fol.66.* Et ſuppedaneum ei fecerunt propter Babylonios, qui capillos ejus vellicare ſoliti ſunt & dicere: vade, & exi, vade & exi. *Gemara ibidem*. Rabba bar Channah dicit: Babylonii non fuerunt, ſed Alexandrini, at quia odio habuerunt Babylonios, ideo hos eorum nomine vocarunt; vade, & exi; quare moratur hic hircus, cum peccata generationis hujus ſint tam multa? *Gloſſa*. Fecerunt ei ſcabellum, vel ſuppedaneum, ut ille altior foret, & ſuper hoc exiit ex atrio, atque urbe, atque hoc ne Babylonii hircum attingerent; nam ſoliti ſunt capillos ejus vellere, dicereque; ito, feſtina, exi, ne moreris, peccata noſtra ſunt adhuc ſuper nos. *Bartenora ad cap. VI. 4. Codicis Joma. Nam pilos ipſi evellebant, & dicebant*, defer, feſtina, & exi, neque detine peccata noſtra diutius.

66 *Deinde Pontifex &c. Maimonides ibidem; cap. III. 8.* Ut primum hircus emiſſarius pervenerat ad ſolitudinem, Pontifex in atrium mulierum exibat; hic aſtantibus de Lege prælegebat aliquid &c. Lectio vero non erat ipſa divina res, quare vel ſuis, ſi liberat, indutus veſtibus albis communibus legebat, vel, ſi malebat, indutus ſacris veſtibus albis; namque Sacerdotibus eſſe conceſſum, ut veſtibus uterentur ſacerdotalibus etiam extra rem divinam, alio loco expoſuimus. Erat iſte legendi modus. Sedebat in atrio mulierum Pontifex, cujus in conſpectu populus omnis ſtabat in pedes; æditUus volumen Legis depromebat, & idem hoc tradebat principi Synagogæ, Synagogæ princeps idem illud tradebat vicario, & vicarius demum Pontifici. Pontifex accipiendo volumini aſſurgebat, idemque ſtans legebat ex eo totam illam ſectionem, cujus principium eſt, *poſt mortem*. Levit. 16. 1. Et e ſectione illa, quæ eſt de diebus ſolennibus legebat a verſu *Decimo die*. Ibidem 23. 27. ad finem ejus rei; tum volumen convolvebat, & in ſinu ſuo repoſitum tenebat, atque ita dicebat: *pluſquam ego prælegi vobis, hic ſcriptum eſt*, atque ex ea parte Pentateuchi, quæ eſt de recenſendo Iſraelitarum numero, memoriter recitabat, *decima quoque &c.* Num. 29. 7. ad finem hujus rei. Id vero recitabat memoriter, quia liber ille Legis inſpectante tota Eccleſia non ita evolvitur; nec vero legebat id de alio libro, quia non eſt permiſſum, ut unus & idem homo de libris duobus quidpiam populo prælegat, ne librorum prior veniat in ſuſpicionem vitii. Ante & poſt lectionem iſtam fundebat preces eas, quæ ſolent in Synagogis; ſed enim preci poſteriori ſex alias addebat; *Placeat tibi Domine Deus noſter &c. Nos tibi confitemur &c. Ignoſce nobis, Pater noſter, quia peccavimus &c.* atque iſti precationi hanc clauſulam addebat: *Laus tibi Domine, qui miſericors populo tuo Iſrael peccata condonas*. Hoc ordine videlicet primæ tres preces fundebantur; tum ſeorſum pro templo Deum precabatur, atque hujus precis erat iſta ſententia, ut ſtabile permaneret templum, & reluceret in eo divina Majeſtas; clauſula erat, *Laus tibi Domine, qui Sion incolis*. Porro pro populo Iſraelitico ſeorſum Deum orabat in hanc ſententiam, ut populum Iſraeliticum ſalvum & incolumem præſtaret, neque Regem ex eo ſublatum eſſe vellet; clauſula erat: *Gratia tibi Domine, quia delegiſti Iſraelem*. Denique ſeorſum pro Sacerdotibus Deum orabat in eam ſententiam, ut cordi eſſet Deo eorum cum tota agendi ratio, tum præcipue rei divinæ adminiſtratio, ac ſuam in eos benignitatem conferret; clauſula erat: *Gratia tibi Domine, qui ſacraſti Sacerdotes*; addebat inde preces, obſecrationes, & hymnos, & rogationes more & modo ſuo; clauſula erat: *opitulare Domine populo tuo Iſrael, quia enim populus tuus opis eſt indigens; gratia tibi Domine, qui precem exaudias*.

67 *Sic ut nemo &c. Maimonides ibidem*. Atque interea, dum id ipſe legebat, juvencus, & hircus cremabantur ab aliis ad receptaculum cineris. Ergo fieri non poterat, ut qui lectioni Pontificis, idem ſimul, & juvenci, hircique cremationi aſſiſteret. Jam horum cremationem per hominem alienum fieri licuiſſe ſupra dictum eſt.

68 *Quarto Sanctum &c. Codex Joma VIII. 4.* Sanctificabat manus & pedes, & exuebat, & deſcendebat, & lavabat, & aſcendebat, & abſtergebat. Adducebant ei veſtes albas, & induebat, & manus & pedes ſanctificabat. Intrabat ut depromeret cupam thuribulumque. Sanctificabat manus & pedes, & exuebat, & deſcendebat, & lavabat, aſcendebat, & abſtergebat. Adducebant ei veſtes aureas, & induebat, & ſanctificabat manus & pedes, & intrabat ad ſuffiendum ſuffimentum veſpertinum, & ad aptandum lucernas, & ſanctificabat manus, & pedes, & exuebat. Adducebant ei veſtimenta propria, & induebat, & comitabantur eum ad domum ſuam. Ipſe vero convivium parabat amicis, quando in pace exierat e Sanctuario. *Maimonides ibidem cap. IV. 2.* Exinde corpus abluebat, induebat veſtes albas, atque manus & pedes lavabat, introibat in Sanctum Sanctorum, ex quo thuribulum & acerram efferebat, atque lavabat manus & pedes, & veſtes albas exuebat; deinde corpus abluebat, induebat veſtes aureas, atque manus & pedes lavabat, incendebat ſuffimentum veſpertinum, accendebat lucernas veſpertinas ſic, ut ſingulis diebus fieri ſolebat; tum lavabat manus & pedes, veſtes aureas exuebat, induebat veſtes ſuas, ac domum ſuam abibat. Jam domum ſuam eum deducebat populus omnis, & ipſe, quod ſalvus & incolumis e Sancto Sanctorum exiſſet, diem feſtum celebrabat.

69 *Trium & quadraginta &c. Toſaphta Sevachim IV. 16.* Pro quo dicta ſunt hæc? pro ſanguinibus, qui foris aſperguntur ſuper altare exterius; ſed in ſanguinibus, qui intus aſperguntur ſuper altare interius, veluti ſunt octo & quadraginta diei expiationum, & undecim juvenci congregationis, & undecim juvenci Sacerdotis uncti, tam in mactando, & excipiendo quam in transferendo (*ſeu eundo*) ſive in prima (*aſperſione*) ſive in poſtrema cogitaverit pro ſingulis extra locum ſuum, illegitimum eſt *ſacrificium &c. Toſaphta Menachoth VI. 9.* Omnes aſperſiones, quæ intus fiebant, veluti octo & quadraginta diei expiationum, & undecim juvenci congregationis, & undecim juvenci Sacerdotis uncti, ſe mutuo impediunt, & earum pars minor majorem impedit. *Maimonides ad cap. III. 6. Codicis Menachoth*. Sparſiones igitur, quæ die expiationis fiebant intus, ſunt quadraginta tres, ſedecim ſuper vectes Arcæ, octo e ſanguine juvenci, & totidem e ſanguine hirci, ſic etiam ſuper velo octo fiebant e ſanguine juvenci, & totidem e ſanguine hirci; nam de hac ſparſione dicitur Levit. 16. 15. על הפרכת לפני הכפרת יזה שבע בעמים, horum ſenſus eſt, quod ſepties intus coram vectibus ſpargendum ſit, & toties ſuper Propitiatorium, una autem e ſeptem ſparſionibus fiat ſurſum, ſicuti expoſuimus in tractatu Joma; atque hoc colligitur ex eo quod dicitur: והזה באצבעו, quæ una eſt ſparſio, poſtea vero ſepties, quæ ſeptem ſunt ſparſiones. Poſtea vero ſi ſparget de ſanguine juvenci & hirci, ſparget utroque ſanguine mixto quatuor ſparſiones ſuper quatuor cornua altaris aurei, & ſeptem ſuper medium illius, ſicuti exponitur in tractatu Joma; idcirco lex quoque dicit: ונתן על קרנות המזבח סביב. Levit. 16. 18. & ibidem 16. 19. והזה עליו מן הדם באצבעו שבע פעמים. Et hoc ſenſu de juvenco pro re occulta offerendo.

70 *Una ſparſio &c. Maimonides de die Expiationum cap. III. 5.* Idem horum ſanguinem in templum inferebat; nam ex amborum ſanguine per diem illum aſperſiones fiebant tres & quadraginta: ac primum quidem ex ſanguine juvenci aſperſiones octo fiebant in Sancto Sanctorum intra binos vectes Arcæ fœderis ad unum circiter palmum ab Propitiatorio ſic, uti ſcriptum videmus: *& aſperget digito ſepties contra Propitiatorium*. Levit. 16. 14. Hic una fiebat aſperſio ſurſum verſus, & deorſum verſus fiebant aſperſiones ſeptem; nam quod ſcriptum legitur: *& aſperget . . . . . . ſepties*, id traditio (*ſed humana*) docuit intelligendum eſſe præter aſperſionem primam. Pontifex igitur aſperſiones ita numerabat, una, una & una, una & duæ, una & tres, una & quatuor, una & quinque, una & ſex, una & ſeptem. Quod autem ita numerabat hæc cauſa erat, quia alioquin fieri potuiſſet, ut per oblivionem numero ſeptem aſper-

aspersionum aspersionem primam comprehenderet.

[71] *Tot ibidem &c. Maimonides ibidem.* Tum deinde de sanguine hirci, item inter vectes Arcæ fœderis aspersiones fiebant octo, una videlicet sursum, & deorsum septem, quæ aspersiones eodem modo numerabantur, quo superiores ex sanguine juvenci.

[72] *Tot contra velum &c. Maimonides ibidem.* Post in templo contra velum iterum ex sanguine juvenci fiebant aspersiones octo, una sursum, & deorsum septem; namque de sangine juvenci scriptum legitur: *Contra Propitiatorium, & coram Propitiatorio*, ac numerandi ratio tenebatur eadem, quæ in Sancto Sanctorum; tum etiam de hirci sanguine fiebant item contra Propitiatorium aspersiones octo, una sursum, deorsum septem; nam de hirci sanguine scriptum fuit: *facietque de sanguine ejus, quemadmodum fecit de sanguine juvenci*; sic Hebræus. Et hoc loco eadem atque intus numerandi ratio tenenda fuit, & cunctis istis aspersionibus faciendis Pontifex ut spargendo summam infimamque loci partem attingeret neutiquam contendebat, sed imitabatur lictorem, qui damnatos verberum ictibus undequadraginta multabat.

[73] *Quatuor ad cornua &c. Maimonides ibidem.* Postea juvenci sanguis cum hirci sanguine confundebatur, atque de confuso amborum sanguine aspersiones quatuor ad quatuor cornua altaris aurei in templo siti.

[74] *Septem super &c. Maimonides ibidem.* Item & aspersiones septem ad ejusdem altaris medium. Ad singulas istarum quadraginta trium aspersionum Pontifex digitum in sanguinem intingebat, nec vero licebat ut per tincturam unam & eamdem aspersiones fierent duæ; porro reliquum sanguinis effundebatur ad altaris exterioris fundamentum, qua spectabat occidentem.

[75] *Non recta sursum &c. Codex Joma V.* 3. Nec intuebatur ad spargendum sursum, aut deorsum, sed quasi flagellator, & sic numerabat &c. *Tosaphta Joma II.* 25. Nec intuebatur ad spargendum sursum aut deorsum, sed instar alicujus casu manum attollentis. *Maimonides ibidem.* Et cunctis istis aspersionibus faciendis Pontifex ut spargendo summam infimamque loci partem attingeret, neutiquam contendebat, sed imitabatur lictorem, qui damnatos verberum ictibus undequadraginta multabat.

[76] *Excepto isto &c. Tosaphta Joma. cap.* I. Super omnia spargebat ab inferiori parte ad superiorem, excepto eo solo, quod erat coram ipso, quod spargebat a parte superiori ad inferiorem. R. Jehuda dicit nomine R. Elieseris: in loco suo stabat, & emundabat, & super omnia spargebat a parte inferiori ad superiorem excepto eo solo, quod erat coram eo, quod spargebat a parte superiori ad inferiorem. *Siphra ad Levit.* 16. 18. R. Jehuda dicit nomine R. Elieseris: in loco suo stabat, & emundabat, & super omnia spargebat a parte inferiori ad superiorem, excepto hoc, quod spargebat a parte superiori ad inferiorem. *Maimonides ibidem IV.* 2. Jam aspersiones istas ab altaris inferiori parte ad superiorem dirigebat omnes præter extremam, quam quod propius a se daret, dirigebat ab parte altaris superiori ad inferiorem, ne forte vestes ejus sanguine commacularentur. *Bartenora ad V.* 5. *Codicis Joma*; quod spargebat *desuper superne*; nam si inferne superne spargeret in cornu, quod erat coram eo, sanguis flueret in mediam manum suam, & inquinaret vestimenta sua. R. Eliesер vero putat, quod sacerdos stabat in uno cornu, & inde sanguinem spargebat in omnibus, quia totum altare unum tantum cubitum per quadratum continebat. Cum autem tria cornua non erant prope ipsum, sanguinem inferne superne spargere poterat sine inquinamento vestis suæ, excepto illo cornu, quod prope ipsum erat, quia non poterat digitorum suorum extremitatem imponere inferne, sed superne; nam si imponeret extremitatem digitorum suorum inferne, & sanguinem spargeret inferne superne, sanguis deflueret in manicam tunicæ suæ. Decisio non est R. Eliesеr.

CAPUT SEPTIMUM.

De festo novi anni, & noviluniis.

§. I. Festum novi anni.

I. DIem [1] qui novo anno civili præbet initium, & primus est mensis Tisri, יום תרועה [2] *diem clangoris* appellatum legimus. *Num.* 29. 1. זכרון תרועה [3] *memoriam clangoris. Levit.* 23. 24. Judæis vulgo ראש השנה *initium anni*, quo titulo codex Misnicus extat. Ἱερομηνία & σαλπίγγων ἑορτὴ Philoni *lib. de festis pag.* 1193. Sunt autem [4] duo dies hujus festi שני ימים טובים של ראש השנה uti liquet ex *Schabbath.* XIX. 5. & *Gem. Pesachim.* 47. 1. [5] etiam in terra Canaan celebrati: quos observandos esse secundum placita *prophetarum priorum* נביאים הראשונים scribitur in *Gem. Hier. Eruvin.* 21. 3. Sunt duo hi dies ejusdem sanctitatis, quum in noviluniis dies posterior non adeo sanctus sit ac prior. *Gem. Betza.* 6. 1. *Gem. Eruvin.* 39. 2.

§. II. Clangor buccinæ & sacrificia.

II. Clangebatur eo die in templo a mane ad vesperam *buccina* שופר, [6] sive *cornu arietino incurvo*, קרן הכבשים הכפוף, quum [7] in aliis noviluniis tantum uterentur *tubis*, sive חצוצרות uti *Num.* 10. 10. præcipitur (licet enim id in sacro codice [8] diserte non extet שופר *buccinam* fuisse adhibitam, colligunt tamen Judæi ex *Levit.* 25. 9. & antiqua traditione) vide *Rosch hasschana.* III. 2. Quamobrem *Psalm.* 81. 4. *buccina clangite in novilunio* בשופר de solo novilunio Tisri, id est, festo novi anni, intelligendum docent in *Gem. Rosch hasschana* 8. 2. Nunc autem templo diruto nunquam buccina & tubis simul utuntur: [8] id tantum in templo licuit *Psal.* 98. 6. at initio novi anni sola buccina, in jejunio [9] solis tubis, utuntur. Buccina qua nunc utuntur, tum in synagoga hujus urbis Trajectinæ, tum alibi in Belgio, constat ex cornu arietis, quod planum est ab utroque latere, & ab eo foramine, quod ori clangentis admovetur, recta protensum est fere ad spatium pollicum quindecim, & inde inflectitur, fere ad angulum rectum (uti Mathematici loquuntur) per spatium pollicum quinque usque ad foramen latius per quod sonus exit. Quod si dies novi anni in sabbathum incideret, Hierosolymis clangebant non alibi. *Rosch hasschana.* IV. 1. Præterea offerebantur sacrificia quædam singularia, quæ recensuimus *parte* III. *cap.* I.

III.

§. III. Ratio clangoris.

III. Quam ob rem clangor buccinæ hoc festo institutus sit disputant Judæi. Volunt respici eo [10] ad libertatem populi, quum in fine jubilæorum clangore buccinæ libertas publicaretur, vel ad liberationem Isaaci & substitutionem arietis. *Gem. Rosh. hasschana.* *16.* 1. [11] vel legis lationem, [12] vel Dei regis imperium in eos, vel futuram liberationem per Messiam. *Gem. Rosch hasschana.* 11. 2. *Mechilta* 14. 1. vel futuram resurrectionem. Alii buccina figuram lunæ falcatæ indicari existimant. Confer Philonem *de festis pag.* 1193.

§. IV. De noviluniis.

IV. Novilunia quomodo a calculo astronomico & phasi dependerint supra *cap.* 1. diximus. Celebratur Hierosolymis [13] unus modo dies hujus festi, at in locis remotis duo ob incertam mensis consecrationem; non enim per nuncios rescíscere poterant sat mature, quo die Hierosolymis novilunium esset indictum: sed in iis locis, ad quæ tempestive [14] nuncii appellere poterant, unus modo dies celebrabatur, [15] quem morem hodieque servant, licet solum calculum astronomicum sequantur, ultimum diem unius & primum alterius festum habentes: qui secundus dies יום שני של גליות dicitur, in *Gem. Pesachim.* 52. *Gem. Betza* 4. 2. Sunt qui olim quoque biduum celebratum putent ob 1. *Sam.* 20. 27. Hanc consecrationem olim [16] per ignes accensos significare consueverunt: sed postea, [17] fraude [18] Samaritanorum detecta, certos homines ejus rei causa miserunt. *Rosch hasschana*. 11. 2. 4. *Gem. Betza.* 4. 2. Canebant sacerdotes *tubis* חצוצרות in festo novilunii *Num.* 10. 10. & offerebantur sacrificia superius *cap.* 1. recensita, undecim videlicet victimæ, quod annus lunaris minor esset per spatium [19] undecim dierum anno solari. In *Gem. Chullin.* 60. 2. fingitur Deus dixisse: *offerte sacrificium, quod minorem fecerim lunam sole*, אמר הק׳ בה׳ הביאו קרבן שמיעטתי את הירח & mox: *hircus hic* (in noviluniis offerendus, [20] qui expiat peccatum hominis mundi, qui comedit cibum immundum, uti est in *Schevoth.* 1. 4.) *sit in memoriam hujus rei, quod lunam fecerim minorem sole*, שעיר זה יהא זכרון על׳ שמיעטתי את הירח וכו׳.

COMMENTARIUM IN CAPUT SEPTIMUM.

[1] QUi *novo anno &c. Codex Rosch hasschana* I. Quatuor sunt annorum principia. Primo die mensis Nisan Regum, & festorum principium anni est. Primo die mensis Elul novus annus est pecoris decimandi. R. Eliefer, & R. Simeon in primum Tisri incidere statuunt. Primo die mensis Tisri est caput anni ad figendos annos, & intermissiones, & Jubilæa, simulque novus annus est plantationis omnium arborum, & herbarum. *Tosaphta Rosch hasschana* I. 7. Tisri est caput anni ad figendos annos, & annos Sabbathicos, & Jubilæa, simulque novus annus est plantarum, & herbarum, & decimæ, & votorum; quo pacto intelligitur pro annis & annis Sabbathicis, & Jubilæis? Non fit initium numerandi annos, & annos Sabbathicos, & Jubilæa, nisi a *mense* Tisri.

[2] *Diem clangoris &c. Abarbanel in Legem fol.* 264. 1. Ne tibi dubium movere debet, quod uno loco Num. 29. 1. יום תרועה *dies clangoris*, in alio vero Levit. 23. 24. זכרון תרועה *memoria clangoris* dicatur; vocatur enim dies clangoris in memoriam clangoris illo die instituti. Clangor autem, cujus meminit Scriptura hoc die Levit. 23. 24. est clangor buccinæ, non sicut Karæi errantes sustinent, clangorem in textu commemoratum esse hymnum & laudem Dei juxta illud Esdræ 3. 11: *omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum*; non enim repetitur clangor, & vociferatio diebus solennibus nisi cum tubis argenteis, non autem cornu Jobel, sicut habetur Num. 10. 10: *si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis* argenteis. Hic ergo manifestus error est; etenim quod dicitur Esdræ 3. 11. totum populum clanxisse, id mox explicatur de hymno & laude, quia dicitur: *clamore magno in laudando*. In hac autem sectione ubi non refertur hymnus & laudatio, non oportet diem clangoris ita explicari, quia laudatio in omnibus solennitatibus obtinebat; ideoque hic dies in singulari dicitur *dies clangoris*, & habemus textus alios, qui hoc declarant, ut Psalm. 80. 4. &c.

[3] *Memoriam clangoris &c. Siphra ad Levit.* 23. 24. *Loquere filiis Israel ..... convocatio sanctitatis*, sic Hebræus; at gentiles non jubentur in convocatione Sanctitatis; ex filiis Israel non probo nisi pro filiis Israel; unde probo pro proselytis, & servis? ex eo quod dicit: *erit vobis Sabbathum memoriale clangoris*. R. Eliefer dicit, *Sabbathum*, hic exprimitur diei sanctitas, *convocatio sanctitatis*, a te pendet ejus sanctificatio; ei dixit R. Akiba, non denotat hæc vox *Sabbathum* nisi quietem ab operibus; ita enim se explicat in primo Sabbatho. Sed *memoriale* denotat benedictionem memorationis; *clangoris* significat benedictionem buccinarum, *convocatio sanctitatis*, hic includitur diei sanctitas; & unde probatur, quod cum his de imperiis benedictiones sint includendæ? ex eo quod dicit: *Dominus Deus vester in mense septimo*. Rabbi filius R. Jehudæ dicit: quid dicendum erat, *ut sint vobis in recordationem Dei vestri*? Num. 10. 10. Hoc est fundamentum principale, quod quotiescumque memorationes recitabit, post eas statim imperia recitet necesse est. Quinam est ordo benedictionum? Dicat prius *sectionem* patrum, deinde *sectionem* fortitudinum, & sanctitatis nominis Dei, in qua comprehendet imperia, & non clanget; & postea sectionem de buccinis, & clanget; & deinde recitabit benedictiones de ceremonia sacrificiorum, & de gratiarum actione, & de benedictione sacerdotum; verba R. Jochananis filii Nuri. Ei dixit R. Akiba; si non clangit pro imperiis, quare recitat? Sed dicet sectionem patrum, fortitudinum, & sanctitatis nominis Dei, & in ea comprehendet imperia, una cum diei sanctitate, & clanget; & *sectionem* de memoratione, & clanget; & postea recitabit benedictionem de ceremonia Sacrificiorum, & confessione, & benedictione Sacerdotum. Rabbi dicit, cum imperiis recitabit diei sanctitatem; etenim quemadmodum invenimus, quod hæc quolibet die quarto loco recitetur, etiam hoc die quarto loco recitanda est. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit; diei sanctitas includenda est in sectione memorationis. Dixit Rabban filius Gamalielis, quemadmodum semper in medio benedictionum recitatur, ita etiam hoc die in medio benedictionum. Et cum aliquando sanctificasset novilunium in Hussa in primo die, surrexit R. Simeon filius R. Jochananis filii Berokæ, & dicit; *oratio* juxta opinionem R. Jochananis filii Nuri. Dixit Rabban Simeon filius Gamalielis, non hæc apud nos in Jabne consuetudo obtinuit. Secundo die surrexit

Chanania filius R. Jose Galilæi, & dixit, juxta opinionem R. Akibæ. Dixit Rabban Simeon filius Gamalielis, non hic apud nos in Jabne erat usus. Et unde probatur cornu clangendum? ex eo quod dicit: *& clanges buccina mense septimo, decimo die mensis, propitiationis tempore*. Levit. 25. 9. Quid dicendum erat *mense septimo*? ut nobis significaret, quod clangor mensis septimi huic similis esset, sicuti hic cornu, etiam clangor diei principii novi anni cornu est celebrandus. Et unde probatur, quod תקיעה (*sonus rectus*) præcedere debeat? ex eo quod dicit: והעברת שופר, *& clanges cornu*; & unde probatur תקיעה sequi debeat? ex eo quod scriptum est: והעברת שופר; non probavi nisi pro Jubilæo; unde probatur pro principio novi anni? ex eo quod dicit: והעברת שופר *mense septimo, decimo die mensis, propitiationis tempore*; quod diceret *in mense septimo*, non erat necesse; cur dicit in *mense septimo*? ut nobis significet, quod clangor mensis septimi sit huic similis. Sicuti in hoc unus clangor rectus ante, & alter post, etiam in clangore principii novi anni unus clangor rectus præcedet, & alter sequetur. Unde probatur, quod clangorum ordo ter repetatur, & singulus ordo ex tribus componatur? ex eo quod dicit: *clanges buccina; Sabbathum memoriale clangoris ..... convocatio sanctitatis; quia dies clangoris est*. (*ter dicit*) Hinc docemur tres ordines, quorum singuli ex tribus clangoribus componantur. Et unde probatur explicandum id, quod est in Jubilæo, de principio novi anni, & id quod est in principio novi anni, de Jubilæo? ex eo quod dicit: *in mense septimo, in mense septimo*, a pari. Quinam erat ordo clangorum? clangor rectus, fractus, & rectus; clangor rectus, fractus & rectus; ter ita *repetitur*, ita ut novem sint clangores &c.

[4] *Duo dies festi &c. Codex Schabbath. XIX.* 5. Si in diebus duobus principii novi anni; *Ubi Bartenora*; Quod si fuerint duo dies festi novi anni, qui sunt sanctitas una. *Gemara Pesachim fol.* 47. I. Duo dies boni principii anni.

[5] *Etiam in terra Canaan &c. Maimonides Kidd. Hach. V. 6.* Quamobrem uti quondam dum Judæam habitantes ex visione Lunæ novæ constituebant in omnibus locis, quo non poterant de calendis finitis nuncii perferri ab his, qui mense Tisri nunciatum mitterentur, sic etiamnum prorsus omnes dies solennes biduo celebrant; & qui Palæstinam incolunt hoc tempore, ut olim, dies solennes simplices habent, quippe qui nunquam sunt aliter soliti. Ex quo cognoscere licet, secundum quemque diem solennem, quem nos extorres his temporibus celebramus, edicto sancitum esse sapientum. Atque illum quidem, a quo ducitur civilis anni principium, diem festum, vel eorum plerique, qui Palæstinam habitabant, geminabant etiam tum, cum ad visionem lunæ novæ calendas dirigerent; neque enim certo scire poterant, quonam die consilium finiisset calendas Tisrinas, siquidem die festo nunciatum proficiscebatur nemo. Quin etiam Hierosolymæ, quæ erat supremi Senatus illius sedes, tamen hunc diem solennem, unde annus incipit, sæpenumero geminabant; etenim tricesimus ille mensis dies, quo nuncii lunæ novæ expectabantur, totus habebatur sanctus, itemque posterus, quando die mensis tricesimo lunæ novæ nuncii venerant nulli. Itaque sciverunt, ut & Judæam habitantes, quoniam, dum ad visionem lunæ mensem dirigerent, duos ad principium anni dies agebant solennes, nunc computatione tempora finientes, duos itidem celebrarent. Hinc igitur patet, etiam alterum diem festum ad anni principium celebrari nunc ex decreto sapientum. *R. Mardochai Japhe in Levusch part.* 1. *num.* 600. 1. Primum quando advenerat tricesimus dies Elul, cessabant ab opere, & sanctificabant diem illum ab ejus vespera, quia fieri poterat ut testes novilunii crastino die venirent, & dicerent, se lunam vidisse, & sic esset dies ille dies novilunii, & novi anni, ac proinde nox illa ad diem festum *novi anni* pertineret; quin & interdiu sedebat Synhedrium Hierosolymis, & præstolabantur adventum testium de lunæ phasi testantium, & quacunque hora diei venirent usque ad vesperam, eo die consecrabant novilunium, & fuit dies novi anni; ab eo die & deinceps numerabant usque ad diem Expiationum, & festum Tabernaculorum, semperque solebant testes venire ante Minchæ tempus. Accidit aliquando ut serius post Mincham advenirent, cum jam sacrificium juge vespertinum oblatum esset, unde factum, ut Levitæ in Cantico erraverint, & canticum commune, *non die festi* cecinerint, existimantes illos non amplius venturos eo die; ipsis vero advenientibus, viderant diem esse Sanctum, & rem hanc in contemtum diei festi cedere. Ab eo ergo die & deinceps sanciverunt ut non acceptarentur testes nisi ad Minchæ tempus, si serius venirent, illum diem debere esse intercalarem, & censendum pro die 30. mensis Elul, & ab ejus crastino numerandum esse ad diem expiationum, & Tabernaculorum; potestas enim hujus rei data est domui Judicii, seu Synhedrio Hierosolymitano. *Hæ sunt solennitates Domini, quas vocabitis vos*, ita Hebræus, h. e. quas vos statuetis, & determinabitis, sive erretis, sive non. Nihilominus quamvis solennitates non numerarent a die hoc, & pro die communi haberetur, diesque festus sit demum crastinus, tamen non vilipendebant eum, quia de jure & secundum Legem deberet esse dies festus. Quoniam autem facultas data est domui Judicii eum transferendi, ideo ab operibus residuum diei abstinendum, & eum usque ad noctem sanctificandum ordinarunt ex statuto Rabbinorum; sequentem autem fecerunt diem novi anni, & festum secundum Legem. Loca etiam ab Hierosolyma procul dissita singulis annis debebant facere duos dies festos, quia fieri poterat, ut testes demum post Mincham venirent; ideo Sanctitas eorum est sanctitas una ex statuto Sapientum & præcepto illorum juxta facultatem a Lege ipsis concessam. Neque hic dicendum, *videri tamen alterutrum ex his esse communem*; nam neuter illorum est dies communis, sed primus est sanctus ex Lege, quia in eo fuit uovilunium, & illud testes viderunt, & sic est dies novi anni, & novilunii; secundus sanctus est ex sententia domus Judicii, quibus Lex dedit facultatem numerandi solennitates a die crastino. Hac de causa ambos ejusdem fecerunt Sanctitatis, & ad instar diei unius longi. Etiamsi autem illi numerarint solennitates a die primo, tamen nos solemus etiam secundum diem sanctum facere ex consuetudine domus Judicii. R. Jochanan filii Zacchai, qui fuit post vastationem templi, neque amplius curavit destructionem vel confusionem Cantici (de quo paulo ante) & ordinavit ut reciperentur testes toto die, & eum pro die primo numerarent, etiamsi post Mincham venissent. Interea tamen prima constitutio non sublata est, quia ambo dies sanctificantur, & rationem habent sanctitatis unius longæ.

[6] *Sive cornu &c. Tosaphta Rosch hasschana II.* 2. R. Jehuda dicit, in principio novi anni clangitur *cornibus* arietinis, & in Jubilæo de rupicapris. *Maimonides* שופר *I.* Est præceptum Legis affirmativum, ut audiatur clangor buccinæ in principio novi anni e versu, qui dicit: *quia dies clangoris est*; Num. 29. I. Et buccina, qua clangunt in principio novi anni, & in Jubilæo, erit cornu arietinum incurvum, & omnia cornua sunt illegitima excepto cornu arietino.

[7] *In aliis noviluniis &c. Siphri ad Num.* 10. 10. *Si quando habebitis epulum, & dies festos*; hæc sunt Sabbatha; R. Nathan dicit, hæc sunt sacrificia jugia; *& dies festos*, hæc sunt tria festa; & calendas, juxta, sensum suum; *canetis tubis* de cœtu textus agit; tu dicis, quod de cœtu textus agat; an ego dicere non possim, quod textus agat tam de cœtu, quam de privato? dixisti? de qua re agitur? de cœtu. R. Simeon filius Azai dicit, de cœtu textus agit, an ego dicere non possim, quod textus agat tam de cœtu quam de privato? ideo dictum est: *super holocaustis, & pacificis victimis*, sicuti holocausta sunt sanctitates sanctitatum; etiam pacifica ut sint sanctitates sanctitatum. At ego dicam, sicuti holocausta possunt esse tam cœtus, quam privati, ita etiam pacifica tam cœtus, quam privati; ideo dictum est: *super holocaustis & pacificis victimis*, sicuti holcausta cœtus, etiam pacifica cœtus. *Abarbanel ad Levit.* 23. *fol.* 264. 2. Quod autem Num. 10. 10. dicitur; *si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas canetis tubis*, illud est ad distinguendum illum clangorem a clangore buccinæ, & in eo non comprehenditur negotium diei clangoris (novi anni) Nam clangor tubarum erat diversus, institutus in omnibus solennitatibus, & noviluniis, tempore oblationum, sicut additur: *super holocaustis, & pacificis victimis*. Ast clangor buccinæ die clangoris (principio anni) præter illum erat usitatus.

8 *Di-*

[8] *Diſerte non extet &c. Maimonides ibidem.* Etiamſi non exprimitur in Lege clangor per שופר in principio anni, *loquitur* quidem de Jubilæo. Levit. 25. 9. *& clanges buccina &c. Et in alio loco : & clangetis buccina*, tamen per oralem traditionem accepimus, quod ſicuti clangor Jubilæi fit per שופר, ſic etiam in principio anni per שופר fieri debet.

[9] *Id tantum in templo &c. Codex Roſch haſſchana III.* 3. Buccina feſti novi anni fuit de rupicapra recta, & orificio auro obducto, & duæ tubæ ab utroque latere; buccina ſonitum edebat diuturniorem, tubæ minus diuturniorem, quia præceptum iſtius diei eſt, ut clangatur buccina. *In quem locum ita Maimonides.* Ordo hic tantum obtinebat in ſanctuario, eo quod Deus dixit: *in tubis ductilibus & voce tubæ corneæ jubilate in conſpectu Regis Domini*. Pſalm. 97. 6. 7. Sed extra ſanctuarium non clangebant in feſto novi anni, niſi buccina tantum, & in jejuniis tantum cum tubis, quod præceptum in ſe continebat, quia jejunia tantum propter Eccleſiæ anguſtias inſtituta ſunt, uti ſcriptum eſt Num. 10. 9: *contra hoſtes qui dimicant adverſum vos clangetis ululantibus tubis. Idem* שופר *I.* 2. In domo ſancta clangebatur in principio novi anni buccina, & duabus ab utroque latere tubis; buccina ſonitum edebat diuturniorem, & tubæ minus diuturniorem, quia præceptum hujus diei erat, ut buccina clangeretur; & cur una cum ea tubis etiam clangebatur? quia verſus dicit: *in tubis ductilibus & voce tubæ corneæ jubilate in conſpectu Regis Domini*; ſed in reliquis locis non clangitur in principio novi anni niſi una tantum buccina.

[10] *Solis tubis &c. Codex Roſch haſſchana ibidem.* In jejuniis de arietibus incurvatis, & orificiis argento obductis, ac duæ tubæ in medio, buccina ſonitum edebat minus diuturniorem, tubæ vero diuturniorem, quoniam iſtius diei præceptum eſt, ut clangatur tubis. *Ubi Bartenora. Ac duæ tubæ in medio*, duæ illis erant buccinæ, una ad hoc latus, altera ad illud, atque in medio tubæ: *quoniam præceptum diei eſt ut clangatur tubis*; nam jejunia plerumque propter Eccleſiæ anguſtias inſtituta ſunt. Vide Num. 10. 9. Cæterum in Sanctuario hoc tantum fiebat, ſed in terminis, quando buccina requiritur, non requiruntur tubæ, & vice verſa; uti ſcriptum eſt Pſalm. 97. 6. 7. *in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ jubilate*, ubi dicitur *in conſpectu Regis Domini*, ſi vero hoc non fiat coram Rege Domino, non requiritur is ritus.

In Sabbathum inciderit &c. Toſaphta Roſch haſſchana II. 8. Et hoc habet Hieroſolyma præ Jabne, quod omnis civitas, quæ illam videbat & audiebat, & quæ vicina erat, ut commode poſſet venire, ſi hæc tria in ea eſſent, clangebat, verum in Jabne non clangebatur, niſi in Synhedrio duntaxat. *Maimonides ibidem II. 6.* Si novi annus dies feſtus incidat in Sabbathum, ſingulis in locis buccina non clangitur; & quamvis ne Sabbatho clangatur ſit ex præcepto Rabbinorum, & inſtitutum, & jus vellet, ut clangi poſſet, cum majorem vim habere deberet præceptum Legis ſcriptæ affirmativum, quam Rabbinica præmonitio. Sed ratio, quare non clangatur, eſt propter dubium, ne forte capiat buccinam, ſecumque adducat ad eum, qui pro ſe clangat, efferatque quatuor cubitos in locum publicum, aut transferat e loco privato in publicum, peccetque peccatum, cujus interminatio eſt pœna lapidationis, quia omnes tenentur audire clangorem; verum omnes non callent clangendi artem &c. Quando decreverunt ne Sabbatho clangi poſſet, non ſtatuerunt niſi pro iis locis, ubi Synhedrium non eſſet. Stante ſancta domo, & Hieroſolymæ Synhedrium magnum conſidebat, omnes Sabbatho clangere poterant, quamdiu Synhedrium erat in Sanctuario, & non ſolum cives Hieroſolymæ, ſed omnis civitas, quæ in Hieroſolymæ ſuburbiis eſſet, quæque ipſam Hieroſolymam videret &c. Et his temporibus, quibus diruta eſt ſancta domus, in iis locis, in quibus eſt Synhedrium ſtatum quod ſit confirmatum a Rabinis terræ ſanctæ, Sabbatho poteſt clangi. At clangi non poteſt Sabbatho niſi auctoritate Synhedrii, quod novilunium ſanctificaverit; ſed in reliquis Synhedriis clangi non poteſt, quamvis a Synhedrio terræ ſanctæ confirmata ſint; neque poteſt clangi niſi coram Synhedrio magno eo tempore, quo conſidet &c. *Idem de anno Jubilæo I.* 11. Buccina Jubilæi, & feſti principii anni eadem eſt quoad omnes res. Eadem quoque eſt ratio principii anni, & Jubilæi, quoad clangores, niſi quod in Jubilæo clangunt tam in curia, ubi conſecrarunt novilunium, quam in curia ubi non &c. At ſi principium anni inciderit in Sabbathum, tantum in curia clangunt, ubi conſecrarunt novilunium, & nemo privatus clangit, niſi in conſpectu Synhedrii.

[10] *Ad libertatem &c. Maimonides ibidem.* Ab initio anni uſque ad diem expiationum, ſervi non dimittebantur domum, nec dominis ſuis erant ſubjecti, neque dominis ſuis agri reddebantur. Sed ſervi edebant, & bibebant, gaudebantque coronis ſuis capitibus impoſitis. Poſtquam advenerat dies expiationis, buccina clangebat ſenatus, quo facto ad domos ſuas dimittebantur ſervi, & agri reddebantur dominis ſuis. *Abarbanel ad Levit.* 23. 24. *fol.* 264. 2. *ſeptem affert rationes hujus clangoris*; 1. oſtendit libertatem, quæ etiam finis erat clangoris anni Jubilæi, quo pro omnibus inhabitantibus terram libertas publicata eſt. 2. Clangor buccinæ docebat regnum Regis, ſicut in unctione Salomonis clangebant buccina, dicendo: *Vivat Rex Salomon*. 1. Reg. 1. 39., quaſi hoc die clangoris dixiſſent: Dominus rex noſter eſt, ille ſalvabit nos, ſalva nunc Rex. 3. Excitabat ad pœnitentiam, & ſubjugabat Satanam, ſive figmentum malum. 4. Buccina arietina in memoriam revocabat ligationem Iſaaci, & ſubſtituti arietis. 5. In memoriam revocabat legislationem, quia ei aderat vox buccinæ fortiſſima, cum Dei gubernationi ſint ſubjecti, & liberi facti, Deique peculium ex omnibus populis. Exod. 19. 6. Recordari facit recollectionem captivitatum tempore futuro, quando Dominus erit Rex ſuper univerſam terram. 7. memoriam recolit reſurrectionis mortuorum, quæ erit miraculoſa, ſupra naturam. Jeſ. 18. 3. *Vide cl. Mejerum de Temporibus ſacris lib. 2. cap. XIV.*

[11] *Vel legislationem &c. Albo in libro Ikarim cap. IV.* Hoc vero eſt illud, quod nobis viri Synagogæ magnæ tradiderunt ac fundarunt in precatione addititia novi anni; tres videlicet benedictiones, regnum nempe, & memoriam cum data Lege eſſe loco & reſpectu trium articulorum fidei fundamentalium, ut eo modo cor hominis excitetur, quod fide iſtorum articulorum cum ſuis ramis & radicibus homo quid meretur, & juſtificatur (*neque meretur, & juſtificatur homo niſi per gratiam Jeſu Chriſti*) in foro divino; nam benedictio Regni Dei, indicat Dei exiſtentiam, ſicut docet benedictionis tenor; *Speramus vero in te Jehova Deus noſter ad videndam cito gloriam fortitudinis tuæ, ut removeas conſpurcationes terræ, ut idola exſcindantur, & ut diſponas mundum in regno Omnipotentis, ut cognoſcant & ſciant omnes mundi habitatores, quod tibi flectat omne genu, & juret omnis lingua coram te, & accipiant omnes jugum regni tui.* 2. benedictio memoriæ Dei oſtendit ipſius providentiam, tum præmii, ac pœnæ, juxta exemplar; *Tu recordaris operum ſeculi, & viſitas omnes mundi creaturas, coram te revelantur omnia abſcondita.* 3. Benedictio Sopharoth, oſtendit tertium fidei articulum, nempe Legem eſſe ex cœlis, idcirco illa benedictio hiſce verbis incipit: *Tu revelatus es in nube gloriæ tuæ ſuper montem ſanctitatis tuæ ad loquendum cum iſtis, ex cœlis audire feciſti vocem tuam.* Quoniam vero datio Legis facta ſit mediante forti ſonitu buccinæ, quæ ante non extitit, ideo vocatur hæc benedictio שופרות *buccinarum* ſimpliciter, cum iſtæ voces & lampades, quæ ibi fuerunt, jamdudum exſtiterint vel ſimilia. Verum enim vero ſonitus buccinæ ſine buccina nunquam antea fuit, nec erit niſi in die redemtionis; nam tunc erit hora, qua publicabitur Legis veritas coram toto mundo, & de ea dicitur Zachar. 9. 14. ſecundum quorundam Rabbinorum interpretationem: *& Jehova Deus noſter clanget buccina*: ut jam vere probetur tres iſtos articulos eſſe noſtræ ſalutis & felicitatis cauſam, videmus id, quod comprehendit Propheta Iſaias in uno verſu ſc. 22. cap. 33.: *Dominus enim Judex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſalvabit nos*; Dixit Scriptura. 1. *Dominus judex noſter*, hoc intelligitur de Dei providentia, hinc dicit: *Juxta eſt, qui juſtificat me, quis contradicet mihi? ſtemus ſimul.* Jeſ. 50. 8. & ex hac parte dignum eſt, ut in judicio juſtificetur. 2. *dixit, Dominus legifer noſter*, indicat hoc articulum ſecundum nempe Legem eſſe ex cœlis; nam Legislator מחוקק vocatur Legis dator ſecundum id quod dicitur Deut. 33. 21. *quod in parte*

te *sua doctor esset repositus*, uti dicitur de Mose, quia Lex manu sua data est. Hinc dixit Jes. 51. 7. *Audite me qui scitis justum, populus meus, lex mea in corde eorum; nolite timere opprobrium hominum &c.* ac si vellet dicere: licet nos non mereamur quid in judicio, & justificemur, cum ille sit judex noster (quoniam judex non potest transgredi præcepta & statuta ipsi ab alio imposita) tamen dignum est ut mereamur nos quid inde, quoniam sit & judex, & is qui præcepta statuat. 3. *dixit, Dominus Rex noster*, indicat hoc tertium fidei articulum, sc. Dei existentiam, quod sit nempe Rex super totum mundum, & proprie vocatur Rex Israelis, & istius Redemtor, ac si diceret, quod licet sit Legislator, tamen non vult statutum transgredi, nihilominus tamen cum sit Rex noster, vult ut salvemur; nam in potestate regia posita est potestas abrogandi statuta, & præcepta, faciendique quicquid placuerit, ut suum populum salvum reddat; idcirco Propheta finit, *ipse salvabit nos*, ac si vellet dicere, quod licet in tribus istis fidei articulis posita sit hominum felicitas, tamen præstantius nos quid habemus præ reliquo mundo; videlicet quod Deus nos propria voluntate velit salvare.

[12] *Vel Dei Regis &c. Recitant hanc in principio novi anni Judæi benedictionem.* Idcirco expectamus te o Domine Deus noster, ut cito fortitudinis tuæ gloriam videamus, ut terræ consurcationes transire facias, & ut idola exscindantur ad mundum disponendum in regno Omnipotentis, ita ut omnes filii carnis invocent nomen tuum, ut intueantur in te omnes impii terræ, & sciant omnes mundi habitatores, quod tibi debeat flecti omne genu. Tandem jurabit omnis lingua coram te, incurvabunt, ac prosternent se, & gloriæ nominis tui honorem præbebunt, accipientque omnes regni tui jugum, & tu regnabis super ipsos cito in æternum, quia regnum tuum est, & in secula seculorum regnaturus es cum honore, secundum id quod scribitur in Lege, Deut. 7. 12: *Jehova regnabit in secula seculorum.*

[13] *Unus modo dies &c. Maimonides Kidd. Hach. V.* 4. Cum esset ille, qui ex visione lunæ novæ calendas finiret, senatus, tam in ipsa Judæa, quam regionibus in aliis, ad quas pervenire poterant ii, qui definitas Tisri nunciatum mitterentur, singulas uno die solennitates celebrabant. Cæteræ, quæ longius erant dissitæ provinciæ, quam ut eo possent mense Tisri nuncii finitarum calendarum aspirare, dies solennes duplicabant ex eo, quod ambigerent quonam die calendas constituissent, qui Palæstinam incolebant.

[14] *Nuncii appellere &c. Sex tantum mensibus nuncii egrediebantur ad indicandas calendas. Codex Rosch hasschana I.* 3. Sex mensibus nuncii egrediebantur, mense Nisan propter Pascha, mense Ab propter jejunium, mense Elul propter anni principium, mense Tisri propter ordinationem festorum, mense Cisleu pro festo Chanucha, mense Adar propter sortes; stante denique templo egrediebantur etiam mense Ijar propter Pascha secundum. Propter duos menses Sabbathum profanabant, propter Nisan, & Tisri, quod iis mensibus nuncii egrederentur in Syriam, simulque iis ordinarent festa, & cum templum adhuc staret, profanabant Sabbathum propter omnes menses sacrificiorum ordinationis causa. *Tosaphta Rosch hasschana I.* 16. Sex mensibus nuncii Synhedrii egrediebantur; Rabbi decrevit, ut etiam in secundo Adar propter Purim egrederentur. *Maimonides ibidem III.* 9. Omnino mensibus sex mittebantur, qui definitas a consilio calendas nunciarent. Primum mense Nisan propter solennitatem Paschæ, mense Ab propter jejunium, quod ejus mensis die nono celebratur, mense Elul propter anni principium, scilicet ut mensis ejus die tricesimo nuncios expectarent a consilio. Quod si afferrent calendas jam esse institutas, tricesimum mensis diem solum festum agebant; sin minus & posterum diem celebrabant, usque dum venirent, qui mense Tisri mittebantur nuncii. Mittebantur autem mense Tisri propter multas ac varias, quæ in eo celebrantur rato tempore, solennitates. Mense Cisleu propter solennitatem dedicati templi. Denique mense Adar propter solennitatem sortium, sed enim stante templo mittebantur etiam mense Ijar propter Pascha minus seu secundum. Mense Nisan, itemque Tisri, qui emittebantur a consilio, ut reliquo populo finitas indicarent calendas, non proficiscebantur, nisi calendis ipsis orto jam sole, posteaquam a consilio audierant, *consecratus est*; nisi forte iidem ipsi a consilio calendas usque ab extremo die nono & vicesimo sic, ut supra diximus, consecrari audierint; tum enim ad vesperum illico se committerent itineri licebat; sed sex horum mensium quatuor reliquis vesperi post visam lunam novam, etsi a consilio calendæ nec dum essent consecratæ, permissum fuerat, ut definitarum calendarum nuncii iter instituerent; quia enim postridie calendas a consilio consecratum iri, constabat. Itaque quo loci cunque definitarum nuncii calendarum perveniebant, in eo dies solennes, ut in Lege est, instituebant simplices; longinquis autem in locis, ad quæ calendarum nuncii aspirare nequibant, dies solennes geminabant, quippe qui nescirent, quo die essent a consilio definitæ calendæ. Erant loca quædam, quo calendarum nuncii perveniebant quidem mense Nisan, mense Tisri non item. Hic æquum foret, ut ad solennitatem Paschæ, quoniam a nunciis acceperant, quando calendæ mensis Nisan constitutæ a consessu Judicum essent, agitarent diem solennem duntaxat unum, duos autem ad solennitatem Umbraculorum, siquidem de calendis Tisrinis nihil dum ipsis nunciatum erat. Sed ne discreparent inter se solennitates, a Sapientibus sancitum est, ut quo loci cunque mense Tisri calendarum nuncii perveniebant nulli, ibi singulæ solennitates biduo celebrarentur, vel ipsa eadem Pentecoste. Quid autem erat, quod iidem ipsi calendarum nuncii quo loci perveniebant mense Nisan, eodem pervenire non possent mense Tisri? Nimirum quia dies festi mense Tisri insunt duo, quibus ambulare calendarum nunciis non licebat, neque calendis ipsis, quod erat anni principium, neque ejusdem mensis die decimo, quo celebrabatur expiationum solennitas.

[15] *Quem morem &c. Maimonides ibidem.* Hoc autem tempore, quoniam summum consilium in Judæa nullum, & quod est in ea consilium, id quoque ex tabularum ratione calendas finit; scilicet æquitatis sit, ut in locis omnibus quamvis a Judæa longe diversis singulæ solennitates unicum omnino diem habeantur; itidem, ut apud Judææ incolas, quippe cum ad unam, & eamdem tabularum rationem sese dirigant omnes. At Sapientes voluerunt ritus Patrum perpetuo servari. Quamobrem uti quondam dum Judæam habitantes calendas ex visione lunæ novæ constituebant, in omnibus locis, quo non poterant de calendis finitis nuncii perferri ab iis, qui mense Tisri nunciatum mitterentur: sic etiamnum prorsus omnes dies solennes biduo celebrant; & qui Palæstinam incolunt hoc tempore, ut olim, dies solennes simplices habent, quippe qui nunquam aliter sunt soliti. Ex quo cognoscere licet secundum quemque diem solennem, quem nos extorres his temporibus celebramus, edicto sancitum esse Sapientum.

[16] *Per ignes accensos &c. Tosaphta Rosch hasschana I.* 19. Ab initio accendebant ignes in verticibus montium sublimium, in monte sacræ unctionis, in Sartaba, in Gerofina, in Tabor, in Chaura, in Beth Daltaim. R. Simeon filius Eleasaris dicit etiam in montibus Michmar, & Tabor, & his similibus. A quo tempore accendebant ignes pro novilunio? a vespera ipsius novilunii; quo pacto hoc intelligitur? Si incidebat in vesperam Sabbathi, accendebant vespera exeunte Sabbatho, & si suo tempore adveniebat, pro eo accendebantur, sin minus, non accendebantur; & pro omnibus noviluniis ignes accendebantur.

[17] *Fraude &c. R. Salomo Jarchi ad Codicis Rosch hasschana II.* 2. Olim postquam Synhedrium lunam sanctificaverat, flammas elevabant, neque tunc necesse erat nuncios conducere, quos mitterent, ut captivitati notum facerent (*diem sc. a Synhedrio sanctificatum*) quoniam hoc per flammas fiebat; verum cum omnia a Cuthæis sint depravata, illique flammas quoque elevarent tempore intempestivo, ut seducerent Israelitas; Synhedrium vero nunquam flammas elevabat, nisi quando luna sanctificata erat die 30. sicuti dicitur in capitibus: si vero flammas non elevarent vespera diei 30. sine dubio omnibus notum erat mensem esse intercalatum. Contigit jam quod Synhedrium mensem intercalabat, neque flammas pro more elevabat vespera diei 30. (sciebant jam omnes captivi mensem istum esse intercalatum) Cuthæi vero

ro ſtatim in ſuis montibus flammas elevabant, & captivitatem ſeducebant, ut menſem facerent defectum. *Maimonides ibidem*. Principio conſilium ubi conſecraverat calendas, faces curabat extollendas in montium jugis, quo ſigno hominibus longe diſſitis calendarum conſecratio protinus indicaretur. Poſtquam autem Cuthæorum perverſitas eo venit, ut facibus ſimiliter elatis plebem deducerent in errorem, a conſilio conſtitutum eſt, ut mitterentur, qui multitudini calendarum conſecrationem nunciarent. His autem nunciis non concedebatur, ut, aut quemquam diem feſtum, aut ſolennitatem expiationum itinere faciendo profanam haberent; multo enim minus ut Sabbathum ipſum; neque enim ut calendarum conſecrandarum cauſa, ſed & ubique celebrandarum gratia Sabbathum fieri profanum permiſſum eſt.

[18] *Samaritanorum &c. Elias ad vocem* כות. Rabbini piæ memoriæ vocant Samaritanos Cuthim, eo quod veniunt de Cutha uti dicitur: *& adduxit Rex Aſſyriæ ex Babylone, ex Cutha, ex Havah, & Chamath, & Shepharvaim, & collocavit eos in urbibus Samariæ &c.* 2. Reg. 17. 24. Vocantur autem Cuthim potius, quam a cæteris nominibus nationum memoratarum in iſto verſu, forſitan quod plures fuerint, ideoque vocati ſunt omnes Cuthim, quorum ſingulare dicitur כותי, prout dicunt Rabbini, non reſpondent Amen poſt Cuthi benedicentem, & ita dixerunt, quare fuit Rex David ſimilis Cuthæo oſtiatim mendicanti? quoniam illi erant hac in re omnibus hominibus aſtutiores &c. uti expoſuit R. S. I. ad Pſalm. 18.

[19] *Undecim videlicet &c. Maimonides Temid. cap. VII.* Calendis quod erat ad ſacra quotidiana addendum ſacrificium, id poſt ſacrificium juge matutinum fiebat. Quid igitur erat ſacrificium illud calendis ad ſacra quotidiana addendum? Juvenci duo, unus aries, & agni ſeptem, & hæc omnia holocauſta; porro erat & hœdus in ſacrificium pro peccato. Omnino holocauſta omnia itidem ut ſacrificium juge fiebant. Et Calendarum ac ſolennitatum ſacrificia pro peccato fiebant itidem ut ſacrificium pro peccato illud, quod comedebatur, de quo alio loco egimus.

[20] *Qui expiat peccatum &c. Toſaphta Schevuoth cap. I.* Ne ſit notitia in principio; ſive ſit notitia in principio, ſive ſit notitia in fine, hirci feſtorum, & hirci noviluniorum expiant, verba R. Meyr. R. Jehuda, & R. Simeon diſputant in hircis pro eo, cui non ſit notitia neque in principio, neque in fine, & pro mundo, qui comediſſet immundum, hirci feſtorum, verba R. Jehudæ. R. Simeon dicit: hirci feſtorum expiabant, non autem hirci noviluniorum; & conſentit R. Simeon in hirco, qui non eſſet oblatus in feſto, quod eſſet offerendus in novilunio; ſi non oblatus eſſet in novilunio, eſſet offerendus in die expiationum, ſi non oblatus eſſet in die expiationum, offerendus eſſet in feſto inſequenti; quia ab initio non fuere ſanctificata ſacrificia cœtus niſi eo conſilio, ut ſuper altare exterius eſſent offerenda. R. Simeon dicebat; duo & triginta hirci ſingulis annis a cœtu offerebantur, unus & triginta ſuper altare exterius, & edebantur, & unus ſuper altare interius, qui non comedebatur, duodecim in duodecim noviluniis, ſeptem in Paſchate, & octo in feſto Tabernaculorum, duo in die expiationum, unus in principio novi anni, & duo in feſto Pentecoſtes, unus pro pane facierum, & unus pro cauſa diei, & ſi primus expiaverat, ſecundus ſuper quo expiabat? Super immunditie, quæ fortaſſe contigiſſet inter utrumque; & dicunt, quod ita offerre deberent Iſraelitæ duos hircos ſingulis diebus, ſed Deus rationem habuit Iſraelitarum facultatum. R. Simeon dicit: gravior eſt immundities Sanctuarii, & rerum Sanctarum, quam omnia peccata in Lege deſcripta, quia omnia peccata in Lege deſcripta unico tantum hirco expiabantur, & immunditiès Sanctuarii & rerum Sanctarum duobus & triginta hircis expiabatur. Omnia peccata in Lege deſcripta ſemel in anno expiabantur, & immunditiès Sanctuarii & rerum Sanctarum ſingulis menſibus expiabatur, juxta verſiculum qui dicit: *Idcirco vivo ego, dicit Dominus Deus, niſi pro eo, quod ſanctum meum violaſti &c.* Ezech. 5. 11. Id eſt, ſunt graves abominationes, & opprobria, quæ commiſiſti, ſed immunditiès Sanctuarii, & rerum Sanctarum reliquis omnibus eſt gravior. *Abarbanel in Leg. fol.* 313. 4. 316. 4. Quod autem attinet hircum ſacrificii pro peccato, is tantum unus adhibitus omnibus diebus, neque oblatus eſt quotidie in jugi ſacrificio, neque cum additamentis Sabbathi, ſed in novilunio, ſolennibuſque diebus pariter. Siquidem hircus ille non oblatus eſt propter aliquod myſterium, ſicut juvenci & hirci, & agni, & arietes, ſed oblatus eſt ad expiandam impuritatem Sanctuarii, rerumque ei conſecratarum per errorem. Quum autem in novilunio & ſolennitatibus a Deo indictis populus multus ex Iſraele veniret ad templum, ut ſe incurvarent, & ſacrificia offerrent, & tota turba eo accederet confuſe, & inordinate, accidere poterat, ut inter eos aliquis veniret immundus, qui oblitus ſuæ immunditiæ ingreſſus fuerit templum in medio iſtius populi, ibidemque juxta cum reliquis ſuis fratribus comedentibus veſceretur carne pacificorum ſacrificiorum. Ideo obtulerunt hircum iſtum ad expiandum peccatum ejus, qui oblivioni tradita ſua immunditie, ingreſſus fuerit templum. Hac de cauſa non quotidie, neque die Sabbathi oblatus eſt, quoniam profanis diebus, etiam die Sabbathi turba non veniebat convocata ad templum, ut immundus oblivioni tradita immunditie ſua compareret inter mundos. Sed in novilunio & ſolennitatibus, quibus facile immundus per errorem conſociari poterat illis, qui accedebant, præcepit ut offerretur hircus iſte.

CAPUT OCTAVUM.

De ſabbatho, annis ſabbathicis, & jubilæis.

I. SAbbathi nomen in ſacro codice nonnunquam latius, nonnunquam minus late, ſumitur; & præter diem ſeptimum hebdomadis, [1] aliis diebus feſtis tribuitur. *Levit.* 25. 4. & 23. 32. & integris hebdomadibus. *Luc.* 18. 12. illud vero & *Levit.* 23. 16. hebdomadem notare quidam exiſtimant. Certe totam hebdomadem שבת Judæi nuncupant in *Ketuvoth*. 1. 1. perinde ac שבוע: atque ita ἑβδομας pro ſabbatho accipitur 2. *Macc.* 6. 11. Hic vero per ſabbathum diem ſeptimum hebdomadis intelligimus quieti & cultui divino ſingulari ratione conſecratum, qui יום השבת & ἡμέρα τȣ σαββάτȣ oppoſite ad ששה ימי המעשה *ſex dies operum*, & ἡ τ̃ σαββάτων ἑορτὴ Plutarcho *lib.* IV. Συμπ. ἡμέρα τ̃ σαββάτων, 1. *Macc.* 2. 32. 41. & 9. 34. dicitur, uti & a Juliano ex verſione Græca V. T. vide *Cyrill. c. Julian. lib.* V.

§. I. Nomen שבת.

II. [2] Appellatur idem ille dies שבתון, quod tribus diverſis modis voci שבת conjunctum legitur שבתון שבת קדש. *Exod.* 16. 23. שבת שבתון קדש. *Exod.* 31. 15. & קדש שבת שבתון. *Exod.* 35. 2. Quæ perperam Origenes *in homil.* I. *ad canticum canticorum* dicta eſſe credidit uti *ſancta ſanctorum, canticum canticorum*, ac ſi σάββατα σαββάτων uti ἅγια ἁγίων diceretur. Ita tamen & Hilarius, *in prologo ad Pſalmos*, Theodoretus, *quæſt.* 22. *in Leviticum*, & Philo ipſe *de feſtis*, *pag.* 1194. reddens σάββατον σαββάτων

§. II. Nomē שבתון quid.

per

per ἑβδομάδες ἑβδομάδων. Quia videlicet interpretes Græci *Levit.* 23. 32. שבת שבתון reddiderant per σάββατα σαββάτων. Nec tamen de solo sabbatho hæc vox שבתון usurpatur, [3] sed & de die expiationis. *Levit.* 16. 31. primo & octavo festi tabernaculorum. *Levit.* 23. 24. & anno sabbathico. *Levit.* 25. 4. Adeoque nullis aliis festis datur nisi quæ in mensem Tisri incidunt, qui mensis in anno sacro septimus ac quasi sabbathicus erat, & quieti destinatus, peracta messe & collectione fructuum istius anni. Quare & Philo *lib. de festis. p.* 1183. huic mensi tributum festorum maximum scribit. Nec ullus erat mensis anni in quo tot dies festi agebantur, quos chronicon, vulgo Alexandrinum dictum, ita recenset *pag.* 196.

die 1. Ἑορτὴ σαλπίγγων.
8. Ἐγκαίνια τοῦ ναοῦ.
10. Ἡμέρα ἐξιλασμοῦ.
15. Σκηνοπηγιῶν.
22. Ἐξόδιον, id est, מוצאות vel עצרת, dies octavus festi tabernaculorum. Alii perperam hoc de exitu ex Ægypto acceperunt.

Adde diem 23. שמחת תורה, [4] *gaudium legis*, quo ultimam sectionem Pentateuchi publice legunt.

§. III. Σάββατα in N. T.

III. In N. T. hic dies nomine σαββάτων sæpe innuitur, uti *Matth.* 12. 1. *Marc.* 1. 21. Τοῖς σάββασιν, atque ita ὀψὲ σαββάτων, idem est quod ὀψὲ σαββάτου. Similiter quia שבת aliquando [5] totam hebdomadem notat, inde in Nov. Test. μία σαββάτων idem est quod μία σαββάτου חד בשבתא primus dies hebdomadis, in *Gem. Schabbath.* 156. 1. & חד בשבא. *Gem. Maccoth.* 5. 1. *Gem. Nedarim* 12. 1. & sunt qui putent μία σαββάτων olim dictum fuisse ex Hebræo שבתון, quod deinde in terminationem Græcam pluralem abiit, σαββάτων, uti χείμαῤῥον τῶν κέδρων formarunt ex נחל קדרון 1. *Reg.* 15. 13. *Joh.* 18. 1. Alii vero suspicantur plurale σάββατα formatum esse ex eo, quod sono conveniret cum שבתא vel —— , quemadmodum & Horatio, *lib.* II. *Sat.* 9. unicus dies *tricesima sabbatha* dicitur, uti & Josepho scribenti de Ptolemæo Lagi Hierosolymam ingresso, *lib.* XII. 1. εἰσελθὼν σαββάτοις εἰς τὴν πόλιν, quod ipse docet *Antiq.* III. 10. ἑβδόμην ἡμέραν ἥτις σάββατα καλεῖται, & *lib.* III. 8. τὴν ἑβδόμην ἡμέραν σάββατα καλοῦμεν. Ita quoque Philo *de confusione linguarum*, ἑβδόμην οἱ Ἑβραῖοι σάββατα καλοῦσιν.

§. IV. Quid sabbathum δευτερόπρωτον.

IV. Quid in N. T. intelligi debeat per σάββατον δευτερόπρωτον *Luc.* 6. 1. non minus exercuit ingenia interpretum. Priscis doctoribus Christianis aqua hic hæsit, uti liquet ex diversis sententiis, in quas abeunt, & lepido responso Gregorii Nazianzeni, quod ab illo accepit Hieronymus, & narrat *epistola* 24. *ad Nepotianum*. Sunt qui putent duo fuisse sabbatha in quolibet anno πρῶτα dicta, respectu duplicis initii anni sacri & civilis, sic ut primum sabbathum in Tisri appelletur שבת ראשון הראשון σάββατον πρωτόπρωτον, primum in Nisan שבת ראשון השני σάββατον δευτερόπρωτον. Judæos certe olim peculiarem primi sabbathi in anno rationem habuisse constat quoque ex Clemente Alexandrino *Strom. lib.* VI. ἐὰν μὴ σελήνη φανῇ σάββατον οὐκ ἄγουσι τὸ λεγόμενον πρῶτον, *nisi luna apparuerit, sabbathum non celebrant quod* primum *dicitur*. Plurimis recentiorum sententia illa probatur, quæ sabbathum primum [6] ab oblatione manipuli die secundo festi paschatis ita dictum esse vult quasi πρῶτον μετὰ τῆς δευτέρας τοῦ πάσχα, quia dies omnes, tam sabbatha quam alios, numerant & appellant primos, secundos, &c. לעומר, id est, ἀπὸ τῆς δευτέρας τῶν ἀζύμων, uti Josephus diem 16 Nisan nuncupat, quo manipulus offerebatur. Sane videtur illud sabbathum posterius fuisse die 16 mensis Nisan; si enim sabbathum hoc ante diem 16 Nisan, id est, diem manipuli fuisset, non modo dixissent, *discipuli tui faciunt quod non licet* ἐν τοῖς σάββασιν, sed, *faciunt quod omnino non licet*, sive sabbatho sive alio die, quoniam nondum est oblatus manipulus, qui die 16 Nisan offerri solebat: ante quod tempus metere, aut evellere spicas, illicitum esse Judæi credebant; nam spicas vellere est species messis. Ita Philo lib. de vita Mosis *pag.* 657. scribit sabbatho ne folium quidem aut fructum decerpere ab arbore fas esse, οὐ γὰρ ἔρνος οὐ κλάδον, ἀλλ' οὐδὲ πέταλον ἐφεῖται τεμεῖν ἢ καρπὸν ὁντινοῦν δρέψασθαι.

§. V. Observatio sabbathi in quibus sita.

V. [7] Ad legitimam sabbathi observationem requiri quietem, & sanctificationem ejus diei, sic ut publice Deus singulari ratione colatur eo die per preces, lectionem sacri codicis, atque alia exercitia pia, & ab omni opere cessandum esse, nec iter peragendum, colligitur ex *Exod.* 16. 29. & 23. 12. & 31. 14. Quum vero Judæi multa subtiliter de his rebus disputare soleant, nos pauca tantum ex iis delibabimus, acturi de observatione quietis & iis operibus, quæ Judæi prohibita esse hoc die censent, de celebratione hujus diei cum lætitia, & itinere sabbathico.

VI. Quies

§. VI. Quies.

VI. Quies ſabbatho mandata, ſecundum ſententiam Schammæanorum, tria involvit 1. שביתת אדם, *quietem hominum*. 2. שביתת בהמה, [8] *quietem beſtiarum*. 3. שביתת כלים, *quietem vaſorum*. Hilleliani hominibus & beſtiis concedunt quietem, ſed שביתת כלים *vaſorum* σαββατισμὸν negant, id eſt licitum putant ante ſabbathum [9] aliquod opus inchoare quod durante ſabbatho ſponte perficitur: verbi cauſa ante ſabbathum retia tendere avibus aut piſcibus ut ſabbatho capiantur, atramentum aut alia macerare ante ſabbathum ut perfici queat per ſabbathum maceratio. Pro qua ſententia Dei legem adferunt quæ nonniſi ipſo illo die ſabbathi vetuit operari. *Schabbath* I. 5. De hominum quoque quiete diſſenſum fuit; olim enim hanc adeo ſollicite obſervabant, ut a defenſione ſui & rerum ſuarum abſtinerent: quare ſæpius ab hoſtibus eo die capti ſunt; maxime quum Antiochi Epiphanis tyrrannide premerentur. Poſtea vero Mattathias [10] defenſionem corporis ſui contra hoſtes ipſo ſabbatho licitam eſſe pronuntiavit. Joſeph. *lib.* XII. 8. [11] Nec tamen fas eſſe putant hoſtem ipſum ſabbatho aggredi, aut munimenta ab eo ſtructa demoliri: quæ res non mediocre momentum attulit ad expugnationem urbis, ab imperatore Tito obſeſſæ. Quid? quod inventi fuerint homines adeo ſuperſtitioſi, qui ſalutem & vitam ſuam in diſcrimen vocarint ob eandem cauſam? qualis ille gubernator, Syneſio *epiſt.* 4. memoratus, qui oborta vehementi tempeſtate circa initium ſabbathi μεθῆκεν ἐκ τῶν χειρῶν τὸ πηδάλιον *clavum e manibus dimiſit*, nec arripere voluit, etiamſi necem ei ſtricto gladio minarentur.

§. VII. Opera prohibita.

VII. Opus omne ſervile מלאכת עבודה Deus prohibuerat. Judæi autem in *Schabbath* VII. 2. opera præcipua, ſabbatho prohibita, in certum ordinem redegerunt, quæ אבות מלאכות *patres operum* vocant in *Mechilta* 64. 2. ἀρχηγικώτατα αἴτια Philoni dicta, *lib.* III. *de vita Moſis*, *pag. 686*. Ex his naſcuntur, vel cum his aliquo modo cognationem habent תולדות ſive *proles*. Uti v. g. ædificare eſt *pater operis*, caſeum conficere, *proles*, quia ſpecies quædam eſt exſtructionis. [12] Opera præcipua, quæ *patres operum* nuncupant, recenſent 39 hoc ordine. 1. [13] Serere. 2. Arare. 3. [14] Metere. 4. Colligere in manipulos. 5. [15] Triturare. 6. Ventilare. 7. Purificare. 8. [16] Molere. 9. Succernere. 10. Depſere. 11. Coquere. 12. [17] Tondere lanam. 13. Dealbare eam. 14. Eam excutere. 15. Eam tingere. 16. Nere. 17. [18] Stamen ſubtegere. 18 Inducere in ſpatium filorum. 19. Texere fila duo 20. Findere fila duo. 21. Ligare. 22. Solvere. 23. Suere ſuturas duas. 24. Diſſecare ut conſuas. 25. [19] Venari e. g. capream. 26. Mactare eam. 27. Excoriare. 28. Salire. 29. Pellem parare. 30. Eam radere. 31. Diſcindere eam 32. [20] Scribere literas duas. 33. Delere, ut ſcribas literas duas. 34. [21] Ædificare. 35. Deſtruere. 36. [22] Exſtinguere. 37. Accendere. 38. [23] Percutere malleo. 39. [24] Adducere quidpiam ex רשות dominio uno in aliud, e. g. ex loco privato in publicum. Hinc lucem accipiunt *Joh.* 5. 10. & 9. 14. *Marc.* 3. 2. *Matth.* 12. 2.

§. VIII. Quando & ubi ſabbathum non ita obſervetur.

VIII. [25] In templo ratio non habetur ſabbathi in his & ſimilibus. אין שבות במקדש dicunt Judæi, quod Chriſtus *Matth.* 12. 5. dicit, ἱερεῖς ἐν τῷ ἱερῷ τὸ σάββατον βεβηλοῦσι καὶ ἀναίτιοί εἰσι; mactabant enim, onera ferebant, aliaque faciebant ſacerdotes uti diebus profeſtis. Ita quoque circumciſio & [26] paſcha pellunt ſabbathum, quia hæc adſtricta ſunt במועד certo tempori, quod proferre non licuit. *Joh.* 7. 22. Legitur etiam in *Gem. Joma*. 15. 2. Hillelem, quum nive tectus reperiretur, ſabbatho ablutum, unctum, portatumque in hypocauſtum fuiſſe, & dixiſſe Schemajam & Abtalionem ראוי זה לחלל עליו את השבת, *dignus hic eſt, ob quem ſabbathum profanetur*. Sic ſi [27] beſtia in foveam aquæ inciderit, pulvini adducendi ſunt & ſubſternuntur ei, ut poſſit adſcendere, quod eſt animal העלות ſive ἀνασπᾶν (vide *Habacc.* 1. 15.) uti & typhon dicitur Græcis ἀνασπᾶν τὸ ὕδωρ, id eſt efficere ut aqua adſcendat: quod ſi pabulo ſolo ibi conſervari in vita poſſit, pabulum ei illic datur. *Gem. Schabbath.* 128. 1. confer *Luc.* 14. 5. In *Joma* VIII. 6. legitur [28] *omne periculum mortis pellere jura ſabbathi* כל ספק נפשות דוחה את השבת.

§. IX. Ritus antecedentes ſabbathum.

IX. Ad celebrationem ſabbathi cum gaudio pertinent ritus quidam prævii, uti [29] clangor buccinæ ſexies repetitus: vide *Gem. Schabbath.* 35. 2. ter ut ceſſarent homines ab operibus. 1. Ut [30] ceſſarent fodientes & arantes. 2. Ut [31] officinæ clauderentur. 3. Ut [32] ollæ ab igne removerentur, & accenderentur lucernæ: deinde ter ut diſtinguerent tempus ſacrum a profano, להבדלה. *Chullin.* I. 7. In templo fiebat id ex [33] tecto ſabbathi. 2. *Reg.* 16. 18. *Joſeph. de bell.* V. 9. Accenſio lucernarum ſabbathinarum [34] fœminæ mandata eſt, ex antiquo more, quo domeſticus labor fere matronarum erat; quæ ערב השבת, id eſt, [35] die ſexto, ſabbathum antecedente, fieri debet: nam Judæos non accendere lucernas ſabbathis ipſe haud ignoravit Seneca *lib.* 15. *epiſt.* 65. Præparatio ciborum fiebat etiam die ſexto hebdomadis, quapropter a Scholiaſte epiſtolarum Ignatii ἕωλα ἐσθίοντες *heſterna edentes* die ſabbathi appellantur, & *tepida biben-*

bibentes χλιαρὰ πίνοντες, quod calidis uti poſſent, [36] quia coquere non licuit. Quod vero calorem cibi & potus, olla calida [37] cophino impoſita, & fœno circumjecto, conſervabant, quantum fieri poterat, ideo cophinum & fœnum Judæorum ſupellectilem nuncupat Juvenalis *Sat.* III. 15. & VI. 541. [38] Quod ſi dies Veneris feſtus ſit, non licet eo cibos parare in uſum ſequentis ſabbathi, ſed facienda eſt die Jovis עירוב תבשילין ſive *mixtura ciborum*, quam vocant. Vide *Betza.* II. I. [39] Exſtruuntur etiam menſæ conquiſitiſſimis cibis ad epulas ſabbathinas. [40] Tria porro dicenda eſſe monent Judæi die ſabbathum antecedente עישרתם עירבתם הדליקו את הנר 1. *Decimaſtiſne cibos?* 2. *Inſtituiſtiſne mixturam* videlicet ꝟ חצרות? & 3. *accendite lucernam*. *Gem. Gittin.* 6. 2. [41] Denique in initio & fine ſabbathi ſingularis [42] diei conſecratio per poculum [43] vino & aqua repletum in uſu eſt, qua ſeparatio fit temporis ſacri & profani.

§. X. Ritus in ipſo ſabbatho obſervandi.

X. Porro in ipſo ſabbatho requiritur [44] indutio veſtium pretioſarum in honorem ſabbathi, *Gem. Schabbath.* 113. I. & ſumma lætitia, cujus plurima ſigna edunt, epulando & indulgendo genio, quantum res uniuſcujuſque patitur: [45] quo trahunt illud quod *Jeſ.* 58. 13. Sabbathum appelletur ענג *voluptas*. *Gem. Schabbath.* 118. I. 2. at [46] *non eſt lætitia ſine epulis*, אין שמחה אלא במקום סעודה *Gem. Succa* 25. 2. [47] Diſputant quoque an ter (quia *Exod.* 16. 25. *hodie* ter repetitur) an quater eo die ſit epulandum, quia cœna videtur excipi. *Gem. Ketuvoth.* 64. 2. *Pea.* VIII. 7. [48] ubi pauperi oberranti in ſabbatho jubetur cibus trium epularum סעודות dari.

§. XI. Iter ſabbathicum.

XI. Iter, quod ſabbatho licitum erat (quamvis enim *Exod.* 16. 29. jubeantur [49] manere loco ſuo. *Levit.* 23. 3. tamen ſabbathum dicitur convocatio ſancta) definitur a Judæis [50] ſpatio bis mille cubitorum, & σαββάτȣ ὁδὸς dicitur *Act.* I. 12. Hoc videlicet ſpatium erat, [51] quo arca & caſtra inter ſe diſtabant. *Joſ.* 3. 4. [52] Hinc extra urbem, ſive exigua ſive magna ſit, ſpatium hoc 2000. cubitorum pro itinere licitum ſtatuunt. Ignatius propterea, *epiſtola* 3. (vel dicamus potius illa verba non ipſius Ignatii ſed ſcholiaſtæ eſſe) appellat Judæos μεμητρημένα βαδίζοντας, & Epiphanius *hær.* 66. ſex ſtadiis iter hoc ſabbathicum definit, ȣ̓κ ἔξεσι βαδίζειν ἐν σάββασιν ὑπὲρ τὸ μέτρον ꝟ ἕξ ςαδίων. Sic ut fere iter quadrantis horæ fuerit iter ſabbathicum, quoniam 24 ſtadia efficiunt tria milliaria Romana, ſive horam unam itineris, & ſex partem quartam ꝟ 24 conſtituunt.

§. XII. Mixtura terminorum atque atriorum.

XII. Et hoc ipſum extenderunt longius per עירובי תחומין *mixturas terminorum*, vel potius *mixturas ciborum in terminis ſabbathicis*, quas ita vocant, [53] quum quis cibum in duas epulas ſufficientem (מזון שתי סעודות) die Veneris depoſuit in loco aliquo extra urbem intra terminum ſabbathicum, atque illic ſabbathum agere decrevit, quamvis intra urbem redeat, licet ei per ſpatium 2000 cubitorum ab eo loco, quo cibos depoſuit, ſabbatho proficiſci. Vide totum codicem *Eruvin*: ubi non tantum de hac *mixtura* ꝟ תחומין, [54] ſed & *atriorum* agitur, עירובי חצרות, quum die Veneris omnes incolæ loci alicujus privati vel atrii cibum ad unum locum conferentes quem ſimul comedent efficiunt ex locis, quæ antea diverſi erant dominii (רשות dicunt) locum dominii unius, ſic ut vi hujus commixtionis liceat omnibus ejus loci incolis ſabbatho aliquid educere ex una domo in aliam, quod ceteroquin non licebat. Hæc mixtura ſi fiat ab incolis urbis, appellatur שיתוף *aſſociatio*. Ceterum auctorem ꝟ עירובין Salomonem regem faciunt in *Gem. Schabbath.* 14. 2.

§. XIII. Annus ſabbathicus quis.

XIII. Annus ſabbathicus dicitur quilibet annus ſeptimus, [55] ita ut primus ſabbathicus fuerit ſeptimus ab eo tempore quo terra diviſa atque occupata agris colendis vacare poterant, id eſt, ab anno 14. poſt ingreſſum in terram Canaan, quia ſeptennio uno terram ceperunt, altero diviſerunt: vide *Gem. Kidduſchin.* 40. 2. *Gem. Bava mezia* 89. I. *Gem. Hier. Pea.* 20. 3. *Gem. Hier. Schevuth.* 36. 2. Nec enim, ſimul ac terram Canaan ingreſſi ſunt, Judæi volunt majores ſuos ad omnia præcepta legis Moſaicæ obligatos fuiſſe, [56] ſed hoc ordine, uti eſt in *Siphra fol.* * 262. 2.

1. Ad legem de placenta offerenda & præputium arborum, & novo proventu terræ non guſtando ante oblatum manipulum, obligabantur ſimul ac Jordanem tranſiviſſent.
2. ad manipulum paſchalem offerendum, obligabantur die 16 Niſan.
3. Ad panes pentecoſtales, 50 diebus poſt.
4. [57] Ad decimas, poſt annos 14 ab ingreſſu in terram.
5. Ad anni ſabbathici obſervationem, anno 21 ab ingreſſu.
6. Ad jubilæi obſervationem, anno 64 ab ingreſſu.

Ceterum annus hic ſabbathicus dicitur annus שמטה *intermiſſionis*. *Levit.* 25. 2. Græcis ἐνιαυτὸς τῆς ἀφέσεως & ἀργὸν ἔτος Suidæ in v. Ἰωβιλαῖος. [58] Nomen etiam שבתו

ſabba-

ſabbathi huic anno dari ante monuimus : & uti dies ſabbathum præcedens ערב השבת *veſpera ſabbathi* appellatur, 59 ita annus ſextus ערב שביעית quaſi *veſpera anni ſeptimi* dicas (*Schevuth.* I. I.) & octavus מוצא שביעית *ibid.* VI. 4. appellatur. Hoc ſenſu, quo annus ſabbathicus ſabbathum dicitur, illud Chriſti *Matth.* 24. 20. intelligunt quidam: *orate ne fuga veſtra fiat hyeme vel ſabbatho*, i. e. anno ſabbathico, quo nullæ fruges in agris inveniebantur, uti & hyeme tempora ſunt fugientibus maxime incommoda. Alii volunt Chriſtum attendiſſe hoc dicto ad ſpatium itineris ſabbathici.

§. XIV. Initium annorum ſabbathicorum.

XIV. Annos ſabbathicos 60 a Tiſri, non Niſan, eſſe numerandos conſtans eſt Judæorum traditio, nec deſtituta firmamento ex ſacris literis petito; nam *Levit.* 25. 3. dicitur: *ſex annis ſeres agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam & colliges proventum ejus. Et ſeptimo anno erit ſabbathum* שבתון *terræ, ſabbathum Domino; agrum tuum non ſeres, nec vineam putabis. Exod.* 23. 10. Unde liquet, quum tempus agrum ſerendi ſit in Tiſri, metendi in Niſan, & ſexies ager ſeri, ſexies meti, debeat ante annum ſabbathicum, a tempore ſementis, id eſt Tiſri, ducendum eſſe initium. 61 Quod etiam liquet ex *commate* 20. *Si dicatis quid comedemus anno illo ſeptimo?* ſi enim annus ſeptimus a Niſan incipiat quum tempus meſſis eſt, fruges antea ſatas metere & comedere potuiſſent: ſed ſi annus ſeptimus incipiat a Tiſri, quum tempus ſementis eſt, juſta erat ſollicitudo quid illo anno ederent, quo nihil ſerebant, nihil metere poterant.

§. XV. Jura anni ſabbathici.

XV. 62 Ad duo capita referri ſolent ea quæ anno ſabbathico præcipiuntur, quo ſenſu duplex ſchemitta ſtatuenda eſt. I. שמטת הארץ *quies* 63 *terræ Iſraeliticæ* vel שמיטת קרקע in *Gem. Gutin.* 36. I. & *Gem. Moed katon.* 2. 2. quod videlicet non ſereretur, nec meteretur. *Exod.* 23. 10. aut alio modo tellus coleretur; 64 licitum tamen eſſe ſtatuerunt aliquando anno ſabbathico ſerere, tantum quantum nomine tributi debebant. Sub quo comprehenditur uſus promiſcuus 65 ſponte natorum; *Lev.* 25. 5. quamvis Judæi ſtatuant licere ſponte nata anni ſeptimi 66 domi recondere & iis uti, quamdiu ſimiles fructus reſtant in agro: ſi non reſtent, debere iterum palam omnibus exponi: & hoc ביעור *polluctura* appellatur, *Schevuth.* IX. 8. 67 cujus formula hæc erat: אחינו בית ישראל כל מי שצריך ליטול יבא ויטול *fratres noſtri, Iſraelitæ: quicunque veſtrum opus his habet, veniat & ſumat.* II. שמטת כספים 68 *remiſſio debitorum* ſex annis ante elapſis contractorum. *Deut.* 15. 2. & 31. 10. Hanc Dei legem irritam reddidit 69 Hillel ſua conſtitutione de 70 פרוזבול, qua creditor jus ſuum, non obſtante privilegio anni ſabbathici, retinebat adverſus debitorem. Confer *Schevuth.* X. I. & *ſeqq.*

§. XVI. Sponte nata quæ & cui uſui.

XVI. Nuncupant Judæi illa quæ abſque ope & cura humana proveniunt in agris ספיחים. Ea potiſſimum debent originem ſuam granis deciduis quæ inter metendum ſpargebantur, & granis, quæ in trituratione imprimebantur ſolo: quoniam trituratio apud veteres Judæos ope vehiculi fiebat in ipſis agris. Relinquebantur hæc ſponte nata annis ſabbathicis 71 uſui pauperum & pecudum. *Exod.* 23. 11. quamvis enim vineæ & oliveti illic tantum fiat mentio, ſub iis ut præcipuis reliquæ ſpecies comprehenduntur. 72 Aliqua tamen portio horum ſponte natorum ſervabatur ab hominibus ad id conductis ut manipulus paſchalis & panes pentecoſtales inde fierent, quos ex novo proventu illius anni Deus parari juſſerat. *Schecalim.* IV. I.

§. XVII. Num dimiſſio ſervorum huc pertineat.

XVII. Sunt qui ad jura anni ſabbathici etiam *dimiſſionem ſervorum* שמטת דרור, vel שילוח עבדים, referant, putentque ſervos eo dimittendos & in libertatem reſtituendos fuiſſe. Verum videntur ſervi omnes 73 non anno ſabbathico, 74 ſed ſeptimo anno ſervitutis, debuiſſe dimitti, uti *Exod.* 21. 2. & *Jerem.* 34. 14. legitur: quæ etiam Judæorum eſt opinio. Vide *Siphra fol.* 270. I. בשביעית אין מוציאת עבדים *anno ſabbathico non dimittuntur ſervi.* 75 Dabantur ſervis e ſervitute exeuntibus triginta ſicli, pretium Chriſti venditi. *Matth.* 26. 16. Quod ſi ſervus oblatam libertatem amplecti recuſaret, 76 aures ei perforabantur ad poſtes ædium Domini. *Exod.* II. 6. 77 at ſervo e familia ſacerdotali id non fiebat, ne evaderet בעל מום ſive *vitiatus*. *Gem. Kidduſchin.* 16. 2. & 21. 2. & 22. I. 2.

§. XVIII. Jubilæi nomen.

XVIII. Annum jubilæum יובל quidam ita dictum autumant ab הוביל, 78 quod prædia redirent ad priſtinos dominos; 79 alii vero a יובל cornu arietino, quo jubilæus publicabatur die 10. menſis Tiſri. *Levit.* 25. 9. nam arietem in Arabia יובלא appellari teſtatur R. Levi in *Gem. Hieroſ. Beracoth.* 13. 3. & R. Akiba, *Gem. Roſch haſſchana.* 26. I. Quid autem proprie יובל ſignificet diſputatur, quum alii quidem eo nomine arietem dici putent, 80 alii buccinam ipſam, alii denique ſonum, quem buccina certo modo inflata edebat. Confer *Joſ.* 6. 4. שופרות יובלים.

§. XIX. Annus jubilæus ſitne 49, an 50.

XIX. Sitne annus jubilæus annus 49. an vero 50. reſpectu ſabbathicorum, diſquirunt interpretes. Nobis quidem videtur, poſt elapſos ſepties ſeptem annos, id eſt, 49. inte-

integros, [81] annum qui ſequitur eſſe jubilæum : & hæc eſt communis Judæorum opinio tam Rabbanitarum quam [82] Karæorum. Hoc ſchema mentem noſtram clarius exponet, ab anno ſexto ſchemittæ initium capiens, qui jubilæi præteriti reſpectu ſimul eſt 48.

VI. Schemittæ.	Sabbathicus. VII. Schem.	Jubil.	I. Schem.	II. Schem.
48	49	50	51	52

Eo nos ducunt diſerta verba *Levit.* 25. 8. [83] numerandos eſſe שבע שנים שבע פעמים ſeptem annos ſepties, qui ſint תשע וארבעים שנה, anni 49. & ubi hoc factum eſſet, [84] die 10. menſis Tiſri buccina clangerent per totam terram, [85] & ſanctificarent את שנת החמשים שנה *annum quinquageſimum*, proprie *annum* 50. *annorum*; ita *Gen.* 7. 11. שנת שש מאות שנה *eſt annus ſexcenteſimus*, & 2. *Reg.* 9. 29. שנת אחת עשרה שנה *annus undecimus*. Hinc obſervant quidam jubilæum [86] nunquam שבת appellari, uti annus ſabbathicus nuncupatur. Confer *comma* 11. & *Deut.* 16. 9. [87] ubi 7. hebdomades numerari jubentur, & poſt eas dies 50. pentecoſte, celebrari. Præterea ſi annus jubilæus eſſet quadrageſimus nonus, cur prohiberetur ſeri & meti, quod jam ante prohibitum fuerat, quum de anno ſabbathico ageretur?

§. XX. Quid toto illo biennio ederint.

XX. Objicitur quidem præcipue, quod ſi annus jubilæus a ſabbathico diſtinctus fuerit, & per biennium agri non culti jacuerint, unde ergo victum ſibi acquirere potuerint? Reſpondemus, uti quolibet ſeptennio Deus benedicturum ſe promiſerat proventui anni ſexti, [88], ut ſufficeret iſti anno, anno ſeptimo, & octavo, quo ſererent denuo, uſque ad ipſius anni noni initium, quo collecto anni octavi proventu frui poſſent. *Levit.* 25. 20. ita etiam inſtante jubilæo eadem ſpe ali debebant, argumento ducto a ſimili. Confer. 2. *Reg.* 19. 29.

§. XXI. Num jubilæus primus fuerit novæ ſchemittæ.

XXI. Porro diſquiritur; fueritne annus jubilæus primus novæ ſchemittæ, an vero annus eum ſequens. Judæi, tam [89] Rabbanitæ quam Karæi, putant annum jubilæum non eſſe primum novæ ſchemittæ, ſed annum ſequentem. [90] Verum alii exiſtimant, ne ordo annorum ſabbathicorum continuo interrumpatur per jubilæos, qui interrupta ſerie per omnia tempora deduci poteſt, jubilæum fuiſſe primum ſabbathicum. Sic quidem in prima ſchemitta 5. tantum annis ſereretur ac meteretur, quum Deus de *6.* jubeat : *Levit.* 25. 3. verum ibi de prima ſchemitta agi notant, quam nullum jubilæum præceſſit, & de eo quod ſemper contingeret, excepto ſolo interventu jubilæi.

§. XXII. Jura jubilæi.

XXII. Tria erant jubilæi privilegia; quamdiu videlicet terra a tribubus fuit poſſeſſa: nam quam primum tribus trans Jordanem ſitæ [91] Gad, Ruben & dimidia Manaſſe captivæ fuere abductæ, ceſſarunt obſervari jura jubilæi כיון שגלו שבט ראובן וגד וחצי שבט מנשה בטלו היובלות. [92] Stante templo ſecundo anni ſabbathici quidem obſervati fuerunt (תביעת נוהגת א'ע'פי שאין יובל, legitur in *Siphra fol.* * 268. 2.) ſed obſervationis jubilæorum nulla fit apud veteres mentio. [93] Numerabantur tamen anni jubilæi ſuo loco, ut ſecundum illos conſtituerentur anni ſabbathici, ſtante templo ſecundo, uti Judæi tradunt. Privilegia ipſa jubilæi hæc ſunt 1. [94] Dimiſſio ſervorum : *Lev.* 25. 40. *Kiddusbin.* 1. 2. 2. [95] Terræ quies ſine cultura, & 3. agrorum venditorum reditus ad primum dominum. [96] *Quamprimum* videlicet *buccina inflabatur die expiationis*, *ab ea hora liberi erant ſervi*, *& agri redibant ad priſtinos dominos* כיון שהגיע יום הכיפורים תקעו ב'ד' בשופר נפטרו עבדים לבתיהם ושדות חוזרות לבעליהם uti legitur in *Gem. Roſch haſſchana*. 8. 2. Agros quidem vendere non licebat, [97] niſi ob anguſtias rei domeſticæ : quod ſi quis vendidiſſet, [98] per biennium in emtoris poteſtate manebant, & poſt illud redimi potuere : *Levit.* 25. 25. quum videlicet emtor bis proventu anni fruitus eſt : quare in horum annorum cenſum non veniunt [99] anni ſteriles aut ſabbathici. Si agri redemti non eſſent redibant tempore jubilæi ad priſtinum dominum, etiamſi fuiſſent venditi. Quod ſi agrum [100] quis donaſſet alteri, recipiebat eum anno jubilæo. Ager ejuſmodi donatus alicui vel emtus שדה מקנה dicitur, opponiturque [101] agro hæreditario שדה אחזה. Vide *Levit.* 27. 16. [102] Ædium in vicis & pagis (כפרים) idem jus erat quod agrorum. [103] Sed qui domum vendiderat in urbe muro cincta [104] (quæ tempore Joſuæ murum habuit) ſitam, redimere eam potuit, quam primum ei liberet, intra ſpatium anni : poſtea non *Levit.* 25. 29. 30. adeoque illa domus [105] ipſo jubilæo non redibat ad priſtinum dominum, ſed emtori manebat propria. [106] Domus autem Levitarum perpetuo redimi poterant. *Levit.* 25. 32. *Erachin.* VII. 5.

COM-

COMMENTARIUM IN CAPUT OCTAVUM.

[1] ALiis diebus &c. *Megillath Taanith cap. I.* R. Jehuda ben Betiræ, dictum eſt, inquit, Sabbathum infra Levit. 23. 16. (*de Azereth*) & Sabbathum ſupra verſ. 15. (*de Paſchate.*) Sicut ergo illic (*verſ. 16. ubi de Azereth ſermo eſt*) vox Sabbath ſignificat feſtum, atque initium feſti, & quidem proximum ipſi (*initio numerationis facto poſt primum diem feſti*) ita & hic quando legimus a craſtino Sabbathi, ſenſus ejus eſt a craſtino primi diei Paſchatis. *Abarbanel in Pentateuchum ſol.* 262. 1. Quod verſ. 11. dicitur: ממחרת השבת *a craſtino Sabbathi*, ſciendum diem feſtum ſolennem primum Paſchatis vocari Sabbathum, ſicut & dies clangoris vocatur שבתון *Sabbathum* verſ. 24, quia dies primus Paſchatis eſt dies primus feſtorum dierum, ideo a feſto Paſchatis vocatur השבת cum ה demonſtrativo, q.d. *Sabbathi illius, cujus modo mentio facta:* nam in illo die 15. prima erat ſolennitatum quies, & ceſſatio ab opere. *Peſikta fol.* 29. 2. & quomodo firmetur illud, *a craſtino Sabbathi*, i.e. a craſtino diei feſti, quod dies feſtus vocetur Sabbathum. *S. Epiphanius adv. Hæreſ.* 30. 32. Nam Sabbathorum varia genera lege præfinita ſunt; ac quod ſeptenum dierum orbe revoluto celebratur, proprie Sabbathum dicitur; ſed aliud eſt, quod vel incurrentibus noviluniis, vel ob alios dies feſtos indicitur, ſc. vel Tabernaculorum, vel Paſchatis ferias quibus mactare agnum, azymiſque veſci legitimum eſt &c. Quoties igitur dies ejuſmodi in ſecundum poſt Sabbathum diem, vel tertium, vel quartum incidunt, iſtud ipſum illorum inſtituto Sabbathum cenſetur.

[2] *Appellatur idem ille &c. Peſikta ibidem.* Neque ullum eſt diſcrimen inter שבת שבתון לשבתון; uti videre eſt Levit. 23. 39. & Exod. 31. 15.

[3] *Sed & de die Expiationis &c. Abarbanel in Levit.* 16. 31. 253. 2. Dies expiationum erit dies quietis & afflictionis ſimul; nam hic erit ipſis שבת שבתון i. e. quies magna ab omni moleſtia corporea, & abſque omni opere præſtando ſuis corporibus, & erit afflictio animarum pœnitentium propter peccatum totius anni; & hoc erit ſtatutum perpetuum. Illi enim in toto anno dederunt quietem & ceſſationem corpori ſuo, in hoc autem die expiationum erit Sabbathum in corporibus, ſed afflictio in animabus. *Et fol.* 266. 1. *ad Levit.* 23. 32. שבת שבתון erit vobis quies magna ſelecta & perfecta, licet affligatis animas veſtras. *Addit in Levit.* 16. 31. *dixit. Sabbathum Sabbathi erit vobis*, i. e. in reliquis diebus, quando eritis in Sabbatho & in quiete, & non eritis in afflictione; hæ enim res ſibi invicem contrariantur afflictio & Sabbathum. Sed in hac die ita non eſt; erit enim vobis שבת שבתון, licet affligatis animas veſtras. Quamvis illud præceptum diei expiationis commemoratum ſit Levit. 16: attamen cap. 23. 32. idem repetitur, quia cap. 16. ejus mentio facta in cultu diei, & introitu Sacerdotis ſummi in Sanctum Sanctorum. Hic autem cap. 23. ubi voluit textus colligere omnes ſolennitates, comprehendit diem expiationum, qui pertinet ad ſolennitates Domini, ideoque hic de die expiationum res explicat, quæ cap. 16. non ſunt explicatæ, tum pœnam ejus, qui ſe non afflixerit, & qui eo die fecerit opus verſ. 29. 30. tum etiam quando debeat incipere obſervationem diei ſanctificati, quod fiat in nono die menſis in veſpera verſ. 32.

[4] *Gaudium Legis &c. Hujus feſti deſcriptionem tibi dabimus ex MS. C. Bibliothecæ Lugduno Batavæ, cui titulus* חקוני הקראים, *latine reddito a cl. Cramero in ſuis eruditiſſimis notis ad cap. IV. Succah.* Die XV menſis Tiſri eſt convocatio ſancta; feſtum ſc. Tabernaculorum, & tum legunt a Levit. 22. 27. *Bos, ovis & capra cum genita fuerint &c.* uſque ad illa verba l. c. cap. 23. verſ. ultimo; *Locutuſque eſt Moyſes ſuper ſolennitatibus Domini ad filios Iſrael*, quæ continentur in Paraſcha illa quæ incipit: *loquere ad Aaron, & ad filios ejus &c.* hoc eſt, Levit. 21. 2. Sectio vero Prophetica, quæ tum legitur, eſt ea quæ incipit: *& tabernaculum erit in umbraculum diei ab æſtu &c.* Jeſ. 4. 6. Porro Sabbatho in intermedios feſti dies cadente abſolvitur lectio Pentateuchi, antequam conſideant poſt peractas preces; tum ſedendo legitur ſectio illa legalis, quæ incipit: *hæc eſt benedictio &c.* Deut. 33. 1. Itaque Pentateuchum abſolvunt cum canticis illis, atque concluſionum formulis, quæ in libris precum extant. Poſtea ſiſtit ſe miniſter Synagogæ, atque depromit Legis volumen unum, dein ad lectionem provocat *primum* Sacerdotem, *poſtea* Levitam, & ſic tertium, quartum, quintum, ſextum; pro ſeptimo autem evocat virum, *præ cæteris* clarum, atque excellentem, qui recitat Deut. 33. 29. *Beatus es tu Iſrael &c.* Accedens autem vir ille præclarus ſiſtit ſe coram Legis volumine, & non ſtatim legit, verum accipit Legis volumen a miniſtro, & dum manibus illud prehendit lecturus ille, incipit recitare voce grata & jucunda: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo &c.* Pſalm. 14. 1. &: *Domini eſt terra & plenitudo ejus &c.* Pſalm. 23. Tum eunt primarii ex cœtu, omniaque Legis volumina in Synagoga illa exiſtentia depromunt, ſed iis cathedram non circumeunt, verum abſque circuitione ſe ſiſtunt. Tum iterum incipit primus ille vir præclarus, legitque voce grata & accepta: *Beatus es tu Iſrael &c.* & alta admodum voce; cœtus vero integer eumdem verſum eodem modo repetit, poſteaque ſilent. Tum vero denuo incipit ipſemet vir ille præclarus recitare dictum verſum cum cap. ſeqq. verſ. 1. *Aſcendit ergo Moyſes &c.* pergitque uſque ad finem Pentateuchi, ſicque legem finiunt omnes una. Poſtmodum miniſter Synagogæ incipit recitare Pſalm. 92. *Dominus regnavit, decorem indutus eſt &c.* & Pſalm. 96. *Dominus regnavit exſultet terra &c.* Dum vero miniſter dictos Pſalmos recitat, omnia Legis volumina iterum convolvuntur incipiendo ab inferiori verſus ſuperiorem partem, hoc eſt a ſectione quæ incipit: *hæc eſt benedictio &c. ſive ultima*, uſque ad ſectionem *Bereſchit ſive primam*. Poſt hæc recitat idem miniſter Pſalm. 98. *Dominus regnavit, iraſcantur populi &c.* & cum devenit ad verſ. ultimum, *exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate &c.* omnia legis volumina in ſcrinium ſacrum reponuntur. His peractis provocat miniſter eum, qui cœtum dimittit, ille legit Haphtaram *quæ incipit*, & factum eſt poſt mortem Moyſi &c. Joſ. I. 1. In feſto vero שמיני עצרת dicto legere ſolent e ſuggeſtu leges ad oblationes pertinentes, quæ exſtant in Paraſcha Pinehas, ſc. Num. 29. 35. uſque ad ſectionis illius finem, quoniam his verſibus abſolvuntur omnia ea, quæ feſtum illud שמיני עצרת concernunt. Pars noſtrorum Sapientum hoc eodem in feſto Legis lectionem finiendam eſſe volunt; verum hoc pluribus ex doctoribus noſtris non placet, neque probatur, ſed longe præſtat, atque etiam convenientius eſt, Legis lectionem Sabbatho ordiri, & etiam finire juxta conſtitutionem omnium Sapientum, atque doctorum. Si vero feſtum Azereth in Sabbathum cadat, tum eo finitur lectio Pentateuchi, & Sabbatho ſequenti, qui dies 29 Tiſri eſt, iterum orditur.

[5] *Totam hebdomadem &c. Babyl. Chetubb. fol.* 2. 1. Virgo ducitur in uxorem die hebdomadis quarto; nam curatur de convivio אחד בשבת *die primo hebdomadis*, שני בשבת *die ſecundo hebdomadis*, שלישי בשבת, *& die tertio hebdomadis. Gloſſa in Parah cap.* 2. ברביעי בשבת, *quarta Sabbathi* eum ſegregarunt, qui combuſturus erat Vaccam rufam. *Hieroſ. Megillah. fol.* 75. 1. Inſtituit Ezra, ut Legem publice legerent diebus Sabbathi ſecundo & quinto &c. Inſtituit ille ſeſſionem Judicum in civitatibus diebus ſecundo & quinto. *Babyl. Bava Kama fol.* 82. 1. Inſtituit etiam Ezra ut veſtes lavarent בה"בשבת, *quinto Sabbathi*.

[6] *Ab oblatione manipuli &c. Maimonides in Adajoth fol.* 22. 1. Primus dies Paſchatis vocatur Sabbathum, & numerant poſt illud ſeptem Sabbatha cognatione relata ad illud.

[7] *Ad legitimam Sabbathi &c. Aben Ezra ad Geneſ.* 2. 3. *& Exod.* 20. 8. Sabbathum datum fuit, ut *homo* conſideraret opera Dei, & in Lege ejus meditaretur. *Et ad* Exod. 31. 13. Qui facit opus in Sabbatho negat opera creationis. Ad hæc quia ſanctificavi hanc diem, etiam vos debetis ſanctificare, cultui meo & rebus divinis applicando, & conſecrando.

do. Ita ſignum eſt hic dies inter me Creatorem, & ſanctificantem, & inter vos, qui creati, & ſanctificati eſtis a me. Hæc ſignificat cum ait: *quia ego Dominus, qui ſanctifico vos. Abarbanel in Legem fol.* 175. 3. 4. *ad Exod.* 20. 8. *& fol.* 339. 2. Septima pars dierum vacua eſt ad diſcendam Legem divinam, & ad bene conſervandum explicationes ejus, & inquiſitiones; ſicut tradiderunt in *Gemara Hieroſ.* Non data ſunt Sabbatha & dies feſti niſi ad meditandum in Lege Dei, ideoque dixerunt in *Medraſch Schemoth Rabba Par.* 26. *& in Debarim Rabba*, quod Sabbathum æſtimetur ut tota Lex. *Citat etiam Rabbenu Niſſim dicentem*: hæc eſt ſanctificatio Sabbathi, ut mens humana in eo non incumbat rei alicui profanæ, ſed tantummodo rebus ſanctis.

[8] *Quietem beſtiarum &c. Codex Shabb. V.* Cum quo beſtia exit *e ſtabulo*, & cum quo non exit? Camelus cum capiſtro, & camelus fœmina cum annulo, & aſinus Lydius cum freno, & equus cum catena, & omnes *beſtiæ* catenari ſolitæ cum catena *vel retinaculo* exeunt, & cum catena trahuntur, & aſpergunt ſuper eas *catenas ſeu retinacula* in loco ſuo, & lavant eas in loco ſuo. Aſinus cum clitellis exit tempore, quo ei alligatæ fuerint. Arietes copulati exeunt; oves ligatæ ad dorſum, ligatæ deorſum, & circumligatæ exeunt; Capræ ligatæ *circa ubera* exeunt. R. Joſe prohibet omnia, exceptis ovibus circumligatis. R. Jehuda capræ, inquit, exeunt ligatæ ad exſiccandum, ſed non ad mulgendum. Cum quo autem non exeunt beſtiæ? Non exibit camelus cum panno caudæ alligato, neque manu ad pedem, aut manu *ſive anteriore pede* compeditus, ſic reliquæ beſtiæ omnes. Camelos alterum cum altero non colligat & trahit, ſed funes in manum ſuam ſumit, & ſic trahit dum non convolvitur. Aſinus cum clitellis, niſi alligatæ ei fuerint, non exit, neque cum tintinnabulo etiamſi obturatum eſt, neque cum ligno quod eſt in collo ejus, neque cum loro, quod eſt in pede ejus; neque galli cum filis aut loris, quæ in pedibus eorum ſunt, exeunt; neque arietes cum vehiculo exeunt, quod eſt ſub cauda eorum; neque oves herbam in naribus habentes, exeunt; neque vitulus cum jugo exit, neque vacca cum pelle Kophar, neque cum loro, quod inter cornua ejus eſt. Vacca R. Elieſeris filii Aſariæ exit cum loro inter cornua ejus; ſed invitis Sapientibus. *Toſaphta Shabb. V.* R. Iſmael filius R. Joſæ dicit nomine ſui patris; equus, & mulus, & aſinus lydius, & camelus capiſtro trahuntur, oves circumligatæ exeunt propter lanam, & ligatæ ad dorſum, ut ſuper eas mares aſcendant, & cauda inter pedes colligatæ, ne ſuper eas mares aſcendant. Non exibit aſinus cum ſuis clitellis, quamvis ſint ei alligatæ. Rabban Gamaliel dicit: exire poterit aſinus cum ſuis clitellis, quando ei colligaverit ea mente, ut calefiat, ſed tamen ne vinculum colligat, neque funiculus intra caudam exeat. Non exibit camelus cum panno gibbo alligato, ne aer introeat, ſed exire poteſt, quando ejus gibbo ſit colligatum, ita ut aer introeat, compeditus, ne poſſit manum flectere & pedem, & pedem colligabit, & compeditus, ne flectat ſimul ambas manus, & ambos pedes, & vinciat. Equus exit cum catena, & omnes catenari ſoliti, cum catena trahuntur, & aſpergunt ſuper eas, & ſuo loco immerguntur, ſed ea tamen conditione ut latæ ſint, & poteſt etiam ſi velit, decem funes manu ſumere, dummodo ne ſuper manum eas obvolvat, neque ſinat, ut funis e manu palmo longior prodeat. Non exibit equus cum vulpis cauda, neque cum coccino inter oculos, neque cum freno vacca exibit, neque pulli cum ſuis caniſtris, neque capræ cum ſacculis circa ſua ubera, nec exibit beſtia cum calceo, nec cum amuleto, quamvis ab homine erudito confectum ſit; in hoc gravius eſt jus in beſtia, quam in homine, ſed exire poteſt cum vinculo ſuper vulnere, & cum palea ſuper fractura, & cum ſecundina pendente; & obturandum eſt ei tintinnabulum & poteſt in atrio ambulare.

[9] *Aliquod opus inchoare &c. Toſapata Shabb. cap. I.* 10, Dixerunt Schammæani Hillelianis: nonne vos fatemini non aſſandam carnem & ova in vigilia Sabbathi prope diem niſi intra diem aſſari poſſint? etiam atramentum, aromata, & viciam & his ſimilia. Reſponderunt his Hilleliani: nonne nobis conceditis licere onerare trabem trapetis, & aſſeres rotundos torcularis in vigilia Sabbathi prope noctem in vigilia Sabbathi? etiam atramentum, aromata, viciam, & his ſimilia; utrique in ſententia perſtiterunt; ſed Schammæani dicunt, quod textus dicit: *ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua*, ut totum opus tuum in vigilia Sabbathi perfectum ſit; & Hilleliani dicunt: *ſex diebus operaberis, ſex diebus* integris tibi facere licet.

[10] *Defenſionem &c. Maimonides Shabb. II.* 23. Si Gentiles urbem Iſraelitarum obſident, eam pecunia ſolum emuncturi, Sabbathum, pugna cum iis commiſſa, non violant; at ſi urbem limitibus vicinam cingant, quamquam id vel ſtraminis vel palearum gratia faciant, adverſus eos armati in acie procedimus, atque Sabbathum impune profanamus. At ubicumque urbem vel cædis noſtræ cauſa, vel in aperto bello, vel ſine cauſa ſatis nota oppugnant, contra hos poſthabita Sabbathi requie armis nos defendimus; atque omnibus Iſraelitis præceptum eſt, ut ſi potis ſint, veniant milites, atque fratribus obſeſſis opem ferant, eoſque Gentilium poteſtati eripiant, ipſo etiam Sabbatho, adeo quidem ipſis Sabbathi exitum expectare interdictum eſt. *Urbem vero hoſtium niſi triduo ante Sabbathum oppugnare non licuit; R. Joſeph Karo in Ceſeph Miſchneh fol.* 29. *col.* 3. Legimus cap. 1. Schabb. non obſident urbes gentium &c. Habentur hæc in cap. 1. Maſſecheth Shabb. ubi docent Rabbini non obſideri urbes gentilium paucioribus quam tribus ante Sabbathum diebus, ſi tamen obſidionem ceperint, non deſiſtere, quod quidem Schammai demonſtrabat ex Deut. 20. 20. ubi dicitur continuanda obſidio urbis, *donec capias urbem*, *h. e. inquiebat Schammai*, etiamſi Sabbathum incidat &c. *Maimonides Shabb. II.* 25. Obſidio urbium Ethnicarum ſuſcipienda eſt tribus ante Sabbathum diebus, & poſtea continuari bellum poteſt quotidie, etiam in ipſo Sabbatho, donec urbem occupaverint, etiamſi bellum tantum arbitrarium geratur; ſic enim antiqua traditione acceptum docuerunt ſapientes verbis illis Deut. 20. 20. *donec capias urbem, innui continuandam eſſe pugnam* etiam in Sabbatho. *Bereſchith Rabba Lech lecha fol.* 52. 2. Docuit Hiskiah, *dum Deut.* 20. 20. *continuanda dicitur urbis obſidio, donec capias urbem, doceri continuandam* eſſe etiam Sabbatho; ſic enim reperimus, quod Jericho capta non ſit niſi Sabbatho.

[11] *Nec tamen fas eſſe &c. contrarium docet ex Siphri Abarbanel Parſch. Schophetim fol.* 376. 2. Propterea quod Lex continuare jubet obſidionem urbis, donec capias urbem, concludunt ſapientes in libro Siphri, quod etiam Sabbatho poſſint oppugnaculum extruere, inque bellicis actionibus occupari.

[12] *Opera præcipua &c. Hieroſ. Shabb.* 9. 2. אלה הרברים דבר דברי דברים. R. Chaminah Zipporienſis dicit nomine R. Abhu אלף unum denotat, למד triginta, הא quinque, דבר unum, דברים duo. Hinc quadraginta labores excepto uno, de quibus ſcribitur in Lege. Rabbini Cæſarienſes dicunt: non deeſt quicquam e loco ſuo; אלף unum, למד triginta, ח octo, non diſtinguunt doctores noſtri inter הא & לחית

[13] *Serere, arare &c. Toſaphta Shabb. X.* 16. Qui fodit, & qui arat, & qui terram effodit, eſt idem opus.

[14] *Metere &c. Toſaphta Shabb. ibidem*. Qui evellit, & qui metit, & qui vindemiat, & qui olivas, aut ficus, aut dactylos colligit, eſt idem opus.

[15] *Triturare &c. Toſaphta Shabb. ibidem*. Qui triticum triturat, & qui terit, & qui cribrat eſt idem opus.

[16] *Molere &c. Toſaphta ibidem*: purificat, & qui molit, & qui ſuccernit, & qui depſit, & qui coquit, ſi edendi cauſa facit, eſt in quantitate caricæ, ſi animalis gratia, eſt juxta plenitudinem oris hœdi &c.

[17] *Tondere &c. Toſaphta Shabb. IX.* 1. Qui tondit ex animali, fera, & avibus, etiam de pelle in quantitate duplicis latitudinis, quæ intercedit inter digitum medium & indicem, tenetur pœna; ſunt qui diſcrimen faciunt in ſue inter ejus dorſum & reliquum ſui corporis.

[18] *Stamen ſubtegere &c. Toſaphta Shabb. ibidem*. Qui texit tria fila ab initio, pœna tenetur. R. Jehuda damnat etiam illum; qui percutit, & ſuper textura conjungit, in qualibet quantitate, reus eſt. *Et ibidem cap. XIII*, Qui texit duo fila ſuper tela inſtar literæ Gamma Græci, aut in ſignum ſuper extremitate, pœna tenetur &c.

[19] *Venari &c. Toſaphta Shabb. ibidem*. Duo qui cepiſſent capream, liberi ſunt, qui duo pro uno tantum opere pœna non tenentur; ſi prior ceperit, & alter dimiſerit, ambo rei ſunt; ſi prior cepiſſet, & ſecundo dediſſet, prior pœna tenetur, & alter liber eſt. Qui capream capit in atrio, in quo duæ ſint januæ, ſi prior portam clauſiſſet, & alter adveniens alteram claudat, ſecundus pœna tenetur, & prior liber eſt; ſi prior iterum aperiat, iterumque claudat, pro ſecunda venatione reus eſt. Qui capream claudam, infirmam, aut parvulam capiat, liber eſt, ſi dormientem, reus eſt; qui capit columbos columbarii, aut columbos domeſticos, aut aves quæ in tignorum foraminibus nidificaſſent, & in palatio, & omnia, quæ ſine labore capi non poſſunt, reus eſt; ſi anſeres, gallos, & columbas Herodis, & omnia, quibus capiendis venatio non eſt neceſſaria, liber eſt; qui capit muſcas & culices, reus eſt; & R. Jehuda abſolvit; qui gryllos tempore roris capit, liber eſt, æſtus *aut ſiccitatis* tempore, reus eſt. Eleaſar filius Mahabai dicit, ſi ſiccitatis tempore madefacti eſſent, liber eſt. Qui capit animal, feram, & avem in prato, quod in nullius poteſtate ſit, ſi facile capi non poterant reus eſt, ſi in pratum introducat, quod in alicujus poteſtate ſit, quamvis facile capi non poſſint, liber eſt; qui ſuper animal feram & avem rete extendit, quamvis introeant, liber eſt, ſi pro animali, fera & ave tendat, ſi introeant, reus eſt, qui animal, & avem e rete educit, liber eſt. Si duo conſideant in oſtio, liberi ſunt, cum ignoretur, uter eorum præcedat; ſi alter prius conſideat, & poſt eum alter, prior reus eſt, & alter liber; ſi in oſtio conſideat, & alter adveniens capiat, qui in oſtio conſidet reus eſt, & qui capit, eſt liber; ſiquis in oſtio conſideat, & alter adveniens introeat, & alter adveniens foris conſiſtat, qui in oſtio conſidet, reus eſt, duoque alii liberi ſunt; ſiquis in oſtio conſideat, intraque illud caprea deprehendatur, quamvis ei ſit mens ibi uſque ad noctem commorandi, liber eſt, quia præda cogitationem præceſſit; nemo eſt, qui ſit reus, niſi ille, qui capere cogitaverit, quoniam præda cogitationem præceſſit liber eſt. Cuinam hic ſimilis eſt? illi, qui armarium clauderet ibique capream deprehenderet, & illi, qui ſe pallio operiret, & in eo avem deprehendat; quamvis ei eſſet mens ibi uſque ad veſperam commorandi, liber eſt, quia præda cogitationem præceſſit; ille tantum reus eſt, qui capere cogitet, ſi præda cogitationem præcedat, liber eſt.

[20] *Scribere literas &c. Toſaphta Shabb. XII. 7.* Qui conjunctim ſuper duobus aſſeribus ſignaverit, reus eſt. Dixit R. Joſe: non damnarunt pro duabus literis, niſi nomine ſignantis, quia ita ſignabant in aſſeribus tabernaculi, ut eorum ordo cognoſceretur. Si literam in principio unius paginæ ex una parte, & literam in principio alterius paginæ ex altera parte ſcripſiſſet, quamvis una ſimul eas conjungat, & una veluti res videatur, reus eſt; ſin minus, liber. Si literam ſcripſiſſet, adveniensque alter alteram ſcribat, vel integrum nomen, vel librum integrum, liber eſt; ſi literam ſcripſiſſet, eaque vel nomen, vel librum perfecerit, reus eſt. Qui incidit ſuper pelle ad ſimilitudinem characteris, liber eſt; qui ſignat ſuper pelle ad characteris ſimilitudinem, reus eſt; ſi ſcripſiſſet putaminibus nucum, corticibus malorum punicorum, aut ſanguine, & lacte concreto, ſuper frondem olivæ, aut ſiliquarum, aut folium cucurbitæ, aut ſuper re qualibet ſolida, reus eſt; ſi in luctacæ, porrorum, & cæparum, & viriditatum folium, & ſuper rem quamlibet, quæ non ſit ſolida, ſcripſerit, liber eſt. Regula generalis eſt: ſi ſcribat rem, quæ ſolida ſit, ſuper rem, quæ non ſit ſolida, aut rem, quæ non ſit ſolida, ſuper rem, quæ ſolida ſit, liber eſt; non eſt reus, niſi tum, cum ſcribat rem, quæ ſolida eſt, ſuper rem, quæ ſit ſolida. Qui ſcribit literam magnam, quamvis contineat tantum ſpatii, ut in eo duæ literæ ſcribi poſſent, liber eſt; qui delet literam magnam, quæ tantum ſpatii capiat, ut in eo duæ literæ ſcribi poſſent, reus eſt. Dixit R. Menahem filius R. Joſe; gravius eſt jus in delente, quam in ſcribente; & pariter gravius eſt jus in ſcribente, quam in delente; quod qui ſcribit, ut corrumpat, reus eſt, & qui delet, ut corrumpat, liber eſt. Si cecidiſſet atramentum ſuper librum, & deleviſſet, ſi cera ſuper librum, & deleviſſet, ſi in ejus loco tantum ſit ſpatii, ut in eo duæ literæ ſcribi poſſint, reus eſt, & qui delet ut corrumpat, liber eſt; nemo eſt, qui reus ſit, niſi qui deleat ut ſcribat, & qui delet, ut concinnet, in qualibet quantitate reus eſt. Qui ſcribit literam, & ex ea duas conficit, aut duas ſcribit literas, & ex his unam conficiat, reus eſt; ſi in animo habuiſſet unam ſcribere literam, duæque factæ eſſent, aut duas ſcribere literas, & unam efformaſſet, liber eſt; ſi duo puncta ſcripſiſſet, & alter adveniens perfeciſſet, & duas literas efformaſſet, ultimus reus eſt; ſi ſcripſiſſet ſuper angulum interiorem, reus eſt, ſi ſuper exteriorem, eſt liber; qui delineat in putaminibus fabæ, & lupinorum, liber eſt; qui ſignat ſuper ſuam carnem, R. Elieſer dicit, reus eſt, & ſapientes eum abſolvunt; eis reſpondit R. Elieſer, filius Sitra hoc uno tantum modo didicit; ei dixerunt, propter unum ſtultum omnes peritos peccare faciemus? Si alter calamum ſumeret, & alter ejus manum caperet, & ſcribit, qui ſumit calamum, reus eſt, qui capit manum, & ſcribit, liber eſt; ſi in animo habuiſſet ei opem ferre, qui manu tenet calamum, liber eſt, & qui manum capit, reus eſt; ſi ex errore, qui calamum ſumit, & de induſtria ageret, qui manum ei capit, & ſcribit, reus eſt, ſi de induſtria ille calamum ſumat, & ex errore, qui manum ei capit, & ſcribit, liber eſt; ſi puer calamum ſumat, & majorennis ei manum capiat, & ſcribit, reus eſt; ſi majorennis calamum ſumat, & puer manum ei capiat, & ſcribit, liber eſt; concedit R. Elieſer ſapientibus, quod ſi ſcripſiſſet literam hoc Sabbatho, & alteram literam altero Sabbatho, literam Sabbatho, & alteram literam die feſto; literam Sabbatho, & alteram literam die expiationum, liber ſit, quia duo dies pro uno tantum opere non componuntur. Siquis infundit atramentum, & alter aquas, & alter chalcanthum, duo poſtremi pœna tenentur; ſi quis infundit chalcanthum, & alter aquas, & alter atramentum, duo poſtremi pœna tenentur; ſi quis infundat atramentum, alter chalcanthum, & alter aquas, ultimus reus eſt; alter infundit atramentum, & alter aquam, aut alter aquam, & alter atramentum, aut alter aquam, & alter farinam; alter infundit farinam, & alter aquam, aut alter aquam, & alter terram, aut alter terram, & alter aquam, ultimus reus eſt, verba R. Joſe; R. Jehuda dicit, non eſt reus, niſi ſubigat, *aut maceret*.

[21] *Ædificare &c. Toſaphta Shabb. ibidem*. Qui ædificat in qualibet quantitate, pœna tenetur. R. Jehuda dicit, ſi alter lapidem imponat, & alter calcem, qui calcem, pœna tenetur, qui lapidem attollens ſuæ formæ impoſuiſſet, atque ædificio accomodaſſet, quamvis ei calcem non impoſuerit, reus eſt, & illa omni modo ut terra reputatur.

[22] *Exſtinguere &c. Toſaphta Shabb. ibidem*. Qui exſtinguit, & qui accendit ignem, reus eſt; qui oleo lucernam impleverit, quamvis in ea inſit aliud oleum, reus eſt; ſi ex uno ad alterum locum transferat, liber eſt; ſi ſuper latus inclinaſſet, reus eſt; ſi coram eo eſſent duæ lucernæ ardentes, & in animo haberet alteram exſtinguere, & exſtinguit alteram, reus eſt; ſi duæ lucernæ exſtinctæ eſſent, & in animo habet alteram accendere, & accendit alteram, pœna tenetur; ſi altera exſtincta, & altera accenſa eſſet, & in animo habet accenſam exſtinguere, & exſtinctam accendit, exſtinctam accendere, & ardentem exſtinguit, liber eſt; ſi in animo habuiſſet ardentem exſtinguere, & exſtinctam accendit una vice, duobus pro peccato ſacrificiis tenetur.

[23] *Percutere malleo &c. Toſaphta Shabb. ibidem*. Qui malleo percutit percuſſione ſive magna ſive parva, pœna tenetur. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit: etiam ille qui malleo ſuper incudem percutit tempore operis reus eſt &c.

[24] *Adducere quidpiam &c. Toſaphta Shabb. I.* Quatuor ſunt poteſtates Sabbathi, poteſtas unius, poteſtas multorum, Karmelith (*i. e. locus, in quo non perfecte implentur conditiones loci publici, nec loci privati*) & locus פטור liber, *ſeu abſolutionis*. Quænam eſt poteſtas unius? foſſa, quæ lata decem, & alta quatuor eſſet palmos; item clivus altus decem palmos, & quatuor latus, conſideratur poteſtas unius perfecta; quænam eſt poteſtas multorum? fora, plateæ, & viæ, quæ ſibi apertæ ſint vocantur poteſtas multorum perfecta. Non eſt efferendum e poteſtate unius in poteſtatem multorum, nec inferendum e poteſtate multorum

rum

rum in poteſtatem unius, ſi extuliſſet aut intuliſſet ex errore, tenetur ſacrificio pro peccato, ſi de induſtria, reus eſt aut excidii, aut lapidationis; tam efferens quam inferens, tam porrigens, quam jaciens reus eſt; at mare, vallis, & Karmelith, & ſcamnum, & limen non conſiderantur neque poteſtas unius, neque poteſtas multorum; nihil in ea inferri poteſt, & ſi intuliſſet & extuliſſet, liber eſt; nihil ex iis educi poteſt in poteſtatem multorum, nec e poteſtate multorum in ea *inferri*, nihil ex iis in poteſtatem unius, nec ex unius poteſtate in ea inferri poteſt; & ſi eduxiſſet, aut intuliſſet liber eſt; atrium multorum, & viæ, quæ ſibi non ſint apertæ, ſi commixtionem feciſſet, licita ſunt, ſi non feciſſet commixtionem, ſunt interdicta. Stans ſuper limine poteſt dare patrifamilias, & paterfamilias illi dare poteſt, dare ille pauperi, & illi pauper, ſumere a patrefamilias, & dare pauperi, aut a paupere, & dare patrifamilias; omnes liberi ſunt &c.

[25] *In templo ratio &c. Hieroſol. Shabb.* 17. 1. Opus ſervile quod fit in ſacris, non eſt ſervile. *Maimonides Peſach. I.* 16. Quæ ſi decima quarta dies menſis Niſan incideret in Sabbathum, Sabbatho omnia itidem, ut die profeſto fierent, ablueretur igitur & atrium; nam quæcumque Sapientes edicto ſanxerunt, ne Sabbatho fierent, his in templo nullus erat locus, ut eorum aliqua ad rem divinam faciendam non eſſent ita neceſſaria; nimirum quicquid ne Sabbatho fieret, auctoritate Sapientum erat interdictum, in templo uſquequaque permiſſum erat.

Circumciſio &c. Codex Shabb. XIX. Regulam dixit R. Akiba. Omne opus, quod fieri poteſt pridie Sabbathi, Sabbathum non pellit; ſed circumciſio, quæ pridie Sabbathi fieri non poteſt, Sabbathum pellit.

[26] *Et Paſcha &c. Codex Peſach. VI.* 2. Regulam generalem dixit R. Akiba: omnia opera, quæ peragi poſſunt a veſpera Sabbathi, non pellunt Sabbathum; mactatio, quæ peragi non poteſt a veſpera Sabbathi, pellit Sabbathum.

[27] *Beſtia in foveam &c. Maimonides Shabb. cap.* 25. Si beſtia incidat in foveam, aut in ſtagnum aquarum, alimenta ei in iſto loco miniſtret, ſi poſſit; ſin minus, pannos & ſtramenta afferat, & beſtiam ſuffulciat, unde ſi poſſit aſcendere, aſcendat &c. *Sepher Ammude golah fol.* 146. 1. Beſtiam, quæ incidit in foveam, non licet educere Sabbatho, ſi illic ſuum alimentum habeat, uſque ad egreſſum Sabbathi. *Etiam die feſto vetitum erat beſtiam e fovea educere. Hieroſ. Jom. tobh. fol.* 62. 1. Si beſtia atque ejus fœtus incidant in foveam die feſto, R. Lazar dicit, priorem elevet, eo fine ut occidat, & occidat, alteri autem pabulum miniſtret in iſto loco ne moriatur. R. Joshua dicit; elevet priorem eo fine, ut occidat, quamvis non occidat, elevet etiam alteram, quamvis in animo non ſit eam occidere.

[28] *Omne periculum &c. Toſaphta Shabb. XVI.* 14. Danda opera eſt, ut liberetur ille, qui eſt in vitæ periculo, in Sabbatho, & qui diligentior eſt, majori laude dignus eſt; neque ideo a conſeſſu judiciali facultas petenda eſt; quo pacto hoc intelligitur? Si in mare cecidiſſet, neque poſſit aſcendere, ſi ejus navis demerſa eſſet in mari, neque poſſit aſcendere, deſcendendum eſt, dandaque opera eſt, ut ſtatim aſcendat, neque ideo a conſeſſu judiciali facultas petenda eſt; ſi in puteum cecidiſſet, neque poſſit aſcendere, ejuſque annulus tollitur, & deſcendunt, curantque, ut inde aſcendat, neque ideo a ſenatu facultas petenda eſt. Si puer domum ingreſſus eſſet, neque egredi poſſet, franguntur oſtia domus, etiamſi lapidea eſſent, indeque educitur, neque ideo a magiſtratu facultas petenda eſt. Extinguunt, faciuntque interſtitium propter incendia, & qui diligentior eſt, majori laude dignus eſt, neque ideo a ſenatu facultas petenda eſt. Siquis a ſerpente morſus eſt, eique medicus advocari poteſt, eique etiam gallina mactari poteſt, ejuſque pori tonderi, & poteſt comedere vel indecimatum; verba Rabbi; Rabban Simeon filius Gamalielis dicit, decimabit. Poteſt ægroto aqua calefieri in Sabbatho, tam potus, quam medicinæ gratia; neque dicitur, expectate, fortaſſe convaleſcet, ſed ejus periculum pellit Sabbathum, & non ſolum periculum hujus Sabbathi, ſed etiam periculum alterius Sabbathi; neque dicunt, quod res per gentiles & per pueros peragantur, ſed per majores Iſraelis; neque dicunt, quod res peragantur dicto mulierum, & dicto Cuthæorum, ſed cum his conveniat Iſraelitarum opinio. Dixit R. Joſe; unde probatur, quod periculum vitæ pellat Sabbathum? e verſu, qui dicit: *cuſtodite Sabbatha mea*; credamne propter circumciſionem, & ceremonias ſacrificiorum, & periculum vitæ? ideo dicit אך, divide; aliquando quieſcis, aliquando non quieſcis. *Maimonides Schabb. II.* 1. Sabbathum per periculum vitæ, ut reliqua omnia præcepta pellitur; adeoque ægroto, qui in diſcrimen vitæ venit, in Sabbatho omnia, quibus ei opus eſt, *Iſraelitæ cuilibet*, faciunt juxta præſcriptum medici loci, in quo æger habitat, *haud ſecus ac ſi dies profeſtus eſſet*; ubi dubium eſt, Sabbathi ob ægrum violatio neceſſaria ſit, an non, ubi medicus unus eam neceſſariam exiſtimat, alter vero non, impune profanant Sabbathum; nam dubia vitæ pellunt Sabbathum &c. Si quis ex oculis dolet, quod in utroque aut in alterutro ſit, aut quod præ nimio dolore, lachrymas ſtillent, aut ſanguinem, aut quod inflammatione affecti ſint, aut ſimilibus morbis, ecce ea omnia inter morbos, qui periculoſi ſunt, referri oportet, quos Sabbatho poſthabito, omni qua fieri poteſt ratione, oppugnare fas eſt &c. Æger cui nullum periculum imminet, a ſuis per Gentiles curatur: *qui ei mactant, coquunt, & quæ jubet*, ſed alia in quibus nullum opus ſervile ipſi agunt Iſraelitæ &c. *Et nonnullis interjectis*. Die Sabbathi periculo vitæ liberant animam, neque a conſeſſu judiciali poteſtas ideo petenda eſt. Is qui antevertit ad liberandam, maximam laudem meretur; quomodo? Si quis infantem, qui in mare prolapſus, vidit, ille expandit rete, atque illum educit, licet ſimul piſces extrahat. Siquis audivit infantem in mare immerſum fuiſſe, expandit rete ad extrahendum, extrahatque piſces, ille prorſus liber eſt. Qui intendit piſces extrahere, extraxit ſimul infantem, licet non audiverit illum immerſum fuiſſe, quandoquidem una infantem eduxit, liber tamen eſt. *Joſeph Karo Orach Chajim num.* 328. Propter morbum, quem medici periculoſum habent, Sabbathum profanare licet, licet laboret ægrotus carnis aliqua exteriori parte. Si unus medicus affirmat morbum periculoſum eſſe, alter vero negat, Sabbathum tamen profanatur, uti venam ſecando, hypocauſtum calefaciendo. *Hieroſ. Berachoth*. Ungunt emplaſtrum pro ægroto in Sabbatho. Quando? quando illud commiſcuerant vino & oleo veſperiis Sabbathi; verum ſi non commiſcuerant veſperiis Sabbathi, prohibetur. Traditio. Dixit R. Simeon ben Eleaſar, miſcere vinum & oleum, atque ungere ægrum Sabbatho, permiſſum eſt a R. Meyr.

[29] *Clangor buccinæ &c. Codex Succhab V.* 5. Veſperi Sabbathi addebant inſuper ſex *clangores* tres ad arcendum populum ab opere, tres ad ſeparandum inter ſanctum & profanum. *Maimonides de vaſis Sanctuarii VII.* 6. Præterea autem vigilia Sabbathi clangores addebantur ſex, quorum edebantur tres ut avocaretur ab opere plebs, & totidem, quibus ſecerneretur ſanctum a profano.

[30] *Ut ceſſarent &c. Toſaphta Succah IV.* 8. Quomodo explicantur tres, ut avocaretur populus ab opere? Miniſter Synagogæ ſumta tuba aſcendebat in ſummitatem tecti editiſſimi Civitatis, quando eam ſumebat, ut revocaret eos, qui civitati proximi erant, ab opere ceſſabant; qui termino vicini erant, conveniebant intra terminum, non ſtatim introibant, ſed expectabant, dum omnes venirent, & omnes eodem tempore introibant. At quandiu *ipſe expectabat* ut introiret? tamdiu, ut vas aqua implere poſſet, ſibique piſciculum aſſare, & lucernam accendere. *Maimonides Schabb. cap. V.* 18. 20. In omnibus provinciis atque urbibus Iſraelitarum in veſpera Sabbathi ſexies clangebant; clangebant autem loco excelſo, ut ſonum omnes homines ejus regionis, & ſuburbii percipere poſſent. Quando primum clangebatur, tum illi, qui in agris reperiebantur, ab aratione, ſarritione, atque aliis agreſtibus operibus prohibentur; Qui urbi propinquiores, non licentiam illam intrandi habent, priuſquam remotiores acceſſerunt: quando una omnes urbem intrant, tum adhuc tabernæ, & tabulæ mercatorum locis ſuis relinquebantur.

[31] *Ut officinæ &c. Maimonides ibidem*. Quando vero altera vice clangebatur, remotæ ſunt tabulæ, & clauſæ tabernæ. Hactenus tamen cibi calidi, & ollæ ſuper foco relinquebantur.

32 *Ut*

[32] *Ut ollæ ab igne &c. Toſaphta Succah ibidem*. Quomodo explicantur tres ad ſeparandum ſanctum a profano? Miniſter Synagogæ ſumta tuba, aſcendebat in tectum civitatis editiſſimum, quando eam ſumebat ad evocandum, removebantur decocta e clibanis, & cucuma favillis obtegebatur, & accendebatur lucerna; quando clangendi finem fecerat, cucumā, quam præ manibus habebat, non poterat amplius favillis obtegere, ſed humi reponebat, neque lucernam, quam præ manibus habebat, candelabro imponere poterat, ſed humi collocabat; miniſter Synagogæ in tecto tubam reponebat, & deſcendens veniebat. Dixit R. Joſe: ſi vellet deinde lucernam incendere, incendere licebat; ei dixerunt, tu pro omnibus æqualiter non loqueris; ſed locus erat in ſummitate tecti, ubi miniſter Synagogæ tubam reponebat. *Maimonides ibidem*. Clangore tertio edito, *ollæ* removebantur, & *favillis* obtegebantur cibi, atque lucernæ incendebantur; tum expectat tantum quantum requiritur ad minutum piſcem aſſandum, aut ut panis in furno coquatur, & ſonum æqualem, fractum, denuo æqualem edit, ceſſatque. Primus clangor edebatur in Mincha, tertia parte elapſa, quando ſol jam occidebat. Ita quoque Sabbatho exeunte, ſtellis ortis eum in finem clangebatur, ut quiſque ad opera agenda licentiam acciperet.

[33] *Ex tecto Sabbathi &c. Suo loco ubi de Sabbatho agendum erit, tibi dabimus clar. Rhenſerdii diſſertationem* de Tecto Sabbathi.

[34] *Fœminæ mandata &c. Codex Shabb. II. 5.* Ob tria peccata mulieres tempore partus moriuntur, quando non cautæ ſunt in ſeparatione menſtrua ſua, placenta, & accenſione lucernæ *Sabbathicæ*. *Maimonides in Shabb. pag. 36.* Viri & fœminæ tenebantur Sabbatho lucernam accenſam in domibus habere, licet adeo pauperes eſſent, ut oleum eo propter emendicare cogerentur. Accenſio lucernæ inter ea cenſebatur, quæ Sabbathum delicias fecerunt. Fœminæ præſertim tenebantur huic rei operam dare: *Nimii ſunt Judæi, de oleo hujus lucernæ*. *Toſaphta Shabb. II. 2.* R. Simeon filius Eleaſaris dicit: non accendenda eſt (*lucerna*) balſamo; R. Iſmael dicit; non eſt accendenda ex omni eo, quod ex arbore prodit; R. Iſmael filius R. Jochananis filii Berokæ: non poteſt accendi niſi eo, quod ex arbore prodit; R. Tarphon dicit: non poteſt accendi niſi oleo olivæ duntaxat; ſurrexit R. Jochanan filius Nuri, & dixit: quid facient incolæ Babyloniæ, quibus nullum aliud eſt oleum, niſi ſeſamorum? quid facient gentes Mediæ, quibus nullum aliud eſt oleum niſi nucum? quid facient gentes Alexandriæ, quibus unum tantum raphanorum oleum eſt? quid facient gentes Capadociæ, qui utroque carent? Tibi nullum aliud habendum eſt niſi illud, quod dixerunt; poteſt accendi oleo cucurbitæ ſylveſtris &c.

[35] *Die ſexto &c. Codex Shabb I.* Qui accendit lucernam, accendat dum adhuc dies eſt, ante occaſum ſolis.

[36] *Quia coquere non licuit &c. Toſaphta Shabb. II. 5.* Qui in Sabbatho coquit, ſi ex ignorantia, comedere poteſt, ſi de induſtria: non comedet; verba R. Meyr. R. Jehuda dicit: ſi imprudens, comedere poteſt poſt Sabbathum, ſi ex contumacia, non comedet. R. Jochanan calcearius dicit, ſi imprudens, aliis edendum dabit poſt Sabbathum, ſi de induſtria, nec ipſe, nec alii comedent; regulam generalem dicebat R. Iſmael filius R. Jochananis filii Berokæ, id, quod ſi de induſtria faciat, excidii, ſi per errorem ſacrificii pro peccato reus eſt; ſive imprudens, ſive de induſtria fecerit, cum ſibi, tum reliquis interdictum eſt, & id, quod ſi ex contumacia faciat non tenetur excidio, & ſi imprudens, ſacrificio pro peccato, ſi per errorem fecerit, poteſt aliis poſt Sabbathum præbere comedendum, & ſi de induſtria, neque ipſe, neque alii comedent. Qui Sabbatho mactat imprudens, poteſt comedere poſt Sabbathum, ſi de induſtria non comedet.

[37] *Cophino impoſita, & fœno &c. Codex Shabb. cap. III.* Kiræ, quam ſuccendunt (ad fervendum) palea, aut ſtipula coctile indunt; ei, quam fracibus aut ligno *ſuccendunt*, ne indito quis, donec everrerit *ex ea prunus*, aut *fracium & ligni prunis* cinerem inſperſerit. Schola Schammai inquit; *licet ponere eo* calidas *aquas* non autem coctile; ſchola Hillelis, calidas aquas & coctile. Schola Schammai dicit: ponunt quidem eo, ſed non reponunt; ſchola Hillelis pergit: etiam reponunt. Si quem furnum ſuccendunt palea, & ſtipula, nihil nec in eum, nec ſuper eum ponunt. Cupach *furnulus unius ollæ*, quem incendunt palea & ſtipula, eſt idem cum Cirajim, h. e. foculo duarum ollarum. (*Et licet ut ſupra Miſch. præced.*) Ad quem fracibus & ligno, idem cum furno habetur (*ſive idem jus cum furno habet*.)

[38] *Quod ſi dies Veneris &c. Babyl. Jom tobb.* Die feſto qui incidit in veſperam Sabbathi ne coquat in initio edulia a die feſto pro Sabbatho, at coquat pro die feſto, & ſi quid ſuperſit, reſervetur in Sabbathum. Verum paret edulium a veſpera diei feſti, atque eo nitatur pro Sabbatho. Schola Schammæana dicit: duplex edulium. Hilleliana dicit: unum edulium. *Toſaphta Jom Tobb II. 7.* In feſto, quod incidat in vigiliam Sabbathi, non facienda eſt commixtio nec pro atriis, nec pro terminis Sabbathi; verba Rabbi, & Sapientes dicunt, poteſt fieri commixtio pro atriis, at non pro terminis; poteſt fieri commixtio pane pro Sabbatho, & decocto pro feſto; quia dixerunt etiam elixo, etiam tritico toſto, quod aqua aſperſiſſet a vigilia Sabbathi &c. *Maimonides Jom Tobb. cap. VI.* Die feſto, qui coincidit cum veſperiis Sabbathi, non pinſunt, nec coquunt die feſto, quod comedant Sabbatho. Et prohibitio hæc eſt a verbis Scribarum; ne ſcilicet quis coqueret die feſto pro non feſto; nam hæc eſt argumentatio a majori ad minus. Si non coquat pro Sabbatho, multo minus pro die profano; ſi vero paret edulium pro veſpera diei feſti, quo nitatur, tum ſi pinſat aut coquat die feſto pro Sabbatho, permittitur. Et quare vocatur commixtio? Nempe prout commixtio iſta quam faciunt, de atriis aut veſtibulis pro veſpera Sabbathi, eſt in recognitionem; ne ſcilicet opinentur, quod licitum ſit aliquod tranſportare a loco in locum Sabbatho, ſic hoc edulium eſt in recognitionem & recordationem; ne ſcilicet opinentur aut autument, quod licitum ſit aliquid pinſere die feſto, quod non comedatur iſto die; idcirco edulium hoc vocatur commixtio eduliorum.

[39] *Exſtruuntur &c. Gemara Shabb. fol. 119. 1.* Dixit R. Chaja. Apud lanium aliquando in Cypro pernoctavi (ſunt qui dicunt, non in Cypro ſed in Ludkia pernoctaſſe.) Appoſita fuit lanio menſa aurea ſedecim hominum onus, de qua pendebant ſedecim catenæ argenteæ, meris argenteis vaſis, ut puta ſcutellis, cochlearibus, orbibus, ſcyphis plena, laudatiſſimis dapibus omne genus, præſtantiſſimis obſoniis, bellariis, & tragematibus onuſta; quum illi menſa hæc apponeretur, ſic orſus Deum laudavit; *Domini eſt terra & plenitudo ejus*. Pſalm. 23. Quum vero menſa auferretur, iterum Deum laudans in hæc verba erumpebat: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*; Pſalm. 113. Tum ſic eum compellavi; mi magiſter, quomodo tantas congeſſiſti divitias, & quibuſnam in vita tua bonis operibus vacaſti? Reſpondit paterfamilias, nempe lanius ille; hactenus lanius fui, & ſi quando in manus meas pecus altile, & ſaginatum incidit, illud in Sabbathum reſervavi, ut bonis carnibus Sabbathum celebrarem, & honeſtarem; hinc divitiæ illæ, quas largitus eſt mihi Deus, eo quod Sabbathum hoc honore proſecutus fuerim. Quibus auditis, reſpondit; benedictus ſit Deus, qui hæc tibi eſt impertitus, tantis te divitiis dignatus eſt. *O ſanctitatem culinarem, & patinariam! Audi ibidem aliud portentum, & ride*. Fuit aliquando vir quidam, nomine Joſeph Sabbathicola, quem nulla annonæ caritas remorabatur, ſi modo quicquam eximii in macello veniret, piſces præſertim immenſo præſtinare ſolebat pretio, nec auro ullos caros credebat. Fuit autem huic Joſepho vicinus ditiſſimus, qui ſubinde illum ſannis excipiens ajebat; quid tibi quæſo prodeſt cultus ille, quo Sabbathum proſequeris? non ditior es propterea; non tam religioſe Sabbathum colo ego, divitiis tamen te longe ſupero; ſed parvi fecit hæc Joſephus, nec illis animum applicuit, Deum quas fecerat impenſas, penſaturum confiſus. Eodem tempore divini & aſtrologi ad divitem illum accedentes; bone vir, inquiunt, quid tibi tantæ ſunt divitiæ, qui in bonum piſcem pecuniam nullam audeas inſumere? Ex ſtellarum poſitione vidimus, tot tamque grandes divitias tuas in Joſephi Sabbathicolæ manus deventuras, qui nulli parcit pecuniæ, ut laute & opipare Sabbatho vivat. Aſtrologorum ora-

tio non segniter divitis illius auribus illapsa est; abiit itaque, & facultates bonaque sua divendit, pecuniaque ex venditione corrasa, gemmas & uniones coemit, coemtas in pilei sui spiram congessit, & peregre proficisci decrevit, ne Josephus facultatum suarum potiretur. Mari ergo se credens, quum mediis ferretur aquis, & orta esset tempestas, insana & stridens procella ita navem concussit, ut a submersione parum abfuerit, pileum vero divitis illius capite decussit, & procul in mare dejecit. Affuit præsto ingens piscis, qui pileum cum pretiosa illa spira absorpsit; paulo post die veneris, ingens in macello piscis venalis prostabat. Singulos accedentes & piscem emere gestientes pretii amplitudo deterrebat. Præteriit tandem Josephus Sabbathicola, qui quovis pretio pisces mercari solebat, visumque cupidus & lætus in sacrosancti Sabbathi honorem emit. Quum domum detulisset, & diffecuisset, inventa est spira unionibus contexta, quam dives ille perdiderat; & ita astrologorum prædictionem exitus veram esse comprobavit. Sic insperata auctus lætitia de repente dives factus est; spira enim illa integri regni pretium æquare credita est. Tunc Josephum illum senex quidam, altissima præditus prudentia accedens ita allocutus est; qui multum Sabbatho dat mutuum, illi multum a Sabbatho restituitur.

40 *Tria porro &c. Codex Shabb. II. 7.* Tria verba unicuique in vespera Sabbathi domi suæ dicenda sunt oborientibus tenebris; Decimastine? Parastine commixtionem ciborum? Accendite lucernam. Si dubium fuerit obortæ sint tenebræ necne, non decimare amplius licet, quod decimatum nondum esse constat, nec vasa eluere, nec lucernam accendere; sed tamen decimare dubium, & miscere mixturam *atriorum*, & calidas aquas abscondere *licet*.

41 *Denique in initio &c. R. Levi Barzelonita leg.* 26. Proferenda verba die Sabbathi sub ingressum nempe & egressum ejus, quibus contineatur μνημόσυνον magnificentiæ illius diei, præstantiæ, & distinctionis a reliquis diebus antecedentibus, & sequentibus eum. *Maimonides Shabb. cap. XXIX.* Exit Sabbathum cum ille jam in medio est convivii sui? Finem imponit comestioni, manus lavat, & super poculum vini gratias agit pro victu, & postea super poculum illud formula orationis utitur in separationem Sabbathi a die communi; Si sit ille jam bibens cum exit Sabbathum, cesset a bibendo, & formulam separationis recitat, & dein redit ad potum suum.

42 *Diei consecratio &c. Hæc est Sabbathi benedictio*: Benedictus tu Domine Deus noster, totius mundi Domine, qui vitis fructum creasti; Benedictus tu Domine Deus noster, totius mundi Domine, qui nos præceptis tuis sanctificasti, nobisque sanctum dedisti Sabbathum, & in beneplacito ac misericordia tua nobis hæreditarium reliquisti, ut memoriale operum creationis; principium enim est congregationis sanctorum, & exitus ex Ægypto monumentum. Tu enim nos elegisti, & sanctificasti inter omnes nationes, nobis sanctum tuum Sabbathum in benignitate, & beneplacito hæreditatem reliquisti; Benedictus tu Domine, qui Sabbathum sanctificasti.

43 *Vino & aqua &c. R. Levi Barzelonita ibidem.* Res autem illa ita se habet; infundunt cyatho vini meri aut mixti partem quartam, plus nonnunquam, non vero minus. Mixtio hæc, ut notum est, fit, cum una pars vini meri tres admittit partes aquæ, cui tum benedicunt formula sanctificationis Sabbathi inter Judæos vulgata. Sed & exeunte Sabbatho vino benedicunt in honorem diei; Benedictio autem illa, quæ ad exitum Sabbathi fit, vocatur separatio.

44 *Indutio vestium &c. Gemara Shabb. fol.* 113. 1. Ne vestimentum tuum Sabbathinum sit sicut vestimentum tuum profanum vel quotidianum.

45 *Quo trahunt &c. Glossa in hunc Isaiæ locum, & vocaveris Sabbathum delicatum.* Prohibitum est (*inquiunt*) jejunare Sabbatho. At vero e contra tenentur homines cibo & potu se oblectare; nam lautius convivandum est Sabbatho quam diebus aliis, summeque ille est laudandus, qui dapes in istum diem parat maxime opiparas. *Gemara Shabb. fol.* 118. Siquis Sabbatho animum suum relaxet, & se jucunditati det, Sabbathumque cum voluptate & lætitia transigat, a Deo illi hæreditas sine termino datur, uti scribitur Isai. 58. 14: *Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Jacob patris tui*; de qua nimirum scribitur; *Dilataberis ad occidentem, & orientem, & septentrionem & meridiem*. Genes. 28. 14. R. Nachman; qui frontem Sabbatho exporrigit, & genio indulget, ille regnorum servitute liberabitur, sicut scribitur: *& sustollam te super altitudines terræ*. Item. *Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis*. Deut. 33. 29. R. Jehuda dixit Rabh dixisse; qui hilariter Sabbathum transigit, petitiones cordis sui a Deo consequitur; *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*. Psalm. 36. 4.

Ne credas omnes Judæos fuisse Sabbathicolas patinarios. Audiamus iterum Aben Ezram Exod. 20. 8. Sabbathum datum fuit, ut homo consideraret opera Dei, & in Lege ejus meditaretur. Et ad Exod. 31. 13. Qui facit opus in Sabbatho, negat opera creationis. Ad hæc quia sanctificavit hunc diem, etiam vos debetis sanctificare, cultui meo, & rebus divinis applicando, & consecrando. Ita signum est hic dies inter me creatorem & sanctificantem, & inter vos qui creati, & sanctificati estis a me; hoc significat cum ait: *ut sciatis quia ego Dominus, qui sanctifico vos. Et Abarbanelem fol.* 175. 4. *in Exod.* 20. 8. *ut sit ipsis* septima pars dierum vacua ad discendam Legem divinam, atque ad bene conservandum ejus explicationes, & inquisitiones. Sicut tradiderunt *in Gemar. Hierosol.* Non data sunt Sabbatha & dies festi nisi ad meditandum in Lege Dei, ideoque dixerunt *in Medrasch Schemoth Rabba Par.* 26; *& in Debarim Rabba*, quod Sabbathum æstimetur ut tota Lex. *Citat etiam* Rabbenu Nissim *dicentem*; Hæc est sanctificatio Sabbathi, ut mens humana non incumbat rei alicui profanæ, sed tantummodo rebus sanctis; *Et Maimonidem Jom Tobh VI.* 19. Quamvis comprehendatur in præceptis affirmativis, ut in festo sit epulandum; tamen tota die non est epulandum. Sed hæc est Lex; summo mane universus populus se confert in Synagogas, & in loca sacri studii, & recitant orationes, leguntque Legem juxta scopum diei, & inde domos suas redeunt, eduntque, redeuntque ad locum sacri studii, iterumque legunt usque ad meridiem, & post meridiem recitatur oratio vespertina, & inde domos suas revertuntur, & diei reliquum epulantur. Quando homo epulatur, & lætatur in festo, ne vino, risui, & impudentiæ indulgeat, dicatque, qui hæc auget, augere etiam lætitiæ præceptum; quia ebrietas, risus, & levitas non est lætitia, sed amentia, & stultitia; neque nobis præcipitur dementia, & stultitia, sed ea lætitia, in qua sit cultus Creatoris omnium rerum, juxta versiculum qui dicit: *eo quod non servieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque lætitia propter rerum omnium abundantiam*. Deut. 28. 47. Hinc discas conjungendum esse Dei cultum cum lætitia; neque risu, levitate, & ebrietate Deo servire possumus. Debet magistratus statuere ministros in festo, qui circumvagarentur, & inquirerent in hortis, & viridariis & prope flumina, ne illuc viri mulieresque ad edendum & bibendum convenirent, & peccata committerent; & pariter universum populum admonebant, ne in suis domibus viri mulieresque lætitiæ causa commiscerentur, vinoque adeo indulgerent, ut inde peccata consequerentur. *Et R. Jeschajam in Schene Luchoth habberith fol.* 246. 1. Quoniam nosti in universum duplicis generis dari animas; primo quidem animam vitalem, sub qua comprehenduntur anima vegetativa, & sensitiva; secundo vero animam intellectualem; idcirco patet conveniens esse, ut homo utramque alere quærat, neque unam ab alia separet, neque totus sit instar bruti; propterea dicit Deus, Exod. 12. 16.: *exceptis his quæ ad vescendum pertinent*; quo dicere vult Legislator, eas tantummodo res, quæ omni animæ tam vitali, quam rationali conveniant, in festis diebus esse facienda nec plus nec minus; hoc est ut animam rationalem alat cibo, qui ei convenit, nempe spirituali, ex quo solo anima fructum percipit; anima enim ipsa sancta est, sanctis ergo rebus etiam nutrienda: v. g. laudatione ac celebratione Numinis, quod tanti nos fecerit, totque signa, ac miracula in hisce festis patrarit; item auditione Legis quolibet festo. Sic dein quoque convenit, ut & animæ vitali porrigatur cibus ei conveniens, h. e. corporalis, v. g. carnes, vinum, aliique cibi boni; *Et Isaakum ben Aramb in Aked. If. fol.* 200. 2. Nullibi amor reperitur, ubi timor est, nec timor ubi amor, nisi in cultu

cultu numinis solum, quoniam cultus Dei verus in timore *ejus consistit*. Ibi ergo, ubi hæc perfectio divini cultus obtinet, demum vera deprehenditur lætitia.

[46] *At non est lætitia &c. Gemara Pesach. fol.* 109. *col.* 1. Homo liberos suos, atque domesticos ad lætitiam excitare tenetur juxta Deut. 16. 14. *& epulaberis in festivitate tua*. Quo medio autem id efficere poterit? vino. R. Jehuda ait: viris dabit, quod viris convenit, mulieribus, quod mulieribus; viris sc. vinum, quo delectantur; sed quid mulieribus? Tradit R. Joseph, in Babylonia illas vestibus gaudere variegatis; in terra vero Israelis vestibus lineis dealbatis. Traditio R. Jehudæ filii Betheræ asserit, tempore quo templum adhuc fuerit superstes lætitiam non nisi in carnium *comestione* constitisse, juxta Deut. 27. 7. *Et immolabis hostias pacificas, comedesque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo*; post templi excidium vero lætitiam omnem in vino quæri, q. d. e. Psalm. 103. 15. *Vinum lætificat cor hominis. Quæ impudentia!*

[47] *Disputant quoque &c. Glossa in Isai. cap.* 58. 13. Ter Sabbatho est comedendum, & de hoc monendi sunt omnes. Et vel ipsi pauperes, qui ex eleemosynis victitant, ter comedant Sabbatho; qui enim ter Sabbatho convivatur, liberabitur a doloribus Messiæ, a judicio Gehennæ, a bello Gog & Magog. *Gemara Shabb. fol.* 118. 1. Qui ter convivatur Sabbatho, liberabitur a tribus miseriis, a doloribus Messiæ, a judicio Gehennæ, a bello Gog & Magog. *Quorum Deus venter est*. Philipp. 3. 19.

[48] *Ubi pauperi &c. Tosaphta Peah IV.* 8. Non minus erogandum est in pauperem itinerantem quam panis pondioli, quando quatuor tritici sata siclo venduntur, si noctem ibi agat, pernoctationi necessaria ei suppeditant, oleum, & legumina, & si Sabbathum, cibum trium refectionum, oleum, legumina, pisces, & olera. *Maimonides de jure pauperis VII.* 8. Pauperi, qui mendicando transit a loco ad locum, non minus dabunt, quam unum frustum panis, quod ematur obolo, cum quatuor Seæ tritici veneant siclo (alibi autem explicavimus omnes mensuras.) Si pauper maneat tota nocte, suppeditabunt ei lectum, in quo dormiat, & stragula, quæ ponat sub *capite suo* pro cervicali, & oleum, & legumina; si maneat die Sabbathi, dabunt ei cibum pro tribus refectionibus, & oleum, & legumina, & piscem, & olera.

[49] *Manere loco suo &c. Jonathan hunc versum* Exod. 16. 29. *ita transfert:* maneat unusquisque apud semetipsum, ne deportanto quicquam de potestate sive jurisdictione unius in potestatem alterius nisi ad quatuor passus; nullus egrediatur de loco suo ad deambulandum, nisi duo millia passuum in die septimo: *Et R. Salomo in eumdem Exod. locum*. Hi sunt (*inquit*) bis mille cubiti, sed non definite; nam termini non sunt nisi ex statutis Scribarum. *Et in Chaldæa Ruthæ Paraphrasi legitur*. Præceptum accepimus de observandis Sabbathis, ne longius iter faciamus, quam bis mille cubitorum.

[50] *Spatio bis mille &c. Tanchuma in principio libri Numerorum*. Docet nos, quot cubitos possit homo ambulare in Sabbatho. Sic docuerunt Rabbini nostri. Qui Sabbathum agit, vel quiescit in via, describit sibi circulum ad quatuor cubitos; dixit R. Chanina filius Antigoni, & vagatur intra quatuor istos cubitos, & dicit: Sabbatum meum, vel quies mea erit in loco meo; sic acquirit sibi jus loci sui ad bis mille cubitos in quamlibet plagam. Quantum sunt quatuor cubiti? R. Jehuda dixit, ut possit accipere pretiosum margaritarum suarum, & ponere sub cervicalibus suis. *Orach Chajim de jure terminorum*. Omnis homo habet duo millia cubitorum in omnem plagam mundi; sc. in Sabbatho, quos licet ipsi ambulare. *Item*. Si sanctificet super eo dies in valle, & non sciat terminum Sabbathi, ambulat bis mille passus mediocres, sive minores, qui faciunt terminos Sabbathi. *Hieronymus Epist.* 151. *ad Algasiam quæst.* 9. Præterea quia jussum est *Judæis*, ut diebus Sabbathorum sedeat unusquisque in domo sua, & non egrediatur, neque ambulet de loco in quo habitat, si quando eos juxta literam ceperimus arctare, ut non jaceant, non ambulent, non stent, sed tantum sedeant, si velint præcepta servare. Solent respondere & dicere: Rab. Akiba, & Simeon, & Hillel Magistri nostri tradiderunt nobis, ut bis mille pedes ambulemus in Sabbatho.

[51] *Quo Arca & castra &c. David Kimchi ad hunc Josuæ locum* 3. 4. Sitque inter vos & Arcam spatium cubitorum duum millium *ita commentatur*. Est in hoc Derasch, id est expositio mystica, q. d. Futurum est ut aliquando agatis Sabbathum in urbe Jericho, idcirco non recedetis ab Arca non ultra bis mille cubitos ad quamlibet plagam; quare id? ut licitum sit vobis ire & orare ante Arcam in Sabbatho. *Maimonides Shabb. cap.* 27. Quicunque transgreditur limites urbis Sabbatho, vapulet, quia dicitur: *nullus egrediatur de loco suo die septimo*. Locus hic est limes urbis; lex autem non determinat spatium hujus limitis. At sapientes definiunt, quod hic limes sit ab extra ad duodecim milliaria secundum castra Israelis; nam sic dixit iis Moses Magister noster; *Non exibitis de castris. Oecumenius*. Iter Sabbathi, ut ait Origenes lib. 5. Stromaton, duorum millium cubitorum erat, idque potissimum, quod Sanctum Tabernaculum, & Arca tanto interstitio castrorum ordinem præcedebant, & a tanto intervallo tentoria figebant, quo spatio licebat his, qui castra metati erant, ad sanctum Tabernaculum accedere.

[52] *Hinc extra urbem &c. Tanchuma ibidem*. Qui quiescit sive Sabbathum agit in urbe tam magna, etiam ut est Antiochia, perambulat totam urbem, & circumferentia ejus in circuitu extra eam est bis mille cubitorum in quamlibet plagam, includitque diversoria, hospitia & alia extra urbem. Qui Sabbathum agit in spelunca tam magna, etiam ut fuit spelunca, in quam fugit Zedechias Rex Jehudæ pervadit totam, & extra eam bis mille cubitos in quamlibet plagam. *Maimonides ibidem*. Verum ex verbis Scribarum decernitur; ne exeat quisquam extra urbem nisi bis mille cubitis. Ultra autem bis mille cubitos prohibetur; nam bis mille cubiti sunt suburbana civitatis; & proinde discas, quod liceat homini ambulare Sabbatho per totam civitatem, sit licet spatiosa sicut Ninive, cinctane sit muris an non. Licet etiam ei incedere extra civitatem ad bis mille cubitos ab unoquoque latere. At si progressus fuerit ultra bis mille cubitos, verberant eum percussione rebellionis, si nempe procedat ad duodecim milliaria; si vero progrediatur ab urbe longius quam ad duodecim milliaria, etiam cubito uno, vapulat ex Lege.

[53] *Quum quis cibum &c. Maimonides Eruvin cap. VI.* Qui egreditur ex urbe vespere Sabbathi & deponit cibum duorum prandiorum longe ab urbe in medio vel intra terminum, figitque ibi quietem suam, etiamsi revertatur in urbem, & pernoctet in domo sua, id reputatur ac si quievisset, vel Sabbathum egisset in eo loco, ubi cibum istorum duorum prandiorum deposuerat; illud est quod vocatur mixtio terminorum. *Sed hæc non fiebat nisi ob aliquod bonum, & præceptum Legis. Maimonides ibidem*. Non miscent mixtiones terminorum, nisi ob rem præcepti alicujus, veluti si velit ire ad domum lugentis, aut ad convivium nuptiale, aut salutare Doctorem suum, aut socium, aut amicum ex longo itinere reversum & similia, aut propter metum, velut si velit fugere a gentilibus, aut a latronibus, & similia.

[54] *Sed & atriorum &c. suo loco tibi dabimus* additamenta ad Codices Shabbath, & Eruvin *nunc primum ex Hebraico latine reddita, & notis perpetuis philologicis illustrata*.

[55] *Ita ut primus &c. Siphra ad Levit.* 25. 2. *Quando ingressi fueritis terram*. Crederem postquam Jordanem transissent? ideo dicit *terram*, terram vaticinatam; crederem, postquam venissent ad terram Ammon & Moab? ideo dicit: *quam ego dabo vobis*, & non Ammon & Moab; unde probatur contra omne id, quod tu dicere possis, si subegisset, at non divisisset, divisisset cognationibus, at non familiis, nemoque suam partem agnoscat, a te posse existimari, quod intermissione teneantur? ex eo quod dicit: *agrum tuum*, ut unusquisque suum agrum agnoscat, *vineam tuam*, ut unusquisque suam vineam agnoscat. Deprehenditur, quod tu dicis; quod quando transierunt Jordanem, ad præceptum de placenta de præputio, atque ad id, quod novas fruges spectat, obligati fuerint; quando advenit dies decimus sextus Nisan, ad manipulum fuerint obligati; morati fuere quinquaginta dies, obligati fuere ad obla-

tionem duorum panum, post annos quatuordecim obligati fuere ad decimas; tum inceperunt numerare pro anno Sabbathico, & post annum unum & vigesimum intermissionem observarunt, & post annum quartum & sexagesimum Jubilæum celebrarunt. *Maimonides de Jubilæo cap. I.* 2. A quo autem tempore inceperunt computare? ab anno quartodecimo ab introitu in terram, q. d. Levit. 25. *sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam*, id est donec quivis agnoscat proprium suum agrum; septem vero annos exegerunt in terræ subjectione, ac totidem in ejusdem divisione; unde colligitur eos computum incepisse anno 2503. a creatione mundi post creationem Adami primi computato anni initio. Nam creatio ejus contigit anno secundo creationis; fecerunt autem annum 2510. a creatione Mundi, qui fuit 21. Mundi ab introitu in terram, annum intermissionis, ac septem annis intermissionum numeratis, consecrarunt annum quinquagesimum, qui fuit annus quartus & sexagesimus ab introitu in terram. *Auctor Kesef Misnæ ad hunc locum*. Non vocamus annum septimum, nisi cum proprius ager tibi sit factus, exactis 7. subigendæ terræ, & 7. dividendæ, annis.

[56] *Sed hoc ordine &c. Tosaphta Menachoth VI.* 22. Quando Israelitæ transierunt Jordanem, obstricti fuere præcepto placentæ, præputii arborum, & novarum frugum; cum advenisset sextus decimus mensis Nisan, lege manipuli, & ejus, quod cum ipso offerebatur, adstricti fuere; post quinquagesimum diem, ad duos panes, atque ad id, quod cum iis offerebatur, obligati fuerunt; post annos quatuordecim planta anni quarti obstricti fuere; R. Jose filius R. Jehudæ, & R. Eleaser filius R. Simeonis dicunt, non adstricti fuere Israelitæ planta anni quarti nisi post annum quartumdecimum; post subactionem & divisionem terræ, postquam subegerunt, & diviserunt, ad decimas obligati fuere, inceperunt numerare primum, secundum, & tertium annum, & postea planta anni quarti adstricti fuerunt; post unum & vigesimum annum celebrarunt annum Sabbathicum, post annum quartum & sexagesimum Jubilæum celebrarunt.

[57] *Ad decimas &c. Maimonides ad XIV. 6. Codicis Sevachim*. Præterea nosti, quod decimæ secundæ adducendæ sunt ad locum suum, sed hujus rei non fecit mentionem dum loquebatur de Gilgale, quia tunc ad decimas non obligabantur, nisi donec terram Cananæam subegerant, eamque diviserant, quatuordecim annos postquam terram ingressi fuerant, septem quibus eam subegerunt, & septem quibus eam diviserunt, & hoc contigit eo tempore, quo Tabernaculum conventus esset in Gilgale.

[58] *Nomen etiam* שבת *&c. Siphra ibidem &c. Sabbathum Domini*, sicuti dictum est in primo Sabbatho Sabbathum Domini, ita dictum est in septimo anno.

[59] *Ita annus sextus &c. Tosaphta Scheviith. I. 6.* Venditur, & educitur fimus in vespera septimi anni. *Maimonides Scheviith III.* Per anni sexti triginta dies, qui immediate septimum antecedunt annum, omne prohibetur, quod circa terram versatur studium, uti traditio Mosis de monte Sinai habet; hoc enim esset aptare ad septimum annum terram. Atque hoc quidem durante adhuc prohibitum erat ex traditionis oralis vi, sancitumque a sapientibus fuit ne araretur ager arboribus consitus in vespera anni septimi, stante etiamnum Sanctuario, nisi ad Pentecostem usque; sin vero sativus ager fuerit, ad usque Paschatis festum. Si nullus amplius sacer locus existat, licita est cultura terræ ad auspicia usque novi anni secundum Legem. *Idem ad cap. I. 1. Codicis Scheviith*. Hæc est Mischna omnium prima, & dixere, quod non licet arare anno sexto, id quod anno septimo non potest meti, sic etiam, quod non liceat metere anno septimo, id quod erit ad usum anno octavo, quia dicitur Exod. 34. 21. *sex diebus operaberis, die septimo cessabis arare & metere*; & dixerunt quod hoc loco non intelligitur aratio & messis de die Sabbathi, quia ingreditur generalem regulam dicentem לא תעשה כל מלאכה; at hoc dici non potest eodem modo de anno septimo remissionis, quia de eo jam extat interdictum: *agrum non seres & vineam non putabis*. Levit. 25. 4. Et si non sit sensus de Sabbatho, dicunt, neque de Sabbathis annuis sensus est; & dicunt de eo, quod obaratum est, quod messis ipsius sit interdicta, & hoc est illud quod aratum est vesperi ante annum septimum vel ingrediente septimo; messis vero cujus aratio sit interdicta, est aratio illa sive ea quæ peracta est vesperi septimi egrediente in exitum septimi. Et scias per vesperam septimi intelligi annum sextum, & per exitum anni septimi intelligi octavum annum, qui est annus primus secundæ remissionis. Dicunt in Gemara, Rabban Gamaliel & senatus ejus decreverunt de duobus illis temporibus, & permiserunt ea; ita quoque dicunt in Additamentis, Rabban Gamalielem cum senatu ejus ordinasse duo illa tempora permissa esse quoad culturam terræ usque ad principium anni, quia opinio eorum eadem est quæ R. Ismaelis, qui locum Scripturæ בחריש ובקציר explicat alio sensu, uti hoc capite exponetur, & dicit, quod cultura terræ quæ peragitur vesperi anni septimi de Lege non est interdicta; sed decisio hæc obtinebat stante templo, at quando templum est destructum tempore Gamalielis, permissa est cultura terræ usque ad principium anni.

[60] *A Tisri &c. Tosaphta Rosch. hasschana* I. 7. Tisri est caput anni ad figendos annos, & annos Sabbathicos & Jubilæa, *simulque novus annus est* arborum, & olerum, & decimarum, & votorum. Quo pacto intelligitur pro annis, & annis Sabbathicis, & Jubilæis? Non fit numerandi initium annos, & annos Sabbathicos, & Jubilæa nisi a Tisri. *Codex Rosch hasschana I.* Primo die mensis Tisri est caput anni ad figendos annos, & intermissiones, & Jubilæa. *Maimonides Scheviith. IV. 6.* Primo Tisri mensis die auspicium petendum est tam annorum intermissionis, quam Jubilæorum.

[61] *Quod etiam liquet &c. Pesikta fol. 32. 3. in Levit.* 25. 20. 22. *Quod si dixeritis, quid comedemus?* Si nos non serimus, quid comedemus? quia dicitur: *si non severimus, neque colligerimus fruges nostras. Dabo benedictionem meam vobis anno sexto*; in annum septimum, & Jubilæum, & exitum Jubilæi. *Seretisque anno octavo*; hic est annus nonus post Jubilæum; *& comedetis veteres fruges*; hic est annus nonus post octavum. Cum autem bis refert *veteres* posteriore loco significat annum, qui admodum vetus est, qui dicitur filius trium annorum.

[62] *Ad duo capita &c. Siphra ibidem. Septimo autem anno Sabbathum erit terræ;* ne quis fortasse in ea effodiat puteos, cavernas, & fossas, & lavacra præparet? ideo dicit: *agrum non seres, & vineam non putabis*; non probatur nisi pro satione, & putatione, aratio, terræ subactio, radicum, & malarum herbarum runcatio, & circa vitium radices effosio unde probatur? ex eo quod dicit: *agrum tuum non, & vineam tuam non*; quodcumque opus quod fit in agro & vinea. Unde probatur, quod prohibeatur stercoratio, & terræ fossio circum arbores, suffumigatio sub frondibus, & radicum quæ retectæ sunt contectio? ex eo quod dicit: *agrum tuum non*; & unde probatur, non posse cædi ramos arborum aridos, nec demutilari, nec colligari? ex eo quod dicit: *agrum tuum non*. An dicam: *agrum tuum non seres, & agrum tuum non putabis*, quod denotet, olivam diffissam non posse religari, nec fossas impleri, quæ sunt circum olivas, nec fieri aquarum fossas inter unam & alteram arborem? ideo dicit: *agrum tuum non seres, & vineam tuam non putabis*; satio & putatio comprehensæ erant in genere, cur egressæ sunt? ut ex his argumentaretur; quemadmodum satio & putatio sunt opera distincta, quæ terræ culturæ inserviunt; ita omne aliud opus, quod terræ culturæ inserviat; crederem, quod annus Jubilæus in numero annorum hebdomadæ comprehenderetur? ideo dicit: *sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam*; anni sationis in numero annorum hebdomadæ comprehenduntur, sed annus Jubilæus in annis hebdomadæ non comprehenditur. Unde probatur pro oryza, milio, papavere, & sesama, quæ radices egissent ante anni principium, quod in septimo colligi possint? Ex eo quod dicit: *colligesque fructus ejus in septimo*; crederem etiam si radices nondum egissent? ideo dicit: *sex annis seres agrum tuum, colligesque*, sex sementes, sex messes, non sex sementes, & septem messes. R. Jonathan filius Josephi dicit; unde probatur, fruges, quæ ante principium anni tertiam partem crevissent, posse demeti in septi-

ptimo? ex eo quod dicit: *colligeſque fructus ejus*, poſt etiam, quam tertiam partem crevisſent. Unde probatur, triginta dies ante principium anni, veluti integrum annum reputari? ex eo quod dicit: *ſeptimo autem anno Sabbathum erit terræ. Maimonides Scheviit cap. I.* Eſt præceptum affirmativum ceſſandum a colenda terra, arboribuſque in anno ſeptimo eſſe, ut liquet ex eo quod dicitur: *Sabbathum erit terræ requietionis Domini*. Levit. 25. 2. ſcilicet quantum vindemiam, ac meſſem concernit. At qui opus aliquod ſeu in terra, ſeu arboribus excolendis ſuſceperit dicto anno, is mandatum affirmativum omittit, ac præterea negativum tranſgreditur, cum expreſſis verbis injunctum ſit: *agrum tuum non ſeres, & vineam tuam non putabis*. Lex duntaxat punit ſationem, aut putationem, meſſem vel vindemiam, hæc vitem, illa reliquas arbores includit; & putatio generatim ſeminationem, vindemiaque meſſem comprehendit. Verum qui fit, ut duas has ſpecies Scriptura tantum ſpeciatim recenſuerit? Inde, quia ſi quiſquis contra has peccaverit, reus fit; ſin autem contra reliquos fontes hic non memoratos quid commiſerit, non majori quam inobedientiæ afficitur pœna. Qua ratione *punitur* ille, qui terram vel fodit vel arat poſtulante id fundi neceſſitate, item qui lapides amovet, aut ſtercore agrum illinit, aut ſimili quopiam modo terram colit; nec non qui propagat, inſerit, plantat, vel denique tale quid cum arboribus molitur, ſi doctoribus noſtris credendum, perduellionis crimen incurrit.

[63] *Terræ Iſraeliticæ &c. R. Levi Barzelonita Leg. 69.* Obtinet uſus in maribus & fœminis, ſed tantum in terra Iſraelis, eoque tempore, quo Iſraelitæ habitarunt ibi, quemadmodum dicitur: *quando ingreſſi fueritis terram &c.* ex mente autem Rabbinorum noſtrorum valet etiamnum, ſed ſolum in terra Iſrael, & omnibus locis, quæ tenuerunt majores noſtri reverſi ex Babel Keſibam, quæ tamen interdicto cultus *ſeptimo anno omittendi* non tenetur. Quæcunque enim in locis iſtis ſponte creſcunt, edere non licet, quia loca illa, quæ tenuerunt, in æternum conſecrarunt. Loca autem, quæ jam aſcendentes ex Ægypto occuparunt, non vero reduces demum ex Babel (a Keſib nempe ad fluvium, & Amanah) etſi interdicto hodie ex Rabbinorum ſententia ſubjacent, ita ut ſeptimo ea anno colere non liceat; iidemque Rabbini ſponte in illis creſcentia quaſi rem difficilem vetitamque decernant, eſui tamen conceſſa ſunt, cum illa per aſcendentes e Babylonia non ſint ſanctificata; a fluvio vero Amanah & ultra colere ea licet. Syriam quæ & ipſa ex illis locis eſt, quæ David, antequam univerſa terra Iſraelis ſubacta eſſet, ſubjugavit, unde & Rabbinis *ſingularis ſubjugatio* vocatur; hanc inquam terram oppoſitam Aram Naharaim, & Aram Zobæam, totum Euphratis tractum, Babyloniam uſque, Damaſcum nempe, Achleb, Harran, & alia ipſis vicina loca, colere per Rabbinos non licet, plane ut terram Iſraelis, etſi lege intermiſſionis in Scriptura non teneantur. Ammon vero & Moab, Ægyptus, & Schinear, etſi teneantur dare decimas, non tamen anni ſeptimi recepta eſt intermiſſio, quanto minus in reliquis locis extra terram Iſrael.

[64] *Licitum tamen &c. Maimonides ibidem cap. I. 10.* Poſtea autem quam aucta onera fuere, id quoque a Regibus Gentium Iſraelis impoſitum erat, commeatus ut pararent ſuis exercitibus; tum permittebatur anno ſeptimo ſeminare tantum ea, quæ ad neceſſitatem regionum ſubditorum requiri videbantur. Similiter illi, qui hoc in anno gratis quid facere cogitur uti ſunt ſervitia Regi præſtanda, & his ſimilia, liberum erat iſta exſequi.

[65] *Sponte natorum &c. Siphra ibidem. Quæ ſponte gignet humus non metes.* Hac ratione adducti Sapientes prohibuerunt ea, quæ ſponte gignuntur in anno ſeptimo: *Et uvas primitiarum tuarum non colliges quaſi vindemiam*; ex eo quod in terra cuſtodis, vindemiare non potes, ſed quod commune eſt, potes vindemiare; *non colliges quaſi vindemiam*, non potes vindemiare eo quo ſolent modo, qui vindemiant; hinc dixerunt, ficus anni ſeptimi non conſueta parva falce, ſed cultro ſucciduntur; non calcant uvas in torculari ſed in mactra; non calcant, *ſeu tundunt* olivas trapeto, & prelo, ſed tundunt, & preſſorio ſubdunt. R. Simeon permittit etiam trapeto molere, & preſſorio ſubdere. *Maimonides ibidem*. Quicquid anno ſeptimo terra produxerit ſeu de ſemine ante dictum annum ſparſo, ſeu de radicibus antea quidem ſucciſis ſed rurſum enatis (quorum quodlibet ספיח, h. eſt. ſponte naſcens vocatur) ſeu de herbis atque oleribus ſponte propullulantibus, ac ſemine deſtitutis id fuerit, omne hoc lex edere concedit, Q. S. E. Levit. 25. 6. ſed erunt, *ea quæ in Sabbatho terra protulerit*, vobis in cibum. Ipſius adeo agri in anno ſeptimo exculti germinantiſque fructus ad eſum conceduntur, Q. S. E. verſ. 5. *Quæ ſponte gignet humus non metes*; ea nimirum ratione, qua quotannis agros metunt, nam ſi communem meſſorum modum obſervaverit, pœnas dabit. Hoc qui fit? Si e. g. totum quis agrum meſſuerit, manipulorum excitaverit cumulos, bove trituraverit, aut etiam ad modum culturæ terræ, ceu dictum eſt, meſſuerit. Ceterum ſi deſecaverit paulatim, & leviter excuſſerit, tum edere licet; atqui Scribæ volunt, omnia ſponte naſcentia edere nefas eſſe. Quare igitur tale quid ſtatuerunt? Factum hoc eſſe ſcias ob tranſgreſſores, nequis clam in agro ſuo ſerat frumentum, legumina, & ſemina hortenſia, neve iis progerminantibus pro cibo utatur, dicens eſſe ſponte e terra exorta. Hæc cauſa eſt, ob quam omnia ſponte provenientia in anno ſeptimo prohibeantur. Ergo docemur anni ſeptimi fructus non comedi debere, niſi ſolas arborum, herbarumque fruges, & quidem illas, quas exigua hominum pars ſeminat, uti ſunt rutæ, aſparagique ſylveſtres, atque his ſimilia. Verum enimvero olera, quæ fere homines omnes in hortis ſeminare conſueverunt, quæ itidem ad frumenti, leguminumque ſpecies referuntur, quicquid ex his modo recenſitis progerminat, Scribarum effato interdicitur, tale quid ſiquis collegerit, ut rebellis punitur. Ultro naſcentibus aut in agro inculto, aut modo proſciſſo, aut vineis referto, aut ſemente conſperſo, veſci conceditur. Eccur nihil circa hæc ſanxerunt *Scribæ*? ideo quia nemo ejuſmodi in locis ſeminat. Ager quippe incultus nemini in honorem cedit; proſciſſus modo uberiorem requirit præparationem, quam etiam ager vitibus plenus minime recuſat; ſativum autem ſponte naſcentia corrumpunt. Stramen denique in anno ſeptimo jus eſto ubivis demetendi, nec enim quicquam ſtatuerunt ea de re Anteceſſores noſtri.

[66] *Domi recondere &c. Toſaphta Scheviith VII. 5.* Trifariam diſpeſcitur terra ratione polluturæ in Judæam, Peræam, & Galilæam; quæ ſingulæ iterum trifariam dividuntur; cur commemorantur mons, campus, & vallis? quia non poteſt comedi de montanis pro campeſtribus, nec de campeſtribus pro montanis, ſed tantum de montanis, & de his quæ ſunt in montis jugo, de campeſtribus, & de his, quæ in campo continentur, & de valle, & de his, quæ in ea ſunt. In Syria non commemorarunt tres terras, niſi quod de primo comeditur, donec deficiat noviſſimus, qui in ea ſit. R. Simeon dicit; non diviſerunt trifariam niſi Judæam; & in reliquis omnibus terris pergunt comedere, donec deficiat a Beth--El & a Igdera Cæſaræ. Quinam vocatur Mons Scilo? hic eſt mons Regius; ejus campeſtria? Hæc ſunt campeſtria Lyddæ; ejus vallis? eſt ab Hen-Ghedi uſque ad Hiericunthem; quænam eſt vallis Galilææ? nempe Geneſareth cum reliquis hujuſmodi. R. Simeon filius Eleaſaris dicit; quinam eſt mons Perææ? nempe Charis, Ghibor, Ghedor, cum reliquis hujuſmodi; campeſtria? Scilo Cheſcbon, & omnes ejus civitates, quæ ſunt in planitie Dibon, & Bamot Bahal, & Beth Bahal Megnon; ejus vallis? videlicet Beth Nimra, Ramta, & his ſimiles. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit; ſignum montium ſunt poma, ſignum vallium ſunt palmæ, ſignum fluviorum ſunt calami, ſignum locorum campeſtrium ſunt caprifici; quamvis deſit demonſtratio, non deeſt tamen memoria in verſu: *& cedrorum præbuit multitudinem quaſi ſycomoros, quæ naſcuntur in campeſtribus*. 3. Reg. 10. 27. Poteſt comedi a Beth--amelech, donec deficiat. Beth-El, quamvis de eo deſit demonſtratio, non deeſt tamen memoria in verſu qui dicit: *Beniamin lupus rapax*, hæc eſt ejus terra; *mane comedet prædam*, hæc eſt Jericho, quæ eſt tempeſtiva; *& veſpere dividet ſpolia*, hæc eſt Beth-El, quæ eſt ſerotina. Comeditur in Raghila donec deficiant in Agutri, & in Galilæa ſuperiori, donec deficiat marrubium Berl Dagan, & hujuſmodi civitatum, in Galilæa inferiori donec

nec deficiant Hoſniot Magnar ana, comeduntur ficus, donec deficiant *ficus* Beth-phage. Dixit R. Jehuda: non commemorarunt Beth-phage niſi pro decimis, quod ficus Beth-phage, & Beth-hone, & Ahine Tobnaja tenentur decimis. Non fructibus veſci licet propter cordos Aconis; R. Joſe veſci permittit propter cordos Aconis, & propter biferos, non autem propter brumales. R. Jehuda dicit: etiam propter brumales. R. Joſe dicit: propter ficum biferam, quæ fructus bis ediſſet ante finem æſtatis, veſci licet; poſſunt uvæ comedi, donec deficiant ramuſculi, qui ſunt in racemo, ſiqui ſint ſerotini, propter eos veſci licet; & in reliquis omnibus terris tam pro olivis, quam pro dactylis idem eſt jus; poſſunt olivæ comedi, donec noviſſima Tekoang deficiat. R. Eleaſar filius Jacobi dicit; etiam pro iis Guſcchalab edebantur dactyli, donec noviſſimi Zongar deficiant. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit: veſci licet propter eos dactylos, qui ſunt inter palmam, non vero propter eos, qui ſunt inter ſpinas, & reliqui omnes arborum fructus, nempe pyra, poma parva, mala cydonia, & ſorba poſſunt comedi de montanis propter id quod eſt in valle, & de eo quod eſt in valle, propter montana. R. Simeon filius Eleaſaris dicit: omnes reputantur ut ſiliquæ, comeditur propter eos, donec deſcendat ſecunda pluvia &c. *Maimonides ibidem cap. VII.* Fructus anni ſeptimi conceduntur dumtaxat ea tempeſtate, qua eadem ſpecies in agro adhuc deprehenditur, Q. S. E. Levit. 25. 7. *Jumentis tuis & pecoribus, omnia quæ naſcuntur præbebunt cibum.* Quandiu itaque ea de ſpecie beſtia veſcitur, tandiu etiam tu de eadem, quæ in ædibus deliteſcit, edito; ſi beſtia eam jam conſumſit, & tu eamdem e domo removeto &c. Tres omnino terræ hanc remotionem obſervare tenentur; Terra ſcilicet Iſraelitica tota una cum montanis, planitie, atque valle; hæc omnia habentur pro una terra. Dein Peræa integra, planities Lud, mons in hac planitie ſitus, Bet-choron cum mari, quæ efficiebant terram item unam. Denique Galilæa univerſa tam ſuperior quam inferior, & abyſſus Tiberienſis terram quoque unam conſtituebant. Quandiu ſpecies aliqua hæret in quadam trium dictarum provinciarum, tandiu edere licebat de ea, donec ultima quævis inſumta eſſet. Sic quandiu Terra Judæ penuria frugum non vexabatur, tandiu ejuſdem ſpeciei fructus in tota Judæa comedebantur. Eadem ratio eſt cum fructibus in Galilæa, & Peræa; hæ tres enim terræ unius vicem referebant, quantum quidem ad ſiliquas arbores, oleaſtros, & palmas attinebat. Edebant de palmarum fructu uſque dum ultimus quiſque abſumtus eſſet, qui in Zoar eſt, quo caſu eveniente, ad feſtos uſque dies Purim edebant; de oleis autem uſque ad Pentecoſten, de uvis uſque ad Paſcha anni octavi, de caricis uſque ad Initiationem.

[67] *Cujus formula &c. Toſaphta Scheviith cap. VIII.* 2. Ab initio legati ſenatus ſtabant in portis civitatis; quicumque fructus afferebat, ſuis manibus ſumebant, & eſcam trium refectionum ſingulis diſtribuebant, & reliquum in civitatis promtuaria inferebant; adveniente tempore ficuum, legati ſenatus pretio conducebant operarios, qui eos colligebant, reſteſque efformabant, & in promtuario civitatis reponebant; quando uvarum tempus advenerat, pretio conducebant operarios legati magiſtratus, & in torcularibus calcabant, & in vaſis vinum reponebant, & in civitatis promtuarium introducebant; quando olivarum tempus advenerat, legati ſenatus conducebant operarios, eas colligebant, & torculari onerabant, oleumque in vaſis reponebant, & in promtuarium civitatis deferebant, & in vigiliis Sabbathi ſingulis juxta familiæ numerum diſtribuebant. Quando advenerat tempus pollucturæ, pauperes edebant poſt remotionem, non vero divites, verba R. Jehudæ. R. Joſe dicit: tam pauperes quam divites comedunt poſt remotionem. R. Simeon dicit, divites ex promtuario comedebant poſt remotionem. Cui eſſent fructus anni ſeptimi inſtante pollucturæ articulo partem eorum diſtribuat vicinis, propinquis & neceſſariis, eoſque efferebat ſuper portam domus dicens; Fratres noſtri domus Iſrael, cuicumque horum opus eſt, veniat, ſibique ſumat; quo facto iterum domi recondebat, donec defeciſſent. *Maimonides ibidem.* Nimia ſiquis frugum copia ditatus fuerit, ſingulis diſpeſcit obſonia trium epularum. Poſt factam jam remotionem, ea de ſpecie edere egenos vel divites, nefas eſt; ſi non invenerit homines, qui his veſci velint, remotionis tempore accedente, tum aut igni cremat, aut in mare ſalinum projicit, aut denique quacunque alia ratione corrumpit.

[68] *Remiſſio debitorum &c. Toſaphta Scheviith ibidem.* Annus Sabbathicus remittebat creditum earum rerum, quas fide de tabernis emerat; verba R. Jehudæ, & Sapientes dicunt, non remittebat. Dixit Rabbi, ſunt probabilia verba R. Jehudæ in eo, qui ſe nummis obligabat, & verba Sapientum in eo, qui ſe fructibus obligabat. Si mulieris dotem perſolvere incepiſſet, & pro reliquo tempus præſcripſiſſet annum Sabbathicum, remittit; ſi perſolvere incepiſſet, neque pro reliquo tempus definiſſet, aut tempus ſtatuiſſet, & perſolvere non incepiſſet, non remittebat. Qui pignore accepto ſocio mutuum dediſſet, quamvis creditum ſuperet pignus, non remittit; qui ſocio mutuum dediſſet accepto pignore, aut chirographo, in quo ſit hypotheca, non remittit. *Maimonides ibidem cap. IX.* Eſt præceptum affirmativum, anno ſeptimo remitti debere mutuo datum, Q. S. E. Deut. 15. 2. *repetere non poterit.* Quiſquis igitur debitum quod per annum ſeptimum perennavit, exegerit, mandatum negativum tranſgreditur, quia ibidem additur: *civem & propinquum repetendi non habebis poteſtatem.* Ex lege nulla nummorum remiſſio fieri poterat, niſi quando Jubilæus annus celebratur; tunc etenim fundi remittebantur, ac reſtituebantur poſſeſſoribus ſine pecunia; atque hæc quidem pervulgata eſt traditio. Sapientes porro noſtri hanc dederunt ſententiam, quo tempore fundum reſtituis, eodem debita etiam remittis omni in loco, ſeu intra, ſeu extra terram ſacram, qua tempeſtate fundum non reſtituis, debitum quoque haud remittis anno ſeptimo, ut in Palæſtina degas. Verum enimvero Scribæ volunt, debitorum remiſſionem dicto tempore obſervari ubivis locorum, quamquam Jubilæus non amplius celebretur, ne leges de remittenda pecunia oblivioni inter Iſraelitas tradantur. Et quidem in fine dumtaxat ſeptimi anni debita remittuntur, ceu legimus l. c. v. 1. *Septimo anno facies remiſſionem, quæ hoc ordine celebrabitur*; & rurſus 31. 10. *Poſt ſeptem annos, anno remiſſionis in ſolennitate Tabernaculorum*; in quibus locis phraſis *poſt ſeptem annos* nil aliud notat, quam remiſſionem debitorum idem in tempus incidere. Proinde quiſquis proximo ſuo mutuum dederit ipſo anno ſeptimo, debitum quotannis exigit, ſin tandiu moratus fuerit, uſque dum ſol occubuerit in noctibus anni octavi ſc., tunc debito ſuo excidit &c. Septimus annus remittit mutuo data etiamſi chirographo munita ſint, & ad quod reditus non datur, ut & argentum. Siquis alteri deſignaverit agrum ad mutuum dandum, iſte non remittitur. Idem annus jusjurandum remittit. Q. S. E. Deut. XV. 2. *repetere non poterit*, ulla ratione neque tranſigendo, neque juramento devinciendo. Eadem eſt ratio cum juramentis Judicum, ſimilibuſque rebus, quas ſi confeſſus fuerit, jure ſeptimi anni remittuntur. Verum juramenta vigilium, commilitonum, aliorumque ejuſmodi hominum, ſi confeſſi fuerint *debita ſua*, reddent. Si quis juraverit poſt annum Sabbathicum, & is a quo mutuo accepit, repoſcat ab eo, hic vero negaverit debitum, idque accedente hoc remiſſionis tempore quoque pernegaverit, finito autem anno ſeptimo vel ſponte ſua vel teſtibus convictus fateatur, privilegio de intermittendis hoc in anno debitis non gaudet. Aliquid ſiquis mutuaverit proximo ſuo, eidemque decem annorum terminum *ad ſolvendum* conſtituerit, nihil quicquam remittere tenetur, etiamſi haud timendum ab exactoribus ſit, quum id ne quidem tunc fieri poſſit. Si pactus fuerit cum eo de non exigendo, debitum id in anno ſeptimo remittitur. Qui alteri mutuaverit, & ita pactus fuerit, ut remiſſionem annus ſeptimus conferre non debeat, tamen debitum diſſolvitur, cum leges dicti anni annihilari nequeant. Si h. m. unus cum altero paciſcatur, ut debitum præſens ne quidem Sabbathico in anno remitti debeat, ea conventio rata habetur; nam pactio pecuniæ omnis ſervanda eſt, ac proinde qui hoc pactum init, reſtituere tenetur pecuniam; talis enim debiti ratio in Lege non occurrit. Data fide quæ ex taberna quis ſumſit, non remittitur (*ſolvenda pecunia*) ſin mutuum ſumſerit, tum remittitur. Merces mercenarii non remittitur, niſi tum ſi illa inter

ter mutuum referatur. Multæ quæ debentur vel ob vi vitiatam, vel blanditiis pellectam virginem, vel ob famam læsam, nequaquam remittuntur, nisi in usum censum cum mutuo referantur, id quod tum accidit, quando coram judicio consistunt. Qui uxorem suam ante Sabbathicum annum a se dimiserit, instrumentum debiti dotalis non intercidit, nisi ruptum illud, & summa dotis cum mutuo in unam summam contracta fuerit. Mutuum sub pignore datum non remittitur, si quidem debitum æqualis cum pignore pretii fuerit; sin superet, remittitur tantum, quantum superat. Qui chirographos suos Synhedrio tradiderit, eidemque exigendi a debitoribus facultatem simul concesserit, tum debita non remittuntur. Q. S. E. l. c. vers. 3. *quod fuerit tibi penes fratrem tuum*; ita Hebræus. Quapropter curia exigit & talem sententiam scripto promulgat. Tu NN. tantum vel tantum debes τῷ NN. Jam non amplius remitti potest debitum, quoniam exigitur jure, ex concessa potestate, nec ut mutuum consideratur.

69 *Hillel sua &c. Tosaphta Scheviit ibidem*. In Perosbol colligato, Judices signabant in parte interiori, & testes in exteriori &c. Si quini uno chirographo mutuati essent, cui sunt fundi, super iis scribitur Perosbol, cui vero fundi non fuerint, Perosbol non scribitur. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit: etiamsi unus tantum fundum haberet, super eo scribitur Perosbol; si debitori sit fundus, & creditori non sit, pro eo scribitur Perosbol; si is fundum non possideat, & sponsor possideat, pro eo scribitur Perosbol; pro vase perforato scribitur Perosbol, si non sit perforatum, pro eo non scribitur Porosbol. R. Simeon dicit: etiam super eo, quod non sit perforatum, scribitur Perosbol. R. Chuspith dicit: scribitur etiam mulieri super opibus mariti. Quonam tempore scribitur Perosbol? vigilia principii anni Sabbathici. *Maimonides ibidem*. Hillel senior, quum animadvertisset, mutuum invicem dare nonnullos detrectare, adeoque transgredi, quod lege cautum est: *cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio &c.* Deut. 15. 9. cautionem pecuniariam constituit talem, non antea remittendum esse debitum, quam mutuum invicem dederint, eamdemque cautionem valere tantum ad remittendos nummos hoc tempore ex decreto Legisperitorum; cautionis autem hujus nullus valor est in remissione a Lege divina sancita. Talem cautionem pecuniariam non nisi Sapientum maximi scribebant, uti est judicialis domus D. Amai, & R. Asai, quippe qui soli potestatem habent in pecuniam hominum irrumpendi. In reliquis curiis eæ non conficiuntur cautiones. Cautionis pecuniariæ hoc est exemplar. Ego defero vobis NN. & NN. Judicibus loci NN. me omne debitum, quod mihi competit, exigere velle, quo tempore placuerit. Eam deinceps subsignabant inferius vel ipsi judices, vel testes. Cautio ista non conscribitur nisi oppignorato fundo. Si fundus debitori non fuerit, tum creditor ei concedebat facultatem ad ea quæ in agro suo habet, etiamsi brassicæ caulis fuerit &c.

70 פרוזבול *&c. Bartenora ad cap. X. 3. Codicis Scheviith*. פרוזבול est vox composita ex פרוז *remedium* & בול *divites*, sensus est remedium esse divitibus, ne transgrediantur id quod scriptum est Deut. 15. 9. *cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo &c.* est etiam remedium pro pauperibus, ut inveniant, qui illis det mutuum. *Gemara Gitt.* 36. 2. ubi R. Hasda פרוסבול exponit פריסבולי בוטי. R. Joseph אלו בוראות שביהוד', illi sunt τῆς Ἰουδαίας βουλευταὶ. Samuel פרוסבולא עולבנא הדייני scribit פרוסבול esse violentam machinationem Judicum, qua divinam Legem temerabant, i. e. προσβολήν.

71 *Usui pauperum &c. Siphra ibidem. Tibi & servo tuo & ancillæ*, quid dicendum id erat? ego existimare poteram, quod fructus anni septimi tantum pauperes comedere deberent, juxta versiculum; *anno autem septimo dimittes eam, ut comedant pauperes populi tui*. Exod. 23. 11. Unde probatur, quod etiam divites ex his comedere possint? ex eo quod dicit: *tibi & servo tuo & ancillæ*; ecce domini divites hic expressi, & servi & ancillæ etiam expressæ; cur igitur dicit: *ut comedant pauperes populi tui*? Pauperes comedunt post remotionem, non autem divites, verba R. Jehudæ. R. Jose dicit, cum pauperes, tum divites post remotionem comedunt. Alia glossa: *ut comedant pauperes populi tui*, quod viris bonum est, *viris*, quod bonum est bestiis, *bestiis*: *Et mercenario tuo*, gentili: *& advenæ*, gentili: *qui peregrinatur apud te*, ad includendum hospitem. *Jumentis tuis, & pecoribus*, quid dicendum id est? Si fera, quæ sit sub tua potestate, comedere potest, jumentum, quod est sub tua potestate, non comedet? Si ita dixisset: ego dicerem, quod domum afferre potest, & semper ex his comederet, & dicerem, quod remotio fructuum anni septimi respiceret fructus, qui hominum usui sint, sed jumentum semper pergeret comedere; quando dicit: *jumentis tuis, & pecoribus*, æquiparat feræ jumentum, toto eo tempore, quo vescitur fera in agro, tu ex his jumentum pascere potes, quæ tibi domi asservantur, quando feræ in agro cibus deficit, ne ulterius jumentum pascas ex eo, quod tibi domi asservatur.

72 *Aliqua tamen &c. Tosaphta Menachoth XI.* 23. Manipulus afferebatur de valle Bet-Makle torrentis Cedron &c. custodiebant propter sponte renascentia anni Sabbathici & Jubilæi, ut ex his adducerent manipulum & duos panes novarum frugum, & illis solvebatur merces de separatione conclavis &c.

73 *Non anno Sabbathico &c. Siphra ibidem vers.* 13. *Anno Jubilæo*; hic liberabat servos, sed septimus annus non liberabat servos; erat argumentum in contrarium; si *annus* Jubilæus, qui non remittit debita liberat servos, annus septimus, qui remittit debita, non liberabit servos? ideo dicit; *anno Jubilæo*; hic liberat servos, sed septimus annus non liberat servos. *Probatur argumento* a minori ad majus, quod annus Jubilæus debita remittere debeat; si septimus annus, qui non dimittit servos, remittit debita, annus Jubilæus, qui dimittit servos, non remittet debita? ideo dicit: *remissionem quæ hoc ordine celebrabitur*. Deut. 15. 2. annus septimus remittit debita, at Jubilæus *annus* non remittit debita; annus Jubilæus liberat servos, at annus septimus non liberat servos.

74 *Sed septimo anno &c. Maimonides de servis cap. II.* Quem vendiderunt Judices, servit annos sex a die suæ venditionis, & initio anni sui septimi exit liber. Quod si intra sex illos annos incidat annus remissionis Sabbathicus, ipse etiam hoc durante servit; sed si incidat annus Jubilæus, tametsi anno uno ante Jubilæum venundatus fuerit, exit in libertatem, quia dictum Levit. 25. 40. 13. *Usque ad annum Jubilæum operabitur apud te*.

Anno Jubilæo &c. Abarbanel ad Exod. 21. 5. 6. Jus servi Hebræi hic memorati illius est, quem vendidit magistratus, quemadmodum dixit Exod. 22. 3. *Si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venumdabitur*. Hic enim est, qui servit sexennium, & ineunte anno septimo egreditur liber ex servitute sua gratis, vult dicere, ut non reluat hero suo emtionis pretium, quod pro ipso expendit, neque partem illius. *Bartenora ad cap. I. 2. Kidduscin*. Sex annis finitis liber exit; etiamsi annus remissionis venerit in medio sex annorum, tamen serviet, uti scriptum est: Exod. 21. 2. *sex annis serviet tibi, & in septimo &c. Qui vero seipsum vendit, potest se vendere ultra sexennium. Maimonides ibidem*. Qui semetipsum vendit, potest se vendere ultra sexennium; verum qui se vendidit in decennium, aut in vicennium, & intervenit Jubilæus, etiamsi post annum id fiat, ille exit in Jubilæo, quia dictum Levit. 25. 40. *Usque ad annum Jubilæum operabitur apud te. Abarbanel ibidem*. At enim qui a semetipso venditur, habet potestatem semetipsum vendendi in annos plures, paucioresve pro suo arbitrio, & propterea anno septimo non exit omnino, sed tum demum, quum completi fuerint anni ipsius, aut si in illos inciderit Jubilæus, vel moriatur herus; nam tunc exibit in medio annorum suorum.

75 *Dabatur servis &c. Maimonides ibidem cap. IV.* 18. Qui dimittebat servum & ancillam vacuos, transgrediebatur præceptum negativum, juxta quod dictum est: *nequaquam vacuum abire patieris*. Deut. 15. 13. Et textus illud transtulit in præceptum negativum, uti dicitur ibid. 14. *Sed dabis viaticum &c.* Qui exit in fine sexennii, aut in Jubilæo, aut heri morte, & pariter ancilla hebræa, quæ vel his supradictis casibus exit, aut signis, onerandi sunt; qui detractione argenti exibat, non onerabatur, juxta dictum: *& quem libertate donaveris*; at hic non abit liber, quia servus ei debet reliquum argenti *pro annis* quibus servire adhuc debebat, & postea exit. *Sed dabis viaticum de gregibus, & de area, & torculari tuo*, in qui-

quibus ipsis continentur benedictiones &c. Et quantum dabit? non minus pretio triginta siclorum, tam ex una quam ex multis speciebus &c. *Idem ad cap. I. 2. Kidduscin*. De his autem dixerunt; imponunt illis onus, qui exeunt finitis certis annis, & Jubilæo, & morte ejus heri, nec non servæ hebrææ, quæ exit ope signorum quorundam virginitatis, sed ei qui exit detractione argenti, non imponunt onus. Quantitas vero pecuniæ, quæ illis debetur de bonis, non minor est, quam triginta sicli, & סלע *siclus* quilibet valet quatuor denarios, denarii vero valorem jam exposuimus.

[76] *Aures ei &c. Maimonides de Servis cap. III.* 9. Qui seipsum vendebat, ei non perforabatur auris, at si venditus fuisset a magistratu, & sex annos servisset, & exire nollet, perforabatur ei *auris*, & serviebat usque ad annum Jubilæum, aut usque ad heri mortem; quamvis ei filius superstes esset, cui perforabantur *aures*, non serviebat filio, ex traditione constat, *serviet ei*, *ei*, non autem filio; *usque in æternum*, usque ad Jubilæum. Hinc discas, quod ille, cui perforabatur auris, seipsum in Jubilæo, & morte heri acquirebat &c. Quomodo perforabatur auris? Adducebatur ad magistratum, qui tribus judicibus constaret, & coram illis loquebatur, & in fine sexennii ad januam, aut postem admovebat, in ipso ædificio consistentes, tam ad januam, & postem sui heri, quam cujusvis hominis, & perforabat aurem dextram in ipsamet auricula, subula ex metallo constante, donec ad ipsam januam pertingat, juxta dictum: *assumes subulam & perforabis aurem ejus in janua*; nec dictum est in poste, nisi ut doceamur, ut erectus consistat tam prope januam, quam prope postem; & quemadmodum postis erectus consistit, etiam janua erecta consistet; verumtamen ad januam perforabatur, tametsi nullus postis adesset; ipsemet herus perforabit aurem, non autem filius, nec servus ejus, nec minister magistratus, juxta versiculum qui dicit: *perforabitque Dominus ejus*. Exod. 21. 6. Nec duorum servorum eodem tempore perforandæ aures erant, ne fasciculatim præcepta perficerentur. *Quod si dicendo dixerit servus*; quod servus dicat, & repetat, dicatque dum servus est; at si diceret, post sexennium, non perforabatur *auris &c. Abarbanel ibidem*. Præterea mandavit Benedictus, *si dicendo dixerit servus ille*, amo &c. vult dicere, quod si noluerit egredi ex domo heri sui, ut liber sit, propterea vocat eum absolute servum, ut indicet opprobrium ipsius, quod eligat servitutem. Conditionem vero addit Scriptura, ne tantum semel istud dicat, sed identidem, quo spectat istud: *si dicendo dixerit*, quod hæc dicat sermonibus crebris, amo herum meum, quia bene mihi est apud ipsum, similiterque amo uxorem meam Cananæam, & liberos meos, quia amore propendet anima mea in illos; propterea non egrediar liber, hoc est non egrediar ex domo heri mei, ut sim liber. Ecce tunc accedere faciet ipsum herus ad Elohim, scilicet ut semetipsum de hoc facto defendat coram Magistratu, & publice declaret, quod vir iste exire nolit, quodque ipse eum non retineat per fraudem & dolum coram judicio divino. Nomen vero Elohim, quod hic occurrit, exposuere Interpretes de Judicibus, sed Judices non appellantur Elohim, verum locus judicii, quandoquidem isthic exercent judicia Dei, vocarunt ipsum locum Elohim, quemadmodum etiam dicit Deut. 19. 17. *Stabunt ambo quorum causa est, ante Dominum*. Ad hunc igitur locum jussit ut adducat servum illum, ad ostium vel ad postem portæ, ubi Judices sunt, & perforabit herus ipsius, hoc est non apparitor, sed ipsemet herus perforabit aurem ejus sabula coram omnibus ingredientibus per portam urbis suæ publice, & ab hoc tempore & deinceps serviet ipsi in seculum, quod est usque ad Jubilæum, sive annus iste propinquus sit, sive longinquus; quia enim quinquaginta anni sunt tempus unius generationis, vocatur Jubilæus, seu quinquagesimus annus nomine Olam, seculi. *Tunc autem necessario redibit unusquisque ad possessionem suam, & unusquisque ad familiam suam. Omnes hoc vocabulum* לעולם *usque ad Jubilæum interpretantur. R. Salomo ad* Exod. 21. 6. Utrum usque ad Jubilæum annon, sed in seculum simpliciter? Doctrinæ mens est Levit. 25. 10. *& unusquisque rediet ad familiam pristinam*, indicat quinquaginta annos vocari עולם. Neque tamen hoc vult, ut ei serviat totos quinquaginta annos, sed serviet ei usque ad Jubilæum, sive propinquus sit, sive longinquus. *Aben Ezra ibidem*. Novimus vocabulum לעולם in lingua sancta idem esse quod tempus. Eccl. I. 10. *Jam fuit in seculis*, h. e. in temporibus; 1. Reg. 1. 23. *Et manebit ibi in seculum, usque ad tempus quo grandis erit*; sic quoque: *& serviet ipsi in seculum*, ad tempus Jubilæi, quia tempus nullum est inter festa definita Israelis, quod eo sit longinquius; egressus quoque ad libertatem est quasi seculum innovatum; aut erit explicatio ejus, quod revertetur ad tempus suum prius, quando liber fuit.

R. Salomo ibidem hanc meo judicio pulcherrimam hujus perforationis causam adducit. Quid merita est auris ut perforaretur præ omnibus aliis membris? Rabban Jochanan filius Zaccai dixit: auris quæ audivit ad montem Sinai, *non furaberis*. Exod. 20. 15. abit ac furatur, perforabitur. Quod si seipsum vendat, auris quæ audivit ad montem Sinai: *mei enim sunt servi filii Israel*. Levit. 25. 55. & abit ac emit sibi ipsi dominum, perforabitur. R. Simeon explicabat hanc Scripturam a majori; cur mutatus est usus januæ & postis præ omnibus aliis instrumentis domus? Dixit Sanctus Benedictus ille: januæ & postis fuerunt testes in Ægypto, quando prætergressus sum superliminare & postes, & dixi: *mei enim sunt servi filii Israel*, & non servis servi, sed hic abiit, & dominum sibi ipsi emit, perforetur igitur coram illis, *nempe janua & poste. Vide Gemar. Kidduscin*.

[77] *At servo &c. Maimonides ibidem*. At servo hebræo sacerdoti non perforabatur auris, ne vitiatus fieret: & textus dicit; *& revertetur ad cognationem*, ad pristinum statum, non autem ad eam dignitatem, quam possederat.

[78] *Quod prædia redirent &c. Siphra ad Levit.* 25. 10. Postquam advenerat dies expiationis, clangebant cornu, agri reddebantur dominis suis, & servi ad domos suas dimittebantur. *Maimonides de Jubilæo cap. I.* 14. Postquam advenerat dies expiationis, buccina clangebat Senatus, quo facto ad domos suas dimittebantur servi, & agri reddebantur dominis suis.

[79] *Alii vero a* יובל *&c. In Targum, hebræum* יובל *per* דכרא *redditur*; fuitque cum protraheretur sonus cornu arietum. *R. Salomon* היובל *exponit* cornu arietis, etenim in Arabia arietem vocant יובלא. *R. David Kimchi in præfatione in Librum Radicum*. Magistri nostri stabiliverunt quædam præcepta super linguam alienam, ut dicunt; quis est sensus istius dictionis Jobel? significat illa arietem; dixit enim R. Akiba, cum ambularem per Arabiam, vocabant Arietem Jobela.

[80] *Alii buccinam &c. Abarbanel commentar. in Levit. 25. 9. fol.* 268. 4. Quia Lex data est buccina, Exod. 19. 16. 19. inde præcepit Deus in Jubilæo, ut clangant buccina, & quia in datione Legis præcepit Deus ut sanctificaretur, ibid. vers. 10. *Et sanctificas illos hodie & cras*; ideo pronuntiavit de Jubilæo. Levit. 25. 10. *sanctificabisque annum quinquagesimum*; & vers. 12. *ob sanctificationem Jubilæi. Laniado in comment. in Prophetas priores ad Jos.* 6. 4. Cum buccinis, quibus clangunt tempore Jubilæi, clanxisse in illis urbis Jericho circumitionibus. Dixerunt autem Jobelim a Jubilæo, qui annus est quinquagesimus.

[81] *Annum qui sequitur &c. Maimonides de Jubilæo cap. I.* 7. Annus Jubilæus non pertinet ad numerum annorum hebdomadis annuæ, sed annus 49. est Sabbathicus, & quinquagesimus est Jubilæus, primus vero ut quinquagesimus est initium 6 annorum hebdomadis annuæ. Atque ita in singulis Jubilæis.

[82] *Quam Karæorum &c. Elias Byzantinus Karæus in Addereth Eliahu de Schemitta & Jubilæo cap.* 10. Ecce in annum 49. incidit Schemitta, *sive Annus Sabbathicus*, & in annum 50 Jubilæus. Annus autem quinquagesimus primus est initium sex annorum sequentis septimanæ, atque ita consequenter in quovis Jubilæo. Annus intermissionis vocatur Sabbathum, non item Jubilæus; etenim in intermissione magna est significatio Sabbathi & quietis Dei. Jubilæus dicitur ex nomine bucinæ juxta illud Levit. 25. 9. *& clanges buccina &c.* Dicitur buccina Jubilæorum juxta nomen cornu Arietis, & Arabes vocant Arietem יובלא Jobala. Aut Jobal sic vocatur, quia unusquisque sic reducebatur ad possessionem suam.

[83] *Numerandos esse &c. Siphra ad Levit.* 25. 8.

Nu-

Numerabis tibi, per Synhedrium, *septem Sabbatha*, possem credere septem Sabbatha dierum? ideo dicit *septem Sabbatha annorum*, dicendo *septem Sabbatha*, credam numerandas septem intermissiones unam post aliam, & post eas celebrandum Jubilæum? ideo dicit, *septies septem*; sunt igitur necessariæ ambæ expressiones, secus non intelligebamus. Et unde probatur esse numerandos annos hebdomadæ? ex eo quod dicit; *numerabis quoque tibi septem Sabbatha*. Et unde probatur, numerandos esse annos Jubilæi? ex eo quod dicit: *quæ simul faciunt annos quadraginta novem*; & unde probatur observandas esse hebdomadas, quamvis non observaverit Jubilæum? ex eo quod dicit; *numerabis quoque tibi septem Sabbatha*? Et unde probatur observandum esse Jubilæum, etiamsi Sabbatha non observaverit? ex eo quod dicit: *quæ simul faciunt annos quadraginta novem*; verba R. Jehudæ; & sapientes dicunt, observanda sunt, quamvis non observetur Jubilæus, sed Jubilæus non observatur, nisi annus Sabbathicus observetur.

[84] *Die* 10. *Mensis &c. Siphra ibidem*, & unde probatur buccina clangi? ex eo quod dicit, *& clanges buccina*; non probatur nisi pro Jubilæo; unde probatur pro principio anni? ex eo quod dicit: *& clanges buccina mense septimo, decimo die mensis*; quod dici non opus erat *mense septimo*; cur dicit *mense septimo*? ut doceamur, clangorem mensis septimi huic similem fuisse; sicuti hic buccina, ita etiam clangor principii anni buccina instar hujus. Unde probatur clangendum sono æquabili? ex eo quod dicit; *& facies transire clangorem tubæ*, ita Hebræus; & unde probatur postea sequi sonum æquabilem? ex eo quod dicit, *& facies transire clangorem tubæ*; non probatur nisi pro Jubilæo; pro principio anni unde probatur? ex eo quod dicit: *& facies transire clangorem tubæ mense septimo, decimo die mensis, propitiationis tempore*; non opus erat dici *in mense septimo*, cur dicit *mense septimo*? quod clangor mensis septimi sit huic similis; sicut in isto primum sonus æquabilis, & deinde sequitur sonus æquabilis, etiam in clangore principii anni primum sonus æquabilis, & postea sequitur sonus æquabilis *in die*, & non nocte, *in die Expiationum*, etiam Sabbatho. *Et facies transire clangorem tubæ ..... in universa terra vestra*, docemur, quod quisque privatus clangere teneatur; credamne, quod etiam clangor principii anni pellat Sabbathum? ideo dicit: *in universa terra vestra facies transire clangorem tubæ mense septimo, decimo die mensis in die expiationis*; cum dicat *in die expiationis*, ignorabam, quod incideret in diem decimum mensis; si ita est, cur dicit, *decimo die mensis*? ut nobis significet, quod dies decimus mensis pellat Sabbathum *in universa terra vestra*, sed clangor principii anni non pellat Sabbathum *in universa terra vestra*, sed ibi tantum, ubi considet magistratus.

[85] *Et sanctificarent &c. Siphra ibidem*. *Sanctificabitisque annum quinquagesimum*; quid inde discis? quia dictum est *die decimo mensis*; ego poteram dicere, non probatur annum non sanctificari, nisi tantum die decimo mensis; & quando dicit, *sanctificabitisque annum quinquagesimum*, docemur, quod non sanctificaretur nisi in principio anni.

[86] *Nunquam* שבת *&c. Elias Byzantinus ibidem*. Annus intermissionis vocatur Sabbathum, non item Jubilæus; etenim in intermissione magna est sanctificatio Sabbathi, & quietis Dei.

[87] *Ubi* 7. *hebdomadas &c. Pesikta fol.* 29. 2. *ad verba Levitici* 23. 15. 16. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbathi &c. usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est quinquaginta dies*. Hoc est quod dixit R. Jose filius R. Jehudæ; omnis numeratio tua non fiet nisi in annum quinquagesimum; *Numerabitis quinquaginta dies*; possent numerari quinquaginta & unus. Mens doctrinæ est, quod septem Sabbatha *Septimanæ* debeant esse perfecta. Possent numerari quadraginta octo, & sanctificari dies quadragesimus nonus; mens doctrinæ est, *numerabitis quinquaginta dies*; ecce eodem modo numerat quadraginta novem, & sanctificat diem quinquagesimum, sicut in Jubilæo, Levit. 25. 4. 10. *R. Levi ben Gerson comment. in Legem fol.* 168. 1. *Levit.* 23. 16. *Numerabitis .... usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est quinquaginta dies*, id est usque ad posterum diem septimanæ septimæ, qui est quinquagesimus dies; ecce autem non comprehenditur in numeratis, quoniam jam dixit, *septem septimanæ integræ erunt*. *Numerabitis ..... septem hebdomadas*. Quod etiam discimus ex anno Jubilæo; numerantur enim quadraginta novem anni, qui sunt septem septimanæ annorum, & postea sanctificatur annus quinquagesimus, quemadmodum declaratum est in Parascha *in monte Sinai* Levit. 25. 1. seqq. Atque ita hic simili modo numerantur 49 dies, & sanctificatur dies quinquagesimus, qui est festum septimanarum. Hinc discimus præceptum esse de numerandis septimanis & diebus.

[88] *Ut sufficeret &c. Siphra ibidem*. Quod si dixeritis, promti eritis ad dicendum: quid *comederimus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras? Si non serimus, quid colligemus?* Dixit R. Akiba; hoc loco adducti Sapientes dixerunt, sponte nata in septimo anno vetita esse; & Sapientes dicunt, sponte nata in anno septimo non sunt vetita ex Lege, sed Rabbinorum decreto; *Si non severimus neque collegerimus fruges nostras*? nobis dixisti, non seretis, & quod collectum est, domum inferri non potest, ut conservetur; nobis dixisti removendum esse, quid igitur post remotionem comedebus? *Dabo benedictionem meam vobis anno sexto*; non probatur nisi pro anno sexto; pro quinto, pro quarto, pro tertio, & pro secundo unde probatur? ex uno ad alterum annum unde probatur? ex eo quod dicit *anno*; *& faciet fructus trium annorum*, pro sexto, septimo, & pro anno post septimum; *trium annorum*, pro septimo, pro Jubilæo, & pro *anno* qui Jubilæum consequitur. *Seretisque anno octavo*, hic est octavus, qui intermissionem sequitur; quando dicit *anno*, est nonus, qui est post octavum, & post intermissionem; *comedetis veteres fruges*, sine vermibus, *usque ad nonum*, crederetur nonus, qui est post octavum, qui post intermissionem sequitur; quando dicit *annum*, hic est decimus, post nonum, qui est post Jubilæum & post intermissionem; *donec nova nascantur, edetis vetera*, qui respectu olivæ est undecimus. *Abarbanel in Levit.* 25. 22. *ubi dicitur*, seretisque anno octavo &c. *fol.* 268. 1. *quæst.* 12. Quoniam annus octavus est Jubilæus, qui est post annum Sabbathicum, qui fuit annus 49. quomodo ergo dixit, quod tunc seminabunt? *Respondet fol.* 269. 1. *atque interpretatione R. Salomonis rejecta, refert opinionem R. Levi ben Gerson, quod scilicet Deus voluerit respondere ad dubium memoratum vers.* 20. *tam respectu Schemittæ, sive anni Sabbathici, quam respectu Jubilæi; & quod respectu anni Sabbathici responderit vers.* 22. seretisque anno octavo, *& respectu Jubilæi dixerit*, usque ad annum nonum. At (*inquit Abarbanel*) hæc explicatio non valet, quia Scriptura cohæret, quomodo ergo illud explicabit partim de Schemitta, partim de Jubilæo? Cum dubium de Jubilæo fuerit, quid comesturi essent omnibus tribus annis continuis, uno post alterum. Uno quidem anno sæpe non serent nec metent propter certas caussas, & comedent ab uno anno ad alterum, sed admiratio hic est de tribus annis. Et hoc nonnisi in Jubilæo contigit &c. ideoque mihi videtur illud ita esse explicandum; *seretisque anno octavo* vers. 22. quod hoc cohæreat cum superiori. Et sensus verborum vers. 21. *Et faciet fructus trium annorum*, hic est, quasi seminaretis anno octavo, tanta erit in terra satietas; *& vos comedetis proventum anni sexti*, donec veniat proventus anni noni. Hæc est convenientior, & firmior interpretatio.

[89] *Rabbanitæ quam Karæi &c. Maimonides de Jubilæo* I. 7. Jubilæus annus non resultat ex calculo annorum septimanæ; sed annus quadragesimus nonus est Sabbathicus, & annus quinquagesimus Jubilæus. Annus autem quinquagesimus primus initium est sex annorum septimanæ sequentis; atque ita se res habet in singulis Jubilæis. *Elias Byzantinus Karæus ibidem*. Ecce in annum 49. incidit Schemitta, & in annum 50. Jubilæus. Annus autem quinquagesimus primus est initium sex annorum sequentis septimanæ; atque ita consequenter in quovis Jubilæo.

[90] *Verum alii existimant &c.* Hæc fuit R. Jehudæ sententia; *vide Gemar. Erachin fol.* 33. 1.

[91] *Gad & Ruben &c. Siphra ibidem*; *cunctis habitatoribus terræ tuæ*, quo tempore eam incolunt, non autem eo tempore, quo ab ea transmigrarunt; si eam incolerent, sed commixtæ essent tribus Beniamin & Judæ, & tribus Judæ cum Beniamin, crede-

rem, quod Jubilæus obſervandus eſſet? ideo dicit, *cunctis habitatoribus terræ tuæ;* deprehenditur, quod poſteaquam tranſmigrarunt tribus Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſis, abrogati ſint Jubilæi. *Maimonides ibidem I.* 8. Ex quo in exilium abducta eſt tribus Ruben, & tribus Gad, & dimidia tribus Manaſſis, abrogati ſunt anni Jubilæi, q. d. Levit. 25. 10; *& vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ*, id eſt, dum in ea degunt omnes ejus habitatores, idque cum impermixtæ invicem ſunt tribus, & quæque aſſignatam ſibi inhabitat ſedem. Obtinente Jubilæo in terra, & extra terram obtinet, q. d. Levit. 25. 11. *quia Jubilæus eſt;* ubique locorum nempe tam in conſpectu templi, quam extra ejuſdem conſpectum.

[92] *Stante templo &c. Maimonides ibidem.* Septendecim Jubilæos numerarunt Iſraelitæ ex quo ingreſſi ſunt terram uſque ad exitum. Annus vero quo exierunt, & in quo vaſtatum eſt templum primum, fuit exitus anni ſeptimi, & triceſimus ſextus Jubilæi; nam 410. annos ſtetit templum primum, eo vaſtato ceſſavit hæc æra, illa abrogata terra deſerta relicta eſt 70. annos, & tum exſtructum eſt templum ſecundum; quod ſtetit annos 420. Anno ſeptimo ab exſtructione templi ſecundi aſcendit Eſdra, eſtque is ſecundus in terram introitus, atque hoc anno inceperunt uti alia æra, & fecerunt annum decimum tertium ab exſtructione templi ſecundi annum intermiſſionis, ſeptemque annis Sabbathicis numeratis conſecrarunt annum quinquageſimum.

[93] *Numerabantur &c. Maimonides ibidem.* Quamvis autem Jubilæus non obtinuerit ſub templo ſecundo, nihilominus computarunt annos Jubilæos ad conſecrandos annos Sabbathicos.

[94] *Dimiſſio ſervorum &c. Siphra ibidem. Revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & unuſquiſque rediet ad familiam priſtinam;* Dixit R. Elieſer filius R. Jacobi, de quonam agitur? ſi de vendito in ſexennium, jam deſcriptus eſt, ſi de vendito in annum, aut biennium, jam deſcriptus eſt; igitur non loquitur niſi de eo, cui auris perforata ſit ante Jubilæum; quod Jubilæus facultatem habeat eum *a ſervitute* liberandi. Alia gloſſa; *revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & unuſquiſque rediet ad familiam priſtinam*, ad eum gradum, qui propius erat familiæ ſuæ redit, verba R. Meyr. R. Jehuda dicit: ad poſſeſſionem ſuam & familiam ſuam redit, non autem redit ad eam dignitatem, quam antea obtinebat. *Et ad verſ.* 41. *& revertetur ad cognationem, & ad poſſeſſionem patrum ſuorum.* Dixit R. Elieſer filius R. Jacobi, de quonam ſervo agitur? Si agitur de eo, cui perforata ſit auris, jam deſcriptus eſt, ſi de illo, qui ſe ipſum vendit, jam deſcriptus eſt; itaque non agit niſi de eo, qui ſeipſum vel annum, aut biennium ante Jubilæum vendidit, quod Jubilæus eum liberet &c. *Maimonides ibidem I. 9.* Eo autem tempore, quo Jubilæus obtinet, obtinet quoque jus ſervi Hebræi, & jus domorum urbis muro cinctæ, ac jus agri devoti, & agri poſſeſſionis; tunc enim recipiunt proſelytum accolam, ac obtinet annus ſeptimus in terra, ac debiti pecuniarii remiſſio ubivis locorum ex Lege. Ac cum non obtinet Jubilæus, nihil horum obtinet præter annum ſeptimum in terra, & remiſſionem debiti pecuniarii, quocunque in loco ex verbis eorum (*ſc. Rabbinorum*) ſicuti diximus. *Et nonnullis interjectis.* Potior eſt conditio anni ſeptimi præ Jubilæo, quod annus ſeptimus remittat debita pecuniaria, at non Jubilæus. Hic vero præſtantior eſt anno ſeptimo, quod ſervos manumittat, & dimittat agros.

[95] *Terræ quies &c. Siphra ibidem. Non ſeretis neque metetis, ſponte in agro naſcentia*, & primitias vindemiæ non colligetis; ſicuti expreſſum eſt in ſeptimo anno, ita etiam expreſſum eſt in Jubilæo. *Maimonides ibidem.* Jus Jubilæi in Sabbatiſmo terræ idem eſt in omnibus cum jure anni ſeptimi; quicquid prohibitum eſt anno ſeptimo e cultu terræ, prohibitum eſt in Jubilæo; quicquid vero licitum eſt anno ſeptimo, licitum quoque eſt in Jubilæo. Vapulant etiam ob eadem opera anno ſeptimo & in Jubilæo. Ac par quoque ratio eſt fructuum anni ſeptimi, & Jubilæi quoad eſum, mercaturam, & remotionem in omnibus rebus.

[96] *Quamprimum &c. Siphra ibidem verſ. 9.* Dixit R. Jochanan filius Berokæ; non dimittebantur, neque ſervi, qui ſubjecti erant, domos ſuas; neque dominis ſuis reddebantur campi; ſed edebant, & bibebant, gaudebantque coronis ſuis capitibus impoſitis uſque ad diem expiationum. Poſtquam advenerat dies expiationis, buccina clangebant, agri reddebantur dominis ſuis & ad domos ſuas dimittebantur ſervi. *Maimonides ibidem.* Ab initio anni uſque ad diem expiationis ſervi non dimittebantur domum, nec dominis ſuis erant ſubjecti, neque dominis ſuis agri reddebantur; ſed ſervi edebant, & bibebant, gaudebantque coronis ſuis capitibus impoſitis. Poſtquam advenerat dies expiationis, buccina clangebat ſenatus, quo facto ad domos ſuas dimittebantur ſervi, & agri reddebantur Dominis ſuis.

[97] *Niſi ob anguſtias &c. Siphra ibidem.* Unde probatur nemini licere vendere agrum ſuum, ut pecuniam *ex ejus venditione* redactam marſupio indet, aut ſibi comparet jumenta parva, aut vaſa, aut domos, ſed ſolum tum cum *attenuatus eſſet?* ex eo quod dicit: *ſi attenuatus frater tuus vendiderit;* non poteſt igitur vendere, niſi pauper factus ſit. *Toſaphta Erachin V.* 5. Nemini licet vendere agrum poſſeſſionis ſuæ, ut nummos *ex ejus venditione* redactos marſupio indet, ut ſibi comparet ex iis pecora, aut vaſa, aut ſervos, vel animalia minuta, vel etiam ut mercaturam faciat, ſed dumtaxat cum pauper factus eſſet &c. *Maimonides ibidem cap. II.* Terra Iſraelis, quæ inter tribus diviſa eſt, non vendenda eſt in perpetuum, q. d. Levit. 25. 23.; *Terra quoque non vendetur in perpetuum.* Quod ſiquis in perpetuum vendiderit, tranſgreditur uterque præceptum negativum. Nec quidquam hoc opus iis prodeſt, ſed redeat ager ad dominos ſuos in anno Jubilæo; qui vero vendit agrum ſuum in ſexaginta annos, illius ager non exit *e poſſeſſione emtoris* in Jubilæo; nullus enim ager reſtituitur in Jubilæo, niſi qui ſimpliciter venditus eſt, aut qui eſt venditus in perpetuum. Ne vendat quiſpiam domum ſuam, aut agrum poſſeſſionis ſuæ, etiamſi poſt tempus redeant, niſi pauper, q. d. Levit. 25. 25.; *ſi attenuatus frater tuus* &c. ſed vendere, ut pecuniam marſupio indat, aut mercaturam illa exerceat, aut ut ea vaſa comparet, ſive ſervos, & jumenta, non licet, ſed ſolorum alimentorum cauſa. Quod ſi tranſgreſſus fuerit, ac nihilominus vendiderit, vendita ſunto.

[98] *Per biennium &c. Siphra ibidem ad verſ.* 15. Unde probatur, quod vendens agrum ſuum in annis Jubilæi non poſſit redimere niſi præterito biennio? ex eo quod dicit: *juxta numerum annorum Jubilæi emes ab eo;* prope Jubilæum, & procul a Jubilæo unde probatur? ex eo quod dicit: *quanto plures anni remanſerint, tanto creſcet & pretium. Toſaphta ibidem V.* 1. Qui vendit agrum ſuum dum obtinet Jubilæus, redimere non poteſt, niſi præterierit biennium, juxta verſiculum qui dicit: *ſed juxta ſupputationem frugum vendet tibi.* Levit. 25. 15. *Maimonides ibidem II.* 9. Si quis vendiderit agrum ſuum cum obtinet Jubilæus, uti expoſuimus, ei non licet redimere agrum intra biennium, q. d. Levit. 25. 15. *Et juxta ſupputationem frugum vendet tibi.* Prohibitumque id eſt vel emtore volente, q. d. Levit. 25. 14. *Sed juxta numerum annorum Jubilæi emes ab eo.* Quod non minus eſt biennio ſpatium a tempore ad tempus a die venditionis.

[99] *Anni ſteriles &c. Siphra ibidem, & juxta ſupputationem frugum*, non annos detractionis & ſterilitatis frugum; neque ſeptimus annus in numero comprehenditur; ſi emtor non ſeviſſet, aut novalem feciſſet, in numero comprehenditur. R. Eleaſar dicit: ſi vendidiſſet ante principium anni, *agerque* fructibus plenus eſſet, ei ſignificare poteſt, quod ſibi reddat fructibus plenum, quomodo ei reliquerat juxta dictum: *& juxta ſupputationem frugum vendet tibi.* Interdum tu biennio trium annorum proventum comedis. *Toſaphta Erachin ibidem.* Si eſſet annus Sabbathicus, aut anni ſimiles annis Eliæ, in numero non comprehenduntur, ſi per unum annum araſſet, per alterum ediſſet, & per alterum novalem feciſſet, numerum intrat. R. Elieſer dicit: aliquando accidit, ut de eo tres proventus biennio comedere poſſit; quo pacto hoc intelligitur? ſi reliquiſſet, & abiſſet, ibique eſſent fruges metendæ, & olivæ colligendæ, & uvæ vindemiandæ, ei non dicit, relinque mihi plenum, quomodo ego tibi plenum reliqui, ſed unum annum comedet. *Maimonides ibidem.* Neceſſe vero eſt, ut emtor duorum proventuum fructum capiat

bien-

biennio, ac deinde redimatur ager, q. d. Levit. 25. 15.; *& juxta supputationem frugum*; Porro si alteruter annorum sit annus septimus, vel annus uredinis, aut rubiginis, non refertur ad illud bienni spatium. Si incultum reliquerit emtor per unum annum, per alterum vero fructum ejus perceperit, aut fructum priori anno ceperit anno, deinde anno sequenti novalem fecerit agrum, in numerum biennii id refertur. Quod si ipso anno Jubilæo vendiderit, non vendita esto, sed pecunia redeat ad dominos. Si vendiderit anno Jubilæum antecedente, tunc fructum agri ejus percipit emtor anno secundo post Jubilæum; quia dicitur; *& juxta supputationem frugum*, Levit. 25. 15. *redibant tempore Jubilæi &c. Siphra ibidem. Usque ad annum Jubilæum*; ne unus quidem ipsius dies intret, deprehenditur, quod tibi sit dicendum, quod agri, & debita simul remittebantur. Jubilæus remittebat in suo principio, & annus septimus remittebat in suo fine; & exibit in Jubilæo etiam a sanctitate, *& redibit ad possessionem pristinam. Maimonides ibidem*. Potior est conditio anni septimi præ Jubilæo, quod annus septimus remittat debita pecuniaria, at non Jubilæus. Hic vero præstantior est anno septimo, quod servos manumittat, & dimittat agros; nam hæc lex venditioni agrorum in ipsa Divina Lege posita est, hoc est præceptum affirmativum, q. d. Levit. 25. 24. *Unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemtionis conditione vendetur*. Jubilæus in suo principio dimittit agrum, sed annus septimus tantum dimittit debita pecuniaria in fine suo, uti exposuimus.

[100] *Quis donasset &c. Codex Berachoth VIII. 10.* Hæc non redeunt anno Jubilæo, primogenitura, & si quis uxoris suæ hæreditatem acquisierit, vel fratriam ex jure leviratus duxerit, vel dona, ita R. Meyr. Sapientes statuunt, quod dona assimilantur venditionibus. R. Eliesér dicit: omnia ista redeunt anno Jubilæo. *Ubi Bartenora; & dona*, secundum R. Meyr, quia Lex dicit, quod res vendita anno Jubilæo debeat reverti, at non donatio, nec hæreditas. Sapientes dicunt donatio est instar venditionis, sicut scriptum est Levit. 25. 13. *Anno Jubilæi redient omnes ad possessiones suas*; qui locus videretur superfluus, quia Levit. 25. 10. jam dictum est: *revertetur homo ad possessionem suam*; sed hæc bis a Mose dicuntur ad dona includenda. *R. Eliesér dicit: omnia ista includuntur*, in sententia Sapientum est dicentium vocem *redient* includere dona, at hæc omnia sunt dona &c. *Maimonides ibidem cap. II. 19.* Si quis dono det agrum suum, recipit illum anno Jubilæo, q. d. Levit. 25. 10: *Revertatur homo ad possessionem suam*, qua comprehenditur etiam donum.

[101] *Agro hæreditario &c. Hujusmodi fuit vinea quam Naboth Achab cedere noluit, sicut legitur 3. Reg. 21. 3.* Cui respondit Naboth; propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.

[102] *Ædium in vicis &c. Siphra ibidem ad vers. 31. quæ muros non habent*, quid ita dicendum erat? sed quamvis muros habeant, reputantur ac si non habeant; & quænam sunt? *domus* duæ, חצרים villarum (*quæ vox designat etiam atria*) *quæ sunt* duæ, ut in his sint tantum duo atria duarum domorum pro singulis, si tria essent duarum domorum pro singulis, habentur ut domus civitatis muro cinctæ. *Quæ muros non habet, agrorum jure vendetur*, habendæ sunt ut ager terræ; quemadmodum ager terræ exit in Jubilæo cum detractione argenti, ita etiam hæ. Ego dicam igitur, sicuti terræ ager redimi non poterat ante biennium, dicere possem, etiam hæ? ideo dicit: *statim redimetur*; ita Hebræus. Si concessisti conditionem meliorem domorum civitatum muro cinctarum, & meliorem conditionem agrorum, credere possim, quod in Jubilæo non exeat? ideo dicit: *in Jubilæo revertetur ad dominum. Tosaphta Erachim ibidem I. 11.* Si quam de villarum domibus aliquis vendat, statim redimere potest, eique redimendi tempus est usque ad Jubilæum; & si adveniat Jubilæus, eamque non redimat, propter Jubilæum exit ad dominos; domus villarum, quamvis habeant murum & tectum, non habentur ut domus urbium muro cinctarum. *Maimonides ibidem cap. III. 10.* Si quis vendat domum in villis, vel urbe non cincta muro, ut par est, ista domus redimatur conditione splendida, quæ obtinet in jure agri, & in jure domorum *urbium* muro cinctarum. Quomodo hoc intelligendum est? Si secundum jus domorum redimere velit e manu vindicis; cum attigit dies duodecimus mensis, ac non redemit, tunc secundum jus agrorum redimat usque ad annum Jubilæum. Tempore autem isto quo redimit, rationes confert cum emtore, eique detrahit pretium eorum, quorum fructum ceperat. Quicquid est intra murum, e. g. horti, balnea, & columbaria, urbium instar habetur, q. d. Levit. 25. 29. *intra urbis muros*. At campi qui sunt intra urbem, rediumuntur secundum jus agrorum, qui sunt extra urbem, q. d. Levit. 25. 30. *& confirmabitur domus quæ est in urbe*, ita Hebræus; id est domus, & quicquid domui simile est, non vero agri; domus quæ non est quadrata non propria sit, ut domus urbium muro cinctarum. Hierosolymis autem nulla domus propria fit; at domus in muro posita non est ut domus urbium mœnibus cinctarum. Urbs, cujus horti sunt mœnia ejus, aut mare, non habetur ut ea, quæ muro cincta est. Nullus locus dicitur urbs mœnibus cinctus, donec in illo sint tres villæ, vel plures, & in quavis villa ex iis duæ domus, aut plures. Porro prius cingat locum istum muro, ac deinde villas exstruat intra istum locum. At locus, qui habitatur, ac deinde cingitur muro, aut in quo non sunt tria atria domorum, non est urbs muro cincta, sed pares domibus villarum habentur domi ejus.

[103] *Sed qui domum &c. Siphra ibidem. Qui vendiderit domum intra urbis muros*, credere possem etiamsi eam muro cingerent ab hoc tempore in posterum? ideo dicit: *domum intra urbis muros*, ut civitas sit muro cincta a tempore Josuæ filii Num, non autem ut eam muro cinxerint ab eo tempore in posterum; & hæ sunt domus urbium mœnibus cinctarum, ut in iis sint saltem duo atria duarum domorum pro singulis, quæ sint muro cinctæ, a tempore Josuæ filii Num, veluti Kizra vetus Tsipporis, & Cazra Gusch, Chaleb, & Jurphat vetus, & Gamla in Galilæa, & Gedor trans Jordanem, & Charid & Ono, & Hierusalem, quæ erant in Judæa. R. Ismael filius R. Jose dixit; nonnisi has numerarunt, quæ a gente captivitatis sanctificatæ sunt, sed primæ abolitæ sunt, quando terra subacta fuit: *habebit licentiam redimendi*, statim; donec unus impleatur annus, non annus juxta computum mundi: *Et paucis interjectis. Si non redemerit, & anni circulus fuerit evolutus*; quid dicendum id erat? ut hinc adducaris, ut dicas, quod si alicui vendidisset, illeque surgens alteri vendat; ego nescio, utrum annus computetur cum primo, an cum altero, quando dicit: *donec unus impleatur annus*, ecce annus pro primo, & non annus pro secundo: *impleatur*, ter centum sexaginta quinque dies, juxta numerum dierum anni solaris, verba Rabbi, & sapientes dicunt, *impleatur annus*, duodecim menses completi; idcirco si annum intercalarem statuissent, ipsi *sc. venditori* fiebat intercalaris. *Emtor possidebit eam*; non probatur nisi pro domo; loca torcularium, putei, fossæ, antra, balnea, & columbaria, & turres unde probantur? ex eo quod dicit, *intra urbis muros*; crederem includendos agros? ideo dicit *domum*, sicuti domus est distincta, locus habitationis, excluduntur ita campi, agri, qui non sunt habitationis loca, verba R. Jehudæ. R. Meyr dicit, non probatur nisi pro domo; unde probatur includenda esse loca torcularium, & puteos, fossas, & cavernas, antra, & balnea, columbaria, & turres, & agros? ex eo quod dicit *intra urbis muros*. *Intra urbis muros*, excludit domum in mœnibus ædificatam, verba R. Jehudæ; R. Simeon dicit; paries exterior est murus. R. Eleasar filius R. Jose dicit *intra urbis muros*, quamvis modo (*murum*) non habeat, *satis est*, ut olim habuerit: *In perpetuum*, æternum; alia glossa: ad comprehendendum illam, quam dono dederit. In principio delitescebat emtor eo die, quo complebantur duodecim menses, ut domus sibi in perpetuum confirmaretur. Constituit idcirco Hillel senior, ut deponeret pecuniam in aliquo conclavi eique liceret frangere januam domus suæ, & introibat, quando ei libebat, & alter veniebat, ut suos nummos acciperet. *Emptor*, crederem, quod illi uni *confirmaretur*? ideo dicit, *& posteri ejus*, dicendo: *posteri ejus*, dicerem *confirmari* posteris ejus, & non ipsi? ideo dicit, *emptor*, igitur necessariæ sunt hæ duæ expressiones, secus non intelligebamus. *Emtor possidebit eam, & posteri ejus in perpetuum*, excluditur sanctificatio, cui non sunt posteri. *Tosaphta Era-*

Erachin ibidem. Qui vendit aliquam ex domibus urbium muro cinctarum, ei tempus est ejus redimendæ per omnes duodecim menses, si per omnes duodecim menses non redemisset, emtori confirmatur. Si primo vendidisset, & primus secundo vendat, poterit eam redimere e manu recuperatoris, eique tempus est omnibus duodecim mensibus, sin minus redemisset duodecim mensibus, secundo in perpetuum confirmatur. *Et nonnullis interjectis*. In urbe, cujus mœnia diruta essent, observantur omnes ejus ritus, si extra eam domum ædificasset, reputatur ut domus villarum; in domibus urbium muro cinctarum, quæ promineant extra terram, fundamenti ratio habetur; Hierosolyma, & urbes refugii, & decima secunda sequuntur ramos. Officinæ, & terræ, & columbaria, quæ sunt intra eam, sunt similes domorum urbium mœnibus cinctarum, & animalium stabula, & horti, & viridaria, quæ sunt intra eam, R. Meyr dicit: reputantur ut domus urbium muro cinctarum, & sapientes dicunt, sunt similes agris. Domus, quæ in mœnibus urbis ædificata est, R. Jehuda dicit, reputatur ut interior, R. Simeon dicit, habetur ut exterior &c. *Maimonides ibidem cap. III.* Si quis vendat domum in urbe mœnibus cincta, redimat illam quovis duodecim mensium tempore a die, quo vendidit, quocumque velit tempore vel ipso, quo vendiderat, die. Cum autem redimere vult, omnem quam acceperit, det pecuniam, ac nihil detrahat emtori. At non redimant illam propinqui, sed ipse venditor, si assecuta tamen sit manus ejus. Licet autem illi vendere ex bonis suis, eamque redimere, sed ne mutuo accepta pecunia redimat; nec per dimidiatas partes. Mortuo emtore redimat a manu filii ejus, ac ita mortuo venditore, filio ejus jus est eam redimere quibusvis XII mensibus. Si prior vendiderit, & is secundo, intra annum numerant pecuniam priori, exacto primo anno, confirmatur domus ea in manu secundi; venditor enim *prior* secundo vendiderat quicquid juris ipsi obventum erat, postquam advenit XII mensium tempus confirmatur domus in possessione emtoris. Ac pari modo, si cuidam donaverit domum, & non redemerit quovis spatio XII mensium, tunc confirmatur in possessione ejus, cui domum dono dederat. Si annus sit intercalatus, non confirmatur ante finem ejus, q. d. Levit. 25. 30. *donec unus impleatur annus*, ut comprehendantur menses intercalares. Si vendiderit duas domos, alteram in medio Adaris primi, alteram in principio Adaris secundi, annus habetur postquam adveniat primus dies mensis Adar anni sequentis, quod attinet domum, quam vendiderat initio Adaris secundi. Quod vero attinet domum, quam in medio vendidit primi Adaris, ejus annus non computatur ante medium Adaris anni sequentis, quia in possessionem descenderat emtor mense intercalationis. Si attigerit dies XII mensis, & non reperiatur emtor, ut ab eo redimat, tunc nummis suis in curia positis, frangat januam, intretque domum suam, cumque venit emtor, accedat tollatque suam pecuniam. Cum quis consecrat domum urbis muris cinctæ, eamque quispiam redemerit e potestate consecrationis, si dominus illam non redemerit intra annum ab hora ista, qua redemta est e potestate consecrationis, confirmatur in possessione redemtoris; consecratio enim nihil sibi asserit, sed solus emtor, q. d. emtor *possidebit eam .... in perpetuum &c.* de consecratione illa vide Levit. 27. 14. 15.

[104] *Quæ tempore &c. Codex Erachin IX. 6.* Urbs cujus tecta sunt mœnia, & ea quæ non a tempore Josuæ filii Nun muro cincta fuit, differt a domiciliis urbis muro cinctæ. Hæ vero sunt urbes muro cinctæ, si duo sint atria, utrumque duarum domorum muro cinctarum a tempore Josuæ filii Nun, sicut vetus Kizra prope Tsipporim, & Cazra Gusch Chaleb, & Jurphat vetus, & Gamla, Gedor, Charid, Ono, Hierosolyma, & id genus aliæ. *Maimonides ibidem*. In his tantum innituntur muro, quo cincta fuerit urbs tempore quo subacta est terra. Quomodo hoc intelligitur? Urbs, quæ non cincta erat muro, cum terram subigeret Josua, etiamsi nunc cincta sit, habetur ut domus villarum: & contra urbs, quæ muro cincta fuit tempore Josuæ, etiamsi nunc cincta non sit, tamen ut cincta habetur. Cum autem in exilium ducti sunt in priori vastatione, abrogata est sanctitas muri, quæ fuerat Josuæ tempore. Cum ascenderat Esdra in secundo introitu, quæ tum cinctæ erant muro urbes, consecratæ sunt, quia introitus populi in terram Esdræ tempore (quando fuit introitus secundus) est ut introitus tempore Josuæ. Quid habuit eorum introitus Josuæ tempore? Numerarunt intermissiones *i. e. annos Sabbathicos*, & Jubilæos, consecraruntque urbes mœnibus cinctas, ac obligati sunt ad decimas dandas. Pari modo cum Esdræ tempore intrarent, numerarunt intermissiones, & Jubilæos, consecraruntque domos urbium muro cinctarum, ac obligati sunt ad dandas decimas.

[105] *Ipso Jubilæo &c. Maimonides ibidem*. Si quis vendiderit domum urbis muro cinctæ, incidatque Jubilæus in medium venditionis annum, non redeat in Jubilæo; sed sit in potestate emtoris, donec voluerit venditor totum venditionis annum redimere, aut anno impleto, propria emtoris maneat. *Tosaphta Erachin ibidem*. Gravior est conditio domorum urbium muro cinctarum, quam agri possessionis, *& gravior est conditio* agri possessionis, quam domorum urbium mœnibus cinctarum, quod domus urbium non muro cinctarum non exibant in Jubilæo, nisi in duodecim mensibus redemisset, in perpetuum emtori confirmabantur; quod non obtinet in agro possessionis, quod qui sanctificat agrum possessionis suæ, neque Jubilæus obtineat, minus biennio ei redimere non licet, & exit in Jubilæo, cum detractione quod non obtinet in domibus urbium muro cinctarum.

[106] *Domus autem &c. Siphra ibidem ad vers.* 32. *Ædes Levitarum, quæ in urbibus sunt*; quid dicendum id erat? quia dictum est, *semper possunt redimi*; crederem in servis, in literis debiti, & in mobilibus? ideo dicit; *ædes Levitarum, quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi*; cur ita dicit? quia dictum est: *sed juxta numerum annorum Jubilæi emes ab eo*; crederem, quod idem jus etiam in Levitis obtineret? ideo dicit, *semper redimi possunt*. Cum jam dixisset: *si non redemerit, & anni circulus evolutus fuerit*, crederem, quod idem jus in Levitis observaretur? ideo dicit: *semper redimi possunt*. Dictum est etiam: *sin autem noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venumdatus, ultra eum qui voverat, redimere non poterit; quia cum Jubilæi venerit dies, sanctificatus erit Domino, & possessio consecrata ad jus pertinet Sacerdotum*. Levit. 27. 20. 21. crederem, quod idem jus etiam in Levitis obtineret? ideo dicit: *semper possunt redimi*. *Et qui redemerit a Levitis*, ita Hebræus, quid dicendum id erat? Hoc modo Levita ab Israelita redimere potest, quia Israelita majus jus in suo habet, at Levita ab Levita redimere non poterit? ideo dicit, *qui redemerit a Levitis*, etiam alter Levita ab altero Levita; a Levitis, & non ab omnibus Levitis, excludit filium Levitæ, qui oriatur ex muliere Gabaonita, & filium Levitæ, qui ex notha nascatur. *Revertetur*; crederem in servis, & in literis debiti, & in mobilibus? ideo dicit: *domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt*; cur igitur dicit *vendita domus*? ita Hebræus; ejus venditio exit in Jubilæo, sed ejus sanctificationes non exeunt in Jubilæo, sed una tantum redemtione. *Quia domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt*; quid dicendum id erat? Hoc argumento adductus dices, quod Israelita, qui a matris suæ Leviticæ patre hæreditatem consequatur, hoc modo redimere possit? ideo dicit: *& qui redemerit a Levitis*. Dicendo *quod qui redemerit a Levitis*, crederem, quod Levita, qui a matris suæ Israelitidis patre hæreditatem consequatur, hoc ordine redimere debeat? ideo dicit, quia domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt, donec Levita sit in civitate Levitica, verba Rabbi; & Sapientes dicunt: non agitur nisi de civitatibus Levitarum, *quia domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt*; hæc est causa præcepti. Unde probatur, agrum fieri non posse suburbium, neque suburbium agrum, neque suburbium civitatem, neque civitatem suburbium? ex eo quod dicit: *& ager suburbii civitatum eorum*, ita Hebræus. Dixit R. Eleasar; in quonam agitur? in civitatibus Levitarum, sed in civitatibus Israelitarum, potest fieri ager in suburbium, at non suburbium in agrum, suburbium in civitatem, at non civitas in suburbium, ne Israelis urbes diruantur; *non veneant*, venditione quæstoris; an ego dicere non possim, quod in perpetuum non vendetur? ideo dicit, *quia possessio sempiterna est*; quo pacto igitur erit intelligendum, *non veneant?* venditione quæstoris; *quia possessio sempiterna*

na est. Hoc refert causam hujus Legis. *Tosaphta Erachin, ibidem*. Non potest fieri ager in suburbium, nec suburbium in agrum, aut suburbium in civitatem, nec civitas in suburbium; R. Elieser dicit, cur hæc dicta sunt? pro civitatibus Levitarum, sed pro civitatibus Israelitarum, potest fieri ager in suburbium, & suburbium in agrum, suburbium in civitatem, & non civitas in suburbium, ne Israelis civitates devastentur. Nemo diruat domum suam, ut ex ea faciat hortum, nec locum, qui sibi cecidit, plantabit, ut faciat hortum, quia similis ei est, qui devastat terram Israelis. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit: potest locum, qui sibi cecidit, plantare, ut faciat hortum, quia ita terra fit habitabilis. R. Elieser filius R. Jose dicit; duo millia ulnarum est finis civitatum Levitarum; detrahe ex his mille ulnas suburbii, deprehenditur in his esse suburbium, & reliquum pro agris & vineis. *Maimonides ibid. c.IV.* Quamvis tribui Levi nulla sit pars in terra, nihilominus jamdudum jussi sunt Israelitæ, ut iis urbes habitandas darent cum suis suburbiis. Sunt autem urbes istæ perfugii urbes, & præter has 42. alia oppida. Cum vero Messiæ tempore alias additurі sunt perfugii urbes, omnes Levitarum erunt. Suburbia oppidorum jampridem sunt exposita in Lege, quod sint, 3000. millia ulnarum in quamvis plagam a muro urbis extrorsum, q. d. Num. 35. 4. *Quæ a muris civitatum forinsecus per circuitum, mille passus spatio tendentur:* & infra vers. 5. dicit: *contra orientem duo millia erunt cubiti*; Priores mille ulnæ suburbium sunt, at 2000. quæ metiuntur extra suburbium sunt pro agris & vineis. Singulis autem urbibus dant sepulchretum extra hunc terminum; nam mortuos suos non sepeliunt in terminis urbium suarum, q. d. Num. 35. 3. *& suburbana sint pecoribus ac jumentis*; vivis data sunt, non vero ad sepulchra. In urbibus Levitarum non faciunt ex urbe suburbium, neque ex suburbio urbem; non faciunt ex suburbio agrum, neque ex agro suburbium, q. d. Levit. 25. 34. *Suburbana autem eorum non veneant*. Traditione vero acceperunt, id quod ibi dicitur: *non veneant* significare, non mutentur. Sed ager, suburbium, & urbs in suo maneat statu in perpetuum; atque ita se habet res cum cæteris Israelitarum urbibus. Ne destruat aliquis domum suam, ut hortum ex ea faciat; neque conserat ruinam ejus in hortum, ne vastam reddant terram Israelis. Sacerdotes & Levitæ, qui vendiderunt agrum ex agris urbium suarum, aut domum e domibus urbium muro cinctarum ne redimant hoc ordine, sed vendant agros vel Jubilæo instante, redimantque statim. Quod si agrum consecraverint, a potestate consecrationis redimunt post Jubilæum, domos vero urbium redimunt cum velint, vel multis postea annis, q. d. Levit. 25. 32. *semper possunt redimi*. Israelita, qui hæres factus est avi materni Levitæ, redimat ritu Levitico, quamvis Levita non sit, tamen urbes vel agros Levitarum redimat in perpetuum. Hic enim ritus a locis illis dependet, non a dominis. Levita qui hæres factus est avi materni Israelitæ, instar Israelitæ redimat, & non Levitarum instar; non enim dictum est, *semper possunt redimi* nisi de urbibus Levitarum.

CAPUT NONUM.

De festo Purim, Encæniorum, &c.

§. I. Nomen festi Purim.

I. INter festa quæ a Judæis instituta sunt excellit [1] festum Purim, ita dictum a voce Persica פור qua *sors* indicatur, פור הוא הגורל *Esth.* 3. 7. Hodie پور sive פור Persice notat *chalybem*, atque ideo conjectura ducimur ad suspicandum regem Persarum [2] σιδηρομαντέιαν sive divinationem per chalybem exercuisse, vel [3] βελομαντέιαν, modum sortiendi in oriente olim usitatum. Confer *Ezech.* 21. 26. קלקל בחצים. Festum hoc 2 *Macc.* 15. 37. nuncupatur μαρδοχαικὴ ἡμέρα.

§. II. Tempus.

II. Celebratur festum Purim die 14 & 15 mensis adar. *Esth.* 9. 21. & [4] per canones translationis dierum festorum cautum est ne primus dies purim incidat in זׄבׄדׄ, id est septimum, secundum aut quartum hebdomadis diem. [5] Quod si annus sit intercalaris, in primo adar die 14. & 15. פורים קטן *parvum purim* celebrant, in altero פורים גדול *purim magnum*: sic ut tunc bis in anno purim recurrat, quod iisdem ritibus agebatur [6] nisi quod in lectione voluminis Esther, מגילה, & largitione donorum esset differentia. *Megilla*. 1. 4. In *Gem. Megilla*, *fol. 6. fac.* 2. Eliezer fil. Jose vult megillam non legi in veadar, si in adar primo lecta fuerit,

§. III. Ritus antecedentes.

III. Duo sunt quæ ante hoc festum observantur, tria quæ in ipso festo. Illorum [7] prius est jejunium die 13 mensis adar, aliquo modo ad exemplum reginæ Estheræ institutum: [8] quod si dies purim sive 14 adar in diem sabbathi incideret, jejunium retrahebatur in diem quintum hebdomadis, qui [9] יום הכניסה *dies congregationis* dicitur, uti & dies secundus. [10] Die autem illo quinto megilla quoque legebatur. *Megilla*. 1. 1. 2. [11] quia sabbatho non licebat. Posterius est cura [12] eleemosynarum & donorum quæ pauperibus mittuntur, ut ipsi quoque cum lætitia festos hos dies celebrent.

§. IV. Ritus in ipso festo.

IV. Ad tria autem referuntur illa quæ in ipso festo observanda sunt. I. [13] Lectio megillæ vel libri Esther (quem solum cum lege Mosis [14] non abrogandum fore per adventum Messiæ credunt) quæ die 14, ipsa vespera vel nocte quæ huic diei initium dat instituenda in synagoga, [15] nisi is dies in sabbathum incidat: [16] Mane sequente paravscham de Amaleko legunt. *Exod.* 17. 8. *Megilla* III. 6. [17] Notanda tamen est distinctio Judæorum in כרכים urbes muro cinctas tempore Josuæ, sive in Palæstina, sive extra eam, עירות urbes, quæ eo tempore muris cinctæ non erant, & כפרים vicos:

cos: sic ut in כרך megilla legatur die 15, in עיר die 14, in כפר vel secundo vel quinto hebdomadis die, qui festo proximus est.

§. V. Otiũ & epulæ.

V. Reliqua duo [18] sunt otium & epulæ; quieverunt enim *Esth. 9. 18.* & [19] convivia instituerunt. Quo spectat vulgatum illud, tantum vini bibendum esse [20] ut distinguere nequeant inter ארור המן ברוך מרדכי & *maledictus sit Haman & benedictus Mordechai*.

§. VI. Festum encæniorum.

VI. Festum חנוכה vel ἐγκαινίων, *Joh. 10. 22. 1 Macc. 4. 59.* aut dedicationis, institutum est [21] in memoriam templi per Chasmonæos denuo dedicati post expulsos Syros, & celebraturque [22] per 8 dies ab 25 Kisleu, voluntque id indicari *Num. 8. 1.* Jejunium & luctus eo tempore prohibita sunt, & [23] recitatione hymni sacri singulis octo diebus repetita, [24] atque accensis noctu luminibus, in memoriam inventi olei sufficientis in tot dies non sine prodigio (quod narratur in *Gem. Schabbath. 21. 2.*) gaudia sua testantur: unde quidam id festum luminum, & φῶτα ac λυχνοπίαν (quo nomine festum singulare [25] ab Ægyptiis celebratum tradit Herodotus, *lib. II. cap. 62.* quod Themistio *orat. IV.* λυχνοποιΐα nuncupatur) dictum autumant. Tertullianus *lib. I. adversus nationes pag. 59.* id vocat *Judaicos ritus lucernarum*.

§. VII. De festo ξυλοφορίας.

VII. Præter hæc erat festum ξυλοφορίας, ita dictum Josepho, [26] quo ligna ad usum altaris afferebantur a certis familiis per vices. *Nehem. 10. 35.* Id זמן עצי כהנים והעם *tempus lignorum sacerdotum & populi* dicitur. *Taanith. IV. 5.* [27] quod si in sabbathum incidisset, differebatur in diem proximum. *Megilla. I. 3.* Erant autem novem tempora quotannis allationi horum lignorum destinata, 1. [28] Primo die Nisan posteri Arach e tribu Juda suam portionem afferebant, 2. [29] Vigesimo Tammuz, posteri Davidis, 3. [30] Quinto Ab posteri Parosch ex Juda, 4. [31] Septimo ejusdem, posteri Jonadab Rechabitæ. 5. [32] Decimo ejusdem, posteri Senaa ex Beniamin, 6. [33] Quinto decimo ejusdem, posteri Satthu (alii זתואל *Sathuel* eum vocant) ex Juda, & cum iis sacerdotes ac Levitæ, proselyti, servi, Nethinæi, & Israelitæ stirpis incertæ. Hic dies in codice veteri *Megillath Taanith* dicto, *cap. 5.* appellatur זמן אעי כהניא *tempus quo sacerdotes ligna adferunt*. 7. [34] Die 20 ejusdem mensis posteri Pachat Moab ex Juda. 8. [35] Die 20 Elul posteri Adin ex Juda. 9. [36] Die primo Tebeth posteri Parosch. Confer *Gem. Hierosol. Schecalim, fol. 6. col. 1.* & *Gem. Babyl. Taanith. fol. 28. fac 1. Gem. Hier. Megilla. 70. 3.* [37] Erat autem omne lignorum genus aptum ut in altari combureretur, exceptis lignis oleæ & vitis. *Siphra fol. 60. 1.*

COMMENTARIUM IN CAPUT NONUM.

[1] F*Estum Purim &c. Megillath Taanith cap. XII.* Decimus quartus, & decimus quintus hujus mensis, *sc. Adar* sunt dies Purim, sive *Sortium* in quibus non est lugendum; dies nempe quibus facta sunt miracula Israelitis per Mardochæum, & Estheram, & fecerunt eos dies festos.

[2] *Σιδηρομαντείαν &c. R. David Kimchius ad Ezech. 21. 18. &c.* Expolivit sagittas, rogavit Teraphim, inspexit jecur, omnia hæc tria sunt opera divinationis, vox קלקל autem hic idem significat, quod in illo; & ipse non expolivit aciem, hoc autem fit, quando conjungunt & acuunt aciem ferri sagittæ, donec fiat fulgentissimum, & tum inspiciunt divinatores, quomodo inspicere solent unguem pollicis, ejusdemque splendorem; eodem etiam modo inspiciunt gladium, nec non speculum, ut & jecur, quia & illis est aliquis splendor; Teraphim autem sunt imagines, in quibus conspiciunt futura. Hæc omnia tria divinationis genera inspexit Nabucadnezar, num pergere debeat versus Hierusalem, quæ erat ipsi dextra, an versus Rabbath filiorum Ammon, quæ erat ad partem ejus sinistram: divinatio cecidit versus Hierusalem.

[3] *Βελομαντείαν &c. Paraphrastes Chaldæus l. c. ita reddit* קשת בנרריא *arcu ejecit tela. Ita etiam h. l. R. Salomo interpretatus est.* Divinavit divinatione sagittarum, fudit sagittam in altum, quæ tum sponte sua vel ad dextram vel ad sinistram tendebat, & quo illa inclinabat, id erat sortilegium. *R. David Kimchius;* קלקל *levitatem*, q. d. projecit sagittas, & dispersit eas in aerem, ut videret in quam partem vellent decidere. *Idem ad 4. Reg. 13. 15.* Versus orientem (*jubet fenestram aperire*) quia Syria erat ad orientem, uti scriptum est Jes. 9. 12. *Syria ab oriente*. Telum autem prius erat, quod mittendum erat per fenestram, ac cæteris percussit terram. Cum autem *Joas* emittebat sagittam dicebat Elisæus: hæc sagitta erit salutaris, quo juvabitur Israel; in quam vero partem cadere debuit sagitta, ut esset Israeli saluti? In Syriam cadat telum, atque hoc est quod dicit Elisæus; *sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam; in alteram vero ita.* Dixit ei Elisæus *usque ad consumationem*; sic enim per prophetiam dictum erat: si Rex sagittis multoties terram percussurus fuisset, habebatque in animo Elisæus, non debuisse desistere, donec ei dixisset, *persiste*, & propterea indignabatur ei Elisæus, quum destitit. Percutiendo quinquies: *si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, tum percussisses Syriam usque ad consumationem. Hanc divinationem apud Orientales usitatam fuisse ostendit clar. Pocokius ad Abul. Far.* Cum esset alicui vel suscipiendum iter, vel ducenda uxor, vel aliud magni momenti negotium peragendum, sagittas, quas tres vasculo inclusas habebant, consulere solebant. Earum primæ inscriptum erat אמרני רבי *jussit me Dominus meus*, secundæ מהאני רבי *prohibuit me Dominus meus*; tertia nulla nota insignis erat. Harum unam manu extrahenti si occurreret illa, quæ juberet alacri animo tanquam monente Deo, pergere; sin illa, quæ vetaret, desistere, quod si ἀγράμματος, illam reponere donec prodiret vel interdicto occurreret. *D. Hieronymus ad Ezech. l. c. scribit non fusas sed commixtas fuisse sagittas*, Divinationem quærens, commiscens sagittas, ritu gentis suæ oraculum consulit, ut mittat sagittas suas in pharetram, & commisceat eas inscriptas sive signatas nominibus singularum, ut videat cujus sagitta exeat, & quam prius civitatem debeat oppugnare. Hanc autem Græci βελομαντείαν, sive ῥαβδομαντείαν vocant. *Et ad Hos. 4.* Propheta stupens & mirabundus eloquitur; populus meus, qui quondam meo vocabatur nomine, lignum interrogavit, & virgam, quod genus divinationis

Græci

Græci ῥαβδομαντείαν vocant; unde in Ezechiele legimus, quod virgas suas miscuerit Nabuchodonosor contra Ammon & Hierusalem, & exierit virga contra Hierusalem. *Non multum abludit ab hac divinatio, quam commemorat Tacitus in libro de moribus Germanorum*. Sortium consuetudo simplex; virgam frugiferæ arbori decisam in surculos amputant; eosque, notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt. Mox si publice consulatur, sacerdos civitatis, si privatim, ipse paterfamiliæ, precatus Deos, cœlumque suspiciens, ter singulos tollit; sublatos secundum impressam ante notam interpretatur; si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio, sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam & hic notum, avium voces volatusque interrogare. *Non absimilis a præcedenti fuit apud Scythas divinationis species, uti narrat Herodotus lib. IV.* Μάντιες δὲ Σκυθέων εἰσὶ πολλοὶ, οἳ μαντεύονται ῥάβδοισι ἰτείνῃσι πολλῇσι ὧδε. ἐπεὰν φακέλους ῥάβδων μεγάλους ἐνείκωνται, θέντες χαμαὶ, διεξελίσσουσι αὐτούς, καὶ ἐπὶ μίαν ἑκάστην ῥάβδον τιθέντες, θεσπίζουσι. ἅμα τε λέγοντες ταῦτα, συνειλέουσι τοὺς ῥάβδους ὀπίσω, καὶ αὖτις κατὰ μίαν συντιθεῖσι, αὕτη μέντοι ἡ μαντικὴ πατρώϊη σφὶ ἐστί. οἱ δὲ Ἐνάριες καὶ οἱ Ἀνδρόγυνοι τὴν Ἀφροδίτην σφὶ λέγουσι μαντικὴν δοῦναι. φιλύρης ὦν φλοιῷ μαντεύονται, ἐπεὰν τὴν φιλύρην τρίχα σχίσῃ διαπλέκων ἐν τοῖσι δακτύλοισι τοῖσι ἑωϋτοῦ, καὶ διαλύων χρᾷ. Apud eosdem permulti sunt vaticinatores, qui pluribus virgis salignis divinant ad hunc modum; grandes virgarum fasces quum attulerunt, humi positos dissolvunt, ac separatim ponentes illarum singulas, vaticinantur, simulque dum hæc dicunt, virgas rursum convolvunt, (quas videlicet evolverant,) & in unum componunt. Hæc est illa tradita a majoribus divinatio. Sed Enaries, qui & Androgyni, ajunt sibi a Venere traditam divinationem, qui tiliæ fronde vaticinantur. Tiliam ubi quis trifariam sciderit, digitis suis eam implicando ac resolvendo tractat, atque in hunc modum vaticinatur. *Eadem fere de Alanis scribit lib. XXXI. Ammianus Marcellinus*. Futura miro præsagiunt modo, nam rectiores virgas fœminæ colligentes, easque cum incantamentis quibusdam secretis præstituto tempore discernentes, aperte quid portendetur, norunt.

[4] *Per canones &c. Pesikta in Levit.* 23. 4. *fol.* 28. 3. Hinc doctores nostri dixerunt, & confirmarunt; non est dies primus, quartus, & sextus caput anni, neque secundus, quartus, & sextus Pascha, neque tertius, quintus, & septimus עצרת *clausula festi*, neque septimus, secundus, & quartus Purim, sive Festum sortium; quia dicitur: *quas* (solennitates) *proclamabitis in solennitate sua*. Quoniam de Sabbatho scriptum est Levit. 23. 3. *Sabbathum Sabbathi convocatio sancta est*; ita Hebræus; & de solennitatibus vers. 4. *quas proclamabitis*; a sanctificatione domus Judicii res dependet.

[5] *Quod si annus &c. Maimonides Megillah* I. 12. Si legissent Megillam in Adar primo, & postea Senatus intercalasset annum, iterum legent in secundo Adar tempore suo.

[6] *Nisi quod in lectione &c. Bartenora ad cap.* I. 4. *Codicis Megillah. Non est differentia inter Adar primum, & Adar secundum &c.* id est, non est differentia inter diem decimum quartum & decimum quintum primi Adar, & diem decimum quartum & decimum quintum secundi Adar, nisi quod ad lectionem Megillæ, & dona pauperum, sed in negotio lugendi, & jejunandi uterque dies æqualis est.

[7] *Prius est jejunium &c. Maimonides Taanith* V. 4. Jam vero consuetudo, atque institutum est universæ gentis Israeliticæ, ut jejunium tertio decimo Februarii celebrent omnes, memores jejuniorum illorum, quæ servabantur temporibus Haman, ut scriptum est Esther. 9. 31. *Et illi observanda susceperunt a se, & a semine suo, jejunia & clamores, & sortium dies &c.*

[8] *Quod si dies &c. Maimonides ibidem*. Quod si tertius decimus Februarii in Sabbathum incidat, præcedente die Hebdomadæ quinto, qui est ejusdem mensis undecimus, jejunium servant.

[9] יום הכניסה *&c. Bartenora ad cap. I. 1. Codicis Megillah ad verba illa: nisi quod pagi anticipent diem congregationis*, diem (*inquit*) septimanæ secundum, aut diem quintum, qui veniunt ante diem decimum quartum, qui sunt dies congregationis, quibus villici congregantur in civitatibus, & judicant; nam Senatus sedet ad judicandum die secundo & quinto ex constitutione Esdræ; congregantur enim villici, & in civitates veniunt die secundo, & die quinto ad audiendum lectionem Legis, quia villici nequeunt accurate legere, ideoque necesse est unus ex incolis civitatis legat, & sapientes non imposuerunt illis ut iterum in civitatem venirent decimo quarto die, ut die Purim vacarent ad suppeditandum ea, quæ ad convivium erant necessaria pro civibus, & propterea hanc significationem invenerunt, Esther. 9. 31. לקיים את ימי הפורים האלה בזמניהם; sin autem Esther & Mardochæus ordinassent tantum diem decimum quartum, & diem decimum quintum, de quibus Scriptura dixit, dixisset בזמנים, & non בזמניהם, ad denotandum quod etiam duo alia tempora sunt exceptis illis de quibus in Megilla.

[10] *Die autem illo &c. Maimonides Megillah* I. 6. Pagani, qui in Synagogis congregantur die secundo & quinto, decreverunt, ut in legendo anticipent in die, quo conveniunt. Quomodo hoc intelligitur? Si incidat dies quartus decimus in diem secundum aut quintum, eo die legant, & si in alium diem præter secundum & quintum incidat, anticipant, & legunt die secundo, & quinto, qui sit quartodecimo propior. Quomodo hoc intelligitur? Si dies quartus decimus in diem primum incidat, anticipant, & legunt die quinto, qui est dies undecimus, si in diem tertium incidat, anticipant & legunt die secundo, qui est dies tertius decimus; si dies quartus decimus incidat in diem quartum, legunt die secundo, qui est dies duodecimus, & omnes hi, qui anticipant, & legunt ante diem quartum decimum, non legunt nisi decem adsint.

[11] *Quia Sabbatho &c. Maimonides ibidem* I. 13. Non legitur Megilla in Sabbatho, ne eam in manum sumat, deferatque secum ad eum, qui sit peritus legendi, eamque transferat quatuor passus in locum publicum; etenim omnes tenentur legere Megillam, at omnes non sunt periti ejus legendæ; idcirco si ejus lectio incidat in diem Sabbathi, anticipant, eamque legunt ante Sabbathum, sed exponunt jura festi Purim in illo Sabbatho, ut recordentur esse festum Purim.

[12] *Eleemosynarum &c. Maimonides ibidem* II. 16. Distribuenda est (*Eleemosyna*) pauperibus in die Purim, præbendaque est saltem duobus pauperibus, quorum singulis aut donum, aut aliqua decocta, aut cibaria danda sunt, juxta versiculum, *& pauperibus munuscula largirentur*. Esther. 9. 22. duo dona duobus pauperibus, nec tanta est religio in distribuendis nummis Purim, sed cuicunque manum exporrigenti dandi sunt; nec commutandi sunt nummi Purim in alias Eleemosynas. Satius est, ut multiplicentur dona pauperum, quam convivium, & dona, quæ sociis mittuntur, cum nulla sit lætitia tam grata, tam magna, tam gloriosa, quam ea, quæ lætificat corda pauperum, & orphanorum, viduarum, & peregrinorum; propterea quod, qui horum miserorum corda lætificat, Deo fit similis, de quo scriptum est: *ut vivificet spiritum humilium, & vivificet cor contritorum*. *Esai.* 57. 15.

[13] *Lectio Megillæ &c. Maimonides ibidem* I. 1. Est præceptum affirmativum, ut legatur Megilla tempore suo, ex Sapientum decreto; & constat hoc a Prophetis ita statutum esse. Omnes tenentur legere, viri, mulieres, & proselyti, & libertini, & pueri in ejus lectione exercendi sunt; Sacerdotes quoque tempore Sacrificiorum, tenebantur deserere sacrificia, ut venirent auditum lectionem Megillæ; & pariter deferendum est studium sacræ legis, ut audiatur lectio Megillæ, eo magis reliqua præcepta Legis, quæ omnia lectioni Megillæ posthabenda sunt; nullique *præcepto* posthabetur lectio Megillæ, nisi mortuo præcepti, qui a nemine sepeliatur; qui eum inveniat, prius sepeliet, deinde leget. Tam qui legit, quam qui audit ab eo, qui legit, officio satisfacit, dummodo ab ore ejus qui legere teneatur, audiat; idcirco si surdum, aut puerum, aut stultum legentem audiat, non facit officio satis. Præceptum est ut legatur integra, pariterque præceptum est, ut legatur nocte, & etiam die, & tota nox legitima est pro noctis lectione, & totus dies legitimus est pro diei lectione, & prima nocte hasce tres benedictiones recitabit. Benedi-

nedictus tu sis Domine Deus noster Rex mundi, qui sanctificavit nos præceptis suis, nobisque præcepit lectionem Megillæ. Benedictus tu sis tu Domine Deus noster, Rex mundi, qui fecit miracula patribus nostris in illis diebus, hoc tempore. Benedictus sis tu Domine Deus noster, Rex mundi, qui nos vivificavit, & confirmavit, & ad hoc usque tempus perduxit; sed in die non iterum recitabit benedictionem, *qui nos vivificavit*; & ubi consuetudo viget post eam benedicendi, hanc benedictionem recitabit. Benedictus sis tu Domine Deus noster, Rex mundi, Deus, qui causam nostram egit, & judicium nostrum judicavit, & ultus est vindictam nostram, & liberavit ab hostibus nostris, & perfecte retribuens omnibus animabus nostris insidiantibus; benedictus sis tu Domine Deus liberans Israelem ab omnibus hostibus ipsius, o Deus Salvator.

[14] *Non abrogandum &c. Maimonides ibidem II.* 18. Omnes libri prophetarum, & hagiographorum abolendi sunt diebus Messiæ, præter historiam Esther; siquidem æque stabilis erit atque Pentateuchus, constitutiones Legis oralis, quæ in æternum non cessabunt; quamvis omnis memoria calamitatis defitura sit juxta versiculum, qui dicit: *quia oblivioni traditæ sunt angustiæ priores, & quia absconditæ sunt ab oculis meis*. Esai. 65. 16. Dies Purim non sunt abrogandi, juxta versiculum qui dicit; *isti sunt dies, quos nulla unquam delebit oblivio, & per singulas generationes cunctæ in toto orbe provinciæ celebrabunt*. Esther. 9. 28.

[15] *Nisi is dies in Sabbathum &c. Maimonides ibidem.* I. 14. Quomodo hoc intelligitur? Si dies quartus decimus incidat in Sabbathum, incolæ civitatum, quæ non sint muro cinctæ, anticipant, & legunt in vigilia Sabbathi, & incolæ civitatum munitarum legunt tempore suo die primo; si dies primus (*legendum arbitror, decimus quintus*) incidat in Sabbathum, incolæ civitatum muro cinctarum anticipant, & legunt in vigilia Sabbathi, & incolæ civitatum, quæ non sint muro cinctæ, legunt eodem die, nempe tempore suo; hinc deprehenditur, quod omnes die quartodecimo legant.

[16] *Mane sequente &c. Bartenora ad cap. I. 2. Codicis Megillah.* Quamvis enim incolæ civitatum muro cinctarum legant Megillam decimo quarto die, quando decimus quintus dies inciderit in Sabbathum, nihilominus non legunt Paraſcham, quæ occurrit Exod. 17. 8. *Venit autem Amalec &c.* Sed die Sabbathi, qui est dies decimus quintus, & legunt Haftaram 1. Reg. 15. 1. & exponunt jura festi Purim per totum illud Sabbathum.

[17] *Notanda tamen est &c. Maimonides ibidem I.* 4. Quodnam est tempus ejus lectionis? Varia tempora statuerunt Sapientes juxta versiculum qui dicit בזמניהם. Et hæc sunt tempora ejus lectionis; quævis civitas, quæ temporibus Josuæ filii Nun tam in terra, quam extra terram muro cincta esset, quamvis hoc tempore mœnibus cincta non sit, quintodecimo die Adar legit, & hæc provincia (*seu civitas*) vocatur כרך, & quæcunque provincia Josuæ temporibus muro cincta non erat, quamvis hoc tempore mœnibus circumsepta sit, die quartodecimo legit, & hæc provincia vocatur עיר. Civitas Regia Susan, quamvis Josuæ filii Nun temporibus muro non esset cincta, die quintodecimo legit, quia in ea contigit miraculum, juxta id quod dictum est: *quintodecimo autem die percutere desierunt &c.* Esther 9. 18. Quare hoc constituerunt in temporibus Josuæ? ut honor concederetur terræ Israelis, quæ eo tempore devastata erat, ut legerent, ut incolæ civitatis Susan, & (*civitates*) haberentur ac si muro essent circumdatæ, quamvis essent destructæ, quoniam Josuæ tempore muro cinctæ erant; quod legant die quintodecimo, ratio est, ut memoria habeatur terræ Israelis in hoc miraculo. *Et paucis interjectis.* Si incola עיר, qui profectus esset ad כרך, aut incola כרך, qui in עיר se contulisset, si animo habuisset in civitatem tempore ejus lectionis reverti, ibique moratus non redisset, leget juxta morem civitatis suæ, si reverti nollet nisi post tempus lectionis leget juxta consuetudinem loci ubi moratur, & כרך, omneque id, quod illi proximum sit, & omnis locus, qui cum eo conspicitur, nisi majus intercedat intervallum, quam duo millia cubitorum, reputatur æque ac כרך ibique die quintodecimo legunt. In civitate, de qua dubitatur, an Josuæ filii Nun ætate mœnibus circumdata esset, an postea muro cincta sit, utroque die legunt, nempe quartodecimo & quintodecimo, & in vesperiis, & benedicunt, quando legunt in die quartodecimo tantum, quoniam hoc est tempus legendi juxta vulgatam consuetudinem.

[18] *Sunt otium &c. Maimonides ibidem II.* 14. Præceptum est die quartodecimo incolis pagorum, & urbium, quæ non sint muro cinctæ, & die quintodecimo civibus urbium mœnibus cinctarum, lætitiæ diem celebrare, & convivia, & amicis (*seu sociis*) dona mittere, & munera pauperibus distribuere, & licet eo die operari; verumtamen non decet eo die operari. Dixerunt Sapientes; quicunque opus facit in die Purim, non videt signum benedictionis. Pagorum incolæ, qui prælegissent die secundo aut quinto, & pecuniam pauperibus distribuissent in die suæ lectionis, debito satisfaciunt, sed lætitiam, & convivium non celebrabunt nisi die quartodecimo, & si anticipassent, officio non faciunt satis; si Purim convivium noctu celebrassent, non satisfaciunt debito.

[19] *Et convivia &c. Maimonides ibidem.* Quo pacto intelligitur officium hujus convivii? quod caro sit comedenda, & apparandum pro viribus lautum convivium, bibendumque usque ad ebrietatem, ut ebrius obdormiscat. (*O convivium vere Rabbinicum!*) Præterea ab unoquoque mittenda sunt proximo duo munera carnium, aut duo genera decoctorum, aut duæ ciborum species juxta versiculum qui dicit: *& mittant sibi mutuo partes epularum & ciborum*. Qui augeat in mittendis donis ad socium, majori laude dignus est, si sibi non sit facultas, commutabit cum socio suas epulas, sibique cibos mutuo mittant, ad observandum præceptum: *& mittant sibi mutuo partes epularum & ciborum*.

[20] *Ut distinguere &c. Hierosol. Taanith fol.* 63. 3. Dixit Rabba: tenetur homo edulcari in festo Purim, ita ut non dignoscere possit inter maledictus sit Haman, & benedictus sit Mordechai.

[21] *In memoriam &c. Megillah Taanith cap. IX.* In vigesimumquintum hujus mensis incidit dies dedicationis per octo dies celebrandæ. *Maimonides Chanucha I.* Tempore quo steterat templum secundum, cum Reges Græci multa adversus Israelitas decreta statuerent, & eorum Legem abrogarent, & legem ac statuta observare prohiberent, & in eorum facultates & domus manus suas extenderent, & templum ingredientes inquinarent, eique multas fracturas facerent, mundaque polluerent, adeo ut Israelitæ magnis angustiis, & calamitatibus afficerentur, donec Dominus Deus patrum eorum misertus e manu eorum eos liberaverit. Et filii Asmonæorum summi sacerdotes prævaluerunt, eosque occiderunt, & ab eorum manu Israelem liberarunt, & Regem e sacerdotibus constituerunt, & regnum Israelitarum instauratum est, & duravit ultra ducentos annos usque ad excidium domus secundæ.

[22] *Per 8. dies &c. Megillah Taanith ibidem.* Cum enim Græci templum intrabant, polluebant quicquid erat olei in templo repertum. Sed cum manus domus Chasmonaicæ invalesceret, eosque devinceret, oleum quæsierunt, & non invenerunt nisi unicam lenticulam sub sigillo Pontificis maximi depositam, quæ mansit impolluta, in qua tamen non plus olei continebatur, quam quod accensioni unius diei sufficeret; sed factum est in eo *oleo* miraculum, ut inde lucernas accenderent per octiduum in annum sequentem. Illos octo dies festos constituebant; quid autem considerarunt, quod initiationem vel dedicationem fecerint per octo dies? nonne Moses dedicationi, quam fecit in deserto, septem tantum dies assignavit, sicut dicitur Levit. 8. 33. *de ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus? &c.* Item Num. 7. 12. *Primo die obtulit oblationem suam &c.* vers. 48. *die septimo princeps filiorum Ephraim*. Idem deprehendimus in dedicatione Salomonis, quod etiam nonnisi septem dies fecerit, uti legimus 2. Paral. 7. 9. *eo quod dedicasset altare septem diebus, & solennitatem celebrasset septem diebus*. Cur ergo ipsis visum est hanc dedicationem facere per octiduum? Quia in diebus Regni Græcorum Domus Chasmonaica in templum ingressa est, atque ædificavit altare, quod calce obleverunt, & in eo constituerunt vasa ministerii, qua in re octo dies erant occupati. *Josephus lib.*

22. *cap. II. Antiquit. Judaic.* Vigesima autem & quinta mensis Chaslei, quem Apellæum Macedones nominant, accenderunt lumina in candelabris, & suffitum fecerunt in altari, & panes supra mensam proposuerunt, & in novo altari holocaumata immolaverunt; idque accidit eadem die, qua ante triennium sacra eorum profanata fuerant. Integro enim triennio desertum fuit templum post factam ab Antiocho profanationem; ea autem incidit in annum 145, & diem Apellæi mensis vigesimum quintum in Olympiadem 153; renovatum est autem eadem die anno 148. Olympiade 154. Prædixerat autem eam desolationem propheta Daniel ante, anno 408. diserte dicens a Macedonibus profanandum. Celebravit autem Judas recepti templi festivitatem per octo dies sacrificans, in quibus nullum honestum voluptatis genus omissum est, sed populo quidem sumtuosum ac splendidum epulum est exhibitum, in Dei vero laudem hymnis ac canticis personabant omnia. Tanta vero lætitia ob reductos ritus patrios & priscam religionem occupavit gentis ejus animos, maxime quod ea felicitas ex insperato obtigerat, ut lex lata sit ad posteros, quæ juberet quotannis hoc festum reparati cum cæremoniis templi per octo dies celebrari; vocamusque hanc festivitatem luminum φῶτα, opinor ideo, quod ex insperato nobis illuxerit tanta felicitas. *Maimonides ibidem*. Die mensis Cisleu vicesimo quinto Israelitæ victos hostes fuderunt, & templum ingressi olei puri unicam lagenam repererunt, quantum scilicet unico die sufficeret; eoque candelabri lucernas per octo dies accenderunt, dum ex olivis confractis oleum purum extraxerunt. Ea propter sapientes illius temporis statuerunt, eos octo dies; scilicet a 25. mensis Cisleu, fore dies lætitiæ, & gratiarum actionis. Accendendæ sunt lucernæ ad fores ædium quavis nocte harum octo vesperarum in publicam hujus miraculi memoriam.

Jejunium &c. Megillath Taanith ibidem. In vigesimum quintum hujus mensis incidit dies dedicationis per octo dies celebrandæ, quibus abstinendum a luctu. *Codex Taanith II.* 10. Non constituunt jejunia Ecclesiæ celebranda in noviluniis, nec in festo initiationis, nec in festo sortium. *Maimonides ibidem*. Et hi dies appellantur Chanucha, in quibus luctus & jejunia prohibita sunt, ut in diebus Purim.

23 *Et recitatione hymni &c. Megillath Taanith ibidem*. Quid illud sibi volebat, quod in istis *octo diebus* totum Hallel absolverent? Quia quoties Deus sanctus, & benedictus Israelitis salutem præstitit, venerunt ante faciem ejus cum hymno, cantico, laude, confessione, juxta id quo legitur Esdr. 3. 11. *& concinebant in hymnis, & confessione Domino, quoniam bonus &c. Maimonides ibidem*. In quovis istorum octo dierum totus hymnus recitandus est, & ante eum benedicendum, qui sanctificavit nos præceptis suis, nobisque præcepit integrum hymnum recitare; tam privatus quam cœtus, quamvis hymni lectio sit ex scribarum constitutione, recitabit benedictionem, qui sanctificavit nos præceptis suis &c. eo modo, quo benedicit pro Megilla, & super commixtione Sabbathica; propterea quod super omni re certa, quæ scribarum decreto præcepta sit, benedicitur; sed super re, quæ scribarum constitutione statuta sit, & fundamentum ejus executionis tantum dubii causa fiat, cujusmodi est decima frumenti dubia, non benedicitur. At quare super festo secundo, quod nisi dubii causa non est constitutum, benedicitur? ratio est, ne festum fiat contemnendum. Non solum hymnus dedicationis a Rabbinis præceptus est, sed quotiescunque hic hymnus recitatur, Rabbinorum constitutione recitatur cunctis illis diebus quibus integer hymnus canitur. Et præceptum est, ut octodecim in anno diebus integer hymnus recitetur, nempe octo diebus festi Tabernaculorum, octo diebus initiationis, primo die Paschatis, & die Pentecostes; sed in novilunio principii anni, & in die expiationum non dicitur hic hymnus, quia sunt dies pœnitentiæ, timoris, & pavoris, non dies insignis lætitiæ; & non statuerunt hymnum *recitandum* in Purim, quia lectio Megillæ est loco hymni. In iis locis, quibus duobus diebus festa celebrantur, uno & viginti diebus totus dicitur hymnus, nempe diebus novem festi Tabernaculorum, octo diebus dedicationis, duobus primis diebus Paschatis, & duobus diebus Pentecostes; at in noviluniis recitatur hymnus ex consuetudine, non ex præcepto; & hic usus in cœtu obtinet, idcirco ita legitur, ut aliqua de eo pars prætermittatur; neque super eo benedicitur, quia super consuetudine non benedicitur; & privatus nullo modo eum leget, & si incepisset, desinet, legetque aliquid prætermittens, quomodo cœtus recitat; pariterque in reliquis Paschatis diebus, ut in noviluniis ita legat, ut aliquid de eo prætermittatur. Quomodo intelligitur aliquid esse prætermittendum? Incipiet a principio hymni (sc. Psalm. 113.) usque *ad petram in stagna aquarum*; & prætermittet, & dicet; *Dominus memor fuit nostri, & benedixit nobis*, usque ad *Hallelujah*; & prætermittens transiliat, & dicat: *quid retribuam Domino &c.* usque ad *Hallelujah*) Psalm. 115. 12.) Deinde transiliens dicat: *de tribulatione invocavi Dominum*, (Psalm. 118. 5.) usque ad hymni finem; & hæc est consuetudo communis; neque desunt nonnulli, qui alio modo prætermittant &c. *Et paucis interjectis*. In locis nonnullis solent repetere a versiculo: *Confitebor tibi quoniam exaudisti me*, usque ad finem hymni, repetuntur bis singuli versiculi; & ubi solent repetere, repetendum est, & ubi usus repetendi non obtinet, non repetitur. *Consuetudo* dicendi hymnum diebus primorum Sapientum hujusmodi erat; princeps post recitatam benedictionem sic incipiens dicebat, *Hallelujah*, & universus populus respondebat *Hallelujah*; pergebat & dicebat: *Laudate pueri Dominum*, & populus respondebat *Hallelujah*; & deinde dicebat: *Laudate nomen Domini*, & populus respondebat, *Hallelujah*; deinde pergit dicens: *Sit nomen Domini benedictum*, & universus populus respondebat *Hallelujah*; & sic faciebat in singulis versiculis, donec deprehenderetur, quod in toto hymno responderent *Hallelujah* centum viginti tribus vicibus, qui est numerus annorum Aaronis. Et pariter is qui legebat, cum venerat ad initium cujusque capitis, ipsi repetunt dicentes, quod ipse dixit; quomodo hoc intelligitur? Quando ille legebat, *in exitu Israel de Ægypto*, universus populus repetit: *in exitu Israel de Ægypto*, & lector pergit, *domus Jacob de populo barbaro*, & populus respondet: *Hallelujah*, donec dicat, *dilexi quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ*, & universus populus repetit dicens: *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ*; & pariter quando lector dicit: *Laudate Dominum omnes gentes*, universus populus repetit dicens: *Laudate Dominum omnes gentes*. Lector dicit; *o Domine salvum me fac*, & populus respondet, *o Domine salvum me fac*; quamvis caput non incipiat, dicit, *o Domine bene prosperare*, & ipsi respondent, *o Domine bene prosperare*; ille dicit, *benedictus qui venit*, & populus respondet, *benedictus qui venit*.

24 *Atque accensis &c. Megillath Taanith ibidem*. Præceptum quo obligati sunt ad dedicationem lucernæ, hoc modo se habet. Vir cum familia sua habet unam lucernam, sed honorantes *præcepta* pii homines lucernam accendunt unicuique homini in familia. Ex his autem honorantibus unus præ alio superans alterum quid facere debeat? de eo disputant Sapientes. Domus Schammai dicit; die primo unusquisque accendat octo lucernas, hinc vero & ulterius quolibet die minuet unam lucernam. Domus Hillelis dicit; die primo unusquisque tantum unam lucernam accendat, sed a primo usque ad octavum quotidie unam lucernam addat. Duo senes erant in urbe Zidon, quorum alter fecit juxta sententiam domus Schammai, alter vero juxta sententiam domus Hillelis. Uterque dabat rationem facti sui: alter dicebat, sicut cum juvencis in festo oblatis (qui quotidie minuebantur) Num. 29. 12. &c. alter vero dicebat; Sanctum semper ascendere, non autem descendere faciunt (sive augetur, non minuitur.) Mandata est accensio ab eo tempore, quo occidit sol, usque dum homines in foro ambulare desinant, & præceptum est lucernam, apud januam forinsecus collocare. Si quis habitet in cœnaculo, is eam in fenestra plateæ propinqua ponat. Si quis metuat illusores, juxta ostium domus suæ intrinsecus eam ponat. Tempore periculi licet eam ponere in mensa sua, & hoc sufficit. *Maimonides ibidem cap. IV.* Quot lucernæ in festo initiationis accendendæ sunt? Præceptum est ut singulæ in singulis domibus accendantur lucernæ, sive multi sint in ea domo, sive unus tantum. At qui præcepta honorat, lucernas singulas pro singulis familiaribus accendit, tam pro viris,

viris, quam pro mulieribus; ast ille, qui præ hoc magis honorat præceptum, & præstantiori ratione observat, prima vespera unicam lucernam accendit, & singulas singulis vesperiis addit; quo pacto hoc intelligitur? Si decem viri sint in domo, prima vespera decem lucernas accendit, secunda viginti, tertia triginta donec deprehendatur, quod in vespera octava octuaginta lucernas accendat. Consuetudo obtinet in universis Hispaniæ civitatibus, ut singuli singulas in prima vespera accendant, & singulis vesperiis lucernam addant, donec deprehendatur, quod vespera octava octo lucernas accendat, sive in ea domo multi sint, sive unus tantum &c. non accendendæ sunt lucernæ initiationis priusquam sol occidat, nempe prope occasum solis, nec differunt, nec anticipant, si quis oblitus esset, aut de industria non accendisset prope solis occasum ei vacat accendere, donec pes desinat per forum ambulare; quodnam est hoc tempus? dimidia circiter hora, aut paulo amplius, quo tempore præterito, non est necesse, ut amplius accendat &c. Præceptum est, ut lucerna initiationis collocetur in porta domus forinsecus palmum prope portam ad sinistram domum introeuntis, ut Mesusa in dextra sit, & lucerna initiationis in sinistra. Si quis habitaret in cœnaculo, in fenestra propinqua viæ publicæ ponat, si supra viginti cubitos posuisset, non est legitima, quod non distinguatur. Tempore persecutionis homo lucernam initiationis intra domum collocabit, etiamsi mensæ imposuerit, legitima est, dummodo lucerna altera, qua utatur, ei sit intra domum, si domi ignis accensus sit, non opus est altera lucerna; verumtamen si sit vir dignitate præditus, qui lumine ignis non utatur, altera lucerna opus est. *Et paucis interjectis*. In atrio, cui sint duo ostia in duabus diversis partibus, duæ lucernæ accendendæ sunt, ne dicant prætereuntes alteram partem, quod iste lucernam initiationis non accenderit, si ambæ portæ eamdem partem respicerent, satis est, ut in earum altera accendatur. Itinerans, cui domi suæ lucerna accendatur, non tenetur accendere in eo loco, ubi diversatur; si nulla sit ei domus ubi accendatur, tenetur accendere in loco, ubi hospitatur, & in oleo comparando potest cum aliis convenire; at si solus domum incoleret, quamvis sibi domi suæ accendatur, tenetur accendere in ea domo, ubi moratur, prætereuntium gratia. Præceptum de lucerna Encœniorum est præceptum præstantissimum, atque necesse est, ut quilibet magnopere moneatur, ad manifestandum miraculum, ad multiplicandas Dei laudes, eique gratias agendas propter miracula, quæ nobis fecit, & si non suppetat alicui quod comedat, nisi ex Eleemosyna emendicet, aut vendat vestimenta sua, unde habeat oleum, & lucernas, ut eas accendat. Et si ei tantum sit quadrans unus debeatque sibi comparare *vinum* pro sanctificatione diei, & accensione lucernæ Encœniorum, emat potius oleum quo accendat lucernas initiationis, quam vinum pro sanctificatione diei; cum enim utraque res sit de præscripto scribarum, præstat accendere lucernam Encœniorum, quoniam in ea est recordatio miraculi. Si sibi comparandum esset *oleum* pro lucerna domi, & pro lucerna initiationis, sive pro lucerna domus, & pro sanctificatione Sabbathi, lucerna domus præcedit propter pacem domesticam;cum videamus, quod Dei nomen deleretur, ut pax inter virum & uxorem statueretur; magna est pax, quoniam tota Lex data fuit, ut in mundo pax confirmetur juxta versiculum qui dicit, Proverb. 3. 17. *Viæ ejus viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ &c. Ad hunc ritum allusisse videtur Juvenalis Sat. V.*

Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino,
Labra moves tacitus; recutitaque Sabbatha palles,

[25] *Ab Ægyptiis &c. Eusebius præparat. Evangel. lib. 10. cap. 6.* Λύχνους τε αὖ κάειν πρῶτοι κατέδειξαν Αἰγύπτιοι. Lucernas item accendere primi omnium Ægyptii docuerunt.

[26] *Quo ligna ad usum &c. Gemara Babyl. Taanith fol. 28. 1.* Docuerunt magistri, quare necessario dicatur in Mischna tempus lignorum *offerendorum* Sacerdotibus, & populo *observandum*; nimirum quandoquidem ex captivitate ascendentes Israelitæ non invenerunt ligna in conclavi *lignorum*, itaque ceperunt iidem voluntarie offerre *ligna* ex propriis facultatibus. Atque ita docuere Prophetæ ejus ætatis, etiamsi conclave lignis repletum esset, obtulisse tamen illos voluntarie ex iis quæ haberent, sicuti scriptum est Nehem 10. 34. *Sortes ergo misimus super oblationem lignorum inter Sacerdotes, Levitas, & populum, ut inferremus in domum Dei nostri per domos patrum nostrorum, a temporibus anni usque ad annum, ut arderent super altare Domini Dei nostri, sicut scriptum est in Lege Moysi. Tosaphta Taanith* 11. 5. Quid judicarunt numerandum esse tempus lignorum *offerendorum* a Sacerdotibus, & a populo? quia cum ascenderunt a captivitate, ligna non invenerunt in conclavi, & hi surgentes obtulerunt de suis facultatibus ligna, & cœtui tradiderunt, pariterque cum his Prophetæ obtulerunt; quod etiamsi conclave esset plenum lignorum, & quamvis ligna ad cœtum pertinerent, & alii de suis facultatibus ligna offerrent, non offerendum erat sacrificium, nisi de his prius, juxta versiculum qui dicit, Nehem. 10. 34. *Sortes ergo misimus super oblationem lignorum &c.* & dictum est; *Esdras enim paravit cor eorum.* Esdr. 7. 10. *Megillath Taanith cap. V.* In diem decimumquintum mensis Abh incidit tempus lignorum sacerdotum, quo abstinendum a luctu. Quandoquidem eo tempore, quo captivitas prima ex Babel ascenderunt, non adduxerunt oblationem lignorum, dixerunt sapientes, in posterum quando rursus ascendunt captivi, etiam opus habebunt eam adducere; ideo ordinarunt illis sapientes diem decimumquintum mensis Abh, ut eo adducerent oblationem lignorum; & quicunque adduxit oblationem ad sanctuarium, licet ligna duntaxat adduxerit, liber erat a luctu illius diei; ergo multo minus erat lugendum, quando afferebant sacrificia pro peccato, & pro reatu, vota, spontanea, primogenita, & decimas, confessiones, & eucharistica.

[27] *Quod si in Sabbathum &c. Tosaphta Taanith ibidem.* His diebus prohibentur funera, & jejunia tam post, quam ante excidium domus. R. Jose dicit, post excidium domus licita sunt mœstitiæ causa. Dixit R. Eleasar filius Seneha filii Biniamin: si dies nonus mensis Abh incidat in Sabbathum, & attulerint post Sabbathum, jejunium faciebant, non vero complebant. *Megillath Taanith ibidem.* Dixit R. Elieser bar Zadok; ego sum ex nepotibus Sanna filii Beniamin, ac incidit nonus dies Abh in Sabbathum, cum nos jejunavimus, sed non integrum diem propter diem festum, qui tunc nobis erat.

Novem tempora &c. Codex Taanith IV. 5. Tempus ligna offerendi sacerdotibus populoque observandum, novem omnino erat intervallorum: *Maimonides de vasis sanctuarii VI. 9.* Ac de sacrificio lignorum erant multæ Israelitarum familiæ, quarum suum cuique finitum erat tempus, quo pergerent in Sylvas lignum ad usum altaris cæsum apportatura. At singulæ istæ familiæ cum venisset dies sibi præstituta, offerebant holocausta voluntaria, nimirum hoc illud est, quod sacrificium lignorum dicitur. Namque habebant diem illum festum & solennem, & his eadem die lamentari vetitum erat, jejunare, aut ullum opus efficere, quanquam totum hoc moris erat, & instituti; etenim & privatus homo, qui ligna integra vel dissecta certum in diem altari vovisset, eodem die lamentari, jejunare, opus efficere interdictum erat, more videlicet ac consuetudine.

[28] *Primo die Nisan &c. Codex Taanith ibidem.* Primo namque die Nisan posteri Arach, qui ex tribu Jehuda, sua offerebant ligna.

[29] *Vigesimo Tammuz &c. Codex Taanith ibidem.* Vigesimo die Tammuz posteri Davidis, qui ex tribu Jehuda.

[30] *Quinto Abh. &c. Codex Taanith ibidem.* Quinto Abh posteri Parosch, qui itidem ex Jehuda.

[31] *Septimo ejusdem &c. Codex Taanith ibidem.* Septimo ejusdem posteri Jonadab, qui ex Rechab.

[32] *Decimo ejusdem &c. Codex Taanith ibidem.* Decimo ejusdem posteri Senaa, qui ex tribu Beniamin.

[33] *Quintodecimo &c. Codex Taanith ibidem.* Quintodecimo ejusdem posteri Satthu, qui ex tribu Jehuda, cumque iis sacerdotes, & Levitæ, ac omnes, qui de tribu sua incerti erant, cum his posteri Gobne, qui *cognominati sunt ex pistillo*, posterique *familiæ quæ cognomen traxit ex* contusione ficorum abscissorum,

ſorum, *ligna ſua offerebant*. *Toſaphta Taanith ibid.* Quinam erant filii Gobne, Eli, & filii Kozee Kezioth? Quia quodam tempore Reges Græciæ cuſtodes in viis conſtituerunt, ut nemo Hieroſolymam proficiſceretur, ſimili modo, quo filius Jeroboami ſtatuerat. Quicunque erat pius & timens Deum illo ſeculo, adduxit primitiva caniſtris impoſita, quæ maſſa ficorum contegebat, ſuiſque humeris imponebat caniſtrum, mortarium, & piſtillum, & aſcendebat; quando autem occurrebat cuſtodibus interrogantibus quo proficiſceretur, reſpondebat, venio maſſas his paucis ficis confecturus hoc mortario atque hoc piſtillo, quod humeris geſto. Hinc cuſtodes prætergreſſus, *corbes ſuas* coronabat, & Hieroſolymas afferebat. Et quinam erant filii Salme Hannetophate? quia quo tempore Reges Græciæ cuſtodes in viis ſtatuerunt, ne Hieroſolymam proficiſcerentur, ſicuti conſtituit Jeroboam filius Nebat, quiſquis fuerat vir pius, & timens Deum illo ſeculo, attulit duo ligni ſegmenta, quæ ad modum ſcalæ adaptata humeris ſuis imponens proceſſit; quando occurrit cuſtodibus interrogantibus, quo proficiſceretur, reſpondit, ut mihi capiam duos columbos ex illo columbario, quod ante me eſt, hac ſcala, quam humeris geſto; quando cuſtodes fuit prætergreſſus, ſcalam diſſolvit, & *ligna* Hieroſolymam attulit; & quia pro religione, & præceptis vitæ periculum adierunt, ideo de eis nomen bonum ſcriptum eſt, ac memoria bona in generationes, & de iis dictum eſt: *memoria juſti cum laudibus*. Prov. 10. 7. Et de Jeroboamo filio Nebat, ejuſque ſociis: *& nomen impiorum putreſcet*. Ibid. *Megillath Taanith ibidem*. Quis autem ſenſus eſt iſtorum verborum: *Tempus lignorum Sacerdotum?* iis ſignificat, quod tu vis dicere; nimirum quod die decimo quinto menſe Abh filii Setuel ligna obtulerint filii Jehudæ, & cum illis Sacerdotes, Levitæ, & Iſraelitæ, proſelyti, & ſervi, Nethinæi, mamſerim, omneſque qui de tribu ſua incerti erant, & filii ſive poſteri Gobne Eli, & poſteri Kozee Kezioth, poſterique Salme Hannetophate. Quinam iſti ſunt filii Gobne Eli, filiique Kozee Kezioth? contigit quodam tempore, ut regnum Græciæ faceret decretum perſecutionis contra Iſraelitas, ne primitiva Hieroſolymam adducerent, eoque fine Reges Græcorum cuſtodes in viis conſtituerunt, ſimili modo, quo Jeroboam filius Nebat excubias in terminis collocavit, quæ Iſraelitas impedirent, ne aſcenderent Hieroſolymam, ita ut nemo ex decem tribubus Hieroſolymam aſcendere potuerit. Quid ergo faciebant recti corde, qui eo tempore vivebant, peccare metuentes? Adduxerunt primitiva caniſtris impoſita, quæ aridis ficubus contegebant, & caniſtra portarunt humeris ſuis impoſita. Quando autem occurrebant cuſtodibus Græcorum, hi interrogabant illos, an Hieroſolymam aſcenditis? Reſponderunt, nequaquam, ſed venimus duo fruſta ficorum confecturi in mortario, quod illic proxime ante nos eſt, ope piſtilli illius, quod humeris noſtris portamus. Sed quamprimum cuſtodes erant prætergreſſi, ornabant (iſta primitiva) in caniſtris, Hieroſolymamque adferebant. Et quinam erant filii Salme Hannetophate? Cum aliquando impium regnum Græciæ decreviſſet adverſus Iſraelitas, ne adferrent ligna ad ſtruem altaris (nec primitiva adferrent Hieroſolymam) & cuſtodes in viis collocaſſet, ſicut Jeroboam filius Nebat poſuit cuſtodes in terminis, ita ut nemo ex decem tribubus eo aſcendere potuerit. Quid tum faciebant pii iſtius generationis, & qui peccatum deteſtabantur? Adferebant duo ſegmenta ligni, quæ ad modum ſcalarum adaptata humeris ſuis imponebant, & aſcendebant. Quando pervenerunt ad eam cuſtodiam, hæc interrogabat eos, an vos aſcenditis Hieroſolymam? reſponderunt ei, nequaquam, ſed hæc ſcala humeris noſtris impoſita capiendis pullis avium ex hoc columbario, quod illic proxime ante nos eſt, inſerviet. Quam primum autem ſe e conſpectu ejus eripuerant, ſolvebant ligna, inſtar ſcalæ conjuncta, eaque ſeparata ab humeris ſuis abjiciebant, ſumtiſque ſegmentis ligni Hieroſolymam aſcendebant. Et quoniam vitam ſuam propter præcepta Dei periculo expoſuerunt, ideo de eis nomen bonum ſcriptum eſt in hoc volumine, ac memoria bona in generationes, & de eis ſimilibuſque eorum ſcriptum eſt Prov. 10. 7. *Memoria juſti cum laudibus*. De Jeroboamo autem filio Nebat ibidem dicitur: *Et nomen impiorum putreſcet*. Cur autem viſum eſt filiis Schetuel filii Jehudæ ponere ſibi nomen bonum, & memoriam bonam in generationes? Quia quicumque vult nomen bonum reportare per obſervantiam præceptorum Dei, ei iſtud reportare licet. Quum igitur aſcenderent captivi, & non invenirent ligna in conclavi, ſurrexerunt illi pii, & ſponte ex propriis facultatibus ligna obtulerunt, quæ cœtui tradiderunt, ex quibus oblationes totius cœtus obtulerunt; atque ita Prophetæ (Haggai, Zacharias Maleachi) iſto tempore inter eos viventes cum ipſis contraxerunt, & hanc conditionem fecerunt, ut, licet conclave plenum eſſet lignis, iis etiam, quæ ab univerſo cœtu data erant, illa tamen ligna ſponte oblata hoc tempore adhiberentur, & quocunque tempore vellent, ſua ligna adferrent, nec ulla oblatio offerretur, niſi prius ab illis deſumta, juxta id quod legitur Nehem. 10. 34. *Sortes ergo miſimus ſuper oblationem lignorum inter Sacerdotes, Levitas, & populum, ut inferremus in domum Dei noſtri per domos patrum noſtrorum, a temporibus anni uſque ad annum, ut arderent ſuper altare Domini Dei noſtri, ſicut ſcriptum eſt in Lege Moyſi*. Et Scriptura Eſdr. 7. 10. dicit; *Eſdras autem paravit cor eorum, ut inveſtigaret Legem Domini, & faceret & doceret in Iſrael præceptum, & judicium*. Vide quomodo ſuper illis rebus multi convenerint, & fecerint illum diem feſtum.

[34] *Die 20. ejuſdem &c. Codex Taanith ibidem*. Vigeſimo ejuſdem menſis poſteri Pachat --- Moab, qui ex tribu Jehuda.

[35] *Die 20. Elul &c. Codex Taanith ibidem*. Vigeſimo Elul poſteri Adin, qui ex tribu Jehuda.

[36] *Die primo Tebeth &c. Codex Taanith ibidem*. Primo Tebeth poſteri Paroſch iterum ſuam lignorum oblationem peregerunt. *Ubi Bartenora*. Nam poſtquam adduxerunt ligna, ſortitio facta eſt, quinam eſſet ultimus, ſicut ſcriptum eſt Neh. 10. 35.

[37] *Erat autem &c. Toſaphta Menachoth IX.* 14. Omnia ligna legitima erant pro altari, excepto ligno oleæ & vitis. R. Elieſer addit quinque genera lignorum illegitimorum; ſcilicet ficuum ſylveſtrium, ſiliquarum, palmarum, מייש, & quercus. Ligna ædificiorum dirutorum ſemper interdicta ſunt. *Maimonides de rebus altari interdictis VI.* 2. Item & ligna, quæ in altaris foco conſumebantur, oportebat ſelecta eſſe, & vermium expertia; nam quodcunque lignum etiam viride vermiculabatur, id profanum erat, atque altari excludebatur; idem ſi vermicularetur aridum, ex eo locus vermiculatus erat duntaxat exſcindendus; profana erant & ligna demolitionis; enimvero altari lignum aliud, quam novum adhiberi nunquam licebat. *Et cap. VII.* 3. Jam ligna nova omnino erant omnia ad pyram altaris apta; at vitiginea tamen, oleagineaque propter cultum terræ Iſraeliticæ non adhibebantur. His autem uti conſueverant ramis ficuum recentiorum, quibus quidem cultus ager non conſeritur, item & ramis nucum, lignoque oleoſo; Moyſes enim ſegmenta lignorum altari adhibendorum ſic effecerat, ut longitudine & latitudine cubiti eſſent, & craſſitudine hoſtorii, quo cumulus ſati abraditur, quorum ſimilia fecit & poſteritas.

CAPUT DECIMUM.

De jejuniis.

§. I. Nomen.

I. VOx תענית, qua *jejunium* appellant Judæi, præcipue [1] *afflictionem* notat; sed desumta illa notio est ex *Levit. 16. 29.* locisque similibus. Νηστεία, non addita alia voce, cum in sacris literis tum alibi diem solennem expiationis notat. Et hinc illustranda reor verba Epiphanii *adversus hæreses pag.* 159. scribentis, Judæis esse unum jejunium magnum dictum quotannis, & alterum parvum. Hæc erunt יום כיפורים *dies expiationis* decimo die mensis Tisri, & יום כיפור קטון *dies expiationis parvus* quem adhuc celebrant 30 diebus ante solennem expiationis diem.

§. II. Tempus.

II. [2] Jejunare sabbatho non licuit, nec aliis temporibus festis, quæ cum gaudio singulari transigenda erant, uti ימים טובים, [3] noviluniis, festo encæniorum, aut purim, vel diebus festis intermediis, qui חולו של מועד appellantur. *Gem. Hier. Taanith.* 66. 1. [4] Quare nec publica jejunia indicebantur eo tempore. *Taanith.* II. 10. Ita de Juditha legitur, in *lib. Judith.* 8. 6. jejunare eam solitam πάσαις ταῖς ἡμέραις, χωρὶς προσαββάτων, καὶ σαββάτων, καὶ προνουμηνιῶν, καὶ νουμηνιῶν, καὶ ἑορτῶν καὶ χαρμοσυνῶν οἴκου Ἰσραήλ. Incidit tamen aliquando dies expiationis in sabbathum. vide *Gem. Hier. Taanith.* 69. 1. Solebant usque [5] ad occasum solis & ortum stellarum, ἕως ἑσπέρας, ut Josephus loquitur, se a cibis abstinere, & tantum quod exorientibus stellis tribus mediocribus dies jejunio sacratus præteriisse censebatur: quo spectant hæc Hieronymi *lib.* II. *adversus Jovinianum*, *non exspectans stellam more Judaico, sed hora 6. pransurus adscendit*. Et Tertulliani *de jejuniis pag.* 713. *Judaicum certe jejunium ubique celebratur, quum omissis templis per omne litus quocunque in aperto aliquando jam precem ad cœlum mittunt, & licet cultu & ornatu mœroris nomen infament, tamen fidem abstinentiæ affectant, & stellæ auctoritatem demorantis suspirant*. Fuere qui noctu quoque & interdiu per triduum jejunarunt. *Esth.* 4. 16. At jejunium trium hebdomadum *Dan.* 10. 2. videtur [6] de jejunio a mane ad vesperam, non de abstinentia ab omni cibo tam interdiu quam noctu, intelligendum.

§. III. Species.

III. Jejunia alia erant jejunia veri nominis, quando quis per 24, aut 12 horas cibo se abstinere constituit, alia [7] jejunia horaria תעניות שעות dicta, quando quis hora demum diei sexta nondum gustato cibo constituit jejunare usque ad vesperam. Dividi etiam queunt in publica תעניות הציבור jejunia cœtus, & privata [8] תעניות היחיד jejunia hominis singularis. Illa indicebantur [9] propter calamitates majores quibus res publica premitur, uti sunt [10] repens adventus hostium, [11] obsidiones urbium, [12] pestis, [13] animalia noxia, [14] terræ motus, [15] procellæ, [16] rubigo segetum, [17] annonæ caritas, [18] defectus pluviarum, & similia. Hæc vero [19] ob calamitates privatas, uti si quis a fortuna aut spe derelictus sit, vel a re familiari destitutus, si quis amicus ægrotet, aut in carcere vinctus detineatur, aut erret in loco deserto. At nonnunquam aliqui jejunium celebrare consueverunt, solo Deum colendi & numen sibi propitium reddendi animo, cui [20] diem secundum & quintum hebdomadis plerumque sacrabant, quod & alii ad speciem imitabantur, quemadmodum Pharisæus notatus idcirco *Luc.* 18. 12. *Gem. Bava kama.* 82. 1. Nec defuerunt, qui ut re desiderata fruerentur, jejunio se afflixerunt, [21] uti R. Ase, qui 30 dies jejunavit ut videret R. Chajam, צם תלתין יומין למיחמי ר' חייא *Midrasch Coheleth.* 112. 4. & R. Zadoc qui 40 annos jejunavit, ut averteret templi secundi excidium. *Gem. Gittin.* 56. 1.

§. IV. Personæ jejunantes.

IV. Ex his aliquo modo intelligitur qui jejunare soliti fuerint. [22] Mulieres gravidæ, lactantes, & pueri a jejunio liberi sunt, exceptis 7 jejuniis a בית דין *consessu judicum* indictis, de quibus in *Taanith.* 1. 6. & nono Ab.

§. V. Ritus.

V. Varii fuere ritus jejunii tam publici quam privati. Ad publicum pertinuit [23] clangor tubarum, [24] eductio *arcæ*, תיבה, ex synagoga in plateas, [25] convocatio populi, [26] cineris inspersio eidem arcæ, [27] oratio habita ad populum, [28] preces tum 18 ordinariæ tum 6 superadditæ, & εὐλογίαι. *Taanith.* II. 1. 2. *Rosch hasschana.* III. 4. Ceterum personæ jejunantes etiam in jejuniis privatis se cilicio, sive [29] sacco (*Josephus l.* 1. *de bell. c.* 17. vocat ἐσθῆτα ἐκ τριχῶν πεποιημένην & *lib.* VIII. 7. *Antiq.* σάκκιον) induebant *Ps.* 35. 13. [30] Hunc nigrum esse debuisse (solebat ita sane esse, quapropter μελάντερον σάκκου legitur apud Clementem *in epist ad Corinthios*) multi contendunt, & corpus ambiebat. *Job.* 16. 15. 1 *Reg.* 21. 27. 2 *Reg.* 6. 30. Non tamen semper in privatis jejuniis sacci usus erat. 2 *Sam.* 12. 16. *Nehem.* 1. 4. uti & publica sine cinere & cilicio peracta leguntur. *Jud.* 20. 26. 1. *Sam.* 7. 6. Porro capiti suo [31] insper-

inspergebant cinerem. *Thren.* 2. 10. 2 *Sam.* 13. 19. His addi possunt [32] vestes scindere, pectus plangere, capillos solvere, [33] humi jacere, aliaque luctus indicia. Hieronymus *epist.* 22. ad Paulam ritus jejunii Judaici ita describit: *Flent usque hodie Judæi & nudatis pedibus in cinere volutati sacco incubant: ac ne quid desit superstitioni ex ritu vanissimo Pharisæorum primum* [34] *cibum lentis accipiunt, videlicet ostendentes quali edulio primogenita perdiderint*. Nudatos in luctu pedes memorat præter Hieronymum *Josephus lib.* VIII. *Antiq.* 7. qui de Achabo γυμνὸς τοῖς ποσὶ διῆγεν, quod 1 *Reg.* 21. 27. legitur יהלך אט.

VI. Memorantur in Zachariæ *cap.* VIII. *comm.* 19. [36] jejunia mensis quarti, quinti, septimi, & decimi. In *Gem. Hier. Taanith.* 68. illa ita explicantur.

§. VI. Quatuor jejunia *Zach.* 8. 19. quæ.

[37] Jejunium mensis quarti est die 17 Tammuz [38] ob fractas tabulas legis & cessationem sacrificii jugis.
[39] Jejunium quinti est nono die Ab.
[40] Jejunium septimi est tertio die Tisri ob cædem Gedoliæ.
[41] Jejunium decimi est die decimo Tebeth quando urbs perrupta est הובקעה העיר Alii hoc die 9 Tammuz factum contendunt.

Ita quoque in *Gem. Rosch hasschana.* 18. 2. legitur, [42] nisi quod die 9 Tammuz urbis mœnia perrupta scribant. Hieronymus autem ex Hebræis, *in commentario ad Zachariam pag.* 1752. Hoc modo jejunia illa digerit.

Jejunium mensis quarti est die 17 mensis quarti, id est, Tammuz, quando descendens Moses de monte Sina tabulas legis abjecit, [43] & juxta Jeremiam muri primum rupti sunt civitatis.
Jejunium mensis quinti, quum propter exploratores terræ sanctæ seditio orta esset in populo, jussi sunt montem non adscendere, sed per 40 annos circumire. [44] In hoc mense & a [45] Nabuchodonosor & a Tito templum incensum est, capta urbs Bethel, ad quam multa millia confugerant Judæorum, aratum templum a Tito Annio Ruffo.
Jejunium mensis septimi, [46] quum occisus est Godolias & Judæ tribus ac Jerusalem reliquiæ occupatæ.
Jejunium mensis decimi, [47] quum Ezechiel fuit in captivitate & populus audivit templum esse subversum.

VII. Lubet hic subjicere brevem indicem jejuniorum, sive dierum quos Romani religiosos aut nefastos dicerent, secundum seriem mensium.

§. VII. Index jejuniorum.

Nisan.

1. Die, jejunium, [48] ob mortem filiorum Aharonis. *Tanchuma.* 60. 4.
10. [49] Ob mortem Mirjam.
26. [50] Ob mortem Josuæ.

Ijar.

10. [51] Ob mortem Eli.
28. [52] Ob mortem Samuelis.

Sivan.

23. [53] Ob defectionem 10. tribuum ad cultum vitulorum.
25. [54] Ob necem martyrum decem illustrium a Romanis occisorum, חרוגי מלכות.
26. [55] Ob combustionem R. Chaninæ ben Teradjon cum sacro Codice.

Tammuz.

17. [56] Ob fractas tabulas legis & expugnationem urbis per Babylonios. Videlicet eo die muri urbis perrupti sunt הובקעה העיר & cessavit sacrificium juge *Gem. Hier. Taanith.* 68. 3. Inter hunc diem & diem 9. mensis Ab spatium est 21 dierum. Sunt autem omnino 21 dies inter illud tempus quo amygdali flores producunt & illud quo fructum perficiunt: & huc referunt verba *Jerem.* 1. 11. *baculum amygdali video*. Philo *lib.* III. *de vita Mosis* notat amygdalum primam florere ex fructibus arboreis & postremam folia amittere. Hi dies 21. qui inter diem 17. Tammuz & 9. Ab labuntur, יומין דעקא [57] *dies angustiæ* nuncupantur. Vid. *Echa rabbati* 57. 2. & 67. 1.

Ab.

1. [58] Ob mortem Aharonis.
2. [59] Ob dictum Dei de non introituris in terram sanctam. Hoc in *Seder olam Rabba cap.* 8. ad diem 9. mensis Ab refertur.

9. 60

9. [60] Ob excidium templi primi & ſecundi. In Babylonia nullum jejunium publicum obſervarunt Judæi, excepto hoc ſolo die nono Ab. *Gem. Peſachim* 54. 2. [61] Erat is dies quo templum ſecundum deſtructum eſt, dies primus hebdomadis, מוצ' שב', id eſt, dies Dominicus, [62] erantque vices ephemeriæ Jojarib ea hebdomade, [63] & annus erat primus Schemittæ, מוצאי שביעית. *Gem. Erachin.* 11. 2.

18. [64] Ob exſtinctionem lychni occidentalis in lychnucho ſacro, imperante Achaz.

Elul.

18. [65] Ob mortem exploratorum terræ ſanctæ.

Tiſri.

3. [66] Jejunium Gedoliæ. Huc faciunt hæc Suidæ, Γοδολίας, ὄνομα κύριον καὶ μήν. Μὴν illic eſt ἡμέρα.

5. [67] Ob incarnationem R. Akibæ.

7. [68] Ob ſententiam latam in cultores aurei vituli.

10. [69] Dies expiationis.

Marcheſvan.

6. [70] Ob excœcationem Zedekiæ.

Cisleu.

28. [71] Ob codicem ſacrum a rege Jojakim combuſtum.

Tebeth.

8. [72] Ob verſionem Græcam Pentateuchi factam imperante in Ægypto Ptolemæo Philadelpho.

9. [73] Ob mortem Ezræ.

10. [74] Ob urbem corona cinctam a rege Babyloniæ.

Schebeth.

5. [75] Ob mortem ſeniorum. *Jud.* 2. 7.

23. [76] Ob congregationem Iſraelitarum contra Benjaminitas. *Jud.* 18.

Adar.

7. [77] Ob mortem Moſis. *Gem. Kidduſchin.* 38. 1. *Gem. Sota.* 12. 2. at in *Midraſch Megillath Eſther.* 132. 2. dicitur Moſes primo die Adar natus & mortuus. *Joſephus Antiq.* IV. 8. etiam primo die Adar Moſen vita exceſſiſſe ſcribit.

9. [78] Ob diſſenſum Hillelis & Schammai.

13. [79] Jejunium Eſther.

COMMENTARIUM IN CAPUT DECIMUM.

[1] A*fflictionem &c. Siphra ad Levit.* 16. 31. Et unde probatur, quod die expiationum vetitus ſit cibus, & potus, lotio, & unctio, & calcei inductio, & congreſſus cum uxore? ex eo quod dicit, *Sabbathum enim requietionis eſt, & affligetis.* Et ad cap. 23. 29: *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit*; hæc eſt pœna pro afflictione, *delebo*, quid dicendum id erat? quia dictum eſt in quovis loco excidium, ego neſciebam, quodnam illud eſſet? quando vero hic dicit, *delebo*, docemur, quod hoc excidium ſit tantum profligationis; unde probatur, quod in die expiationum prohibitus ſit cibus, & potus, lotio, & unctio, congreſſus cum uxore, & calcei inductio? ex eo quod dicit, *Sabbathum requietionis eſt*;

[2] *Jejunare Sabbatho &c. Toſaphta Taanith II.* 12. In Sabbathis, & diebus feſti jejunare licet die præcedente, & ſequente; cur in illis vetita jejunia, in his & licita ſunt? altera ſunt ex Legis præcepto, neque indigent confirmatione, & altera ſunt ex præſcripto ſcribarum, & ſcribarum verba confirmatione egent. Aba Joſe filius Doſai dicit nomine R. Joſe Galilæi, ſi juraſſet jejunaturum in vigilia Sabbathi, falſum eſt juramentum. Si dies nonus Abh incidat in vigiliam Sabbathi, ad ovi quantitatem homo comedat, pariterque ad ovi quantitatem bibat, ne jejunus a Sabbatho deprehendatur, verba R. Jehudæ. R. Joſe dicit, jejunabit, & complebit *jejunium*; ei dixit R. Joſe: nonne concedis, ſi nonus Abh incidat in diem primum, eſſe edendum, & bibendum, dum adhuc dies eſt? Quod mihi diſcrimen faciendum eſt, ſi jejunus in Sabbathum intret? quid intereſt, ſi jejunus, ab eo exeat? ei reſpondit, minime, ſi dixiſti in illo, in quo toto die editur, & bibitur, idem dices in hoc, in quo non editur & bibitur niſi poſt noctem? *Megillath Taanith cap. XI.* Ubicunque ſcriptum eſt in Megillath Taanith, non eſſe lugendum, jejunare licet, ſequenti die (poſt feſtum) non autem die præcedenti. R. Joſe autem aſſeruit neque ante, neque poſt diem feſtum. Ubicunque non eſt appoſitum non eſſe lugendum, ſed tantum dicitur non eſſe jejunandum, ibi die præcedente & ſequente feſtum, jejunare licet. R. Joſe vero dixit, die ſequente jejunare licitum eſſe, non antecedente. Sed in diebus feſtis & noviluniis die antecedente & ſequente illud licitum eſt. Cur autem prohibuerunt diebus feſtis, qui hic in Megilla referuntur, die præcedente & ſequente jejunare, diebus autem feſtis, qui in Scriptura memorantur illud licitum pronuntiarunt? Quia illi dies qui in Scriptura extant, ſunt verba Legis, verba autem Legis non indigent robore, & confirmatione. Hi autem dies, qui in Megilla recenſentur, ſunt verba Sapientum, & verba Sapientum opus habent confirmatione. R. Joſe ben Doſai dixit nomine R. Joſe Galilæi: quicunque jurat ſe jejunaturum in veſperis Sabbathorum, veſperiſque feſtorumdierum, is falſum jurat, quia pars veſperæ (Paraſceves) Sabbathi, eſt ſicut Sabbathum, & pars veſperæ diei feſti, eſt ſicut dies feſtus. *Inſomnii cauſa jejunare licuiſſe in Sabbatho, ſcribunt in Babyl. Schabb. fol. II.* 1. *ubi dicitur* R. Joshua bar R. Idai, Sabbatho laute acceptus a R. Ishai comedere noluiſſe, eo quod eſſet בתענית חלום *ſub jejunio pro inſomnio. Maimonides ibidem I.* 12. Qui per quietem malum viderit inſomnium, jejunum ducat diem craſtinum; id enim adducet ipſum, ut in ſuas inquirat actiones, eaſque exploret, & ſeſe recipiat ad frugem. Quod quidem jejunium etiam Sabbatho ſervatur, cunctiſque funden-

dis

dis precibus precatio adhibenda ista est, *exaudi nos pater noster, exaudi nos &c.* etiam si jejunium id non est a præterito sole constitutum. Jejunium vero Sabbathinum altero debet expiari jejunio; nam deliciæ certe sunt eæ neglectæ, quæ in Sabbathum lege præscribuntur.

[3] *Noviluniis &c. Maimonides Taanith I. 7.* Nec incipitur jejunium indictum in Neomeniis aut solennitate dedicati templi, aut sortium feriis, aut diebus illis profestis, qui intersint inter dies festos duos. Cum vero propter calamitatem jam est jejunii factum initium vel per unicum diem, tum si consequens jejunii dies incidat in aliquem ex istis diebus, is in jejunio peragendus est.

[4] *Quare nec publica &c. Maimonides Taanith I. 6.* Non indicitur populo jejunium neque Sabbatho neque die festo ullo, quibus nec clangendum sive buccina, sive tuba, nec clamandum, sed precibus est imploranda misericordia. Rursus iisdem diebus hæc omnia fiunt in urbe ab alienigenis obsessa, aut flumine obruta, itemque & in navi naufragium faciente, atque etiam propter singulos homines, quos persequantur alienigenæ, prædones, aut Spiritus malus, Sabbatho instituitur jejunium, clamatur, & misericordia precibus imploratur. Clangor quidem nullus fit nisi ad convocandos viros, qui opem ferant, & a periculo liberent.

[5] *Ad occasum &c. Maimonides ibidem.* In omni loco quo dicitur comedunt ex quo tenebræ oboriuntur, *censetur* fas esse edere usque ad ortum auroræ, nisi sopor gravis hominem invaserit; neque enim licitum est edere & bibere post soporem gravem ullo modo, in quocunque id fuerit jejunio.

[6] *De jejunio a mane &c. Maimonides ibidem.* Item siquis animum induxit & in se recepit jejunium servare per tres quatuorve dies continuos, quamvis nocte quaque cibum capiat, jejunium tamen non solvit.

[7] *Jejunia horaria &c. Maimonides ibidem.* Sed ad horas etiam aliquas jejunium quisque constituere potest; si modo per spatium diei præteritum nihil cibi ceperit; ut si quis sollicitus & occupatus in negotiis suis nihil comederit ad meridiem, aut usque horam nonam per reliquas diei horas potest jejunium constituere, & illa precatione uti; *exaudi nos &c.* si quidem in se recepit jejunium ante justas jejunii horas. At enim si quis posteaquam cepit cibum, reliquum diem jejunio exigat, jejunium istud horarum est habendum.

[8] *In publica &c. Tosaphta Taanith II.* 10. Quodnam discrimen intercedit inter jejunium cœtus, & jejunium privatum? In jejunio publico edunt, & bibunt, dum adhuc dies est, quod non obtinet in jejunio privato. In jejunio publico prohibitum est opus, lotio, unctio, calceorum inductio, & cum uxore congressus, quod non obtinet in jejunio privato. In jejunio publico ingrediuntur in locum orationis, quod non observatur in jejunio privato. In jejunio publico educebatur Arca in plateam civitatis, quod non fiebat in jejunio privato; in jejunio publico recitabantur quatuor & viginti benedictiones, quod non obtinebat in jejunio privato; in jejunio publico quater in die Sacerdotes elevabant manus, quod non fit in jejunio privato; jejunium publicum non prætermittitur pro iis diebus festis, quæ in Megilla (sc. volumine) descripti sunt, quod non obtinet in jejunio privato.

[9] היחיד *&c. Tosaphta Taanith I. 6.* Quinam est יחיד *singularis?* R. Simeon filius Eleasaris dicit: quicunque se reputare vult uti singularem, potest haberi singularis, at non potest fieri discipulus sapiens, nisi a curia cœtui præficiatur. Rabban Simeon filius Gamalielis dicit, in afflictionibus qui vult se reputare singularem, potest haberi singularis, atque etiam potest haberi discipulus sapiens; in dignitatibus neque ille, qui se vult reputare singularem, neque qui se vult reputare discipulum sapientem, potest haberi, nisi tum cum eum curia cœtui præficeret. R. Simeon filius Eleasaris dicit nomine R. Meyr, atque ita juxta ejus verba R. Dosa dicebat. *Taanith fol.* 10. 2. Tradunt Rabbini ne dicat quisquam, ego sum discipulus, ego non idoneus sum, qui fiam יחיד singularis. *Ubi glossa*; ego non sum idoneus, qui incipiam jejunia cum singularibus &c. *Gemara ibidem.* Quisnam est hic singularis? & quisnam hic discipulus? Singularis iste recte dicitur, qui aptus est præfici toti cœtui, discipulus vero, qui rogantibus ipsum rem dubiam decisam in doctrina ejus, scilicet in Gemara, respondere par est, etiamsi de tractatu de Sponsalibus.

[10] *Pro ptercalamitates majores &c. Maimonides Taanith. II.* Publicæ vero calamitates istæ sunt, propter quas, jejunium instituitur, & datur clangor, vis ea omnis, quam Israelitis faciunt hostes, arma, pestilentia, immanium bestiarum incursio, locustarum, & bruchorum repentinæ multitudines, ruinarum crebritas, morbi contagio, uredo, rubigo, annonæ difficultas, & imbres immoderati. Quæcunque civitas harum una affligitur, jejunium instituit, & clamorem edit tubæ, donec calamitate liberetur. Vicinæ civitates clangorem omittunt, sed jejunio & precibus Dei misericordiam pro afflicta civitate implorant. Sabbatho vero nusquam datur neque clamor neque clangor, quemadmodum supra diximus, præter difficultatem annonæ, cujus causa vel Sabbatho clamor editur, nec tamen tubæ clangor Sabbatho datur.

[11] *Repens adventus &c. Tosaphta Taanith II.* 15. Propter gladium (*scilicet propter exercitum*) etiamsi sit gladius, qui transeat ex uno loco ad alium, etiam propter gladium pacis clangitur, neque dici oportet, propter gladium supplicii; neque est gladius magis pacificus quam *gladius* Pharaonis Necho, & rapuit justum illum Regem Josiam, quod versiculus dicit; *missis ad eum nuntiis ait, quid mihi & tibi est &c. Non adversum te hodie veni, sed contra aliam pugno domum, ad quam Deus festinato ire præcepit; desine &c.* Hæc est phrasis Idolatriæ. *Noluit Josias reverti, sed præparavit contra eum bellum &c. Ibique vulneratus a Sagittariis, dixit pueris suis; educite me de prælio, quia oppido vulneratus sum; Qui transtulerunt eum de curru in alterum currum, qui sequebantur eum more regio, & asportaverunt eum in Jerusalem, mortuusque est, & sepultus in mausoleo patrum suorum; & universus Juda & Jerusalem luxerunt eum; Jeremias maxime &c.* 2. Paral. 35. 21. 25. Ubi est hujus rei explicatio? *Spiritus oris nostri Christus Dominus.* Thren. 4. 20. *Gemara Taanith fol.* 22. 1. Docuerunt Magistri de armis, dicentes; non necesse erat dicere, exercitus hostiles; sed vero, etiamsi sit hic exercitus amicus intelligendus, non tamen talis præstantius datur exemplum, quam Pharaonis Necho; nihilominus & ex eo, *ejusque adventu in terram suam* offensus erat Rex Josias, uti dicitur 2. Paral. 32. 21. *At ille missis ad eum nuntiis ait; quid mihi & tibi est &c. Maimonides ibidem II.* 3. Primo vis ea omnis, quam Israelitis faciunt hostes, ut si alienigenæ veniant bellum instructuri adversus Israelitas, imposituri vectigal, regionem capturi, legem quamvis exigui momenti oppressuri; ipsi injuriam accipientes jejunium servent, & ululanti tuba canant, dum Dei misericordiam impetrent; vicinæ autem civitates jejunium servantes nullum dent clangorem, nisi ad convocandos homines, qui periclitantibus opitulentur. Deinde arma etiam pacifica; nam si alienigenæ bello persequentes alienigenas transeant per regionem Israelitarum, licet contra hanc nullum moveant bellum, tamen calamitas habenda est, cujus ergo instituitur jejunium; ex eo enim Legis dicto: *& gladius non transibit terminos vestros*, Levit. 26. 6. facile est intellectu, vel conspectum belli esse calamitosum.

[12] *Obsidiones urbium &c. Codex Taanith. III.* 7. Buccinis clangunt in Sabbatho horum *malorum* causa. Si urbem Israeliticam obsidione cinxerint gentiles.

[13] *Pestis &c. Tosaphta Taanith ibidem.* Pestis, quæ continua non sit, etiamsi tres unus post alium uno die moriantur, non dicitur pestis; sed illa, quæ continua sit, etiamsi tres in tribus continuis diebus moriantur, vocatur pestis. *Gemara Taanith fol.* 21. Docuerunt magistri: est oppidum habens mille & quingentos cives, ut pagus Acho, ex quo elati sunt novem mortui tribus continuis diebus, ecce hæc est pestis, si vero vel uno die vel quatuor diebus, non *censetur* esse pestis. *Maimonides ibidem.* Tertio loco fuit pestilentia; e. g. si ex urbe quingentis habitata viris tres efferantur mortui per tres dies continuos, pestilentia est illa quidem; totidem si efferantur vel uno & eodem die, vel per dies quatuor pestilentia non est. Jam in urbe, quæ a mille hominibus incolitur, si moriantur homines sex per tres dies continuos

tinuos pestilentia est; sin totidem in ea moriantur aut uno die aut diebus quatuor, nulla est pestilentia. Atque hæc numerandi ratio tenebitur in aliis civitatibus observandis. Mulieres autem, pueri, & senes ii, qui nullum porro laborem sustinere queunt, inter urbis incolas non numerantur hac in re. Si pestilentia fuerit in terra Israelitarum, jejunium instituetur & in iis locis, ubi Israelitæ exulant: item si pestilentia fuerit in ea urbe, quæ & frequentes in aliam urbem emittit hominum turmas, multasque ex illa vicissim excipit, oportet jejunium instituant ambæ, quamvis longe sint dissitæ.

[13] *Animalia noxia &c. Gemara Taanith fol.* 22. Docuerunt Magistri de fera bestia, quo tempore illa a *Deo instar plagæ hominibus* emissa est, ejus causa quidem buccinis clangi in *terra Israel*, sin vero emissa non est, non clangi. Quænam illa est, *de qua recte dicatur*, quæ emissa sit? quænam vero quæ non emissa? Si apparuerit in urbe, emissa *recte dicitur*, sin vero in agro, secus. Si interdiu visa fuerit, emissa est, si noctu, non item. Si viderit duos homines, ipsosque cursu insecuta fuerit, emissa est; sin vero se oculis ipsorum subduxerit, non emissa. Si discerpserit duos homines, alterumque ex his devoravit, emissa est, sin utrosque consumserit; *hoc enim famis causa fecisse censetur*, non emissa; si tectum conscenderit fera, infantemque e cunis rapuerit, emissa censetur &c. *Maimonides ibidem*. Nullum vero jejunium instituitur propter incursionem belluarum immanium, nisi fuerint illæ divinitus immissæ. Sed hoc quo tandem modo nosci potest? Si in urbe videantur interdiu, divinitus illæ sunt immissæ scilicet; sin bellua fera interdiu conspiciatur ruri a duobus hominibus, eosque sibi visos non effugit, a Deo est immissa; at si eosdem, postquam vidit, consectata non est, non a Deo immissa existimatur. Simili ratione cum in finitimo speluncæ agro homines cernat duos, eosque consectetur, putatur a Deo immissa; in specu autem ipso etiamsi illos sit persecuta, tamen non putatur a Deo immissa, nisi necaverit ambos, & ex illis unum duntaxat devoraverit; nam in specu si devoraverit ambos, non idcirco videtur esse divinitus immissa; specus enim ipsum, quia tectum belluæ est, homines ad expellendam famem vorasse judicatur, non ideo quod a Deo sit immissa. Cum vero hominum domicilia sint in locis incultis, & deserta solitudine, quæ ferarum cœtu compleatur, tum si qua fera in tectum scandit, & infantem e cunabulis corripuit, divinitus immissa est; sin non eo venit insolentiæ, nequaquam immissa a Deo ducenda est; sed enim homines illi periculum ultro adierunt, cum in sedem ferarum concesserunt.

[14] *Terræ motus &c. Codex Taanith III.* 4. Pariter se res habet cum urbe, quam pestis infestat, aut cujus muri, *alioquin integri*, ruinam patiuntur, illa ipsa urbs etiam jejunat, buccinasque inflat. Quæ vero circumcirca sitæ sunt urbes, jejunant quidem, sed buccinis non clangunt. R. Akiba ait: buccinas inflant, sed non jejunant. *Maimonides ibidem*. Jam de ruinis; si in urbe crebro decidant integri parietes, quos nullum tangat flumen, ista quidem calamitas est, cujus causa jejunium instituitur, & funditur clangor.

[15] *Procellæ &c. Maimonides ibidem*. Item si procellæ & turbines ædificiis evertendis habitatores opprimant, jejunium indicitur, & datur clangor.

[16] *Rubigo segetum &c. Maimonides ibidem*. Locustarum & bruchorum causa jejunium instituitur, & funditur clangor, si vel una apparuerit ala in terra Israelitica. Erucarum vero paucarum ergo; ob illud autem locustarum genus, quod cicada dicitur, neque jejunium instituitur, neque fit clangor; datur autem clamor. Propter uredinem & rubiginem, statim ac segetum perculerunt partem aliquam, licet ea sit tam exigua, ut ne furni quidem orificium possit obturare, instituitur jejunium, & clangor funditur. *Codex Taanith III.* 6. Factum est cum seniores ex Hierosolymis in urbes suas descenderent, ut viderent in Aschalon *tantum segetis in uno loco consumtum* uredine, *quantum ad farinam redactum, aquaque subactum sufficeret ad pinsendum panem* pro unius fornacis coctione, unde *hujus causa mali* jejunium indixerunt.

[17] *Annonæ caritas &c. Maimonides ibidem*. De annonæ difficultate, siqua in urbe viluere merces illæ quibus se plerique cives sustentant, cujusmodi sunt Babylone vestimenta linea, & oleum in terra Israelitica, cum adeo languescat commercium, ut mercator ad inveniendos emtores cogatur nummis vendere sex; quod est decem nummorum, ista quidem est publica calamitas, cujus causa clangor datur, ac profunditur clamor, etiam Sabbatho.

[18] *Defectus pluviarum &c. Tosaphta Taanith II.* 14. Quemadmodum clangebatur propter pluvias in reliquis annis hebdomadis, ita clangebatur in anno Sabbathico pro aliorum alimento, & clangebatur pro arboribus quindecim diebus prope Pascha, & pro puteis, & fossis quindecim diebus prope festum Tabernaculorum; & si *aqua* potanda deesset, statim clangebant. Quomodo intelligitur statim? die secundo & quinto, & non in omnibus, sed in ea tantum provincia clangebatur. *Maimonides ibidem II.* 16.--18. Si postquam fruges solo creditæ herbescentem fuderunt viriditatem, pluvia defecerit, eaque viriditas ceperit arescere, jejunium instituitur, & profunditur clamor, usque dum aut largus ceciderit imber, aut omnis omnino viriditas exaruerit. Item si tempore Paschali aut prope id tempus in terra Israelitarum (etenim hoc anni tempore in Judæa florent arbores) non effluxerint imbres, jejunium instituitur, & eduntur clamores, donec aut imbres arboribus salutares deciderint, aut pluviarum tempus cesserit. Similiter si cum advenerit Tabernaculorum solennitas, nondum imbres effluxerunt tanti, ut expleverint cisternas, lacunas, & foveas, jejunium instituitur, donec idonea effluxerit pluvia; quibus autem præter aquam fluvialem, nulla est alia, quam potent, aqua, iis ad obtinendam pluviam jejunium instituendum est quandocunque aqua deficit, etiam æstivo tempore. Si pluviarum tempore pluvias inter duas dies sicci intercesserint quadraginta, id nimirum annonæ sterelitatem minatur, adeoque & jejunium indicitur, & clamores eduntur, usque dum pluat, aut pluviarum tempus præterierit. *Et cap. III.* Cum advenerit pluviarum tempus, si sub initium non pluat, exspectetur ad decimum & septimum diem mensis Octobris, quo nisi pluat, soli sapientum discipuli jejunium instituunt per secundum & quintum ejusdem hebdomadæ diem, & consequentis secundum. Atque ad hoc discipuli sapientum sunt idonei omnes. Sin venissent Calendæ Novembris, necdum plueret, judices populo jejunia indicunt tria, quæ servantur secundo, quinto, secundo; nocte vero hæc jejunia præcedente comedendi licentia est; sed enim qui tum sunt in officio sacerdotes, quippe occupati in sacris faciendis, non servant una cum populo jejunium. Populus autem omnis coit in Synagogas, preces fundit, clamores edit, & misericordiam implorat, ut omnibus solet jejuniis. Cum hæc peregerint, necdum fuerint exauditi, tum judices alia populo indicunt jejunia tria secundo, & quinto ejusdem hebdomadis, & consequentis secundo servanda. Atque istorum jejuniorum vigilia oportet cœnare ante solem occidentem itidem ut vigilia solennitatis expiationum. Hac vice viri custodiæ quidem dimidium diem jejunant tantum, viri autem familiæ, quo vocabulo nominantur sacerdotes diarii, nullatenus jejunant. Qua vero jejuniorum vigilia oportet cœnare ante solis occasum, ea cum aliquis comedere cessaverit, ac constituit se deinceps nihil comesturum, ei porro nihil est comedendum, etsi per diei spatium licet. Atque jejuniis illis tribus populus opere prohibetur interdiu, non ita noctu; neque fas est corpus integrum in calida lavare, vultum, manus & pedes licet, ob eamque causam balnea clauduntur, itemque unctura est etiam illicita, nisi contra fœtorem fiat. Atque viro etiam interdicitur, ne cum uxore sua cubet id temporis. Nec quisquam in urbe calceatus incedit, sed viatoribus conceditur, & in Synagogis preces funduntur, fiunt clamores, & imploratur misericordia, sicut in aliis jejuniis. His exactis si necdum fuerant exauditi, judices alia instituunt jejunia septem, quæ servantur secundo, quinto, secundo, quinto, secundo, quinto, secundo &c. Atque his septem jejuniis viri custodiæ jejunium complebunt omnino, viri autem familiæ jejunant dimidium diem non integrum; & quicquid interdictum est tribus jejuniis mediis, his ultimis septem etiam est factu nefas. Sed hæc ultima jejunia prioribus amplius habent id, quod istis tantummodo clangores edantur, ut supplicationes fiant in vicis urbis, in medio ponatur senex, qui populum increpet & mo-

& moneat, ut de ſuarum actionum curſu deflectat tandem, matutinis precibus ſolitis addantur precationes ſex, itemque veſpertinis, ita ut preces fundantur quatuor & viginti; claudantur tabernæ, quæ ſecundo hebdomadis die ſero recluduntur utcunque, quinto autem toto patent die propter Sabbathi obſervantiam. Cum vero duo ſint tabernæ oſtia, unum aperitur, & clauditur alterum. Sin præter fores habeat taberna tabulas, in quibus merces exponantur, fores ſecure pandentur. Poſtea vero niſi fuerint exauditi, commercio abſtinent & ædificiis, quæ ad oblectationem parantur, qualia ſunt ea, quæ picturis ſunt ornata, & figuris inciſa variis; itemque ab iis conſitionibus, quæ fere voluptatis cauſa ſeruntur, ut multa myrti genera & aloes, raraque fiunt ſponſalia, & nuptiæ, quæ nec conceduntur omnino, niſi ei, qui nondum præcepto *creſcite & multiplicamini* (Gen. 1. 28.) fecit ſatis. (Nam in fame nulli, qui præcepto huic paruit, licet uti lecto jugali) raroque alter alteri ſalutem dicit. Cum vero ſibi ſalutem impertiuntur diſcipuli ſapientum, ut reprehenſi & Deo abominati ſeſe præbent, quibus ſi ſalutem dederit plebejus, eam illi reddunt quidem, ſed voce languenti & dimiſſo capite. Rurſumque ſoli diſcipuli ſapientum jejunia inſtituunt per ſecundum, quintum, & ſecundum uſque dum præterierit periodus martia. Hæc autem jejunia non pertinent ad vulgum; neque enim vulgo propterea quod non pluat, indicuntur plura quam jejunia tredecim, de quibus modo. Atque in his jejuniis, quæ a privatis ſervantur ad exitum periodi martiæ licet noctu capere cibum, opera moliri, corpus lavare, & ungere, lecto jugali uti, & calceis tanquam aliis jejuniis; tum etiam Kalendis & ſortium feriis intermittuntur. Confecta periodo Martia, nimirum cum ſol ſignum illud ingreditur, qui taurus appellatur, nullum porro jejunium inſtituitur; pluvia enim ejus temporis malo eſt omini, cum prorſus ab initio anni non pluerit. Hæc ita fiunt in Iſraelitica terra, & ſimilibus ejus regionibus; quibus autem locis pluvia eſt neceſſaria, vel ante decimum & ſeptimum diem Octobris, vel poſt eum, cum pluviæ tempus acceſſerit, privati inſtituunt jejunium per ſecundum, quintum, & ſecundum, quæ interrumpunt Kalendis, ſolennitate dedicati Templi, & ſortium feriis, tum ſeptem fere dierum intercapedo fit, & niſi pluerit, judices indicunt populo jejunia tredecim, eaque ordine ſupradicto. Verum extra terram Iſraeliticam, ſi quæ a judicibus impetrandæ pluviæ cauſa indicuntur jejunia populo, iiſdem noctu cibum licet capere, nec illa jejunia a reliquis diſcrepant ullatenus; neque enim populo indicitur jejunium par ei, quod ſervatur in ſolennitate expiationum, niſi in ſola terra Iſraelitica, atque in eadem illa ob pluviæ neceſſitatem duntaxat; & ob eam ipſam cauſam jejunia omnino decem illa, quorum media ſunt tria, ultima ſeptem.

[19] *Calamitates privatas &c. Maimonides ibidem* I. 9. Et tanquam populus univerſus jejunio ſe macerat in calamitate publica, ſic unuſquiſque ſubeat jejunium in calamitate ſua, ut ſi quis habet aliquem e ſuis graviter ægrotantem, aut in locis deſertis errantem, aut in carcere vinctum, pro illo miſericordiam & jejunio & precibus petat, atque omnibus, quas fundet preces, ſolennem precationem adhibeat iſtam: *exaudi nos pater noſter, exaudi nos die jejunii iſto, quoniam in ærumna ſumus ingenti; ne impietatem intueare noſtram, neve diſſimules, o Rex noſter, poſtulationem noſtram. Præſto nobis eſto clamantibus, antequam invocemus te, reſponde nobis, nos adhuc loquentes tu jam exaudiveris, ſecundum id quod prædixit vates, Eſai.* 64. 24. Eritque antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus ego audiam: *Nam tu es qui redimas, liberes, reſpicias, & miſereare miſerrimis, quibuſque, & graviſſimis temporibus*. Benedictus eſto Domine, qui exaudias populum tuum tempore calamitoſo, Deus Salvator.

[20] *Diem ſecundum &c. Hieroſol. in Megillah fol.* 75. 1. Rationem quare de die ſecundo, & quinto decretum eſt, ſi quæras, reſpondendum eſt ex eo (*inquit Gloſſa*) quod dicitur in Midras de Moſe, quod ſcilicet aſcendit in montem ad tabulas ſecundas recipiendas die Hebdomadis quinto, deſcenditque pacato jam Deo, die Hebdomadis ſecundo. Cum ergo tempus gratiæ eſſet aſcenſio iſta, ac deſcenſio, de diebus ſecundo & quinto, ſic ſtatuerunt. Ideoque etiam die ſecundo & quinto jejunare ſunt ſoliti.

[21] *Uti R. Aſe &c. Hieroſ. Kilaim fol.* 32. 2. R. Joſe jejunavit octoginta jejunia, & R. Simeon ben Lachiſh trecenta, eo fine ut viderent R. Chaijah Rabbah.

[22] *Mulieres &c. Toſaphta Taanith cap.* II. 18. Gravidæ, & lactantes jejunabunt nono die *menſis* Abh, & in die expiationum, & in tribus jejuniis publicis; in reliquis jejuniis non jejunabunt, at ſe nimiis deliciis non oblectabunt, ſed edent, & bibent *tantum* ad alendum fœtum. *Maimonides ibidem cap.* III. 5. His exactis ſi necdum fuerint exauditi, judices alia inſtituunt jejunia ſeptem, quæ ſervantur ſecundo, quinto, ſecundo, quinto, ſecundo, quinto, ſecundo; atque his unis jejunant & prægnantes, & nutrices; ſuperiora enim jejunia non obſervant neque prægnantes, neque nutrices, quæ tamen & illis non edunt & bibunt delicate & opipare, ſed tantum cibi & potionis capiunt, quantum ad alendum infantem vel adhuc alvo contentum, vel jam partum, neceſſe eſt.

[23] *Clangor tubarum &c. Codex Roſch haſchana* III. 4. In jejuniis de arietibus incurvatis, & orificiis argento obductis, ac duæ tubæ in medio, buccina edebat ſonitum minus diuturniorem, tubæ vero diuturniorem, quoniam iſtius diei præceptum eſt, ut clangatur tubis. *Maimonides ibidem cap.* I. Imperat divina Lex clamare voce, & tuba ululante canere in omni calamitate publica: *contra hoſtes qui dimicant adverſum vos clangetis ululantibus tubis;* Num. 10. 9. Cujus ſententia eſt ea, ut quæcunque nos calamitas affligat, fames, peſtilentia, locuſtæ, & ſimilia, ploremus, ac clangamus. Id vero pœnitentiæ eſt; nam ſi tempore calamitoſo clangor detur lugubris ac clamor, omnes intelligent propter flagitia ſua ſecum eſſe male actum, ut ſcriptum eſt Jeſa. 5. 26. *Iniquitates veſtræ declinaverunt hæc &c.* Quod ipſum faciet, ut illa calamitas amoveatur. Sin autem nullus edatur neque clamor, neque ſonus, ſed dicatur hoc ex rerum natura exoriri, & calamitas illa eveniſſe caſu fortuito, contumacia eſt iſta quidem, ex qua fit, ut homines in ſuis perſeverent peccatis, & aliam alia ſequatur pernicies, id nimirum quod in Lege ſcriptum eſt: *ſed ambulaveritis ex adverſo mihi, ego quoque contra vos adverſus incedam*. Levit. 26. 22. & 23. id eſt, ſi, cum ego vobis labem inferam aliquam, ut vos revocem ad recte faciendum; hanc vos tribuatis caſui, concipiam & iſtius contumaciæ iram. Itaque ſanxerunt Legis interpretes, ut in omni calamitate publica jejunium ſuſtineatur tandiu, dum de cœlo miſericors reſpiciat Deus, atque id temporis clamatur, preces funduntur, miſericordia divina imploratur, & clangor editur tubæ ſolius; in templo autem tubæ ſimul & buccinæ clangor datur, minor buccinæ, & tubæ major, quippe quæ in tempus acerbum lege præſcribitur. Nec vero par eſt tuba ſimul & buccina clangere, niſi in templo, cum dicat Pſaltes. Pſalm. 97. 6. 7. *in tubis ductilibus & voce tubæ corneæ jubilate in conſpectu regis Domini*.

[24] *Eductio Arcæ &c. Toſaphta Taanith* I. 8. Quinam eſt ordo jejuniorum? Educebatur Arca (*non Arca fœderis, ſed Arca, in qua depoſitus erat liber Legis in Synagogis*) in plateam Civitatis. *Maimonides ibidem* IV. Quotidie per ultima jejunia ſeptem iſta, quæ pluviæ cauſa indicerentur, ſupplicationes fiebant in hunc modum. Arca efferebatur in urbis plateam, in quam conveniebant omnes induti ſacco.

[25] *Convocatio &c. Maimonides ibidem* I. 17. In omni autem jejunio, quod eſt indictum populo propter calamitatem & judices, & populi ſeniores frequentes in Synagogam conveniunt, ubi quæ ſint ſuorum facta civium exquirunt a precibus matutinis ad meridiem, tollunt peccandi occaſiones, admonent, concionantur, & inquirunt in homines effrænatos & ſceleſtos, quos reprimunt, itemque in ſuperbos, quos proſternunt, atque abjiciunt, & ſi quid ejuſmodi. A meridie ad veſperam per quartam diei partem leguntur & benignæ prædictiones, & acerbæ execrationes Legis propter illud Sapientis dictum, Proverb. 3. 11. *Diſciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, nec deficias, cum ab eo corriperis*. Tum etiam e Propheta legitur ſectio aliqua, quæ reprehenſionem contineat cum præſente calamitate congruentem, & per ultimum diei quadrantem preces veſpertinas fundunt, miſericordiam implorant, clamant & peccata confitentur, quantum in ipſis eſt.

[26] *Cineris inſperſio &c. Toſaphta Taanith ibidem*. Eique cinis combuſtionis imponebatur. *Maimonides ibidem IV.* Deinde cinis exuſtus ponebatur & in Arca, & in Legis volumine ad augendum luctum, & commovendos ſpectantium animos; tum e plebe aliquis in caput Principis ſupremi Senatus, itemque in patris ejuſdem Senatus caput, ubi phylacterio induitur, cinerem ponebat, ut pudore ſuffuſi redirent in viam, poſt in ſuo quiſque capite cinerem ponebat.

[27] *Oratio habita &c. Toſaphta Taanith.* Qui ætate inter eos præſtabat, dicebat eis verba correctionis; mei filii, pudebit hominem proximi ſui, & non pudebit ſuorum operum? ſatius eſt, ut pudeat & proximi ſui, & operum ſuorum, ne ipſe, & ejus filii fame macerentur; atque ita ipſe dicit, Iſai. 58. 3---6. *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti, humiliavimus animas noſtras, & neſciſti?* Quid iis respondebat Deus? *ecce in die jejunii veſtri &c. ecce ad lites & contentiones jejunatis &c. Numquid tale eſt jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? &c. Nonne, hoc magis eſt jejunium, quod elegi? diſſolve colligationes impietatis.* Si cujus in manu fuerit reptile, etiamſi ſe laverit in Siloah, & in univerſis mundi aquis, nunquam erit mundus, at ſi de manu ſua projecerit reptile, ei lavacrum quadraginta ſatorum ſatis erit; atque ſcriptum eſt; Prov. 28. 13. *Qui autem confeſſus fuerit & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur*; atque etiam dictum eſt; *Levemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cælos*. Tren. 3. 41. *Maimonides ibidem*. Poſtea Senex, qui idem doctus eſſet, ſtatuebatur in medio cœtu, atque cœtus univerſus conſidebat; ſin nullus eſſet excultus doctrina ſenex, literatus homo deligebatur; hoc enim deficiente eligebatur vir venerabilis dignitate formæ, qui cœtum admoneret his fere verbis. Fratres nihil efficit ſaccus, nihil jejunia, quod in Ninivitis cernere licet, de quibus nullibi ſcriptum legetis, & reſpexit Deus ſacum illorum, atque jejunium; ſed enim (Jon. 3. 10.) *& vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt &c.* Tum illud commemorabat Prophetæ dictum Joel. 2. 13. *ſcindite corda veſtra, non veſtimenta veſtra;* quibus deinde addebat ejuſmodi alia, ut hominis erat captus, donec audientium animos flexerit, eoſque adeo ad ſinceram pœnitentiam reduxerit.

[28] *Preces tum &c. Toſaphta Taanith ibidem*. Recitabat coram eis quatuor & viginti (*benedictiones*) octodecim quotidianas, & ſex addebat; ſeptimam nomine Sonchos dixerunt, *qui ſuperbos humiliat*. Quo loco recitabat? *inter illam, quæ incipit*, Redemtor Iſraelis, *& eam, quæ incipit*, medicus infirmorum; poſt ſingulas benedictiones reſpondebant Amen; clangebatur ſono recto, fracto, & recto; hic uſus obtinebat extra Sanctuarium. In Sanctuario vero quid dicebant? *Benedictus tu Domine Deus Iſrael ex hoc nunc & uſque in ſeculum*. Unde probatur, quod non reſponderent Amen in Sanctuario? a verſu, qui dicit Nehem. 9. 5. *Surgite, benedicite Domino Deo veſtro &c.* Et unde probatur, quod ſuper omni benedictione benedictio, & ſuper omni laude laus recitaretur? ex eo quod dicit; *& benedicant nomini tuo excelſo in omni benedictione & laude*. Ibid. in omni benedictione benedictio, & in omni laude laus. In prima dicebat; *Benedictus ſis Domine Deus Iſrael ex hoc nunc & uſque in ſeculum, redemtor Iſrael*, & ipſi reſpondebant poſt eum, *benedictum ſit nomen glorioſum regni ejus in ſeculum ſeculi;* & miniſter Synagogæ dicebat eis, clangite, atque iterum dicebat: *Qui reſpondit Abraham in monte Moria, is reſpondeat vobis, & lamentabilem hodie exaudiat vociſerationem veſtram*; & clangebant, & buccinabant. In ſecunda dicebat: *Benedictus ſis Domine Deus Iſrael ex hoc nunc & uſque in ſeculum, memoria tenens oblivioni tradita;* & illi reſpondebant poſt eum; *benedictum ſit nomen glorioſum regni ejus*. Et miniſter Synagogæ dicebat eis, clangite filii Aaron, clangite; atque rurſus dicebat: *Qui reſpondit Moſi & patribus noſtris in mari rubro, is reſpondeat, & exaudiat vocem clamoris veſtri*. In hac die clangebant & buccinabant, & clangebant ſono recto, & fracto, donec omnes benedictiones recitarentur; hac conſuetudine uſus eſt R. Chalaſta in Tſippori, & R. Chananja filius Theradionis in Sicani; & quando hoc innotuit Sapientibus, dixerunt; hic mos non obtinebat niſi tantum ad portam orientalem *Sanctuarii. Maimonides ibidem.* Poſt hujus admonitiones, omnes ſurgebant ad precandum, atque ex omni cœtu eligebatur Eccleſiæ miniſter idoneus, qui in iſtis jejuniis preces funderet; quod ſi admonitor ille idem dignus eſſet qui precaretur, ipſe preces etiam fundebat, ſin minus alteri precandi munus tribuebatur. At enim quis tandem eſt idoneus, qui jejuniis in iſtis preces fundat? ille videlicet, qui crebris utitur precibus, qui frequens legem volvit, Prophetas, & Hagiographa, tenuis, & inops, qui neque in liberis ſuis aut domeſticis, neque propinquis, aut conſuetudine conjunctis ullum habet hominem flagitioſum, qui domum habet ſcelere vacuam, cujus adoleſcentiam nulla attigit infamia, humilis, plebi acceptus, & dulcedine vocis ſuavis; his cum acceſſerit ſenectus, præclarum eſt: verum in quo hæc inſunt omnia, ille preces fundat, etſi ſenectus abeſt. Hic igitur Synagogæ miniſter primo ſolitas preces fundebat ad precationem illam, cujus in extrema parte eſt: *Benedictus eſto tu Domine redemtor Iſrael*, tum recitabat aliquos e Scriptura ſacra verſus, qui continentes verba *recordationis* ac *clangoris* cum præſenti calamitate congruerent; atque e Pſalmis dicebat illos: *Ad Dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me &c. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi &c. De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam &c.* Ad extremum recitabat pſalmum illum, qui inſcribitur: *Oratio pauperis, cum anxius fuerit, & in conſpectu Domini effuderit precem ſuam*, incipit autem: *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat*. His etiam quantum poterat obſecrationes adjungebat humiles, & ſupplices preces, deinde redibat ad precationem illam; *Reſpice, quæſumus, afflictionem noſtram, & cauſam noſtram diſcepta, feſtina liberationem noſtram perfectam propter nomen tuum; fortis enim es, & præpotens liberator*. Tum Deum obteſtabatur, atque obſecrabat, quas obſecrationes ita demum concludebat; *Qui reſpondit Abrahamo patri noſtro in monte Moria, is reſpondeat vobis, & lamentabilem exaudiat vociſerationem veſtram hodie; benedictus eſto tu Domine redemtor Iſrael*. Poſtea continuas addebat preces illas ſex; ſed & earum cuique obſecrationes ſupplices adhibebat, atque aliquot verſus vel e prophetis decerptos, vel e reliqua Scriptura ſacra, prout in ea verſatus erat, & clauſulam ex iſtis unam adjiciebat; Primæ quidem precationi iſtam: *Qui exaudivit Moſem & patres noſtros in mari rubro, is audiat vos, & clamorem veſtrum excipiat, benedictus eſto Domine, qui recorderis, quæ ſunt oblivione obruta*. Secundæ hanc: *Qui Joſuem audivit in Galgala, is vos exaudiat & lamentationem veſtram, benedictus eſto tu Domine, qui exaudias clangorem*. In tertia autem precatione hac utebatur clauſula, *qui audivit Samuelem in Maſphath, idem ille vos audiat hodie, atque ejulationem veſtram acceptam habeat, benedictus eſto tu, qui vociſerationem exaudias*. Quartæ hanc clauſulam imponebat: *Qui audivit Eliam in monte Carmel, ipſe vos die iſto audiat, & lamentabilem vocem veſtram, benedictus eſto tu Domine, qui preces audias*. Quintæ iſtam: *Qui audivit Jonam in ventre piſcis, idem ille vos hodie audiat, & vociſerationem veſtram, benedictus eſto tu Domine, qui audias tempore adverſo*. Sextam denique ita concludebat: *Qui audivit Davidem, & filium ejus Salomonem Hieroſolymis, idem ille vos audiat hodie, & lamentabilem vocem veſtram, benedictus eſto Domine, qui terræ miſereris*. Populus autem omnis poſt quamque precationem, *Amen* reſpondebat, ut ſolet. Septimo loco hanc precem fundebat, *Medere nobis Domine, ut ſanemur, opitulare nobis ut adjuvemur; nam laus noſtra tu es; itaque remedium affer, & medicinam contra morbos omnes, dolores & afflictiones noſtras. Nam tu Deus medicus es miſericors, & fidelis, benedictus eſto, tu Domine, qui ſanas ægrotos populi tui Iſrael*. Tum precibus rite abſolutis tubæ clangor edebatur, atque hoc quidem inſtitutum in omnibus terræ Iſraeliticæ locis tenebatur. Hieroſolymæ vero conveniebat populus omnis in montem templi, verſus portam orientis hac precandi ratione cum uteretur; ac cum Synagogæ miniſter perveniſſet iſtuc, *qui exaudivit Abraham &c.* dicebat, *benedictus eſto tu Domine Deus noſter, Deus Iſrael a ſeculo in ſeculum, benedictus eſto Domine redemtor Iſrael*; populus autem reſpondebat;

bene-

benedictum eſto glorioſum nomen ejus, cujus regnum perduraturum eſt in perpetuum; tum Synagogæ præco tibicinibus dicebat, date ſonitum filii Aaron, date ſonitum, & qui precandi munere fungebatur, repetebat; *Qui exaudivit Abrahamum patrem noſtrum in monte Moria, ipſe hodie vos audiat, & lamentabilem vociferationem veſtram*, poſt Sacerdotes ternum dabant tubæ ſonitum, primum integrum, deinde fractum, & denuo integrum. Sequentem precationem primam videlicet ex illis ſex, quæ adduntur, ſimiliter concludebat: *benedictus eſto Dominus Dominorum, Deus Iſrael a ſeculo in ſeculum, benedictus eſto tu qui recorderis ea, quæ ſunt oblivione obruta*; tum Synagogæ præco proclamabat, date clangorem filii Aaron, date clangorem; ac qui precabatur, dicebat: *qui exaudivit Moſem & patres veſtros in mari rubro, idem ille vos audiat hodie, & clamorem veſtrum excipiat*, & poſtea dabatur tubæ ſonitus primo fractus, deinde integer, iterumque fractus. Sic in reliquis precibus, in alia proclamabat Synagogæ præco, date ſonitum, in alia, date clangorem, donec ſeptem illæ precationes abſolverentur; ita ut Sacerdotes modo ſonitum fractum darent duplum, & unicum integrum, modo duplicem integrum, & unicum dumtaxat fractum. Atque ibi loci cum dabatur tubæ ſonitus, dabatur etiam buccinæ cantus, ut ſupra diximus. Sed ubicunque locorum per ſeptem jejunia iſta, poſt fuſas preces populus univerſus pergit ad mortuorum ſepulchra, ubi plorat & orat; hoc autem ſignificat: *en occidiſtis omnes, velut qui hic ſiti ſunt, niſi de via veſtra deflectatis*. Similiter per totum orbem terræ cunctis quæ calamitatis ergo indicuntur, jejuniis, additur illa precatio, quæ clauſula nominatur.

[29] *Sacco &c.* 2. *Reg.* 3. 31. Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis. 3. *Reg.* 20. 32. Accinxerunt ſaccis lumbos ſuos. *Jeſ.* 15. 3. In triviis ejus accincti ſunt ſacco. *Jerem.* 4. 8. ſuper hoc accingite vos ciliciis. *Et* 6.26. Filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere cinere. *Et Thren.* 2. 10. Conſperſerunt cinere capita ſua, accincti ſunt ciliciis.

[30] *Hunc nigrum &c. Job.* 5. 11. Qui ponit humiles in ſublime, וקודרים & *atratos* (ita hebræus) erigit ſoſpitate; *i. e. ſecundum Coccejum, ſupplices afflicti, qui atrati incedebant in ſacco, ſcilicet qui erat pannus, & craſſi textus, & ſordidi coloris, ut unde ſacci fiunt. Pariter Pſalm.* 27. 7. Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem, tota die קודר *atratus* incedebam. *Et Malach.* 3.14. Et dixiſtis, quid locuti ſumus contra te? Dixiſtis; vanus eſt qui ſervit Deo; & quod emolumentum, quia cuſtodivimus præcepta ejus, & quia ambulavimus קדרנית *atrate* (i. e. atris ſaccis induti) coram Domino exercituum?

[31] *Inſpergebant &c. Codex Taanith II.* Profertur Arca in plateam civitatis, eique cinis combuſtionis imponitur, ſimulque capita principis, præſidis Synhedrii, ac ſingulorum cinere conſperguntur. *Pariter apud gentes hic mos in luctu, & calamitatibus obtinuit. Homerus de Laerte loquens Odyſſ.* 10. Ambabus (inquit) manibus ſumens cinerem fuliginoſum fudit in capite cano, graviter ſuſpirans. *Euripides in ſupplicibus*; cinerem vero circa caput fudimus. *Lucianus de luctu p. m.* 767. Pulvis capiti inſpergitur, adeo ut viventes miſerabiliores ſint mortuis.

[32] *Veſtes ſcindere &c.* 3. *Reg.* 21. 27. Itaque cum audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite. 4. *Reg.* 6. 30. Quod cum audiſſet Rex, ſcidit veſtimenta ſua, & tranſibat per murum, viditque omnis populus cilicium, quo veſtitus erat ad carnem intrinſecus. *Uſitatiſſima fuit apud gentes in luctu & calamitatibus veſtium laceratio. Diodorus Siculus Biblioth. part.* 3. *c.* 3. *p. m.* 65. Nam poſt Regum cujuſpiam e vita exceſſum, omnes per Ægyptum, luctu communi ſuſcepto, lacerare veſtes, ſacras ædes claudere, ſacrificia inhibere, nec feſta celebrare per 72 dies ſolebant. *Herodotus Thalia lib.* 3. Perſæ ut Regem (Cambyſen) lamentantem conſpexere, univerſi tum veſtimenta reſciderunt, tum effuſo ploratu ſunt uſi. *Xenophon* παιδείας *lib.* 1. Quum igitur hoc audiſſet mulier, diſrupit certe ſuperius peplum &c.

[33] *Humi &c. Jeſ.* 47 1. Deſcende, ſede in pulvere, virgo filia Babylon, ſede in terra. *Thren.* 2. 10. Sederunt in terra, conticuerunt ſenes filiæ Sion, conſperſerunt cinere capita ſua, accincti ſunt ciliciis, abjecerunt in terram capita ſua virgines Jeruſalem. *Jerem.* 13. 18. Dic Regi, & dominatrici; humiliamini ſedete &c. *Ezech.* 26. 16. Et deſcendent de ſedibus ſuis omnes principes maris, & auferent exuvias ſuas, & veſtimenta ſua varia abjicient, & induentur ſtupore, in terra ſedebunt. *Maimonides Taanith. V.* 8. Vigilia diei noni Julii afferebatur homini ſolitario fragmentum panis ſicci, ſale conſperſi, & in aqua macerati, qui reſidens humi inter furnum & larem panem illum edebat.

[34] *Cibum lentis &c. Maimonides ibidem.* Nos quidem ætate noſtra nullum omnino pulmentum, ne lentium quidem comedimus vigilia noni Julii.

[35] *Nudatos in luctu &c. Codex Taanith I.* 5. Si factum eſt initium menſis Cisleu, neque tamen ulla pluviæ copia adhuc contigerat, tum Synhedrii adſeſſores tria jejunia Eccleſiæ aſſervanda conſtituunt, *ita ut tantum noctu cibum potumque capere liceat*, operari, ſe lavare, inungere, ſandalia induere, concubituque lecti defungi. Quod ſi & his tranſactis preces non exauditæ fuerint, tum Synhedrium tria alia Eccleſiæ præcipit celebranda jejunia, ita ut edere & bibere tum tantum fas ſit; vetitum vero ſit quidquam operari, balnea adire, unguentis ſe oblinire, pedibus calceamenta aptare, torique gaudia ſectari. *S. Leo* 2. *ſerm.* 4. *de jejunio ſept. Menſis, de Judæis loquens*: habeant (inquit) illi nudipedalia ſua, & in triſtitia vultum, oſtendant otioſa jejunia. *Etiam apud Ethnicos uſitata. Svetonius in Auguſto.* Reliquias legerunt primores equeſtris ordinis, tunicati & diſcincti, pedibuſque nudis, ac in Mauſoleo condiderunt. *Tertullianus de jejuniis adverſus Pſychicos cap.* 16. ſed & omnem ταπεινοφρόνησιν Ethnici agnoſcunt. Cum ſtupet cœlum, & aret annus, nudipedalia denunciantur, magiſtratus purpuras ponunt, faces retro avertunt, precem indigitant.

[36] *Jejunia menſis &c. Codex Taanith IV.* 7. Quinque res luctuoſæ patribus noſtris acciderunt die ſeptimo decimo menſis Tammuz, totidemque die nono menſis Abh. *Maimonides Taanith V.* Certis quibuſdam diebus, quoniam in graves inciderunt miſerias, jejunium ſervant Judæi omnes; quo magis quiſque cogitet ingredi viam pœnitentiæ, ac memoria repetat cum flagitia ſua, tum etiam majorum ſcelera, eorum, quæ nunc facimus ſimilia, quibus illi ſibi, & nobis clades iſtas contraxere; rerum enim iſtarum memoria ſane ad bonam frugem reducit, ut ait Propheta, Nehem. 9. 2. *Et confitebantur peccata ſua, & iniquitates patrum ſuorum &c.*

[37] *Jejunium menſis &c. Codex Taanith ibidem.* Nam 17 Tammuz fractæ ſunt tabulæ Legis, ceſſavit juge ſacrificium. Urbis mœnia perrupta; lex ab Apoſtemo combuſta, idolumque in templo ſtatutum. *Maimonides ibidem.* 17 Tammuz, quo acciderunt quinque hæc, fractæ Decalogi tabulæ, ſublatum e priori templo ſacrificium juge, & muri Hieroſolymæ rupti in everſione ſecunda; exuſta lex ab impio Apoſtemo, & conſtitutum in templo idolum. *Gemara Taanith fol.* 28. *Erectio hujus idoli* unde probatur? Quia ſcriptum eſt Dan. 12. 11. *Et a tempore cum ablatum fuerit juge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem.* Sed hoc unum duntaxat erat. Et annon ſcriptum habetur Dan. 9. 27. *Et erit in templo abominatio deſolationis?* Hinc Rabha dixit; Gemina ergo fuerunt *abominationum ſimulacra*, ceciditque unum ſuper alterum, manumque alterius contrivit. Inveniebatur vero *in manu integri ſimulacri* ſcriptura, *qua id adloqueretur contritum hoc modo*; Tune vis domum Dei deſtruere, *ut Iſraelitæ te in errore ſectentur?* an manus tua id perficiet?

[38] *Ob fractas &c. Gemara Taanith fol.* 22. 2. Unde conſtat *hoc ipſum tum accidiſſe?* Ex traditione hac; in ſexto menſis Niſan data ſunt decem præcepta Iſraelitis. R. Joſe autem dicit, in ſeptimo ejuſdem menſis *data fuiſſe. Itaque ſecundum* illum qui dixit in ſexto data eſſe, *concedamus ponamuſque* eo die data eſſe, ita ut ſeptimo die Moſes montem adſcenderit. Rurſum ſecundum ejus ſententiam, qui ſtatuit ſeptimo data eſſe, faciamus ita accidiſſe, ita tamen ut Moſes ſeptimo etiam die montem adſcenderit; ſcriptum namque eſt Exod. 24. 16. *Septimo autem die vocavit eum.* Et mox ſubjungitur; *ingreſſuſque Moyſes* in

in medium nebulæ, ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus; nimirum 24 dies Sivan, & 16 dies Tammuz, unde 40 dies exsurgunt. In septimo decimo Tammuz descendit, fregitque tabulas, ut scribitur Exod. 32. 19. *Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros, iratusque valde projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radices montis.*

39 *Jejunium quinti &c.* Codex Taanith IV. 7. Nono die mensis Abh decrevit Deus de patribus nostris, non ingressuros eos in terram promissam. Desolatum est templum & primum, & secundum; capta est urbs Bither, diruta urbs sancta. Unde ex quo mensis Abh incipit, lætitiam imminuunt. *Maimonides ibidem.* Nono die mensis Abh item quinque res evenere; decretum est Israelitis in solitudine ut ne intrarent in terram promissam, templum utrumque eversum, capta urbs amplissima nomine Bither, quæ quamplurima Israelitarum millia, & myriades bene multas continebat, qui sibi regem magnum constituerant adeo, ut & cunctæ Israeliticæ genti & sapientissimis quibusque Messias esse videretur; urbs illa cecidit in potestatem alienigenarum, a quibus ejus incolæ sunt omnes ad unum interfecti, quæ clades haud minor fuit eversione templi. Eodem illo die ad calamitatem constituto Tyrannus Ruphus & templi fundamenta, & vicinitatem ejus aratro vertit, ut compleretur prædictum id; *Sion quasi ager arabitur;* Mich. 3. 12. Atque hæc quidem jejunia quatuor plane commemorantur a Propheta. Zacch. 8. 9. *Jejunium quarti & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi erit &c.* Jejunium quarti est decimus & septimus dies Tammuz, qui est quartus anni mensis, jejunium quinti significat nonum diem Abh, jejunium septimi indicat tertium diem Tisri; jejunium decimi significat decimum diem Tebeth; quippe qui decimus est anni mensis.

40 *Jejunium septimi &c. Maimonides ibidem.* Dies illi sunt, tertius Tisri, quo est interemtus Gedolia filius Achicam, atque extinctum est lumen illud gentis Israeliticæ, ex quo qui residui erant in terra Israelitica, in exilium ejecti.

41 *Jejunium decimi &c. Maimonides ibidem.* Die decimo Tebeth Nabuchodonosor regum Babyloniorum impurissimus Hierosolymam obsedit, & in summas civitatem angustias adduxit.

42 *Nisi quod die &c. Gemara Taanith fol.* 28. 2. Urbis muri perfracti sunt 17. *Tammuz.* Et quomodo *hoc possit esse verum,* cum scriptum sit Jerem. 52. 6. *Mense autem quarto, nona mensis obtinuit fames civitatem;* & versu sequenti dicatur: *Et dirupta est civitas &c.?* Resp. Rabha; hæc sibi invicem contraria non sunt; hic enim *in Jeremia* de templo primo, illic, *in Mischna nempe sermo est* de secundo. Nam in Mischna etiam traditur tempore templi primi urbem perruptam fuisse nono Tammuz, sub secundo vero templo die 17. ejusdem mensis.

43 *Et juxta Jeremiam &c. Tosaphta Sotah VI. 7.* Interpretatus est etiam R. Akiba versum, qui dicit: *Hæc dicit Dominus exercituum; jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi &c.* Zachar. 8. 19. Jejunium quarti incidit in septimum decimum diem mensis Tammuz, in quo dirupta fuit civitas; quare vocatur quartum? quia incidit in quartum mensem.

44 *In hoc mense &c. Tosaphta Sotah ibidem.* Jejunium quintum incidit in diem nonum mensis Abh, in quo combusta fuit sancta domus; cur vocatur quintum? quia incidit in mensem quintum.

45 *Nabuchodonosor &c. Gemara Taanith ad cap. IV. 7. Codicis Taanith.* Scriptum est 4. Reg. 25. 8. 9. *Mense quinto, septima die mensis, ipse est annus nonus decimus regis Babylonis, venit Nabuzardan princeps exercitus servus regis Babylonis in Jerusalem; & succendit domum Domini &c.* Rursus Jerem. 52. 12. *In mense autem quinto, decima mensis, ipse est annus nonus decimus Nabuchodonosor regis Babylonis, venit Nabuzardan princeps militiæ, qui stabat coram rege Babylonis in Jerusalem &c.* De hoc traditio exotica est; non dici potest *in septimo hoc factum fuisse die,* jam enim dictum est *in altero loco id factum fuisse* in decimo die; neque dicere convenit in decimo, cum in altero dicatur in septimo. Ergo quomodo *hæc inter se conspirabunt? Resp.* Septimo die templum ingressi sunt gentiles, ederuntque ibidem profanantes illud per septimum, octavum, & nonum dies, tum diluculo eidem ignem injecere, arsitque templum per totum illum diem, secundum id quod dicitur, Jerem. 6. 4. *Væ nobis, quia declinavit dies, quia longiores factæ sunt umbræ vesperi.* Hinc est, quod R. Jochanan dixerit; si vixissem ista ætate, *qua constitutum est jejunium hujus diei,* non decrevissem illud *celebrari* nisi decimo die *mensis Abh,* quia maxima templi pars eo die consumta incendio erat. Sed Sapientes: *qui jejunium nono die celebrari voluerunt, ac constituerunt,* principium punitionis hujus magis respexerunt, *quam ejusdem consumationem. Babyl. Taanith fol.* 29. Non dici debuit septimo die, quia dicitur decimo, nec equidem decimo, quia dicitur septimo. Quid itaque? die septimo alienigenæ templum ingressi sunt, atque illic comedendo, diebus septimo, octavo, & nono, locum profanarunt, ad vesperam noni flammas subjiciunt, quæ per totum decimum diem templum demoliuntur, quæ res etiam ita se habuit cum templo secundo. *Kimchius ad* 4. *Reg.* 25. Die nono paulo ante crepusculum flamma templo fuit admota, quæ concepta ad finem usque decimi diei vires suas exeruit.

46 *Quum occisus est &c. Tosaphta Sotah ibidem.* Jejunium septimi incidit in diem tertium Tisri, in quo necatus fuit Gedolia filius Ahicam, interfectus ab Ismaele filio Netaniæ, ut doceamur, quod piorum mors æque sit acerba coram Deo, ac excidium sacri templi; cur vocatur jejunium septimi? quia incidit in mensem septimum.

47 *Quum Ezechiel &c. Tosaphta Sotah ibidem.* Jejunium decimi incidit in diem decimum Tebeth, in quo die Nabuchodonosor rex Babylonis Hierosolymæ *suas copias* admovit, juxta versiculum, qui dicit, Ezech. 24. 1. 2. *Et factum est verbum Domini ad me anno nono, in mense decimo &c. Fili hominis, scribe &c.* At ego dico, quod jejunium decimi incidat in diem quintum Tebeth, in quo allatus est nuncius ad gentem captivitatis, juxta versiculum qui dicit, Ibid. 33. 21. *Et factum est in duodecimo anno in decimo mense, in quinta mensis transmigrationis nostræ venit ad me qui fugerat &c.* Cum hoc audissent, constituerunt nuncii diem, uti diem combustionis, & hoc in principio scribendum erat; cur in fine scriptum est? ne mensium series perturbaretur; & ego hoc loci magis probo mea verba, quam verba R. Akibæ; quia juxta sententiam R. Akibæ, quod primum est, statuitur in loco novissimo, & novissimum in primo; & ego dico, quod primum sit primum, & postremum postremum.

48 *Ob mortem filiorum &c. Megillath Taanith cap. XII.* Hi autem sunt dies, quibus Israelitæ jejunant ex Lege (ac si in Lege essent scripti) & quicumque iis jejunat, non debet edere, & bibere usque ad vesperam. Primo die *Nisan* mortui sunt filii Aaronis. *Si dies octavus impletionum, quo die mortui sunt, inciderit in diem octavum mensis Nisan, non primo, sed octavo hujus mensis die periisse dicendi sunt; verum plerique exordium dierum impletionum ducunt a die tertio & vicesimo mensis Adar, ita ut octavus incidat in diem primum mensis Nisan. Abarbanel ad Levit.* 9. 1. *fol.* 240. 4. R. Aben Ezra scripsit, diem octavum Levit. 9. 1. esse diem octavum mensis Nisan; Tabernaculum enim esse erectum die primo Nisan, atque inde cepisse dies impletionum, sive consecrationum. Verum enimvero traditio doctorum ab ea opinione diversa est, quæ docet, dies impletionum cepisse, & fuisse ante mensem Nisan, primumque diem Nisan fuisse octavum diem impletionum; nam postquam Aaron & filii ejus impleverunt manus suas in septem diebus impletionum, die octavo istorum dierum, qui erat primus dies mensis Nisan, quo erectum est tabernaculum, voluit Deus T. O. M. ut Aaron, & filii ejus ingrederentur sanctitatem Sanctuarii, ideoque convocavit eos Moses, sicut etiam seniores Israelis &c. *Idem in comment. in Exod.* 40. 2. *fol.* 225. Juxta sapientum sententiam dies primus Nisan fuit septimus impletionum; etenim primis diebus septem impletionum, Moses Tabernaculum mane erexit, atque ita toto die ac tota nocte stetit; cum autem ascenderet aurora crastini diei descendere illud fecit ac rursus erexit, ut doceret Levitas erectionem Tabernaculi, ac dissolutionem. Ast die primo mensis primi Deus Mosem jussit erigere Tabernaculum, & sic stetit, nec amplius dissolvit quolibet die,

die, nisi in castris, quando Levitæ illud dissolverunt, ac erexerunt. Rambam scripsit, non fuisse necesse, ut Deus Mosi præciperet erectionem Tabernaculi septem prioribus diebus, eo quod jam antea ipsi hoc dixisset mox sub initium operis. Exod. 26. 30.

49 *Ob mortem Mirjam &c. Megillath Taanith ibidem*. Decimo die mortua Mirjam prophetissa, atque obsignatus est puteus. *Seder Olam cap.* 10. Mirjam mortua est die decimo Nisan, Aaron primo Abh, Moses decimo Adar.

50 *Ob mortem Josuæ &c. Megillath Taanith ibidem.* Die vicesimo sexto mortuus est Josua filius Nun. *In Kol —— bo* die 28. statuitur.

51 *Ob mortem Eli &c. Megillath Taanith ibidem*. Die decimo Ijar obiit Eli summus Sacerdos, ac duo filii ejus, captaque est Arca fœderis.

52 *Ob mortem Samuelis &c. Megillath Taanith ibidem.* Die vicesimo octavo obiit propheta Samuel, & luxit eum totus Israel.

53 *Ob defectionem &c. Megillath Taanith ibidem*. Die vicesimo tertio Sivan abrogati sunt primitivi fructus, qui non adferebantur Hierosolymam in diebus Jeroboam filii Nebat.

54 *Ob necem &c. Megillath Taanith ibidem*. Die vicesimo quinto occisus est R. Simeon filius Gamalielis, & R. Ismael filius Elisæ, nec non R. Chanina vicarius Sacerdotum. *Midrasch Tillim in Psalm.* 9. *fol.* 10. *col.* 3. Non obliviscitur clamoris pauperum, h.e. non obliviscitur sanguinis Israelitici, quin a Gentibus olim reposcet. Non oblitus est sanguinis justorum, qui interfecti sunt, scilicet Rabban Simeonis filii Gamalielis, R. Ismaelis filii Elisæ, R. Ishbab scribæ, R. Hospith interpretis, R. Josis, R. Judæ ben Babæ, R. Judæ Hannacthom, R. Simeonis ben Azzai, R. Chaninæ ben Teradion, & R. Akibæ. *Hierosol. Sotah fol.* 24. 2. Samuel parvus in articulo mortis dixit; Simeon atque Ismael ad gladium, atque omnis reliquus populus ad spolium, & calamitates plurimæ futuræ sunt. Atque ideo quod hæc loqueretur lingua Syriaca non intellexerunt. *Babyl. Sanhedr. fol. II.* 1. Simeon atque Ismael ad gladium (id est Rabban Simeon princeps, & R. Ismael ben Elisæ summus Sacerdos sunt interfecti gladio.) & socii ejus ad occisionem (id est R. Akiba, & R. Chanina ben Teradion interfecti sunt aliis mortibus; R. Akiba scilicet pectinibus ferreis, & R. Chanana vicomburio coram Idolis.) reliquusque populus in prædam, & plurimæ calamitates venturæ sunt in mundum.

55 *Ob combustionem &c. Megillath Taanith ibidem.* Die vicesimo septimo combustus est R. Chanina filius Teradion, atque una cum ipso liber Legis.

56 *Ob fractas tabulas &c. Megillath Taanith ibidem*. Die septimo decimo Tammuz fractæ sunt tabulæ Mosis, abolitum est juge Sacrificium, & Apostemus combussit Legem, imaginemque in templo constituit.

57 *Dies angustiæ &c. Maimonides Taanith V.* 5. Ineunte mense Abh lætitia quidem minuitur omnis, sed hebdomada illa, in quam incidat nonus dies Abh, nefas est capillum tondere, vestimenta lavare, alba induere etiam linea usque ad exactum jejunium. Nec vero fas est ea hebdomada lavare quidquam, ut in tempus a jejunio futurum reponatur. Nunc eadem hebdomada Judæi solent etiam abstinere carnis usu, atque balnei, immo vero loca sunt, ubi a calendis ad exactum jejunium nulla ad vescendum bestia mactatur.

58 *Ob mortem Aharonis &c. Megillath Taanith ibidem*. Die primo Abh summus Sacerdos Aharon mortuus est. *Abarbanel ad hæc verba Num.* 33. 38. 39. *Ascenditque Aaron Sacerdos in montem Hor, jubente Domino, & ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto mense quinto, prima die mensis; cum esset annorum centum viginti trium, ita commentatur fol.* 320. 2. Hoc ipso ostendit Mosem post eum vixisse septem menses, si quidem ambo mortui sunt anno quadragesimo, sed Aaron mense quinto, Moses vero mense duodecimo, qui mensis est Adar, sicut explicabitur in libro Josua, quod transierint Jordanem decimo die mensis primi (Jos. 1. 2. cap. 4. 19.) Detrahe tres dies, quibus sibi pararunt viaticum Jos. I. II. & triginta dies luctus super Mosem Deut. 34. 8. Deprehendetur septimus dies mortis Mosis in Adar, & deprehendetur simul, quod Moses mortuus sit post Aaronem septem mensibus duntaxat. Nam Moses erat 80. annos natus, cum staret coram Pharaone, & Aaron tunc natus erat 83. annos. Exod. 7. 7. 10. Ergo deprehenditur Aaronem ante Mosen tribus annis natum esse, qui tamen non fuerunt integri anni, ideoque Aaron fuit 123. Moses vero 120. annorum. Anni autem Mosis pleni erant, sicut dixit Deut. 31. 2. *Natus sum hodie centum viginti annos*, היום *hoc die* natus, & היום *hoc die* ego morior, sed anni Aaronis non fuerunt pleni. Verumtamen ambo eodem mense mortui sunt, Mirjam quoque eodem mense mortua, juxta Prophetæ canticum, Zachar. II. 8. *Et succidi tres pastores in mense uno*.

59 *Ob dictum Dei &c. Megillath Taanith ibidem*. Die nono Abh decretum est super patres nostros, ne intrarent in terram Canaan, eodem devastatum est templum primum & secundum, capta est Bither, & urbs aratro proscissa est. *Seder Olam cap.* 8. Die 29. Mensis Sivan Moses exploratores misit, sicut colligi potest ex cap. 13. 20. *Dies illi erant præcocium uvarum*. Reversi autem ab exploratione terræ expletis 40. diebus, i. e. nono die mensis Abh ex quo traditum a majoribus nostris reperitur nono mensis Abh decretum esse super patres nostros, ne ingrederentur in terram: *Hic erat dies magnus pœnitentiæ; Maimonides ibidem*. In die ipso nono Abh, nox ejus idem prorsus habet jus, atque dies; hujus vigilia oportet ante deficientem lunam cœnare; nam crepusculo cibum capere nefas est, haud secus ac solennitate expiationum. Nec quisquam potest in ultima mensa aut carnem edere, aut potare vinum, sed enim licet bibere recens a torculari vinum, quod ad summum triduo est expressum; itemque carnem triduo vel diutius salsam comedere, sed non amplius uno pulmento apponatur. Sic se res habent si vigilia comedatur a meridie; nam ante meridiem quod libuerit, edere licet etiam in ultima mensa. Itemque si vigilia noni Abh inciderit in Sabbathum, cibi & potionis quantum opus fuerit, capere licet, atque regalibus adeo mensam onerare epulis. Quin etiam ipse nonus Abh si in Sabbathum incidat, nullo prorsus cibi genere oportet abstinere. Hoc quidem pacto vivit vulgus non nimium patiens laborem; sic autem prisci homines religiosi. Vigilia diei noni Abh afferebatur homini solitario fragmentum panis sicci, sale conspersi, & in aqua macerati, qui residens humi inter furnum & larem panem illum edebat, & potabat scyphum aquæ mœstus, desolatus ac plorans, velut qui mortem alicujus e suis luget, atque sic par est facere sapientes, aut proxime accedere. Nos quidem ætate nostra nullum omnino pulmentum ne lentium quidem comedimus vigilia noni Abh, nisi incideret in Sabbathum. Nutrices & prægnantes mulieres jejunium servent nono Abh die solido. Præterea eo die nemini licet corpus lavare, aut in calida aut in frigida, ne digitum quidem in aquam immergere, nec voluptatis gratia se ungere, nec calceos induere, & quisque etiam uxore tenetur abstinere, quemadmodum in expiationum solennitate. Eodem die, ubi consuetudo fert, licet operi vacare, secus autem ubi est cessandi mos; sed ubique discipuli sapientum feriantur a studiis. Porro sapientes asseverant fore, ut qui opus eo die facit, nullam rei prosperitatem habeat unquam. Non dicunt sibi salutem discipuli sapientum nono Abh, sed ingemiscunt, & dolent, sin illos salutarit plebejus aliquis, salutem ei reddunt quidem sed voce languenti, & prono capite. Interdicta est etiam nono Abh lectio Legis, Prophetarum, & reliquæ scripturæ sacræ, Mischnæ expositionum, Gemaræ, narrationum jucundarum. Quid multa? Nihil omnino legi fas est præter librum Job, Lamentationes Jeremiæ, & acerba ejus alia dicta. Vacant Scholastici, & sapientum aliqui solent eo die non inducere phylacterium capitis.

60 *Ob excidium templi &c. Tosaphta Taanith III.* 10. Nono mensis dirupta fuit civitas in secunda domo, & in prima ejusdem *mensis* septimo. Si dicemus septimo mensis, cur dictum est nono mensis? Et si dicemus nono, cur dictum est septimo mensis? Verum septimo mensis Gentes ingressæ sunt in templum, & inde extulerunt columnas, & mare, & bases, & perrexerunt diruere septimo, octavo, & nono, donec dies inclinaret; atque ita dictum est Jerem. 6. 4. *Væ nobis, quia declinavit dies, quia longiores factæ sunt*

um-

umbræ veſperi. Prope veſperam injecerunt ignem, atque incenſum eſt, uſque ad occaſum decimi diei menſis.

[61] *Erat is dies &c. Toſaphta Taanith ibidem &c.* Excidium primæ ſanctæ Domus contigit exeunte Sabbatho (i. e. die Dominico) & exeunte anno Sabbathico.

[62] *Erantque vices &c. Toſaphta Taanith ibidem.* Miniſtrante claſſe Jehojarib nono *menſis* Abh; quod etiam contigit in ſecunda Domo; & Levitæ conſiſtentes ſuper eorum pulpito canebant, (Pſalm. 93. 23.) *& reddet illis iniquitatem ipſorum, & in malitia eorum diſperdet eos, diſperdet illos Dominus Deus noſter*. Cras quando ædificaverit domum ſanctam quid dicet? *Benedictus Dominus Deus Iſrael ex hoc nunc & uſque in ſeculum, qui facit mirabilia coram eo, & benedictum nomen gloriæ ejus &c.*

[63] *Et annus erat &c. Maimonides de Jubilæo* I. 3. 4. Septemdecim Jubilæos numerarunt Iſraelitæ, ex quo ingreſſi ſunt terram, uſque ad exitum. Annus vero, quo exierunt, & in quo vaſtatum eſt templum primum, fuit exitus anni ſeptimi, & ſextus & triceſimus Jubilæus &c. Colligitur hinc annum in quo vaſtatum eſt templum poſterius; quique incepit a Tiſri poſt templi vaſtationem, eſſe æram annorum Sabbathicorum, & Jubilæorum. Fuit autem hic annus exitus anni ſeptimi, & quintus decimus Jubilæi noni.

[64] *Ob exſtinctionem &c. Megillath Taanith ibidem.* Die decimo octavo exſtincta eſt lucerna occidentalis tempore Achaz. *Abarbanel in Hoſ.* 5. 9. Die 18. menſis Abh jejunium, quod in eo exſtincta ſit lucerna occidentalis in diebus Achaz regis Judæ.

[65] *Ob mortem &c. Megillath Taanith ibidem.* Die ſeptimo decimo Elul, plaga mortui ſunt, qui malam famam de terra Canaan ſparſerunt.

[66] *Jejunium &c. Megillath Taanith ibidem.* Die tertio Tiſri Gedolia filius Ahicham filii Schafan occiſus eſt, & ſimul Judæi, qui cum ipſo erant in Mizpa.

[67] *Ob incarcerationem &c. Megillath Taanith ibid.* Die quinto mortui ſunt viginti homines ex Iſraele, & vinctus eſt R. Akiba filius Joſephi in carcere, & mortuus eſt.

[68] *Ob ſententiam &c. Megillath Taanith ibidem.* Die ſeptimo contra patres noſtros decretum factum eſt, quod gladio & fame perire deberent propter fabricationem vituli. *Sanhedr. fol.* 102. 1. R. Oſchaja dicit; uſque ad tempora Jeroboami Iſraelitæ fuxerunt a vitulo uno. Aſt deinde porro a duobus & tertio vitulo. R. Iſaac dicit; non eſt vindicta aliqua, quæ invadit mundum, in qua non ſit viceſima quarta pars libræ vituli primi, ſicut dicitur Exod. 32. 34. *Ego autem in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum*. Dicit R. Chanina. Poſt vigintiquatuor generationes (*Gloſſa, regnante Zedekia*) exactus eſt hic verſiculus, ſicut dicit Ezech. 9. 1. *Appropinquaverunt viſitationes urbis, & unuſquiſque vas interfectionis habet in manu ſua*.

[69] *Dies expiationis &c.* Vide quæ de hoc diximus ad caput ſextum partis quartæ.

[70] *Ob excæcationem &c. Megillath Taanith ibidem.* Die ſexto Marcheſvan excæcarunt oculos Zedekiæ regis Judæ, & filios ejus coram oculis ejus mactarunt. (Jerem. 52. 10. 11.)

[71] *Ob codicem ſacrum &c. Megillath Taanith ibidem*. Die ſeptimo Ciſleu combuſſit Jojakim volumen quod ſcripſerat Baruch filius Neriæ ex ore Jeremiæ (Jer. 36.)

[72] *Ob verſionem &c. Megillath Taanith ibidem.* Die octavo Tebeth Lex græce ſcripta eſt diebus Regis Ptolomæi, & tenebræ ſuper mundum venerunt per tres dies. *Maſſecheth. Sopherim cap. I.* Hiſtoria eſt de quinque ſenioribus, qui tranſcripſerunt Legem Ptolomæi regis gratia græce. Et acerbus fuit iſte dies, ſicut dies quo conflatus fuit vitulus aureus, quia Lex non potuit verti ſecundum omnia ei requiſita. Eſtque rurſus hiſtoria de Ptolomæo rege, quod congregavit LXXII. Seniores, & diſpoſuit eos in LXXII. domunculis, at non revelavit iis, quare eos congregaret: verum ingreſſus ad unumquemque eorum, dixit iis, exſcribite mihi Legem Moſis Magiſtri veſtri. Indidit Deus cordi uniuſcujuſque conſilium, ita ut animi eorum in unum convenirent, & exſcripſerunt ei Legem per ſeipſam; ac tredecim loca in ea immutarunt. *Permiſerunt deinde ut libri ſacri græce ſcriberentur. Megillah fol.* 9. 2. Rabban Simeon ben Gamaliel etiam dicit; etiam de libris ſacris non permiſerunt Sapientes, ut ſcriberentur in alia lingua, quam græca. R. Abhu dicit, dixiſſe R. Jochananem; traditio eſt ſecundum Rabban Simeonem; dixiſſe inſuper R. Jochananem; unde probatur illud Rabban Simeonis? ex eo quod dicit Scriptura (Geneſ. 9. 27.) *Dilatet Deus Japheth, & habitet in tabernaculis Sem*; verba Japheti erunt in tentoriis Sem. *Et paulo poſt. Dilatet Deus Japheth*, id eſt, decor Japheti erit in tentoriis Sem. *Ubi Gloſſa*. Decor Japheti eſt lingua græca, pulcherrima ex iis linguis, quæ ſunt filiorum Japheti. *Ibidem laudatur Aquilas proſelytus, quod libros ſacros græce interpretatus ſit*. Aquilas proſelytus ſacras literas, præſcitu R. Elieſeris, & R. Joſuæ in græcam linguam tranſtulit, quod ipſi factum collaudarunt, accomodantes hoc dictum, Pſalm. 44. 3. יפיפית מבני אדם. quippe יפי ad Japhetum (*Græcorum progenitorem*) linguamque græcam præbet alluſionem.

[73] *Ob mortem &c. Hujus jejunii cauſam ſe ignorare ſcribunt Judæi. Megillath Taanith ibidem.* Die nono fuit jejunium, ſed cauſam, propter quam illud inſtitutum, Rabbini non adſcripſerunt. *In Col---bo etiam legitur*. Non conſignarunt patres noſtri, qua de cauſa hoc obſervetur.

[74] *Ob urbem &c. Megillath Taanith ibidem.* Die decimo copias ſuas poſuit Rex Babel contra Hieroſolymam ad eam devaſtandam (Ezech. 24. 1. 2.)

[75] *Ob mortem ſeniorum &c. Megillath Taanith ibidem.* Die octavo (A. C. quinto) Schebeth mortui ſunt juſti, qui erant tempore Joſuæ filii Nun.

[76] *Ob congregationem &c. Megillath Taanith ibidem*. Die viceſimo tertio congregati ſunt omnes Iſraelitæ contra tribum Biniamin, & propter concubinam in Gibea, & propter imaginem Michæ.

[77] *Ob mortem Moſis &c. Megillath Taanith ibidem*. Die ſeptimo Adar mortuus eſt Moſes magiſter noſter. *Toſaphta Sotah* XI. 3---7. Toto tempore, quo vixit Moſes, manna deſcendebat Iſraeli, poſt mortem Moſis; quid dictum eſt? *deſecitque Manna &c.* Joſ. 5. 12. Non ſolum Manna deſcendit ejus cauſa, donec vixit, ſed etiam poſt ejus mortem. De manna quam collegerunt eo die, quo mortuus eſt Moſes, comederunt a die ſeptimo Adar uſque ad ſextum decimum Niſan, nempe novem & triginta dies, donec obtulerunt manipulum in Galgal, juxta verſiculum qui dicit, Exod. 16. 35. *Filii autem Iſrael comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem*; quod dici non opus erat, *donec venirent*; quid dicendum erat, *uſquequo tangerent fines terræ Canaan?* Sed ut doceamur, quod de manna quam collegerunt eo die, quo mortuus eſt Moſes, comederunt a ſeptimo die Adar uſque ad ſextum decimum Niſan, nempe dies novem & triginta, *donec obtulerunt manipulum in Galgal, nec voluerunt comedere de proventu terræ Canaan &c.* Eo anno, quo egreſſi ſunt Iſraelitæ ex Ægypto, ſexto decimo Ijar deſcendit manna Iſraeli, & ſeptimo Adar ceſſavit eo die quo mortuus eſt Moſes, & decimo ſexto Niſan defecit illa, quam collegerant, juxta verſiculum qui dicit, Joſ. 5. 12. *Sed comederunt de frugibus præſentis anni terræ Canaan*. Alia gloſſa. Quid docemur ex eo quod dicit, *filii autem Iſrael comederunt Man quadraginta annis?* Nonne deerant triginta dies? Sed comederunt placentas, & azymos panes, quos ſecum eduxerunt ex Ægypto, qui ſibi æque grati fuere, ac manna. Unde probatur, quod ſeptimo Adar natus ſit Moſes? ex eo quod dicit, Deut. 31. 2. Et dixit ad eos; *centum viginti annorum ſum hodie*; quod dici non opus erat *hodie*; quid docemur, dicendo *hodie?* diſcimus quod eo die ſuos annos complebat; alia verſio: docemur, quod erant centum & viginti anni perfecti ex uno ad alterum diem; alia verſio: docemur, quod Deus benedictus complet annos juſtorum ſponte, & cum lætitia juxta verſiculum qui dicit. Exod. 23. 26. *Numerum dierum tuorum implebo*. Et unde probatur, quod ſeptimo Adar mortuus ſit Moſes? juxta verſiculum qui dicit, Deut. 34. 8. *Fleveruntque eum filii Iſrael in campeſtribus Moab triginta dies &c.* Et pariter dictum eſt, Joſ. I. 1. *Et factum eſt poſt mortem Moyſi ſervi Domini &c. Surge & tranſi Jordanem &c.* Ibid. verſ. 2. *Præcepitque Joſue principibus populi dicens, tranſite*

site per medium castrorum &c. Ibid. vers. 10. Et pariter dictum est, *Populus autem ascendit de Jordane decimo die mensis primi*. Ibid. 4. 19. Detrahamus triginta dies, deprehendetur, quod septima Adar Moses sit mortuus. *Abarbanel ad Num.* 33. 38. 39. *fol.* 320. 2. Hoc ipso ostendit Mosem post eum (*sc. Aaronem*) vixisse septem menses, si quidem mortui sunt anno quadragesimo, sed Aaron mense quinto, Moses vero mense duodecimo, qui mensis est Adar, sicut explicabitur in lib. Josua, quod transierint Jordanem decimo die mensis primi (Jos. 1. 2. cap. 4. 19.) Detrahe tres dies, quibus sibi pararunt viaticum, Jos. 1. 11. & triginta dies luctus super Mosen, Deut. 34. 8. deprehendetur septimus dies mortis Mosis in Adar &c.

[78] *Ob dissensum Hillelis &c. Megillath Taanith ibidem*. Die nono decreverunt jejunium ob contentionem quæ intercesserat inter domum Schammai, & domum Hillelis. Isti sunt dies jejunii, quos Israelitæ in se receperunt ex Lege. Adhuc decreverunt Rabbini nostri jejunandum esse die secundo & quinto septimanæ, trium rerum causa, nempe propter vastationem templi, combustionem Legis, & blasphemiam Dei. Ast tempore futuro ista (*jejunia*) Deus S. B. convertet in gaudium & lætitiam, sicut dicitur, Jerem. 31. 13. *Et convertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & lætificabo a dolore suo*. *Hierosol. Schabb. fol.* 3. 3. Ad cameram Chananiæ ben Ezekiæ ben Garon accesserunt Schammæani, atque Hilleliani, ut eum visitarent; dirus fuit iste dies instar diei, quo factus est vitulus aureus. Schammæani astiterunt ab infra, & quosdam ex Hillelianis trucidarunt. Traditio est, sex ex illis ascendisse, reliquosque illic astitisse cum gladiis & hastis. *Tosaphta Schabbath I.* 8. Hæ sunt constitutiones, quas decreverunt in conclavi Chananiæ filii Ezekiæ filii Garon, quando ad eum invisendum ingressi sunt; & prævaluerunt Schammæani super Hillelianos, & octodecim decreta statuerunt eo die, qui dies fuit acerbus Israelis instar diei, quo conflatus est vitulus aureus. *In Col—bo legitur fol.* 69. 1. *Hic dies* æque acerbus fuisse *dicitur* ac ille, quo vitulum aureum fabricarunt.

[79] *Jejunium Esther &c.* de hoc vide quæ adnotavimus ad caput nonum partis quartæ de festo Purim.

FINIS.



ADDENDA, ET CORRIGENDA.

173 linea 21 navæ jacturam, *lege* nautæ. 196 lin. 8 Sinode, *lege* Sidone. 202 lin. 39 Cresias, *lege* Ctesias.
203 lin. 40 pluvis, *lege* pluvius. 212 lin. 55 nocit, *lege* nocet. 230 lin. 6 Jovis, *lege* Jovius. 257 lin. 21 fabiti, *lege* habiti. 289 lin. 12 Juæis, *lege* Judæis. 306 lin. 6 Concilium Nicænum, *lege* Concilii Nicæni.
326 lin. 4 remotio, *lege* remotius. 415 lin. 13 ea panes; *lege*, super eas. 465 lin. 39 bibenda in Juchasin *lege* bibenda. In Juchasin. 475 lin. 65 infra as legitimi pergendi *lege* infra legitimi aspergendi. 551 lin. 59 assasce-bat *lege* assuescebat. 555 lin. 4 pollutur *lege* polluitur. 613 lin. 17 pavimentali, *deest* polluit.
626 lin. 24 Planæ sunt, *lege* plane. 633 lin. 20 probat *lege* reprobat. 639 lin. 28 Nam cui oblatio deest, *lege*; nam id cui oblatio deest, id non est simile, cui deest opus. 653 lin. 42 custodiæ erant in distributione. *lege*. custodiæ erant æquales indistributione. 677 lin. 59 prophetæ, ab propheta; *lege* prophetæ, propheta.
705 lin. 43 dicimis *lege* dicimus 712 lin. 34 Quæ post *Avoda Zarab V.* usque ad finem notæ 70 impressa sunt, *lege* in fine notæ 71. 715 lin. 27 eum atq. etiam *lege* etiam atq. etiam. 727 lin. 5 familiæ *lege* simile.
798. lin. 25 agit, qui per errorem. *lege* agit, tenetur qui per errorem. 841 lin. 47 præcipuem, *lege* præcipuum.
910 lin. 56 Sacerdotemque ferialem *lege* fecialem. 937 lin. 37 se comedisse nihil, *lege* nisi. 1029 lin. 50 Et de primitiis, *adde* non vescetur. 1031 Cap. Nonum lin. 31 ἱερατείας, ἱερατείαν. 1181 lin. 2 festum *lege* ante festum.
1184 lin. 73 annus intermissionis, *lege* cum annus.

ERRATA QUÆ IN NOTAS IRREPSERUNT.

XXIII.	lin.	1. Quæ	*lege*	Duæ
	lin.	9. & *ele*		& *el*
	lin.	10. quodvis		quamvis
XXVII.	lin.	6. leges		lege
XXXV.	lin.	3. perque		pro p:
	lin.	7. Spartorum		Spartarum
LXXIV.	lin.	8. servabis		servabitis
XCVII.	lin.	4. emonumentus		monumentis
CXXVIII.	lin.	17. enervat		servat

INDEX CAPITUM,

Quæ in secundo Volumine Antiquitatum Sacrarum continentur.

CA-

CA-

CAPUT IX.

CAPUT X.

FINIS.